CONINCK, Egidio de (S.I.)

Commentariorum ac disputationum in universam doctrinam D. Thomae de sacramentis et censuris ecclesiasticis tomi duo / auctore Aegidio de Conlnck... è Societate Iesu... – Rothomagi : Sumptibus Ioannis Osmont..., 1630

[2], 733, [24] p., []1, A-Z6, 2A-2Z6, 3A-3S6 ; Fol.

Texto a dos col. – Tomus secundus con port. propia, p. 289-733

1. Tomismo 2. Tomismoa 3. Sacramentos 4. Sakramentuak 5. Censura eclesiástica 6. Eliz zentsura I. Titulo

R-6600 / R-5557

ÆGIDIVS DE CONINCK DE SACRAMENTIS AC CENSVRIS.

COMMENTARIORVM, AC DISPVTATIONVM IN VNIVERSAM DOCTRINAM D. THOMÆ DE SACRAMENTIS ET CENSVRIS:

Tomi duo.

AVCTORE ÆGIDIO DE CONINCK BELLANO; è Societate IESV, in Collegio eiusdem Societatis in Academia Louaniensi S. Theologiæ Professore.

POSTREMA EDITIO AVCTA ET RECOGNITA.



ROTHOMAGI,

Sumptibus IOANNIS OSMONT, in Curia Palatij.

M. DC. XXX.

REVERENDISSIMO ACPERILLVSTRI D. D. IACOBO BOONEN ECCLESIÆ GANDENSIS EPISCOPO.

CONFECTVM tandem de Sacramentis opus, Reuerendiſſime Domine, editurus in lucem cœpi mecum cogitare, quem ei patronum eligerem, cuius fauore, ac approbatione tutiùs multorum ſubiret iudicium: cùm ecce in mentem mihi venit illud colloquium, quod ante aliquot annos, cùm hunc librum primò componere inciperem, cum REVma V. Dominatione habueram, ſtatímque vagantem in diuerſa animum ſtitit, totúmque in ſe rapuit. Recèns tunc Reuerendiſſima veſtra Dominatio in Metrapolitana Eccleſia Decani dignitatem adierat, eámque pro officio contractáque iam olim neceſſitudine fauſta omnia precaturus acceſſeram: cùm repentè (vt, ſi mentem eò reuocet, Reuerendiſſima veſtra Dominatio facilè meminerit) non tam nouum honorem, quod acturus veneram, quàm certiſſimum ad honorum omnium culmen iam factum gradum gratulatus ſum. Iam enim tum præſagus proſpectabam eam in veſtro capite mitram, quam iam gaudemus impoſitam. Et hæc mihi animo reuoluenti, quò vlteriùs pergendum fuit? Numquid dubitare potui, an quas infulas Reuerendiſſimæ veſtræ Dominationi iam olim offerendas non tam vanè diuinando, quàm claris argumentis rem certam conficiendo denuntiatam, iam delatas acceptáſque gratularer? Nimiùm veteris noſtræ (qualis qualis inter impares eſſe poſſit) amicitiæ, nimiùm mei officij, nimiùm mei ipſius fuiſſem oblitus. Gratulandum itaque fuit mihi, non vt olim nudis verbis, ſed ex receptiſſima apud omnes gentes in eiuſmodi caſibus conſuetudine, adiuncto etiam aliquo munuſculo, quo interiorem animi mei ſenſum, quantum quantum poſſum, exteriùs teſter. Offero igitur munus quidem mei amoris ſtudiíque pignus, ſi offerentis animum ſpectes; tale tamen, non quo Reuerendiſſima veſtra Dominatio in aliquo

ditetur, ſed quod ſua auctoritate tueatur. Quod cùm ipſe mecũ conſidero, eſt ſanè cur numini agam gratias, quòd ita opportunè & olim ita vaticinandi mihi mentem iniecerit, & eiuſdem iam memoriam excitarit. Nam vt omnis iam dicta abfuiſſet occaſio, cui alteri hoc meum qualecumque opuſculum feliciùs dedicem? In eo Sacramentorum ſacratiſſimorum quæ cæleſtis ſponſus Eccleſiæ ſuæ contulit, munerum natura, ritus, efficientia explicantur. Et quis non videat eſſe conſequens, vt alicui Eccleſiæ Principi, eíque à cæleſti ſponſo dato Vicario ſponſo tutandum fouendúmque committatur? In eodem, non ſolùm Scripturæ, Traditiones, Concilia, ſed plurimi ſacri canones, ciuileſque leges pro materiæ exigentia explicantur, atque adeò vtrumque ius non exiguam in partem pertractatur. Meritiſſimò igitur eius pro eo primum omnium imploro calculum, quem vtriuſque iuris ſcientiſſimum hoc noſtrum ævum deprædicat, ac clariſſimis quibuſque in ea ſcientia viris, aut comparat, aut etiam præfert: in quem, verbo dicam, ipſa iuriſprudentia ſe totam, ſecúmque omnem ſuam fortunam penitus videtur effudiſſe: cuius iudicio liber approbatus nullius Ariſtarchi ſupercilium extimeſcat. Laudaret hìc fortè alius Reuerendiſſime Domine, illius tuæ eminentioris doctrinæ, natæque inde famæ luculentiſſimos teſtes Excellentiſſimos Arembergicos, alióſque plurimos toto Belgio viros ſine comparatione Principes, qui tuum iam olim, cùm orbi primùm clarere inciperes; conſilium ac prudentiam tanti fecerunt, vt grauiſſimis difficultatibus impliciti, tum demum omnia ſibi crederent expediti ſſima, ſi quacunque ratione obtinere poſſent, vt iis explicandis manum admoueres. Ab his, inquam, alius fortè ea quæ dixi firmaret, ſed fruſtra omnino ſim, ſi meridiano ſoli facem adhibeam; ſi, inquam, illuſtriſſimo ſummi illius totius Belgij, oculatiſſimíque Tribunalis, ſi Sereniſſimorum noſtrorum Principum de tua eruditione teſtimonio, aliunde aliquam lucem robúrque quærendum credam: Illud enim te in Belgico ſuo Areopago iudicem expetiit; hi dedére; vbi non modò de Belgarum omnium fortunis vnà cum collegis ſententiam diceres; ſed etiam cum iiſdem de aliorum omnium Tribunalium ſententiis iudicares, non modò priuatorum, ſed ipſorum iudicum iudex. Iam tum te oſtendebas dignum, qui eo parente natus eſſes, cuius conſiliis tota iam olim illuſtrata fuit Brabantia, quem ipſa Cancellaria pro defuncto ſuo capite Vicarium agentem magno ſuo bono experta, ſibi præſidem magnis votis expetiit, magno ſuo gaudio à Regia Maieſtate obtinuit: ſed tantam ei felicitatem mors immatura inuidit. Iam tum paternæ virtutis acer æmulator, illum concito curſu ſequebaris: iam tum viri ampliſſimi Petri Peckij ſororij tui, quem vt olim pro Principe ſuo Oratorem tota Gallia, ita nunc Cancellarium ſuſpicit Brabantia, præclarè inſiſtebas veſtigia, adeóque premebas, vt cùm ille eò iam peruenìſſet quò adſpirant pauci, pertingunt vix vlli, eùm tamen breui aſſecuturus credereris. Sed qui olim D. Ambroſium tribunalibus ſubtractum Mediolanenſibus dedit Pontificem, alìò curſum tuum flexit, felicitate ſanè maxima; difficulter tamen quis dixerit, tuáne, an Eccleſiæ Gandenſis maiore. Exſiccatæ iam ſunt huius lacrymæ, quas optimus Antiſtes, iam ſecundò deceſſor tuus, ei ex inſperato abreptus excuſſerat, mutauit pallorem, luctum depoſuit, cùm quantum in Franciſco perdit,

tantum sibi à Iacobo promittat. Quidni enim quæ iam ab illo accepit, eadem à Reuerendissima vestra Dominatione expectet, quam Illustrissimi Melchinienſis acerrimo iudicio viri, quam Sereniſſimorum noſtrorum Principum ſententia vnam toto Belgio ſelectam videt, quæ tanto viro iam ſecundò in grauiſſima officia ſuccederet? Et vt modum epiſtolæ ponam, multáque, ac maxima verbo complectar, cùm in Reuerendiſſima Dominatione Veſtra, Deo auctore, penè par videat curſus initium; cur diſſimilem progreſſum, diſſimilémque timeat exitum? aut cur Deo Opt. Max. adiutore ſibi à Reuerendiſſima Veſtra Dominatione non promittat felicitatem & gloriam illius æmulam? Ita rogo, ita voueo. Louanio 13. Maij, anno 1616.

REV^MÆ Dom. V.

Seruus in CHRISTO

ÆGIDIVS DE CONINCK.

Amico Lectori.

MIRABERIS fortè quisquis in hunc librum incideris, quid tandem operæ pretium duxerim, post tot eruditissimos, omníque ex parte absolutissimos doctissimorum virorum in hanc materiam commentarios, hunc laborem mihi sumere, &, vt aiunt, actum quodammodo agere: huius igitur causam paucis accipe. Postquam doctissimum illum R. P. Leonardi Lessij de Iure & Iustitia librum ingenti applausu orbis suscepisset, & non minore fructu omnium pænè manibus tereretur, ac incredibilem in rebus difficillimis tanta breuitate explicandis facilitatem obstupescerem; multi quos tædebat ingentia volumina perlegere, cœperunt ab eo similes in alias Theologiæ partes lucubrationes exigere, iíque ex omni hominum ordine, ex omni orbis parte: maximè tamen eum opportunè importunè præsentes verbis, absentes literis vrgebant, vt Ecclesiæ Sacramenta ita explicata Christiano orbi daret; horum quippe exactam cognitionem ita omnibus esse necessariam, vt nemo Ecclesiasticus, præsertim cui animarum aliqua cura commissa est, sine ea vel tolerabiliter suo officio fungi possit: quæ tamen plurimos multi laboris longæque lectionis impatientes maxima ex parte deficiat. Cùm ille horum precibus nec diutiùs posset resistere, nec iis per se obsequi sibi integrum crederet, cùm ob grauissimas, eásque quotidianas variis in rebus occupationes, tum maximè ob afflictam valetudinem, quam iam multos annos valdè infirmam, sed tunc ita patiebatur aduersam, vt nil magis quàm celerem vitæ exitum animo volueret: has inquam, ille inter angustias pressus, seriò instantérque mecum egit, vt, quod ipse nitebatur excutere, meis humeris onus exciperem: cùm enim tunc me accingerem, vt iam secundò hanc materiam studiosis in scholis prælegerem, credebat me tolerabili labore adhibito simul quæ in lucem ederem parare posse. Reluctabar initio, cùm facilè viderem longè aliud ab eo meritò exigi, quàm à me dari promittíve posset: sed vehementiùs instanti tandem manus dedi, credidi enim minùs me culpandum, siquid, quod supra vires meas esset, incautè susciperem; quàm si hoc tanta instantia roganti negarem, cui scirem me omnia debere: maluíque in me leuitatem aliquam aut ignorantiam carpi, quàm pertinaciam accusari. Habes scribendi causam: subdam methodum.

Cùm hîc illud ipsum, in quo P. Lessius enituit, præcipuè à me quæri cernerem, vt quæ pluribus voluminibus ab aliis disputata sunt, ita paucis constringerem, vt tamen nec parientem vrsam, nec festinantem canem imitarer; aut informem mutilúmque fœtum edendo, si scitu necessaria omitterem; aut cœcum, si obscura minúsque probata proponerem: facilè vidi omnes mihi ingenij neruos intendendos esse, vt res ferè inter se admodum dissidentes, strictam nimirum breuitatem cum solida claritate vero fœdere coniungerem: quod etsi non sperem vbique perfectè assequi, dabo tamen omnem operam vt proximè sequar, idque certis viis, quas hîc spectandas subiicio.

Primò,

Primò, cùm plurima hîc ita à Doctoribus disputentur, vt singuli ferè in alias atque alias sententias abeant, quibus sigillatim referendis ac confutandis multum sæpe chartæ impletur maiore legentium tædio quàm fructu; statui huic labori ita parcere, vt in eorum à quibus dissideo placitis recensendis, argumentisq; dissoluendis non plus operæ insumam, quàm necessitas exigat. Semper enim persuasum habui, & ipsa experientia didici, conantem, quis inter varios diuersorum eadem de re sensus verisimilior sit, palàm edocere, longè plus proficere si sua clarè proponat, ac solidè firmet, quàm si, quæ alij contrà, aut sentiant, aut obijciant, sigillatim fuséque discutiat. Ea enim veritatis est vis, vt sufficienter illustrata, penitúsque perspecta facilè omnes aduersantium sibi errorum nebulas discutiat, eorúmque impetus frangat: quam si semel probè cognitam habueris, quidquid ei repugnat falsum esse facilè & tu ipse perspexeris, & aliis apertè ostenderis: contrà etsi plurimas sententias falsas esse clarissimè videris, non statim tamen quæ sit vera assequeris. Et hæc regia rectáque via est, qua communiter incedas tutissimè: cursus tamen nonnunquam obliquandus est; nam inter illud quandoque quasi sentibus obstructum transitum negat, veritásque multis erroribus ipsam prima fronte mentientibus, quasi quibusdam ruderibus ita obsita iacet, vt nisi hæc priùs dimoueas, ad illam frustra aspires.

Secundò, cùm inter varia, quæ hîc explicanda occurrunt, multa à pluribus auctoribus ita pertractata sint, vt in iis nulla alicuius momenti difficultas sit reliqua, quin ipsa cuiuis, vel mediocriter erudito clara, obuia, expeditáque sit; hæc quidem, vt potero omnia, ne quid meritò requiras, breuiter tamen exponam, vt iis, quibus aliquid lucis adferre me posse crediderim, explicandis spacium sufficiat.

Tertiò, multæ hîc passim occurrunt difficultates, quas quidam singulas suis disputationibus eruditè discutiunt, quæ tamen inter se cognatæ, non minùs quàm varij vnius arboris rami vna ex stirpe trahant originem, qua excisa necessariò arescant. Has quantum potero ad suum caput reuocabo, quo altiùs effosso, tanquam ex fonte veritatis puros riuulos omnes in partes diducam.

Quartò, quæ hîc nobis disputanda sunt, partim ex doctrina fidei, quam ex Scriptura, Traditionibus, Conciliis, communíque Patrum consensu hausimus; partim ex Pontificum decretis Principiúmque placitis; partim ex rerum naturis, naturalíque philosophia; partim ex historiis, aut communi DD. sententia depromenda firmandáque sunt. Quare, vt hac in re tutò procedas, sollicitè omnino tibi curandum est, vt vnumquódque ex suo penu depromas, deductísque ex propriis sedibus argumentis probes: multum enim à recto discesseris, si aut ea quæ nullam cum fide connexionem habent ex huius principiis coneris docere; aut ea, quæ omne suum robur ex Principum placitis exceperunt, solius rationis regula velis metiri, aut ex diuersarum rerum inter se similitudine eandem omnibus legem sancitam esse concludere, & (vt exemplo rem dilucidem) ex eo quòd multi inter Sanctos relati æquali fortè cum B. Laurentio sanctitate emineant, probare eos pari festiuitate honorandos, ac æqualem in eorum profestis ciborum delectum, ac parcimoniam obseruanda. Nec leuiùs hîc etiam peccant, qui suum cuique argumento non tribuunt robur, sed firmissimo cuique hoc sæpe detrahunt quod leuioribus adiungant: eáque quæ sensu cognita sua euidentia vim intellectui inferunt, ex obscuris quibusdam assertionibus, quas non aliter quàm quia aliquibus placuerunt possunt probare, volunt corrigi. Si igitur tam in hac quàm in quauis alia disputatione veritatem sincerè quæramus, ita nobis incedendum semper sum arbitratus, vt primò omnium quidquid fides nos docet, ita firmum sanctúmque habeamus, vt quæcunque ei vel minimum aduersantur, quantumuis aliàs firma certáque appareant, vt penitus falsa respuamus, nec vllibi naturalem rationem, aut experientiam consulamus, vbi ab illa dissentire

videantur; cùm hæc incautos fallere contingat aliquando, illam numquam. Quibus consequens est nos, etsi res Deo auctore acceptas quandoque infidelibus naturalibus necessariò rationibus suadeamus, non ex his tamen, sed ex Scriptura, Traditione, Conciliisque eas debere discere, & eos qui nobiscum in fide consentiunt ex iisdem locis docere.

Secundò verò ea quæ à iam dictis separata nullam cum fide necessariam connexionem habent, suæque omnino naturæ relicta sunt, ita naturale lumen sequendo ex propriis fontibus eruamus, vt in iis discernendis ac elucidandis, certis experientiis, apertisque ex iis deductis rationibus principem tribuamus locum, nec aliquorum præconcepta opinione ab iis quæ illa perspicuè suadent facilè nos patiamur abduci, credamúsque in rerum naturis cognoscendis maiorem fidem oculis, quàm moribus habendam esse, præsertim cùm videamus, multas opiniones diu aliquibus fuisse vt certas omnino persuasas, non tam firma aliqua ratione, quàm quòd certum aliquem, aut se mutuo sine vllo examine secuti, vt eas acceperant, ita posteris tradiderint, non discutiendas, sed indubitata fide credendas. qui cæcus in eandem sententiam impetus cùm multis sæpe annis suum cursum tenuerit, tandem alterius contra sentientis commodóque auditores nacti auctoritate tanquàm obiecto aggere sistitur, & aliò penitus deflectitur, eadémque postea tam habentur falsa, quàm priùs vera certáque credebantur. atque ita non minùs quàm verbis, eiusmodi placitis illud Horatij vsu venit:

Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadéntque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet vsus.

Cùm enim non minùs quàm ipsi mortales recepta ab iis consuetudo mutabilis sit, quæcumque à sola humana auctoritate, aut communi vsu firmitatem suam acceperunt, necessariò sæpe variantur, vnáque cum iis aliquando intereunt. Hoc vni Deo Opt. Max. teste D. Augustin. epist. 19. ad D. Hieron. debemus, vt quæcumque ab eo quacunque ratione tradita acceperimus perpetuò sacrosancta habeamus. Hæc suo modo imitantur ea quæ à clara ratione suum robur acceperunt: nam vt rerum naturæ mutari nequeunt, ita quæ ex iis clarè deducta sunt perpetuò eadem perseverant. Hæc tamen non ita differo quasi vilem habendum existimem concordem multorum in eandem rem consensum; ab hoc enim leuiter dissentire hominis est nimium sibi sumentis; sed vt ea quæ doctrinæ nobis diuinitus traditæ connexa non sunt, non à sola asserentium auctoritate, sed ex ipsa etiam ratione conemur discere, atque adeò malimus ea (vbi commodè fieri poterit) scire quàm credere: ita tamen vt à communiore sapientum placito numquam discedamus, nisi aperta rationum vi, quæque etiam aliorum doctorum hominum probetur iudicio, inuiti auellamur. Quod maximè obseruandum est in iis à quibus vitæ morúmque honestas pendet, in quibus ab opinione multorum calculo longóque vsu firmata communiter minùs tuto recedas. Si cui tamen ea rationum momenta occurrerint, quæ satis apertè contrarium suadeant, ea ita proponenda suaserim, vt priusquam placuerint pluribus, nullo modo vt omnino tuta acceptentur.

Tertiò, in iis quæ in se ἀδιάφορα sola Principis sacri vel ciuilis lege facienda, vel omittenda sancita sunt, vbi huius clara verba apertè tenueris (modò tamen eorum sensum magis ex totius legis contextu, eiusque scribendæ occasione, quàm ex pauculis vocibus rimeris) ita iis adhæreas, vt aliorum ab his discessum ex aliis legibus à contrario sensu, aut rationum similitudine suadentium, aut auctorum multitudinem sine vllo iure sequentium auctoritate non facilè te ab iis abstrahi patiaris. Docuit me tam hæc, quàm mox dicta ipse Iustinianus in suo Cod. l. 1. de veteri iure enucleando,

cleando, §. 6. vbi ait: *Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius & æquius est, iudicatote, cùm possit forsitan & deterioris sententia, & multas & maiores in aliqua parte superare.* Ex qua etiam viri eruditissimi Thomas Sanchius l. 3. de matr. disp. 44. num. 2. Nauarr. cap. 27. num. 289. & apud eos alij conficiunt communem Doctorum esse dicendam sententiam, non quam plurimi alter ex altero describunt, sed quam suis vtrimque momentis libratam docti aliqui maturo amplectuntur iudicio, firmisque rationibus stabiliunt. Et meritò; videmus enim plurimos, quid quauis in re sequendum fugiendúmve, non ex naturæ Principúmque legibus, quas nullas pro se proferunt, sed ex sola aliorum fide decernere, quorum nuda verba sine examine aut probatione transcribunt, & quæcumque opinio vni fortuitò placuerit, eam mox plurimorum faciunt. Sunt & alij qui pro se iura sine fine congerunt, quæ cùm omnia inspexeris, vix syllabam in iis reperias, quâ credas eos potuisse moueri vt in eam sententiam irent. Cuius rei causas duas præcipuas coniicio. I. quòd iura sæpiùs ex aliorum scriptis, quàm ex Pontificum Decretalibus, aut Iustiniani Pandectis depromant. II. quòd multos sæpe contingat incidere in Decreta Gratiani vitiosè, ac perturbatè impressa, atque ita quandoque ipsius verba, aliásve glossas pro textu laudare; aut SS. Patribus aliqua tribuere, quæ vel his nunquam venerunt in mentem, vel etiam iis quæ ipsi scripta nobis reliquerunt penitus repugnant. Exemplo sint can. *non est dubium*, & can. *cùm societas* 27. q. 2. quorum prior ex D. Augustino, qui nihil simile vllibi habet; alter ex epistola D. Leonis ad Rusticum (vbi planè oppositum dicitur) vulgò desumpti creduntur. Hos scriptorum scopulos quos varia legendo præcipuos aduerti, breuiter hîc indicandos putaui, & vt potui vitare conatus sum: me tamen in nullum omnino impegisse ipse mihi polliceri non audeo, alij faciliùs iudicabunt.

Demum cur hoc opus non ita grande in duos tomos diuiserim paucis accipe. Cùm priora tria Sacramenta D. Thom. in suo vltim. opere nobis explicata dederit, putaui mihi sequendam plurimorum DD. consuetudinem, vt illum ipsum simul cum subiecta materia breuiter exponerem: quod in aliis facere non potui, quæ morte immatura nobis ereptus vix attigit. Nouum igitur procedendi modum hîc mihi necessariò assumendum etiam nouo tomo distinxi. Habes hîc amice Lector scribendi causam, & quid toto hoc opere sim secutus, si quid placeat, diuinæ gratiæ, à qua nobis bona omnia, tribue; si quid displiceat, humanæ infirmitati dona, nostrísque laboribus diu fœlix propitio numine fruere.

Mutius Vitelleſcus, Societ. IESV Præpoſitus Generalis.

CVM Commentarios P. Ægidij de Coninck, de Sacramentis in tertiam partem S. Thomæ, noſtræ Societatis Theologi, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has Litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 9. Ianuarij, anno 1616.

MVTIVS VITELLESCVS.

CENSVRA.

HIC liber Commentariorum ac Diſputationum in Doctrinam D. Thomæ de Sacramentis ac Cenſuris, Auctore R. P. Ægidio de Coninck, Societatis IESV Preſbytero, eſt doctiſſimè conſcriptus, & dignus, qui multorum manibus teratur, ad veram Sacramentorum vim & intellectum conſequendum. Quod teſtor 24. Iulij, anno 1615.

EGBERTVS SPILTHODIVS. S. T. L.
Canonicus & Plebanus Antuerp.

COMMENTARIA

AC DISPVTATIONES IN VNIVERSAM DOCTRINAM D. THOMÆ DE SACRAMENTIS, AC CENSVRIS.

De Sacramentis in genere.

PRÆFATIO.

SICVT D. Thomas postquam in 1. parte explicuisset nobis diuinam naturam, & personarum processionem, subiunxit explicationem creationis vtriusque naturæ spiritualis, & corporalis, quòd hæc proprium totius Trinitatis sit opus: ita hîc explicata nobis totius mysterij Incarnationis Oeconomia, Verbi incarnati excellentissimum opus explicare aggreditur, 7. nimirum Sacramenta, verissimos vberrimósque Saluatoris nostri fontes, ex quibus nos aquas salutis cum gaudio hausturos Isaias c. 12. vaticinatus est. Ex quibus omnis vera iustitia, vel incipit, vel incepta augetur, vel perdita recuperatur: vt Trident. sess. 7. initio: quorum vtilissimus vsus, fructuosissima cognitio, ignoratio periculosissima, quod pluribus facile esset clarissimè docere, si quotidiana experientia id cuiquam permitteret esse obscurum. Quis enim has gratiarum scaturigines, ea qua conuenit animi præparatione frequentans, non percipit ipso interiore mentis sensu & spirituali gustu aquæ illius salutaris vim ac dulcedinem, quam fluere de ventre credentium Ioann. 7. Christus docet, quáque æstus cupiditatum paulatim refrigeratur, omnísque terrenarum rerum sitis extinguitur? Videmus quotidie aliquos multis sceleribus obstrictos, omnibúsque vitiis non magis inquinatos, quàm efferatos sacerdotem accedere, peccata sua explicare, congruam suis morbis medicinam accipere, subitóque in alios planè viros mutari; ita vt simul latentia vulnera detegant, & virus omne expuant; vt non tam eos criminum veniam consequutos credamus, quàm maxima ex parte vitia omnia exuisse cernamus. Sed hæc vberiùs prosequi, Encomiastæ magis est, quàm nostrum, qui Sacramenta non laudanda, sed explicanda suscepimus. Vt autem nostrorum Sacramentorum planiorem cognitionem assequamur, de Sacramento in genere, prout veteribus nouísque conuenit, priùs agendum.

Isai. 12.

Trident.

Ioan. 7.

QVÆSTIO LX.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Sacramentum sit in genere signi?

1 ARTIC. I. docet Sacramentum esse in genere signi, siue dici Sacramentum à re sacra, siue sanctitate quam significat: sicut color dicitur sanus, quia est signum sanitatis.

Nominis Sacramẽti explicatio.

Nor. 1. Sacramentum apud profanos quidem auctores ferè accipi pro iuramento, quo quis se alteri obstringit: apud Ecclesiasticos verò idem esse quod Græcis mysterium. Hinc quoties in Scriptura Græca occurrit mysterium, latinus interpres vertit modò mysterium, modò Sacramentum. Tob. 12. v. 7. Daniel. 2. v. 30. Apocal. 17. vers. 7.

Tob. 12. Daniel. 2. Apoc. 17.

Mysterium apud Græcos propriè significat aliquam cæremoniam, qua quis Deo aliqua ratione consecratur, qui inde μύστης dicitur: sic, dictum vel à μυέω, id est, sacris initio, vel à μύω; id est connniveo, siue oculos, vel etiam labia claudo & taceo. Hinc mysterium videtur dictum, quasi quid occultum & tacendũ: occasione accepta maximè à sacris Cereris, quibus initiandi noctu & occultissimè initiabantur, eaque euulgare nefas erat. Atque hinc omnia quæ nefas est euulgare, imò omnia occulta & arcana, dicta sunt Græcè mysteria in Scripturis, & latinè Sacramenta: vt patet locis suprà citatis. Demum quidquid est signum rei occultæ dicitur mysterium, siue Sacramentum; maximè quandò est signum rei sacræ. Hinc August. lib. 8. de Genesi ad literam c. 4. lignum vitæ vocat Sacramentum Christi. Et iuxta dictas acceptiones omnia sacramentalia, & cæremoniæ Ecclesiæ possunt dici Sacramenta, & à Patribus ita aliquando dicuntur. Sed nos hìc strictiùs nomen Sacramenti accipimus, pro cæremoniis, quæ & hominem Deo consecrando aliquam in eo sanctitatem saltem legalem causant, & tam hanc quàm veram sanctitatem significant: vnde etiam per antonomasiam Sacramenta dicuntur, & sibi illud nomen in Ecclesia tanquam proprium vendicant. Quare immeritò hæretici nos imperitiæ arguũt, quòd nomen multis communè ad certas cæremonias, significandas contrahamus, cum & ratio, & maximorum Patrum & Doctorum, & totius Ecclesiæ auctoritas id probet. Ipsi autem hæretici nomen Sacramenti in significatione qua Catholici id vsurpant, modò rident, modò recipiunt, dum duo, nec plura Sacramenta esse statuunt aliàs rursum vt superstitiosum, & contra diuinam Scripturam inductum calumniantur: quandoque etiam sacramenti nomine vtendũ sit nec ne, contendendum esse negant: vt fusè ex eorum verbis docet Cardin. Bellarm. lib. 1. de Sacramentis in genere, c. 7. ita nimirum in omnibus suis varij ac inconstantes sunt, altèque illud Ciceronis imbiberunt, Quis esse semper eadem voce vti; hominis verò modò ita, modò aliter loqui, prout commodum fuerit: quod non modò in rebus humanis scelerate, sed etiam in diuinis impiissimè faciendum sibi putant. Sed hæc de ratione nominis pro instituto nostro sufficiant; qui plura desiderat, videat Bellarmin. suprà, & Suarem hìc.

Augus.

Bellarm.

Bellarm. Suarez

3 Not. 2. Etsi Sacramenta & causent & significent sanctitatem; tamen à D. Thoma poni potiùs in genere signi, quàm causæ: quia cùm Sacramenta veteris legis tantùm legalem quandam, & quasi corporalem sanctitatem causarent, veram autem tantùm significarent, quæ tamen in eorum institutione præcipuè intendebatur, vt hanc significando ad eam homines ducerent; debuerunt magis dici Sacramenta, quia veram sanctitatem significabant, quàm quia legalem causabant: & sic intellige responsionem D. Thomæ ad 1. Et consequenter Sacramentum in genere magis debet poni sub genere signi, quàm causæ, vt omnibus Sacramentis possit conuenire. Sacramentorum tamen noui testamenti ratio magis consistit in causando gratiam, quàm in significando: quia non sunt præcipuè instituta, sicut vetera Sacramenta, vt doceant qualem sanctitatem debeamus acquirere, & vnde gratiam debeamus petere: sed vt eandem sanctitatem nobis conferant. Nam, vt docet Apostolus ad Hebræos 9. v. 9. & c. 10. v. 1. vetus lex continebat parabolam & vmbram futuræ gratiæ: noua verò lex continet ipsum corpus & veritatem. Adde, hæc nihilominus optimè poni in genere signi, quia gratiam quam conferunt, verè significant, eámque non physico aliquo influxu sed moraliter, & vt signa, siue mediante significatione producunt.

Cur Sacramenta ponantur in genere signi. *D. Thom.*

D. Thom.

Ratio Sacramenti nouæ legis magis in causando quàm in significãdo consistit. *Hebr. 9.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm omne signum rei sacræ sit Sacramentum?

ARTIC. II. docet non omne signum rei sacræ esse Sacramentum, sed tantùm illud quod est signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines: vt habetur in fine corporis, quod aliqui ita accipiunt, quasi D. Thomas non referat verbum sanctificans ad ipsum signum, sed tantùm ad rem significatam: quasi velit Sacramentum non necessariò esse signum sanctificans, sed signum rei sanctificantis. Sed verius est *sanctificans* referri ad signum immediatè: quia omne Sacramentum necessariò est signum sanctificans, vt infrà dicemus, mediatè verò ad rem significatam, quæ formaliter sanctificat. 4 Quale signũ ad esse Sacramenti requiratur. *D. Thom.*

Not. pro responsione ad 3. D. Thomam excludere sacramentalia à ratione Sacramenti, quia non significant veram sanctitatem, sed tantùm quandam dispositionem ad sanctitatem. Sed hæc responsio videtur difficilis: quia si vellit esse de ratione Sacramenti, vt significet immediatè veram sanctitatem præsentem in suscipiente, sic Sacramenta veteris legis non erunt Sacramenta: quia tantùm significabant hoc modo legalem sanctitatem quam conferebant: excepta saltem circumcisione, de qua dicemus infrà. Si autem velit sufficere, vt significent immediatè præsentem quandam sanctitatem legalem vel similem, & hac mediante sanctitatem veram, non tamen necessariò præsentem sed acquirendam & ad statum suscipientis illam cæremoniam requisitam (vt significabant eam veteri Sacramenta) sic etiam tonsura clericalis, confecrario Abbatis, & similia erunt Sacramenta: quia vtramque sanctitatem hoc modo significant. 5 Quare sacramentalia non sint Sacramenta.

Resp. Igitur D. Thomam loqui de sacramentalibus institutis ab Ecclesia, atque supponere, ea non posse esse Sacramenta legis veteris, atque ita tantùm docet non posse esse Sacramenta legis nouæ: quia non sunt signa gratiæ iustificantis practica, & quæ gratiam præsentem & à se causatam significant: qualia signa gratiæ necessariò sunt Sacramenta nouæ legis: vt insinuatur art. 3. & clarè dicitur q. 62. art. 1. 3. & 4. *D. Thom.*

DVBIVM I.

Vtrùm Sacramentum sit necessariò signum practicum.

PVtat Soto in 4. d. 1. quæst. 1. a. 2. vetera Sacramenta non fuisse signa practica. Alij verò respondent aliquid dupliciter dici signum practicum; 1. quia efficit id, quod significat; 2. quia in praxi eo vtimur ad aliquid significandum, siue hoc ab eo producatur, siue non; putántque Sacramentum non necessario dici 1. modo practicum, sed tantùm 2. modo. Ita Sotus in 4. d. 1. q. 1. a. 1. §. *Ex his ergo.* Alanus c. 8. & 10. de Sacram. Canus in relect. p. 5. §. *Ad primum.* Ratio eorum est quia aliàs Sacramenta veteris legis non essent propriè dicta Sacramenta; quia non efficiebant gratiam, quam significabant. 6 *Soto.*

Resp. esse de ratione Sacramenti, vt sit signum practicum 1. modo non quidem respectu omnis rei quam significat (nam Sacramenta præsertim nouæ legis significant passionem Christi, & futuram gloriam: vt docet D. Tho. art. 3. quæ tamen non efficiunt) sed respectu sanctificationis, quã immediatè significãt, quam omnia Sacramenta in ritè suscipientibus necessariò causant: vt patet discurrẽti per singula. ita Lælius Zeech. de Sacram. in genere c. 1. §. *Vlteriùs*, & §. *Vnde ex his.* Et ratio est: quia omnia sunt instituta, vt aliquo modo sanctificẽt suscipiẽtem, & per hoc distinguũtur à nudis signis gratiæ, quale fuit trãsitus maris rubri, qui Sacramentum est necessariò signum verè practicum. *D. Thom.*

significabat baptismum, eiúsque effectum. Atqui omnia sunt signa eius sanctificationis quam immediatè causant, vt omnes concedunt: Ergo sunt signa practica 1. modo. Confirm. Quia si sufficisset ad rationem
7 Sacramenti in veteri lege, quacumque ratione significare veram sanctitatem per Christum dandam, omnia sacrificia fuissent Sacramenta; quia significabant Christi passionem, qua eramus liberandi, & gratiam
Augu. per eum dãdam: vt expressè docet D. Aug. lib. 5. cont. Iulian. c. 9. initio. Imò tunc omnes cæremoniæ fuissent Sacramenta; quia omnes significabant Christum, & gratiam per eum dandam. Quia, vt ait Apostolus ad
Heb. 9. & 10. Galat. 1. Heb. 9. & 10. & ad Gal. 3. erant vmbræ futurorum, & instar pædagogi ducebant Iudæos ad Christum.

Item matrimonium tam in lege naturæ quàm Mosaica fuisset Sacramentum propriè dictum: quia significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, & consequenter gratiam per Christum dandam, vt do-
D. Leo. cet D. Leo epist. 92. ad Rusticum cap. 4. & multi alij Patres, vt ostendemus in Tractatu de Matrimonio: cùm tamen satis constet, non fuisse propriè dictum Sacramentum, vt ibidem etiam dicemus.

8 Respondent aliqui, Matrimonium illud non posse dici Sacramentum propriè sumptum, quia non erat institutum ad gratiam significandam, sed in officium naturæ. Sed hoc non satisfacit. quia vt aliquid sit verum Sacramentum, non est necessarium, vt sit per se primò institutum ad significandam gratiam, sed sufficit vt secundariò ad hoc institutum sit; vel saltem à Deo ad hoc assumptum ac eleuatum. Quia aliàs matrimonium in lege noua non esset Sacramentum: quia etiam per se primò institutum est in officium naturæ, eadem institutione qua Adami matrimonium institutum fuit, & solùm à Christo eleuatum ad practicè gratiam significandam.

9 Respondent alij, supradicta non habuisse vim significandi gratiam apud omnes, sed tantùm respectu aliquorum quibus Deus hoc particulatim reuelarat.

Sed contra 1. Hoc dici nequit de sacrificiis & cæremoniis legis veteris, quia hæc non minùs vulgò significabant gratiam dandam per Christum, quàm vera Sacramenta 2. Quia ad rationem Sacramenti non requiritur, vt omnes sciant ipsum significare gratiam: (quia aliàs nulla fuissent in veteri lege Sacramenta; quia communis plebs fortè nihil sciebat particularim de eorum significatione) sed sufficit quòd ex parte Dei sit saltem secundariò institutum, vt omnibus fidelibus gratiam significet, etsi multi propter imperitiam legis id ignorent. Hoc autem etiam matrimonio legis veteris & naturæ conuenit.

10 Pro quo Nota Sacramenta vetera præcipuè fuisse quidem instituta ad significandam veram iustificationem, immediatè tamen significasse solam legalem sanctificationem, quam etiam causabant, & hac mediante
raméta im- le- galem sanctitatem significabant. significabant ipsam veram sanctificationem, quam ex fide Saluatoris quærendam admonebant, quia legalis illius legis mundities siue sanctitas significabat sanctitatem spiritualem: sicut immunditia legalis immunditiam spiritualem, siue peccatum, significabat.

DVBIVM II.

Vtrùm Sacramenta significent naturaliter, an ex instituto?

11 RAtio dubitandi est, quia, vt ait D. Aug. epist. 23. ad
Augu. Bonifacium, *Sacramenta quandam similitudinem habent earum rerum, quarum sunt Sacramenta* (id est quas significant) *quàm si non haberent, omnino Sacramenta non essent.* Atqui omnis similitudo naturaliter significat siue repræsentat rem, cuius est similitudo: ergo Sacramenta significãt naturaliter, & non ex instituto.

CONCLVSIO I. Absolutè loquendo potuisset Deus instituere aliqua Sacramenta, quæ secundùm suam naturam nullam habuissent similitudinem cum sanctitate quam significassent, aut etiam causassent: quia nulla potest ostendi implicantia. Quòd enim talia Sacramenta possent causare gratiam per se patet. Quia hæc causatio tantùm est moralis ex parte Sacramenti, & omnino supra eius naturam; & fit physicè sola virtute diuina, ideóque nullam proportionem in Sacramento requirit.

Quòd etiam possent eandem significare, probatur: 12 Quæ significant ex mero placito, non requirunt ad hoc vllam proportionem. quia quæ significant purè ex placito siue institutione, nullam requirunt naturalem similitudinem cum re significata: vt patet in nominibus quæ (excepris paucis quæ per onomatopœiam & quandam mimesim conficta sunt) non magis apta sunt ad vnam rem significandam, quàm ad aliam. Lignum enim tam commodè significasset feram, quàm id quod modo significat, si ita primis linguæ Latinæ auctoribus placuisset. Ratio est, quia hoc ipso quo aliquid legitimè ad aliquid significandum est institutum, habet statim aliquam vim moralem ad rem illam significandam iis omnibus, quibus illa institutio est nota. Et hoc modo intellige
Augu. D. Aug. suprà, dum insinuat omnia Sacramenta habere necessariò aliquam similitudinem cum re quam significant; Similitudinem enim vocat omnem vim significandi, siue repræsentandi aliud, siue hæc physica sit, siue moralis.

CONCLVSIO II. Omnia tamen Sacramenta, quæ 13 Sacramẽta habent aliquam analogiã cum re significata. hactenus à Deo fuerunt instituta, habuerunt ex natura sua quandam analogiam, siue similitudinem cum re significata, licèt remotam, & insufficientem ad eam perfectè & clarè, secluſa diuina institutione, significandam. Patet discurrenti per singula. Nam baptismus v. g. siue ablutio illa corporalis habet quandam proportionem ad significandam animæ ablutionem, licèt remotam & insufficientem, vt ignorans institutionem diuinam possit hanc ex illa intelligere. Et idem est in cæteris. Et quanquam præcipua huius ratio sit voluntas diuina (nam, vt dixi, Deus quaslibet alias res potuisset ad tale munus assumere) tamen conuenientius fuit eas assumi, quæ talem analogiam haberent: quia naturis rerum aliquo modo conformius.

CONCLVSIO III. Absolutè tamen dicendum est 14 Sacramẽta significant ex instituto. Sacramenta significare ex instituto: quia, vt patet ex dictis præcipuam vim significandi ex institutione Dei habent.

Dices primò, Hinc sequitur Sacramenta secundùm rationem suam formalem, quæ consistit in significatione, esse entia rationis. Respon. non esse merè entia rationis: quia hæc significant aliquid fictum, quod nullum habet esse extra intellectum. Sacramenta autem habent veram vim significandi suum effectum, etiam dum nemo de iis cogitat. Quare secundùm rationem formalem sunt potiùs entia moralia: quale est dignitas Regia, & similia, quæ verè habent aliquod esse extra intellectum, licèt non physicum, sed tantùm morale, & quasi medium inter ens reale, & rationis. Quòd si quis contendat esse hæc mera entia rationis, erit quæstio de nomine, nec hoc loco tractanda.

Dices secundò, Absolutio data post confessionem 15 sine vlla Dei institutione perfectè significat suum effectum: ergo omnia Sacramenta non significant ex institutione Dei. Respondent aliqui, illam quidem aliquo modo scilicet falsò significare remissionẽ peccati, & infusionẽ gratiæ sine Dei institutione; nõ tamẽ verè: quia sine hac per eam non remitteretur peccata. Sed hoc non satisfacit quia sic per institutionem Dei non mutaretur ipsa significatio Sacramẽti, sed tantùm vis efficiẽdi. Nec enim mutatur significatio propositionis, etsi modò sit vera, modò falsa, sed res significata.

Quare Respond. negando antec. Quia [illegible]

Dei institutione, forma absolutionis solùm significaret remissionem peccati humanam, qua homines remittunt peccata, prout in se aliósue commissa sunt, secundùm potestatem quam naturaliter à se vel ex aliorum commissione habent. Nullo autem modo expressè significaret reconciliationem cum Deo per veram iustificationem, & gratiæ infusionem virtute Sacramenti fieri, prout modò significat.

Maior esset difficultas in extrema vnctione, si forma non esset deprecatoria sed affirmatiua. Sed nec tunc tamen sine vlla Dei institutione significaret veram infusionem gratiæ, præsertim prout per eam homo leuatur à morbi molestiis, & armatur ad luctam contra diabolum. Et hanc responsionem etiam admittit Vasquez disputatione centesima vigesima nona, *Vasquez.* capite secundo, num. 22.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Sacramentum sit signum vnius rei tantùm?

16 Quarum rerum Sacramentum sit signum.

ARTIC. III. docet Sacramentum esse signum multarum rerum sibi subordinatarũ, scilicet rememoratiuum passionis Christi, quæ est causa nostræ sanctificationis: demonstratiuum præsentis iustificationis, & prognosticum futuræ gloriæ, quæ est finis nostræ iustificationis, iuxta illud Ecclesiæ: *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Et apertè hoc de Venerabili Sacramento colligitur ex Luc. 22. vers. 19. & Ioan. 6. v. 33. & 51. 1. ad Corinth. 11. vers. 26. Et de baptismo expressè docet Apostolus ad Rom. 6. vers. 4. & sequentibus.

Luca 22. Ioan. 6. 1. Cor. 11. Rom. 6.

D. Thom. Not. D. Tho. non docere hanc multiplicem significationem esse de essentia Sacramenti, aut omnibus conuenire. Nam certum est non conuenire Sacramentis veteribus; quia saltem non significabant præsentem gratiam sanctificantem: & tamen etiam secundùm D. Thomam ea erant propriè dicta Sacramenta. Nouis tamen Sacramentis omnibus aliquo modo conuenit, licèt quædam minùs expressè aliqua ex dictis significent.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Sacramentum sit semper aliqua res sensibilis?

ARTIC. IV. docet, Sacramenta constare semper aliqua re sensibili, quæ sit signum rei insensibilis: quia spiritalia non possumus percipere, nisi quatenus nobis per res sensibiles innotescunt.

DVBIVM I.

Quid sit Sacramentum in genere?

17 *Suarez. Bellarm.*

OMissis variis aliorum sententiis quas fusè adferunt Suarez hic disp. 1. sect. 4. & Bellar. lib. 1. de Sacramentis cap. 11. 14. 15. 16. vbi recensèt & refellit definitiones hæreticorum: quas qui cognoscere volet, apud eum videat. Nec enim operæpretium duxi singulas adferre & refutare, quia eas sæpe mutant.

Sacramẽti definitio. Respond. Sacramentum est res, vel cæremonia sacra sensibilis, ad aliquam sanctitatem pro statu Ecclesiæ tunc existentis conuenientem hominibus suo vsu conferendam, & ad veram sanctitatem significandam legitimè stabilitérque institura. Hæc definitio quod ad rem attinet, conuenit cum iis quàs adfert Suarez suprà ex variis auctoribus; & cum illa D. Thomæ hîc art. 2. clariùs tamen Sacramenti naturam explicat: quia aliæ definitiones ferè aliquid relinquunt subintelligendum; aut aliquid superfluum, & minimè requisitum ad rationem Sacramenti, continent. *D. Thom.*

Dixi 1. *Esse rem seu cæremoniam sacram*: vt comprehenderem tam Vener. Sacramentum, quod consistit in re permanenti, quàm reliqua Sacramenta, quæ ferè consistunt in vsu, aut actione aliqua seu cæremonia, quæ sacra est non solùm ratione rei significatæ, sed in se formaliter: quia ad cultum Dei pertinet, aut etiam actu sanctificat. 18

Dixi 2. *Esse rem sensibilem.* 1. quia nisi aliqua ratione sensibus posset percipi: non posset nobis esse signum rei incognitæ, qui nonnisi sensibilia per se cognoscimus. Vnde bene D. Augustin. lib. 2. de doctr. Christian. c. 1. ait: *Signum enim quædam est res, præter speciem quam sensibus ingerit; faciens aliquid aliud in cognitionem venire.* Vnde etsi Deus potuisset aliquas actiones internas constituere, ad quarum positionem, gratiam contulisset; fuissent tamen magis Sacramenta angelica, quàm humana. Quare Sacramenta debeant consistere in re sensibili.

2. Quia cùm constemus anima & corpore peccato infirmatis, vtrúmque erat congruenter suæ naturæ confirmandum. Vnde Chrysost. hom. 83. in Matth. *Si Chrysost. esses*, inquit, *incorporeus, ipse dona incorporea tibi tradidisset: sed quia corpori iuncta est anima tua, ideo in rebus sensibilibus tibi intelligenda traduntur.* 3. Vt populus Dei his externis signis ab aliis gentibus distingueretur, sine quibus nulli homines possunt in vllum nomen siue veræ, siue falsæ religionis conspirare: vt rectè D. *Augustin.* Augustin. lib. 9. contra Faustum cap. 11.

Dixi 3. *Ad sanctitatem aliquam, &c.* Pro quo Nota, 19 sicut fuit alius status Ecclesiæ ante Christum natum, alius post: ita diuersa sanctitas vtrique fuit propria. Sicut enim ille status erat tantùm figura & vmbra status gratiæ: ita sanctitas illi propria erat quasi vmbra veræ sanctitatis, & consistebat in quibusdam iustitiis carnis: vt docet Apostolus ad Hebr. 9. Sicut enim veteres quandam legalem & corporalem immunditiam ex contactu mortui, & similibus rebus, contrahebant: ita per suas lustrationes quandam legalem & quasi corporalem sanctitatem acquirebant, quæ non poterat mundare conscientiam. Veram autem sanctitatem acquirebant quidem, sed non per cæremonias legales vt sic, nec vt pertinentes ad vetus testamentum, sed per contritionem, & quatenus illas cæremonias, & alia opera pia ex fide in Christum & caritate obibant: qua ratione quodammodo pertinebant ad nouum testamentum: vt fusè docet D. Aug. lib. 3. cont. duas epist. Pelag. cap. 4. Contrà, statui gratiæ vera sanctitas propria est, desinentibus iam vmbris iuxta illud Ioan. 1. *Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Quare illorum Sacramenta ex opere operato tantùm conferebant legalem sanctitatem, quæ esset quasi vmbra veræ sanctitatis, eámque significaret: nostra verò necessariò conferunt veram sanctitatem ea dignè suscipientibus: vt docet Florentinum in decreto super vnione Armenorum. Olim vetus lege & iam noua diuersa sanctitas est propria. *Hebr. 9.* *Augustin.* *Ioan. 1.* *Florentin.*

Ex dictis patet 1. Cur esus mannæ, transitus maris rubri, & similia non fuerint Sacramenta. Quia etsi tam gratiam significabant, nullam tamen sanctitatem suo vsu conferebant. 20 Cur olim esus mannæ aut iam Sacramentalia non sint Sacramenta.

Patet 2. Cur Sacramentalia quæ iam sunt in Ecclesia non sint Sacramẽta. Etsi enim multa ex his, v.c. benedictio Abbatis, aut Abbatissæ, prima tonsura, &c. sufficienter & externam quandam sanctitatem suo vsu cõferant, & veram significent, ita vt in lege veteri ex hac parte potuissent dici Sacramẽta, non tamen hæc sufficiunt, vt in lege noua sint vera Sacramenta: quia suo vsu præcisè, & ex opere operato non conferunt.

sanctitatem legi nouæ propriam, quod est necessarium ad rationem Sacramenti. Cùm enim Sacramenti sint signa practica alicuius sanctitatis, qua populus Dei ab aliis distinguitur: necessariò debent practicè significare, & suo vsu conferre sanctitatem statui illius populi propriam. Vnumquodque enim per id, quod sibi est proprium, & in suo esse constituitur, & ab aliis distinguitur. Atque ita per hoc Sacramenta noua & vetera in suo esse constituuntur, & inter se distinguuntur, quòd vtraque ex opere operato sanctitatem suo statui propriam conferant. Quamquam sacramentalia per quartam etiam conditionem possint excludi: quia non sunt instituta ab habente potestatem instituendi Sacramenta; qui in lege veteri fuit solus Deus: in noua verò, etiam Christus quà homo.

21 Cur solus Deus possit Sacramenta instituere.

Patet 3. Cur solius Dei sit per se, vel ex sua commissione per alios Sacramenta instituere; quia nimirum solius Dei est Ecclesiam, seu populum peculiarem sibi congregare, & consequenter ad eum solum spectat decernere quibus ritibus ille debeat sibi dicari, & ab aliis distingui. Quod maximè locum habet in nouo testamento: quia sicut nemo, præter Deum, potest veram sanctitatem conferre: ita nemo alius potest signa huius practica instituere.

22 *Cyprian.*

Dixi 4. *Legitimè stabiliterque instituta.* Cùm enim Sacramenta sint cæremoniæ præcipuæ, quibus Ecclesia, seu populus Dei coalescit, & ab aliis distinguitur, debent esse stabiles & permanentes, quamdiu idem Ecclesiæ status permanet. Hinc quædam, quibus Christus ad sanctificandum vsus est; vt sunt lotio pedum Apostolorum (saltem secundùm multorum sententiam) insufflatio in Apostolos, verba illa dicta paralytico, *Remittuntur tibi peccata tua*; non sunt Sacramenta, quia non sunt stabili vsu ad sanctificationem instituta.

Nec refert quod D. Chrysostomus (vel potiùs alius Auctor) sermone de lotione pedum, hanc vocet Sacramentum, & dicat instituram ad delendos quotidianos excessus: quia sumit Sacramentum latè, & loquitur de deletione defectuum ex opere operantis, quam consequuntur ratione internæ deuotionis, qui eam piè obeunt, vt Christum Apostolósque imitentur. Fuit enim à Christo instituta in exemplum humilitatis: vt patet Ioan. 13. v. 13.

Ioan. 13. Quare sacrificium non sit Sacramentum.

Hinc etiam sacrificium quâ tale, non est Sacramentum: quia vt sic non ad sanctificationem sacrificantis, sed in testimonium diuinæ excellentiæ est institutum: vt latiùs dicemus infrà q. 83. art. 1. Hinc etsi sacrificium materialiter sumptum pro hostia quæ in eo offertur, sit quandoque verum Sacramentum; vt contingit in nostro sacrificio, cuius hostia est verum Sacramentum, cuius sumptione sanctificamur; & olim accidit in quibusdam sacrificiis veteris legis: v. c. in agno paschali, cuius esus aliquam legalem sanctitatem conferebat & veram sanctitatem in S. Eucharistia contentam significabat: actio tamen ipsa, in qua consistit ipsum sacrificium est semper quid distinctum à Sacramento. Hinc nostrum sacrificium essentialiter consistit præcisè in ipsa consecratione, vt dicemus q. 83. art. 1. d. 5. Sacramentum verò in re permanente. Item occisio agni paschalis erat propriè sacrificium; ipse verò agnus occisus eiusque comestio habebant rationem Sacramenti.

23

Nec refert quòd quædam sacrificia in veteri lege fuerint instituta pro peccato, & ad legalem quandam sanctitatem acquirendam, nostrumque etiam ex opere operato aliquam gratiam actualem impetrer ei, pro quo offertur: quia hanc sanctitatem non conferunt per modum Sacramenti suo vsu, ac corporali quadam applicatione (cùm non semper iis corporaliter applicentur, pro quibus offeruntur) sed per modum impetrationis.

Demum tam 4. quàm 3. conditione excluduntur actus virtutum: quia non ex Dei institutione, & opere operato, sed ex merito & opere operantis sanctificant. Similiter excluditur martyrium, quod etsi ex singulari priuilegio secundùm probabilem sententiam ex opere operato gratiam conferat: non tamen ad hoc à Deo institutum est; sed quatenus est actio inferentis, à Deo vetitum est; quatenus verò est passio martyris ad diuinam gloriam defendendam, est opus virtutis fortitudinis, lege naturæ quandoque præceptum, quandoque non vrgente præcepto, ex motiuo variarum virtutum à martyribus liberè susceptum. Quare martyrium aliique actus virtutum non sint Sacramenta.

Ex dictis facile erit refutare definitiones hæreticorum, quibus omnibus commune est, quòd Sacramenta tantùm putent esse inania quædam signa gratiæ, siue exrinseci cuiusdam fauoris diuini; quod falsissimum, & legi Christi omnino iniuriosum est: vt ostendemus infrà quæst. 62. articulo 1. d. 1. Pluribus item Caluinistis & Lutheranis commune est, quòd velint Sacramenta esse sigilla quædam, quibus Deus obsignat suas promissiones, testatúrque eas pertinere ad eos, qui Sacramenta suscipiunt; eósque esse iustos. Probant præcipuè ex illo ad Roman. 4. *Et signum accepit* (Abraham) *circumcisionis, sigraculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio.* Vbi circumcisio non dicitur signum iustitiæ dandæ, sed iam apprehensæ per fidem. Sed de hoc fusiùs agemus quæstione 62. articulo 1. dubio 1. Hoc tantùm hic aduertendum est, hanc definitionem non solùm pugnare cum principiis totius Ecclesiæ, quæ docet Sacramenta nouæ legis verè causare immediatè gratiam in suscipiente: sed etiam cum communi principio hæreticorum, qui docent Sacramenta causare gratiam excitando fidem in suscipiente. Quomodo enim possunt excitare fidem, si sint sigilla & testimonia fidei, & iustitiæ iam acquisitæ? Item quomodo conferens Sacramentum potest suscipienti vice Dei testari eum credere, cùm conferens id nesciat, & suscipiens sciat an credat nec ne? Eodem modo ac si cæcus vellet persuadere videnti, ipsum hoc vel illud videre. Deinde singulæ particulares suos habent apertósque errores, quos fusè refert & refutat Bellarminus tomo 2. lib. 1. de Sacramentis in genere, capit. 14. & sequentibus, apud quem eas vide. Toties enim suas definitiones & sententias mutarunt & reformarunt, vt nesciant ipsi quid sentiant. 24 *Rom.* 4. *Bellarm.*

DVBIVM II.

Vtrum Sacramentum sit vniuocum, respectu Sacramentorum veteris, & nouæ legis?

26 *Suarez, Soto.*

MVlti putant esse analogum: sed verius Suarez disp. 1. sect. 2. §. *Atque hinc intelligitur*, & Soto in 4. d. 1. quæstione 1. articulo 1. ante finem, docent esse vniuocum. Prob. quia ratio nominis, siue definitio suprà data vtrisque æqualiter conuenit. Nec refert quòd nostra sint perfectiora: quia non sunt perfectiora in ratione Sacramenti genericè sumpti, sed in ratione talis Sacramenti. Sicut homo est perfectior bruto, cùm tamen rationem animaliratis æqualiter participent. Sacramentum est vniuocum;

Nec etiam refert quòd illa erant figuræ nostrorum Sacramentorum; quia imago imaginis est vniuocè imago cum imagine prototypi: vt si quis depingat imaginem Romanam, quam pinxit S. Lucas.

3. Nec etiam refert quòd sanctitas collata per illa est tantùm analogicè sanctitas collata cum sanctitate, quam nostra conferunt. Nam etsi risus plantæ & hominis, sint analogicè risus, vita tamen quæ vtriusque est causa, est vniuocè vita. Item etsi lupus terrestris & Potest aliquid æquiuocè esse causa vniuoca.

marinus sint æquiuoca, tamen Deus vniuocè est creator respectu vtriusque: & generantes respectu vtriusque sunt vniuocè generantes. Quod maximè verum est in nostra sententia, qui dicimus nostra Sacramenta tantùm moraliter causare gratiam; atque ita cum veteribus in modo causandi aliqua ratione conueniunt, licèt effectus sint diuersi. Vt enim aliquid respectu duorum sit vniuocè causa, sufficit quòd vtrumque in eo conueniat, quòd eodem modo causetur. Adde primò, vtramque sanctitatem in eo conuenire quòd suscipientem peculiari modo Deo consecret, & vt talis peculiariter à Sacramento causatur, quare vtraque Sacramenta sunt vniuocè causa sanctitatis.

Adde secundò, Sacramenta illa etiam veram sanctitatem significasse, atque ita in ratione signi veræ sanctitatis vtraque conuenire. Confirmatur Concluſ. quia religio vetus & noua sunt vniuocè religio: etsi illa fuerit imperfectior, & figura huius: eadémque est ratio in sacrificiis vtriusque legis; cur non etiam in Sacramentis?

ARTICVLVS V.

Vtrùm requirantur determinatæ res ad Sacramenta?

27 ARTICVLO V. docet in Sacramentis necessariam esse rem sensibilem determinatam. Cuius rota ratio est; quia Deus ita instituit, verb. cau. vt ablutio in baptismo fieret aqua, non vino. Sicut autem solus Deus potest populum sibi peculiarem eligere, eúmque sanctificare: ita solus potest instituere signa quibus hic ab aliis distinguatur, quibúsque eius sanctitas significetur, eique conferatur. Conuenientia huius institutionis in eo consistit, vt sicut est vna per vniuersum orbem Ecclesia; ita vbique certis iisdémque signis & sanctificaretur & suam in Deum fidem protestaretur. Quod non fuisset factum, si materia Sacramentorum fuisset cuiusque arbitrio relicta.

28 Nota 1. Per rem hic intelligi vel aliquam sensibilem substantiam: vt in Baptismo, Confirmatione, Ordine, Extrema vnctione, Eucharistia: aut etiam actus aliquos per formam verborum determinabiles; vt in Pœnitentia, & Matrimonio.

Sacramentorum materia duplex.

Nota 2. Multa Sacramenta vel fortè omnia constare quodammodo duplici materia; vna remota, altera proxima. verb. cau. in Baptismo aqua est materia remota; eius vsus, siue infusio, proxima. Similiter in Confirmatione, Chrisma & vnctio: in Pœnitentia, peccata de quibus dolemus, & eorumdem confessio: in Extrema vnctione, oleum & vnctio: in Ordine, instrumenta & eorumdem traditio: & in Matrimonio, corpora contrahentium, & eorumdem traditio. Et sic etiam quadam ratione videtur posse dici quòd in Venerab. Sacramento materia remota & quasi extrinseca sit panis & vinum: intrinseca, ipsæ species. Sed de hoc a. seq. concl. 3.

29 Peccata pœnitentis, & corpora contrahentium qua ratione sint materia confessionis & matrimonij.

Aduerte tamen peccata in Sacramento pœnitentiæ, & contrahentium corpora in matrimonio, longè aliter esse materiam remotam, quàm aquam in baptismo, aut Chrisma in Confirmatione, &c. Nam hæc aliquo modo ingrediuntur ipsam compositionem Sacramenti, ita vt sint ei aliquo modo intrinseca. Nam materia proxima essentialiter componens baptismum, non est quæuis ablutio, sed ablutio aqua facta, de cuius intrinseca ratione est ipsa aqua: sicut Chrisma est de intrinseca ratione vnctionis, quæ est pars essentialis Confirmationis. Idémque est in materia Ordinis & Extremæ vnctionis. Secùs autem est in dictis duobus Sacramentis. Nec enim peccata simili aliquo modo componunt pœnitentiam aut confessionem; neque sunt ei intrinseca, cùm possint omnino non esse, imò necessariò nunquam fiant actu, sed vt summum habitu, dum Sacramentum suscipitur: sed solùm sunt materia circa quàm versantur confessio & pœnitentia: Et similiter, vt dicemus pluribus dum agemus de matrimonio, corpora contrahentium nullo modo intrinsecè Sacramenta componunt; sed sunt tantùm materia circa quam ipse contractus, siue Sacramentum matrimonij versatur; simili modo quo res, quas narramus, sunt materia nostri sermonis.

Not. 3. Rem hîc dici determinatam quandoque in vltima specie, vt aqua in baptismo: quandoque in proximo aliquo genere, vt actus confitentis, scilicet peccata vel venialia, vel mortalia, de quibus quis sit attritus vel contritus, exteriùs expressa. Vide hac de re plura infrà to. 2. disp. 20. n. 65. 30

Nota 4. Etsi hîc D. Thomas videtur tantùm loqui de Sacramentis nouæ legis, eandem tamen esse rationem in Sacramentis legis veteris: vt patet in circumcisione, agno paschali, cósecratione sacerdotis, &c. Et idem aliqua ratione credibile est fuisse in Sacramentis legis naturæ: Cùm enim etiam per hæc aliqua sanctitas conferretur, & gratia per Christum danda significaretur; credibile est Deum, cuius instinctu & auctoritate hæc Sacramenta sunt instituta, non reliquisse cuiusque arbitrio, quo ritu sanctificaretur, aut Christi gratiam significaret. quamuis fortè signa non fuerint ita determinata & expressa vt iam; nec vlla scripta lege præscripta, vt in lege veteri. Et ita intelligendus D. Thom. ad 3. Sed de hoc fusiùs agemus q. 61. a. 2. *D. Thom.* Etiam in veteribus Sacramentis fuit necessaria res aliqua determinata. *D. Thom.*

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in significatione Sacramentorum requirantur verba?

31 ARTICVLO VI. docet, Sacramenta nouæ legis necessariò constare, siue confici verbis. Ratio à priori est diuina institutio; congruentia est perfectior significatio quia aliàs materia satis confusè sæpe significaret rem Sacramenti. Alias congruentias vide in textu. Veteris autem legis Sacramenta non omnia constabant verbis, vt patet in circumcisione, & agno paschali.

32 Qualia verba necessaria sint ad tollendum [illegible] Florentin.

Not. in omnibus Sacramentis essentialiter requiri verba propriè dicta, excepto matrimonio: in hoc verò sufficiunt ad eius essentiam quæuis signa mutui consensus sufficienter expressiua. quia hæc moraliter sunt quædam locutio, & sufficiunt iure naturæ ad quemuis alium contractum, & consequenter ad contractum matrimonij, cuius naturam Deus non immutauit, sed ad Sacramenti dignitatem eleuauit. Quod etiam satis insinuat Florentinum in literis vnionis: vbi cùm dixisset, omnia Sacramenta nouæ legis confici re & verbis, tanquam materia & forma; tandem agens de matrimonio, docet matrimonij causam efficientem regulariter esse consensum per verba de præsenti expressum. vbi ostendit se verba accipere in propria significatione. Nam si acciperet ea latè, pro nutu, vel simili signo; non tantùm regulariter, sed semper & necessariò consensus per verba expressus esset causa matrimonij.

2. Insinuat in aliis Sacramentis necessariò requiri verba: quia in solo matrimonio hanc exceptionem admittit. Vbi Not. matrimonium hîc dici vinculum ex Sacramento ortum; causam verò efficientem, ipsum contractum siue Sacramentum.

DVBIVM III.

Vtrùm Sacramenta nouæ legis componantur ex re & verbis, tanquam ex materia & forma?

33 Forma Sacramenti non informat physicè materiam.

NOt. 1. In rebus moralibus, quale est ex parte Sacramentum, ad esse materiæ & formæ non requiri physicam aliquam informationem: sed sufficere quandam analogiam cum materia & forma physica. Sicut enim in his dicitur forma id quod perficit materiam, eámque determinat ad esse talis aut talis rei, v. g. hominis, aut equi: similiter etiam in moralibus, v. c. in verbis, sonus quia in se est indeterminatus & insufficiens ad aliquid significandum, per significationem ei communi vsu impositam perficitur in ratione signi, & determinatur ad rem certam significandam. hinc sonus est materia sermonis, significatio forma.

In rebus artificialibus est duplex forma.

Nota 2. In rebus artificialibus & moralibus duplicem sæpe reperiri formam seu materiam, vnam quasi partialem, aliam totalem, v. c. in hac oratione, *Petrus currit*: prædicatum quia determinat orationem ad certum conceptum de mente loquentis ingerendum audienti, est quasi forma subiecti, partialis tamen: quia forma totalis est significatio totius orationis, cuius materia est vtraque vox.

34 CONCLVSIO I. Res & verba secundùm explicationem datam. a. 5. & 6. sunt essentialiter requisita ad efficiendum Sacramentum. Videtur expressè definitum in Florentino in decreto vnionis; vbi ait: *Florentin.* *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur: videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Ratio à priori est institutio Christi nobis per Ecclesiam explicata.

35 Quia ratione Sacramenta constant rebus & verbis. *Suarez. D. Thom.*

CONCLVSIO II. Sacramenta constant rebus & verbis, tanquam materiis & formis partialibus: vtraque autem simul sumpta habent se respectu integræ suæ significationis per modum materiæ respectu formæ totalis. Ita Suarez disp. 2. sect. 2.

I. Pars est expressè D. Thomæ a. 6. ad 2. & a. 7. Et probatur. Quia conuenit iis analogia suprà allata cum materia & forma physica. Res enim, videlicet aqua, vel eius infusio, est indifferens ad significandam lotionem, aut etiam refrigerationem; cùm ad vtrumque possit assumi: per formam autem determinatur ad significandam lotionem. Et sic in aliis Sacramentis.

II. Pars probatur. Quia forma & materia habent propriè rationem signi Sacramentalis vt simul sumpta, & vt sic habent integram significationem gratiæ quam causant. Nec enim forma aut materia Sacramentorum per se separatim significant gratiam, aut purgationem à peccato: nam aliàs separatim posita possent eam etiam causare, cùm sint signa practica & efficacia. Sicut ergo non possunt eam causare nisi conjuncta; ita nec significare. Atqui in signis significatio habet se per modum formæ, res significans per modum materiæ, vt patet ex primo notabili: Ergo hæc significatio est integra forma ipsius Sacramenti: sicut significatio quam habent subiectum & prædicatum, prout componunt vnam orationem, est totalis forma ipsius propositionis.

36 Notà tamen Sacramentum eiúsque totalem significationem non omnino eodem modo componi ex forma & materia partialibus, sicut oratio componitur ex subiecto & prædicato tanquam materia & forma. Nam hæc ita ex his componitur, vt eius totalis significatio componatur etiam ex significatione materiæ & formæ: nam vox *Petrus* v. c. & vox *currit* idem significant iunctim in oratione posita, atque separatim; hac sola differentia, quòd separatim posita non significent cursum Petro coniunctum esse: in oratione autem sicut pronuntur coniuncta, ita illa duo significant esse coniuncta. Secùs fit in Sacramento, v. c. baptismo; nam nec lotio, nec forma baptismi separatim sumpta habent vllam vim perfectè significandi ablutionem animæ per iustificationem, siue in abstracto siue in concreto, seu vt inexistentem alicui: quia separatim sumpta nullo modo ad hæc sunt instituta. Quare dum legitimè coniunguntur, accipiunt ex Christi institutione omnino nouam vim significandi.

CONCLVSIO III. Forma & materia, siue res & verba componunt omnia Sacramenta quæ in actione transeunte consistunt, tanquam partes essentiales ea intrinsecè componentes. Ita D. Thom. & Suarez suprà, & satis colligitur ex Florentino suprà citato. 37 *D. Thom. Suarez. Florentin.*

Probatur, quia habent se ad rationem integri signi Sacramentalis, sicut subiectum & prædicatum respectu orationis; sed hæc sunt partes essentiales orationis: ergo, &c. Minor clara est. Maior patet ex Concl. 2. Accipimus autem vbique res & verba secundùm explicationem datam a. 5. & 6.

Ex dictis facilè refellitur sententia, quæ solet tribui Soto in 4. d. 3. a. 1. quæ dicit totam rationem & significationem baptismi consistere in ipsa ablutione. Cuius fundamentum est primò ipsa significatio vocis: quia scilicet baptismus significat propriè ablutionem. 2. Quia in artificialibus ipsum nomen supponit pro subiecto, & tantùm in obliquo significat formam, v. c. sedes est ipsa ligna ita composita, siue habentia talem formam, ita vt sedes non dicatur composita ex ligno & forma, sed solùm ex ligno. Patet, inquam, hoc falsum esse, quia ablutio per se non habet vim significandi mundationem animæ, sicut nec habet vim eam efficiendi. 38 Baptismus non consistit in sola ablutione.

Ad primum Respond. Baptismum pro Sacramento sumptum non significare solam materialem ablutionem, sed illam simul cum forma. Nec enim sola illa ablutio potest dici Sacramentum, etsi ab eo Sacramentum sumpserit nomen.

Ad secundum. Quidquid sit de antecedente, quod facilius negari posset, quàm probari; imò Vasquez d. 129. num. 41. putat sedem, statuam, & similia potiùs significare formam artificialem quàm materiam: Respondeo esse diuersam rationem. Nam verba non sunt totalis forma Sacramenti, sed partialis, ex qua simul cum materia componitur integrum Sacramentum, habens pro totali forma integram significationem ex instituto Dei: sicut oratio composita ex subiecto & prædicato tanquam materia & forma habet præterea integram significationem tanquam integram formam. *Vasquez.*

Eodem modo refutari potest sententia quæ tribuitur Scoto in 4. d. 3. q. 1. & d. 8. q. 1. & 2. quæ dicit aliquando totum Sacramentum consistere in materia; aliquando in forma; aliquando in vtroque simul. Totum ipsius argumentum est, quia tota significatio videtur quandoque esse à forma, quandoque à materia. Sed hoc esse falsum patet ex dictis propos. 2. Dixi hæc tribui iis auctoribus: quia Vasquez disp. 129. c. 3. ita vtrumque explicat, vt ostendat eos omnino aliter sentire. sed Soto videtur omnino esse in ea sententia: & quamuis Scotus loco citato satis ambiguè loquatur, tamen d. 14. q. 4. §. *Hic sunt*, & d. 16. q. 1. §. *de pœnitentia*. apertè docet Sacramentum pœnitentiæ essentialiter consistere in sola absolutione. 39 *Scotus.*

Dices, Forma & materia debent esse simul: sed verba & res sæpe non sunt simul: potest enim ablutio aliquantulum præcedere pronunciationem formæ, aut contrà: ergo hæc non habent se per modum materiæ & formæ. 40 In rebus moralibus forma & materia non sunt necessariò simul tempore.

Resp. Formam physicam debere physicè simul esse cum materia; moralem autem solùm moraliter: ad

quod sufficit ea coniunctio quæ sufficit vt secundùm moralem æstimationem, & communem hominum vsum, & loquendi modum dicantur esse simul, & forma verè intelligatur cadere supra materiam. Hinc quædam Sacramenta maiorem, quædam minorem admittunt disiunctionem. Quantam autem singula admittant, prudenti iudicio æstimandum est. Baptismus enim, Confirmatio, Extrema vnctio, & Ordo requirunt talem coniunctionem, vt dum minister verba pronunciat, secundùm moralem æstimationem, & communem loquendi vsum possit verè dici lauare, vngere, &c. ad quod parua disiunctio videtur admittenda. Contrà in confessione posset absolutio satis diu differri; sicut in iudiciis absolutio aut condemnatio solet sæpe diu sequi causæ examen. Similiter in matrimonio, tam diu potest vnius consensus sequi consensum alterius, quamdiu hic censetur moraliter permanere, sicut in aliis contractibus. Vide Suarez d.2. sect. 2. §. *Sed quæres*. Possent quædam alia adhuc obiici contra Sacramentum confessionis, sed hæc melius adferemus & soluemus infrà to. 2. disp. 4. dub. 4. vbi de hoc agemus.

Suarez.

41 Quomodo Eucharistia componatur ex pane & verbis consecrationis.

Dixi, quæ in actione transeunte consistunt; ob V. Eucharistiam. Cùm enim hæc sit res permanens, non potest intrinsecè componi ex rebus transeuntibus, qualis est panis, & forma verborum, quæ statim desinunt. Componitur tamen ex illis aliquo modo extrinsecè: partim quia sunt eius causæ; conficitur enim hoc Sacramentum ex pane tanquam causa materiali transeunte, idque vi verborum quæ se habent & vt causa instrumentalis efficiens, & vt forma determinans significationem panis, ad significandum nutrimentum spirituale: partim ratione habitudinis quam species panis & vini, ex quibus intrinsecè hoc Sacramentum componitur, necessariò habent ad panem & vinum, & formam verborum. Nec enim species significarent Christum ibi esse, nisi dicerent habitudinem ad formam consecrationis: nec significarent esse per modum nutrimenti, ni essent species panis, aut vini.

42 Scholion fuit eadem materia ac eadem forma in Sacramentis. *Ecclesia, Innocent.*

Conclvsio IV. Materia & forma essentialiter requisitæ ad singula Sacramenta ab initio suæ institutionis, fuerunt semper eædem in omnibus Ecclesiis. Est contra Felinum in c. *Quæ in Ecclesiarum*, de constitutionibus n. 26. & Innocentium in c. 1. de baptismo, & alios quosdam Canonistas; qui putant Latinum vtentem in baptismo forma Græcorum, aut consecrantem panem fermentatum, nihil effecturum. Sed nostra Conclus. est omnino certa & indubitata apud omnes Theologos.

Et clarissimè probatur. Quia omnia essentialiter ad Sacramenta quoad materiam & formam requisita, à Christo pro omnibus vniuersim Ecclesiis eadem sunt *institutа*; vt omnes fatentur, nec Ecclesia potest hæc vlla ratione mutare. vt apertè insinuat Tridentinum sessione 21. cap. 2. Quia sicut Christus non dedit illi potestatem Sacramenta instituendi; ita nec dedit potestatem eorum formam, aut materiam mutandi. Vnde quando duæ materiæ aut formæ tantùm accidentaliter differunt, v. c. panis fermentatus & azymus, *Ego te baptizo*, & *baptizaris àme*; potest quidem Ecclesia suo præcepto me obligare, vt vtar hac potiùs quàm illa: non potest tamen efficere vt altera non possim validè vti, etsi illicitè. Potest item subtrahendo directè vel indirectè alicui sacerdoti iurisdictionem necessariam, efficere vt non possit validè absoluere; non tamen manente eius iuridictione potest efficere, vt hac vel illa forma inualidè vtatur.

Trident. Tridētinū non mutauit materiam aut formam Sacramēti matrimonij

Nec Tridentinum reddidit matrimonium clandestinum inualidum mutando eius materiam aut formam, sed reddendo sic contrahentes impotentes ad ponendam veram formam, scilicet consensum legitimum & sufficientem ad talem contractum etiam ciuiliter ineundum. Sicut si redderet aliquem impotentem ad pronunciandum formam baptismi, efficeret vt non posset validè baptizare.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm requirantur determinata verba in Sacramentis?

Articvlo VII. docet in Sacramentis requiri determinata verba. Ratio à priori est, institutio Christi, conuenientia est, vt per vniuersum mundum esset æqualis Ecclesiæ consuetudo & ritus in sacramentis administrandis: quod ad ipsius Ecclesiæ decorem & vnionem expediebat. Res clara est in sex Sacramentis ex vsu Ecclesiæ, & Florentino Concilio, quod singulorum certam formam describit: sed videtur obscurior in matrimonio, quod non requirit certa verba. Resp. Etsi non ita determinata verba præscripta sunt huic Sacramento atque aliis, tamen eatenus potest dici habere certam formam, quatenus requirit talia verba, vel signa saltem iis æquiualentia, quibus mutuo sibi vterque coniux clarè consensum de præsenti exprimit. 43

Florentin.

DVBIVM

Qualia verba requirant Sacramenta?

Dominus Bellarminus l. 1. de Sacramentis c. 19. adfert varias sententias hæreticorum, qui satis perplexè hac de re loquuntur. Quidam enim admittunt in omnibus Sacramentis necessaria esse certa aliqua verba à Christo instituta, & quibus ipse ac Apostoli vsi sunt. Communiter tamen non vtuntur iis tanquam consecratoriis, aut habentibus vllam vim sanctificandi ex opere operato (hanc enim omnino Sacramentis inesse negant) sed vt fidem excitent audientium, iis diuinam promissionem proponendo. Alij verò omnino ea reiiciunt, & volunt solam concionem sufficere. Alij in baptismo consuetam formam admittunt, sed vnà cum concione, & vt eius partem; in aliis Sacramentis ea reiiciunt, & solam concionem adhibent. Quæ qui sigillatim velit scire, videat Bellarm. suprà. Nobis hic sufficiet adferre & refutare sententiam Caluinistarum, qua refutata facile erit reliquas conuellere. 44

Bellarm.

Hæreticorum inter se discrepantia circa formas Sacramentorum.

Caluinus igitur l. 4. instit. c. 14. requirit solùm aliquam concionem, qua excitetur in initiando fides circa promissionem Christi: & quidem tam ipse quàm reliqui Caluinistæ præter concionem vtuntur in baptismo verbis illis, *Ego te baptizo*, &c. sed vt ait Beza, nō vt forma Sacramenti, sed vt instructione populi. In Eucharistia verò Caluinistæ nulla certa verba requirunt, sed solam concionem, aut gratiarum actionem. Imò Caluinus, vt refert Bellarm. suprà, formulas consecratorias incantationibus assimilat. Sed in hac re non modò cum vniuersali Ecclesia & Scripturis, sed secum ipsi pugnant. Si enim verbum concionatorium esset necessarium ad essentiam baptismi, nec Caluinus, nec Beza, nec vllus primorū illorum hæreticorum esset baptizatus: quippe qui ritu Catholico baptizati sunt sine vlla cōcione, atque ita deberent rebaptizari; quod est cōtra illorū vsum, & doctrinam. 2. Quia si requiritur concio qua fides excitetur, requiretur talis quæ rectā fidē excitet (quis enim credat, concionem hæreticam & blasphemā, aut excitare posse veram fidem, aut peruersam fidem per eam excitatam credentem iustificare?) Et consequenter nullum hæreticorum, saltem eorum qui aliter de Sacramentis sentiunt quā Caluinistæ, baptisma valebit, atque ab his baptizati erunt rebaptizandi: 45

Caluinus. Error Caluinistarū.

Beza.

Bellar.

quod

quod ipſi negant.3.Paruulorum baptiſma erit nullum: quia in illis concio nullam fidem excitare poteſt. Nec refert quòd excitet in aliis præſentibus; quia per accidens eſt quòd aliqui præſentes ſint, & fieri poteſt vt non ſint: nec vnius fides alium iuſtificat.

46 Verbum rituale eſt de eſſentia Sacramenti.

CONCLVS. De eſſentia Sacramentorum eſt aliquod verbum rituale. Ita definitum eſt in Florentino, quod ſingulorum Sacramentorum determinatas formas præſcribit.

Florent. Probatur 1. ex ſenſu & vſu totius Eccleſiæ, cuius nullum niſi ab ipſo Chriſto poteſt initium demonſtrari, quæ ſemper docuit neceſſariam eſſe ad Sacramenta conficienda certam verborum formam ſine

Tertull. qua Sacramenta non poſſunt confici. Vnde Tertull. l.de baptiſmo: *Lex*, inquit, *tingendi impoſita eſt, & forma præſcripta.* Et contra Praxeam: *Mandauit*, inquit, *Apoſtolis vt tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum*

Cyprian. *ſanctum.* Item Cyprian. epiſt. 73. ad Iubaianum vbi ait: *Verborum ſolemnitas & ſacri inuocatio nominis, & ſigna Apoſtolicis Sacerdotum miniſteriis attributa, viſibile celebrant Sacramentum.* Vbi etiam expreſsè docet Chriſtum iuſſiſſe vt Apoſtoli baptizarent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; nec vllum nomen poſſe omitti.

Baſilius. D.Baſilius l.de Spiritu ſancto cap. 12. *Sicut*, inquit, *credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; ſic & baptizamur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, Qui ſuprà ibidem docuerat, aliquid addere aut detrahere huic formæ, eſſe ab æterna ſalute decidere.

Auguſt. Item D. Auguſt. de baptiſmo contra Donatiſtas l. 3. c.15. ait: *Quamobrem ſi verbis Euangelicis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Marcion baptiſmum conferebat, integrum erat Sacramentum, quamuis eius fides ſub iiſdem verbis aliud opinantis quàm Catholica veritas docet non eſſet integra.*

Athanaſ. Cyrillus. & Dionyſ. Idem docuerunt Athanaſius ſerm. 3. contra Arianos circa medium, Cyrillus Catecheſi 3. Dionyſius Areopagita parte 2.cœleſtis Hierarchiæ,& omnes Patres Concilij Niceni, can. 19. vbi definiunt baptiſmum Cataphrygarum & Paulianiſtarum eſſe nullum, quia mutabant præſcripram à Chriſto formam. Vide

Bellarm. D. Auguſt. plura apud Illuſt. Bellarm. lib. 1. de Sacram. cap. 19. Quare(vt de ſimilibus teſtatur D. Aug. epiſt. 118. ad Ianuarium) inſolentiſſimè hæretici inlaniunt, quia contra vniuerſalem Eccleſiæ doctrinam diſputant.

47 *Matth. vlt.* Prob. ex Scriptura, 1. Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Vbi Chriſtus requirit primùm vt capaces inſtruantur circa fidem, deinde præſcribit formam baptiſmi. *Baptizantes*, inquit, *eos in nomine Patris*, &c. Verba enim *in nomine Patris*, nulla ratione poſſunt referri ad verbum *docete* (vt ineptè vult Caluinus) ſed ad verbum *baptizantes*: atque ita non poſſunt aliud continere, quàm formam baptiſmi.

Deinde ſubiungit: *docentes eos ſeruare omnia*, &c. vt oſtendat baptizatis neceſſariam eſſe obſeruationem mandatorum, contra Caluinum. Item Chriſtus inſtituens Ven. Sacramentum vſus eſt certis verbis & circa panem, & circa calicem, & ſubiunxit; *Hoc facite in meam commemorationem*, iubens nos iiſdem vti verbis.

48 Dices 1. Etſi Chriſtus iuſſerit Apoſtolos baptizare *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; non tamen iuſſit eos dicere inter baptizandum illa verba. Nam etſi facere aliquid in nomine alicuius ſæpè ſignificet facere id cum inuocatione illius nominis, non tamen

Matth. 18. ſemper; quia Matth.18.dum Chriſtus dicit: *Qui ſuſceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit*; non vult hunc ſuſcipi cum inuocatione nominis Chriſti: ſed in obſequium Chriſti. Item, Etſi dictò loco, *in nomine*, ſignificaret inuocationem Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: non tamen ſequitur; quòd hoc neceſſariò deberet fieri illis verbis, quia dum Chriſtus Marci vlt. promiſit futurum vt credentes in *Marci vlt.* nomine eius, multa miracula facerent, noluit eos aſtringere vt dicerent ſe hæc facere in nomine Chriſti, aut his expreſſis verbis eius nomen inuocarent. Sufficiebat enim eos Chriſtum quibuſcunque verbis inuocare.

2. Etſi Chriſtus in cœna poſt inſtitutionem & diſtributionem Sacramenti iuſſerit facere quod ipſe fecerat; non tamen iuſſit vt omnino iiſdem verbis vteremur, quibus ipſe vſus eſt. Nam illis verbis tantùm vſus eſt, vt Apoſtolis rei ignaris indicaret quid illis daret, quod poteſt quibuſuis verbis fieri. Et confir. Quia aliàs deberemus planè eodem ritu celebrare hoc Sacramentum, quo Chriſtus id fecit,ſcilicet veſperi poſt cœnam; quod falſum eſt.

Reſpond.1.Etſi loca dicta Scripturæ non tam clarè 49
conuincant; quæ volumus, vt nullo modo poſſint aliter explicari; tamen planè indicant ſenſum quem attulimus; & hic maximè planus, facilis, ac obuius eſt. Et hoc probat 1. quòd Chriſtus tam explicatè iuſſerit Apoſtolos baptizare *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; quod non videtur factum fuiſſe, niſi voluiſſet illa verba exprimi inter baptizandum, cùm extra formas Sacramentorum nullibi quid ſimile fecerit. Idémque eſt de forma conſecrationis, quam tres Euangeliſtæ valde explicatè narrant. & quamuis aliquo modo diuerſis verbis, idem tamen ſignificantibus, quod ad eſſentialia attinet.

2. Quia Chriſtus iuſſit nos aliquibus verbis conſecrare, & per veram tranſmutationem panis & vini (vt ſuo loco probabitur) conficere ſuum corpus & ſanguinem; quod non niſi dictis verbis aut omnino æquiualentibus fieri potuit: quia verba ſacramentalia debent ſignificare id quod per ea efficitur.

3. Quia cùm maximè conueniens fuerit, certis iiſdemque verbis omnes vti in confectione Sacramentorum, quæ res grauiſſima eſt, & in qua indecenter diſſentitur, & periculosè erratur: decuit omnino Chriſtum talia certa verba præſcribere. Ergo planè credendum eſt eum hoc feciſſe, cùm eius verba id ſatis indicent. Cùm igitur dictus ſenſus maximè ſit obuius & planus, & videatur eſſe ex mente Chriſti; verba Scripturæ eo ſenſu accipienda ſunt; cùm nihil obſtet, quo minùs ita accipiantur.

Reſpond. 2. Etſi hic ſenſus ex verbis Scripturæ 50
non poſſet ita clarè probari, tamen cùm dicta loca, Eccleſia, quæ eſt optima Scripturæ interpres, ſemper ab initio ita intellexerit, nobis etiam ita intelligenda ſunt. Vnde ſequitur, etſi, quæ verba formæ neceſſaria ſunt in reliquis Sacramentis, non poſſimus tam facilè ex Scriptura colligere: ſufficere tamen nobis debere perpetuam traditionem ab Apoſtolis acceptam, & Eccleſiæ auctoritatem, vt credamus eas formas eſſe legitimas,quas hæc nobis præſcribit, quam qui audit, Chriſtum audit, vt dicitur Luc. 10. v. 16. qui verò *Luc.10.* eam non audit, omnibus debet eſſe tanquam Ethnicus & Publicanus: vt dicitur Matth. 18. *Matth.18.*

Ex his patet concionem ſeu catechiſmum tunc 51
tantùm requiri quando initiandus eſt rudis in cognitione fidei, aut Sacramenti ſuſcipiendi, & doctrinæ capax. Tunc, inquam, præmittenda inſtructio ſuſcepturi Sacramentum, vt huic legitimè conferatur, non tamen vt validè conferatur. Ad hoc enim ſufficiunt debita forma, materia, & intentio; vt patet ex vniuerſali ab initio Eccleſiæ vſu: & qui aliàs pueri, & malè de Sacramentis ſentientes inualidè ea ſuſciperent. *Quando requiratur catechiſmus.*

Obiicit Caluinus 1. Nulla conuentio Chriſti & 52
Belial: ſed diabolus docet magos certa carmina quibus ſuas incantationes peragant: Ergo myſteria diuina non debent peragi certis verbis. *Caluinus.*

Respond. diabolum esse simium, & vt habeatur Deo similis, imitari quæ Deus instituit: hinc sicut in lege naturæ, & veteri certo ritu voluit sibi Deus sacrificia offerri, ita etiam diabolus similia in suum honorem ab Idololatris instituí curauit. Ideo tamen pij à Deo instituta non deserunt: quia etsi non conueniat nos vsurpare quæ diabolus in suum honorem adinuenit, non tamen debemus benè instituta deserere, quia diabolus ea imitatur. Aliàs si Caluinus putet suum argumentum valere, damnet primò omnes ritus in Leuitico præscriptos: & tam Moysen, qui iubente Deo illos instituit, quàm se, suósque, qui eadem in baptismo nobiscum vtuntur forma, damnet magiæ.

53 *D. Aug.* Obicit 2. D. August. tract. 80. in Ioannem, vbi videtur dicere baptismum habere omnem vim ex fide, & verbo Dei doctrinali. Ait enim: *Vnde ista virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens; hoc est verbum fidei, quod prædicamus.* Deinde citat Apostolum ad *Rom. 10. Actor. 15. 1. Petr. 3.* Rom. 10. v. 8. 9. 10. & Act. 15. v. 9. & 1. Petr. 3. v. 21. vbi mundatio cordis videtur tribui fidei, & verbo fidei.

Respond. 1. Caluinum hîc insigniter hæreticum & sycophantam agere, dum auctoritatem Augustini ex vno loco obscuro nobis obiicit, qui eiusdem, omniúmque patrum auctoritatem in mille locis clarissimis, quæ pro nobis faciunt, contemnit.

54 Respond. 2. hunc locum benè intellectum nihil iuuare hæreticos, sed clarè probare nostram sententiam. Pro cuius intelligentia Not. Augustinum hîc non agere ex professo de baptismo, sed volentem explicare illud Ioan. 15. *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*; generatim ostendere, verbum Dei habere vim mundandi, siue illud sit verbum doctrinale, siue cæremoniale: qualia sunt formæ Sacramentorũ: idque diuersis rationibus & exemplis allatis probat: quorũ quædam spectant ad verbum rituale, quædam ad doctrinale. Docet autẽ verbum Dei habere vim mũdandi, *non quia dicitur*, id est, virtutem eius non consistere in exteriore verborum sono: *sed quia creditur.* quod dupliciter potest intelligi. 1. Propriè, vt actus credendi dicatur habere vim mundandi, scilicet inchoatiuè, quia fides est initium iustificationis nostræ. 2. Metonymicè vt fides accipiatur pro obiecto fidei: sicut cùm dicimus, hæc est fides catholica. *Deus est trinus, & vnus.* Quidam fidem hic accipiunt. 1. modo, sed hi explicare nequeunt quomodo verbum accedens ad elemẽtum mundet infantes, qui non credunt. Alij accipiunt 2. modo, ita Bellarm. lib. 1. de Sacram. c. 19. & Vasquez hîc dis. 129. c. 4. n. 62. Et probant, quia Aug. vt suum hoc dictũ probet subdit: *nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens; aliud virtus manens.* Vbi apertè per sonum transeuntem explicat quod antè dixerat, *non quia dicitur.* & per virtutem permanentem, quod dixerat: *sed quia creditur.* Hæc autem virtus permanens non potest esse actus fidei, quia hic non est in verbo, nec permanet, sed transit. Ergo intelligitur obiectum fidei, siue res significata per verbum, quæ in ipso est tanquam in signo. Quæ quidem vera sunt, sed non omnino satisfaciunt. quia August. quædam ibidem subiungit quibus clarè ostendit se etiam loqui de actu fidei.

Bellarm. Vasquez.

Respond. igitur. Quòd sicut D. Aug. loquitur generatim de verbo Domini tam rituali, quàm doctrinali; quorum illud mundat ratione virtutis diuinæ, quam præsentem significat, quámque ei præsentem credimus: hoc autem ratione fidei qua annunciantibus euangelium credimus: ita illis verbis *sed quia creditur*; vtrumque intelligit scilicet tam actum fidei, quàm eius obiectum, siue virtutem diuinam, quam Sacramentis assistentem credimus gratiam in nobis operari. Et deinde diuersis rationibus vtrumque probat. Eum autem sentire dictam virtutem inesse Sacramento patet: quia docet aquam dum tangit corpus abluere cor, id faciente verbo. Et infrà explicans illud ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, ait, mundationem non tribuendam aquæ, nisi adderetur *in verbo*; & subiungit tantùm hoc verbum valere, vt per Ecclesiam tingentem mundet infantem non valentem credere. Itaque expresè tribuit ipsi verbo iuncto elemento vim mundandi. 55 *Ephes. 5.*

Item quòd tribuat hanc vim mundandi verbo rituali, patet primò, quia dicit illud verbum accedere ad elementum, & fieri Sacramentum. quod non conuenit doctrinæ fidei, quæ soler præcedere, non autem accedere ad lotionem. secundò, quia dicit baptismum per illud consecrari, vt possit mundare. Tertiò, quia dicit illud mundare infantes, qui non possunt mundari concione, cui non possunt credere, sed Sacramento. Vocat autem verba formæ verbum fidei, cò quòd contineant præcipuum mysterium fidei, scilicet Trinitatis, quod omnibus prædicamus, & cui tota fides nostra innititur. Quòd is fuerit sensus D. August. præter alia sexcenta loca clarè patet lib. 6. contra Donatistas cap. 25. vbi ait: *Certa illa euangelica verba sine quibus non potest baptismus consecrari, tantum valent, vt per illa sic euacuentur quæcunque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur; quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur* quæ verbo doctrinali nullo modo conuenire possunt: sed verbo cæremoniali, idque non propter actum fidei, quo ab alio creditur (quia cùm Augustinus hîc agat de baptizato ab hæretico, fides vtriusque vitiosa & falsa est) sed propter diuinam virtutem, quæ ei inesse creditur, quæque tantam vim Sacramento tribuit.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm liceat aliquid addere verbis, in quibus consistit forma Sacramenti?

56 ARTIC. VIII. Docet eum qui mutat verba formæ animo inducendi nouum ritum in Ecclesiam, non videri validè Sacramenta conferre, eo quòd non videatur habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

Vbi notandum D. Thomam non dicere absolutè *eum inualidè conferre*, sed *videri inualidè conferre eo quòd non videtur habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia*; insinuans eum validè collaturum si habeat eam intentionem, & mutatio non sit substantialis. Et simili modo intelligendus Zacharias Papa cap. *Retulerunt*, de consecratione d. 4. vbi ait, nullo modo rebaptizandos eos, qui sub hac forma à quodam imperito Sacerdote baptizati erant: *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, si is ex ignorantia id fecerit, non intendens inducere hæresim: quia scilicet si voluisset inducere hæresim, præsumendum fuisset illum per hanc formam voluisse aliud significare, quàm Ecclesia per veram formam significet. *D. Thom.* *Zacharias Papa.*

57 Posse autem fieri vt quis mutet accidentaliter formam receptam ab Ecclesia, intentione inducendi diuersum ritum, siue aliquem errorem; & tamen habeat veram intentionem faciendi quod Ecclesia facit, & Christus instituit, patet primò, quia hæc facilè possunt consistere, vt putet Ecclesiam vti peruerso ritu in suis Sacramentis, & ideo intendat eum corrigere, & tamen habeat absolutè voluntatem faciendi quod Christus instituit; atque ita implicitè velit facere idem quod facit Ecclesia 1. quia hîc nulla apparet implicantia. 2. Quia de facto hoc fit in Græcis qui in baptismo putant hanc formam esse essentialem:

Baptizetur

Baptizetur seruus Christi, &c. Et hanc in consecratione panis: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Et tamen verè consecrant & baptizant, & habent implicitam voluntatem faciendi quod facit Ecclesia, etsi intendant eam corrigere.

58 Quæ sit mutatio formæ essentialis. Docet 2. Si habens legitimam intentionem mutet formam accidentaliter, etsi fortè negligentia vel contemptu peccet, tamen valere Sacramentum: si verò mutet essentialiter, non valere. Tunc autem mutatio est essentialis ipsius formæ, quando ita mutatur, vt verba ei essentialia secundùm moralem æstimationem non retineant eundem sensum cum eo, quem ex sensu seu institutione Christi habent. Accidentalis est: quãdo non ita mutatur, quin essentialia verba eundem sensum retineant. Quæ autem verba cuique formæ essentialia sint, dicemus agendo de singulis.

DVBIVM I.

Quibus mutationibus corrumpatur forma?

59 VT supradicta clariora sint, quædam quæ circa mutationes formarum accidere solent, particulariùs nobis tractanda sunt. Variæ enim sunt Doctorum sententiæ, quænam mutationes sint essentiales, quæ accidentales, quas referunt Vasquez hîc d. 229. cap. 6. & Suarez disp. 2. sect. 4. & 5. *Vasquez. Suarez.*

I. docet Ministrum semper inualidè conferre Sacramentum, quoties aliquid superfluum addit ipsi formæ tamquam necessarium; siue volens inducere nouum errorem in Ecclesiam. ita D. Antonin. 3. p. tit. 14. §. 3. Richar. in 4. d. 3. a. 2. q. 3. §. *Quantum ad* 2. Sed hoc ita generatim dictum, falsum esse patet ex dictis. *D. Anton. Richard.*

II. sententia docet primam sententiam tunc saltem veram esse, quando mutatio, per quam Minister intendit inducere errorem; non est tolerata ab Ecclesia: quod hi auctores addunt, ne cogantur dicere Græcos inualidè baptizare, & consecrare panem, eo quòd mutent aliquid in vtraque forma, intendentes introducere ritum contrarium Romano; vt communiter de illis asseritur: quãuis id aliqui negent. ita Soto in 4. d. 1. q. 1. a. 8. §. *Ad hoc autem.* Sed hęc sententia caret omni fundamento. Quia etsi Ecclesia possit sua prohibitione efficere, vt forma aliàs licita, fiat illicita: non tamen vt sit inualida: vt ostendi art. 6. concl. 4. *Soto.*

60 Alij 3. tunc hanc sententiam volunt esse veram, quando Minister vult introducere nouum ritum, vt essentialẽ contra vsum totius Ecclesiæ. ita quidam recẽtiores apud Vasq. d. 129. c. 6. n. 91. & 92. Ratio eorũ est: quia tunc non videtur posse habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, quæ tamen intentio est essentialis Sacramento: pro hac varij citantur, qui hoc reuera non dicunt. Et hanc sententiam generatim sumptam esse falsam, & rationem nullius esse momenti paret ex dictis in explicatione Articuli.

IV. sententia docet, quamdiu Minister seruat verba essentialia formæ, & habet absolutam intentionem faciendi quod Christus instituit, conficere sacramentum, quantumuis aliquid mutando intendat errorem inducere in Ecclesiam: ita Adrian. de baptis. quæst. 2. §. *Ad videndum*, vers. *Respondeor.* & Gabr. in 4. d. 3. q. 1. a. 2. concl. 3. qui malè pro aliis sententiis citantur. Limitant tamẽ hoc alij, nisi mutatio reddat sensum formæ ambiguum: ita vt possit esse verus, atque etiam falsus; & contra substantiam Sacramenti; tunc enim aiunt Sacramentum esse irritum, non tantùm defectu intentionis, sed etiam defectu formæ, quod tamen sine tali intentione esset validum. Addunt alij, debere talem errorem esse contra substantiam Sacramenti, & significari per falsum sensum formæ. Probant autem tunc Sacramentum fore irritum; quia cùm talis habeat intentionem inducendi errorem contrarium institutioni Christi, eúmque exteriùs exprimat: non potest intendere facere quod Christus instituit. *Adrian. Gabriel.*

Sed hæc patiuntur difficultatem, 1. Quia exterior forma in sua significatione nullo modo pendet ab intentione Ministri: quia vt infrà ostendam eadem verba eundem semper sensum audientibus ingerunt, siue proferens, hoc siue illud intendat significare: Ergo si forma sit sufficiens prolata bona intentione, etiam sufficiet prolata mala intentione: & si Sacramentum sit irritum, hoc accidet defectu solius intentionis. Significatio formæ aut alterius orationis non pendet ab intentione eam proferentis.

2. Quia aliorum ratio non videtur bona. Nam & sumit id quod probandum est, scilicet talem non posse habere absolutam intentionem faciendi quod Christus instituit: & vt summum probat, talem Sacramentis collationem fore inualidam defectu intentionis.

CONCLVSIO I. Quamuis minister integrè retinet verba essentialia, nec aliquid addit quod eorum proprium sensum vllo modo euertit, nulla intentione efficere poterit, vt Sacramentum sit irritum defectu formæ. ita Palud. in 4. d. 3. q. 1. circa medium. Sequitur ex dictis. Quia intentio nullo modo mutat formam nisi aliquid ei appónat, aut detrahat, quo sensus ipsius euertatur. Hinc si Arianus vtatur legitima forma inter baptizandum, sed nullo modo per eam velit significare æqualitatem personarum; erit quidem irritum Sacramentum, non tamen defectu formæ; sed solius intentionis. Quòd si talis credat quidẽ per verba formæ nullo modo significari æqualitatem personarum; tamen habeat absolutam voluntatem per ea significandi & faciendi quod Christus significari & fieri voluit, efficiet verum Sacramentum. quia virtualiter intendet significare per ea verba id, quod verè significant. Quia autem tales communiter habent hanc intentionem, Concilium Arelaten. 1. cap. 8. approbauit baptismum Arianorum legitima forma vtentium. 61 Mala intentio nunquã vitiat formam Sacramenti, quæ aliàs esset valida. *Paludan.* *Conc. Arel.*

Dices, Forma non constat solo externo sono verborum, sed legitima etiam significatione, quæ est velut anima ipsius, quæ hoc casu deest. Ergo ipsa formaliter verè mutatur, etsi materialiter maneat integra. 62

Respond. Significationem hîc propriè non mutari; quia hæc non pendet à priuata alicuius intentione (nec enim est in mea potestate pro libitu efficere, vt quoduis verbum quiduis significet) sed à sola legitima sui institutione, & communi verborum vsu. Possum quidem mutando intentionem efficere, vt forma falsum significet; vt si baptizem cum intentione non conferendi Sacramentum, sed tantùm fingendi, aut si intendam per eam aliud significare, quàm reuera significat, quia exteriùs per illam significabo me id intendere & facere, quod reuera nec intendo, nec facio: sed hoc non mutat propriè formam. Nam eadem omnino propositio idémque omnino significans potest esse vera & falsa: hinc Arianus per hæc præcisè verba: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, nunquam poterit significare filium esse minorem Patre, etsi id millies intendat, sed potiùs significabit contrarium. Significatio verborum non pendet à priuata intentione proferẽtis.

Dices, Possunt aliqui inter se statuere, vt per dicta verba sibi mutuò significent Filium esse minorem Patre: ergo tunc eorum intentio efficiet, vt verba aliud significent. Respondeo negando consequent. Quia mutatio significationis non oritur propriè ex diuersa intentione, sed ex pacto inter eos inito, nec tunc absolutè & generatim verba aliud significabunt, sed tantùm inter eos, qui pacti sunt conscij. 63

CONCLVSIO II. Si retentis verbis essentialibus aliquid addatur, quod eorum significationem reddat ambiguam, ita vt possint habere verum & legitimum 64

sensum, atque etiam falsum & sensui legitimæ formæ contrarium : tunc si Minister habuerit legitimam intentionem, conficiet verum Sacramentum. Quia tunc nihil deest Sacramento : & hanc conclusionem communiter DD. admittunt, & est D. Thomæ in corpore.

D. Thom. 65

CONCLVSIO III. Quòd si in dicto casu Minister habeat intentionem inducendi errorem in Ecclesiam contrariam proprio sensui verborum essentialium formæ, ferè semper irritum erit Sacramentum defectu legitimæ intentionis & etiam aliquo modo defectu formæ : absolutè tamen fieri poterit vt Sacramentum sit validum.

Vasquez, Suarez, D. Antonin.

Priorem partem tenet Vasquez disp. 129. c. 7. nu. 102. & Suarez d. 2. sect. 5. concl. 2. D. Antonin. tit. 14. cap. 3. §. 3. & probatur. Quia cum tales communiter omnino sibi persuadeant, suam sententiam esse veram, intendunt eam planè absolutè significare sine vlla restrictione aut conditione : sicut nos absolutè intendimus per formam baptismi significare æqualitatem personarum : atque ita vix possunt habere absolutam intentionem faciendi quod Christus instituit. Quia hæ duæ intentiones inter se pugnant, nec possunt simul cõsistere, nisi alterutra sit aliquo modo conditionata : vt dicemus infrà q. 46. a. 8. d. 3. Quare cũ tales habeant absolutam voluntatem cõtrariam institutioni Christi, quæ hic & nunc etiam est efficax, cum sit causa cur tali forma vtantur, vix possunt simul etiã efficaciter intendere facere quòd Christus instituit.

66 *Quomodo tollat intentio aliquando vitiare formam.*

Quòd autem etiam sit aliquod vitium in forma, Probatur, quia cùm ex se sit dubia & indeterminata ad sensum legitimum & falsum, continet in se aliquem defectum, ideóque debet vel ab intentione, vel à circumstantiis determinari, vt sensum verum determinatè significet. hoc autẽ casu potiùs determinatur ad contrariũ. Quod maximè verum est quando intentio ministri astantibus est aliquo modo cognita. Tunc enim auditores omnes formã in sensu falso intelligũt, & hũc apud eos absolutè significat. Et hoc modo credo explicanda quæ docent Vasquez & Suarez suprà.

Vasquez, Suarez. 67

Secunda pars probatur. Quia potest fieri vt omnino occultè Valentinianus verb. cau. putet Christum habuisse corpus cæleste, ideóque inter consecrandum dicat : *Hoc est corpus meum spirituale*, quod potest intelligi esse tale vel ratione beatitudinis quam iam habet (qua ratione 1. ad Corinth. 15. dicuntur nostra corpora post resurrectionem futura spiritualia) vel quòd natura sua tale sit. Item fieri potest vt ipse intendat explicitè quidem 2. sensum : & tamen (quia putat fieri posse vt erret) habeat simul absolutam intentionem faciendi, & significandi quod Christus fecit, & significauit per verba formæ essentialia. nulla enim potest reddi ratio cur hoc fieri nequeat. quo casu, si talis sit verus Sacerdos, non video cur non consecrabit. Nec puto quod aut Vasquez, aut Suarez casui sic proposito contradicerent : Generatim tamen (præsertim Vasquez) suam sententiam asserunt : quia hic casus satis metaphysicus est : ipsi autem de iis quæ nata sunt contingere loquuntur.

1. Cor. 15.

68 *Forma octo modis mutari potest. Caietan, Suarez.*

Quæ vt melius intelligantur, Nota octo modis formam posse mutari. Primò, si vertatur in aliud idioma. Et clarum est hoc posse fieri sine sensus mutatione. ita Lalius Zecchus de Sacramentis in gen. c. 1. post medium, Henriquez l. 2. c. 8. Imò benè notauit Caiet. hîc a. 7. circa solutionem ad 2. & ex eo Suarez disput. 2. sect. 4. posse in eadem forma misceri diuersa idiomata sine mutatione sensus.

An aliquis possit baptizari, In nomine genitoris, & geniti & procedentis ab vtroque.

Secundò, quando retento eodem idiomate ponuntur alia verba, vt *Baptizo te in nomine genitoris, geniti & procedentis ab vtroque.* In qua mutatione si verba perfectè sint synonyma, valebit baptismus. ad quod non sufficit vt confusè idem significent, sed est necessarium vt distinctè idem significent. hinc non valet hæc forma : *Baptizo te in nomine Trinitatis.* ita Henriq. l. 1. c. 9. §. 4. & l. 2. c. 9. §. 3. Zecchus suprà.

Etsi autem sit valde probabile priorem formam valere; (vt docet Caiet. hîc q. 66. art. 5. ad 7. Glossa c. *Multi.* 82. d. 4. de consecratione, Soto in 4. d. 3. q. vnica a. 5.) tamen non est omnino certum : tum quia multi auctores dubitant (quod magni faciendum est in re à sola Christi institutione pendente) tum quia non tam clarè processio tertiæ personæ videtur significari per nomen *processionis* (cùm hoc etiam generationi conueniat) quàm per nomen *Spiritus* : quod significat illam procedere per modum spirationis & impulsus. Quamuis autem specularitè loquendo hæc mutatio possit videri non tanti momenti; tamen in praxi non est omnino tuta, nec vllo modo vsurpanda. Vide Henriq. l. 2. c. 9. §. 4. & Soto sup. Palud in 4. d. 3. q. 1. §. *Secundò in speciali.* Imò Scotus in 4. d. 3. q. 2. a. 3. litt. D. Gabr. q. 1. a. 3. dub. 1. Halensis 4. p. q. 3. membr. 3. a. 3. §. 1. Zecchus c. 3. de Bapt. Valent. to. 4. disp. 4. puncto 3. §. *Ad tertium*, docent eam formam non valere.

69 *Transpositio an vitiet formã.*

3. Per transpositionem verborum, quod potest fieri sine mutatione sensus, vt *Ego baptizo te.* aut etiam cum mutatione, vt *Baptizo in te nomine Patris, &c.* Item mutando actiuum in passiuum, vt *Baptizaris à me, &c.* qua ratione non mutatur sensus.

An interpolatio

4. Per interpolationem, vt si dicas : *Ego te baptizo*, & paululum subsistas, vel aliud interloquaris; & deinde subiungas *in nomine Patris, &c.* Quæ interpolatio, vel interlocutio si tanta sit, vt moraliter non censeatur posterior pars cum priore efficere vnam orationem retinentem legitimum sensum, nihil efficitur; secùs si censeatur retinere eundem sensum. Quod prudenti iudicio ex communi sensu iudicandum est. Omnis tamen eiusmodi interpolatio, quantùm commodè fieri potest, cauenda est; & maximè interlocutio : quia sæpe periculosa est.

An verbo rũ additio

5. Per additionem aliquorum verborum; quæ si sensum substantialem non corrumpant, non vitiant Sacramentum, etsi putentur necessaria : vt patet in forma consecrationis Græcorum. Quòd si eum corrumpant, fit irritum Sacramentum.

70

Disputant autem hîc DD. Vtrùm baptizans *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & B. Virginis* valìdè baptizet.

D. Thom. Suarez, D. Anton. Durand. Paladan.

Respond. cum D. Thom. hîc, & Suarez disp. 2. sect. 5. in fine : D. Anton. citato n. 65. Durand. in 4. d. 3. q. 2. §. *De additione.* Palud. d. 3. q. 1. §. *Tertiò potest esse mutatio*, Si intendat baptizare in nomine B. Virginis sicut in nomine Patris, nihil efficit : quia assumit formam secundùm sensum quem intendit, falsam, significando, aut non aliter Deum sanctificare quàm creaturam : aut B. Virginem esse Deam, & ita inducit quaternitatem in Deo. Secùs, si tantùm ex deuotione intendat auxilium B. Virginis baptizato implorare. Item si quis Valentinianus dicat : *Hoc est corpus meum, quod de cælo sumptum est*, vt per hoc determinet significationem corporis in forma positi ad tale corpus significandum, falsificat. Si verò intendat verbis formæ significare quod Christus intendit, & illud addat non vt partem formæ sed vt explicet suam sententiam, verè consecrat, & illa verba omnino parerga sunt : quia videtur eadem ratio huius formæ & præcedentis. Colliguntur hæc apertè ex D. August. lib. 6. de baptis. c. 25. vbi ait : *Certa illa verba, sine quibus non potest baptismus consecrari, tantùm valent, vt per illa sic euacuentur quæcumque in prece vitiosa, contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur.* Et quidẽ quando illa additio fit in fine, non habet tantam difficultatem. Putant tamen aliqui etiam in medio id fieri posse, v. c. Si quis Arianus dicat : *Baptizo te in nomine Patris increati, & Filij creati à Patre, & Spiritus sancti creati ab vtroque*, & illud *creati à Patre*,

D. August.

71 *Additio facta in fine formæ, hãc minus vitiat quàm si ponatur in medio.*

tre, aut *ab vtroque creati*, non intendat addere tanquam partem formæ, ſiue vt abſolutè determiner ſignificationem *Filij & Spiritus ſancti*: ſed tantùm vt explicet ſuam ſententiam: abſolutè interim intendens per formam ſignificare quod Chriſtus intellexit: putant, inquam, hunc verè baptizare. Sed hoc videtur falſum. Quia vt forma valeat, debet ſecundùm communem conceptum poſſe verum ſenſum admittere: talis autem forma vix poteſt talem ſenſum admittere. Quis enim non videat violentiſſimam eſſe hanc explicationem *Filij creati*, id eſt *quem puto creatum?* Aliud eſſet ſi hæc verba expreſsè adderet, dicendo, *In nomine Patris increati, & Filij quem credo creatum, &c.*

72 Aliud autem eſt quando ſimile quid in fine additur. 1. quia tunc faciliùs concipitur tantùm addi explicationis cauſa, & non vt pars formæ. 2. quia forma habet tunc ſuam perfectam ſignificationem antequam illa additio fiat; & conſequenter, niſi per malam intentionem impediatur, in illo priori operatur ſuum effectum, qui impediri nequit per verba ſubſequentia.

73 Notat Vaſquez d. 129. c. 7. n. 107. hanc formam: *Vaſquez.* *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & B. Virginis*, propriè loquendo non eſſe ambiguam, ſed falſam, ſi tota ſimul ſumatur: quia abſolutè indicat eodem modo conferri baptiſmum in nomine B. Virginis, atque in nomine Patris, &c. Quia verba externa eodem modo de illa atque de his dicuntur: & ſola intentio proferentis non poteſt efficere, vt verba eodem modo prolata, aliud atque aliud ſignificent pro libitu proferentis: vt patet ex dictis. Malè tamen inde aliqui colligunt, habentem rectam intentionem inualidè tali forma baptizare. Nam etſi verba illa omnia ſimul ſumpta ſignificent errorem contrarium formæ; verba tamen eſſentialia etiam vt hîc & nunc proferuntur, tam ex intentione proferentis, quàm ſecundùm commune Chriſtianorum audientium iudicium, priùs tempore, quàm illa additio fiat, habét perfectam ſuam ſignificationem; & conſequenter operantur eodem inſtanti ſuum effectum, qui per verba ſubſequentia tolli nequit, qualemcumque hæc errorem ſignificent. ita Vaſquez infrà tom. 4. q. 84. a. 3. dub. 4. numero 5. Et hoc ſenſu veriſſima ſunt verba D. Aug. ſuprà allata, ſcilicet: *Verba, quibus baptiſmus conſecratur, tantùm valere vt per illa ſic euacuentur quæcumque in prece vitioſa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Chriſti nomine excluditur.* *Vaſquez.*

74 Ex quibus patet 1. Longè aliam eſſe rationem quando ſimilia aliqua verba ponuntur in medio formæ. Quia tunc corrumpunt formam interim dum profertur: & impediunt ne forma, vt hîc & nunc profertur, vllo vnquam inſtanti poſſit habere verum ſenſum: & conſequenter impediunt eius valorem. Idémque eſt quando talia verba ponuntur quidem in fine formæ, ſed baptizans intendit abſolutè ea proferre vt partem formæ, quia tunc non intendit verè baptizare antequam forma per eorum adiunctionem ſit vitiata; & conſequenter defectu intentionis, forma nequit priùs habere ſuum effectum.

Patet ſecundò, omnes additiones eſſe valdè vitiadas: tum quia ſaltem ſunt cõtra conſuetudinem & præceptum Eccleſiæ: & aliquo modo contra inſtitutionem Chriſti, qui, vt vidimus ſuprà, voluit formas Sacramẽtorũ certis & determinatis verbis proferri: tum etiam, quia quãdoque valor Sacramenti exponitur periculo.

75 An ſubtractio vitiet formam. 6. Alicuius verbi ſubtractione, verb. cau. ſi in baptiſmo omittas, *Ego*: & eſt mutatio accidentalis: aut nomen alicuius perſonæ; & eſt mutatio eſſentialis.

76 An verborum corruptio. 7. Si verba aliquo modo corruptè pronuncientur. Qua in re ſi Miniſter intendat per formam abſolutè ſignificare quod Chriſtus intellexit, & tamen ex imperitia, balburie, aut etiam mala voluntate corruptè verba pronunciet; tamdiu verba cenſentur retinere verum ſenſum formæ, quamdiu in talibus circumſtantiis nata ſunt verum ſenſum audientibus ingenerare: etſi in rigore ex ſe illum ſenſum non habeant. Aliàs balbi & blæſa lingua numquam poſſent Sacramenta validè adminiſtrare.

Notat autem D. Thomas artic. 7. ad tertium, faciliùs corrumpi verum ſenſum formæ, ſi verbis aliquid addatur in initio, quàm ſi addatur in fine quod communiter verum eſt. Quandoque tamen contrarium accidit. Num ſine vlla mutatione ſignificationis formæ quædam Nationes addunt quibuſdam verbis aliquid in initio, dicendo v. c. *Iſpiritus ſanctí* pro *Spiritus ſancti*: ſed circumſtantiæ locorum & perſonarum in his rebus multum valent. 77 *D. Thomas.* Additio initio verbi ſæpè faciliùs ſenſum vitiat, non tamen ſemper.

Et ex hoc excuſatur forma relata cap. Retulerunt. de conſecratione, d. 4. ſcilicet: *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua ſancta*, quæ propriè nullum verum ſenſum habere poteſt: tamen quando ab eo qui habetur vir probus & ſcitur eſſe imperitus, inter baptizandum profertur, ab omnibus cognoſcentibus myſterium baptiſmi, intelligitur hîc & nunc idem ſignificare, quod vera forma ſignificat, quia omnes audientes ſtatim intelligunt talem intendere illud per hanc formam ſignificare.

8. Si omnia verba mutentur in ſigna, aut nutus, quod in matrimonio eſt accidentale: in aliis Sacramentis eſſentiale.

Generatim autem pro omnibus, Nota, poſſe has mutationes efficere vel ſenſum omnino ſynonymum ſecundùm eſſentialia, & eſt mutatio accidentalis, vel ſecundùm eſſentialia diuerſum, & eſt mutatio eſſentialis. Quod fit quoties verba non poſſunt, prout hic & nunc proferuntur, verè ſignificare id quod eſſentialis forma ſignificat. Vel poſſunt efficere ſenſum ambiguum, idque dupliciter. Primò, vt dubium ſit an ea verba poſſint habere ſynonymũ ſenſum cum vera forma: & tunc Sacramẽti valor eſt dubius, ipſũq; ſub conditione reiterandũ. Secundò, vt apertè poſſint habere & eundé ſenſum cũ forma legitima, & eriã diuerſum: & tunc ſi miniſter intendat ea proferre ſecundùm ſenſum legitimæ formæ, valet Sacramentum: ſi in diuerſo ſenſu, non valet. Quæ tamen intelligẽda ſunt ſecundùm dicta in quinto modo mutandi verba. 78 Quæ mutatio ſit eſſentialis.

Quod autẽ dictum eſt de forma, habet etiam locum quadã ratione in materia. Poteſt enim hæc mutari tãtũ accidentaliter: vt quãdo manet eadem ſpecie, non tantum quoad ſubſtãtiam ſuam abſolutè, ſed etiam in ordine ad vſum, ad quẽ vulgò ab hominibus Sacramenti materia aſſumitur: vt quando aqua calida, aut lutulẽta ſumitur ad baptizandum; & tunc valet Sacramentum. 79 Quæ mutatio materiæ ſit accidentalis.

Mutatio autem eſſentialis eſt, quando materia mutatur in aliam ſpeciem: vt ſi quis baptizet aqua roſacea; aut ſumitur aliquid inutile ad vſum communem quem habet materia Sacramenti, ſiue differat ſpecie, ſiue non: vt ſi conſecretur maſſa farinæ aqua ſubactæ, ſiue panis nondum coctus. Quæ eſſentialis.

DVBIVM II.

Quale peccatum ſit mutare materiam aut formam Sacramentorum?

80 RESpond. Primò, ſemper eſſe graue ſacrilegium, quando mutatio reddit irritum Sacramentum, niſi ſit imperfecta aduertentia, quo caſu eſt veniale; & nullum, ſi nulla ſit aduertentia.

Reſpond. Secundò, Idem dicendum, quando redditur dubium Sacramentum, niſi neceſſitas excuſet: vt ſi in extrema neceſſitate baptizetur infans in materia dubia, aut in ſolo digito.

81 *Henriq.* Notat autem benè P. Henriq. lib. 1. de Sacram. c. 9. n. 7. faciliùs accidere, vt liceat vti materia dubia in Sacramentis, quam forma dubia: quia rarò poteſt occurrere caſus, in quo ſit neceſſitas vtendi tali forma. In ſcholiis tamen litera b. vnum ponit caſum, Sæpiùs vtimur licitè dubia materia, quàm dubia forma.

quo id putat licitum: ſcilicet, quando quis minatur alicui mortem niſi baptizet, v. c. *in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque*: quam formam ſuppoſuit eſſe dubiam. Sed non puto hoc generaliter intelligendum eſſe. Nam ſi is, qui minatur mortem, ſciat eam formam eſſe contra communem vſum totius Eccleſiæ Catholicæ, nullo modo licebit ei obedire: quia ſecundùm omne prudens iudicium cenſetur id præcipere in contemptum Eccleſiæ, & communis ipſius conſuetudinis conferendi Sacramentum, atque etiam ipſius baptiſmi: præſertim ſi ſciat multos talem baptiſmum credere eſſe dubium: aut ſi ſit ſuſpectus de fide, cenſebitur velle inducere aliquam hæreſim, ſaltem damnando communem formam vt illegitimam: Et conſequenter ei obſequens tali contemptui cooperabitur, eum aliquo modo licet ex metu, ipſo actu externo approbando. Confirm. quia ſi talis expreſsè præciperet ſic baptizare in contemptum Eccleſiæ, aut proteſtationem hæreſeos, non liceret ei obedire, & obediens cenſeretur actum externum contemptus Eccleſiæ, aut hæreſeos exercere. Atqui cum talibus circumſtantiis hoc præcipiens cenſetur implicitè id præcipere in contemptum Eccleſiæ, aut proteſtationem hæreſeos. Ergo actus externus obedientis eadem malitia ſecundùm moralem æſtimationem afficitur.

82 Aliquando. Eſt igitur illa ſententia intelligenda in certo caſu: quando ſcilicet præcipiens talem baptiſmum eſſet verè Catholicus, & omnino crederet dictam formâ eſſe eam qua Eccleſia Romana vtitur, haberétque ſuſpectam ſacerdotis ſententiam contrarium affirmantis, & planè crederet eum ex ignorantia, aut malitia errare. Tunc enim nulla videtur fieri irreuerentia baptiſmo, maximè ſi baptizans interiùs habeat intentionem baptizandi ſub conditione, ſi forma valeat.

83 licitè vtimur dubia forma. Alius caſus eſt quo licitè adhiberetur forma dubia, quando ſcilicet ſine graui periculo baptiſmus nequit differri, & nemo adeſt qui nouerit formam de qua non dubitet, an ſit legitima. Tunc enim eſt eadem ratio, atque quando non adeſt materia niſi dubia.

84 Reſpond. 3. Quando mutatio eſt apertè accidentalis, ſi ſit valdè notabilis, eſt peccatum mortale: vt ſi quis in conſecratione calicis omittat totum illud: *Noui & æterni Teſtamenti*, &c. ita Valentia, tom. 4. diſput. 3. q. 1. puncto 1. §. *Vt verò*. Suarez tom. 3. d. 16. ſect. 2. §. *Secundò cùm igitur*. Si autem mutatio ſit in re parua, eſt veniale: vt ſi quis ſine contẽptu, aut ſcandalo omittat in conſecratione particulam *enim*, aut quid ſimile. Excuſat in vtroque caſu inaduertentia & neceſſitas: vt ſi quis non poſſit perfectè verba pronunciare, aut latinè baptizare. Imò Emmanuel Sà v. Bapt. & Victoria de Sacramentis in baptiſm. quæſito 18. docet fœminas meliùs facere, ſi in neceſſitate baptizantes, pronuncient formam vernacula lingua, quia periculum eſt, ne malè pronuncient latinè.

Valentia. *Suarez.* *82.* *Victoria.*

QVÆSTIO LXI.

DE NECESSITATE SACRAMENTORVM.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Sacramenta ſint neceſſaria ad humanam ſalutem?

1 ARTICVLO I. docet inſtitutionem Sacramentorum eſſe ad ſalutem hominum neceſſariam; ſcilicet ad bene eſſe, ſiue conuenientiſſimam. Quia decet eos qui conſtant anima & corpore, per corporalia ad ſpiritalia duci: & præcipuè quia, vt docet D. Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum c. 11. *In nullum nomen Religionis ſeu verum, ſeu falſum coadunari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum ſeu Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.* Cuius ratio eſt. Quia vt aliqui ex certo propoſito communi conſenſu in eandem conueniant religionem (quod neceſſarium eſt vt vnam aliquam Eccleſiam, ſeu religioſum cœtum conſtituant) omnino requiritur vt externis quibuſdam ſignis ac ritibus ſuam religionem quiſque publicè teſterur. Aliàs enim publicè conſtare nequit, quam religionem quiſque colat, & vtrùm in religione inter ſe conſentiant nec ne. Quod tamen neceſſarium eſt vt communi conſenſu *in eandem conueniant*: vt per ſe patet. Inter hos autem ritus, primum locum obtinet ſacrificium, quod à certis & ad id legitimè deſignatis perſonis publico nomine offerri omnino conuenit: & conſequenter decet has perſonas aliquibus ritibus ad hoc conſecrari, quia decet eas Deo eſſe ſacras. Item decet eſſe aliquos ritus, quibus expientur ij, qui ob aliquod facinus indigni cenſentur, qui de publico ſacrificio participent.

D. Auguſt. *Cur Sacramenta ſint neceſſaria?*

2 Eiuſmodi autem ritus habent aliquam rationem Sacramenti propriè dicti, vel latè ſumpti, veri, vel falſi, prout eſt ipſa religio. Confirmant hæc maximè ipſa experientia, & communis vſus, ac omnium hominum aliquam religionem profitentium ſenſus. Quia nulli vnquam in aliquam religionem conſpirarunt, quin ſimiles aliquos ritus habuerint; vt patet ex hiſtoriis. Et quamuis ex iis, quæ in Scriptura legimus, hæc non poſſimus tam clarè oſtendere de iis qui coluerunt Deum in lege naturæ: ea tamen vtcumque colligimus *partim* ex Scriptura, partim ex factis, & hiſtoriis gentilium, qui ſimiles ritus habuerunt. Nec videtur dubium, quin à veris Dei cultoribus eos ex parte mutuari ſint, & corruptos ad dæmonis cultum tranſtulerint; cùm dæmon inſtar ſimiæ, quantùm poteſt, ſacra imiteretur, & diuinos omnes honores ac ritus ad ſuum cultum transferat.

ARTICVLVS II.

Vtrùm etiam ante peccatum fuerint homini neceſſaria Sacramenta?

3 ARTIC. II. docet in ſtatu innocentiæ non fuiſſe Sacramenta homini neceſſaria, ſiue conueniencia. Hæc enim pro eodem accipit. Cùm enim tunc ſuperior pars hominis eſſet omnino libera, nec ſubiecta parti inferiori; non decebat hominẽ duci ad ſalutem per corporalia, & his quodãmodo ſubiici.

4 Diſputant hîc Doctores primùm de mente D. Thomæ. Vtrùm in hoc articulo tantùm diſputet, an de facto fuerint inſtituta Sacramenta in ſtatu innocentiæ: An verò vtrùm fuiſſent inſtituenda pro eo ſtatu Sacramenta, ſi Adam non peccaſſet.

Caietanus. Soto.

Primam partem cum aliis tuetur Caietanus hîc 2. verò tenet Soto in 4. d. 1. quæſtione 2. articulo 2. Sed dicendum eſt, D. Thomam de facto quidem tantùm quærere, quid conueniens fuerit fieri in eo ſtatu, qui de facto fuit, & quid actu factum ſit. Nam eius interrogationes & reſponſiones ſunt abſolutæ, quæ ſecundùm alterum ſenſum debuiſſent eſſe conditionatæ: ſimul tamen intendere probare, quid futurum fuiſſet, ſi Adam non peccaſſet. Quia generatim probat, ſtatui innocentiæ non conueniſſe inſtitutionem Sacramentorum; idem autem fuiſſet ſtatus innocentiæ in poſteris, qui fuit in Adamo: niſi quòd Adam, (vtpote in virili ætate à Deo creatus) ſicut ipſam naturam, ita etiam ſcientiam ſtatim initio perfectam acceperit; poſteri autem paruuli fuiſſent nati, & ſicut corpore, ita etiam ſcientia paulatim creuiſſent per doctrinam, & experientiam.

Diſputant ſecundò de ipſa re, ſcilicet, vtrum ſi Adam non peccaſſet, futura fuiſſent Sacramenta? Pars affirmatiua probatur. 1. Quia etiam in eo ſtatu homines debuiſſent conſtituere viſibilem Eccleſiam, & conſequenter habere viſibilia ſacrificia & Sacramenta; quia hoc etiam probat ratio allata articulo 1. ex auctoritate D. Auguſtini.

Homo etiã in ſtatu innocentiæ concepiſſet ſpiritualia modo corporali.

2. Quia etiam in eo ſtatu homines non cognouiſſent res diuinas clarè in ſeipſis, ſed per ſpeciem in ænigmate, nec potuiſſent ſpiritualia cognoſcere, niſi per corporalia: ergo iis conuenientia fuiſſent Sacramenta, quæ per res corporales gratiam ſignificant. Nec poteſt dici inconueniens illi ſtatui, quòd homo rebus corporalibus ita ſubiiciatur, vt ex iis diſcat ſpiritualia, quia hoc fuiſſet ei neceſſarium; nam non potuiſſet etiam tunc aliter cognoſcere ſpiritualia, quàm modo quodam corporeo ea concipiendo. Tertiò, quia Sacramenta multùm iuuant ad gratiam augendam: ergo etiam in eo ſtatu fuiſſent homini vtilia. Ita

Alanus, Zecchus, Valentia, Durand.

Alanus de Sacr. cap. 27. Zecchus de Sacramentis in gen. cap. 3. concl. 2. & alij, apud Valentiam d. 3. q. 2. puncto 2. & Durand. in 4. d. 1. q. 2. ad 2.

6

In contrarium verò facit primò, auctoritas D. Th. hîc, & in 4. d. 1. a. 2. q. 2. Quia vel illa Sacramenta fuiſſent ſimilia veteribus, quæ non conferebant gratiam, ideoq; infirma & egena elementa ab Apoſtolo vocantur, ad Galat. 4. Et hæc nullo modo videtur perfectioni illius ſtatus conuenire potuiſſe. Vel fuiſſent ſimilia noſtris conferentia gratiam ex opere operato. Et hoc etiam non videtur poſſe dici. 1. Quia hæc ſunt conceſſa vt medicamenta quædam imbecillitati noſtræ naturæ, ad ſubleuãdam ſummam difficultatem, quam experimur in gratia acquirenda, conſeruanda, ac augenda, propter rebellionem carnis cum ſpiritu, quæ in illo ſtatu non fuiſſet: vbi ſumma facilitate homines gratiam conſeruaſſent & auxiſſent. Quare iis, vtpote perfectè ſanis, non fuiſſet opus medicina, vt ait D. Thomas. 2. Quia ſi tunc fuiſſent inſtituenda Sacramenta ſimilia noſtris, probabile eſt matrimonium eleuandum fuiſſe ad eſſe Sacramenti: quod tamen dici nequit, quia aliàs omnino credendum eſt Adami matrimonium futurum fuiſſe propriè dictum Sacramentum, cuius tamen contrarium oſtendemus in tractatu de matrimonio.

Galat. 4.

D. Thom.

7

Reſpondeo primò, ſi Chriſtus Adamo non peccante fuiſſet incarnandus, probabile eſt inſtituendum fuiſſe ſacrificium, & Sacramentum Euchariſtiæ. Ita

Suarez.

Suarez diſp. 3. ſect. 2. ſub finem. Ratio eſt, quia hoc & perfectioni illius ſtatus (quem decuiſſet perfectiſſimus Dei cultus; qualis eſt in hoc ſacrificio) & ſummo Chriſti in homines amori fuiſſet conuenientiſſimum, nec vllam indecentiam, aut imperfectionem inuoluiſſet. Vnde conſequenter probabile eſt futurum etiam fuiſſe eo caſu Sacramentum Ordinis; quia tanti Sacramenti miniſtros decuiſſet omnino ſimili aliquo ritu Deo conſecrari, & ad tantum officium eleuari.

8

Reſpondeo 2. Poſito quòd Adamo non peccante Chriſtus non fuiſſet venturus (quod omnino certum credo) nulla ratione ſatis probabili poſſumus affirmare, eſſentne in eo ſtatu inſtituenda Sacramenta, an non. Quia hoc pendet planè à voluntate diuina, cuius nulla certa ſigna habemus. Nec enim in eo ſtatu, ritus illi externi ſacrificiorum, & Sacramentorum fuiſſent ita neceſſarij ad colligandum, & diſcernendum cœtum fidelium, vt modo: quia ex ipſa ſtatus conditione facile fuiſſet bonos à malis diſcernere. Et quanquam non ſit dubitandum, quin tunc fuiſſet aliquis cultus externus quo Deum homines coluiſſent; non tamen neceſſariò dicendum eſt, futurum fuiſſe ſacrificium: tum quia omnia alia ſacrificia excepto noſtro (quod certum eſt tunc non fuiſſe futurum) videntur imperfectiora, quàm vt decuiſſent illum ſtatum, cùm non deceant ſtatum nouæ legis; tum quia Deo non deſunt plurimi alij modi quos potuiſſet inſtituere, vt illis ſecundùm illum ſtatum conuenientiùs ab hominibus coleretur, quàm per mactationes ouium & boum: de quibus Deus Pſalm. 49. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* Vbi oſtenditur illa ſacrificia non tam fuiſſe inſtituta, quòd in ſe continerent cultum dignum diuina maieſtate, quàm quòd carnali populo eſſent neceſſaria, vt ex iis aliquid de diuinis rebus diſceret, & præſertim de paſſione Chriſti, quam illa ſacrificia repræſentabant. Vnde etiam volens oſtendere quis cultus in ſe Deo placeat; ſubdit Pſalmiſta: *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.* Quare ſi futurum fuiſſet vllum illo tempore ſacrificium, credo non futurum fuiſſe ſimile vlli ex his, quæ Deus hactenus inſtituit; ſed alterius ordinis. Vnde ſi liceat argumentari ex iis ſacrificiis quæ Deus hactenus inſtituit, quæ omnia ſignificant paſſionem Chriſti; potiùs videtur dicendum tunc nullum fuiſſe futurum ſacrificium, ſicut paſſio futura non erat. Et idem eſt de Sacramentis. Sed, vt dixi, nihil certi poſſumus colligere.

Sacramenta in ſtatu innocentiæ non fuiſſent ita neceſſaria.

Pſal. 49.

Sacrificia veteris legis per accidens conuenientiã habuit diuino cultui ideóque indigna ſtatu innocentiæ.

9

Diſputant 3. Vtrùm, ſi Adam non peccaſſet, poſteri fuiſſent omnes confirmati in gratia, an non? Affirmat Zecchus de Sacramentis in gen. cap. 3. negant D. Thomas 1. p. q. 100. a. 2. Durand. in 2. d. 20. q. 5. art. 3. Pererius in Gen. tom. 1. l. 5. quæſt. 4. Scotus verò in 2. d. 2. q. 1. quaſi medius tenet confirmandos victa prima tentatione, qua poterant cadere. Item, ſi aliqui peccaſſent (quod plurimi credunt probabiliter futurum; quia non videntur poſteri futuri magis impeccabiles ipſo Adamo) vtrùm fuiſſent ſine ſpe veniæ relinquendi in peccato, ſicut Angelis accidit? Negat Suarez diſp. 3. ſect. 2. An verò, ſicut accidit Adamo, danda fuiſſet iis gratia, qua potuiſſent conuerti, & conuerſis venia? Quod multi putant probabilius. quia non apparet ratio, cur, cùm fuerit ita actum cum Adamo, dicamus cum eiſdem poſteris peccantibus aliter agendum fuiſſe.

Zecchus. D. Thomas. Durand. Pererius. Scotus. Suarez.

10

Item poſito quòd poſſent eo caſu liberari à peccato, vtrùm hoc forer mediante aliquo Sacramento, aut ſacrificio per homines iuſtos iis applicando: an verò per ſolam contritionem. Secundum affirmat ſup. Sed nec hæc diſputatio propriè ad hunc locum pertinet, nec vlla ſatis probabili coniectura poſſumus aſſequi, quid his omnibus caſibus eſſet futurum, cùm hoc merè pendeat à Dei libera voluntate, quæ nec ex hactenus reuelatis, nec ſine vlla reuelatione cognoſci poteſt.

Nec enim ex eo quòd Adam peccauit, ſequitur alios non confirmandos in gratia, ſi ipſe non peccaſſet. Nam ſicut in ipſius fuit poteſtate nobis irrecuperabiliter perdere inſtitiam originalem: ita fortè in eadem poſitum fuit, vt ſi non peccaret, eam poſteris omnibus ſine periculo amittendi mereretur conſeruari.

11 Item ex eo quòd illi peccanti fuerit data gratia qua resurgeret; non sequitur aliis fuisse dandam. Quia hæc non fuit ei data, nisi propter merita Christi, qui eo non peccante nunquam fuisset incarnandus. Quare, vt dixi, nihil certi hîc possumus concludere. Hoc tamen videtur consonum diuinæ bonitati, aut eo casu peccantibus dare spem veniæ & viam emergendi è peccatis, aut statim eos de medio tollere; quia vt ait Rom. 2. Apostolus ad Romanos 2. vers. 4. ideo Deus hîc tolerat peccatores, vt det illis locum pœnitentiæ. Et fuisset durum, hominem fragilem & ad peccandum procliuem, sine vlla gratia, aut spe veniæ, manere diu in statu vitæ, ea conditione vt demereri continuò posset, & nihil mereri. Deinde si diu ita vixissent, genetassent liberos, qui nati fuissent in iustitia originali (nam solius Adami peccatum fuit transfundendum in posteros) & tamen iure naturæ debuissent impiis parentibus subesse, & ab iisdem institui. Item si vir solus peccasset; mulier mansisset nihilominùs ei, quamdiu ipse vixisset, alligata & subiecta. Quia matrimonium fuit institutum indissolubile. quæ videntur incommoda. Imò ex his non omnino improbabiliter videtur colligi, Adamo non peccante, eius posteros confirmandos fuisse in gratia. quanquam hoc non conuincat.

12 Not. demum, quosdam dicere, ex his duabus propositionibus, *Si Adam non peccasset, nihilominus aliqui ex eius posteris peccassent.* Et, *Si Adam non peccasset, nulli ex posteris peccassent*: vtramque esse falsam. Quia in neutra consequens habet connexionem cum antecedente. Quia perseuerantia Adami non potuit posteris esse causa, vel occasio peccandi. quod tamen in talibus propositionibus significatur. Sicut ob eandem tantùm hæ sunt falsæ: *Si Turca Vesperi cœnauerit, ego eras comedam, aut non comedam.*

Sed priores propositiones non sunt his similes, sed alterutra ex prioribus est vera. Nam perseuerantia posterorum in gratia habuit magnam coniunctionem cum perseuerantia Adami; etsi fortè non necessariam: tamen maiorem quã habet occasio cum euentu ex ea contingenter secuto. quod sufficit ad alterutrius veritatem. Nec ad hoc opus est, vt perseuerantia futura fuisset posteris occasio peccandi (quod fieri non potuit) sed sufficit quòd ex ea contradictorium fuerit natum sequi, scilicet, *posteros non peccare*; quod verissimum est, quia Adamo non peccante, procliuius fuisset posteros non peccare quàm peccare, etsi fortè non necessarium. Sunt igitur illæ propositiones similes his: *Si diabolus non tentasset Euam, ipsa non peccasset.* Et, *Quamuis diabolus non tentasset Euam, nihilominus peccasset.* quarum alterutra vera est.

ARTICVLVS III.

Vtrùm post peccatum ante Christum Sacramenta esse debuerint?

13 ARTICVLO III. docet, post lapsum ante Christum natum, fuisse homini necessaria Sacramenta, quibus passio Christi futura, & gratia per eam danda significaretur, vt sic homines ad fidem Christi adducerentur, eámque profiterentur.

DVBIVM

Quænam Sacramenta ante Christi natiuitatem instituta fuerint?

14 NOta, quadruplicem hîc occurrere difficultatem.

D. Thom. Prima est circa mentem D. Thomæ. Vtrùm scilicet senserit ante circumcisionem fuisse aliquod propriè dictum Sacramentum?

Pars negatiua videtur probari; quia si tunc aliquod fuisset Sacramentum, maximè fuisset illud quo paruuli iustificabantur: sed D. Thomas sensit eos fuisse iustificatos per solam internam fidem parentum, sine vllo actu externo ad hoc necessariò requisito, & consequenter sine vero Sacramento, quod requirit necessariò signum aliquod externum: ergo sensit ante circumcisionem nullum fuisse verum Sacramentum.

Contrà, affirmatiuam probat Primò, quòd generaliter respondeat, post peccatũ ante Christum fuisse necessaria Sacramenta: ergo id intelligit etiam de tempore præcedente circumcisionem. Et ratio eius tam de hoc, quàm de sequente tempore, id probat. Secundò, quia in argumento secundo & tertio, & eorum solutionibus apertè supponit, atque etiam affirmat, in lege naturæ fuisse Sacramenta. quod non potest intelligi de circũcisione, quæ fuit ante legem. Primò, quia hæc fuit magis ex lege positiua quàm naturæ: quia fuit absolutè præcepta Israëlitis. Secundò, quia dicit Sacramentum legis naturæ habuisse se ad Sacramenta Moysis, sicut indeterminatum ad determinatum. Tertiò, quia in solutione tertij, apertè admittit aliud Sacramentum. 15

Nec sufficit si dicas eum præcedentia illa vocasse lato modo Sacramenta. Primò, quia sic magna hîc vteretur æquiuocatione. Nam vtraque eodem modo vocat Sacramenta; & tota hac quæstione disputat de Sacramentis propriè dictis. Secundò, quia dum distinguit Sacramenta legis positiuæ & naturalis, non ait hæc esse minùs propriè dicta Sacramenta; sed tantùm esse minùs determinata, quàm illa. Quare puto hanc partem esse absolutè veriorem. 16

Ad argumentum contrarium Respond. D. Thomam loco citato non negasse absolutè, ad iustificationem infantis in lege naturæ, opus fuisse aliqua externa protestatione fidei venturi mediatoris (sequentibus enim verbis id clarè innuit) sed tantùm negasse fuisse institutum aliquod signum determinatum, sed fuisse hominum arbitrio relictum, quocumque vti vellent; modò esset tale quod internam fidem in mediatorem aliquo modo significaret.

Secunda difficultas est de re ipsa, Vtrùm ante circumcisionem fuerit aliquod propriè dictum Sacramentum. 17

Prima sententia absolutè negat fuisse tunc aliquod propriè dictum Sacramentum. Ita D. Bonauent. in 4. d. 1. artic. 1. q. 2. Sotus d. 2. q. 1. a. 4. §. *His tamen nihil.* Rario præcipua est: quia nullum fuit tunc externum signum gratiæ iustificantis à Deo institutum, sine quo non potest consistere ratio Sacramenti, quod præcipuè probant; quia si fuisset aliquod tale signum, maximè aliquod fuisset institutũ ad sanctificationem paruulorum: sed nullum tale fuit institutum (nam ad horum sanctificationem sola fides interna sufficiebat) ergo simpliciter nullum fuit tale signum. Minorem autem probant: Primò, quia multi Patres dicunt solam fidem internam tunc suffecisse. Secundò, quia cum nec ex Scriptura, nec ex traditione, nec ex Patribus constet tale aliquod signum fuisse requisitum, frustra quis id conatur asserere. *D. Bonau. Sotus.*

Secunda sententia docet illos paruulos fuisse iustificatos per verum Sacramentum. Ita Gabriel in 4. d. 1. q. 2. ar. 3. concl. 2. Paludanus ibidem, quæst. 5. art. 5. concluſ. 2. Scotus ibidem, quæst. 7. concluſ. 4. Suarez hîc, d. 4. sect. 2. Probatur Primò auctoritate D. Thomæ hîc. Secundò, quia D. Augustinus lib. 5. contra Iulianum cap. 9. initio hoc expressè docet, ait enim: *Nec ideò tamen credendum est, & ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem iis inerat* 18 *Gabriel. Paludan. Scotus. Suarez. Augustin.*

mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento eius opitulatos fuiſſe parvulis ſuis: quamvis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa Scriptura latere voluerit. Vbi omnino videtur vocare Sacramentum, ſignum aliquod externum; quia confert illud cum baptiſmo, circumciſione & ſacrificiis, & maximè quia dicit Scripturam voluiſſe nos latere quid illud Sacramentum eſſet, quod non poteſt dici niſi de actu externo; nam de interno apertè tam ipſe quàm alij fatentur fuiſſe actum fidei. Quare omnino credo D. Auguſtin. exiſtimaſſe illud Sacramentum conſtitiſſe aliquo ſigno externo. Vnde etiam ſequitur fuiſſe propriè dictum Sacramentum. Similia habet lib. 2. de nuptiis & concup. c. 12.

19 Probatur tertiò, quia ante circumciſionem fideles habebant aliquod remedium, quo poſſent parvulos à peccato originali liberare, idque à Deo inſtitutum (quia ipſe ſolus poterat tale quid inſtituere, ſicut ſolus poterat à peccato liberare.) Atqui hoc remedium conſtabat ſigno aliquo externo. Ergo erat verum Sacramentum: Maior communiter à Theologis recipitur. *Suarez.* Minorem fusè probat Suarez ſuprà, ſed rationes ferè coincidunt cum ea, qua D. Thomas hic artic. 1. & 3. docet Sacramenta homini eſſe neceſſaria ſcilicet, quia decet eos qui perducuntur ad iuſtitiam non ſolùm actu interno, ſed etiam externo fidem ſuam per ſe, vel alios profiteri. Quibus adde ſecundò, aliàs nullam futuram fuiſſe cautam cur tunc illud remedium non potuerit applicari infantibus adhuc in vtero exiſtentibus ſtatim poſt animationem, cùm fides interna tam iis quàm iam natis potuerit applicari, atque ita omnes potuiſſent ſanctificari in vtero. quod omnino eſt inauditum. Nec ſatisfacit ſi dicas, debere nos priùs naſci quàm renaſci. hoc enim verum non eſt, niſi quatenus nobis aliter non poteſt neceſſarium remedium applicari: nam ſi quacumque ratione infans exiſtens adhuc in vtero poſſit baptizari, verè inſtificabimur: vt ſuo loco dicemus. Tertiò, quia ſi Deus vnquam voluiſſet inſtituere aliquod remedium merè ſpirituale, quo homo potuiſſet ſine propria diſpoſitione iuſtificari, maximè id feciſſet in lege gratiæ, quæ eſt maximè ſpiritualis.

20 Nota primò, dupliciter potuiſſe Deum eiuſmodi ritum inſtituere. Primò, per externam aliquam reuelationem, Adamo indicando ipſum eiúſque poſteros poſſe ſuos parvulos liberare à peccato originali per fidem in Mediatorem externo actu expreſſam, ſimulque præſcribendo in ſpecie ipſum ritum quo id fieret, & iubendo vt ipſum poſteris traderet. Secundò, relinquendo ei aliiſque liberum, vt quo vellent ritu vterentur, modò eſſet talis qui aliquo modo internam fidem exprimeret, cúmque infanti exteriùs applicaret. Secundam partem multi cum D. Thoma hic amplectuntur: rationes tamen, quibus mouentur, facilè poſſunt ſolui.

D. Thom.

21 Huic autem ſententiæ maximè videtur obſtare, quòd quidam Patres dicant illos infantes per ſolam fidem parentum fuiſſe iuſtificatos. Sed reſpondetur eos id dicere, Primò, quia ante circumciſionem nullum erat ſignum externum in Scriptura determinatè expreſſum, quo fides parentum debebat pueris applicari. Secundò, quia probabile eſt, non fuiſſe requiſitum vllum ſignum determinatum in ſpecie, ſicut fuit circumciſio: & ideò dicunt ſolam fidem eos iuſtificaſſe; quia ſola fides determinatè requirebatur. Tertiò, & meliùs, quia ſignum illud externum nihil erat aliud niſi externus actus fidei, ſiue huius externa proteſtatio, ideóque eum ſimul cum interno comprehendunt ſub nomine fidei: quia reuera actus fidei eſt. Quæ reſponſio clarior eſt & habet locum, ſiue dicas requiſitum fuiſſe aliquod ſignum determinatum in ſpecie, ſiue non. Secùs eſt de circumciſione, quæ ſecundùm ſe ſpectata non tam erat proteſtatio fidei, quàm ſignum, quo poſteri Abrahæ ab aliis diſtinguerentur.

Quæ ratione aliqui dicãt in lege naturæ infantes ſola parentum fide fuiſſe ſalvatos.

Et his patet, poſita veritate illius ſententiæ, quòd 22
in lege naturæ fuerit aliquod remedium à Deo conſticutum, quo parvuli poſſent liberari à peccato originali (de quo agemus quæſtione 62. articulo 6.) verius eſſe, hoc conſtitiſſe aliquo ſigno externo, & conſequenter fuiſſe propriè dictum Sacramentum. Hoc enim poſito nihil ei ad rationem Sacramenti potuit deeſſe. Probatur, Quia cùm, vt infrà dicemus, aſſertio illius remedij tota nitatur auctoritate Diui Auguſtini, *D. Auguſt.* qui primus hoc aſſeruit, quale id fuerit, præcipuè ex eodem Auguſtino debemus diſcere, qui, vt oſtendi ſuprà, apertè id vocat Sacramentum, & inſinuat conſtitiſſe ſigno externo, dum dicit nos latere quidnam id fuerit, quod dici nequit de actu interno fidei. Imò plus his verbis videtur mihi ſanctus Auguſtinus voluiſſe innuere, ſcilicet, hoc ſignum fuiſſe certum ac determinatum. Nec enim latet nos quid illud Sacramentum fuerit in genere (ſcimus enim fuiſſe cæremoniam aliquam religioſam) ſed ignoramus quale fuerit in particulari. Hanc ſententiam ſequitur Bel- *Bellarm.* larm. lib. 1. de Sacram. cap. 21. in fine primæ propoſitionis. Sed hæc poſſumus quidem in vtramque partem diſputare: quid tamen verius ſit, difficile eſt definire.

Tertia difficultas eſt; Vtrùm præter hoc Sacramen- 23
tum aliquod aliud fuerit? Affirmant Guido Brianſon *Guido Brianſon. Gaſpar. Cardos. D. Antonin. Paludan.* in 4. q. 1. concl. 3. corr. 3. Gloſſa c. *Quod autem*, d. 4. de conſec. Can. in relect. p. 3. §. *In hac* D. Antoninus p. 3. tit. 14. c. 2. §. 4. Palud. in 4. d. 1. q. 5 a. 5.

Plurimi id negant, ſaltem de Sacramentis omni- *Suarez. Haleñſis.* bus fidelibus communibus. Suarez d. 4. ſect. 4. §. *Dico* 2. Halenſis p. 4. q. 1. memb. 3. a. 3. §. 1. Aliqui tamen voluũt quædam Sacramenta fuiſſe inſtituta quibuſdam familiis, vel populis propria; taléque fuiſſe panem & vinum à Melchiſedec oblata. Zecchus de Sacram. in *Zechus.* gen. cap. 4. conc. 3. Quia Patres docent per hæc ſignificatam fuiſſe Venerabilem Euchariſtiam. Secundam hanc partem inſinuat D. Thom. a. 3. ad 3. *D. Thom.*

Sed etiam hæc res patitur difficultatem. Nam cùm 24
fuerint tunc vera ſacrificia, cur negemus fuiſſe veros ſacerdotes celebri aliqua cæremonia conſecratos, præſertim illos, qui publico omnium nomine ſacrificia offerebant? aut cur negemus eiuſmodi cæremoniã fuiſſe Sacramentum, cùm credibile ſit diuino inſtinctu fuiſſe inſtitutam ad moralem ſanctificationem conferendam, & veram ſignificandam? ita Valent. d. 3. *Valentia. Adamus.* q. 2. puncto 2. & Alanus de Sacr. c. 27.

Nec refert quòd nihil tale in Scripturis legimus, quia nihil etiam legimus de illo alio Sacramento, quo parvuli iuſtificabantur. Et ſanè ex Scriptura, quæ docet tunc aliquos fuiſſe veros ſacerdotes Dei altiſſimi, poſſumus aliquo modo colligere, eoſdem fuiſſe aliquibus cæremoniis Deo conſecratos; & vt credibile eſt, ex diuino inſtinctu, vel etiam reuelatione.

Idem etiam licet conijcere ex omnium gentium ritu, quæ ſuos ſacerdotes ſolenni ritu conſecrare ſolebant: vt oſtendi art. 1. Nec hinc (vt aliqui putant) ſequetur in noua lege ſacramentalia fore Sacramenta. quia iam neceſſarium eſt ad rationem Sacramenti, vt conferat gratiam, quod tunc non erat neceſſarium: vt patet ex dictis quæſt. 60. art. 4. in explicatione definitionis Sacramenti. Sunt tamen omnes hæ coniecturæ valdè incertæ: ſicur etiam eæ, quæ adferuntur pro ſecunda parte; quæ nihil aliud conuincunt, quàm oblationem illam Melchiſedec fuiſſe Sacramentum latè ſumptum, pro quouis ſigno rei ſacræ, quia nullo modo probatur, homines, ſumptione illius panis & vini, fuiſſe aliqua ratione, ſaltem legaliter, ſanctificatos. quod neceſſarium eſt ad rationem Sacramenti. imò hoc non eſt valdè credibile.

25 Quarta difficultas est. Quænam Sacramenta fuerint in veteri lege?

Circumcisio fuit verum Sacramentum.

Hac in re conuenit inter omnes, circumcisionem fuisse verum Sacramentum. Nam siue conferret gratiam, siue non (de quo agemus quæst. 62. ar. 6.) certum est significasse baptismum, & gratiam per eum dandam, & contulisse sanctitatem quandam legalem. Et quamuis circumcisio fuerit diu ante legem institura, ideoque dicatur Ioann. 7. non esse ex Moyse, sed ex Patribus; tamen quia illi populo, cui vetus lex fuit data, particulatim fuit præcepta, inter Sacramenta illius legis communiter numeratur.

Ioan. 7.

Præter hanc: triplicis generis Sacramenta illius legis numerat sanctus Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 5. Primi generis erat consecratio sacerdotum. Secundi generis erat esus agni paschalis, qui repræsentabat Venerabilem Eucharistiam. Et sicut hæc auget gratiam acceptam per baptismum: ita illius esus confirmabat, & quadam ratione augebat legalem sanctitatem acceptam per circumcisionem, qua circumcisi adscribebantur in populum Dei peculiarem: per immolationem autem & esum agni, & agebant Deo gratias pro liberatione ex seruitute Ægyptiaca; & testabantur se esse ex illo populo Deo peculiariter consecrato, & magis Deo se obligabant & consecrabant. Tertij generis erant lustrationes quædam, quibus Iudæi ab immunditiis legalibus purgabantur. Vide D. Thom. suprà citatum.

D. Thom.

Sacramenta veteris triplicis generis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm post Christum debuerint esse aliqua Sacramenta?

26 ARTICVLO IIII. docet etiam in lege noua homini necessaria fuisse Sacramenta quæ passionem Christi factam significarent, eámque hominibus efficaciter applicarent.

Nota, institutionem nostrorum Sacramentorum fuisse hominum saluti conuenientissimam, vt per ea paruo labore magnam gratiam consequantur: & posita eorum institutione, eorum vsum esse omnino necessarium: vt definit Trident. sess. 7. can. 4. Pro quo Nota dupliciter aliquid esse necessarium ad salutem. Primò necessitate medij, sine quo nulla ratione salutem possis consequi, etsi nulla tua culpa eo careas: ita necessaria adultis est fides. Secundò, necessitate præcepti, sine quo pores quidem absolutè salutem consequi, si sine tua culpa eo careas: peccas tamen, si tua culpa id omittas. Baptismus 27 est necessarius necessitate medij singulis in re, vel in voto: & similiter Pœnitentia relapsis in peccatum mortale. Ordo in re necessarius est toti Ecclesiæ, sicut & Matrimonium ad legitimam populi Christiani per generationem propagationem. Necessitate præcepti necessarius est singulis Baptismus in re, sicut & Pœnitentia relapsis, & Eucharistia ratione vtentibus. At Confirmatio iam incipientibus ratione vti, & Extrema vnctio periculosè ægrotantibus necessaria sunt ad bene esse: sine peccato tamen, modò absit contemptus, omittuntur. Sed hæc fusiùs & commodiùs dicemus, dum de singulis tractabimus.

Trident. Potest aliquid dupliciter esse necessarium ad salutem.

Disputant autem hîc aliqui de excellentia nostrorum Sacramentorum supra vetera; sed hoc commodiùs faciemus quæst. sequendum agemus de efficacitate vtrorumque in gratia conferenda, qua nostra præcipuè illa excellunt. Quamuis etiam Ven. Eucharistia illa infinities excellat, ratione rei contentæ, scilicet Christi Domini, qui Deus & homo realiter in ea præsens est.

QVÆSTIO LXII.

DE PRINCIPALI EFFECTV SACRAMENTORVM.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Sacramenta causent gratiam?

1 ARTICVLO I. docet Sacramenta non causare gratiam tanquam causas principales, quia hoc solius Dei est, sed tanquam causas instrumentales. Tam in corpore articuli, quàm in responsione ad 2. sunt quædam notatu digna, & nonnihil difficilia; sed hæc melius examinabuntur artic. 4. vbi disputabimus an Sacramenta producant physicè gratiam.

DVBIVM I.

An Sacramenta nouæ legis causent gratiam ex opere operato?

2 NOta Primò, inter omnes Catholicos conuenire de veritate huius quæstionis. Est enim expressè definita à Trident. sess. 7. can. 8. Sed difficultas est cum hæreticis nostri temporis, qui quantumuis vim Sacramentorum verbis sæpe multùm attollant; re ipsa tamen, non minùs quàm olim Messaliani, eam penitus tollunt, nec maiorem iis tribuunt virtutem, quàm cuiuis concioni. Et quamuis explicantes vim Sacramentorum & modum causandi gratiam, & inter se, & singuli ipsi secum sæpe pugnent (vt ex eorum verbis docet Bellarm. l. 2. de Sacram. 2. 2.) tamen in hoc conueniunt omnes, quòd pertinacissimè negent ea causare gratiam ex opere operato, siue immediatè eam efficiendo: sed tantùm volunt ea hanc causare mediante fide, quam excitant; sicut etiam concio eandem causat, 1 uendo homines ad fidem & contritionem.

Trident.

Bellarm.

Nota Secundò, vt facilius nos oppugnent, eos mutare totum statum quæstionis, & fingere nos ea dicere, quæ nunquam Catholicus cogitauit; scilicet Sacramenta tanquam causas principales producere gratiam Deo nihil agente, sed omnes suas partes iis resignante. quod quàm sit falsum, nemo, qui vel minimùm in scriptis Theologorum versatus est, potest ignorare.

3 Hæreticorum fraus.

Secundò, grauiter inuehuntur in modum loquendi quo dicimus Sacramenta conferre gratiam ex ope-

Hæretici Grammaticam magis curant quàm Theologiam.

re operato, vocántque barbarum, & portentum verborum. Sed grammaticuli more suo agunt, qui pluris faciunt præcepta Donati, quàm Dei; & maiori dedecori sibi ducunt, si dixerint *ominem*, quàm si occiderint hominem: vt de similibus testatur & queritur D. Aug.

D. Augst.

lib. 1. Confess. c. 18. Quamuis autem ea oratio non sit ita latina, est tamen satis antiqua. Nam ante annos

Innocent. 3.

400. eam vsurpauit Innocentius 3. l. 3. de Mysterio Missæ, & ab eo tempore à Theologis communi vsu receptissima est: quia aptissima ad explicandam virtutem & modum operandi Sacramentorum. Tanti autem temporis vsus potuit legitimè præscribere, ne illa oratio ampliùs vt barbara reiicienda sit; quia etiam

Horatius, Cicero.

olim apud Romanos (teste Horatio) vsus multa noua verba inuenit, & alia antiquauit. Et ipse Cicero in Tusculanis de se testatur, se multa verba primò vsurpasse, & quædam quæ priùs dura & barbara reputabantur, ipso vsu molliora fa-a esse: qualia ait esse *beatitudinem & beatitatem*. Vnde etiam D. Augustinus in psal.

Augst.

138. quò faciliùs intelligeretur, pro *os ossis*, dixit, *ossum ossi. quia melius est*, inquit, *vt reprehendant nos grammatici, quàm non intelligant populi.*

Tertiò, fingunt istarum vocum duas explicationes non modò omnino falsas, sed inter se directè pugnantes. Prior dicit nos per eas voces significare Sacramenta habere vim causandi gratiam ex dignitate & merito ea suscipientis, aut conferentis. Secunda docet nos per eas significare, Sacramenta etiam conferre gratiam iis, qui post commissum peccatum mortale, ea sine vlla fide aut bono motu suscipiunt. Quæ quàm falsa sint, Catholici omnes sciunt, & statim patebit.

4 Quid sit Sacramenta causare gratiam ex opere operato.

Nota Tertiò, Sacramenta causare gratiam ex opere operato, idem esse atque eam causare in omni suscipiente sufficienter dispositio, sine non habente obicem, non per modum meriti, & prout habent rationem actionis laudabilis, sed prout considerantur secundùm entitatem suam, & quatenus habent rationem entis quodammodo naturaliter operantis, abstrahendo ab omni dignitate conferentis, & merito suscipientis. Hinc baptismus collatus irreligiosè ab impio sacerdote infanti, confert huic tantam gratiam, quantam conferret, si à pio magna cum religione conferretur, cùm tamen conferens peccet mortaliter, & suscipiens se merè passiuè habeat.

Quid sit causare gratiam ex opere operantis.

Contrà verò illud opus dicitur causare gratiam ex opere operantis, quod eam causat, quatenus est actio laudabilis, & veræ virtutis, habénsque rationem meriti saltem de congruo. Nec in hac re est vlla dissensio inter Catholicos; etsi sine vllo fundamento hæretici contrarium calumnientur.

5

Nota Quartò, sicut vt ignis producat ignem, requirit aliquam dispositionē præviam; vel saltem non repugnantiam in ipsa materia: ita etiam Sacramenta,

[redacted] ratio. Sacra- [redacted] enta pen- [redacted] deant à dis- positione suscipientis.

vt suum operentur effectum, requirunt vt in suscipiente nullus sit obex, siue impedimentum gratiæ; qualis in adultis est infidelitas, & omne actuale peccatum mortale, nullo modo per veram dispicentiam reuocatum. Quare in his requiritur vera fides in intellectu, qua tollatur infidelitas, & auersio à peccato in voluntate. De quibus agemus dubio sequenti. Hi tamen actus non sunt necessariò tales, vt absente Sacramento ex iis sequeretur gratia, eiúsque augmentum, nec effectiuè concurrunt ad productionem gratiæ; sed hanc solùm Sacramentum causat, vt instrumentum Dei: sicut dispositiones prærequisitæ ad introductionem formæ ignis (saltem secundum probabilem sententiam) hanc effectiuè non producunt, sed solus ignis. Sicut tamen ignis eo celeriùs & perfectiùs agit, quo reperit materiam meliùs dispositam; ita Sacramenta perfectiorem producunt gratiam, quo suscipiens est meliùs dispositus.

6

Hanc rationem Sacramentorum producendi gratiam, etsi non iisdem verbis, æquivalentibus tamen expressit D. Augustinus l. 4. de baptismo contra Donatistas c. 24. vbi ait: *Cur ergo ei præceptum est, vt omnem decimum infantum masculum octauo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, vt ei deputaretur ad iustitiam, nisi quia & ipsum per se ipsum Sacramentum plurimùm valebat?* scilicet ad gratiam producendam, & peccati originalis remissionem. Item l. 1. de peccat. merit. & remiss. cùm docuisset infantes delatos ad baptismum per gestantes & fidem profiteri, & diabolo renunciare, & sic aliquo modo & fideles & pœnitentes dici, subiungit: *Totum hoc in ipse fit vt Sacramenti, & diuinæ gratiæ, quam Dominus donauit Ecclesiæ.* q. d. Totum hoc, scilicet vt paruuli credant & diabolo renuncient non quidem actu eliciro, sed habitu infuso & inclinatione, quæ dat causam sperandi eos actu idem aliquando facturos, fit vi Sacramenti, & diuinæ gratiæ, quàm scilicet infusam accipiunt; & quam dat Deus Ecclesiæ, quatenus dat huius ministris potestatem conferendi paruulis Sacramenta, & per hæc ipsam gratiam. Quid autem est, Sacramentum ad talia per seipsum multùm valere, & ea vi Sacramenti fieri, nisi ipsum ea ex opere operato facere, iuxta sensum à nobis explicatum? Vbi Nota D. Augustinum in priore loco videri tribuere circumcisioni perfectam vim iustificandi ex opere operato, & eam conferre baptismo: quod tamen cum limitatione aliqua intelligendum est, vt dicemus art. 6.

Augst.

7 Hæreticorū sententia de virtute Sacramentorum.

Nota Quintò, hæreticos fateri quidem Sacramenta causare gratiam siue remissionem peccatorum sine vllo merito conferentis aut suscipientis; volunt tamen ea hoc tantùm facere mediante fide, quam illa excitant, quáque tanquam quadam manu iustitiam à Deo promissam apprehendimus, simili modo atque concio causat gratiam. Nos autem dicimus ea immediatè per se causare gratiam, licèt tanquam causas minùs principales & instrumentales, siue physicè, siue tantùm moraliter ad gratiæ productionem concurrant: quod ad præsentem quæstionem est impertinens in qua solùm id, in quo omnes Catholici consentiunt, & quod fides docet, contra hæreticos intendimus defendere. Necenim vnquam Concilium Tridentinum, aut Doctores Catholici intenderunt tanquam rem fidei definire, Sacramenta physicè gratiam producere: sed vtraque pars tanquam probabilis defenditur, & sine dispendio fidei ignoratur, quidquid in contrarium hæretici oblatrent.

Trident.

8 Ipsa inuolvit implicantiam.

Adde, dictam hæreticorum sententiam inuoluere duplicem contradictionem, dum aiunt Sacramenta causare remissionem peccati mediante fide sine vllo merito suscipientis. Primò, quia illa fides est actio laudabilis: ergo habet aliquam rationem meriti, saltem de congruo. quare cùm sit immediata causa iustificationis, hæc causabitur per modum meriti. Secundò, quia dicunt fidem illam debere esse talem qua credamus peccata nobis esse remissa; quomodo ergo potest causare remissionem, quam supponit factam?

9 Deus causa principalis gratiæ.

Conclvsio I. Solus Deus, vt causa principalis producit gratiam, ac peccata remittit. Ita Trident. sess. 6. cap. 7. Nec in hac re vlla est controuersia inter Catholicos & hæreticos, nisi quòd ipsi nos calumnientur, quasi contrarium doceremus; sed falsissimè & impudentissimè.

Tridant.

Sacramenta minùs principalis.

Conclvs. II. Sacramenta nouæ legis tanquam causæ minus principales & instrumentales, verè propriè, & immediatè producunt gratiam. Ita olim definiuerunt Concilium Arausican. can. 25. Mileuit. c. 2. & deinde Florent. in litteris Eugenij de vnione Armenorum, & nouissimè Trident. sess. 7. can. 8.

Arausican. Mileuit. Florentin. Tridet. Ioan. 7.

Probatur ex Scripturis. Primò, Io. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Sp. sancto, non potest introire in regnum Dei.* Vbi expressè tribuitur baptismo vis rege-

perandi, quod non fit, nisi per infusionem gratiæ & remissionem peccati. Resp. Caluinus hîc non dicit baptismum nos regenerare, sed Spiritum sanctum, qui dicitur aqua, quia instar aquæ mundat. Sed friuolum hoc esse patet Primò, quia est contra communem sensum totius Ecclesiæ, quæ hactenus aliter hunc locum intellexit. Secundò, quia Christus tribuens Spiritui sancto vim regenerandi malè eum comparasset aquæ, sed debuisset eum comparare semini, nisi voluisset per ipsam aquam, siue ablutionem ipsam, regenerationem fieri. Tertiò, quia est contra Apostolum, qui ad Tit. capit. 3. alludens ad verba Christi Nicodemo dicta, ait, saluos nos factos per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti. Per lauacrum autem nihil posse aliud intelligi quam baptismum, clarissimè patet, tum ex vi & significatione nominis, quod propriè baptismum significat: tum ex simili loco Pauli ad Ephes. 5. vbi dicit Christum mundare Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ. Vbi clarissimum est per lauacrum aquæ nihil aliud posse intelligi quàm baptismum.

Caluinus. *Tit. 3.* *Ephes. 5.*

20 Dices, hoc loco non tribui vim mundandi ipsi lauacro, sed verbo vitæ, quo fides excitatur. Sed hoc in primis nihil facit ad rem. quia ex loco iam citato tantùm intendimus probare, Apostolum per lauacrum intelligere ipsum baptismum, & consequenter dum ad Titum vocat eum lauacrum regenerationis, tribuere ei vim regenerandi, idémque fecisse Christum Ioan. 3. Secundò, falsum etiam sumitur. Nisi enim ipsi lotioni tribueretur vis mundandi, vt parti ipsius Sacramenti, malè diceremur mundari lauacro aquæ. Additur autem *in verbo vitæ*, quia ablutio separata à forma, nihil potest operari. Vt enim baptismus habeat vim mundandi animam, necessariò debet conferri cum expressa inuocatione Trinitatis, quæ hîc dicitur verbum vitæ, quia vnà cum ablutione vitam confert baptizato.

11 Secundò probatur, quia 2. Per. 3. dicitur: *Quod & vos nunc similes formæ saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium* (id est, non tantùm abluendo exteriùs sordes corporis, vt faciebant baptismata Iudæorum) *sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum* (id est, sed mundando interiùs animam à peccatis; ita vt dum Deus conscientiam nostram interrogat, siue examinat, vel nos eam coram Deo examinamus, reperiatur bona & pura à peccatis) *per resurrectionem Iesu Christi*, scilicet factam in nobis baptizatis. quia, vt docet Apostolus ad Rom. 6. in baptismo per depositionem veteris hominis Christo quasi commorimur & consepelimur, & induentes nouum hominem & vitæ pietatem cum Christo resurgimus. Hunc enim esse verum sensum illius loci, non autem eum quem hæritici confingunt, clarè patet ex ipso contextu & proprietate verborum, aliisque Scripturæ locis, quibus similes effectus baptismo tribuuntur.

1. Pet. 3. *Rom. 6.*

12 Tertiò, quia Actor. 8. & 2. ad Cor. 2. dicitur, per impositionem manuum dari Spiritum sanctum, siue gratiam Spiritus sancti.

Act. 8. 2. Cor. 2.

Quartò, quia Ioann. 20. datur Apostolis potestas remittendi peccata, scilicet per Sacramentum pœnitentiæ: vt suo loco pluribus ostendemus. *Ioan. 20.*

13 Quibus locis, cùm in proprietate sermonis apertè significetur per Sacramenta remitti peccata, & gratiam conferri, impudentis omnino est id negare; præsertim cùm tota Ecclesia sic semper ea intellexerit, nec vlla sit ratio dicendi contrarium.

14 Hæreticorum responsio contradictionem involuens. Respondent hærerici, his locis significati quidem Sacramenta causare gratiam, siue remissionem peccati, sed non aliter quàm excitando fidem. Sed hæc repugnant eorum principiis, & apertæ rationi; vt patet ex dictis suprà, & confirmatur. Primò, quia ipsi dicunt Sacramenta esse figilla iustitiæ iam antè per fidem apprehensæ: ergo ipsa supponunt iam fidem & iustitiam esse in suscipiente, & consequenter malè dicuntur hanc causare excitando fidem, quia iustitia apprehendatur. Sicut si diceres motum animalem, qui est signum vitæ iam acquisitæ, esse causam eiusdem acquirendæ.

Nec refert quòd respiratio simul sit signum vitæ, eiusque causa: quia non est causa vitæ acquirendæ, sed conseruandæ: Sacramenta autem debent esse causa remissionis peccatorum, & consequenter vitæ acquirendæ.

Secundò, quia Sacramenta iustificant etiam infantes, in quibus non possunt excitare fidem, cùm non possint intelligere quid Sacramenta illa significent, nec sint capaces actus fidei: ergo debent in his immediatè ipsam gratiam & remissionem peccati causare.

15 Lutheranorum ridicula responsio. D. August. Respondent quidam Lutherani, infantibus pro eo tempore concedi vsum rationis, cósque verè actu credere. Sed hoc ridiculum est, & contra experientiam, ita vt talia affirmantes (sicut dicit quodam loco D. August.) faciant iniuriam humanis sensibus. Nam videmus sæpissimè infantes dum baptizantur, flendo & reluctando, prout possunt, ostendere se inuitos ea pati: quod nullo modo facerent, si intelligerent quantum boni iis præsterur: aut si hoc intelligentes nihilominus illud agant, impij profectò & sacrilegi sunt, qui Sacramentum contemnunt, nec tam eo mundantur, quàm inquinantur: sicut potiùs inquinaretur adultus, qui renuens, & quantum posset refugiens baptizaretur. Et sicut malè faceret qui hunc baptizaret: ita & qui illos baptizaret, si intelligerent quid agerent.

Tertiò, secundùm illam sententiam non esset opus singulos baptizare. Nam baptizato astantes tam possunt excitari ad fidem, quam ipse baptizatus: sicut non est opus pro singulis habere diuersas conciones. Item quoties aliquis nonnihil vacillaret in fide, toties deberet iterum baptizari vt ad fidem excitaretur, & in ea confirmaretur: sicut ob illam causam debet sæpiùs conciones audire.

Quartò, quia inde sequitur baptismũ Ioannis tantæ esse excellentiæ & efficaciæ, quantæ est baptismus Christi; & Sacramenta vetera paria esse nouis: quia illa tam sunt nata excitare fidem, quam hæc. Et quamuis illi totum concedant, id tamen agunt apertè contra Scripturas, & cum ingenti contumelia nouæ legis, & gratiæ Christi.

Hæretici apertè Scripturis contradicunt, ac legi gratiæ contumelioſi sunt, 16

Primò, quia Scriptura passim deprimit Sacramenta legis veteris comparata cum nostris, vocátque illa infirma & egena elementa: munditias carnis, quæ non valent mundare conscientias: vmbras futurorum, ac nihil. ad Galat. 4. ad Hebr. 9. 1. ad Corinth. 7. & alibi. De Sacramentis verò nouæ legis vbique contrarium dicit: per ea scilicet nos regenerari, mundari, saluos fieri; per ea dari Spiritum sanctum, remitti & ablui peccata, &c. vt patet ex locis suprà citatis. quæ sanè nescio qua ratione possint verè & cordatè dici, si vtraque sint paria.

Galat. 2. Hebr. 9. 1. Cor. 7.

Secundò, quia Ioannes comparans suum baptismum cum baptismo Christi Marci 1. ait: *Ego baptizaui vos, aqua, ille*, scilicet Christus, *baptizabit vos Spiritu sancto*. Quia hic nimirum suo baptismo Spiritum sanctum conferet. Respondent hæc ideo dici, quia Ioannes tantùm poterat externam ablutionem adhibere, Christus verò interiùs abluebat infundendo Spiritum sanctum etiam iis, quos Ioannes baptizabat. Sed hoc nullo modo dici potest, tum quia est apertè contra contextum, vbi non tam personæ, quàm vtriusque baptismus confertur: tum quia sic non debuisset dicere, *ille vos baptizabit*, sed *ille vos baptizat*: tum etiam quia baptizati baptismo Ioannis debebant iterum baptizari baptismo Christi: vt patet Act. 19. Vbi cùm Paulus

17 *Marci 1.* *Act. 19.*

Paulus repetiſſet quoſdam diſcipulos, qui dicebant ſe ſolum baptizatos eſſe baptiſmate Ioannis, iuſſit eos ſecundò baptizari baptiſmo Chriſti. Quare aut hoc baptiſma fuit illo præſtantius; aut Paulus fuit Anabaptiſta: imò fuit peior Anabaptiſtis: quia hi non reiterant baptiſmum, quem credunt fuiſſe legitimum. Reſpondent hæretici Paulum non curaſſe eos verè ſecundò baptizari; ſed dici ibi baptizatos, quia acceperunt Spiritum ſanctum per manus impoſitionem, vt dicitur verbis ſequentibus. Sed ſi liceat ita nugari in Scripturis, & per quoduis verbum quidlibet intelligere, quid tandem firmum ex ea poterit colligi? Quid enim clarius verbis D. Lucæ loco citato? vbi ait: *His auditis baptizati ſunt* (ſcilicet illi diſcipuli) *in nomine Domini Ieſu: & cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos*, &c. Quomodo potuiſſet D. Lucas clariùs hos actus diſtinguere, & dicere vnum præceſſiſſe alterum? At quis vnquam, aut in ſacris Litteris, aut aliquo Scriptore ſanæ mentis ſimilem phraſim reperit, vt verba ex Actis recitata idem ſignificent, atque hæc: *His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu, id eſt, Paulus impoſuit illis manus, & venit ſuper eos ſpiritus ſanctus.* Et quid mirum ſi eiuſmodi tenebriones ſemper ad Scripturam prouocent, eáque iudice nunquam videantur ſibi poſſe cauſa cadere? Quid enim tam poteſt cum Scriptura pugnare, quod hac ratione ex ea non probabunt? Quæ Scripturæ verba tam clara contra eos adferri poſſent, quæ non eadem facilitate obtorto collo in ſuum ſenſum abripient? Cùm igitur hæc in Scripturam audeant, quid mirum ſi verba Scholaſticorum vno ore dicentium, Deum ſolum eſſe cauſam principalem gratiæ; Sacramenta verò ſolùm eſſe cauſas inſtrumentales; ita intelligant ac ſi dicerent hæc, vt cauſas principales, Deo vices ſuas ipſis reſignante, gratiam producere? Sic nimirum placet illis, quibus pro ratione libido eſt.

Scripturas mala fide explicant.

Cur Scripturam controuerſiarum iudicem expectant.

18 Liceret adferre hîc plurimas Patrum auctoritates: ſed neſcio an poſſent clariùs hanc quæſtionem definire, quàm definiant Scripturæ ſuprà allatæ. Eadem igitur ratione, qua illas verba Sanctorum facilè in ſuum ſenſum, ſi modò libeat, detorquebunt, aut ſi libuerit, cum Luthero libro contra Cochlæum dicent: *hominum eſſe verba ſibipſis ſæpe pugnantium, & pleraque humano ſenſu ex Scriptura docentium.* Aut cum Caluino l. 4. Inſtit. c. 14. dicent Patres eiuſmodi hyperbolicè dixiſſe. Tanti ſcilicet homines ſcioli ſanctos Patres faciunt. Sed quibus magis credendum ſit, facilè cordati iudicabunt.

Lutherus.

Caluinus.

Omiſſis igitur ſententiis ſingulorum Patrum, quas qui cupit videre, fusè citatas reperiet apud Bellarm. l. 2. de Sacram. c. 6. & 7. adferam vnanimem eorum omnium, atque totius Eccleſiæ conſenſum ex aliquot Conciliis depromptum.

Bellarm.

19 Conſtantinopolitanum l. in Symbolo ait: *Credimus vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum*: non dicit in pœnitentiam, ſicut de baptiſmo Ioannis ſed in remiſſionem peccatorum. Quod qua ratione intelligendum ſit explicat nobis Concil. Mileuit. c. 2. vbi loquens de infantibus ait: *Ideo in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in iis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* Nihil verbis his dici poteſt clarius.

Conſtantinopolitan.

Mileuit.

Arauſican.

Similiter Arauſicanum can. 25. docet ſecundùm Catholicam fidem credendum eſſe nos accipere per baptiſmum gratiam.

Florentin.

Item Florentinum, in quo Græci pariter ac Latini omnes conuenerunt, ait in eo differre noſtra Sacramenta à veteribus: quòd hæc tantùm gratiam ſignificabant; noſtra verò eam etiam contineant, ac dignè ſuſcipientibus conferant.

Trident.

Demum idem apertè fuit definitum in Trident. ſeſſ. 7. can. 8. de Sacramentis, quibus nihil addendum niſi illud Chriſti Matth. 18. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* *Matth. 18.*

Conclvsio III. Sacramenta noſtra producunt gratiam ex opere operato. Ita Trident. ſeſſ. 7. can. 8. & omnes catholici: & patet ex dictis. Quia producunt immediatè gratiam nullo habito reſpectu ad dignitatem vel meritum conferentis. In ſuſcipiente autem nullam requirunt diſpoſitionem, vt in paruulis: aut tantum requirunt eam ad tollendum obicem, non autem ad aliquod meritum. quod eſt propriè conferre gratiam ex opere operato, vt oſtendi initio dubij. 20

Obiiciunt hæretici. Primò, aliqua loca Scripturæ, vbi iuſtitia tribuitur fidei: ſed malè inde inferunt non tribuendam etiam Sacramentis, ſicut malè etiam inferrent non tribuendam caritati, aut meritis Chriſti. 21

Obiiciunt Secundò, Idem eſt nobis baptiſmus quod Hebræis circumciſio: ſed circumciſio erat illis tantùm ſignaculum iuſtitiæ fidei; vt ait Apoſtolus ad Rom. 4. ergo etiam nobis baptiſmus. *Rom. 4.*

Reſp. negando maiorem, & minorem. Circumciſio enim Apoſtolo 1. ad Cor. 7. nihil eſt. Ad Galat. 4. egenum elementum eſt; quæ nullibi de baptiſmo, ſed omnia contraria dicuntur, vt ſuprà oſtendi. Sed de his plura dicemus art. 6. *1. Cor. 7. Galat. 4.*

Minor etiam falſa eſt; quia circumciſio fuit ſoli Abrahamò ſignum iuſtitiæ acceptæ: aliis autem fuit data in ſignum circumciſionis cordis, quam per fidem in Chriſtum eiúſque gratiam debebant quærere: & quo diſtinguerentur ab aliis populis.

Obiiciunt Tertiò, Nemo poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus, quod etiam Luc. 5. ipſi Phariſæi ſatis intellexerunt, ait Zvvinglius: ergo non poſſunt peccata remitti per Sacramenta. Sed hinc patet quò dementiæ hæretici noſtræ ætatis venerint, qui plus credunt Phariſæis dicentibus; *Quis poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus?* quam ipſi Chriſto Ioan. 20. dicenti Apoſtolis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Remittit ergo peccata ſolus Deus auctoritate propria: ſacerdos verò auctoritate Dei, ab eo accepta. 22 *Luc. 5.* *Zvvingl.* *Ioan. 20.*

Obiiciunt deinde quædam loca Patrum; ſed partim nihil faciunt ad rem, partim ſi quid probant, tantùm probant Sacramenta non producere phyſicè gratiam; ſed ſolùm Deum. Teſtimonium autem D. Aug. ex tract. 80. in Ioan. ſuprà explicuimus q. 60. a. 7. *D. Aug.*

DVBIVM II.

Quam diſpoſitionem requirant Sacramenta in ſuſcipiente, vt producant gratiam?

HAnc quæſtionem multi tractant ſigillatim de ſingulis agendo; commodiùs tamen credidi eam hîc tractare: quia cum multa in hac diſpoſitione conueniant, breuiùs id fieri poterit, neque ſæpiùs eadem erunt repetenda. Deinde faciliùs intelligetur diuerſitas diſpoſitionum, quas diuerſa requirunt, ſi ſimul conferantur. 23

Nota Primò, nos non agere hîc de iis, qui nunquam vſi ſunt ratione, quia conſtat in iis nullam diſpoſitionem requiri. Sicut enim aliena voluntate peccauerunt: ita ſine proprio actu per baptiſmum iuſtificantur.

Nota Secundò, nos hîc non quærere quid requiratur in ſuſcipiente ad ſubſtantiam Sacramenti. De hoc enim agemus q. 64. a. 8. ſed quid requiratur in ſuſcipiente vt recipiat gratiam.

Nota Tertiò, dupliciter aliquid poſſe dici neceſſarium. Primò, neceſſitate medij; ita vt quacumque ratione eo careas, nullo modo poſſis conſequi effectum Sacramenti. Secundò, neceſſitate præcepti, ita ſcilicet vt pecces, ſcienter ſine eo ſuſcipiendo Sacramentum,

si tamen ob ignorantiam à peccato excuseris, suscipias fructum.

24 Sacramentorum effectus requirit fidem in suscipiente. *Hebr. 11.*

Nota Quartò, constare inter omnes, vt adultus suscipiat gratiam per Sacramentum, necessariò eum debere priùs habere fidem, sine qua, vt dicitur ad Hebr. 11. *impossibile est placere Deo.* Constat etiam debere habere aliquem pium motum voluntaris in Deum: quia adultum Deus in suam amicitiam non admittit, nisi ipse liberè hanc amplexetur. Dissentiunt tamen Doctores qualis hic motus debeat esse, præsertim in baptismo, & pœnitentia. Quinque sunt sententiæ. Prima docet, ad effectum baptismi sufficere solam voluntatem eum suscipiendi sine vlla pœnitentia. Hanc videtur tenere Caiet. infrà q. 86. a. 2. ad 1. argum. §. vlt. Secunda docet sufficere dolorem naturalem ad effectum baptismi. Ita Sotus in 4. d. 6. q. 1. a. 7. §. *At verò*; vbi videtur hanc sententiam tenere, quamuis non ita clarè. Tertia docet ad effectum cuiuslibet Sacramenti suscipiendum, in eo qui sibi conscius est peccati mortalis, requiri contritionem. Ita de baptismo Gabriel in 4. d. 4. q. 2. a. 2. post 4. concl. Et de pœnitentia Magister in 4. d. 18. littera H. quamuis d. 5. littera C, videatur contrarium sentire de baptismo. Quarta sententia tenet, ad effectum pœnitentiæ & baptismi sufficere attritionem, quando bona fide putatur contritio; secùs quando scitur tantùm esse attritio. Citatur pro hac sententia Nauarrus in Manuali c. 1. n. 37. Sed ipse n. 42. negat se id sentire. Sed si illis locis Nauarrus attentè legatur, satis apparebit, ipsum confusè planè loqui, eo quòd non satis cognosceret distinctionem inter contritionem & attritionem. Quinta sententia docet ad baptismi & pœnitentiæ fructum sufficere attritionem: ad reliqua Sacramenta per se loquendo requiri contritionem, quandoque tamen sufficere attritionem: & hæc hoc tempore est ferè communis sententia. ita D. Tho. in 4. d. 6. q. 1. a. 3. q. 1. ad 5. Durand. d. 4. q. 2. ad 2. Henriq. l. 1. c. 22. nu. 5. Suarez d. 7. sect. 4. §. *Occurrebat.* Vasquez disp. 158. c. 4. & alij. Citat. hìc aliqui sexto loco sententiam Gabrielis, qui docet quandoque remitti peccatum originale sine actuali mortali. sed hæc commodiùs refutabitur in materia de pœnitentia.

Caiet. *Soto.* *Gabriel, Magister.* *Nauar.* *D. Thom. Durand. Henriquez. Suarez. Vasquez.*

25 Quid sint contritio & attritio.

Nota Quintò, contritionem propriè dici dolorem de peccato conceptum ex amore Dei, siue quo dolemus de peccato vt summo malo præcisè quia displicet Deo. Attritio verò dicitur, qua dolemus de peccato ob alias causas, v. g. quia excludit à beatitudine, aut meretur æternas pœnas, &c. quæ vt vera & perfecta sit, debet includere in se absolutam detestationem omnium peccatorum mortalium saltem implicitam, & similem voluntatem numquam mortaliter peccandi in posterum: vt pluribus dicemus in materia de pœnitentia.

26 Dolor naturalis non sufficit. *Arausic. Milevit. Trident.*

Conclvs. I. Ad effectum Sacramenti numquam sufficit dolor, vel alia pia motio voluntatis merè naturalis. Videtur expressè definitum in Concilio Arausicano can. 7. & Milevitano c. 4. Vbi definitur nos nihil ad salutem pertinens posse cogitare, aut agere sicut oportet, *sine* gratia. Item in Trident. *sess. 6.* can. 3. vbi dicitur anathema dicenti, nos sine diuina gratia posse pœnitere sicut oportet, vt iustitiam assequamur. Certè si talis dolor sufficeret, sine gratia pœniteret nos vt oportet. Idem Concilium ibid. c. 3. 4. 5. & 6. describens modum, quo per baptismum peccator peruenit ad iustitiam, requirit ad omnes actus ad hoc disponentes gratiam diuinam. Quare non puto contrarium posse vlla ratione defendi.

27 Pœnitentia nõ requiritur in eo qui nullam habet peccatum actuale.

Conclvs. II. Si quis adultus veniens ad baptismum præter peccatum originale, nullum haberet peccatum mortale; non egeret propriè pœnitentia vel dolore, qui solùm necessarius est in eo, qui propria peccata commisit: necessarius tamen ei esset actus spei, aut alius hoc perfectior, Henriquez 2. c. 26. n. 3. Vasq. d. 128. c. 1. n. 2. Suarez disp. 28. sect. 1. §. *Dico* 2. Colligitur apertè ex illo ad Hebr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Quare enim oportet eum hoc secundum credere, nisi vt in Deo sperer?

Henriquez. Vasquez. Suarez. Hebr. 11.

Ratio est quia Deus ratione venientes non recipit in suam amicitiam, nisi hanc seriò expetant, cum proposito in ea constanter perseuerandi, quod omnino æquissimum est, quia etiam homines quiuis cordati indignos iudicant sua amicitia eos qui hanc sine tali proposito expetunt, quantò igitur magis tales indigni sunt diuina amicitia? Ad illud autem necessarius est actus spei, vel caritatis, quo tantum bonum dignè amemus; vt per se patet. Quia alius actus virtutis ex se efficax & constans assignari nequit.

28 Requiritur in iis qui habent peccatum actuale. *Trident.*

Conclvs. III. Ei, qui commisit aliquando peccatum aliquod mortale, quod nondum est remissum, ad Sacramenti fructum percipiendum necessaria est pœnitentia. Videtur expressè definita in Trid. sess. 14. c. 4. vbi ait: *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam hic contritionis motus necessarius.* Vbi contritionem accipit latè, prout significat etiam attritionem: vt patet ex sequentibus. Et sess. 6. c. 6. agens de peccatore se conuertente ad Deum ait: *Ac propterea monetur aduersus peccatum per odium aliquod ac detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet.* Apertè idem docet D. Aug. epist. 48. ad Vincentium, vbi in fine ait: *Nec quemquam putes ab errore ad Veritatem, vel a quocumque seu magno seu paruo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire.* Cùm igitur sine remissione peccati mortalis non possit obtineri fructus Sacramenti, vt hic obtineatur necessaria est aliqua pœnitentia. Astipulantur etiam D. August. communiter alij Patres. Idem etiam clarè colligitur ex Act. c. 2. vbi Iudæis volentibus conuerti, & petentibus quid sibi faciendum esset, respondit D. Petrus: *Pœnitentiam agite; & baptizetur vnusquisque vestrûm.* Vbi expressè requirit pœnitentiam ante baptismum.

Aug. *Act. 2.*

Ratio est: quia omnino decet eum, qui se à Deo ad peccatum voluntariè conuertit, voluntariè illud detestando, se iterum ad Deum conuertere.

29

Nota actus quos hactenus requisiuimus ad fructum Sacramenti, esse necessarios necessitate medij; ita vt quantumuis sine sua culpa suscipiens Sacramentum iis careat, nullum tamen fructum percipiat. quod rationes, quibus conclusionem firmauimus, satis indicant. Iis enim probatur eos actus requiri non ex aliquo præcepto positiuo, sed ex natura rei. Etsi enim Deus per absolutam potentiã possit nobis etiam adultis remittere peccata sine vllo nostro actu (sicut infantibus peccatũ originale de facto per baptismum remittit) hoc tamen non conuenit; vt patet ex dictis, ideóque Deus id numquam facit, qui communiter omnia conuenienter naturis rerum operatur. Et in his communiter ferè Doctores consentiunt.

30 Peccatori non pœnitenti nullũ Sacramentum vtiliter confertur.

Vnde sequitur non posse conferri vllum Sacramentum ei, quem moraliter constat esse in peccato mortali, nec habere vllam de eo displicentiam, etiamsi ea iam ipsi sit impossibilis, & ipse sit in articulo mortis. qualis videtur esse qui in duello, vel post aliud quodcumque apertum peccatum mortale commissum subitò desiturus sensibus, sine vllo omnino signo doloris. Secùs esset, si desiturus sensibus aut crederetur probabiliter non esse in peccato mortali; aut habere, aut priùs habuisse talem dolorem, qualem requirit susceptio Sacramenti conferendi. Vtramque partem videtur apertè docere D. August. in fine 1. lib. de adulterinis coniugiis, vbi ait: *Ego non solùm alios catechumenos, verùm etiam ipsos qui vinentium coniugijs copulati retinent adulterina consortia, cùm saluos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum: tamen si deser-*

D. Augustin.

deſperati & intra ſe pœnitentes iacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint; baptizandos puto, vt etiam hoc peccatum cum cæteris lauacro regenerationis abluatur. Vbi clarè docet ſecundam partem, & primam apertè inſinuat, dum non vult baptizari niſi pœnitentes.

31 Attritio in quibuſdam ſufficit.

CONCLVSIO IV. Ad gratiam per baptiſmum vel pœnitentiam ſuſcipiendam poſt peccatum mortale commiſſum, tam ex parte medij, quàm præcepti ſufficit perfecta attritio, etiam cognita talis. ita citati n. 24. pro 5. ſententia. Et eſt iam ferè communis Theologorum.

Florentin. Probatur Primò, quia, vt docet Concilium Florent. in litteris vnionis, propius effectus baptiſmi eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis; & Sacramenti pœnitentiæ, abſolutio à peccatis, ſiue, vt docet *Trident.* Trid. ſeſſ. 14. c. 3. reconciliatio cum Deo. Vbi cùm Concil. Florentinum numerat particulatim effectus cuiuſque Sacramenti, non recenſet eos, qui iis aliquo modo per accidens poſſunt competere, ſed eos qui per ſe iis competunt, ſiue ad quos conferendos directè ſunt inſtituta. Nam, vt videbimus infrà, remittere aliquando per accidens peccatum mortale, poteſt competere cuiuis Sacramento.

Vnde ſequitur dicta duo Sacramenta eſſe directè inſtituta ad remittenda peccata. Quod etiam clarè de *Ioan. 20.* pœnitentia colligitur Ioan. 20. vbi dum hoc Sacramentum inſtituitur, datur Apoſtolis poteſtas verè remittendi peccata: vt fuſiùs oſtendemus in materia de pœnitentia. Et ob eam cauſam dicimur baptizari in remiſſionem peccatorum, & per baptiſmum abluere *Act. 2. & 22.* peccata, Actor. 2. v. 38. & c. 22. v. 16.

32 Ex quibus ſic argumentor: licitè & cum fructu poſſum abſolutè & directè intendere ex confeſſione & baptiſmo conſequi eum effectum, ad quem conferendum directè ſunt inſtituta, ſcilicet primam gratiam & remiſſionem peccatorum: vt per ſe patet; quia directè per hoc conformo me inſtitutioni Chriſti: atqui non poſſum abſolutè & directè intendere per Sacramentum conſequi remiſſionem peccati, & primam gratiam, niſi probabiliter credam me non eſſe in gratia, ſed in peccato (quia nemo per aliquod medium intendit conſequi id quod credit ſe iam habere, ſed vt ſummum poſſum intendere id conſequi ſub conditione, ſi forte non habeam.) ergo licitè ſuſcipio dicta Sacramenta, etſi credam me non eſſe in gratia, ſiue ſciens me commiſiſſe peccatum mortale, & credens me tantùm attritum.

Trident. Confirmatur Primò, ex Trid. ſeſſ. 14. c. 4. vbi (vt patet ex c. 3.) explicat qualis diſpoſitio requiratur, ad percipiendum effectum Sacramenti pœnitentiæ, diuiditque contritionem in perfectam & propriè dictam, & in imperfectam, quam communiter vocamus attritionem. & de hac ait: *Et quamuis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Vbi clarè docet diſpoſitionem ad pœnitentiam ciuſque effectum requiſitam eſſe attritionem per ſe inſufficientem ad iuſtificationem. Cum autem Concilium intendat ex profeſſo ibi explicare, quæ diſpoſitio ad fructum pœnitentiæ percipiendum requiratur, debet nobis eam tradere, quæ per ſe requiritur & ſufficit: non autem eam, quæ per ſe eſt inſufficiens, & tantùm ſufficit per accidens, ratione ignorantiæ, & bonæ fidei: alioqui mutilam planè doctrinam Concilium tradidiſſet. Præſertim cùm nullo modo ibi indicet maiorem aliquam diſpoſitionem eſſe neceſſariam.

Confirmatur Secundò, quia etſi conſcius ſibi peccati mortalis, ſi probabiliter credat ſe contritum, ratione ignorantiæ aut neceſſitatis licitè & fructuosè communicet, non præmiſſa confeſſione: tamen quia hæc diſpoſitio non ſufficit per ſe, ſed tantùm per accidens, idem Concilium ſeſſ. 13. c. 7. explicans diſpoſitionem requiſitam ad communionem, abſolutè aliam docet eſſe neceſſariam, vbi ait: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.*

Dices, Trident. ſeſſ. 6. c. 6. explicans diſpoſitionem 33
neceſſariam ad baptiſmum, cùm oſtendiſſet peccatores ante conuerſionem diuina gratia excitari ad fidem & ſpem, addit: *Illúmque* (ſcilicet Deum) *tanquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduerſus ſua peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agere oportet.* vbi Concilium videtur requirere ante baptiſmum dolorem de peccatis ex Dei amore ortum, qui eſt verè contritio.

Reſp. Concilium ibi non intendere præcisè deſcribere diſpoſitionem neceſſariam ad baptiſmum ritè percipiendum; ſed (vt initio capitis ait) modum quo communiter homines diſponuntur ad iuſtitiam: & conſequenter non intendit ibi docere, omnia quæ ibi enumerat, eſſe neceſſaria ad iuſtificationem. Nam poteſt fieri vt quis Dei gratia aditus ſtatim per actum fidei feratur in diuinam bonitatem, Deúmque ſuper omnia amet, & tunc ſine vllo timore, aut baptiſmo realiter ſuſcepto, cum ſolo eius voto iuſtificabitur; vt inſinuatur ibidem c. 4. Quare verba illa: *Ac propterea mouentur*, non debent præcisè referri ad proximè præcedentia, ſed ad omnia dicta eodem capite: ſc. vt moueantur ad odium peccatorum, vel ex amore quo Deum diligunt, vel ex timore iuſtitiæ, ſiue pœnarum inferni, iuncto cum ſpe veniæ huic enim dolorem ſufficere ad iuſtificationem per Sacramentum ſuſcipiendam, expreſsè idem Concil. docet ſeſſ. 14. cap. 4. agens de pœnitentia: eadémque eſt ratio baptiſmi, in quo eſt facilior iuſtificatio quàm in pœnitentia: vt docet Trid. ſeſſ. 6. c. 14.

Adde per illa verba: *Illúmque tanquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt*; non ſignificari neceſſariò actum caritatis: ſed vel hunc, vel actum ſpei, quo diligimus Deum vt bonum noſtrum, hoc ipſo quo ſeriò cupimus ei reconciliari. Concilium enim requirit ſolùm aliquem actum amoris in genere, quo ad Deum conuertamur, nec conſideratione & timore iuſtitiæ deterriti, horreamus ad eum accedere: ideóque inſinuat hunc amorem oriri ex conſideratione miſericordiæ, & hoc ipſo haberi, quo in ſpem erigimur.

Ex his patet hanc concluſionem videri ſatis certam. Nam rationes allatæ videntur eam conuincere. Ideóque etiam à Theologis illa Sacramenta ſolent dici Sacramenta mortuorum; alia verò Sacramenta viuorum: quia hæc requirunt vitam ſpiritualem in ſuſcipiente, illa non. Quædam Sacramenta dicuntur mortuorũ, quædam viuorum.

Sed vlteriùs diſputatur An requiratur formalis attritio, an verò virtualis aliqua poſſit ſufficere. Qua in 34
re certum eſt Primò, ſufficere pro vtroque Sacramento contritionem. Secundò, pro baptiſmo ſufficere verum actum caritatis, eo caſu quo poteſt haberi à peccatore ſine contritione. Tertiò, pro pœnitentia requiri formalem dolorem de peccatis, non præcisè vt neceſſariam diſpoſitionem, ſed vt partem eſſentialem Sacramenti: vt dicemus in materia de pœnitentia. An formalis attritio neceſſaria ſit.

Sed difficultas eſt, Vtrùm extra actum caritatis in eo, qui aliquando peccauit mortaliter, ad baptiſmi effectum, quandoque ſufficiat virtualis attritio ſine formali dolore. Hanc quæſtionem non ita clarè Doctores proponunt, tamen ex eorum dictis quid ſentiant poteſt intelligi.

Partem negatiuam inſinuant Vaſquez in 3. partem 35
diſp. 158. n. 22. & 26. & Suarez diſp. 28. ſect. 1. & 2. *Vaſquez, Suarez.*

quæ eius in tali homine requirunt absolutè pœnitentiam, & quidem aliam, quàm in eo qui solùm habet peccatum originale Ratio eorum est: quia, vt vidimus concl. 3. necessaria ad hunc effectum est pœnitentia: nec videtur extra actum caritatis alius dari posse, qui contineat virtualiter pœnitentiam.

Scotus. Affirmatiuam apertè satis docet Scotus in 4. d. 14. quæst. 4. art. 3. vbi ait ad iustitiam per Sacramentum, *tantùm requiri voluntariam susceptionem baptismi sine fictione, hoc est, cum intentione suscipiendi quod confert Ecclesia, & sine actu vel voluntate peccati mortalis.* quam voluntatem suscipiendi Sacramenti vocat infrà amolitionem impedimenti: & deinde paulò inferiùs requirit pro pœnitentia aliquam attritionem: ita vt si attentè legatur, videatur aliam requirere dispositionem pro pœnitentia quàm pro baptismo. quod etiam notat Suarez suprà, dum refert sententiam *Caietan.* Scoti. Idem videtur sentire Caietanus initio dubij cit. pro prima sententia. Nam dicit: ad gratiam in Sacramento suscipiendam sufficere voluntatem suscipiendi baptismi, quia continet in se voluntatem amendæ: q. d. quia est virtualis pœnitentia. Quæ verba in hoc & in Scoto non videntur intelligenda de quacunque voluntate suscipiendi baptismum, sed de ea, quæ procedit ex actu spei, aliàs enim apertè essent falsa. Ratio huius sententiæ esse potest: quia etsi ad remissionem peccati necessaria sit pœnitentia, tamen sufficit virtualis, qualis est actus caritatis, vt ostendemus in materia de pœnitentia. Quare igitur, sicut actus caritatis sufficit ad iustificationem extra Sacramentum, non sufficiat similiter verus & omino efficax actus spei cum Sacramento in immemore suorum peccatorum? Sicut enim ille virtute continet contritionem: ita hic videtur continere attritionem.

36 Hac in re ferre iudicium satis difficile est; quia non est satis à Doctoribus explicata, nec velim in re tanta aliquid noui dicere. Saluo tamen meliore iudicio probabile crediderim in eo cui nullo modo occurrit se peccasse, aut se debere habere formalem dolorem, sufficere eiusmodi actum spei, si hic virtute perfectè contineat attritionem, sicut actus caritatis contritionem. Hoc enim videtur argumentum factum conuincere. Nec est vlla ratio, (cùm virtualis contritio æquè efficaciter disponat ad iustificationem atque formalis) *Formalis Pœnitentia non est absolutè necessaria ad effectum baptismi.* cur non similiter virtualis attritio tam efficaciter disponat atque formalis, quandoquidem ad effectum baptismi absolutè loquendo, non requiratur formalis pœnitentia: nam certum est sufficere actum caritatis in immemore suorum peccatorum.

3. An actus spei virtute contineat attritionē. Verùm autem verus actus spei perfectè virtualiter contineat attritionem, non ita est clarum. Etsi enim, cùm sit efficax volitio finis, virtute contineat voluntatem faciendi omnia necessaria ad finem consequendum; tamen hinc euidenter non sequitur continere virtute formalem attritionem, nisi quatenus hæc est medium necessarium ad finem consequendum. Hinc habens talem actum spei, etsi occurrat ei se esse in peccato mortali, non tamen statim necessariò elicit actum attritionis, sed vt summum necessariò proponit, suo tempore eum elicere. Secùs est de actu caritatis, quem habens, si sibi peccati mortalis actu conscius sit, necessariò statim elicit contritionem: vt in materia de pœnitentia ostendemus, atque ita videtur dispar ratio. Contrà tamen facit, quòd in attritione non aliter videatur contineri propositum in posterum seruandi omnia mandata, quàm ipsa attritio contineatur in efficaci actu spei; quatenus in se continet, vel necessariò coniunctam habet efficacem voluntatem procurandi reconciliationem cum Deo: & tamen communiter Doctores aiunt tale propositum sufficienter contineri in attritione, ideóque formale non esse necessarium in eo qui de vita in posterum instituenda non cogitat. quare igitur idem non dicetur de attritione?

Sed quidquid hac de re sit, hoc videtur certum ex communi iam Theologorum sententia, in memore suorum peccatorum requiri formalem pœnitentiam; sicut in cogitante de vita in posterum instituenda requiritur formale propositum seruandi præcepta, quia in tali casu hi actus sunt saltē de necessitate præcepti: quia volentem admitti in amicitiam diuinam, omnino conuenit eos habere. Vnde sequitur, veram & perfectam spem, quatenus continet sinceram & efficacem voluntatem seriò & constanter amplexandi diuinam amicitiam, de illis rebus cogitantem necessariò ad tales actus inclinare, quando iam actu vult in amicitiam diuinam per Sacramenti susceptionem admitti. Vnde nec in tali videtur vera spes posse consistere sine dictis actibus. Quare quidquid sit de his sententiis, in praxi nulla potest esse distinctio. Nam si memoriæ occurrat, & suscipiens teneatur in se hos actus excitare, & conferens teneatur eum ad eos incitare. Et vix potest contingere vt adultus legitimè baptizetur, nisi hæc occurrant, cùm debeat priùs instrui, baptismum conferri in remissionem peccatorum, & hanc à Christo sperandam; & examinari à conferente, an in fide Trinitatis sufficienter instructus, & ad Sacramentum suscipiendum legitimè dispositus sit. 38

CONCLVS. V. In aliis quinque Sacramentis saltem necessitate præcepti necessaria est vera contritio in eo qui sibi conscius est peccati mortalis. Ita Suarez *Suarez.* disp. 7. sect. 4. §. *Occurrebat.* Henriquez l. 1. c. 22. n. 6. & *Henriquez.* communiter Theologi. 39

Probatur, quia reliqua Sacramenta non sunt instituta ad remissionem peccatorum mortalium: vnde dicuntur etiam Sacramenta viuorum, quia ex ratione effectus, ad quem instituta sunt, vitam in suscipiente *Cur quædā Sacramenta dicantur viuorum.* prærequirunt, vt patet discurrenti per singula. Confirmatio enim instituta est ad gratiam ac spirituale robur augendum & confirmandum. Eucharistia ad nutrimentum spirituale. Extrema vnctio, ad reliquias peccatorum delendas, & ad confirmandum ægrotum in extrema illa lucta. Ordo, vt detur potestas diuina officia legitimè obeundi, & cetera Sacramenta conferendi. Matrimonium ad legitimam prolis inter Christi membra susceptionem, vt patet ex Florentino & Tri- *Florent. Trident.* dent. sess. 7. & 13. Quæ omnia supponunt suscipientem viuere: ergo contra eorum dignitatem & institutionem est, ea suscipere in peccato mortali.

Dices, esse quidem contra eorum dignitatem, sed 40 materiam hanc esse leuem, atque ideo tantùm esse peccatum veniale: quia excepta saltem Venerab. Eucharistia reliqua Sacramenta non videntur esse multò digniora pœnitentia & baptismo, quæ existens in peccato mortali, si sit attritus, legitimè suscipit.

Respond. negando assumptum. Est enim grauis *Cur al Sacram ta præ al requirant grauiam irreuerentia indignè ea suscipere. Ad probationem Resp. non ideo hæc præ illis requirere statum gratiæ quia digniora sunt, sed quia tantùm sunt instituta pro his qui sunt in gratia. Vnde contra eorum institutionem est, extra gratiam ea suscipere. Secùs est de aliis.* suscipien se.

Vbi Nota, in Venerab. Sacramento mortalis pec- 41 cati sibi conscio necessariam esse confessionem, vt legitimè illud suscipiat, quantumcumque sibi contritus videatur, nisi necessitas eum excuset: vt docet Trid. sess. 13. cap. 7. & fusiùs in proprio loco dicemus. Secùs est de ceteris Sacramentis: quamquam in omnibus 42 deceat confessionem præmitti, maioris certitudinis & *Omnia Sacramenta aliquando conferunt* reuerentiæ gratia. *primā gratiam. Nauarr.*

Dixi *Contritionem necessariam esse necessitate præcepti.* Quia in eo qui inuincibiliter aut ignorat se esse in peccato mortali; aut putat se contritum esse, sufficit attritio. Ita Nauarr. c. 22. n. 3. Henriquez citatus n. 39. *Henriquez.*

Suarez, D. Thom.

citatis Cajet. Suarez citatus in conclus. Et de confirmatione expressè docet D. Thomas infrà quæst. 72. a. 7. ad 2. & ratio ipsius idem probat de reliquis Sacramentis. Probatur, quia Sacramenta quasi per modum entis naturalis supra dignitatem suscipientis conferunt gratiam omnibus ea suscipientibus sine obice: atqui tales non habent obicem gratiæ (quia aliàs ne quidem per pœnitentiam, susciperent gratiam) ergo dicta Sacramenta iis gratiam conferunt. Secùs est de iis qui sine vlla ignorantia in peccato mortali, de quo tantùm attriti sunt, ea suscipiunt. quia ponunt obicem peccando mortaliter, atque ita in ipsa susceptione attriti esse desinunt: nisi fortè ex ignorantia inuincibili, bona fide crederent sibi licere cum tali dispositione ea Sacramenta suscipere; quo casu etiam gratiam perciperent.

43 Dices, Sacramenta non habent vim conferendi gratiam nisi ex institutione Christi: ergo nulla conferunt primam gratiam, nisi quæ ad eam conferendam sunt instituta.

Qua ratione aliqua Sacramenta instituta sint ad cõferendam primam gratiam, alia non.

Resp. negando consequentiam. Quia quòd aliqua Sacramenta sint instituta à Christo ad conferendam primam gratiam, alia ad eius augmentum, non est ita intelligendum, quasi nullo modo possint conferre aliam gratiam: sed quia illorum proprius effectus est prima gratia; horum verò augmentum gratiæ. Sicut tamen per accidens illa aliquando conferunt secundam gratiam; ita hæc primam. Ratio est, quia hæ gratiæ non differunt in sua entitate: quare à quouis Sacramento possunt produci. quoduis enim absolutè à Christo institutum est ad conferendam gratiam suscipienti non ponenti obicem, qui per veram attritionem absolutè tollitur, respectu cuiuslibet Sacramenti; quamuis Christus quædam vetuerit suscipi à non existente in gratia. Vnde baptismus & pœnitentia ex eo quòd sint instituta ad iustificandum peccatorem, tantùm habent quòd sine irreuerentia possint à peccatore sciente se tantùm esse attritum suscipi. Vim autem conferendi primam gratiam habent præcisè, quia habent vim conferendi gratiam ex opere operato, siue præter meritum suscipientis: quod omnibus commune est. Confirmatur, quia pœnitentia non magis est instituta ad remittenda peccata, quæ in confessione non explicantur, quàm dicta Sacramenta ad conferendam primam gratiam; & tamen semper in ea saltem indirectè remittuntur omnia peccata mortalia bona fide omissa: ergo similiter per hæc confertur prima gratia attrito bona fide ea suscipienti.

44 CONCL. VI. Vt iustus, per quoduis Sacramentum, extra pœnitentiam, quod licitè suscipit, accipiat gratiam, non requiritur in eo alia dispositio quàm intentio illud suscipiendi; quamuis deceat ob reuerentiam Sacramenti, & ad augmentum gratiæ sit valdè vtile, vt ad actualem pietatem sese excitet. Et quia incerti sumus de nostra gratia, suadendum omnino est, vt suscepturus Sacramentum, saltem generalem peccatorum dolorem concipiat: ne fortè aliàs id cum obice suscipiat.

Qualis dispositio requiratur in iusto?

Posterior pars per se patet. Prior probatur, quia iustus est semper capax augmenti gratiæ, nec Sacramentum requirit in suscipiente capace gratiæ, siue qui nullum habet obicem gratiæ, vllum actum vt effectum suum producat, nisi qui necessarius est vt humano modo suscipiatur: vt pater in iis, qui in phreneſi suscipiunt Sacramenta, quæ antè petierant.

45 Ex dictis patet Primò, etsi nunquá accipiant gratiá Sacramenti, qui dum hoc suscipiunt, aut actu peccant mortaliter, aut interpretatiuè alicui peccato mortali iam antea à se commisso inhærent, ita vt illud nullo modo, vel saltem non eo, quem Sacramenti susceptio requirit, retractarint: patet, inquam, nullum peccatum veniale etiam actu in susceptione commissum, aut

Peccatum ven. non Impedit effectum Sacramenti.

antè commissum & adhuc placens, impedire omnino effectum Sacramenti, etsi causa sit cur minor sit eius fructus. Ratio vtriusque est, quia peccatum mortale est obex gratiæ Sacramentalis, non tamen veniale: quia cum gratia consistere potest.

Patet Secundò, quando omissio alicuius rei quæ iure naturæ, aut positiuo requiritur ad legitimam Sacramenti susceptionem, impediat fructum Sacramenti: quando non: vt si quis communicet non ieiunus, aut extra casum necessitatis non præmissa confessione, cùm sit sibi conscius peccati mortalis, aut etiam non contritus. Si enim illa omissio sit peccatum mortale, semper omnem fructum impedit: si autem propter inaduertentiam, necessitatem, aut leuitatem materiæ sit tantùm veniale in suscipiente, minuit quidem fructum Sacramenti, quatenus reddit suscipientem minùs bene dispositum, non tamen omnino eum impedit: nisi aut reddatur Sacramentum inualidum, vt si omittatur ex inaduertentia aliquid ei essentiale aut desit dispositio necessitate medij requisita. Quòd si extra hos duos casus illa omissio nullum sit peccatum, nullo modo impedit fructum. 46

DVBIVM III.

Vtrùm idem Sacramentum à diuersis susceptum conferat singulis æqualem gratiam?

47 QVidam putant idem Sacramentum à diuersis susceptum semper, etiam infantibus, conferre impares gratias. ita Gabriel in 4. d. 4. q. 2. a. 2. concl. 7. Palud. ibid. q. 1. a. 2. initio. Scotus d. 4. q. 7. a. 1. Fundamentum eorum est: quia putant homines præcisè à Deo creatos vt suppleant loca angelorum qui peccauerunt; atque ita vnumquemque ante præuisa merita electum esse, vt obtineat certũ gradum gloriæ, quem habuisset angelus is ad cuius locum supplendum à Deo destinatur. Item putant, omnes angelos ad disparem gradum gloriæ à Deo prædestinatos fuisse: vt sicut secundùm illos nulli angeli sunt eiusdem inter se speciei, vel saltem perfectionis naturalis, ita nulli habeant æqualem gloriam. Vnde inferunt nullos homines habituros æqualem inter se gloriam, & consequenter nec vllos infantes habituros æqualem in baptismo gratiam. quia aliàs si statim morerentur, deberent habere æqualem gloriam.

Gabriel. Paludan. Scotus.

Sed hæc sententia supponit multa aut parum probabilia aut saltem incerta, ac quædam etiam sine vllo fundamento asserta. v. c. homines non creandos nisi angeli peccassent. quod multùm benevolentiæ diuinæ erga nos detrahit, quasi Deus nostrum bonum, & salutem non per se, sed tantùm ex occasione & per accidens elegerit: cùm tamen Apostolus ad Hebr. 2. v. 16. insinuet Deum homines præ angelis dilexisse. Quare hæc sententia non videtur probabilis.

Homo independenter à lapsu angeli creatus est.

Hebr. 2.

Alij volunt quandoque ratione sanctitatis & deuotionis ipsius ministri, vni in Sacramento conferri maiorem gratiã quàm alteri. Non quidem ita vt hæc additio conferatur propriè virtute Sacramenti, sed quòd conferens Sacramentum, eam suscipienti de congruo mereatur. Ita Cajet. infr. q. 64. a. 1. in explicatione responsionis ad 2. Gabriel in 4. d. 4. q. 2. a. 2. concl. 7. §. *An autem.* Scotus d. 4. q. 7. a. 3. Ratio est, quia putant etiam extra Sacramẽtum vnum alteri posse mereri de congruo gratiam iustificantem: quare idem non possit dum confert Sacramentum? Sed hoc fundamentum falsum est. Quia etsi vnus alteri de congruo possit mereri gratiam præuentientem; nullus tamen alteri potest mereri immediatè gratiam iustificantem. Hoc enim est solius Christi. Imò ne quidem propter huius merita vlli vnquam data est gratia iustificans, nisi aut hic ad eam suscipiendam per proprios actus se disponat: aut suscipiat aliquod Sacramentum. Et probatur, quia aliàs si multi viri sancti pro aliquo dormiente

48

Cajet. Gabriel. Scotus.

Nemo potest alteri mereri immediatè gratiam iustificantem.

orarent, posset hic statim accipere ingens augmentum gratiæ, atque etiam gloriæ, si statim moreretur; sine vllo suo actu: quod apertè falsum est, & contra illud Apostoli 2. ad Cor. 5. *Vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* Quare nec hæc sententia videtur probabilis.

2. Cor. 5.

In quo minister Sacramenti sanctus plus prosit suscipienti quàm malus. D. Thomas.

Hinc patet, eatenus præcisè bonum ministrum Sacramenti plùs prodesse quàm malum, quatenus est aptior vt efficaciter excitet suscipientem vt benè se disponat, & ad hoc ei gratiam à Deo impetret. Et sic intellige D. Thom. q. 64. a. 1. ad 2.

Alij demum in alio extremo sunt, putantque singulis Sacramentis absolutè certum gradum gratiæ annexum, quem semper æqualem conferunt, quantumcumque diuersimodè dispositis.

49 Concl. I. Æqualiter dispositis semper Sacramentum confert æqualem gratiam. Patet, quia sine fundamento contrarium dicitur; vt patet ex dictis. Et eadem ratione possemus fingere, iisdem omnino meritis diuersum tribui præmium. Est communis omnium ferè Theologorum, atque etiam Patrum, quos fusè citat Suarez disp. 7. sect. 5.

Suarez.

50 Concl. II. Meliùs dispositus ex opere operato Sacramentum maiorem confert gratiam. ita Suarez suprà: & est communior sententia; & vtramque conclusionem expressè docet D. Thom. infrà q. 69. a. 8. & Richard. in 4. d. 4. a. 3. q. 3. Soto d. 6. q. 1. a. 1. §. *Circa concl.* 2. & alij. Et hæc colligitur apertè ex Concil. Trid. sess. 6. c. 7. vbi agens de iustificatione quæ fit per baptismum, dicit in iustificatione quemque recipere gratiam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem. Quid enim aliud est vnumquemque recipere gratiam secùdum propriam dispositionem, nisi meliùs dispositum recipere maiorem?

Suarez. D. Thom. Richardus. Soto. Trident.

Probatur Primò, quia æquitas postulat, vt qui meliùs se disponit, plus fructus ex Sacramento percipiat. Aliàs talis diligentia careret sæpe omni fructu. Nam peccator qui accederet ad Sacramentum cum attritione intensa vt centumlongáque ac diligenti præparatione, non acciperet maiorem fructum quàm is, qui post leuem præparationem accederet attritus, vt vnum. quod videtur incredibile.

Nec sufficit si dicas primum habere maiorem fructum ex merito. quia peccator per tales actus, quatenus præcedunt gratiam Sacramentalem, nihil meretur. Quòd autem possit mereri eos continuando post susceptum Sacramentum, hoc est per accidens dispositioni ad Sacramentum, & potest sæpe fieri vt in susceptione Sacramenti, etiam sine sua culpa distrahatur & tunc diligentia careret omni fructu.

51 Secundò prob. ex analogia quam habent Sacramenta cum rebus naturalibus, quæ perfectiorem effectum producunt in subiectis magis dispositis: vt antè diximus dub. 1. notab. 3. & similiter Sacramenta per modum entis naturalis in omni suscipiente non ponente obicem operantur gratiam, quantùm possunt, & consequenter perfectiùs in eo qui perfectiùs est dispositus. Nam etsi dispositio subiecti non concurrat ad productionem gratiæ per modum causæ efficientis; concurrit tamen per modum tollentis impedimenta gratiæ, & consequenter quodammodo facilitantis huius productionem. sicut melior dispositio ligni facilitat introductionem formæ ignis.

52 Iustus cõmuniter ex Sacramẽto maiorem gratiam recipit, quàm peccator attritus.

Hinc sequitur, recipientem ipsum Sacramentum in gratia, recipere ferè semper maiorem longè gratiam eo, qui per Sacramentum iustificatur. Primò, quia ille meliùs est dispositus, quia est gratus Deo, & consequenter dignior gratiâ. Secundò, quia si quam habet actualem deuotionem, recipit gratiam ei respondentem, vt præmium merito; & præterea aliam vt effectum Sacramenti: alter hanc solam recipit, nisi eius actus duret post iustificationem. Dixi *ferè semper*, &c. quia fieri potest vt quis tanta cum attritione suscipiat Sacramentum, vt accipiat maiorem gratiam aliquo iusto, qui cum valdè remissa ac imperfecta dispositione id recipit.

Nota, inter dispositiones conuenientes ad fructum Sacramenti, cæteris paribus meliores esse actuales quàm habituales: quia illæ per se immediatè subiectum ad gratiam recipiendam disponunt; hæ verò tantùm mediatè, & quasi remotè, quatenus inclinant ad ipsos actus, & sunt horum principia: *aut* quatenus reddunt subiectum dignius quod maiorem gratiam recipiat, sicut facit gratia iustificans. Inter actuales verò dispositiones, illæ meliores sunt, quæ perfectiùs à peccato ad Deum conuertunt; quod perfectissimè faciunt actus caritatis & contritionis: ideóque, quantùm possumus, vt huiusmodi habeamus, enitendum. Deinde sequuntur actus attritionis & spei. Quò autem quisque actus est intensior, eò est melior.

53 Dispositio actualis melior est habituali.

DVBIVM IV.

Quando Sacramenta conferant gratiam iustificantem?

54 NOta Primò, esse difficultatem de triplici tempore. Primò, de tempore quod præcedit susceptionem Sacramenti. quidam enim apud Soto in 4. d. 11. q. 2. art. 1. putant votum siue desiderium Sacramenti, antè realem eiusdem susceptionem conferre aliquando gratiam ex opere operato: quando scilicet quis valdè indiget Sacramento, illudque valdè desiderat *suscipere*, nec *id* habere potest. Ratio est, quia cùm Christus Sacramenta instituerit, vt per ea subueniat hominum infirmitati & necessitati; decuit eius benignitatem ea ita instituere, vt quando ipsa in se haberi non possunt, possent per solum votum ita applicari, vt suum operentur effectum. Sicut olim viua fides futuræ passionis Christi, hanc efficaciter applicabat ad iustificationem fidelium. Sed hæc ratio nullius est momenti; quia simili modo possemus dicere; quando parentes non possunt reipsa baptizare infantes, sufficere ad illorum iustificationem, vt hoc voto faciant: imò infantes etiam infidelium, qui ob incuriam vel ignorantiam parentum non baptizantur, iustificari, supplente Deo defectum Sacramenti, quod ipsi nullo modo habere possunt: præsertim quando paruuli moriuntur. Imò in his videtur maior ratio, quàm in adultis; quia hi per contritionem saluari possunt, illi nullo modo. Et tamen nemo Catholicus dixerit Deum ex sua benignitate supplere in omnibus iis paruulis defectum Sacramenti.

Soto.

Deus non supplet defectum Sacramenti, quãdo hoc nequit suscipi.

Alia est ratio de passione Christi: quia hæc ex voluntate Dei à solo Christo debebat perferri pro omnium hominum salute: ita vt quantum erat ex parte sua, sufficeret ad omnes saluandos. Secùs est de Sacramentis, quæ sunt instituta, vt à singulis suscipiantur, atque ita iis solis prosunt; qui de facto ea suscipiunt.

Secundò, est difficultas de tempore quo Sacramentum confertur; Vtrùm scilicet tunc operetur suum effectum in tempore, an in instanti. Varias hac de re sententias adfert Suarez hîc disp. 8. sect. 2. Quidam enim dicunt Sacramẽta conferre gratiam in tempore indeterminato, quod immediatè antecedit eorum pr[illegible]um non esse, seu primum instans, quo verum est dicere, Iam Sacramentum est perfectum, & ampliùs non est. quia nullũ est aliud tempus vel instans, quo Sacramentum potest dici habere suum esse.

55 Suarez.

Alij volunt quidem tunc Sacramentum conferre gratiam in tempore, sed determinato, quo scilicet vel vltima syllaba formæ pronuntiatur, quando materia fuit antè perfectè applicata: vel in applicatione vltimæ particulæ materiæ necessariæ, v. gr. vltimæ guttæ

aquæ necessariæ in baptismo, quando pronuntiatio formæ præcessit. Quia eo tempore quo hæc applicatio vel pronuntiatio durat, quæ necessariò in tempore fit, Sacramentum dicitur esse perfectum.

Ratio vtriusque sententiæ communis est. quia Sacramentum nec potest conferre gratiam, antequam sit perfectum, nec etiam postquam desiit esse. quia nihil operatur quando non est. Cùm autem Sacramentum sit ens successiuum, non potest habere vllum esse in aliquo instanti. quia motus non fit in instanti: nec aliud tempus potest commodè assignari præter dicta, quo Sacramentum possit dici habere suum esse.

56 Nihil potest physicè operari dū non est, benè tamen moraliter. *Suarez.*

Sed etsi hæc ratio fortè vrgeat eos, qui dicunt Sacramenta physicè operari gratiam: in nostra tamen sententia qui credimus tantùm moraliter producere gratiam, nihil vrget. Quia potest aliquid operari moraliter, quando desiit physicè esse. Neutra autem ex dictis sententiis est probabilis; tum ob multa alia quæ fusè adfert Suarez disp. 8. sect. 2. tum Primò, quia vterque modus causandi gratiam gratis & sine necessitate fingitur, cùm alius modus facillimus assignari possit. Secundò, quia etsi non implicet fortè gratiam à Deo in tempore produci, sicut calor producitur à calido: tamen hoc nullo modo est credibile hîc fieri. Quia omnino credendum est eodem modo Sacramentum producere gratiam, quo verba consecrationis producunt corpus Christi sub speciebus (quia, vt per se patet, eadem vtrobique est difficultas & ratio, cur dicamus in instanti, vel in tempore certo aut incerto effectum produci.) atqui corpus Christi producitur necessariò in instanti; quia substantia non potest produci in tempore: ergo etiam gratia Sacramentalis. Item qui iustificatur per contritionem, iustificatur in instanti. Quare non etiam is, qui iustificatur per Sacramentum? in vtroque enim videtur eadem ratio, cùm vtraque gratia à solo Deo physicè producatur. Demum nunquam causa aliqua producit suum effectum in tempore, nisi quando est impotens eum producere in instanti: quod hîc dici nequit. quia Deus physicè gratiam producit.

Res determinata nequit produci in tempore indeterminato.

Adde contra priorem sententiam, omnino implicare, effectum determinatum produci in tempore indeterminato. quia aliàs posset Deus producere certum hominem in anno incerto, ita vt nullus certus posset assignari in quo esset productus quod est inconceptibile.

57 Dices Primò, Si Deus alicui homini iniungeret vt eliceret ante mortem aliquem actum, & ille perseuerans vsque ad finem vitæ integris sensibus sine vllo actu malo eum non eliceret, peccaret mortaliter, & perderet gratiam ante mortem, vt per se patet: & tamen in nullo tempore vel instanti determinato, cùm nullum assignari possit: ergo in tempore indeterminato, quod proximè mortem antecedit. ergo similiter posset Deus creare aliquam gratiam in tempore indeterminato, sicut illam potest tollere.

Peccatum etiã omissionis non potest cõmitti tempore indeterminato.

Resp. negando assumptum. Quia si talis sciat mortem sibi iam iam instare, & sit memor præcepti, etiam simul aduerret se statim teneri elicere illum actum, aut esse periculum quòd morte præoccupabitur; & sic omittendo peccabit mortaliter, idque certo instanti quod verum est, etsi ponamus (quod tamen naturaliter fieri nequit) talem vsque ad vltimum instans vitæ vti rationc. Quòd si inculpabiliter nihil horum aduertat, non peccabit.

58 Dices Secundò, Quouis dato instanti ante mortem, adhuc est tempus medium in infinitum diuisibile: ergo nullum est assignabile instans, post quod non possit hunc actum elicere, & consequenter in nullo præcisè obligabitur ad hunc eliciendum.

Respond. negando consequentiam. Quia etsi quodlibet tempus metaphysicè sit in infinitum diuisibile; nullus tamen angelus, multo minùs homo, potest omnes eius diuisiones, & instantia in eo assignabilia distinctè concipere: quare talis aliquod certum tempus apprehendet quasi indiuisibile, præsertim in ordine ad operationem. Sicut enim non est in eius potestate quoduis instans distinctè concipere; ita multo minùs est in eius potestate quouis instanti quamuis actionem elicere. Etsi enim in quouis tempore possint assignari infinita instantia; certæ tamen ac definitæ sunt actiones, quas possit aliqua creatura certo tempore elicere. Quæ omnia confirmantur, quia possunt dari duo tempora, quorum vnum alterum tam paruum excedat, vt homo id nulla ratione possit deprehendere, sicut experimur similia quotidie in excessu corporum. Vnde clarè patet nos non posse tam paruum tempus vt diuisibile distinctè apprehendere. Quare si tantillum temporis illi homini supersit, tenebitur statim elicere actum præceptum; quia aliàs exponeret se certo periculo non eliciendi.

Non possumus quouis instanti quasuis actiones elicere.

59 Tertia sententia docet Sacramenta producere gratiam in primo instanti sui non esse. Ratio eius est, quia in nullo instanti priore possunt dici habuisse perfectum esse. Cum enim sint entia successiua, necessariò desinunt per primum sui non esse: nec possunt dici tota perfectè esse posita, nisi in eo instanti quo esse desinunt: quia nulla eorum pars tota simul in aliquo instanti existit. Et quamuis hæc sententia defendi possit; tamen nullo modo potest defendi ab iis, qui eam asserunt: quia tenent Sacramenta causare physicè gratiam. Deinde nec eius fundamentum verum est; nec est ratio eam asserendi, vt patebit ex concluſ. 2.

Tertia difficultas est de tempore quod sequitur susceptionem Sacramenti, in qua quidem constat inter omnes, quando Sacramentum semel contulit gratiam habitualem, eam, posteaquam iam omnino desiit esse, ampliùs non conferre. Sed tantùm est difficultas, Vtrùm quando eam in sui susceptione non contulit propter obicem, eam postea aliquando conferat? Sed de hac re agemus dubio sequenti.

Idem Sacramẽtum non confert secundò gratiam.

60 Nota Secundò, nos hîc non agere de quouis effectu Sacramenti, sed tantùm de productione gratiæ iustificantis: quia aliæ gratiæ præuenientes, quæ dantur ratione Sacramenti, conferuntur communiter post susceptum Sacramentum, prout Deus secundum diuersas occasiones & necessitates iudicauerit expedire. Character autem trium Sacramentorum necessariò producitur, dum Sacramentum suscipitur, eodem instanti, quo aut gratia producitur; aut produceretur, si non esset obex. Quare sola secunda difficultas ad vtrumque effectum eadem ratione pertinet.

61 Conc. 1. Sacramentum suum effectum non confert ex opere operato, antequam reipsa suscipiatur. Suarez d. 8. sect. 1. §. *Nihilominus dicendum.* Soto d. 11. q. 2. a. 1. Probatur, quia aliàs quicumque peccator haberet attritionem, deberet iustificari ante realem susceptionem Sacramenti. quia in attritione includitur necessariò saltem implicita voluntas baptismi, aut pœnitentiæ, & consequenter omnis attritus suscipit Sacramentum in implicito voto. Illud autem est cõtra Trid. sess. 14. c. 4. vbi docet attritionem sine Sacramento non iustificare. Nec potest Concilium intelligi de Sacramento in voto: quia distinguit ibidem attritionem à contritione, quòd hæc iustificet sine Sacramento, illa non: cùm tamen contritio non iustificet sine voto Sacramenti. Illud autem ex contraria sententia sequi probatur. quia id quod ex opere operato iustificat, iustificat omnes in quibus non reperit obicem gratiæ; vt patet ex dubio 1. & 2. attritus autem non ponit obicem gratiæ. *Suarez. Soto. Trident.*

Nec refert quòd Doctores sæpe dicant Sacramentum in voto conferre aliquando gratiam: nec etiam quòd Trid. sess. 13. c. 8. dicat effectũ Sacramenti quan- *Trident.*

Quomodo Sacramentum in voto conferat gratiam.

doque recipi per votum Sacramenti. Quia nihil aliud volunt, quàm peccatorem contritum, & quemuis iustum per pium Sacramenti desiderium ex merito de congruo aut condigno accipere eandem gratiam iustificantem, quæ conferri solet per Sacramentum, licet eam non recipiat ex vi Sacramenti, sed ratione propriæ dispositionis aut meriti: quia æqualiter contritus eodem modo iustificaretur, tantamque gratiam acciperet, etsi nullum Sacramentum pœnitentiæ esset institutum, quantam iam recipit.

62 *Suarez. Henriquez.*

CONCL. II. Sacramentum eodem instanti confert gratiam, quo essentialiter est completum. Suarez disp. 8. sect. 2. §. *Ultimus ergo.* Henriquez l. 1. c. 19. n. 1.

Pro quo Nota, tunc essentialiter dici completum, v. c. baptisma, quando præmissa ablutione, formæ vltima syllaba ita pronunciata est, vt perfectam habeat significationem, etsi sonus adhuc duret: aut dum præcedit pronunciatio formæ, quando iam tantum aquæ contingit corpus baptizandi, quantum præcisè requiritur ad essentiam baptismi, etsi duret adhuc infusio.

63 Sacramentum secundū aliquid sui intrinsecum in instanti existit.

Dari autem tale instans clarum est. Etsi enim eò quòd motus sit necessariò successiuus, nullum detur instans in quo sit propriè motus, datur tamen instans, quo ponitur terminus motus v. c. in ablutione datur certum instans in quo vltima gutta ad baptismum necessaria tangit ipsum corpus; ita vt sit verum dicere, Iam sufficiens facta est ablutio. Item datur certum instans in quo sonus vltimæ syllabæ necessariæ ad significationem formæ est productus, etsi nondum ad aures peruenerit; quorum vtrumque in instanti fit. Nam etsi admotio aquæ ad corpus fiat in tempore, tamen in instanti certa pars aquæ tangit corpus, qui contactus est terminus ipsius motus, & aliquid intrinsecum lotioni & baptismo; vt videbimus infrà q. 66. art. 4. dub. 2. Similiter motio linguæ, dentium, ac anhelitus fit in tempore; eorum tamen collisio secundùm aliquam sui partem fit in instanti, & consequenter etiam productio alicuius soni. Quare falsum est, Sacramentum secundùm nihil sibi intrinsecum in aliquo instanti existere: & consequenter cùm possit assignari aliquod instans in quo & possit dici perfectum, & secundùm aliquid sui adhuc esse; omnino dicendum est eo instanti producere gratiam. Nec vlla est ratio quæ contra hanc sententiam possit obiici, quæ habeat aliquid difficultatis, posito quòd Sacramenta tantùm moraliter causent gratiam.

DVBIVM V.

Vtrùm Sacramenta cum fictione suscepta aliquando remittant?

64 Fictio duplex.

NOta Primò, dupliciter posse Sacramentum fictè suscipi. Primò, sine intentione suscipiendi Sacramentum, vel cum defectu aliquo essentiali, ita vt Sacramentum sit nullum: & de hoc casu nulla est quæstio, quia tunc iterari debet. Secundò, quando Sacramentum secundùm essentialia integrum suscipitur, sed sine effectu, ob indispositionem suscipientis:

D. Augst.

hunc enim Doctores, imitati D. Augustl. 1. de baptis. contra Donat. c. 12. initio, dicunt fictè suscipere Sacramentum: quia nec verè legitimè dispositus ad Sacramentum accedit, nec eius effectum accipit; sed quodammodo fingit se vtrumque facere. Quod igitur hìc quæritur est: Vtrùm Sacramentum validè quidem, sed fictè, siue sine collatione gratiæ susceptum, postea recedente fictione ex opere operato conferat aliquam gratiam?

65 D. Aug. primus docuit Sacramenta reuiuiscere.

Nota Secundò, hanc difficultatem primò omnium tractatam à D. Aug. in libris de baptismo contra Donatistas (nam sermo de passione Domini, ex quo aliqui quædam pro hac difficultate citabit, non est D. Cypriani, sed alterius authoris) vbi satis apertè docet baptismum fictè susceptum recedente fictione conferre suum effectum. Nam l. 1. c. 12. & l. 3. c. 13. & l. 6. c. 5. docet baptismum in hæresi aut schismate susceptum tunc incipere prodesse ac valere ad salutem, & remissionem peccatorum, quando baptizatus in hæresi aut schismate ad vnitatem Ecclesiæ per pœnitentiam conuertitur.

Respondent aliqui, D. Augustin. tantùm velle docere per baptismum tunc talibus remitti pœnas temporales, quæ peccatis antè commissis iam per pœnitentiam deletis debebantur. Sed August. plus voluit: *Augst.* quia l. 3. c. 13. ait, baptismum tali casu ita valere ad dimittenda peccata, *vt idem ipse qui propter discordiam operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem.* Vbi per salutem vitam animæ, & gratiam habitualem intelligit, quæ morti opponitur.

Probant hæc aliqui hac ratione (qua credunt etiam Augustin. in hanc sententiam adductum) quia scilicet (vt postea docuit Trid. sess. 6. c. 4.) remissio peccati *Trident.* ante baptismum commissi iam fieri nequit sine baptismo, aut eius voto: atqui ita baptizatus non potest postea iustificari per votum baptismi (quia iam amplius baptizari nequit) ergo debet iustificari per ipsum baptismum. Sed vt benè notat Vasquez disp. 159. *Vasquez.* n. 51. hæc ratio non probat vllo modo quod illi intendunt. Nam vt maior sit vera, nullo modo requiritur vt aut baptismus, aut eius votum ex opere operato peccata deleat, aut gratiam conferat: nec in hoc sensu verba Concilij intelligenda sunt (essent enim falsa. nam quando quis ante baptismum per contritionem iustificatur, neque baptismus, neque eius votum ex opere operato iustificationem operatur, vt ostendi dubio 4. & fatentur etiam Authores illius rationis) sed Concilium nihil aliud docet quàm quantumcumque quis fuerit iustificatus per contritionem, nihilominus eum teneri baptizari, nisi iam sit baptizatus: siue neminem vnquam iustificari, nisi qui aut actu receperit baptismum, aut habeat implicitum votum baptismi. Hinc Concilium non dicit nos necessariò iustificari per baptismum, aut eius votum; sed non posse sine alterutro iustificari. Alij putant D. Augustinum etiam hoc sensu dixisse baptismum fictè susceptum pœnitenti postea incipere valere ad salutem: nimirum partim quia ille iam satisfacit obligationi suscipiendi baptismum, quam omnes per peccatum originale, aliúdue actuale priùs commissum directè contrahimus; ita vt sine huius susceptione, vel voto iustificari nequeamus. partim quia talis per baptismum iam factus est capax aliorum Sacramentorum, per quæ postea iustificatur.

Sed si Aug. in illis libris attentè legatur, eiúsque scopus spectetur, hæc explicatio non satisfacit. 67

Pro quo Nota D. Aug. disputare hanc quæstionem vt respondeat Donatistis, qui, vt patet ibidem lib. 1. c. 11. à Catholicis petebant. Vtrùm per baptismum collatum, & susceptum in suo schismate remitteretur peccata, & conferretur Spiritus sancti gratia, an non? Quòd si, inquiebant, primùm dicatur, ergo Spiritus sanctus datur apud nos, atq; ita habemus veram Ecclesiā: si secùndum, ergo debetis redeuntes à nobis ad vos iterùm baptizare. Quibus D. Aug. c. 12. respondens similiter ab iis petit: Vtrùm fictè sine dolore peccatorum in vera Ecclesia baptizato (quem etiam ipsi fatebantur non debere rebaptizari) remittantur peccata, nec ne? Deinde subiungit duplicem modum quo possent respondere. Primò, dicendo tali non valere baptismum ad salutem quando baptizatur, sed postea quando se conuertit. Secundò, dicendo tali pro illo momento quo baptizatur per vim baptismi dimitti peccata; sed per fictionem continuò redire. *Sicut*, inquit, *fit*,

cùm quisque à tenebris per lucem transit ad tenebras, oculi quidem eius in tenebras perpetuò diriguntur, sed non potest lux nisi perfundere transeuntem. Deinde hoc fortè dici posse probat ex parabola Matth. 18. vbi à seruo nequam, quia noluerat dimittere debitum conseruo suo, debitum iam antè remissum repetitur.

Item lib. 3. c. 13. ait: *De remissione peccatorum vtrum per baptismum apud hæreticos fiat, quid mihi videatur, in alio iam volumine* (scilicet loco iam citato) *scripsi, sed etiam hic breuiter commemoro. Si fit illic remissio debitorum per baptismi sanctitatem, rursus debita redeunt per hæresis aut schismatis obstinationem: & ideo necessarium habent huiusmodi homines venire ad catholicam pacem, vt hæretici & schismatici ess. iam desinant, & eorum quæ in illos redierant, peccatorum purgationem in vnitatis vinculo caritate operante mereantur. Si autem quamuis apud hæreticos aut schismaticos idem sit baptismus Christi, non tamen ibi operetur remissionem peccatorum propter eandem discordiæ fœditatem, & dissensionis iniquitatem; tunc incipit valere baptismus ad dimittenda peccata, cùm ad Ecclesiæ pacem venerint non vt iam dimissa non retineantur* (id est, non sicut fierent, si prior illa sententia esset vera, vt peccata seu debita semel remissa, & per fictionem reuocata, desinât retineri siue imputari, quia nimirum secundò dimittuntur) *neque vt ille baptismus quasi alienus aut alius improbetur, aut alter tradatur: sed vt idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem: propter pacem intus operetur salutem.* Deinde pergit probare eandem rem posse ratione diuersarum circumstantiarum modò mortem, modò vitam operari.

68 Sacramentum reuiuiscens secundùm D. August. verè causat gratiam.

Ex quibus clarè patet, August. velle ita baptismum talibus iam conuertis valere ad salutem, vt hanc ipsam operetur. Primò, quia vult ostendere id quod illi quærebant, scilicet, quomodo per talem baptismum conferatur Spiritus sanctus; docetque hunc conferri per sanctitatem Sacramenti, vel dum hoc confertur, ita tamen vt postea redeant statim peccata (non quòd velit hoc esse verum; quia est apertè falsum; sed vt doceat, fore vt ratione peruersæ voluntatis statim redeant peccata, etsi propter vim Sacramenti illo momento remitterentur: quia censerentur quasi sub conditione remitti, cùm absolutam remissionem peruersitas voluntatis impediret) vel, (quod secundùm veritatem dicendum est, postea dum baptizatus conuertitur. Secundò, quia dicit hunc operari salutem, innuitque id facere eodem modo, sicut in schismate operatur mortem, in quo ipsa susceptio in se est peccatum mortale, & operatur mortem animæ. Tertiò, quia ideo postea probat eandem rem posse operari mortem & vitam. Quartò, quia in priore casu (quo scilicet baptizato statim remittuntur peccata, iterúmque imputantur) non dicit redeunti ad Ecclesiam incipere valere baptismum ad salutem, sed peccata ei remitti operante caritate. In secundo autem docet baptismum redeunti incipere valere ad salutem, & hanc operari: quia scilicet posita veritate prioris sententiæ baptismus iam antè contulisset Spiritum sanctum; in secunda autem ac vera sententia vel debet conferre gratiam postea, vel dici nunquam contulisse. quod tamquam absurdum Augustinus vbique euitat. Secundùm alios autem in vtroque casu redeunti ad Ecclesiam eodem modo baptismus valeret ad salutem, nec dicta possent vllo modo commodè explicari.

69 Baptismus est opus & velut semen Christi.

Nota Tertiò. D. August. hanc vim tribuere baptismo ob intrinsecam vim quam in se habet, eo quòd sit opus Christi, qui, vt multis locis docet, in omni baptizante baptizat. Item quia, vt docet l. 1. de baptismo contra Don. c. 10. baptismus est quoddam semen Christi, quo Ecclesia etiam per hæreticos generat filios: quod mala voluntate suscipientium impediri quidem potest, ne statim conferat effectum: tamen omnino corrumpi aut tolli non potest, & consequenter statim ablato per legitimam dispositionem impedimento confert suum effectum. Et hoc est quod ait l. 6. de baptismo c. 5. *Et ideo si ab illa peruersitate correctus, & à separatione conuersus venerit ad catholicam pacem sub eodem baptismate quod acceperat, peccata dimittuntur propter vinculum caritatis, sub quo baptismate peccata eius tenebantur propter sacrilegium diuisionis.* Vbi Aug. non vult (vt quidam putant) docere tali conuersio peccata solum dimitti per actum caritatis, non cooperante baptismo; sed pacem & reconciliationem cum Ecclesia (hanc enim Aug. non autem actum caritatis, per vinculum caritatis intelligit) efficere, vt peccata eius per baptismum possint dimitti, quæ antea ita per schisma tenebantur, vt per baptismum dimitti non possent. Nam subdit: *quia illud* (scilicet baptisma) *& in homine iusto, & in homine iniusto semper sanctum est* (quia scilicet vim habet sanctificandi) *quod neque æquitate alicuius augetur, neque alicuius iniquitate minuitur.* quia scilicet quatenus est opus & semen Christi, in se immutatam vim regenerandi semper retinet, donec eam ablato obice aliquando exeruerit.

Hanc esse mentem D. August. suprà dicta omnia loca conferenti facilè patebit. Et ex iis satis clarè colligitur D. Augustinum sensisse baptismum cum obice gratiæ susceptum, hoc remoto ex vi suâ, siue ex opere operato remittere peccata, & conferre gratiam. De aliis autem Sacramentis nihil dixit, quia occasio se non obtulit. Postea tamen Scholastici Doctores idem de aliis Sacramentis dixerunt, diuersi de diuersis, aliqui de pluribus, alij de paucioribus, prout quisque concipiebat Augustinum diuersa ratione fuisse permotum, vt hoc de baptismo assereret. D. Thomas in 3. p. de nullis Sacramentis id asserit, nisi de baptismo q. 69. art. 10. quem probat reuiuiscere, quia imprimit characterem. Idem ob eandem rationem docuit de baptismo in 4. d. 4. q. 3. art. 2. quæstiuncula 3. ad 3. negans esse eandem rationem Vener. Eucharistiæ: quia non imprimit characterem. Vnde colligitur eum sensisse omnia & sola Sacramenta imprimentia characterem reuiuiscere. Idem tamen in 4. d. 17. q. 3. a. 4. quæstiuncula 1. docet, accipientem Sacramentum pœnitentiæ cum obice, postea hoc sublato percipere eius fructum. *Sicut*, inquit, *etiam est in aliis Sacramentis.* Vbi videtur hoc priuilegium omnibus Sacramentis tribuere; quam sententiam apertè docet Cajet. tom. 1. opusc. tract. 5. q. 5. §. *Communis autem ratio*; putans eam esse D. Thomæ. & hæc sententia est plurimorum Theologorum, vt patet ex Henriquez l. 1. de Sacramentis c. 25.

D. Thom. *Cajet.* *Henriq.*

Contrà Soto in 4. d. 6. quæst. 1. art. 8. & Vasquez disp. 161. c. 2. putant hoc, vt summum, soli baptismo conuenire. Ratio est, quia Sacramenta non possunt hanc vim habere nisi ex institutione Christi, quam non possumus cognoscere nisi ex Scriptura, traditione aut Patribus: atqui nec Scriptura, nec traditio, nec Patres aliquid simile de Sacramentis docent, nisi solus Augustinus de baptismo: ergo gratis de aliis asseritur.

Soto, Vasquez

Suarez disp. 28. sect. 6. putat Primò idem dicendum de omnibus Sacramentis imprimentibus characterem. Ratio eius est, quia cùm hæc non possint repeti, nisi reuiuiscerent, sequeretur fictè ea suscipientem nunquam vlla ratione posse eorum gratiam consequi, cùm tamen sit ei valdè necessaria. Deinde Secundò, ob eandem rationem putat idem dicendum de Matrimonio, & Extrema vnctione: quia illud viuente coniuge; hoc durante eodem morbo reperi non potest. Sed alij respondent, hoc argumentum tantùm probare, pertinere ad diuinam prouidentiam eo casu talibus hominibus alia ratione iam iustificatis, ratione Sacramenti iam suscepti, dare suo loco & tempore ea auxilia actualia, quæ aliàs gratia Sacramentalis habet sibi annexa: quod fieri potest, etsi Sacramentum

Suarez

cum obice susceptum, postea hoc sublato nullam gratiam habitualem ex opere operato conferat. Quare hæc ratio non conuincit, est tamen probabilis, vt infrà patebit. Terriò, idem putat de pœnitentia casu quo detur informis: sed suo loco ostendemus hanc non dari informem. Quartò de Vener. Sacramento docet rem esse dubiam, remittítque solutionem ad proprium tractatum; vbi docet id quibusdam tantùm casibus reuiuiscere.

71 Nota Quartò, *Doctores* etiam hîc disputare, Vtrùm Sacramenta, posito quòd reuiuiscant, conferant ex opere operato distinctam gratiam ab ea, quæ confertur ratione dispositionis, aut Sacramenti quo obex tollitur. *Glossa* c. *Tunc Valerc.* de consecratione, d. 4. & *Paludan.* Palud. in 4. d. 4. q. 5. §. *sed si hunsmodi.* tribuunt totum effectum dispositioni qua obex aufertur. Alij volunt, tunc gratiam, quæ alias soli dispositioni responderet, tunc simul conferri & à Sacramento sequente, & à reuiuiscente; quatenus per eam diuersa peccata remittuntur. quia hæc partim remittuntur per vnum Sacramentum, partim per aliud.

Ex his patet totam hanc rem esse satis dubiam, nec posse hîc quidquam solidè probari, nisi ex auctoritate *D. Aug.* D. Aug. quæ tamen hac in re nobis debet esse magni momenti, quia eam omnes communiter ferè Scholastici amplectuntur, eamq; hactenus Ecclesia in omnibus rebus ad doctrinam Christianam pertinentibus maximi semper fecit. quare ex eius sententia tota hæc res videtur definienda.

72 Conclvsio I. Ex sententia D. Aug. baptismus *Baptismus reuiuiscens cõfert gratiam ex opere operato.* cum obice susceptus, hoc sublato confert gratiam, vereque regenerat ex opere operato. Quia, vt patet ex locis citatis, ipse docet eum hæc facere vi sua, & quia Sacramentum est, siue quia vim sanctificandi habet etiam susceptus ab iniusto, etsi eam non exerceat donec obex tollatur. Item quia est opus & semen Christi. quæ omnia significant illum ex opere operato hæc facere. quia Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, nihil est aliud quàm ipsum hanc conferre vi sua, & quatenus est opus Christi.

73 Conclvsio II. Probabilius est baptismum sublato obice conferre distinctam gratiam habitualem ab ea quæ confertur ratione operis, quo obex tollitur: ita scilicet, vt auferens obicem plus gratiæ recipiat, quàm per eum actum reciperet, si præcedens Sacramentum non reuiuisceret. Henriquez lib. 2. c. 27. n. 3. *Henriquez, Suarez.* & 5. vbi dicit esse communem. Suarez disp. 28. sect. 4. §. *Tertius igitur*, & sect. 5. §. *Res certè.*

Probatur, quia D. August. locis citatis docet eo casu baptismum conferre vi sua Spiritum sanctum, & operari hominis salutem; ita vt ei prosit ad salutem. quæ apertè significant hominem tunc aliquid accipere ratione Sacramenti, quod aliàs non acciperet, quia aliàs Sacramentum ei verè non prodesset ad salutem. nam eandem planè gratiam acciperet ratione operis, quo obex tollitur, etsi Sacramentum nihil operaretur. Nec sufficit dicere eatenus prodesse ad salutem, quatenus ratione *eius* accipit postea gratias præuenientes. quia D. August. dicit prodesse ad salutem conferendo Spiritum sanctum, qui solùm confertur per gratiam habitualem. Confirmatur, quia quoties Doctores docent Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, intelligunt hoc de distincta gratia ab ea quæ confertur ex opere operantis: ergo similiter etiam hîc intelligendum est.

74 Conclvsio III. Baptismus reuiuiscens remittit *Remittit omnem pœnam.* omnem pœnam temporalem debitam peccatis ante eius susceptionem commissis, eodem modo ac si fuisset legitimè receptus. Ita D. Thom. locis suprà citatis, *D. Thom.* & communiter Doctores. Probatur, quia D. Tores communiter docent ideò baptismum hanc vim habere, quia regenerat, & facit quasi alium hominem: atqui baptismus reuiuiscens verè regenerat, vt docet D. Augustinus locis citatis præsertim l. 1. c. 10. ergo etiam habet eandem vim.

Conclvsio IV. Etsi D. August. de solo baptismo 75 docet eum reuiuiscere; probabiliter tamen ex eo colligitur idem dicendum de Confirmatione & Ordine. Quia ratio qua illud probat de baptismo, in hæc Sacramenta etiam conuenit. Nam eodem modo sunt opus Christi ex se sanctum, siue vim sanctificandi habens, perpetuò in homine incorruptum perseuerans, ratione characteris & status in quo illa hominem constituunt, qui perpetuò immutabilis durat: ergo etiam vim suam sanctificandi perpetuò retinent, eámque sublato obice exerunt. *Confirmatio & Ordo reuiuiscunt.*

Et possunt hæc probabili coniectura confirmari: quia cum Deus hæc Sacramenta instituerit ad subueniendum hominis necessitati (quia eorum gratia ad dignè obeundum statum in quo illa nos constituunt, est nobis valdè necessaria) probabile est Deum noluisse hominem ea indispositè suscipientem manere *perpetuò destitutum omni medio quo possit* eorum effectum consequi: quod sequeretur, si non reuiuiscerent, cùm iterari nequeant. Et quamuis hoc argumentum in rigore tantùm probet, tali homini conuerso postea conferri ratione Sacramenti easdem gratias præuenientes, quas alij recipiunt ratione gratiæ Sacramentalis; quia hoc modo eius necessitati sufficienter subuenitur: tamen cum Christus ita Sacramẽta instituerit, vt non solùm dignè suscipientibus conferant ius ad dictas gratias præuenientes, sed etiam gratiam habitualem, quæ sit quasi fundamentum illius iuris: probabile est ita instituisse, vt quacumque ratione conferant homini ius ad illas gratias, conferant etiam fundamentum illius, siue gratiam habitualem.

Conclvsio V. Idem probabile est de matrimonio: quia eadem etiam huius est ratio. Nam est etiam opus Christi, & ex se sanctum hoc ipso quo Sacramentum est. Item est constans & permanens ratione vinculi & status in quo contrahentes constituit: qui etsi non omnino, tamen aliqua ratione perpetuus est; qui viuente coniuge, nec illud iterari, nec hic solui potest. Atque ita eadem in hoc & aliis videtur rario. 76 *Etiam matrimonium.*

Vtrùm autem quando obex solùm tollitur mortuo coniuge, conferat nihilominus gratiam, valdè dubium est, & pars negatiua est probabilior: quia tunc Sacramentum nulla ratione permanet, sed iterari potest, nec est eadem illius gratiæ necessitas.

Concl. VI. Potest probabiliter idem dici de Extrema vnctione, modò obex tollatur durãte eodẽ morbo. Quia cùm hoc Sacramentũ sit ita institutũ, vt toto eo tempore nequeat iterari, videtur quasi habitu in ægroto toto eo tẽpore perseuerare. Atque ita in hoc eadem erit ratio. Has concl. tenet Suarez citatus sup. 77 *Atque Extrema vnctio.* *Suarez.*

Conclvsio VII. Probabilius est Ven. Eucharistiam nullam conferre gratiam, si obex tollatur post consumptas species: quia cùm hoc Sacramentũ quantum est ex vi institutionis Christi, possit etiam eodem die sæpiùs sumi (quia ter à sacerdotibus in Natali Domini, & quandoque ob alias causas sæpe per diem sumitur) videtur consumptis speciebus nec actu, nec quasi in habitu (vt de aliis Sacramentis diximus) vltriùs permanere; & consequenter nec hæc, nec aliæ rationes, ob quas dixi alia Sacramenta reuiuiscere, hîc locum habent. Et aliunde sequeretur, eum qui aliquandiu millies per diem ingenti cum sacrilegio communicaret, postea conuersum ex immani flagitio subitò acquisiturum magnam sanctitatem quod videtur valdè absurdum. Secùs est quando obex tollitur ante consumptas species: quia Sacramentum adhuc durat, & probabile est posse conferre nouam gratiam ex opere operato, si accedat noua dispositio; vt videbimus suo loco. 78 *Quid sentiendum de Ven. Sacramento.*

De Sacramento Pœnitentiæ nihil hîc dico: quia probabilius credo non dari informe.

79 Dices; Opera mortua nunquam per pœnitentiam viuificantur: atqui Sacramentum indignè susceptum est opus mortuum: ergo nunquam viuificatur.

Resp. ipsam susceptionem indignam, vt est opus hominis, esse quidem opus mortuum, atque etiam mortiferum: ipsum tamen Sacramentum esse opus Christi in se viuum & sanctum, & ex Christi meritis habens vim sanctificandi, quam ablato impedimento statim exerit.

Sunt qui alia quædam contra dicta obiiciunt, quibus difficile videtur fieri posse vt diuersa peccata simul in eodem existentia possint remitti partim per Sacramentum reuiuiscens, partim per contritionem, aut Sacramentum subsequens, quod nos asserimus quandoque fieri: sed hoc facilè fieri posse, patebit ex dubio sequenti.

DVBIVM VI.

Qualis dispositio requiratur ad tollendum obicem: & quomodo tunc Sacramentum reuiuiscens suum effectum operetur?

80 Obex gratiæ est duplex.

NOta Primò, obicem posse esse duplicem: Primò omnino positiuum; quando quis actualiter peccat suscipiendo Sacramentum. Secundò quasi negatiuum; quando quis indispositus quidem accedit ad Sacramentum, tamen hoc inuincibiliter ignorat, ideóque non peccat. Consistit itaque hic obex propriè non in ipso peccato habituali (nec enim opus est hoc priùs tolli, quàm Sacramentum conferat suum effectum: quia aliàs nunquam per Sacramentum remitteretur peccatum) sed in defectu dispositionis requisitæ. Quod vt clariùs fiat.

Peccatum habituale duo includit.

Nota Secundò, peccatum mortale habituale duo in se includere. Primò, ipsam maculam, siue hæc sit priuatio gratiæ, siue habitualis à Deo auersio. Secundò, habitualem voluntatem, qua peccatum commissum tam diu censetur peccatori manere habitualiter voluntarium, donec voluntas per verum eius odium saltem virtuale ab eo auertatur. Obex igitur non consistit in priore, sed in secundo, quia retinens maculam peccati sufficienter est dispositus ad baptismum, si modò habeat tale odium supernaturale siue attritionem, quia secundum illud tollitur. Et hæc quidem vera sunt respectu peccatorum ante susceptionem Sacramenti commissorum: fallunt tamen respectu subsequentium, vt dicam concl. 1.

In quo cõsistat obex gratiæ.

81 Nulli Sacramentum remittit peccata futura.

Nota Tertiò, conuenire inter omnes Doctores. Primò, ad tollendum obicem sufficere contritionem, aut attritionem cum Sacramento pœnitentiæ, quando aliquod peccatum post baptismum commissum est. Secundò, necessariam esse contritionem, aut attritionem cum Sacramento, quoties ipsa susceptio Sacramenti fuit sacrilega. Primò, quia cùm hoc peccatum directè impediat, & quantum est in se interimat vim Sacramenti, non potest per idem Sacramentum remitti. Secundò quia nullum Sacramentum instituitur est ad remittenda peccata futura, nec ad hoc vllam vim habet: atqui hoc peccatum est aliquo modo natura posterius ipso Sacramento, quia non solùm interna voluntas suscipiendi sacrilegè Sacramentum, sed ipsa externa susceptio est verum peccatum, quod non censetur completum nisi perfecta susceptione Sacramentum sit positum: & consequenter secundùm esse completum est, saltem natura posterius ipso Sacramento. Vnde etiam D. Aug. l. 1. de baptis. c. 12. sæpiùs apertè insinuat, ipsam fictionem nullo modo remitti per baptismum fictè susceptum, sed per pœnitentiam sequentem. *Augustin.*

Hinc etiam communiter Doctores asserunt, quoties peccatum mortale commissum est post Sacramentum cum obice etiam negatiuo susceptum, necessariam esse contritionem, aut attritionem cum Sacramento. Durand. in 4. d. 4. q. 4. ad 1. Scot. ibid. q. 5. obiect. 2. & alij communiter. Paludanus tamen in 4. d. 4. quæst. 5. probabile putat hoc casu sufficere attritionem. Quia etsi Sacramentum non sit institutum ad remittenda peccata sequentia, videtur tamen per accidens in hoc casu posse remittere: sicut Sacramenta viuorum conferunt quandoque primam gratiam, & confessio delet peccata licitè omissa. Esse autem hîc eandem rationem inde patet, quia etsi Vener. Sacramentum v.c. non sit institutum ad remittendum peccatum mortale: tamen hoc inuincibiliter ignoratum remittit attrito præcisè quia habet vim conferendi gratiam ex opere operato non ponenti obicem; & attritus non ponit obicem: atqui Sacramentum fictè susceptum retinet veram vim postea conferendi gratiam ex opere operato non ponenti obicem, nec attritus ponit vllum obicem (quia solum peccatum mortale dicitur obex, de quo quis non est attritus: nam aliàs attritus existens in peccato mortali poneret obicem Ven. Sacramento:) ergo huic confert gratiam, & delet per accidens peccatum etiam postea commissum, cum obligatione tamen idem confitendi. Quidem ob has rationes putant hanc sententiam esse probabilem, licèt contrariam credant veriorem. Vasquez verò disp. 160. num. 14. negat esse probabilem: quod credo verius, vt ostendam infrà. 82 *Durand. Scotus. Paludan.*

Est igitur prima & præcipua difficultas, Vtrùm quando obex fuit tantùm negatiuus, nec postea commissum fuit vllum peccatum mortale, ad illum tollendum sufficiat attritio. Affirmant Suarez disp. 28. sect. 5. concl. 1. Paludan. citat nu. 82. Henriquez lib. 1. c. 24. n. 2. qui alios citat. Alij verò cum Scoto in 4. d. 4. q. 5. propos. 3. id negant: quorum ratio est, quia hæc res nobis ex sola auctoritate, & præcipuè D. Augustí. constare potest. Atqui nec D. Aug. nec vlli antiqui affirmarunt solam attritionem sufficere: ergo nec nos debemus id affirmare. Sed hæc ratio nihil vrget. quia, vt bene docet Vasquez, antiqui non disputarunt vnquam de hoc casu, sed tantùm de eo, quo quis actu peccat in ipsa susceptione. quare non est mirum, si non dixerint attritionem sufficere. 83 *Suarez. Paludan. Henriquez. Scotus. Augustin. Vasquez.*

Secunda difficultas est, Vtrùm peccata quæ committuntur dum quis suscipit baptismum (v. c. si quis tunc habet actualem voluntatem furandi) debeant postea in confessione explicari. D. Thom. enim q. 69. a. 10. ad 2. ait ipsam fictionem debere auferri per pœnitentiam, sed omnia alia peccata tam præcedentia, quàm simul existentia remitti per baptismum: probatque ex loco quodam D. Aug. Sed hic nihil facit ad rem quia. D. Augustí. ibi loquitur secundùm sententiam illam, quæ dicit baptismum fictè susceptum eodem instanti remittere omnia peccata vsque ad illud instans facta, atque etiam ipsam fictionem; sed statim rediura: vt ostendi dub. 5. D. Thomam communiter sequuntur Thomistæ. Ratio eorum est, quia quòd fictio non possit remitti per baptismum, est, quia habet singularem cum eo repugnantiam, quam alia peccata non habent. quare cùm non sequantur ipsum baptismum, poterunt per eum remitti. 84 *D. Thom. Augustin.*

Quæ sententia, si velit per baptismum remitti etiam peccata, quæ eodem instanti, quo hîc perficitur, committuntur, ita vt hæc postea non sint confitenda; etiamsi esset vera, non tamen haberet locum in praxi. Primò, quia fortasse humanitus non potest fieri, vt tunc committatur aliquod peccatum, & non duret vlteriùs: quia actus nostri non sunt merè

instantanei, sed per tempus durant. Et quamuis posset contingere, vt actuale peccatum priùs inceptum eodem instanti finiretur, quo baptismus completur: tamen hoc nemo potest aduertere, quare saltem sub dubio peccator teneretur id confiteri, quia nesciret an non duraverit postea.

85 Tertia difficultas est, Quando obex tollitur per contritionem, aut Sacramentum subsequens, cùm tunc ratione Sacramenti reuiuiscentis detur maior gratia, quàm quæ respondeat præcisè causæ qua tollitur obex: vt patet ex dubio præcedenti concl. 2. Difficultas, inquam, est qua ratione vtraque gratia producatur ab vtraque causa. Quidam enim volunt causam tollentem obicem priùs producere suum effectum, quàm Sacramentum reuiuiscens. Quibus videtur fa- *D. Thom.* uere D. Thomas q. 69. art. 10. ad 2. vbi dicit priùs per pœnitentiam tolli fictionem, & deinde baptismum remittere reliqua peccata ante ipsum commissa. Loquitur autem de fictione quæ sit peccatum actuale, quæ tolli nequit sine infusione gratiæ.

86 Quarta difficultas est, Verùm Sacramentum reuiuiscens meliùs disposito conferat maiorem gratiam? Pars enim affirmatiua probatur: quia Sacramentum dum suscipitur, confert plus gratiæ meliùs disposito: vt ostendi dub. 3. concl. 2. ergo etiam dum reuiuiscit: quia est eadem ratio. & rationes quæ probant de vno, probant etiam de alio, præcipuè quan... Sacramentum reuiuiscit per solam attritionem: quia videtur inconueniens quòd attritus vt decem non recipiat maiorem gratiam, quàm attritus vt vnum. Nec refert quòd hæc attritio non *disponat* ad susceptionem Sacramenti; quia sufficit quòd disponat ad eius effectum. Nam cum Sacramentum secundùm se non pendeat à dispositione, sed solùm à ratione sui effectus, videtur magis attendendum qualis sit dispositio dum confertur effectus, quàm dum suscipitur Sacramentum.

87 Dices, Inde sequeretur, eum qui fictè suscepit Sacramentum. & postea tollit obicem dispositus vt decem, melioris esse conditionis eo qui dignè recepillet Sacramentum dispositus vt vnum. Resp. hìc nullum esse absurdum: quia talis non reportat lucrum ex suo scelere (quod vel per accidens, vel summum vt quædam occasio se habet respectum maioris gratiæ) sed ratione maioris dispositionis & diligentiæ, qua se ad effectum Sacramenti suscipiendum præparauit; cui alter æqualem etiam habuisset, si æquè se præparasset. Simili modo si aliquis susciperet baptismum cum obice priuatiuo, sine vllo nouo peccato, & alter eum tunc contemneret suscipere, & deinde sæpiùs vterque æqualiter peccaret, vel secundus etiam multò grauiùs: & tandem in fine vitæ vterque æqualiter contritus, ille tolleret obicem, & hic baptizaretur, etsi hic longè grauiùs peccasset, tum ipsa dilatione baptismi, tum etiam per alia peccata; tamen vt minimùm æqualem gratiam cum altero reciperet, & præterea remissionem omnis pœnæ temporalis, quam ille non reciperet. Nec secundus reciperet commodum ex suo scelere, sed ex baptismo cui peccatum contemptionis vel omnino per accidens, vel vt summum tanquam *Vasquez.* quædam occasio fuisset adiunctum. Quare Vasquez disp. 159. cap. 5. ait hanc partem esse veriorem, posito quòd Sacramentum reuiuiscens conferat gratiam *Suarez.* operato. Suarez verò disp. 28. sect. 4. §. *Atque in hunc modum*, putat vtramque partem probabilem, veriorem tamen credit negatiuam.

88 Ex his patet multa in his esse valdè obscura, quia cùm pendeant merè ex institutione Christi, qui & hoc & illo modo potuit Sacramenta instituere; difficile est coniicere quomodo ea instituere, qui ad præsentes quæstiones attinet, cùm neque ex Scriptura, neque ex traditione aliquid omnino certi habeamus. Quia verò, vt dixi dub. 5. horum solutio præcipuè debet peti ex D. August. conabimur ex ipsius dictis ibidem explicatis quantum poterimus, eandem deducere.

89 Vt Sacramentum reuiuiscat aliquando, necessaria est contritio aut Sacramenti susceptio. *Durand. Scotus. Vasquez. Tritem.*

Conclvs. I. Quandocumque susceptio Sacramenti fuit peccatum mortale, aut post eam suscipiens mortaliter peccauit, vt reuiuiscat, necessaria est contritio, aut attritio cum alio Sacramento: ita Durand. Scotus, Vasquez citati n. 82.

Prior pars ab omnibus conceditur, & ex probatione secundæ partis confirmabitur; quia, vt ostendi suprà n. 81. & probabo infrà n. 96. hoc peccatum consummatur natura posteriùs ipso Sacramento. Secundam partem probant aliqui ex Trid. sess. 7. can. 10. de baptismo, & sess. 14. c. 2. vbi dicitur peccata post baptismum commissa per hunc non remitti, sed per pœnitentiam. Sed Concilium apertè loquitur de remissione peccati directa & per se, sine obligatione id confitendi, & in casu quo baptismus iam antè habuit suum effectum, vt patet legenti; quia agit contra hæreticos qui dicunt peccata baptizati remitti per recordationem baptismi, nec opus esse ea confiteri. Nos autem hìc agimus de remissione peccati per accidens, & cum obligatione ipsum confitendi. Deinde hæc ratio vt summum potest probare aliquid de baptismo, non autem de aliis Sacramentis. Tota itaque eius ratio est, quia Sacramenta nullo modo sunt instituta ad remittenda peccata futura, nec ad hoc vllam habent vim. Cuius ratio à priori est sola voluntas Christi illa instituentis. Hanc autem colligo Primò, quia (vno forte excepto) est communis doctrina Theologorum, quæ magni hìc facienda est. Secundò, ex doctrina D. Aug. dub. 5. explicata; ex qua patet Sacramenta habere vim remittendi peccata, quia sunt opus Christi in se sanctis; & quia applicant nobis eius merita ad sanctificandum: nos primo instanti quo non reperiunt obicem. Applicantur autem hæc vnicuique in particulari, quando ei confertur Sacramentum, non autem antè vel pòst, quia applicantur per ipsam collationem Sacramenti, quod ideo dicitur in se ea continere. Item applicantur non ad effectum vagum & indeterminatum, sed ad determinatum & certum, qui, inquam, talis sit non solùm ex præscientia Dei (qua ratione omnis causa quantumcumque indeterminata habet ab initio omnes suos effectus certos & determinatos) sed ex vi præsentis applicationis; ita vt ex vi eius possint ablato obice habere talem effectum & non maiorem. Nam aliàs Deus ex visione suæ voluntatis præcisè, qua hìc & nunc applicat merita Christi huic homini, non sciret perfectè ad quem effectum ea applicaret, aut quid ei esset donaturus, atque adeò quid hìc & nunc quasi in semine ac radice ei donaret; quod videtur absurdum: atqui si Sacramentum reuiuiscens posset remittere peccata post eius susceptionem commissa, non esset dum confertur, ita applicatum ad certum aliquem effectum; quia posset semper in infinitum habere maiorem, prout ante sublationem obicis plura vel pauciora peccata committerentur: ergo non est verisimile à Christo ei hanc vim esse donatam.

Quare Sacramentum nunquam remittat peccata post sui susceptionem commissa. Sacramentum nobis applicat merita Christi, dum suscipitur idque ad effectum determinatum.

99 Dixi debere applicari ad certum effectum, quo non possit habere maiorem: quia potest habere minorem, si obex non omnino auferatur. v. c. si attritio subsequens non extendat se ad omnia peccata venialia, ita vt aliqua adhuc actu, vel interpretatiuè placeant. Quòd si tamen hæc commissa sint ante baptismum, credibile est, statim ac baptizatus postea de aliis dolet, ea secundùm culpam & omnem pœnam remitti.

Tertiò probatur, quia aliàs Deus quadam ratione condonaret alicui peccata antequam ea committeret, quia applicaret ei actu Christi merita ad ea delenda statim atque desinerent homini esse interpretatiuè

voluntaria. quod videtur minùs conueniens.

91 Peccata mort. post baptismum commissa ex duplici capite ponunt obicè eius remissionis.

Et his patet solutio ad argumenta contraria allata num. 82. quia peccata postea commissa respectu præcedentis Sacramenti non solùm sunt obex, quatenus adhuc manent interpretatiuè voluntaria; sed etiam præcisè quatenus sunt peccata mortalia: quia ad ea remittenda Sacramentum nullam habet vim, & consequenter nec ad conferendam vllam gratiam, nisi iuuetur ab alia causa, qua illa remitti possunt.

Alia autem exempla quæ contra nos adferuntur, nullo modo sunt similia, vt patet: quia in iis solùm remittuntur peccata ante Sacramenti susceptionem commissa.

92 Sacramẽtũ quandoque reuiuiscit per solam attritionẽ. *Suarez. Paludan. Henriquez.*

Conclvs. II. Quando nec in susceptione Sacramenti, nec postea fuit vllum peccatum mortale commissum, vt Sacramentum reuiuiscat, sufficit vera attritio quæ ad omnia peccata moraliter se extendat. Ita Suarez, Paludan. Henriquez, citati nu. 83. Probatur. quia peccata commissa ante susceptionem Sacramenti respectu ipsius non habent rationem obicis, nisi quatenus permanent habitualiter siue interpretatiuè voluntaria: atqui hæc ratio voluntarij sufficienter tollitur per talem attritionem; vt patet ex dictis suprà: ergo etiam sufficienter tollitur obex, & consequenter Sacramenta conferunt suum effectum. Confirmatur, quia omnia Sacramenta remittunt attrito peccata mortalia priùs commissa præcisè, quia conferunt gratiam ex opere operato; vt patet ex dub. 2. concluſ. 5. atqui etiam dum reuiuiscunt, conferunt gratiam ex opere operato: ergo eiusmodi peccata attrito remittunt.

93 *Aug. ſ.*

Ex his patet solutio ad contrarium argumentum allatum num. 83. Nam etsi D. August. aliique antiquiores non ita expressè nostram sententiam habeant ex iis tamen satis ea colligitur, dum dicunt Sacramenta, quæ reuiuiscunt, conferre gratiam ex opere operato; ac vi sua remittere peccata præcedentia. Ex quo colligimus eos ad hoc non requirere necessariò talem dispositionem, quæ ad peccata delenda per se sufficiat. Sicut ex eo quòd baptismus & pœnitentia sunt instituta ad delenda peccata, colligimus ad hoc non esse necessarium, vt susciens priùs conteratur.

94 Conclvsio III. Omnia omnino peccata etiam quæ committuntur dum baptismus suscipitur, si omnino peracta sint ante vltimum instans, quo ille essentialiter completur, per ipsum, dum reuiuiscit, remittuntur: quia hæc ante ipsum commissa sunt. Secùs est de iis quæ in hoc instanti adhuc actu durant.

Prior pars clara est, & ab omnibus admittitur; & *D. Thom.* de iis peccatis credo loqui D. Thom. q. 69. a. 10. ad 2. dum ait, per baptismum remitti peccata, quæ simul cum eo existunt.

Secunda pars probatur, quia excepta indigna susceptione Sacramenti, vix potest fingi vllum peccatum, quod illo instanti in quo verum est dicere, Iam Sacramentum habet completum suum esse, & in quo gratia, si abesset obex, deberet conferri, adhuc duret & non vlterius. Quod de peccatis internis probatur. Actus interni incipiunt per primum suum esse, ita desinunt per primum suum non esse: atque ita non potest dari certum instans quo verum est dicere, Talis actus iam est, & immediatè post non erit. Per primũ non esse. quia aliàs quando duo actus in eadem potentia sibi immediatè succedunt, cùm secundus incipiat per primum sui esse, deberent dari duo instantia immediata. quod communiter habetur impossibile. Confirmatur, quia ob hanc causam forma substantialis, quæ corrumpitur per introductionem alterius, secundùm communem sententiam definit per primum sui non esse. Quod necessariò generaliter verum est de omnibus formis, quibus potest alia immediatè succedere, quæ incipiat esse in instanti. Vnde infero, idem etiam dicendum esse de iis, quæ desinunt esse sine successione alterius: quia cùm sint eiusdem naturæ, siue alia succedat, siue non, dicendum est eodem modo desinere. Nec enim ideo aliæ desinunt per primum sui non esse, quia aliæ succedunt (quamuis ex hoc illud colligamus) sed quia talis est earum natura.

Idem etiam videtur dicendum de actu externo: quia non video qua ratione possit à suscipiente Sacramentum, vllum peccatum externum committi, quod præcisè dicto instanti esse desinat. Sed quidquid sit de possibilitate physica vtriusque actus, certè hic casus talis est, qui moraliter nequeat contingere.

His adde, etsi fingamus aliquod peccatum durare præcisè eo instanti, & non vlteriùs, tamen non poterit remitti per baptismum. Probatur, quia Doctores communiter dicunt ideo indignam susceptionem baptismi, non posse postea per ipsum dimitti, quia directè impedit & quasi eneruat ipsius vim. Nec videtur probabile Sacramentum esse institutum ad remittendum illud peccatum, quod eius vim ita eneruat, eique directè opponitur: atqui alterum peccatum dicto casu eodem modo opponeretur virtuti baptismi, eámque impediret: ergo non potest per ipsum remitti. Minor probatur, quia indigna susceptio Sacramenti ideo eius virtutem directè impedit, quia directè repugnat debitæ dispositioni: atqui quodvis aliud peccatum mortale, dum actu durat, similiter huic repugnat: quia actualis complacentia in peccato mortali directè repugnat absolutæ eiusdem detestationi, & consequenter necessariæ attritioni: ergo similiter impedit eius virtutem. 95 Sacramentum nunquam remittit peccatũ, quod adhuc actu durat, dum ipsum cõpletur.

Ex his sequitur Primò, tam ipsam indignam susceptionẽ baptismi, quàm quodvis aliud peccatum quod eodem instanti quo baptismus perficitur, adhuc committitur, postea explicandum esse speciatim in confessione, quia per baptismum remitti nequeunt. Et confirmatur, quia cùm suscipiens eodem instanti quo intelligitur perfectus baptismus intelligatur baptizatus, intelligitur etiam subiectus Ecclesiæ, ita vt pro eo instanti non possit absolutè dici non subiectus. Cùm igitur eius peccatum adhuc eo instanti duret, ita vt absolutè sit dicendum cum eo instanti peccare; absolutè dicendum est illud esse commissum à subiecto Ecclesiæ, ita vt si solo illo instanti duraret, non posset dici commissum à non subiecto Ecclesiæ: atqui omne peccatum commissum à subiecto Ecclesiæ subiacet clauibus, & est materia absolutionis: vt apertè colligitur ex Trident. sess. 14. c. 2. vbi docet peccata ante baptismum commissa non subesse iudicio, siue clauibus Ecclesiæ. quia nondum baptizatus, non subiacet iudicio Ecclesiæ. Secùs autem esse de commissis ab iis qui iam baptizati facti sunt domestici fidei. Vnde apertè sequitur, illud peccatum subiacere clauibus Ecclesiæ. 96 Peccata commissa eo instanti, quo completur baptismus, confitenda sunt. *Trident.*

Sequitur Secundò, omnia peccata quæ ante illud instans facta sunt, non esse materiam confessionis. hinc etsi centies quis antè habuerit voluntatem baptismum indignè suscipiendi, aliúdque peccatum inter suscipiendum committendi, postea que ipsum verè committat; solùm actum externum debebit confiteri. Quia in hoc sufficienter exprimitur voluntas interna, quæ dum datur baptismus, adhuc durat, & non nisi vnà durare potest. Quòd si peccatum consummetur in actu interno, hic solus erit confitendus, qui tunc adhuc durat. 97 Secus est de peccatis antè commissis.

98 Conclvs. IV. Quando baptismus reuiuiscit per solam attritionem, tunc solus totam gratiam confert: quando verò reuiuiscit per Sacramentum pœnitentiæ, simul natura cum eo confert gratiam, vt causa partialis, maiorem quàm vnumquodque per se conferret: quia vtraque causa habet vim causandi certam gratiam, nec vna alterius vim vlla ratione impedit. Sacramentum reuiuiscens quandoq; vt causa totalis, quandoq; vt partialis gratiã confert.

prior pars per se patet, quia in hoc casu nihil est aliud, quod possit causare gratiam. Secunda pars probatur, quia tunc nec baptismus potest conferre gratiam se solo, cùm non possit remittere peccata post se commissa; nec confessio potest remittere peccata ante baptismum commissa, cùm nullo modo ipsi subiaceant. Cùm autem nec vnum peccatum possit remitti sine alio, nec gratia infundi sine remissione omnium peccatorum; sequitur neutrum Sacramentum posse aliquem effectum habere sine alio. Conferunt itaque suum effectum simul natura, quia dependenter à se mutuo. Sicut duo leuant idem pondus quod neuter solus leuare potest.

99 Dices, Priùs natura debet auferri obex, quàm conferatur gratia: ergo priùs debet remitti peccatum post baptismum factum, quàm ipse conferat gratiam.

Quãdoque simul natura & obex aufertur, & gratia confertur.

Respond. antecedens tantùm esse verum, quando obex consistit in solo defectu dispositionis necessariæ, quia hæc debet præcedere effectum: secùs est quando consistit in ipso peccato, quia eius ablatio non debet esse priùs natura collatione gratiæ. Quia etsi tale peccatum sit obex respectu baptismi secundùm se considerati, quia hic eo perseuerante non habet per se sufficientem vim ad conferendam gratiam; tamen non est ei obex prout est coniunctus cum alio Sacramento, quia vt sic habet ad illud vim sufficientem: sicut nimia grauitas lapidis est Petro impedimentum cur eum per se leuare nequeat, non tamen cur eum nequeat leuare cum alio, qui eum etiam solus leuare nequit.

100 *Diuersa peccata eodē instanti per diuersa Sacramenta remitti possunt.*

Hinc patet, etsi gratia per ea Sacramenta collata saltem ex institutione Dei repugnet æqualiter omnibus peccatis, totàque ab vnoque Sacramento conferatur; bene tamen dici aliqua peccata per vnum Sacramentum remitti, alia per aliud. quia gratia non habet per se vim remittendi peccata (quia de potentia Dei absoluta posset cum iis consistere) sed tantùm ex Dei instituto, qui per eiusdem gratiæ infusionem intendit quædam peccata remittere, quatenus ea producitur ab vno Sacramento, alia quatenus producitur ab alio, prout cuique Sacramento propriam vim indidit. Sicut etsi idem omnino actus caritatis totus producitur ab habitu, & totus à potentia: ab hac tamen habet quòd sit liber & vitalis, ab illo quòd sit supernaturalis.

D. Thom.

Nec dictis obstat quòd D. Thom. q. 69. art. 10. ad secundum, dicat fictionem priùs tolli per pœnitentiam, & ea sublata baptismum remittere peccata priùs commissa. Quia ipse non vult ipsam fictionem, vt est peccatum debere priùs remitti (hoc enim est falsum, quia vnum peccatum non remittitur sine altero) sed eam debere tolli quatenus habet rationem voluntarij, siue ita vt desinat interpretatiuè esse voluntaria, quod fit per attritionem, quæ est pars pœnitentiæ, præceditque eius effectum.

101 Dixi in concluſ. hæc fieri quando tollitur obex per Sacramentum. quia quando tollitur per contritionem, maior videtur difficultas. quia cùm hæc in suo effectu non pendeat à baptismo actu suscepto (nam omnia absolutè peccata per eam possunt remitti) videtur ponere suum effectum priùs natura ipso baptismo: ita vt per hunc nulla postea remittantur peccata, sed tantùm gratia augeatur. Et hoc satis probabiliter dici posset: verius tamen credo etiam eo casu simul natura vtramque causam & causare gratiam & remittere peccata. Probatur, quia contritio priùs natura quàm infundatur gratia, ad eam hominem disponit, & in illo priori omnem obicem gratiæ etiam per baptismum infundendæ tollit, partim quatenus efficit omnia peccata absolutè inuoluntaria: partim quatenus supplet defectum baptismi, augétque eius vim seipsam ei adiungendo, & vnam cum eo causam totalem componendo, quæ possit peccata etiam post baptismum commissa delere: & consequenter in posteriori natura vtrumque simul gratiam causat: baptismus vt causa moralis efficiens, contritio verò per modum vltimæ dispositionis. Idémque dicendum de reliquis Sacramentis per contritionem aut Sacramentum subsequens reuiuiscentibus. quia est eadem ratio.

Sacramẽtũ & contritio eodem instanti naturæ possunt causare gratiam.

Ex his patet facilis solutio ad omnes difficultates quas alij contra hanc concl. obiiciunt. Omnes enim supponunt peccata priùs remitti per contritionem, aut Sacramentum subsequens, quàm per Sacramentum reuiuiscens: cuius contrarium dicendum est.

Conclvs. V. Probabilius est Sacramentum reuiuiscens per se non conferre maiorem gratiam meliùs dispositio Suarez disp. 28. sect. 4. §. *Duos potui.* Sequitur ex concl. 1. vbi ostendi Sacramentum dum confertur, applicare merita Christi ad certum effectum, vel tunc, vel statim ac obex erit ablatus, conferendum, secundùm dispositionem & statum quem dum confertur reperit in subiecto; non autem ad effectum incertum: atqui si postea conferret gratiam maiorem meliùs dispositio, applicaret merita Christi ad effectum incertum, quia posset hic esse vel vt 100. vel tantùm vt vnum, pro varia dispositione subiecti: ergo dicendum est hoc non fieri. 102 *Suarez.*

Vnde sequitur Primò, Sacramentum reuiuiscens semper conferre minimam gratiam quam vnquam vllo casu confert: v. c. baptismum tantam quantam confert infantibus: quia dum confertur, nullam in subiecto reperit dispositionem. Nec refert quòd hac ratione quando Sacramentum reuiuiscit per attritionem, attritus, vt 100. non plus recipiat quàm attritus, vt vnum. quia hoc debet negligentiæ suæ imputare, qua accidit vt malè dispositus Sacramentum prius susceperit. 103 *Sacramentum reuiuiscens semper confert minimam gratiam.*

Sequitur Secundò, etsi Sacramentum non pendeat secundum essentiam ab huiusmodi dispositionibus; pendere tamen ab iis vt merita Christi minus vel magis efficaciter applicet, siue vt maiorem, vel minorem producat effectum. Et ex his patet responsio ad argumenta contraria.

Dixi *per se non conferre maiorem gratiam.* qua ratione contritionis, aut Sacramenti adiuncti, quando prius Sacramentum per hæc reuiuiscit, meliùs dispositio maior gratia confertur, eodem planè modo ac si singula separatim suum effectum conferrent.

ARTICVLVS II.

Vtrùm gratia Sacramentalis aliquid addat super gratiam Virtutum & donorum?

Art. II. docet singula Sacramenta præter gratiam & virtutes habituales conferre quædam auxilia specialia ad singulorum Sacramentorum finem consequendum necessaria, v. c. Baptismum auxilia conducentia ad puritatem vitæ, quam in eo accepimus, conseruandam. Confirmationem, auxilia necessaria ad fidem constanter profitendam, &c. 104

Pro quo Nora, etsi gratiæ habituales & dona virtutum dent nobis vitam spiritualem, nisi tamen Deus sæpe singularibus auxiliis nos præueniat, nos non posse diu omnibus tentationibus resistere, & gratiam conseruare: vt docet Trident. sess. 6. can. 22. Ratio est, quia etsi virtutes infusæ dent sufficientem vim ad actus supernaturales exercendos, non tamen nos sensibiliter excitant, nec facilitant nos in operando: vt bene notat Vasquez 1. 2. disp. 83. num. 1. & 2. 105 *Tridentꝝ* *Virtutes infusæ non facilitant actiones.* *Vasquez.*

Differentia inter habitum acquisitum & infusum.

Quia non habent se sicut habitus acquisiti per modum inclinationis in actum, sed per modum potentiæ, quæ non datur, vt actus facilius possit elici, sed vt possit elici supernaturalis. Vnde fit vt non possimus vlla experientia cognoscere an habeamus habitum supernaturalem, quod tamen facilè perciperemus, si sensibiliter nos inclinaret, sicut habitus acquisiti. Hinc etiam fit quòd etsi habitus supernaturales omnes qui infunduntur cum gratia iustificante sint in eodem semper æquè intensi non minùs hîc quàm in patria; tamen ad illas virtutes magis inclinamur & facilitamur, quibus nos magis exercemus; quia hæc inclinatio fit per iolos habitus acquisitos, quos solùm ad illas virtutes acquirimus.

106 Necessitas gratiæ præuenientis in iusto.

Hinc etiam sequitur, habitus supernaturales non dare per se vim superandi difficultates, ideóque opus esse auxiliis actualibus ad hoc conducentibus, quæ Deus singulis gratiis Sacramentalibus propria annexuit: & quodammodo vnà cum gratia in actu primo confert, dando homini ius ratione illius gratiæ, vt ea debeant pro loco & tempore ei in actu secundo conferri: quæ etsi alia etiam ratione, v. c. per orationem aut merita possint acquiri, tamen per vsum Sacramentorum facilius & certius acquiruntur sicut & gratia habitualis. Et fortè idem volunt Richardus in 4. d. 1. a. 5. q. 4. & Bonauent. in 4. d. 1. art. 1. q. 6. dum dicunt gratias Sacramentales distingui ratione effectus, quatenus institutæ sunt ad diuersa vulnera animæ nostræ curanda, scilicet vel per se delendo peccata, vel per gratias præuenientes sibi, vt dixi, annexas sanando infirmitates ex peccato relictas.

Richard. Bonauent.

107 Qua ratione singula Sacramẽta conferant diuersam gratiam. *D. Thom.*

Vnde patet, etiamsi physicè secundùm substantiam suam gratia habitualis Sacramentorum sit eiusdem rationis in omnibus Sacramentis, & cum ea quæ per merita acquiritur; moraliter tamen ratione iuris quod confert ad talia auxilia suscipienda esse diuersam. Et sic intellige D. Thomam in resp. ad 3. vbi docet gratiam Sacramentalem habere se ad gratiam in communi sicut speciem ad genus. quod non est ita intelligendum, quòd vna sit propriè species, & altera genus: quia sic darentur diuersæ species gratiæ iustificantis, cùm tamen communiter omnes fateantur, omnem gratiam iustificantem esse eiusdem speciei infimæ: sed quia gratiæ Sacramentales, ratione diuersi iuris sibi annexi, per accidens differunt inter se, atque ita sunt quasi diuersæ speciei, & singulæ sunt quid minùs commune respectu gratiæ in genere sumptæ. Quare nulla est ratio cur quidam Thomistæ dicant diuersa Sacramenta diuersos aliquos habitus à gratia & virtutibus distinctos, aut aliquos animæ ornatus distinctos à charactere producere. Nullum enim est fundamentum cur id fingamus, & simili ratione possem mille alios eorum effectus fingere.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Sacramenta nouæ legis contineant gratiam?

108 ARTICVLO III. docet gratiam contineri in Sacramentis tanquam in signis & causis instrumentalibus gratiæ; dici autem in iis contineri, vt in vasis, quatenus vas significat omne instrumentum aptum ad aliquid efficiendum, iuxta phrasim Scripturæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm in Sacramentis sit aliqua virtus gratiæ causatiua?

ARTICVLO IV. docet Sacramentis inesse virtutem causandi gratiam per modum instrumenti, de qua agemus dubio sequenti.

DVBIVM

Vtrùm Sacramenta sint causæ physicæ gratiæ?

NOta Primò, constare inter omnes Catholicos, 109
Primò, Sacramenta verè causare gratiam ex opere operato: Secundò, solum Deum esse causam principalem efficientem gratiæ, Christum verò meritoriam. Sacramentum autem tantùm instrumentalem: vt patet ex Trident. sess. 6. cap. 7. & dictis artic. 1. Sed quæstio est, Vtrùm Sacramenta vero influxu physico per se aut per qualitatem aliquam sibi inhærentem immediatè attingant productionem gratiæ. *Trident.*

Multi, inter quos magna pars discipulorum Diui Thomæ, id affirmant, præcipuè ad hoc permoti, quòd credant esse sententiam D. Thomæ, quam communiter hoc modo probant. Possunt Sacramenta à Deo assumi vt per modum instrumenti physicè gratiam producant: ergo dicendum est hoc ita factum esse. Antecedens probant, quia nulla in eo potest ostendi implicantia. Consequentiam probant Primò, quia hoc spectat ad maiorem dignitatem Sacramentorum. Secundò, quia hoc magis ostendit ac illustrat diuinam potentiam, quæ non modò per se, sed etiam per res alias potest gratiam producere. Tertiò, quia Scripturæ & Patres dicunt Sacramenta causare gratiam, & mundare animas nostras à peccatis. Quæ cùm possint propriè intelligi, necessariò ita intelligenda sunt: atqui si dicta tantùm moraliter faciant, non dicentur ea propriè facere, sed tantùm metaphoricè: ergo dicendum est ea facere physicè. Quartò, quia Patres sæpe mirantur tantam vim Sacramentis inesse, vt possint mundare animas nostras: atqui si tantùm moraliter producant gratiam, nihil erit mirabile: ergo dicendum est physicè eam producere.

Quomodo autem Sacramenta eleuentur ad gra- 110
tiam producendam varij variè explicant; ita vt quidam à contraria sententia magis verbis quàm re ipsa dissentiant. Suarez in 1. tom. disp. 31. sect. 5. disputans qua ratione Christi humanitas ad opera supernaturalia, aut Sacramenta ad gratiam, aut etiam quælibet res ad quidlibet producendum à Deo eleuari possit, quatuor adfert sententias, sed tertia vel nihil dicit, vel à quarta non distinguitur. Quare solùm tres enumerabimus. *Suarez.*

Prima docet rei eleuandæ indi à Deo quandam qualitatem, qua efficitur potens eiusmodi effectum producere. Sed vt omittam multa quibus ibi Suarez hanc sententiam refutat; contra eam facit Primò, quòd talis res non haberet se per modum instrumenti, sed vt causa principalis: sicut intellectus vnà cum lumine beatifico non producit visionem, vt instrumentum Dei, sed vt causa principalis, sicut aliæ causæ secundæ suos effectus. Secundò, quia si esset aliqua qualitas quæ posset producere gratiam, vel maximè id faceret actus caritatis, sicut naturales producunt suos habitus: vel vna gratia produceret aliam, sicut calor calorem: quia nulla causa creata potest vllo fundamento fingi magis proportionata ad dictum effectum, quàm suprà dictæ: ergo cùm hæ id non possint, sine fundamento dicuntur id aliæ qualitates posse. Tertiò, quia vel dicta qualitas haberet ex natura sua in se sufficientem vim ad gratiam in anima producendam simul cum Sacramento sicut lumen gloriæ vnà cum intellectu habet vim producendi visionem beatificam; vel non. Si primum dicatur, sequetur aliquam creaturam, scilicet compositum illud ex Sacramento & illa qualitate, posse naturaliter hominem iustificare, siue habere ex natura sua sufficientem vim vt peccata dimittat, & hominem iustificet, & ex filio diaboli faciat filium Dei: præsertim in sententia Thomistarum, qui tenent gratiam physicè expellere peccata, sicut lux expellit

tenebras. Illud tamen est omnino absurdum, & inter Catholicos inauditum, qui dicunt solum Deum, vt causam principalem posse hominem iustificare. Si secundum dicitur, tunc debebit hæc qualitas vlteriùs eleuari ad gratiam producendam, & res ibit in infinitum.

111 Secunda sententia docet Sacramenta eleuari ad producendam gratiam per quandam diuinam motionem: sicut instrumenta ab artifice mouentur ad producendum opus artificiale. Sed intelligi nequit qua ratione hic motus det Sacramentis vim producendi gratiam. Nam si velimus argumentari ab instrumentis artificum, contrarium probabimus. Nam hæc mota ab artifice propriè nihil producunt; nam serra, securis, ascia, &c. tantùm secant & diuidunt materiam penicillus tantùm imbibit colores, itaque suo affrictu tabulam inficit; & similiter fit in ceteris: atque ita propriè nihil agunt, ad *quod* non habent naturalem vim. Nam securis fortuitò decidens posset findere lignum, aut penicillus imbutus colore inficere tabulam: artifex autem ea *dirigendo* tantùm efficit, vt certo modo & ratione secundùm artem ea faciant, quæ aliàs casu alisa inordinatè facerent. Hinc eadem directio potest fieri per agentia merè naturalia certo modo disposita: vt patet in aqua verrente molam & per eam mouente serram, qua ligna secantur, eodem modo ac si ab artifice moueretur. Secundùm autem illam sententiam Deus mouendo Sacramenta daret iis vim producendi gratiam, ad quem effectum ex se sunt ineptissima; sicut si quis vellet vti securi ad intelligendum. Quare per solum motum non possunt ad illum effectum aptari, sicut nec securis ad intelligendum. Confirmatur, quia vel hic motus habet in se aliquam intrinsecam vim actiuam proportionatam tali effectui, vel non. Primum videtur per se absurdum. Quomodo enim res minimæ entitatis & ineptissima, qualis est motus, habebit vim producendi nobilissimum effectum? Deinde ex eo sequentur incommoda contra primam sententiam allata. Si secundum dicatur, quomodo poterit talem vim communicare Sacramento, quam in se non habet? Quòd si præter motum Deus debet alia ratione Sacramentum eleuare, eique hanc vim tribuere; restabit explicandum qua ratione id fiat, & frustra erit ille motus.

Modus operandi instrumentorum.

112 Tertia sententia docet, cuiuis rei inesse potentiam quandam, quam illius auctores vocant obedientialem, quæ possit à Deo eleuari ad quidquid producendum, hoc ipso quo Deus cum ea velit concurrere concursu proportionato ad talem effectum producendum.

Probant Primò, quia Deus potest quamlibet rem eleuare ad quidlibet recipiendum: ergo etiam ad quidlibet producendum. Secundò, quia Deus potest aliquas res eleuare ad aliquid supernaturale producendum, *v. c. intellectum* ad *visionem* beatificam: ergo quidlibet ad quodlibet.

Sed etiam hæc sententia est valdè difficilis, & nobis omnino inconcepribilis, ideóque non videtur asserenda, nisi aliquid ad hoc nos cogat. Nec enim rectè philosophatur, qui sine grauibus rationibus quas nequit soluere, aliquid asserit, quod cum communi conceptu & modo intelligendi videtur pugnare.

Malè sine euidenti ratione asseris quod ne quis concipere.

113 Pro quo Nota Secundò, vt res aliqua eleuata à Deo verè physicè aliam producat, non sufficere quòd Deus ad eius præsentiam rem alteram producat; sed necesse est, vt ipsa etiam tãquam causa partialis in rem illam influat per vim actiuam sibi intrinsecam: sicut intellectus per vim sibi connaturalem & intrinsecam influit in visionem beatificam, eámque vt causa partialis vnà cum lumine gloriæ producit. Nisi enim res eleuata influat verè in effectum, non poterit dici hunc producere; & nisi habeat vim aliquam intrinsecam actiuam aliquo modo proportionatam huic effectui, ita vt simul cum concursu, siue virtute concurrente causæ eleuantis sit nata constituere integram causam proportionatam effectui, intelligi nequit quomodo in eam influat. Nam actio non solùm supponit agens esse sed etiam habere vim agendi: idcóque sicut quod non est, nequit eleuari ad agendum: sic nec id quod nullam habet vim agendi, ad hoc eleuari potest.

Nihil potest dici physica alicuius rei causa, quod in eam physicè nõ influit.

Vnde vlteriùs sequitur, non sufficere quamcumq; vim agendi (nec enim quia frigus habet vim destruendi calorem, videtur esse aptum, vt eleuetur ad eum *immediatè producendum*) sed hæc debet aliquo modo saltem remotè esse proportionata: ita vt ex se cum concursu generali possit producere aliquem effectum, qui habeat saltem aliquam analogiam cum effectu supernaturaliter producendo: ita vt ab eo tantùm differat, vt imperfectum à perfecto, idque vel intra eandem speciem sicut calor vt duo à calore vt octo: vel ita vt effectus perfectior sit diuersæ speciei ac altioris ordinis; ita tamen vt vterque sit aliqua ratione eiusdem generis, ratione ordinis quem dicunt ad eandem potentiam: qualis analogia est inter cognitionem Dei naturalem & visionem beatificam. Ratio est, quia cùm illa res sit verè causa effectus eum verè producendo, debet cum causa eleuante ita constituere causam totalem, vt hanc *in* producendo adiuuet; ita vt si causa eleuans sit finitæ virtutis, non possit sine altera effectum tam perfectum producere, aut saltem id non possit tanta facilitate; vt patet *in omnibus* causis partialibus, quarum habemus vllam experientiam, vel certam cognitionem.

114 Nihil potest eleuari vt aliud physicè producat nisi habeat ad hoc vim proportionatam.

Non esse autem in qualibet re talem potentiam respectu cuiusque effectus, patet, quia quantitas v. c. nihil potest per se producere; quod habeat talem analogiam cum gratia.

115 Non est in qualibet re potentia proportionata, vt possit eleuari ad quidlibet producendum.

Dices, hæc potentia non est talis, vt possit aliquid per se producere, sed essentialiter exigit singularem Dei concursum, vt possit exire in actum. Sed hoc dici nequit. Primò, quia contrarium videtur sequi ex dictis. Secundò, quia cùm omnis potentia actiua inclinet naturaliter in aliquem actum, exigit naturaliter omnia ea, quæ necessaria sunt, vt possit exire in actum. Hinc omnis vis agendi exigit concursum generalem vt sibi connaturalem. Vnde sequitur, si detur in omnibus rebus vera potentia actiua, quæ sine singulari illo Dei concursu non possit exire *in* actum, & cum eo possit; hunc concursum ei fore connaturalem, non secùs ac concursum vniuersalem: atque ita effectum fore naturalem, quia secundùm exigentiam & inclinationem creaturæ: & concursum fore potiùs ex natura rei vniuersalem quàm particularem: quia rebus omnibus secundùm naturalem earum inclinationem debitus erit. His accedit, quòd secundùm illam sententiam posset brutum eleuari ad intelligendum & videndum Deum ipsum. quod absurdissimum est.

Brutum nequit eleuari vt intelligat.

Respondent aliqui Primò, propositionem illam. *Quidlibet potest à Deo eleuari ad quodlibet producendum*; intelligendam esse, nisi hoc implicet per illud produci: implicare autem brutum intelligere, quia sic esset rationale. Sed etsi dicta propositio *ita* intellecta sit per se clara, nec possit negari, tamen nihil facit ad præsens propositum. Quia inde non magis sequetur sonum vel [illegible] posse producere gratiam, quod illi contendunt, quàm eius contradictorium, aut quàm eius contradictorium, aut quàm brutum posse intelligere. quare tunc restabit probandum *illud* non implicare contradictionem, dandáque erit ratio cur corpori minùs repugnet spiritus, ac actio omnino spiritalis, quàm bruto repugnat rationale, ac imaginationi intellectio. Nam si communem sensum consulamus; imaginatio videtur magis proportionata intellectioni, quàm sonus productioni gratiæ.

116

Respon-

117 Respondent alij Secundò, posse quidem imaginationem bruti eleuari ad producendam intellectionem, eiúsque oculum ad producendam visionem beatificam (quia hoc necessariò ex illo principio sequitur) non tamen brutum ideo intellecturum aut visurum Deum. Sed contra est, quòd videre ac intelligere nihil sit aliud quàm intellectionem ac visionem sibi inhærentes vitaliter producere: nec potest explicari, quid hic aliud requiratur; quia hoc ipso quo potentia ita producit intellectionem, tendit per eam in rem intellectam, eámque sibi repræsentat: nec sufficit si dicas imaginationem posse quidem producere intellectionem, non tamen eam in se recipere, aut vitaliter producere. Quia nulla ratio potest reddi cur vnum magis implicet quam alterum. Imò faciliùs potest intelligi, corporale posse in se recipere aliquid spirituale, quàm hoc producere. Et rursus cùm imaginatio sit potentia vitalis, nulla potest reddi ratio cur si posset intellectionem sibi inhærentem producere, non posset id vitaliter facere Deo singulariter concurrente. Si dicas hoc repugnare eius naturæ; similiter dicam, repugnare rei corporali, producere aut recipere in se aliquid spirituale.

Intelligere quid sit?

118 Accedit Secundò, quòd secundùm communiorem sententiam implicet me oculo corporeo videre sonum, aut rem merè spiritalem: ergo implicat corpus producere aliquid spiritale; quia hoc videtur multò magis extra obiectum potentiæ actiuæ rei corporalis, quàm spiritus sit extra obiectum potentiæ visiuæ oculi, quæ ratione animæ est aliquo modo spiritalis; & difficilius est producere rem spiritalem, quàm circa illam agere.

Implicat sonum videri.

Tertiò, implicat quamlibet rem eleuari ad quidlibet in se per modum subiecti recipiendum (quis enim credat angelum aut sonum dealbari posse?) Ergo implicat quidlibet ad quodlibet producendum eleuari quia hoc illo difficilius est.

Quidlibet non potest in quolibet inhærere.

119 Ex his patet Responsio ad argumenta in tertia sententia posita. Ad primum enim negandum est antecedens, vt patet ex dictis. Imò etiam eo concesso consequentia est nulla. quia facilius est aliud in se recipere, cùm ad hoc sufficiat se habere passiuè, quàm ipsum producere.

Ad Secundum, nego sequelam. quia aliquæ res habent potentiam inchoatam siue remotam ad rem sibi supernaturalem producendam: non tamen quidlibet habet talem potentiam ad quodlibet producendum, vt patet ex dictis.

120 Nota Tertiò, hanc disputationem non versari propriè circa diuinam potentiam, nec de magnitudine huius quidquam quæri, quam constat omni modo esse infinitam, nec vlla ratione limitatem: sed quæritur solùm de naturis creaturarum, Vtrùm habeant in se dictam potentiam obedientialem verè actiuam ad quiduis producendum? Vnde sequitur Primò, siue hoc neges, siue affirmes, propterea te nihil addere aut detrahere potentiæ diuinæ, sed potentiæ creaturarum. Sicut qui facetur Deum videre absolutè omnia futura, planè nihil detrahit ipsius scientiæ, dicendo eum non videre futurum vllum palatium ex puro auro constructum, eo quòd tale numquam futurum sit. Sicut etiam nihil eius scientiæ adderet, qui affirmaret hoc futurum, & vt tale videri à Deo.

Qui negat res corporales posse eleuari vt physicè producant gratiam, nullo modo minuit diuinā potentiam.

121 Sequitur Secundò, etsi non facilè sit negandum Deum posse aliquid per se facere, nisi aliquò modo clara appareat ex parte effectus contradictio; tamen inde non sequi, similiter esse dicendum eum posse facere per creaturas omne id, ex cuius parte non potest ostendi implicantia, ob quam non possit fieri ab hac aut illa creatura. Ratio diuersitatis est. Quia cùm potentia Dei sit omnino ex se illimitata, hoc ipso quo res non inuoluit in se implicantiam, potest à Deo fieri. Creatura autem est limitatæ perfectionis, ideóque etsi ex parte effectus non sit defectus quin fieri hoc vel illo modo possit: tamen ex parte causæ sæpe est defectus, ita vt hoc vel illud nullo modo facere possit. Quare vt dicamus Deum posse per se aliquid facere, sufficit ostendere non implicare in se contradictionem, siue nullam posse ostendi implicantiam. Vt autem dicatur aliquid posse fieri per creaturam, necessarium est ostendere eam habere in se aliquam potentiam saltem remotam ad hoc faciendum. quia hæc debet supponi esse, vt possit à Deo eleuari. His positis sit.

Nō sufficit quòd non possit in eo ostēdi clara contradictio vt res aliqua dicatur posse eleuari vtaliā producat.

122 Conclvsio I. Probabilius est Deum non posse quamlibet rem ad quidlibet producendum, aut vllam rem corporalem vt physicè producat spiritalem, eleuare. Vasquez hîc disput. 132. num. 95. citans alios. Sequitur ex dictis. Et ratio à priore est; quia nulla res corporalis habet potentiam saltem remotam ad producendam spiritalem, quæ per concursum Dei singularem, aut aliquam qualitatem infusam possit eleuari, vt cum hac tanquam causa partialis immediatè in effectum spiritalem physicè influat. Patet ex dictis.

Quidlibet non potest eleuari vt quodlibet producat. Vasquez.

123 Conclvsio II. Etsi res corporales permanentes possent eleuari à Deo ad producendam physicè gratiam; negandum tamen esset id fieri posse in Sacramentis; ideóque dicendum est esse solùm causas morales gratiæ. Ita Richard. in 4. d. 1. art. 5. quæst. 3. §. *Qui vult*. Bonauent. d. 1. a. 1. q. 4. §. *Est etiam aliorum*. Marsil. q. 1. art. 3. in 3. parte articuli concl. 2. Vasquez disp. 132. c. 3. 4. & 5. Eadem est sententia Scoti, omniúmque Nominalium, licèr diuersimodè multique minùs commodè se explicent: sed credo magis discrepare verbis quàm reipsa.

Ri hardus, Bonauent. Marsilius. Vasquez. Scotus. Nominales.

124 Quod vt meliùs intelligatur, Nota secundùm vsitatissimum loquendi modum causam moralem verè ac propriè causare. Etsi enim aliquo sensu possit dici metaphoricè causare, quatenus causare idem est quod efficere, quod strictè sumptum dicitur solùm de efficientia physica: tamen secundùm communem vocis vsum causa moralis non dicitur metaphoricè, sed verè & propriè causa, ac causare.

Causa moralis est vera causa.

Patet Primò in causa finali, quæ dicitur propriissimè causa, etsi tantùm moraliter causet. Imò effectus sæpe tribuitur magis causæ morali quàm physicæ. Hinc iudex sua sententia tanquam instrumento morali magis dicitur occidisse reum, quàm tortor suo gladio; & dux absens magis dicitur expugnasse vrbem, quàm milites qui eius auspiciis, iussu & consilio pugnarunt. Sicut autem inter causas physicas accidit vt aliæ aliis efficaciùs agant; ita etiam inter morales efficaciores sunt, quæ imperio, & obligando agunt, quàm quæ tantùm precibus aut consilio agunt.

Causæ morales aliæ aliis efficaciores.

125 His positis probatur concl. 1. Quia, excepta saltem Ven. Eucharistia, Sacramenta quando producunt gratiam, physicè loquendo non sunt: arqui id quod physicè non est, non potest operari physicè. Nam operari supponit esse: ergo Sacramenta non possunt producere physicè gratiam.

Maior probatur, quia sex Sacramenta consistunt in aliqua actione, quæ est res successiua & fluxa, & secundùm quamcumque sui partem simul ferè ac est, esse desinit. Vnde in baptismo v. c. si lorio præcedat, tunc confertur gratia quando nihil ipsius Sacramenti existit, nisi sonus vltimæ syllabæ ipsius formæ: qui nullo modo potest dici esse ipsum Sacramentum: sicut vnguis non potest dici esse homo, sed vt summum est minima quædam eius particula.

Respondent aliqui, posse aliquid physicè agere quando iam omnino esse desiit: sed hi cùm pugnent

cum communi illo principio, *Agere præsupponit esse*; non aliter refellendi sunt, quàm si dicerent chimæram posse generare chimæram actione physica. Quid enim ita à communi sensu alienum, quod non facilè concedent, qui illud affirmant?

126 Sacramenta non possunt dici physicè agere respectu solius vltimæ syllabæ.

Respondent alij, tunc solam illam vltimam syllabam verè producere gratiam; ratione tamen ipsius totum Sacramentum dici eam producere, sicut totus globus dicitur tangere planum, quod puncto tangit. Sed contrà, Primò totus globus existit, dum tangit planum. Secundò, quia physicè vnus est, & se toto concurrit ad hunc contactum, extremam suam partem applicando ipsi plano. Secùs omnia se habent in Sacramentis. Primò, quia dum gratia producitur, nihil Sacramenti existit, nisi summùm aliquid indiuisibile. Vnde sicuti sit globus annihilaretur excepto illo puncto priùs quàm hoc tangeret planum, non posset ille dici tangere planum: ita nec possunt Sacramenta dici producere gratiam. Secundò, Sacramenta non sunt quid physicè vnum, nec quidquam eorum quæ præcesserunt, physicè quidquam confert ad productionem gratiæ. quare quod ille vltimus sonus dicitur agere in virtute præcedentium partium; necessariò intelligendum est de virtute morali, cùm nulla sit inter hæc nisi moralis connexio: nec partes illæ possint aliter quàm moraliter hanc iuuare. Quare vt summum poterit dici hanc particulam agere physicè; totum autem Sacramentum moraliter. Confirmatur, quia si aliquis Magistratus, qui non posset aliquid decernere casu quo vel vnius ex toto numero consensus desideraretur, aliquid communi consensu decretum præciperet alicui ex suo numero vt mandaret executioni, v.c. vt adiret Principem: etsi totus Magistratus simpliciter esset causa moralis huius actus; totus tamen non posset vlla ratione dici causa physica, sed vnus solus. Eadem autem esset causa Sacramenti, posita illa sententia.

127 Audiui aliquando aliquos respondentes, singulas partes Sacramenti dum sunt, singulásque syllabas formæ dum pronuntiantur, aliquem effectum producere in suscipiente, & per hunc postea physicè producere gratiam. Sed quis non videat hæc gratis planè fingi? cùm nemo possit dicere quis hic effectus sit; præsertim in destituto sensibus, qui nihil eorum, quæ circa ipsum aguntur, percipit.

Probatur Secundò, quia Sacramenta magna ex parte consistunt in sua significatione, & significando, siue virtute significationis agunt; quia si nihil significarent nihil agerent: atqui significatio cùm sit tantùm ens morale, nec potest vllo modo agere physicè, nec constituere totum aliquod physicum, aut dare alicui vim agendi physicam: ergo Sacramenta non possunt dici agere physicè.

128 Probatur Tertiò, quia nostra sententia est conformior longè Scripturis & sententiis Patrum & Conciliorum. Primò, quia dicunt non modò Sacramenta, sed particulatim etiam eorum formam aut materiam, v.c. aquam, conferre gratiam, mundare ac lauare animam. quæ si significent actionem physicam, tunc falsò dicetur baptismus, eiúsve forma, aut aqua regenerare, lauare cor, &c. quia communiter sola vltima syllaba formæ hoc faciet. quia tota lotio essentialis baptismo hanc communiter præcedit.

Secundò, quia dicunt Sacramenta habere vim ex meritis & passione Christi, & ideo causare gratiam, quia hæc continent. Hinc ad Rom. 6. v. 3. dicimur omnes in morte Christi baptizati. Hinc Sacramenta dicuntur plena meritis & sanguine Christi: atqui merita Christi non causant gratiam nisi moraliter: ergo tantùm dant Sacramentis virtutem moralem causandi. Vnde Trid. sess. 6. cap. 7. facit solum Deum causam efficientem nostræ iustificationis, meritoriam Christum, instrumentalem baptismum, qui est propriè instrumentum Christi, qui illum instituit: ergo voluit Concilium hunc moralem habere modum causandi, qualem tribuit ipsi Christo.

Rom. 6.

Trident.

129 Quatione Sacramenta diuinam virtutem ac gratiam contineant. *D. Ambros. D. Bernard.*

Tertiò, quia Patres dicunt Sacramenta continere diuinam virtutem & gratiam Christi, & ideo habere vim regenerandi. Ita D. Ambr. lib. 1. de Sacramentis cap. 5. & l. 4. c. 4. Bernardus de Consideratione lib. 5. & alij, quam virtutem sanè non physicè (quia qua ratione hoc fieri possit nequit intelligi) sed moraliter continent, quatenus hæc illis necessariò semper assistit, ad productionem gratiæ.

Dicunt etiam non naturam aquæ, sed diuinam virtutem siue Deum nos lauare & regenerare. Hinc D. Augustinus ep. 23. ad Bonifacium: *Aqua*, inquit, *exhibens extrinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus sanctus operans intrinsecus beneficium gratiæ, soluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem Christo.* Et l. 15. de Trinit. c. 26. ait: *Neque enim aliquis discipulorum eius* (scilicet Christi) *dedit Spiritum sanctum: orabant vt veniret in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant.* Et D. Hieronymus in cap. 4. Isaiæ citans illud Matth. 3. *Ego vos baptizo in aqua, qui autem post me veniet, ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*; ait: *Ex hoc discimus quòd homo tantùm aquam tribuit, Deus autem Spiritum sanctum.* Similia habet D. Basilius l. de Spiritu sancto c. 15. & alij passim. Negant itaque Patres, aquam aut homines nos regenerare, aut dare Spiritum sanctum, scilicet physica aliqua actione; cùm contrà aduersarij nostri dicant aquam hæc omnia facere simul cum virtute diuina.

Augustin.

D. Hieron. Matth. 3.

Basilius.

130 Quod autem aliqui respondent, hos Patres tantùm negare Sacramenta producere gratiam tanquam causas principales, est torquere eorum verba: cùm simpliciter negent ea producere gratiam: sicut contorta, imò falsa esset oratio, qua negarem asciam diuidere lignum, etsi non sit causa principalis. Quare aduersarij difficillimè talia loca Patrum explicant, aut sua dicta cum eorum dictis conciliant: cum nostra autem sententia hæc omnia mirè concordant.

Primò, quia omnes Scripturæ & Patres, qui dicunt Sacramenta mundare, regenerare, &c. propriè & vsitatissimo modo loquendi intelligi possunt de actione morali, sicut propriè dicitur quis ædificare domum, qui per opifices id facit; & Iudex suspendere reum. Sic Tobiæ 1. eleëmosyna dicitur liberare à morte, & purgare peccata: quis tamen dicat physicè producere gratiam? Sic merita Christi vbique dicuntur nos iustificare, mundare, &c. scilicet meritoriè, vt Trident. sess. 6. c. 7. Quod confirmatur, quia merita Christi verissimè dicuntur mundasse & sanctificasse patres antiquos non minùs quàm nos: sed cùm tunc nondum essent, non poterant eos iustificare physicè, sed tantùm moraliter gratiam in iis producendo: ergo similiter etiam nos iustificant ac mundant.

Tob. 12.

Trident.

131 Quomodo Sacramenta contineant merita Christi.

Secundò, optimè explicamus quomodo Sacramenta moraliter contineant merita Christi: quia scilicet ex voluntate Christi & Dei acceptatione ita Sacramentis annexa sunt, vt quibus hæc applicantur, eisdem approprietur aliqua portio meritorum Christi, qua ius ad gratiam acquirunt, ac si per se essent eam meriti. Vnde Sacramenta non tam debent comparari chirographo, quàm bursæ plenæ pecunia, quæ datur alicui, vt se redimat, aut sibi necessaria comparet. quia Sacramenta moraliter continent pretium nostræ redemptionis & iustitiæ. Sunt etiam hac in re similia decreto summi concilij alicuius regni, quod ipse rex ex pacto obligatur exequi. Sicut enim tale decretum efficaciter mouet regem

vt aliquid faciat habeatque vim applicandi eius voluntatem & potentiam ad aliquem effectum: sic Sacramenta ratione meritorum Christi ex pacto cum Patre inito, habent vim applicandi virtutem diuinam ad producendum effectum ad quem sunt instituta.

Tertiò, propriè sic continent diuinam virtutem sibi ex voluntate Christi & Dei annexam, & ex debito ratione meritorum Christi assistentem ad regenerationem & gratiam; simili modo ac rex habet in sua potestate omnem virtutem suorum militum: & consequenter potestatem euertendi ciuitates.

132 Quomodo Patres aliquādo negent, & alias affirmēt lotio. & producere gratiam.

Quartò, hinc facilè explicatur, quomodo Patres verissimè aliquando negent lotionem, & sonum verborum producere gratiam, scilicet physica actione, & vt per se considerantur: & rursum dicant ea hanc causare, scilicet moraliter, & vt continent virtutem diuinam, & quasi quid integrum cum ea componunt. Huiusmodi enim causas secundùm vsitatum loquendi modum pro diuersa occasione quandoque absolutè negamus produxisse aliquem effectum, quem aliàs iis absolutè tribuimus, & vtrumque verè ac propriè dicimus. v. c. si laudem summum artificium alicuius domus, quam Princeps iussit extrui; optimè dicam Principem eam non ædificasse, sed artificem. huic enim, non autem Principi, tribuendum est, quòd artificiosè sit extructa. Contrà, si laudem eiusdem magnificentiam ac pretiosam materiam, dico Principem eam ædificasse; totúmque effectum ei tribuo. Simili igitur ratione Patres quando explicant quæ sit vis physicè producens gratiam, dicunt solum Deum id facere: quando verò rursum explicant quid possint Sacramenta ratione meritorum & institutionis Christi, absolutè dicunt ea producere gratiam.

133 Sacramēta non esse nuda signa gratiæ.

Ex his patet Primò, Sacramenta multùm excedere nuda signa, quia continent in se moraliter virtutem agendi: sicut etiam merita Christi, quæ in Sacramentis continentur, multùm excedunt rationem ac virtutem nudi signi.

Secundò, excedere plumbetum, quo oftenso quis panem accipit: quia plumbetum non continet pretium panis, sicut Sacramenta pretium gratiæ.

Quomodo cauēt à signis magicis.

Tertiò, excedere etiam multùm signa magica: quia hæc nituntur pacto inualido, quod vterque teneatur rescindere; & fallibili, cùm dæmon possit fallere, & multis modis à Deo impediri, & sæpe fallat ac impediatur. Illa nituntur pacto validissimo & infallibili. Vnde magica signa habent quasi precariò tantùm sibi assistentem virtutem dæmonis, cùm hic non teneatur stare pacto, sed potiùs id rescindere: Sacramentis verò virtus diuina ratione meritorum Christi est debita. Quòd autem aliqua sit similitudo, nihil mirum, cùm dæmon vbique virtutem diuinam in malum æmuletur.

134 Cur vis Sacramentorum sit miranda.

Quartò, patet meritò mirari Patres vim Sacramentorum. Miranda enim valdè est diuina prouidentia & bonitas, quæ Christi merita tam infallibili lege rebus infimis annexuit ad res tam mirabiles producendas.

Patet Quintò, quomodo sacerdos verè absoluat à peccatis. Primò, quia absolutio consistit propriè in remissione peccatorum, quæ etsi semper habeat coniunctam gratiæ infusionem, tamen est quid ab ea distinctum, & sine ea fieri posset, si Deus vellet; sicut & infusio gratiæ, sine remissione peccati: sacerdos autem auctoritate sibi delegata remittit peccata. Secundò, quia applicando Sacramentum, applicat simul vim diuinam qua gratia producitur.

135 Ex dictis facile est soluere argumentum contrarium initio allatum. Primò enim negandum est antecedens, scilicet Sacramenta posse ita assumi, vt patet ex dictis. Secundò, neganda etiam est consequentia: quia hoc non spectat ad dignitatem Sacramentorum; cùm sæpe maior sit dignitas causæ moralis quàm physicæ: nec ita ostenditur maior Dei potentia: quia nos non possumus videre hanc physicam influentiam, & consequenter non possumus per eam cernere Dei potentiam. Nec illa sententia est magis conformis sententiis Patrum, sed nostra. Ex quibus patet solutio ad probationes consequentiæ. Solum vnum restat, quòd videantur eodem modo Sacramenta veteris legis, saltem circumcisio, produxisse gratiam: atque ita nihil præ illis, nostris Sacramentis tribueretur, sed de hoc agemus art. 6.

Obijcies demum, D. Thomas hîc in corpore ponit 136
in Sacramentis aliquam virtutem operatiuam gratiæ D. Thom.
per modum instrumenti: ergo vult ea physicè producere gratiam.

Sententia D. Thomæ de efficientia Sacramentorum.

Resp. D. Thomam nullibi dicere Sacramenta gratiam immediatè & physicè producere etiam vt instrumenta, sed q. 64. art. 1. apertè docere solam causam principalem, scilicet Deum, immediatè producere interiorem effectum Sacramenti. Probátque Primò, quia nihil potest operari immediatè vbi non est: solus autem Deus est interiùs in ipsa anima. Quæ ratio secundùm principia D. Thomæ (qui absolutè negat quidquam posse agere in distans) tam probat de causa instrumentali, quàm de principali; eadem enim vtriusque est ratio. Imò instrumentum immediatè attingens effectum, magis necessariò debet ei esse coniunctum, quàm causa principalis: vt patet in ferratore, & omnibus artificibus. Quare D. Thomas apertè sibi contradiceret, si doceret Sacramenta immediatè ac physicè etiam vt instrumenta producere gratiam. Secundò probat, quia gratia quæ est interior effectus, est à solo Deo: apertè insinuans omnem physicam actionem Sacramentorum versari solum circa corpus. Videtur enim D. 137
Thomas in duobus constituere vim instrumentalem Sacramenti. Primò, quòd ex institutione, siue motione Dei, vt ait, vel aliquid physicè operetur exteriùs circa subiectum sanctificandum, v. c. lauando, aut vngendo corpus, immutando palatum per modum aliorum ciborum, &c. vel quòd sit ipsa operatio circa tale obiectum facta; vt est pronuntiatio formæ. Et hanc actionem vocat hic exteriorem. Secundò, quòd per eam actionem, vt per conditionem prærequisitam res immutanda aliqua ratione disponatur, vt formam à principali agente inducendam suscipiat; idque vel physicè & ex natura rei, vt quando ascia aptantur ligna ex quibus sedes construenda est: aut solùm moraliter & ex intentione principalis agentis, qui intendit non aliter formam inducere, nisi prævia eiusmodi operatione. Sic 2. 2. quæst. 178. artic. 1. ponit vim instrumentalem miracula faciendi in hoc quòd Sancti à Deo moti orationem circa obiectum immutandum fundant, aut signent illud cruce, vel simile aliquid agant; quo posito diuina virtus miraculum operetur. quia vt illæ preces aut signa talem vim habeant, ex institutu & motione, vel institutione diuina fieri debent.

Hinc quæst. 62. artic. 4. ad 1. Sacramentum quoad 138
vim & modum producendi effectum comparat voci, quæ dum sonat in aëre, immutat intellectum audientis, vt aliquid intelligat, non vi aut operatione physica, sed vt instrumentum humanum ex institutione significans. Vbi clarè significat, Sacramentum non physicè sed tantùm moraliter influere in productionem gratiæ.

Quòd autem aliqui respondent vocem physicè monere intellectum ad intelligendum, est contra communem sensum. Constat enim eam non mouere

nisi mediante significatione, quæ est aliquid morale non physicum.

D. Thom. Nec refert quòd D. Thom. in quibusdam opusculis videatur Sacramentis, aliisque miraculorum instrumentis tribuere aliquam vim & operationem physicam: quia loquitur de supradicta operatione præsua, quam suprà artic. 1. ad 3. dicit esse propriam Sacramentorum, eáque hanc exercere circa corpus; qua posita divina virtus operatur effectum interiorem. Imò quidam Thomistæ, qui expressè docent Sacramenta esse instrumenta physica gratiæ, dum se explicant, videntur non agnoscere aliam operationem physicam, quàm supradictam, ita vt verbis magis à nobis dissentiant, quàm re.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Sacramenta nouæ legis habeant virtutem ex passione Christi?

139 ARTIC. V. docet Sacramenta habere vim operandi gratiam ex meritis Christi, & præcipuè ex passione: quia per hanc secundùm pactum cum Patre initum præcipuè nos redemit, iuxta illud Isaiæ 53. *Si posueris pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* *Isaiæ 53.*

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Sacramenta veteris legis gratiam causarint?

140 ARTIC. VI. docet Sacramenta veteris legis non contulisse suscipienti gratiam ex vi sua, siue ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, quantam scilicet merebatur suscipientis deuotio, vt fit in exercitio aliorum piorum operum. quare non faciebant ex attrito contritum. Ita definitum est in Florentin. in decreto de Armenis: vbi dicuntur nostra Sacramenta differre ab antiquis, quòd causent gratiam, quam illa non causabant, sed tantùm per passionem Christi dandam significabant. Et patet ad Galatas 4. vbi vetera Sacramenta dicuntur infirma, & egena elementa. Ad Hebræos 9. dicuntur iustitiæ carnis, quæ secundùm conscientiam mundare non possunt. Et cap. 7. dicitur reprobatio veteris mandati facta propter eius infirmitatem & inutilitatem; quia nihil ad perfectum adduxit lex. Quæ omnia dici non possent, si vetera Sacramenta contulissent gratiam ex opere operato. Nam tunc fortia, efficacia & vtilissima fuissent. Et quidem hæc est communis opinio Catholicorum de reliquis omnibus Sacramentis legis veteris: sola difficultas est de circumcisione, quam communiter Doctores fatentur deleuisse peccatum originale.

Sacramenta vetera non conferebãt gratiam ex opere operato.

Florentin.

Galat. 4.

Hebr. 9.

Hebr. 7.

141 CONCLVSIO I. In circumcisione adultis non cõferebatur maior gratia, quàm sua fide & deuotione, qua eam suscipiebant, merebantur: atque ita peccatores tantùm attriti per eam non iustificabantur. Ita Suarez disp. 10. sect. 1. concl. 3. Et fusissimè ex Patribus probat Card. Bellarm. l. 2. de Sacramentis c. 14. 15. & 16. Colligitur apertè ex multis Scripturæ locis, maximè ad Galat. 6. 1. ad Corinth. 7. ad Colossens. 2. vbi dicit Apostolus circumcisionem nihil esse, nihil valere, &c. Item ex cap. 4. ad Rom. vbi expressè docet Apostolus, Abraham non fuisse iustificatum ex circumcisione, sed ex fide, scilicet viua; ac si diceret per circumcisionem non accepisse gratiam maiorem, quàm merebatur eius fides. Vnde subiungit eum circumcisionem accepisse in signaculum iustitiæ acceptæ per fidem, quasi dicat, non in augmentum iustitiæ.

Quam vim habuerit circumcisio in adultis?

Suarez. Bellarm.

Galat. 6. 1 Cor. 7. Col. 2. Rom. 4.

Probatur ratione, Primò, quia circumcisio non erat instituta ad delendum peccatum, aut conferendam gratiam; sed in signum quo Iudæi distinguerentur à cæteris gentibus, & quo fidem suam in Deum testarentur: vt docent plurimi Patres, quos Bellarm. citat l. 2. de Sacrament. c. 15. & colligitur ex Apostolo proximè citato. Et clariùs Genes. 17. vbi instituitur circumcisio, totáque eius causa redditur: *Vt sit in signum fœderis*, inquit Deus, *inter me & vos.* Et hinc toto tempore quo Iudæi erant in deserto, dum non poterant cum reliquis gentibus miscèri, non fuerunt circumcisi, donec transirent Iordanem. *Bellarm.* *Gen. 17.*

Probatur Secundò, quia tota causa cur in circumcisione & Sacramento legis naturæ fateamur infantibus collatam gratiam, est, ne paruuli alioqui fuissent sine vllo remedio salutis: vt patet ex Innocentio 3. c. *Maiores*, de baptismo. atqui hæc causa cessat in adultis: ergo non conferebat his gratiam supra eorum merita. Vnde Patres qui volunt hanc aliquid valuisse ad delendum peccatum, hoc restringunt ad peccatum originale, & loquuntur ferè de paruulis. 142 *Innocent. III.*

Tertiò, quia si circumcisio conferebat gratiam adultis supra meritum, non videtur fuisse minùs efficax gratiæ, quàm Sacramenta nouæ legis, quod est contra Apostolum & Florent. suprà. Nec satisficit, quòd aliqui dicunt inter hæc differentiam esse, quòd nostra Sacramenta physicè conferant gratiam; vetera verò tantùm moraliter eam causarint: quia præterquam quòd illud minùs probabile sit, nihil facit ad rem. Nec enim minùs vtile est Sacramentum, quod moraliter causat gratiam, quàm quod physicè eam causat, si æqualem causet. *Florent.*

Quartò, quia nullibi aut aliis veteribus Sacramentis, aut circumcisioni promissa est gratia. Hoc enim proprium est nouis Sacramentis. Vnde Apostolus ad Hebr. 8. cùm vetera Sacramenta vocasset vmbras cælestium, subiungit nouum testamentum melioribus repromissionibus sancitum esse: scilicet ob promissionem gratiæ, qua illa carebant. *Hebr. 8.*

Graris autem excipitur circumcisio. Primò, quia Apostolus quoad infirmitatem & inutilitatem vbique eam æquiparat ceteris. Secundò, quia nullibi de hac particularis promissio gratiæ extat. Quòd enim adfertur illud Genes. 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo:* ex quo D. Augustinus à contrario sensu probat circumcisionem liberasse à morte, & contulisse gratiam; nihil conuincit. quia agitur ibi de morte non spirituali propriè, sed temporali, qua puniendus erat qui adultus nolebat circumcidi, aut filium suum non circumcidebat. Augustini autem explicatio tantùm est moralis. Vnde tanti facienda, quanti eius auctoritas, qui ibi de paruulis tantùm agit, totúmque eius argumentum nititur aliquibus verbis LXX. interpretum, qui ita habent, *Masculus qui non circumcidetur carne præputij sui octauo die, disperiet anima eius.* &c. Vnde colligit hunc periturum ob peccatum originale: quia aliud habere tunc non potest. Vnde vlteriùs colligit non moriturum si circumcidatur, & consequenter delendum peccatum originale. Sed nec hebræus nec vulgatus textus ea verba habet, nec Augustini explicatio conuenit contextui. 143 *Genes. 17.* *August.*

144 CONCL. II. Infantibus posteris Abrahæ in circumcisione remittebatur peccatũ originale, & infundebatur consequenter gratia. Ita Innocent. 3. c. *Maiores*, de baptism. & D. August. l. 2. de nuptiis, cap. 11. *In circumcisione paruulis conferebatur gratia,*

quem vniuerſi ferè ſequuntur Theologi. Vnde etſi
Innocens. III. nec Innocentius id eo loco definiat, nec locus Scripturæ, quem Auguſtinus pro ſe adfert, nec vllus alius
Auguſt. id conuincat: tamen tantorum virorum id conuincit auctoritas.

145 CONCLVSIO III. Circumciſio non conferebat paruulis gratiam ex opere operato. Ita D. Tho. hîc, & infrà q. 70. a. 4.

Non tamen proprie ex opere operato. Probatur Primò, quia quod ex opere operato confert gratiam, confert eam omni non ponenti obicem, idque præter eius meritum: ſed talis non fuit circumciſio: vt patet ex concl. 1. ergo, &c.

D. Thom. Probatur Secundò, quia conferre gratiam ex opere operato, eſt conferre gratiam ex vi inſtitutionis ſuæ: atqui circumciſio non conferebat ita gratiam: vt
D. Thom. D. Thom. docet hîc ad primum, & patet ex dictis: ergo, &c.

146 Ex his patet Primò, circumciſionem propriè non cauſaſſe gratiam, ſed ſe habuiſſe tanquam quandam conditionem, qua poſita Deus gratiam paruulis conferebat extraordinaria quaſi liberalitate ob extremam paruulorum indigentiam, qui propriis actibus ſaluari non poterant: idque propter Chriſti merita; vt qui omnium ſaluator erat conſtitutus, quantum in ſe erat omnium hominum generi ſufficientia ſalutis remedia prouideret: & ne qui per externam fidei in Chriſtum proteſtationem fiebant membra corporis Chriſti myſtici, mortua membra cogerentur permanere, cùm ſuis actibus viuificare ſe non poſſent. Hoc eſt quod
D. Thom. dicit D. Thom. collatam paruulis gratiam virtute fidei, ſcilicet habitualis ipſius Eccleſiæ, qua Chriſti viuum corpus erat, quam decebat habere talia membra, quæ poſſent ſaltem eſſe viua.

147 Florentin. Patet Secundò, differentiam inter noſtra & vetera Sacramenta, à Florentino aſſignatam, etiam in circumciſionem conuenire. Patet item quàm verè Apoſtolus locis ſuprà citatis dixerit, omnia vetera Sacramenta, ipſamque circumciſionem fuiſſe inutilia, & nihil valuiſſe; quem plurimi Patres, quos citat Bellarm. l. 2. de
Bellarm. Sacram. cap. 15. ſecuri abſolutè negarunt vlla Sacramenta vetera contuliſſe gratiam. Hæc enim intelligenda ſunt quantum erat ex vi ſua. Si quando autem conferebant, hoc in adultis fiebat ex opere operantis: aut in paruulis ex ſingulari priuilegio non Sacramenti, ſed paruulorum. Et ita intelligendus Auguſtinus & alij qui dicunt circumciſionem contuliſſe gratiam.

Quæ autem diximus de Sacramentis veteris legis, ſimiliter intelligenda ſunt de Sacramentis legis naturæ: præcipuè de eo quo paruulis peccatum originale remittebatur; cuius eadem fuit ratio in circumciſione.

QVÆSTIO LXIII.

DE CHARACTERE.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Sacramentum imprimat aliquem characterem in anima?

1 ARTICVLO I. docet, quædam Sacramenta imprimere characterem in anima.

Hæretici noſtri temporis. Nota, hæreticos noſtri temporis omnes pertinaciſſimè negare aliqua Sacramenta imprimere characterem. Primò, quia nec ex Scripturis, vt aiunt, nec ex Patribus id probari poteſt. Secundò, quia nec inter omnes Catholicos id planè conſtat. quod probant ex Gabriele
Gabriel. Biel in 4. d. 6. quæſt. 2. art. 3. cui adiungi poſſet
Scotus. Scotus ibid. quæſt. 9. §. *Ad quæſtionem poteſt dici.*
Innoc. III. Tertiò; quia aiunt Innocentium III. primum inuentorem characteris fuiſſe.

2 Sed dicendum eſt, fide credendum eſſe tria Sacramenta imprimere characterem. Ita definit Concilium
Florentin. Florent. in decreto de Armenis. & Trident. ſeſſ. 7.
Trident. can. 9. de Sacramentis in genere, vbi ait: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione & ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, vnde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.*

3 Probatur Primò ex Scripturis. 2. Corinth. 1. dici-
2. Cor. 1. tur: *Qui vnxit nos Deus, & qui ſignauit nos, & dedit pignus in cordibus noſtris.* Vbi Apoſtolus loquitur de baptiſmo, & tres eius effectus aſſignat. Primum, quòd Deus per eum vngat nos, ſcilicet infundendo gratiam. Secundum, quòd ſignet nos, græcè σφραγισάμενος, ſigillans, ſiue ſigillo impreſſo obſignans nos. Tertium, quòd det pignus ſpiritus in cordibus noſtris, ſcilicet puræ rectæque conſcientiæ teſtimonium, quod quaſi quoddam pignus habemus quòd ſimus filij Dei. Vt autem ſecundus effectus diſtinguatur à ceteris, non poteſt commodè quidquam per eum intelligi, niſi character. Quod enim hæretici dicunt per illud ſignum nihil aliud intelligi, quàm ipſum Sacramentum, quo Dei promiſſiones obſignantur, nullo modo ſatisfacit. Primò, quia non dicit Apoſtolus promiſſiones Dei obſignari, ſed nos obſignari. Secundò, quia Apoſtolus non explicat, quid ſit Sacramentum, ſed qui ſint eius effectus. Tertiò, quia ſignum debet eſſe res permanens, qua vnum ab alio cognoſcitur: Sacramentum autem ſecundùm ſe ſtatim tranſit. Confirmatur, quia cùm verba Scripturæ, quantum fieri poteſt, in proprio & maximè obuio ſenſu ſint accipienda, & dicta verba propriiſſimè ſignificent per baptiſmum imprimi ſigillum; dicendum eſt hoc per ea ſignificari, cùm in eo nullum ſit incommodum.

Nec obſtat quòd quidam Patres hæc omnia accommodent gratiæ iuſtificanti. quia loquuntur in ſenſu allegorico. Nam aliàs longè germanior & planior eſt Apoſtoli ſenſus, ſi tres diſtinctos baptiſmi effectus hîc ſignificari intelligamus.

4 Cyrillus Hieroſol. Secundò probatur ex Patribus. Cyrill. Hieroſolymitanus in præfatione in Catecheſes, vocat baptiſmum ſignaculum ſanctum indelebile, quod non poteſt intelligi niſi ratione characteris, quem imprimit: quia gratia deleri poteſt. Diuus Baſilius ho-
Baſilius. mil. 13. quæ eſt exhortatio ad baptiſmum, comparat hunc characterem teſſeræ ac ſigno militari, quo diuerſorum ducum milites inter ſe cognoſcuntur. Item

Augustin. D. Augustinus lib. 6. de Baptism. contra Donatistas c. 1. sub initium, docens etiam apud hæreticos aliquos verè baptizari, Ecclesiámque vt tales ad se venientes recipere, ait: *Etiam omnem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem à fallacibus depræadatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ veritatis salutem ab errore corrigi, à captiuitate liberari, à vulnere sanari, characterem tamen Dominicum in ea agnosci potius quàm improbari.* Item epist. 23. in medio ait: *Nam si Christiani baptismi Sacramentum, quod vnum atque idipsum est, etiam apud hæreticos valet, & sufficit ad consecrationem, quamuis ad vitæ æternæ participationem non sufficiat, quæ consecratio reum quidem facit hæreticum, extra Domini gregem Dominicum habentem characterem.* Item libro 2. contra epistolas Parmeniani c. 13. ait: *Non minus hærent Sacramenta Christiana, quam notæ corporales, cum videamus nec Apostatas carere illis, quæ propterea illis resipiscentibus non restituuntur, quia amitti non potuerunt.* Quæ Sacramentis non possunt aliter conuenire, nisi ratione characteris: nam omnia alia quæ in iis sunt, amitti possunt: vt patet in Eucharistia & Matrimonio, quæ quia characterem non imprimunt, iterari possunt. Similia habet pluribus locis D. August. atque etiam alij Patres.

5 Ex quibus patet, falsum esse primum atque tertium argumentum hæreticorum suprà allatum. Secundum etiam falsum est. Nam etsi non ita constet inter scholasticos, quid sit character, nullus tamen vnquam negauit eum imprimi. Solùm Scotus & Gabriel suprà citati dixerunt, hoc non posse ex Scripturis aut principiis fidei probari. Probar tamen id Scotus testimoniis Patrum, & Gabriel dicit fore præsumptuosum hoc negare. Et quanquam dicti auctores possint in hac re aliquo modo excusari, quia tunc ea res non erat tam clarè definita, sicut iam est: tamen negari non potest eos inconsideratè locutos. Nam perpetuus Ecclesiæ consensus, cuius nullum post Apostolos potest ostendi initium, sufficiebat, vt res illa certò probari posset.

Scotus, Gabriel.

ARTICVLVS II.

Vtrùm character sit spiritualis potestas?

ART. II. docet, characterem habere se per modum potentiæ instrumentalis, & sic reductiuè pertinere ad secundam speciem qualitatis.

DVBIVM.

Quid sit character?

6 *Durand.* DVrandus in 4. d. 4. quæst. 1. putat tantùm esse, relationem rationis, siue denominationem extrinsecam, qua aliquis ratione Sacramenti susceptí dicitur ad certum munus, vel statum deputatus. Ratio eius est, quia omnia quæ Ecclesia tribuit characteri, hoc modo explicari possunt: ergo frustra dicitur aliquid aliud esse. Sed hoc iam dici nequit.

Trident. Quia Trident. sess. 7. can. 9. dicit anathema iis qui negant tria Sacramenta characterem, hoc est signum quoddam spirituale in anima imprimere. Ens autem rationis non potest in anima imprimi. Vnde patet saltem iam non posse omnia defendi quæ Ecclesia tribuit characteri, si vera sit sententia Durandi. Respondent aliqui, sicut doctoratus verè dicitur alicui conferri, cum sit tantum quid morale, similiter posse dici, characterem imprimi. Sed magna est diuersitas. Quia, *conferre*, omnino est indifferens ad significandum effectum moralem, aut actionem physicam: *imprimere* autem significat habentem terminum physicum. hinc ineptè quis dixerit conferentem alicui doctoratum imprimere eius animæ aliquam potestatem, aut signum quo ab aliis discernatur. Confirm. Primò, quia denominatio extrinseca non potest esse signum quo vnus ab alio discernatur, cum reuera nihil in nobis ponat; nec in se sit cognoscibilis, sed tantùm per id ad quod dicit respectum. Signum autem debet in se esse cognoscibile, cùm per illud cognoscamus aliud. Quare etsi secundùm eam sententiam Sacramenta possent dici signa, non tamen imprimere signum. Confir. Secundò, quia hæretici non negant eiusmodi denominationem extrinsecam, & tamen damnantur à Concilio.

Ens rationis nequit animæ imprimi, aut esse signum.

7

Dicunt aliqui eos damnari, quia negant hoc signum esse indelebile. Sed nec hoc verum est: quia exceptis Anabaptistis, saltem alij non negant manere perpetuò in baptizato talem denominationem, seu deputationem, quia non rebaptizant: & tamen damnantur ab Ecclesia, non solùm quia negant characterem esse indelebilem, sed quia absolutè negant eum imprimi. 8

Tertiò, quia hac ratione Extrema vnctio, qua æger deputatur ad extremam luctam cum diabolo subeundam: & Matrimonium, quo contrahentes deputantur ad certum statum inter Christi fideles suscipiendum, vt in eo ritè se gerant; deberent dici imprimere characterem, vel saltem signum aliquod spirituale, etsi non indelebile. quia in iis reperitur talis deputatio, nec de ratione signi aut characteris in genere sumpti est, vt sit indelebilis. quia Apoc. 13. multi dicuntur suscipere characterem bestiæ, qui tamen est delebilis. *Apoc. 13.*

Quartò, quia simili ratione possem negare hominem iustificari per realem gratiæ infusionem; & dicere Trident. sess. 9. c. 7. per iustitiam quam dicit nobis inhærentem infundi, intelligere similem denominationem, aut deputationem, aut fauorem Dei, quo peccata verè deleantur: & solùm damnare hæreticos, qui dicunt peccata in iustis remanere, & nos esse iustos per iustitiam Dei: quæ tamen absurdissima sunt. 9 *Trident.*

Alij putant esse relationem realem; vt Scotus in 4. d. 6. qu. 10. lit. E. sed hoc non potest dici. quia relatio non potest animo imprimi, nec ad eam datur per se actio, nec potest esse sine fundamento ex quo resultet. Nullum autem potest hic fingi talis relationis permanens fundamentum. Adde, multò verius esse, relationes creatas nihil reale superaddere suo fundamento. 10 *Scotus.* Character nõ est nuda relatio.

Dices, Character est signum: atqui signum est relatio: ergo character est relatio. Respond. signum non esse propriè relationem, sed eam connotare. Nam suspensa hedera est signum vini venalis, & verba sunt præcisè inuenta, vt sint signa conceptuum: & tamen nemo dicat hæc esse relationes, licèt prout sunt signa connotent relationem. Nec signum significat formaliter relationem, sed rem aliquam secundùm se notam, quæ in cognitionem alterius inducit; quod respectu nostri relationes facere non possunt. quia eas secundùm se non possumus cognoscere, sed tantùm ratione fundamenti.

Alij putant esse potentiam quandam instrumentalem, qua quis physicè redditur potens ad Sacramenta aut suscipienda, aut conferenda. Sotus in 4. d. 1. quæst. 4. art. 2. conclus. 2. Zecchus de Sacram. in gen. cap. 14. concl. 6. Sed nec hoc dici potest, cùm nulla talis detur potentia creata, vt patet ex dictis qu. præced. art. 4. 11 *Sotus. Zecchus.*

Respond. igitur cum Vasquez disput. 134. cap. 3. num. 70. characterem esse quandam qualitatem spiri- 12 *Vasquez.* Character

est quædã qualitas primæ ſpeciei.

tualem primæ ſpeciei, cámque ſecundùm eſſe phyſicum ſolummodo bene diſponere animam in ordine ad ſe, ſicut pulchritudo ipſum corpus benè diſponit: moraliter verò diſponere nos aut ad ſuſcipienda Sacramenta; vt facit character baptiſmi: aut ad ea conficienda; vt facit character Ordinis: aut ad fidem propugnandam; vt facit character Confirmationis. Sunt itaque characteres ſigna quædam, v. c. *is* qui in baptiſmo datur, domeſticorum Dei: qui in Confirmatione datur, militum Dei: qui in Ordine datur, diſpenſatorum myſteriorum Dei. Sunt etiam

Et moralis quædam potentia.

morales quædam potentiæ, quæ nos per ſe immediatè reddunt idoneos, vt Sacramenta aliqua vel ſuſcipiamus (nam ſine charactere baptiſmi nullum aliud Sacramentum validè ſuſcipimus; & ſine charactere Confirmationis ſaltem minùs ordinatè quædam ſuſcipimus) vel etiam conferamus. quia ſine charactere ſacerdotali nemo Sacramentum Pœnitentiæ, aut Extremæ vnctionis validè adminiſtrat. Quare hic eſt quaſi potentia actiua; quia confert vim agendi, quãuis ſit etiam potentia paſſiua; quia reddit ſacerdotẽ idoneum ad ſuſcipiendum Epiſcopatũ, qui eſt etiam verum Sacramentum. Et ſimiliter character baptiſmi reſpectu matrimonij eſt etiam potentia actiua. quia huius adminiſtri ſunt ipſi contrahentes, qui inualidè id agerent ſine charactere. Omnes etiam ſunt alia ratione potentiæ actiuæ quatenus coniuncti cum gratia Sacramentali conferunt ius ad auxilia neceſſaria ad munus, ad quod iis inſigniti deſtinantur, ritè

D. Thom.

obeundum. Et hoc modo intelligendus D. Thomas, dum docet eos reductiuè contineri ſub genere potentiæ. Vnde art. 3. in corpore totam vim huius potentialitatis ponit in deputatione diuina, qua per characterem quiſquam ad certum munus deputatur. Et clariùs a. 4. ad 1. vbi dicit characterem eſſe actiuum ratione auxiliorum gratiæ, quam Deus largitur eo inſignitis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm character Sacramentalis ſit character Chriſti?

13 ARTICVLO III. docet characterem Sacramentalem eſſe participationem ſacerdotij Chriſti. quia per eum adſcribimur aut in familiam, aut in milites Chriſti, aut in miniſtros myſteriorum Chriſti; ſicut per ſignum militare quis in

D. Thom.

talis aut talis ducis militem adſcribitur. Quæ D. Thomas fuſiùs in textu explicat.

Nota, pro reſponſione ad ſecundum, Theologos

Magiſter.

cum Magiſtro in 4. d. 4. in Sacramentis tria diſtinguere: ſcilicet id quod eſt Sacramentum tantùm: id quod eſt tantùm res Sacramenti: & quod eſt Sacramentum & res ſimul. Et Primò externam materiam & formam Sacramenti vocant Sacramentum tantùm: quia ſignificant aliquid, & à nullo ſignificantur. Secundò, gratiam vocant rem tantùm: quia ſignificatur, & nihil ſignificat. Tertiò, characterem vocant rem & Sacramentum ſimul: quia ſignificatur ab externo Sacramento, & ſignificat gratiam.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm character ſit in potentiis animæ, ſicut in ſubiecto?

14 ARTIC. IV. docet characterem eſſe in potentiis animæ: quia ordinatur ad operandum: operatio autem fit per potentias. Quod intelligi ratione gratiarum, quas Deus recipientibus characterem confert, vt munus ad quod per characterem deſtinantur, poſſint ritè exequi: vt docet in reſponſione ad primum. Aliàs character ſecundùm ſubſtantiam eſt in eſſentia ipſius animæ, vt in ſubiecto. Quia ſecundùm hanc non eſt operatiuus; vt patet ex dictis.

D. Thomas in his articulis ſæpe loquitur non nihil implicatè & obſcurè: quia non ſatis explicat in quo conſiſtat hæc potentia & efficientia inſtrumentalis ipſius characteris, etſi id inſinuet in reſponſione ad primum. Quare multi credentes eum loqui de potentia & efficientia non morali ſed phyſica, quæque characteri ſecundùm ſe conueniat, fuſiſſimè diſputant qualis ſit hæc potentia, & quod ſit ſubiectum characteris. Sed cùm oſtenderimus, omnem effectum Sacramenti à ſolo Deo phyſicè produci, facile eſt intelligi, quomodo character poſſit moraliter operari ex Dei deſtinatione, vt S. Thomas docet articulo 5.

D. Thom.

ARTICVLVS V.

Vtrùm character inſit animæ indelebiliter?

ARTIC. V. docet characterem eſſe indelebilem in perpetuum. quia ſicut ſacerdotium Chriſti æternum eſt: ita omnis illa participatio huius ſacerdotij, qua aliquid diuino cultui ad certum aliquod munus conſecratur, debet etiam perpetuò permanere, dum res conſecrata permanet: vt patet in vaſis conſecratis. Cùm igitur anima hominis æternum duret, etiam character perpetuò durat. 15

Nota Primò, eſſe de fide indelebilem eſſe characterem quàm diu homo viuit. quia hoc ſaltem ſenſu definitur indelebilis in Trident. ſeſſ. 7. can. 9. 16 Character eſt omnino indelebilis. *Trident.*

Item, omnino certum eſſe etiam poſt hanc vitam permanere iuſtis ad gloriam, damnatis ad confuſionem & ſignum ingratitudinis. Eſt communis Theologorum, & patet ex communi Eccleſiæ ſenſu, quæ reſuſcitatum ex mortuis nec rebaptizat, nec reordinat. Ratio huius à priori eſt, ſola voluntas Chriſti.

Nota Secundò, characterem cùm ſit res aliqua ſpiritalis, quæ à ſolo Deo poſſit produci, natura ſua eſſe incorruptibilem. quia non habet contrarium à quo poſſit corrumpi. Demeritoriè tamen potuiſſet per peccatum deleri, ſicut gratia deletur, ſi Deus ita voluiſſet. Magis tamen fuit conueniens vt non deleretur. Primò, ob rationem D. Thomæ, quia ſcilicet eſt participatio quædam ſacerdotij Chriſti, quod æternum eſt. Secundò, quia aliàs poteſtas illa moralis ſuſcipiendi & conficiendi Sacramenta, quæ characteri eſt annexa, fuiſſet etiam per peccatum amiſſa: quod fuiſſet inconueniens. Primò, quia homines debuiſſent ſæpiùs baptizari, cùm tamen non conueniat hoc Sacramentum repeti. quia ſignificat mortem & reſurrectionem Chriſti, quæ numquam debuerat repeti. Secundò, quia nullus vnquam fuiſſet certus ſe validè ſuſcipere aliquod aliud Sacramentum. quia non fuiſſet certus ſe eſſe in gratia, ac habere characterem baptiſmi, ſine quo alia Sacramenta ſuſcipiuntur inualidè. Tertiò, ſæpiſſimè contigiſſet ſacerdotes inualidè conficere Sacramenta, maximo populi Chriſtiani damno. Imò ſæpiùs debuiſſent reordinari cum magno ſcandalo. Potuiſſet quidem Chriſtus ita inſtituere hæc Sacramenta, vt pereunte charactere perſeueraret illa poteſtas. Contrarium tamen fuit magis conueniens. Nam aliàs nulla fuiſſet ratio cur illa Sa- 17 Idque naturaliter.

D. Thom. Quare meritoriè deleri nequeat.

crementa imprimerent characterem.

Nota Tertiò, etsi maneat character post hanc vitam, nullo modo tamen manere potestatem conferendi aut suscipiendi Sacramenta; nec quidem post resurrectionem generalem. Quia illa manet in solis viatoribus, pro quibus solis Sacramenta sunt instituta. Si quis tamen resurgat iterum moriturus, sicut iterum sit viator, ita eandem habet potestatem, quam prius habebat.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm per omnia Sacramenta nouæ legis imprimatur character?

ARt. VI. docet solùm tria Sacramenta, scilicet Baptismum, Confirmationem & Ordinem imprimere characterem: vnde hæc sola iterari non possunt. Patet ex Trid. sess. 7. can. 9. Ratio est, quia hæc sola suscipientem ad certum quoddam munus ad cultum Dei pertinens perpetuò consecrant. Vide textum. 19 *Trident.*

QVÆSTIO LXIV.

DE CAVSA SACRAMENTORVM.

ARTICVLVS I.

Vtrùm solus Deus operetur interius effectum Sacramenti?

1 ARticvlo I. docet solum Deum esse causam principalem effectus interioris Sacramenti, scilicet gratiæ & characteris: ministrum verò esse causam instrumentalem & ministerialem, quatenus ex institutione & commissione Christi Sacramenta conferendo, suscipienti applicat merita Christi, & virtutem diuinam iis annexam, quæ interiorem effectum operatur, iuxta dicta suprà q. 62. a. 4. Nec hic occurrit specialis difficultas.

2 Hoc solum Notandum, aliquos asserere ministrum Sacramenti per characterem, aut gratiam habitualem sibi inhærentem immediatè etiam concurrere ad gratiæ productionem. Vnde etiam putant ministri sanctitatem aut characterem conferre ad maiorem Sacramenti effectum. Sed hoc non est probabile. Primò, quia hoc ideo ferè ab illis asseritur, quia putant ministrum ratione characteris aut gratiæ habitualis, per modum instrumenti physicè concurrere ad gratiæ productionem: quod suprà ostendimus non esse verum. Secundò, quia illa opinio nullo fundamento nititur. Nam Patres nunquam tribuunt ministris vllam vim remittendi peccata, nisi præcisè ratione Sacramentorum quæ conferre possunt. Imò sæpissimè indicant hæc eandem habere vim, siue à bonis, siue à malis ministris conferantur. Tertiò, quia aliàs Sacramenta non niterentur solùm meritis Christi, sed etiam ipsius ministri: quod est absurdissimum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Sacramenta sint solùm ex institutione diuina?

3 ARticvlo II. docet solum Deum propria auctoritate potuisse instituere Sacramenta nouæ legis. Quia sicut solus propria auctoritate potest conferre gratiam: ita solus propria auctoritate potest instituere Sacramenta conferentia gratiam. Quia nihil potest dare alteri virtutem aliquid efficiendi, quam in se nullo modo habet.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus secundùm quod homo habuerit potestatem operandi interiorem effectum Sacramentorum?

4 ARticvlo III. docet Christum quà Deum tanquam causam principalem efficientem operari interiorem effectum Sacramenti: quà hominem verò esse causam principalem meritoriam illius effectus: efficientem verò ministerialem ex commissione Dei, cum quadam tamen potestate excellentiæ supra alios ministros, quæ in quatuor consistit. Primò, quia eius passio & merita operantur in Sacramentis, siue per Sacramenta eorum effectus; quatenus nimirum his annexa & moraliter in iis contenta mouent immediatè Deum vt effectum interiorem Sacramenti operetur iuxta dicta quæst. 62. artic. 4. Et hac ratione intellige D. Thom. in q. 48. art. 6. vbi docet passionem Christi comparatam ad voluntatem diuinam operari nostram salutem per modum causæ efficientis. quia id quod applicat virtutem efficientem ad aliquem effectum, dicitur hunc efficere. Secundò, quia dicuntur Sacramenta Christi, & in eius nomine sanctificare, quia ex eius meritis & institutione virtutem accipiunt. Tertiò, quia Christus potuit Sacramenta instituere. Quartò, quia Christus potuit sine Sacramentis eorum effectum operari, ad hoc applicando per se immediatè diuinam virtutem sibi assistentem, & paratam ex eius voluntate operari quemuis effectum ad nostram redemptionem & salutem conuenientem. *D. Thom.*

Nota, Christum qua hominem dici instituisse hæc Sacramenta, quatenus homo includit hypostasin, quæ in Christo erat persona Verbi, à qua natura humana habuit omnem suam potestatem & dignitatem: ab hac tamen huiusque arbitrio externa institutio procedebat, sicut etiam merita, quæ tamen infinitatem valoris habebant à dignitate personæ. 5

ARTIC.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Christus potestatem suam quam habuit in Sacramentis, potuerit ministris communicare?

6 ARTIC. IV. docet Primò, Christum non potuisse communicare vlli homini potestatem vt institueret Sacramenta, omnino propria auctoritate tanquam auctor & causa principalis gratiæ, quam potestatem habebat ipse vt Deus.

Secundò docet, Christum, absolutè loquendo, potuisse communicare hominibus illam potestatem excellentiæ instituendi Sacramenta, quæ ipsi vt homini conueniebat, ita vt ij quibus eam communicasset, suo arbitrio potuissent instituere Sacramenta quæ ex eorum meritis habuissent vim: sed inferiore gradu quàm quo ipse eam habebat. Quia hi semper fuissent ministri Christi, & ratio omnis meritorum ipsorum à meritis Christi pependisset.

DVBIVM I.

Vtrùm Christus immediatè per se omnia Sacramenta instituerit?

7 NOta nobis hîc non esse quæstionem cum hæreticis de numero Sacramentorum, de quo agemus quæstione 65. Etsi enim ipsi multa quæ nos numeramus inter Sacramenta, negent esse vera Sacramenta; tamen ea quæ ipsi fatentur esse vera Sacramenta, fatentur etiam esse instituta à Christo. Sed quæstio nobis est cum Catholicis. Quidam enim putarunt aliqua Sacramenta, ex eiusmodi auctoritate à Christo accepta, ab Apostolis aut ab Ecclesia fuisse instituta. Sed hoc iam nullo modo potest defendi. Quia videtur expressè contra Trident. sess. 7. can. 1. vbi dicitur: *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia ab Iesu Christo Domino instituta, anathema sit.* Nec sufficit dicere, fuisse mediatè instituta à Christo, quia auctoritate ab eo accepta. quia Concilium intelligit de immediata institutione. Primò, quia sess. 14. can. 1. de Extrema vnct. de qua maximè poterat esse dubium, docet à Christo institutam, & à D. Iacobo solùm promulgatam. Quo loco etsi Concilium tantùm dicat eam esse institutam à Christo, non addendo immediatè: tamen nemo dubitat quin loquatur de institutione immediata. Quia si putaret posse dici immediatè institutam ab Apostolis, nulla esset ratio negandi eam institutam à D. Iacobo, cui tamen Concilium solùm tribuit promulgationem: ergo similiter cùm dicit alia Sacramenta omnia instituta esse à Christo, intelligit de immediata institutione. Et verba hoc etiam apertè significant: præsertim in Conciliorum dogmaticis definitionibus, in quibus verba, in quantum fieri potest, in communissima & apertissima significatione accipienda sunt; secundùm quam propriè non dicitur aliquis instituisse id quod aliàs generali potestate ab eo accepta instituit: præsertim cùm exceptis Philosophis & Scholasticis vix vlli vtantur istis vocibus *mediatè*, & *immediatè*. Confirmatur, quia aliàs posset dici Christum instituisse omnia sacramentalia, quia dedit Ecclesiæ potestatem ea instituendi. Probatur Secundò, quia Tridentinum sess. 21. can. 2. docet Ecclesiam posse aliquid mutare circa cæremonias accidentales, nullam autem habere potestatem circa substantialia Sacramentorum. Quia scilicet habuit potestatem instituendi ritus accidentales, non autem substantialia Sacramenti. Clarè etiam colligitur ex Apostolo 1. ad Corinth. 4. v. 1. vbi dicit Apostolos tantùm esse dispensatores mysteriorum, siue Sacramentorum Dei, non autem auctores. 1. Cor. 4.

Trident. Omnia Sacramenta sunt immediatè à Christo instituta.

Trident.

Obiicies Primò, D. Augustin. epist. 118. ad Ianuarium cap. 1. cùm dixisset Christum nos leui iugo subdidisse ait: *Vnde Sacramenta numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione potentissimis societatem noui populi colligauit, sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur: exceptis iis, quæ seruitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum, & prophetici temporis onerabant, quæ & in quinque libris Moysi leguntur. Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe seruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.* Vbi videtur docere tantùm duo Sacramenta à Christo esse instituta; vel saltem illa sola, quæ in Scripturis dicuntur ab eo instituta: reliqua verò esse instituta ab Apostolis. 8 *August.*

Resp. eum hoc nullo modo dicere, sed omnino contrarium. Pro quo Nota eum ibi propriè intendere docere, quæ consuetudines Ecclesiæ seruandæ sint, quæ non: præsertim quando diuersæ in diuersis Ecclesiis sunt. Pro quo statim initio notat quædam ex iis, quæ Ecclesia obseruat, esse instituta à Christo: qualia dicuntur esse Sacramenta: ex quibus duo tantùm enumerat, quia nullo modo faciebat ad rem omnia enumerare; expressè indicans hæc omnia tanquam præcipua capita nostræ religionis à Christo fuisse instituta. Quod autem subiungit: *Et si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur*, &c. per *si quid aliud* non est intelligendum *Sacramentum*, vt aliqui putant (nam sic Augustinus videretur dubitare an aliquod aliud Sacramentum in Scriptura nobis commendaretur) sed quæuis alia res ex præcepto diuino positiuo obseruanda. Vnde hanc distinguit à præceptis legalibus antiquis: de qua meritò ita loquitur, quia probabilius est præter præcepta de Sacramentis, nullum aliud in lege noua esse præceptum diuinum merè positiuum. Vnde clariùs patet illud quod inferiùs dicit: *Illa autem quæ non scripta*, &c. nullo modo pertinere ad Sacramenta, sed ad alias res ab Ecclesia statutas, vel summum ad aliquos ritus accidentales Sacramentorum. Quare verba hæc vltima Augustini generaliter sumpta sunt vera. Quia extra Sacramenta nullum habemus præceptum diuinum positiuum per traditionem nobis cognitum. 9

Similiter quod D. Aug. l. 3. de doctrina Christ. c. 9. comparans vetera Sacramenta cum nouis, ait: *sed quæ dampauca pro multis, eademque facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina*, non ita intelligendum, quasi Sacramenta partim Christus, partim Apostoli instituerint: sed quòd Christus omnia iis essentialia instituerit; Apostoli verò ea nobis promulgarint, quosdámque ritus in eorum administratione seruari præceperint. 10 *August.*

Obiicies Secundò, D. Cyprian. serm. de ablutione pedum initio, loquens de institutione Sacramentorum, ait: *Ipse summus sacerdos sui est Sacramenti institutor & auctor: in ceteris homines Spiritum sanctum habuere doctorem.* Vbi videtur dicere cetera Sacramenta instinctu Spiritus sancti per homines instituta. 11 *Cyprian.*

Resp. Auctorem illius sermonis non esse D. Cyprianum, sed alium quempiam, qui multa ibi habet valdè obscura, & difficilia vt in vero sensu explicentur. Nam infrà videtur clarè dicere Eucharistiam iuxtà ac baptismum non posse iterari. quare quidam in eius explicatione valdè laborant. Sed quidquid de sensu illius loci sit, certè non potest esse is qui in argumento

sumitur, quia aliàs sequeretur, ne quidem ipsum baptismum à Christo esse institutum. quod apertè hæreticum est. Imò ipse auctor apertè sibi contradiceret; quia tam baptismum quàm pœnitentiam à Christo institutta esse docet.

DVBIVM II.

Vtrùm Deus possit alicui puræ creaturæ communicare potestatem instituendi Sacramenta conferentia gratiam, & remittentia peccata ex opere operato?

12 Scotus, Gabriel, Vasq. Suarez.

SCotus in 4. d. 1. q. 3. a. 2. concl. 2. quem sequuntur Gabriel ibidem q. 2. art. 3. dub. 2. prop. 1. & Vasq. hic disp. 135. cap. 2. negant talem potestatem posse alicui creaturæ communicari, si loquamur de propria institutione Sacramenti. Contrà Suarez hîc disp. 2. id affirmat. Videtur esse sententia D. Thomæ hîc, & communis Thomistarum. Sed maior inter eos videtur quæstio de nomine quàm de re, in qua non credo eos differre.

13 Creatura nequit esse causa omnino primaria Sacramenti.

CONCLVSIO I. Implicat, Deum creaturæ communicare potestatem qua instituat Sacramenta tanquam causa primaria effectus eorum: ita nimirum, vt vis moralis quam habent Sacramenta reconciliandi gratiam, nitatur vltimò virtute & auctoritate illius creaturæ. Ratio est, quia aut talis creatura deberet virtute sua physicè tunc producere interiorem effectum Sacramenti, aut saltem suo imperio applicare ad hoc diuinam virtutem sibi quasi subiectam: quorum vtrumque apertè implicat. Probatur assumptum, quia nisi alterutro ex dictis modis creatura producat illum effectum, tota vis Sacramenti nitetur tandem potentia, voluntate, & libera Dei promissione. Et hanc conclusionem apertè docet D. Thomas art. 2. vbi negat etiam Christo quà homini hanc potestatem conuenire.

D. Thom.

14 Vis Sacramentorum nequit niti solis meritis puræ creaturæ.

CONCLVS. II. Implicat, alicui puræ creaturæ communicari perfectè eam potestatem instituendi Sacramenta quam Christus habuit: ita scilicet, vt eius meritis nitantur de condigno eorum omnem effectum merentibus. Ratio est, quia implicat, aliquam puram creaturam mereri de condigno alicui remissionem peccati mortalis aut pœnæ æternæ. quia, vt plurimum ostendam in materia de satisfactione, ad hoc requiritur meritum verè infinitum, quod implicat puram creaturam habere.

15 CONCLVS. III. Posset Deus alicui puro homini dare potestatem, vt instituere quæcumque vellet signa honesta conferentia ex opere operato gratiam non minùs efficaciter & certò quàm nostra Sacramenta eam conferunt: & consequenter, vt iuberet omnes homines baptizari in nomine suo. quia posset Deus ex sua libera promissione se tali homini obligare, vt eodem planè modo concurreret cum signis ab eo institutis, atque concurrit cum Sacramentis Christi, idque etiam ex pacto alicuius operis futuri, aut in aliquod præmium operis ipsius præteriti, ita vt eius meritum aliquo modo ad hunc effectum concurreret, vt meritum de congruo, aut conditio sine qua non. Nulla enim hîc apparet implicantia, aut ratio cur negetur id fieri posse.

16 Similis ratione potuisset Christus dare alicui homini potestatem eiusmodi signa suo arbitrio instituendi, quibus ipse annexuisset sua merita, & consequenter diuinam virtutem, vt cum iis eodem modo concurreret, sicut de facto concurrit cum Sacramentis à Christo institutis. Et hoc apertè sentit D. Thomas in hoc art. expressèque docet D. Aug. tract. 5. in Ioan. vbi ait:

D. Thom. D. Aug.

Potuit autem Dominus noster Iesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui seruo suo, vt daret baptismum suum tanquam vice sua, & transferre à se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo seruo suo, & tantam vim dare baptismo translato in seruum, quantam vim haberet baptismus datus à Domino.

Nec in his conclusionibus propriè inter Doctores est dissensio, sed inter se disputant vtrùm tertia hæc potestas sufficiat, vt quis possit dici instituisse Sacramentum. Auctores secundæ sententiæ id affirmant; alij verò negant, dicúntque talem tantùm habiturum potestatem suo arbitrio designandi certa signa quæ Deus, aut etiam Christus qua Deus homo, in Sacramenta erigeret. Quia vt quis dicatur verè instituere Sacramenta, aiunt necesse esse, vt iuxta modum explicatum 1. aut saltem 2. conclusione, det iis vim conferendi gratiam. quod implicat à puro homine fieri. Ex quibus patet inter eos solam esse quæstionem de nomine, cùm de re conueniat. vtraque autem sententia potest facilè defendi.

17 CONCL. IV. Omnino conueniebat nulli puro homini etiam tertio isto modo talem potestatem dari. Quia sicut solus Christus potuit nos dato condigno pretio redimere: ita omnino decuit eius solius merito nos liberari à peccatis, & præcipua instrumenta nostræ salutis ex eius solius merito ac arbitrio vim suam habere: ne aliud daretur nomen sub cælo, cuius inuocatione sanctificaremur.

18 D. Thom.

Hactenus disputauimus tantùm de Sacramentis nouæ legis conferentibus gratiam, de quibus D. Thomas hic solùm agit. Si verò loquamur de Sacramentis tantum conferentibus quandam sanctitatem legalem, qualia erant Sacramenta vetera; credibile est posse Deum dare alicui puro homini potestatem ea instituendi iuxta sensum 2. concl. Quia nulla est ratio, cur dicamus hominem iustum non posse de condigno mereri effectum talium Sacramentorum, si Deus sub conditione operum hoc præmium ei promitteret. quia hic effectus est omnino finitus. Tota tamen vis eorum Sacramentorum niteretur vltimò etiam diuina promissione, & libera voluntate, sine qua homini nulla talis potestas potest competere. quia sicut solius Dei est peculiarem sibi Ecclesiam eligere: ita ipsius solius est propria auctoritate decernere, qua ratione eius membra ac ministri sanctificandi sunt.

19

Quamquam autem, vt dixi, talem potestatem potuerit hominibus dare, tamen nunquam eam alicui dedit. Quod de Sacramentis Mosaicis clarè patet. Nam totam illam legem Deus per seipsum immediatè condidit; Angelus autem respectu Moysis, cui eam explicuit, sicut & ipse Moyses respectu populi, tantùm eius fuerunt præcones.

Idem dicendum de Sacramentis legis naturæ. Quia nulla est ratio cur dicamus Deum aliquando talem potestatem alicui puro homini concessisse, ita vt alij ab eius meritis penderent. Imò, vt ostendi q. 60. art. 5. & q. 61. a. 2. verisimilius est Deum determinasse etiam aliqua ratione certam materiam illius Sacramenti, quod in lege naturæ communiter Theologi instituerunt fuisse asserunt.

ARTICVLVS V.

Vtrùm per malos ministros Sacramenta conferri possint?

20 ARTIC. V. docet per malos ministros validè conferri Sacramenta etiam quoad effectum seu gratiam, modò suscipiens non peccet ea suscipiendo. de quo art. 6. agemus. Ratio est, quia Sacramenta non operantur

ex virtute meritorum ministri, sed ex meritis Christi. & virtute diuina, quæ aliena malitia impediri non possunt. Est de fide definitum in Concil. Constantiensi sess. 8. & 15. contra errores Ioannis Vvicleff, & Ioannis Hus. & in Trident. sess. 7. can. 12. de Sacramentis. & probabitur magis a. 9.

Conc. Constantiense. Ioann. Vvicleff. Ioan. Hus. Trident.

Nota, etsi bonitas ministri per se ad maiorem gratiam per Sacramentum recipiendam nihil conferat; tamen in adultis per accidens ad hoc quandoque conducere, quatenus potest in suscipientibus dispositionem augere, impetrando illis gratias aliquas præuenientes, aut ad maiorem deuotionem eos excitando.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm mali administrantes Sacramenta peccent?

21 ARTIC. VI. docet scienter ac sine necessitate administrantem Sacramenta in peccato mortali, peccare mortaliter: quia rem adeò sacram indignè tractat. Probat id auctoritate D. Dionysij. Sed si attentè legatur, hæc non conuincit. Adferunt alij varias alias auctoritates, sed multæ parum probant.

D. Dionys.

Augustin.

Probatur igitur auctoritate D. Augustin. qui lib. 2. contra epist. Parmeniani c. 10. ait: *Omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* Item auctoritate Gelasij Papæ, qui, vt refertur cap. *Sacrosancta* 1. quæst. 1. in epist. ad Elpidium, ait: *Sacrosancta religio, quæ catholicam continet disciplinam, tantam sibi reuerentiam vendicat, vt ad eam quilibet nisi pura conscientia non audeat peruenire. Nam quomodo ad diuini mysterij consecrationem cœlestis Spiritus inuocatus aduenit, si sacerdos, qui eum adesse precatur, criminosis plenus actionibus reprobetur?* Quæ non sunt ita intelligenda, quasi velit malum sacerdotem irritè conficere Sacramenta, nec per ea conferre Spiritum sanctum. hoc enim est hæreticum. Sed quia talis sacerdos, quantum est ex se, auertit Spiritum Sanctum ne aduenit, dum eum tanta iniuria afficit. Occurrunt autem aliquot graues difficultates, quas sequentibus dubiis examinabimus.

Gelasius Papa.

DVBIVM I.

Vtrùm in peccato mortali conferens Sacramenta, aut conficiens aliqua sacramentalia, peccet mortaliter?

22 NOta, communiter ferè inter Doctores conuenire, Primò, sacerdotem solemniter conferentem aliquod Sacramentum in statu peccati mortalis, peccare mortaliter, nisi ignorantia aut necessitate excusetur.

Peccator vrgente necessitate licitè confert Sacramenta.

Secundò, quando vrget grauis necessitas, verbi caus. si aliquis sit in periculo ne sine baptismo aut confessione moriatur, nisi statim baptizetur, vel audiatur, & vnicus adsit qui id possit facere: tunc si sacerdos conscius sibi peccati mortalis non possit statim excitare contritionem, posse, imò teneri conferre Sacramentum: quia tunc propter necessitatem cessat omnis irreuerentia erga Sacramentum, sicut cessat quando quis confert illud indigno, ne publicè eum infamet.

23 Vt peccator dignè conferat Sacramenta, sufficit eum priùs conteri.

Tertiò, sufficere vt conscius sibi peccati mortalis conteratur ante administrationem Sacramenti, nec opus esse, vt priùs confiteatur, nisi debeat celebrare: quia aliàs nullibi ei præcepta confessio. Imò dum Ecclesia particulatim præcipit, vt conscius sibi peccati mortalis confiteatur ante sumptionem Venerabilis Sacramenti, hoc ipso quo nihil tale de eo, qui Sacramenta collaturus, aut alia suscepturus est, præcipit, censetur in his hoc non requirere.

Quartò, ferè conuenit hanc obligationem conferendi Sacramentum in statu gratiæ non oriri ex aliquo præcepto positiuo (nullum enim tale exstat) sed ex ipso iure naturæ. Variant tamen Doctores in assignanda præcisè ratione huius obligationis: & prout quisque aliam atque aliam assignat, sic diuersimodè circa diuersos casus respondet. 24

Caietanus hîc §. *In responsione ad primum.* causam esse ait consecrationem sacerdotis. Putat enim quemuis peccare mortaliter hoc ipso quo facit aliquod opus in peccato mortali, ad quod faciendum est consecratus per aliquod Sacramentum; quem etiam aliqui alij sequuntur. Hinc inferunt Diaconum solemniter canentem Euangelium, ac Subdiaconum canentem Epistolam in peccato mortali, peccare mortaliter. Idemque asserunt de Episcopo consecrante ecclesiam, aut calices: imò etiam de sacerdote concionante, quia putant esse actum Ordinis. Sed hæc nimis dura sunt: & ex illo principio inferuntur quædam incredibilia, & quædam apertè falsa. 25 *Caiet.*

Primò enim quis credat clericum minorum Ordinum in peccato mortali solemniter fungentem officio suo, obserando ianuas ecclesiæ, aut ferendo cereos dum legitur Euangelium, peccare mortaliter? 26

Secundò, quia sequeretur confirmatum confitendo coram tyranno fidem: aut coniuges aliàs debitè vtentes matrimonio, si sint in peccato mortali, peccare mortaliter: quia ad hæc facienda Sacramenti gratiam acceperunt.

Respondent aliqui esse diuersitatem. Quia hæc Sacramenta dant quidem gratiam, vt iis initiati debitè supradicta faciant, non tamen, vt faciant in gratia: Ordinem verò ad vtrumque dare gratiam, ideóque requirere, vt actus Ordinum fiant in gratia.

Sed contrà, quando Ordo dicitur dare gratiam, vt eius actus exerceatur in gratia, vel significatur tantùm gratiam in hunc finem dari, & ad hoc esse vtilem. Et simili etiam modo Confirmatio, & Matrimonium conferunt gratiam: quia ideo eam conferunt, vt initiati in tali statu & circumstantiis possint, prout decet Christianum, suam salutem operari, ad quod necessarium est, vt ea opera fiant in gratia, quia aliàs sunt opera mortua; & sic erit paritas. Vel significatur, Ordinem obligare ordinatos, vt faciant actus sui ordinis in gratia: & sic petitur principium. Nam quæritur cur Ordo potiùs ad hoc obliget quàm Confirmatio: & respondetur, quia ille obligat, hæc non.

Alij ponunt totam causam huius obligationis in sanctitate ipsius operis, siue Sacramenti, cui fit irreuerentia, si hoc in peccato mortali conferas: ideóque inferunt quemuis baptizantem in peccato mortali, peccare mortaliter. Refert hos Durandus in 4. d. q. 2. art. 1. Et quamuis ipse contrarium docear, tamen in fine articuli satis in illam sententiam inclinat, cum hac limitatione, nisi talis excuseretur ratione vrgentis necessitatis, non permittentis vt vacet contritioni excitandæ. Hæc sententia est satis probabilis, vt videbimus infrà. 27 *Durand.*

Alij coniungunt vtramque rationem simul, & requirunt ad peccatum mortale vt quis exerceat actum Ordinis non qualemcumque, sed singulariter sanctum, qualis est administratio Sacramenti: ideóque volunt nec laicum, nec sacerdotem baptizantem in necessitate non solemniter, peccare mortaliter, etsi sit in peccato mortali. quia non exercent actum Ordinis. Ita Durandus suprà & Valentia hîc disp. 3. q. 5. puncto 3. tenétque saltem ex parte Sanchez lib. 2. de 28 *Durand. Valentia. Sanchez.*

matrim. disp. 8. num. 4. dum dicit contrahentes matrimonium in peccato mortali non peccare mortaliter, quia non sunt ministri ad hoc munus consecrati. Et probabile putat Suarez disp. 6. sect. 3. & 4. Et videtur omnino esse sententia D. Thomæ hic ad 3. vbi docet sacerdotem in peccato mortali baptizantem in necessitate in qua laicus posset baptizare, non peccare mortaliter, quia non exhibet se ministrum Ecclesiæ.

Suarez, D. 1 num. 7.

29 Alij tamen hæc refutant, docentque si neutra ex his rationibus per se sufficiat ad constituendum peccatum mortale, nec vtramque simul posse sufficere. quia sunt diuersæ rationis. Aiunt autem conferre Sacramentum in peccato mortali, ideo esse peccatum mortale; quia conferens Sacramentum tenetur se conformare & ipsi Deo primo auctori Sacramentorum, secundùm eam rationem, qua in iis operatur gratiam, atque etiam ipsis Sacramentis, quatenus sanctificant. quorum vtrumque fit per sanctitatem & gratiam; ideóque vt licitè ea administrentur, necessariò in conferente requirunt gratiam.

30 Vnde inferunt Primò, quemuis quacunque ratione conferentem aliquod Sacramentum in peccato mortali peccare mortaliter, nisi excusetur ignorantia aut impossibilitate, quando vrgens necessitas non permittit eum vacare contritioni eliciendæ.

Secundò, nec Episcopum consecrando chrisma, ecclesias aut calices, aut concionando, nec Diaconum canendo solemniter Euangelium, etsi sint in peccato mortali, peccare mortaliter seclusò scandalo. Imò docent tales ne quidem peccare venialiter. Primò, quia nullum est præceptum eos obligans, vt faciant hæc in gratia. Secundò, quia si esset tale præceptum, obligaret sub mortali, cùm materia sit grauis. quod patet, quia si suspensus exerceat dicta munera, peccat mortaliter contra præceptum Ecclesiæ: quod non fieret, nisi esset materia grauis.

31 Sed hæc argumenta non vrgent quia ad Primum Respondeo, ex iure naturæ quemuis teneri res sacras reuerenter tractare: talem autem tractare eas irreuerenter. Ad Secundum, nego assumptum: quia etsi talis functio sit sufficiens materia, vt possit sub peccato mortali prohiberi; tamen cum hoc stare potest, quòd irreuerentia quæ committitur ab eo, qui eam exercet in peccato mortali, sit leuis. Nam quamuis aliquo modo dedeceat peccatorem tales functiones exercere, non tamen ita grauiter, vt sit peccatum mortale. Sicut etsi citra necessitatem sæpius per diem multam comedere sit sufficiens materia peccati mortalis, si fiat contra prohibitionem Ecclesiæ, vt sit quando violatur ieiunium; tamen hæc sepolita, est tantum peccatum veniale contra temperantiam.

Inferunt Tertiò, non peccare mortaliter administrantem in peccato mortali Ven. Sacramentum iam antè consecratum. Quia non conficit Sacramentum, nec est minister Dei ad sanctificationem proximè, & consequenter non tenetur se Deo conferenti gratiam conformare in sanctitate. Sed hoc videtur difficile, vt videbimus infrà.

32 Sanctitas Sacramenti exigit gratiam in conferente.

Conclvs. I. Obligatio administrandi Sacramentum in gratia, primariè oritur ex sanctitate ac dignitate ipsius Sacramenti, ipsiusque actionis qua administratur. Quia, vt ostendi suprà q. 62. art. 4. Sacramenta continent in se moraliter merita & sanguinem Christi, & eorum minister merita ac sanguinem Christi dispensat, idque impersona Christi, quam immediatè sustinet. Vnde sequitur esse contra dignitatem Christi & Sacramentorum, peccatorem, qui est hostis Christi, & mancipium diaboli, ea administrare. quia omnino dedecet talem in munere tantæ dignitatis ac sanctitatis tam immediatè personam Christi sustinere, ita vt sit vnum agens cum Christo. Sicut esset contra dignitatem regis, si aliquis in eius mensa manibus luto planè infectis conuiuis pretiosissima vina funderet.

33 Et præsertim si ad hoc sit consecratus.

Conclvs. II. Secundariò hæc obligatio oritur, multúmque augetur ex eo, quòd minister ad tale munus sit singulariter per Sacramentum aliquod consecratus. Quia hoc ipso quo aliquis se per Sacramenti susceptionem dedicat ad aliquod certum munus, suscipit particularem obligationem illud decenter obeundi: præsertim si ad hoc singularem gratiam, quasi quoddam congiarium, aut honorarium munus recipiat, quæ simul ad legitimam functionem excitet, eámque faciliter. Sicut etsi instante periculo omnes quidem subditi tenentur principis sui statum defendere; maximè tamen ad hoc tenentur eius feudatarij, ac publici magistratus. quare negligentia, quæ in aliis esset mediocris, in his valdè grauis est.

34 Sacerdos peccat mortaliter conferens Sacramentum in peccato mortali.

Hinc sequitur Primò, semper sacerdotem quacunque ratione conferentem in peccato mortali aliquod Sacramentum præter ipsum baptismum, aut baptizantem solemniter, peccare mortaliter, nisi excuseturaut ignorantia, aut quia aliter iam facere non potest ob vrgentem necessitatem. Idémque dicendum de consecrante Venerabile Sacramentum. Ratio est, quia in dictis omnibus ipsa collatio Sacramenti est actus Ordinis, & consequenter vtraque causa suprà allata ad supradictam obligationem perfectè concurrit. Nec ab hac sententia vllus dissentit.

35 Similiter & in qui distribuit Ven. Sacramentum.

Sequitur Secundò, idem dicendum esse de distribuente in peccato mortali Ven. Sacramentum etiam antè consecratum. quia est eadem ratio. Nam etsi hic non conficiat Sacramentum; tamen realiter Christi corpus & sanguinem dispensat, & quidem exercendo actum ad quem particulariter est consecratus: & consequenter proximè Christi personam (cuius proprium est nos pascere suo corpore & sanguine) in munere augustissimo sustinet. quare vtraque causa ex numeratis in hunc actum conuenit.

Vnde sequitur Tertiò, talem peccare toties quot hostias diuersas distribuit: quia sunt verè distinctæ Sacramenti distributiones, etiamsi statim consequenter fiant. Secùs esset si plures hostias simul vni daret: quia esset vnica distributio.

36 Sequitur Quartò, idem dicendum de sacerdote in necessitate baptizante non solemniter: qui propriè loquendo vtraque causa etiam in hunc actum concurrit, quia etiam ad hunc actum rite obeundum propriè sacerdos consecratur & gratiam accipit.

Nec refert quòd hic actus non sit annexus Ordini, atque adeò etiam à laico fieri possit: quia aliud est aliquem actum esse necessariò annexum alicui Ordini; aliud per talem Ordinem aliquem ad eiusmodi actum consecrari. Quia Subdiaconi per suam ordinationem iure diuino ad aliquod munus in Ecclesia subeundum consecrantur: & tamen nihil faciunt, quod spectato solo iure diuino laicus non posset facere. Confirmatur, quia spectata præcisè natura & institutione vtriusque Sacramenti, Ordinis scilicet & Baptismi (ex quibus præcipuè hæc obligatio spectanda est) sacerdos non magis sua ordinatione consecratur ad baptizandum solemniter, quàm aliter (quia solemnitas est purè iuris Ecclesiastici:) atqui dum baptizat solemniter exercet actum ad quem peculiariter est consecratus: ergo etiam dum baptizat non solemniter. Quia sacerdos omnem consecrationem quam habet per ordinationem, accipit iure diuino ex institutione & virtute Sacramenti. Quare si spectemus solam rationem, hæc sententia videtur satis certa. Contraria tamen, scilicet talem non peccare mortaliter, ob auctoritatem DD. & præsertim D. Thomæ, qui eam hîc in resp. ad 3. satis clarè docet, etiam est probabilis. *D. Thom.*

37 Sequitur Quintò, probabile esse idem dicendum esse

esse de laïco baptizante in necessitate. Quia primaria causa obligationis in hunc etiam conuenit. quia est verus minister Sacramenti, & in persona Christi eius merita dispensat. Contrarium tamen videtur probabilius. Primò, quia deest huic causa secunda, quæ, vt ostendi, obligationem in aliis multum auget: nec est satis clarum primam causam per se sufficere, vt tantam obligationem inducat. Quia cùm hic non ex officio, sed ex pura necessitate hoc munus obeat, non videtur tantam in Deum committere irreuerentiam, si minùs dignè illud officium obeat. Quia etsi grauem Regi iniuriam faceret, qui ex officio cùm esset pincerna, manibus fœdis sordibus infectis, in eius mensa pretiosissima vina conuiuis misceret: tamen non ita grauis conferetur iniuria, si is qui id faceret, non esset ad hoc designatus ex officio, sed subita necessitate compulsus, etiam eo casu quo posset absolutè priùs manus mundare. Committeret quidem hic irreuerentiam, ac peccaret in Regem; non tamen ita grauiter, vt mereretur omni statu, & Regis amicitia perpetuò priuari, sicut pincerna mereretur. Et similiter talis laïcus committeret graue peccatum veniale, non tamen censendus esset peccasse mortaliter, quia sine aliqua euidenti causa, tam grauis obligatio non est inducenda. Probatur Secundò, quia communiter ferè Doctores hoc asserunt, quibus sine necessitate contradicendum non est, quare hæc sententia tuta est in praxi.

Probabilius est laïcum baptizantem in peccato mort. non peccare mortaliter.

38 Sequitur Sextò, etsi contrahentes in peccato mortali matrimonium peccent mortaliter, quatenus suscipiunt indignè Sacramentum, non tamen quatenus hoc administrant: quia non sunt ad hoc officium consecrati: atque ita eadem est ratio in hoc casu & præcedenti. Secundò, quia hi non sunt ex primaria intentione, sed quasi ex consequenti ministri Sacramenti, quia primò & per se intendunt inire contractum, cui non est annexum Sacramentum ex natura sua, sed quasi per accidens ex voluntate Christi, quare hoc tantùm consequenter & quasi per accidens intendunt. Vnde collatio Sacramenti, & consequenter eius irreuerentia est iis minùs voluntaria, ideóque minorem irreuerentiam in Sacramentum committunt: sicut minorem irreuerentiam in mensam regiam committeret qui lances ei impositas scienter quidem, sed tamen aliud agendo sordidis manibus attingeret, quàm qui eum contactum per se intenderet.

Contrahentes matrimonium in peccato mort. tantùm vsu peccatum committunt.

39 Sequitur Septimò, Episcopum ac sacerdotem conficientes sacramentalia, v.c. chrisma, consecrationem templi, calicis, aquæ benedictæ, &c. aut concionatores; aut Diaconum solemniter canentem Euangelium in peccato mortali, secluso scandalo, non peccare mortaliter. Quia deest hic primaria causa huius obligationis, quia talis actio non est dispensatio meritorum Christi, aut opus in se tam sanctum, vt sit tam grauis obligatio exercendi illud in gratia. Videtur tamen esse peccatum veniale, idque eo grauius, quò ministerium est excellentius & magis sacrum, quia est aliqua irreuerentia, ministeria tam sacra manentem diaboli mancipium & Deo inimicum obire, præsertim cùm quis vt id ritè decentérque obeat, se Deo, consecrarit. Idémque dicendum de sacerdote transferente hostiam sacratam de loco in locum, aut eam elenante dando benedictionem, quia non est administratio Sacramenti. Colligitur apertè ex Suarez to. 3. disp. 72. sect. 4. §. *Sed obiicies.* Et sequitur potiore ratione ex iis quæ docet Vasquez disputat. 136. numer. 39.

Exercens alias actiones sacras in peccato mort. non peccat mortaliter.

Suarez.

Vasquez.

Peccator elenans sacram hostiam lapsam non peccat.

Ex quibus patet non videri probabile quod aliqui asserunt, scilicet, videntem lapsam hostiam consecratam in terra, eámque reuerenter leuando, ac ponendo loco decenti peccare mortaliter, si peccati mortalis sibi conscius sine contritione id faciat. Credo enim talem nullo modo peccare, sed actum honestum facere siue clericus sit, siue laïcus in absentia clerici: sicut benè feciisset peccator, qui cùm Christum in hac vita degentem vidisset lapsum, cum reuerentia eum porrecta manu eleuasset, etsi sine contritione id feciisset. Eadémque est ratio in nostro casu.

Nota, quoddam putare esse peccatum mortale, sæpiùs longoque tempore tales actus exercere in peccato mortali. Sed meliùs Vasquez disp. 136. n. 47. id negat. Quia sæpiùs velle peccare venialiter, non efficit peccatum mortale, nisi quando ratione damni illati (vt fit in minutis furtis) aut ex simili causa, multæ paruæ materiæ constituunt vnam magnam: quod hìc non fit. Nam hi actus sunt planè separati inter se, nec relinquunt effectum post se, ratione cuius prior coalescat cum posteriore. Quod autem aliqui dicunt, sæpiùs talia facere in peccato mortali, includere implicitum contemptum: non videtur verum. Nec enim est vlla ratio cur dicamus in eo actu frequentato magis includi virtualem contemptum, quam in frequentatione mendacij iocosi, aut negligentiæ in repellenda distractione inter orandum. 40

Vasquez. Peccator sæpiùs eiusmodi actus exercens non peccat mortaliter.

Contra dicta obiicitur Primò cap. vltim. de temporibus ordinationum: vbi cùm Gregorius IX. dixisset clericos ob occulta adulteria aut similia crimina, post pœnitentiam non esse impediendos, ne altiores Ordines suscipiant, aut in susceptis ministrent, subiungit: *Quòd si non pœnituerint monendi sunt, & sub interminatione diuini iudicij obtestandi, vt in testimonium suæ damnationis in susceptis etiam Ordinibus non ministrent.* Vbi Pontifex loquitur de omnibus clericis, & videtur dicere eos peccare mortaliter ministrando in peccato mortali in suis Ordinibus. 41

Gregor. IX.

Respond. negando Pontificem hoc dicere. Quia aliàs etiam Ostiarij peccarent mortaliter legendo suo munere in peccato mortali: quod videri incredibile. Non itaque dicit tales ministrare in damnationem suam, sed in testimonium damnationis; quia scilicet, cùm ipso suo ministerio proficeantur peritatem, & se debere esse sanctos; tamen malè viuunt, & consequenter testantur se dignos esse condemnatione. Sicut dicimus Religiosum malè viuentem suo habitu condemnari. Simili phrasi Apostolus ad Rom. 2. docet illos se ipsos condemnare, qui faciunt ea in aliis damnant: quia scilicet ostendunt se dignos condemnatione.

Obiicitur Secundò, 2. Regum 6. Oza morte punitur, quia tetigerat arcam Domini cùm esset periculum lapsus: ergo magis meretur mortem qui existens in peccato mortali tangit Venerabile Sacramentum, illud transferendo in alium locum, aut leuando de terra. 2. Reg. 6.

Respond. negando consequ. Quia ille sine sufficiente necessitate faciebat id, quod Num. 4. 15. omnibus qui non erant ex filiis Aaron sub pœna mortis prohibetur. In nostro autem casu, nulla est talis prohibitio. Num. 4.

Obiicitur Tertiò, Magis obligamur non indignè suscipere Sacramenta, quàm ea non indignè aliis ministrare: sed conscius sibi peccati mortalis cum nota attritione potest suscipere baptismum & pœhitentiam: ergo sacerdos existens in peccato mortali poterit ea cum simili dispositione ministrare.

Respond. negando consequ. Quia talis non indignè suscipit Sacramenta, quia suscipit ea cum ea dispositione quam requirunt: nec accepit priùs habitualem gratiam vt Sacramenta dignè suscipiat, sed hæc suscipit vt illam acquirat. Secùs est in sacerdote administrante Sacramenta.

DVBIVM II.

Vtrùm liceat accipere Sacramenta ab eo quem scio in administratione peccaturum?

42 D. Thom. VAriæ hac de re sunt Doctorum sententiæ. D. Tho. hîc ad 2. docet Primò, licere accipere Sacramenta à ministro Ecclesiæ existente in peccato, quamdiu toleratur. Secundò, non licere accipere ab eo qui non toleratur; *vt si*, inquit, *degradetur, excommunicetur, aut suspendatur*. Sed vtraque propositio restrictione aliqua indiget. Quare circa primam propositionem aliqui distinguunt inter proprium Pastorem, & non Pastorem. A primo docent licere Sacramenta eo casu accipere, quia quisque habet ius accipiendi Sacramenta à suo Pastore, quo propter alienam malitiam priuari non debet. Secùs aiunt esse de secundo, quia non habemus ius petendi ab eo Sacramenta. Ita Victoria n. 30. Caiet. hîc in resp. ad 2. Alij docent licere petere à parato dare, non tamen à non parato dare. quia petens hunc inducit ad peccatum, non tamen primum, qui ex propria voluntate peccat; sed nulla ex his distinctionibus generatim satisfacit: vt patebit ex dicendis.

Victoria. Caiet.

43 Nota, triplicitèr posse quem peccare administrando. Primò, solùm quia est in peccato; Secundò, quia ob censuram hoc illi prohibitum est; Tertiò, quia deest illi necessaria iurisdictio.

Ex iusta causa licitè petis Sacramenta à peccatore. Suarez. Nicolaus Papa.

CONCLVSIO I. In primo casu semper possum petere Sacramentum, etiamsi sciam alterum peccaturum administrando, quando aliqua mea necessitas, aut notabilis vtilitas id exigit, siue sit Parochus meus, siue non. Ita Suarez to. 3. disp. 18. sect. 2. & disp. 72. sect. 4. in fin. & alij. Et videtur aperta sententia Nicolai Papæ c. *Scisciatibus* 15. q. 8. qui loquens de adultero, generatim ait ab eo communionem percipiendam, donec iudicio Episcoporum reprobetur.

Probatur ratione. Primò, quia petere à tali Sacramentum, cùm possit id sine vllo peccato conferre, si vel & ex sola sua malitia sit malè collaturus, tantùm potest esse malum, quatenus sit aliquid quod alteri est futurum occasio peccati; sed quando adest notabilis necessitas siue vtilitas, licet mihi facere rem aliàs licitam, quæ alteri futura sit occasio peccati, vt communiter fatentur Doctores in materia de scandalo: ergo notabilem necessitatem licebit mihi à tali petere sacramentum.

Licite per iuramentum ab iurante per falsos deos. Augustin. Probatur Secundò, quia licet mihi exigere iuramentum ad contractus firmandos ab eo quem scio per falsos deos iuraturum, nec hoc est cooperari ipsius peccato, sed bono pacto: ergo similiter petens Sacramentum non communicat operi malo ministri, sed bono Sacramenti. Antecedens probant aliqui ex D. Augustin. epist. 154. sed tantùm ibi docet licere vti fide & pacto tali iuramento firmatis: quam quæstionem dicit esse distinctam ab hac, an liceat petere à tali iuramentum; quam non resoluit. Ex iis tamen quibus probat primum esse licitum, sequitur etiam secundum esse licitum. Nam aliàs damnanda esset consuetudo totius Christiani orbis, qui dum fœdus aliquod cum Barbaris init, exigit ab iis iuramentum, quo pacta firmentur.

Probatur Tertiò, quia si ob aliquod lucellum temporale possum petere mutuum ab vsurario, quem scio peccaturum dando, quanto magis ob lucrum spirituale possum petere Sacramentum à malè ministraturo? Nec enim sum causa cur malè ministret, cùm possit benè administrare eliciendo contritionem, sed solùm occasio. Vnde patet sufficientem ad hoc causam, esse præceptum Ecclesiæ, aut magnum aliquod festum quo soleo communicare, aut Indulgentias occurrentes, & similia.

44 Nota tamen Primò; quòd si possim commodè ab alio ea sine peccato daturo percipere, me teneri ex charitate id facere. quia teneor euitare alienum peccatum, cùm commodè possum. Quòd si alter esset mihi multò minùs vtilis, eo quòd indoctior, nec possit satisfacere difficultatibus proponendis, aut saltem parum securè, aut notabiliter minùs posset me in spiritu dirigere, aut esset valdè morosus, &c. non teneret cum tanto meo incommodo hunc eligere, vt alienum peccatum vitarem.

45 Debeo præsumere sacerdotē bene administraturum Sacramentum quoties non constat de contrario.

Nota Secundò, quando non constat mihi moraliter sacerdotem, quem cuperem adire, malè administraturum Sacramentum, me posse imò debere supponere eum bene administraturum. Quijuis enim præsumitur bonus, donec constet esse malum. Nec ad illud sufficit, quòd sciam eum recèns lapsum in peccatum mortale. quia debeo credere elicuisse iam contritionem, aut eum antequam conferat Sacramentum, eliciturum: maximè si videam eum sponte se exponentem ad Sacramenta administranda; nisi nollem illum iam diu alicuius peccati consuetudine sine cura salutis teneri.

Putant aliqui singularem esse difficultatem in publico concubinario. Sed si quæ olim fuit in hoc Ecclesiæ prohibitio, ea iam consuetudine vel per Concil. Constantiense abolita est: quod statuit, vt nullius, ob censuram aliquam Ecclesiasticam, consuetudinem teneamur vitare etiam in sacris, nisi nominatim sit denuntiatus, aut notorius clerici percussor. Talis autem prohibitio habebat aliquâ ratione censuræ. Erat enim quasi quædam suspensio, qua tales prohibebantur sub pœna excommunicationis celebrare diuina officia: vt patet ex c. *Præter hoc*, d. 32. vt docet Suarez disp. 72. sect. 4. sub finem, & Valentia disp. 3. q. 5. puncto 3. Vnde sine scrupulo eorum Missæ iam audiri possunt.

Conc. Constantiens.

Non prohibemur iam audire Missam concubinarij. *Suarez. Valentia.*

46 Ab excommunicatis non toleratis solum baptismum & pœnitentiam in articulo mortis licitè recipis. *D. Augustin. Trident. Nauarrus. Siluester.*

CONCL. II. A nominatim excommunicatis, non toleratis, aut notoriis clerici percussoribus, non licet vlla vmquam accipere Sacramenta, nisi baptismum & pœnitentiam in articulo mortis.

De baptismo id docet expressè D. August. lib. 1. de baptismo contra Donatistas c. 2. & refertur cap. *Si quem fortè*. 24. q. 1. De pœnitentia id insinuat clarè Triden. sess. 14. c. 7. vbi docet in articulo mortis quoslibet sacerdotes posse quoslibet ab omnibus criminibus absoluere: vt docet Nauarr. in Enchir. c. 27. n. 272. Siluest. v. *Confessio* 1. n. 16. citans Paludanum, Aureolum, Archidiaconum, & alij recentiores. Ratio huius permissionis est magna eo casu horum Sacramentorum necessitas. Quia etsi sine iis absolutè possit quis saluari per contritionem: tamen difficile est hanc elicere, & rarò sumus securi nos veram elicere.

47 Alia autem Sacramenta non posse à talibus percipi, probatur, quia absolutè Ecclesia nobis prohibet cum his, præcipuè in rebus sacris, communicare, nec hunc casum vllibi excipit: ergo vult suum præceptum etiam in articulo mortis obligare. Nec horum Sacramentorum est tanta necessitas, quin id meritò velit.

Quidam tamen putant licere à talibus etiam viaticum accipere, probántque ex c. *Quod in te*, de pœnit. vbi Pontifex ait, quòd eo casu quo interdictis licet accipere pœnitentiam in articulo mortis, licear etiam accipere communionem. Si itaque liceat interdicto morienti accipere communionem, multò magis liceat innocenti eandem accipere à quocumque excommunicato. quia hic ob alienum crimen tanto bono priuari non debet.

48 Sed hoc argumentum vt summum probat licere innocenti communionem accipere ab interdicto per generale interdictum; non autem ab interdicto, aut excommunicato nominatim, siue non tolerato: tum quia cum his difficiliùs permittitur communicatio in sacris, tum etiam quia hîc ferè cessat ratio

alterius permissionis, quæ videtur ea sola esse, ne plurimi etiam innocentes, qui sub interdicto quidem sunt, sed ei causam non dederunt, aut iam saltem omnino correcti sunt, cogantur sine viatico discedere. quod in generali interdicto præsertim vnius prouinciæ necessariò sæpe contingeret, si ibidem tempore interdicti morientibus nulla ratione posset viaticum dari. quæ ratio cessat in alio casu. Quia rarissimè potest contingere vt inter Catholicos moriens non habeat alium a quo possit Sacramenta suscipere, nisi excommunicatum non toleratum; cùm Prælati non soleant Pastores nominatim excommunicare, nisi alios substituant, qui eorum officio fungantur. propter rarissimos autem casus non fuit necessarium generalem legem infringere, nisi in casu grauissimæ necessitatis. Morientem autem inter hæreticos non expedit ab iis communionem accipere, ne videatur eorum fidei consentire. Et hanc sententiam cum aliis tenet Auila de censuris 2. part. c. 6. disp. 3. dub. 3. concl. 4. Excipit tamen vnum casum, quo scilicet iam morituro nulla possent dari alia Sacramenta quàm communio: quia tunc videtur esse maxima necessitas, cùm possit per eam iustificari si tantùm sit attritus. quod non est improbabile. certius est, quod ait concluſ. 5. in tali casu, quando alia Sacramenta nequeunt conferri, posse suscipi Extremam vnctionem ab ita excommunicato, quia potest esse extrema huius Sacramenti necessitas, & videtur etiam in hunc finem esse institutum.

Auila.

Extrema vnctio licitè aliquando suscipitur à non tolerato.

CONCLVSIO III. Ab excommunicatis toleratis, si Parochi sint, licet subditis petere Sacramenta in casibus prima concluſ. numeratis. Ita Henriquez de Sacramentis c. 30. n. 3. citans alios. Imò probabile est licere etiam petere ab alio non Parocho habente aliàs iurisdictionem: vt docet Suarez de censuris disp. 11. sect. 4. Sà v. *Sacramenta*, Candel. aureum de Sacramentis in genere, c. 19. Et insinuat Victoria de baptism. n. 50. dum non distinguit inter peccatorem & excommunicatum toleratum. Et colligitur apertè ex bulla Martini V. quam recitat Soto in 4. d. 22. quæst. 1. a. 4. vbi dicitur, neminem in posterum teneri eiusmodi excommunicatos vitare in administratione aut susceptione Sacramentorum. Ergo nulla prohibitione Ecclesiæ vetamur ab his petere Sacramenta, sed solo præcepto charitatis, ne simus eis occasio peccandi: quod non aliter obligat ne ea petamus ab excommunicatis quàm ab aliis peccatoribus. Confirmatur, quia possum rem mihi valdè vtilem petere à quouis, qui eam sine peccato præstare potest, etiamsi cum peccato præstaturus sit: vt patet ex dictis concluſ. 1. atqui hæc petitio est talis; ergo, &c. Minor probatur, quia ita excommunicatus potest priùs quàm conferat Sacramentum conteri, & petere absolutionem, si possit; aut si non possit, proponere eam petere statim atque poterit, & sic licitè conferet Sacramentum. Nam etsi Pontifex sua bulla nullo modo intendat directè eiusmodi excommunicatos subleuare, necessariò tamen & ex accidenti eos subleuat. Cùm enim det aliis veniam ab iis Sacramenta in suam vtilitatem petendi, necessariò debet dare excommunicatis veniam eo casu dandi Sacramenta, aliàs frustra daretur aliis ea venia, qua numquam licitè possent vti. Quia nemo potest sine peccato petere ab alio id quod sine peccato nequit præstare. Vnde hæc venia crederet in maius animarum periculum, quod tamen Papa cupit euitare; vt pluribus ditemus agendo de censuris.

49

Henriq. Ab excommunicatis toleratis ex iusta causa licitè Sacramenta petis. Suarez. Sà. Candel. aureum. Victoria. Soto.

Nec, si iusta causa petendi absit, multum facit ad rem quòd is à quo Sacramentum peto, teneatur vel non teneatur id mihi conferre. quia eius obligatio me nullo modo excusat ab obseruatione legis charitatis, sed sola mea meorúmque necessitas: quia cum notabili meo alteriúsve damno, non teneor vitare ne alius voluntariè peccet: vt patet in exemplis prima concluſ. allatis. par autem mea est necessitas, siue is à quo peto sit Parochus, siue non. Quod autem aliqui dicunt me ideo posse potiùs petere à Parocho quàm ab alio, quia Parochus censetur ex se magis paratus ad dandum, ideóque magis cenſetur sua sponte committere peccatum, quàm à me inducí; secùs autem esse in non Parocho; non est verum: tum quia vtrumque solùm induco ad actionem quam benè facere potest: vt patet ex dictis concluſ. 1. peccatum verò sponte committunt: tum etiam quia sæpe contingit vt Parochus inuitus Sacramentum conferat, & alter sit paratissimus, & ad hoc publicè expositus. Imò raro potest contingere vt hic inuitus Sacramentum conferat, cùm id negare possit: secùs autem est in Parocho.

50

Aliena obligatio non excusat ab obseruatione legis charitatis.

Nota tamen Primò, excommunicatum nulla ratione posse se offerre ad Sacramenta ministranda, & requisitum, si possit, teneri antè petere absolutionem à censura. Item si non possit priùs absolui, teneri remittere petentem ad alium, si quis sit qui eadem satisfactione petenti sit administraturus. Quia non potest Sacramenta administrare nisi rogatus, & quando hoc in notabile petentis commodum cedit: quæ ratio dictis casibus cessat. 51

Excommunicatus illicitè se offert ad conferenda Sacramenta.

Nota Secundò maiorem requiri rationem vt licitè petam Sacramenta à non Parocho, quàm vt à Parocho, quia maius habeo ius respectu huius quàm illius; est tamen hic excessus exiguus. Item vt petam à non parato, quàm vt ab eo qui publicè expositus est ad ea conferenda. quia non tam sum huic occasio lapsus, quàm ipse se præcipitat. Demum vt petam à grauibus peccatis obnoxio, quàm vt petam à minori peccatore. Et communiter vt petam ab excommunicato, quàm à non excommunicato. quia hi minùs peccaturi sunt, quàm illi. In praxi tamen hæc posteriora non semper possunt facilè distingui: atque ita error in his non facilè erit tam grauis. 52

Nota, in his omnibus casibus semper quantum fieri potest, pusillorum scandalum euitandum, nec vlla ratione committendum, vt hi qui in fide aut imbecilles, aut minùs benè instructi sunt, ex nobis accipiant occasionem contemnendi mysteria fidei, aut censuras Ecclesiæ. 53

CONCLVSIO IV. Numquam licet petere Sacramentum ab eo qui ob defectum iurisdictionis, aut similem causam, non potest illud licitè administrare, multóque minùs si non potest validè. Patet, quia numquam licet ab aliquo petere quod non potest sine peccato præstare: atqui tales non possunt sine peccato Sacramentum ministrare: ergo nec licet hoc ab iis petere. Nota tamen sæpe contingere, vt ij, qui per se non habent sufficientem iurisdictionem vt Sacramentum certæ personæ possint licitè aut etiam validè administrare, hic & nunc eam habeant ratione vrgentis necessitatis, aut alterius circumstantiæ: vt patebit in materia de Vener. Sacramento, & Pœnitentia. 54

Semper illicitè ab alio peto, quod non potest licitè dare.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm angeli possint Sacramenta administrare?

ARTICVLVS VII. docet angelos non posse esse ministros ordinarios Sacramentorum. quia Sacramenta habent vim suam ex institutione Christi, qui solos homines instituit Sacramentorum ministros. vt patet ex omnibus Scripturis vbi Sacramenta instituuntur, aut ministrorum eorundem fit mentio, atque etiam ex communi vsu & sensu Ecclesiæ. 55

Docet Secundò, posse tamen ex commissione diuina angelum esse ministrum Sacramenti. Quia sicut Deus suo arbitrio potest per se quacumque ratione

voluerit conferre omnem effectum Sacramenti : ita potest quemcumque huius ministrum constituere : vt per se patet. Vnde si bonus angelus aliquod Sacramentum alicui conferret, habendum omnino esset ratum. quia certum est illum hoc non facturum nisi ex auctoritate Dei. Sic Nicephorus l. 11. cap. 2. refert S. Amphilochium per angelos ordinatum Episcopum. *Nicephor.*

Quòd si verò diabolus aliquod Sacramentum conferret, nulla ratione esset habendum ratum; nec enim vnquam id Deus ei committeret.

56 Nota, D. Thom. in respons. ad 2. videri insinuare Beatos posse esse ordinarios ministros Sacramentorum. quod putant aliqui probabile, si eorum animæ corpus resumerent. Sed contrarium omnino credo dicendum esse, si aut resumant corpus non verè humanum, sed compositum ex aëre, quale angeli solent assumere, quia tunc non erunt veri homines : aut si resumant corpus quidem proprium, sed beatum. Ratio est, quia sicut Sacramenta instituta sunt pro solis hominibus viatoribus: ita etiam eorum ministri instituti sunt soli viatores : atque his solis vbique in Scripturis committitur Sacramentorum administratio. Aliàs enim sequeretur damnatum sacerdotem post resurrectionem posse verè consecrare, & remittere peccata, si offerretur illi apta materia, atque ita retinere veram potestatem in corpus Christi verũ & mysticum. Item Episcopum posse ordinare & conferre Spiritum sanctum. quæ omnia videntur absurda. Nec sufficit quòd retineat characterem. quia hic non est necessariò coniunctus cum potestate, quæ eum in hac vita sequitur. aliàs baptizati saltem post resurrectionem essent capaces susceptionis Sacramentorum : atque ita possent ordinari in inferno sacerdotes à damnatis Episcopis ; quod non dubito futurum pro vtrorumque in Deum odio in derisionem Dei & Sacramentorum, quæ ridicula sunt. *D. Thom.* *Solus homo viator potest esse minister Sacramẽti.*

57 Gratis autem dicitur Deum hoc singulari ratione impediturum : longè enim probabilius dicitur Deum iis non concedere eam potestatem, qua vult eos numquam vti, quàm miraculosè impedire ne concessa vtantur. Reuocati tamen ad starum viatorum retinerent potestatem conferendi Sacramenta, quam antè habebant.

D. Thom. Ad D. Thomam Respondeo, eum hoc hîc non asserere, sed permittere transire. quia non erat necessarium negare ad solutionem argumenti.

Nota, quosdam hîc disputare, vtrùm quiuis homines viatores possint quæuis Sacramenta conferre. Sed hoc meliùs explicabimus tractando de singulis, quia in singulis occurrit particularis difficultas.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm intentio ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti?

58 ARTICVLO VIII. docet ad valorem Sacramenti in ministro requiri intentionem conferendi effectum Sacramentalem saltem in causa, scilicet intendendo facere quod Christus instituit; aut quod Ecclesia facit : vt explicat in respondione ad primum. Quia cùm actio Sacramentalis ob varios fines fieri possit, debet per intentionem ad certum restringi.

Nota, responsionem ad secundum esse nonnihil *D. Thom.* obscuram, & multos torquere. Videtur enim D. Thomas dicere Primò, quòd & in paruulis absolutè, & in adultis piè suscipientibus Sacramentum Deus aliquando huius defectum soleat supplere, vt sine Sacramento iis vltimum effectum Sacramenti, scilicet gratiam, conferat. Sed Resp. eum nihil aliud velle quàm adultis, si contriti accedant, aliquando sine Sacramento conferri gratiam ratione contritionis : de paruulis verò nihil affirmare.

Secundò, videtur dicere Ecclesiæ intentionem 59
sufficere ad valorem Sacramenti, etsi minister alia omnia intendat, modò veram materiam & formam adhibeat & ita eum intellexerunt Siluest. v. *Baptismus*, n. 11. & Adrianus in 4. de baptism. q. 4. §. *Ad rationes*. Sed hoc est omnino falsum, & contra mentem D. Thomæ : vt patet ex a. 10. in corpore, & ad 2. *Siluest.* *Adrian.* *D. Thom.*

Resp. itaque eum tantùm velle, ministrum ex eo quòd agat nomine Ecclesiæ, omnino censendum eam actionem facere eo sensu & intentione qua Ecclesia eam fieri vult, dummodo exteriùs contrarium non exprimat, eo quòd nulla ratione præsumendum sit eum in re tanta velle malignari, nulla iusta causa suppetente : atque ita nos posse moraliter de valore baptismi esse securos. quod ad solutionem argumenti sufficit. Et quamuis verba D. Thomæ tam hic quàm quæ habet in 4. d. 6. q. 1. a. 2. difficulter patiantur bonum sensum : tamen ne tanto Doctori tam absurdam sententiam impingamus, potiùs sensu minùs commodo eius verba sunt explicanda.

Nota Secundò, in responsione ad 3. intentionem habitualem poni pro virtuali, vt benè notat. Caiet. & patet ex contextu. *Caietanus.*

DVBIVM I.

Quæ intentio requiratur in conferente, ad valorem Sacramenti?

60 NOta Primò, hanc difficultatem non versari circa qualitatem intentionis, de qua agemus dubio sequenti, sed circa eius obiectum. Petitur enim, quid debeat intendere facere, qui confert Sacramentum.

Nota Secundò, nos tria posse intendere in collatione Sacramenti. Primò, facere exteriorem illum actum, v. c. perfundere aliquem aqua, & pronuntiare formâ baptismi, nulla ratione intendendo Sacramentum. Secundò, intendendo vlteriùs conferre Sacramentũ, saltem implicitè, quatenus intendimus facere quod Ecclesia vera facit, qualiscumque demum illa sit, siue quod Christus instituit, vel quod Christiani faciunt, aut quod vidimus talẽ Episcopum Catholicum facientem; quæ virtute idem sunt. Tertiò, intendendo vlteriùs conferre gratiam, siue effectum Sacramenti. *Minister Sacramẽti potest tria intendere.*

Hæretici nostri temporis putant sufficere primam 61
intentionem. fundamentum eorum est, quia putant Sacramenta non habere alium vsum, quam vt excitent fidem : quacumque autem intentione fiant, possunt excitare fidem. Sed hunc errorem satis refutaui q. 62. Alio verò fundamento idem sentit Catharin. opusculo de intentione ministri ; cóque inclinat Siluester verb. *Baptismus* 3. n. 21. & alij. Mouentur Primò auctoritate D. Thomæ. Sed suprà ostendi aliter ipsius verba esse interpretanda. Secundò, auctoritate D. Augustini, qui l. 7. de baptism. contra Donatistas, videtur multùm huic sententiæ fauere. Tertiò, quia sicut non decuit Sacramenta pendere à bonitate ministri, quia aliàs semper essemus incerti de eorum effectu : ita non decet ea pendere ab eius intentione, quia non magis potest nobis de hac constare, quàm de illa. Quartò, quia aliàs posset quis damnari propter alienam malitiam : quia scilicet minister nollet habere rectam intentionem ; atque ita suscipiens Sacramentum non iustificaretur. Quintò, quia distribuens communionem quacumque intentione id faciat ; verum confert Sacramentum : ergo idem dicendum de aliis Sacramentis. Sextò, quia Sacramenta operantur per modum causæ naturalis, ita vt quantumuis minister intendat non conferre *Caietan.* *Siluest.* *D. Augustin.*

gratiam; si tamen conferat Sacramentum, verè conferat gratiam: ergo similiter quoties ponet externam materiam & formam Sacramenti, verè ponet ipsum Sacramentum quacumque intentione id faciat: quia in his consistit essentia Sacramenti.

Alij verò sentiunt, ministrum debere etiam intendere conferre ipsum effectum Sacramenti: sed hoc non intelligunt de explicita intentione effectus, qua hic in se intenditur, sed de implicita, qua intenditur in causa: quod fit quoties quis intendit conferre Sacramentum. atque ita reipsa non differunt à sententia quam sequemur.

62 Intentio requisita in ministro. *Florentin. Trident.*

CONCLVSIO I. Necessariò dicendum est ad valorem Sacramenti requiri secundam intentionem. Ita expressè Florent. in decreto de Armenis, & Trident. sess. 7. can. 11. vbi ait: *Si quis dixerit, in ministris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit.* Vbi loquitur non de intentione solùm exterioris illius actus, quem Ecclesia etiam facit, sed de intentione immediati ipsius finis, quem Ecclesia intendit, scilicet conferendi Sacramentum; siue de intentione faciendi hunc actum ea ratione, qua eum facit Ecclesia. Damnat enim hæreticos, qui primam etiam intentionem requirunt. Et sess. 14. can. 9. definit sacerdotem ioco absoluentem nihil agere, qui tamen habet intentionem pronuntiandi illa verba.

63 *1. Cor. 4. Ioan. 1. Ioan. 4.* Nemo agit vt minister alterius, nisi hoc intendat.

Probatur ratione. Primò, quia conferens Sacramentum necessariò agit vt minister Christi, vt docet Apostolus 1. ad Corinth. 4. v. 1. Vnde Christus dicitur in omni baptismo baptizare Ioan. 1. v. 33. *Ille est qui baptizat.* Et c. 4. initio, dicitur baptizare non per se, sed per discipulos. Nemo autem agit vt minister alterius, nisi intendat agere quod alter instituit, & quidem ea ratione qua fieri instituit. Hinc si mitram procuratorem vt emat mihi equum, & ille emat eum sibi, intendens eum sibi seruare, etsi externum actum præceptum faciat, nullo tamen modo eum facit vt minister meus. Atqui Christus instituens Sacramenta iussit externam actionem fieri non quacumque ratione, sed vt cæremoniam sacram: ergo qui non intendit eam perficere vt talē, non agit vt minister Christi. Confirmatur, quia ministris Sacramentorum non est tantùm commissa nuda executio talis actionis sicut nuntio deferenti literas, sed cum aliqua auctoritate & potestate, sicut dispensatoribus mysteriorum Dei, vt habetur 1. Corinth. 4. & iudicibus delegatis, vt ex Ioan. 20. clarè docet Trident. sess. 14. c. 6. & can. 9. Atqui actio iudicis nulla est nisi intendat agere iudicialiter. Similiter etiam actio dispensatoris nulla est nisi intendat verè aliquid conferre. v. c. si is cui commissi sunt mille aurei dispensandi in varios pauperes, daret alicui decem, ea tantùm intentione vt eos paulùm seruaret, seu non intendens transferre dominium, alter nihil acquireret: ergo similiter fit in Sacramentis, per quæ, vt ostendi q. 62. a. 4. merita Christi dispensantur.

1. Cor. 4. Ioan. 20. Trident.

64 Probatur Secundò, quia ex alia sententia sequuntur grauissima incommoda. Primò, consuetum ex deuotione in omnibus suis actionibus dicere, Ergo hoc facio in nomine Patris, &c. si hæc dicens abluar sordes infantis, verè baptizare.

Secundò, si quis sacerdos tempore mensæ legeret aliquid in quo habentur verba consecrationis, consecratum omnem panem mensæ.

Tertiò, si quis emens mancipium dicat, Accipio te in meam, subintelligens seruam, & illa annueret, fore matrimonium. quæ sunt absurdissima.

Ex quibus patet, alteram sententiam non posse sine errore in fide iam defendi, quia apertè repugnat supradictis Conciliis, & aperræ rationi in Scripturis fundatæ.

65 Nota, dupliciter posse contingere vt Sacramenti minister habeat malam intentionem. Primò, vt nullo modo intendat conferre Sacramentum, aut facere quod Christus instituit, aut Catholici faciunt; sed tantùm iocandi, eáque repræsentandi, aut irridendi causa. Secundò, vt habeat quidem veram intentionem faciendi quod Ecclesia facit, ita tamen vt totam actionem referat in vlteriorem finem, v. c. ad accipiendam pecuniam, vel etiam ad iocum & lusum. Primus nihil agit. Secundus etsi peccet, verum tamen confert Sacramentum. Et sic olim validè baptizauit inter ludendum D. Athanasius adhuc puer; quia, vt postea interrogatus confessus est, intendebat facere quod viderat Episcopum facientem. Similiter multi docent fuisse verum baptismum, quem S. Genesius adhuc mimus in scena accepit, vt habetur in Martyrologio, 25. Augusti, eo quòd tam ipse quàm conferentes intenderent verè facere quod sciebant Christianos facere, etsi id totum ad iocum & risum referrent. Sed difficile est hoc credere. Videntur enim illi nihil aliud intendisse quàm hæc risus causa repræsentare. Quis enim credat eos voluisse Christiana Sacramenta suscipere aut conferre? quod tamen fuisset necessarium, vt intenderent facere quod facit Ecclesia. Et quamuis hoc voluissent, nihilominus fatendum esset, præter ordinem consuetum Genesio collatam esse gratiam; non tam vi Sacramenti (quod quantumuis sit validum non confert gratiam omnino positiuè indisposito, qualis erat Genesius) sed ex singulari Dei beneficio. Quare potiùs credendum est, Christum, sicut olim prænouit Paulum se persequentem, ita Genesium sua Sacramenta irridentem cælesti gratia præuenisse, qua vterque illustratus ad gratiam se per contritionem disposuerit, quam deinde ille baptismo aquæ, hic sanguinis auxerit.

Mala intentio duplex.

Genesius non fuit verè baptizatus.

Ex his potest responderi ad auctoritatem D. Augustini, qui l. 7. de baptism. c. 53. videtur sentire baptismum ioco collatum esse validum: sed hoc non sentit, quia potest intelligi iuxta secundum modum ex duobus relatis, quo casu verus erit baptismus. quia D. Aug. ibi nihil dicit, quod cogit nos eum intelligere loqui de casu primo modo explicato. Adde, etsi de hoc casu loqueretur, nihil tamen contra nos probaret, quia toto illo capite tantùm inquirendo & dubitando loquitur, nihilque absolutè resoluit, sed dicit rem per reuelationem, aut generale Concilium determinandam esse, quod iam duo Concilia fecerunt. atque ita patet solutio ad secundum argumentum pro prima sententia. 66 *D. Augustin.*

Ad Tertium, nego assumptum. Nam etsi non deceat valorem Sacramenti pendere à bonitate aut fide ministri, ne de eo semper simus incerti; alia tamen est ratio de intentione; quia sæpe occurrit causa dubitandi de illis, cùm innumeri vbique occurrant & mali & etiam hæretici vel athei: rarò autem contingit quemquam tam malum esse, vt nolit intendere veritatem baptismi, cùm hoc illi facillimum sit, nec possit contrarium illi prodesse. Quare quamdiu contrarium non constat ex aliquibus signis, possumus de ministri intentione esse moraliter certi & securi: quod debet nobis (sicut in omnibus aliis humanis actibus) sufficere. Quòd si tamen esset ratio dubitandi eo quòd minister esset omnino perfidus, & inimicus admodum omni pietati, aut totus familiaris & deuotus diabolo, aut dedisset aliqua signa peruersæ intentionis tunc sub conditione posset baptismus reperi. 67 Possumus de sufficiente ministri intentione esse securi, donec de contrario constet.

Ad Quartum, nego conseq. quia talis damnabitur; eo casu ob proprium peccatum actuale, aut originale: malitia autem ministri tantùm erit ei occasio & quasi causa per accidens damnationis, quatenus non vult remouere prohibens: sed idem accidit quando quis paruulum non vult baptizare, aut impedit volentem; nec illud est magis absurdū quàm hoc. Quare 68

quamuis ob malitiam ministri possint grauia nasci incommoda, vt si quis ob defectum intentionis non baptizetur, ideóque postea inualidè ordinetur sacerdos, aut etiam Episcopus, & consequenter plurima Sacramenta cum magno suscipientium damno reddantur inualida: ideo tamen non debuit Christus ita sua Sacramenta instituere, vt omnino inscius & nihil cogitans ea posset conferre ob rationes dictas. Quia illa rarissima sunt, eadémque incommoda sequi possunt ex eo quòd minister inscijs astantibus inualidè baptizet ob defectum formæ aut materiæ: quod si quis vellet, facilè faceret, præsertim quando astantes rudes sunt. Et tamen ideo non est dicendum, Deum tunc per se conferre ipsum Sacramentum, aut omnes eius effectus. Nec enim Deus ob raros aliquos casus debebat ordinem suæ prouidentiæ immutare; aut Sacramenta ita instituere, vt numquam possent irritè conferri. Sicut ne innumeri infantes ob defectum baptismi damnentur, non debuit mutare generalem legem, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum cælorum.*

69 Ad Quintum, nego consequentiam: quia sicut hoc Sacramentum eo quòd consistat in re permanenti, non pendet in suo esse ab actione conferentis, sed consecrantis; ita nec etiam pendet ab illius, sed ab huius solius intentione. Secus est in aliis Sacramentis, quæ in actione consistunt, & conficiuntur à conferente, ideóque ab eius intentione dependent.

Ad Sextum Resp. effectum Sacramenti numquam conferri nisi minister eum saltem implicitè intendat; quod facit hoc ipso quo absolutè intendit conficere Sacramentum. Et similiter non ponitur Sacramentum nisi id minister implicitè saltem intendat, ad quod non sufficit eum velle ponere externam materiam & formam, nisi hoc intendat facere eo modo quo Christus instituit. Quia ratio Sacramenti non consistit in iis nudè sumptis (quia alias laïcus posset consecrare Ven. Sacramentum, non minùs quàm sacerdotes, si vteretur legitima forma & materia) sed prout habent rationem cæremoniæ sacræ, ad quod requiritur vt fiant à legitimo ministro cum debita intentione.

70 Conclvsio II. Nec est necessarium vt minister explicitè intendat conferre effectum Sacramenti, vt patet tum ex Trid. & Florent. suprà citatis, quæ solùm requirũt intentionem in prima conclus. positam: tum quia aliàs hæretici nostri temporis non baptizarent, quia non intendunt explicitè conferre gratiam, cùm id negent fieri: imò communiter plebeij ac rudes homines, qui nesciunt per Sacramentum conferri gratiam, inualidè baptizarent, ac contraherent matrimonium. quod falsum est. Nec etiam semper sufficit ad valorem Sacramenti, ministrum explicitè intendere per hunc actum externum conferre gratiam; vt patet in eo qui explicitè nollet facere quod Christus instituit, sed vellet sua auctoritate per talem actum conferre gratiam & characterem: qui sine dubio nihil efficeret.

Trident. Florentin.

DVBIVM II.

Qualis intentio requiratur ad valorem Sacramenti?

71 NOta Primò, intentionem posse esse duplicem, scilicet conditionatam, aut absolutam; & hanc iterum quadruplicem.

Intentio actualis quid sit.

Prima est actualis, quæ non tantùm est quando actu reflecto super intentionem meam, sed quoties actu cogitans quid agam volens Sacramentum administro. Nec est vllum dubium quin hæc intentio sufficiat, & sit optima.

Secunda est virtualis, sic dicta quòd actu transeat, & virtute maneat ratione impressionis in imaginatiua relicta ex primo proposito quo quis humano modo ad agendum se applicuit, qua excitatur potentia motiua vt actus initio propositos (qui primum actum immediatè sequuntur, aut cum eo saltem mediatè connexi sunt) perficiat, homine interim alia omnia cogitante, donec actu aliquo contrario interturbetur. v.c. incipit quis Sacrum intendens celebrare, & postea totum Sacrum omnino distractus ordine suo perficit, in qua serie omnes actiones à prima illa intentione verè secundùm modum agendi humanum procedunt ratione imaginationis quam prima illa voluntas applicauit, & quæ ratione habitus acquisiti dirigit externos actus, etiam cùm distracti id vix vel etiam nullo modo aduertimus. Quod vel inde patet, quia si semel imaginatio turbetur, vel omnino aliò trahatur, cessat etiam actio exterior, & ad eam prosequendam noua intentione opus est. Et hæc etiam intẽtio ex omnium Doctorum sententia est sufficiens. Quia aliàs sæpe contingeret Sacramenta esse irrita; præsertim consecrationem Vener. Sacramenti: quia sæpe contingit ea conficientem distrahi vel ex negligentia, vel ex imbecillitate. Et ratio est, quia hæc intentio omnino sufficit vt humano modo quis dicatur agere: vt patet in omnibus actionibus humanis, quarum plurimas distracti facimus, quas tamen verè liberè & humano modo dicimur agere. Aliqui hanc intentionem vocant habitualem, vt D. Tho. hîc ad 3. sed meliùs dicitur virtualis.

Intentio virtualis quid sit.

Sufficit ad valorem Sacramẽti.

D. Thom.

72 Tertia est habitualis, quæ sui frequentatione in habitum versa est; ita vt homo nihil minùs cogitans, aut etiam dormiens, aut omnino ratione destitutus, se ad aliquid agendum, v.c. adagitandos digitos, fricandam barbam, &c. applicet. Aliter item tunc dicitur quis habere voluntatem habitualem, quando habuit priùs voluntatem aliquid faciendi, quam nunquam reuocauit. Nam voluntas semel habita, censetur habitualiter remanere donec reuocetur. Quare si talis postea dormiens vel amens illud faciat, dicitur ea actio ei habitualiter voluntaria.

Intentio habitualis.

Quarta est interpretatiua, quando quis aliquid vult tantùm in causa: vt qui sponte se inebriat omnino credens se ebrium pugnaturum, aut iuraturum. hæc erunt ei interpretatiuè, siue, vt alij loquuntur, indirectè voluntaria.

Intentio interpretatiua.

Nota Secundò, intentionem conditionatam posse fieri sub conditione necessaria vel contingenti, eáque præterita, præsenti, vel futura.

73 Conc. I. Si intentio habitualis, aut etiam interpretatiua sumantur prout hîc eas definiuimus, siue prout distinguuntur à virtuali, neutra sufficit ad Sacramentum validè conferendum. Est communis; & ratio est, quia, cùm (vt ostendi suprà) ministratio Sacramentorum sit vera dispensatio mysteriorum Dei, sicut ex natura sua, vt conuenienter fiat, requirit vt fiat à natura rationali: ita etiam requirit vt fiat rationali modo, siue per actionem rationalem. Quia aliàs nulla esset ratio cur ex natura sua postularet magis fieri ab homine quàm à bruto. Sicut igitur propriè dicta dispensatio non potest propriè & conuenienter fieri à creatura irrationali; ita nec per actum irrationalem. Nullus autẽ actus solùm habitualiter vel interpretatiuè volũtarius est in se propriè humanus ac rationalis.

Dispẽsatio non fit nisi per actum rationalem.

Hinc sequitur, etsi aliquis sacerdos sciens se quando ebrius est, solere obuium panem consecrare, ea intentione se omnino inebriaret, ac obuio loco panem poneret, vt ebrius eum consecraret, & postea omnino ebrius super eum formam consecrationis proferret, nihil effecturum: quia hæc actio tantùm esset voluntaria in sua causa, non autem in se nisi per modum obiecti, nec propriè dicenda esset voluntaria sed volita. quare etiam non esset verè humana. Quia ad

74 Ebrius nequit consecrare.

hoc requiritur vt actio sit in se voluntaria per modum actus eliciti, siue vt eliciatur à potentia hic & nunc humano modo agente, qualis non est voluntas omnino ebrij; quia hic agit potiùs brutali modo quàm humano. Confirm. quia aliàs actio facta immediatè à bruto posset dici humana, quia potest hæc mihi esse voluntaria in causa, atque etiam in se per modum obiecti: vt si canis me ad hoc eum instigante aliquem morderet.

75 Perfectior requiritur intentio in conferente Sacramenta, quàm in suscipiente.

Dices Primò, Voluntas habitualis sufficit, vt aliquis etiam distinctus sensibus suscipiat validè aliqua Sacramenta: ergo sufficiet, vt validè ea conferat. Respondeo negando conseq. Primò, quia suscipiens Sacramenta habet se passiuè, conferens verò actiuè: maior autem requiritur perfectio in agente quàm in patiente. Vnde etiam infans ac perpetuò amens potest aliqua Sacramenta (quæ tamen ei nulla ratione sunt voluntaria) validè suscipere, nulla tamen potest conferre. Secundò, quia etsi sapientem sæpe deceat sua bona dispensare in amentes, numquam tamen eum decet eadem dispensare per amentes: nec vllo modo cogitandum est Christum hoc voluisse fieri.

76 Dices Secundò, Possum hodie efficaciter applicare alicui sacrificium quod cras celebrabo, manebitque ei applicatum, etsi de illo nihil ampliùs cogitem, modò non habeam voluntatem contrariam ante celebrationem: ergo possum similiter iam efficaciter velle vt pronuntiatio formæ consecrationis præsente pane cras à me futura habeat suum effectum, etiamsi dum illam pronuntio non habeam intentionem consecrandi, sed ex alia occasione id faciam.

77 Resp. negando conseq. quia vt antecedens verum sit (quod videbimus in materia de sacrificio) voluntas illa non debet me mouere ad aliquid vlteriùs operandum, sed solùm mouere diuinam voluntatem, vt statim ac sacrificium fiat, eius fructum alteri applicet. Serùs est de confectione Sacramenti, quam libera mea voluntas physicè debet causare applicando potentiam motiuam ad actum externum operandum.

78 Concl. II. Conferens Sacramentum sub conditione præterita vel præsenti, si conditio verè à parte rei sit posita, validè conferet, siue conditio sit contingens, siue necessaria: si non sit posita nihil aget. Est communis. Prior pars patet ex cap. 2. de baptismo, vbi iubetur sub conditione baptizare eos, de quibus dubitamus an baptizati sint. quod fieri non posset, nisi talis baptismus posset esse validus. Ratio est, quia intentio conditionata posita conditione transit in absolutam, eique æquiualet. Secunda pars patet, quia in tali casu absolutè deest intentio baptizandi.

Conclvsio III. Conficiens, vel aliud Sacramentum (excepto matrimonio) conferens sub conditione de futuro contingenti (v. c. dicens: Ego te absoluo si cras ablata restituas) inualidè id facit. Est communis. Ratio est, quia eo casu neque Sacramentum potest poni in esse dum ponuntur eius materia & forma, quia minister non intendit illud conficere pro eo tempore, neque etiam postea; quia intelligi nequit tunc Sacramentum incipere esse, siue habere rationem Sacramenti, quando iam materia & forma eius omnino esse desierunt, cùm tota essentia Sacramenti in iis consistat.

79 Dices, Cùm Sacramentum sit ens morale, vt dicatur esse, non est opus vt eius materia & forma sint physicè, sed sufficit vt sint secundùm æstimationem moralem, ita vt antè sint posita, & adhuc censeantur durare: sicut censetur confessio ante aliquot dies facta, dum datur absolutio, adhuc durare, & ab hac informari, cùm physicè nullo modo sit, vt potest contingere si pœnitès interim in amentiam inciderit. Sicut igitur minister differendo formam potest efficere vt materia quæ iam physicè esse desiit, aliquandiu moraliter maneat quasi informis; & postea incipiat informari: quare non potest similiter efficere vt materia & forma iam posita in esse, aliquamdiu pòst incipiant se mutuo informare?

Resp. Dicta Sacramenta nullo modo posse dici tunc verè esse, aut incipere habere rationem Sacramenti, cùm nihil eorum physicè est: nec vllo modo esse in ministri potestate suspendere aut esse, aut significationem, aut vim Sacramenti, postquam iam forma & materia integrè posita sunt. vt bene notat Vasquez infrà tom. 4. q. 84. art. 3. dub. 4. n. 5. Ratio est, quia totum esse Sacramenti consistit præcisè in eius materia & forma ac significatione, quibus positis necessariò ponitur ipsum Sacramentum. Quia autem materia & forma habent omnem sacramentalem significationem à sola institutione Christi, & non à voluntate ministri; sequitur nullo modo esse in potestate ministri efficere, vt pro suo arbitrio materia & forma aut aliud significent quàm Christus instituit, aut vt hoc alio modo significent: aut vt suam significationem modò habeant, modò non habeant, aut modò citiùs, modò seriùs habeant; nisi quatenus est in eius potestate materiam & formam cum legitima intentione ponere, aut non ponere: vel citiùs aut seriùs ea ponere; quia non potest vllo modo essentiam Sacramenti mutare. Statim autem atque materia & forma ex legitima intentione integrè positæ sunt, necessariò ex institutione Christi perfectam suam significationem habent, quia hanc minister nec suspendere nec immutare potest, & consequenter (nisi sit impedimentum ex parte suscipientis) ponitur tota essentia Sacramenti. quia hæc consistit in sola materia & forma cum legitima intentione à legitimo ministro positis. Sicut igitur in dictis Sacramentis intentio conferentis nullo modo potest efficere, vt positio materiæ & formæ pendeat à futura conditione, ita vt hac postea posita verum sit ministrum, v. c. perfudisse Petrum aqua, & pronunciasse formam baptismi; & contrà hoc sit falsum illa non posita: sic non potest efficere, vt ipsum esse Sacramenti maneat suspensum. Si enim dum ponerentur materia & forma, adfuit legitima intentio, statim illis positis necessariò ponitur ipsum Sacramentum: aut si non statim ponatur, sequitur intentionem non fuisse legitimam (quia quò minùs illa statim habeant perfectam significationem ac rationem Sacramenti, nihil potest fingi deesse nisi legitima intentio) & consequenter Sacramentum numquam ponetur: quia ad eius essentiam est necessarium, vt adsit legitima intentio dum eius materia & forma ponuntur. Ex quibus patet, esse quidem in potestate ministri ipsius Sacramenti efficere, vt vna pars iam posita maneat quasi aliquamdiu suspensa antè quàm habeat perfectum esse Sacramenti: quia potest nonnihil exspectare antequam ponat alteram partem, sine qua prior non potest habere rationem Sacramenti: quandò tamen vtraque pars est posita, nullo modo potest vlteriùs esse Sacramenti suspendere; quia nihil ampliùs est in ipsius potestate, à quo esse Sacramenti pendeat.

80 Minister nequit suspendere aut esse aut vim Sacramenti.

Nota, multos dicere, conferentem Sacramentum sub conditione, quam scit necessariò futuram, validè id conferre: quia, vt aiunt, quod scitur necessariò futurum, habetur pro præsenti: atque ita idem est ac si conferret sub conditione præsenti. Sed si propriè loquamur, hæc non sunt vera, quia strictè loquendo is solùm vult aliquid esse sub conditione futura, qui vult ipsius esse pendere à conditione futura, & consequenter, non vult ipsam rem perfectè poni in esse nisi posita iam conditione. Hinc si dicam: *Do tibi hunc librum si sol cras oriatur*, in rigore hic liber non erit tuus ante ortum diei crastini. Et similiter dicens, *Ego te baptizo si sol cras oriatur*, secundùm rigorem verbo-

81 An sufficiat intentio sub conditione futura necessariat

rum intendit suspendere esse ipsius Sacramenti in diem crastinum, & consequenter inualidè baptizat: quia, vt iam ostendi, Sacramentum necessariò debet poni, dum forma & materia ponuntur, vel numquam ponetur. Secundùm communem tamen vsum aliquid alteri conferens, vel cum eo contrahens sub tali conditione, censetur rem statim velle sortiri effectum, & non tam addere hanc conditionem vt effectum suspendat, quàm vt suam intentionem certiùs exprimat: ita vt dicta propositio idem sit cum hac: *Tam certò te baptizo, quam est certum solem oriturum.* Sed talis intentio non est propriè conditionata.

82 Matrimonij potest cõtrahi sub conditione futura.

Dixi *excepto matrimonio*; quia alia in hoc est ratio. Nam cùm sit verus contractus, etiam sequitur rationem contractus, & sicut alius contractus potest iniri sub conditione de futuro contingenti, à qua in esse suo pendeat, quáque posita statim habeat esse completum ac rationem veri contractus: vt patet ex lege *Potior* 11. π. qui potiores in pignore; & quotidiano vsu: sic etiam matrimonium. Est enim eadem ratio; nec Christus huius contractus naturam mutauit, sed ad esse Sacramenti eleuauit: vt pluribus dicemus in tractatu de matrimonio disput. 29. num. 13. Ratio diuersitatis est, quia materia & forma huius Sacramenti non sunt solæ actiones aliquæ externæ, sed propriè sunt internus consensus exteriùs expressus. Qui autem in rem aliquam consentit sub conditione de futuro contingenti, eius consensus non habet perfectum esse, aut perfectam rationem absoluti consensus, sed manet quodammodo suspensus & indifferens vt sit vel non sit verus ac absolutus consensus, donec conditio impleatur; eáque impleta, nisi antè fuerit reuocatus, statim fit absolutus & perfectus: saltem postquàm contrahentes cognouerint esse completam. Non quòd aliquid physicum ei necessariò accedat, sed quia perficitur in esse morali, à quo habet vim obligandi, & rationem consensus absoluti & sufficientis ad constituendum contractum.

Consensus cõditionatus manet suspensus.

83 Sacramẽtũ in fieri tamen manet semper pendẽs donec integrè ponatur.

Vnde sequitur, sicut matrimonium est essentialiter contractus: ita etiam internum consensum secundùm illud esse quod essentialiter in eo requiritur vt constituat perfectum contractum, esse partem essentialem Sacramenti matrimonij. Et consequenter sicut potest ipse consensus pendere à conditione futura, ita vt non censeatur integrè positus nisi hæc sit posita: ita etiam ipsum Sacramentum inchoatum manet semper pendens & in fieri, donec eius materia & forma perfectè & integrè ponantur. Vnde ablutio præcedens formam baptismi semper est pendens & indifferens vt actu constituat Sacramentum, aut non constituat, donec vltima syllaba formæ perfectè pronuntiata sit. Quare si possem efficere vt positio materiæ aut formæ baptismi penderet à conditione futura, & donec hæc poneretur, ablutio v. c. esset semper quasi in fieri, ita vt illa posita, verè posset dici posita ablutio, & non antè; & deficiente conditione ablutio verè non esset posita: possem etiam validè baptizare sub conditione futura. sed quia illud est impossibile, etiam hoc est impossibile. Contrà, quia consensus, vt est pars essentialis Sacramenti matrimonij, potest pendere à futura conditione; etiam ipsum Sacramentum ab ea pendere potest.

84 Sunt quædam obiectiones contra ea quæ dixi de matrimonio, sed eas soluemus dum suo loco ostendemus matrimonium per verba de præsenti sub conditione futura contractum, statim hac posita habere rationem veri matrimonij: quod iam propriè non contendimus, sed tantùm volumus ostendere, ei qua Sacramento præcisè non repugnare ita à futura conditione pendere; etsi aliis Sacramentis ob particulares rationes repugnet.

85 Hinc etiam patet, quare Ecclesia potuerit efficere, vt matrimonium sine debita solemnitate siue præsentia Parochi & testium celebratum sit inualidum, cùm non possit efficere, vt ad alia Sacramenta requiratur aliqua solemnitas sine qua inualidè conferantur. Ratio enim est, quia aliorum Sacramentorum forma & materia essentialiter totæ consistunt in physica entitate alicuius rei vel actionis, & significatione tam illa quam ex communi vsu habent verba formæ, quàm illa quam ex institutione Christi habet integrum Sacramentum, cum aliquo respectu ad liberam intentionem eius qui ponit materiam & formam: quorum Ecclesia nihil potest propriè mutare. Nec enim potest efficere, vt ablutio non sit ablutio, aut verba formæ, aut etiam totum Sacramentum non habeant talem significationem, quia hoc pendet à communi vsu, & institutione Christi. Nec etiam potest efficere vt minister non ponat hæc liberè. Secùs est in matrimonio: quia consensus ad eius essentiam requisitus, cùm includat aliquid spectans ad mores & rationem politicam nimirum vim obligandi, in hoc pendet ab Ecclesia, quæ potest sua lege efficere, vt hanc vim non habeat nisi posita certa conditione, & consequenter vt non possit esse pars Sacramenti matrimonij.

Cur materia & forma matrimonij sint magis subiecta Ecclesiæ, quã aliorum Sacramentorum.

86 Et hæc quidem videntur satis clara in reliquis Sacramentis excepta confessione, in qua videtur particularis esse difficultas. Primò, quia actus interni pœnitentis sunt etiam pars huius Sacramenti. Secundò, quia absolutio datur per modum sententiæ iudicialis, quæ potest ferri sub conditione de futuro contingenti. Validè enim quis absoluitur ab excõmunicatione, si intra certos dies restituat iniustè acquisita: cur non etiam à peccatis possit simili modo validè absolui?

Absolutiõ nequit dari sub conditione futura.

Sed omnino dicendum est, hoc Sacramentum non posse conferri sub conditione futura contingenti. Quia partes eius essentiales non possunt poni sub conditione de futuro contingenti: quia neque actus pœnitentis possunt ita poni. Nam dolor de peccatis & propositum ab iis abstinendi debent esse absoluta: ridiculum enim esset, petentem veniam de peccatis dicere, Ego doleo de peccatis, & propono me emendare, *si ampliùs non fuero tentatus, &c. quia tunc non* esset præsens dolor de peccatis, sed sub conditione futurus, & potiùs præsens complacentia in peccatis. & sicut esset propositum emendandi se sub conditione: ita virtualiter esset simile propositum se non emendandi, & consequenter sub conditione peccandi. Vnde patet responsio ad 1.

87 Differentia inter absolutionem Sacramentalem & alias.

De absolutione etiam patet: quia hæc consistit intrinsecè in sola externa pronuntiatione verborum liberè facta cum respectu ad intentionem faciendi quod Christus instituit, non secùs quàm forma baptismi, & consequenter non magis quàm hæc potest ferri sub futura conditione. Vnde patet magnum esse discrimen inter hanc absolutionem, & eam quæ fertur in foro externo, à censuris & similibus. Quia hæc omnem vim suam habet à voluntate absoluentis, & in hac præcipuè consistit: exterior autem pronuntiatio verborum, aut simile signum externum tantùm requiritur vt voluntas interior possit humano modo cognosci. Nam per se loquendo Iudex posset per solum actum internum absoluere, si hic secundùm se posset ab hominibus cognosci. Secùs est, vt dixi, in absolutione Sacramentali, quæ tota consistit in verbis externis & totam vim suam habet ex institutione Christi; ex quo patet solutio ad 2. Adde, id quod sumitur, non esse generatim verum etiam in foro externo. Nam Iudices inferiores sæpe tenentur absoluere secundùm certam formam iis præscriptam, sine qua absolutio nulla est. Confessarius autem est Iudex delegatus à Christo, & habet certam formam ab eo præscriptam: vt est communis DD. & Ecclesiæ sensus, à qua si recesserit, nihil agit.

Con-

88 CONCL. IV. Absoluens sub hac conditione, Si Deus te nouit cras restituturū ablata (idem est de reliquis quinque Sacramentis) inualidè id facit. Hæc conclusio non est tam clara atque præcedens: quia hîc videtur esse conditio de præsenti, & consequenter non suspendere ipsum esse Sacramenti. Est tamen communior sententia Doctorum, sed laborant in ea probanda. Multi eius rationem reddunt: quia cùm talis conditio non possit esse homini naturaliter cognita, non potest secundùm eam suam actionem dirigere, vt humano modo operetur: nec vllo modo posset scire vtrùm Sacramentum esset validè collatum nec ne.

Sed hoc argumentum sumptùm probat, Sacramenta hoc modo sacrilegè conferri, ac iteranda esse sub conditione, non autem probat inualidè conferri: aliàs probaret inualidum fore hunc baptismum, Ego te baptizo, si pater tuus est in cælo, vel si habeas veram attritionem supernaturalem, quia non possumus naturaliter scire vtrùm conditio sit posita; & tamen si verè à parte rei ponatur conditio, Sacramentum validè confertur, licet sacrilegè, & sub conditione reperendum erit. Adde, falsum esse, conferentem Sacramentum non posse postea scire an conditio fuerit posita necne: nam ex eo quòd alter postea restituat aut non restituat, poterit certissimò constare quid Deus antè futurum præuiderit.

89 Ratio igitur conclusionis est: quia etiam in illo casu esse Sacramenti verè penderet à conditione futura contingenti: sicut ipsa Dei cognitio ab ea obiectiuè pender. Esset enim in potestate suscipientis Sacramentum postea efficere, vt Sacramentum fuerit validè collatum, aut inualidè: sicut quouis tempore præcedente restitutionem est in eius potestate efficere, vt Deus ab æterno viderit eum restituturum, vel non restituturum; eadem planè ratione qua in eius potestate est restituere, vel non restituere: atque ita ratio tertiæ conclusionis hic etiam suo modo militat.

DVBIVM III.

Vtrùm valeat Sacramentum quando minister habet intentiones contrarias?

90 NOta, non posse quem habere duas verè contrarias voluntates, nisi ex errore quo putat non esse contrarias, sed vtramque simul posse consequi effectum: vnde alterutra (illa scilicet cui minùs pertinaciter adhæret) debet necessario esse implicitè conditionata, scilicet si possit obiectum eius cum obiecto alterius consistere. v.c. conferens Sacramentum cupit facere quod Christus instituit, & tamen non vult facere quod Ecclesia Romana facit: quia putat illud posse fieri sine hoc. vnde nisi sit omnino peruersus, secunda voluntas est conditionata, scilicet, si possim illud facere, non faciendo hoc: quæ conditio cùm sit falsa, efficit vt volitio non faciendi quod facit Ecclesia, sit omnino inefficax.

Nemo potest simul habere duas voluntates absolutè contrarias.

91 Respond. itaque, Si intentio ad valorem Sacramenti necessaria sit præcipua in conferente; ita vt contrariam tantùm velit consequi effectum, posito quòd cum illa possit consistere, valet Sacramentum: secùs si contraria sit præcipua. Henriq. l. 1. c. 10. n. 6. Hinc si duo baptizati putantes posse disiungi rationem Sacramenti à ratione matrimonij, intendant tantùm contrahere matrimonium, & non conficere Sacramentum, si ita velint abesse rationem Sacramenti, vt potiùs malint non contrahere quàm illud suscipere, nihil efficiunt: si ita desiderent contrahere, vt malint & contractum & Sacramentum valere quàm neutrum, suscipiunt Sacramentum.

Henriquez.

92 Hæc autem sunt intelligenda de actuali, & non de sola habituali dispositione siue voluntate. Potest enim fieri, vt quis habitualiter ita affectus sit, vt malit malè baptizare, quàm facere quòd Ecclesia Romana facit, & tamen absolutè velit facere quod Christus instituit. quod potest contingere, vel quia dum confert Sacramentum nulla incidit ei cogitatio de faciendo aut non faciendo quod Ecclesia Romana facit; sed tantùm cogitat facere quod Christus instituit: vel etsi prior cogitatio ei occurrat, tamen quia non dubitat quin sit aliud quod Christus instituit, quàm quod Romana Ecclesia facit, illa nullo modo excitatur ad ipsum baptismum aliter conferendum, sed simpliciter intendit facere quod Christus instituit: atque ita illa voluntas non faciendi quod facit Ecclesia solùm est habitualis, nec influit in effectum, & consequenter nesciens implicitè intendit facere quod facit Ecclesia. Secùs esset si haberet actu voluntatem non faciendi quod facit Ecclesia.

Voluntas habitualis ministri nec iuuat nec impedit valorē Sacramēti.

DVBIVM IV.

Vtrùm intentio ministri debeat versari circa determinatam materiam?

CONCL. affirmatiua. Probatur ex ipsis formis, quæ aut continent pronomen demonstratiuum, aut ad certam personam dirigunturs. 93

Nota, in matrimonio intentionem ita dirigi & restringi ad certam personam, vt si sit alia quàm esse creditur, cōtractus nullus sit. Secùs fit in aliis Sacramentis, in quibus intentio dirigitur ad præsentē personam aut rem qualificumq; demùm sit, modò sit subiectum capax Sacramenti. Henriq. l. 1. c. 10. n. 6. & l. 2. c. 8. n. 4. & 5. Hinc qui absolueret Petrū credens esse Paulum, aut virum credens esse fœminam, verè absolueret, nisi haberet intentionem non absoluendi alium quàm Paulum: quæ intentio communiter sine peccato esse non potest, nisi iusta causa subesset: vt si in collatione Ordinis timeretur, ne vna persona pro alia supponeretur: & tūc suscipiens esset de hac intentione monendus, ne fortè postea falsò credat se verè esse consecratum.

Intentio in matrimonio est magis determinata quàm in aliis Sacramentis.

Item proferens formam super duas hostias putans rantùm esse vnam, vtramque consecrat, nisi restringat voluntatem ad consecrationem vnius. Quod ne fiat cauendum est. nam forma debet ferri super totam materiam consecrabilem præsentem, nisi singularis occurreret ratio faciendi contrarium. quod vix accidere potest, præsertim quando tota materia est coniuncta in vno cumulo. secùs si essent hostiæ in diuersis pyxidibus aut cumulis. Tunc enim potest facilè esse ratio tantùm consecrandi vnum cumulum. Tunc tamen oportet certum mente designare. 94

DVBIVM V.

Qualis intentio requiratur in suscipiente Sacramenta?

NOta Primò, nos hîc non agere de dispositione necessaria ad fructum Sacramenti suscipiendum: de ea enim satis egimus suprà qu. 62. art. 1. d. 2. sed de intentione necessaria ad essentiam Sacramenti. 95

Nota Secundò, hanc quæstionem non habere locum in Ven. Sacramento. quia consistit in re permanenti. Quare quicumque illud suscipit, verè Sacramentum suscipit quacumque intentione, & quantumuis ignorans id faciat, licèt fortè sine fructu suscipiat. Similiter hîc non est agendum de Sacramento matrimonij: quia cùm iidem sint suscipientes & ministri, in iis eadem requiritur intentio quæ in ministris Sacramentorum.

Prima sententia est Glossæ in c. *Maiores.* de baptismo, quæ docet vt quis validè baptizetur sufficere, vt 96

ore dicat se consentire, licèt corde dissentiat. Sed hæc sententia est apertè falsa, nisi intelligatur quoad forum externum, quod de internis non iudicat, & in quo talis præsumeretur verè interiùs consensisse, & consequenter esse baptizatus.

Caiet. Secunda opinio est Caiet. infrà in quæst. 68. art. 7. vbi vt aliquis validè baptizetur, simpliciter nullam in eo requirit intentionem suscipiendi Sacramenti, sed putat sufficere vt habeat se negatiuè. Probatur Primò, quia hoc sufficit in infantibus; ergo etiam in adultis.

Innoc. 3. Secundò, quia Innocent. 3. c. *Maiores*, de baptismo, in fine, ait: *Tunc ergo charakterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem.*

97 In infantibus nulla requiritur intentio.

CONCLVSIO I. Qui numquam vsi sunt ratione, validè suscipiunt ea Sacramenta quorum capaces sunt, etsi nullo modo id intendant. Est certa, & per se patet. Quia non possunt habere vllam liberam intentionem. Tantùm potest esse dubium quorum Sacramentorum sint capaces. Et quidem constat inter Catholicos esse capaces baptismi, imò etiam inter hæreticos, exceptis Anabaptistis contra quos agemus quæst. 68. art. 9. Idémque dicendum de Confirmatione, quia vtrumque Sacramentum paruulis tribuitur: & olim Confirmatio *post* baptismum conferebatur etiam infantibus, sicut & Venerab. Sacramentum. Certum etiam est non esse capaces Matrimonij, aut Pœnitentiæ: quia vtrumque requirit actus liberos in suscipientibus. Nec etiam Extremæ vnctionis: quia huius solùm sunt capaces qui potuerunt peccare. Tantùm posset esse dubium de Ordine: sed etiam hunc validè susciperent; vt docet D. Thom. in Supplemento, qu. 39. art. 2. grauiter tamen peccaret conferens.

98 Omnino inuitus inualidè Sacramenta suscipit. *Innocent.*

CONCLVSIO II. Qui interiùs omnino est inuitus & voluntate repugnante, inualidè suscipit Sacramentum. idémque dicendum de eo qui habuit voluntatem numquam suscipiendi Sacramentum, & antequam eam vllo modo reuocarit, incidens in amentiam Sacramentum suscipit. Ita expressè docet Innocentius 3. cap. *Maiores*, de baptismo, §. *Item quæritur.* Ratio à priori est institutio Christi, quam ex communi DD. & Ecclesiæ sensu cognoscimus. Conuenientia fuit: quia non decuit Christianis sacris animo repugnantes initiari.

99 Inuitus secundùm quid validè suscipit Sacramentum. *Tolet. 4.*

Dixi, Qui omnino inuitus suscipit Sacramentum, &c. Quia secùs est de eo qui tantùm est inuitus secundùm quid: vt sunt ij qui metu inducuntur ad susceptionem Sacramenti, ita vt verè illud velint suscipere, etsi id nollent si abesset metus. Hi enim verè Sacramentum suscipiunt: vt docet Innoc. supr. & Toletan. 4. cap. 55. Quia hi habent absolutam intentionem suscipiendi Sacramenta, & tantùm sunt inuiti secundum quid.

100 Adultus debet aliquando Sacramenta petiisse. *Zecchus.*

CONCLVSIO III. Adultus qui aliquando ratione vsus est, inualidè suscipit Sacramentum quod nulla vmquam ratione expetiit. Zecchus de baptism. cap. 6. propositione 5. & 10. Hæc conclusio non potest ita clarè probari: quia tamen est communis Doctorum, ideo ab ea non est recedendum, cùm nihil fit quod cogat. Imo omnino fuit conueniens Christum ita sua Sacramenta *instituere*, vt per ea nemo ratione vtens nisi aliquo modo volens sibi consecraretur. Quod maximè locum habet in baptismo & Ordine per quæ Sacramenta homo transfertur planè in alium statum. quod in adultis nullo modo conuenit fieri, nisi aliquo modo consenserint. Probant hanc conclusionem al qui ex D. August. libr. 4. de baptismo cap. 24. in fine: vbi cùm dixisset, valere paruulis ad consecrationem baptismi, si alij pro iis respondeant, quia pro se respondere non possunt, subdit: *At si pro eo qui respondere potest alius respondeat, non itidem valet.* *August.*

Et potest probabiliter pro ea adferri; tamen non conuincit. Quia loquitur de baptismo simul cum effectu suscipiendo. quia dicit eum plurimum valere in paruulis etsi credere nequeant: quia credunt quodammodo per alios, Deúsque defectum fidei in iis supplet: secùs esse in adultis, qui per se credere possunt. Ex dicta tamen auctoritate satis intelligitur aliam esse rationem paruulorum & adultorum: & consequenter ex eo quòd illis fine eorum consensu validè conferatur Sacramentum, non sequi idem dicendum esse de adultis. Vnde patet responsio ad primum argumentum Caiet. Ad Secundum Resp. Innocentium non loqui de casu metaphysico, sed de iis quæ moraliter accidere possunt. Vix autem potest fieri, vt is qui post vsum rationis numquam vllo modo periit baptismum, non habuerit aliquando intentionem ei repugnantem: qualis aliqua ratione est omnis ea qua quis amplectitur aliquam falsam religionem: quæ sicut necessariò repugnat religioni Christianæ cuíusque sacris; ita voluntas eam amplectendi est virtualis quædam auersio à sacris Christianis, quæ habitualiter manet donec reuocetur. 101 *Caietan. Innoc.*

CONCLVSIO IV. Vt quis validè suscipiat aliquod ex dictis Sacramentis, non est necesse vt id actu intendat dum suscipit; sed sufficit, vt id aliquando actu intenderit, & hoc numquam reuocarit. Ita expressè Innocent. suprà, & D. Leo epist. 89. Concilium Carthaginens. 3. cap. 34. Arausican. c. 11. vbi dicitur: subitò obmutescenti conferenda Sacramenta si ea antè petierit. Estque communis Ecclesiæ praxis. 102 Sufficit intentio habitualis. *Innoc. D. Leo. Carthag. 3. Arausi.*

Nota, vt quis sacramentaliter absoluatur, debuisse id petiisse explicite, sua peccata saltem in genere confitendo: quia actus pœnitentis sunt pars huius Sacramenti: vt dicemus suo loco. Pro reliquis Sacramentis sufficit ea implicitè petiisse. Sic quicumque vult fieri Christianus, atque adeò omnis qui habet veram contritionem, aut etiam attritionem de peccatis, quatenus iis meremur pœnas inferni, aut excludimur à gaudiis cælestibus, censetur implicitè petere baptismum, etsi de eo nihil vmquam audierit: quia talis dolor includit virtuale propositum seruandi omnia præcepta ad talem finem necessaria, quorum vnum est præceptum suscipiendi baptismum. Item qui catholicè viuit, censetur velle sibi morienti conferri Sacramenta ab Ecclesia morientibus conferri solita: ideóque si subitò destituatur vsu rationis, debet inungi; nisi sciatur certò esse in peccato mortali de quo non sit saltem attritus. quod non debet facilè præsumi, nisi quis in ipso actu peccandi ita subitò destituatur ratione, vt humanitus impossibile fit eum doluisse de peccatis: quòd si aliquandiu post peccatum commissum vsus fit rationis, potest præsumi saltem attritus esse: vt expressè docet D. August. l. 1. de adulterinis coniugiis cap. vlt. vbi ait: *Ego non solùm alios catechumenos, verùm etiam ipsos qui viuentium coniugiis copulati retinet adulterina consortia, cùm saluos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum, tamen si desperati, & intra se pœnitentes iacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, vt etiam hoc peccatum eum ceteris regenerationis lauacro abluatur.* Vbi cùm loquatur de manifestis peccatoribus, qui vi morbi subitò oppressi non possunt pro se respondere, clarum est eum loqui de iis qui omnino ratione destituti apparent: ita vt non possint dare vlla signa pœnitentiæ, aliàs pro se possunt respondere. Quare dum dicit eos iacere pœnitentes, ostendit quid præsumendum sit, quidque necessarium sit ad effectum baptismi. Vnde subdit: *Quis enim nouit vtrùm antè statuerint tantùm perseuerare in peccatis donec essent baptizandi?* & consequenter, cùm viderent instare mortem, & necessariò baptismum suscipiendum si vellent saluari, verè de peccatis præteritis doluerint? quod necessarium erat, vt baptismus prodesset. 103 Distinctio inter pœnitentiam & alia Sacramenta. *August.*

104 Extrema vnctio in necessitate conferitur attrito.

Dices, Extrema vnctio est Sacramentum viuorum; ergo nó potest conferri peccatori solùm attrito. Resp. hoc per se esse verum, tamen propter summam necessitatem moribundi, qui aliàs esset perpetuò damnandus, non censeri commisti irreuerentiam in Sacramentum, si ei conferatur: sicut ob similem necessitatem potest peccator Sacramenta conferre, quando ob periculum moræ non potest confiteri. *Henriquez.* Henriq. l. 3. c. 10. nu. 1. multos citans. Adde Primò, cùm ministro non constet eum non esse contritum, ipsum posse præsumere, eum esse contritum. Secundò, quòd hoc Sacramentum sit etiam, licet secundariò, institutum, vt in tali casu peccata deleat: vt ostendemus suo loco, tomo 2. disp. 19. n. 19. & 20.

105 Adultus baptizatus sine expressa petitione valide confirmatur, inualide ordinatur.

Similiter credo omni baptizato necdum confirmato, existenti in gratia validè conferri Confirmationem, etiam nescienti, v. c. in amentia constituto, modò numquam habuerit voluntatem ipsam non suscipiendi: quia hoc ipso quo talis piè & catholicè viuit, censetur aliquo modo desiderare sibi conferri omnia ea Sacramenta, quæ omnibus Christianis sunt valdè vtilia, qualis est Confirmatio. Secùs est de Ordine, quem, cùm tantam status mutationem contineat, nemo potest censeri petere, qui non habuerit aliquando expressam talem voluntatem.

106 Intentio indirecta nó sufficit.

Concl. V. Ad validè suscipiendum Sacramentum non sufficit voluntas merè interpretatiua siue indirecta, qua quis censetur aliquid velle in causa: quia hæc potest consistere cum expressa voluntate contraria, v. c. si quis sponte credens se ebrium baptizandum aut ordinandum, sponte se inebriaret, inualidè susciperet Sacramentum: ita cum multis aliis *Valentia* to. 4. d. 4. q. 3. puncto 2. §. *Ex parte.* Valentia. Quia talis non potest vllo modo dici verè voluisse suscipere Sacramentum, nisi id alio actu aliquando desiderarit. Quia liberè aliquid faciens ex quo videt aliquid per accidens secuturum, non censetur velle hunc effectum, nisi teneatur eum vitare. v. c. mulier cum moderato ornatu prodiens ob iustam causam in publicum, etsi sciat ex suo aspectu in genere aliquem excitandum ad peccatum, nullo tamen modo censetur huius peccatum velle. Quòd si tamen eæ essent circumstantiæ ob quas teneretur vitare publicum, ne talis eius occasione peccaret, atque hoc ipsa sciret, egrediens in publicum censeretur eius peccatum velle. Quare etsi eiusmodi externa susceptio Sacramenti possit tali dici voluntaria in causa, quatenus continet quandam irreuerentiam erga Sacramentum, quam ipse teneatur vitare; non tamen quatenus est quædam suscipientis consecratio, & consequenter quatenus habet rationem Sacramenti. quia vt sic vitari non debuit, sed potiùs suscipi, non quidem in tali statu, sed à legitimè disposito; nec talis potest dici voluisse verè consecrari, siue Sacramentum suscipere (cùm potuerit absolutè habere voluntatem contrariam) nisi id expressa aliqua voluntate intenderit. quo casu validè Sacramentum susciperet, quia hæc voluntas habitualiter permaneret.

Non censeor velle effectū ex mea actione per accidens secuturum nisi tenear eum vitare.

107 Conclvs. VI. Vt validè suscipiatur aliquod Sacramentum, non sufficit hoc velle sub conditione futura. Quia hoc modo suspenderetur Sacramentum, quod fieri nequit: sed necessaria est voluntas absoluta, vel ei æquiualens: sicut dixi de conferente, dubio 2. conclus. 2. & 3.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm fides ministri sit de necessitate Sacramenti?

108 Artic. IX. docet hæreticos validè conferre Sacramenta, si modò vrantur legitima forma & materia. Est de fide, definitum à Tridentino sess. 7. can. 7. de baptismo; & à Constantiensi sess. 8. & à variis olim Pontificibus, quos refert Gratianus de consecrat. distinct. 4. Ratio est, quia Sacramenta non accipiunt suam virtutem à ministro eiúsque fide, sed à Christo eiúsque meritis: vt pulchertimè hanc rem probat D. August. 7. libris contra Donatistas conscriptis. Sed non est opus, vt hanc veritatem probemus, diutiùs hærere. Nam apud Catholicos Ecclesiæ auctoritate est probata: nec hæretici nostri temporis dissentiunt: vt docet Bellarm. lib. 1. de Sacram. c. 26. quem consulat qui plura vult. *Trident. Constant. D. August. Bellarm.*

109 Potest Sacramentū aliquando etiam cum fructu ab hæretico conferente suscipi.

Nota, quod D. Thom. dicit ad 2. ab hæreticis validè Sacramenta accipi, non tamen rem Sacramenti; hoc intellige communiter & sine iusta excusatione. quia sic accipientes communiter peccant, & ponunt obicem gratiæ, vt ipse se explicat: aliàs si non ponant obicem, accipiunt etiam Sacramenti gratiam: vt quando infantes vel etiam adulti ignorantes eorum hæresim, vel in extrema necessitate ab iis baptizantur, & eorum hæresi nullo modo consentiunt.

110 Obiicitur Primò, Extra Ecclesiam non est salus: ergo qui est extra Ecclesiam, non potest Sacramenta, quæ sunt causa nostræ salutis, conferre. Resp. neg. conseq. quia manens in Ecclesia potest aliquando ea, quæ sibi sunt causa saluris per externos suscipere. Sicut manens in arca Noë potuisset ab extraneo cibos, quibus viueret, accipere. Sicut item hæreticus posset absolutè aliquem docere veram doctrinam & veram virtutem suadere: quamuis hæc omnia sicut & Sacramenta ad Ecclesiam pertineant.

111 Obiicitur Secundò, Nemo potest dare quod non habet: hæretici non habent Spiritum sanctum: ergo non possunt eum dare. Confirm. quia Ioan. 20. datur Apostolis Spiritus sanctus, vt possint peccata remittere; ergo ad hoc necessarium est habere Sp. sanctum. Resp. antecedens esse verum de eo qui per se immediatè aliquid confert: non autem de eo qui mediatè. Medicus enim ægrotus potest dare ægro sanitatem per medicinam: similitérque hæreticus gratiam per Sacramenta. Vnde talis non mundatur propriè ab immundo, sed à Christo operante in Sacramentis: vt rectè D. Aug. contra Donatistas. Ad confirm. Resp. duo ibi per Spiritum sanctum intelligi. Primò, potestatem remittendi peccata, cui virtus Spiritus sancti annexa est. Secundò, gratiam huic muneri legitimè obeundo necessariam. Primum per hæresim nó amittitur, nisi fortè respectu Sacramenti Pœnitentiæ, ad quod validè conferendum requiritur iurisdictio, qua, qui incidit in externam hæresim, priuatur. Quamuis & hic multis casibus validè absoluat Ecclesia eius defectum supplente, conferendo ei ad singulos actus iurisdictionem necessariam, vt dicemus suo loco. Secundum amittitur, sed ad valorem Sacramenti non est necessarium. *Ioan. 20. Aug.* Potest aliquis per accidens dare quod non habet.

112 Obiiciuntur vltimò quædam auctoritates Canonum & Patrum, qui dicunt Sacramenta ab hæreticis collata inquinare magis quàm mundare. Sed Resp. eos partim loqui de quibusdam hæreticis qui formas Sacramentorum peruertebant; vt can. *Non sanat.* 1. q. 1. qui sumptus est ex Ambrosio. aut loqui de eo quod communiter fit. Quia communiter tales peccant suscipiendo, & ita etsi recipiant Sacramentum, eo ipso tamen inquinantur.

ARTICVLVS X.

Vtrùm intentio recta ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti?

Artic. X. docet peruersam intentionem ministri non vitiare Sacramẽtum, modò habeat intentionem conferendi Sacra. Vide dicta a. 8.

QVÆSTIO LXV.

DE NVMERO SACRAMENTORVM.

ARTICVLVS I.

Vtrùm debeant esse septem Sacramenta?

1 ARTICVLO I. docet debere esse septem Sacramenta. Quia Sacramenta sunt instituta, tum ad priuatam cuiusque hominis in particulari, tum etiã ad publicam totius populi Christiani spiritualem perfectionem. Ad priuatam autem cuiusque perfectionem spiritualem requiruntur quinque. Primò, vt spiritualiter nascatur, quod fit per baptismum. Quæ ratione singula Sacramẽta necessaria sint. Secundò, vt in spiritu crescat & roboretur, quod fit per Confirmationem. Tertiò, vt nutriatur, quod fit per Ven. Sacramentum. Quartò, vt si contingat eum vulnerari sanetur, quod fit per pœnitentiam. Quintò, vt infirmitates ex peccato relictæ tollantur, & pro extrema cum diabolo lucta roboretur, quod fit per Extremam vnctionem. Ad communem autem perfectionem Christiani populi requiritur Primò, vt habeat spirituales patres, & pastores, ad quod necessarius est Ordo. Secundò, vt populus per honestum, & Christianis dignum matrimonij vsum multiplicetur, ad quod institutum est Sacramentum matrimonij.

2 Nota Primò, D. Thomam, vt patet tum ex ipso titulo articuli, tum etiam ex ratione qua suam sententiam probat; hîc non disputare an sint septem Sacramenta (hoc enim tanquam ex communi Ecclesiæ sensu satis notum supponit) sed Vtrùm debeant tot esse, siue, Vtrùm conuenienter Christus septem Sacramenta instituerit. quod solùm sua ratione probat: non quasi Christus non potuerit plura aut pauciora (si ipsi placuisset) etiam conuenienter instituere (hoc enim falsum est:) sed quòd hic etiam numerus fuerit conueniens. Tota itaque ratio cur præcisè tot sint, est voluntas & institutio Christi, quæ nobis partim ex Scripturis, partim ex traditione & definitione Ecclesiæ innotuit. *D. Thom.*

3 Nota Secundò, omnes ferè hæreticos nostri temporis hanc doctrinam impugnare; sed ita vt in numero Sacramentorum statuendo, & omnes inter se, & iidem sæpe secum pugnent, vt fusè ex eorum scriptis docet Card. Bellarm. l. 2. de Sacram. cap. 23. Vnde satis patet nihil inter eos certi posse reperiri. *Hæretici nostri temporis.* *Bellarm.*

Restat igitur, vt contra eos catholicam doctrinam de septenario numero Sacramentorum probemus. sed quia de singulis est particularis difficultas; hoc commodiùs faciemus, dum de singulis tractabimus. Quare hîc tantùm vnam communem rationem adferemus; & eorum argumenta, quæ sumunt solùm ex auctoritate negata, refellemus.

4 Probatur itaque conclusio Primò ex Concil. Tridentino sess. 7. can. 1. vbi dicit anathema iis qui dixerint esse plura aut pauciora Sacramenta nouæ legis, quàm septem: aut aliquod eorum non esse propriè dictum Sacramentum. Similiter Concil. Florent. in literis Eugenij, docet esse septem Sacramenta nouæ legis. In quam sententiam cùm simul Græci, Latini & Armeni sine vlla contradictione consenserint, signum est fuisse generalem sensum & doctrinam totius Ecclesiæ; contra quam disputare insolentissimæ insaniæ est: vt docet D. Augustinus epistol. 11. ad Ianuarium. *Trident.* *Florentin.* *August.*

Respondet Kemnitius Florentinum obtrusisse Armenis Sacramenta, quæ hâctenus ignorarant. Sed hoc pro suo iure & consuetudine sine auctore fingit. Nam etsi credibile sit Armenos in aliquibus circa doctrinam & vsum Sacramentorum errasse, non tamen verisimile est eos errasse circa numerum: quia de eo nulla vnquam inter Ecclesiam orientalem & occidentalem fuit mota quæstio. Quare cùm constet in eo Concilio totam Ecclesiam tam Græcam quàm Latinam vnanimi consensu docuisse septem esse Sacramenta: item, cùm non possit ostendi, quando hæc doctrina post Apostolos primum in Ecclesia prædicari cœperit; necessariò dicendum est à Christo & Apostolis eam dimanasse: iuxta regulam D. August. lib. 4. de baptismo cap. 24. vbi ait: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis statutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Clarum autem est Concilium Florentinum non inuenisse primò hanc doctrinam, cùm ante illud plurimi doctores eam, vt certam & omnino indubitatam tradiderint. Nec vllus potest reperiri historicus, aut alius auctor, qui scripserit eam suo tempore cœpisse primùm in Ecclesia doceri: cùm tamen de omnibus hæresibus, certi auctores narrantes res gestas sui temporis, scripserint quando fuerint exortæ. Vnde clarè constat nullum post Christum posse huius dogmatis dari initium. Quare etsi ex Scripturis probari non posset (quod tamen falsum esse ostendemus, dum suis locis ex Scriptura de singulis probabimus esse vera Sacramenta) ad certam tamen fidem faciendam, deberet nobis Ecclesiæ auctoritas, & perpetua traditio sufficere (vt docet D. Aug. suprà,) quam hæretici frustrà leuissima ratione conantur euertere. *Kemnitius.* *D. Augusti.* *Florent.* *August.*

Obiiciunt igitur nullibi Scriptura aut antiqui Patres dicunt esse septem Sacramenta: imò multi dum ea numerant; tantùm duo aut tria, aut summùm quatuor numerant: ergo non sunt septem. 6

Resp. eos nullibi etiam dicere non esse septem. quare est argumentum ab auctoritate negata nullius momenti. Aliàs probaret non esse quatuor Euangelia. quia Scriptura nullibi enumerat quatuor. Quamuis igitur Scriptura non dicat expressè esse septem Sacramenta, nec vocet illa explicitè Sacramenta; tamen docet singulis conuenire quod est essentiale Sacramento: nimirum quòd sint signa practica gratiæ. Sic Io. 3. dicimur baptismo regenerari, & Act. 8. v. 17. & c. 19. v. 6. dicitur per Confirmationem, siue manus impositionem datum Spiritum sanctum. Ioan. 6. de Eucharistia dicitur: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* & Matth. 26. *Hoc est corpus meum.* De pœnitentia Ioan. 20. dicitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* &c. De Extrema vnctione agitur Iac. 5. vbi dicuntur per eã remittenda peccata. De Ordine 1. ad Tim. 4. dicitur: *Noli negligere gratiã, quæ in te est. quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presby-* Probantur Sacramẽta ex Scripturis. *Ioan. 3.* *Act. 8. & 19.* *Ioan. 6.* *Matth. 26.* *Ioan. 20.* *Iacob. 5.* *1. Tim. 4.*

Ephes. 5. *presbyteri*. De Matrimonio ad Ephes. 5. dicitur, *Sacramentum hoc magnum est.* Deinde plurimæ in sacris Scripturis hôrum Sacramentorum præcessêre figuræ: vt in septuplici candelabro in templo, in septem columnis, quas Prou. 9. Sapientia excidit, & alibi.

Prouerb. 9.

7 Ex Patribus. Quod ad Patres antiquos attinet, nullibi simul omnia Sacramenta enumerant: quia necessitas non occurrit; omnium tamen hinc inde sparsim mentionem faciunt. Nam D. August. lib. 5. de baptis. c. 5. quatuor Sacramenta enumerat, vbi ait: *Si ergo ad hoc valet quod dictum est in Euangelio, Deus peccatorem non audit, vt per peccatorem Sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum* (quo scilicet infirmi inunguntur) *vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur?* scilicet vel in Confirmatione, vel in Pœnitentia. Vtrumque enim Sacramentum à Patribus dicitur conferri per manus impositionem. Loqui autem D. Aug. de propriè dictis Sacramentis, patet: quia connumerat ea Baptismo & Eucharistiæ, quæ sine dubio sunt vera Sacramenta. Similiter l. 2. contra literas Petiliani c. 104. Confirmationem vocat Sacramentum, & comparat Baptismo his verbis: *Et in hoc vnguento Sacramentum Chrismatis, vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus.* Item l. 2. contra epist. Parmeniani c. 13. conferens Ordinem cum Baptismo ait: *Vtrumque enim Sacramentum est, & quadam consecratione vtrumque homini datur: illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur.* Deinde ostendit neutrum amitti vel iterari posse. Item lib. 1. de adulter. coniugiis c. vlt. comparat Pœnitentiam cum Baptismo. Similiter lib. 1. de nuptiis cap. 10. vocat Matrimonium Sacramentum. Quare secundùm ipsum Augustinum septem sunt in Ecclesia Sacramenta; & quidem apertè ab ipso recensita, licèt diuersis locis.

D. August.

8 Nota Tertiò, Patres quandoque quasdam alias cæremonias vocare Sacramenta, quæ verè Sacramenta non sunt: sed vruntur nomine Sacramẽti largo modo, pro quouis signo rei sacræ. Præcipua tamen difficultas est in ablutione pedum à Christo in cœna instituta, qua dicunt peccata venialia remitti: atque ita videtur habere veram rationem Sacramenti. Et confirmatur, quia Christus Petro renuenti ablutionem Ioan. 13. ait: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*: vbi videtur insinuare hanc lotionem esse necessariam ad gratiam recipiendam.

Ioan. 13.

9 Resp. Patres multa in sensu mystico de hac lotione dicere, & ei tribuere vim abstergendi peccatum veniale, non ratione sui, sed ratione humilitatis eius qui eam exercet. Ad confirmationem variè varij respondent. sed sensus literalis est quem adfert Vasquez hîc disp. 139. n. 20. scilicet Christum minatum esse Petro exclusionem à reliqua cœna, quam iis parabat, & à communicatione sui corporis, ad quam neminem nisi lotis pedibus volebat admittere: vt significaret qua munditie deberent accedere: volebátque pedes per se lauare; non vt institueret signum efficax gratiæ, sed vt daret humilitatis & mutuæ caritatis exemplum: vt ibidem v. 13. expresè dicit.

Vasquez.

Nota Quartò, quando Trident. suprà definit tantùm esse septem Sacramenta, non definire singula dicere speciem vltimam. Nam disputatur inter Doctores vtrùm in Ordine sint septem Sacramenta diuersæ speciei; vt videbimus suo loco. Tantùm igitur vult docere nulla esse Sacramenta præter dicta, siue singula dicant speciem vltimam, siue aliquod genus sub quo diuersæ species continentur. 10 *Trident.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm Sacramenta conuenienter ordinentur secundùm modum prædictum?

ARTIC. II. docet Sacramenta congruo ordine ab Ecclesia numerari. Rationem vide in textu; facilis enim est, nec explicatione indiget. 11

ARTICVLVS III.

Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ sit potissimum inter cetera?

ARTIC. III. docet Venerabilem Eucharistiam esse dignissimum Sacramentum. Primò, quia ibi Christus essentialiter est præsens; in aliis tantùm instrumentaliter. Secundò, quia alia ad hoc quodammodo ordinantur. Tertiò, quia in hoc omnia consummantur. Solet enim hoc sæpe sequi aliorum Sacramentorum susceptionem: alia verò Sacramenta diuersimodè se inter se habent. Vide reliqua in textu. 12

ARTICVLVS VI.

Vtrùm omnia Sacramenta sint de necessitate salutis?

ARTIC. IV. docet Baptismum omnibus, & relapsis Pœnitentiam esse absolutè necessariam; scilicet in re aut in voto: Ordinem verò necessarium esse toti Ecclesiæ; reliqua Sacramenta esse necessaria ad benè esse. Vide textum, in quo nulla est difficultas nisi de necessitate Eucharistiæ, de qua suo loco meliùs agemus. 13

QVÆSTIO LXVI.

DE PERTINENTIBVS AD SACRAMENTVM BAPTISMI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Baptismus sit ipsa ablutio?

1 ARTICVLO I. docet baptismum non esse ipsam aquam, sed ablutionem factam sub forma præscripta verborum. Quod non ita intelligendum quasi baptismus consistat in sola ablutione cum aliquo ordine ad verba, vt putat Sotus: sed quòd constet ablutione, & verbis vt *Sotus.* partibus componentibus: vt diximus suprà quæst. 60. art. 6.

ria baptismi nomina: *Bellarm. Catech. Trident. Vasquez.*

Nota, Baptismum ratione diuersorum effectuum, variis nominibus à Scriptura & Patribus nominari, quæ recensent Bellarmin. lib. 3. de Sacram. cap. 1. & Catechismus Trident. p. 2. cap. 2. & fusissimè Vasquez d. 140. cap. 1. Primò enim à præcipuo effectu suo vocatur sæpissimè lauacrum regenerationis: quia, vt dicitur Ioan. 3. v. 3. per eum denuo nascimur. Secundò, dicitur circumcisio Christi, non manu facta, ad Coloss. 2. *Circumcisi estis circumcisione non manu facta.* Et infrà, *Circumcisione Christi consepulti ei in baptismo.* Tertiò, dicitur sepultura tam hoc loco iam citato, quàm ad Roman. 6. vbi dicitur: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum*: quia nimirum vetus homo in baptismo moritur, & quasi sepelitur. Quartò, sæpissimè Patres eum vocant illuminationem, iuxta illud ad Hebræos 6. *Impossibile est eos qui semel illuminati sunt*, &c. quod explicant de baptismo; qui ita dicitur propter fidem quam in eo accipimus & protestamur: vnde etiam Quintò dicitur Sacramentum fidei. Sextò, dicitur donum: quia in eo maxima fit peccatorum, omnisque pœnæ iis debitæ condonatio, idque liberalissimè: quia nihil in baptizatis præcedit, quo eam mereantur. Septimò, dicitur vnctio: quia per ipsum in regnum sacerdotale Christi per Spiritus sancti gratiam inaugimur. Octauò, dicitur indumentum: quia per ipsum nuditas, quam peccatum originale induxit, per gratiam Christi regitur. Nonò, per antonomasiam dicitur signaculum: quia per eum omnes oues Christi primum eius signum accipiunt, quo ab alienis distinguantur.

Coloss. 2. *Rom. 6.* *Hebr. 6.*

3 Baptismi definitio. *Catech. Trident.*

Variè etiam à multis describitur. Optimè eum definit Catechismus Trident. suprà, scilicet: *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ*, id est, constans ablutione sub inuocatione sanctissimæ Trinitatis: vbi *Sacramentum* est genus, *regenerare* differentia. per hoc enim à ceteris Sacramentis differt, quòd nos regeneret, siue spiritualiter Deo gignat. Etiamsi enim alia Sacramenta aliquando nos vnificent, & præcipuè Pœnitentia, hoc tamen faciunt potiùs per modum resuscitationis; quia supponunt nos antè Christo fuisse genitos: baptismus autem quia dat primam vitam spiritualem, habet rationem generationis. quare illis duobus verbis essentialis baptismi definitio continetur. Additur *per aquam*, &c. vt significetur qua materia & forma consster: à quibus sumitur definitio Magistri in 4. dist. 3. hoc modo, *Baptismus est ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum.*

Magister.

4 Nota Primò, etsi baptismus secundùm primam suam significationem sit idem quod ablutio; communiter tamen sumitur pro toto ipso Sacramento; atque ita baptismus & ablutio non sunt synonyma.

Nota Secundò, hanc descriptionem esse sumptam à partibus physicis ipsius baptismi, sicut si dicerem, Domus est lignum, calx, & lapides in certa forma disposita.

Nota Tertiò, vt illa definitio sit integra, quædam debere subintelligi: quia ablutio & pronuntiatio formæ non constituunt integram essentiam baptismi, sed solùm eius partem materialem, cuius forma totalis est significatio totalis; vt dixi quæstione 60. articulo 6. Vnde si materia & forma verborum ponantur sine legitima intentione, nullus erit baptismus. Quare per synecdochen in ea ponitur pars pro toto; iráque intelligenda est ac si diceretur, *Baptismus est Sacramentum constans ablutione corporis exterioris facta sub præscripta forma verborum*: subintellige, *cum legitima intentione.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm baptismus fuerit institutus post Christi passionem.

ARTIC. II. docet baptismum à Christo fuisse institutum, dum ipse baptizaretur: cœpisse tamen obligare post eius passionem quando legalia cessabant. quæ latiùs examinanda sunt. 5

DVBIVM.

Quando baptismus à Christo fuerit institutus?

RES hæc non modò inter Scholasticos, verùm etiam inter Patres controuersa est. Aliqui enim putant baptismum fuisse institutum post Christi passionem, quando Matth. vlt. dixit discipulis: *Euntes ergo docete omnes gentes*, &c. In hanc sententiam inclinant D. Chrysost. hom. 28. in Ioannem, Leo Papa epist. 4. c. 3. & putat omnino certam esse Rupertus l. 4. in Ioannem, explicans illa verba Ioannis 3. *Venit Iesus in Iudæam*; putátque Apostolos Ioan. 3. v. 26. & c. 4. v. 1. baptizasse baptismo Ioannis. Ratio eius est, quia discipuli Christi ante eius mortem non leguntur baptizasse nisi viuente Ioanne. Nam Lucæ 10. vbi legitur Christus misisse discipulos suos ad annuntiandum Euangelium regni Dei, dedit illis varia mandata ac potestatem eiiciendi dæmones, ac morbos curandi, nullam tamen fecit mentionem baptismi. Secùs autem factum est, quando post resurrectionem eos misit annuntiatum Euangelium. Tunc enim iussit eos baptizare; vnde eos tunc formam baptismi docuit, cuius antè nulla in Euangelio fit mentio. Imò ipse D. Thom. (etsi hîc contrarium doceat) infrà q. 73. art. 4. ad 4. multum fauet huic sententiæ, & videtur præsupponere eam esse probabiliorem. 6

Matth. vlt. *D. Chrys. D. Leo. Rupertus.* *Ioan. 3. & 4.* *Luc. 10.* *D. Thomas.*

CONCL. I. Longè verius est Christum instituisse suum baptismum ante passionem. Ita D. August. tract. 15. in Ioan. initio & alibi sæpe; quem sequitur Magister in 4. d. 3. & ibid. Scot. q. 4. art. 1. concl. 6. Gabriel q. 1. art. 3. dub. vlt. Soto quæst. 1. a. 2. concl. 1. & communiter DD. cum D. Thoma hîc. 7

D. August. Magister. Scotus. Gabriel, Soto. D. Thom. Ioan. 3.

Probatur Primò, quia Ioan. 3. v. 22. & c. 4. initio dicitur Christus non per se, sed per discipulos baptizasse: atqui hoc dici non potest, nisi quia discipuli baptizabant baptismo instituto à Christo: aliàs potiùs ipse Ioannes per eos baptizasset, quàm Christus. Ideo enim iuxta Aug. suprà dicitur Christus baptizare in discipulis: quia ipsi administrabant baptisma institutum à Christo, quódque ab eo vim habebat; atque ipse erat qui conferebat internum effectum Sacramenti, iuxta dicta q. 62. a. 4. Confirm. quia Ioan. 3. v. 26. discipuli Ioannis indignantes apud eum conqueruntur quòd Christus per discipulos suos baptizaret: atqui si Christus non fuisset vsus proprio, sed baptismo Ioannis, discipuli Ioannis non debuissent indignari, sed gaudere; quia hoc fuisset Ioanni honorificum: ergo signum est Christum vsum proprio baptismo.

Probatur Secundò, quia baptisma quo Christus tunc vtebatur conferebat gratiam: ergo erat Sacramentum legis nouæ distinctum à baptismate Ioannis, quod gratiam non conferebat: vt patet ex dictis suprà. Antecedens probatur, quia Ioan. 1. v. 26. & 32. Baptista generatim distinguit suum baptisma à baptismo Christi, quòd ipse baptizaret in aqua, Christus in Spiritu sancto. Vnde etiá c. 3. v. 27. & 31. discipulis cõquerentibus Christũ tunc baptizare, respondit: neminem posse accipere quidquam nisi ei datum fuerit de cœlo; Christum qui de sursum est, super omnes esse: qui autem de terra est, terrena loqui. Ostendens Christum non instar aliorum hominum terreñum aliquem & 8

Baptismus Christi fuit distinctus à baptismate Ioannis. *Ioan. 1.*

Infirmum instituisse baptismum; sed quia de sursum, & supra omnes erat, instituisse cælestem, & qui omnino superabat vires humanas, quia erat collatiuus donorum cælestium & supernaturalium. Confirmat.

Ioan. 3. & 4. Primò, quia, vt patet Ioan. 3. v. 26. & c. 4. v. 1. plures iam baptizandi veniebãt ad Christum quàm ad Ioannem: & quidem, vt apertè colligitur ex c. 3. v. 26. &

Ioan. 1. Marc. 1. 28. permoti testimonio Ioannis: qui Ioan. 1. v. 33. & Marc. 1. v. 8. dixerat turbis se baptizare in aqua, Christum verò baptizare Spiritu sancto, id est, baptismo conferente Spiritum sanctum. Quòd enim quidam hoc intelligant de missione Spiritus sancti in Pentecoste, allegoricum est. Nam sensus literalis loquitur de baptismo Christi, quem Ioannes cum suo baptismo

Vasquez. confert: vt pulchrè ostendit Vasquez disp. 140. n. 18. & sequentibus: & clarè ex locis citatis colligitur turbas Ioannem in hoc sensu intellexisse, ideóque obtulisse se Christo baptizandas; quæ fuissent deceptæ, si baptismus quo tunc Christus vtebatur, non contulisset Spiritum sanctum. Confirm. Secundò, quia videtur omnino fuisse præter Christi dignitatem, vti baptismo Ioannis, quasi eius esset discipulus: aut venisset, vt gratiam inani figura adumbraret, qui venerat eam reipsa conferre.

9 Nec refert quòd à Ioanne voluerit baptizari. Primò, quia hoc fecit cùm adhuc priuatus omnino & ferè incognitus ageret: baptizabat autem vt magister & doctor veritatis, & institutor nouæ legis à Patre, dum baptizaretur, publico præconio constitutus.

Cur Christus voluerit baptizari. Secundò, quia volebat baptizari, vt hac occasione & à Ioanne, & præcipuè à Deo Patre testimonium acciperet, quo legis gratiæ institutor denuntiaretur.

Quare dicendum, per baptismum quo Christus ante passionem per discipulos baptizabat, verè collatam fuisse gratiam, tum virtute præcedentium meritorum Christi, tum etiam futuræ passionis, cuius iam à Patre acceptatæ vim poterat certis rebus alligare. Vnde patet, baptismum Christi habuisse omnem vim intrinsecam ante passionem, quam habuit post. quòd enim cælum non aperiret, extrinsecum illi erat, eò quòd pretium nostræ salutis nondum omnino esset persolutum.

10 Patet Secundò, tunc baptizatos fuisse configuratos morti Christi futuræ, sicut nos præteritæ: sicut sacrificium incruentum in cœna fuit repræsentatio mortis futuræ, quod iam repræsentat præteritam.

Ioan. 7. Nec obstat quòd Ioan. 7. dicitur Spiritum sanctum nondum fuisse datum, quia Iesus nondum erat glorificatus: quia hoc intelligendum est, de copiosa illa & visibili datione Spiritus sancti facta in Pentecoste; aliàs nec Magdalenæ in conuiuio, nec Apostolis in cœna per Eucharistiam fuisset datus Spiritus sanctus: quod nemo fidelis dixerit.

11 Probatur Tertiò, quia Sacramentum Eucharistiæ & Ordinis fuit institutum & collatum Apostolis ante

Matth. 26. Trident. passionem: vt patet Matth. 26. & ex Trident. sess. 13. c. 2. & 23. c. 1. ergo etiam Sacramentum baptismi; quia illorum non sunt capaces nisi baptizati. Gratis autem dicitur, Christum in generali sua lege dispensasse, cùm non minùs potuerit ante passionem instituisse baptismus quàm illa duo Sacramenta: nec alia sit fingendæ dispensationis necessitas.

12 Ad Patres initio citatos Respond. eos videri fuisse

D. August. Vasquez. Suarez. in ea sententia, sed D. Augustinum, multósque alios quos citant P. Vasquez disp. 140. cap. 2. & Suarez disp. 19. sect. 2. pro nobis facere, quibus Scripturæ

Rupert. clarè fauent. Ad rationem Ruperti Respond. illo loco non fieri mentionem baptismi: quia datur ibi discipulis noua potestas, qui iam antè potestatem baptizandi acceperant. quare non sequitur eos tunc non baptizasse; quamuis credibile sit non baptizasse passim omnes, nec ad hoc vulgò omnes inuitasse, eò quòd pauci essent, qui verè in Christum crederent. Post resurrectionem verò Christus voluit omnes fideles baptizari: nec tunc dedit primùm Apostolis potestatem, sed præceptum baptizandi, non solùm Iudeos, sed omnes qui ex Gentibus crediturí essent.

Nec etiam quidquam probat, quòd forma baptismi non legatur tradita Apostolis ante passionem. 13
Quia est argumentum ab auctoritate negata: & sufficit quòd legamus baptismum priùs collatum, vt etiam credamus formam traditam, quæ iam in baptismo quo Christus baptizabatur, erat clarissimè repræsentata: & mysterium Trinitatis multis locis Apostolis erat expósitum, quibus Christus sæpe mentionem faciebat Patris, & Filij, & Spiritus sancti: vt Ioan. 15. v. 26. *Ioan. 15.* vbi Spiritus sanctus dicitur procedere à Patre, & mittendus à Filio, & alibi. Vnde patet sine vlla causa aliquos dicere, Christum quidem ante passionem instituisse suum baptismum, cum tamen non fuisse collatum sub eadem forma, sed sub nomine Christi. quia tunc fuisset planè aliud baptisma: nam habuisset diuersam formam essentialem. Nec vlla est ratio cur non fuerit tunc collatum sub eadem forma sub qua iam confertur; præsertim cùm Christus venerit, vt mysterium Trinitatis expressè hominibus explicaret, & sæpe id publicè fecerit, dum se diceret filium Dei, & missurum Spiritum sanctum: ipsúmque mysterium in baptismo Christi publicè claréque fuerit reuelatum: quo Deus ostendebat se velle illud iam palàm hominibus explicari.

Discipuli viuente Christo sub consueta forma baptizarunt.

Conclvsio II. Sacramentum baptismi fuit quasi 14
in viuo quodam exemplari nobis perfectè demonstratum in baptismate quo Christus baptizatus fuit: non tamen tunc; sed paulò post ipsum Christus instituit, cùm discipulos collegit, ritúmque baptismi præscripsit. ita Scotus & Gabriel citati n. 7.

Quando fecit baptismus institutus. *Scotus. Gabriel.*

Prior pars patet, quia ibi fuit externa ablutio sicut in baptismo Christi, & apparuit tota Trinitas, quæ in Sacramento inuocatur. Et hoc significant Patres, qui dicunt aquam tunc accepisse vim lauandi nostra crimina. quia scilicet contactu Christi fuit quodammodo moraliter consecrata, & in typo deputata, vt esset materia baptismi Christi.

Secunda pars probatur, quia neque tunc Christus 15
in actu exercito baptismum instituit suo baptismate quemquam baptizando; quia solùm fuit baptismate Ioannis baptizatus: neque in actu signato ritus eius præscribendo; quia hîc nihil præscripsit, nec Pater apparuit vt aliquid præscriberet, sed vt Christo testimonium perhiberet. Prob. Secundò, quia instituere Sacramenta est formaliter actus legislatoris: atqui Christus hic non sustinuit personam legislatoris, sed potiùs pœnitentis: vnde Ecclesia dicit eum in Iordane lauisse nostra crimina: quia scilicet baptismum pœnitentiæ nostram personam sustinens suscepit, quasi ipse pœnitentia eguisset. Vnde hac humilitate meruit à Patre testimonium suæ innocentiæ, & vt baptismus ipsius postea instituendus haberet vim peccata lauandi. Et hac etiam ratione à Patribus dicitur cõsecrasse aquam ad abluenda peccata, eique hanc vim dedisse: non autem quòd velint Christum tunc instituisse ipsum Sacramentum. Quia nullum est fundamentum in Scripturis cur hoc dicamus. Et confirmatur, quia ipsi dicunt Christum sanctificasse aquas, iisque eam vim dedisse suo contactu, dum baptizaretur. Non instituit autem eo contactu suum baptismum, sed baptismum Ioannis suscepit. Moraliter tamen aquas consecrauit (sicut contactu sanguinis consecratur calix, si quis celebret in non consecrato) iisque dictam vim meruit, vt dixi.

Quomodo Christus in Iordane lauerit nostra crimina: ac aquas consecrarit.

Tertia pars patet ex dictis. Nam cùm paulò pòst mi- 16
serit discipulos suos baptizatum, debuit suum baptismum priùs instituisse discipulis ritum eius præscri-

bendo; &, vt multi volunt, matrem suam, & B. Petrum baptizando, vt hic deinde primarios Apostolos, ipsique cereros baptizarent.

ARTICVLVS III.

Vtrùm aqua sit propria materia baptismi?

17 D. Thom. CONCLVS. affirmatiua, quam D. Thomas pulchris congruentiis, quas aqua cum effectu baptismi habet, probat. Tota tamen ratio à priori est ipsa voluntas & institutio Christi, qui in quouis alio liquore potuisset baptismum instituere.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm ad baptismum requiratur aqua simplex?

18 ARTIC. IV. docet ad baptismum requiri aquam naturalem; & quamuis talem ad baptismum sufficere quantumuis alteretur, quamdiu retinet naturalem suam speciem.

DVBIVM I.

Quæ sit materia baptismi?

19 NOta Primò, in baptismo sicut & in aliis Sacramentis, esse duplicem materiam, scilicet remotam & propinquam: vt ostendi quæstione 60. art. 5.

Bellarm. Nota Secundò, circa materiam baptismi varios olim fuisse errores, quos refert Dominus Bellarm. lib. 1. de baptism. c. 2. Si tamen penitiùs illorum hæreticorum sensum inspiciamus, videntur magis baptismum sustulisse, quàm circa eius materiam errasse, paucis saltem exceptis. Sed hi errores hoc tempore omnino obsoleuerunt; nec cum modernis hæreticis est nobis contentio de materia necessaria baptismi, Lutherus. nisi quòd Lutherus in Symposiacis semipotus asserat: quidquid balnei nomine nuncupari potest, posse esse materiam baptismi. quare secundùm eum valeret baptismus vino aut lacte factus. sed parum curandum quid ebrius euomuerit.

20 CONCIL. I. Materia baptismi remota est aqua vera ac naturalis. Est de fide. ex Conc. Lateran. c. *Firmiter*. Florentino in decreto de Armenis, & Trident. sess. 7. can. 2. de baptismo. Probatur ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, &c. Ibi enim describi materiam baptismi omnes Patres semper docuerunt, & eum locum de propriè dicta aqua intelligi definit Trident. suprà. Et patet, quia nulla est causa confugiendi ad metaphoram. Quare verba Scripturæ necessariò sunt propriè intelligenda. Secundò, quia Act. 8. v. 36. & cap. 10. v. 14. apertè describitur vera aqua quæ sit materia baptismi. similiter & alibi.

Concil. Lateran. Florentin. Trident. Ioan. 3. Trident. Act. 8. & 10.

21 Matth. 3. Dices, Matth. 3. v. 11. Baptista ait, se quidem baptizare in aqua; Christum autem baptizaturũ in Spiritu sancto, & igne: ergo aqua non est necessaria materia Iacobitæ. huius Sacramenti. Ita olim Iacobitæ, qui ferro candenti frontibus baptizandorum signum crucis imprimebant. Respond. hunc locum secundùm aliquam sui partem necessariò metaphoricè intelligendum. Nec enim aliter potest intelligi aliquem Spiritu sancto aut igne baptizari, siue lauari. hinc aliqui volunt hîc Baptizare Spiritu S. & igne, quid sit? *baptizo* sumi metaphoricè pro *purgo*, aut *copiosè effundo*, & Ioannem loqui de missione Spiritus sancti in Pentecoste futura: vt Hieronymus in hunc locum. Et consonat ei illud Act. 1. *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto*, id est copiosè eo replebimini, & purgabimini. Alij sumunt *baptizo* pro quauis purgatione partim per gratiam Spiritus sancti, quæ in omnibus Sacramentis datur; partim per ignem diuini iudicij, Purgatorij, aut cuiuuis tribulationis facta; cui consonat quod subditur: *cuius Ventilabrum in manu sua*, &c. Alij volunt hîc intelligi verum baptisma, & per Spiritum sanctum & ignem significari effectum baptismi, scilicet feruentem charitatem, quæ instar ignis cor accendit, & peccati scoriam decoquit. ita Chrysost. homil. 11. in Matth. & Chrysost. alij. Omnes hæ expositiones sunt commodæ, & fortè omnes literales. has enim omnes purgationes potuit Baptista intelligere. vltima tamen est maximè literalis, & textui accommodatissima. Quia vt patet ex Ioan. 1. v. 26. & 33. videtur Baptista hîc comparare baptismum Christi cum suo, eiusque effectus explicare. Quamuis optimè etiam possit *baptizo* partim sumi propriè, quatenus Christus dicitur baptizare Spiritu sancto, quo effectus baptismi significatur: partim metaphoricè, quatenus Christus dicitur baptizare igni, scilicet acri suo iudicio, & tribulationibus discernendo pios ac constantes in fide ab impiis & inconstantibus. & sic optimè etiam connectitur cum sequentibus: scilicet, *cuius Ventilabrum in manu sua*, &c. Ioan. 1.

Nota, per aquam naturalem non solùm intelligi 22 purè elementarem, sed omnem omnino aquam quam- Quæ aqua dicatur naturalis. diu eandem speciem retinet cum naturali aqua, etsi rebus aliis permisceatur; vt fit in fluminibus turbulentis, lixiuio, aqua lutulenta, &c. modò tamen non sit tanta permistio, vt habeat potiùs naturam corporis permisti quam aquæ: vt aqua luto aut pinguedine valdè denata. si tamen ex his purior aqua exprimatur, valet baptismus in ea factus. ita D. Thomas hîc art. 4. D. Thom. & alij communiter. Multóque magis certum est valere baptismum, si fiat in aqua reioluta ex glacie aut niue: vt docet Henriqu. l. 2. de baptism. c. 6. quia hæc Henriquez. aqua est omnino naturalis. Hæc autem omnia intelligo quoad valorem Sacramenti: aliàs graue peccatum esset sine necessitate vti aqua impura: imò non vti aqua quæ ad id confecrata in fonte baptismali seruatur: vt colligitur ex Clem. vnica de baptis. In necessitate tamen his licitè vtimur; imò etiam materia dubia, vt In necessitate licitè vtimur materia minùs conuenienti. omnes fatentur. Extrema enim necessitas excusat irreuerentiam, quæ aliàs in Sacramentum admitteretur, dum vtendo tali materia exponimus nos periculo inualidè illud cõferendi: hinc fieri aliquando posse, vt licitè vtamur aqua ex sale reiolura, docent quidam apud Candelabrum aureum de baptis. n. 6. Sed hoc difficulter credidero. quia non videtur probabile eiusmodi Candelab. aureum. aquâ esse eiusdẽ speciei cum aqua naturali seu elementari; & consequenter non videtur probabile quòd possit esse materia baptismi. Similiter liquores ex plantis 23 aut herbis expressi, aut ceruisia, & similes, non sunt Liquores artificiales non sunt materia baptismi. materia baptismi; quia non sunt vera aqua. ita communiter DD. vide Valentiam tom. 4. d. 4. q. 1. puncto Valentia. 2. §. *Tertia regula*. Henriquez l. 2. c. 6. n. 2. & Zecchum Henriquez. de baptis. c. 2. propos. 2. Aliqui tamen putant hos in Zechus. extrema necessitate posse adhiberi, quia non omnino constat, an differant specie ab aqua naturali. Eadémque quibusdam videtur ratio de niue. quæ non facilè ausim approbare, quia Concilia initio citata requirunt aquam naturalem. qualis non videtur artificialis expressè à plantis. Alia fortasse esset ratio ceruisiæ, si species aquæ non sit mutata. quia posset comparari aquæ lutulentæ, præsertim quando esset tenuis, quia tunc plus videtur habere aquæ, quàm alterius substantiæ. Secùs videtur dicendum de crassa, & multùm decocta, quia videtur amittere speciem aquæ: sicut de aqua lutulenta valdè pingui ait D. Thomas in corpo- D. Thomas. re. Videtur enim eadem vtriusque ratio. Quia tamen extrema puerorum necessitas cogit extrema quæque tentare; nolim omnino damnare tali materia in ea vtentes, donec Ecclesia apertè damnet.

De spuro tamen, sudore, & similibus humoribus non videtur id posse dici ob c. penult. de baptismo; vbi Pontifex negat absolutè pro Christianis habendos qui in necessitate sputo baptizari sunt. hoc etiam certum est, tam hac quàm illa materia baptizatos, saltem sub conditione rebaptizandos, si postea fieri possit, quia vt minimum est materia dubia.

25 CONCLVSIO II. Materia proxima baptismi est ipsa ablutio. Est communis paucissimis exceptis, & omnino certa. Ratio est, quia excepta Venerab. Eucharistia, omnia Sacramenta consistunt in aliqua actione & re tranſeunte; & consequenter eorum materia, non potest esse res permanens. Confirm. quia illud est materia quod determinatur à forma; forma autem baptismi nullo modo significat, & consequenter nec determinat ipsam aquam secundùm se spectatam, sed eius vsum siue ablutionem, vt patet.

26 An baptismum necessaria est aliqua motio à baptizante facta. Hinc patet Primò, nullo modo baptizari eum, qui quietus in aqua omnino immota cõsistit. quia hic non est ablutio, quæ significat aliquem motum aquæ circa corpus abluti factum, aut per applicationem aquæ ad corpus abluendum, vt fit in infusione: aut per applicationem corporis ad aquam, vt fit in immersione.

Patet. Secundò, hunc motum debere fieri per ministrum baptismi: quia alias non posset verè dicere: Ego te baptizo, siue abluo.

27 Nix & glacies non sunt materia baptismi. Patet Tertiò, etsi nix & glacies non differant specie ab alia aqua; tamen non posse esse materiam baptismi. Quia non potest in iis fieri ablutio donec aliquo modo resoluantur. quia ablutio dicit motum materiæ liquidæ circa corpus abluendum. Si tamen aliquo modo resoluantur, quod facilè ex contactu corporum fit, sunt sufficiens materia, quia sunt vera aqua.

28 Ledesma. Patet Quartò, id quod dixit Ledesma in 1. p. 4. q. 7. a. 1. dub. 3. scilicet. ablutionem esse ipsum corpus ablutum, nullam habere probabilitatem. Est enim simile ac si dicerem, verberatum esse ipsam verberationem, & hominum visum esse ipsam visionem: quæ sunt contra communem sensum, quo distinguimus materiam circa quam actio versatur, ab ipsa actione.

DVBIVM II.

Vtrùm materia proxima baptismi essentialiter consistat in ablutione actiua, an in passiua?

29 In lotione quinque spectanda. NOta in ablutione varia posse considerari, quæ vel ei sunt intrinseca, vel cum ea coniuncta. Primò, ex parte abluentis est actio aliqua ipsi immanens, v. g. motio brachij. Secundò, est motio ipsius aquæ, qua hæc applicatur corpori abluendo: vel motio, qua hoc applicatur aquæ dum ei immergitur. Tertiò, est contactus aquæ & corporis, qui est terminus illius motionis: & hæc omnia possunt dici ablutio actiua, quia significant ablutionem prout ab agente concipitur egredi. Quartò, ex parte abluti, est receptio ipsius aquæ, qua per mutuum contactum aquam sibi adhærentem quodammodo in se recipit, & potest dici ablutio passiua. Quintò, sunt effectus ablutionis, v. c. refrigeratio abluti, absterſio sordium, &c. quæ non sunt ipsa ablutio, sed eam sequuntur.

30 Certum autem est essentiam baptismi aut ablutionis, non consistere in quinto: quia verus esset baptismus, etsi nullus eiusmodi effectus sequeretur. Similiter etsi prima actio necessario ad lotionem requiratur, quia non possum alteri applicare aquam nisi me mouendo, tamen propriè non est de intrinseca ratione baptismi, siue lotionis, sed aliquid ad eam requisitũ: quia si quacumque ratione possem aquam alicui effectiuè applicare sine vlla alterius membri motione, verè eum abluerem. Quare tota difficultas est de secundo, tertio & quartò. Quidam autem videtur essentiam ablutionis constituere in solo quarto. Citantur pro eadem sententia Soto in 4. d. 3. a. 1. §. *Ex quo fit.* & Scotus in 4. d. 6. q. 2. sed Scotus hoc non dicit, *Soto.* *Scotus.* hec potest ex eo colligi. Contrà alij putant eam totam consistere in secundo & tertio, & quamuis admittant ad essentiam baptismi pertinere etiam ablutionem passiuam, hanc tamen passionem non ponunt immediatè in baptizato, sed in aqua quatenus mouetur: dicuntque totam essentiam Sacramenti consistere in actione & motu aquæ.

CONCL. Verius videtur ablutionem necessariam 31 ad baptismum essentialiter consistere in secundo, tertio & quarto, ita vt hæc omnia intrinsecè dicat. Valentia d. 4. q. 1. puncto 1. alios citans. In quibus consistat ablutio. *Valentia.*

De secundo probatur, quia si quis aquam ab altero baptizando applicatam in eo statu corpori quietè adhærentem contineret, non posset vllo modo dici baptizare, siue abluere: sicut nec cupa plena aqua cui aliquis insistit, potest dici hunc abluere. De tertio & quarto probatur, quia non potest concipi fieri lotio nisi aqua allidatur corpori, quia in mutuo vtriusque contactu per motum facto, seu in quadam collisione consistit ablutio. quidquid autem conceperis non concipiendo hanc collisionem, non concipis ablutionem: nec hæc collisio potest concipi, nisi concipias mutuum contactum.

Probatur Secundò, quia illa ablutio est essentialis, quæ per formam necessariò significatur: atqui forma significat ablutionem, & quatenus est actio ministri; vt patet in nostra forma, Ego te baptizo: & quatenus est receptio aquæ in corpore baptizati, vt patet ex eo quòd in ea debet exprimi persona baptizati; cuius non videtur alia ratio quàm iam dicta. Secundò, quia nostra forma æquiualet huic: Tu baptizaris à me, vt patet in forma Græcorum: atqui in hac expressè significatur dicta aquæ receptio: ergo hæc est de intrinseca ratione baptismi.

ARTICVLVS V.

Vtrùm hæc sit conueniens forma baptismi. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti?

ARTIC. V. docet hanc esse legitimam formam baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Probat 32 Primò, ex institutione Christi Matth. 28. *Matth. 28.* vbi præcipit discipulis, vt baptizent omnes in nomine Patris, &c. Secundò, ex conueniencia. quia conueniebat in forma baptismi exprimi causam principalem, scilicet Deum trinum & vnum: cuius trinitas exprimitur trium personarum inuocatione; & vnitas essentiæ in eo quòd non dicitur In nominibus, sed In nomine, id est virtute & inuocatione Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quorum vna est essentia, virtus & inuocatio.

In responsione ad quartum docet vnum posse simul plures baptizare (quamuis sine necessitate hoc faciendum non sit) plures tamen non posse simul vnum baptizare. de quo videbimus infrà.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in nomine Christi posset dari baptismus?

ARTIC. VI. docet baptismum non posse 33 dari in nomine solius Christi. Probat ex institutione Christi, & auctoritate Pelagij Papæ, qui sic baptizatos docet sine dubitatione rebaptizandos, c. *Si re vera.* de consecr. d. 4. *Pelagius Papa.*

In responsione tamen ad primum docet baptismum olim ex Christi dispensatione fuisse validè collatum in nomine solius Christi, quod satis est difficile, vt videbimus.

DVBIVM.

Quæ verba sint de essentia formæ baptismi, ita vt sine iis inualidè conferatur?

34 *Bellarm. Suarez Vasquez.*

OLim varij fuere errores circa formam baptismi, quos fusè referunt D. Bellarmin. l. 1. de baptis. c. 3. Suarez hîc disp. 21. sect. 3. Vasquez disput. 142. c. 1. Sed quia iam penitus desierunt, non est opus iis recensendis immorari.

Hæretici nostri temporis.

Hæretici verò huius temporis, communiter quidem contentiunt formam, qua Ecclesia vtitur, esse legitimam: multi tamen putant eam non esse necessariam. Et sanè sequitur ex communi eorũ fundamento, quia existimant Sacramenta non aliter iustificare aut prodesse suscipientibus, quàm excitando fidem, quod quibuslibet verbis fieri potest. hinc, vt refert Bellarm. suprà; Lutherus in sua Captiuitate babylonica c. de baptism. vult quibuslibet verbis validè dari baptismum, modò in nomine Domini detur, aut saltem suscipiatur, etsi impius minister det in nomine hominis. Quare etsi vulgò omnes vtantur legitima forma; quia tamen eam non putant necessariam, quidam quandoque particulares, vt illud ostendant, vel singulari fastu, aut diaboli spiritu agitati, legitimã formam omittunt, vt à fide dignis sæpe intellexi. Imò quidam Zuingliani, vt refert Bellarm. suprà, solebant baptizare *in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: imitari scilicet hac in re Arianos, qui hac forma significabant secundam & tertiam personam esse minores prima. Sed horum sententiam satis impugnauimus. q. 60. art. 7.

Bellarm. *Lutherus.* *Zuinglian. Bellarm.* *Ariani.*

35 *Persona ministri tripliciter potest exprimi.*

Præter horum errorem duæ sunt difficultates apud Catholicos. Prima est, qua ratione exprimẽda sit actio vel persona ministri. Pro qua Nota, personam ministri tripliciter posse exprimi. Primò, explicitè dicẽdo, *Ego te baptizo.* Et omnes fatentur hoc non esse essentiale. Secundò, directè quidem, sed implicitè tamen dicendo, *Baptizo te.* Tertiò, solùm indirectè, quatenus exprimitur actio ministri vt hic & nunc facta à ministro. Et de 2. & 3. est quæstio. Primò enim Innocent. in c. 1. de baptis. c. 2. §. 5. cum quibusdam Canonistis putat Latinũ baptizantem debere necessariò directè exprimere non solùm actum baptizandi, sed etiam personam ipsam baptizantis saltem implicitè dicendo *Baptizo te.* Quare etsi fateatur Græcos validè baptizare dicendo; *Baptizetur talis seruus Christi*, &c. negat tamen Latinum hoc modo validè baptizare. Sed hoc est contra communem sententiã DD. & apertè falsum. quia, vt ostẽdi suprà q. 60. a. 6. concl. 4. materia & forma essentiales Sacramentorum sunt eædem per totam Ecclesiam: quæ etsi possit sua prohibitione efficere, vt quis illicitè tali forma vtatur, non tamen potest efficere, vt vtatur inualidè. Quare peccat quidem moraliter Latinus vtens forma Græcorum, validè tamen baptizat.

Innocent.

36 *Scotus.*

Secundò, Sotus in 4. d. 3. q. vnica a. 5. videtur docere non esse necesse significari actionem, vt à ministro procedit, modò non dicatur non procedere à ministro. hinc ait hanc formam esse inualidam: *Baptizeris à Christo, & non à me.* contrà, hanc esse validam: *Baptizet te Deus*, vel *Christus*; siue *Baptizeris à Christo*, vel *Deo*, &c. Et sic vult intelligi formam Græcorum dum dicunt, *Baptizetur talis seruus Christi*, scilicet à Christo: & hoc quidem satis probabile est, quia, vt cum multis aliis testatur D. Thom. hîc a. 5. Græci vtuntur hac forma, vt ostendant Christum in omni baptismo baptizare. Fallitur tamen Sotus in eo quòd putet in forma Græcorum non significari actionem ministri, vt à ministro procedit. Nam cùm formæ Sacramentorum sint orationes practicæ, significant necessariò id quod hîc & nunc agitur, v. c. conferri gratiam per Sacramentum hîc & nunc collatum. Et hoc ipso quo pronuntians formam ponit simul ritum externum Sacramento essentialem, significat illum effectum conferri per actionem, quam de facto exercet. quod in omni oratione practica est verum. hinc hæ orationes: *Ille liber sit tuus; ille liber tibi datur; ille liber est iam tuus*, pronuntiatæ ab eo qui librum porrigit, & habet potestatem dandi etiam ministerialem, vt dispensator; idem omnino significant ac si diceretur, *Do tibi illum librum*: & consequenter significant actionem, vt hîc & nunc à tali procedentem.

Actio ministri debet significari, vt ab eo procedens.

Contra verò alij docent has formas esse inualidas: 37
Baptizat vel *baptizet te Christus* vel *Deus. Talis baptizetur à Christo* vel *Deò in nomine Patris*, &c. nisi addatur *per meam ablutionem*. Ratio eorũ est. Primò, quia putant aliàs non sufficienter significari actionẽ ministri. Per tales enim orationes significatur tota actio fieri à Deo vel Christo. Secundò, quia per illas significatur Deum aliquid facere in nomine siue cum inuocatione Patris, & Filij, & Spiritus sancti. quod ineptè dicitur.

Sed hæ rationes nihil conuincunt. Nam vtraque 38
sumit falsum. Pro quo Nota Secundò, eadem verba diuersis circunstantiis prolata, sæpe diuersa significare. Nam si ex cumulo in quo varij libri sunt diuersorum dominorum, accipiam vnum, & Ioanni cupienti à me discere quinam sint sui, eumdem dicendo, *Ille liber est tuus*; nullo modo significo me illũ ei donare. Contra si ex mea bibliotheca librum vnum accipiam, eúmque Ioanni tale donum petenti porrigam dicendo, *Liber ille est tuus*; secundùm cõmunem omnium sensum hæc oratio idem omnino significabit cum hac, *Do tibi hunc librum.* Item si quis accepisset à Principe mille aureos, vt eos suo iudicio in pauperes distribueret; vel potestatem vt tamquam Iudex delegatus, quibus vellet reis meritũ supplicium remitteret; & hoc publicè scireturr; tunc si reis precantibus veniã; aut pauperibus petentibus partem illius pecuniæ sibi in eleëmosynam dari, ille his aliquot aureos porrigendo; aut illis vincula soluendo diceret, *princeps dat tibi tot aureos*; aut *remittit tibi supplicium*: per hæc verba apud omnes qui eius potestatem nossent, idem significaret atque per hæc; *Ego nomine Principis, vt eius legatus, aut dispensator, do tibi hos aureos*; aut *remitto tibi supplicium.* Secùs omnino esset, si sciretur esse merus nuntius aut executor missus à Principe, vt certæ personæ daret tot aureos, aut remissum supplicium nuntiaret. Cùm igitur minister baptismi (idémque proportionaliter est de absolutione, & similibus Sacramentis) sit à Christo constitutus mysteriorum ac meritorum eius dispensator, vt habetur 1. ad Cor. 4. dum petenti baptismum aquam infundendo dicit, *Baptizat* vel *baptizet te Deus in nomine Patris*, &c. idem planè apud scientes mysteria christiana dicit, ac si diceret, Baptizat te Deus per me: siue, Per baptismum quem tibi confero, Deus te interiùs à peccatis abluit, siue abluat. Quare cum Soto probabiliùs credo, has formas: *Baptizet te Christus*, vel *baptizeris à Christo*, idem significare cum forma Græcorum, scilicet *Baptizetur seruus Christi*. Idemq; docent Henr. 1. 2. de Sacram. c. 3. & Suarez hîc d. 21. sect. 2. concl. 2. Grauiùs tamen peccaret qui prima & secunda forma teretur, quàm qui tertia: quia illæ sunt minùs vsitatæ in Ecclesia; & minùs est certum illas sufficere, cum aliqui id negent. Tertia autem forma saltem Græci vtuntur; & omnino est certum ex Concilio Florentino eam sufficere ad valorem Sacramenti.

Eadem verba ob diuersas circumstantias diuersa significans. *1. Cor. 2.* *Soto.* *Henricus. Suarez.*

40
Nota Tertiò, cùm minister dicit, *Baptizet te Deus*; Quid hæc imperium non dirigi propriè ad Deum (absurdum enim est hominem Deo imperare) sed ad ipsum effectum, vt à Deo hîc & nunc producatur; ea ratione

Quid verba significent, Baptizet te Deus.

D. Thom. *Scotus.*

qua ad res inanimes imperium potest dirigi. Quare non significatur per ea verba imperium propriè dictum (cuius capaces solùm sunt creaturæ rationales imperanti subditæ) sed eo modo loquendi significatur potestas quam minister habet, vt diuinam virtutem per collationem Sacramenti, infallibiliter applicet ad interiorem eius effectum producendum; siue significatur absoluta intentio, hic & nunc conferendi nomine Christi vel Dei ipsum Sacramentum; atq; ita re ipsa, licet nonnihil diuersimodè, idem significant, *Baptizat te Christus*, & *Baptizet te Christus*. Hinc patet Primò, etsi hoc verbum sit imperatiui modi, non tamen significare modo merè imperatiuo, alteri totam actionem iniungendo (quia sic non significaretur vllo modo actio ministri, & consequenter non valeret Sacramentum) sed per modum imperatiuum significatur, vt dixi, præsens effectus.

Patet Secundò solutio ad Primum argumentum nu. 37. allatum. Negandum enim est assumptum. Ad Secundum Respond. eo modo loquendi me non significare Deum aliquid facere cum inuocatione Trinitatis, sed meam actionem fieri cum inuocatione Trinitatis, & virtute tribus personis communi effectum Sacramenti produci.

41 Secunda difficultas est, Vtrùm ad essentiam baptismi necessaria sit explicita inuocatio trium personarum? In qua tres sunt opiniones Doctorum. Prima est, validum esse baptismum collatum in nomine Trinitatis implicitè, v. c. *in nomine Christi*, per quem significatur Pater qui eum vnxit, & Spiritus sanctus quo vnctus est. Ita videtur sentire S. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto c. 3. & ex eo Nicolaus Papa c. *A quodam Iudæo* de consecratione, d. 4. & alij. Ratio eorum est, quia Act. 2. v. 38. & cap. 8. v. 12. & c. 10. v. 48. & alibi, videntur Apostoli baptizasse in solo nomine Christi.

D. Ambros. Nicolaus Papa. Act. 2. & 20.

42 Secunda docet, iam quidem requiri explicitam Trinitatis inuocationem: olim tamen Apostolos baptizasse in solo nomine Christi, Deo scilicet singulariter dispensante, vt hoc modo nomen Christi redderetur illustrius. Fundamentum est ex locis citatis ex Actis. Ita D. Thom. art. 6. ad 1. & multi Thomistæ.

D. Thom.

Tertia docet, numquam baptismum validè fuisse collatum sine explicita inuocatione trium personarú.

43 CONCL. I. In baptismo necessariò exprimenda est in forma ipsa actio baptizantis. Ita Florentinum in decreto de Armenis, vbi rationem reddens cur valeat forma Græcorum ait: *Quoniam cùm principalis causa ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exteriùs Sacramentum, si ex primitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentum*; apertè insinuans si hic actus non exprimeretur, inualidum fore Sacramentum. Et clariùs Alexand. 3. c. 1. de baptismo, vbi ait: *Si quis puerum ter in aquam immerserit in nomine Patris; & filij, & Spiritus sancti, amen; & non dixerit, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: non est puer baptizatus.* Vbi non intendit hæc verba specificè sumpta, *Ego te baptizo*, esse de essentia Sacramenti (hoc enim est contra Florentinum suprà:) sed vel ea vel iis æquiualentia esse de essentia Sacramenti. Colligitur ex illo Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Vbi Christus non tantùm dat præceptum baptizandi, sed etiam describit ritum, quo debet baptismus conferri; atque ita verba hîc descripta continent formam baptismi: vt omnis Ecclesia tam græca quàm latina hunc locum semper explicauit, à qua sensus Scripturæ necessariò petendus est: aliàs per se nullus Scripturæ locus hoc conuincit. Quare hæretici, qui eadem baptismi forma nobiscum vtuntur, debent hîc traditionem admittere, quia aliunde hanc formam esse legitimam efficaciter probare nequeunt.

Actio baptizantis exprimenda. Florent. Alexand. 3. Florentin. Matth. vlt.

Ratio à priori est institutio Christi huius. autem ratio est, quia aliàs forma non haberet perfectum sensum, nec significaret lotionem animæ, cùm possit talis immersio fieri refrigerationis causa. Potest autem hic actus significari, vel actiuè, *Baptizo te*: vel passiuè, *Baptizor a me*, aut *Baptizetur seruus Christi*, &c. vt patet ex forma Græcorum, & dictis suprà. 44

Nota, etsi non sit facilè faciendum, validè tamen pro *Baptizo* dici *lauo*, *abluo*, *intingo*, quia synonyma sunt: vt Suarez d. 21. sect. 2. & alij communiter tenentur. Idem videtur dicendum de *mergo*, siue *immergo*. quia *baptizo* id propriè significat; & omnino ei æquiualet *intingo*. Quia tamen aliqui dubitant, nihil temerè hic innouandum est. *Suarez.*

CONCL. II. Non est necessarium directè exprimere personam ministri. Patet ex forma Græcorum, quæ eam directè non exprimit. ita enim baptizant: *Baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris*, &c. quam tamen Florentinum in decreto de Armenis, docet esse validam. Vnde patet, multò minùs requiri ad essentiam Sacramenti in nostra pronomen *Ego*, quia clarè subintelligitur sub verbo Baptizo. Ob consuetudinem tamen Ecclesiæ non licet illud omittere. Si quis tamen omitteret sine vllo contemptu, tantùm peccaret venialiter, quia est materia parua, nisi forte oriretur scandalum. ita Vasquez d. 142. n. 30. & Soto in 4. d. 3. q. vnica a. 5. §. *quoad ji.* 45 *Quomodo persona ministri sit exprimenda. Florentin. Vasquez. Soto.*

Nota tamen, aliquo modo quasi remotè & directè debere semper significari personam ministri. quia debet in forma saltem implicitè significari, hâc actionem externam proficisci à ministro. Ratio est, quia formæ Sacramentorum sunt orationes practicæ, & debent significare quod faciunt. Etsi autem solus Deus physicè producat gratiam, non tamen sine illa externa ablutione, quæ moraliter ad productionem gratiæ concurrit. Vnde Florentinum suprà requirit, vt exprimatur actus qui per ipsum exercetur ministrum innuens debere exprimi quatenus ab eo exercetur. Patet ex dictis initio Notabili secundo. Hinc etsi hæ formæ valeant, *Baptizetur Ioannes*, &c. aut *Baptizet te Christus*, &c. non tamen valerent si sumerentur aut merè imperatiuè, qualis esset hæc: *Baptiza Ioannem*, &c. aut merè optatiuè, qualis esset hæc: *Vtinam baptizet te Christus*; si baptizans nulla ratione intenderet significare ablutionem vt sacramentaliter à se procedentem; sed tantùm alteri imperare baptizationem: aut à Christo internam ablutionem petere sine vllo respectu ad suum actum, tanquam ad instrumentum internæ ablutionis. Quia tunc forma non haberet connexionem cum materia, nec eam determinaret, nec conficeret cum ea vnum signum spiritualis effectus; sed vtrumque quasi per accidens se haberet ad alterum. Sicut si porrigerem alicui librum dicendo, *Detur tibi ille liber*: aut *Vtaris in posterum feliciter illo libro.* si intendam significare per hæc verba me porrigere librum animo donandi, per ea verba donatio perficitur: secùs si ea merè deprecatoriè aut imperatiuè proferam. Imò non sufficeret ministrum velle ita significare suum actum, nisi verba externa per se, vel ratione adiunctorum, vel circumstantiarum habeant vere hîc & nunc vim illud significandi. Quia non est in potestate ministri quiduis per quæuis verba significare. vt ostendi quæst. 60. art. 8. dub. 1. Quare duabus vltimis formis non videtur posse validè baptizari. 46 47 *Florent.*

CONCLVS. III. Debet etiam exprimi persona baptizanda. Est communis DD. & colligitur ex illo Matth. vlt. *Baptizantes eos*, &c. & ex cap. 1. de baptismo, citato concl. 1. 48 *Persona baptizanda debet exprimi. Matth. vlt.*

Ratio est, quia sicut materia siue ablutio debet versari circa certam personam; ita etiam forma. Aliàs enim nimis confusè significaret suum effectum, nec

perfectum omninò haberet sensum, siue Latinorum, siue Græcorum forma quis vtatur.

49 Varié hoc fieri potest. Nota Primò, posse baptizandum exprimi vel per pronomen *te*, aut dignitatis causa, *Vos*. Sic enim loquendo magnatibus aliqui solent dicere *Vos*, pro *tu*. aut quando plures simul baptizantur, dicendo, *Baptizo vos* id est, *te & te*; aut per verbum passiuum secundæ personæ, *Baptizaris a me*: aut per nomen proprium, *Baptizo Petrum*: aut per appellatiuum, *Baptizo tuam dominationem*, aut *Baptizatur hic seruus Christi*, &c.

50 Nota Secundò, tunc sufficienter significari personam baptizandam, quando forma significat ablutionem ferri circa præsentem, etsi baptizans erret in nomine aut persona: vt putas esse Petrum, cùm sit Ioannes: aut puerum, cùm sit puella: nisi restringeret suam intentionem ad talem personam, & nolle eam extendere ad aliam. quod esset communiter graue peccatum: vt dixi quæst. 64. art. 8. dub. 4.

51 Ex his patet nostram formam esse meliorem forma Græcorum: quia baptizantem, ciusque actum, ac baptizatum certiùs exprimit; quod saltem est expediens: & satis in ea explicatur baptizantem non baptizare suo nomine, sed vt ministrum, dum dicit se id facere *in nomine Patris*, &c.

52 Expressio trium personarum est essentialis. *Matth. vlt.* CONCLVSIO IV. Ad essentiam baptismi necessaria est explicita inuocatio trium personarum, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Patet ex Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Vbi ex communi omnium Patrum & totius Ecclesiæ consensu traditur nobis baptismi forma. Vnde in can. 49. Apostolorum improbatur baptismus datus in morte Christi; vbi dicitur; *Non enim dixit Christus, In morte mea baptizate eos: sed, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Vbi expressè Apostoli damnant baptismum datum in nomine solius Christi, siue in morte Christi. hæc enim idem sunt. Quare incredibile est eos vnquam hoc modo baptizasse.

Florentin. Pelagius Papa. Idem etiam expressè docet Florentinum in decreto de Armenis. item Pelagius Papa, c. *Sicuera*, &c. *Multi sunt*, de consecr. d. 4. expressè docet nullum esse

Zacharias Papa. baptismum datum tantùm *in nomine Christi*. Et Zacharias Papa c. *In Synodo Anglorum*. de consecr. d. 4. docet nullum esse baptismum, si vel vna persona omittatur. Idem docent plurimi Patres quos citaui ex parte suprà q. 60. art. 7. concl. 1. & fusè citat P. Vasquez hîc d. 143. c. 3.

Vasquez.

Quare trium personarum expressio sit necessaria. Ratio à priore est institutio Christi: conuenientia est, quia baptismus est Sacramentum fidei, quo in Ecclesiam ingredimur: vnde conuenit ipsum per expressam trium personarum inuocationem dari; sicut necessarium est volentem Ecclesiam ingredi, tres personas explicitè credere & confiteri. vt Zacharias suprà. Nam sicut saluari non potest qui vnam personam non vult confiteri: ita nec potest valere baptisma, in quo vna persona omittitur.

53 *Nicolaus Papa.* Ad auctoritatem autem Nicolai Papæ relatam in cap. *A quodam Iudæo*, Respond. Eum tantùm definire id quod erat interrogatus, scilicet quòd Iudæus validè posset baptizare; & per accidens, vt priuatum doctorem suam sententiam addere, scilicet valere baptismum datum in solo nomine Christi, inductum auctoritate Ambrosij, qui fortè in ea etiam fuit sententia ob quædam loca Actorum initio dubij citata. In eadem sententia fuerunt quidam alij Patres sed auctoritates suprà allatæ iis præponderant: præsertim cùm loca Scripturæ quibus mouentur, id nullo modo probent, vt ostendam infrà. Alij conantur verba Ambrosij & Nicolai commodè interpretari, sed est difficilè, nisi iis vim inferas. Quare omnino verisimile est Nicolao I. dum illa scriberet, non occurrisse quid super ea re Pelagius & Zacharias definierant, aliàs enim nunquam aliud contra eorum definitiones docuisset. Quod enim aliqui respondent, hos Pontifices nihil voluisse hac de re definire, non videtur probabile: quia vnus diuersè respondet ad quæstionem sibi propositam; alter verò confirmat decreta Synodi particularis: quibus casibus communiter DD. censent Pontifices definitiuè loqui.

Quando Pontifex censetur definitiuè loqui.

Nota, controuersum esse inter DD. Vtrùm baptismus validè conferatur, si vtamur verbis æquiualentibus his, *In nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti.* Quia in re præcipua difficultas est de hac forma: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, geniti & procedentis ab vtroque.* Hæc enim videtur omnino esse synonyma cum communi. Quare Caiet. hic a. 5. & Victoria de baptismo p. 14. docent eam valere. Probatur, quia omnibus aliis verbis sacramentalium formarum validè substituuntur synonyma: ergo etiam his, quia non potest reddi ratio diuersitatis.

54 Quibus nominibus personæ debeant exprimi. *Caietan. Victoria.*

Contrà tamen D. Thomas hîc art. 5. & ferè communiter DD. negant eam formam valere, aut vlla synonyma dictis personarum nominibus posse substitui. Huius tamen rei difficilè possunt reddere rationem. quare varias varij adferunt. Plurimæ verò in hanc coincidunt, quòd per alia omnia nomina aut minùs expressè, aut alia ratione personæ significentur, quàm significantur per nomina communia, scilicet *Patris & Filij & Spiritus sancti.* Sed cùm ex communi Latinorum vsu *genitus* & *genitus* idem significent quod *Pater* & *Filius*, & *procedens ab vtroque* idem quod *Spiritus sanctus*, videntur omnino synonyma: & parum videtur facere ad rem vnde significatio nominis sit desumpta, modò eadem omnino res significetur. Quia *tingo* & *lauo* diuersimodè lotionem significant, & tamen secundùm omnes sunt synonyma, & validè mutuò substituuntur in forma baptismi. Quare cum Suarez hic d. 21. sect. 4. Resp. Primò, speculatiuè loquendo hanc formam, *In nomine geniti & genitis & procedentis ab vtroque* videri validam. Quia communi ferè sensu omnes intelligentes latinè per hæc verba clarè personas diuinas intelligunt, & satis videntur earum proprietates exprimi. Etsi enim procedere sit commune respectu processionis Filij & Spiritus sancti; tamen cùm additur præcedentibus verbis, ex communi vsu sumitur pro processione Spiritus sancti propria & distincta à processione Filij: maximè cùm dicitur procedere ab vtroque: quod Filio non conuenit. Similiter nomen *Spiritus sancti* etiam commune est Patri & Filio, & solo vsu tertiæ personæ proprium. Nec contra hanc conclusionem sunt argumenta quæ multùm premant.

55 *Suarez.*

Respond. Secundò, tamen in praxi esset graue peccatum consueta nomina mutare, & sic baptizatus esset rebaptizandus sub conditione, ob communem sententiam in contrarium, quæ hîc magni est momenti. Quia non nisi per traditionem ex communi Ecclesiæ & doctorum sensu cognitam possumus Christi institutionem cognoscere, à qua tota hæc res pendet; qui sine dubio potuit nolle aliis verbis Sacramentum perfici, quàm quibus communiter in professione fidei Trinitatis secundùm proprium nationis cuiusque idioma solemus vti. Quia cùm hoc sit Sacramentum fidei, quod suscipiendo quasi primum in facie Ecclesiæ fidem nostram profitemur; decebat hoc fieri verbis explicatissimis, & communi vsu receptissimis. Et hoc argumento vt omnino firmo probat communem sententiam Vasquez hîc d. 144. c. 3. v. 10. Sed si abstrahamus ab auctoritate Doctorum eam affirmantium, illud argumentum summùm probaret, hoc potuisse conuenienter à Christo institui, non autem fuisse ita institutum. quia æquè conuenienter ob alias causas Christus potuisset aliter instituere.

56 *Vasquez.*

Respond.

Respond. Tertiò, Hæ formæ, *Baptizo te in nomine ingenitis & geniti, siue imaginis & doni*; item *in nomine potentiæ, sapientiæ, & boni*; etiam speculatiuè loquendo, sunt vt minimum dubiæ: quia non satis expresè sunt synonymæ cum vsitata forma: quia aut imperfectè, aut obscurè, & nonnisi apud doctos personarum proprietates explicant. Esse enim ingenitum non statim indicat aliquam esse Patrem; vt patet in angelis. Similiter cetera tantùm per quandam appropriationem certis personis conueniunt, cùm secundùm suam significationem sint multis communia: vt nomen *doni* secundæ & tertiæ personæ: ac nomina *potentiæ, sapientis* & *boni*, tribus personis communia sint.

58 *in nomine est essentiale, nec habet synonymum.*

Concl. V. Ad essentiam baptismi necessarium est vt dicatur *in nomine*; non autem *in nominibus*. quia significaretur non esse eandem essentiam & virtutem omnium personarum. Sicut enim in baptismo confitenda est explicitè personarum trinitas; ita etiam essentiæ vnitas, dicendo, *in nomine*, id est, in virtute, auctoritate, diuinitate, inuocatione, *Patris*, &c. Hæc enim omnia possunt significari per illud, *in nomine*. Quod dum in singulari ponitur, significatur hæc omnia in tribus personis esse eadem. Quare non videtur posse dari aliquod aliud nomen huic planè synonymum: & consequenter valdè esset dubius, & saltem sub conditione repetendus baptismus datus his verbis: *Ego te baptizo in virtute*, vel *in auctoritate*, vel *sub inuocatione Patris*, &c. Valeret tamen baptismus datus *in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus sancti*. quia talis repetitio per se sensum non mutat; atque ita nihil obest. Sicut idem omnino est si dicam, *Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus*. ac si dicam, *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus*. nisi quis peruersè hæc intelligat, & hac repetitione velit significare pluralitatem essentiæ. Forma tamen consueta semper vsurpanda est.

59 Nota, quosdam putare hanc formam esse validam, *Ego te baptizo in vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum*: vel, *in vno Deo Patre & Filio & Spiritu sancto*. Quia cùm *in* sæpè accipiatur pro *per*, significatur illa forma Deum esse vnius essentiæ, & causam principalem ipsius baptismi. Sed hoc non ausim asserere. Primò, quia *in* non significat clarè idem quod *per*. Secundò, quia etiam si ponatur expresè *per*, dicendo, *per vnum Deum Patrem*, &c. non ausim dicere baptismum esse validum. Quia *in nomine*, in communi forma plura (vt ostendi) significat, quàm in hac forma significari possunt. atque ita eæ formæ non sunt synonymæ.

60 *Comitolus.* Hinc patet Primò, minùs validam esse formam, qua (vt refert P. Comitolus l. 1. respond. moral. q. 10.) quædam baptizauit filium suum dicendo: *Ego te baptizo cum Patre, cum Filio, & cum Spiritu sancto*. quia nullo modo exprimitur vnitas essentiæ. Nam ad hoc non est satis quòd Christianus sciens me esse Catholicum, & videns me ita baptizare, intelligeret me velle vnum Deum in tribus personis inuocare. quia Christianus videns sacerdotem aqua perfundentem puerum, dicendo, *in nomine Patris, & filii & Spiritus sancti*; satis intelligit eum velle baptizare; & tamen baptismus est nullus: quia non dicit, *baptizo te*. Imò etsi quis diceret, *Ego baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; si tamen omitteret *te*, nihil ageret, cùm tamen omnes intelligerent eum intendere baptizare præsentem infantem. Quanto igitur magis est necessarium exprimere *in nomine*?

Ariani. Patet Secundò, peruersam omnino esse hanc formam quorumdam Arianorum: *In nomine Patris per Filium in Spiritu sancto*. quia apertè significatur diuersitas essentiæ: quod etiam illi significare intendebant.

61 Concl. VI. Non est improbabile propositionem *in*, non esse de essentia formæ: & consequenter eius omissionem non violare Sacramentum. Idem enim omnino est sensus siue dicas *in nomine*, siue, *nomine Patris*, &c. Imò *in* videtur tantùm per hebraismum adiungi, sicut quando dicimus, *credo in Deum, pulso* vel *cano in cithara*, quæ phrasi hebræa idem significant quod *Credo Deum*, & *cano cithara*: & idem in hac propositione, *In nomine*. quia Latini sic non solent loqui. Similiter nec impedit Sacramentum si omittatur coniunctio, *Et*, dicendo. *In nomine Patris, Filij, Spiritus sancti*. quia satis vsitato loquendi modo subintelligitur; nisi quis eam peruersa intentione omitteret, vt significaret confusionem personarum. Quare quidam docent horum omissionem esse materiam leuem, & tantùm peccatum veniale. Quod multò magis dicendum est de omissione nominis *ego*, in forma latina; quia sufficienter intelligitur dum dicitur, *Baptizo*: & dictionis *Amen*; quia nihil facit ad perfectam formæ significationem. Ita Henriqu. l. 2. de baptis. c. 8. n. 6. *Henriquez.* citans alios. Sotus tamen in 4. d. 3. a. 5. & alij, volunt *Soto.* grauiter peccare omittentem *in*, vel *ego*. Quare sanè grauiter reprehendendus esset, qui ea sponte omitteret: non tamen credo iterandum fore baptismum. Vide P. Comitolum lib. 1. respons. moral. q. 9. *Comitolus.*

62 Conclvs. VII. Baptismus nunquam fuit validè collatus etiam tempore Apostolorum, *in nomine solius Christi*. Ita Suarez disp. 21. sect. 3. Bellarm. l. 1. de bap- *Suarez. Bellarm.* tis. c. 3. & alij. Probatur Primò, quia quæ ex Christi institutione sunt de essentia alicuius Sacramenti, nullius hominis authoritate possunt mutari: atqui explicita inuocatio trium personarum est talis; vt patet concl. 4. ergo nullius hominis auctoritate potest omitti.

Respondent aliqui, Christum cum Apostolis initio dispensasse, vt baptizarent in solo nomine Christi: tum vt nomen Christi hoc modo magis illustraretur: tum etiam quia non conueniebat initio mysterium Trinitatis ita clarè propalari. Sed nullum est fundamentum asserendi talem dispensationem. Nam & rationes allatæ nullius momenti sunt, nec alia probabilis adferri potest. Quia etiam tunc temporis baptizandi debebant explicitè credere Trinitatem: & nomen Christi poterat sufficienter illustrari si Apostoli baptizarent *in nomine Patris, & Filij eius Iesu Christi, & Spiritus sancti*: vt aliqui putant eos fecisse.

63 *Actor. 19.* Probatur Secundò, quia Actor. 19. cùm Paulus quosdam interrogasset an accepissent Spiritum sanctum, illique respondissent, se non audiuisse an Spiritus sanctus esset: petiit iterum ab iis Paulus, in quo ergo essent baptizati, & responderunt, Baptismate Ioannis. Vbi Paulus omnino supponit, nemini posse Christi baptisma conferri, sine expressa inuocatione Spiritus sancti, & consequenter omnium personarum. Aliàs si solitus fuisset conferri baptismus *in nomine solius Christi*; ineptè coniecisset Paulus eos non esse hoc baptismo baptizatos, ex eo quòd non audiuissent an sit Spiritus sanctus.

Respondent aliqui hunc locum nihil probare. quia etsi tunc fuisset collatus baptismus in nomine solius Christi; debuissent tamen baptizandi priùs instrui in fide Trinitatis, & ita nosse Spiritum sanctum: præsertim cùm post baptismum soleret statim conferri Spiritus sanctus per Confirmationem. Sed hæc non satisfaciunt. quia secundùm illa, ex eo quòd illi non audissent quidquam de Spiritu sancto, non debuisset Paulus inferre non fuisse baptizatos baptismo Christi, sed indebitè hunc suscepisse & nō fuisse confirmatos: atque ita non debuisset Paulus dicere, *in quo ergo baptizati estis?* (hæc enim interrogatio secundùm communem modum loquendi supponit eos debuisse baptizari in eo, quem dicebant se non audiuisse) sed debuisset dicere, Quo-

In non est de essentia.

modo ergo tam malè instructi, estis baptizati? Adde sæpè etiam tunc propter absentiam Episcopi solitam differri Confirmationem, quod apertè hic etiam innuit Apostolus. Nam supponit esse baptizatos, & interrogat, an sint confirmati.

64 Respondetur ad loca Scripturæ. *Act. 8. & 10.*

Ad loca autem quæ ex cap. 2. 8. & 10. Actorum solent citari, vbi dicitur Apostolos baptizasse in nomine Christi, Resp. hoc variis modis à Patribus & Scholasticis intelligi. Primò, quòd Apostoli inter baptizandum secundæ personæ adderent nomen Iesu Christi, dicendo: *In nomine Patris, & Filij eius Iesu Christi*, &c. Secundò, quòd *in nomine* ibi nō significet propriè, inuocationem Christi, sed fidem in Christum, & merita Christi in baptismo operatiue: vel Tertiò, simplicissimè, vt baptizari in nomine Christi idem sit ac baptizari auctoritate Christi, siue baptismo à Christo instituto. Sic D. Iacobus cap. 5. epist. *Iacob. 5.* suæ iubet infirmos vngi oleo *in nomine Domini*, id est, vnctione à Christo instituta, & in Sacramentum eleuata. Et hic sensus apertè colligitur ex Actorum 19. *Act. 19.* vbi *baptizari in nomine Christi* D. Lucas opponit baptismati Ioannis: ac si idem esset baptizari in nomine Christi, & baptizari baptismate Christi.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm immersio in aqua sit de necessitate Baptismi?

65 ARTIC. VII. agit de materia propinqua baptismi, scilicet, ablutione; docetque ad essentiam baptismi sufficere quamuis ablutionem, siue fiat per immersionem baptizandi in aqua, siue per infusionem vel aspersionem aquæ super baptizandum: in praxi tamen seruandum esse modum in quaque Ecclesia pro tempore vsitatum. Ita etiam docet Catech. Trident. de baptism. §. 13. probatq; ex vsu Ecclesiæ, qui hac in re semper varius fuit. Vnde patet nullum modum essentialem esse. Idem olim docuit D. Cyprian. l. 4. epist. 7. vel secundùm aliam collectionem epist. 76. §. *Quæsiuisti*. Sic etiam, vt legitur in eius vita, D. Laurentius instante martyrio olim baptizauit sola aspersione aquæ. Nec credibile est Apostolos, cùm, vt habetur Actor. 2. tria millia, & c. 4. quinque millia vno die baptizarunt, singulos immersisse aquæ, maximè Hierosolymæ, vbi id fuisset difficile ob raritatem aquæ, nisi in publica aliqua piscina id fecissent. quod non videtur credibile. Ratio conclusionis est; quia ex Christi institutione, vt patet Matth. vlt. & Ioan. 3. tantùm requiritur ablutio in aqua: ad rationem autem ablutionis perinde est an infusione an immersione fiat. Quòd si aliquando Patres aliqui dicant necessariam esse immersionem, intelligendi sunt esse necessariam non ad valorem Sacramenti, sed ratione consuetudinis Ecclesiæ, quæ initio fere vtebatur mersione.

Catechism. Trident. *D. Cyprian.* *D. Laur.* *Matt. vlt. Ioan. 3.*

66 Dices, Per baptismum, vt patet ad Roman. 6. debemus configurari sepulturæ Christi: ergo necessaria est immersio qua quasi in sepulchro condimur sub aqua. D. Thomas ad 2. respondet etiam per infusionem aquæ figurari sepulturam. quia aliqua pars corporis tegitur aqua, sicut sepultus terra, minùs tamen perfectè quàm per immersionem. Respondeo, 2. nos ideo propriè dici per baptismum configurari morti & sepulturæ Christi: quia per eum vetus homo noster moritur, & in ista aqua quasi sepelitur: vt patet expressè ex contextu Apostoli. ad hoc autem inpetrinens est an baptismus fiat immersione, an infusione.

Rom. 6. Quomodo baptizati configurantur sepulturæ Christi. *D. Thom.*

DVBIVM I.

Vtrùm aliquis possit baptizari ea ablutione, qua occiditur?

67 SCotus in 4. d. 5. q. 3. art. 8. propos. 2. Siluester verbo *Baptismus* 4. n. 8. & alij, docent quando baptismus fit immersione, ad eius valorem necessarium esse, vt baptizans intendat baptizatum ex aqua educere: atque ita si quis de ponte aliquem puerum proijceret in aquas suffocandum, & pronuntiaret formam baptismi cum intentione verè baptizandi, baptismus esset nullus. Hoc autem varij variè probant. Primò, quia ibi non esset vera ablutio, quæ requirit vt id quod immergitur aquæ, mergatur cum animo educendi: vt patet in communibus ablutionibus. Secundò, quia ablutio baptismalis ex sui institutione refertur ad vitam; hæc autem intendit ad mortem. Tertiò, quia per baptismum configuramur non tantùm morti ac sepulturæ Christi, sed etiam resurrectioni, ad quod requiritur ipsa emersio ex aqua. Quartò, quia oportet vt baptizans mediatè vel immediatè attingat baptizatum, vt possit dici eum abluere. neutro autem modo eum attingit, qui eum in flumen proijcit. *Scotus. Soto. Siluester.*

68 Validè baptizatis etsi simul submergatis. *Panormit. Vasquez. Valentia.*

Sed contrarium, scilicet talem verè baptizari, est verius. ita Panormit. in cap. *Non vt apponeres*. vbi refert eum casum aliquando contigisse. Suarez hic disp. 20. sect. 3. Vasquez d. 145. c. 3. Valent. disp. 4. q. 1. puncto 2. Faucet etiam Gabriel in 4. d. 4. q. 2. a. 3. dub. 4. quia solvit omnia argumenta contraria. Probatur, quia hic est debita forma & intentio conferendi Sacramentum, vt supponitur in ipso casu; & est etiam ablutio necessaria ad valorem Sacramenti: ergo est validus baptismus. Antecedens probatur, quia ita proijciens verè illidit corpus aquæ, ita vt ipsa per corpus moueatur, dum hoc per motum eam intrat, idque etiam tali modo vt si corpus esset sordidum, verè abluereturr: ergo hîc est vera ablutio. omnis autem ablutio facta à ministro est sufficiens materia baptismi.

69 Ad Primum argumentum contrarium negandum est assumptum: vt patet ex dictis. & confirmatur, quia qui sordida pecora proijciunt in aquas verè ea lauant secundùm communem modum loquendi, & tamen non intendunt ea educere, sed permittunt ea per se enatare. quòd autem hæc per se enarent, est per accidens ablutioni, quæ solùm dicit motum aquæ circa corpus ex se conuenientem ad abstergendas sordes. quare etsi pecora submergerentur, non minùs dicerentur abluta. Quòd autem communiter abluentes ea quæ non possunt per se emergere, aquæ immergamus cum animo educendi, non ideo fit quia aliàs non esset ablutio, sed quia aliàs res ipsas perderemus quas cupimus saluas.

Ad Secundum Resp. ablutionem baptismi ex se tendere ad vitam spiritualem, non autem ad corporalem. Aliàs qui puerum valdè ægrotum baptizando aquæ frigidæ immergerer, atque ita ei mortem causaret, inualidè eum baptizaret: quod est apertè falsum.

70 Quomodo baptizati configurentur resurrectioni Christi. *Gabriel. Rom. 6.*

Ad Tertium Resp. secundùm Apostolum ad Rom. 6. sicut in baptismo configuramur morti Christi, ita peccatis morimur: ita propriè configuramur resurrectioni, quia spiritualiter regenerari incipimus Christo viuere: vt clarè patet ex toto contextu Apostoli. Quod autem quidam Patres dicunt nos in baptismo per ipsam mersionem & emersionem configurari sepulturæ & resurrectioni Christi, mysticum est, nec secundùm sensum literalem Apostoli, nec necessarium est ad baptismum. Aliàs dum quis baptizatur per immersionem non perficeretur baptismus,

mus, donec egrederetur ex aqua, etiamsi per vnum diem in ea maneret. quod est falsum.

Ad Quartum Resp. eum qui proiicit alterum in aquam sufficienter eum attingere, vt per se paret. quia aliàs non posset proiicere. Pater etiam ex responsione ad primum in lauante pecora.

71 Nunquam licet aliquē baptizando occidere.

Nota Primò, secundùm communem Doctorum sententiam eiusmodi baptismum omnino esse illicitum, etiam eo casu quo puer iam iam certò moriturus aliter baptizari non posset. Quia ea proiectio est directa occisio innocentis iure naturæ & diuino prohibita: nec facienda sunt mala vt eueniant bona. Patitur tamen ratio simul ac sententia difficiles aliquas obiectiones. Primò quia in bello miles oppugnans ciuitatem licitè suffodit vnam turrim, quando hoc ad victoriam est necessarium, etsi certè sciat se eius casu obruendum. Secundò, licitè diriguntur tormenta ad euertendas hostiles munitiones etiam in eam partem vbi innocentes vi positi sunt, cum certo eorum interitu. Et similiter licet mihi, quando aliter non possum euadere mortem, occidere inuasorem, etiam si necessariò eodem ictu innocentem quo ille se protegit, debeam occidere. Item possum imminentem mihi ab hoste mortem fugere, etsi id facere nequeam sine certo periculo vitæ obuij pueri, quem equus cui insideo conculcabit, aut in profluentem deturbabit: vt cum aliis docet P. Leonardus de Iustitia cap. 9. dub. 9.

Licitè sæpè aliquis tam sibi quàm alteri est causa mortis per accidens.

Iustus.

72 Grauida licitè sumit medicinā cum periculo prolis.

Tertiò, mulier grauida licitè sumit aliquam medicinam directè sanitati suæ conducentem cum certo periculo prolis etiam animatæ, quando aliàs necessariò tam ipsa, quàm proles antequam posset in lucem edi aut baptizari, essent morituræ: vt idem docet suprà dub. 10. cùm tamen in his omnibus casibus occidatur innocens. Et ratio est, quia etiamsi numquam liceat occidere innocentem ex directa intentione; tamen sæpè licet facere aliquam actionem necessariam ad alium finem honestum quem intendimus consequi, etsi ex ea necessariò sequatur interitus innocentis. Quia etsi tunc physicè loquendo hîc & nunc cum tali actione coniuncta sit occisio innocentis, atq; illam exercens necessariò sit huius causa: tamen moraliter loquendo occisio est planè per accidens coniuncta cum illo opere: tum quia nullo modo neque vt medium, neque vt finis est inuenta ab exercente illud opus, qui omni modo cuperet eam abesse: tum quia ille non tenetur hic & nunc omittere illam actionem ne occisio sequatur, atque ita non censetur huius moralis esse causa. Similis autem videtur ratio proiicientis puerum iam iam certò moriturum in puteum vt eum baptizet, quando aliàs nullus superest modus eum ante mortem baptizandi. quia talis non intendit occidere puerum (quia vellet omnibus modis eius vitam conseruare, si posset sine æternæ salutis damno fieri) sed directè intendit baptismum pueri, nec vult proiectionem, nisi quatenus ad illum est medium hîc & nunc necessarium, cui occisio per accidens est coniuncta, & consequenter proiiciens non est moralis eius causa, nec ei moraliter est voluntaria.

Innocens nunquam directè, indirectè aliquando licitè occiditur.

73

74 Dices, Vna eademque actio hîc est baptizatio pueri & eiusdem submersio; nec hæc possunt hic & nunc disiungi: ergo nemo potest velle efficaciter vnum sine altero, aut esse causa vnius, nisi etiam sit causa alterius. Resp. negando consequentiam, loquendo de causa morali; quia similiter vna eademque explosio tormenti est causa subuersionis mœnium, & occisionis innocentis; & tamen hæc non censetur explodenti voluntaria, nec hic est moralis illius causa. Quia etsi physicè disiungi nequeant, tamen in intentione facilè disiunguntur: eademque videtur ratio in ea proiectione pueri; imò hæc videtur magis licita, quia est puero valdè vtilis, cùm hoc modo æternam vitam consequatur & nullo modo damnosa, cùm sine ea nihilominus esset statim moriturus. quòd autem vno quadrante horæ fortè citiùs moriatur, nullius æstimationis est in puero non vtente ratione. Hinc si posset cognoscere quid sibi per illam proiectionem fiat, reputaret se accipere magnum beneficium. quia certum omnino est, posito quòd baptismus ille sit validus (quod suprà verum esse ostendimus) sine comparatione melius esse illi puero ita baptizari, quàm sine baptismo adhuc paululum superuiuere. Secùs omnino est in iis qui tormento occiduntur, qui magnum damnum inuiti patiuntur.

Hæ rationes faciunt hanc rem nonnihil difficilem, propter eas tamen non est recedendum à communi sententia. Ad eas igitur Respond. esse diuersam rationem in hac proiectione, atque in aliis dictis actionibus, quia his secundùm se consideratis omnino per accidens coniuncta est occisio innocentis. Nam sine hac posset eadem numero explosio fieri, si illi innocentes abessent; & similiter eadem esset fuga, si puer à via abesset; & mulier illa idem pharmacum sumeret, etsi non esset prægnans. Quare illis actionibus per accidens est quòd tales in iis circumstantiis positi sunt; vt sine eorum occisione ille actiones fieri nequeant. Secùs est de proiectione illa pueri, quæ secundùm se considerata, & seclusis omnibus extrinsecis circumstantiis fieri naturaliter nequit sine pueri occisione. Quare qui eam vult, necessariò vult occisionem pueri, nec potest vnam ab alia præscindere efficaci volitione. 75

Idemque est respondendum ad illam quæstionem, quando parturiens est statim moritura, & est euidens periculum ne infans sine baptismo in vtero moriatur: Vtrùm liceat matrem consentientem adhuc viuam secare vt possit puer baptizari. Respondendum enim est negatiuè secundùm omnes Doctores, quia illa sectio est directa occisio matris. Mortua autem statim secanda est; vt puer baptizari possit si adhuc viuat.

Non licet secare viuā matrem vt infans baptizetur.

Nota Secundò, posito casu quòd baptizandus ita esset infirmus vt non posset ferre illam aspersionem aquæ sine periculo vitæ, dispurari ab aliquibus, Vtrùm posset baptizari? Sed Resp. Primò cum Scoto in 4. d. 5. q. 3. & Gabriele ibidem d. 4. q. 2. art. 3. dub. 4. illum casum videri impossibilem; quia exiguæ aquæ aspersio, præsertim si nonnihil tepida sit, nullo modo potest saltem notabiliter nocere sanitati ægroti. quare irrationabiliter præsumitur fore periculosam ipsius vitæ. Resp. Secundò cum Vasquez d. 145. n. 25. Etsi fortè posset aliquo casu metaphysico accidere vt illa aspersio esset periculosa vitæ baptizati; illud tamen periculum esset tam rarum, parum ac incertum, vt nullius momenti sit, nec in considerationem humanam debeat venire: nec ideo baptismum ita necessarium esse omittendum; præsertim cùm propter bona temporalia multò maioribus periculis quis se licitè sæpè exponat. Imò cum magno merito sæpè quis propter Deum subit eos labores, per quos moraliter constat eius vitam abbreuiari. 76

Scotus. Gabriel.

Vasquez. Moribundi baptismus non debet omitti ob periculum ne ægroto noceat.

DVBIVM II.

Qualis ablutio requiratur ad baptismum quoad quantitatem?

77 NOta Primò, nos hîc non quærere de ablutione requisita vt debitè fiat baptismus; ea enim ad hoc requiritur quæ secundùm communem & decentem vsum cuiusque Ecclesiæ pro eo tempore est vsitata: sed de ea quæ necessaria est ad valorem baptismi.

78 Nota Secundò, duplicem hîc esse difficultatem. Prima est circa partem corporis abluendam. An scilicet sufficiat quamuis minimam partem abluere. Qua in re conuenit inter Doctores, Primò necessarium esse vt corpus baptizati secundùm aliquam sui partem tangatur ipsa aqua, atque ita nullo modo posse baptizari puerum ita adhuc vtero matris conclusum, aut corio insutum, vt nulla ratione ab aqua possit attingi: secùs esset si iam natus esset solis secundinis inuolutus, vt docet Siluester verbo *Baptismus* 4. nu. 2. quia hæc pellis est quædam pars corporis, & ob eandem causam sufficeret capillos madefieri aqua, etsi ob eorum densitatem aqua carnem non tangeret: vt docet Vasquez d. 145. nu. 31. Secùs est de vestibus, quia non sunt pars corporis.

Baptizandus debet necessario secundùm aliquã corporis partẽ immediatè ablui. *Siluester.*

Vasquez.

79 Secundò, constat necessariam esse & sufficere eam ablutionem à qua homo verè potest dici lotus: quia Christus præscripsit vt homo baptizaretur siue lauaretur; non tamen præscripsit certum modum quo deberet lauari. Vnde sequitur omnem eum modum sufficere à quo homo verè potest dici lotus.

Requiritur ablutio, à qua quis dicatur ablutus.

Tertiò, constat sufficere si lauetur caput, pectus, vel similis aliqua pars principalis. quia ablutione talis partis secundùm communem loquendi vsum homo dicitur lotus.

80 Tota autem difficultas est, Vtrùm sufficiat quamuis partem lauari v. c. extremum digitum manus, vel pedis. Quidam id asserunt, quia anima, quæ per baptismum mundatur à peccato originali, est tota in minima corporis parte: ergo sufficienter in quauis abluitur. Citantur pro hac sententia Scotus in 4. d 4. q. 3. Gabriel ibidem q. 2. a. 3. d. 2. Siluest. verbo *Bapt.* 4. q. 1. n. 2. Sed hi auctores tantùm docent in extrema necessitate, v. c. si puer solum digitum exerat ex vtero matris, & sit euidens periculum ne moriatur antequam perfectè nascatur; posse tunc eum in digito baptizari: dubitant tamen an baptismus sit validus, dicuntq; postea perfectè natum sub conditione rebaptizandum. Nec si benè legatur, aliud docet D. Thom. infrà q. 68. a. 11. ad 4. Idem etiam docet Durand. in 4. d. 6. q. 1. a. 1. circa medium: in fine tamen articuli tale argumentum sibi obiicit: Baptismus ordinatur ad remissionem peccati originalis, quod est in ipsa anima: atqui ipsa anima est tota in quauis parte ipsius corporis: ergo baptismus æqualiter potest conferri in qualibet parte corporis: & ita finit articulum. Vnde videtur totum admittere. Sed hoc argumentum nihil conuincit; quia anima non est baptizanda, sed ipse homo. quare necessariò ita baptismus conferendus est vt homo possit dici ablui. Dictam autem sententiam absolutè asserit Vasquez d. 145. n. 28. Ratio eius est, quia sicut homo verè dicitur vulneratus, in quacumque parte corporis vulneratus sit: ita etiam dicitur ablutus, si vel minima pars corporis aqua aspergatur. Sed hæc ratio meo iudicio parum probat: quia sumit id quod probandum est, scilicet à quacumque parte corporis aqua consperſa posse dici hominem ablutum: quia videtur contra communem modum loquendi. Communiter enim non solemus dicere cum esse lotum, qui extremam partem digiti nonnihil aqua madefecit, vt patet ex communi loquendi modo. Alia autem est ratio vulnerationis, cuius nulla alia ratio reddi potest, nisi communis loquendi vsus.

Scotus, Gabriel. Siluester.

D. Thom. Durand.

Vasquez.

81 Secunda difficultas est, Vtrùm ad essentiam baptismi sufficiat hominem quantumuis parua aquæ quantitate aspergi?

Vasquez, Henriquez.

Vasquez suprà n. 32. & Henriq. l. 2. c. 21. n. 1. id affirmant, quia si vel gutta vna aquæ quis aspergatur, verè dicitur aspersus; ergo etiam ablutus, quia quæuis aspersio est ablutio. Sed hoc aliis videtur nonnihil durum, nec communiter solemus ità loqui.

Alij verò putant in necessitate sufficere ad essentiam baptismi, si minima gutta aquæ quis aspergatur extra eam tamen non sufficere. Sed hoc non est probabile. quia si illa aspersio est sufficiens vt homo possit verè dici ablutus, tunc erit semper verus baptismus siue in necessitate, siue extra eam: quia necessitas non mutat naturas rerum, nec efficit vt aliquid sit vera ablutio, quod aliàs non esset. Si autem ad hoc non sufficiat, numquam erit verus baptismus. quia baptismus essentialiter est ablutio. 82

Eadem sunt de essentia Sacramenti in necessitate & extra eam.

Dices, Quando est impossibile plura confiteri, ad valorem Sacramenti sufficit eum qui mille parrauit, dicere vnum solum peccatum mortale. quod aliàs tamen non sufficeret: ergo similiter ad valorem baptismi sufficiet minor ablutio in necessitate, quàm extra eam. Resp. negando consequent. Quia quòd talis confessio valeat non prouenit ex eo quòd vno casu illa confessio sit sufficiens materia Sacramenti; aliàs verò non (nam si aliud nihil obstaret valori Sacramenti, quouis casu, vel vnius peccati vera confessio esset sufficiens materia Sacramenti) sed quia vno casu reliqua peccata sine nouo peccato omittuntur; alio casu cum peccato: & consequenter in confitente deest dispositio ad valorem Sacramenti requisita: vt dicemus in propria materia.

Quare in necessitate sufficiat minor confessio quàm aliàs: non tamen minor ablutio.

83 Ex his patet Primò, notabili aquæ quantitate baptizatum in capite pectore, aut simili præcipua parte corporis non esse rebaptizandum. quia secundùm communem modum loquendi & DD. sententiam, talis est verè ablutus, & certè baptizatus.

Patet Secundò, vrgente necessitate quando aliter fieri non potest, etiam in extremo digito aliquem baptizandum, etiam vna gutta aquæ, quando plus haberi nequit. Quia saltem aliquo modo probabile est talem baptismum, valere. quia non est certum eum à tali ablutione non posse verè dici ablutum, præsertim cùm saltem vt probabile, id multi asserant: & necessitas excusat ab omni irreuerentia, quæ in Sacramentum propter vsum materiæ dubiæ aliàs committeretur, & cogat nos extrema tentare.

Patet Tertiò, ita baptizantem extra grauem necessitatem grauissimè peccare. tum quia facit contra ritum baptismi ab Ecclesia præceptum: tum quia vtitur materia dubia: exponitque se periculo ne inualidè conferat Sacramentum.

Patet Quartò, ita baptizatum postea, si superuiuat, sub conditione esse rebaptizandum. quia incertum est an sit verè baptizatus.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm trina mersio sit de necessitate baptismi?

84 ARTIC. VIII. docet ad essentiam baptismi sufficere vnam mersionem vel infusionem aquæ: ratione tamen præcepti Ecclesiastici, quod pro diuersitate temporum & locorum varium fuit, nos obligari vel ad vnam, vel ad trinam mersionem aut infusionem, prout consuetudo Ecclesiæ pro tempore præscribit.

Vnica lotio sufficit.

Probatur, quia ad essentiam baptismi tantùm requiritur ablutio ad quam impertinens est, an vna an trina mersione fiat.

Probatur Secundò ex consuetudine Ecclesiæ, quæ ob diuersas rationes occurrentes modò vsa est vnica mersione, modò triplici: vt patet ex D. Gregorio lib. 1. epist. 41. & refertur cap. *De trina.* de consecrat. d. 4. & ex Concilio Toletano 4. cap. 5. & aliis.

D. Greg. Concil. Tolet. 4.

85 Sunt hæc quidem iam satis certa apud omnes Docto-

Doctores. Difficultas tamen est, vt respondeamus quibusdam auctoritatibus, quæ obiiciuntur. Nam Primò in can. 49. Apostolorum dicitur: *Si quis Episcopus aut presbyter non trinam mersionem huius mysterij celebret, sed semel mergat in baptismate quod dari videtur in Domini morte, deponatur.* Secundò, Pelagius Papa relatus cap. *Multi sunt.* de consecr. d. 4. ait: *Multi sunt qui in nomine sanctæ Christi vna etiam mersione se asserunt baptizare. Euangelicum verò præceptum ipso Deo & Domino nostro Iesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis trina etiam mersione sanctum baptisma vnicuique tribuere.* Adstipulantur his multi Patres, qui asserunt Apostolicam esse traditionem, vt ter in baptismo mergamur.

Pelagius Papa.

86 Resp. Ex his nihil aliud probari quàm hoc fuisse olim ob certas causas ab Apostolis præceptum; quod fatemur. Sed potuit ob alias causas hoc præceptum abrogari ab Ecclesia. Probatur, quia Apostoli ibi directè tantùm intendant damnare hæreticos qui baptizabant in solo nomine vel morte Christi; vt patet ex primis eorum verbis: & in horum hæreticorum odium videntur ita strictè præcepisse triplicem mersionem, non quidem, vt essentialem, aut à Christo institutam: sed tanquam ritum ab Ecclesia præceptum. Nam rationem sui præcepti reddentes subdunt: *Non enim dixit Dominus, In morte mea baptizate: sed, Euntes, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* in quibus verbis nulla fit mentio triplicis mersionis. Et similiter intelligendus est Pelagius; quia ex eadem occasione idem intendit definire, & similiter suam definitionem probat. nam subdit: *Dicente Domino, Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Quare illa verba, *trina etiam mersione*, non sunt ita accipienda, quasi hoc à Christo sit præceptum (hoc enim nullo modo ex verbis Christi, quæ citat, colligi potest) sed quia expressio trium personarum à Christo præcepta est, cui satis conueniens est trina mersio, & ex præcepto Ecclesiæ tunc erat necessaria. Postea tamen Conc. Toler. 4. c. 5. vt refelleret hæreticos quosdam qui trina illa mersione aliquid falsum significabant, iussit in Hispania baptismum vnica mersione conferri.

Trina mersio olim fuit præcepta.

Pelagius Papa.

Conc. Toler.

D. Thom. Nota, aliquos ob responsionem D. Thomæ hîc ad 3. putare, quando minister intendit non perficere Sacramentum, ante tertiam ablutionem, illud priùs non perfici, etiamsi forma priùs sit absoluta, & sufficiens posita sit ablutio, vt per eam posset perfici baptismus si minister hoc intenderet. Sed hoc dici nullo modo potest: quia etsi possit Sacramentum pendere ab intentione ministri, vt absolutè ponatur aut non ponatur: non tamen potest ab ea præcisè pendere, vt citiùs aut seriùs ponatur. Quia minister sua intentione nec potest efficere, vt maior requiratur ablutio ad essentiam Sacramenti, quàm ex Christi institutione requiritur: nec posita iam sufficienti, materia & forma potest suspendere esse Sacramenti, ita vt non statim, sed paulò post ponatur: vt fusè ostendi suprà qu. 64. a. 8. Quare si quis velit baptizare trina mersione, debet formam ita pronunciare, vt hanc non priùs absoluat quàm tertiam ablutionem posuerit, prout etiam in ritualibus præscribitur. Si enim eam absoluat prima ablutione, statim perficitur baptismus, si legitima sit intentio; & reliquæ ablutiones sunt omnino impertinentes & otiosæ. Quòd si absolutè intenderet non baptizare nisi per tres ablutiones, & tamen priùs formam absolueret, inualidè baptizaret, non secùs atque is qui baptizat sub conditione futura contingente. Est enim eadem vtriusque ratio: vt patet ex dictis quæst. 64. art. 8. Imò si posset hoc modo validè conferri baptismus, ipsum Sacramentum posita sufficienti materia & forma verè penderet de facto à conditione futura contingenti: quia tertia ablutio esset conditio contingenter futura; cùm sit in ministri potestate eam ponere, aut non ponere: atque ita implicitè verè confertur baptismus sub conditione futurâ contingenti. quod communiter omnes fieri posse negant.

Non potest minister pro voluntate suspendere Sacramentum.

87

Nolens baptismū perfici ante tertiam ablutionem nihil agit, si priùs formam absoluat.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm Sacramentum baptismi iterari possit, an non?

ARTIC. IX. docet baptismum non posse iterari. Est de fide. ex Concilio Lateranensi cap. *Firmiter* Florentino in decreto de Armenis, & Trident. sess. 7. c. 11. Probatur, quia ad Ephes. 4. dicitur: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Ex quo loco Patres communiter docent hominem non nisi semel posse baptizari: vt Leo Papa epist. 37. ad Leonem Episc. Rauennatem cap. 1. vbi docet inexpiabile esse sacrinus, quoties *cogitur aliquis lauacrum quod regenerandis semel tributum est, bis subire: apostolica reclamante sententia, quæ nobis vnam prædicat in Trinitate deitatem, vnam in fide confessionem, vnum in baptismate Sacramentum.* Et epist. 79. ad Nicetam c. 7. ait: *Hanc regulam (vt scitis) seruandam omnibus Ecclesijs prædicamus, vt lauacrum semel initum, nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Idem docet Ambros. l. 2. c. 2. de pœnit. vbi cùm docuisset ex c. 6. ad Hebræos nos tantùm semel posse baptizari, subdit: *Vnum ergo baptismum docet, sicut alibi: Vna fides, inquit, vnum baptisma.* Cui consonat illud Symboli: *Confiteor vnum baptisma*, &c. Quare hic sensus non contemnendus, etsi literaliter Apost. præcipuè loquatur de vnitate specifica, vt ostendemus art. 11. Item ad Heb. 6. dicit Apost. *impossibile esse semel illuminatos renouari ad pœnitentiam.* Quod ferè communiter Patres intelligunt de illuminatione & renouatione per baptismum. Ita Ambros. suprà, & alij, quos fusè hic citat Suarez: aliàs semel baptizatos posse per contritionem & confessionem sæpius consequi remissionem peccati, patet ferè ex infinitis Scripturæ locis. Quamuis autem si hic locus per se spectetur non omnino conuincat; quia alij eum aliter explicant: suppositâ tamen Patrum eam ita explicantium auctoritate, id quod dixi satis efficaciter probat; præsertim cùm ipse contextus capitis, si diligentiùs examinetur, hunc sensum etiam innuat. Ratio à priore est institutio Christi nobis per Apostolum & Ecclesiam explicata. Conuenientia est. Primò, quia baptismus est spiritualis nativitas, vt dicitur Ioann. 3. quare sicut non nisi semel potest quis nasci corporaliter; sic nec spiritualiter; ideóque vtpotè mortuus, si vitam recipiat, non renasci, sed resuscitari dicitur. Secundò, quia baptismus imprimit indelebilem characterem. quare si sæpiùs validè repeteretur, plures similes characteres eidem homini imprimerentur: quod superfluum & inconueniens est, cùm vnus ad finem ad quem institutus est sufficiat. Hinc non solùm illicitè sed omnino inualidè secundò confertur. Sicut enim vt quis sit capax reliquorum Sacramentorum necessariò debet habere characterem baptismi: ita vt sit capax baptismi debet hoc carere. Consonat his communis & Patrum & totius Ecclesiæ sensus. & quanquam olim multi fuerint, partim Catholici, partim hæretici, qui dicebant rebaptizandos eos qui ab hæreticis essent baptizati, eo quòd crederent inualidè baptizatos: tamen vix vlli fuerunt qui validè baptizatos crederent secundò baptizari posse, & saltem iam nulli sunt. quare hæc res longiore disputatione non indiget.

88 *Lateran. Florent. Trident. Ephes. 4.*

D. Leo.

D. Ambr.

Suarez.

89 *Quare baptismus nequeat iterari.*

Ioan. 3.

DVBIVM I.

Qua ratione baptismus iterari potest circa eos, de quibus dubitatur an sint ritè baptizati?

90 De baptismo alicuius variè dubitari potest.

NOta, hoc dubium posse esse varium. Primò enim potest de aliquo dubitari an vllo modo sit baptizatus: quia prorsus nullæ sunt rationes quibus id possit, vel verisimiliter probari; quamuis nec vllæ sint, quibus contrarium probari possit. vt si reperiatur puer alicubi expositus sine vllo testimonio, de quo nullo modo scitur an sit natus ex parentibus fidelibus; & vocatur dubium merè negatiuum. Secundò, quando vtrinque sunt probabiles coniecturæ, quibus possit probari aliquem esse baptizatum, aut non esse baptizatum, & neutra pars potest certò probari; & vocatur dubium positiuum. Tertiò, quando constat aliquem esse baptizatum, incertum tamen est, an baptismus fuerit validus: aut quia sunt probabiles rationes suspicandi baptizantem non habuisse legitimam intentionem necessariam ad essentiam Sacramenti: aut quia incertum est an forma aut materia, quibus baptizans vsus est, fuerint validæ: quia diuersæ sunt opiniones DD. vt si quis fuerit baptizatus in solo digito. quamquam aliqui negent hoc casu dici dubium baptismum, sed volunt dici probabilem; est tamen quæstio de nomine hìc non necessaria, quia ij ipsi fatentur idem dicendum esse in hoc casu quod in præcedentibus.

91 Baptismus dubius sub conditione iterandus.

CONCLVSIO I. Quoties vno ex prædictis modis est verè dubium aut incertum, vtrùm aliquis sit verè baptizatus, debet iterum sub conditione rebaptizari, hoc modo: Si baptizatus es, ego te non baptizo; si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c. Ita expressè *Alexand. 3. Carthag. 5. Leo 1.* Alex. 3. c. 2. de baptismo. & Conc. Carthag. 5. c. 6. Leo I. epist. 37. ad Leonem Epist. Rauennatem, & communiter omnes Scholastici. Ratio est, quia nisi hoc fiat, alter est in periculo grauissimi damni, quod pateretur, si fortè baptizatus non sit, quia nullum aliud Sacramentum poterit validè suscipere, atque ita sine contritione nunquam iustificabitur. & ex tali actu nulla Sacramento fit irreuerentia: tum quia verè non est intentio illud iterandi, sed tantùm illud conferendi, si non fuerit antè collatum: tum quia necessitas baptizandi illum actum ab omni irreuerentia, quæ aliàs esset, omnino excusat: sicut quando conferrur Sacramentum in materia dubia.

92 Propter scrupulos non est iterandus.

Dixi, quando est *verè dubium aut incertum*, &c. quia quando nulla est probabilis causa dubitandi quin aliquis sit verè baptizatus, sed tantùm sunt leues aliqui scrupuli; hi reiiciendi sunt, nec vllo modo reiterandus est baptismus etiam sub conditione. Ita ex communi DD. sententia docet Catechismus Rom. *Catech. Trident.* siue Trident. p. 2. c. 2. de baptism. §. 43. dicitque aliàs grauem fieri Sacramento iniuriam. Ratio est, quia illa conditionata iteratio baptismi sine iusta causa facta videtur esse quædam irrisio siue contemptio ipsius Sacramenti, quod essentialiter postulat tantùm semel suscipi: atqui quando non est verè dubium siue incertum, quin aliquis sit verè baptizatus, non potest esse iusta causa illum rebaptizandi etiam sub conditione:

93 ergo talis reiteratio sit cum iniuria Sacramenti. Confirmatur Primò, quia si quis etiam sub tali conditione rebaptizaret eum, de quo omnino esset certus eum esse baptizatum, sine dubio peccaret, & esset iniurius in Sacramentum. Nam secundùm communem hominum æstimationem censeretur aut velle absolutè secundò baptizare, & tantùm ioco, aut ne posset tanquam Anabaptista accusari, conditionem voluisse apponere, aut in re grauissima voluisse iocari. Sicut si dicerem: Do tibi hunc librum si die crastino sol non oriatur; censerer aut conditionem ioco tantùm apposuisse, aut nihil voluisse aliud quàm iocari: quorum vtrumque in tali rebaptizatione est contra reuerentiam Sacramenti: atqui quando non est probabilis ratio dubitandi quin aliquis sit baptizatus, moraliter loquendo debet dici certò baptizatus, quia aliàs vix vlla actio humana posset dici certa. quia circa omnes ferè possunt huiusmodi scrupuli moueri: ergo eum iniuria Sacramenti talis ita rebaptizatur. Confirmatur Secundò, quia sine graui necessitate non possumus vti materia aut forma dubia in Sacramentis, etiam conferendo ea sub hac conditione. Si forma aut materia sint legitimæ: quia nimirum exponimus nos periculo conferendi inualidè Sacramentum: atqui hoc etiam fit in dicto casu: ergo hoc non licet sine graui necessitate. Talis autem, cuius baptismus non est moraliter incertus, non potest dici esse in tali necessitate: alioquin quiuis posset dici esse in tali necessitate, cùm sine reuelatione non possit nobis metaphysicè constare quòd sumus baptizati, cùm possit baptizans habuisse illegitimam intentionem.

94 A Christianis natus & educatus omnino præsumitur baptizatus.

Hinc patet Primò, eum quem constat fuisse natum & educatum vsque ad iustam aliquam ætatem inter Christianos & à parentibus Christianis, postea nunquam esse ita rebaptizandum, nisi clarè probetur non esse baptizatus: etiamsi nullus sit qui possit de eo testari, quod sit baptizatus: vt si v.c. omnes eius parentes ac noti, loco in quo natus fuit omnino combusto, fuerint ab hostibus occisi, & ipse non meminerit se vnquam ab aliquo audiuisse, se esse baptizatum. Ita expressè Innocent. III. cap. *Veniens.* de presbytero non baptizato. & communiter Doctores. *Innocent. III.*

Baptizati ab obstetricibus non debent semper rebaptizari.

Patet Secundò, eos quos constat ob necessitatem, aut aliam causam domi ab obstetricibus, parentibus, aut aliis laicis esse baptizatos, non esse sine vllo alio examine sub dicta conditione rebaptizandos: sed primò examinandos esse eos qui ipsos baptizarunt, vtrùm legitima materia & forma vsi sint: & quòd si legitimis vsi reperiantur, solas cæremonias omissas supplendas esse. Si verò deprehendatur saltem rationabile dubium an aliquid essentiale baptismo defuerit (vt si is qui baptizauit, non satis calleat formam) tunc sub cõditione rebaptizandos esse. Ita Catechis. Roma- *Catechis. Roman. Soto. Suarez.* nus p. 2. c. 2. §. 43. Soto in 4. d. 3. art. 9. Suarez hìc disp. 31. sect. 6. & communiter ferè Doctores. Rario est, quia aliàs nulla esset probabilis ratio verè dubitandi de validitate baptismi, atque ita deberet haberi moraliter certa.

95

Nora tamen Primò, in quibusdam Episcopatibus, in libris ritualibus Pastoribus præscribi, vt baptizatos in necessitate ab obstetricibus vulgò rebaptizent. Prælati autem interrogati cur hoc statuant; respondent se hoc facere, quia sæpe deprehendunt obstetrices non satis certò & firmiter callere rationem baptizandi: aut etiamsi dum examinantur bene respondeant & videantur eam callere, tamen dum vrget tale periculum prolis, facilè turbari, ita vt postea vix sciat an legitimè baptizarint; atque ita semper aliquod subesse periculum, quod in re tanta maximi faciendum est, & sufficiens videtur causa, vt possit proles sub conditione rebaptizari. Sed quamuis hæc ratio possit sæpe habere locum, quoties scilicet examinata obstetrix deprehenditur aut non satis callere formam essentialem baptismi; aut ob perturbationem non satis scire an bene baptizarit, quod facilè ex eius responsionibus deprehendi potest: tamen non videtur sufficere, vt generatim sine vllo examine tales rebaptizentur: quia sæpe potest contingere, vt obstetrix deprehendatur ita nosse ritum baptizandi, itáque fuisse inter baptizandum sibi præsens, vt non sit ratio dubitandi de valore baptismi.

96

Simili ratione quidã olim in Belgio sub conditione

Quando baptizati ab hæreticis sub conditione rebaptizand. sint.

rebaptizabant omnes baptizatos ab hæreticis : quia credebant esse dubium an ipsi ritè baptizassent. Et ratio dubij potest esse, quia etsi hæretici vtantur communiter legitima forma & materia ; tamen tum quia in se nequam sunt ; tum etiam præcipuè quia non putant baptismum esse necessarium ad salutem, aut eum non aliter prodesse baptizato, quàm excitando & confirmando eius fidem, quod per eum quocumque modo collatum, aut etiam per concionem æqualiter fieri potest : parum quandoque curant qua ratione conferatur. Hinc à multis audiui, in Anglia quosdam Prædicantes, dum baptizant proles nobilium, vti aqua rosacea, aut etiam aspergere solas vestes prolis, ne ei aliqua ratione molesta sit aqua frigida corpori aspersa. Item magnificentiæ causa quibusdam locis aliquando Prædicans formam baptismi ex sede concionaroria pronunciat, & iubet alium puerum aqua aspergere. Et quidem si cõstet ita collatum baptismum; etiam absolutè, nulla posita conditione, reperendus est : quia certum est non valere. Item si probabiliter præsumitur ita esse collatus, omnino sub conditione reperendus est. Quia tamen eiusmodi casus valdè rari sunt, sine iusta ratione præsumendi non sunt accidisse, & minùs prudenter generatim præsumuntur accidere. Quare non iudicarim baptizatos ab hæreticis sub conditione rebaptizandos : nisi particularis ratio occurrat suspicandi malè fuisse baptizatos, cùm de fide sit eos validè baptizare posse.

97 Conc. Carthagin. Nati à Christianis inter barbaros quãdo rebaptizandi.

Nota Secundò, quod Concil. Carthag. 5. c. 6. docet, infantes qui nesciunt an sint baptizati, quando non sunt certissimi testes qui id testentur, esse sub conditione baptizandos ; non esse generaliter intelligendum : sed de iis qui à barbaris omnino infantes à parentibus abrepti sunt ; ita vt non possit vllo modo sciri an ante baptismum, an post eum abducti sint. Nam de iis Concilium loquitur, vt patet ex fine capitis; aut saltem de iis qui à parentibus expositi sunt sine vllo testimonio quòd sint baptizati. Nam si constaret tales iusto tempore à parentibus fidelibus educatos fuisse, omnino præsumendi etiènt esse baptizati, iuxta dicta coroll. 1. nisi iusta esset ratio suspicandi contrarium : vt si parentes scirentur habitasse inter infideles, nec habuisse apud se vllos sacerdotes nisi rarissimè, & solitos filiorum baptismum differre in aduentum alicuius sacerdotis, aut quid simile. Tunc enim qui nullo modo posset certò scire an esset baptizatus, posset sub conditione baptizari : vt tamen crederetur baptizatus, sufficeret vnus testis, qui id se certò scire testaretur, & de quo non esset probabilis suspicio quòd mentiretur. Ita D. Leo epist. 37. vbi ait: *Cum itaque baptizatum se nec ille recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit*, &c. Vbi clarè insinuat sufficere, vt vnus testetur esse baptizatum, ne rebaptizetur. Idémque docet Suarez hîc disp. 22. sect. 2. sub finem. Et sic intellige Concil. Carthag. dum videtur requirere plures testes. loquitur enim respectiuè, quòd requirantur plures testes pro diuersis testimoniis & temporibus. Nam in hac re vnus testis fide dignus sufficit, vt quod sibi notum est testetur; nisi probabilis esset suspicio illum mentiri : vt si multùm è re ipsius esset credi talem esse baptizatum. quod posset accidere, quando inde penderet valor aut irritatio matrimonij.

Vnus testis sufficienter probat baptismum. D. Leo.

Suarez. Conc. Carthagin.

98 Nota Tertiò, quando quis sub conditione publicè baptizandus est, seruandam esse formam præscriptam cap. 2. de baptismo, scilicet : *Si es baptizatus, te non baptizo. si non es baptizatus, ego te baptizo* &c. In priuato tamen baptismo sufficeret hanc conditionem in intentione retinere : quia conditio ita retenta apud Deum idem operatur quod expressa. quamuis ob reuerentiam baptismi melius sit eam semper exprimere;

99 Nota Quartò, satis constare inter DD. quando baptismus validè fuit collatus, sed sine solemnibus cæremoniis, has postea supplendas esse. Dubitant tamen an posito casu quòd baptismus fuisset collatus cum debita solẽnitate, sed secundùm substantialia inualidè ob defectum intentionis aut formæ ; an inquam deberent repeti cæremoniæ dum ille secundò conferretur. Quidam id asserunt. ita D. Anton. to. 14. cap. 13. §. 12. Et prob. quia baptismus non potest extra necessitatem sine illis cæremoniis conferri : vt patet ex Trident. sess. 7. can. 13. de Sacramentis in genere : atqui nulla tunc est necessitas omittendi eas cæremonias: ergo omitti nequeunt sine peccato.

D. Anton. Trident.

100 Suarez. Cæremoniæ non necessariò simul cum baptismo adhibẽtur.

Sed dicendum est cæremonias semel adhibitas non esse repetendas. Ita Suarez hîc d. 31. sect. 6. §. *Septimò inquiri potest*. Probatur, quia etsi hæc cæremoniæ sint propter baptismum, vt honorificentiùs conferatur, institutæ, ideóque conueniat, vt eodem tempore adhibeantur, quo baptismus celebratur : tamen hoc non est absolutè necessarium. Nam sæpe diu post adhibentur, quando baptismus sine iis fuit priùs collatus; & nihilominus quia adhibentur cum respectu ad baptismum, cenſentur simul cum eo conferri : quare idem non dicamus quando diu antè præcedunt, cùm ex iis cæremoniis plures ex institutione sua magis requirant præcedere baptismum, quàm eum sequi? Confirmatur, quia Innocent. III. capit. 1. de Sacramentis non iterand. docet in Sacramentis imprimentibus characterem quando aliquid omissum est, nihil esse iterandum, sed illud cautè supplendum. Et tamen loquitur etiam in eo casu, quo in Confirmatione aliquid essentiale omissum erat : vt ostendam quæst. 72. art. 3. dub. 1.

Innoc. III.

101 Conclvsio II. Quando quis, eo quòd eius baptismus dubius sit, potest licitè sub conditione rebaptizari, is qui aliàs teneretur eum baptizare, tenetur petentem sub conditione rebaptizare. Ratio est, quia talis habet tali casu ius petendi baptismum à suo Pastore : ergo hic tenetur ei ex instituto eum dare, sicut alia Sacramenta. Ad hoc enim ex officio obligatur.

102 Vnde sequitur Primò, parentes eo casu teneri eum infanti procurare. quia tenentur ei procurare remedia saluris.

Sequitur Secundò ; quemuis etiam laicum ex caritate teneri talem petentem ita rebaptizare, eo casu quo ob instantem necessitatem id facere licitè potest. Quia cùm talis sit in notabili necessitate (graue enim malum est tali casu incertum esse de suo baptismo) quiuis qui commodè potest tenetur ex caritate ei succurrere.

Dubitant autem aliqui ; An similiter adultus qui incertus est an sit validè baptizatus, præsertim quando in materia, vel forma dubia est baptizatus ; ita vt vtrimque sint probabiles DD. tententiæ : teneatur curare se iterum sub conditione baptizari.

103 Dubitãs an sit baptizatus illicitè alia Sacramenta suscipit.

Concl. III. Talis absque graui causa, non potest suscipere vllum aliud Sacramentum, nisi priùs sub conditione rebaptizetur. Probatur, quia aliàs exponit se periculo inualidè recipiendi Sacramentum, si fortè non sit baptizatus : quod sine graui necessitate illicitum est. Nec eum excusat quòd probabile sit eum baptismum esse validum. Sicut extra necessitatem conferens Sacramentum in materia dubia, non excusatur à sacrilegio, ex eo quòd probabile sit materiam esse sufficientem.

104 Dubius de suo baptismo tenetur rebaptizari.

Concl. IV. Qui incertus est an sit validè baptizatus, etiam in eo casu in quo probabiles sunt sententiæ Doctorum ; tenetur ex caritate sui procurare sibi baptismum sub conditione conferendum. Probatur, quia tenetur ex caritate sui vitare probabile periculum æternæ damnationis : atqui tali ad hoc necessarium est saltem instante periculo mortis curare se ita

baptizari; ergò ad hoc tenetur. Minor probatur, quia est probabile talem non esse verè baptizatum: & certum est non baptizatum sine contritione non saluandum, saltem extra martyrium. quia nullum Sacramentum validè potest suscipere. Item communiter nobis dubium est, an habeamus veram contritionem. Imò credo talem instante morte vix posse habere veram contritionem, & simul nolle ita baptizari, cùm facile possit. quia contritio necessariò procedit ex amore Dei super omnia, qui nos efficaciter inclinat ad quæuis aliquo modo probabilia æternæ damnationis pericula vitanda; præsertim quando hoc facilè fieri potest. Vnde sequitur eum nolendo ita baptizari, exponere se probabili periculo moriendi sine contritione, & consequenter æternæ damnationis. Quòd si tamen certò sciret se esse in statu gratiæ, ad illud non teneretur præcisè ex caritate sui, quamuis posset obligari ratione aliorum Sacramentorum, quæ nisi ita baptizetur, illicitè suscipit.

105 Pœna rebaptizantium. Nota demum tam rebaptizantem eum quem constat esse baptizatum, quam rebaptizatum iure ciuili plecti pœna mortis vt patet ex lib. 1. & 2. Codic. *Ne sanctum baptisma iteretur.* Iure autem Ecclesiastico plectuntur irregularitate, de qua tamen est magna difficultas, quam commodiùs examinabimus in tractatu de irregularitate.

ARTICVLVS X.

Vtrùm ritus quo Ecclesia baptizando vtitur, sit conueniens?

106 D. Thom. ARTIC. X. docet ritus baptismi conuenienter ab Ecclesia adhiberi. quod D. Thom. satis clarè explicat. Si quæ autem possit hìc occurrere difficultas, explicabitur q. 71.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm conuenienter describantur tria baptismata?

107 Est vnicus baptismus proprièdictus. ARTIC. XI. docet dari tria baptismata, scilicet aquæ, flaminis, & sanguinis. Vbi Nota Primò, solum primum esse Sacramentum, & vere ac propriè dici baptismum: reliqua tantùm metaphoricè dicuntur baptismata, quia nimirum in necessitate, baptismi defectum supplent, eius effectum conferendo quando eum præcedunt. quòd si eum sequantur, non dicuntur baptismata; quia baptismi vicem non supplent, sed potiùs vicem pœnitentiæ, cuius effectum conferunt.

108 Baptismus est vnus specie infima. Nota Secundò, aliquos hìc disputare, Vtrùm baptismus sit vnus specie infima. Sed res omnino clara est, si loquamur de baptismo, qui sit Sacramentum nouæ legis. Nulla enim est causa cur distinguamus vnum ab alio specie, cùm eorum essentia consistat in iisdem rebus, scilicet ablutione, & forma verborum legitima intentione prolata. Quòd autem ablutio possit fieri immersione, aut infusione, ei planè per accidens est, quatenus habet rationem ablutionis, siue vt est materia baptismi. Docet hoc apertè Apostolus ad *Ephes. 4.* Ephesios 4. vbi hortatur Ephesios ad mutuam caritatem. Primò, quia vnum corpus sunt scilicet mysticum, siue vna Ecclesia. Secundò, quia vocati sunt in vna spe. Tertiò, quia vnus est omnium Dominus, siue Deus. Quartò, quia vna est fides. Quintò, quia vnum baptisma scilicet specie, sicut vna est fides. In *D. Hieron.* quem locum pulchrè D. Hieronym. in magnis commentar. *Propterea*, inquit, *& fides vna dicitur, quia similiter in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum credimus: & baptisma vnum, eodem enim modo in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum baptizamur.* Duo autem alia baptismata quæ hìc D. Thom. enumerat, tantùm meta- *D. Thomas.* phoricè dicuntur baptismata, nec sunt Sacramenta. Baptismata autem Iudæorum, & S. Ioannis nullo modo erant Sacramentum nouæ legis, nec conferebant gratiam.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm baptismus sanguinis sit potissimus inter alia baptismata?

109 ARTIC. XII. docet baptismum sanguinis non quidem in ratione Sacramenti (quia non est Sacramentum) sed in ratione effectus siue efficacitatis esse potissimum. De quo nobis hìc est agendum; nam de baptismo flaminis agemus in materia de Pœnitentia. Nihil enim est aliud quàm contritio baptismum præcedens.

DVBIVM I.

Vtrùm martyrium conferat gratiam vi sua, siue præter meritum patientis, instar Sacramenti?

110 TRes hìc præcipuæ sunt sententiæ. Prima absolutè negat martyrio inesse hanc vim. vnde infert paruulos propter Christum occisos, nisi priùs fuerint iustificati per baptismum aut circumcisionem, per martyrium non iustificari. Ita Alexander 4. p. qu. 8. *Alexand.* memb. 9. a. 5. §. 1. & Armacan. l. 8. de quæst. Armenia- *Armacan.* cis c. 37. in fine. Et probatur Primò, quia ita conferre gratiam est singulare priuilegium Sacramentorum. Secundò, quia nulla extat promissio Christi quo tale quid martyrio promittitur, & sine promissione Christi frustra asseritur. Tertiò, quia aliàs martyrium posset prodesse sine caritate. quod est contra Apostolum 1. ad Corinth. 13. Quartò, quia aliàs esset Sacramen- *1. Cor. 13.* tum. Quintò, quia martyrium deberet conferre hanc gratiam quando iam est consummatum, sicut Sacramenta eam conferunt, quando iam perfectè sunt posita. Hoc tamen videtur absurdum. quia cùm martyrium non consummetur nisi per mortem martyris, hic deberet accipere gratiam post hanc vitam. quod est absurdum.

111 Secunda sententia tenet martyrium ita conferre gratiam omnibus non ponentibus obicem siue paruulis, siue adultis. ita D. Thom. in 4. d. 4. q. 3. art. 3. quæ- *D. Thomas.* stiunc. 2. vbi docet martyrium supplere vicem baptismi; sibique obiicit baptismum habere vim conferendi gratiam ex opere operato: martyrium verò solùm ex opere operantis; & consequenter non posse illius vicem supplere, præsertim in paruulis, qui mereri non possunt. respondétque martyrium non solùm habere vim ex opere operantis: probátque ex eo quòd sæpe supra merita patientis remittat pœnas peccatis debitas. Non quidem quasi velit ad hunc solum effectum martyrium habere talem vim (vt quidam volunt) nam sic non probaret ipsum prodesse paruulis, qui habent solum peccatum originale remittendum: sed ex eo quod omnino certum est, id, de quo disputabatur, probat. Et clariùs quæstiuncula 3. vbi cum docuisset tam baptismum quàm martyrium habere vim ex passione Christi ad delendam omnem culpam & pœnam, subdit: *Quod enim quidam dicunt, in baptismo*

sanguinis gratia non confertur, apparet falsum esse in pueris, qui pro Christo occiduntur: & in adultis, quibus potest in ipso actu passionis gratia dari, sicut & in baptismo aquæ, si se ad eam disposuerint, & obicem aliquem non ponant Spiritui sancto. Vbi clarè docet martyrium conferre gratiam etiam adultis præter meritum patientis; ex vi passionis Christi, quia comparat ipsum baptismo tam in ipsa collatione gratiæ, quàm in vi conferendi gratiam, & vtrumque dicit hanc vim habere ex vi passionis Christi; quam efficaciam conferendi gratiã tota illa quæstione distinguit ab illa quam habent merita. Secundò, quia probat martyrium habere hanc vim ex eo quòd conferat gratiam paruulis, qui mereri nequeunt; & subiungit eandem conferre (scilicet eodem modo) etiam adultis, qui eam non habent. Tertiò, quia vt adulti per martyrium acquirant gratiam, non requirit in iis aliam dispositionem, quàm vt non ponant obicem. Idem docet in 3. p. qu. 87. a. 1. ad 2. vt patebit infrà notabili secundo. Et hanc sententiam sequitur Suarez dispu. 29. sect. 2. & 3. & fauet Caiet. in dictum locum D. Thomæ.

Suarez. Caiet.

Tertia sententia quasi media, negat martyrium ita conferre gratiam adultis, concedit tamen iustificare paruulos.

112 Nota Primò, nos hîc non quærere vtrùm martyrium propriè conferat gratiam ex opere operato, sed vtrùm vi tua eam præter meritum patientis conferat. Hoc enim concesso facilè quis illud negaret, quia martyrium non confert hanc gratiam prout est opus ministri siue inferentis; neque ex vi institutionis suæ, sicut Sacramenta, quia ad hoc à Christo non est institutum. Quare quidquid hac de re sit, nolumus disputare de nomine sed de re.

113 Nota Secundò, multos Scholasticos; dum hanc quæstionem, eámque quam dub. 2. explicabimus disputant, valdè obscurè & implicatè loqui. Nam in

D. Thom. primis D. Thom. locis suprà citatis apertè tenet secundam sententiam, præsertim in 3. p. q. 83. art. 1. vbi docet peccatum veniale non remitti sine pœnitentia; & secundo loco obiicit sibi dormientem in peccato veniali si occidatur propter Christum, sine actuali eiusdem displicentia, accipere eius remissionem; & respondet: *quod passio pro Christo suscepta (sicut suprà dictum est) obtinet vim baptismi, & ideo purgat ab omni culpa, & veniali & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentem.* Vbi etiam plus videtur dicere, scilicet martyrium non requirere vllam dispositionem in martyre, vt ei peccata remittantur. Vnde

Caietan. Caietan. ibid. ait: *Si quis obdormiret cum proposito sequenti dire officiosè mentiendi, atque dormiens propter Christum occideretur, fore vt ei hoc peccatum remitteretur, etsi*

114 *per baptismum tali casu non esset remittendum.* Sed hæc ita

D. Thom. crudè accepta, non credo esse vera. Nec puto D. Tho. hæc ita voluisse asserere; sed supponere ita dormiẽtem habuisse priùs aliquam, displicentiam peccati, non tamen sufficientem ad eius remissionem, atque ita obdormiuisse in peccato, atque ita dormienti occisoque propter Christum remitti peccatum sine displicentiã, quæ runc actu sit cùm datur remissio, aut quæ huius sit sufficiens causa. Et sanè quidquid sit, negari nullo modo potest, quin D. Thomas ibi saltem teneat secundam sententiam. Idem tamen in 3. p. q. 66.

115 a. 12. vbi docet martyrium præstare baptismo, sibi secundo loco obiicit: *Baptismus sanguinis non valet sine baptismo flaminis, qui est per caritatem*, &c. & respondet, *quòd effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine caritate. Ex quo patet quòd baptismus sanguinis includit baptismum flaminis; & non è conuerso.* vbi videtur planè docere martyrium non habere vim baptismi nisi ratione actus caritatis quem includit, atque ita eam non habere si ab hoc sejunctus sit. Hinc etiam 2. 2. q. 124. art. 2. ad 2. docet martyrium esse actum imperatum à caritate. Eundem sequuntur ipsius discipuli, & satis perplexè hanc quæstionem tractant. Similiter Durand. in 4. d. 4. q. 8. in fine ait: *Ad tertium dicendum, quòd martyrium non solùm habet efficaciam à caritate patientis, licèt illa requiratur, secundùm quod dicit Apostolus: sed ex causa patiendi, & ex conformitate ad passionem Christi, propter quod virtus passionis Christi æquè plenè, vel plenius communicatur in martyrio, sicut in baptismo.* quæ difficulter intelliguntur. Quomodo enim pleniùs communicatur virtus passionis in martyrio quàm in baptismo; si hic sine actu caritatis possit remittere peccata, ille non? Idem facilè quis perspicier in aliis multis auctoribus qui pro variis sententiis citantur, si eos attentè legat. Videbit enim eos perplexè loqui, nec satis attingere nodum difficultatis. Huius aurem perplexitatis videntur esse duæ causæ. Quòd scilicet ex vna parte viderent ab omnibus Patribus mirè extolli efficaciam martyrij in remittendis peccatis, eámque præferri efficaciæ baptismi, vt infrà videbimus: idque erat iis necessariò concedendum, cùm faterentur martyrium infantibus maiorem conferre gratiam quàm baptismum, qui tamen ex opere operato eam confert. Ex altera tamen parte propter illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; dicebant martyrium debere iungi cum caritate, vt prodesset: quæ videntur inter se pugnare.

Durand. 116 *1. Cor. 13.*

117 Vt autem hæc possint meliùs intelligi, Nota Tertiò, Apostolum dicto loco agere cum Corinthiis, inter quos, vt patet ex c. 1. & 3. erant graues contentiones & schismata: multúmque gloriabantur in externis suis actibus, in scientia, eloquentia, dono prophetiæ atque linguarum, & veras virtutes minoris faciebant. Quare hortatur eos Apostolus, vt similia non tanti faciant: sed magis laborent, vt habeant caritatem Dei & proximi. quia nisi ad hanc perueniant, reliqua nihil prosunt ad salutem. Vbi Notandum, Apostolum non dicere, fidem, eleemosynam, passionem pro fide, &c. nihil prodesse nisi procedant ex caritate (hoc enim non est verum) quia talia quando fiunt ex gratia præueniente, disponunt nos paulatim ad caritatem acquirendam; sed illa non prodesse sine caritate, siue nisi vel fiant ex caritate, vel ad eam nos perducant. Tantùm enim volebat Apostolus docere Corinthios, nihil dictorum posse eis prodesse ad salutem, quamdiu perseuerarent in suis dissentionibus & mutuis inimicitiis.

Quomodo nihil prosint sine caritate?

Similiter quod Christus dicit Ioan. 15. *Maiorem hac* 118
dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis: non ita intelligendum est, quasi is, qui pro altero moritur, necessariò eum maximè amet (hoc enim potest esse falsum; nam potest miles mori pro defensione sui principis, ne datam fidem fallat, etiamsi eum oderit: & potest quis magis eligere mori quàm negare Christum, impulsus solo metu gehennæ.) sed quia mors liberè suscepta pro amico est maximum signum amoris quod exhiberi potest, & communiter maximum amorem arguit. Et secundùm dictos modos loquendi intelligendi sunt Doctores, dum aiunt, martyrium nihil prodesse sine caritate, scilicet ipsum præcedente, vel consequente, siue nisi vel martyr priùs sit in caritate, vel illud ita subeat, vt hanc consequatur. Irem martyrium imperari à caritate, & includere in se baptismum flaminis: quia scilicet est actus externus præstantissimus, quem caritas imperare potest, & communiter ab ea imperatur, & semper cum ea antecedente, vel consequente coniunctus est: atque ita martyr qui priùs commisit aliquod peccatum, in fine semper, vel actu, vel habitu contritus est: & hoc modo martyrium includit baptismum flaminis. Et hac ratione

Ioan. 15.

Quæ ratione martyrium dicatur nihil prodesse sine caritate. ab hac imperari, includere in se baptismum flaminis.

D. Thom. diuersa loca D. Thomæ, multique auctores conciliari possunt, qui aliàs inter se atque adeò ipsi secum omnino videntur pugnare. His positis sit.

119 *Infantes martyrio iustificantur.*

CONCL. 1. Certum est martyrium conferre infantibus gratiam præter omne eorum meritum, cuius tunc incapaces sunt. Est hoc tempore communis.

Probatur Primò, ex sensu totius Ecclesiæ, quæ infantes ab Herode occisos colit tamquam martyres; quos clarum est nullum habuisse proprium meritum, cùm hoc supponat liberum rationis vsum, quo illi caruerunt. Gratis enim omnino fingitur à quibusdam, iis vsum rationis fuisse acceleratum: Imò videtur hoc esse contra sensum Ecclesiæ, quæ vocat eos Innocentes; non solùm quia nunquam peccarunt, sed per antonomasiam, quia peccare per ætatem non potuerunt: quod falsum esset si fuissent vsi ratione. Simili ratione in hymno ad Laudes vocat Simplices, quasi doli incapaces ob defectum rationis.

120 Respondent aliqui, coli ab Ecclesia, quia erant iustificati per circumcisionem. Sed contrà Primò, longè est verisimilius, fuisse inter illos multos non circumcisos, vel quod nondum essent octo dies nati, vel quòd essent filij Gentilium, qui multi tunc permisti Iudæis habitabant omnésque infantes absque delectu in omnibus finibus Bethleem occisi sunt: Ecclesia autem omnes omnino sine distinctione colit. Secundò, quia Ecclesia eos colit, vt martyres, vt patet ex toto eorum officio: per circumcisionem autem non erant martyres. Tertiò, quia clarè satis patet ex honore, quo Ecclesia eos colit, quòd ipsis maiorem adscribat sanctitatem, quàm quæ per circumcisionem conferebatur.

121 *Marc. 8.* Probatur Secundò, Marci 8. vbi generatim Christus dicit: *Qui perdiderit animam suam propter me & Euangelium, saluam faciet eam.* quam sententiam generatim etiam de infantibus Patres intelligunt: nec est ratio cur eam ad solos adultos restringamus. Hinc auctor sermonis de stella & Magis, apud Cyprianum in fine loquens de occisis ab Herode ait: *Hi nuper cruore lacteo loti primitias baptismi martyrio consecrarunt, tradentes posteris formam, vbi necessitatis articulus exclusérit moram, non minùs ad lauacrum animæ sanguinem esse efficacem, quàm sanctificata verbis solemnibus aqua.* Et S. *D. Leo.* Leo sermone 2. de Epiphan. post medium de iisdem ait: *Nouæ gloriæ* (scilicet Christus) *coronabat infantes, & de initijs suis paruulorum primordia consecrabat; vt discerneret neminem hominum diuini incapacem esse Sacramenti, quando etiam illa ætas gloriæ esset apta martyrij.* Ex quo clarè patet, non solis Sacramentis, sed etiam martyrio singulare hoc priuilegium esse concessum, vt gratiam præter meritum conferat; ne cuiquam damno sit, propter Christum priuari vita.

Patet Secundò, martyrium in his supplere locum baptismi. idque efficaciore longè modo, maiorem scilicet gratiam tribuendo, eo quòd efficaciùs nos Chri- *D. Clem.* sto assimilet. Vnde D. Clemens l. 5. Constit. Apost. c. 7. docet nondum baptizatis mortem pro Christo obitam cedere in veriorem baptismum: quia reipsa commoriuntur Christo, alij tantùm figura.

122 *Trident.* Dices, Trident. sess. 6. cap. 4. docet translationem à peccato ad gratiam post promulgatum Euangelium fine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non posse: atqui paruuli non possunt habere votum Sacramenti: ergo nisi ipsum realiter suscipiant, iustificari non possunt.

Respond. Concilium loqui de eo quod ordinariè, & per media à Deo ad nostram salutem instituta fieri soleat, quale non est martyrium. Agit enim contra hæreticos nostri temporis, qui negant baptismum esse pueris necessarium, affirmántque illos sine eo etiam ordinariè in fide parentum posse saluari. Vnde sessione 7. eosdem damnans, & hanc suam sententiam explicans can. 5. de baptism. ait: *Si quis dixerit baptismum esse liberum, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.*

Nota, infantem in vtero matris occisum esse verè martyrem, si occisor etiam eum in odium fidei intendat occidere, vt communiter DD. asserunt. Vtrùm verò etiam sit martyr quando ille nescit matrem esse grauidam, aliqui asserunt, alij negant: ego omnino crediderim esse martyrem. ita Henriq. de baptism. c. 38. & alij. Prob. quia verè occiditur propter Christum. Plaga enim qua occiditur, verè ei infertur in odium fidei. Etsi enim occisor non intendat ei inferre plagam, verè tamen eam plagam, qua infans moritur, infert ex odio fidei. Confirm. quia verè esset martyr qui occideretur ab eo qui tantùm vellet eum in odiū fidei grauiter vulnerare, & expressè nollet occidere; etiam eo casu quo verbera per se non sufficerent ad inferendam mortem, sed tantùm ratione conditionis personæ ab occisore ignoratæ. quo casu huius mors non magis, imò minùs esset intenta, quàm illius pueri, quæ saltem concomitanter esset intenta. 123 *Occisus in vtero matris potest esse martyr.* *Henriquez.*

CONCLVSIO II. Longè verius est martyrium etiam adultis conferre gratiam supra eorum meritum, siue maiorem quàm aliàs per opus æquè difficile eadem intentione & feruore factum mererentur. ita Suarez citatus n. 111. 124 *Martyrium confert gratiam supra meritum.*

Probatur Primò, ex Scriptur. Quia Christus Matt. 10. v. 39. & Marci 8. v. 35. & Lucæ 9. v. 24. Ioan. 12. v. 24. singulare aliquid promittit pro se morientibus: atqui nihil singulare iis daretur, si non plus acciperent, quàm opere suo mererentur. hoc enim omni bono operi commune est: ergo martyres aliquid plus accipiunt. *Matth. 10. Marc. 8. Luc. 9. Ioan. 12.*

Probatur Secundò, ex Patribus, qui propter loca Scripturæ citata tribuunt vbique martyrio maiorem vim sanctificandi, quàm baptismo: atqui in hoc confertur suscipienti gratia præter, vel supra eius meritum: ergo etiam in martyrio. Vide Clementem Papam Apost. Const. lib. 5. cap. 5. vbi ait: *Qui martyrium consequi meruit, gaudeat in Domino, quòd tantam coronam est adeptus: & quamuis fuerit catechumenus, lætus discedat. Passio enim quam pro Christo sustinet cedet ei in veriorem baptismum: quoniam ipse reipsa commoritur Christo, alij figura.* Vbi non dicit, passionem ei cedere in veriorem baptismum, quia subit eam ex maiore caritate, sed quia reipsa Christo commoritur. Cyprianus epist. 73. *Numquid*, ait, *potest vis baptismi esse maior aut potior quam confessio, quam passio, vt quis coram hominibus Christum confiteatur, & suo sanguine baptizetur?* Item D. Aug. l. 13. de Ciuit. c. 8. probans martyrium habere vim delendi omnia delicta ait, *Qui enim dixit; Nisi quis renatus fuerit, &c. idem dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* *D. Clem.* *D. Cyprian.* *D. Augustin.*

Probatur Tertiò, quia videtur hic esse sensus Ecclesiæ, quæ singulari semper honore martyres prosequitur tanquam singulariter sanctos, etsi quandoq; statim post conuersionem facili morte martyrium subierint. 125

Demum quia necessariò debemus dicere, martyrium ita conferre gratiam infantibus, eámque non solùm ad salutem necessariam qualem conferebat circumcisio; sed omnino excellentem etiam iis qui iam iusti sunt: vt patet ex conclus. prima: ergo etiam adultis. quia in his habet propriè & formaliter rationem martyrij & confessionis Christi, in illis tantùm materialiter. Nec vlla est ratio cur concedamus hanc vim martyrio illato paruulis; & negemus illato adultis: cùm eam non habeat in gratiam paruulorum (vt contingit in circumcisione, quæ ideo solum iustificabat paruulos, quia per proprios actus nullo modo potest iustificari) sed vt proprium priuilegium, ne alicui damno sit pro Christo mori.

Ad Primum argumentum pro prima sententia 126

allatum, negandum est id quod sumitur: vt patet ex dictis.

Ad Secundum Respondeo, exrare talem promissionem multis Scripturæ locis, vt patet ex probationibus vtriusque conclusionis. Ad Tertium negandum est assumptum, vt patet ex not. 3. Ad Quartum nego assumptum: quia martyrium non est cæremonia sacra à Deo ad nostram sanctificationem instituta, quod est de essentia Sacramenti. Ad Quintum Respond. martyrium conferre gratiam, quando martyr iam eo perductus est, vt naturaliter nunquam possit ampliùs vti vllo sensu; vt patebit ex dubio 3.

DVBIVM II.

Quam dispositionem requirat martyrium in adultis?

127 NOta, duobus modis posse aliquid requiri vt quis martyrij fructum percipiat. Primò, per se, & ex intrinseca ratione martyrij, sine quo omni alia obligatione exclusa, martyrij effectus non possit haberi.

Secundò, per accidens, ratione alicuius obligationis extrinsecè aduenientis, quæ tamen sæpe occasione martyrij hic & nunc obligat. v. c. si passurus martyrium teneatur ad restitutionem pecuniæ aut famæ; obligatur hoc statim facere si possit, quia postea nunquam poterit facere. Similiter tenetur baptizari, si nondum sit baptizatus, & conscius sibi peccati mortalis, confiteri, si possit: non propriè vt disponat se ad martyrium, sed vt impleat præceptum baptismi & confessionis: aliàs peccabit mortaliter; sicut etiam peccaret parens qui iamiam occidendum propter fidem puerum non baptizarer cùm posset: quanquam puer non desineret esse martyr.

128 Similiter ratione præcepti caritatis potest aliquis obligari, vt internum actum caritatis in se exciter. Nam si vnquam illud præceptum per se ad hoc obliget, maximè obligat instante morte, cùm in hac vita ampliùs impleri non possit. Sed qua ratione, & quando præceptum caritatis obliget, vt actu interno diligamus Deum super omnia, spectat ad materiam de caritate. Similiter communiter docent, conscium sibi peccati mortalis, quando non potest confiteri, aut baptizari, teneri ad contritionem vi præcepti contritionis, quod peccatorem per se obligat in tali casu, quia nisi tunc conteratur, nunquam aliàs poterit conteri, quod etiam maximè obligat peccatorem moriturum ratione periculi, cui aliàs se sponte exponeret; cùm non sit omnino certum, martyrium sine contritione ad iustificationem peccatoris sufficere: teneturque enim quilibet ex caritate sui ipsius in eo articulo certam & securam viam sequi, cùm de æterna salute irrecuperabiliter amittenda agatur. Confirmatur, quia qui sine necessitate, iustáve causa exponit se periculo vitæ corporalis, secundùm omnes grauiter peccat: quia quilibet tenetur vitam suam, prout potest, conseruare: ergo multò magis peccat, qui sine iusta causa nolendo conteri exponit se periculo æternæ damnationis, quia hanc multò magis tenemur cauere, quàm mortem corporis.

Moriturus tenetur securissimam salutis viâ sequi.

129 Dices, Moriturus conscius sibi peccati mortalis, si possit confiteri, non tenetur conteri, sed sufficit eum atteri: ergo idem dicendum est de futuro martyre, etsi confiteri nequeat. Respond. (quidquid sit de antecedente, de quo agemus in materia de pœnitentia) negando consequentiam: quia certius est sufficere attritionem, vt quis iustificetur per confessionem, quàm vt iustificetur per martyrium. Adde, in vtroque casu sæpe necessarium esse, vt quis conetur conteri, vt vel sic habeat veram attritionem, cùm sæpe nobis enitendum sit ad summa, vt vel mediocria assequamur, quod maximè viget in martyre, qui si non excitet se ad amorem Dei, sed tantùm ad horrorem inferni, aut desiderium gloriæ, exponit se periculo ne fidem neget, cogirando se facilè postea per pœnitentiam periculum damnationis euasurum.

130 Quòd si quis ratione distractionis, naturalis obliuionis, aut ignorantiæ, ab obseruatione horum præceptorum excusetur, ita vt saltem eorum omissione non peccet mortaliter, nihil obstabit quin percipiat fructum martyrij si conditiones per se requisitas habeat, de quibus hìc propriè disputamus.

Maxima autem est difficultas quales requirantur in peccatore. qua in re duæ sunt extremæ sententiæ. Quidam enim volunt semper requiri contritionem saltem implicitam, qualis est amor Dei super omnia, propter illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. *Si dedero corpus meum, ita vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Sed hinc nihil probari satis ostendi dub. 1. notab. 3. *1. Cor. 13.*

131 Alij contrà volunt sufficere solam voluntatem patiendi mortem pro Christo, sine vllo dolore de peccatis; saltem in eo qui peccatorum non recordatur. Fundamentum huius sententiæ est. Primò, quia Christus Marc. 8. & Lucæ 9. generatim dicit eum qui perdiderit animam suam, eam saluam facere. Secundò, quia Patres martyrio singularem tribuunt vim sanctificandi supra baptismum: ergo videntur pro eo requirere minorem dispositionem quàm pro baptismo. Tertiò, quia Ecclesia sine vlla dubitatione colit omnes pro Christo occisos, dicitque fieri martyrij iniuriam, si pro eo oretur: vt habetur cap. *Cum Martha.* de celebrat. Missarum. §. *Tertio loco,* quasi sola mors pro Christo obita sit sufficiens signum sanctitatis. Nisi autem dicta dispositio sufficeret, sæpe esset dubium an essent martyres, cùm nesciamus an habuerint contritionem, maximè ij de quibus constat paulò antè fuisse in peccato mortali. Ita Vega lib. 6. in Trident. c. 36. & videtur insinuare D. Thom. infrà q. 87. a. 1. ad 2. vbi ait, martyrium purgare ab omni peccato veniali & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentem. Docet etiam eam Soto in 4. d. 15. q. 1. a. 2. concl. 3. sed ex alio fundamento, quia scilicet putat omnem voluntatem subeundi martyrium continere verum actum caritatis, & consequenter vltimam dispositionem ad gratiam. *Matth. 5. Luc. 9. Vega. D. Thom. Soto.*

CONCL. I. Voluntas subeundi martyrium non continet in se necessariò dilectionem Dei super omnia. Ita Suarez disp. 29. sect. 3. Probatur, quia potest quis velle subire martyrium, vt obtineat regnum cælorum, aut vt euadat infernum; ita vt hæc voluntas tantùm proficiscatur ex virtute spei. Sicut enim possum velle subire graues pœnitentias, vt infernum aut Purgatorium euadam, ita etiam possum velle subire mortem; & hac consideratione multi sæpe martyres se ad constantiam excitarunt, idque auctoritate Christi Matth. 10. iubentis, ne timeamus eos qui corpus occidunt, sed eum qui potest mittere animam in gehennam. 132 *Voluntas martyrij potest esse sine actu caritatis. Suarez.* *Matth. 10.*

Nec obest illud Christi Ioan. 15. *Maiorem dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amico suo.* Tantùm enim docet hoc esse maximum signum amicitiæ, quando fit pro amico præcisè in eius gratiam; sicut Christus suam pro nobis animam posuit, vt dixi dub. 1. 133 *Ioan. 15.*

CONCLVS. II. Martyrium requirit, vt mors inferatur non resistenti, idque in odium Christi aut veræ fidei, aut alterius veræ virtutis. Patet, quia causa, non autem pœna facit martyrem. Nec potest dici propter Christum aut iustitiam occisus, qui neque ob Christi, neque ob fidei, aut alterius veræ virtutis defensionem occiditur. Similiter etsi gloriosum & valdè 134 *Qui pugnantes contra*

fidelis occiditur non fit martyr.

meritorium sit pro fide bona intentione pugnando mori; nullus tamen dixerit, eos esse vere martyres, qui in pugna contra hæreticos, aut infideles occumbunt, etiamsi hi ad fidem euertendam pugnent. Quia hic & nunc magis occidunt resistentes victoriæ causa, quàm in odium fidei. Secùs esset si volentes se iam dedere, & abiicientes arma hæretici in odium fidei occiderent.

135 CONCLVSIO III. In iusto sufficit libera mortis ob defensionem veræ alicuius virtutis illatæ acceptatio, vt ipse martyrij effectum consequatur. Est ferè communis, & videtur certa. Quia hic verè implet à Christo requisita ad martyrium. Nam verè patitur propter iustitiam; atque ita ipsius est regnum cælorum; vt dicitur Matth. 5. v. 10.

Matth. 5.

Nota, quosdam docere eum qui subiret mortem propter virtutem aliquam moralem, vel articulum (vt aiunt) supernaturalem non fore martyrem, nisi id faceret ex affectu caritatis: quia, inquiunt, non iustificaretur. Sed etsi hæc ratio esset vera (de qua agemus concl. 6.) tamen non probaret absolutè ad rationem martyrij non sufficere subire mortem ob defensionem veræ virtutis moralis. Quia etsi hoc non sufficeret in peccatore propter obicem peccati; sufficeret tamen in iusto, vt patet ex dictis. Confirm. quia qui patitur propter iustitiam, siue veram aliquam virtutem, verè patitur propter Christum, siue Deum, qui omnis iustitiæ & virtutis fons est, & in cuius honorē, omnis iustitiæ ac virtutis defensio, præsertim facta à iusto cedit: sicut eiusdem oppugnatio ac defectio cedit in Dei iniuriam.

Iustus occisus ob virtutem moralem est martyr.

136 CONCLVSIO IV. Probabilius est in iusto non requiri, vt positiuo aliquo actu acceptet martyrium; cùm possit esse martyr, qui id refugit, modò non sit ita affectus, vt vellet negare fidem, si videret se aliter non posse mortem effugere. Quare sufficit, vt quis habeat eius volūtatem interpretatiuam, aut habitualem: qualis est Primò in eo, qui fugiens tyrannum, à quo compellitur ad impia, in fuga subitò configitur. Secundò, in eo qui sollicitatus ad defectionem à fide, quia hanc reculauit, dormiens occiditur. Imò videtur sufficere, vt in odium fidei occidatur, etsi de confessione priùs nihil cogitarit, v. c. si in subito hostium incursu deprehendatur dormiens, & in odium fidei occidatur. Colligitur apertè ex D. Thoma infrà q. 87. a. 1. ad 2. Et ibidem expressè docet Caietan. & aliqui recentiores.

In iusto nulla alia requiritur dispositio.

D. Thom.

Caietanus.

Et probatur Primò, quia hic verè perdit animam propter Christum, quod videtur sufficere ad martyrium, cùm hoc non consistat in actione, sed in passione. Secundò, quia infantibus hoc modo obita mors sufficit ad martyrium; cur non etiam adultis iustis?

137 Dices, Infantes etiam validè baptizantur, etsi id nulla ratione pericrint, non tamen adulti. Sed hoc satisfacit: longè enim hic diuersa est ratio. Primò, quia per baptismum suscipitur nouus status, & obligatio, quam à libero conuenit liberè suscipi: secùs est in martyrio. Secundò, quia baptismus est institutus ad remissionem peccati. Etsi autem conueniat infantes, qui non peccarunt propria voluntate, sine propria voluntate iustificari; non tamen conuenit adultos ita iustificari, quia propria voluntate peccarunt. Vnde nec martyrium adultos peccatores iustificat sine proprio motu voluntatis. In infantibus autem hæc locum non habent, cùm non agatur de eorum ad Deum conuersione, sed de munere quodam accipiendo, quo damnum quod Dei causa patiuntur, eiusdem liberalitate compensetur. Adde, id quod sumitur non esse verum in iusto, qui phreneticus posset validè baptizari, vt statim dicam.

Cur martyrium requiratur propria acceptatio ad martyrium quā ad baptismum.

138 Confirmatur, quia iustis habitualiter saltem talis mors est voluntaria; quia ratione charitatis infusæ habitualiter inclinantur ad mortem Dei causa subeūndam. Cùm itaque talis habitualis voluntas sufficiat, vt quædam Sacramenta cum effectu suscipiantur; nam Confirmatio, Extrema vnctio, atque Baptismus validè conferuntur cuiuis priùs per contritionem iustificato, & iam omnibus sensibus destituto, vt ostendi q. 64. art. 8. dub. 5. cur non etiam sufficiat ad effectum martyrij, cùm Patres dub. 1. citati huic maiorem vim tribuant quàm baptismo; &, vt patet ex dictis, baptismus ex se magis exigat, vt voluntariè suscipiatur quàm martyrium?

Nec refert, quòd talis fortè, si ei mors vigilanti proponeretur, præ timore negaret Deum; quia hæc conditionalis propositio nihil ponit in re, atque ita nec obest. Hinc patet idem dicendum esse de peccatore, de omnibus suis peccatis attrito, posito quòd attritio sit sufficiens dispositio ad effectum martyrij, vt ostendam concl. 6. Ratio est, quia vera attritio saltem qua quis detestatur peccata propter timorem inferni, vel spem gloriæ, implicitè continet propositum seruandi omnia mandata, & consequenter potiùs moriendi; quàm negare fidem, quod propositum habitualiter manet in dormiente: atque ita si tunc occidatur in odium fidei, censetur habitualiter martyrium acceptare. 139

Attritus dormiens pro fide occisus est martyr.

CONCL. V. In peccatore necessaria est vel formalis, vel virtualis pœnitentia, siue auersio à peccatis, vt ipse assequatur effectum martyrij. 140

In peccatore requiritur pœnitentia.

Prob. Primò ex Trident. sess. 14. c. 1. vbi docet pœnitentiam omni tempore fuisse necessariam ad peccati mortalis remissionem, vbi tamen loquitur de remissione acquirenda per Sacramenta, quæ ex opere operato peccata remittunt, & ad hoc directè sunt institura. Et ratio est; quia conuenit omnino vt is qui propria voluntate se à Deo ad peccatum conuertit, rursum eadem voluntate à peccato se ad Deum conuertat. Cōfirm. quia aliàs tali peccatum manet interpretatiuè voluntarium, atque ita habet in se obicem gratiæ, quem Deus nunquam per se tollit, vt patet in Sacramentis, & ex definitione Trident. & conuenientia iam data. Gratis autem omninò excipitur martyrium, cùm nullum sit firmum huius exceptionis fundamentum: cùm in Scripturis non minùs promittatur gratia suscipientibus baptismum, vel pœnitentiam, quàm pro fide morientibus.

Trident.

Trident.

Prob. Secundò, quia aliàs hæretici, vel schismatici, qui occiderentur eo quòd nollent peierare, aut fornicari, essent veri martyres, si modò, ex eo quòd propter distractionem non cogitarent de sua hæresi aut schismate, contingeret eos inter moriendum, nullo modo actu peccare, quod tamen apertè falsum est, & contra sensum totius Ecclesiæ. 141

Aliqui respondent, negando hoc sequi, talésque non fore martyres, quia fides necessitate medij requiritur ad martyrium, quia sine hac nulla potest esse virtus supernaturalis in morituro pro qua occidatur, ideóque tales non morituros pro aliquo fine supernaturali, atque ita nec habituros in se causam sufficientem martyrij, qualis est solus Deus, vt finis supernaturalis, aut virtus aliqua supernaturalis. 142

Sed contra Primò, hæc non habent locum in schismatico non hæretico, quia hic potest habere veram fidem, & ideo occidi, quia eam non vult negare. 143

Secundò, non est per se necessarium, vt martyr habeat fidem priusquam hæc ei per martyrium infundatur: vt patet in infantibus.

Tertiò, potest etiam hæreticus malle mori quàm negare mysterium Trinitatis, aut alium verum articulum fidei, quem credit, aut quàm velle fornicari, eo quòd id credat contra dignitatem Christiani hominis. Nec est opus, vt hæc voluntas sit supernaturalis, quia hoc tantùm necessarium est, aut ad meritum, aut

Martyrium non necessariò acceptatur actu supernaturali.

aut ad tollendum obicem peccati per sufficientem ab eo auersionem: martyrium autem confert gratiam citra omne meritum, vt patet in infantibus, & secundùm illos non requiritur ablatio obicis ad eius effectum.

144 CONCL. VI. Quando peccator obliuione, aut alia ratione excusatur ab obseruatione præcepti caritatis erga Deum & seipsum, aut contritionis (de quo dixi initio dubij) sufficienter disponitur per attritionem, vt per martyrium iustificetur. Ita D. Thom. in 4.d.4.a.3.q.4.Gabriel ibid.q.2.a.2. concl. 9. Durandus qu. 8.a.1.Suarez disp. 29. sect. 3. & alij. *D. Thom. Gabriel. Durand. Suarez.*

Prob. Primò, Patres communiter tribuunt martyrio maiorem vim iustificandi, quàm baptismo: atqui talis dispositio sufficit in baptismo: ergo etiam in martyrio. Prob. Secundò, quia Patres communiter fatentur peccata mortalia aliquando remitti per martyrium: atqui hoc esset falsum, si necessaria eius dispositio esset contritio: ergo non est necessaria. Minor patet, quia tunc semper peccatum remitteretur ante martyrium per contritionem.

145 Respondent aliqui, ideo martyrium dici habere maiorem vim iustificandi quàm baptismum, & remittere peccata; quia includit in se actum perfectissimum caritatis, à quo illi effectus omnes procedunt. Sed contrà, si loquamur de actu interno caritatis; hunc martyrium nec necessariò nec semper includit: vt patet in paruulis ante baptismum occisis, qui secundùm omnes Patres verissimi sunt martyres sine vllo tali actu: quod esset falsum, si martyrium talem actum in se necessariò includeret aut postularet. *Martyrium nõ includit necessariò actũ internum caritatis.*

146 Dices, In adultis martyrium intrinsecè includit talem actum, non tamen in paruulis: sed hoc gratis dicitur, & sine vllo fundamento. Atque inde sequeretur martyrium paruulorum tantùm imperfectè & analogicè esse martyrium respectu martyrij adultorum; quia hoc essentialiter includeret aliquam ingentem perfectionem, à qua propriè haberet, quòd sit martyrium, quam illud non includit. Confirm. Primò, quia si est de intrinseca ratione martyrij actus elicitus caritatis, sine hoc nullibi reperiretur verum martyrium, sicut sine anima rationali non reperitur verus homo: & consequenter in paruulis non erit verum martyrium. Quòd si ille actus non sit de intrinseca ratione martyrij ergo eum intrinsecè etiam in adultis non includit.

147 Dices, talem actum non esse quidem de intrinseca ratione martyrij, sed hoc in adultis eum necessariò præsupponere, non autem in paruulis. Sicut baptismus essentialiter in illis præsupponit intentionem aliquam suscipiendi Sacramenti, non tamen in paruulis. Sed præterquam quòd illud sine ratione dicitur, vt patet ex dub. 1. notab. 3. vbi ad fundamenta huius sententiæ respondi, non satisfacit difficultati præpositæ. Quia cùm hoc modo martyrium non includeret in se talem actum, sed eum præsupponeret, sicut baptismus illam intentionem; sequeretur ipsum non remittere peccata mortalia, nec habere ad hoc vllam vim, sed præsupponere iam esse remissa, sicut si baptismus nunquam posset conferre suum effectum, nisi iam antè contrito, malè diceretur remittere peccata, aut ad hoc habere vim: vt ij contra quos disputamus etiam fatentur. Confirm. Secundò, quia dato casu quòd aliquis adultus esset primùm iustificatus per baptismum, præcedente sola attritione, & is statim pòst raperetur ad martyrium, & lubens illud subiret propter spem futuræ gloriæ, excitatus illis verbis Christi; *Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis est*: ille sine dubio esset verè martyr, cùm tamen nunquam elicuisset actum caritatis. Et quamuis aliqui insinuent talem non fore martyrem; tamen hoc est contra communem sensum fidelium, atque ipsorum Patrum, & martyrum, qui sæpissimè ie & alios huiusmodi promissionibus, & metu supplicij ad martyrium excitabant: ita vt quidam videantur maximè fuisse moti, & fortè solis eiusmodi cogitationibus, & Ecclesia eos certò colit vt martyres, cùm tamen non sit fundamentum, vnde possit cognoscere eos actus caritatis elicuisse.

Respondent Secundò, martyrium dici remittere 148
peccata: quia remittit pœnas peccatis debitas. Sed quamuis hæc propositio, *Remitto tibi peccata tua*, possit quandoque in hoc sensu sumi, vt offendam in materia de Pœnitentia; tamen hoc loco hæc responsio non satisfacit. Primò, quia quando aliquid dicitur absolutè habere vim remittendi peccata, secundùm communem sensum intelligitur de potestate remittendi culpam, maximè quando dicuntur quæuis peccata per ipsum remitti. Hic enim modus loquendi pius aliquid indicat, quàm illud tantùm habere potestatem remittendi pœnas peccatis remissis debitas. Secundò, quia Patres dicunt martyrium delere planè & abluere peccata, quod propriè dici non posset nisi maculam deleret. Tertiò, quia comparant atque adeò præferunt hanc eius efficaciam baptismo, quod falsum esset, nisi posset ipsam culpam delere. *Martyrium habet vim remittendi etiã ipsam culpam.*

Probatur concluſ. Tertiò, quia martyrium habet 149
ex se vim producendi gratiam in patiente supra omne eius meritum: vt patet in infantibus, & dictis dub. 1. ergo potest eam producere in quouis ipsum patiente; modò non ponat obicem, & consequenter attrito remittere peccata mortalia. Conseq. probatur, quia ideo præcisè Sacramenta habent vim producendi gratiam in omnibus qui non ponunt obicem, quia vi sua supra merita suscipientium possunt producere gratiam.

Contra dicta alij obiiciunt Primò, quòd nullibi in 150
Scripturis exet talis promissio, quod probant, quia Luc. 12. & alibi, vbi in Scriptura promittitur salus martyribus, promittitur solùm iis, qui perdunt animã propter Christum: atqui illi soli possunt dici perdere animam propter Christum, qui mortem subeunt ex amore Christi: ergo martyrium includit actũ amoris. *Luc. 12.*

Respond. negando minorem. Videtur enim apertè falsa. Primò, nam aliàs hæc sententia non complideret paruulos, qui, vt patet, eiusmodi actum habere nequeunt; quod tamen falsum est. nam Ecclesia absolutè vocat eos martyres, dicitque occisos propter Dominum, eo quòd Christum non loquendo sed moriendo confessi sint. Secundò, quia ipse Christus Matth. 10. v. 28. excitans suos ad fortiter subeundum martyrium ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus: animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Similiter v. 32. excitat eos ad idem spe gloriæ. Et ideo similibus cogitationibus sæpe Sancti se excitabant, quæ sanè fuissent vanæ, si non potuissent esse martyres nisi subiissent mortem ex affectu amoris. Imò debuissent ab eiusmodi cogitationibus auocari ad affectum amoris in se excitandum: præsertim ij qui subitò propter gloriam, quam miraculosè videbant martyribus paratam, conuersi sunt, & statim affecti supplicio: qualis fuit vnus ex X L. martyribus passis sub Licinio, quos sanè secundùm eam sententiam nescio qua ratione potuerit Ecclesia coniicere esse martyres; cùm non habuerit ea de re particularem reuelationem, sed tantùm ex modo quo subierunt mortem id colligat. Tertiò, quia secundùm communem modum loquendi, omnis ille miles dicitur mori propter suum principem, qui ne fidem ei daram frangat, fortiter pugnando occumbit, etiamsi id nullo modo faceret, si non obligaretur. *Possumus sine actu caritatis occidi propter Christum. Matth. 10.*

Ex quibus patet, in huiusmodi locutionibus Scri- 151

pturæ, nullo fundamento posse colligi particulam *propter* significare actum amoris. Sed contrà pari propter Christum necessariò dicendum esse eum omnem, *qui in odium fidei*, aut Christi occiditur: modò saltem non habeat voluntatem ita auersam à Christo, vt ponat obicem gratiæ, quia aliàs infantes non possent dici pati propter Christum.

152 Obiiciunt Secundò quasdam auctoritates Patrum: sed ex iis nihil potest contra hanc sententiam colligi, si considerentur dicta dubio præcedente notabili 3.

D. Bernard. Vnica est auctoritas D. Bernardi, quæ aliquid videtur habere difficultatis. Nam epist. 77. ad Hugonem de S. Victore intendens probare fidem viuam sufficere homini ad salutem sine baptismo, quando quis hunc assequi nequit, ait: *Cùm non aliunde martyrium, nisi ex fidei merito illam obtinuerit prorogatiuam, vt singulariter vice baptismi fecure suscipiatur, non video cur non ipsa aquè & sine martyrio apud eum tantum possit, cui & sine martyrij probamento procul dubio innotescit: posse sanè tantundem dixerim, quantum ad salutis spectat obtentum, non autem ad meriti cumulum, quo indubitanter martyrium antecellit.* Vbi videtur tribuere tantam vim martyrio ex fidei merito. Sed si D. Bernardus in eo sensu intelligendus esset, quo eum illi capiunt, nullus infans posset esse martyr. Dicit igitur Bernardus, martyrium hanc tantam vim habere merito fidei; non quòd sola fides patientis totum eius esse tum mereatur: sed quia in honorem fidei, cui clarissimum & honorificentissimum testimonium perhibet mors pro Christo obita, hoc priuilegium martyrio concessum est. Patet, quia antè dixerat martyrium hanc vim habere ex merito fidei, quia est summa probatio fidei. Et paulò antè idem probat, quia pœna sine fide, nihil est aliud nisi pœna: quando scilicet hæc aut non infertur in odium fidei, aut ei infertur qui positiuè infidelis est.

153 Q. fido voluntas moriendi ne peccatum contineat virtualem attritionem.

CONCL. VII. Etsi non sit improbabile ad effectum martyrij obtinendum, absolutam voluntatem, qua quis statuit mori, ne vllo modo Deum offendat, aut cælum amittat, aut damnetur, sufficienter tollere obicem peccati præcedentis, eo quòd videatur esse virtualis saltem contritio, aut attritio (continet enim absolutam peccati detestationem, aut ex Dei amore, aut ex virtute spei profectam:) secùs tamen est dicendum de voluntate qua quis mauult mori, quàm se tali aut tali certo vitio inquinare, aut contra certam virtutem peccare. Quia hæc voluntas non sufficienter includit auersionem ab alio peccato, quod quis fortè patrauit, cùm possit cum actuali eius amore consistere. Nec enim repugnat aliquem malle mori quàm enorme aliquod peccatum committere, & tamen leuioribus etiam mortalibus peccatis esse deditum: sed talis non habebit absolutam voluntatem potiùs moriendi, quàm offendendi Deum, sed tantùm respectiuam, scilicet potiùs moriendi, quàm offendendi Deum tali peccato. Et secundùm hæc intellecta satis probabilia sunt quæ docet Suarez hîc

Suarez. disp. 39. sect. 3. §. *Dico 3. Probabile est*, &c. Quamuis ibi videatur laxiùs adhuc loqui, cáque quæ dicit absolutè accepta sunt satis difficilia.

154 Potest verè peccatum detestari, qui paulò pòst labitur aut oblata occasione labetur.

Nota tamen non sufficienter colligi aliquem non habuisse absolutam peccati detestationem, eo quod statim pòst cadat, vel etiam quòd tunc caderet, si talis aut talis occasio proponeretur, sed tantùm inde infertur, quòd voluntas eius sit imbecillis in bono. Quamuis enim absoluta voluntas non peccandi non possit consistere cum actuali, aut virtuali voluntate peccandi; potest tamen facilè occurrente tentatione mutari.

155 Vix potest contingere vt Catholicus aliquis

Ex his patet, vix contingere, vt Catholicus aliquis propter veram aliquam virtutem mortem liberè oppetat sine fructu martyrij; eo quòd mors præsens & æternitas secutura facilè eum excitent ad peccatorum absolutam detestationem. Nec credibile est Deum tali casu suis athletis deesse, ita vt ad necessarium dolorem eos non excitet. Quare meritò Ecclesia supponit eos hoc ipso piè mortuos, quo pro vera virtute liberè mortuos scit, nisi contrarium aliunde apparet.

cus in malo statu pro fide liberè moriatur.

Ad fundamentum itaque primæ sententiæ Respond. Apostolum loqui de eo qui neque ex caritate dat corpus, vt ardeat, neque dando caritatem acquirit; vel potiùs de eo, qui actu vel habitu habet voluntatem directè caritati repugnantem: vt fit in hæreticis & schismaticis, qui secundùm externam quidem speciem pro zelo Dei & fidei videntur mori; à parte verò rei magis moriuntur pro vana gloria, aut humana pertinacia, ne veris martyribus in sua opinione videantur inconstantiores. Scribit enim ibi Apostolus Corinthiis, eósque reprehendit, quòd schismata & odia inter se exercerent; eósque hortatur, vt iis depositis mutuam caritatem foueant, docétque aliter, quàm diu dissensiones illas fouent, nulla bona opera iis posse prodesse. 156

Ad Primum fundamentum secundæ sententiæ Respond: Christum in generalibus eiusmodi promissionibus non excludere conditiones iure naturæ aut diuino positiuo requisitas: sicut nec eas excludit quando dicit, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Adde, peccatorem, qui ita pro virtute aliqua moritur, vt non habeat saltem virtualem peccatorum detestationem, non tam videri mori pro Christo, quàm pro politica virtute. Si enim ita moriendo Christum sincerè quæreret, ita se conaretur disponere, vt à Christo per istam mortem posset aliquam gratiam inire, præsertim cùm tunc eum omnia excitent, vt Dei gratiam quærat, vel ex amore Dei, vel saltem ex amore sui. Cùm enim tunc sponte terrena omnia in perpetuum deserat, omnia eum excitant, vt se totum ad Deum conuertat, cui statim est repræsentandus. Quare, vt dixi, vix contingit, vt Catholicus sine legitima dispositione ita moriatur. 157

Ad Secundum, Patres tribuunt singularem vim sanctificandi martyrio supra Sacramenta, non quòd minorem requirat dispositionem; sed quòd maiorem conferat effectum.

Qua ratione martyrium sit efficacius baptismo.

Ad Tertium patet responsio ex concluſ. 7. Diuus autem Thomas intelligendus est de eo qui priùs habuit de peccatis suis attritionem, ne nimium à sententia quàm hîc docet recedat. Nam si verba, vt sonant, acciperemus, deberemus dicere, eum, qui iuisset cubitum cum actuali voluntate peccandi mortaliter, futurum verè martyrem & beatum, si dormiens subitò occideretur in odium fidei, quod nemo dixerit.

D. Thom.

DVBIVM III.

Quando conferatur martyri gratia, siue effectus martyrij?

158 *Cain.* PVtant aliqui eum conferri primo instanti post vitam finitam. Videtur fauere huic sententiæ Caietan. a. 2. q. 124. art. 4 circa solutionem ad 4. sed valdè obscurè loquitur. Sed hoc non videtur probabile, quia tunc caritas patriæ non responderet caritati viæ, nec in via, siue in hac vita esset terminus iustificationis; & posset dari casus in quo quis moreretur inimicus Dei, & tamen esset beatus. Quæ omnia videntur absurda, & contra Scripturas, ac communem DD. sensum.

Alij putant dari statim atque patiens ita vulneratus est, vt naturaliter necesse sit eum mori. ita quidam apud P. Henriquez l. 2. c. 39. num. 2. Sed nec hoc *Henriquez* videtur

videtur satis firmum. Primò, quia sic quandoque daretur longo tempore ante mortem. Potest enim quis accepto tali vulnere sæpe multos dies superuiuere, imò hausto aliquo veneno mortifero, multos menses. Secundò, quia posset iam acceptam gratiam martyrij per peccatum amittere; quæ sunt inconuenientia. Gratis autem videtur dici Deum talem confirmare in gratia; quia eius rei nulla extat sufficiens ratio, præsertim quando tam diu superuiueret.

159 Respondeo itaque Primò, si detur vltimum instans vitæ, in hoc gratiam conferri; quia in eo martyrium consummatur, hanc etiam sententiam cum aliis docet Henriq. sup. Respond. Secundò, etsi hoc non detur (sicut communiter dari negatur) omnino tamen videri concedendum, dari aliquod breue tempus ante mortem, quo ita martyr sit affectus, vt non modò naturaliter non possit diu viuere, sed vt nullo modo in posterum vllo sensu vti possit; & tunc dari gratiam martyrij: quia tunc moraliter censetur martyrium consummatum, etsi physicè adhuc duret. Quia moraliter loquendo, tunc homo censetur mortuus: quia non potest ampliùs viuere vita hominis, sed vt summum vita plantæ, idque ad breuissimum tempus. Dari autem tale tempus patet, quia maior requiritur dispositio, vt anima possit tales actus exercere, quàm vt possit corpus informare, vt multis experientiis patet: ergo citiùs tollitur illa dispositio quàm hæc.

Henriquez.

Dices, Posset fieri, vt Deus talem hominem miraculosè sanaret, vt de quibusdam martyribus factum legimus, & tunc posset adhuc peccare, & gratiam illam amittere. Respondeo, similiter fieri posse, vt mortuum excitet, quod etiam legimus factum, eadémque in hoc casu reddit difficultas. An autem tali casu possit perdi gratia martyrij; an verò Deus talem confirmaret in gratia, certò respondere non possumus. Quia certum est Deum vtrúmque facere posse: nec nobis reuelauit quid esset facturus. Et sicut illi actus sunt omnino extraordinarij: ita etiam secundùm ordinariam diuinæ prouidentiæ regulam non necessariò ordinantur. 160

QVÆSTIO LXVII.

DE

MINISTRO

BAPTISMI.

1 VINQVE primis articulis vnam eandémque tractat difficultatem: Quis scilicet valide possit administrare baptismum: quare simul omnes breuitatis causa explicabimus. In iis itaque docet, soli quidem sacerdoti ex officio competere baptizare, in necessitate tamen quemuis posse baptizare, qui formam norit, etiam mulierem & hæreticum, & non baptizatum. Ita definitum est c. *Firmiter.* de summa Trinitate, & clarissimè in Concilio Florentino in decreto de Armenis, vbi dicitur: *Minister huius Sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in causa autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus & mulier; imò & paganus & hæreticus baptizare potest, dummodo formam seruet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.* Nec hac de re iam vlla est saltem inter Catholicos dubitatio. Olim tamen tempore D. Augustini res erat multò minùs certa. Vnde, vt patet ex l. 2. contra epist. Parmeniani c. 13. ipse dubitabat an non baptizatus posset valide baptizare: qui tamen l. 7. de baptismo c. vlt. dicit sibi videri probabilius, talem valide baptizare.

Quinã baptizare possint.

Florentin.

D. Aug.

2 Contra dicta variæ Patrum auctoritates obiiciuntur: sed ex iis nihil aliud probatur, quàm laicum & maximè mulierem prohiberi omnino baptizare, nisi necessitas ad hoc cogat, & non sit alius qui id facere possit. Etsi enim quiuis in casu necessitatis, hoc Sacramentum conferre potest, tamen decentia & Ecclesiæ lex requirunt, vt dignior semper præferatur minùs digno, si ille velit & commodè possit baptizare: aliàs præstat mulierem peritam baptizandi, viro imperito præferri: & laicum non excommunicatum clerico excommunicato, maximè non tolerato, aut hæretico, ita Nauarr. c. 22. n. 7. quia cum his in rebus sacris sine magna necessitate nulla habenda est communicatio, & maximè eos decet tractare Sacramenta. Et hac ratione aliæ obiectiones facilè soluuntur. Aliquam tamen difficultatem habet c. *Quos à pagania.* de consecr. d. 4. vbi Gregor. II. scribit Bonifacio Episcopo rebaptizandos esse quosdam baptizatos à paganis. Sed dicendum est, eum loqui de paganis formaliter sumptis, siue ritu pagano, & non seruato ritu Ecclesiæ baptizantibus: vt D. Thom. hic in corpore, & patet ex sequentibus, quia Pontifex ibidem iubet tales rebaptizari in nomine Trinitatis, inuenis antè in eo non esse baptizatos.

In conferendo baptismo digniorem semper præferendum, nisi aliud obstet.

Nauarr.

D. Thom.

3 Nota Primò, sacerdotem baptizantem sine solemnitate extra necessitatem peccare mortaliter; & similiter baptizantem in domo priuata, nisi filium principis. Patet ex Clement. 1. de baptismo. *Non licet cõmuniter baptizare in domo priuata.*

Nota Secundò, ex eo quòd Concilia dicant in necessitate quemuis posse baptizare, inde non rectè inferri, extra necessitatem feminam, paganum vel hæreticum non posse validè baptizare, (hoc enim falsum est) sed extra necessitatem hoc illicitè fieri. Nec enim necessitas mutat essentiam Sacramentorum: nec potest efficere, vt aliquid ei desinat esse essentiale, quod aliàs ei est essentiale: vt ostendi q. 66. a. 7. dub. 2. *Femina aut paganus sine necessitate validè, sed illicitè baptizant.*

4 Nec his obstat, quòd in necessitate, siue articulo mortis quiuis sacerdos possit audire cuiusuis confessionem, eúmque validè ab omnibus peccatis absoluere, qui tamen aliàs inualidè id tentaret, hoc enim non fit, quia in vno casu aliquid requiratur ad essentiam Sacramenti, quod aliàs non requiritur: sed quòd in ministro Pœnitentiæ essentialiter requiratur iurisdictio in pœnitentem, sine qua inualidè hunc absoluit: quam iurisdictionem necessariò accipit ab Ecclesia (saltem quoad subiectionem huius, vel illius materiæ) quæ eam in articulo mortis deficientibus aliis, qui ex iure communi eam habent, cuiuis sacerdoti concedit, quam tamen iisdem extra eum casum negat. Quare idem omnino est minister huius Sacramenti in necessitate & extra eam, scilicet quiuis sacerdos habens legitimam iurisdictionem in pœnitentem. *Curio necessitate possint à peccatis absoluere, qui id aliàs non possent.*

5 Nota Tertiò, nullo vnquam casu posse aliquem seipsum baptizare: vt communiter omnes affirmant, & expressè habetur c. *Debitum.* de baptismo, & col-

ligitur apertè ea forma baptismi, in qua dicitur, *Ego te baptizo*: non autem, Ego me baptizo. Ratio à priore est institutio Christi. Conuenientia est, quia sicut nemo potest seipsum generare corporaliter; ita nec conuenit, vt quis seipsum possit spiritualiter generare.

DVBIVM I.

Quibus de iure competat alios baptizare?

6 Cur baptismus requirat particularem ministrum?

NOta, baptismum ex duplici capite requirere certum aliquem ministrum. Primò, ratione iuæ dignitatis: cùm enim sit actio valdè tancta, exigit vt extra necessitatem, non cuiuis committatur, sed solis iis qui Deo singulariter consecrati sunt. Secundò, ex eo quòd baptizans, exerceat aliquo modo actum iurisdictionis, non quidem respectu eius quem baptizat, sed respectu Ecclesiæ, cuius membrum facit ipsum baptizatum, vt ostendam in concl. 1.

7 Episcopus suo iure baptizat.

CONCL. I. Primò, & per se de iure competit Episcopo baptizare eos omnes, qui in sua diœcesi commorantur. Hæc est omnino certa, & per se clara. Ratio est; quia adscribere aliquem in membrum alicuius communitatis, communicando ei omnia eius priuilegia, propriè conuenit vel tali communitati, vel ei qui tuptemum ius in eam habet. Tale autem ius in Ecclesia soli habent Episcopi, qui sunt eius Principes. Romanus quidem respectu totius orbis: alij verò respectu suæ diœcesis. Cùm igitur per baptismum aliquis adscribatur in membrum Ecclesiæ, vt eius priuilegiis in posterum fruatur, hoc facere propriè spectat ad Episcopos.

8 Sacerdos auctoritate ab Episcopo accepta. *Tertull.*

CONCLVSIO II. Secundo loco baptizare spectat ad sacerdotes; non quidem ita vt suo iure id possint, sed ex commissione Episcopi, quia ipsi non sunt Principes Ecclesiæ, sed adiutores Episcopi, eique subiecti. Hinc Tertul. l. de baptismo c. 17. air, *Dandi quidem* (scilicet baptismum) *habet ius summus Sacerdos, qui est Episcopus; dehinc presbyteri & diaconi: non tamen sine Episcopi authoritate propter Ecclesiæ honorem.* Similiter S. *D. Hieron.* Hieron. contra Luciferianos: *Inde*, inquit, *venit, vt sine chrismate, & Episcopi iussione neque presbyteri, neque diaconi ius habeant baptizandi.*

9 Vbi Nota Primò, comparari ab illis Patribus presbyterum cum diacono; non quòd æqualiter ad vtrumque spectet munus baptizandi (est enim hac in re magna inter eos differentia,) sed quòd neuter possit baptizare nisi accepta potestate ab Episcopo.

Florentin. Q. modo sacerdos sit ordinarius minister baptismi.

Hinc patet, quod dicit Florentinum in literis vnionis, presbytero ex officio competere baptizare; non ita intelligendum esse, quasi hoc ipso quo quis est sacerdos, habeat completum ius quemuis baptizandi (hoc enim falsum est, vt patet ex dictis:) sed quia, cùm per sacerdotium accipiat potestatem in corpus Christi verum, quia potest illud consecrando conficere, efficitur etiam idoneus, vt ei committatur ordinaria potestas in corpus Christi mysticum, siue in fideles, qui sunt mystica Christi membra. Hinc potest ei ita committi cura animarum, vt ex officio & ordinario iure ad eum spectet, vt instar Pastoris suis ouibus omnia Sacramenta præter Ordines, & confirmationem ministret, & earum proles baptizet.

10 *Trident.*

Nota Secundò, etsi nemo ante baptismum (vt patet ex Trident. sess. 14. c. 2.) sit subiectus Ecclesiæ, ita vt possit ipsius præceptis directè obligari: nihilominus indirectè ex ipso iure naturali & diuino teneturin suscepturie huius Sacramenti statutum Ecclesiæ obseruare, quæ singulis particularibus Episcopis & Pastoribus præscripsit certa loca, quæ eorum curæ subsint; ita vt nulli eorum liceat administrare Sacramenta in aliena diœcesi, aut parochia commorantibus (exceptis in certo casu Ordinibus) sine expressa vel tacita licentia proprij Pastoris illius loci. Peccat igitur catechumenus petendo extra necessitatem baptismum ab alterius loci Parocho: tum quia nititur contra Ecclesiæ voluntatem, & canones obtinere: tum quia inducit alium, vt faciat quod ei non licet. Et vlteriùs peccant parentes, qui suas proles alieno Parocho sine licentia proprij, baptizandas offerunt, quia ipsi directè contrario Ecclesiæ præcepto obligantur. Qua ratiõ ne peccet ab alieno Pastore petens baptismum.

Nota Tertiò, etsi grauiter peccet sacerdos, qui extra necessitatem sine legitima auctoritate baptizat; tamen nec excommunicationem, nec irregularitatem incurrit, quia id nullo iure statuitur, vt bene notat Candelabrum aureum q. 41. de baptismo, & Nauarr. c. 22. n. 7. 11 *Candelab. aureum. Nauarrus.*

Nota Quartò, vagabundos & peregrinos quoad hunc effectum sortiri parochiam in eo loco, in quo pro eo tempore commorantur, dum intendunt hoc Sacramentum suscipere: vt pluribus dicemus in materia de Pœnitentia.

12 *Florentin.* Officium baptizandi nõ competit diacono. *Gelas. Papa.*

CONCL. III. Officium baptizandi non competit diacono. Patet ex Florentino, quod docet hoc competere sacerdoti, insinuans apertè aliis non competere. Et clarè docet Gelasius Papa in epist. ad Episcopos Lucaniæ, & refertur c. *Diaconos*. 93. dist. vbi de diaconis ait: *Absque Episcopo vel presbytero baptizare non audeant; nisi præcedente Orationibus fortasse longius constitutus, necessitas extrema compellat.* Vnde sequitur Primò, non esse proprium diaconi officium baptizare, quia aliàs posset ei ex ordinario iure committi: sicut committitur sacerdoti, quod tamen ex modo loquendi tum Gelasij, tum Florentini facilè patet esse falsum. Vnde c. *Constat*. de consecr. d. 4. dicitur: *Constat baptisma solis sacerdotibus esse tractandum: etiamsi quibus mysterium nec ipsis diaconis explere licitum.* Hinc etiam Clemens Roman. l. 8. Constit. Apostol. c. 46. *Neque enim jas est*, inquit, *diacono sacrificium offerre aut baptizare.* *Clem. Rom.*

13 Potest tamen ei committi.

Sequitur Secundò ex dictis Gelasij, posse hoc munus ex iusta causa committi diacono, hoc enim apertè significant illa verba: *Absque Episcopo vel presbytero*, scilicet hoc diaconis iusta ex causa committentibus: & necessariò coniungunt illa verba, quæ dicuntur in ordinatione diaconi, scilicet, *Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare & prædicare.* Vbi clarè ostenditur cum aliquo modo ordinari ad baptismum conferendum; scilicet ex commissione Episcopi vel presbyteri: vt patet ex dictis Gelasij.

Sequitur Tertiò, non posse committi diacono ordinariam potestatem baptizandi, nec extraordinariam sine iusta necessitate, quia aliàs posset ei eodem modo hoc officium committi atque sacerdoti, qui non potest baptizare sine commissione Episcopi. Hoc tamen falsum esse patet ex iuribus citatis.

14 Qualis causa requiratur vt baptismus committatur diacono.

Sequitur Quartò, vt baptismus licitè committatur diacono, necessitatem non debere esse extremam, quia in hac etiam laici baptizare possunt: sed sufficere esse notabilem aliquam necessitatem, v. c. si vel ob multitudinem baptizandorum, vel infirmitatẽ, aliásve graues & necessarias occupationes non posset sacerdos satisfacere omnibus petentibus baptismum, ne hi iam saris parati cogerentur cum aliquo incommodo diu baptismum differre, posset hoc munus committere diacono. Ita Sotus in 4. d. 4. q. vnic. a. 1. §. *Prior concl.* videtur tamen id restringere ad loca vbi est paucitas sacerdotum, tenent autem Vasq. disp. 147. n. 24. & Suarez disp. 23. sect. 2. in fine. *Sotus. Vasquez. Suarez.*

15 CONCLVSIO IV. Extra extremam necessitatem (quæ tunc censetur esse, quando est probabile periculum, ne aliquis moriatur sine baptismo nisi iam baptizetur) nulli inferiori quàm sit diaconus licet etiam ex commissione Episcopi baptizare. Ita communiter

miniter DD. & sequitur ex iuribus citatis; quæ dicunt hoc officium esse proprium sacerdotis, & diaconi ex huius commissione. Vnde insinuant aliis committi non posse. Posita autem tali necessitate quiuis licitè baptizat, abientibus presbyteris & diaconis. Ita apertè Florentius. in literis Eugenij, & Gelasius c. *Diaconos*, dist. 93. ita tamen vt si adsint, & baptizare possint, clericus præferatur laico, & dignior clericus minùs digno: similiter mulieri vir, Catholicus hæretico, aut Pagano, siue non baptizato: vt dixi in explicatione articuli.

Florentius. Gelasius.

DVBIVM II.

Quale sit peccatum supradictum ordinem inuertere?

16 NOta, constare inter omnes, esse graue peccatum, si sine graui necessitate aliquis baptizet, qui non est sacerdos: vt clarè patet ex iuribus suprà citatis. Sed dubium est, Quale sit peccatum, si in periculo mortis non sacerdos præsente sacerdote, aut inferior clericus omisso digniore, aut laicus omisso clerico, aut mulier præsente viro, aut non baptizatus aut infidelis præsente Catholico baptizato, aut excommunicatus præsente non excommunicato, sine iusta causa baptizet. Esset autem iusta causa hunc ordinem inuertendi, si dignior ob imperitiam, aut inualitudinem, id non posset commodè præstare, aut absolutè nollet. Qua in re, deficiēte iusta causa, communiter omnes dicunt committi aliquod peccatum, pauci tamen explicant, quale sit peccatum. Sotus in 4. d. 4. q. vn. ar. 2. putat tunc tantùm esse peccatum mortale, quando sacerdos qui possit & velit baptizare, omittitur. Alij verò volunt omnem huius ordinis inuersionem esse peccatū mortale, quia aliquod præceptum violatur in re graui.

Sotus.

17 CONCLVSIO I. Sacerdos licitè baptizat sibi subiectos etiam præsente Episcopo, modò hic non contradicat, quia ex officio hoc munus ei competit. Quare nulla sit irreuerentia Sacramento, nec etiam Episcopo; quia cōsentit, hoc ipso quo non contradicit. Posset tamen sacerdoti hoc prohibere si vellet per se baptizare, modò esset superior presbyteri.

18 CONCLVSIO II. Semper est peccatum mortale si omittatur sacerdos, qui velit & legitimè possit baptizare. Valent. to. 4. d. 4. q. 2. punct. 1. Suarez disp. 31. sect. 4. Quia hac in re non tantùm committitur grauis irreuerentia erga Ordinem sacerdocalem, cui ex officio conuenit baptizare, sed etiam erga ipsum Sacramentum, quod ob sui reuerentiam postulat à solo sacerdote conferri, quando id fieri potest: vt patet ex iuribus citatis dub. 1. concl. 3. ex quibus patet saltem iure Ecclesiastico ita esse statutum. Vnde etiam sequitur eum non posse consentire, vt alius baptizet, nisi ipse legitimè sit impeditus ob excommunicationem, aut aliam iustam causam; quæ minor requiritur, vt possit hoc committere diacono, quàm aliis, vt patet ex dubio 1. concl. 3. quia iura ibi citata tantùm permittunt aliis baptismum in extrema necessitate: quæ tunc non potest dici esse, quando adest sacerdos non excommunicatus, qui sine grauissimo incōmodo baptizare potest. Quòd si tamen esset hæreticus, aut publicè excommunicatus, præsertim nominatim, ei præferēdus esset etiā laīcus non excommunicatus, ita Nauar. c. 22. n. 7. dicēs esse communem, contrà de excommunicato docet Henriq. l. 12. c. 28. n. 3. quod non est improbabile, quando sacerdos non est nominatim excommunicatus.

Valentia. Suarez.

Sacerdos consentiēs vt alius se præsente baptizet, peccat nisi adsit iusta causa.

An laīcus sacerdoti excommunicato præferendus. Nauarrus. Henriquez.

19 CONCLVSIO III. Idem dicendum si diaconus præermittatur. ita P. Suarez disp. 23. sect. 2. in fine. Prob. quia cùm Ius expressè velit, vrgente necessitate huic præ aliis cum ob honorem Ordinis, tum ob reuerentiam Sacramenti, hoc officium committi (vt pater ex ipsius ordinatione, & iuribus citatis dub. 1.) & cùm materia sit grauis, sequitur grauem ad hoc esse obligationem. Etsi enim per se loquendo irreuerentia quæ fieret aut Sacramento, aut Ordini per illam inuersionem Ordinis, non sit fortè ita grauis, vt secluso præcepto positiuo obliget sub peccato mortali, est tamen sufficiens, vt sub peccato mortali prohibeatur. Cùm itaque, vt ostendi, circa hāc rem sit aliquod præceptum (siue hoc sit diuinum siue Ecclesiasticum, quod ad præsentem difficultatem nihil refert) obligabit omnino sub peccato mortali, vt bene probat P. Vasq. disp. 147. n. 34. Vnde sequitur, sine grauissima causa diaconum non posse tunc alteri committere officium baptizandi, quia fieret cum iniuria Ordinis & Sacramenti.

Vasquez.

CONCLVSIO IV. Si nullus adsit sacerdos aut diaconus, modò is qui baptizat sit baptizatus, Catholicus, & nulla censura irretitus; inuersio dicti ordinis tantùm est peccatum veniale. Suarez disp. 31. sect. 4. §. *Vnde* 3. & Zecchus c. 5. de baptismo §. *Quando verò*. Prob. quia hæc inuersio nullo iure positiuo est prohibita; quia nullum tale præceptū exstat: & consequenter tantùm est mala ob quandam indecentiam, quæ etsi sufficiat, vt possit prohiberi sub peccato mortali, secluso tamen præcepto per se non videtur ita grauis, vt constituat peccatum mortale: atque ita patet solutio ad argumentum allatum n. 16. in fine. 20

Inter reliquos inuersio ordinis est venialis. Suarez. Zecchus.

Nec his obstat quòd Tertul. & alij quidam Patres grauiter inculent quosdam hæreticos, quòd permitterent mulieres baptizare. Quia hi hoc iis permittebant, vt ordinariis ministris Sacramenti, quod illi meritò grauiter reprehendunt.

Tertull.

CONCLVSIO V. Omnis excommunicatus peccat mortaliter præsentibus aliis baptizando, nisi sine graui incommodo id non possit virare. Per se patet, quia hoc grauiter ei est prohibitum. Quando autem peccent qui talem inuitant ad baptismum conferendum, satis diximus q. 64. art. 6. dub. 2. vbi etiam dub. 1. satis ostendi quomodo peccet conferens baptismum in peccato mortali. 21

Excommunicatus sine necessitate baptizans peccat mortaliter.

Solùm hic restat dicendum, Vtrùm sit peccatum mortale, si relicto fideli baptizato, qui commodè baptizare posset, assumatur infidelis, aut non baptizatus. Respondent aliqui, per se loquendo non esse peccatum mortale: quia hæc indecentia non videtur ita grauis; per accidens tamen, ratione scandali aut periculi, ne alter malè baptizet, communiter esse peccatum mortale; ita Zecchus & Suarez suprà. 22

Zecchus. Suarez.

Sed si agamus de hæretico, cùm hic sit excommunicatus, & extra necessitatem non possit id licitè facere; certum est esse peccatum mortale illum alteri præponere sine notabili necessitate; ita Zecchus suprà.

Item hæreticus. Zecchus.

Quòd si agamus de non baptizato, etsi quod dicunt suprà citati, non possit apertè conuinci esse falsum; tamen videtur satis difficile, præsertim si idem sit infidelis. Videtur enim grauis irreuerentia in ipsum Sacramentum committi, si hic in eius collatione præponatur fideli baptizato. Sed quia hoc vix vmquam contingit, non est necesse pluribus disputare.

Idemque de infideli aut non baptizato.

Nota demum, quoties baptismus non confertur solemniter, cùm non sit actus Ordinis, qualiscumque huius Ordinis fiat inuersio, etiamsi peccetur, non tamen incurritur irregularitas: quia non vsurpatur alienus Ordo. Ita Nauarr. c. 27. n. 242. & Candelabrum aureum q. 38. de baptismo. 23

Nauarr. Candelab. aureum.

DVBIVM III.

Vtrùm diacono aliquando liceat baptizare solemniter?

SVppono ex communi sententia hoc non licere vmquam vlli inferiori nisi ex commissione Papæ: 24

hunc tamen posse cum aliis dispensare vt saltem eo casu, quo alias licitè ob extremam necessitatem possent baptizare, possint baptizare solemniter; videtur, satis clarum. Nam cùm solemnitas sit solo iure Ecclesiastico introducta, nulla videtur ratio cur Papa non possit eo casu dare veniam inferioribus clericis solemniter baptizandi: vt rectè Suarez disp. 23. sect. 2. & alij. Citra huius autem facultatē quiuis inferior clericus solemniter baptizans incurrit irregularitatem, nisi ignorantia excuset: nec eum vlla excusat necessitas, quia non occurrit necessitas solemniter baptizandi. Ita docent omnes DD. ex c. 1. de clerico nō ordinato ministrante. Purè tamē laicum solemniter baptizantem nō fieri irregularem docet Henriq. de baptism. c. 29. n. 1. multos pro hac sententia citans. Ratio eorum est, quia lus statuens esse irregularē vsurpantem Ordinem quo caret, videtur solùm loqui de clerico: vt patet ex titulo. Nauar. tamen c. 27. n. 242. cum aliis docet contrarium, &, vt credo, melius. Sed hæc latius in tractatu de censuris.

Suarez. Prior de diacono clericus solemniter baptizans incurrit irregularitatis.

Henriquez.

Nauar.

25 His positis de diacono sunt duæ extremæ sententiæ. Prima negat hoc ei vnquam licere; ita Soto in 4. d. 4. q. 1. nisi forte in locis, vbi est raritas magna sacerdotum. Secunda docet, cum hoc aliquando posse facere iure suo: absente scilicet sacerdote, & baptizādi vrgente necessitate, citāque pro se gloſſam in cap. *Diacones*. dist. 93. verbo *Necessitas*. Vbi docet in necessitate & absentia sacerdotis diaconum iure suo posse baptizare. Et probatur ex ordinatione diaconi, vbi dicitur: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare.* Vbi videtur ex sua ordinatione habere hanc potestatem, vt saltem absente presbytero possit baptizare solemniter.

Soto.

26 Conclvsio. Probabilius est diaconum ex auctoritate siue commissione Episcopi aut sacerdotis iustam ob causam (vt quando sacerdos non potest omnes per se baptizare) posse solemniter baptizare: citra eam verò numquam. Ita videtur sentire Vasquez disp. 147. n. 25. & Cajet. hic a. 1. dum absolutè docet diaconum ex commissione sacerdotis posse baptizare, & sine ea non posse; quod videtur intelligendum de baptismo solemni: nam non solemnem aliquando sine commissione ministrare potest, & est communior sententia, quamquam DD. ferè confuse & indistinctè in hac re loquantur.

Vasquez. Cajetan.

Prior pars probatur. Primò, quia diaconus ex sua ordinatione habet quòd possit ex commissione baptizare, quod videtur intelligendum de baptizatione solemni. Cùm enim Ecclesia possit facilè concedere, vt quoties committitur ei facultas baptizandi, committatur ei facultas baptizandi solemniter, nulla est ratio cur id non faciat, cùm personæ solemniter consecratæ ad baptizandum satis conueniat solemniter baptizare, & decentius sit baptismum solemniter conferri, quando aliud non obstat. Probatur Secundò ex cap. *Diacones*. d. 39. vbi præcipitur ne diaconus audeat baptizare absque Episcopo aut presbytero, id est, secundùm gloſſam, sine eorum auctoritate, siue commissione. Vbi clarè insinuatur ex rationabili causa posse diacono cōmitti baptismum, etsi grauis necessitas ad hoc non compellat: quia posita tali necessitate potest sine commissione baptizare, vt subditur. Cùm igitur sine graui necessitate non possit omitti solēnitas baptismi, sequitur ibi agi de commissione baptismi solēnis. Vnde etiam gloſſa ibidem docet, nimis occupatum presbyterum posse diacono committere vt in ecclesia baptizet, vbi non solet dari nisi baptismus solemnis.

27 Secunda pars probatur. Quia dicto c. *Diacones*. his præcipitur, vt *absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis ordinibus fortasse longius constitutis necessitas extrema compellat: quod etiam laici Christianis facere plerumque conceditur.* Vbi clarè innuitur, sine commissione sacerdotis diaconum non aliter posse baptizare, quàm laici possunt baptizare; nec gloſſa contrarium docet, sed tantùm ait hoc casu posse eum suo iure baptizare: imò docet potiùs, *in ecclesia* siue solemniter, sine commissione non posse baptizare. Et ratio videtur esse quam insinuat Cajet. hic a. 1. *Cajet.* Quia nimirum diacono propriè conuenit inseruire sacerdoti, atque ita quæcumque facit, vt diaconus debet ea facere, vt inseruiens sacerdoti. Quòd si autem aliquando sine commissione posset solemniter baptizare, non faceret hoc, vt inseruiens sacerdoti, sed quasi suo iure. Nam in ea re non posset dici inseruire sacerdoti. Secùs est quandò id facit ex commissione sacerdotis; quia tunc quodammodo ei inseruit, dum eius mandato obsequitur. Nec refert quòd in extrema necessitate possit baptizare sine commissione non solemniter, quia hoc non facit propriè, vt diaconus, cùm eo casu etiam laici possent ita baptizare, si ipse abesset. Quòd autem ceteris præferatur, hoc non facit, vt ille actus sit Ordinis. Quare diaconus sine commissione solemniter baptizans esset irregularis, quia vsurparet actionem Ordinis quem non habet: nec necessitas excusat; quia nulla est necessitas baptizandi solemniter. *Diaconus solemniter baptizans sine commissione fit irregularis.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum plures possint simul vnum baptizare?

28 HOc art. 6. D. Thomas varias tangit difficultates, & ex eius textu hæ tres conclusiones possunt elici. *D. Thom.*

Conclvsio I. Si duo baptizantes vterentur hac forma: Nos te baptizamus, inualidè id facerent; quia significarent plures conuenire ad vnum baptismum, quod est contra institutum Christi, si nimirum conueniant tanquam causæ partiales.

29 Conclvsio II. Si vterque pronuntiaret legitimam formam & aquam infunderet, haberētque legitimam intentionem; si vnus ante alterum absoluerer, hic solus baptizaret; & secundus esset rebaptizator & irregularis; si verò simul absoluerent, vterque baptizaret; peccarent tamen contra legitimum ritum conferendi hoc Sacramentum.

30 Concl. III. Eo casu quo vterque verè baptizaret, esset tantùm vnicum Sacramentum, quia Christus qui est vnus interiùs baptizans, vnum Sacramentum per vtrūque conferret. Sed hæc ratio non conuincit, quia Christus non confert interiùs Sacramentum, sed effectū Sacramenti: & ex eo quòd hic sit vnicus, inde non sequitur eū ab vno solo Sacramento cōferri, quia duæ causæ morales possunt facilè efficere vnum effectum.

Quare alij adferunt aliam rationem, quia scilicet Sacramentum est in genere signi, atque ita eius forma est totalis significatio, quæ hic vna est, & consequenter vnum Sacramentum. Sed nec hæc ratio satisfacit, quia etsi sit vna res significata, tamen eiusdem sunt hic duo integra signa, & vtrumque habet distinctam numero significationem. Sicut quādo duo simul dicunt eodem tempore: Ioannes currit, sunt duæ orationes idem significantes. Adde, vtrumque signum siue Sacramentum non significare eandem rem eodem modo. Nam vterque conferens Sacramentum, significat *eius* effectum hic & nunc conferri non quocumque modo, sed per suum ministerium, quod in vtroque diuersum est. Alij dicunt esse vnum Sacramentum, quia cùm sit vnicum subiectum ablutionis, etiam vnica est ablutio.

Sed contrà Primò, quando vterque abluit distinctam hominis partē, non potest esse vna ablutio, quia sunt diuersa subiecta, sicut non potest esse vna albedo in pede & capite, præsertim quando totum reliquum 31

corpus esset nigrum. Imò videtur idem dicendum etsi eandem partem vterque lauet aquam infundendo, quia cùm sit duplex infusio aquæ, & duplicis aquæ receptio: cùm item quisque intendat, vt agens totale & independenter ab altero abluere; est etiam virtute & ex intentione agentium duplex ablutio. Imò etsi possit esse physicè loquendo vna ablutio, vt quando simul baptizandum aquæ immergunt, cùm tamen sit duplex forma, à qua sicut esse, ita vnitas rei maximè dependet, non potest esse vnum Sacramentum. Adde etiam eo casu ablutionem moraliter & virtute esse duplicem ratione duplicis intentionis, ex qua fit. Confirmatur, quia quando vnus simul baptizat plures dicendo, Ego vos baptizo; sunt plura baptismata, cùm tamen forma sit formaliter vna, & tantùm virtute duplex: ergo similiter sufficiet, quòd in dicto casu materia sit virtute duplex, vt possit esse duplex baptismus.

Alia etiam est difficultas circa primam conclusionem, cur nó valeat hæc forma, Nos te baptizamus, posito quòd duo omnino simul baptizent iuxta concluſ.

Alia item difficultas est cur sit illicitum duos eundem baptizare iuxta secundam concluſ. Quæ omnia, & quædam alia sequenti dubio examinabimus.

DVBIVM I.

Qua ratione possint duo eundem baptizare?

32 CONCLVSIO I. Nunquam duo possunt validè conferre eundem baptismum, vt causæ illius partiales. Ita communiter ferè Theologi cum D. Thoma hîc contra Marsilium in 4. q. 4. a. 4. dub. IL qui putat in casu necessitatis, vt si esset infans non baptizatus iam iam moriturus, & tamen duo ei adessent, quorum vnus careret brachiis, & alter esset mutus, validum fore baptismum, si hic infunderet aquam, & alter pronuntiaret formam. In quam sententiam inclinat etiam Caiet. hîc. Et ratio eorum est, quia Christus non videtur ita instituisse suum Sacramentum, vt in tali casu tali infanti non possit conferri. Sed hæc ratio nullius momenti est; quia si quid probaret, probaret etiam mutum si solus tali infanti adesset, posse baptizare sola ablutione sine prolatione formæ: aut carentem manibus sola prolatione formæ, quæ absurdissima sunt. Adde, eam sententiam supponere alia ad essentiam Sacramenti requiri extra necessitatem, quàm in necessitate, quod suprà sæpius refutauimus.

D. Thom. Marsilius.

Caietan.

33 Probatur igitur concluſ. quia proferens formam dicendo: *Ego te baptizo*, diceret falsum, quia reuera ipse non baptizaret, sed alter. Dices Primò, hoc quidem esse verum in nostra forma, non tamen in forma Græcorum, qua dicitur: *Baptizetur seruus Christi.* Sed hoc non satisfacit; quia, vt ostendi suprà q. 66. art. 6. concluſ. 2. forma Græcorum necessariò idem implicitè significat, quod nostra, scilicet, Sacramentum hîc & nunc conferri per ablutionem factam à pronuntiante formam; & consequenter eumdem pronunciare formam & abluere, quia forma Græcorum debet explicari per nostram, & non contrà. Dices Secundò, Poterit pronuntians formam dicere, Nos te baptizamus. Sed contrà, hoc etiam falsum erit, quia significabit se etiam abluere, quod tamen non faciet.

34 Dices Tertiò, verbum Baptizo in forma Sacramenti non significare necessariò externam ablutionem, sed internam, siue collationem ipsius Sacramenti, ita vt idem sit. Nos te baptizamus, atque, Nos conferimus tibi Sacramentum baptismi; quod eo casu erit verum: sicut verum est duos trahere eandem nauim.

Forma significat immediatè externam ablutionẽ.

Respond. formam necessariò significare immediatè externam ablutionem, quia non potest significare per se immediatè internam ablutionem, aut collationem Sacramenti, sed tantùm vt coniuncta vnà cum ablutione, hanc quasi informat ipsam determinando, vt habeat potius rationem ablutionis quàm refrigerationis: vt ostendi q. 60. art. 6. n. 26. ad quod necessarium est, vt immediatè eam significet prout hîc & nunc exercetur à ministro.

Probatur concluſ. Secundò, quia Sacramentum 35
semper irritè confertur, quando confertur contrà institutionem Christi: atqui Christus hoc ita instituit, vt vnus minister tamquam causa totalis illud conferret: ergo inualidè illud conferunt duo, vt causæ partiales; quia hoc cum illo pugnat. Minor patet, tum ex vsu Ecclesiæ totius, quæ semper voluit per vnicum ministrum hoc Sacramentum conferri: tum ex ipsa forma, præsertim qua Romana Ecclesia vtitur, quæ apertè significat vnicum esse ministrum totius Sacramenti: quæ sine dubio optima est; & consequenter quæuis alia forma legitima debet ei esse synonyma, quia aliàs darentur formæ specie distinctæ, siue quæ haberent distinctam significationem, vnius Sacramenti; quod omnes communiter negant. Vnde sequitur nullũ posse dari validum baptismum, in quo nostra forma esset falsa. In dicto autem casu nostra forma accepta secundùm suam communem significationem esset falsa.

Nulla datur legitima forma baptismi quæ non sit synonyma cum forma Latinorũ: nec baptismus validus in quo hæc esset falsa.

Hinc etiam patet inualidum fore baptismum si duo eundem lauarent, & vterque integram formam pronuntiaret, & tamen intenderent tamquam causæ partiales concurrere ad eundem baptismum, siue id exprimerent, siue non; quia haberent intentionem contrariam institutioni Christi, qui voluit vnam ablutionem, vnámque formam ab vno ministro prolatam componere integrum Sacramentum: illi autem intenderent contrarium, vt per se patet.

Duo nunquam possunt eundem baptizare, vt causæ partiales.

CONCLVSIO II. Quando duo eundem simul bap- 36
tizant, ita vt vterque eum abluat, ac formam integrè pronuntiet, intendens per se absolutè, vt causa totalis integrè Sacramentum conferre, si eodem instanti ponant omnia essentialia Sacramento; vterque verè baptizabit; & eandem omnino gratiam ac characterem, tamquam eiusdem effectus causæ totales, producent, non aliter quàm si quisque solus baptizaret. Hac in re laborant nonnihil, qui docent Sacramenta esse causas physicas gratiæ, vt ostendant qua ratione possint dari duæ causæ totales eiusdem effectus. Sed quidquid hac de re sit, in nostra sententia non est difficultas; quia facilè intelligitur quomodo Deus ratione suæ promissionis possit propter duo signa diuersa, ita moueri ad eundem effectum producendum, vt propter vnumquodque separatim ad eundem effectum eodem modo ponendum moueretur.

Possunt tamẽ id facere, vt causæ totales.

Vt autem hæc meliùs intelligantur, Nota variis 37
modis posse contingere, vt duo velint eumdem baptizare, vt causæ totales. Primo, ita vt vterque absolutè & efficaciter intendat baptizare independenter ab altero: & tunc si eodem momento absoluant, vterque baptizabit; quia vterque sufficienter omnia requisita ponet, nec se mutuo impedient, quia neutrius actio alterius actionem aut interimet, aut impediet, cùm nulla ratione inter se pugnent. Et probatur ex ipso vsu Ecclesiæ in simili. Recèns enim creati sacerdotes simul cum Episcopo verè consecrant, si eodem momento formam cum eo absoluant. Quòd si alter priùs absoluat, secundus nihil efficiet; nam subiectum, vtpote iam baptizatum, erit incapax baptismi, atque ita hic erit rebaptizator, & irregularis, nisi aliqua inadnertentia excusetur: vt fortè fieri posset quando contra eius ius alius ei hanc actionem inuito vellet præripere, & ipse, vt suum ius defenderet, conaretur eum præuenire. Esset tamen ille zelus valdè indiscretus, & grauiter reprehensibilis. Nec enim illud medium est conueniens ad ius suum tuendum.

Duo variis modis possunt eundẽ baptizare.

Plures sacerdotes eandem hostiam conficiũt.

Secundò, si vterque baptizet sub conditione nisi

præuchiatur; & tunc qui primò absoluit, solus baptizat: si simul absoluant, vterque baptizat, patet ex dictis.

Quādoque posterius absoluens solus baptizat.

Tertiò, si efficaciter intendat baptizare, sed nolit suum baptismum esse validum donec alter absoluat suum, & tunc posteriùs absoluens solus baptizat, quia alter suspendendo suum baptismum ex conditione de futuro contingenti, reddit eum inualidum; iuxta dicta q. 64. art. 8. dub. 2. Quòd si nihilominus absolutè simul intenderet facere, quod Christus instituit, & omnino conficere Sacramentum, hac voluntate aliam corrigeret, & prior absoluens solus conferret Sacramentum. Vide dicta q. 54. a. 8. dub. 3. & q. 66. a. 8. notab. 2. n. 86. Si verò simul absoluant, vterque baptizat.

39 Quartò, ita vt vterque intendat tantùm baptizare casu quo alter non baptizet; non autem si quo modo alter baptizet, & tunc qui priùs absoluit, solus baptizat: si vterque simul, neuter; quia hoc casu intentionem suam iterimunt. Ponunt enim conditionem ob quam implicat vtramque intentionem esse efficacem, & quæ simul efficiat, vt neutra præ altera sit determinatè efficax; nec est enim ratio, cur hic præ altero baptizet, & consequenter efficitur, vt vtraque sit tantùm indeterminatè efficax seu absoluta: sicut alter oculus tantùm indeterminatè necessarius est ad videndum. Ad Sacramenti autem valorem requiritur intentio determinatè efficax.

Quādoque neuter baptizat.

40 Conclvsio III. In dicto casu secundæ conclusionis conferrentur duo Sacramenta. Ita Gabriel in 4. d. 6. q. 1. a. 3. dub. 4. sub finem, & Caiet. hîc §. *Ad penultimam demum.* Prob. Primò, ex refutatione fundamentorum alterius sententiæ, quam attuli in explicatione articuli concl. 3. Secundò, quia, vt ibidem ostendi, esset hîc verè saltem virtualiter duplex materia, & absolutè duplex forma: ergo essent duo Sacramenta. Tertiò, quia si actus vtriusque ministri constituerent vnicum Sacramentū, neuter esset causa totalis Sacramenti; quia neuter poneret omnes actiones quæ hîc & nunc ad esse vnius Sacramenti concurrerent: vt per se patet: atqui illud est absurdum, vt patet ex concl. 2. & communiter omnes fatentur: ergo & id vnde sequitur.

Gabriel. Caietan.

Potest quis duplici baptismo baptizari, non tamen bis.

Dices, Inde sequeretur quòd vnus idémque bis valide baptizaretur, quod est absurdum. Resp. talem propriè non baptizari bis; quia hoc significat successionem, sed semel baptizari duplici baptismate: sicut qui simul accipit duo vulnera non dicitur bis vulnerari, sed semel duplici vulnere: simili modo quando noui sacerdotes simul cum Episcopo consecrant, idem panis variis formis consecratur.

41 Conclvsio IV. Semper est illicitum ita baptizare, & graue peccatum. Primò, contra generalem totius Ecclesiæ consuetudinem. Secundò, contra institutionem Sacramenti, quod à Christo institutum est, vt vnicum vni conferatur. Tertiò, quia tales sine vlla necessitate exponunt se euidenti periculo ne alteruter baptizet priùs baptizatum: vt si alter priùs absoluat, quod moraliter loquendo ferè semper fit. Nec refert quòd habeat intentionem non baptizandi, posito quòd alter priùs absoluat; quia est illicitum etiam sub conditione rebaptizare iam baptizatum, quando nulla est necessitas: vt dixi suprà q. 66. art. 9. hîc autem nulla est necessitas ita baptizandi.

42 Dices, Ex natura rei non minùs est illicitum duos proferre formam consecrationis super eandem materiam, quàm eundem duos baptizare; & nihilominùs recèns creati sacerdotes licitè cum Episcopo simul consecrant, non obstante periculo ne aliqui consecrēt materiam iam semel consecratam: ergo similiter non obstante tali periculo duo simul poterunt baptizare, præsertim si vterque baptizet tantùm sub hac conditione nisi alter priùs baptizet. Resp. negando sequelam: Quia Christus, qui potuit suo arbitrio Sacramenta instituere, eáque conferētibus certas leges præscribere, illud Sacramentum ita instituit, vt possent certis casibus plures simul consecrare. Secùs autem de baptismo: vt constat ex vsu Ecclesiæ, quæ Christi institutionem nobis ita explicat, dum permittit, vt quandoque plures simul eandem materiam consecrent: numquam autem permittit, vt simul vnum plures baptizent. Rationem autem cur Christus Ven. Sacramētum ita instituerit, vt plures vnum idémque possent consecrare, P. Vasq. disp. 148. n. 4. eam adfert, quòd hoc Sacramentum sit institutum per modum conuiuij, cui plures accumbunt, arque ideo non deceret ipsum à pluribus confici siue parari. Quæ ratio potuit habere aliquam congruentiam: an verò Christus illa motus fuerit, vt hoc instituerit, nobis incertum est.

Cur duo potiùs licitè consecrent eandem hostiā quam eundem baptizent.

Vasquez.

43 Concl. V. Si duo simul baptizantes vtantur hac forma, Nos te baptizamus, &c. inualidè baptizāt. Turrecrem. in c. *Non licet*, de consecr. d. 4. Vasq. d. 148. n. 5. & 13. Zecchus c. 5. de baptism. §. *Quando verò*. Ratio est, quia vel intendunt baptizare, vt causæ partiales, & tunc nihil agunt, vt patet ex concl. 1. vel vt causæ totales, & tunc etiam nihil agunt defectu formæ; quæ debet hîc significare ministrum conferre Sacramentum, vt causam totalem: vt patet ex forma communi, & dictis concl. 1. Hæc autem forma hoc modo non significat, sed potiùs contrarium, quia talis locutio communiter significat duos ad eundem effectum concurrere, vt causas partiales: atque ita non est synonyma cum forma legitima, & consequenter inualida.

Turrecrem. *Vasquez.* *Zecchus.*

Dices, Sicut quandoque talis locutio significat aliquos ad eundem effectum concurrere, vt causas partiales: vt cùm dico, Nos illud pondus leuamus: ita etiā significat eos quandoque concurrere, vt causas totales: sicut quando noui sacerdotes dicunt: Nos simul cum Episcopo consecramus. Significant enim se vt causas totales consecrasse, cùm vt partiales consecrare nequeant. Respondent aliqui hoc esse verum in causis moralibus, quæ plures totales possunt eundem effectū producere; secùs esse in causis physicis, quia hæ non possunt, vt causæ totales ad eundem effectum plures concurrere. Vnde inferunt, si plures eiusdem confessionem audirent, validè illum hoc modo absoluturos: Nos te absoluimus à peccatis tuis; si modò simul formam absoluerent, quia forma significat immediatè remissionem peccati, quæ tantùm moraliter à sacerdote causatur. Secùs autem esse in forma baptismi, quæ significat immediatè lotionem externā, quæ est actio physica: & consequenter eiusdem non possunt esse duæ causæ totales. Sed hæc responsio est difficilis.

44

Forma absolutionis non significat immediatè nudā remissionē peccati.

45 Nam Primò, non videtur verum quòd forma absolutionis significet immediatè solam remissionē internam peccati. Nam absoluens non significat se quacunque ratione remittere peccata, sed per extrinsecā formæ pronuntiationem, siue collationem Sacramenti, quam forma vt pronuntiatur à ministro immediatè significat, & mediante hac internam remissionem. Nam sacerdos significat se sacramētaliter remittere peccata, & secundùm potestatem sibi datam. Non potest autem per se immediatè remittere peccata, sed tantùm per collationem Sacramenti, & hac mediante. Secundò, quia etsi saltem naturaliter non possint vnius effectus esse duæ causæ totales physicæ, possunt tamen duo simul ponere duas actiones similes, vt causæ totales singularum, v. c. simul iaculando, & tunc dicere, Nos iaculamur, quo significant se esse causas totales quisque suæ actionis. Et similis videtur esse ratio in duobus simul eundem baptizantibus, quia quisque vt causa integra suæ actionis ponit externā ablutionem ex sua parte ac intentione per se integram, qua v. c. Petrus abluitur, & integram formam sacramentalem; atque adeò ponunt duo Sacramenta, vt ostendi concl. 3.

Idque non minùs aptè videntur significare dicendo; *Nos te baptizamus*, quàm alij duo exprimant suam iaculationem, dicendo; *Nos iaculamur*. Hæc solutio facit contrariam sententiam speculatiuè loquendo non
Durand. improbabilem, eámque tenet Durandus in 4. dist. 3. q. 3. & quidam alij. Si tamen bene inspiciatur, difficultatem non exhaurit.

46 Pro quo Nota, quando dico, *Nos hoc vel illud facimus*; etsi possim hoc dicere & quando vt causæ totales facimus singuli aliquid distincta actione; & quando vt causæ partiales concurrimus ad eundem actum, vt patet ex dictis; tamen hoc inde non prouenit, quòd illa verba sint æquiuoca, & significent modò hoc, modò illud: sed quia in genere vtrumque actum significant abstrahendo ab hoc vel illo modo agendi: sicut quando dico, Aliquod animal currit, nullum animal determinatè significo, sed aliquod in confuso, siue hominem siue brutum. Quandoque tamen ratione materiæ tales locutiones determinantur ad significãdum magis hunc modum agendi quàm alium, vt cùm dico, *Nos currimus*, significo vtrumque diuersam actionem, vt causam totalem agere: quia non possumus eodem cursu currere. Contra est quãdo dico, *Nos lauamus hunc lapidem*; apertè significo nos agere, vt causas partiales.

47 Quãdoque manet significatio indeterminata, eo quòd res vtroque modo fieri potest; vt quando dico, *Nos te ladimus*, possumus enim hoc facere, vel eadẽ actione, vel diuersis. Sic possum cum alio aliquem lauare, vel eadem ablutione, si simul aquam in eum effundamus, vel eum mergamus, ea intencione, vt easdem sordes abluamus: vel diuersis, si eum distincto tempore, vel
Nos te lauamus significat cõmuniter duorum actiones partiales. secundùm distinctas corporis partes lauemus. Quia tamen, quando duo simul tempore vnum lauant, secundùm communem modum operandi intendunt se mutuo adiuuare, & vnam integram vnius hominis ablutionem constituere dicendo, *Nos te abluimus aut baptizamus*; secundùm communem loquendi modum significant se vnam integram ablutionem, vt causas partiales ponere.

48 Ex quibus patet Primò, hanc formam, *Nos te baptizamus*, dum duo eundem baptizant, nullo modo expressè & determinatè significare, singulos esse causas totales suæ actionis; quod tamen in forma baptismi est necessarium, vt sit omnino synonyma cum forma Latina, quæ actionẽ baptismi significat, vt totaliter procedentem ab eo qui eam pronuntiat: vt patet ex dictis.

Patet Secundò, idem dicendum esse in Confirmatione, & similibus Sacramentis, quorum vnicus est minister: atque adeò etiam in ipsa confessione, si duo eundem absoluerent, quia cùm quisque possit solùm audiuisse partem confessionis, potest esse quasi partialis minister Sacramenti; & sic erit eadem hîc ratio: vt patet ex toto discursu.

Durand. Durandus suprà contra hanc conclusionem varia obiicit; sed ex iis quæ diximus facillimè possunt solui. Vnicum est quod videtur habere difficultatem.

49 Quòd si Deus cum aliquo dispensaret, vt posset plures vxores simul accipere; tunc si eæ ei simul nuberent dicendo, *Nos te accipimus in virum*: illo respondente, *Ego vos accipio in vxores*, validum esset Sacramentum: ergo idem dicendum in baptismo.

Respondent aliqui, esse diuersam rationem, quia in matrimonio sunt necessariò plures ministri vnius Sacramenti; quod tamen in aliis Sacramentis fieri nequit. Sed hoc non satisfacit. Quia vnicum matrimonium tam essentialiter requirit, vt tantùm habeat duos ministros, scilicet virum & feminam, quàm alia Sacramenta requirant vnicum ministrum. Quare in
Diuersitas inter matrimonium & alia Sacramenta. dicto casu duæ feminæ non conficerent vnum Sacramentum, sed singulæ omnino diuersum, non minùs quàm si diuerso tempore contraherent. Resp. itaque esse diuersam rationem, quia cùm contractus matrimonij sit talis natura, vt etiam in ratione contractus non possit fieri à pluribus causis quàm à duabus principalibus, & quidem necessariò diuersi sexus, ex quarum consensu exteriùs expresso intrinsecè componatur: feminæ ita contrahentes per supradictam formam secundùm communem sensum expressè indicant se simul quidem tempore, & vnanimi consensu, singulas tamen diuersos contractus inire; nec vllo modo possunt intelligi vnum contractum vt causas partiales inire, sicut cum dico, *Nos currimus*. Secùs est in baptismo: vt patet ex dictis. Adde, in matrimonio maiorem esse libertatem circa mutationem formæ, quàm in aliis Sacramentis, cùm etiam nutu contrahi possit. quare ab hoc non est sumendum argumentum ad alia.

DVBIVM II.

Quâ ratione possit aliquis simul baptizare plures?

HOc dubium hîc addendum, vt habeamus plenam cognitionem ministri; & quia connexionem habet cum dubio præcedenti. Qua in re constat inter omnes, posse aliquem validè plures baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo*. Sed difficultas est Primò, Vtrùm hoc sit licitum? D. Tho. q. 66. a. 5. ad 4. docet in necessitate hoc licere, insinuans extra necessitatem non licere. Quale autem peccatum sit sine necessitate ita baptizare, non explicat. Scotus verò in 4. d. 6. q. 2. §. *Respondeo*, vers. *De tertio membro*. & Gabriel ibi. q. 1. art. 1. concl. 7. docent esse peccatum mortale. Sotus autem ibid. d. 4. q. vni. art. 4. §. *Secundò arguitur*, censet tantùm esse peccatum veniale, si citra scandalum fiat.

50 Validè baptizãs plures simul, & in necessitate licitè. *D. Thom.* *Scotus.* *Gabriel.* *Soto.*

Secunda difficultas est, Vtrùm tunc sint plura baptismata, an vnum? & communiter DD. magis inclinant quòd sint plura baptismata; diuersi tamen ob diuersas rationes.

CONCL. I. Vrgente graui necessitate, vt quando immineret subitò multis periculum mortis, licitè hoc modo plures baptizantur. Est communis Doctorum. Ratio est, quia cùm baptismus possit ita validè conferri, nulla fit ei irreuerentia si in tanta necessitate contra consuetum ritum conferatur. 51

CONCLVS. II. Extra grauem necessitatem esset peccatum mortale ita baptizare. Quia valdè immutatur ritus consuetus, quem Ecclesia in eo Sacramento conferendo præscribit. Obseruatio autem eiusmodi rituum grauiter obligat. Scotus in 4. d. 6. q. 2. lit. D. Soto d. 4. q. vnic. art. 2. ad 2. 52 *Scotus.* *Soto.*

CONCLVSIO III. Essent eo casu tot Sacramenta, quot essent baptizati. Ratio est, quia essent verè à parte rei plures ablutiones, nam essent plures distinctæ collisiones diuersarum partium aquæ cum diuersis corporibus, in qua collisione, vt ostendi suprà q. 66. art. 4. dub. 2. intrinsecè consistit ipsa ablutio. Item etsi formaliter tantùm esset vna forma, virtualiter tamen, & æquiualenter essent plures. Nam æquivaleret his: *Ego te baptizo*, &, *Ego te baptizo*, &c. vnde sequitur fore plura baptismata. 53

ARTICVLVS VII.

Vtrùm in baptismo requiratur aliquis qui baptizatum de sacro fonte leuet?

ARTICVLO VII. docet baptizatum debere habere susceptorem; sic dictum, quòd eum de manu baptizantis quasi in fidem & curam suam in fide & moribus erudiendum suscipiat ad quod requiritur quidem iuxta vsum Ecclesiæ corporalis aliquis cõtactus, quo susceptor baptizandũ tãgat, sed quã 54 Susceptor necessarius.

necessariò sit coniunctus cum intentione suscipiendi simul munus patrini, sine qua intentione nihil efficitur.

55 Varia susceptoris nomina.

Nota Primò, eum qui alium de sacro fonte suscipit, à sanctis Patribus variis nominibus appellari. Sæpe vocatur sponsor, siue fideiussor, tum quia dum pro baptizando respondet *credo*, *abrenuncio diabolo*, &c. quasi spondet pro eo ipsum hæc facturum: tum etiam quia promittit se eum in fide & moribus instituturum: vnde etiam vocatur fidei doctor, atque etiam susceptor, quia eum in suam fidem ac disciplinam instituendum suscipit.

56 Non potest esse Monachus, aut infidelis.

Nota Secundò, monachos non posse suscipere aliquem ex fonte, vt patet ex cap. *Monachi*, de consecrat. d. 4. Quia eorum est colere solitudinem, & sibi, non autem aliis vacare. Horum autem nomine non comprehenduntur mendicantes Religiosi, qui etiam aliis eruiendis vacant. Similiter c. *In baptismate*, de consecrat. d. 4. prohibetur ne infideles quemquam suscipiant. Tum quia non decet nondum natos spiritualiter, alium suscipere: tum quia hi non videntur posse alium in fide instruere qui fidem non habent. Quòd si tamen de facto monachus aliquem suscipiat, contrahit cognationem spiritualem, estque verus susceptor; quia factum prohibetur, non tamen irritatur. Secùs est de non baptizato, quia huius muneris & cognationis est incapax.

57 Nemo potest suscipere propriam prolem. *Sanchez. D. Thom.*

Similiter parentes non possunt suscipere propriam prolem. c. *Dictum est*, 30. q. 1. In necessitate tamen id licitum est, vt colligunt DD. communiter ex c. *Ad limina*. 30. q. 1. Ita Sanchez l. 9. de matrim. d. 26. n. 3. Et insinuat D. Thom. hîc art. 8. ad 2. Vnde hoc casu non impediuntur à petendo debito. Vtrùm autem impediantur si extra necessitatem id faciant, non constat inter DD. & dicemus in tractatu de matrimonio. Similiter dubitatur. Vtrùm duo coniuges possint simul eundem suscipere. Suarez hîc art. 8. §. *Secundò explicat*, putat esse veniale. Contrà Sanchez l. 7. d. 57. n. 5. cum multis aliis putat non esse peccatum, sed tantùm minùs decens. Et hoc videtur verius, quia c. vlt. 30. q. 4. Vrbanus non tam statuit præceptum, quàm indicat quid deceat.

58 An si duo coniuges eúdem suscipiant, peccent? *Suarez. Sanchez. Vrb. Papa.*

59 *Trident.* Non possunt nisi duo simul eundem suscipere.

Nota Tertiò, Concilium Trident. sess. 24. c. 2. de matrimonij reformat. præcipere vt ad summum duo, vir scilicet & femina, adhibeantur susceptores. Quòd si plures adhibeantur, vult solos designatos à Parocho contrahere affinitatem spiritualem. Quòd si Parochi culpa plures adhibiti aut designati sint, Concilium iubet eum puniri arbitrio Ordinarij. Vnde verius videtur, Parochum contra hoc decretum facientem, peccare mortaliter; vt docent Emanuel & Vega apud Sanchium l. 7. disp. 57. n. 6. Primò, quia videtur Concilium id graviter præcipere, cùm iubeat puniri contrà facientes. Secundò, quia graue incommodum potest nasci ex præuaricatione huius præcepti, scilicet multiplicatio, & incertitudo cognationis spiritualis: cui Concilium occurrere vult, vt patet in initio. Et quamuis idem præcipiat quod antiqui canones, potuit tamen id grauiùs præcipere. Sanchius tamen suprà non improbabiliter tenet contrarium, scilicet tantùm peccare venialiter. *Emanuel Vega.* *Sanchez.*

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm qui suscipit aliquem de sacro fonte, teneatur ad eius instructionem?

ARTICVLO VIII. docet susceptorem teneri instruere in fide & moribus eum quem ex sacro fonte suscipit. Quia in hunc finem susceptoris munus instituitum est, & infantem suscipiendo, se illud facturum promittit, ideóque ad hoc obligatur quoties necessitas hoc exigit; vt fit quando baptizatus nullos alios habet, per quos possit commodè instrui, vel saltem nulli alij id faciunt. Quia tamen nati inter Christianos communiter satis instruuntur à parentibus, vel præceptoribus, vel publicis catechistis, docet susceptores communiter ab hac cura excusari. Imò P. Sà verbo *Baptis. Sà* n. 17. docet hanc obligationem ob desuetudinem esse quasi extinctam. Suscipiens tamen aliquem natū inter infideles, omnino obligaretur ad eius instructionem, nisi aliunde ei esset prospectum. 60 Ad quid teneatur susceptor.

Nota, susceptorem tantùm teneri hac obligatione quamdiu baptizatus est rudis in doctrina Christiana; in qua si semel benè instructus fuerit, omnis illa obligatio cessat, quia iam ampliùs non est paruulus, nec pædagogo indiget.

QVÆSTIO LXVIII.

DE SVSCIPIENTIBVS BAPTISMVM.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnes teneantur ad susceptionem baptismi?

1 ARTICVLO I. docet omnes obligari suscipere baptismum, quia hoc iis est necessarium ad salutem.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sine baptismo aliquis possit saluari.

2 ARTICVLO II. docet Primò, neminem posse saluari sine baptismo in re vel in voto susc-epto. Intellige, nisi adhuc infans martyrio afficiatur: hic enim sine baptismo reipsa susceptio per martyrium iustificatur: vt ostendi q. 66. art. 12. nec vllum potest habere votum baptismi.

Docet Secundò, adultos non baptizatos, per baptismi votum, & contritionem saluari posse, quæ sequentibus dubiis latiùs examinanda sunt.

DVBIVM I.

Qua ratione baptismum sit necessarium ad salutem?

3 *Pelagiani. Ioan. 3.*

OLim Pelagiani concedebant quidem baptismum esse necessarium, vt quis posset intrare cælum, conuicti illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. negabant tamen necessarium esse ad remissionem peccati originalis: quia hoc omnino negabant. Nostri verò hæretici fatentur quidem in infantibus esse peccatum originale, negant tamen iis necessarium esse baptismum eriam, vt cælum obtineant, modò sint filij fidelium. Quia talibus peccatum originale non imputatur. Imò quidam putant ad hoc sufficere quòd ipsi saltem mediatè descendant ex maioribus fidelibus: vt docet Cardin. Bellarm. libr. 1. de baptismo cap. 4. Fundamentum suum sumunt ex Genes. 17. vbi Deus cum Abrahamo & semine eius statuit pactum sempiternum, vt ipse sit Deus eius, & seminis eius, & introducat eos in terram optimam.

Hæretici nostri. *Bellarm.* *Gen. 17.*

4 *Bona spiritualia solis spiritualib. filiis Abrahæ promissa sunt. Hebr. 11.*

Sed hoc nihil eos iuuat: quia si loquamur de filiis carnalibus Abraham, Deus nihil aliud illis ibi promittit, quàm quòd introducet eos in terram Chanaan, eósque defendet contra inimicos quamdiu seruabunt eius mandata. Quòd si velimus hîc etiam promitti Abrahamo & posteris bona spiritalia, vt insinuat Apostolus ad Hebræos 11. v. 13. hoc intelligendum est de posteris ipsius spiritalibus, qui sunt filij non secundùm carnem, sed secundùm promissionem, qui soli computantur in semen & filios Abrahæ: vt docet Apostolus ad Rom. 9. v. 7. & 8. Iam verò post Christum nos nullo modo simus filij Abrahæ per generationem carnalem, sed per spiritalem, quæ fit per baptismum: vt habetur Ioan. 3.

Rom. 9. *Ioan. 3.*

5 *1. Cor. 7.*

Secundum fundamentum sumunt ex Apostolo; qui 1. ad Corinth. 7. vers. 14. dicit filios natos saltem ex altero parente fideli esse sanctos. Sed hic locus nihil facit ad rem. Nec enim potest ibi Apostolus intelligi vocare tales filios ratione solius generationis verè sanctos & iustos; quia eodem modo ibidem dicit coniugem infidelem sanctificari per fidelem: atqui ne quidem hærerici auderent dicere infidelem esse verè sanctum hoc ipso quo fideli matrimonio iungitur. Quare variæ sunt sanctorum Patrum ac Doctorum huius loci explicationes, quas adfert Vasquez hîc disputat. 48. capit. 2. Quidam enim dicunt hîc filios sanctos dici, idem esse, ac dici legitimos. Sed hoc parum conuenit textui. quia sic etiam essent sancti, etsi vterque parens esset infidelis. Alij dicunt vocari sanctos inchoatiuè & in spe. quia speratur eos sanctè à fideli coniuge educandos, atque ita futuros sanctos. Sed proprius huius loci sensus petendus est ex simili ad Roman. 11. vers. 16. vbi Apostolus ait: *Quòd si delibatio sancta est, & massa: si radix sancta, & rami*, scilicet sancti sunt. Vbi Apostolus probat Iudæos quantumcumque iam nequam & infideles, non debere tamen à Gentibus contemni & odio haberi; sed potius amari, ac instar rei sacræ esse venerationi ob reuerentiam & sanctitatem suæ radicis, siue parentum Patriarcharum & Prophetarum, quorum hi filij & rami sunt: atque ideo etsi in se nequam, tamen extrinseca quadam denominatione & reputatione sunt sancti: sicut ratione libationis, siue primitiarum quæ Deo oblatæ sanctificabantur, tota massa, id est reliquus acerus frugum censebatur quadam ratione sanctificatus. Simili ratione Apostolus 1. ad Corinth. 7. infidelem coniugem eiúsque liberos vocat sanctos ratione consortij coniugis fidelis. Cùm enim Corinthij fideles putarent se pollui per coniugem infidelem (sicut Iudæi olim per similia coniugia censebantur pollui) ideóque vellent facere diuortia: respondet Apostolus potiùs infidelem sanctificari per fidelem, quàm contrà, atque liberos ex iis natos esse sanctos, scilicet reputatione quadam extrinseca; sicut omnia quæ cum sanctis coniuncta sunt, aliquo modo sunt sancta.

Vasquez. *Rom. 11.* *Qua ratione filij aut coniux viri sancti dicantur sancti.* *1. Cor. 7.*

CONCLVSIO I. *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.* Ita Trident. sess. 7. can. 5. de baptis. Similiter Florent. in literis vnionis: *Nisi*, inquit, *ex aqua, & spiritu renascimur, non possumus (inquit Veritas) in regnum cælorum introire.* Idem olim definiuit Innocent. I. contra Pelagianos epist. 26. ad Conc. Milcuit. & Leo I. epist. 80. aliàs 78. ad Episcopos Campaniæ. Idem communi consensu omnes Patres ab initio Ecclesiæ docuerunt. Vnicum Augustinum proferam, qui lib. 3. de Anima eiúsque origine cap. 9. ait: *Noli credere, noli dicere, infantes antequam baptizentur morte præuentos peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Idem tum in illis libris, tum alibi sæpissimè docuit. 6 *Trident. Florentin. Innoc. 1. Leo 1. D. Aug.*

Probatur ex Scriptura. Quia Christus Ioan. 3. generatim dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Variè ad hunc locum hæretici respondent, conantúrque ostendere ibi non agi de baptismo. sed hoc esse falsum satis ostendi suprà, q. 62. art. 1. dub. 1. concluf. 2. Alij aliter respondent, sed verba clariora sunt quàm vt possint tergiuersatione illudi; aut si ea verba hoc non clarè probent, nihil habemus clarum in Scripturis, præsertim cùm nulla sit ratio cur ea aliter interpretemur. 7 *Ioan. 3.*

Dices, Olim apud Iudæos, quando paruuli, quia nimis citò moriebantur, non poterant circumcidi, poterant per aliud aliquod Sacramentum, quale erat in lege naturæ, iustificari: ergo eodem modo poterunt iam pueri saluari, quando baptizari nequeunt. Propter hoc argumentum quidam putant in tali casu posse paruulos sine baptismo saluari, si parentes fidem suam aliqua ratione iis applicent. Sed, vt patet ex Augustino suprà, hoc à Catholico dici nequit. 8 *Nè possunt infantes subitò morientes sine baptismo saluari.*

Respond. itaque, quidquid sit de antecedente, quod non ita certum est, negando consequentiam. Est enim hic magna diuersitas. Primò, quia circumcisio non erat per se instituta ad remissionem peccati; quia non iustificabat adultos, nisi quatenus id per contritionem merebantur: sed solos paruulos iustificabat ex singulari eorum priuilegio. Secundò, quia circumcisio non poterat conferri ante octauum diem; atque ita si sine ea non potuisset paruulus vllo casu iustificari, Deus suo præcepto impediuisset quodammodo eius salutem, nolendo eum ante illud tempus iustificari, atque ita multi potuissent damnari. Alia autem est ratio baptismi, qui statim natis potest applicari. Et planè per accidens est, quòd aliquando desit aqua, quod rarissimum est, ideóque à Deo considerari non debuit, vt propter tam raros casus generalem legem immutaret.

Probatur concluf. Secundò contra hæreticos: quia, vt ipsi fatentur, & patet ex illo psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*; paruuli nascuntur in peccato originali, nec possunt per proprios vllos actus huius remissionem acquirere: ergo debent eam acquirere per Sacramentum. quod non potest esse aliud quàm baptismus. 9 *Psal. 50.*

Respondent hæretici, nasci paruulos in peccato originali, sed Deum hoc iis non imputare. sed hoc omnino gratis fiue vlla ratione, imò contra rationem fingitur, atque adeò contra Scripturas, quæ vbique clamant, Deo esse odio impium & impietatem eius, Et contra 21. cap. Apoc. vbi dicitur, quòd in cæle- *Infectum peccato Deus semper odit. Apoc. 21.*

stem Ierusalem nihil coinquinatum intrabit. Quomodo enim non est impius & coinquinatus, qui habet verè in se peccatum?

10 Quare satis certum est apud Catholicos baptismum esse necessarium ad salutem. Sed difficultas est, Vtrùm sit necessarius necessitate medij, an verò solius præcepti præsertim respectu adultorum. Quidam enim dicunt, extra casum martyrij baptismum esse necessarium necessitate medij: ita vt sine eo nemo quantumcumque contritus possit perfectè iustificari, aut intrare cælum. sed hi pauci sunt, & de iis agemus dub. 2. Plurimi alij dicunt extra casum martyrij paruulis baptismum re ipsa susceptum esse necessarium medium ad salutem: in adultis autem esse necessarium medium in re, vel in voto. Ita Zecchus de baptis. c. 3. §. *Nec est tutum.* Valentia d.4.qu.3.p. 4. Henriq.l.2.c. 3. Sed hæc responsio non satisfacit. Nam obseruatio cuiusuis præcepti ita est necessaria ad iustificationem. quia nemo adultus potest iustificari, nisi habeat implicitum saltem votum siue propositum obseruandi omnia præcepta obligantia sub peccato mortali, quia hæc intrinsecè includitur in contritione, aut absoluta attritione: nec aliud votum baptismi est necessarium ad iustificationem, quàm quod intrinsecè includitur in contritione. Vt autem hanc quæstionem clariùs soluamus, videndum nobis primùm est, quid propriè dicatur necessarium necessitate medij.

Zecchus. Valentia. Henriquez.

11 Quidam dicunt hoc esse ad iustificationem necessarium necessitate medij, quod ita est medium vtile ad iustificationem, eam positiuè promouens, vt sine eo in re vel in eius voto habito, non possit iustificatio obtineri. Vnde inferunt baptismum esse medium necessarium ad salutem.

Sed hæc definitio est difficilis. quia ex ea sequeretur obseruationem cuiusuis præcepti affirmatiui esse necessariam necessitate medij ad salutem. quia nemo sine ea eiusue voto iustificari potest, vt ostendi suprà, ciusque obseruatio si debitè fiat, cùm sit actus virtutis, prodest positiuè ad salutem. Imò præceptum positiuum diuinum & ecclesiasticum ad hoc est institutum, vt eius obseruatio salutem nostram promoueat. Nec refert quòd possim satisfacere his præceptis, sine vllo merito. quia etiam possum satisfacere præcepto baptismi suscipiendo hoc informe; etiam secundùm sententiam eorum qui dicunt, hoc non reuiuiscere, nec postea conferre gratiam.

12 Quæ propriè dicantur necessaria necessitate medij.

Respond. itaque Primò, illud propriè & strictè loquendo dici necessarium necessitate medij, sine quo reipsa habito, non potest vllo modo secundùm legem Dei ordinariam salus obtineri: quale est extra casum martyrij baptismus respectu infantium. Ratio est, quia vt aliquid dicatur absolutè ita esse necessarium ad iustificationem, non sufficit quòd ad hanc obtinendam sit vtile, sed debet esse absolutè necessarium: quale non est id, sine quo salus via ordinaria obtineri potest. qua ratione baptismus respectu adultorum non potest absolutè dici necessarius.

13 Latiore modo aliquid dicitur medium necessarium.

Respond. Secundò, latiore modo posse aliquid dici necessarium necessitate medij ad iustificationem, quod ad eam absolutè est necessarium posito quòd quis non sit contritus, quódque ita ad eam obtinendam est institutum, vt quando illud reipsa non ponitur, iustificatio nunquam acquiratur, nisi cum directa obligatione ad ipsum; ita vt iustificatio, vt hìc & nunc confertur, respiciat intrinsecè quandam obligationem ad illud suo tempore ponendum. Sic solutio pretij est medium necessarium ad aliquid emptione comparandum. Quia emptio ex intrinseca sua ratione inducit obligationem ad soluendum pretium. His positis sit.

14 Concl. II. Extra casum martyrij baptismus reipsa susceptus est primo modo necessarium medium infantibus ad obtinendam iustificationem. Patet ex dictis. Secùs est de adultis. Quia sine eo reipsa suscepto possunt per contritionem iustificari. Nec refert quòd non possint iustificari sine eius voto. quia inde tantum sequitur, quòd eius votum sit necessarium necessitate medij, non autem quòd ipse baptismus ita necessarius sit.

15 Qua ratione baptismus sit adultis necessarium medium. *Zecchus. Suarez.*

Concl. III. Baptismus secundùm se est secundo modo medium necessarium ad salutem. Zecchus de Sacr. in gen. c. 2. concl. 1. Suarez disp. 27. sect. 1. dicens esse communem. Primò, quia extra casum martyrij nemo non contritus potest sine eo iustificari: vt patet per se. Secundò, quia est ita institutus ad remissionem peccati originalis, vt quamuis fingamus aliquem per se ad eum non obligari, ita vt posset sine vllo peccato nolle vnquam baptizari: tamen si hic vellet iustificari à peccato originali, aliisque ante baptismum commissis, nullo modo id posset consequi quantumcúque contereretur, nisi cum directa obligatione ad baptismũ, & implicita voluntate ipsum suscipiendi. Sicut nemo potest aliquid emere, sine obligatione & voluntate soluendi pretium. Ratio huius est institutio Christi, quam ex traditione Ecclesiæ, & ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit* &c. cognoscimus.

Ioan. 3.

16 Baptismus aliter ad iustificationem necessarius quam obseruatio mandatorum.

Hinc sequitur Primò, longè alia ratione ad iustificationem esse necessarium baptismum, quàm sit necessaria obseruatio cuiusuis præcepti merè positiui. quia ipsa iustificatio nullum dicit intrinsecum talem respectum ad eiusmodi actualem obseruationem, vt per se patet.

Confessio peccatorũ necessaria medium.

Sequitur Secundò, simili ratione ad iustificationem peccatoris baptizati, necessariam esse confessionem: quia hæc eodem modo est instituta ad remissionem peccati mortalis post baptismum commissi, sicut baptismus institutus est ad remissionem peccati priùs commissi.

Secùs est de communione.

Sequitur Tertiò, communionem non esse ita necessariam ad iustificationem aut salutem necessitate medij, sed solius præcepti. quia iustificatio ad eam non alium dicit ordinem quàm ad obseruationem aliorum præceptorum.

17 *Gabriel. Soto.*

Concl. IV. Obligamur etiam suscipere baptismum ex præcepto diuino obligatione distincta ab ea quæ sequitur necessitatem medij. ita Gabriel in 4.d.4. qu. 2. art. 3. dub. 1. & Soto d.5.q.vnica a.1. §. *Propter hæc forsan.*

Prob. quia qui tempore Christi erant iustificati ante baptismi institutionem, illi erant iustificati sine vlla obligatione aut respectu ad baptismum, & consequenter non poterat hic esse iis necessarius necessitate medij; & tamen nihilominus post festum Pentecostes ac factam iis sufficientem Euangelij promulgationem tenebantur baptizari: ergo ex solo præcepto diuino distincto ab obligatione necessitatis medij.

18 Nota, tales duplici adhuc ratione fuisse obligatos suscipere baptismum. Primò, per accidens, eo quòd obligabantur suscipere Venerab. Eucharistiam, quam non poterant suscipere nisi baptizati. Secundò, per se, ratione præcepti immediatè cadentis in baptismum. Quia etsi tales fuissent in iis circumstantiis constituti, vt aliorum Sacramentorum susceptio fuisset iis euidenter perpetuò impossibilis: vt si debuissent paulo pòst à tyrannis occidi; nihilominus fuissent obligati baptizari, si qua ratione id potuissent assequi.

19 Parentes teneantur duplici lege filiis procurare baptismũ.

Hinc sequitur, quando infantes sunt in tali statu, vt nisi statim baptizentur, periculum sit vt nunquam baptizari possint, parentes teneri procurare iis baptismum, non solùm lege caritatis, ne aliàs paruuli pereant; sed etiam ex præcepto positiuo diuino, quo Christus absolutè præcepit, vt omnes baptizentur. quod præceptum paruulos quidem, quia incapaces sunt, ligare non potest: ligat tamen eorum parentes, quorum

quorum voluntas ſubit vicem voluntatis parvulorum. Confirmatur, quia non minùs iam obligat baptiſmus quàm olim circumciſio: arqui parentes poſtmodo præcepto diuino obligabantur circumcidere ſuas proles: ergo iam ſimiliter obligantur eas baptizare.

DVBIVM II.

Quando cœperit primùm hæc obligatio baptiſmi?

20 Nemo ante mortem Chriſti fuit obligatus ad baptiſmum. *Hebr. 9. Ioan. 3. Ioan. 6.*

NOta Primò, ſatis conſtare, non cœpiſſe ante mortem Chriſti. quia etſi priùs fuerit baptiſmus inſtitutus, & potuerit vtiliter ſuſcipi; nemo tamen ad hoc fuit obligatus: quia tunc durauit adhuc in ſuo vigore lex vetus. quæ tamen, vt docet Apoſtolus ad Hebræos 8. v. vlt. erat per legem nouam antiquanda.

Nec obſtat quod Ioan. 3. dicitur, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Quia ſimili modo dicitur Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. & tamen certum eſt, tunc nondum quemquam fuiſſe obligatum ad ſumendum Ven. Sacramentum, quia tunc nondum erat inſtitutum. Significatur igitur illis verbis ſolùm, qualis futura ſit horum Sacramentorum neceſſitas tunc, quando lex Euangelica cœperit obligare.

21 Nota Secundò, nos dupliciter poſſe loqui de neceſſitate baptiſmi. Primò, de neceſſitate præcepti præciſè. Et hæc quæſtio ſpectat propriè ad tractatum de legibus. Et certum eſt, hoc modo neminem potuiſſe ſaltem efficaciter obligari ad baptiſmum, ita vt eum omittendo peccaret, quamdiu tale præceptum inuincibiliter ignorauit. Secundò, de neceſſitate medij, quando ſcilicet baptiſmus cœperit ita neceſſarius eſſe ad ſalutem, vt paruuli extra caſum martyrij nullo modo ſine eo poſſent ſaluari, nec adulti iuſtificari ſine eo, vel implicito eius voto.

22 *Henriquez.* Quidam putant hanc obligationem cœpiſſe ſtatim poſt mortem Chriſti. ita multi apud Henriq. l. 2. c. 2. n. 4. Ratio eorum eſt, quia per hanc ceſſarunt omnia legalia. Alij docent hanc obligationem non cœpiſſe vbique ſimul; ſed tunc in vnaquaque prouincia, cùm ibi ſufficienter fuerat promulgatum Euangelium, vt moraliter loquendo potuerit ibi eſſe vulgo notum. *D. Bern.* quibus conſentit expreſsè D. Bernard. epiſt. 77.

Fundamentum huius ſententiæ eſt. quia nulla lex obligat ante eiuſmodi promulgationem. Sed hæc ratio ſummum probat, talem promulgationem fuiſſe neceſſariam, vt baptiſmus obligaret ex vi præcepti poſitiui: non autem vt eſſet neceſſarius neceſſitate medij.

23 Baptiſmus non obligabat ſtatim à morte Chriſti. *Scotus. Suarez.* CONCL. I. Probabilius eſt baptiſmum non cœpiſſe ita obligare ſtatim poſt mortem Chriſti. Scotus in 4. d. 3. q. 4. & Suarez diſp. 27. ſect. 4. concl. 2. Prob. quia non cœpit hæc obligatio ante legis Euangelicæ publicam promulgationem: atqui nulla talis fuit facta poſt mortem Chriſti ſaltem ante pentecoſten: ergo non ante hanc cœpit talis obligatio baptiſmi. Maior patet ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 4. vbi loquens de tranſlatione peccatoris ad gratiam, ait: Hæc tranſlatio poſt Euangelium promulgatum ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt: vbi apertè inſinuat, antè aliter fieri potuiſſe. *Trident.*

Reſpondent aliqui, Concilium tantùm requirere hanc promulgationem, vt poſſit tolli ignorantia, qua homines à baptiſmi ſuſceptione excuſabantur. Sed hoc nullo modo eſt ad mentem Concilij, quod hîc non intendit docere qua ratione homines peccent non ſuſcipiendo baptiſmum; ſed qua ratione ſine eo nequeant iuſtificari, ſiue eius obligationem ignorent, ſiue non.

Minor probatur, quia poſt mortem Chriſti vſque ad pentecoſten, nulla talis promulgatio legitur facta, ſed Chriſtus tunc priuatim tantùm inſtruebat Apoſtolos, qua ratione deberent Euangelium poſt acceptum Spiritum ſanctum promulgare. Imò prohibebat illis ne priùs Euangelium promulgarent, Act. 1. *Et conuerſcens præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris.* *Act. 1.*

CONCLVSIO II. Veriſimilius eſt, baptiſmum cœpiſſe ita eſſe neceſſarium in feſto pentecoſtes. ita Bellarm. l. 1. de baptiſ. c. 3. propoſ. 4. & Zecchus de baptiſm. c. 6. in fine. Prob. quia tunc primùm fuerunt Apoſtoli abſolutè conſtituti præcones Euangelij, & cœperunt illud publicè promulgare. Et rogantibus Iudæis Act. 2. qua ratione poſſent ſaluari iuſſerunt eos baptizari, quaſi hoc eſſet neceſſarium. 24 Baptiſmus cœpit in pentecoſte pro toto orbe eſſe neceſſarium medium ſalutis. *Bellarm. Zecchus. Act. 2.*

Dices, hinc tantùm ſequi, tunc cœpiſſe hoc modo eſſe neceſſarium iis qui tunc erant Hieroſolymis; non autem aliis nationibus; quæ tunc nihil de baptiſmo poterant inaudiuiſſe. Sed etſi hæc reſponſio oſtendat hoc argumentum non omnino clarè conuincere, atque reddat ſecundam ſententiam aliqua ratione probabilem; tamen non omnino ſatisfacit. Primò, quia Trident. ſuprà docet illam neceſſitatem ſtatim incepiſſe à promulgatione Euangelij. Conſtat autem illo die fuiſſe ſolemnem Euangelij promulgationem, & quidem aliqua ratione vniuerſalem. quia illi promulgationi intererãt homines ex omni ferè natione, quæ ſub cælo eſt: vt patet Act. 2. Secundò, quia eodem tempore pro toto terrarum orbe fuit abrogata lex vetus, ita vt deſineret obligare. Nam videtur omninò certum, illos qui tunc intererant illi promulgationi, cùm ſtatim redirent in patriam ſuam, non fuiſſe obligatos ſeruare adhuc cæremónias legis. Quòd ſi illi non obligabantur, nec etiam alij, niſi ex conſcientia erronea: ergo etiam omnino veriſimile eſt, vno eodémque tempore cœpiſſe vbique habere vim ſuam legem nouam. quia vetus abrogabatur per nouam. Tertiò, quia hoc ſatis inſinuat Trident. ſuprà, ſi rectè ipſius verba perpendantur. Quartò, quia aliàs nullum potuiſſet hactenus ſtatui tempus, in quo per totum orbem cœpiſſet ita eſſe neceſſarius, imò fortè nec iam eſſet: quia recenter planè Euangelium fuit primò promulgatum in India Occidentali; nec ante præcedens ſæculum vnquam quidquam de eo ibi fuerat auditum. Et probabile eſt iam adhuc eſſe aliquas nationes ad quas nondum præcones Euangelij penetrarint. Baptiſmum autem, aut nondum eſſe, aut recenter cœpiſſe ita eſſe toti terrarum orbi neceſſarium, videtur expreſsè repugnare Trident. ſuprà. *Act. 2.* Lex vetus in pentecoſte fuit abſolutè abrogata. *Trident.* *Trident.*

Obiiciunt Primò, hinc ſequitur legem nouam incepiſſe ita obligare ſtatim poſt mortem Chriſti, quia tunc deſiit obligare vetus lex. Reſpondeo, Quidquid ſit de hac quæſtione, quando præciſè deſierit obligare lex vetus, quæ ſpectat ad tractatum de legibus; nego ſequelam. Quia vt lex noua dicatur antiquaſſe veterem, ſufficit in morte Chriſti legem nouam habuiſſe perfectam ſuam vim quoad hoc, vt poſſit ea cuiuis homini ſufficere ad ſalutem; & tunc omnia fuiſſe poſita, quæ ad eius introductionem ex parte Chriſti erant neceſſaria; etſi nondum ob defectum promulgationis habuerit vim obligandi. 26

Obiicies Secundò, inde ſequetur ſtatim poſt pentecoſten, nec circumciſionem, nec Sacramentum legis naturæ habuiſſe ampliùs vim iuſtificandi infantes; atque ita aliquo tempore omnes morientes, in omnibus locis, vbi nondum erat promulgatus baptiſmus, fuiſſe deſtituros neceſſario remedio ad ſalutem: quod videtur durum eſſe. 27 Statim poſt Pentecoſten deſiit valere circumciſio.

Reſpond. concedendo ſequelam. Nec enim hoc debet videri ita durum, quia ſimili modo vſque præcedens ſæculum, omnibus infantibus morientibus in India Occidentali fuit impoſſibilis ſalus, cùm ibi priùs nihil fuerit auditum de baptiſmo, aut alio remedio, quo poſſent ſaluari infantes. Nec inde ſequitur Deum

quantum est ex parte sua, non dedisse omnibus sufficientia media ad salutem. Nam quòd illi infantes morerentur antequam possent aut conteri, aut baptizari, non accidit ex aliqua Dei ordinatione aut defectu; sed ex defectu aliquo naturæ, aut parentum omnino præter Dei voluntatem, qui non debuit omnibus casibus obuiare, aut leges suas generales mutare, ne aliquis infans sine baptismo, aut antequam alia ratione posset iustificari, moriatur: nam aliàs debuisset institui aliquod remedium pro morientibus in vtero, præsertim cum Deus singulariter prouiderit, vt eximio tempore per præcipuas orbis partes Euangelium promulgaretur. Sed hoc pluribus discutere potiùs spectat ad materiam de prædestinatione.

DVBIVM III.

Vtrùm adultus absque reali susceptione baptismi possit adipisci salutem?

28 NOta, omnes quidem fateri martyrem sine baptismo posse adipisci vitam æternam. quidam tamen tempore D. Bernardi, vt patet ex eius epist. 77. propter illud Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. putarunt neminem extra martyrium sine baptismo posse saluari. Quidam etiam alij dixerunt, posse hominem sine baptismo iustificari, non tamen accipere remissionem peccati; moti præcipuè quibusdam dictis D. Augustini qui tract. 13. in Ioan. ait: *Quantumcumque enim catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur nisi veniat ad baptismum.* Item l. 1. de Symbolo ad catechumenos c. 8. ait: *Catechumeni quandiu sunt, super eos sunt omnia peccata eorum.* vbi etiam dicit Deum non remittere peccata nisi baptizatis. Similiter D. Ambros. libr. de iis qui initiantur c. 4. *Credit*, inquit, *etiam catechumenus in crucem Domini Iesu, quæ & ipse signatur; sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, & spiritualis gratiæ munus habere.*

D. Bern. Ioan. 3. *Augustin.* *D. Ambr.*

29 CONCLVSIO I. Certum omnino est, catechumenum ante baptismum per veram contritionem iustificari, eique peccata vere dimitti. ita communiter omnes Doctores.

Catechumenus potest iustificari sine baptismo. *Pius V. Greg. XIII.*

Probatur Primò ex definitione Pij V. & Gregorij XIII. qui damnarunt hanc propositionem: *Catechumenus iustè, rectè ac sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismo demum perficitur.* quæ est 33. inter damnatas ab iis. Similiter damnant propositiones 31. 32. & 42. eiusdem auctoris, quibus dicitur ante susceptionem Sacramenti veram charitatem & iustitiã posse obtineri sine remissione peccatorum.

30 Prob. ex Scripturis. Primò Ezechielis 18. dicitur: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita vivet, & non morietur. omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor.* Idem repetitur c. 35. vbi expressè promittitur venia & obliuio omnium peccatorum se auertentibus à peccatis; quod per veram contritionem perfectè fit. Gratis autem planè dicitur hoc habuisse locum in veteri lege, non autem in noua. quia iam Deus non est minùs pronus ad remittenda peccata, quàm tunc fuerit, & apertè repugnat Scripturis. Nam 1. Ioan. 3. v. 14. dicitur: *Scimus quoniã translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*, scilicet propter Deum, sine ex vera charitate: vbi expressè ipsi præcisè charitati tribuitur translatio de morte ad vitam. Vnde c. 4. v. 7. dicitur: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* quæ sanè falsa planè dicuntur de eo qui adhuc manet in peccato habituali. quia hic nullo modo potest dici natus ex Deo, neque translatus de morte ad vitam. quia retinet mortem in se. Idem apertè patet ex Trid. sess. 14. c. 4. vbi expressè definitur contritionem charitate perfectam ante realem Sacramenti susceptionem nos Deo reconciliare. quod idem est atque nobis peccata remitti. Et quamquam Concilium ibi loquatur de Sacramento Pœnitentiæ, idem tamen omnino est de Sacramento baptismi. & qui tenent contrariam sententiam, de vtroque similiter loquuntur. atque ita eorum sententia continet apertum errorem: imò inuoluit apertam implicantiam. Nam clarè implicat aliquem esse iustum, & manere in peccato mortali, quod tamen illi asserunt fieri.

Ioan. 3. *Ezech. 18.* *1. Ioan. 3.* *Trident.*

CONCLVSIO II. Si quis verè contritus ante susceptionem baptismi, quia eum habere non potest, moreretur, verè iret ad cælũ. Est certa inter Catholicos, & apertè definita c. *Debitum.* de baptismo. vbi Innocent. III. docet Iudæum qui in necessitate seipsum baptizarat, non esse verè baptizatum: tamen propter fidem Sacramenti, scilicet charitatem perfectam, iturum fuisse ad cælum si in eo statu fuisset mortuus. Idem definitur c. 2. de presbytero non baptizato, quem docet Pontifex fide viua potuisse saluari sine baptismo, quem ignorabat se non habere: idque probat ex D. Aug. lib. 8. de Ciuitate Dei; & orat. D. Ambrosij in obitu Valentiani, quem Ambrosius ibi fusè probat per caritatem sine baptismo saluatum esse. Idem fusè probat D. Bernard. epist. 77. ad Hugonem de S. Victore, citátque D. Aug. lib. 4. de baptismo c. 22. vbi hoc apertè docet.

31 Potest quis sine baptismo saluari; *Innoc. 3.* *D. Aug.* *D. Ambr.* *D. Bern.* *D. Aug.*

Ad locũ ex D. Ioanne pro altera sententia citatum Resp. ibi tantùm doceri nos omnes absolutè obligari ad baptismum suscipiendum; ita vt nisi eum, quando id in nostra est potestate, susceperimus, simus mortaliter peccaturi, ideóque excludendi è cælo. Idémque nec aliud docet Augustinus in Ioannem suprà citatus. Nam, vt patet ex præcedentibus, agit ibi de catechumenis, qui, quia videbant se exteriùs meliùs viuere multis baptizatis, contemnebant baptismum, & putabant se per sua opera sine eo posse saluari. Vnde quod ait: *Quantumcumque enim catechumenus proficiat*, &c. non intelligit de profectu in vera virtute charitatis (quia hæc non potest consistere cum neglectu baptismi) sed de profectu in actibus exterioribus, qui sine charitate esse possunt. atque ita non est mirum tales adhuc manere in peccatis. Aut si velimus eum loqui etiam eo casu quo quis haberet veram charitatem; intelligendus est dicere eum adhuc portare sarcinam suæ iniquitatis, nec hanc ei dimitti. quia non intelligitur perfecta facta dimissio, quamdiu restat adhuc obligatio baptismi cum qua remissio facta est, per quam peccata suum auctorem, donec huic satisfecerit, adhuc premunt: sicut res empta grauat ac premit emptorem donec pretium soluerit. Et secũdum hæc tam alia quædam loca D. Aug. vbi similia dicit, quàm etiam locus D. Ambrosij suprà citatus intelligendus est.

32 *D. Aug.* *D. Ambr.*

Simili modo D. Aug. lib. 4. contra Donatistas c. 21. dicit catechumeno bono & charitate flagranti adhuc deesse baptismum ad capessendum regnum cælorum. quia nimirum (vt paulò antè loquens de Cornelio centurione dixit) si etiam Spiritu sancto iam accepto baptizari nollet, contempti tanti Sacramenti reus fieret. Vnde cap. sequenti expressè docet, posse nos per viuam fidem saluari sine baptismo; *cùm* (vt ait) *mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulum necessitatis excludit.* idque probat exemplo latronis, quem ait non fuisse martyrem, quia non est passus pro fide, sed pro sceleribus. Nec his obstat quòd D. Augustin. libr. 2. retract. cap. 8. dubitet an hic latro fuerit baptizatus. quia ibi non reuocat doctrinam in dubium, sed exemplum quo eam confirmauit, vt expressè dicit.

33 *Augustin.* *D. Aug.*

Dices,

34 Dices, Ananias Act. 22. D. Paulum iam contritum iubet adhuc baptismo abluere sua peccata: & Magdalenæ iam diu contritæ, in domo Pharisæi demum dimittuntur peccata: ergo vtrique prius non fuerant per contritionem remissa. *Act. 22.*

Resp. negando conseq. quia Ananias iussit D. Paulum abluere tua peccata; vel quia nesciebat eum esse contritum, vel quia verè eum iam peccata adhuc grauabant ratione obligationis ad baptismum suscipiendum; & hac ratione debebant dici ablui, quia perfecta remissio completur aliquo modo in baptismo, sicut emptio in solutione pretij. Magdalenæ autem fuerunt remissa peccata primo instanti quo fuit contrita. Quare Christus vel iis verbis non tam ea remittit, quàm denuntiat iam antè esse remissa, vnde etiam secundò dicit ei remitti peccata. Vel dici etiam potest, Paulo & Magdalenæ sæpius eadem peccata fuisse remissa, sicut fit quando quis sæpiùs eadem peccata confitetur: vt ostendemus in materia de Pœnitentia.

ARTICVLVS III.

Vtrùm baptismus sit differendus?

35 Paruuli prima statim commoditate baptizandi.

ARTIC. III. docet Primò, paruulos prima statim commoditate baptizandos. Quia extra casum martyrij sine baptismo saluari nō possunt. vnde si differatur, exponuntur periculo damnationis; facilè enim contingeret eos interim mori. quare parentes tenentur curare, vt liberi data prima commoditate baptizentur. Quamquam autem ex hoc capite non videatur hæc obligatio esse ita stricta, cùm hoc periculum sit satis remotum, & ei ob facilitatem baptismi facilè possit occurri: tamen ex consuetudine totius Ecclesiæ videtur nata obligatio sub peccato mortali non diu sine iusta causa differendi puerorum baptismum. Grauiter enim scandalizantur homines, si quem videant filij baptismum diu differre. Et meritò: nam videtur satis magnus in parente Dei religionisque neglectus tam diu relinquere filium mancipium diaboli, & inimicum Dei, & omnis omnino religionis exortem, quem tam facilè possit filium Dei efficere. Vnde etiam ex hoc capite videtur hæc obligatio grauiter augeri. Rationabili tamen causa occurrente nemini dubium est, quin aliquantum possit differri, maximè si cura adhibeatur, vt omnibus periculis occurratur.

Sine iusta causa diu differens filij sui baptismum grauiter peccat.

Docet Secundò, adultorum baptismum, nisi mors immineat, posse differri. Primò, vt cum maiori solemnitate fiat. Sic olim differebatur semper in tempus paschæ aut pentecostes, vt patet can. *Duo tempora.* de consecr. d. 4. Secundò, vt perfectè in fide instruantur. Tertiò, vt Ecclesia probet an sincerè Sacram. petant.

36 Docet Tertiò, statim tamen atque ab Ecclesia satis probati ac instructi iudicantur, atque ipsa eos ad baptismum admittere vult, ipsos peccare si vlteriùs differant.

DVBIVM.

Qua ratione catechumeni adulti, diuino vel Ecclesiastico præcepto ad baptismum teneantur?

37 CONCLVS. I. Omnes adulti nondum baptizati tenentur præcepto diuino, statim atque commodè id possunt assequi, baptizari. Est iam ferè communis Theologorum. Et communiter idem docent Patres, qui grauiter reprehendunt eos, qui differunt baptismum vsque ad finem vitæ: vt patet ex Clemente Romano l. 6. Constitutionum, c. 15. Basilio hom. 13. inter varias. Nazianzeno orat. in sanctum baptisma, & aliis. *Clemens. Rom.* *D. Basil. Nazianzen.*

Prob. Primò, quia iure naturali diuino sicut quisque tenetur habere curam suæ salutis; ita tenetur se efficere membrum Christi & Ecclesiæ, in qua necessariò salus est quærenda, ita vt videatur grauiter pugnare cum recta ratione, velle ab ea diu manere alienum: ergo cùm Christus nolnerit nos aliter iam fieri perfectè membra Ecclesiæ nisi per baptismum (cùm ideo ad hunc suscipiendum nos obligarit) omnino censendus est nos voluisse obligare, vt statim atque commodè possemus, eum susciperemus.

Prob. Secundò, quia sicut quisque statim atque vera fides ei est sufficienter proposita, tenetur ei in exitis credere: ita etiam tenetur eam exteriùs profiteri, iuxta illud ad Rom. 10. *Corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Sicut enim qui differt rebus fidei sufficienter sibi propositis credere, censetur esse iniurius fidei nolendo ei credere, quasi minùs esset digna cui credatur; ita similiter ei iniurius est, qui differt eius professionem, quasi eam erubescendo: atqui Deus voluit hanc professionem præcipuè fieri per susceptionem baptismi (ideo enim ipse dicitur Sacramentum fidei) ergo hic statim ac commodè fieri potest, suscipiendus est. 38 *Rom. 10.* Tenemur fidem professioni fieri per baptismū.

Tertiò, quia nisi adultus statim ac commodè poterit teneatur baptizari, nullum certum tempus poterit assignari, quo ad hoc tenebitur vsque ad finem vitæ: atque ita sine peccato poterit tam diu manere extra Ecclesiam, alienus à corpore Christi atque omnibus eius Sacramentis. quod tamen videtur valdè absurdum.

Dices, Qui commisit peccatum mortale, non tenetur statim confiteri aut conteri: ergo similiter nondum baptizatus non tenetur statim baptizari. Resp. negando conseq. quia peccator non manet alienus ab Ecclesia, & confessio peccati non est necessaria ad confessionem fidei, sicut baptismus. 39

Dixi talem teneri statim ac commodè potest. quia ex iustis causis potest differre. v. c. vt quis meliùs antè instruatur; vt postea cum maiore solemnitate, & suo ac aliorum fructu baptizetur. Item quando immineret alicui probabile periculum si statim baptizaretur, quod posset vitari baptismum differendo, &c. Quo autem mora diuturnior, eo maiorem causam requirit vt sit legitima. Breuis enim dilatio, quia non continet tantam indecentiam, facilè aut à peccato mortali ob leuitatem materiæ, aut si aliqua iusta causa adsit, ab omni peccato potest excusari. 40 Potest baptismus ex iusta causa differri,

Nec dictis obstat quòd olim viri magni legantur diu distulisse baptismum. quia vel dicendum est eos hoc ex rationabili causa fecisse, vel ignorantia aliqua excusatos fuisse, vt saltem minùs grauiter peccarent: ac in eo nec laudandos nec imitandos fuisse.

CONCLVS. II. Ecclesia nullam habet potestatem præcipiendi catechumenis, vt certo tempore baptismum suscipiant. Ratio est, quia, vt docet Trid. sess. 14. c. 2. nondum baptizatus non est subiectus iurisdictioni Ecclesiæ, & præceptum non potest ligare non subditos. 41 Ecclesia nulli potest præcipere baptismū. *Trident.*

Dices, Si Ecclesia non possit directè talibus præcipere vt baptizentur; poterit tamen ex Dei commissione determinare tempus quo præceptum obliget. quia ad hoc non indiget iurisdictione in catechumenos. Confirm. quia Ecclesia non potest præcipere aut punire actus merè internos; & tamen determinando præceptum diuinum, potest eum, qui nulla commisit peccata mortalia nisi merè interna, obligare vt confiteatur intra annum: ergo simili modo poterit obligare catechumenos. An possit catechumenum indirectè obligare ad baptismū.

Pro solutione Nota, tripliciter Ecclesiam posse determinare tempus baptismi. Primò, verè alium sua 42

determinatione obligando, vt id quod aliquando tenetur facere, teneatur hic & nunc facere: & hoc fieri non potest sine aliqua iurisdictione, quia ibi intercedit præceptum non quidem circa rei substantiam, sed circa modum eam exequendi. Nam imperatur noua obligatio ab Ecclesia quæ antè non erat.

43 Secundò, nullam omnino obligationem imponendo, sed tantùm definiendo hîc & nunc esse tempus, easque circumstantias, in quibus ex se obligat præceptum diuinum, idque non solùm ea ratione qua quiuis doctus id posset definire, sed cum quadam auctoritate, ita vt alter teneatur stare eius iudicio. Sicut si is qui à principe datus esset litigantibus arbiter, iudicaret vnum teneri alteri soluere 100. non imponeret huic propriè vllam obligationem, sed tantùm decerneret ad quid iure naturæ teneatur, idque ita vt hic teneretur ei credere, non quia eius præcepto obligatur, sed quia obligatur præcepto principis hoc præcipientis. Et est omnino credibile tale iudicium Ecclesiæ à Deo commissum: quia ipsius est iudicare quando catechumenus idoneus sit qui baptizetur. Et *D. Thom.* hoc innuit D. Thom. in fine corporis, dum dicit Catechumenum posse ob iustam causam differre baptismum ex licentia Prælatorum. Nec enim hi propriè possunt dare facultatem differendi baptismum, sed tantùm decernere ad hoc faciendum hîc & nunc esse sufficientem causam.

44 Tertiò, determinatio ea fieri potest per positionem alicuius conditionis, qua posita diuinum præceptum incipit per se obligare. Sicut tyrannus interrogando me, an sim Christianus, ponit aliquam conditionem, qua posita iure naturæ; & diuino teneor confiteri fidem. Et hoc etiam modo potest Ecclesia determinare præceptum baptismi, offerendo alteri legitimam commoditatem, vt baptizetur, quam iure diuino teneatur acceptare.

45 Alia longè est ratio in baptizato, qui solùm commisit peccata mortalia meræ interna. Nam huic directè potest Ecclesia præcipere, vt quæ tenetur aliquando confiteri confiteatur iam; nec ita exercet aliquam iurisdictionem circa actum internum, quia hunc nec punit, nec præcipit; sed hic est solùm conditio quædam necessaria, vt possit Ecclesia tali externam Sacramenti susceptionem præcipere.

Ex his patet canonem, *Duo tempora*, & aliquot sequentes. de consecr. d. 4. quibus olim statuebatur, vt catechumeni baptizentur pridie paschatis & pentecostes, & non aliàs, nisi vrgente necessitate, non obligasse catechumenos, sed ministros Ecclesiæ. Idem tamen iam pridem consuetudine sunt aboliti. Iam enim quouis tempore licet baptizare.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm peccatores baptizandi sint.

46 ARTIC. IV. docet Primò, peccatores adultos non esse baptizandos quamdiu volunt in peccatis perseuerare. quia tales omnino sunt indigni quibus res tam sancta conferatur: quod etiam fieret cum magna Sacramenti iniuria: contra cuius reuerentiam est, si informe, siue sine effectu alicui conferatur.

Docet Secundò, peccatores quos iam peccatorum suorum pœniteat, esse baptizandos, vt à peccatis mundentur. Quia hoc Sacramentum in hunc finem est institutum.

D. Thom. Nota, D. Thomam tam hoc quàm tribus sequentibus articulis agere solùm de adultis, vt ex ipsa materia satis patet.

ARTICVLVS V.

Vtrùm peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria?

47 ARTIC. V. docet peccatoribus dum baptizantur, nulla opera satisfactoria pro peccatis præteritis esse imponenda; quia in baptismo omnia peccata cum omni pœna iis debita integrè remittuntur. Huius ratio à priori est voluntas Christi, qui ita efficaciter huic Sacramento sua merita alligauit idque omnino conuenjebat institutioni huius Sacramenti. Primò, quia, vt dicitur ad Rom. 6. per baptismum perfectè assimilamur morti Christi: quia in eo veteri homini & peccatis morimur. Sicut igitur Christus sua morte peccatum omni ex parte perfectè vicit; ita baptismus dum baptizatum Christo morienti perfectè assimilat, significat in eo omne peccatum planè deleri secundùm culpam, & omnem pœnam ei debitam. Atque ideo D. Thom. in corpore, dicit morti Christi facere iniuriam qui putat ritè baptizato ob præterita peccata aliquas pœnas adhuc restare subeundas: quia significat Christum sua morte non vicisse perfectè peccatum. quod verum est, posito quòd Christus ita instituerit hoc Sacramentum, vt hoc effectu perfectè mortem Christi repræsentaret. Et hoc modo intellecta ratio D. Thom. est efficax, quæ aliàs primo aspectu videtur obscura & difficilis. Secunda 48 conuenientia huius effectus ex prima sequitur. quia scilicet cùm in baptismo moriamur omnino veteri homini, & noui spiritualiter generemur; sumus quasi alij planè homines, & consequenter peccata priùs commissa ad nos non pertinent, neque nobis vlla ratione ampliùs imputari debent.

Baptismus remittit omnes pœnas peccatis debitas.

Rom. 6.

D. Thom.

Nota tamen, hæc tantùm intelligenda esse de obligationibus contractis ex peccatis erga Deum. nam obligationes ex voto, vel simili ratione contractæ, manent integræ: sicut etiam omnes obligationes ciuiles, siue quibus aliis hominibus quacumque ratione obstringimur, sicut & pœnæ legibus debitæ. quia per baptismum soli peccato morimur; nec regeneramur ciuiliter, sed spiritualiter.

Non omnia obligatio aut pœna per baptismum remittitur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri?

49 ARTIC. VI. docet Primò, baptizandum debere interiùs sua peccata Deo confiteri, ea scilicet vel generatim, vel etiam speciatim in memoriam reuocando, quatenus hoc opus est, vt conuenientem de iis dolorem in se excitet.

Docet Secundò, non esse necessarium, vt ea exteriùs alicui homini confiteatur, nisi fortè generatim dicendo se peccatorem, & dolere de peccatis, & velle in posterum ab iis abstinere. Quia particularis confessio tantùm est necessaria in Sacramentali confessione, cuius materia non possunt esse peccata ante baptismum commissa. quia hæc non possunt esse subiecta clauibus Ecclesiæ: vt docet Trident. sess. 14. c. 2. *Trident.*

Docet Tertiò, eiusmodi tamen confessionem posse aliquando alicui in particulari esse vtilem, vt meliùs posset instrui, qua ratione in posterum posset vitam instituere.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Vtrùm ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi baptismum?

50 ARTIC. VII. docet ex parte baptizati requiri intentionem suscipiendi baptismi. Quia nemo vtens libero arbitrio, nisi voluntariè ad statum gratiæ & filiorum Dei transfertur, aut in Ecclesiæ membrum adscribitur. Vide dicta suprà q. 64. art. 8. dub. 5. vbi hæc satis explicata sunt.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm requiratur fides ex parte baptizati?

51 ARTIC. VIII. docet Primò, ad effectum Sacramenti, siue gratiam consequendam, necessariam esse rectam fidem in baptizato. quia, vt patet ad Hebræos 11. sine fide *Hebr. 11.* impossibile est placere Deo, aut gratiam eius accipere.

Docet Secundò, hæreticum tamen posse validè suscipere baptismum, sed sine gratia. Est de fide, & *D. Augustin.* pluribus docet D. Augustinus ter fere integris libris contra Donatistas de baptismo conscriptis.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm pueri sint baptizandi?

52 ARTICVLO IX. docet, infantes esse capaces baptismi, atque gratiæ per eum percipiendæ, & consequenter baptizandos esse. Est de fide, vt patet ex Tridentino sess. 7. can. 13. Fuerunt olim Hierachitæ, qui, vt docet Epiphanius hæresi 67. docuerunt infantes non pertinere ad regnum cælorum; vnde sequitur non esse baptizandos. Similiter eosdem non esse baptizandos docuit tempore D. Bernardi quidam Petrus de Bruis: & nostro tempore docent omnes Anabaptistæ: quia putant hoc Sacramentum solis illis conferendum qui possunt credere.

Tridentin. Hierachitæ. Epiphan.

Petrus de Bruis, Anabaptistæ.

53 Sed probatur conclusio Primò ex Scripturis. Ad Rom. 5. v. 11. & seqq. vbi Apostolus expresè docet Christum, quantum est ex parte sua, per mortem & merita sua omnes viuificare, quos Adam suo peccato occidit: imò gratiam Christi esse potentiorem ad viuificandum, quàm fuerit peccatum Adami ad occidendum: atqui Adam occidit suo peccato (vt patet tum ex aliis locis, tum ex Apostolo ibidem) etiam infantes: ergo Christus quantum est ex parte sua, etiam hos viuificat. quod cùm fieri nequeat per eorum proprios actus; fieri aliter non potest quàm per

Rom. 5.

54 baptismum, quo Christi merita iis applicantur. Prob. Secundò, ex Marci 10. v. 14. vbi Christus ait: *Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos, talium enim est regnum cælorum*, Vbi Christus clarè ostendit, paruulos (quos Lucas c. 18. v. 15. in græco vocat βρέφη, id est infantes) esse capaces gratiæ ac regni cælorum. Non possunt autem gratiam accipere nisi per baptismum. Nec refert quòd Christus non dicat, Eorum est regnum cælorum; sed, Talium est regnũ cælorum. Hoc enim Christus non fecit, vt innueret eorum non esse regnum cælorum sed *vt ostenderet* (inquit Hieronymus in hæc verba Matth. 19.) *non ætatem regnare sed mores; & his qui similem haberent innocentiam & simplicitatem, præmium repromitti.* apertè insinuans illos paruulos habere innocentiam, & consequenter

Marc. 10.

Luc. 18.

D. Hieron. Matth. 19.

etiam iis præmium esse debitum. Confirmatur, quia etiam Anabaptistæ fatentur infantes posse peruenire ad cælum: atqui hoc non potest fieri nisi baptizentur. quia lex Christi generalis est, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibis in regnum Dei.* ergo necessariò baptizandi sunt. Prob. Secundò, quia in veteri Testamento infantes circumcidebantur: ergo iam etiam debent baptizari. quia, vt patet ex Apostolo ad Colossenses 2. v. 11. baptismus successit circumcisioni.

Ioan. 3.

Coloss. 2.

Prob. Tertiò, ex generali totius Ecclesiæ consuetudine, quam fusè pluribus locis docet D. Aug. vt l. 1. de peccatorum meritis c. 19. 25. 33. epist. 23. & 106. tractatu 80. in Ioannem, & alibi. Et Concilium Mileuitanum c. 2. dicit anathema iis qui recenter natos paruulos baptizandos negant. Idem docuit Clemens Rom. l. 6. Constit. c. 15. in fine, & communiter alij Patres, excepto Tertulliano, qui putauit differendum baptismum vsque ad vsum rationis: sed in eo errauit; & Nazianzeno oratione in sanctum baptisma, qui putauit commodum fore differre vsque ad triennium, vt puer per se respondere posset. Sed hæc ratio parui momenti est, & communis Ecclesiæ auctoritas præualet, contra quam nullo modo disputandum est, præsertim quia, cùm nullum huius consuetudinis possit post Apostolos ostendi initium, clarum est ab iis emanasse: vt docet D. Aug. l. 4. de baptismo contra Donatistas c. 24.

55 *D. Augustin.*

Conc. Milevitan.

Clemens Roman. Tertull.

Nazianzen.

D. Aug.

Obiiciunt hæretici Primò illud Matth. vlt. *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Vbi Christus iubet primùm gentes erudire quàm baptizare: vnde Marci vlt. dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* vbi prærequiritur fides ante baptismum, vt possit prodesse, sine qua, vt dicitur ad Hebr. 11. impossibile est placere Deo: atqui infantes non possunt credere: ergo nec baptizari. Hoc argumentum premit valdè hæreticos, qui docent baptismum non aliter prodesse, quàm excitando fidem. Vnde Lutherus cum multis ex suis docet paruulis dum baptizantur, accelerari vsum rationis, vt possint credere. Sed hoc ridiculum est, & contra omnem experientiam. Quare variè se torquent vt possint hoc paradoxum defendere, & sæpè illud transformant, vt ex eorum verbis fusè docet Cardin. Bellarm. l. 1. de baptism. c. 10. Sed contra Catholicos, qui docent Sacramenta ex opere operato producere gratiam, nullam vim habet. Respond. itaque Christum mittere suos Apostolos ad populos infideles & omnino ignaros Euangelij. ideoque debebant eos priùs docere, quàm aliquos baptizare: tum quia qui sunt doctrinæ capaces, baptizari non possunt nisi volentes & credentes: tum quia nec eorum pueros poterant baptizare, nisi parentibus volẽtibus; nec hi hoc erãt permissuri, nisi priùs fuissent res fidei edocti. Vnde non iubentur priùs singulos in particulari docere quàm baptizare; sed communitati priùs Euangelium enuntiare, & quemque capacem etiam in particulari de rebus fidei instruere, & deinde tam ipsos quàm eorum infantes baptizare: Quare etiam in adultis, vt profit illis baptismus, prærequiritur, vt priùs actu credant: infantibus autem qui actus fidei sunt incapaces, & aliena tantùm voluntate in Adamo peccarunt, sufficit fides Ecclesiæ, & susceptio Sacramenti fidei, placentque Deo per fidem habitualem, quæ iis vnà cum habitu spei & caritatis infunditur; vt Concilium Trident. docet fieri in omni peccatoris iustificatione. Vnde pater tales infantes non solùm ex aqua (vt obiiciũt hæretici) sed etiam ex Spiritu sancto renasci; quia huius virtute gratiam & spiritualem vitam accipiunt.

56 *Matth. vlt. Marc. vlt.*

Hebr. 11.

Lutherus.

Bellarm.

Trident.

Obiiciunt Secundò, Nullibi in Scriptura præcipitur, vt infantes baptizentur, nec vllibi leguntur à Christo, aut Apostolis fuisse baptizati: ergo non

57

sunt baptizandi. Resp. Primò, negando consequentiam. Nam nullibi etiam legitur infantes non esse baptizandos, aut non fuisse ab Apostolis baptizatos: vnde similiter inferam: ergo baptizandi sunt. Est enim similis consequentia.

Resp. Secundò, Etsi expresè non habeatur in Scriptura baptizandos esse infantes, apertè tamen ex locis suprà citatis colligitur, accedente præsertim totius Ecclesiæ auctoritate, à qua debemus & Scripturas, & earum sensum accipere. Similiter ex Act. c. 16. v. 15. vbi D. Paulus dicitur baptizasse Lydiam & domum eius. & 1. ad Corinth. 1. v. 16. vbi idem dicit se baptizasse Stephanæ domum siue familiam; valdè probabiliter colligitur eum baptizasse etiam aliquos infantes, quia tales communiter in familiis sunt.

Act. 16.

1. Cor. 1.

Obiiciunt & alia multa, sed quæ nullam omnino habent difficultatem, nec digna sunt quibus respondeas. Si quis ea videre cupiat, videat Card. Bellarm. l. 1. de baptism. cap. 9.

Bellarm.

58 Nota, huic errori satis fauere Erasmum in præfat. in D. Matthæum, vbi docet in infantia baptizatos, cùm ad vsum rationis peruenerint, interrogandos an velint habere rata quæ patrini eorum nomine spoponderunt; & negantes, non esse [illegible]gendos, vt christiano ritu viuant. Quem meritò damnat Trident. sess. 7. c. 14. Sicut enim olim hoc ipso quo quis circumcidebatur, obligabatur seruare vniuersam legem Moysi: vt docet D. Paulus ad Gal. c. 5. v. 3. ita iam hoc ipso quo aliquis baptizatur, fit membrum Ecclesiæ, eiusque iurisdictioni & legibus subiicitur, atque cogi potest, vt eas seruet. Nec fit iniuria infantibus, dum per baptismum ignari hanc subiectionem subeunt. Primò, quia tunc voluntas eorum est subiecta voluntati parentum, qui cogi possunt, vt filios suos curent baptizari. Secundò, quia iis omni modo expedit hanc obligationem ita suscipere, cùm aliter saluari nequeant. Tertiò, quia iure diuino ad eam statim ac rationis capaces sunt, subeundam tenentur: atque ita nihil iis imponitur, quod iure diuino non teneantur suscipere.

Erasmi error.

Trident.

Galat. 5.

ARTICVLVS X.

Vtrùm pueri Iudæorum, aut aliorum infidelium sint inuitis parentibus baptizandi?

59 ARTICVLO X. docet, filios infidelium, cùm ad vsum rationis peruenerint, etiam inuitis parentibus posse suscipere baptismum: quia cùm ad hoc iure diuino obligentur, magis tenentur obedire Deo quàm parentibus. Quare inuitis parentibus possunt ad baptismum inuitari, & consentientes baptizari. Docet Secundò, tales ante vsum rationis inuitis parentibus baptizari non posse.

Proles rationis vsu adepta potest inuitis parentibus baptizari.

60 Nota Primò, tunc censeri vnumquemque sufficientem habere vsum rationis, vt possit inuitis parentibus baptizari, quando sufficienter vtitur ratione, vt possit peccare mortaliter: quod in quibusdam citiùs, in aliis seriùs contingit. Quare quando hic vel ille in particulari talis sit, prudenti iudicio ex variis signis colligendum est.

61 Nota Secundò, quando dubium est an proles sufficienter vtatur ratione, si inuitis parentibus petat baptismum, res differenda est donec rario magis elucescat. quia dilatio minùs est periculosa, quàm festinatio. Nam nec puer baptizatus potest relinqui apud parentem sine graui periculo peruersionis & profanationis baptismi; nec ab eo, antequam constet filium perfectè vti ratione, sine ipsius iniuria potest auferri.

In dubio an eum adepta sit, debet baptismus differri.

Excipiendus tamen est casus, quo proles est in periculo vitæ. Tunc enim magis esset cōsulendum huius saluti, quàm paterno iuri. Similiter si contrà talem filium renitentem parentes offerrent baptizandum, differendum esset baptisma, donec de perfecto vsu rationis in eo constaret, ac liberè baptismum peteret, qui aliàs nimis periculosè ei conferretur.

Excipe mortis periculum.

Nota Tertiò, propter responsionem D. Thomæ ad 2. vbi ait Iudæos esse seruos Principum Christianorum seruitute ciuili, communiter Thomistas docere, Iudæos esse vera mancipia Principum in quorum terris habitant. quod probant etiam ex c. *Etsi Iudæos*, de Iudæis & Saracenis. vbi dicitur: *Etsi Iudæos (quos propria culpa submisit perpetuæ seruituti) pietas Christiana recepit, & sustineat cohabitationem eorum*, &c. 62

D. Thom.

Sed contrarium omninò dicendum est. Nam aliàs possent principes omnia eorum bona tamquam sua pro libitu iis auferre, & cui vellent donare, cosque ac eorum liberos suo arbitrio vt mancipia vendere. Quia dominus habet absolutè talem potestatem in veros seruos. quod tamen ex communi vsu constat esse falsum. Nec D. Thomas illud vnquam docuit. sed potiùs contrarium. Nam dicit Iudæos non esse subiectos Principibus nisi seruitute ciuili, qua ratione omnes gentes dicuntur seruire iis à quibus iusto bello deuictæ sunt, sicut iam plurima loca Indiæ seruiunt Hispano; cùm tamen personæ singulæ liberæ sint. Et simili modo loquitur Innoc. III. in c. *Etsi Iudæos*. quod clarè ostendit, dum dicit Christianos sustinere eorum cohabitationem, scilicet quasi ciuium. Seruorum enim non sustinemus cohabitationem, sed subiectos nostræ potestati vindicamus.

Iudæi non sunt mancipia Christianorum.

Innoc. III.

DVBIVM.

Vtrùm possint baptizari infantes infidelium inuitis parentibus?

63 NOta Primò, constare inter omnes, baptizatos quantumcunque à fide defecerint, manere sub potestate Ecclesiæ, & posse ab ea cogi (nisi aliquid aliud obstet cur id fieri non expediat) vt filios infantes curent baptizari, atque adeò si hoc non faciant, eosdem ipsis inuitis baptizari posse per eos quibus parentes subiecti sunt. Ratio est, quia Ecclesia potest cogere omnes sibi subiectos, vt leges diuinas & Ecclesiasticas seruent. Parentes autem iure diuino & Ecclesiastico tenentur suis liberis procurare baptismum, vt patet ex dictis suprà art. 2. dub. 1.

Omnis baptizatus quātumuis apostata Ecclesiæ subiectus est, & cogi potest vt filios suos curet baptizari.

64 Nota Secundò, conuenire etiam inter DD. communiter non licere baptizare inuito parente infantes filios infidelis non baptizari, quando parens non est subiectus alicui Principi Christiano.

65 Sed dubitatur Primò, Vtrùm talis infans valide baptizetur inuito parente? Durandus in 4. d. 4. q. 7. cum quibusdam aliis id negat: sed communior sententia id affirmat.

Durand.

Secundò dubitatur, Vtrùm tales aliquando licitè possint baptizari, præsertim quando sunt in periculo mortis?

Tertiò, Vtrùm Princeps Christianus possit filios Paganorum sibi subiectorum inuitis parentibus curare baptizari?

Scotus in 4. d. q. 9. cum quibusdam aliis id affirmat: alij verò id negant, nisi illi infideles sint mancipia Christianorum. ita Durand. suprà. Contrà Thomistæ communiter ferè generatim negant, tales licitè inuitis parentibus baptizari.

Scotus.

Durand.

Thomistæ.

Nota Tertiò, nomine parentum intelligi hîc etiam eos qui parentibus mortuis in curam infantium succedunt, vt sunt tutores & similes.

66 CONCL. I. Validè infantes infidelium quorumcunque inuitis parentibus baptizantur, licet id fiat cum

Infans inuito parente

validè baptizatur.

iniuria parentum. Est communior sententia Doctorum. Probatur, quia, vt ostendi suprà, & ex fide constat, infantes sunt capaces baptismi, & talibus infantibus ex parte ministri possunt omnia Sacramento essentialia adhiberi, vt per se constat: ergo possunt validè baptizari.

67 Dices, illa non sufficere ad valorem Sacramenti, sed requiri, vt baptizatus aliquo modo intendat illud suscipere, vt ostendi q. 64. art. 8. dub. 5. ergo cum paruulus non possit propria voluntate intendere baptizari, debet hoc intendere per voluntatem parentis, quæ censetur esse voluntas paruuli.

Respond. antecedens t[enen]dum esse verum in adultis, vt loco citato docui. Nam aliàs paruuli essent incapaces baptismi, cùm eum non possint velle. Quod autem dicitur, voluntatem parentum esse voluntatem paruuli, & ipsum per hanc sibi vtilia expetere, etsi possit valere ad aliquos effectus ciuiles efficiendos secundùm constitutionem legum: ad valorem tamen baptismi nihil confert. quia nullo modo infans verè & propriè potest dici expetere baptismum, quia parentes hunc ei expetunt: nec in iis quæ spectant ad sanctificationem, aut spiritualem obligationem voluntas parentis censetur vllo modo voluntas filij. quia aliàs posset pro eo vouere castitatem, aut similia, aut eum baptizatum offerre idolo: ita vt puer verè censeretur vouisse aut se obtulisse idolo. quæ omnia absurda sunt.

Paruuli valide baptizantur, etsi hoc nullo modo per se vel alios petant. Qua ratione voluntas parentis censetur voluntas filij.

68 Nec refert quod D. Augustinus sæpè dicat paruulos petere baptismum per eos, qui illos offerunt: quia simili ratione dicit eosdem per hos credere & sperare. Sicut ergo fides parentum vel offerentium nihil confert ad effectum baptismi (nam siue hi sint hæretici, siue Catholici, eodem modo paruulus accipit gratiam) sic nec eorum voluntas quidquam confert ad valorem baptismi, sed tantùm vt licitè paruulus baptizetur.

D. Augustin.

69 Conclvsio II. Communiter non licet infantes filios infidelium non baptizatorum inuitis parentibus baptizare, etsi hi subiecti sint Principibus Christianis, modò non sint mancipia.

D. Thomas.

Hanc conclusionem tenet apertè D. Thomas hîc, & omnes Thomistæ, & ferè communiter Theologi. Probatur Primò, ex vsu totius Ecclesiæ, quæ nunquam tales solet baptizare, aut eiusmodi factum approbare. Vnde clarè colligitur eam sentire hoc esse illicitum.

70 Infans baptizatus patri infideli auferendus.

Probatur Secundò, quia si talis baptizaretur, deberet abstrahi ab educatione & consortio parentis: atqui hoc fieret cum iniuria parentis, qui iure naturæ habet ius educandi apud se suum filium, quo sine sua culpa priuari nequit: ergo etiam talis cum parentis iniuria baptizaretur. Nec refert quòd Christus potuerit dare ministris Ecclesiæ ius tales inuitis parentibus baptizandi, atque ita eosdem ab iis abstrahendi. quia sine vlla ratione dicitur Christum hoc ius Ecclesiæ dedisse: imò ex vsu Ecclesiæ potiùs contrarium colligitur.

Concil. Toletan. 4.

Maior autem habetur expressè in Concilio Toletano 4. can. 58. & refertur c. *Iudæorum filios.* 28. qu. 1. & ratio est, quia aliàs si infantes baptizati manerent apud parentes infideles, hi eos contrariis ritibus inquinarent, & postea ad suam infidelitatem pertraherent, cum magna baptismi iniuria, qui ita non tam cederet in bonum baptizati, quàm in maiorem eius damnationem.

71 Dices Princeps potest sibi subditos, vel ob eorum culpam, vel ob bonum commune priuare suo iure: atqui parentes nolendo permittere, vt sui filij baptizentur, peccant contra ius diuinum, & bonum ipsius pueri: ergo princeps potest eos iure quod habent in suos filios priuare. Confir. quia si pater vellet filium suum per sacrificia offerre siue consecrare idolo, aut eum occidere, posset Princeps eum ipsi eripere: ergo similiter poterit eum eripere, si non permittat eum baptizari. quia ita spiritualiter eum occidit.

Respond. negando consequ. quia quando Princeps politicus non potest suos subditos cogere vt seruent aliquam legem, tunc nec potest eos punire ob peccatum contra eam commissum. Sicut ergo Princeps non potest infidelem cogere, vt suscipiat baptismum, vt apertè docet Toletanum 4. can. 55. & Clemens 3. c. *Sicut Iudæi* de Iudæis Saracenis: ita nec potest eum cogere, vt permittat filium suum baptizari, donec hic liberè hoc petat; nec potest nolentem permittere, punire.

Non possumus à quouis superiore, ob quoduis peccatum puniri. *Toletan. 4. Clem. III.*

Nec refert quòd parens peccet contra bonum pueri. quia illud peccatum est solùm contra tale officium paternum, ad quod ritè hac in re obeundum non potest à ciuili principe cogi, vt patet ex dictis. Et cùm bonum illud pueri sit priuatum, non est tanti momenti, vt ideo parens debeat suo iure quod habet in filium priuari. præsertim cùm valdè incertum sit an baptismus absolutè cessurus sit in bonum pueri; cùm facilè fieri possit, vt postea errores parentis amplectatur, atque ita grauiùs damnetur. Ratio autem dictorum est ipsa voluntas Christi, qui nulli dedit potestatem homines cogendi vt fidem susciperent, aut suas proles baptizari permitterent. 72

Ad confirmationem nego consequ. quia talis consecratio continet apertum sacrilegium contra ius naturæ, & diuinum honorem, quem Princeps tenetur defendere, & consequenter talia scelera in suis subditis punire. Similiter illa occisio continet apertam vim contra omnem iustitiam innocenti illatam, quam quiuis etiam priuatus potest vi impedire. Pater autem nolendo permittere baptismum filij, eum non occidit, sed tantùm non permittit sanari, ne spolietur iure quod habet ad filij educationem, in quo nulli facit iniuriam. quia non obligatur filio ex iustitia permittere ipsius baptismum, quandiu ipsum liberè non petit. Et quamuis peccet contra legem diuinam, tamen hoc non est punibile per Principem, vt ostendi. His adde, probabile esse Gentilem extra periculum mortis non peccare mortaliter non permittendo filij baptismum vsque ad vsum rationis. quia (vt docet Suarez disp. 25. sect. 2. §. *Deinde addendum*) non satis potest probari, Catholicos, secluso omni præcepto & consuetudine Ecclesiastica, (quibus Gentilis non tenetur) obligari, vt curent suas proles ante vsum rationis baptizari: quanto minùs id potest probari de Gentili? Quare iniquè ad hoc cogeretur. 73

Gentilis non peccat mortaliter nõ permittẽdo prolis fiæ adhuc infantis baptismum. *Suarez.*

Dices, Saltem filius poterit eripi à potestate parentis, ne postea adultum imbuat mala doctrina instituendo eum in paganismo; sicut posset ei eripi, si esset periculum ne eum occideret. Respond. negando assumptum. quia pater imbuendo filium peruersa doctrina, nullam infert vim aut iniuriam, sicut quando illum occidit. Et sicut filius non baptizatus non potest vi impediri, quo minùs sequatur peruersam illam doctrinam: ita pater non potest impediri, quo minùs eum in illa instruat, modò non faciat sacrilega vlla sacrificia, aut similia. quòd si pater cogeret filium, vt suam doctrinam sequeretur, tunc filius posset à Principe defendi, & patri eripi. 74

Pater non facit filio iniuriam instillando ei peruersã doctrinã.

Disputant autem hîc aliqui, Vtrùm baptizans talem filium inuito patre per hoc præcisè faciat iniuriam patri, etiamsi filius patri non eripiatur. Vasquez hîc disp. 155. cap. 3. negat: Suarez verò disp. 25. sect. 3. affirmat; & hoc videtur probabilius. quia per talem actum, filius, qui est res quædam patris in 75

Vasquez. Suarez.

eius potestate perfectè constituta, contra patris voluntatem Ecclesiæ eiusque legibus obligatur, & constituitur in iis circumstantiis, quibus potest & debeat patri eripi, per se loquendo & seclusis extrinsecis, siue posito quòd sine graui incommodo fieri queat illud autem apertè repugnat iuri paterno.

Dices, Pater peccat non permittendo baptismum filij: ergo alter potest eum baptizare. Resp. Primò, antecedens esse valdè incertum, vt patet ex dictis. Resp. Secundò, negando consequentiam. quia pater etiam peccat nolendo suscipere baptismum, & tamen non potest ad hoc cogi.

76 Dixi, *hoc non licere communiter.* quia hoc liceret Primò, quando filius esset in certo periculo mortis, & posset sine turbis, aut vi patri inferenda baptizari. quia cùm tunc non esset periculum ne postea à patre perueterentur, non esset ei eripiendus: & consequenter tali baptismo non læderetur ius paternum: quia vel pater non habet immediatè ius ne filius se inuito baptizetur, sed tantùm quando inde sequitur eum sibi eripiendum. Vel etsi tale ius habeat (quod per se loquendo est probabilius) hoc tamen in tanta filij necessitate, quæ iam planè extrema est, omnino cessat. Sicut etsi habeam ius ne quisquam mihi mea eripiat, tamen illud ius cessat respectu eius, qui est in extrema necessitate. Non tamen putarem patri nolenti permittere baptismum filij, posse vim inferri, saltem à priuato. sicut etsi possim iniusto possessori clàm res meas eripere, quando aliter eas non possum recuperare, non possum tamen ei vim inferre.

Possunt aliquibus casibus filij inuito parente infideli baptizari.

77 Dices, Etsi filius sit statim moriturus, nihilominus debebit patri eripi ne contaminet eum sacrilegis sacrificiis: ergo ne debeat ei eripi, non poterit tunc baptizari.

An instante morte baptizatus debeat parenti eripi.

Resp. distinguendo antecedens. Nam si habeantur clara omnino signa patrem hoc facturum, concesso antecedente nego consequentiam. quia necessitas eripiendi tunc non prouenit præcisè ex baptismo, sed ex mala voluntate patris perpetrandi aliquod scelus quod Princeps sæcularis & potest & tenetur impedire quantum commodè potest: ita vt possit eidem eripere filium non baptizatum ne similia faciat quando essent euidentia indicia eum quid simile intendere, nec esset alius modus impediendi. Adde, extremam tunc filij necessitatem exigere, vt aliquid minuatur de iure paterno.

78 Quòd si tantùm sint leues coniecturæ, illæ non videntur tanti faciendæ, vt propterea filius sit eripiendus. Adde, etsi esset omnino certum filium ita contaminandum nec posset hoc impediri, nihilominus baptismum non esse ideo omittendum. quia illa contaminatio non potest proli obesse, & extrema eius necessitas excusat omnem irreuerentiam, quæ aliàs Sacramento fieret. Quòd si proles conualescat, parenti eripienda est, si commodè fieri potest, vt patet ex dictis.

Hinc sequitur similiter, in tali necessitate baptizandas etiam esse proles Gentilis non subditi Christianis, quando id sine turbis fieri potest: quia hoc postulat extrema prolis necessitas: nec in hoc patri fit vlla iniuria.

79 Secundò, licet baptizate prolem talis Gentilis, quando venit in potestatem Christianorum etiam per iniuriam, quando omnino est impossibile eam parentibus restituere. ita Soto in 4. d. 5. q. vnica a. 10. *Soto.* *Caietanus.* §. *Contra hanc autem.* Caietan. hîc §. *vbi scito.* quia per hoc aut nullo modo præiudicatur iuri parentum, cùm ius quod habent ad eam educandam sit is planè inutile: aut si per se loquendo aliquantulum præiudicetur, hoc parum est, & negligendum præ bono quod proli acquiritur. Quare omnino irrationabiliter parentes circa hoc sunt inuiti. Confirmatur quia qui furto abstulisset ab hæretico aliquas pecunias, posito quòd omnino impossibilis esset restitutio, posset eas alienare dando pauperibus Religiosis, etiamsi sciret hoc maximè repugnare voluntati domini, qui omnes Religiosos grauissimè odisset.

Hinc sequitur Primò, neque Iudæos potuisse inuitis parentibus circumcidere infantes Gentilium; neque etiam consecrare eos Deo per Sacramentum legis naturæ, nisi essent eorum mancipia. quia eodem modo hæ proles debuissent parentibus eripi, ne ab iis perueterentur. 80

Sequitur Secundò, quando aliqui hæretici vel apostatæ habitant in iis locis in quibus liberè exercent suam religionem, extra periculum mortis eorum filios non esse baptizandos, nisi vel per separationem, vel alia ratione possit caueri ne parentes eos impiis sacris & doctrinis imbuant. quia aliàs fieret contra dignitatem Sacramenti, quod probabilius magis obesset quàm prodesset. Quando autem tales habitant in locis vbi publicè coguntur profiteri fidem Catholicam, eorum proles baptizandæ sunt, & per catecheses & Pastorum vigilantiam, quantum fieri potest, omni eorum periculo obuiandum. 81

An filius inuito patre hæretico baptizari possit

Nota demum, quando alterutrer parens est fidelis, eorum prolem debere sequi religionem parentis fidelis. Ita habetur in Concilio Tolet. 4. can. 61. Et similiter etsi vterque sit Gentilis, sufficit, vel patrem vel etiam matrem consentire, vt possit proles baptizari, modò speretur christianè educanda. quia etsi mulier aliàs viro sit subiecta, tamen absolutè habet ius, vt curet prolem benè & christianè educari, nec maritus hoc potest legitimè impedire. 82

Toletan. 4. Proles sequitur parentem fidelem, aut volentem eius baptismum.

Concil. III. Quacumque ratione tam infideles adulti, quàm eorum filij validè baptizantur, siue iure, siue iniuria, fiunt subditi Ecclesiæ, non minùs quàm alij quiuis baptizati. Paret ex Toletano 4. can. 55. vbi dicitur Iudæos, qui metu adducti baptismum susceperant, debere cogi vt seruent fidem Christianam. Et can. 58. dicitur filios Iudæorum baptizatos debere iis eripi. quæ fieri non possent nisi Ecclesia in eos ius acquireret. 83

Omnis baptizatus subditur Ecclesiæ. *Toletan. 4.*

Dices, Nemo per iniuriam in alium ius acquirit: atqui tales per iniuriam baptizati sunt: ergo Ecclesia non acquirit in eos ius. 84

Potest quis per accidens per iniuriam in alterum ius acquirere.

Resp. nunc maiorem non esse veram, quando quis per iniuriam transfertur in talem statum qui intrinsecè dicit subiectionem ad alterum. Omnis autem baptizatus necessariò ratione characteris fit membrum Ecclesiæ, & consequenter toti corpori eiusque Prælatis subiicitur. Sic qui dolo inducit aliquam, vt sibi nubat, facit ei iniuriam, nihilominus acquirit in eam ius maritale.

Conclvs. IV. Dominus potest infantes suorum mancipiorum infidelium inuitis parentibus baptizare. ita cum Durando Suarez hîc disp. 25. sect. 4. concl. 2. & alij. Probatur, quia cùm talis proles sit absolutè res ipsius domini, hic habet absolutum in eam ius, ad eam à patre abstrahendam, vendendam, aut pro suo libitu educandam, nec pater habet vllum ius ad eius educationem nisi dependenter à voluntate domini. nam sicut non habet ius in se nisi dependenter à voluntate domini, ita nec in res sibi subiectas. Quare dominus sine vlla seruî iniuria potest eius prolem curare baptizari, ac Christiano ritu educari. 85

Durand. Suarez.

Nota, aliquos putare, dominum, vt hoc licitè faciat, teneri primùm separare filios à parentibus. quia putant dominum non posse aliàs proles illas pro libitu educare, & parentem impedire ne earum educationi se immisceat. Et probatur, quia seruus habet idem ius ad educandam prolem, atque

ad vtendum matrimonio : sed dominus non potest eum impedire ab vsu matrimonij, nisi cum vendendo, aut mittendo in remotas partes : ergo similiter non potest eum alia ratione impedire ab educatione prolium.

86 Dominus habet absolutum ius in prolem sui mancipij vt sua voluntate eam educet.

Sed contrarium verius est modò dominus possit commodè aliter impedire ne seruus filium suum aliis ritibus aut erroribus imbuat, quod quantum potest tenetur impedire. Ratio est, quia, vt dixi, dominus habet absolutum ius in prolem ad omnem ipsius educationem aliàs per se licitam. Contrà seruus non habet ius in suam prolem nisi dependens à voluntate domini, quo hic ipsum omnino pro arbitrio potest priuare, quacumque ratione voluerit. Secùs autem est de vsu matrimonij, quia seruus coniugatus habet ad hunc ius independens à voluntate domini, qui non potest eum ab eiusmodi vsu vllo modo directè impedire, sed tantùm indirectè præcipiendo ei aliqua incompatibilia, idque solum quando necessitas aliqua id exigit, vt pluribus dicemus suo loco.

87 Suarez. Vasquez. Dominus per se tenetur suis mancipiis procurare baptismum.

Nota demum, disputare hic DD. Vtrùm dominus teneatur eiusmodi sua mancipia curare baptizari? quod fusè disputant Suarez hic disp. 25. sect. 6. & Vasquez disp. 155. c. 7.

Sed Respond. breuiter, per se loquendo dominos teneri eiusmodi sua mancipia siue domi suæ nata, siue iusto bello in infantia capta baptizare, & christianè educare. Probatur Primò, quia parentes Christiani ad hoc tenentur suis prolibus ; dominus autem succedit in ius & curam parentum. Confirmatur ex Apostolo 1. ad Timoth. 5. vbi dicit : *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit & infideli deterior est.* Certè negari non potest, quin tales infantes sint ex familia sui domini. Probatur Secundò, quia cum rales pueri sint in necessitate, dominus obligatur ex caritate, iis quantum commodè potest, succurrere.

1. Timoth. 5.

88 Per accidens tamen sæpe excusatur.

Dixi *per se teneri*. Nam ratione circumstantiarum posset aliquando excusari : vt quando non potest id facere sine grauibus difficultatibus & incommodis. Cùm enim illi pueri non sint in extrema necessitate, non tenetur dominus iis cum tantis difficultatibus succurrere. Etsi enim respectu eorum succedat in ius paternum, non tamen cum pari obligatione, sed longè inferiore, vt per se patet, Hinc facilè ab hac obligatione excusantur milites, qui contra infideles pugnantes capiunt eorum infantes, & permittunt eos à parentibus redimi. quia esset iis ferè moraliter impossibile eos alere, cùm sæpè vix seipsos possint alere. ita Suarez suprà.

Suarez.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm pueri in materno vtero sint baptizandi?

89 Puer validè baptizatur in vtero matris,

RESPONDEO XI. docet Primò, puerum non posse baptizari in matris vtero. quia non potest aqua perfundi : nec sufficere matrem baptizari. quia proles in ordine ad baptismum est persona omnino distincta à matre, cum proles sit peccato originali infecta, & mater sæpè sancta.

Docet Secundò, quando est periculum ne proles moriatur antequam perfectè nascatur, si aliquam partem corporis, etiam digitum, exerat ex vtero, posse in ea parte baptizari. Vide dicta q. 66. art. 7. dub. 2.

90 Nota Primò, quacumque ratione possit proles adhuc in vtero existens sufficienter aqua perfundi, posse in necessitate baptizari, etsi nullam corporis partem exerat : vt docet Victoria de baptismo n. 32. & Candelabr. autum. num. 57. quia hic possunt reperiri omnia essentialia ad baptismum requisita. Quia vt possit per baptismum renasci, sufficit ea præcedat nariuitas, qua quis de non homine fit homo, modò possit lauari, vt patet in iis qui tantùm manum exerunt, aut exsecantur ex vtero matris mortuæ.

quoties potest aqua perfundi. Victoria. Candelab. autum.

Nota Secundò, pro responsione ad 1. etsi Christi merita non possint applicari infantibus adhuc omnino conclusis vtero materno, ita vt lauari nequeant, qui tamen contrahunt peccatum originale : inde tamen non sequi, vim meritorum Christi ex se esse minùs efficacem aut vniuersalem quàm sit vis peccati Adami. Nam sicut hoc mortificat omnes & solos naturali via natos ex Adamo : ita merita Christi solos & omnes viuificant qui spiritualiter regenerantur ex Christo ; quod fit per baptismum. Per accidens autem est, quòd quidam nequeat baptizari, sicut per accidens est, quòd quidam nequeant infici peccato originali, quia embryo ante animationem corrumpitur.

91 Quos meritis Christi viuificent.

92 Iustè condemnata ad mortem posset aperiri, si infans non aliter posset baptizari.

Nota Tertiò, etiamsi nullo modo liceat matrem innocentem etiam ex se ad id paratam occidere, vt proles exfecta possit baptizari, etiamsi aliàs vtraque necessariò ante partum deberet mori ; vt dixi suprà q. 65. art. 7. in dub. 1. num. 75. si tamen aliqua esset merita mortem, & ad eam iam condemnata, essetque periculum ne ex aliquo morbo ante partum vnà cum prole moreretur, posset seruato iuris ordine priùs secari, si esset spes fore vt proles hoc modo posset baptizari. Ita Suarez hic. Ratio est, quia in hoc facto nihil fit contra vllum ius.

Suarez.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm furiosi & amentes debeant baptizari?

93

ARTIC. XII. docet, amentes qui nunquam vsi sunt ratione, baptizandos esse sicut infantes : eos verò qui aliquando ratione vsi, non esse baptizandos, si id sani nulla ratione petierint ; quòd si aliquando petierint saltem implicitè, vt quia cupiuerunt imbui christiana doctrina, esse baptizandos, nisi sperareturr eos ante mortem rationis vsum receptruros. tunc enim esset expectandum, donec iterum ratione vtentes baptismum liberè susciperent. Nam hoc baptismi dignitatem decet, vt liberè & cum aliqua pietate, quantum fieri potest, ab iis recipiatur. Vide dicta quæst 64. articulo 8. dub. 5.

94 Surdus & mutus baptizari potest.

Nota, difficultatem esse, Vtrùm adultus à nariuitate surdus & mutus possit baptizari? & ratio dubij est, quia talis vix videtur ita posse instrui in rebus fidei, vt acquirat tantam earum cognitionem, quanta requiritur vt liberè baptismum expetat, & ad eius effectum percipiendum sufficienter se disponat. Sed satis probabiliter aliqui respondent, talem, quantum fieri potest, nutibus de Deo rebusque fide, dolore peccatorum, & baptismo esse instruendum & inuocato Deo vt interiùs eum illuminet, esse baptizandum. Quia non est credibile Deum tales velle relinquere sine remedio saluris. Maior videtur difficultas si idem à nariuitate simul fuisset cæcus. quia talis nulla ratione posset instrui. Sed credo talem eodem loco habendum quo amentem. quia vix videtur posse habere sufficientem rerum, præsertim moralium, cognitionem ad peccandum vel circa illas aliquem actum vere liberum eliciendum.

QVÆSTIO LXIX.

DE

EFFECTIBVS

BAPTISMI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm per baptismum tollantur omnia peccata?

1 ARTICVLO primo docet per baptismum penitus tolli omnia peccatà priùs commissa, quando nimirum cum legitima dispositione suscipitur. Est de fide.

Hæretici nostri temporis. Bellarm. Proclus Origenista.

Nota, hæreticos nostri temporis (vt ex eorum scriptis fusè docet Card. Bellarm. l. 1. de baptis. c. 13.) imitatos quendam Proclum Origenistam, docere peccata per baptismum non tolli, sed tantùm tegi, & desinere imputari. Probant Primò, quia remanet in nobis concupiscentia, siue fomes peccati, qui ab Apostolo ad Rom. 7. v. 8. & seq. dicitur peccatum. Secundò, quia Psal. 31. v. 1. & 2. dicitur *beatus, cuius tecta sunt peccata; & cui Dominus ea non imputat.*

Rom. 7.

Psal. 31.

2 Sed hæc apertè pugnant, Primò cum Scripturis, quæ dicunt per baptismum tolli peccata nostra, nos lauari, & fieri mundos, ac sine macula. hinc Ioan. 1. Christus dicitur Agnus Dei, *qui tollit peccata mundi.* Et ipse Christus Ioan. 13. ait discipulis suis: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Similiter Deus Ezech. 36. promittens baptismum ait: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* hinc Apostolus ad Ephesios 1. ait nos electos in Christo, *vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.* Quomodo autem hoc fiat, docet cap. 5. v. 26. vbi ait: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ; vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed vt sancta sit & immaculata.* Vbi Apostolus expressè docet quales nos, qui Ecclesiam constituimus, reddat lauacrum regenerationis, siue baptismus. quæ quis sanæ mentis dicat conuenire in hominem plenum fœdissimis peccatis? quæ si quacunque ratione possis tegere, potiùs efficies sepulchrum dealbatum plenum sanie, immunditiis, & fœtore, quàm vas mundum & immaculatum.

Peccata verè tolluntur per baptismum.

Ioan. 1.

Ioan. 13.

Ezech. 36.

Ephes. 1.

Ephes. 5.

3 Secundò, repugnant sensui totius Ecclesiæ, quæ in Symbolo dicit: *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum.* Cuius sensum nobis clariùs exposuit Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali, vbi dicit anathema iis qui asserunt per baptismum peccata tantùm radi, aut non imputari, aut non penitus tolli.

Trident.

4 Tertiò, repugnant apertè rationi. Nam, vt fatentur etiam hæretici, certum est fideles ritè baptizatos esse iustos, sanctos, gratos Deo, & dignos cælo, quæ nullo modo possunt conuenire homini pleno peccatis, quia iustus esse nequit, qui plenus est iniustitia; nec Deo gratus, qui peccatis est inquinatissimus, quæ Deus necessariò odit: nec potest esse dignus cælo, quem peccata constituunt dignum inferno. Fundamentum autem eorum nullius est momenti. Nam Apostolus ad Rom. 7. vocat concupiscentiam peccatum metonymicè, quia est causa peccati. Sic 2. Corinth. 5. v. vlt. ait Christum pro nobis factum peccatum, id est, hostiam pro peccato. Dauid autem Psal. 31. dicit peccata tegi, & non imputari, quia variis figuris poëticè eorum remissionem explicat. Nam si hæc propriè accipias, aperte implicat aliquid tegi coram Deo, qui non potest aliquid, quod à parte rei est, non videre. Dicuntur itaque tegi & non imputari: quia planè auferuntur, vt ampliùs videri aut imputari nequeant.

Rom. 7.

2. Cor. 5.

Psal. 31.

ARTICVLVS II.

Vtrùm per baptismum liberetur homo ab omni reatu peccati?

5 ARTIC. II. docet per baptismum vnà cum peccatis remitti nobis omnes pœnas iis debitas. Patet ex Florentino in decreto de Armenis, vbi ait; *Huius Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœna, quæ pro ipsa culpa debetur; propterea baptizato nulla pro peccato præterito iniungenda est satisfactio,* &c. Vide dicta quæst. 68. art. 5.

Florentin.

ARTICVLVS III.

Vtrùm per baptismum debeant auferri pœnalitates præsentis vitæ?

6 ARTICVLO III. docet pœnalitates, siue varias difficultates, quæ secutæ sunt peccatum originale, qualia sunt morbi, mors, concupiscentia siue fomes peccati, & similia naturæ mala, non omnia statim per baptismum deleri in hac vita; sed quædam ad virtutis exercitationem, & materiam patientiæ nobis relinqui; in futura tamen vita omnia à Sanctis penitus esse auferenda. Res quotidiana experientia satis patet. Cur autem Christus noluerit hæc omnia auferre, vide congruentias in textu.

7 Nota, nos duplicia mala per peccatum incurrisse, quædam directè & per se, tanquam pœnas peccato debitas, qualis est æterna damnatio. Alia indirectè, quatenus per peccatum perdidimus iustitiam originalem, per quam priùs ab illis supra naturæ nostræ conditionem eramus liberi: qualia sunt morbi, mors, fomes peccati, siue rebellio carnis contra spiritum, &c. quæ non infliguntur nobis à Deo per modum pœnæ, sed oriuntur ex naturali nostra constitutione: & eodem modo essent sine omni peccato in homine, qui conditus esset in statu puræ naturæ. Quare in nobis propriè non habent rationem pœnæ, quæ directè infligitur ob peccatum: ideóque à Theologis dicuntur pœnalitates. Itaque per baptismum remittitur nobis integrè peccatum, & omnis pœna,

Duplicem pœnam per peccatum incurrimus.

Rom. 7.

quæ ipsum directè consequitur: non tamen id omne conceditur quod habuissemus, si Adam non peccasset, sed hoc in futura vita cum magno fœnore ampliandum reseruatur.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm per baptismum conferantur homini gratia & virtutes?

8 Trident.

RT. IIII. docet, nobis per baptismum infundi gratiam & virtutes. Pater, quia per baptismum iustificamur: &, vt patet ex Trident. sess. 6. cap. 7. nunquam iustificatio fit sine infusione gratiæ, & virtutum saltem Theologicarum, scilicet fidei, spei, & caritatis. Vide dicta q. 62. a. 1. vbi fusè ostendi Sacramenta conferre gratiam ex opere operato: gratia autem aut non distinguitur realiter à virtutibus, præsertim à caritate; aut nunquam sine iis infunditur. Sed hæc disputatio pertinet ad 1. secundæ.

ARTICVLVS V.

Vtrùm conueniunter tribuantur baptismo quidam actus virtutum?

9

RT. V. docet, nos per baptismum Primò incorporari Christo: quia simus membra corporis ipsius, quod est Ecclesia, idque corporaliter siue visibiliter per externam Sacramenti susceptionem. Secundò, nos per eum illuminari, ratione scilicet fidei, quæ nobis infunditur in baptismo. Tertiò, nos per eundem fœcundari, quatenus infunduntur nobis habitus virtutum, quibus boni operis fructus producimus.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm pueri in baptismo consequantur gratiam & virtutes?

10

RT. 6. docet, etiam infantibus in baptismo infundi gratiam & virtutes, quia fiunt membra Christi, quòd fit per infusionem gratiæ.

D. Thom.

Nota, D. Thomam hanc quæstionem separatim disputare: quia ante eius tempora, vt patet ex cap. *Maiores.* de baptismo §. 1. in fine, & Clement. de summa Trinitate sub finem, quidam asserebant paruulis quidem remitti per baptismum peccatum originale: negabant tamen iis infundi gratiam. quam quæstionem Innoc. III. in cap. *Maiores*, indecisam reliquit: Clemens verò V. definit probabilius esse iis gratiam infundi. Sed iam res videtur absolutè definita, Primò, per Concil. Florentinum in decreto de Armenis: vbi generatim dicitur Sacramenta nostra producere gratiam ex opere operato. Secundò, clariùs in Trid. quod sess. 5. §. 4. docet infantibus necessarium esse baptismum ad remissionem peccati originalis. & deinde §. 5. ait, *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, &c. anathema sit.* aperte docens eam gratiam etiam paruulis infundi. Vnde sess. 6. cap. 7. generatim definit iustificationem non fieri sine infusione gratiæ. *Vnde,* ait, *in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur per fidem, spem, & caritatem.* atqui certum est paruulos per baptismum iustificari: ergo etiam illa accipiuntur. Quare non credo quemquam iam posse de his dubitare.

Innoc. III, Clemens V.

Florentin.

Trident.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm effectus baptismi sit aperitio ianuæ regni cælestis?

11

RT. 7. docet, baptismum ritè eum suscipientibus aperire statim cælum, quatenus per remissionem omnis culpæ & pœnæ iis debitæ amouet omnia quæ possint impedire ab eius ingressu: ita vt si baptizatus moriatur antequam nouum peccatum committat, statim ingrediatur cælum: vt docet Florentinum in literis vnionis, agens de effectu baptismi.

Florentin.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm baptismus habeat in omnibus æqualem effectum?

12

RT. 8. docet, baptismum æqualiter dispositis ordinarium suum effectum, scilicet gratiam habitualem, semper æqualem conferre: meliùs verò dispositis conferre maiorem. Vide dicta quæst. 62. a. 2. dub. 3. Extraordinarios verò effectus (qualis est miraculosa sanitas, & similia) pro sola Dei voluntate, diuersos diuersis conferre; aut etiam non conferre. quia hi effectus non sunt promissi eum suscipientibus; atque ita non conferuntur propriè virtute baptismi, sed extraordinaria Dei liberalitate.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm fictio impediat effectum Sacramenti?

13

RT. 9. docet, fictionem, siue voluntatem adhuc actu vel interpretatiuè inhærentem peccato mortali, vt fit quando quis non dolet se peccasse, impedire effectum Sacramenti. Vide dicta q. 62. a. 1. dub. 2. & 5.

ARTICVLVS X.

Vtrùm fictione recedente baptismus suum effectum consequatur?

14

RTIC. 10. docet, baptism. recedente fictione suum effectum consequi. Vide dicta q. 62. art. 1. dub. 5. & 6. vbi hæc fusè explicui, sicut etiam responsionem ad 2. quæ habet aliquam difficultatem.

QVÆSTIO LXX.

DE CIRCVMCISIONE QVÆ PRÆCESSIT BAPTISMVM.

ARTICVLVS I.

Vtrùm circumcisio fuerit præparatoria figura baptismi?

1 ARTICVLO I. docet, circumcisionem fuisse figuram præparatoriam baptismi, quatenus significabat instituendum, & paulatim præparabat homines ad eius susceptionem. Probat hoc autem ex cap. 2. ad Coloss. vbi baptismus, quia figuratus fuit per circumcisionem, eique successit, ab Apostolo dicitur circumcisio Christi non manu facta. Vnde D. Augustinus l. 6. contra Iulianum cap. 3. *Sacramentum*, inquit, *circumcisionis in figura præcessisse baptismatis, quis vel mediocriter sacris Litteris eruditus ignoret? cùm apertissimè de Christo dicat Apostolus; Qui est caput omnis principatus, in quo & circumcisi estis circumcisione non manu facta in exspoliatione carnis, sed in circumcisione Christi consepulti ei in baptismo.*

Coloss. 2.

D. Augustin.

Erat autem figura baptismi. Primò, quia vtrumque est quædam externa fidei protestatio qua homines primùm aggregantur populo, siue Ecclesiæ Dei. Secundò, quia vtrumque imprimit signum saltem in hac vita indelebile, quo populus Dei ab aliis distinguitur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm circumcisio fuerit conuenienter instituta?

2 ARTIC. II. non agit propriè de conuenientia rituum circumcisionis (de hac enim agit art. 3.) sed tantùm disputat, quo tempore, & quibus personis debuerit illa præscribi; docéque conuenienter fuisse particulatim præscriptam Abrahæ eiúsque posteris. Primò, quia ipsi primò fuit particulatim in præmium fidei & pietatis erga Deum facta promissio, quòd Christus ex eius semine nasceretur. Secundò, quia primus ex præcepto diuino, relicta cognatione sua, se ab aliis segregauit, vt esset principium particularis populi ex quo Messias nasceretur. Circumcisio autem fuit instituta tum ad protestationem fidei in venturum Messiam: tum vt populus Dei peculiaris ab aliis distingueretur: vt patet Genes. 17.

Gen. 17.

3 Nota, quosdam fusè hîc disputare, quinam ex domesticis vel posteris Abrahæ fuerint obligati præcepto circumcisionis. Sed hæc res spectat potiùs ad interpretem Scripturæ. Quare breuiter cum P. Vasquez hîc disp. 162. (vbi hæc fusè tractat) Respondeo, probabilius esse Primò, Abraham fuisse obligatum circumcidere seipsum, & liberos, ac seruos masculos, qui essent vera mancipia. Secundò, idem dicendum de Isaac & Iacob, omnibúsque huius posteris. Probatur, quia Gen. 17. v. 10. ait Deus Abrahæ: *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Et infrà v. 23. dicitur: *Tulit autem Abraham filium suum, & omnes vernaculos domus suæ, vniuersósque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ, & circumcidit carnem præputij eorum statim in ipsa die sicut præceperat ei Deus.* Ex quibus clarè patet, Abrahamum, eiúsque semen fuisse obligatos circumcidere seipsos atque omnia sua mancipia masculà.

Vasquez. Quinam ex domesticis aut posteris Abraham tenebantur circumcidi? Gen 17.

Tertiò, idem dicendum de proselytis qui volebant fieri Iudæi. Nam, vt patet Exodi 12. v. 48. & Num. 9. v. 14. idem hac in re fuit præceptum Iudæis & proselytis. Erat enim in iis eadem ratio, quia hi eodem modo obligabantur lege, sicut nati Iudæi. 4 *Exod. 12. Num. 9.*

Quartò, probabilius est eos non fuisse obligatos circumcidere inuitos alienigenas qui non erant eorum mancipia, sed tantùm mercenarij, quia hoc nullibi præcipitur. Et ratio est, quia non poterant hos inuitos ad hoc cogere, nec hi propriè erant de eorum familia.

Quintò, postquam Ismaël & Esau desierunt esse sub potestate parentum, non fuerùnt ampliùs obligati hoc præcepto, quod solùm dirigebatur ad Abraham, & semen eius, cui fuit facta promissio, vt patet Genes. 17. Ismaël autem & Esau non computabantur ex hoc semine; vt patet Gen. 21. v. 12. & ad Rom. 9. v. 7. & 8. 5 Posteri Ismaël & Esau non tenebantur circumcidi. *Gen. 17. Gen 21. Rom. 9.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm ritus circumcisionis fuerit conueniens?

6 ARTIC. III. docet, ritum circumcisionis fuisse conuenientem. Patet, quia cùm fuerit à Deo institutus, non potuit non conuenienter institui.

Deinde in textu, præsertim in solutionibus argumentorum, adfert varias congruentias, quibus ostendit illum ritum fuisse conuenientem. Quæ pluribus explicare spectat magis ad interpretem Scripturæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm circumcisio conferat gratiam iustificantem?

7 ARTICVLO IV. docet, in circumcisione fuisse collatam gratiam iustificantem, non ex virtute ipsius, sed ex virtute fidei passionis Christi, quam suscipiens protestabatur. Vide dicta quæstione 62. articul. 6. vbi hæc sufficienter explicuimus.

Responsio ad secundum habet aliquam difficultatem, sed eam satis explicuimus q. 61. a. 3.

QVÆ-

QVÆSTIO LXXI.

DE

CÆREMONIIS

BAPTISMI.

1

D. Thom. Hæretici nostri.

IN iis quæ D. Thomas in hac quæstione tractat præcipua difficultas est cum hæreticis, qui omnes ritus ab Ecclesia baptismo adhiberi solitos abiiciunt, ac rident vt vanos & superstitiosos, idque ideo solum, quia, vt aiunt, nullibi in Scriptura præscripti sunt. Qua in re non modò cum tota antiquitate, sed etiam secum ipsi pugnant. Nam Caluinus libr. de formula Sacramentorum administrandorum, quinque ritus in baptismo obseruari iubet. Primò, vt præsente concione, siue frequenti populo puer baptizetur. Secundò, vt adferentes infantem spondeant se eum instructuros. Tertiò vt nomen puero imponatur. Quartò, vt forma baptismi pronuntietur lingua vernacula. Quintò, vt recitentur Symbolum & oratio Dominica, & quædam aliæ preces. Item Lutherani volunt baptizandum per se vel adferentes renuntiare diabolo, & quasdam alias cæremonias habent. Istorum autem nihil possunt ex sacra Scriptura, aut Apostolorum exemplo probare. Atque ita ex sua sententia sunt vani & superstitiosi.

Hæretici cum tota antiquitate, ac secum ipsi pugnant. Caluinus.

Lutherani.

2

Eorum autem fundamentum nullius omnino momenti est, nisi velimus Dauidem condemnare, qui plurimos cantores instituit, qui instrumentis musicis Dei laudes psalmis à se compositis decantarent. quod nullibi in lege erat præceptum. Illud igitur iam pridem euertit D. August. epist. 118. in qua Ianuario quærenti qua ratione diuersi Ecclesiæ ritus essent obseruandi, his verbis respondit. *Ad hæc itaque respondeo, vt quid horum sit faciendum, si diuinæ Scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus vt legimus; vt iam non quomodo faciendum, sed quomodo intelligendum Sacramentum sit, disputemus. Similiset etiam si quid horum totaper orbem frequentet Ecclesia* (scilicet non est dubitandum, quin ita faciendum sit.) *Nam hoc quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Itaque teste D. Augustino hîc habemus. Primò, ritus quos tota obseruat Ecclesia, similiter sine vlla dubitatione obseruandos esse atque eos quos diuina Scriptura præscribit. Secundò, hæreticos nostros insolentissimæ esse insaniæ, qui contra vniuersalis Ecclesiæ consuetudines disputant. Scio ipsos responsuros Augustinum fuisse hominem, & errare potuisse, idcóque diuinam Scripturam ei præferendam. Sed hæc nihil faciunt ad rem. Nec enim hîc disputatur, Vtrùm magis debeamus credere Scripturæ, quam D. Aug. hoc enim per se patet: sed Vtrùm, quando agitur qua ratione Scripturæ & res fidei sint intelligendæ, magis debeamus credere Augustino, quàm aliquot apostatis fidei Catholicæ desertoribus.

D. Augustin.

Disputare contra vniuersale Ecclesiæ consuetudinē insanum est.

Vanum hæreticorum effugium.

3

Donec igitur clarè probent, aut se non esse homines, nec errare posse, aut sacram Scripturam (in qua Matthæi 18. iubemur habere vt Ethnicum & publicanum eum qui Ecclesiam non audierit) contradicere D. Augustino: facilè quiuis sanæ mentis iudicabit me rectè facere, si magis credam D. Augustino, quàm ipsis, meritóque Concil. Tridentinum sess. 7. can. 13. de Sacram. in genere dicere anathema iis, qui ritus ab Ecclesia Catholica probatos, & in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos contemnunt; aut credunt à ministris pro libitu omitti, aut immutari posse. Nam qui hoc faciunt, non modò non audiunt Ecclesiam, sed eius generalem consuetudinem damnant, & quidem antiquissimam. Nam hi ritus ferè omnes aut ab Apostolis, aut à proximis eorum successoribus instituti sunt: vt fusè probat Card. Bellarm. lib. de baptismo c. 24. & Vvaldensis de Sacramentis cap. 45. vbi etiam fusè eos explicant. Sicut etiā ex veteribus Cyrillus in catechesibus, & D. Ambrosius in libris de Sacramentis. Quare sufficiet nobis agendo inferiùs de singulis, ostendere vnius aut alterius sancti Patris auctoritate, iam olim eos ritus fuisse in Ecclesia receptos.

Matth. 18.

D. Augustin.

Trident.

Bellarm. Vvaldensis. Cyrillus. D. Ambros.

4

Nota, hos ritus in baptismo adhiberi, Primò, ad maiorem eius solemnitatem & splendorem, ne aliàs tanquam res vilis à rudibus contemnatur. Secundò, vt animi baptizandorum, præsertim quando hi adulti sunt, vt Sacramentum debitè suscipiant, præparentur. Tertiò, vt per hos ritus significetur astantibus, quid baptismus interiùs operetur. Quare meritò Catechismus Trident. siue Rom. parte 2. de Baptismo §. 45. valdè monet Parochos, vt hos populo explicent. Quartò, propter aliquos effectus quos in baptizandis operantur, quos adfert D. Thomas art. 3.

Cur ritus baptismo adhibeantur.

Catechism. Tridenti.

D. Thom.

ARTICVLVS I.

Vtrùm catechismus debeat præcedere baptismum?

ARTICVLO I. docet catechismum, debere præcedere baptismum, vt animus baptizandi præparetur. 5

ARTICVLVS II.

Vtrùm exorcismus debeat præcedere baptismum?

ARTIC. II. docet exorcismum, aliósque certos ritus (de quibus agemus dubio sequenti) debere præmitti ante baptismum. 6

DVBIVM.

Quinam ritus, & quas ob causas baptismo adhibendi sint?

NOta olim, cùm extra casum necessitatis, tantùm bis per annum baptismus adultis, idque magna cum solemnitate conferebatur, varios fuisse eiusdem ritus, quorum aliqui adhuc in quotidiano vsu sunt: alij, quia desiit iam ille modus bis tantùm per annum cum illa solemnitate baptizandi, etiam desierunt. Erant autem illi ritus triplicis generis. quidam enim præcedebant baptismum: quidam ipsum comitabantur: quidam sequebantur. 7

Olim tantùm bis per annū conferebatur baptismus.

Primùm igitur qui volebant baptizari, dabant Ecclesiæ sua nomina. hinc D. August. l. 9. Confess. c. 6. agens de se catechumeno ait, *Inde vbi tempus aduenit, quo me nomen dare oportebat*, &c. Vnde vocabantur Competentes, quia cum aliis petebant baptismum: aut etiam Electi, quia ex aliis eligebantur. 8

Baptizandi dabant Ecclesiæ nomina.

D. August. Competentes qui dicti.

9 Scrutinij quotiès. D. Leo.

Secunda cæremonia erat scrutinium, quo explorabantur animi petentium baptismum: quod variis modis & cum variis cæremoniis fiebat. Hinc D. Leo epistolæ 4. c. 6. in fine ait: *In baptizandis electis, qui secundum euangelicam regulam & exorcismis seruandi, & ieiunijs sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi*, &c. Fiebant autem septem scrutinia, quorum tertium, quod fiebat feria 4. ante Dominicam passionis, erat præcipuum.

Abrenuntiatio sathanæ. Cæsar. Rom.

Tertia erat abrenuntiatio sathanæ, quæ tempore scrutinij sæpe fiebat; cuius formam tradit Clemens Romanus lib. 7. Constit. c. 42. hoc modo, *Renuntio sathanæ, & operibus eius, & pompis eius, & cultui eius, & angelis eius, & inuentis eius, & omnibus quæ sub eo sunt.*

Fidei confessio. D. Augustin.

Quarta erat fidei professio, siue publica Symboli recitatio, quam narrato facto Victorini describit nobis D. Augustin. lib. 8. Confess. c. 2.

10 Signata frons. D. Augustin.

Quinta erat signum crucis fronti & pectori catechumeni impressum. De quo D. Augustin. lib. de catechizandis rudibus c. 20. vbi ait: *Crucis signo in fronte bodie, tanquam in posteſignandus es.*

Exorcismus. Cælestin.

Sexta est exorcismus, de quo Cælestinus Papa in ep. ad Episcopos Galliæ c. 12. *Cum sine paruuli siue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem ritè adeunt, quàm exorcismis & exsufflationibus clericorum Spiritus immundus ab iis abigatur.* Et D. Augustin. lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 34. agens de paruulo baptizando, vt probet eum habere peccatum originale; *Quid*, inquit, *in eo agis exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur?*

D. Augustin.

11 Exsufflatio. Cælestin. D. Augustin.

Septima est exsufflatio annexa ipsi exorcismo: vt patet ex Cælestino suprà, & D. Augustino lib. 6. contra Iulianum c. 5. vbi docens Ecclesiam totam credere paruulos infectos esse peccato originali, *Quæ*, inquit, *filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & a principe mortis eruere.* Et infrà, *Id ita commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, qua princeps mundi à paruulis ejicitur foras, contradicere voluisses.*

Caluinus ab omnibus, teste D. Augustin. exsufflandus.

Ex quibus patet, quæ fides totius Ecclesiæ fuerit tempore D. Augustini; & quàm fuisset Caluinus ab omnibus Christianis exsufflandus, si eo tempore hunc Ecclesiæ vsum oppugnasset.

12 Gustatio salis. Dionys. Areop. Concil. Carthag. 3. Aures & nares saliua tinctæ. D. Ambros.

Octaua est gustatio salis, quod catechumenis gustandum datur, vt patet ex Origen. hom. 6. super Ezechielem & Concil. Carthag. 3. can. 5. per quod significabatur cælestis prudentia & sapientia, quam catechumeni iam tum debebant gustare ac perdiscere.

Nota est, quòd eorum aures & nares saliua tingantur, & dicatur iis Ephetha, id est, adaperire. hâc nobis explicat D. Ambros. l. 1. de Sacramentis c. 1. eámque ex imitatione Christi fieri docet his verbis, *Ergo quid egimus in sabbato? Nempe apertionem. Quæ mysteria celebrata sunt apertionis, quando aures tibi tetigit sacerdos & nares? quod significat in Euangelio Dominus noster Iesus Christus: cum ei oblatus esset surdus & mutus, tetigit aures eius & os eius: aures quia surdus erat; os, quia mutus. Et ait Ephetha, quod hebraicum verbum est, & latinè significat Adaperire. Ideo ergo tibi sacerdos aures tetigit, vt aperirentur aures tuæ ad sermonem & ad eloquium sacerdotis. Sed dices mihi, Quare nares?* & post pauca respondet: *Vt bonum odorem accipias pietatis æternæ*, &c.

13 Benedictio sacerdotalis. D. Augustin.

Decima est impositio manuum cum benedictione sacerdotali, de qua D. Augustin. lib. 2. de peccat. meritis c. 26. ait: *Non enim modi est sanctificatio. Nam & catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi, & orationem manus impositionis* (id est, quæ super eos fit cum manus impositione) *nouo sacrificari.*

Vnctio. D. Chrys.

Vndecima est vnctio, qua catechumenus ole benedicto vngitur in scapulis & pectore. De qua D. Chrys. hom. 6. in c. 2. epistolæ ad Colos. *Inungitur*, inquit, *baptizandus more athletarum, qui stadium sunt ingressuri.*

Duodecima est abstinentia vini & carnium, qua præparabantur baptizandorum animi, vt magis piè Sacramentum acciperent. De qua Concil. Carthaginense 4. can. 85. *Baptizandi*, inquit, *nomen suum dent, & diu sub abstinentia vini & carnium, ac manus impositione, crebra examinatione baptismum percipiant.* Abstinentia. Carthag. 4.

Ex his patet duplicem catechumenorum catechesim esse in vsu in Ecclesia. Prior est merè doctrinalis, qua adulti antequam baptizentur, in doctrina fidei & morum instruuntur, vt sciant quam fidem, & obligationem per baptismum suscipiant. Quare hæc iure naturæ & diuino prærequiritur, vt patet Matth. vlt. v. 19. vbi Apostoli iubentur capaces doctrinæ priùs docere quàm baptizare. 14 Duplex catechesis. Matth. vlt.

Secunda est cæremonialis, qua secundùm dicta, variis modis tum dictis, tum factis animi catechumenorum explorantur & præparantur, quæ etiam quantum fieri potest, in paruulis adhibetur: pro quibus etiam patrini respondent. Primò, vt hi intelligant quid paruulum postea docere, & qua ratione eum instruere debeant. Secundò, vt præsentes intelligant, quid etiam in paruulis baptismus operetur, & quàm obligationem iam suscipiant perpetuò fidem catholicam doctrina & moribus profitendi. Quam quæstionem tangit sæpe D. Augustinus: vt in epist. 23. ad Bonifacium, & l. 4. de baptis. c. 24. & lib. 1. de peccatorum meritis c. 19. in fine. D. Augustin.

Secundò, ex iis autem cæremoniis quæ comitantur baptismum Prima est, quòd extra casum necessitatis debeat celebrari in locis ad hoc consecratis, quæ olim ab ipso templo distincta erant, & baptisteria vocabantur. Iam autem est in singulis templis parochialibus certus locus ad hoc ministerium designatus. de quo vide canonem 59. Trullanum, & Clement. vnicam de baptismo: vbi prohibetur ne quis extra casum necessitatis alibi quàm in ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquem baptizet, nisi fortè Regum aut Principum filios. Per Principes autem, vt benè notat Glossa, intelliguntur solùm ij, qui sunt supremi Principes, nec alterius vasalli. 15 Baptismus dandus in loco ad hoc consecrato.

Secunda est, quòd baptismus debeat fieri aqua ad hoc pridie paschæ aut pentecostes per infusionem chrismatis, aliásque cæremonias specialiter consecrata. Cuius consecrationis meminit D. Dionys. cap. 2. Eccl. Hierarchiæ p. 2. vbi dicit eam trina vnguenti perfusione crucis specie perfici. 16 Baptismus debet conferri aqua ad hoc consecrata. D. Dionys.

Tertia est, quòd patrini sint adhibendi. de qua vide dicta q. 67. a. 7. Patrini adhibendi.

Quarta est, quòd in baptismo soleat nomen infanti imponi, sicut olim imponebatur in circumcisione. vt patet Luc. 1. v. 59. In eo nomen imponitur. Luc. 1.

Quinta, quòd olim solebat fieri baptismus trina mersione. de qua vide dicta q. 66. a. 8.

Sexta est, quòd olim adulti solùm baptizabantur in festo paschatis vel pentecostes. vide dicta q. 68. art. 3. Olim fiebat trina mersione.

Tertiò, ex iis cæremoniis quæ sequuntur baptismum, Prima fuit olim osculum pacis, quo fideles vt fratrem osculabantur recèns baptizatum, cuius meminit Cyprian. l. 3. epist. 8. ad Fidum. 17 Osculum pacis. D. Cyprian.

Secunda, vnctio chrismatis facta in vertice baptizati hinc D. Hieronym. dialogo contra Luciferianos, docet non licere presbyteris sine chrismate baptizare. Et Concilium Arausicanum c. 1. *Nullus*, inquit, *ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine chrismate vsquam debet progredi, quia inter nos placuit semel in baptismate chrismari.* Vnctio chrismatis. D. Hieron. Arausic.

Notandum, hanc vnctionem extra casum necessitatis debere fieri chrismate eodem anno consecrato. vt habetur cap. *Si quis de alio.* de consecrat. dist. 4.

Tertia, olim erat vestis candida; qua in signum innocentiæ 18

Vestis candida. innocentiæ solebat indui recens baptizatus, eámque ferre vsque ad Dominicam in albis. De qua D. Ambrosius lib. de iis qui initiantur c. 7. *Accepisti,* inquit, *post hæc vestimenta candida, vt esset indicium quòd exueris inuolucrum peccatorum, indueris innocentiæ candida velamina.*

D. Ambros.

Cereus accensus. Quarta, quòd in signum accepti luminis fidei & gratiæ, baptizato detur cereus accensus.

Gustatio lactis & melis. Quinta, quòd olim baptizato solebat dari gustandum lac & mel. hinc D. Hieronym. dialogo contra Luciferianos, ait esse consuetudinem per traditionem acceptam, recèns baptizatos *lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem.* Quæ consuetudo etsi adferatur à Luciferiano, tamen ab orthodoxo approbatur. Idem tamen explicans initium capitis 55.

D. Hieron.

Isai. 55. Isaiæ, docet in occidentalibus Ecclesiis fuisse consuetudinem, vt renatis *in* Christo vinum & lac tribuatur.

1. Petr. 2. pro qua citat illud 1. Petri. 2. *Sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite.*

Ex quibus satis patet, hæreticos dum hos ritus irridēt, non tam nos irridere, quàm omnes sanctos Patres, omnem antiquitatem, vniuersámque ab initio Ecclesiam condemnare.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ea quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiant?

19 Duplex effectus cæremoniarū. RTICVLO III. docet supradictas cæremonias, & præcipuè exorcismum, præterquam quòd significent interiorem effectum baptismi, habere duplicem effectum, quia tollunt duplex impedimentum gratiæ: alterum extrinsecum, quod à dæmone posset prouenire, qui suis tentationibus conatur effectum baptismi impedire: alterum intrinsecum, quòd nascitur ex nostra hebetudine ad res diuinas capiendas. Per dictas autem cæremonias & diuinas inspirationes, quas Ecclesia suis precibus nobis impetrat, excitamur vt alacriùs & feruentiùs diuina suscipiamus mysteria. Habent autem hæc præcipuè locum in adultis, non paruuli nec tentationis dæmonum, nec talium inspirationum diuinarum sunt capaces, nisi Deus veller iis extraordinario miraculo iudicium accelerare: quod fortè nunquam factum est, nec ab Ecclesia intenditur. Nec ideò eius preces circa hos vanæ sunt, quia impetrant à Deo, vt dæmonis vis circa illos cohibeatur, vt non possit eos lædere in corpore; aut adultos postea tantum tentare, quantum aliàs posset. Quæ vt melius intelligantur, disputandum nobis generatim est, quam vim habeant eiusmodi cæremoniæ Ecclesiæ.

DVBIVM:

Quam vim habeant cæremoniæ baptismi, aliaq; sacramentalia, & qua ratione suos effectus in nobis operentur?

20 Sacramentalia quid sint? NOta Primò; communiter per sacramentalia intelligi cæremonias aliquas sacras ab Ecclesia institutas, vt Sacramenta magis solemniter celebrentur, vel vt res aliquæ consecrentur, idque vel in vsum Sacramentorum, aut sacrificij, vt sunt sacrum oleum, altaria, sacræ vestes, &c. vel etiam in vsum aliquem alium pium; qualis est aqua benedicta, imagines cereæ, & similia.

Nota Secundò, nos hìc non quærere, quid possint ratione meriti operantis. nam certum est nos piè eiusmodi rebus vtendo posse eodem modo mereri, sicut per alia opera pia: sed quærimus quid per se eorum vsus conferat supra omne meritum operantis.

Nota Tertiò, satis constare inter omnes, talium rerum vsum non posse vi sua immediatè conferre gratiam sanctificantem. quia hoc proprium est Sacramentis nouæ legis: sed præcipua quæstio est de quinque aliis effectibus, quorum Primus est, remissio peccati venialis. Secundus, excitatio gratiæ præuenientis. Tertius, remissio pœnæ temporalis. Quartus, compressio dæmonis. Quintus, operatio sanitatis. quos effectus aliqua ratione sacramentalibus tribuendos esse communiter contra hæreticos Catholici asserunt. Et patet ex antiquissimo, ab ipsis Apostolorum temporibus, Ecclesiæ vsu, & communi sensu; quæ in eorum confectione hos iis effectus à Deo precatur, non quidem vt singula omnes, sed vt quædam aliquos ex iis producant. Qua in re Ecclesiam falli, aut vanitate duci, impium est opinari. 21 Non possunt vi sua conferre gratiam. Quinque habent effectus.

Tota itaque quæstio est, Qua ratione sacramentalia hos effectus & maximè primum & secundum producant. Caietanus enim infrà q. 83. a. 3. vult iis inesse aliquam vim quasi inchoatam, qua Deus postea vt instrumento physico vtitur ad tales effectus producendos, & consequenter ea hos producere ex opere operato: cui alij quidam fauent. 22 *Caietan.*

CONCL. I. Sacramentalia, sicut etiam *imagines,* aliæque res piæ habent naturaliter ex se quandam vim per modum obiecti excitandi fideles, qui eorum institutionem & consecrationem norunt, ad quandam pietatem ac reuerentiam: vt notat Catechismus Trident. p. 2. de baptism. §. 45. Et ratio est, quia omnes res, quas apprehendimus vt sacras, & ideo Deo quadam ratione coniunctas, nos excitant ad cogitationem diuinæ maiestatis præsentis, nobisque in iis repræsentatæ, & consequenter ad reuerentiam eiusdem. Sed nisi gratia concurrat, hæc commotio est tantùm naturalis: & in iis, qui minùs reuerenter sæpè similia tractant, facilè minuitur, ac sæpè planè extinguitur. quia ab assuetis non fit passio. 23 Per modū obiecti pietatem excitant. *Catech. Trident.*

CONCLVS. II. Nulla sacramentalia vi sua, & per se ac immediatè suo vsu, abstrahendo à merito eius qui iis vtitur, habent vim remittendi peccata venialia: sed tantùm quatenus aliqua ratione in nobis excitant pium aliquem motum, & saltem virtualem peccatorum displicentiam. Ita D. Thom. infrà q. 87. a. 3. in corpore, & ad 1. Petrus Soto de pœnit. lect. 18. §. *Ex his intellig.* & alij. Prior pars probatur, quia Ecclesia non habet potestatem sua institutione efficaciter annectendi rebus aliquibus vim remittendi peccata venialia: atqui sacramentalia habent omnem suam vim ex institutione Ecclesiæ: ergo non habent vim ita remittendi peccata venialia. Maior probatur, quia plus est posse talem vim aliquibus rebus annectere, quam posse per se immediatè remittere peccata venialia: atqui extra collationem Sacramenti nulli Prælati Ecclesiæ possunt immediatè alicui remittere peccata venialia: ergo nec possunt eiusmodi rebus talem vim conferre. Probatur Secundò, quia peccata venialia relinquunt in anima quandam maculam, & consequenter vt conuenienter remittantur, requirunt aliquam interiorem hominis renouationem: ideóque vt dicemus tomo 2. disput. 2. dub. 16. nunquam in hac vita remittuntur sine infusione gratiæ. Vnde sequitur, nihil habere vim immediatè remittendi peccata venialia, quod non habet similiter vim conferendi gratiam: atqui nulla sacramentalia habent hanc vim: ergo nec illam habent. 24 Remittunt peccata mediante pio motu suscipientis. *D. Thom. Pet. Soto.*

Ex quo patet longè aliam esse rationem remissionis peccati venialis, & pœnæ temporalis, quæ fit per solam extrinsecam condonationem, ideóque illa pœna per collationem Indulgentiarum ab Ecclesia remittitur. Secùs autem est de remissione peccati 25 Aliter remittitur pœna quàm culpa.

venialia, quare ex eo quòd Ecclesia habet illam potestatem, non sequitur habere etiam hanc.

28 Secunda pars probatur, quia cùm sacramentalia ex communi consensu habeant aliquam vim remittendi peccata venialia; hic saltem modus iis concedendus est, quia nullus alius videtur probabilior, & est planè accommodus eorum institutioni & consecrationi, quæ fit per Ecclesiæ preces, quibus ipsa nobis tales motus precatur: & non est dubium quin à Deo audiatur, secundum ea quæ dicemus concl. 3. Et secundum hæc intellige auctores & canones, qui dicunt per vsum sacramentalium deleri peccata venialia: quia iidem tribuunt eandem vim eleëmosynæ, tunsioni pectoris, orationi Dominicæ, & similibus actibus piis; quæ tamen non aliter peccata delent, quàm quatenus ratione doloris de iis concepti, aut similis pij motus, remissionem à Deo impetrant.

27 *D. August.* Dices, D. August. in Enchiridio cap. 71. ait: *Delet hæc oratio* (scilicet Dominica) *minima & quotidiana peccata: delet & illa à quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed in melius mutata discedit.* Vbi distinguit inter remissionem venialium & mortalium; & dicit hæc remitti, dum abiis auertimur, scilicet per contritionem: ergo vult illa remitti per orationem Dominicam, etsi de iis non doleamus, saltem sufficienter ad eorum remissionem. Resp. negando consequentiam. Tantum enim vult nos posse imperrare remissionem venialium de quibus dolemus, etsi non auertamur perfectè ab omnibus. Secùs autem esse de remissione mortalium, quæ requirit absolutam ab omnibus auersionem.

28 Quomodo causent Gratias Præuenientes. *Suarez.* Concl. III. Sacramentalia non conferunt nobis gratias præuenientes, siue pios motus, vi sua & ex opere operato; sed tantum per modum impetrationis, quæ non habet omnino infallibilem effectum. Ita Suarez suprà disp. 15. sect. 4.

Probatur Primò, quia Theologi ex eo quòd solus Deus possit immediatè nobis infundere gratiam sanctificantem, communiter colligunt eum solum posse instituere Sacramenta eam ex opere operato conferentia: ergo cùm similiter ipse solus possit nobis inspirare tales motus, solus poterit instituere cæremonias ex opere operato eiusmodi motus conferentes. Nec refert quòd possit aliqua ratione Ecclesiæ eiusmodi potestatem communicare; quia nullum est fundamentum, vnde quis probet ipsum eam communicasse.

29 Non habet semper infallibilem effectum. Probatur Secundò, quia quæ ex opere operato suum effectum conferunt, conferunt eum omnino infallibiliter ex diuina promissione: atqui nec ex Scripturis, nec ex Ecclesiæ traditione talem promissionem possumus probabiliter colligere: ergo frustra eam assumimus. Imò nullam talem esse videtur probari experientia, quia quædam ex dictis non habent semper infallibilem effectum. Experimur enim per eiusmodi lustrationes & exorcismos non semper pelli aut impediri præstigias dæmonis: nec est ratio cur magis dicamus alios effectus sacramentalium esse omnino infallibiles quàm hos.

Probatur Tertiò, quia Ecclesia in illorum consecratione non vtitur verbis assertiuis, quibus absolutè effectum futurum significet, sicut in Sacramentis, sed deprecatoriis: vt ostendat se hos effectus tantùm à diuina misericordia sperare; sicut alia quę à Deo petit: quæ deprecatio etsi multùm apud Deum valeat, & aliquid communiter impetret, tamen non semper obtinet totum quod petit, sed prout diuinæ prouidentiæ pro loco & tempore fuerit visum.

Concl. IV. Etsi in Ecclesia sit potestas per Indulgentias relaxandi pœnas debitas peccatis iam remissis; hanc tamen remissionem sacramentalia per se & vt sua non operantur vltra meritum ac satisfactionem operantis, siue iis vtentis, nisi Pontifex iis aliquas Indulgentias annexuerit, vt sit in quibusdam benedictionibus. quod tamen communiter non facit: vt satis patet ex eorum institutione. quia ad hunc effectum non sunt instituta. 30 Nō remittunt pœnas temporales nisi ex merito suscipientis.

Concl. V. Exorcismi fugant dæmones. Primò, quatenus continent signum crucis, inuocationem nominis Iesu, comminationem diuinæ vindictæ, & similia dæmoni odiosa, quæ tanquam sibi contraria fugit. 31 Quomodo exorcismi fugent dæmones.

Secundò, ratione precum Ecclesiæ eius fugam à Deo impetrantis. Tertiò, per modum imperij. Nam vt patet Lucæ 10. v. 17. Christus dedit discipulis suis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, ita vt dæmonia iis subijciantur. Et Marci 16. v. 17. eadem potestas promittitur fidelibus: & patet ex formis exorcismorum quibus Ecclesia vtitur. Vide Tertullianum in Apologetico cap. 32. D. August. lib. 10. de Ciuit. cap. 22. Qua de re pulchrè Prudentius in sua Apotheosi ita cecinit: *Luc. 10.* *Marc. 16.* *Tertull.* *D. August.* *Prudentius.*

Torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest. Et infrà:
Intonat Antistes Domini, Fuge callide serpens,
Exue te membris, & spiras solue latentes:
Has inter voces medius Cyllenius ardens
Eiulat, & nostos suspirat Iuppiter ignes.

Hanc autem potestatem non solùm conuenire aliquibus ratione sanctitatis, sed etiam ratione Ordinis & potestatis Ecclesiæ vel inde patet, quòd multi suis exorcismis arceant vim dæmonis, qui non ita sanctitate eminent: & aqua lustralis, à quocunque benedicta sit, eandem vim habeat contra dæmones. 32 Exorcismus habet suam vim ex vi Ordinis.

Quòd autem exorcismi & similia non habeant infallibilem semper effectum; arguit non esse iis annexam absolutam Dei promissionem, qui suo iudicio sua dona dispensat prout vult; & dæmoni aliquando maiorem vim his resistendi, ob causas nobis incognitas tribuit. Non habet infallibilē effectum.

Concl. VI. Sacramentalia quandoque directè operantur beneficia corporalia: verbi causa, sanitatem, aut similia, per modum impetrationis, ratione precum Ecclesiæ. hæc tamen Deus non semper confert, sed prout iudicauerit expedire. Sæpè etiam hæc indirectè proficiunt coërcendo vim nocentis dæmonis, iuxta modos 4. concl. explicatos. 33

ARTICVLVS IV.

Vtrùm sit officium sacerdotis catechizare & exorcizare baptizandum?

Art. IV. docet, sacerdotem ex officio instar agentis principalis catechizare, & exorcizare baptizandum, cui diaconi & inferiores ministri debent subseruire. Nihil est difficultatis quod non facilè soluatur ex dictis quæst. 67. vbi ostendi totum officium solemnis baptismi spectare propriè ad sacerdotem. 34

QVÆSTIO LXXII.

DE

CONFIRMATIONE.

D. Thom. IVVS Thomas, explicata natura baptismi, agit statim de Confirmatione, quia inter alia Sacramenta solebat olim primum post baptismum conferri.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Confirmatio sit Sacramentum.

1 ARTIC. I. docet Confirmationem esse Sacramentum. Probat id Primò auctoritate D. Melchiadis Papæ, in §. *Sed contrà.* Secundò, in corpore, quadam congruentia. Quia scilicet sicut in naturalibus diuersa est nostra generatio ab accretione, qua perfectionem naturæ acquirimus: ita in spiritualibus diuersò Sacramento, scilicet Baptismo, generamur, & accipimus vitam spiritualem: & alio, scilicet Confirmatione, perducimur ad perfectionem spiritualem.

Melchiadi Papa.

D. Thomas. Nota, D. Thomam in respons. ad 2. dicere, Christum instituisse hoc Sacramentum non exhibendo, sed promittendo. quod non est ita intelligendum, quasi ipse hoc per se non instituerit (hoc enim dub. 2. ostendemus esse falsum:) sed quia ante eius ascensionem nemini fuit collatum.

DVBIVM I.

Vtrùm Confirmatio sit propriè dictum legis nouæ Sacramentum?

2 OMnes hæretici nostri temporis, imitati in hoc aliquos antiquos, id negant. Eorum præcipuum fundamentum est, quia nullibi in Scripturis extat huius Sacramenti institutio. Sed hoc argumentum nullius esse momenti, iam sæpe ostendimus. Nam multa nobis credenda sunt quæ apertè non sunt scripta, sed per traditionem accepta: vt constat tum ex consensu totius Ecclesiæ, tum ex ipsis Scripturis, quæ testantur Apostolos multa solo verbo tradidisse. hinc 1. ad Corinth. 11. vers. vlt. ait Apostolus: *Cætera autem cùm venero disponam.* Item D. Ioannes epist. 3. vers. 13. *Multa habui tibi scribere: sed nolui per atramentum & calamum scribere: spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur.* Similia habet Epist. 2. vers. 12. Vnde etiam Apostolus 2. ad Thessal. 2. *Tenete*, inquit, *traditiones quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Idem Act. 15. v. vlt. confirmat Ecclesias præcipiens custodire præcepta Apost. & seniorum. Adde, falsum sumi, hoc non posse ex Scripturis probari; vt infrà ostendam.

Hæretici nostri. Multa credenda quæ non habentur apertè in Scripturis. 1. Cor. 11. Ioan. epist. 3. 2. Thess. 2. Actor. 15.

3 CONCL. *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum, anathema sit.* Ita Trident. sess. 7. can. 1. de Confirmatione.

Confirmatio est Sacramentum. Trident.

Pro cuius probatione suppono, quod etiam hæretici concedunt, ad rationem veri Sacramenti sufficere, quòd sit cæremonia aliqua externa à Christo instituta, habens annexam promissionem gratiæ.

Probatur igitur concluſ. Primò ex Scripturis, quæ etsi non dicant apertè, Confirmationem esse Sacramentum (sicut nec etiam de baptismo hoc dicunt) tamen apertè ex eis colligitur ei conuenire supradictam descriptionem. Primò enim fuisse apud Apostolos in vsu aliquod signum, seu cæremoniam visibilem, qua conferebant communiter baptizatis Sp. sanctum, apertè habetur Act. 8. vbi dicitur: *Tunc imponebant* (scilicet Apostoli) *manus super eos, & accipiebant Sp. sanctum.* Et cap. 19. *Cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.* 4

Act. 8. & 19.

Ex quibus aliisque locis apertè docemur, Apostolos per impositionem manuum quæ visibile erat signum siue cæremonia, contulisse vulgò baptizatis Sp. sanctum. Habuisse autem hanc cæremoniam annexam promissionem gratiæ, patet Primò, quia per se incredibile est, Apostolos hac cæremonia ita communiter vsuros fuisse ad conferendum Sp. sanctum, nisi fuisset à Christo ad hoc instituta. Secundò, quia Apostoli nullo modo potuissent per eam infallibiliter conferre gratiam, nisi hæc ei ex promissione Christi fuisset annexa. quia nullus purus homo potest vel per se immediatè, vel per aliquam cæremoniam conferre gratiam, nisi hæc à Deo ad hoc sit instituta.

Confirmatio confert gratiam.

Probatur Tertiò ex Ioëlis 2. vbi dicitur: *Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem*, id est, super omnem hominem, scilicet fidelem. hanc enim promissionem generatim factam esse omnibus fidelibus apertè docet D. Petrus Act. 2. v. 38. & 39. Ad quem locum etiam alludit Christus Ioan. 7. vbi ait: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Vbi Euangelista subiungit: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Quæ non solùm sunt intelligenda de Apostolis, sed de omnibus fidelibus, quibus hæc promissio facta est: vt patet Primò, quia verba generalia sunt. Secundò, quia D. Petrus suprà id apertè testatur. Tertiò, quia Io. 14. v. 16. ait Christus: *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum.* quia scilicet, vsque ad finem mundi poterit omnibus fidelibus cõferri. quod in solos Apostolos conuenire nequit, qui iam pridem mortui sunt. 5

Ioël. 2. Actor. 2. Ioan. 7. Ioan. 14.

Resp. hæretici Primò, hic promitti Spiritum sanctum accipiendum in baptismo. Sed hoc nullo modo satisfacit. Quia etsi in baptismo verè accipiatur gratia, & consequenter etiam Sp. sanctus; tamen dictæ Scripturæ promittentes missionem, siue donationem Sp. sancti, nullo modo possunt intelligi de acceptione Sp. sancti per baptismum: sed necessariò intelliguntur de singulari illa collatione Sp. sancti, qua eum Apostoli acceperunt in pentecoste, & alij accipiunt per hoc Sacramentum. Probatur Primò, quia, vt patet Ioan. 1. & 3. multi iam tum erant baptizati baptismo Christi, & tamen c. 7. dicitur: *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, scilicet per resurrectionem. Secundò, quia Ioan. 14. & 15. iam baptizatis sæpius adhuc promittitur Sp. sanctus. Tertiò, quia Act. 8. mittuntur Apostoli ab Hierosolymis Samariã, vt baptizatis per impositionem manuum conferant Sp. sanctum: & additur ratio: *nondum enim in quemquam eorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu.* Vbi clarissimè dicitur illam collationem Sp. sancti, quam Scripturæ vbique singulariter fidelibus promittunt, & testantur factam per impositionem manuum, longè aliam fuisse ab ea, quæ fit in baptismo. Similiter c. 19. D. Paulus iam baptizatis imponit manus, vt accipiant Spiritum sanctum. 6

Hæretici. Promissio Sp. sancti in Scripturis facta intelligitur de effectu Confirmationis. Ioan. 1. & 3. Ioan. 14. & 15. Actor. 8. Actor. 19.

Secundò igitur respondet Caluinus l. 4. Instit. c. 19. vbi ait: *Huic manus impositioni non altius subesse mysterium cogito, sed huiusmodi cæremoniam ab illis adhibitam interpretor, vt ipso gestu significarent se Deo commendare, & ve-*

Caluinus. Inceptiæ Caluini.

lur offerre eum, cui manus imponebant. Ità Caluinus cogitat, ita interpretatur; ergo ita est. Cui hæc solutio non faciat satis? quem non cogat à tota antiquitate, & communi Ecclesiæ totius sensu discedere? Sed videamus quam Scripturæ sic consona. Testatur hæc Apostolos impositis iis manibus orasse pro iis, vt acciperent Spiritum sanctum, & hi statim eum acceperunt. Qui effectus sicut planè diuinus est; ita sanè mysterium altissimum est. Item quid opus erat Apostolos vocare ab Hierosolymis, vt recèns baptizatos Deo commendarent? Nunquid absentes pro iis orare non poterant? An quibus licuerat illos baptizare, non licuerit eosdem Deo commendare, si altius non subfuisset mysterium? Quare omnes, quibus aliquid rationis supereſt, facilè hinc intelligent, aliud esse, aliquem Deo commendare (quod quiuis facerdos, imò quiuis Christianus licitè facit) aliud verò esse, alicui Spiritum sanctum per manus impositionem conferre. quod solis Episcopis concessum est.

8 Tertiò, alij respondent, impositionem illam manuum solum fuisse ab Apostolis vsurparam, vt conferrent aliis donum linguarum, nec aliter contulisse Spiritum sanctum; quod miraculum cùm iam cessarit, etiam illam cæremoniam debere cessare.

Impositio manuum Apostolorum non fuit instituta pro dono linguarum. *Rom. 12. 1. Cor. 12.*

Sed hæc gratis & contra Scripturas finguntur. Primò, quia Spiritus sanctus per manus impositionem vulgò omnibus baptizatis conferebatur: vt patet ex locis suprà citatis: atqui donum linguarum, prophetiæ, & similia, non conferebatur omnibus, sed aliquibus tantùm pro Dei beneplacito: vt patet ex Apostolo ad Rom. 12. v. 7. & 1. ad Cor. 12. vbi ait, *Nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes loquuntur linguis?* &c. clarè ostendens hoc donum tunc paucis fuisse concessum. Secundò, quia secundùm phrasim Scripturæ, accipere Sp. sanctum non significat propriè donum linguarum, vel quid simile; sed accipere gratiam iustificantem, & animũ interiùs corroborantem, vt fidelis fortiter fidem cõfiteatur, & quæuis pro Deo pericula subeat. Hinc Luc. vlt. v. 49. discipulis adhuc infirmis promittitur Spiritus sanctus & dicitur: *Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Hinc etiam Apostolus ad Rom. 5. *Charitas*, inquit, *diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Similiter ad Gal. 5. v. 22. fructus Spiritus sancti dicitur charitas, gaudium, pax, &c.

Donum linguarum non significatur per Spiritum sanctum. *Luc. vlt.* *Rom. 5.* *Galat. 5.*

9 Confirmatur, quia donum linguarum & similia possunt esse in peccatoribus sine charitate, vt expressè dicitur 1. ad Cor. 13. atqui Scriptura vbique negat, peccatores habere Sp. sanctum, aut eo agi, siue hunc in iis esse. hinc Sap. 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et causa additur: *spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum*, siue peccatorem qui non ambulat sincerè coram Deo. Similiter Apost. ad Rom. 8. *Quicunque*, inquit, *spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* vbi etiam sæpius opponit spiritum carni, & peccato: & ostendit eos habere vitam spiritualem, in quibus habitat Spiritus Dei, & peccatores esse spiritu mortuos. Similiter S. Ioannes epist. 1. c. 4. sæpius docet solos illos esse filios Dei, qui habent caritatem: & in his solis Deum manere, & eos in Deo. Et vers. 13. ait; *In hoc cognoscimus, quoniam in eo*, scilicet Deo, *manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis*: clarè ostendens omnes qui accipiunt Spiritum sanctum, accipere caritatem, qua manemus in Deo, & Deus in nobis, vt dicit ibidem vers. 8. & 16. Hinc pulchrè D. August. lib. 3. de baptismo contra Donatistas cap. 16. *Spiritus autem sanctus*, inquit, *quia in sola Catholica per manus impositionem dari dicitur; nimirum hoc intelligi maiores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ipsa enim est caritas, quam non habent qui ab Ecclesiæ catholicæ communione præcisi sunt.* Vbi etiam ex communi Ecclesiæ sensu pluribus pergit docere Primò, donum linguarum & similia, posse à malis, aut etiam extra Ecclesiam à Schismaticis accipi, non tamen Spiritum sanctum, qui sine caritate esse non potest. Secundò, etiam modò per impositionem manuum dari Spiritum sanctum, etsi donum linguarum non detur. Verba eius sunt: *Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modò datur Sp. sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda.* Et infrà: *Sed inuisibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina caritas inspirari, vt possint dicere, Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ac demum concludit, aliud esse Sacramẽtum, quod etiam Simon magus accepit, aliud donum prophetiæ, quod etiam Saul accepit: aliud caritatem, quam soli boni in Sacramento percipiunt. Vbi clarissimè responsionem hæreticorum refutat, ostendens illam impositionem manuum non fuisse nudam cæremoniam pro tempore ab Apostolis vsurparam, sed permansurum in Ecclesia Sacramentum à Christo institutum, non vt conferretur donum linguarum, sed vt piorum cordibus charitas Dei infundatur.

Sed his adhuc obiiciunt hæretici, alio ritu tunc 11
vsos Apostolos, scilicet manus impositione: alio nos iam vti, scilicet vnctione & crucis signatione. vnde inferunt, nos non facere idem quod Apostoli faciebant. Sed negandum est antecedens. Nam illa manuum impositio non fiebat sine vnctione & consignatione crucis, nec hæc iam fiunt sine manuum impositione, vt dicemus art. 3. dub. 2.

Probatur conclusio Secundò ex communi om- 12
nium Patrum & Conciliorum, atque adeò totius Ecclesiæ ab initio consensu, contra quem disputare, vt ait August. epist. 118. ad Ianuarium, insolentissimæ insaniæ est. Fusè autem eum consensum probat Card. Bellarm. l. de Confirmatione c. 3. 4. 5. 6. Nos breuiter aliquot auctoritates adferemus. Primò, Clemens Romanus discipulus D. Petri, & quartus ab eo Pontifex, l. 3. Constit. cap. 16. *Episcopus*, inquit, *baptizatos chrismate vngat.* Et epist. 4. sub finem docet per Episcopi consignationem nos septiformem Sp. sancti gratiam accipere. Vbi etiam ait: eum qui hoc non necessitate sed incuria omiserit, nequaquam posse esse perfectum Christianum. Similiter Vrbanus Pontifex, qui floruit circa annum 222. in epist. sua cap. 7. ait, *Omnes enim fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt plenè Christiani inueniantur.* Similiter Concilium Arelatense 2. celebratum tempore Siluestri, can. 17. iubet hæreticos ritè baptizatos in Ecclesiam recipi cum chrismate, & manus impositione. Cyrillus autem Hierosolymitanus totam tertiam suam catechesim de hoc Sacramento conscripsit. Pulchrum autem hac de re est testimonium D. Augustini, tum quod suprà attulimus ex l. 3. de bapt. cap. 16. tum quod habet l. 2. contra epist. Petiliani c. 104. vbi ait: *Et in hoc vnguento Sacramentum chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus.* Et infrà de eodem loquens: *Discerne*, inquit, *visibile & inclusum Sacram. quod esse & in bonis, & in malis potest, illis ad præmium, illis ad iudicium, ab inuincibili vnctione caritatis, quæ propria bonorum est.*

D. August. *Bellarm.* *Clemens Romanus.* *Vrbanus.* Non confirmatus non est perfectè Christianus. *Arelatens.* *Cyril. Hierosolym.* *August.*

Vbi Nota Primò, eum distinguere hoc Sacram. à 13
baptismo, & clarè ostendere conferri per vnctionem. Secundò, dicere esse sacrosanctum sicut baptismum, clarè ostendens esse propriè dictum Sacramentum; quod tam ipse quam etiam præcedentes Patres clarè ostendunt, dum docẽt per hoc Sacram. Sp. sanctũ, siue caritatem & gratiam conferri. hoc enim Sacram. pro-

D. August.

Caluinus. prium est. Quare vel ex hoc solo loco D. Aug. conuincas apertum ac impudens mẽdacium Caluini, qui l. 4. Institut. c. 19. ait neminem veterum hoc vocasse propriè Sacramentum. Plurimos alios Patres & Concilia

Bellarm. Hieron. pro hac re citat Bellarm. suprà. Vnum illud D. Hieronymi addam ex dialogo contra Luciferianos, vbi ante medium ait: *An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, vt baptizatis postea manus imponantur, & ita inuocetur Spiritus sanctus. Exigis vbi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia quæ per traditionem in Ecclesiis obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt.*

14 Ex quibus patet Primò, teste D. Hieronymo, hoc Sacramentum per totam Ecclesiam tunc fuisse vsurpatum. Secundò, eandem vim in Ecclesia obtinere, quæ traditione accepta sunt, cum iis quæ Scriptura tradit. Nec refert quòd illa verba apud D. Hieronymum proferantur à Luciferiano. Quia D. Hieron. ea vt vera admittit, docétque ex iis nihil contra se concludi. Nam ex persona orthodoxi statim subiungit, *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem*, &c.

15 Arrogãtia Caluini. Respondet Caluinus suprà, etiamsi tota à nobis staret antiquitas, nos nihil inde conficere. Nam Sacramentum non est è terra, sed è cælo; non ex hominibus, sed ab vno Deo. Sed nihil aliud agit, quàm vt ostendat se arrogantissimè omnes sanctos Patres præ se contemnere, eósque leuitatis & erroris condemnare, seque & contra conscientiam suam, & omnino impiè hac in re Ecclesiæ doctrinam damnare. Nec enim nescit nos hic non disputare, Vtrùm sancti Patres potuerint tale Sacramentum instituere? sed ex eorum auctoritate probare hoc Sacramentum à Christo fuisse institutum, & per Apostolos nobis traditum; quibus tam in hac re, quàm in Scripturarum explicatione magis credendum est, quàm aliquibus apostatis, quales omnes illi primi hæretici fuerunt.

16 *D. Aug.* Obiicit præterea Caluinus auctoritatem D. Aug. qui l. 3. de baptis. c. 16. in fine, ait: *Manus autem impositio non sicut baptismus reperi non potest. quid est enim aliud quàm oratio super hominem?* Resp. Quidquid Caluinus contrà oblatret, D. Aug. aliter ibi accipere impositionem manuum initio capitis, per quam dicit conferri Spiritum sanctum (quem effectum & Scripturæ, & Patres, vt patet ex dictis, singulariter tribuũt Confirmationi) aliter verò in fine capitis, vbi, vt patet ex immediatè sequentibus, loquitur de impositione manuum, qua reconciliamur Deo & Ecclesiæ. Nec hac in re vtitur vitiosa æquiuocatione: sed verbum generale, quod vtramque rem significat, per adiuncta modò determinat ad vnam significãdam, modo ad aliam: vel, si malis, impositioni manuum generatim acceptæ, ratione diuersarum specierum diuersa tribuit. Adde, etsi concederemus quod Caluinus vult, vt summum inde probaretur, Confirmationem iterari posse. Nec enim ibi August. negat impositionem manuum esse Sacramentum; sed tantùm asserit aliquam impositionem manuum reperi posse: eam autem manuum impositionem, qua Sp. sanctus confertur, esse Sacramentum, apertissimè docet l. 2. contra epist. Petiliani c. 104. suprà cit. Sed de his plura erunt dicenda art. 5. vbi ostendemus D. Aug. agnoscere Confirmationem esse Sacramentum, quod iterari nequit.

Impositio manuum diuersa.

D. Aug.

DVBIVM II.

Quando hoc Sacramentum fuerit institutum.

17 *Hæretici nostri.* DVplex hic est difficultas. Prima, Vtrum Christus hoc Sacramentum per se instituerit? Hæretici nostri omnes id negant, quia negant esse Sacramentum, & volunt esse institutum à Melchiade Papa. Sed eos in vtroque falli satis patet ex dub. 1. vbi ostendi & esse Sacramentum, & diu ante Melchiadem, imò ab ipsis Apostolorum temporibus in vsu fuisse.

Quidam etiam Catholici, qui fatentur esse Sacramentum, negant tamen fuisse institutum immediatè à Christo: sed volunt fuisse institutum in Concilio Meldẽsi ex singulari Spiritus sancti instinctu. Halens. p. 4. q. 24. memb. 1. Bonan. in 4. d. 7. art. 1. q. 1. & 2. Sed hoc etiam esse falsum, patet; quia, vt ostendi dub. 1. D. Clemens facit expressam mentionem huius Sacramenti, qui tamen diu illud Concilium præcessit. Fundamentum etiam huius sententiæ nullius momenti est. Nam etsi non legamus expresè in Scriptura, Christum huius Sacramenti materiam & formam instituisse; ex ea tamen id sufficienter colligitur, & per claram traditionem probatur: vt patebit ex dicendis.

Halens. Bonauent. D. Clem.

Secunda difficultas est, Quando Christus hoc Sacramentum instituerit? Quatuor sunt sententiæ. Prima docet fuisse institutum, quando Christus Matt. 19. oblatis sibi paruulis manus imposuit, ac benedixit. ita multi apud Henriq. l. 3. c. 1. n. 5. Sed hæc sententia non videtur probabilis. quia nulla fit ibi mentio huius Sacramenti, eiúsue effectus: nec Christus per manus impositionem hoc Sacramentum vlla ratione tunc intendit conferre. Nam, vt patet Ioan. 7. v. 39. Sp. sanctus nulli fuit per hoc Sacramentum collatus ante Christi glorificationem. 18

Matth. 19. Henriq. Ioan. 7.

Secunda docet fuisse institutum in festo Pentecostes. Sed nec hæc videtur probabilis. Quia cùm Christus in hunc mundum venerit, vt nos redimeret, & nouum Testamentum conderet, incredibile est eum priùs in cælum ascendisse, quàm illud totum perfectè conderet. huius autem præcipua pars sunt Sacramẽta. 19

Tertia docet fuisse institutum in vltima cœna, quando egresso iam Iuda Christus pulcherrimam in illam habuit ad Apostolos concionem, quam D. Ioan. c. 14. 15. 16. & 17. fusè narrat. in qua etiam Christus sæpissime promittit suis, se missurum tum Apostolis, tum aliis fidelibus Spiritum sanctum. Omnino enim credibile est eum simul tunc eosdem docuisse, qua ratione singulis fidelibus hic esset conferendus. Ita Soto in 4. d. 7. q. 1. art. 1. §. *Ad notand.* Victoria n. 40. Confir. Primò, quia nullum tempus aptius potest aut cogitari, aut ex Scripturis colligi, Confir. Secúdò, quia id videtur apertè docere D. Fabianus Papa epist. 2. ad Orientales cap. 1. vbi ait: *In illa die Dominus Iesus post quam cœnauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes (sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) chrisma conficere docuit.* Vbi per chrisma (quod etiam alij Patres sæpè faciunt) videtur intelligere ipsum Sacramentum Confir. quod per chrisma confertur. Aut si per chrisma solùm intelligat materiam Sacram. saltem inde probabiliter colligitur, Christum tunc simul docuisse vsum chrismatis, & cõsequẽter instituisse hoc Sacram. ad cuius collationem præcipuè chrisma est institutũ. Incredibile enim videtur Christum docuisse Apost. confectionem chrismatis, & non simul docuisse præcipuum eius vsum. 20

Ioan. 14. 15. 16. & 17. Soto. Victoria. D. Fabian. Papa. Christus post cœnã docuit Apostolos conficere chrisma.

Quarta sententia docet, hoc Sacramentum fuisse institutum Ioan. 20. cum Christus dedit Apostolis potestatem remittendi peccata, & dixit eis: *Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos*, tradens eis plenam in Ecclesiam potestatem. ita Suarez disp. 32. sect. 2. in fine. & Scotus in 4. d. 7. qu. 1. ad 1. quia tunc primùm fuerunt creati Episcopi, atque ita tunc primùm acceperunt potestatem conferendi hoc Sacramentum. Sicut igitur ex eo quòd Christus tunc dederit Apostolis potestatem remittendi peccata, Trid. sess. 14. c. 1. benè colligit tunc præcipuè fuisse institutum Sacramentum Pœnitentiæ: ita etiam ex eo quòd tunc primùm Apostoli acceperint potestatem conferendi hoc Sacramentum, videtur rectè colligi tum primùm hoc fuisse institutum. 21

Ioan. 20. Suarez. Scotus. Trident.

22 CONCLVSIO I. Hoc Sacramentum fuit immediatè institutum à Christo. Videtur iam esse de fide. *Trident.* Quia Trid. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, expressè definit omnia Sacramenta nouæ legis fuisse à Christo instituta. Vide dicta q. 64. art. 4. dub. 1.

23 CONCL. II. Quod spectat ad tempus quo Christus hoc Sacramentum instituit, tertia & quarta sententia iunt satis probabiles, & vtraque potest aliquo modo esse vera. Nam videtur omnino Christus tempore cœnæ docuisse Apostolos omnem ritum huius Sacramenti. hoc clarè probant argumenta tertiæ sententiæ: & consequenter videtur hoc Sacramentum secundum suam substantiam saltem inchoatè instituisse; non tamen omnino perfectè: quia nemini tunc dedit potestatem illud conferendi, sed hanc *Ioan. 20.* contulit Apostolis post resurrectionem, cùm Ioan. 20. dedit iis plenam potestatem Ordinis sacerdotalis & episcopalis: atque ita videtur tunc compleuisse Sacramenti institutionem. Quia vt aliquid perfectè habeat rationem Sacramenti, non sufficit esse institutum, vt signum gratiæ conferendæ, sed debet esse hominibus data potestas per illud gratiam conferendi: aliàs non potest esse signum perfectè efficax gratiæ. quia non potest de facto vnquam gratiam causare.

24 CONCLVSIO III. Hoc Sacramentum nulli fuit collatum ante festum Pentecostes; sed tunc primùm eius effectus sine vllo Sacramento fuit Apostolis collatus.

Marc. vlt. Actor. 10. Est communis DD. & apertè colligitur ex Marci vlt. & Actor. 10. Ratio huius est: quia non conueniebat, plenitudinem Spiritus sancti, quæ per hoc Sacramentum conferrur, ante perfectam Christi glorificationem, quæ in ascensione completa est, cuiquam tribui, vt habetur Ioan. 7. *Ioan. 7.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm chrisma sit conueniens materia huius Sacramenti?

25 ARTIC. II. docet, chrisma confectum ex oleo oliuarum & balsamo esse conueniens materiam huius Sacramenti. Ratio est, quia per hoc Sacramentum datur homini plenitudo gratiæ ad fidem verbis & operibus constanter profitendam, quæ aptissimè per hoc mistum significatur. Nam oleum ratione pinguedinis significat abundantiam gratiæ: balsamum, quod est valdè odoriferum, significat eiusdem fragrantiam; quæ per ipsa opera exteriùs spargitur: iuxta illud Apostoli 2. ad Cor. 2. v. 15. *Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt.* *Chrismatis significatio.* *2. Cor. 2.*

D. Thom. Loquitur autem D. Thom. de materia remota Sacramenti. Nam proxima materia est ipsa vnctio, sicut in baptismo ablutio. Vide dicta quæst. 60. art. 5.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sit de necessitate huius Sacramenti quòd chrisma fuerit priùs per Episcopum consecratum?

26 ARTIC. III. docet materiam huius Sacramenti necessariò debere priùs consecrari. Et quamuis non dicat expressè, hanc consecrationem debere fieri per Episcopum tamen hoc apertè insinuat; tum quia vt patet ex initio primi argumenti, apertè intendit agere de consecratione episcopali: tum quia auctoritas Innocentij allata §. *Innocent.* *Sed contra*, expressè loquitur de consecratione episcopali.

Cur autem Christus hoc ita instituit, congruentiam adfert: quia conueniebat materiam remotam Sacramentorum, quæ consisteret in re aliqua externa permanente, priùs aliqua ratione consecrari. Quasdam autem res dicit ita consecratas fuisse per contactum vel vsum ipsius Christi, quo ipse iis vsus est, vel conficiendo Sacramentum cuius sunt materia, vt factum est in Vener. Sacramento: vel eas vsu suo deputando, vt essent materia Sacramenti, vt factum est in materia baptismi, quam Christus dum fuit baptizatus designauit fore, vt esset materia huius Sacramenti, & quasi ad hoc consecrauit. Materia autem Confirmationis, & Extremæ vnctionis Christus ita non est vsus; ideóque debent per Episcopum consecrari. Materia autem Ordinis etiam aliquo modo consecrata est, quia est res quædam ad diuinum officium destinata, aut etiam consecrata, vt videbimus suo loco. Matrimonium autem & Pœnitentia non habent pro materia talem rem externam. Et sic explicata D. Thomæ ratio satis commoda est, in se tamen primo aspectu satis apparet difficilis. 27 *Cur quorumdam Sacramentorum materia benedicatur.* *D. Thomas.*

DVBIVM I.

Quæ sit materia essentialis huius Sacramenti?

VAriæ hac in re fuerunt DD. sententiæ. 28

Prima docet, sufficere ad essentiam huius Sacramenti solam impositionem manuum Episcopi sine vlla vnctione. Ita docuerunt olim quidam Canonistæ, quos refert Marsilius in 4. q. 5. art. 1. Fundamentum huius sententiæ est; quia in sacra Scriptura Apostoli leguntur confirmasse per solam manuum impositionem. Sed hoc fundamentum nullius esse momenti ostendemus dub. 2. Sententia autem ipsa apertè repugnat Florentino, vt infrà videbimus. *Canonistæ.* *Marsilius.* *Florent.*

Secunda docet, essentialiter requiri vnctionem, sed putat posse fieri, vel solo oleo oliuarum, vel solo balsamo. Ita Canus apud Valentiam hîc d. 5. q. 1. puncto 2. Sed hæc sententia communi omnium sententiæ repugnat, nec vlla ratione nititur. *Canus.* *Valentia.*

Tertia docet, solum oleum esse materiam essentialem huius Sacramenti, mistionem autem balsami solùm esse necessariam necessitate præcepti. Ita Caiet. hîc art. 2. Nauar. in manuali c. 22. n. 8. & alij quidam. *Caietan.* *Nauarr.*

CONCLVSIO I. Materia remota essentialis huius Sacramenti est chrisma. Ita expressè Florentinum in litteris Eugenij siue decreto de Armenis: quare videtur de fide, nec eam iam vllus Catholicus negat: sed cùm hoc nomen possit significare quoduis vnguentum, disputatur quale vnguentum sit essentiale. 29 *Florent.*

CONCL. II. Hoc Sacramentum essentialiter requirit chrisma confectum ex oleo & balsamo. Ita apertè D. Thom. hîc art. 2. Nam absolutè docet materiam huius Sacramenti esse chrisma confectum ex oleo & balsamo, nihil inter hæc distinguens. Et ad 2. docet materiam huius Sacramenti debere esse aliquid compositum; & tam ibi quàm ad 4. sæpe comparat hoc mistum cum simplici aqua, quæ est materia necessaria baptismi. Et cùm sit maxima occasio ad soluenda argumenta, dicendi illud mistum secundum aliquam sui partem esse minùs necessariam materiam Confirmationis, quàm sit aqua baptismi; nullibi vel leuiter hoc insinuat. Quare planè ostendit se credere vtramque materiam esse æquè essentialem. Quare Caietan. Canus, & alij quidam Thomistæ hîc apertè recedunt à D. Thoma, contra communiorem aliorum Scholasticorum sententiam. 30 *Chrisma ex oleo & balsamo constat.* *D. Thom.* *Caietan.* *Canus.*

31 Probatur autem conclusio ex Florentino suprà; vbi apertè videtur nostram concluſ. definire his verbis: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bona famæ, per Episcopum benedicto.* quo loco Concilium intendit tradere materiam essentialem ipsi Sacramento, vt patet ex toto contextu: atqui expresse dicit chrisma confectum, siue mistum ex oleo & balsamo esse materiam huius Sacramenti, eodem modo de vtroque loquens: ergo simpliciter & eodem modo vtrumque est essentiale. *Florentin.*

Confirmatur Primò, quia, vt fatentur etiam auctores tertiæ sententiæ, qui negaret oleum esse de essentia huius Sacramenti, apertè contradiceret Florentino: ergo similiter ei contradicit, qui negat balsamum esse de essentia: quia Concilium inter hæc nullo modo distinguit, sed simpliciter & planè similiter dicit confectum ex vtroque esse materiam huius Sacramenti. *Florent.*

32 Confirm. Secundò, quia Concilium ibidem particulatim recensens materias Sacramentorum, in omnibus aliis, nihil inter ea quæ præcedunt confectionem Sacramenti, vocat absolutè materiam alicuius Sacramenti, quod non sit materia essentialis: atqui hoc mistum ex vtroque vocat absolutè materiam huius Sacramenti: ergo est materia essentialis. Aut si in hoc Sacramento non loquatur de materia essentiali, nec in aliis de ea loquetur.

Confirm. Tertiò, quia secundùm aliam sententiam non aliter mistum ex oleo & balsamo esset materia Confirmationis, quàm mistum ex aqua & vino est materia consecrationis calicis: atqui hoc videtur apertè repugnare modo loquendi, & menti ipsius Concilij: ergo non potest dici. Minor probatur, quia dum Concilium agit de materia calicis, non dicit esse quid mistum ex vino & aqua, sicut materiam Confirmationis dicit esse aliquid confectum, siue mistum ex oleo & balsamo: sed simpliciter dicit materiam esse vinum cui aqua admisceri debet. Ex qua diuersitate loquendi clarè patet diuersimodè Concilium de his sentire.

33 Dices Primò, Florentinum suprà dicit actus pœnitentis esse materiam Pœnitentiæ, & sub iis etiam comprehendit satisfactionem, quæ tamen non est de essentia Sacramenti: ergo non omne id quod à Concilio dicitur materia Sacramẽti, est materia essentialis. *Florent.*

Respond. Primò, nos non dicere absolutè id totum esse materiam essentialem quod Concilium quacumque ratione vocat materiam Sacramenti: sed id quod præcedit confectionem Sacramenti, & à Concilio dicitur eius materia; dicimus esse materiam essentialem: satisfactio autem eam non præcedit, sed subsequitur.

Respond. Secundò, negando antecedens: quia Concilium non dicit absolutè omnes illos actus esse simpliciter materiam Sacramenti Pœnitentiæ: sed in genere actus pœnitentis esse quasi materiam Sacramenti, quod verissimum est. Et deinde diuidit omnes actus in tres: non quòd velit omnes esse essentialem materiam Sacramenti, sed quòd omnes aliquo modo ad integritatem Sacramenti pertineant; vt explicat Trident. sess. 14. c. 3. Materiam autem Confirmationis & quidem prærequisitam ante eius confectionem absolutè & simpliciter dicit esse chrisma confectum ex oleo & balsamo. vnde etiam ex hac diuersitate loquendi, qua Concilium vtitur, clarè colligitur ipsum velle totum illud esse materiam essentialem confirmationis. *Trident.*

34 Dices Secundò, Innocentius III. c. *Pastoralis* de Sacramentis non iterandis consultus an is qui dum confirmaretur, non chrismate, sed solùm oleo fuerit vnctus, debeat secundò confirmari, respõdet in talibus nihil iterandum, sed quod omissum est caute supplendum esse: ergo vult Sacramentum fuisse validum, & tantùm aliquid accidentale defuisse, quia aliàs Sacramentum fuisset iterandum. *Innoc. III.*

Respondeo Primò, hoc cap. si benè consideretur, pro nobis facere. Probatur Primò, quia apertè ibi distinguitur oleum à chrismate, & hoc illi vnctioni dicitur defuisse: ergo purum oleum secundùm Innocentium non est chrisma, & consequenter non potest esse materia huius Sacramenti. quia, vt patet ex Florentino, & consensu totius Ecclesiæ, & forma ipsius Sacramenti, essentialis eius materia est chrisma. Vnde si quis vngat sine chrismate, falsificabit formam in qua dicitur, Cõfirmo te chrismate salutis. Nec refert quòd secundùm primæuam significationem oleum verè sit chrisma (hoc enim nihil aliud significat quàm vnguentum) quia, vt patet ex Innocentio, Ecclesia in ordine ad hoc Sacramentum, restrinxit hoc verbum ad significandum certum vnguentum, quod non sit merum oleum. *Florent.*

Probatur Secundò, quia, vt patet ex Innocentio huic Sacramento aliquid defuit, quod fuit supplendum: atqui hoc non fuit aliquid accidentale: ergo fuit essentiale. Minor probatur, quia si fuisset accidentale, fuisset aliqua cæremonia ex præcepto Christi, vel Ecclesiæ adhibenda in Confirmatione. Nulla autem talis cæremonia hîc potest vllo modo dici defuisse. Nam vel talis debuisset postea vngi solo balsamo, & hoc dici nequit: tum quia numquam fuit à Christo institutum, aut in Ecclesia vsitatum, vt aliquis vngatur solo balsamorum etiam quia huic non dicitur defuisse vnctio balsami, sed chrismatis. Vel debuisset inungi vero chrismate, & hæc vnctio non potest dici accidentalis, sed essentialis; quia aliàs nulla esset essentialis, nec vnquam solet adhiberi tanquam mera cæremonia sine pronuntiatione formæ. Confirmatur, quia secundùm aliam sententiam, eodem modo se haberet admistio balsami cum oleo respectu Confirmationis, sicut se habet admistio aquæ cum vino respectu consecrationis calicis: atqui quia neque à Christo, neque ab Ecclesia est institutum, vt hæc misceatur calici iam consecrato, nunquam post consecrationem debet infundi: ergo cùm similiter nullo modo institutum sit, vt quis vngatur solo balsamo, nunquam ita vngendus est: atque ita si dictus defectus tantùm esset accidentalis, nullo modo esset supplendus. quæ clariùs patebunt in responsione secunda. 35

Respondeo igitur Secundò, Pontificem in illo capite, quia plures quæstiones erant propositæ, voluisse dare generalem responsionem, scilicet in eiusmodi Sacramentis semper esse supplendum, quod erat omissum, vel omnino inualidè factum (hoc enim potest dici omissum) siue id sit essentiale, siue accidentale. Nihil tamen quod validè collatum sit, esse iterandum, etsi sit tantum accidentalis cæremonia: qualis hîc est adhibitio patrini, datio alapæ, &c. quæ docet non esse reperenda, sed solam vnctionem chrismatis, cum debita forma: quia hæc partim omnino omissa, partim inualidè fuerant adhibita. 36

Hæc tamen intelligenda sunt de illis cæremoniis, quæ sine noua Sacramenti confectione possunt eodem modo, quo solent ab Ecclesia fieri, reiterari. Nam si quis post consecrationem recordetur se non infudisse calici aquam, non debet eam postea infundere. quia Ecclesiæ consuetudo non habet, vt hæc misceatur sanguini, sed vino, vt simul cum eo consecretur. quod post consecrationem fieri nequit, nisi nouum vinum consecretur. Vnde sequitur; si mistio balsami cum oleo esset tantùm accidentalis cæremonia respectu Confirmationis, ea omissa nihil fore supplendum: quia sine repetitione Sacramenti non posset hæc 37

cæremonia, vt in Ecclesia est vsitata, suppleri.

38 Obiicitur Tertiò, Balsamum fuit semper rarissimum & carissimum, præsertim olim cum in sola Iudæa nascererur: vnde incredibile est olim tempore persecutionum, cùm Ecclesiæ essent valdè pauperes, potuisse singulos Episcopos, præsertim in remotis regionibus habere semper balsamum: & tamen certum est eos ideo non omisisse confectionem chrismatis, aut collationem Confirmationis: ergo de eius essentia non est admistio balsami.

Resp. negando sequelam maioris, quia cùm requiratur valdè modicum balsami ad conficiendum chrisma, vbique haberi potuit, quod patet vel ex sola epi-
D. Fabian. stola D. Fabiani Pontificis ad Episcopos Orientales, qua quosdam grauiter reprehendit, qui eo quòd (vt dicebant) difficulter possent singulis annis balsamum habere, tantum singulis triennijs renouabant chrisma, & interim vetere in collatione Sacramentorum vtebantur: & eorum quidem excusationem adfert, sed quasi confictam, & indignam responsione planè negligit. Si igitur numquam fuerit in Ecclesia, ne quidem tempore persecutionum, quo scribebat hæc Fabianus, tanta difficultas reperiendi balsami, vt posset excusare à renouando singulis annis chrismate: quantò minùs potuit vnquam excusare à mistione balsami? Aut si hæc potuisset vllo modo omitti, quomodo Pontifex id non insinuasset?

39 Vbi Nota, ad essentiam chrismatis, siue materiæ Confirmationis, non esse necessarium, vt singulæ
Quanta debeat esse mistio balsami. eius partes contineant formaliter aliquid balsami: sed sufficit quòd tori misto saltem tantum insit balsami, vt omnes eius partes aliquo modo alterentur, recipiendo in se eius odorem, aliásque qualitates: hoc enim sufficit, vt tota massa, & consequenter singulæ eius partes dicantur confectæ siue mistæ ex oleo & balsamo: sicut corpora mista dicuntur confecta ex elementis, tantùm virtualiter in iis remanentibus, vnde ad illud sufficit, modicum balsami multò maiori quantitati olei misceri. Hinc Patres sæpe chrisma vocant absolutè oleum, sumendo denominationem à maiore parte. Tantum tamen semper balsami necessarium est, vt possit oleum dicto modo alterare, communicando ei suas qualitates, & præsertim odorem.

40 Obiicitur Quartò, Balsamum facilè adulteratur: ergo non est credibile Christum voluisse ipsum essentialiter ad hoc Sacramentum requiri. quia aliàs fuisset periculum, ne sæpe conferretur hoc Sacramentum inualidè. Respond. negando consequ. quia simili modo vinum præsertim Hispanicum facilè adulteratur ita artificiosè, vt vix à peritissimis possit à vero vino discerni: & nihilominus nemo ideò auderet dicere, verum vinum non esse materiam necessariam consecrationis calicis. quia propter aliquos raros casus Christus non debuit generalem suam legem immutare, præsertim cùm possint communiter eiusmodi incommoda euitari, si adhibeatur diligentia, vt per peritos & fidos mercatores eiusmodi res comparentur.

41 Nota demum, ad essentiam huius Sacramenti nihil referre an sit balsamum Palæstinum, an Indicum:
Chrisma potest fieri ex balsamo Indico. sicut non refert ad consecrationem, sitne vinum Rhenanum, an Græcum: rubrum an album: etiamsi
Paulus III. Pius IV. forte hæc specie differant. Vnde patet Paulum III. & Pium IV. non dispensasse cum Indis (vt quidam putant) vt liceret iis ex balsamo Indico conficere chrisma: sed tantùm definiisse, illud balsamum esse verum balsamum, & sufficientem materiam ad conficiendum chrisma.

42 Concl. III. Saltem de necessitate præcepti est, vt chrisma sit ab Episcopo benedictum. Est certa, nec vllo modo controuersa, vt patet ex vsu Ecclesiæ.

Conclvsio IV. Benedictio chrismatis facta ab Episcopo est etiam de essentia Sacramenti Confirmationis. Ita D. Thom. hîc a. 3. Nauarrus c. 22. n. 8. Henriquez l. 3. c. 2. n. 2. & ferè communiter Theologi. Probatur Primò, quia Florentinum in decreto de Armenis dicit, materiam huius Sacramenti esse chrisma ex oleo & balsamo per Episcopum benedicto. Vbi, vt ostendi, agit de materia essentiali ipsius Sacramenti: ergo cum chrisma benedictum per Episcopum vocet simpliciter materiam huius Sacramenti, signum est ipsum requirere eam benedictionem ad essentiam Sacramenti. Confirmatur, quia cum ibidem docuisset, Episcopum esse ordinarium ministrum huius Sacramenti, subdit, *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & vrgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Vbi apertè distinguit inter collationem huius Sacramenti, & chrismatis confectionem siue consecrationem: quòd illa per dispensationem Pontificis possit committi simplici sacerdoti, hæc non. Vnde patet, esse absolutè de eius essentia, vt fiat ab Episcopo. *Benedictio Episcopi essentialis. D. Thom. Nauarrus. Henriq. Florentin.*

Prob. Secundò, quia hæc benedictio est ex institu- 43
tione Christi, qui, vt testatur Fabian. epist. 2. ad *Fabian. Papa.*
Orientales Episcopos, in vltima cœna docuit Apostolos conficere siue consecrare chrisma: ergo hæc benedictio est de essentia Sacramenti. quia inde colligimus aliquid esse essentiale Sacramento, quia est ex institutione Christi. Quòd autem debeat fieri per Epi-
D. Dionys. scopum, patet Primò, ex D. Dionysio, qui in Ecclesiastica hier. vbi tractat de hoc Sacramento, ritus ipsius ac chrismatis confectionem describens, apertè docet eam debere fieri per Episcopum. Secundò, ex totius Ecclesiæ vsu, quæ nunquam legitur commisisse hanc benedictionem simplici sacerdoti, sicut aliquando commisit Sacramenti collationem. Vnde colligitur id fieri non posse.

Dices, Concilium Tolet. 1. can. 20. ait: *Quamuis ferè* 44
vbique custodiatur, vt absque Episcopo chrisma nemo con- *Tolet. 1.*
ficiat: tamen quia in aliquibus locis vel prouinciis presbyteri dicuntur chrisma conficere; placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum conficere, & per suam diœcesim destinare. Vbi non tantùm dicitur, aliquibus locis sacerdotes solitos conficere chrisma; sed satis insinuatur eos id validè fecisse: quia Concilium non irritat factum, sed prohibet in posterum.

Respond. etiamsi totum concederetur, illum canonem nihil facere ad rem: quia Concilium non agit ibi de materia Confirmationis, sed de chrismate, quo vtuntur sacerdotes in baptismo, vt patet ex sequentibus: quia agit de chrismate, quod singulis annis in paschate Episcopi ad singulas Ecclesias parochiales per totam suam diœcesim tenentur destinare, & singuli Pastores ab iisdem in suos vsus, scilicet ad vngendos baptizatos, & consecrandum sacrum fontem, tenentur petere. quod quamuis de facto idem omnino sit cum eo quo Episcopi confirmant: tamen certum est, ex dispensatione Pontificis posse esse distinctum: & ex eiusdem dispensatione posset chrisma in illos vsus per simplicem sacerdotem benedici. quia illi vsus nullo modo sunt essentiales vlli Sacramento; sed ex solius Ecclesiæ institutione, quam ipsa potest mutare. *Vsus chrismatis in aliis Sacramentis est ex Ecclesiæ institutione & mutabilis.*

Adde, non esse probabile, vel talis chrismatis con- 45
fectionem vnquam fuisse concessam simplici sacerdoti. Nec hoc Concilium insinuat, sed solùm quid ab aliquibus perperam factum sit, recitat, & id fieri in posterum prohibet, non statuendo nouam legem, sed illud perperam fieri declarando. quia Concilium ibi non meminit alicuius dispensationis, per quam illis sacerdotibus licuerit chrisma conficere. Vnde si insinuaret illud chrisma ritè fuisse ab iis

confectum, probaret sacerdotibus tunc fuisse ordinariam potestatem conficiendi tale chrisma; quod hactenus fuit in Ecclesia inauditum.

46 Dices, Pontifex potest committere simplici sacerdoti quod maius est, scilicet collationem Confirmationis (vt videbimus infrà) ergo potest eidem committere, quod minus est, scilicet confectionem chrismatis.

Cur Pontifex non possit committere simplici sacerdoti confectionem chrismatis.

Respondeo negan. consequ. quia eiusmodi argumenta non valent in iis quæ sunt increⅰ iuris positiui, qualia sunt materiæ Sacramentorum, quæ totæ pendent ex sola Christi institutione, præsertim quando fit comparatio inter res diuersi generis, quales sunt chrisma & Confirmatio. Aliàs sequeretur, quòd, sicut quiuis sacerdos etiam potestate ordinaria potest conficere corpus Christi, quod maius est; etiam posset similiter conficere chrisma, & conferre Confirmationem; quod omnino falsum est. Ratio autem cur Christus voluerit, vt Pontifex possit simplici sacerdoti dare potestatem confirmandi, non autem conficiendi chrisma, est, quia sæpe potest accidere necessitas illud concedendi; quia moraliter vix est possibile, vt omnibus locis adsint Episcopi. Vix autem potest accidere, vt alicubi longo tempore non possit haberi chrisma, cùm facilè possit ad quæuis loca transferri.

47 Nota tamen cum Suarez disp. 33. sect. 2. §. *Restat* Veⅰ, videri omnino dicendum, Christum non instituisse certam formulam huius consecrationis, sed tantùm instituisse in genere, vt fieret per inuocationem Spiritus sancti. Nec enim credibile est, omnem ritum, quem iam seruat Ecclesia, secundùm omnes partes suas esse essentialem, aut per omnes Ecclesias semper ab initio fuisse eundem. Nec in eo potest discerni quæ verba sint essentialia, quæ non: cùm non sit maior ratio de his quàm de illis. Itaque obseruatio totius tantùm videtur necessaria ex præcepto Ecclesiæ; atque ita validè etiamsi illicitè alio ritu consecraretur, modò fieret sufficiens olei & balsami commistio, & Spiritus sancti inuocatio.

Suarez. Non est à Christo instituta certa forma consecrationis chrismatis. Quæ est in vsu, non est secundùm omnia essentialis.

48 Dices, Sicut Ecclesia pro diuerso tempore potest præscribere diuersam formam contrahendi matrimonium, sine qua inualidè contrahitur: ita potuit benedictioni chrismatis præscribere certos ritus, sine quibus non haberet rationem cæremoniæ sacræ; & consequenter nec benedictionis, sed potiùs haberet rationem execrationis. Nam ferè omne ens morale (qualis est hæc benedictio) aliqua ratione pendet in esse suo à diuersa hominum aut consuetudine, aut legitima constitutione. hinc si quis iam occideret pecora eo ritu quo olim Iudæi ritè sacrificabant; non tam offerret sacrificium, quàm committeret sacrilegium. Vnde sequitur, potuisse in diuersis Ecclesiis & temporibus, diuersos ritus ad confectionem chrismatis essentialiter requiri.

Respond. etsi hæc non sint omnino improbabilia, tamen non videri probabile, Ecclesiam de facto velle omnes ritus confectionis chrismatis esse essentiales; quia aliàs si quis per aliquam distractionem (quod in tam multis ritibus facilè posset accidere) aliquid omitteret, inualidè chrisma conficeret, & consequenter per illud inualidè confirmaret, quod esset valdè incommodum. Nec Ecclesia potest censeri hoc velle.

49 Nota Secundò, etsi grauiter peccaret, qui confirmaret vetere chrismate; vt patet ex epist. 2. D. Fabiani ad Episcopos Orientales; validè tamen id faceret, modò adhuc esset incorruptum: vt docet Suarez disp. 33. sect. 1. §. vlt. Quia videtur valdè extrinsecum chrismati, quòd sit huius vel alterius anni. Confirm. quia Florentinum, quod exactissimè describit materiam & formam essentialem Sacramentorum, tantùm requirit vt sit chrisma ab Episcopo benedictum: quale est tam vetus, quam nouum. Vnde inter hæc non distinguit.

D. Fabian. *Suarez.* *Florent.*

CONCLVSIO V. Proxima materia huius Sacramenti est vnctio in forma crucis in fronte confirmandi pollice Episcopi chrismate imbuto facta. Ita communiter omnes DD. 50

Nota Primò, nullum esse dubium quin hæc omnia sint saltem necessaria necessitate præcepti; vt patet ex ritualibus & vsu totius Ecclesiæ. *Quomodo vnctio chrismatis fieri debeat.*

Nota Secundò, certum etiam esse, de essentia huius Sacramenti esse, vt vnctio fiat in forma crucis. Patet hoc Primò ex vsu vniuersali totius Ecclesiæ, quæ hoc modo hoc Sacramentum semper contulit, quantum ex historiis, aut ritualibus potest colligi. Vnde etiam sæpissimè Patres dicunt eos qui confirmantur, consignari, siue signari; quibus verbis significant eos signari cruce. vnde D. Aug. enarratione in ps. 141. super illud: *In via hac quam ingrediebar*, alludens ad crucem in Confirmatione acceptam: *vsque adeò*, inquit, *de cruce non erubesco, vt non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem.* *Necessariò fit in forma crucis.* *D. Augst.*

Patet Secundò ex ipsa forma, in qua inter vngendum Episcopus dicit: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*, quod falsum esset, nisi vngendo crucem formaret.

Dices, sufficere ad veritatem formæ, Episcopum ante vnctionem crucem formare in fronte, etsi vnctione etiam non formet. Sed hoc dici non posse, patet Primò ex vsu & ritualibus Ecclesiæ, quæ præscribit vt signum crucis ipsa vnctione formetur. Cùm igitur formatio crucis sit essentialis, dicendum talem formationem esse essentialem, quali Ecclesia vtitur; quia circa essentialia nihil potest immutare. 51

Patet Secundò ex Florent. in decreto de Armenis vbi dicitur: *Ideo in fronte, vbi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat: & præcipuè crucem eius, quæ Iudæis est scandalum, Gentibus autem stultitia, secundùm Apostolum: propter quod crucis signo signatur*, eadem scilicet actione qua inungitur; quia alia non signatur. 52 *Florent.*

Nota Tertiò, esse planè essentiale, vt hæc vnctio fiat in fronte. Patet ex perpetuo Ecclesiæ vsu, & communi Patrum ac canonum sententia dicentium hanc signationem in fronte fieri. Et quamuis expressè non asserant hoc esse essentiale, id tamen satis insinuant, dum sine vlla discrepantia dicunt eam ita fieri, aut etiam fieri debere; quia communiter non aliter solent dicere aliquid esse essentiale. Confirm. quia finis & effectus huius Sacramenti est, vt accipiamus robur & constantiam in confitendo Christi nomine, ne illud vnquam erubescamus; & ideo docet Florentinum *Florent.* suprà, nos in fronte vbi verecundiæ sedes est, cruce signari. Vbi ex eodem fine eodem modo requirit, vt signemur in fronte, & vt signemur cruce: atqui hoc est essentiale: ergo & illud. 53 *Necessariò fit in fronte.*

Nota Quartò, esse etiam essentiale vt hæc vnctio fiat immediatè manu Episcopi, & non per aliquod instrumentum; quia essentialis est huic Sacramento manus impositio, hæc autem ex Christi institutione, non est alia quàm quæ fit vngendo, vt patet ex praxi, & ostendemus dub. sequenti. 54

Nota Quintò, esse necessarium necessitate præcepti, vt fiat pollice dextro, vt patet ex rituali, & vsu. Credibile est tamen hoc non esse essentiale, vt docet Suarez disp. 33. sect. 3. in fin. quia nullum est satis firmum fundamentum hoc dicendi; nec ritualia hoc præscribunt tanquam essentiale: nec vt tale videtur vsu introductum, sed quia hoc magis decet, & quia manu dextra similia omnia solemus facere. 55 *Suarez.*

DVBIVM II.

Vtrùm Apostoli conferendo hoc Sacramentum vsi fuerint chrismate?

56 QVatuor hîc sunt sententiæ. Prima docet initio Ecclesiæ tam ab Apostolis, quàm à primis eorum successoribus hoc Sacramentum nuda manus impositione sine vlla vnctione fuisse collatum, donec tandem in Conc. Meldensi ex singulari Spiritus sancti instinctu fuit institutum, vt sub ea forma & materia qua iam confertur, conferretur. Sed hoc non est probabile; quia repugnat expressè D. Dionys. qui c. 4. Eccles. Hierarchiæ vocat hoc Sacramentum mysterium vnguenti, & fusè docet quomodo debeat confici, idque ex Apostolica, vt ait, traditione. Idem docet Fabianus epist. 2. ad Orientales: vbi testatur Christum Apostolos in die cœnæ docuisse conficere chrisma, eósque solitos singulis annis vetere combusto nouum conficere.

Conc. Meldens. c.

D. Dionys.

Fabian. Papa.

Secunda sententia docet, Apostolos aliquando contulisse hoc Sacramentum per nudam manuum impositionem: aliquando per vnctionem. Ita videtur sentire Scotus in 4. d. 7. quæst. 1. in respons. ad 1. argum.

Scotus.

57 Tertia docet, Apostolos aliquando contulisse effectum huius Sacramenti nuda manuum impositione, numquam tamen contulisse ipsum Sacramentum sine vnctione. Ita Durandus in 4. d. 7. q. 1. a. 2. ad 1. sub dubio tamen: quia tantùm dicit id fortè potuisse fieri. Et apertè hoc videtur tenere D. Thom. hîc a. 2. ad 1. & a. 4 ad 1. Ratio vtriusque sententiæ est, quia Apostoli Act. 18. leguntur contulisse Spiritum sanctum per manus impositionem, nulla facta mentione vnctionis. Sed hæc ratio parùm probat. Quia sicut ibidem non dicitur Apostolos fuisse vsos vnctione; ita etiam nec negatur: imò satis innuitur contrarium, vt videbimus concluſ. 2.

Durand.

D. Thom. Act. 18.

Quarta sententia docet, Apostolos nunquam contulisse effectum huius Sacramenti, nisi per Confirmationem factam verà chrismatis vnctione. Ita Bellarm. l. de Confirmatione c. 9. in respons. ad 2. argumentum Kemnitij, vbi pro se citat Thomam Vvaldensem to. 2. de Sacramentis c. 113. vbi id apertè docet, & Hugonem de S. Victore l. 2. de Sacramentis c. 7. vbi id satis innuit, etsi non ita clarè.

Bellarm.

Vvaldens. Hugo. de S. Victore.

58 CONCL. I. Numquam Apostoli contulerunt hoc Sacramentum nisi sub eadem materia & forma, qua iam confertur. Hæc sententia est ferè communis & apertè D. Thomæ hîc a. 2.

D. Thom.

Probatur Primò, quia Patres & proximi Apostolis, vt D. Dionysius c. 4. Eccles. hierar. D. Clemens l. 7. Constit. Apostol. c. 44. & 45. D. Fabianus epist. 2. ad Orientales, apertè testantur Apostolos in administratione huius Sacramenti vsos fuisse chrismate. Nec vllum est fundamentum dicendi contrarium: ergo non est dicendum.

D. Dionys. Clemens. Fabian.

Probatur Secundò, quia vel imponendo manus fuissent vsi eadem forma qua nos vtimur, vel diuersa. Primum dici nequit: quia tunc forma fuisset falsa. Nec etiam secundum, quia tunc nullo modo potuissent conferre idem Sacramentum, quod modò Episcopi conferunt; quia essentialis materia & forma fuissent omnino diuersæ: vnum autem & idem Sacramentum non potest diuerso tempore constare diuersa materia & forma essentiali. Vnde sequitur quòd Christus pro ipsis instituisset distinctum Sacramentum ab eis, quæ instituit pro reliqua Ecclesia. Imò illa impositio manuum nullo modo potuisset esse Sacramentum proprie dictum; quia non fuisset cæremonia stabili lege instituta, sed tantùm pro aliquo breui tempore, quod est contra rationem Sacramenti.

Apost. non potuerunt cõferre Sacramẽtum Confirmationis vsendo diuersa materia.

59 CONCLVSIO II. Etsi omnino certum sit Deum Actor. 2. & 10. contulisse Discipulis & Cornelio effectum huius Sacramenti sine Sacramento; multò tamen probabilius est Apostolos per simplicem manuum impositionem id nunquam ita fecisse. *Act. 2. & 10.*

Prob. Primò, quia neque in Scriptura, neque ex Patribus est vllum fundamentum hoc asserendi: ergo gratis omnino asseritur, & sine vllo fundamento; quia nullum pro hac re haberi potest nisi ex Scriptura aut Patrum traditione. De Patribus patet, quia aduersarij nullum pro se citant. De Scriptura probatur, quia nulla ex hac alia ratio ab iis profertur, quàm quia Act. 8. & 19. dicuntur Apostoli contulisse Spiritum sanctum per manus impositionem. Sed inde non sequitur, eos non fuisse vsos vnctione; quia Episcopus vngendo etiam manus imponit, secundùm communem modum loquendi omnium Patrum, qui ideo indiscriminatim hoc Sacramentum modò vocant impositionem manuum, modò chrismationem, modò Confirmationem, modò etiam consignationem, à diuersis partibus totum Sacramentum nominando: sicut aliud Sacramentum à sola ablutione baptismus vocatur. Sicut igitur cùm 1. Pet. 3. dicimur saluari per baptismum, & ad Titum 3. per lauacrum regenerationis, non excluditur forma, siue verbum vitæ, quod ad Ephes. 5. additur. Item sicut quando Apostoli act. 8. & 19. dicuntur baptizasse in nomine Christi, non excluduntur reliquæ personæ: sic nec cùm dicuntur contulisse Sp. sanctum per impositionem manuum, excluditur vnctio, sed significatur. *Act. 8. & 19. Impositio manuum qua vsi sunt Apostoli, non fuit distincta à Confirmatione. 1. Petr. 3. Tit. 3. Ephes. 5. Act. 8. & 19.*

Prob. Secundò, quia per impositionem manuum D. Lucas dictis locis significat aliquem ritum, qui ordinariè solebat omnibus statim post baptismum adhiberi: atqui hoc non potest dici de extraordinaria & miraculosa aliqua collatione Sp. sancti: ergo talis collatio Sp. sancti per illam impositionem manuum apud Lucam significari non potest. 60 *D. Lucas.*

Minor expressè admittitur à D. Thom. hîc a. 2. ad 1. vbi ait: *Vtebantur tamen Apostoli communiter chrismate in exhibitione Sacramenti*: nec negatur ab auctoribus 3. sententiæ. Et apertè prob. quia secundùm auctores illius sententiæ, tunc tantùm illa ratione conferebatur Sp. sanctus, quando hîc visibiliter in alios descendebat, conferendo illis donum linguarum, aut alia similia: atqui hæc dona non omnibus conferebantur, vt apertè testatur Apostolus 1. ad Cor. 12. v. 6. 8. 28. & 30. ergo Apostoli non conferebant communiter Spiritum sanctum per nudam illam manus impositionem. *D. Thom. 1. Cor. 12.*

Maior prob. Primò ex Act. c. 8. vbi statim atq; audierant Apostoli aliquos Samaritanos recepisse fidem ac baptismum, miserunt ad eos Petrum & Ioannem, vt per impositionem manuum conferrent illis Spiritum sanctum. Et ratio subditur: *Nondum enim in quemquam eorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu.* Quasi dicat, Eò quòd nullum aliud Sacramentum acceperant præter baptismum necesse fuit Apostolos ad eos accedere; vt ordinario & communi ritu Spiritum sanctum conferrent. Deinde apertè ibidem significatur eos vulgò omnibus baptizatis eodem ritu Spiritum ibidem contulisse. *Act. 8.*

Probatur Secundò, quia cùm Act. 19. Paulus Ephesi incidisset in quosdam discipulos sibi ignotos statim rogauit an accepissent Spiritum sanctum, quasi hic omnibus Christianis prima commoditate soleret conferri: & deinde baptizatis per impositionem manuum eundem iis contulit. 61 *Act. 19.*

Prob. concl. Tertiò, quia Patres communiter, atq; adeò omnes Catholici ex facto Apostolorum conferentium Sp. sanctum Act. 8. & 19. per manus impositionem probant Primò, esse aliquod Sacramentum in Ecclesia quo Sp. sanctus confertur. Secundò, *Act. 8. & 19.*

hoc

hoc Sacramentum non posse ab alio conferri, quàm ab
D. Hieron. Episcopo. hinc apud D. Hier. dialogo contra Luciferianos Luciferianus ait : *An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, vt baptizatis post à manus imponantur, & ita invocetur Sp. sanctus? Exigis vbi scriptum sit? In Actibus Apostolorum.* Cui infrà Orthodoxus respondet. *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, vt ad eos qui longè in minoribus vrbib. super presbyteros & diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus sancti manum imponitus excurrat.* Idem ex eodem loco
Euseb. Papa. Innoc. 3. probat Eusebius Papa epist. 3. cuius verba mox citabimus. Item Innoc. 3. c. vnico de sacra vnctione, §. *Per frontis chrismationem*, & alij plurimi : quorum neutrum vel probabiliter teneatur, si illa impositio manuum Apostolorum non fuisset verum Sacramentum. Quia hæc & Confirmatio fuissent res planè disparatæ, & diuersi ordinis.

62 Prob. Quartò, quia D. Aug. l. 3. de bapt. contra
D. Aug. Don. c. 16. cùm dixisset in sola catholica Ecclesia per manus impositionem dari Sp. sanctum, docet hanc manuum impositionem differre ab illa Apostolorum, quòd non fiat iam cum exterioribus illis & sensibilibus miraculis; scilicet apparitione flammæ ignis, aut dono linguarum : interiorem tamen vtriusque effectum ait esse eundem. apertè insinuans aliter non differre, & consequenter vtramque esse vnum idémque Sacramentum. Vnde subdit : *Cum ergo sit aliud Sacramentum* (sc. Confirmationis, de quo solo ibi loquitur) *quod habere etiam Simon Magus potuit, aliud operatio Sp. sancti*, &c. apertè significans impositionem illam manuum, quam cum ceteris Samaritanis etiam Simon accepit, fuisse verum Sacramentum. hinc etiam
Euseb. Papa. Eusebius Papa epist. 3. sub finem, *Manus quoque*, inquit, *impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus : nec tempore Apostolorum ab aliis, quam ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum fuisse.* Vbi apertè docet Apostolos per illam manuum impositionem contulisse Sacramentum Confirmationis; & quidem idem omnino, quod iam Episcopi conferunt. aliàs nullus in verbis ipsius esset sensus aut connexio.

63 Prob. Quintò, quia Patres testantur idem iam fieri in Ecclesia per manus impositionem, quod olim tem-
D. Cyprian. pore Apostolorum. hinc D. Cypr. epist. 73. ad Iubaianum, loquens de Samaritanis baptizatis, quos dicit non fuisse secundò baptizandos : *Sed*, inquit, *tantummodo quod deerat, id à Petro & Ioanne factum est : vt oratione pro iis habita, & manu imposita invocaretur, & infunderetur super eos Sp. sanctus, quod nunc quoque apud nos geritur : vt qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manuum impositionem Sp. sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.*

64 Dices Innoc. 3. c. vnico de sacra Vnctione, §. *Per*
Innoc. 3. *frontis chrismationem*, ait : *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine Confirmatio dicitur.* vbi dicit impositionem manuum designari siue figurari per chrismationem, insinuans hæc esse diuer-
Florentin. sa. Et confirm. quia Florent. in litteris de Armenis ait : *Loco autem illius manus impositionis* (qua sc. Apostoli conferebant Sp. sanctum) *datur in Ecclesia Confirmatio* : apertè insinuans has esse diuersas cæremonias.

Resp. negando quidquam horum locis citatis insinuari. Nam Innoc. tantum dicit, per frontis chrismationem designari siue significari (hoc enim illud verbum ibi significat, non autem figurari; quia res posteriores non sunt figuræ priorum) impositionem manuum. Quare tantùm ibi vult dicere, hæc tria, chrismatio, impositio manuum, & Confirmatio idem significare. Vnde ipse ibidem apertè pro nobis facit. Idem planè significat Florent. Nec enim rem rei, sed *Florentin.* nomen nomini successisse indicat. Nam aliàs etiam secundum auctores tertiæ sent. falsum diceret. Nam cum secundum illos etiam Apostoli contulerint communiter Sp. sanctum per Sacramentum Confirmationis, atque ita in vsu simul fuerint illa impositio manuum, & Confirmatio, hæc non potuit illi successisse : præsertim cum secundum illos Confirmatio fuerit pro communi Ecclesiæ vsu priùs à Christo instituta; & illa impositio manuum solis Apostolis pro singularibus quibusdam casibus solum priuatim concessa. Sicut igitur si Christus post institutum Sacramentum Pœnitentiæ concessisset Apostolis, vt in certis casibus potuissent remittere peccata sine vlla confessione solo verbo, vt ipse fecit; non rectè diceretur Sacramentum Pœnitentiæ illi verbali remissioni successisse; & multò minùs ex eo quòd talis remissio fuisset concessa solis Apostolis, potuisset probari, Sacramentum Pœnitentiæ à solis Episcopis administrari posse: sic posita veritate illius sent. nullo modo ex facto Apostolorum posset probari, Confirmationem successisse illi manuum impositioni (cum ante hanc fuisset instituta) & multò minùs potuisset probari, eam à solis Episcopis posse conferri. quia impositio illa manuum ab Apostolis vsurpata, fuisset planè distincta à Sacramento Confirmationis. Ex quibus patet, contrariam sent. ex sola auctoritate D. Thomæ habere aliquam probabilitatem.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm hæc sit conueniens forma huius Sacramenti,
Signo te signo crucis, & confirmo
te chrismate salutis, *&c.*

ARTICVLO IV. docet hanc esse formam 65
conuenientem huius Sacramenti, *Signo te* Forma Cõ-
signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in firmatio-
nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quia per hanc nis.
optimè significatur tam causa principalis effectus Sacramenti, quæ est sancta Trinitas, quam ipse effectus, qui est robur spiritus, atque etiam signum militare, quod confirmato imprimitur. Hanc autem formam esse conuenientem satis patet tum ex Conc. Florent. *Florentin.*
tum etiam ex vsu Ecclesiæ. Sed dubium est, quæ verba in ea sint essentialia.

Respondeo igitur, esse de essentia huius Sacramenti, 66
vt omnia dicta verba, vel iis æquiualentia saltem im- Quæ verba
plicitè in forma ponantur. Probatur, quia Florenti- sint essen-
num recèn sens formam huius Sacramenti, omnia illa *Florentin.* tialia.
verba ponit : cùm tamen non soleat exprimere nisi essentialia. Vnde sequitur essentiale esse, vt exprimatur Primò persona confirmanda. Secundò, actus confirmantis, vt ab eo procedens, iuxta dicta in simili de baptismo, q. 66. a. 5. Tertiò, vt exprimatur causa principalis, scilicet tres personæ Trinitatis, sicuti diximus exprimendas in baptismo q. 66. a. 5. Debet enim initiandus in vtriusque Sacramenti susceptione explicitè confiteri præcipuum mysterium fidei, quam in primo suscipit credendam : in secundo confitendam & propugnandam. Ideóque & cruce exteriùs, & charactere interiùs tanquam signo Christi militari signatur; & instar athletæ exteriùs chrismate, interiùs Spiritus sancti robore vngitur.

Aliqui autem dubitant, Vtrùm sit essentiale ex- 67
pressè ponere illa verba, *signo crucis*. Videtur enim quòd non. Quia videntur sufficienter intelligi sub verbis, *signote*; quia satis per hæc intelligimus impressionem crucis. Et videtur hoc posse colligi ex aliquibus Patribus & antiquis ritualibus, vt videre

Suarez, Henriquez est apud Suarem disp. 33. sect. 5. Probabilius tamen est, esse essentiale. ita Suarez sup. & Henriquez l. 3. c. 2. qui plures citant. Quia sicut essentiale est distinctè exprimere mysterium Trinitatis; ita videtur essentiale exprimere ipsum signum militare, quo confirmandus insignitur, vt magis ipsius menti imprimatur, & explicitè protestetur, quòd non erubescat crucem.

68 Similiter dubitatur de verbis *Chrismate salutis.* quia satis intelliguntur sub verbo *confirmo.* Nec videtur magis necessarium, hic exprimere materiam remotam, quàm in baptismo. Ita Cardin. Bellarm. l. 2. de Confirm. c. 10. vbi id confirmat ex antiquo rituali Romano, qui vocatur Ordo Romanus, qui ante 800. annos citatus fuit ab Alcuino, in quo habetur hæc forma: *Signa eos Domine signaculo. ego te confirmo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* quare hæc sententia posset videri probabilis.

Suarez, Henriquez, Zecchus. Contrarium tamen multi asserunt. Suarez & Henriquez sup. & Zecchus de Confirm. c. 5. quia per verbum *confirmo* vnctio non satis exprimitur, sicut per verbum *baptizo* exprimitur lotio. Quare hoc saltem est certum, grauiter peccaturum, qui ea verba omitteret, & Sacramentum fore sub conditione reperendum.

69 Nota demum Patres satis obscurè semper fuisse de forma Confirmationis locutos, nec eam vnquam expressè tradidisse, ne mysteria nostra infidelibus patefacerent. hinc Innocent. I. epist. 1. ad Decentium §. 3. agens de Confirmatione, *Verba*, ait, *dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Insinuat tamen eam Apostolus 2. ad Cor. 1. vbi ait: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* vbi vel ad formam, vel ad effectum huius Sacramenti alludit, scilicet ad gratiam corroborantem, eámque per vnctionem significari clarè ostendit. Quare hic locus necessariò refellit nugas & calumnias hæreticorum. Nam vel hîc per verbum *vnxit* Apostolus vult significare, Christianos omnes corporaliter vngi: & sic necessariò concedendus erit aliquis ritus siue Sacramentum à Deo institutum, & tempore Apostolorum vsitatum, quod aliud fingi non potest, quam Confirmatio. Vel vult significare internam vnctionem gratiæ diuinæ nos corroborantis: & inde sequetur ex testimonio Scripturæ, infusionem gratiæ metaphoricè rectè dici vnctionem, & consequenter externam vnctionem cum illa habere aliquam analogiam ac similitudinem, atque ita per eam rectè internam vnctionem significari: quorum vtrumque ipsi negant.

Patres obscurè de forma Confirmationis locuti sunt. Innocent. I.

2. Cor. 1.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Sacramentum Confirmationis imprimat characterem?

70 RESPONDEO V. docet, Sacramentum Confirmationis imprimere characterem, ideoque reperi non posse. Vide dicta quæ. 63. vbi sufficienter ostendimus, quę Sacramenta characterem imprimant. Nec hîc est noua difficultas, nisi in explicando illo D. Augu. l. 3. de baptis. cap. 16. *Manus autem impositio non sicut baptismus repeti non potest: quid enim est aliud quam oratio super hominem?* Sed hæc non esse intelligenda de Confirmatione, sed de impositione manus reconciliatoria apertè patet ex contextu, & satis ostendi art. 1. dub. 1. in fine. Aliàs D. August. sentire Confirmationem non posse reperi, & consequenter imprimere characterem, apertè colligitur ex l. 2. cont. epist. Petiliani, cap. 104. vbi ait Sacramentum chrismatis esse Sacramentum non secùs ac baptismum, & posse esse in hominibus in operibus carnis vitam consumentibus: clarè ostendens perseueranter in iis esse, siue manere. quod dici non potest nisi ratione characteris. quia alias Sacramentum secundum se transit.

Augustin.

Nota demum, etsi grauè committant sacrilegium qui bis confirmantur, aut eundem bis confirmant, neutros tamen incurrere vllam irregularitatem, vt docet Scotus in 4. d. 7. q. 5. & ex eo Gabr. ibid. dub. 5. Ratio est, quia nullo iure id est expressum. Et, vt habetur expressè cap. *Is qui in Ecclesia.* de sententia excommunicationis, in sexto, irregularitas nunquam incurritur nisi casibus iure expressis. Vnde patet falli quosdam Canonistas, quos refert Scotus suprà, qui ex eo quòd fiat irregularis qui rebaptizat; idem inferunt de eo, qui reiterat Confirmationem: quia in pœnis iure positiuo statutis non valet argumentum à pari, vt benè Scotus suprà.

71 Bis eundem confirmãs non fit irregularis. Scotus, Gabriel. Canonistæ, Scotus.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm character Confirmationis supponat characterem baptismi?

72 RESPONDEO VI. docet, Confirmationem supponere characterem baptismi; ita vt non baptizatus, quantumcúque bona fide putet se baptizatum, inualidè Confirmationem suscipiat, sicut & olim omnia Sacramenta, vt de Ordine expressè dicitur c. 1. & 3. de presbytero non baptizato. Ratio est, quia baptismus est ianua Ecclesiæ; ita vt nemo, nisi per baptismum, possit Ecclesiam ingredi, ac perfectè eius membrum in hoc mundo effici, vt docent Concilia Florent. & Trid. sess. 14. cap. 2. Sacramenta autem sunt quædam dona Christi, quæ suæ Ecclesiæ tanquam propriam hereditatem testamento reliquit. Vnde sequitur, neminem eorum posse esse participem, nisi sit iam membrum Ecclesiæ, aut per Sacramenti susceptionem fiat, quod per solum baptismum fieri potest. Rationem autem cur Christus hoc ita circa Confirmationem instituerit, reddit D. Thom. quia sicut nemo potest corporaliter crescere nisi priùs generetur, ita nec spiritualiter: per baptismum autem spiritualiter generamur, & per Confirmationem in viros perfectos crescimus.

Florent. Trident.

Cur Cõfirmatio supponat baptismum. D. Thom.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm per Sacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum faciens?

73 RESPONDEO VII. docet Primò, Sacramentum Confirmationis conferre suscipienti gratiam habitualem, augendo nimirum gratiam iam antè per baptismum acceptam. Patet ex iis quæ diximus, tum quæst. 62. art. 1. dub. 1. vbi ostendimus generatim, omnia Sacramenta ritè suscipientibus conferre gratiam ex opere operato: tum in hac quæst. a. 1. dub. 1. vbi ostendi per hoc Sacramentum conferri Spiritum sanctum, siue gratiam Spiritus.

74 Docet Secundò in responsione ad tertium, præter gratiam habitualem conferre etiã suo tempore gratias præueniẽtes, siue auxilia specialia, quibus iuuamur ad fidẽ constanter confitendã. Vide dicta q. 62. a. 2. Quæ autem ad effectum huius Sacramenti consequendum requiratur dispositio, satis dixi q. 62. a. 1. d. 2. concl. 5.

Nota

75 Confessio & ieiunij ex decentia præmittenda.

Nota Primò, cap. *Vt ieiuni*, de consecrat. dist. 5. statuti, vt ieiuni, & præmissa cõfessione adulti hoc Sacramentum suscipiant: sed quamuis vtrumque valdè deceat, & omnino quando fieri potest, seruandum sit: neutrum tamen est absolutè necessarium. De primo patet ex consuetudine Ecclesiæ; quia vrgente aliqua causa sæpe hoc Sacramentum post prandium confertur. De secundo etiam patet, quia quando quis nullius peccati mortalis sibi conscius est, certum est non teneri priùs confiteri. Item etsi conscius sibi sit peccati mortalis, quod nondum est confessus, sufficit eum priùs de eo conteri, quia de sola susceptione Ven. Sacramenti præcipitur, vt priùs præmittatur confessio. Vnde dictus canon non præcipit præmittere confessionem, sed tantùm dicit confirmandos monendos esse, vt hoc faciant.

76 Confirmatio confert maiorem gratiam quàm baptismus.

Nota Secundò, disputare hîc DD. Vtrùm hoc Sacramentum conferat maiorem gratiam quàm baptismus? Sed videtur respondendum affirmatiuè. Probatur Primò, quia tam Scripturæ quàm Patres singulariter & antonomasticè dicunt per hoc Sacramentum conferri Spiritum sanctum: quomodo loquendi significant pleniorem per ipsum dari gratiam, quàm per baptismum. Secundò, quia Patres dicunt in eo dari plenitudinem Spiritus sancti siue gratiæ: quo modo loquendi abundantiam quandam gratiæ significant, supra eam, quam recepimus in baptismo. Et confirmari etiam potest ex comparatione vtriusque Sacramenti cum generatione & accretione corporali. Quia per hanc multò plus substantiæ acquirit homo, quàm per illam. Cùm itaque baptismo regeneremur, & per Confirmationem ad perfectum gratiæ statum crescamus, videmur per hanc plus gratiæ acquirere quàm per illam.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm hoc Sacramentum sit omnibus exhibendum?

77 *Act. 2.*

ARTICVLO VIII. docet, hoc Sacramentum debere omnibus conferri. Primò, quia Act. 2. omnes qui erant in domo, in qua erant Apostoli, per quam Ecclesia designatur, repleti fuerunt Spiritu sancto. Secundò, quia sicut natura quos generat, intendit ad perfectum perducere; ita etiam Deus & Ecclesia quos spiritualiter generant, intendunt ad statum perfectum perducere, quod fit per *Vrb. Papa.* Confirmationem. Vnde Vrbanus Papa relatus c. 1. de consecrat. d. 5. ait: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt plenè Christiani inueniantur.*

D. Thom. Hinc D. Thom. in respons. ad 2. & 3. colligit Primò, hoc Sacramentum debere etiam pueris dari; quia potest fieri, vt etiam ipsi indigeant effectu huius Sacramenti ad fidem confitendam, cùm olim multi pueri facti sint martyres.

78 Qua ætate pueri confirmandi sint?

Disputant autem DD. qua ætate hi confirmandi sunt. Quidam enim putant optimum esse eos confirmare in infantia statim post baptismum. Primò, quia olim ita fiebat in Ecclesia. Secundò, quia præstat eos hoc Sacramentum accipere antequam innocentiam peccando amiserint: quia sic certiùs digni & bene dispositi ipsum accipiunt. Nec refert quòd tunc nondum sint apti ad certandum: quia sufficit quòd possint tunc suscipere arma, quibus suo tempore pugnaturi sunt.

Alij putant expectandum saltem initium ætatis adultæ, quam incipere aiant circa annum 12. Ita glos. in c. *Vt ieiuni*, de consecrat. d. 5. Sed hoc illo capite non dicitur, sed tantùm monendos esse adultos, vt ieiuni & confessi accedant.

Sed hac in re optima sententia est carechismi Romani, vbi part. 24. c. 3. n. 14. dicitur: *Illud etiam obseruandum est, omnibus quidem post baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari: sed minùs tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis vsum habuerint. Quare si duodecimus annus expectandus non videatur, vsque ad septimum certè hoc Sacramentum differre maximè conuenit.* Et huic sententiæ multi etiam Theologi, ac ipse etiam Ecclesiæ vsus adstipulantur. Ratio autem huius est: quia cum hoc Sacramentum non sit necessarium ad salutem, conuenit ipsum differri, donec suscipiens incipiat vti ratione, vt possit ipsum maiori cum pietate & fructu suscipere, & postea meminisse se esse confirmatum; quia aliàs cùm non præsumantur Christiani confirmati esse, nisi aliquo modo hoc constet; facilè posset contingere hoc Sacramentum iterari, si ipsi nescirent se confirmatos esse, cùm sæpe desint alij, qui hoc possint testari, nec eorum nomina ita scribantur sicut baptizatorum. 79 *Catechism. Roman.*

Vbi Nota Primò, septimum ætatis annum omnino sufficere, vt quis hoc Sacramentum conuenienter suscipiat: quia tunc censentur pueri sufficienter vti ratione ad contrahenda sponsalia, quæ maiorem tamen rationis vsum videntur requirere. Melius etiam est circa illam ætatem hoc Sacramentum suscipere, quàm diutiùs expectare; quia illa ætas ferè est adhuc immunis à grauioribus peccatis, quæ postea à grandioribus sæpe contrahuntur: ad quæ euitanda illius effectus multum iuuat. 80

Nota Secundò, etsi magis conueniat hanc ætatem expectari, id tamen non esse necessarium; quare quando adest rationabilis aliqua causa (vt quando, si iam puer non confirmetur, creditur diu non habiturus occasionem Sacramenti suscipiendi) posset illud tempus præueniri. Imò præstat hoc facere, quàm Sacramentum valdè diu differre, aut etiam omnino omittere, vt si puer esset in periculo vitæ. 81

Colligit D. Thom. Secundò in resp. ad 4. hoc Sacramentum conferendum etiam esse statim morituris. Nam etsi eo non indigeant, vt præparentur ad pugnam, quia pugnaturi non sunt: indigent tamen eo, vt crescant ac perficiantur in gratia. Vnde Melchiades Papa epist. 1. citatus à D. Thoma, non negat talibus hoc Sacramentum esse administrandum, sed tantùm asserit iis esse minùs necessarium quàm victuris. Quia tamen non ita vacat Episcopis singulos morientes adire, ideo communiter non solet talibus hoc Sacramentum tradi. 82 *D. Thom.* Etiam statim morituri confirmandi. *Melchiades Papa. D. Thomas.*

Hinc infertur Tertiò, hoc Sacramentum etiam conferendum esse perpetuò amentibus: quia per illud in gratia similiter possunt perfici. Quod idem dicendum est de iis qui aliquando vsi sunt ratione, & postea inciderunt in amentiam. Si enim hæc credatur futura perpetua, tales statim confirmari possunt, nisi scirentur eos statim post commissum peccatum mortale incidisse in amentiam, antequam de eo sufficientem dolorem conciperent. De quo vide dicta q. 64. a. vlt. Vbi etiam ostendi ad valorem Sacramenti sufficere, quòd tales habuerint priùs implicitam aliquam voluntatem suscipiendi hoc Sacramentum, quam censentur habere omnes Christiani, nisi expressè contrariam voluntatem habuerint. Quòd si tales crederentur aliquando rationis vsum recepturi, illud tempus expectandum esset, vt possent decentiùs hoc Sacramentum suscipere. 83 Amentes confirmari possunt.

DVBIVM.

Quanta sit obligatio suscipiendi hoc Sacramentum?

84 VAriæ hæc de re sunt sententiæ. Prima docet nos ad hoc obligari sub peccato mortali. Citantur pro hac sententia Scotus in 4.d. 7. q. 2. & Siluester verbo *Confirmatio*, n. 3. Sed hi tantùm dicunt esse peccatum mortale illud omittere ex contemptu; dicunt tamen eum censeri id facere ex contemptu, qui data commoditate Confirmationem omittit. Probatur autem hæc sententia Primò, quia quidam Patres & Concilia dicunt, nos debere confirmari, vt simus perfectè christiani. Secundò, quia Melchiades Papa in sua epist. c. 2. dicit, baptismum & Confirmationem ita esse coniuncta, vt nisi morte interueniente seperari nequeant. Tertiò, quia cùm in hoc Sacramento detur gratia, vt fortiter & constanter in fide persistamus contra omnes tentationes tam intrinsecas, quàm extrinsecas, in quibus continuò versamur, videmur nos exponere periculo deficiendi à fide, nisi hoc Sacramentum suscipiamus. Sed hæ rationes nihil conuincunt.

Scotus. Siluester. *Melchiades Papa.*

85 Nam prima tantum ostendit, hoc Sacramentum esse necessarium ad bene esse. Quia etsi valdè expediat nos ad perfectionem vitæ christianæ pertingere; non tamen absolutè ad hoc obligamur. Ad Secundam Resp. Melchiadem loqui de vsu sui temporis, quo baptismus extra periculum mortis tantùm bis per annum solemniter conferebatur, eique statim Confirmatio coniungebatur. Atque ita hanc omittens peccasset contra consuetudinem Ecclesiæ, quæ iam omnino mutata est. Ad Tertiam Resp. illud periculum esse remotum, atque ideo non posse grauem obligationem inducere.

86 Secunda sententia docet, eos, qui fidem debent coram tyranno confiteri, teneri sub peccato mortali priùs confirmari, si commodè possint. Ita Durandus in 4.d. 7. quæst. 1. art. 2. Ratio est, quia aliàs exponunt se periculo negandi fidem, videtúrque hoc periculum esse proximum. Et confirm. quia ideò Christus Luc. vlt. v. 49. præcepit Apostolis, vt manerent in ciuitate, donec virtute induerentur ex alto, ne si priùs inciperent concionari, exponerent se periculo, ne interrogari de fide meru pœnarum eam negarent. Eadem autem ratio videtur esse omnium Christianorum. Sed nec hæc ratio hanc conclusionē generatim probat; quia sæpe potest contingere, vt quis se diuina gratia satis confortatum sentiat, ita vt non appareat morale periculum, ne fidem neget; quod maximè posset contingere in iis qui sæpe eiusmodi prælia experti euaserunt victores. Illud autem præceptum Christi particulatim Apostolis datum fuit; quibus Christus sciebat omnino expedire tamdiu quietos in ciuitate manere, cùm ob alias causas, tum etiam, quia volebat eos simul in eadem domo singulari illo miraculo Spiritum sanctum accipere: tum etiam, quia non conueniebat eos, nisi omni scientia & virtute perfectos suum ministerium aggredi.

Durand. *Luc. vlt.*

Tertia sententia docet, ex negligentia hoc Sacramentum omittere esse peccatum veniale. Ita Nauar. in manuali, c. 22. n. 9. & alij.

Nauarrus.

87 CONCLVSIO I. Omittere hoc Sacramentum ex contemptu, est peccatum mortale.

Per se patet, quia non sine graui Dei iniuria tantum eius donum contemnitur. Est communis omniam DD. Quidam tamen minùs bene asserunt, eos omnes contemnere hoc Sacramentum, qui cùm illud omnino commodè possent suscipere, id planè negligunt. Hoc enim non esse verum, vel inde patet quòd aliàs simili modo diceretur contemnere Ven. Eucharistiam, qui extra tempus paschatis præsertim in magna aliqua solemnitate, aliis communiter eam suscipientibus, cùm commodè posset communicare, id negligeret. Hoc tamen nemo dixerit: nec est maior ratio dicendi aliud. Tunc igitur dicitur quis Confirmationem contemnere; quando ideo eam non suscipit, quia putat hoc se indignum esse, aut rem puerilem, aut parui momenti, ita vt non sit ei operæ pretium eius suscipiendi laborem subire.

Non censetur contemnere Sacramentum qui id non suscipit cùm facilè possit.

CONCLVSIO II. Omissio Confirmationis absque contemptu per se loquendo, nunquam est peccatum mortale. Ita D. Thom. hìc ad 4. Nauarr. in manuali c. 22. Candelabrum aureum, de Confirmatione, n. 37. Victoria ibid. n. 48. & alij. 88

D. Thom. Nauarr. Candelab. aureum. Victoria.

Probatur Primò, quia non potest ostendi præceptum diuinū aut Ecclesiasticum, quod nos ad Confirmationem obliget; vt satis patet ex dictis; & confirmatur Primò, quia, si esset aliquod tale præceptum, Ecclesia cogeret omnes ad illud implendum; sicut nos suis statutis cogit ad implenda alia præcepta diuina, maximè circa Sacramentorum susceptionem, præscribendo certum tempus, quo suscipienda sunt: vt patet in Pœnitentia & Vener. Sacramento, atque etiam in Baptismo: ad quem etsi non possit catechumenos cogere; tamen parentes statim norantur, si diu sine iusta causa filiorum baptismum differant.

Nullo præcepto ad Confirmationē obligamur.

Confirm. Secundò, quia si esset obligatio hoc Sacramentum suscipiendi, etiam statim morituri ad hoc obligarentur: vt patet in aliorum Sacramentorum susceptione; quod tamen esse falsum, patet tum ex vsu Ecclesiæ, tum ex epistola Melchiadis citata à D. Tho.

Melchiades Papa. D. Thom.

Dixi, *per se loquendo non esse peccatum mortale.* Quia ex accidenti potest esse peccatum mortale. Primò, ratione scandali, vt si ratione circumstantiarum vulgò putaretur aliquis omittere Confirmationem, eo quòd eam contemneret, aut non crederet esse Sacramentum, vt si esset nonnihil suspectus de fide. Secundò, ratione propriæ conscientiæ, vt si quis omnino crederet sibi imminere periculum deficiendi à fide, nisi hoc Sacramentum susciperet; quod sæpe posset contingere in iis, qui versantur continuò inter hæreticos, & vel minis, vel promissis, aut alia ratione ad defectionem sollicitantur. Nam est singulare Dei donum in talibus casibus fidem constanter tueri; quod etsi Deus paratus est omnibus dare, tamen sæpe minùs liberaliter illud dat iis, qui non vtuntur mediis ab ipso ad hoc institutis, qualis est Confirmatio. 89

Quando omissio Confirmationis possit esse peccatum mort.

Tertiò, addunt aliqui, esse peccatum mortale suscipere Ordines ante Confirmationem. Sed meliùs hoc negant Nauarr. c. 22. n. 9. Candelabrum aureum de Confirmatione n. 41. Victoria de Sacramento Ordinis n. 232. Suarez hìc disp. 38. sect. 1. & alij. Quia hoc nullibi est vetitum. 90

Non confirmatus suscipiens Ordines nō peccat mortaliter.

Nec obstat Trident. sess. 23. c. 4. de reform. vbi ait: *Prima tonsura non initientur, qui Confirmationem non susceperint.* Quia hìc nihil præcipitur initiandis, sed præscribitur Episcopis quid facere debeant; quamuis nec hìc stricta aliqua obligatio imponatur: quia nullum est verbum, quo strictum præceptum indicetur. Vnde Nauar. & alij suprà docent, Episcopum non peccare mortaliter ordinando non confirmatum, aut etiam antequam ipse confirmatus sit, Confirmationem, aut Ordines conferendo. Vnde patet, multò minùs peccare, qui alia Sacramenta ante Confirmationem suscipit. Imò baptismus necessariò præmittendus est, & omnino conuenit adultos Confessionem præmittere: & quando differtur Confirmatio siue ex causa, siue sine causa, nullo modo ideo differenda est communio.

Nauarr. Candelab. aureum. Victoria. Suarez. Trident.

CONCL. III. Nulla est directa obligatio ad hoc Sacramentum suscipiendum etiam sub peccato veniali. Ita Nauarr. c. 22. n. 9. Sotus d. 7. q. 1. a. 8. §. *Contrarium autem.* Victoria nu. 48. Henriq. l. 3. c. 1. num. 6. 91

Nauarr. Sot. Henriquez.

Suarez

Suarez. Suarez suprà. Ratio est, quia nullum est præceptum humanum ad hoc nos obligans, vt patet ex dictis: neque etiam diuinum, vel naturale. quia si tale esset, cùm hæc sit materia grauis, obligaret sub mortali. Vix vmquam tamen sine iusta causa hoc Sacramentum omittitur sine peccato veniali. quia per illam omissionem priuamus nos magnis bonis & auxiliis spiritualibus; quod per se continet quamdam prodigalitatem atque indecentiam: & hac ratione efficimur minùs idonei ad resistendum peccatis. Vnde exponimur maiori periculo sæpius peccandi, quod, quando ita commodè possumus, saltem sub peccato veniali tenemur vitare.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm hoc Sacramentum sit conferendum homini in fronte?

92 ARTICVLO IX. docet, confirmandos debere vngi & signari in fronte. Vide dicta art. 3. dub. 1. concluſ. 5.

ARTICVLVS X.

Vtrùm ille qui confirmatur, debeat teneri ab alio?

93 ARTICVLO X. docet, confirmandum debere teneri ab alio, siue habere patrinum, qui eum militiæ spirituali inscribendum Episcopo eiusdem militiæ duci præsentet, eúmque in ea erudiat. Hæc tamen obligatio erudiendi nullo iure præcepta est, nec consuetudine recepta, nec communiter est necessaria. quia confirmatus sufficienter potest erudiri per eos, qui eum in baptismo susceperunt. Quod vel eo verius est, quòd nec hi communiter iam ad tale officium obligentur, vt ostendi suprà, q. 67. art. 8. Quare susceptor confirmando magis adhibetur, vt solemniùs Sacramentum conferatur, & vt significetur confirmandi imbecillitas & imperfectio in spiritualibus, quàm necessitatis causa, vt satis insinuat D. Thom. in corpore, & Suarez hîc. In casu tamen necessitatis, quando confirmatus alium, à quo instrueretur, non haberet, posset susceptor ad hoc teneri.

Suscipiens confirmandum nō tenetur hunc erudire nisi fortè in casu necessitatis.

D. Thom. Suarez.

94 Nota Primò, ad hoc officium non posse admitti, nisi vnum, vel vnam; vt habetur c. *Non plures*, 100. de consecr. d. 4.

debet esse vnicus,

Nota Secundò, secundùm antiquam Romanam consuetudinem, extra necessitatem non debere eumdem esse susceptorem baptizandi, & confirmandi. Notat tamen Siluester v. *Confirmatio*, n. 4. §. *Et sexto*, consuetudinem iam contrarium obtinere.

distinctus à susceptore baptizati, Siluester.

& confirmatus.

Nota Tertiò, non confirmatum non posse tenere confirmandum, vt habetur c. *In baptismo*, 101. de consecr. d. 4. Vnde patet, eum inualidè hoc facturum, qui id tentaret. Quia secundùm communem sententiam Iuristarum, inualidè quis id tentat facere, quod dicitur in iure non posse facere. Et confirm. quia similiter talis dicitur non posse tenere confirmandum, atque non baptizatus baptizandum: atqui hic hoc inualidè faceret, ergo & ille.

95 Vnde sequitur, eum grauiter peccaturum, quia redderet eam cæremoniam irritam, nec contracturum cognationem spiritualem: vt bene Suarez hîc.

Suarez.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm solus Episcopus possit hoc Sacramentum conferre?

96 ARTICVLO XI. docet Primò, solum Episcopum posse ordinaria potestate hoc Sacramentum conferre: quia per hoc Sacramentum perficitur baptizatus. Sicut autem pertinet ad summos artifices vltimam formam inducere: ita ad Episcopos, qui supremi sacerdotes sunt, baptizatos vltimò perficere.

Docet Secundò, in responsione ad 1. ex dispensatione Papæ posse simplicem sacerdotem hoc Sacramentum conferre.

DVBIVM.

Vtrùm nemo vmquam, nisi solus Episcopus possit hoc Sacramentum validè conferre?

HÆretici nostri temporis secuti Vvicleſum communiter docent, quemque sacerdotem esse ordinarium ministrum huius Sacramenti, aiúntque nos in hoc sequi errorem Donatistarum, quòd dicamus valorem Sacramenti pendere à dignitate ministri. Sed in hoc loquuntur contra suam conscientiam. Nec enim ignorant Donatistas in eo non errasse, quòd in conferente certa Sacramenta requirerent potestatem Ordinis, quam diuersam in diuersis tota semper cognouit Ecclesia; sed quòd dicerent valorem Sacramentorum pendere à bonitate ministri, eáque à sceleratis non posse validè conferri. quod nos cum tota Ecclesia Catholica damnamus. Idem olim docuit Armacan. in quæstionib. Armeniacis l. 11. c. 4. Durandus verò in 4. d. 7. q. 3. fusè hanc rem disputat, & satis dubiè respondet, sicut & Scot. ibid. q. 1. Ratio cur aliqui hac de re dubitent, est, quia ex vna parte multa Iura, quæ infrà citabo, docent, simplicem sacerdotem inualidè hoc Sacramentum conferre: & ex altera parte legitur D. Greg. permisisse sacerdotibus Sardiniæ, vt hoc Sacramentum conferrent; quod facere non potuit, si essentialis minister sit Episcopus.

Hæretici nostri, Vvicleſ.

Donatistæ.

Armacan. Durand.

Scotus.

D. Greg.

CONCLVSIO I. Solus Episcopus potest ordinaria potestate hoc Sacramentum validè conferre. Ita iam omnes Catholici, & videtur expresse definita in Florent. in decreto Eugenij de Armenis: vbi dicitur Confirmationis ordinarium ministrum esse Episcopum. Et clariùs in Trid. sess. 7. can. 3. de Confirmatione, vbi dicitur: *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem sacerdotem, anathema sit.* Vbi vocant ordinarium ministrum, non solùm eum qui ex ordinaria potestate potest licitè hoc Sacramentum conferre (quia sic soli Episcopi, qui sunt in gratia, & quique solis sibi subditis possunt hoc Sacramentum conferre) sed omnem eum, qui sine singulari Papæ commissione id validè conferre potest. Quia Concilia illa ibi disputant, non qua ratione licitè; sed tantùm qua ratione validè illa Sacramenta conferri possunt: atque ita definiunt, quis sit minister essentialiter requisitus. Quod confirmatur, quia Florentinum paulò antè dixerat, vt possint Sacramenta validè conferri, tria requiri: scilicet materiam, formam, & personam ministri cùm debita intentione; quorum si aliquid deesset, ea perfici non posse: & deinde explicat, quis sit minister singulorum; ergo loquitur de ministro essentialiter requisito. ideóque etiam docet in baptismo quemuis posse esse ministrum. 97

Florent.

Trident.

Probatur autem hæc conclusio ex Scriptura. Quia Actor. 8. cum Philippus multos in Samaria conuertisset, & baptizasset, fuerunt eo missi Apostoli, vt eos 98

Act. 8.

confirmarentur. quod non fuisset necesse, si per alios potuissent confirmari.

Respondent aliqui, hinc solùm probari, diaconos non posse hoc Sacramentum conferre. quia Philippus tunc erat solùm diaconus. Sed contrà facit Primò, quòd non solùm illo loco, sed etiam Act. 19. Apostoli legantur hoc Sacramentum contulisse; cùm tamen verisimile sit, tunc ab Apostolis alios sacerdotes fuisse creatos. Secundò, quia clarè ex Scriptura colligitur Apostolos hoc munus exercuisse tanquam sibi proprium, & quod per inferiores sacerdotes fieri non posset: tum quia Scriptura nominatim recenset solos Apostolos huius officij ministros, & innuit eos hoc sibi vt proprium sumpsisse: tum etiam quia D. Paul. qui, vt patet 1. ad Cor. c. 1. v. 14. ferè solitus erat à collatione Sacramentorum, quæ per alios fieri poterant, abstinere (vnde etiam Act. 19. satis innuitur eum curasse illos viros per alios baptizari) munus tamen confirmandi, vt sibi proprium sumpsit, quasi per inferioris Ordinis presbyteros hoc fieri non posset. Tertiò, quia ex Ecclesiastica traditione satis constat, Apostolos hoc munus vt Episcopos obiuisse. Quia ex dictis locis communiter Patres & Pontifices probant, solos Episcopos hoc Sacramentum conferre posse, negántque validè id fieri posse per simplices sacerdotes, scilicet sine Papæ commissione. Ita Vrbanus, Melchiades, & Eusebius Pontifices relati c. 1. 3. & 4. de consecr. d. 5. & similiter Florentinum suprà.

Act. 19. *1. Cor. 1.* *Act. 19.* *Vrbanus, Melchiades, Eusch. Florentin.*

99 Dictis obiiciuntur Primò quædam loca Conciliorum & Patrum, quæ dicunt presbyteros ex venia Episcopi, aut vrgente necessitate eo absente posse alios vngere chrismate. Ita Toletan. 1. c. 20. Aransic. c. 2. Innocent. I. epist. 1. §. 6.

Toler. 1. Arausican. Innoc. I.

Resp. hæc testimonia solùm loqui de vnctione aliqua cæremoniali, quæ non sit Sacramentum. Nam Toletan. apertè loquitur de vnctione, quæ fit in baptismo. Et de eadem videtur loqui Arausican. Nam loquitur de vnctione, qua vngebãtur hæretici, dum ad Ecclesiam conuertebantur, quos in istis locis vngebant: fortè vt supplerent cæremonias ab Ecclesia in baptismo abhiberi solitas, quas hæretici, aut omnino omiserant, aut malè vsurparant. De simili etiam cæremonia apertè loquitur c. *Omni tempore.* 124. de consecr. d. 4. vbi dicitur, *Presbyter verò præsente Episcopo non signet infantes, nisi fortè ab Episcopo ei fuerit præceptum.* Vnde subditur, *Nec liceat presbytero, priùs Episcopo introire in baptisterium.* Vbi apertè insinuatur Canonem loqui de consignatione, quæ fit in baptismo. Innoc. autem apertè loquitur de cæremonia, qua vngebantur energumeni, vt dæmon expelleretur.

100 Olim presbyteri sine venia præsentis Episcopi non poterãt vti chrismate. *D. Leo.* Pro quo Nota, non licuisse olim simplici sacerdoti, vlla ratione aliquem vngere chrismate, imò nec baptizare, nisi iubente, aut procul absente Episcopo, & necessitate aliqua vrgente, vt patet tum ex dictis locis, tum etiam ex D. Leone epist. 88. in fine vbi ait: *Sed neque coram Episcopo licet presbyteris in baptisterium introire, nec præsente Antistite infantem tingere, aut signare* scilicet vngendo eum chrismate in vertice. Et de simili fortè consignatione loquitur D. Ambros. in c. 4. epist. ad Ephesios circa medium, dum ait, *Apud Ægyptios consignant presbyteri, si non sit Episcopus.* quamuis alij aliter hunc locum interpretentur.

D. Ambros.

101 *D. Hieron.* Obiicitur Secundò, D. Hieron. dialogo contra Luciferianos dicit potiùs pertinere ad honorem sacerdotij quàm ad legis necessitatem, quòd baptizatis à solis Episcopis manus imponantur. Vbi videtur insinuare, etiam presbyteros id posse validè facere. Resp. longè alium esse sensum D. Hieron. Verba enim eius sunt, *Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui, disce hanc obseruationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensionem Domini, Spiritus sanctus ad Apostolos defendit: & multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius sacerdotij, quàm ad legis necessitatem.* Vbi primùm apertè ostendit, solos Episcopos hoc modo posse conferre Spiritum sanctum, idque ex auctoritate Scripturæ. Quod autem subdit, *Ad honorem potius*, &c. non indicat hoc munus per alios posse fieri, & solùm honoris causa solis Episcopis ab Ecclesia deferri (hoc enim connexio verborum nullo modo indicat;) sed Christum hanc potestatem vt ordinariam solis Episcopis dedisse; magis vt eorum officium hoc modo honoraretur, quàm quòd illud Sacramentum ad salutem absolutè necessarium sit, cùm per ipsum baptismatis gratia Spiritus sancti etiam acquiri possit. hic sensus ex antecedentibus & sequentibus clarè patet. Nam subiungit alias omnino miserandos & deplorandos fore, qui Episcopum adire non possunt.

Obiicitur Tertiò, Ananias Actor. 9. imponens Paulo manus, dicit se missum ad eum, vt videat ac impleatur Spiritu sancto, qui tamen tunc non erat Episcopus: ergo dare Spiritum sanctum per impositionem manuum, non est solius Episcopi. 102 *Actor. 9.*

Resp. neg. conseq. Quia Ananias per illam manus impositionem non conferebat Paulo Confirmationem, cuius, vtpote nõdum baptizatus, non erat capax: sed conferebat ei visum: vt ibi expressè dicitur. Dicit autem eum implẽdum Spiritu sancto per baptismum, quem statim susceperit: aut per impositionem manuum, quam postea suscepit ab Apostolis, vt credibile est. Nisi malis ei sicut ceteris Apostolis, & Cornelio extraordinario modo Spiritum sanctum, sine Sacramento fuisse collatum. quod etiam satis probabile est, etsi apertè scriptum non sit.

Nota, quemuis Episcopum etiam excommunicatum & hæreticum validè conferre hoc Sacramentum iuxta dicta q. 64. ar. 9. quia est actus Ordinis, nec pendet à iurisdictione, vt validè fiat: secùs tamen est, vt licitè fiat. Quare peccat Episcopus confirmando sibi non subditum, sine venia proprij Episcopi: validè tamen id facit: vt dixi suprà de baptismo, & colligitur ex c. *Interdicimus* 16. q. 1. 103 Quiuis Episcopus validè confirmat non tamen licitè.

Concl. II. Certum est simplicem sacerdotem ex eõmissione summi Pontificis posse hoc Sacram. cõferre. 104

Est iam communis Theologorum contra Durand. in 4. d. 7. q. 4. vbi hanc quæstionem variè disputat, tandémque concludit, posito quòd sine hac commissione simplex sacerdos non possit validè confirmare, nec etiam cum ea posse. *Durand.*

Probatur Primò, ex facto D. Gregor. qui, vt patet ex eius lib. 3. epist. 26. eiusmodi facultatem concessit quibusdam presbyteris Sardiniæ. *D. Greg.*

Resp. aliqui Primò, Pontificem hoc iis non concessisse, sed vitandi scandali causa, in iis toleratse. Sed hoc apertè repugnat eius verbis, ait enim: *Vbi Episcopi desunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizatos* (sic enim legẽdum est, non autem Baptizandos, vt malè quidam codices habent, & bene notauit Card. Bellar. de Confirmatione c. 12.) *chrismate tangere debeant concedimus.* *Bellarm.*

Resp. alij Secundò, Pontificem in eo facto errasse. Sed hoc cum magna iniuria & Romanæ Sedis, & sanctissimi doctissimique Pontificis dicitur.

Prob. Secundò, ex Florent. quod apertè docet, eiusdi potestatem aliquando à Pontifice simplicibus sacerdotibus commissam. Vnde tam ipsum quàm Trident. sess. 7. can. 3. de Confirmatione, definiunt, solum Episcopum esse ordinarium ministrum huius Sacramenti, apertè insinuando extraordinarium posse esse non Episcopum. Vnde Florẽt. subdit: ex dispensatione Pontificis simplices sacerdotes aliquando confirmasse. Quare etsi Concilium hanc conclusionem ibidem non definiat (vt aliqui putant) tamen sua auctoritate eam graviter probat. 105 *Florent.* *Trident.* *Florent.*

106 Probatur Tertiò, quia nullum est dubium quin Christus potuerit ita hoc Sacramentum instituere, vt solus Episcopus ex sua ordinatione haberet completam potestatem illud conferendi: simplex verò sacerdos haberet, quasi inchoatam potestatem, quæ per commissionem Pontificis, qui singularis ipsius in terris est vicarius, posset compleri, non accessione entis realis, sed potestatis moralis; atqui Christum ita hoc Sacramentum instituisse satis apertè ex 1. & 2. probatione colligitur: ergo hoc dicendum est.

107 Ex his patet Primò, Pontificem tali commissione non mutare essentialia huius Sacramenti. quia essentialis huius Sacramenti minister, non est solus Episcopus; sed vel hic, vel simplex sacerdos habens talem Pontificis commissionem; qua ille qui antè hoc Sacramentum conferre non poterat, aptus eius minister efficitur: sicut per iurisdictionem ab Episcopo acceptam sacerdos efficitur idoneus minister Sacramenti Pœnitentiæ, qui antè non erat.

108 Patet Secundò, Confirmationem esse actum Ordinis, aut episcopalis, si fiat potestate ordinaria; aut sacerdotalis, si fiat ex commissione Pontificis.

Cuius Ordinis actus sit Confirmatio.

Vnde sequitur, simplicem sacerdotem, sine tali commissione nulla consuetudine posse præscribere, vt validè confirmet, vt patet ex c. *Quanto.* de consuetudine. Quia potestas Ordinis nulla consuetudine acquiritur. Vnde etiam vlteriùs sequitur, talem sacerdotem nullum posse validè confirmare, cuius Confirmatio ei commissa non est.

109 Patet Tertiò, Pontificem validè electum, nondum tamen sacerdotem, validè hanc potestatem alicui sacerdoti committere, etsi ipse nondum possit confirmare. Sicut Episcopus non sacerdos validè dat sacerdoti potestatem audiendi confessiones, quas ipse tamen audire non potest. Ratio est, quia etsi Confirmatio sit actus Ordinis, ista tamen commissio est solùm actus iurisdictionis, quæ ab initio in Pontifice perfecta est; nam si esset actus Ordinis, etiam aliis ab Episcopis fieri posset. quia potestas Ordinis in omnibus æqualis est.

110 *Florent.* Patet Quartò, etsi, vt Pontifex licitè det talem facultatem, requiratur iusta causa, vt innuit Florentinum: sine hac tamen validè eam dare. quia hæc commissio non est propriè dispensatio in aliqua lege diuina (quæ sine iusta causa inualidè semper fit) sed est concessio alicuius potestatis ferè similis ei, qua conceditur alicui iurisdictio ad absoluendum à peccatis mortalibus. quæ concessio si esset inualida, multi innocentes, qui à talibus confirmantur, sine vlla sua culpa grauissimum damnum acciperent. quod improbabile est Christum voluisse.

111 *Sanchez.* Patet Quintò, hanc facultatem non expirare morte concedentis. quia est gratia Principis, quæ morte concedentis non expirat, vt docet Sanchez l. 8. de matrimonio disp. 28. num. 64. nisi solùm esset datum mandatum certas aliquas personas confirmandi. hoc enim morte concedentis expiraret. Vtraque pars apertè colligitur ex c. *Si cui nulla.* de præbendis, in 6. Prior etiam confirmatur. quia aliàs, cùm talis potestas ferè conferatur existentibus in remotis quibusdam regionibus, quò vix vlli Episcopi possunt accedere, tales sacerdotes semper essent anxij, an duraret adhuc sua potestas, cùm scire nequeant an Pontifex interim sit mortuus.

Ex dictis autem facile erit soluere quæcumque obiici possent.

Conclvsio III. Neque Pontifex potest hanc potestatem concedere alicui non sacerdoti; neque alius Episcopus potest eam concedere sacerdoti. 112

Est communis Theologorum, & patet tum ex dictis; tum etiam ex vsu Ecclesiæ, in qua numquam contrarium fuit legitimè practicatum. Neque est vllum fundamentum dicendi id fieri posse; nec hoc sine graui fundamento dicendum est.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm ritus huius Sacramenti sit conueniens?

Articvlo XII. docet, ritum quo hoc Sacramentum celebratur, esse conuenientem. probátque ex vsu & auctoritate Ecclesiæ, quæ cùm regatur à Spiritu sancto, in suis constitutionibus errare non potest: quod pro Catholicis sufficit. Contra hæreticos verò sufficiunt, quæ in simili diximus q. 71. de cæremoniis baptismi. Est enim eadem in vtrisque ritibus ratio. 113

Nota Primò, quouis tempore etiam in locis generali interdicto subiectis, vt patet ex cap. *Responso*, de sententia excommunicationis hoc Sacramentum conferri posse. 114 Confirmatio etiam tempore generalis interdicti conferri potest.

Nota Secundò, etsi nullus certus locus, in quo hoc Sacramentum administretur, præcipiatur; omnino tamen conuenire, vt in ecclesia fiat. Vt autem à ieiunis conferatur, aut suscipiatur, magis est decentiæ, quàm necessitatis; vt patet ex vsu Ecclesiæ: quia iam sæpe hoc Sacramentum post prandium confertur. Decet eam conferri in loco sacro.

Nota Tertiò, caput confirmati vitta obligari; tum ob reuerentiam chrismatis, ne statim deteratur, & aliis rebus adhæreat, sed vt paulatim exsiccetur: tum etiam vt significetur gratiam Confirmationis esse conseruandam. Ferenda autem est hæc vitta tam diu, quàm consuetudo in singulis locis habet, nisi ob rationabilem causam citiùs iudicetur ex consensu Episcopi tollenda. 115 Caput confirmati obligatur.

Nota Quartò, confirmato infligi alapam, tum vt eiusque alapa infligi- meminerit se esse confirmatum: tum etiam vt sciat tur. sibi iam in posterum forti animo omnes iniurias pro Christo tolerandas.

QVÆSTIO LXXIII.

DE

VENERABILI

SACRAMENTO EVCHARISTIÆ

SECVNDVM SE.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Eucharistia sit Sacramentum?

1 ARTICVLO I. docet Eucharistiam esse propriè dictum legis nouæ Sacramentum. Est de fide, vt patet ex Florentin. *Florent, Trident,* in literis vnionis, & Trident. tota sess. 13. Nec hæretici nostri temporis hoc negant, etsi in multis circa hoc Sacramentum à nobis dissentiant: de quibus agemus infrà.

D. Thom. Probat autem conclusionem D. Thom. ex quadam congruentia. Quia sicut conueniebat aliquod Sacramentum instituì, quo simpliciter renasceremur: ita conueniebat aliquod instituì, quo spiritualiter alcremur. quod fit per Venerabilem Eucharistiam.

DVBIVM.

In quibus essentia huius Sacramenti intrinsecè consistat?

2 NOta, nos hîc non disputare contra hæreticos, qui realem Christi præsentiam in hoc Sacramento *D. Thom.* negant, contra quos infrà cum D. Tho. fusè catholicè veritatem probabimus: supponimus itaque hîc cũ omnibus Catholicis totã substantiam panis & vini in verũ Christi corpus & sanguinem per cõsecrationem transsubstantiari: Christúmque integrè sub singulis speciebus realiter esse præsentẽ, etiam dum hoc Sacramentum non sumitur: ac deinde quærimus, Ex quibus rebus hoc Sacramentum tãquam ex materia & forma, partibúsque essentialibus intrinsecè componatur. De quatuor igitur dubitatur an habeant in eo rationem Sacramenti, vel ad illud constituendum intrinsecè concurrant: scilicet de forma consecrationis, de speciebus, de corpore Christi, & de eiusdem sumptione.

3 Prima sententia docet, formam consecrationis esse partem essentialem huius Sacramenti, ipsum intrinsecè componentem. ita multi apud Vasq. disp. 167. c. 2. *Vasquez, Florent.* Ratio est, quia Florent. vocat eam formam huius Sacramenti: atqui verba quæ sunt forma aliorum Sacramentorum, ea intrinsecè componunt: ergo idem dicendum est de hoc Sacramento. Varij pro hac sententia citantur, sed eam expresè non asserunt, sed tantùm in genere formam huius Sacramenti esse ea verba. quod potest intelligi de forma extrinseca.

4 Secunda sententia docet, formam consecrationis per se esse integrum Sacramentum distinctum à Sacramento Eucharistiæ; ad ipsum tamen aliquo modo *Gabriel.* reducibile. Hanc licet dubitando tenet Gabriel in 4. d. 8. art. 3. dub. 2. vbi docet ipsam consecrationem esse Sacramentum distinctum ab Eucharistia: per consecrationem autem non videtur posse aliud intelligere *Caietan.* quàm formam consecrationis. Eidem fauet Caiet. suprà q. 63. a. 6. §. *Aduerte*, &c. vbi videtur totam rationem Sacramenti Eucharistiæ constituere in sola consecratione, cùm tamen alibi apertè contrarium doceat, vt videbimus infrà. quare satis obscurum est quid ibi velit dicere. Ratio huius sententiæ est, quia illa forma est signum rei sacræ sanctificantis, in quo tota ratio Sacramenti videtur consistere.

Tertia sententia docet, solas species intrinsecè con- 5
stituere Sacramentum Ven. Eucharistiæ, prout tamen dicunt aliquem ordinem ad ipsum corpus Christi & sanguinem, quem continent. Ita Scotus in 4. d. 8. q. 1. *Scotus.* §. *Ex hîc patet*, versu, *Si autem omnino quæras*: vbi dicit, species esse materiam huius Sacramenti (ex qua scilicet intrinsecè componitur) eiusdémque formam esse relationem significationis.

Quarta sententia docet, hoc Sacramentum intrinsecè constitui, per solum corpus & sanguinem Christi. Ratio est, quia Patres sæpe vocant hoc Sacramentum corpus & sanguinem Christi.

Quinta sententia docet, ipsam sumptionem huius 6
Sacramenti habere etiam veram rationem Sacramenti. Ratio est, quia est cæremonia causans gratiam. Ita Gabr. in 4. d. 8. art. 3. dub. 2. licèt dubitanter. *Gabriel.*

Sexta sententia docet, hoc Sacramentum intrinsecè constitui ex corpore & sanguine Christi, ac ipsis speciebus. Ita Caiet. infrà q. 75. art. 1. §. *Vnde conueniens*, &c. & alij. *Caiet.*

CONCLVSIO I. Sacramentum Ven. Eucharistiæ 7
intrinsecè consistit in re aliqua permanente.

Patet apertè ex Trident. sess. 13. multis locis, & *Trident.* præcipuè can. 4. & 7. vbi definit, statim à consecratione Christum in hoc Sacramento esse, ideóque ipsum religiosè asseruari, & populo adorandum exhiberi posse. Quæ omnia supponunt hoc Sacramentum perseueranter existere.

CONCLVSIO II. Forma consecrationis non est 8
pars intrinsecè constituens hoc Sacramentum.

Ita cum aliis Scot. in 4. d. 8. in respons. ad 3. Proba- *Scotus.*
tur Primò, quia hoc Sacramentum est res quædam permanens, & perfectè existens etiam tunc quando forma iam diu omnino esse desiit: ergo non potest intrinsecè ex ea cõstitui. quia nihil potest verè esse, quãdo aliquid quod ipsum intrinsecè in suo esse cõstituit, iam omnino esse desiit. Nam esse totius supponit esse singularum partium sibi essentialium. hinc impossibile est equum esse, quando forma ipsius est corrupta.

Dices Primò, Etiamsi forma physicè loquendo non 9
perseueret, poterit tamen moraliter censeri perseuerare, quod sufficit ad esse Sacramenti; sicut in matrimonio consensus vnius censetur etiam in dormiente perseuerare donec reuocetur, ita vt post multos menses sufficienter adhuc sit, vt possit cum alterius consensu componere vnum Sacramentum. Confirm. quia alia Sacramenta verè dicuntur esse, dum vltima syllaba pronuntiatur, etsi tota applicatio materiæ præcesserit, cùm tamen vix aliquid eorum actu existat: ergo similiter Ven. Sacramentum poterit verè dici

esse, quamdiu species durant, etiamsi aliqua eius pars essentialis non sit.

10 Forma consecrationis non existit postquam est pronunciata.

Ad obiectionem Resp. negando formam semel perfectè pronunciatam posse dici moraliter adhuc existere, sicut consensus dicitur perseuerare. quia magna est diuersitas inter tales formas, & eiusmodi actus voluntatis, qui dicuntur ita perseuerare, non secundùm esse suum actuale, sed secundùm esse quasi habituale: quod sufficit ad componendum quid vnum morale cum consensu sequente. Forma autem consecrationis, nullo modo potest dici ità perseuerare: quia nullum habet eiusmodi esse habituale, quo secundùm æstimationem moralem posset dici manere, postquam est tota pronunciata. Quod inde patet, quia qui integrè absoluit formam consecrationis, nullo modo potest dici iam eam pronuntiare: sicut qui consensit in matrimonium alterius, censetur continuò consentire, donec consensum saltem implicitè reuocet. Adde, post consecrationem ipsum Ven. Sacramentum non dici existere secundùm moralem quamdam æstimationem, sed propriè & physicè. Ad confirm. Resp. Primò, propriè & strictè loquendo, negandum esse antecedens. Nam etsi eiusmodi moralis perseuerantia vnius partis Sacramenti possit sufficere, vt cum altera parte vnum Sacramentum componat: non tamen sufficit, vt ipsum Sacramentum in rigore dicatur perfectè existere, dum altera ipsius pars non est. Sicut etsi vltima pars longè orationis dum pronuntiatur, componat vnam orationem cum præcedentibus omnibus partibus: tamen propriè loquendo non potest dici orationem existere, sed aliquam eius partem existere. Ven. autem Sacramentum post consecrationem dicitur propriissimè existere.

11 Verba ratione materiæ sæpe diuersimodè accipiuntur. Aliter dicuntur existere res successiuæ, aliter permanentes.

Resp. Secundò, Etsi res quæ consistunt in continuo fluxu possint lato loquendi modo absolutè dici esse quamdiu aliquid eorum est: secùs tamen est in rebus permanentibus. Ratio diuersitatis est, quia ex cõmuni vsu verba sæpe ratione diuersæ materiæ diuersimodè accipiuntur. Hinc quia res successiuæ non possunt vnquam se totis simul esse, nec in iis distinguitur existere & fieri; dum dicuntur esse, nihil aliud significatur, quàm eas fieri siue fluere, aut saltem secundùm aliquid sibi intrinsecum existere. Secus est de rebus permanentibus, quia cùm hæ possint propriè se totis simul existere, quando absolutè dicuntur existere, id propriè intelligitur, vt scilicet verè actu sint secundùm ea omnia, quæ essentiam earum intrinsecè cõstituunt. hinc equus corrupta forma essentiali non potest verè dici esse, etsi cadauer ipsius adhuc existat.

12 *Florentin.*

Dices Secundò, Florent. enumerans formas Sacramentorum omnium, dicit formam huius Sacramenti esse verba Saluatoris: atqui in reliquis Sacramentis loquitur de formis, quibus Sacramenta intrinsecè constituuntur: ergo etiam in hoc.

Resp. negando conseq. quia Concilium non intendit hîc definire quæstionem Theologicam, & inter DD. adhuc controuersam, Quibus rebus Sacramenta intrinsecè componantur? sed docet catholicam doctrinam, scilicet, Quænam ad confectionem Sacramenti necessariò requirantur? Patet hoc clarè ex verbis ipsius Concilij. Dum enim initio enumerasset septem Sacramenta, paulò pòst subiungit: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, Verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum*, &c. Clarè ostendens se tantùm velle explicare quæ requirantur ad Sacramenti confectionem: non autem quibus partibus Sacramentum intrinsecè componatur: aliàs persona ministri deberet ei etiam esse intrinseca.

13

Secundò, quia Concilium ibidem etiam dicit materiam huius Sacramenti esse panem & vinum; & tamen secundùm omnes inde non sequitur, hoc Sacramentum intrinsecè componi ex pane & vino: ergo idem erit dicendum de forma. Loquitur igitur Concilium, vt suprà dixi, de materia & forma requisitis ad confectionem Sacramenti. Quare cùm omnia alia Sacramenta consistant in actione, eadem est materia, eadémque forma quibus conficiuntur, & quibus componuntur. Secùs autem est in Ven. Eucharistia; quæ cùm sit res permanens, habet materiam & formam, quibus conficitur, siue consecratur, distinctas ab iis quibus intrinsecè constituitur. Dicuntur igitur illæ materia & forma Sacramenti Eucharistiæ, quia sunt materia & forma, non quibus constat, sed quibus conficitur.

Tertiò, quia dum Concilium dicit verba Saluatoris esse formam huius Sacramenti, addit: *quibus hoc conficitur Sacramentum*: ostendens se non loqui de forma, qua ipsum Sacramentum intrinsecè constituitur; quia hæc ab illa necessariò est distincta.

Hinc probatur concluſ. Secundò, quia idem non 14
potest esse causa efficiens alicuius rei, & forma eam intrinsecè constituens (quia aliàs idem esset causa efficiens suiipsius, quod est apertè absurdum.) atqui forma consecrationis (vt docet apertè Florent. iam ci- *Florentin.*
tatum, & communiter etiam DD. ac Patres) est causa efficiens Sacramenti Ven. Eucharistiæ: ergo non potest esse forma eam intrinsecè constituens, siue pars eius essentialis.

Concl. III. Solæ species cum illa habitudine, seu 15
relatione significationis ad corpus Christi præsens non [illegible] sunt integrè constituere hoc Sacramentum. ita S[illegible]rez disp. 42. sect. 3. Vasq. disp. 167. c. 5. & 6. *Suarez. Vasquez.*
[illegible]bat. Primò, quia hoc Sacramentum secun- *Trident.*
dùm se est adorandum vero cultu latriæ, vt docet Trident. sess. 13. c. 5. vbi ait: *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant*: atqui ipsæ species etiam cum illa habitudine consideratæ, prout distinctæ sunt à Christo, non debent adorari latria; quia, vt sæpiùs docet VII. Synodus, hac nec imagines, nec crux Christi, nec res vlla à Deo distincta adorari potest, sed solus Deus: ergo ipsum Sacramentum, quod tali modo adorandum est, non constituitur in esse Sacramenti per solas species, & illam habitudinem. Nec sufficit quòd species sub se Christum contineant; quia inde tantùm sequitur, quòd Christus sub iis existens possit adorari latria. Sicut ex eo quòd Christus sit in ciborio, non sequitur ipsum ciborium posse adorari latria; sed Christum in eo existentem debere ita adorari.

Probatur Secundò, quia hoc Sacramentum est ve- 16
rum conuiuium, & per modum refectionis causat in nobis gratiam, vt patet Ioann. 6. atqui hoc non pos- *Ioan. 6.*
sunt facere species, nisi quatenus includunt corpus Christi; quia Scriptura omnem hunc effectum totaliter tribuit corpori & sanguini Christi: ergo non constituunt hoc Sacramentum, nisi quatenus illud includunt.

Probatur Tertiò, quia, vt patet ex dictis concl. 2. hoc Sacramentum conficitur per verba consecrationis, & ex pane tamquam ex materia: atqui neutrum conuenit solis speciebus: ergo solæ species non constituunt hoc Sacramentum.

Dices, Species quidẽ secundùm se ita non cõfici, sed 17
solũ ratione illius habitudinis ad præsentiam Christi.

Sed contrà Primò, Illa habitudo, cùm etiam secundùm Scotum sit quædam relatio, non potest propriè *Scotus.*
dici confici, cùm ad relationes non detur actio, sed ipsa resultat posita præsentia Christi, per consecrationem. Quod maximè verum est secundùm mentem Florentini & Patrum, qui dum dicunt hoc Sacramen- *Florent.*
tũ confici consecratione, loquuntur de reali cõfectione, qualis non datur ad ens rationis aut moràle, qualis

est illa habitudo. Secundò, quia tunc saltem panis nullo modo posset dici materia, ex qua hoc Sacramentum conficitur, quia nec species, nec illa habitudo possunt vllo modo dici confici ex pane: & tamen *panis* non potest alia ratione dici materia huius Sacramenti, nisi quia est materia ex qua conficitur.

18 Obiicies, Communiter DD. & aliqui etiam Patres dicunt species esse Sacramentum solum, corpus verò Christi Sacramentum & rem simul. Item dicunt Christum esse in hoc Sacramento: ergo distinguunt Sacramentum à corpore Christi. hinc etiam cap. *Ego Berengarius*, &c. de consecr. d. 2. dicitur, *Panem & Vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse*: vbi apertè hæc inter se distinguuntur.

Resp. illos accipere Sacramentum incompletè, & latiore modo, prout significat solum externum signum rei sacræ, distinctum à re significata: & sic apertissimè accipitur illo c. *Ego Berengarius*. Nam hic ibi intendit damnare errorem cuius accusabatur: quia antè docuerat post consecrationem non esse ibi corpus Christi, sed solum eius signum. Et hac etiam ratione potest dici Christum esse in hoc Sacramento: accipiendo scilicet Sacramentum pro nudo visibili signo. Quamquam alio etiam sensu posset dici esse in hoc Sacramento, sicut pars in toto: sicut anima dicitur esse in homine.

Quomodo Christus sit in hoc Sacramento.

19 Conclvsio IV. Corpus & sanguis Christi sine speciebus non possunt integrè constituere hoc Sacramentum. Prob. quia omne Sacramentum essentialiter est signum visibile siue sensibus perceptibile: corpus autem & sanguis Christi, vt sunt in hoc Sacramento, secundùm se nullo modo possunt sensibus percipi: ergo non possunt esse signum visibile, aut habere integram rationem Sacramenti.

Integrum Sacramentum non potest esse visibile per aliud.

Dices, sufficere, vt sint ibi sensibilia ratione specierum. Resp negando assumptum; quia etsi sufficiat quòd aliquid sit sensibile per aliud, vt possit esse pars Sacramenti (vt patet in contritione confitentis) tamen hoc non sufficit, vt constituat integrum Sacramentum; quia integrum Sacramentum essentialiter, & per se est signum sensibile.

20 Conclvsio V. Species panis & vini, vnà cum corpore & sanguine Christi constituunt ac integrè componunt Sacramentum Ven. Eucharistiæ. Ita cum Caiet. citato pro 6. sententia maior pars Doctorum. Probatur Primò, ex refutatione aliarum sententiarum. Probatur Secundò, quia hæc simul sumpta cõstituunt vnum perfectum signum causatiuum gratiæ: ergo vnum Sacramentum; quia hoc nihil est aliud quàm signum practicum gratiæ. Antecedens probatur, quia illa significãt perfectè refectionẽ spiritualem animæ, & vnionem cum Christo per gratiã, & realem ipsius corporis susceptionem. Quòd autem hæc significent per modum vnius, patet, quia pendẽt à se mutuò, & in essendo, & in significando. Nam nec species ibi ita à Deo conseruarentur, nec possent significare supradicta, nisi continerent corpus Christi: nec hoc ibi hoc modo potest perseuerare esse, aut habere rationem signi sensibilis, statim ac species corrumpuntur.

Caietan.

21 Nota, etsi hoc Sacramentum intrinsecè non componatur ex pane & vino, & forma consecrationis, essentialiter tamen ad hæc dicere quemdam ordinem, tanquam ad suas causas. Nam species non possent significare Christum ibi esse verè præsentem, nisi ad hoc determinarentur per formam consecrationis, & quãdam habitudinem ad eam iam pronuntiatam. Sechuso enim omni respectu ad talem formam, hostiæ consecratæ non magis significant Christum ibi esse præsentem, quàm non consecratæ; hinc per se non possumus vnas ab aliis distinguere, sed solùm quatenus scimus super vnas prolatam esse formam, super alias non. Similiter non possent significare eum ibi esse per modum cibi, siue refectionis spiritualis, nisi essent species pani & vini, quibus in refectione cõmuniter vtimur. Hinc si Deus sine vlla sensibili consecratione poneret corpus Christi sub specie panis, aut etiam per consecrationem sub speciebus alicuius rei nec comestibilis, nec potabilis; hoc compositum non haberet rationem veri Sacramenti, aut saltem non nisi imperfectam, aut alterius rationis ab iis quæ iam sunt. Quia aut non esset propriè sensibile signum inuisibilis effectus gratiæ: aut saltem non esset signum gratiæ per modum cibi ipsam animam reficientis.

Sine iis nequit habere rationem Sacramẽti.

Dicta tamen habitudo non est pars essentialis & intrinseca ipsius Sacramenti, sed aliquid ad ipsius constitutionem prærequisitum. Sicut institutio, aut habitudo ad eam, non est pars intrinsecè componens orationem, etsi hæc, vt possit aliquid significare, essentialiter ab ea dependeat. Nec enim quidquam significaret, nisi ad hoc esset instituta: nec potest quidquam significare iis, qui nesciunt ad quid significandum sit instituta; multa enim sæpe ad essentiam alicuius rei requiruntur, quæ non sunt illius pars: patet in vnione animæ & corporis, quæ est de essentia hominis, non tamen eius pars. 22

Non quidquid est de alicuius essentia, est pars.

Obiicies Primò, Species nullo modo immediatè cum corpore Christi concurrunt ad causandam gratiam: ergo nec ad constituendum Sacramentum. Secundò, In sacrificio cruento solus Christus est hostia, non minùs quam in incruento: ergo solus habet rationem Sacramenti. Tertiò, Si Species & corpus Christi constituant vnum Sacramentum: ergo vnum se habebit per modum materiæ, alterum per modum formæ, atqui hoc dici nequit: ergo nec illud. 23

Ad Primum, nego antecedens. Quia corpus Christi non causat gratiam in sumentibus hoc Sacramentum ratione sui contactus, physicè per eum in nos influendo, ac gratiam producendo (vt aliqui putant) sed actione morali, & mediante debita applicatione ipsius Sacramenti. Sicut igitur non nisi vnà cum speciebus constituit Sacramentum: ita nec aliter causat gratiam: quamuis præcipua vis & ratio causandi sit ipsum corpus & sanguis Christi. hinc si corpus Christi miraculosè poneretur sub speciebus particulæ carnis, & quis id sciens tamquam Sacramentum eam sumeret, nullam ex opere operato, quantũ est ex vi præsentis institutionis Christi, inde gratiam perciperet. 24

Species cõcurrunt ad causandam gratiam.

Ad Secundum, nego conseq. Quia hostia intrinsecè dicit solam rem oblatam, connotando tamen quædam, per quæ constituitur in ratione hostiæ; qualia sunt in sacrificio cruento ipsa occisio hostiæ; in incruento certus modus existendi sub speciebus panis & vini: ita vt quantum est ex vi verborum, separatim existat sanguis à corpore, vt dicemus in materia de sacrificio. Sacramentum autem directè significat aliquod signum visibile, quale non potest esse corpus Christi in Sacramento sine speciebus. 25

Species non sunt pars Sõstiæ.

Ad Tertium Respond. species se habere per modum materiæ, & corpus Christi per modum formæ. Primò, quia hoc est dignius. Secundò, quia species ab hoc habent omnem suam dignitatem, & vim agendi, sicut materia à forma.

Corpus & sanguis Christi sunt forma huius Sacramenti.

Conclvsio VI. Ipsa consecratio, siue eius forma non potest secundùm se esse verum Sacramentum. 26

Gabriel.

Est communis sententia contra Gabrielem, minùs tamen efficaciter à quibusdam probatur. Ratio igitur est, quia forma illa non est signum practicum gratiæ iustificantis, siue institutum, vt homines suo vsu sanctificet, quod tamen est de essentia Sacramenti, vt patet ex dictis q. 60. art. 4. sed tantùm est instituta ad consecrandam ipsam materiam, conuertendo eam in corpus Christi.

Quare forma consecrationis non sit Sacramentum.

Nec suspicio est Sacramentum.

CONCLVSIO VII. Idem dicendum est de sumptione Vener. Sacramenti. Quia hæc per se non sanctificat nos; sed tantùm est applicatio rei sanctificantis: sicut sumptio cibi nos non nutrit, sed est tantùm applicatio rei nutrientis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hoc Sacramentum sit vnum vel plura?

27 ARTICVLO II. docet, etsi hoc Sacramentum physicè loquendo possit quadam ratione dici plura, quatenus species panis & vini, prout sub singulis continetur Christus, sunt aliquo modo diuersa signa practica gratiæ, atque ea ratione quandoque etiam soleant dici Sacramenta in plurali: tamen absolutè loquendo in ratione Sacramenti, esse vnum. quia vtrumque signum concurrit, vt significet vnum perfectum conuiuium, quod cibo & potu constat. Sicut igitur conuiuium constat quidem diuersis rebus & ferculis, ideóque potest dici physicè plura; moraliter tamen & in ratione conuiuij est simpliciter vnum: ita etiam Vener. Sacramentum, est simpliciter vnum sub vtraque specie.

Hoc Sacramentum potest dici physicè plura, moraliter vnū.

28 Dices, Hinc sequetur eum, qui communicat sub vna specie, non suscipere integrum Sacramentum.

Sub vna specie sumitur integrum Sacramentū.

Resp. posse aliqua ratione totum admitti, meliùs tamen negari sequelam. Quia etsi hoc Sacramentum sub vna specie, quoad perfectam rationem significandi integrum conuiuium, non sit omnino integrum & perfectum, atque ita secundùm quid possit dici partiale; tamen quod ad rem attinet, tam continet integrum conuiuium sub vna specie, quàm sub duabus. Nam corpus & sanguis Christi, & consequenter spiritualis animæ cibus & potus, æqualiter omnino sub vna specie, ac sub duabus continentur, & à suscipiente sumuntur.

29 Petes, Vtrùm hoc Sacramentum in pluribus hostiis sit vnum numero, an plura?

Scotus.

Resp. Primò, sequendo sententiam Scoti a. 1. citatam, quæ dicit solas species cum habitudine ad præsentiam Christi constituere hoc Sacramentum, dicendum esse plura numero Sacramenta. quia sunt plures eiusmodi species.

Plures hostiæ sunt vnum numero Sacramẽtum.

Resp. Secundò, sequendo nostram sententiam, quam ibidem concl. 5. explicuimus, etsi hoc Sacramentum in pluribus hostiis possit dici plura secundùm quid, (quia aliquæ partes eius essentiales multiplicantur) tamen meliùs dici absolutè vnum: quia id quod in eo præcipuum est, absolutè vnum idémque est, scilicet corpus & sanguis Christi, sicut vnus homo sæpius replicatus, & habens diuersis locis diuersas albedines, est absolutè vnum album. Quod maximè verum est posita illa sententia quam secuti sumus suprà q. 60. a. 1. n. 5. quæ docet rationem Sacramenti in nouo Testamento magis consistere in causando, quàm in ratione signi. hoc enim Sacramentum habet ferè omnem vim causandi à corpore Christi. quare quamdiu hoc manet vnum idémque, etiam ipsum Sacramentum manet vnum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Eucharistia sit de necessitate salutis?

30 ARTIC. III. docet Primò, rem siue effectum huius Sacramenti, scilicet vnionem per gratiam cum Christo & Ecclesia, esse de necessitate salutis. quod per se omnino clarum est. Nemo enim potest vnquam saluari, qui non sit in caritate, vt docet Apostolus 1. ad Corin. 13. & fusè S. Ioan. epist. 1. c. 3. & 4.

1. Cor. 13. 1. Ioan. 3. & 4.

Docet Secundò, rem siue effectum huius Sacramenti posse haberi sine Sacramento realiter suscepto, 31 ideóque realem susceptionem huius Sacramenti non esse de necessitate salutis. quod intellige de necessitate medij. Nam infrà qu. 80. ar. 11. docet nos præcepto diuino obligari, vt suo tempore realiter hoc Sacramentum suscipiamus.

Docet Tertiò, non quidem omnino expressè, sed implicitè, tum in corpore, tum in responsione ad secundum, esse de necessitate salutis, percipere hoc Sacramentum in voto. Sed hoc non intelligit de voto siue desiderio propriè dicto, etiam implicito: sed per votum Sacramenti intelligit quamuis etiam habitualem inclinationem ad susceptionem huius Sacramenti, vel actum quo talem inclinationem acquirimus. Vnde in corpore, & ad primum docet, omnes etiam paruulos hoc Sacramentum spiritualiter, & in voto sumere, hoc ipso quo per baptismum, aut alia ratione Christo per gratiæ siue caritatis infusionem incorporantur. Primò, quia tales percipiunt effectum huius Sacramenti, & ad Sacramenti susceptionem ordinantur & aptantur. Secundò, quia caritas nos habitualiter inclinat ad perfectissimam cum Christo vnionem, & consequenter ad perceptionem huius Sacramenti, cuius effectus est nos perfectè cum Christo vnire. 32

Quomodo hoc Sacramentum dicatur necessarium in voto.

DVBIVM.

Vtrùm sumptio Ven. Sacramenti vel in re, vel in voto, sit medium necessarium ad salutem?

NOta Primò, nos hìc non agere de necessitate præcepti, de qua agemus q. 80. art. 11. sed de necessitate medij. Quamquam autem communiter DD. fateantur, realem susceptionem huius Sacramenti, non esse medium necessarium ad salutem: multi tamen secuti D. Thom. hic & q. 79. a. 1. ad 2. putant neminem posse adipisci salutem sine voto huius Sacramenti. Sed latè & impropriè sumunt votum, iuxta explicationem datam in corpore. 33

D. Thom.

Similiter multi Patres & præcipuè D. Aug. l. 1. contra duas epist. Pelagian. c. 22. & alibi sæpe, dicunt, neminem etiam paruulum posse saluari, nisi fuerit particeps corporis & sanguinis Christi, siue, nisi hæc manducauerit: propter illud Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sed hi Patres loquuntur de manducatione mystica. Nam dicunt eos omnes manducare Christum qui ei per infusionem gratiæ incorporantur. hinc D. Aug. tract. 26. in Ioan. ait: *Hunc itaque cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum, quod est Ecclesia.* Et infrà, *Hoc est ergo manducare illam escam & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere.* Sed de hac re hìc non disputamus, sed quærimus qua ratione votum siue desiderium huius Sacramenti propriè dictum sit de necessitate medij ad salutem? 34

D. Aug.

Ioan. 6.

D. Aug.

Nota secundò, hoc Sacramentum, eiúsue votum ex duplici capite posse dici medium necessarium ad salutem. scilicet vel quia sine eo non potest obtineri prima iustificatio: vel quia sine eo non possumus in gratia perseuerare. 35

Nota Tertiò, tale votum posse dupliciter dici necessarium ad iustificationem. Primò, per se, quia scilicet ipsa realis susceptio Sacramenti, est necessarium medium ad iustificationem ea ratione qua qu. 68. a. 2. dub. 1. concl. 3. dixi baptismum esse medium necessa-

rium ad iustificationem. Secundò, per accidens, quia scilicet realis Sacramenti perceptio est necessaria necessitate præcepti. Sicut adulto, vt iustificetur, est necessarium saltem implicitum propositum audiendi Sacrum, quoties ad hoc sub peccato mortali obligabitur.

36 CONCLVSIO I. Susceptio huius Sacramenti nec in re, nec in voto propriè sumpto est parvulis necessaria ad salutem. ita Suarez hîc dispu. 40. sect. 2. Suarez. concluſ. 2.

Trident. Prior pars est definita à Trident. sess. 21. can. 1. his verbis: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis perveneriut, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Ratio est, quia certum est eos per baptismum iustificari, nec posse ante vsum rationis gratiam vlla ratione amittere: quia non possunt peccare. Quare si ante vsum rationis moriantur, necessariò eunt ad cælum. Necobstat illud Ioan. 6. *Nisi manducaueritis,* &c. quia non spectat ad parvulos, vt ostendam concl. 5. in fine. Secunda pars probatur. quia sunt omnino incapaces talis voti. Ioan. 6.

37 CONCLVSIO II. Realis huius Sacramenti perceptio non est adultis medium necessarium ad iustificationem.

D. Thom. Videtur hæc satis clara sententia D. Thomæ hîc. Et prob. quia ipsa non est medium institutum ad iustificationem, siue remissionem peccati mortalis: ergo non potest ad hoc esse medium necessarium quia esse medium necessarium supponit esse medium ad hoc institutum. Antecedens prob. quia medium debet præcedere id ad quod acquirendum instituitur: vt patet in omnibus aliis mediis, quæ in executione semper præcedunt finem saltem natura: arqui sumptio Ven. Euch. vt licitè fiat, necessariò supponit remissionem peccati mortalis iam esse factam; ergo ad eam acquirendam non est instituta.

38 CONCL. III. Votum huius Sacramenti pròpriè dictum etiam implicitum, non est per se, siue primo modo ex dictis notabili tertio, mediũ necessarium ad Suarez. iustificationẽ adulti. ita Suar. disp. 40. sect. 1. concl. 2.

Probatur Primò, quia numquam Sacramenti votum est tali modo necessarium medium ad iustificationem, nisi eiusdem realis susceptio sit medium institutum ad iustificationem acquirendam: atqui huius Sacramenti susceptio non est ad hoc ita instituta: ergo eius votum non est ad hoc medium necessarium. Probatur Secundò, quia si tale votum Venerab. Sacramenti esset medium necessarium ad iustificationem, numquam sine eo posset obtineri iustificatio: atqui hoc est falsum: ergo etiam id vnde sequitur.

Minor probatur, quia si quis esset certus se eodem die moriturum, & post sumptum viaticum peccaret mortaliter, per contritionem vel attritus per confessionem iustificaretur, etsi haberet expressam voluntatem numquam ampliùs communicandi. quo casu nullo modo potest dici habere propriè votum communicandi, ne quidem implicitum. quia hoc, secluſa saltem ignorantia, non potest cum tali voluntate consistere; nec tale votum in attritione aut contritione includitur, nisi quando quis obligatur ad communionem, ad quam talis non ampliùs obligatur: imò est ei iam illicita, ideóque potest eam nolle.

39 Dices Primò, Conscius sibi peccati mortalis, qui scit certò se statim moriturum, & impossibile sibi esse confiteri, vt per contritionem iustificetur, nó tenetur habere explicitum votum siue propositum confitendi; imò est ei impossibile habere absolutum tale propositum (quia hoc non datur ad impossibile cognitum tale) imò si ex conscientia erronea putaret sib hîc & nunc esse illicitum confiteri, quia non adesset ei alius sacerdos quàm hæreticus, posset velle non confiteri, & tamen eius contritio includeret implicitum votum confessionis: ergo etiam includet implicitum votum communionis, etsi hæc sit ei impossibilis, aut illicita.

Resp. negando conseq. Quia, vt dixi q. 68. a. 2. dub. 1. concl. 3. confessio est aliquo modo medium necessarium ad iustificationem peccatoris baptizati, quatenus huius peccatum mortale iam nequit remitti, nisi cum directa obligatione ad confessionem, in quam contritus directè consentit saltem implicitè: sicut emens rem aliquam necessariò consentit in obligationem soluendi pretium. Quare etsi in casu posito in argumento, talis excusetur hîc & nunc à satisfaciendo obligationi confessionis, imò possit habere voluntatem non satisfaciendi; tamen eam contrahit, & implicitè in eam consentit: & consequenter habet implicitum votum confitendi, si esset possibile. Quod vel inde patet: quia illa contritio eum necessariò inclinaret, vt actu vellet cõfiteri, si hîc & nunc id apprehenderet vt moraliter possibile. Secùs est in casu consequentis: quia talis non modò excusatur à communione, sed ad eam nullam omnino habet præsentem obligationem. Vnde etsi posset hîc & nunc licitè & commodè communicare, ad hoc tamen non teneretur: vt posset accidere in eo qui pridie sumpsisset viaticum, & postea peccasset mortaliter, ac postride iam iam certò moriturus confiteretur: qui posset communicare, non tamen teneretur. Secùs est de confessione. 40 Quare contritio peccatoris potiùs includat votum cõfessionis quàm communionis.

Dices Secundò, Saltem talis obligabitur ad communionem sub conditione si viuat adhuc per annum: ergo eius contritio continebit implicitum votum communicandi sub conditione si viuat. 41

Resp. negando anteced. quia talis obligatio non est præsens, sed futura sub conditione si viuat: sicut ante emptionem nulla in me est obligatio soluendi pretium rei emptæ vel emendæ; sed tantùm est futura sub conditione, si emam.

CONCLVSIO IV. Communiter propositum suo tempore communicandi saltem implicitum, per accidens ratione præcepti positiui communionis, est necessarium ad iustificationem adulti. Quia ad illam necessarium est propositum seruandi omnia præcepta. Communicare autem adulti dum iustificantur obligantur præcepto communionis: vel quia diu adhuc victuri sunt; vel quia statim morituri per confessionem iustificantur ante sumptionem viatici; & consequenter tenentur hoc sumere. 42

Dices, Sæpe homines non tenentur communicare dum iustificantur; vt quando confitentur diu ante tempus paschale: ergo tunc eorum contritio non continet votum communicandi. 43

Resp. negando conseq. quia etsi non sit in iis obligatio tunc communicandi, est tamen obligatio communicandi eo tempore quo communio præcipitur. quia præceptum communicandi iam latum est, & de facto nos astringit, vt per totam vitam in paschate & in articulo mortis communicemus, cui præcepto nondum satisfecimus. Sic qui emit equum 20. aureis solvendis post vnum annum, statim inito contractu cõtrahit actu obligationem illos post annum soluendi, etsi non teneatur eos priùs soluere. Secùs est de mox morituro, qui à peccato mortali commissò post sumptum viaticum iustificatur quia iam omnibus eiusmodi præceptis plenè satisfecit, atque ita iis ampliùs non obligatur: obligandus tamen esset si diutiùs viueret. Sicut si ex venditione reditus vitalitij deberem Petro per totam vitam eius soluere in paschate 10. aureos, toto anno essem ei obligatus ad soluendum eos pro proximo paschate, quamdiu ipse esset ad illud paschа victurus: quando tamen iam ei in vltimo paschate mox morituro satisfeciſſem, nulla ratione ei ampliùs obligarer, quia simpliciter omni obligationi per illam emptionem contractæ satisfeciſſem, essem tamen vlteriùs obligandus, si diutiùs esset victurus. Obligatio præcepti nobis ioesit ante tempus, quo tenemur id implere.

CON-

44 CONCLVSIO V. Realis Ven. Eucharistiæ susceptio non est adultis necessaria necessitate medij ad obtinendam vitam æternam. Suarez disp. 40. sect. 2. concl. 3.

Suarez.

Probatur, quia possumus quandoque iustificari sine ea aut sine vllo ordine ad eam, aut eius voto; vt patet ex dictis: & hoc modo moriendo vitam æternam obtinere: atqui vita æterna non potest obtineri sine eo, eiusue voto, quod est medium necessarium ad eam obtinendam: ergo communio non est medium necessarium ad vitam æternam obtinendam.

45 Dices, Tales tunc obtinent remissionem peccati, & vitam æternam virtute communionis quæ præcessit. Sed contrà Primò, nunquam Sacramentum aliquod habet aliquam vim ad remittenda peccata post ipsius susceptionem commissa: vt pluribus ostendi q. 62. a. 1. dub. 6. Quare talis hominis iustificatio totaliter post Deum & merita Christi, tribuenda est ipsius contritioni, vel confessioni. Posita autem iustificatione, & subsequente statim morte, antequam nouum peccatum mortale committatur, necessariò sequitur æterna vita. Secundò, quia fieri potest, vt quis adultus ritè dispositus baptizetur paulò antè mortem certò ei imminentem, certò sciens sibi impossibile esse vnquam communicare, & consequenter sine vllo voto huius Sacramenti: qui si post baptismum non peccet, certò ibit ad cælum, cùm tamen nunquam communicarit, nec habuerit votum communionis.

46 Dices, Sicut Ioan. 3. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei:* ita Ioan. 6. dicitur: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* atqui ex illo loco intelligimus baptismum esse medium necessarium ad salutem: ergo idem ex hoc loco intelligemus de Ven. Eucharistia.

Ioan. 3. Ioan. 6.

Differentia inter necessitatē communionis & baptismi.

Resp. neg. conseq. Est enim inter hæc magna differentia. Nam ex primo loco apertè colligimus baptismum esse spiritualem regenerationem, qua ex filiis iræ fimus filij Dei. Vnde sequitur, eum esse institutum vt medium ordinarium, & aliquo modo necessarium ad primam omnino hominis iustificationem, siue spiritualem generationem, quæ sine illo aut ipsius voto, & directa ad ipsum suscipiendum obligatione haberi nequit, vt ostendi q. 68. a. 2. dub. 1. Sine tali autem regeneratione nemo potest saluari.

47 Ex Secundo autem loco non possumus certè colligere, Ven. Eucharistiam esse institutam, vt medium necessarium ad aliquem effectum obtinendum, qui absolutè ad salutem necessarius sit. Nam ibi tantùm dicitur: *Nisi manducaueritis, &c. non habebitis vitam in vobis.* quod non potest intelligi de prima acceptione vitæ per remissionem peccati. quia satis ostendi suprà, & etiam per se patet, Ven. Eucharistiam non esse institutam ad remittendum peccatum mortale, cùm sit Sacramentum viuorum, eiusque susceptio supponat vitam; sicut sumptio cibi corporalis supponit vitam corporalem, ideóque non potest primò hanc causare. Quare hoc ita intelligendum est, quòd sine illa manducatione non possumus habere in nobis vitam perseueranter: vel quia peccabimus contra præceptum diuinum, quo præcipitur nobis illa manducatio, si eam ex negligentia diu omittamus: vel quia, vt diu perseueremus in gratia, necessaria nobis sunt singularia Dei auxilia, vt docet Trident. sess. 6. can. 22. ad quæ obtinenda Deus hoc Sacramentum instituit, vt dicam concl. 6. Quæ tamen auxilia non sunt ita necessaria, vt quis breui tempore in gratia perseueret; præsertim quando nulla adest grauis tentatio: aut si sint necessaria, per orationem aut alia ratione obtineri possunt; præsertim quando communio haberi nequit, aut ad eam non obligamur: vt contingit in casibus suprà enumeratis. Et clarissimum est in iis, qui attriti postquam perierunt baptismum aut confessionem, incidunt in amentiam; & accepto baptismo vel absolutione amentes moriuntur. Quia cùm hi peccare non possint, nullis indigent auxiliis, vt gratiam conseruent.

Trident.

Ex quibus patet Primò, nullum dari effectum ad 48
salutem absolutè necessarium, qui sine hoc Sacramento obtineri non possit, aut qui ipsi omnino sit proprius: & consequenter sequitur, illud non posse esse medium necessarium ad salutem. Quod autem aliqui dicunt, proprium huius Sacramenti effectum esse, quòd Deus procuret, vt prædestinati moriantur post acceptam gratiam antequam rursum peccent, sine fundamento dicitur: & patet esse falsum in iis qui post baptismum moriuntur, antequam hoc Sacramentum susceperint.

Patet Secundò, illo loco Ioan. indicari communionem esse necessariam necessitate præcepti, & aliquo modo esse medium necessarium ad perseuerantiam in gratia, vt statim ostendam.

Patet Tertiò, vtrumque dictum Christi, scilicet, 49
Nisi quis renatus fuerit, &c. &, *Nisi manducaueritis*, &c. non esse æquè generale. Nam primum pertinet absolutè ad omnes homines qui fuerint tempore legis gratiæ: secundum autem nullo modo pertinet ad eos qui numquam vsi sunt ratione. Probatur Primò, quia vt videamus quibus aliqua obligatio imponitur, non solùm spectanda sunt verba quibus ea obligatio significatur, sed præcipuè attendenda est conditio illius obligationis & personarum. Nam si lex generatim clanda. præcipiat, vt omnes ciues agant excubias, certum est non comprehendi pueros, vel feminas. Cùm igitur baptismus sit spiritualis regeneratio; sicut omnibus necessarium est spiritualiter renasci, ita baptismus generatim ad omnes pertinet. Contrà, cùm Ven. Sacramentum sit institutum per modum cibi ad restaurandas vires quas per concupiscentiam perdidimus, illis solis necessaria est communio, qui per concupiscentiam possunt vires & vitam animæ perdere: sicut cibus corporalis iis solis necessarius est, in quibus calor naturalis vires naturales paulatim consumit, nisi per cibum restaurentur. Cùm igitur perpetuò amentes non possint per concupiscentiam vires, aut vitam animæ perdere; ad eos nec necessitas, nec præceptum communionis spectat. Quia tamen vitâ spiritualis potest in iis augeri, cibi spiritualis, siue communionis capaces sunt. Probat. Secundò, ex verbis, quibus vtraque obligatio indicatur. Quia quando significatur necessitas baptismi, verba non diriguntur ad certas aliquas personas, nec aliquis actus præcipitur, sed absolutè dicitur: *Nisi quis fuerit*, &c. Quando vero significatur necessitas communionis, dicitur: *Nisi manducaueritis*, &c. quæ verba certum actum præcipiunt, & ad audientes & intelligentes dirigiuntur. quare ad eos solos spectant, qui ea audire & intelligere possunt, & huiusmodi actum humano modo agere. quales non sunt ij, qui nunquam vsi sunt ratione, & consequenter ad hos non spectant.

Vis obligationis non solùm ex verbis, sed etiā ex materia spectanda.

Cur baptismus sit potiùs omnibus necessarius quàm cōmunio.

Quibus cōmunio sit necessaria, & quibus non.

CONCL. VI. Supposita huius Sacramenti in- 50
stitutione, etiam secluso omni positiuo præcepto, ejus vsus diu victuris non modò valdè vtilis est, sed etiam medium communiter quasi moraliter necessarium, vt longo tempore omnia peccata mortalia vitent: non est tamen absolutè medium necessarium, vt salutem consequantur.

Communio aliquibus est medium necessarium ad vitanda peccata.

Prior pars probatur, quia certum est ex Trident. sess. 6. can. 22. nos sine singularibus Dei auxiliis non posse diu in statu gratiæ perseuerare: & quamuis hæc per orationem, aliósque varios modos possint comparari; tamen ad hoc vsus huius Sacramenti est efficacissimus, & à Deo singulariter institutus. Quare iis qui eum negligunt, Deus meritò ea auxilia subtrahit,

Trident.

sine quibus difficillimè possunt peccata mortalia vitare. Confirm. Primò, quia hoc Sacramentum est institutum vt præcipuus cibus & quasi panis animæ nostræ: vnde sequitur esse aliquo modo medium necessarium ad eius vitam conseruandam; sicut panis ad conseruandam vitam corporalem, sine quo quidem absolutè conseruari potest, sed difficulter. Ipsa enim
Ioan. 6. diuina institutio huius Sacramenti, quæ nobis Ioan. 6. fusè promittitur ac explicatur, vbi hoc Sacramentum sæpe dicitur panis viuus, & panis de cælo descendens pro sæculi vita; videtur omnino similem aliquam inter vtrumque hunc panem ponere analogiam: hac tamen differentia, quòd quando vsus huius Sacramenti est impossibilis, eius votum eum aliquo
D. Thom. modo suppleat, vt docet D. Thom. hîc ad 2. quod in pane corporali fieri nequit.

Confirm. Secundò, quia secundùm planum & maximè obuium sensum omnino eiusmodi aliquam necessitatem innuit illud Ioan. 6. *Nisi manducaueritis*
Ioan. 6. *carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: scilicet permanentem ac diu perseuerantem. Vbi omnino videtur significari, communionem esse medium aliquo modo necessarium, vt perseueremus in vita spirituali.

51 Secunda pars est D. Thomæ hîc in corpore, & ad
D. Thom. 2. & probatur Primò, quia aliàs non possent saluari, quibus communio est toto tempore vitæ impossibilis, vt multis contingit, qui inter barbaros captiui sunt. Secundò, quia etsi sponte negligentibus communionem sit valdè difficile diu omnia peccata mortalia vitare, etiam secluſa transgressione præcepti, ideóque sæpe cadant: tamen possunt iterum per pœnitentiam resurgere, & sic tandem saluari etiam sine communione: præsertim si iis in fine vitæ sit impossibilis. Quia Deus numquam hominem, quamdiu viuit & ratione vtitur, ita gratia sua destituit, vt resurgere per pœnitentiam nequeat. quod clarissimum est, quando quis moriturus habet confessarium cui possit confiteri. quia tunc facilè per attritionem saluatur.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm hoc Sacramentum conuenienter pluribus nominibus nominetur?

52 ARTIC. IV. docet, huic Sacramento conuenienter diuersa tribui nomina, vt eius excellentia & proprietates faciliùs explicentur.

Primò enim quia est cibus animæ nostræ dicitur
Ioan. 6. *panis viuus de cælo descendens*, Ioan. 6.

Secundò, dicitur *synaxis* siue communio: quia significat vnionem omnium fidelium cum Christo & inter se, ratione materiæ, quæ ex multis granis tritici inter se vnitis, & vnam massam constituentibus componitur: sicut fideles cum Christo capite vnum corpus mysticum constituunt. Quam etiam vnionem hoc Sacramentum inter alia omnia præcipuè causat, & auget.

Tertiò, quando datur morituris, dicitur *viaticum*, quia vires & sumptus ad alteram vitam transituris suppeditat.

Quartò, dicitur etiam *hostia*, quia est id quod per sacrificium incruentum Deo offertur.

Quintò, dicitur *Eucharistia*, quod secundùm D. Thomam idem est quod *bona gratia*, quia scilicet D. Thom.
continet pignus vitæ æternæ, quæ gratia Dei obtinetur. Vel melius *Eucharistia*, id est, *gratiarum actio*, quia in gratiarum actionem Deo offertur in sacrificio Missæ.

Sexrò, singulariter dicitur *mysterium* & *Sacramentum*: quia inter omnia Sacramenta rem maximè arcanam maximúnque mysterium continet.

ARTICVLVS V.

Vtrùm institutio huius Sacramenti fuerit conueniens?

53 ARTICVLO V. docet, hoc Sacramentum conuenienter fuisse institutum à Christo in vltima cœna pridie antequam pateretur. Res non habet difficultatem sub his terminis proposita. Est tamen aliqua difficultas, Vtrùm hoc Sacramentum fuerit institutum 13. an. 14. die mensis. Sed de hoc agemus commodiùs qu. sequente art. 4.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm agnus paschalis fuerit præcipua figura huius Sacramenti?

54 ARTIC. VI. docet, in veteri lege varias huius Sacramenti figuras fuisse.

Primò enim ratione materiæ, ex qua hoc Sacramentum conficitur, optimè ipsum repræsentabant panis & vinum, quæ Melchisedec obtulit Gen. 14. Si- Gen. 14.
cut etiam panes propositionis, qui coram Domino sabbato ponebantur, iisque soli filij Aaron vescebantur, vt habetur Exodi 29. v. 33. & Leuit. 24. vers. 8. & Exod. 29. Leuit. 24.
Matth. 12. v. 4. per quos significatur regale sacerdo- Matth. 12.
rium Christianorum, quibus solis licet de hac mensa, siue altari edere, vt docet Apostolus ad Heb. 13. v. 10. Hebr. 13.

Secundò, ratione rei contentæ, scilicet Christi immolati, repræsentabatur per omnia vetera sacrificia.

Tertiò, ratione effectus ipsius, qui est nutritio ipsius animæ, quam cælesti dulcedine implet ac reficit, significabatur per manna, quod de cælo descendens habebat in se omnis saporis suauitatem: vt dicitur Sap. 16. v. 20. Sap. 16.

Quartò, secundùm omnia dicta repræsentatum 55
fuisse per agnum paschalem, qui ratione azymi panis cum quo edebatur, significabat eius materiam. Et quatenus erat agnus immolatus, optimè significabat innocentissimam hostiam, scilicet Christum in hoc Sacramento contentum & immolatum. Tertiò, quatenus eius sanguis aspersus postibus domus liberabat habitatores à deuastante angelo, & erat signum eductionis eorum ex Ægypto, repræsentabat effectum huius Sacramenti, quo præseruamur à tentationibus, & in libertatem filiorum Dei asserimur. Vnde infertur, hunc agnum fuisse præcipuam figuram huius Sacramenti.

QVÆ-

QVÆSTIO LXXIV.

DE MATERIA EVCHARISTIÆ.

ARTICVLVS I.

Vtrùm materia huius Sacramenti ſit panis & vinum?

1 ARTICVLO I. docet, panem & vinum eſſe materiam ex qua hoc Sacramentum conficitur. Ita Florent. in literis Eugenij ad Armenos. De pane apertè probatur ex facto Chriſti, qui Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. 1. ad Corinth. 11. expreſsè dicitur panem conſecraſſe pro materia corporis, & præcipit Apoſtolis. vt idem facerent. De vino etiam clarè colligitur ex iiſdem locis, quia Matthæus ſuprà verſ. 29. poſtquam narraſſet quomodo Chriſtus conſecrarit calicem, ſubdit eum dixiſſe: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei.* Vbi cùm dicit, *De hoc genimine vitis*, ſiue de hoc vino; clarè oſtendit in calice quem iis porrigebat, fuiſſe vinum. Et quamquam non poſſet hoc ex Euangelio clarè conuinci, ſufficeret tamen ad certam fidem faciendam totius ab initio Eccleſiæ auctoritas: præſertim cùm nullum ſit fundamentum dicendi contrarium. Quare non eſt cur multùm huic rei probandæ immoremur: præſertim cùm iam nulli omnino, ne quidem hæretici, hanc veritatem negent.

Florent.

Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

2 Congruentia huius inſtitutionis eſt, quia hæc materia maximè congruit tum dignitati huius Sacramẽti, tum etiam ad eius effectum ſignificandum. Primò, quia mundiſſimè in ſacrificio incruento offerri poteſt. Secundò, quia communiſſimè conuiuiis adhiberi ſolita eſt. Vnde aptiſſimè ſignificat ſpirituale illud conuiuium, quod Chriſtus nobis in hoc Sacramento exhibet. Tertiò, quia expreſsè valdè ſignificat effectus huius Sacramenti, tum reſpectu Eccleſiæ vniuerſæ, quæ perfectiſſimè per hoc Chriſto capiti vnitur, vnúmque cum eo corpus efficit, non ſecùs ac ex multis vuis vinum, & ex multis granis vnus panis conficitur: tum etiam reſpectu cuiuſque in particulari: quia hoc Sacramentum confortat, vt panis, & recreat vt vinum. Vnde pulcherrimè D. Thomas in ſuo hymno de hoc Sacramento ait: *Dedit*, ſcilicet Chriſtus, *fragilibus corporis ferculum: dedit & triſtibus ſanguinis poculum.* Demum quia panis & vinum ſeorſim conſecrata optimè nobis repræſentant Chriſtum paſſum, eiúſque ſanguinem à corpore ſeparatum. Ideo duplex hæc materia eſt neceſſaria ad eſſentiam ſacrificij, vt dicam q. 83.

D. Thom.

3 Nota, aliquos hîc diſputare, Vtrùm vtraque materia ſit de eſſentia huius Sacramenti? Sed ſiagamus de ſolo Sacramento, facilis eſt reſponſio ex iis quæ diximus q. 73. a. 2. vbi oſtendi ſub ſingulis ſpeciebus hoc Sacramentum eſſe perfectum & integrum quoad rem contentam & ſignificatam tam in ratione conuiuij, quàm in ratione perfectæ virtutis & efficaciæ conferendi ſuum effectum, quia Chriſtus integerrimè ſub ſingulis continetur: vt docet Trident. ſeſſ. 13. can. 3. Quamuis in modo perfectè repræſentandi integrum conuiuium, Sacramentum non ſit ita perfectum ſub vna ſpecie, ideóque ad hoc eſſentialiter requirit vtramque materiam.

Trident.

Quòd ſi verò agamus de conſecratione huius Sacramenti, etſi validè vna materia poſſit conſecrari, ſine altera (vt dicemus quæſt. 78. art. 6.) quia tamen hæc conſecratio ita eſt inſtituta à Chriſto, vt ſimul ſit etiam ſacrificium, quod eſſentialiter conſecrationem vtriuſque materiæ requirit: hinc fit vt iure diuino numquam poſſit vna ſine altera conſecrari, vt dicemus quæſt. 83.

ARTICVLVS II.

Vtrùm requiratur determinata quantitas panis & vini ad materiam huius Sacramenti?

4 ARTICVLO II. docet, panem & vinum in quantauis magna quantitate conſecrari poſſe: vt ſieſſet ingens cumulus panum, aut penuarium plenum vino.

Probat hoc D. Thom. Primò, quia materia huius Sacramenti poteſt conſecrari in quantumcumque parua quantitate: ergo etiam in quantumcumque magna. quia eſt eadem ratio.

Secundò, quia hoc Sacramentum eſt inſtitutum ad vſum omnium fidelium qui eſſe poſſunt, qui cùm non ſint determinato numero, nec etiam materia huius Sacramenti ſecundùm magnitudinem eſt determinata.

5 Prob. concl. Tertio, quia nec ex parte materiæ, nec ex parte poteſtatis miniſtri poteſt dari tanta quantitas, qua non poſſit maior conſecrari; neque eſt alia ratio cur quantitas materiæ conſecrabilis ſit limitanda: ergo nullo modo eſt limitanda. Antecedens probatur, quia quantumcumque ſit multum panis aut vini, ſemper eſt verus panis, & verum vinum, & conſequenter vera materia huius Sacramenti. Item cùm ſacerdos ſit tantùm moralis cauſa conuerſionis panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, nec aliud debeat phyſicè facere quàm pronunciare formam; æquè facilè poterit conſecrare magnam materiam quàm paruam, & conſequenter nulla poterit dari tanta, quæ ſuperet eius poteſtatem. multò minùs poterit ſuperare poteſtatem diuinam, quæ eſt abſolutè infinita.

6 Nota Primò, D. Thomam hîc non diſputare quid licitè poſſit fieri, ſed quid validè poſſit fieri. Nam certum eſt grauiter peccaturum, qui tam ingentem materiæ quantitatem, v. c. mille ingentes panes, aut integrum vas vini conſecraret. Quia non poſſet tunc Sacramentum ſecundùm ſuam exigentiam & Eccleſiæ ritum reuerenter ac decenter conſumi. Sed inde non ſequitur, talem conſecrationem fore inualidam. Quia aliàs ſacerdos, qui habitaret inter barbaros, vbi non eſſent niſi duo, vel tres fideles, ſi vellet ſimul conſecrare duo, vel tria millia hoſtiarum, inualidè id

D. Thom.

faceret; quia non possent decenter consumi à tam paucis. quod est apertè falsum.

7 *Idem.* Nota Secundò, quod dicit D. Thomas quantumcumque magnam vel paruam materiam posse consecrari; intelligendum esse præcisè quantum est ex parte materiæ nisi aliunde oriatur aliquod impedimentum, vt v. c. quòd ratione magnitudinis non possit tota simul esse præsens sacerdoti: aut ratione paruitatis non possit esse demonstrabilis. Quare, vt tota hæc materia possit facilius cognosci, quærendum nobis hic est, qualis præsentia requiratur, vt materia possit consecrari.

DVBIVM I.

Qualis præsentia materiæ requiratur, vt possit validè consecrari?

8 Materia debet ita esse præsens, vt possit demonstrari. *Soto. Durand. Candelab. aureum.*

CONCLVSIO. Vt validè aliqua materia consecretur, debet sacerdoti ita esse præsens, vt ab eo possit secundùm communem modum loquendi, verè & propriè designari per pronomen *hic*, vel *hoc*, prout in forma ponitur; ita vt forma ex vi suæ significationis intelligatur super eam materiam cadere, eámque determinatè significare. Ita Soto in 4. d. 9. art. 2. Durand. ibidem quæst. 6. Candelabr. aureum de Ven. Eucharistia num. 50. & alij communiter: quamuis multi non ita exactè se explicent. Et etiam per se patet: quia formæ Sacramentorum in proprio & communi sensu debent esse veræ: non essent autem hoc modo veræ, nisi materia dicto modo esset præsens. Confirm. quia aliàs possem validè consecrare hostias in alia vrbe positas, quod tamen apertè absurdum est.

9 Obijcies Primò, Pronomen *hoc*, non semper significat rem aliquam realiter præsentem; nam à Dialecticis sæpe sumitur ad significandam rem, quam solo intellectu fingimus præsentem: ergo ad veritatem formæ non est necessaria realis materiæ præsentia. Secundò, forma huius Sacramenti non necessariò accipitur formaliter & assertiuè, sed potest accipi solùm materialiter sine recitatiuè, vt aiunt: atqui tunc erit vera etiamsi nulla materia esset præsens: ergo hoc non est necessarium. Tertiò, si deberet esse præsens celebranti, hoc ideo esset necessarium, vt aliquo sensu percipereturr: sed hoc non est verum; quia sacerdos cæcus posset consecrare hostiam ante se positam, quam nullo sensu perciperet; & similiter validè consecramus hostias in pyxide coram nobis posita clausas: ergo non est necessaria aliqua præsentia.

10 *Sotus.* Etsi communiter DD. vt dixi, requirant aliquam præsentiam materiæ: tamen ob dicta argumenta variant qualis præsentia requiratur: multique videntur requirere vt materia obiectiuè celebranti sit ita præsens, vt aliquo sensu eam percipiat. & in hanc sententiam videtur inclinare Sotus suprà in respons. ad 3. Vbi planè indicat pronomen *hoc* talem præsentiam significare: addit tamen non esse absolutè necessariam, vt quis validè consecret: vnde satis ambiguè loquitur. Sed nec talis præsentia semper sufficit, nec per pronomen *hoc* significatur, vt statim videbimus: imò licitè sæpe sacerdos consecrat materiam, quam dum consecrat nullo sensu percipit, vt fit, dum consecrat hostias ante se in pyxide, vel etiam super corporale positas, legitque verba consecrationis ex libro: quo casu sæpe nullo modo videt eas hostias, nec vllo alio sensu eas percipit. Nec refert quòd aliquando eas viderit aut etiam tetigerit. quia requiritur actualis præsentia dum forma pronunciatur, & præcedens est impertinens. Quare si hæc præsentia consisteret in eo quòd hostiæ aliquo sensu à celebrante percipierentur, talis in dicto casu eas non consecraret. quod est apertè falsum.

Licitè consecratur materia quæ nullo sensu percipitur.

Pro solutione Nota Primò, Dialecticos sæpe vti his vocabulis, *hic, hæc, hoc*, minùs propriè: non vt certam rem demonstrent, sed vt significent nomen cui præponuntur accipi pro re singulari, vbicumque illa sit, & siue actu sit in rerum natura, siue non sit: sed, vt dixi, minùs propriè. nam propriè & secundùm communem modum loquendi, cùm sint pronomina demonstratiua, significant rem aliquam præsentem, & sensu percepibilem. Vnde sequitur, quando dico, *hoc est tale quid*, per hæc verba significari me aliquid demonstrare, non mihi (nec enim nobis ipsis solemus aliquid demonstrare) sed alteri. Vnde vlterius sequitur, non esse necesse, vt ego rem illam aliquo sensu percipiam, sed vt alter eam percipiat, cui eam demonstro. 11 Quod demonstro, non mihi sed alteri debet esse perceptibile.

Nota Secundò, cùm verba instituta sint, vt per ea conceptus mentis aliis indicemus, vt finem ad quem primò instituta sunt, obtineant, esse necessarium, vt aliquis nos loquentes intelligat. Hoc tamen non est necessarium, vt verè dicamur loqui, & aliquid enuntiare: sed ad hoc sufficit, vt verba nostra sint verè significatiua & enuntiatiua, etsi ea nemo audiat. Et simili ratione, vt aliqua oratio demonstratiua sit verè talis ac absolutè vera; non est opus vt aliquis aduertat quid per eam designem, aut de quo aliquid enuntiem: sed sufficit quòd sit talis, vt in his circumstantiis, rem aliquam certam, de qua aliquid enuntio, quantum est ex se, ita designet, vt si aliquis me audiret loquentem, & sermonem intelligeret, posset facilè concipere, de qua re in particulari illud enuntiem. Hinc dum intendo digitum in Petrum & dico, Iste est doctus: hac oratione verè & determinatè significo Petro doctrinam ineße, etsi nemo me audiat. Et falsa esset oratio, si aut Petrus non esset doctus: aut si intenderem digitum in eum locum vbi nemo omnino esset, etiamsi esset aliquis in altera parte vrbis, quem intenderem designare. quia talis hac ratione non est hic & nunc designabilis, cùm tamen significem me certum aliquem designare. 12 Verè aliquid enuntiamus etsi nemo audiat. Quid requiratur vt oratio demonstratiua sit vera.

Nota Tertiò, cùm Sacramenta sint à Christo instituta, vt sint signa non angelica sed humana, vt forma consecrationis sit vera, particulam *hoc*, debere designare rem certam eo modo vt possit ab hominibus hic & nunc percipi quid per eam designetur, etsi non omnino distinctè. 13

Nota Quartò, pronomina demonstratiua ratione circumstantiarum sæpe determinari, vt varia significent: & vt modò strictiùs, modò latiùs sumantur, ac modò maiorem, modò minorem rei designatæ præsentiam requirant. Hinc si digitum intendam in aliquid remotum, quod obscurè nobis apparet rectè dico mihi astanti, Hoc quod ibi vides est talis ciuitas. Item si existens in Hispania aut Francia dicam: Hoc regnum est valdè potens; particula *hoc* totum regnum designat. Item si nominando consequenter duos existentes in Iaponia, aut qui vixerint ante mille annos, dicam: Hic illo habetur doctior; *hic* designat secundò nominatum, *illo* primò nominatum. Ratio est, quia per eiusmodi vel designationem, vel nominationem res in se absens per aliquod signum sensibile nobis fit aliquo modo præsens ac demonstrabilis per illas particulas. 14 Verba ratione circumstantiarum variè determinantur.

Hinc sequitur Primò, quando pronomina illa absolutè proferuntur sine alia externa materiæ designatione (vt fit in formis consecrationis) requirere omnimodam rei designatæ præsentiam, ita vt seipsam sensibus ingerendo, per se determinent intellectum, vt concipiat eam dictis particulis designari, quod maximè verum est in particula *hic* siue *hoc*, quæ significat maiorem 15

vnàdrem rei deſignatæ præſentiam, quàm particula *iſtud*, ſiue *illud*. Hinc ſi dicam, Petrus & Ioannes cucurrerunt ad monumentum, ſed hic cucurrit citiùs, ille tamen prior intrauit: *hic* refert vltimò nominatum, ſiue Ioannem tanquam propinquiorem, *ille* primò nominatum. Hinc etiam oſtendens eminus ciuitatem aliquam meliùs dico: Iſta ciuitas, quàm, Hæc ciuitas ita vocatur, &c.

16 Quidem ſententiâ ſignificet *hoc* vel *hic*.

Sequitur Secundò, quando dictæ particulæ ita abſolutè proferuntur, nec adhibentur aliquæ aliæ circumſtantiæ quibus intellectus audientis poſſit excitari, vt ſtatim concipiat quid deſignent; vt oratio ſit vera, ſiue vt illæ hic & nunc verè rem certam deſignent, hanc debere ita eſſe præſentem vt ſtatim in oculos incurrat, atque ita intellectum excitet, vt concipiat eam deſignari. quia aliàs illæ particulæ non poterunt hic & nunc determinare intellectum audientis, vt rem certam concipiat; atque ita nullam rem certam verè deſignabunt.

17 Res ſolùm-ta poteſt demonſtrari continente,

Nota Quintò, non eſſe neceſſe vt res ipſa in ſe videatur, aut videri poſſit, ſed ſufficere vt videatur in re eam continente; ad quod requiritur, vt hæc ſit talis quæ ex communi vſu ſolet deſtinari ad eiuſmodi res continendas: ita vt ea viſa in his circumſtantiis facilè concipiam tale quid in ea contineri. Hinc oſtendendo burſam plenam auro, vſitatiſſimo loquendi modo verè dico, Hoc eſt aurum. Secùs ſi id dicam oſtendendo ſtatuam lapideam, concauam & plenam auro. hinc ſi ſacerdos dum pronuntiat formam corporis ſimul coram ſe habeat calicem cum vino, & pyxidem etiam clauſam cum hoſtiis, omnes facilè intelligent particulam *hoc* deſignare contentum in pyxide, non autem in calice: idémque eſſet ſi calix plenus hoſtiis poneretur iuxta alium calicem. quia ex communi vſu calix ita poſitus ſuper corporale ſolet continere hoſtias.

non tamen ſemper.

18 Materia debet eſſe præſens conſecranti vt habeat rationem ſacrificij.

Nota Sextò, præter rationem ipſius formæ, ex alio etiam capite requiri vt materia ſit præſens conſecranti. quia ſcilicet hæc conſecratio ex inſtitutione Chriſti neceſſariò eſt talis, vt poſſit habere rationem ſacrificij; ideóque eſſentialiter requirit talem præſentiam materiæ qualis eſt neceſſaria, vt verum poſſit offerri ſacrificium. Omne autem ſacrificium hactenus à Deo inſtitutum neceſſariò exegit, vt hoſtia eſſet realiter ſacrificanti præſens.

19 Sacerdos non poteſt conſecrare hoſtiam poſitam ab altera parte parietis,

Ex his omnibus infertur Primò, ſacerdotem non poſſe conſecrare hoſtiam poſitam retro parietem, quia hæc non poteſt ab eo per formam ſenſibiliter deſignari, vt patet ex 4. & 5. notabili.

Dices, Etſi non poſſit deſignari per formam ordinariam, poterit tamen deſignari ſi dicat: *hoc quod eſt ſupra menſam in tali cubiculo, eſt corpus meum.*

Reſp. quidquid ſit de aſſumpto, hanc formam non eſſe validam. quia non eſt perfectè ſynonyma ei quam Chriſtus inſtituit, quæ non deſignat ſolùm in genere corpus Chriſti eſſe ſub aliquibus ſpeciebus, ſed per modum hoſtiæ eſſe ſub ſpeciebus realiter ſacerdoti præſentibus, idque eſſentialiter, vt patet ex 6. notabili.

20 nec omnem panem poſitum in vaſto loco.

Infertur Secundò, ſacerdotem non poſſe conſecrare omnem panem in vaſto loco, v.c. in foro diuerſis locis poſitum: aut etiam panem retrò ſe poſitum. quia hi panes non poſſunt ſufficienter deſignari per formam, quæ, vt patet ex dictis, deſignat rem planè præſentem, propinquam, & coram ſacerdote poſitam. Quod vel inde etiam patet, quia quæ vel retro nos ſunt, vel paulò remotiora, nunquam ſolemus demonſtrare niſi vel verbis eorum locum deſcribendo, vel digitum in ea intendendo: & eſt omnino neceſſarium. quia aliàs ſi vellemus ea deſignare ſolùm dicendo, Hoc eſt tale vel tale, nemo facilè poſſet concipere qua de re loqueremur.

Dices, Saltem poſſet quis conſecrare panem ita remotum, vel retro ſe poſitum intendendo digitum in eum: quia tunc per particulam *hoc* ſufficienter deſignaretur. 21

Reſp. negando aſſumptum. Quia illa forma includeret illum geſtum tamquam quandam artificialem locutionem & ſui partem, ſine quo non haberet perfectum ſenſum: formæ autem Sacramentorum (excepto matrimonio) neceſſariò conſtant ſolis verbis propriè dictis: nec poſſunt proferri partim verbis, partim geſtibus aut ſcripto.

Infertur Tertiò, idem ob eamdem rationem dicendum eſſe de pane latente ſub mappa altaris, vel corporali, vel clauſo in tabernaculo. quia particula *hoc* nudè poſita non poteſt eum ſufficienter deſignare. 22 Nec latentem ſub mappa.

Infertur Quartò, ſi eſſet tam ingens panis, vel panum cumulus, aut lacus vini, vt per plurima milliaria protenderetur, aut longiùs quàm viſus poſſet ferre, non poſſe ſimul totum ab vno ſacerdote conſecrari, ſed tantùm ſecundùm aliquam ſui partem. quia verè non eſt ei ſecundùm ſe totum præſens, ſed tantùm ſecundùm partem ſui. Et quamuis poſſit ſufficienter deſignari ſi diceretur: Hic cumulus panum; vel, Hic lacus vini, non tamen per ſolam particulam *hoc*. Quod vel inde paret, quia ſi aſtans tali cumulo, vel lacui dicerem alteri, Hoc eſt panis; vel, Hoc eſt vinum, eſſet vera propoſitio, ſi ſola illa pars quam videremus eſſet panis vel vinum, & reliqua quæ eſſet centuplo maior, conſtaret alia materia. Et rurſum eſſet falſa, ſi pars mihi obiecta non eſſet panis vel vinum; & reliquum totum eſſet panis aut vinum. Secùs eſſet ſi dicerem: Iſte lacus eſt vinum: vel, Ille cumulus eſt panis. tunc enim ad veritatem propoſitionis requireretur ac ſufficeret vt longè maior pars eſſet panis vel vinum, ſiue hæc pars eſſet mihi proximè obiecta, ſiue non. Quanta autem pars talis cumuli, aut lacus poſſet ſimul ab vno conſecrari, difficile eſt dicere: nec eſt operæ pretium ſubtiliùs diſputare, cùm ſit caſus omnino fictus, qui numquam poſſit accidere.

Infertur Quintò, ſacerdotem validè conſecrare hoſtias ſuper altari poſitas in pyxide etiá clauſa. quia per ipſam pyxidem eas continentem ſatis patent aſpectui, vt poſſint per particulam *hoc* deſignari. Paret ex notabili 5. Idem etiam potiore ratione dicendum de hoſtiis quæ in magno cumulo ſuper corporali poſito ab aliis planè reguntur. Nam etſi hæ ſecundùm ſe immediatè cerni nequeant; ſatis tamen ſunt præſentes ratione totius cumuli, cuius ſunt pars, qui ſecundùm vſitatum loquendi modum totus ſacerdoti præſens, eiuſque aſpectui obiectus eſt. 23 Validè conſecrantur hoſtiæ clauſæ in pyxide.

Infertur Sextò, etſi poſſint fingi multi caſus, in quibus eſſet dubium an valida ſit conſecratio; in communi tamen Eccleſiæ praxi, ex hac parte nullum poſſe occurrere, modò ſit ſufficiens in celebrante intentio. quia non ſolemus vnquam aliquid conſecrare, niſi coram nobis in altari poſitum: & grauiter peccaret qui aliter faceret. 24

Ad Primam obiectionem ſuprà poſitam n. 9. Reſp. negando conſequentiam. Quia, quando particula *hoc*, vel *hic*, ponitur ſine circumſtantiis eam ad aliud ſignificandum determinantibus (vt fit in forma conſecrationis) ſemper deſignat rem realiter præſentem, vt paret ex dictis. 25

Ad Secundam, neganda eſt maior, vt pluribus oſtendam q. 78. art. 2.

Ad Tertiam, nego maiorem. nec enim eſt neceſſarium vt materia actu aliquo ſenſu percipiatur, ſed vt poſſit percipi, quantum eſt ex parte ſua: vt paret ex notabili 3.

DVBIVM II.

Vtrùm quæuis materia, quantumuis parua, possit consecrari?

16 NOta Primò, nullum Catholicum ambigere, quin in tota hostia omnes omnino panis particulæ quantumcumque paruæ verè consecrentur. Hoc enim *Trident.* apertè constat ex definitione Trident. sess. 13. cap. 4. & can. 3. & 4. sed disputamus hîc, Vtrùm huiusmodi particulæ possint separatim consecrari.

17 Nota Secundò, nos hîc non disputare, Vtrùm quæuis particulæ panis & vini quantumcumque paruæ possint separatim à toto conseruari (hoc enim ad hunc locum non spectat) sed posito quòd siue naturaliter, siue supernaturaliter sub talibus particulis separatis natura panis & vini conseruetur, Vtrùm ita possint validè consecrari? Qua in re satis constat inter Doctores, posse validè consecrari quamdiu visibiles sunt: sed difficultas est, Vtrùm possint consecrari quando ob exiguitatem sunt inuisibiles, si sciantur per reuelationem, aut alio modo certò ibi esse?

Soto. Soto in 4. d. 9. art. 2. cum quibusdam aliis id affirmat. Ratio ipsius est, quia, vt sacerdos possit hostiam consecrare, non est opus vt possit eam videre; cùm sacerdos cæcus possit validè consecrare. Quòd autem aliquis alius possit eam videre, ait nihil facere ad rem.

28 CONCLVSIO. Verius est eiusmodi particulas ita parvas vt ab hominibus etiam acutissimum visum habentibus videri nequeant, non posse separatim consecrari.

Nihil potest consecrari quod non sit demonstrabile. Ratio est, quia nullo modo possunt demonstrari aut designari per particulam *hoc*, quod tamen est necessarium vt sint consecrabiles: vt patet ex dictis dub. præcedenti. Secùs autem est quando sunt coniunctæ rotæ. quia tunc vnà cum eo sunt visibiles & demonstrabiles.

Suar. Ad rationem Soti Respond. non esse necesse vt materia consecrationis possit à consecrante percipi sensu: sed sufficit vt sit ei *sufficienter præsens*, & possit ab aliis percipi, si qui integris sensibus essent præsentes: vt patet ex dub. 1. notabili 1. & 2.

29 Obiicies Primò, Per accidens est huic particulæ quòd non sit visibilis ratione suæ paruitatis. nam aliàs ratione naturæ suæ & speciei est visibilis: atqui hoc sufficit vt possit consecrari: ergo est consecrabilis.

Resp. negando minorem. quia vt materia sit consecrabilis, debet hîc & nunc esse demonstrabilis per sacerdotem. Nam aliàs hostia in alio cubiculo, vel etiam in alia parte orbis posita posset consecrari, cùm solùm per accidens ratione distantiæ non possit à sacerdote demonstrari.

30 Obiicies Secundò, Si talis aliqua particula post consecrationem separaretur, maneret consecrata, essetque sub ea corpus Christi. ergo poterit separatim consecrari. Probatur consequentia, quia non minùs est de ratione Sacramenti, vt sit signum visibile, quàm sit de ratione materiæ consecrationis, vt sit demonstrabilis.

Respond. negando consequent. quia plus requiritur vt aliquid possit acquirere consecrationem, quàm vt possit eam conseruare. Sic anima separata à corpore reseruat consecrationem & characterem sacramentalem; non tamen potest hæc acquirere.

Ad probationem nego assumptum. Quia propriè loquendo Sacramentum non est necessariò signum visibile, sed sufficit, quòd sit perceptibile aliquo sensu. Nam matrimonium solo auditu potest percipi. Quare etsi illæ particulæ non sint propriè visibiles, possent tamen aliquo sensu, v. c. gustu vel tactu percipi: & sic vnà cum corpore Christi verum constituere Sacramentum. Materia autem consecrationis debet esse propriè visibilis, quia aliàs demonstrari, ac per formam designari non posset; vt patet ex dub. 1. notabili 4.

DVBIVM III.

Vtrùm materia consecranda debeat determinari per intentionem consecrantis?

HÆc difficultas spectat potiùs ad intentionem consecrantis, quàm ad materiam consecrandam. Quæritur enim, Vtrùm consecrans debeat intendere consecrare certam aliquam ac determinatam materiam: an verò sufficiat velle consecrare in confuso vnam solam hostiam ex iis quæ sunt in altari, nullam certam determinando. Quare sufficienter poterat videri explicata in q. 64. art. 8. dub. 4. Vbi generatim ostendi, intentionem ministri Sacramenti debere ferri circa rem determinatam. Sed quia in hac materia sunt quædam singulares difficultates, breuiter nobis explicandæ sunt. 31

CONCLVSIO. Consecrans solam illam materiam consecrat, quam determinatè intendit consecrare: ideóque si nullam determinatè consecrare intendat, nihil efficiet. Ita Richard. d. 10. art. 7. q. 2. Durand. d. 11. q. 7. Suarez disp. 43. sect. 6. 32 *Richardus, Durand. Suarez.*

Estque communis Doctorum. Prob. quia intentio ministri est de essentia confectionis Sacramenti. ita vt hoc confici nequeat, nisi minister hoc intendat conficere: vt patet ex Florentino in litteris Eugenij, & fusè ostendi q. 64. art. 8. dub. 1. Cùm igitur confectio huius Sacramenti consistat in consecratione materiæ; sequitur sacerdotem non alias hostias consecrare, quàm quas intendit consecrare. Item sicut omnis actio transiens necessariò versatur circa rem determinatam: ita omnis intentio practica dirigens talem actionem debet versari circa rem determinatam. *Determinata ministri intentio est essentialis consecrationi. Florentinus.*

Hinc sequitur Primò, sacerdotem habentem nouem hostias ante se, & volentem ex iis tantùm octo consecrare, si certas designet quas intendat consecrare, has solas consecrare, & aliam non consecrare: si autem velit tantùm octo consecrare in confuso nullas certas designando, nullam omnino consecrare. quia consecratio ex ipsius intentione hoc casu non fertur circa materiam determinatam, atque ita deest legitima intentio. Et confirm. quia eo casu nulla esset ratio cur vna magis esset consecrata, quàm alia: ergo vel omnes essent consecratæ; quod apertè falsum est: vel nulla. Quod enim aliqui dicunt illam solam eo casu non consecrandam, quæ infra alias, aut remotissimè à sacerdote ponitur; & sine fundamento dicitur, & nihil facit ad rem: quia fieri posset vt nulla hostia esset infra alias, aut remotissima à sacerdote; vt si plures essent æqualiter omnino remotæ. & tunc eadem rediret difficultas. 33

Dices Primò, Omnes illæ hostiæ æqualiter à forma designantur: ergo, etsi sacerdos certas consecrare intendat, vel omnes consecrantur, vel nullæ. Resp. negando consequ. Tantùm enim inde sequitur, omnes æqualiter consecrari quantum est ex vi significationis & prolationis ipsius formæ, sed circa quasdam deest intentio, defectu cuius non consecrantur. Vnde sequitur grauiter peccare qui ita consecrat. quia ex parte quasi falsificat formam, quæ quantum est ex parte sua significat omnes hostias consecrari. Vide dicta q. 64. art. 8. dub. 4. 34

Dices Secundò, Hinc sequitur eum qui habet duas hostias in manu vel super patena, & credit tantùm esse vnam, tantùm vnam consecraturum. quod videtur absurdum. Resp. negando sequi, si modò 35

talis habeat intentionem, quam communiter ſacerdotes habent, ſcilicet conſecrandi totam illam materiam conſecrabilem quam habent in manibus, aut ante ſe ſuper corporale poſitam. Hæc enim eſt communis & legitima intentio, atque adeò in totam materiam fertur, niſi reſtringatur; quod fieri non debet ſine neceſſitate, quæ communiter non occurrit.

36 Validè, ſed ſacrilegè quis mediã hoſtiæ partem conſecrat.

Sequitur Secundò, ſacerdotem etſi cum graui peccato, validè tamen, poſſe conſecrare ſolam mediam, aut tertiam partem hoſtiæ, ſi hoc intendat, & mente certam partem deſignet quam velit conſecrare. Quòd ſi nullam partem deſignaret, nihil efficeret.

Dices hinc ſequi, ſacerdotem poſſe conſecrare infinitas tertias partes proportionales vnius hoſtiæ inter ſe diſtinctas, vt aliæ duæ tertiæ non conſecrarentur: ſi nimirum conciperet hoſtiam quaſi per intellectum diuinum diuiſam in tot partes tertias proportionales, in quot per Dei potentiam eſt diuiſibilis, quæ ſunt infinitæ, & à Deo ante actualem diuiſionem omnes cognoſcuntur: & ex his ſingulis intenderet certam aliquam tertiam partem conſecrare. Citatur pro hac ſententia Maior in 4. d. 13. q. 2. in fine. ſed ipſe ibi contrarium docet; & bene. nam iſte diſcurſus inuoluit apertam implicantiam: ſcilicet hoſtiam per intellectum diuinum eſſe diuiſam in tot partes proportionales, in quot diuiſibilis eſt, & tamen ſingulas adhuc diuidi in tres partes, quod ſupponit nullas antè tantum fuiſſe diuiſas, quantum diuidi poterant. Quare dicendum eſt, talem nihil omnino effecturum. quia non intenderet aliquas partes determinatas conſecrare. quia illæ proportionales non ſunt determinatæ.

Maior.

Nequeunt omnes partes proportionales hoſtiæ conſecrari.

37 Nota Primò, vt aliquis ita ex decem v. c. hoſtiis tantùm quinque conſecret, debere priùs mente determinare quas in particulari velit conſecrare. aliàs ipſius intentio eſſet confuſa. Nec ſufficit eum velle eas conſecrare, quas Paulus poſtea deſignabit. quia ſic confectio Sactamenti penderet à conditione futura. quod fieri nequit; vt dixi q. 64. art. 8. dub. 2. Credo tamen valituram conſecrationem ſi intenderet conſecrare eas, quas Paulus iam antè mente deſignaſſet, quia tunc certas aliquas intendit conſecrare, etſi ſibi incognitas, notas tamen Deo. Sed talia fierent cum ingenti ſacrilegio.

38 Determinatio virtualis ſufficit.

Nota Secundò ex dictis quæſt. 64. art. 8. dub. 2. hanc determinationẽ materiæ non debere eſſe actualem, ſed ſufficere virtualem aut implicitam, qualem habet quiuis ſacerdos conſecrandi tam hoſtiam quam tenet manu, quàm eas quas videt coram ſe conſecrandas iacere in corporali, hoc ipſo quo intendit legitimè, & prout præſentes circumſtantiæ exigunt, celebrare. Hoc ipſo enim quo & ſcit illas hoſtias ſibi eſſe conſecrandas, & vult dicto modo celebrare, vult implicitè eas hoſtias conſecrare, niſi voluntatem ſuam reſtringat. Sed tunc non vellet celebrare prout præſentes circumſtantiæ exigunt.

39 Quòd ſi tamen ei omnino inſcio eſſent appoſitæ aliquæ hoſtiæ conſecrandæ, non poſſet cenſeri has velle conſecrare, etſi eſſent poſitæ in corporali. quia voluntas non poteſt ferri in omnino incognitum. Intentio autem conſecrandi, quæ includitur præcisè in voluntate celebrandi Sacrum, tantùm neceſſariò fertur circa materiam quam manibus tenet tempore conſecrationis, vel quæ eſt in calice: niſi aliquæ circumſtantiæ cogant eam ad alias extendi. Ad quod neceſſarium eſt vt hæ ſint cognitæ à ſacerdote, quia intentio non fertur in omnino incognitum.

40 Diſputant autem hîc aliqui, Vtrùm ſacerdos verè conſecret hoſtias coram ſe in altari in pyxide poſitas, quas initio quidem Sacri ſciuit ibi poſitas eſſe, poſtea tamen tempore conſecrationis nullo modo earum recordatur. Quidam id negant. Quia talis tunc nec habet actu explicitam voluntatem conſecrandi illas hoſtias, vt per ſe patet: nec virtualem, quia tunc, vt patet ex dictis q. 64. a. 8. dub. 2. pronuntiatio formæ deberet mediatè procedere ex actuali voluntate conſecrandi illas hoſtias. quod tamen dici nequit: quia pronunciatio formæ ſolùm fit ex volunrate celebrandi, ad quod ſufficit conſecratio vnius hoſtiæ, quam ſacerdos manu tenet. Nec etiam dici poteſt quòd volunras debitè celebrandi hîc & nunc implicitè includat voluntatem conſecrandi illas paruas hoſtias: quia hoc tantùm dici poteſt, quando celebrans ſcit eas paruas hoſtias ibi eſſe.

41 Validè cõſecras hoſtias de quibus actu non cogitas. *Angelus. Nazarius. Soto. Panormit.*

Sed dicendum eſt, quando ſacerdos priùs ſciuit eas hoſtias ibi eſſe poſitas, & habuit ſalrem implicitam voluntatem eas conſecrandi iuxta dicta ſuprà; ipſum eas verè conſecrare, etiamſi tempore conſecrationis earum nullo modo meminerit, quia voluntas illa eas conſecrandi virtualiter perſeuerat. Ita Angelus verbo *Euchariſtia*, n. 27. Nauar. c. 25. n. 91. vbi citat Sotum & Panormitan. & alij. Probatur quia ideo voluntas conſecrandi vnam hoſtiam virtualiter perſeuerat in omnino diſtracto, & non cogitante ſe conſecrare, quia ex tali voluntate actuali initio ipſe incepit Sacrum, idémque ſine interruptione continuauit; ideóque omnes ſequentes actiones verè dicuntur ex illa prima voluntate conſecrandi procedere, illaque in his dicitur virtute perſeuerare: arqui in dicto caſu eodem modo ſacerdos incepit ſuum Sacrum, vel aliquam illius partem ex vera voluntate conſecrandi omnes illas hoſtias, illúdque deinde ſine interruptione continuauit vſque ad conſecrationem: ergo ſimili ratione omnes actiones ſequentes eam voluntatem, ipſáque etiam conſecratio virtute ex illa voluntate procedunt. Vnde patet reſponſio ad argumentum contrarium. Negandum enim eſt hîc non eſſe veram virtualem voluntatem conſecrandi illas paruas hoſtias, aut illas actiones externas non procedere ex illa præcedenti actuali voluntate illas conſecrandi.

43

Dices, Actiones externæ eodem modo procederent, etſi non eſſet illa voluntas conſecrandi illas hoſtias: ergo ex illa non procedunt.

Reſp. negando conſequentiam. quia etſi quoad eſſe materiale illæ actiones eodem modo procederent, non tamen quoad eſſe formale & morale, ſiue quatenus ſunt actus liberi & humani. Cùm enim hoc eſſe pendeat ab intentione, cùm in vtroque caſu procedant à diuerſa intentione, etiam habent diuerſum tale eſſe.

43 Qualis debeat eſſe intentio in conſecratione calicis.

Tandem vt plenior huius materiæ ſit cognitio, Nota legitimam intentionem conſecrationis calicis, ſecundùm communem & optimam praxim, ferri ſolùm circa omnem humorem conſecrabilem qui in calice per modum continui, aut quaſi continui continetur, vt comprehendat etiam aquam vino permiſtam (quæ etſi in vinum non conuertatur, vt infrà dicemus, verè conſecrari poteſt) & guttas vini quæ proximè continuo liquori calici intrinſecus adhærent, ita vt parua calicis agitatione reliquo vino miſceantur. Tales enim guttas vini vel priùs abſtergi vel cum reliquo vino conſecrari omnino expedit, ne materia non conſecrata miſceatur conſecratæ. Quare niſi conſecrans aliud expreſsè intendat, cenſetur communiter hanc totam materiam, & nullam aliam conſecrare: & conſequenter nec guttas remotiores circa extremum labrum calici adhærentes. Quamuis magis expediat priùs omnes guttas præſertim remotas abſtergere: & tunc ſimpliciter omnem materiam conſecrabilem, quæ eſt in calice, conſecrare. De guttis autem exteriùs calici adhærentibus nihil laborandum eſt. quia nemo (niſi expreſsè intendat, quod cum iniuria Sacramenti fieret) cenſetur eas velle conſecrare.

ARTICVLVS III.

Vtrùm requiratur ad materiam huius Sacramenti, quòd sit panis triticeus?

44 ARTIC. III. docet, materiam huius Sacramenti necessariò esse panem triticeum.

Nota, constare quidem inter omnes Doctores, materiam ex qua hoc Sacramentum conficitur, necessariò debere esse panem. Apertè enim constat ex Euangelio Christum consecrasse panem, nobisque præcepisse, vt idem faceremus: vt ostendi art. 1.

45 Constat item inter omnes, hunc panem non posse confici ex leguminibus, sed necessariò conficiendum esse ex frumento. sed quia hoc nomen latiùs patet, ita vt eo comprehendantur ea omnia grana quæ culmos & aristas proferunt, v.c. triticum, spelta, secale, auena, hordeum, &c. Controuersia est, ex quo frumento hic panis necessariò conficiendus sit: quam multi fusè valdè disputant, & in multis inter se dissentiunt: sed sæpè maior est dissensio in nomine, quàm in re: inde orta, quòd varia nomina, v.c. far, siligo, &c. diuersa apud diuersos significent. Optimè hanc quæstionem tractauit Soto in 4. d. 9. a. 3. & Suarez hic disp. 44. sect. 1. vbi ferè singulorum granorum nomina & species explicant. Sed quia hæc res non ita spectat ad Theologum, & facilè è lexicis peti potest, iis omissis rem ipsam breuiter explicabimus. *Soto. Suarez.*

46 CONCL. I. Materia necessaria huius Sacramenti est verus & propriè dictus panis.

Ita omnes DD. Patet clarè ex Scripturis, quæ, vt ostendi art. 1. clarè docent, materiam huius Sacramenti esse panem. quod verbum cùm propriè accipiendum sit, necessariò intelligendum est de vero & propriè dicto pane.

47 Hinc infertur Primò, massam farinæ aqua subactam aut nondum coctam, aut elixam, aut frixam in sartagine cum butyro, vel simili materia, non esse materiam huius Sacramenti. quia propriè & secundùm communem loquendi vsum, similia non sunt verè panis: sed dicuntur vel pasta, vel libum, vel quid simile. Nec refert quòd non differant fortè specie, siue essentialiter à vero pane. quia inde non sequitur quòd sint verè panis, qui tamen est materia omnino necessaria huius Sacramenti. nec ex communi vsu dicitur panis nisi igne coctus: nihil tamen refert an in furno, an in foco, an alia simili ratione sit coctus. quia hæc valdè accidentaria sunt. Et iam nullus panis quo in hoc Sacramento vtimur, furno coquitur.

48 Infertur Secundò, hunc panem debere confici ex farina & aqua naturali. quia hic solus propriè dicitur panis. Quare confectus ex farina & butyro, melle, vel simili liquore, non potest esse materia huius Sacramenti. quia non est propriè panis, sed libum vel placenta. Quare nullo modo audiendus Caietan. qui hic art. 7. dubitat an panis confectus ex aqua rosacea possit esse materia huius Sacramenti. Sed meliùs D. Thomas ibidem ad 3. & alij communiter Doctores, absolutè negant, talem panem posse esse materiam huius Sacramenti, quia potiùs haberet rationem libi, quàm veri ac propriè dicti panis, qui secundùm communem vsum ex sola aqua naturali conficitur. *Caietan. D. Thom.*

49 Notat autem benè D. Thomas hîc ad 4. etsi extra casum grauis necessitatis sit graue peccatum contra reuerentiam huic Sacramento debitam, si quis vtatur pane aliquantulum corrupto; validè tamen talem panem consecrari, quamdiu retinet speciem ac veram substantiam panis. Secùs si ita esset corruptus, vt hanc omnino amitteret: quod ex variis eius accidentibus, præsertim colore, sapore, & cohærentia partium inter se iudicandum est. *D. Thom.*

CONCLVSIO II. Vt panis sit sufficiens, materia huius Sacramenti, debet confici ex tritico. 50

Ita communiter Doctores cum D. Thoma hîc, etsi Caietan. hîc cum paucis aliis contrarium sentiat. Qua in re Notandum, Caietanum non dicere (vt aliqui ei imponunt) ex quouis frumento posse confici materiam huius Sacramenti: sed tantùm asserit eam posse confici ex quouis frumento, ex quo potest confici panis, qui absolutè sine vllo additamento dicatur panis, qualem vult esse confectum ex farre, spelta, aut siligine siue secali: hoc enim videtur cum D. Thoma intelligere per *siliginem*. Qua de re quidquid sit (nam etiam alij putant ex his granis posse fieri materiam huius Sacramenti, quia putant esse verum triticum) in eo grauiter errauit Caietan. quòd concedat dicta grana non esse triticum, & simul asserat ex iis posse fieri materiam huius Sacramenti. Hoc enim apertè repugnat Concilio Florentino in literis Eugenij ad Armenios, vbi dicitur: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cuius materia est panis triticeus; & vinum de vite.* *D. Thom. Caietan. Florent.*

Respondet Caietanus, panem triticeum dici materiam Sacramenti, non quòd ille solus sit materia, sed quòd sit præcipua. & conuenientissima materia. Sed hoc dici nullo modo potest. Primò, quia Concilium toto illo tractatu loquitur de materia essentiali Sacramentorum, sine qua, (vt ait §. *Hæc omnia Sacramenta*) Sacramentum non potest perfici. 51 *Caietan.*

Secundò, quia aliàs eadem ratione quando Concilium dicit aquam naturalem esse materiam baptismi, & vinum de vite esse materiam Venerab. Eucharistiæ, possemus dicere, ipsum solùm asserere hanc esse materiam præcipuam, & conuenientissimam; ac absolutè nos validè baptizare in aqua artificiali, valideque consecrare in vino confecto ex alia materia quàm ex vuis. Vnde meritò sententia Caietani in Romanis exemplaribus dicitur delata.

Hæc igitur conclusio est omnino certa, nec vllo modo potest dici, ex aliquo frumento quod non est triticum, posse confici materiam huius Sacramenti. Etsi enim non possimus hoc ita clarè conuincere ex Scriptura; tamen ex Ecclesiæ traditione, & dicta definitione id apertè discimus.

Difficultas tamen est inter Doctores de variis generibus frumenti, Vtrùm reuera sint triticum, an non? Plurimi inter se dissentiunt, quòd per idem nomen diuersa significent, v.c. D. Thomas hîc ad 2. negat ex farre posse confici materiam huius Sacramenti. quia per far, vt notat Soto, videtur intelligere quoddam genus frumenti durissimum, ex quo vix possit fieri panis. Aliis far significat optimum genus tritici, ex quo sine dubio potest fieri materia Sacramenti. Similiter apud Plinium & alios antiquos, *siligo* significat præstantissimum triticum: tamen D. Thom. hîc & quidam alij siliginem accipiunt pro secali, quam alij *tiphan*, Hispani verò *centenum* vocant: ex qua an possit fieri sufficiens materia pro hoc Sacramento, est dubiũ. D. Thomas hîc affirmat, quia putat esse speciem tritici. Alij verò id negant. Quare grauiter peccaret qui ea materia vteretur: quia dubia est. Similiter multi dubitãt de spelta, an sit verum triticum. D. Thomas hîc ad 2. cum Scoto, & aliis multis, id negat. Albertus verò Magnus, Thomas de Argentina, & Paludanus, quos citat Soto in 4. d. 9. artic. 3. id affirmant, quod etiam ipse Soto probabile putat: cui etiam suffragatur quòd D. Thom. hîc in argumento 2. dicat in quibusdam locis aliquos consueuisse eiusmodi panem consecrare. Ex quo etiam apparet esse 52 *D. Thom. Scotus. Albertus. Thom. de Argent. Paludan. Soto. D. Thom.*

materiam dubiam. De hordeo verò, auena, milio, & similibus granis communiter omnes negant posse fieri materiam huius Sacramenti, quia verè non sunt triticum.

53 Ex quibus patet, ex solo illo frumento confici certam materiam huius Sacramenti, quod in quauis regione à peritis certò iudicatur esse triticum: siue id in diuersis regionibus sit diuersæ speciei, siue non. Hoc enim non facit ad rem, modò sit verum triticum. Vnde vlteriùs sequitur, aliam omnem materiam, aut esse absolutè insufficientem; aut saltem dubiam; qualis est panis confectus ex fecali, aut spelta. Quare graue esset peccatum hac vti. Et cùm hoc Sacramentum non sit absolutè necessarium ad salutem sicut baptismus multis est necessarius; vix potest occurrere casus, in quo quis ea materia licitè vtatur.

54 Idem dicendum de amylo, quod etsi ex vero tritico conficiatur, multi tamen putant per eius confectionem triticum substantialiter immutari: atq; ita ex eo non posse confici materiam huius Sacramenti.

D. Thom. Ita D. Thomas ad 4. Quare si ex eo siccato fieret panis, nulli liceret eum consecrare. quia vt minimum esset materia dubia.

55 Notandum demum cum D. Thoma hîc ad 3. si cum farina triticea aliqua alia, aut cum aqua naturali aliquis alius liquor in parua quantitate misceretur, & ita panis conficeretur, fore materiam sufficientem: peccaturum tamen qui ea vteretur. quia saltem est de necessitate præcepti vt vramur pane confecto ex puro tritico & aqua naturali, præsertim in Ecclesia Latina, quæ azymo pane vtitur. Nam in Græca licet ea miscere, quæ ad panem fermentarum conficiendum necessaria sunt. Purum autem voco triticum, quod aut nulla, aut pauca admodum habet alia grana permista. Nam si in magna quantitate tritici, pauca aliqua grana speltæ, aut fecalis permista sint, pro nihilo computantur. Tale autem triticum adhibita aliqua diligentia facilè potest haberi, saltem aliunde importatum, in regionibus vbi non nascitur, cùm non sit opus tam magna quantitate.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm hoc Sacramentum debeat confici ex pane azymo?

56 ARTICVLO IV. docet Primò, nihil referre ad essentiam Sacramenti, an consecretur panis fermentatus, an azymus.

Docet secundò, ex consuetudine & præcepto Ecclesiæ Latinos teneri celebrare in pane azymo, & Græcos in fermentato. Vtraque conclusio est definita in Florent. §. 2. prout in compendio

Florent. refertur, vbi dicitur: *Item definimus in azymo siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque iuxta Ecclesiæ suæ siue Occidentalis, siue Orientalis consuetudinem.*

57 Docet Tertiò, consuetudinem Ecclesiæ Romanæ consecrandi panem azymum esse meliorem. Primò, quia sequitur in hoc exemplum Christi. Secundò, quia per hunc panem significatur magis puritas corporis Christi, quod sine opera viri conceptum fuit. Addit tamen, Græcorum consuetudinem non esse irrationabilem, quia per fermentarum quod farinæ mistum panem sapidum reddit, significatur diuinitas, quæ coniuncta humanitati Christi, ei omnem virturem dedit. quæ sequentibus dubiis latiùs explicanda sunt.

DVBIVM I.

Vtrùm Christus consecrauerit panem azymum, an fermentatum?

58 LAtini omnes asserunt, Christum celebrasse in pane azymo: contrà Græci aiunt, vsum fermẽtaro. Vt autem hæc quæstio faciliùs discutiatur, quærendum est Primò quo die Christus hoc Sacramentum instituerit: Vtrùm scilicet die 13. an 14. mensis primi, & Vtrùm pridie paschatis, ac eodem die, quo Iudæi agnum paschalem comedebant?

59 Nota Primò, Iudæos habuisse menses lunares, & computasse illum diem primum mensis, in quo accidebat nouilunium. Annum autem incipiebant ab eo mense cuius 14. dies incidebat post æquinoctium vernum, quem mensem vocabant Nisan; vt patet Hester 3. v. 7. quo etiam egressi sunt ex Ægypto, vt patet Exodi 12.

Iudæi habuerunt menses lunares. *Hester 3. Exodi 12.*

60 Nota Secundò, Iudæos solitos incipere suas festiuitates à vespera, siue statim à solis occasu, præcedente ipsum diem festum: sicut si dies Dominicus apud nos inciperet die sabbati post occasum solis, & duraret vsque ad occasum solis sequentem. Patet Leuit. 23. v. 32. vbi dicitur: *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Addit Sotus in 4. d. 9. a. 4. §. *Tertium fundamẽtum est*, similiter apud Iudæos diem naturalem incepisse à vespera, siue ab occasu solis. Sed hoc non credo esse verum, quia inde sequeretur, primam horam diei fore primam horam post occasum solis, sicut iam Itali primam horam diei numerant. Vnde vlteriùs sequeretur, Christum fuisse crucifixum circa horam 18. cuius contrarium constat ex Euangelio. Nam ex Ioan. 19. v. 14. & communi Ecclesiæ sensu constat fuisse crucifixum circa horam 6. secundùm computum Iudæorum, siue circa horam 12. secundùm nostrum computum, qui diem à media nocte incipimus. Ex quo constat Hebræos dies naturales incepisse ab ortu solis, à quo horas incipiebant computare. Vnde Matth. 20. patet familias primum egreditur summo mane, deinde hora 3. deinde hora 6. deinde hora 9. & demũ hora 11. vt vocet operarios. Confir. Primò, quia Leuit. 23. clarè distinguitur tempus diei naturalis à tempore obseruationis festi. Quod patet Primò, quia tanquam aliquid singulare præcipitur, vt festa seruentur à vespera vsque ad vesperam. Quòd si dies naturalis hoc modo incepisset, sufficisset dicere, vt integrum diem seruarent. Cùm igitur tam expressè hoc præscribitur, ostenditur hoc tẽpus aliter computari, quàm dies communiter computentur. Patet Secundò clariùs. quia ibidem v. 27. dicitur: *Decimo die mensis huius septimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus, affligetisque animas vestras in eo.* Deinde v. 32. dicitur: *Sabbatum requietionis est, & affligetis animas vestras die nono mensis; a vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Vbi afflictio quæ antea præcipiebatur fieri decimo die, hîc præcipitur fieri nono die, & vocatur etiá sabbatum requietionis, non quòd duobus integris diebus debebant quiescere ac se affligere: sed quia hæc quies incipiebat die nona vesperi, & durabat vsque ad vesperam sequẽtis diei. quod clariùs habetur in Hebræo hoc modo: *Sabbatum requietionis est, & affligetis animas vestras, בתשעת לחדש בערב in nona mensis in vespere.* Vbi clarè ostenditur, hanc vesperam esse partem diei noni. Cur autem tunc deberent incipere afflictionem & quietem, rationem statim subiungit: *à vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Ex quibus, vt ego possum iudicare, res clarè conuincitur. Similiter communiter ac propriè dies decimus quintus dicebatur dies primus azymorum, vt patet Leuitici 23. v. 6. & 7. & nihilominus Matth. 26. v. 17. & Marci 14. v. 12. Lucæ 22.

61 diem verò cõmunem à solis ortu. *Matth. 20.* *Leuit. 23.* *Leuit. 23. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.*

Cur dies 14. dicatur primus azymorũ.

v. 7. dies 14. dicitur primus dies azymorum: quia scilicet in vespera illius diei incipiebat solemnitas azymorum. quæ locutio esset valdè contorta, si illa vespera non fuisset pars diei 14.

62 *Exodi 12. Levit. 23. Num. 28.*

Nota Tertiò, Exodi 12. v. 18. & Levit. 23. v. 5. & Num. 28. v. 16. Israëlitis fuisse præceptum, vt 14. die mensis primi ad vesperam, siue, vt hebraïcè habetur, in vespera comederent pascha, siue agnum paschalem: & ab eo vespere per septem dies nullum fermentum poterat reperiri in domibus eorum.

63 *Levit. 23.*

Nota Quartò, primum diem azymorum, siue 15. diem mensis primi, fuisse Iudæis valdè celebrem, & dici solemnitatem siue festum azymorum: vt patet Levit. 23. v. 6. quia autem hunc diem celebrabant in memoriam transitus Domini percutientis Ægyptum, & inde eos educentis, vocabant eum diem, festum *Ioan. 13.* paschæ, vt patet Ioan. 13. v. 1.

64

Nota Quintò, Luisium Legionensem in opusculo quod inscripsit, *de Vtriusque agni, typici atque veri immolationis legitimo tempore*, putare Iudæos debuisse comedere agnum paschalem in vespera, siue post occasum solis diei 13. Fundamentum ipsius est, quia Iudæis fuit præceptum vt comederent agnum in vespera diei 14. atqui cùm Iudæi suos dies inciperent à vespera præcedente, vespera diei 14. debet dici ea quæ eum diem præcedit, non autem ea quæ ipsam sequitur: quod ait communiter DD. non aduertisse, ideóque lapsos esse, & putasse vesperam diei 14. esse eam quæ sequebatur diem, non autem quæ præcedebat.

Soto.

Et sanè si vera esset sententia Soti, quam notabili 2. refutaui, hæc ratio appareret satis plausibilis, nec ita facilè posset solui. Sed ex iis quæ diximus apparet planè inanis & falsa. Nam, vt ostendi, dies Iudæorum naturalis incipiebat non à vespera, sed ab ortu solis: ideóque etiam in institutione festorum, vespera cuiusque diei dicitur ea, quæ ipsius est pars vltima, siue quæ occasum illius diei sequitur. Quia, vt suprà ostendi Levit. 23. v. 27. & 32. festum expiationis dicitur *Levit. 23.* celebrandum die 10. mensis; ità tamen vt incipiat celebrari in vespera diei noni.

65 *Exodi 12.*

Deinde hæc opinio repugnat apertis Scripturis. Nam Exodi 12. iubentur filij Israël decimo mensis primi seligere agnum paschalem, & seruare eum vsque ad diem 14. & cum immolare die 14. ad vesperam: atqui secundùm illam sententiam, non fuisset agnus seruatus vsque ad diem 14. sed fuisset immolatus die 13.

Dices, fuisse seruatum agnum vsque ad diem 14. inchoatum: quia immolabatur vespere, siue post occasum solis diei 13. à quo tempore incipiebat dies 14. Sed contrà, hoc repugnat Primò statim dictis. Nam *Levit. 23.* ex Levit. 23. clarè ostendi in Scriptura vesperam computari pro parte diei præcedentis, non autem pro parte sequentis diei. Secundò repugnat apertè textui illius capitis 12. Nam dum dicitur Iudæos debuisse immolare agnum ad vesperam; non ita intelligendum est, quasi post occasum solis debuerint eum immolare, vt responsio supponit: sed quia debebant eum immolare appropinquante iam illo vespere. quod etsi ex textu latino non possit probari: tamen *Exodi 12.* ex hebræo est clarissimum. Nam dicto capite Exodi 12. v. 6. vbi nos habemus: *immolabítque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam*, hebraïcè habetur, בין הערבים id est, inter duas vesperas, siue inter duas tenebras, siue noctes, accipiendo vesperam pro tota nocte. Vbi apertè significatur, agnum debuisse immolari ipso die 14. claro die, siue post noctem antecedentem, & ante vesperam noctis sequentis. Et confirmatur Primò, quia quando Scriptura vult aliquid fieri vesperi, siue post occasum solis, longè aliter hoc exprimit, dicendo illud debere fieri כערב in vespera. vt patet ibidem vers. 18. vbi dicitur, *primo mense quartâ decimâ die* כערב *in vespera comedetis azymos.*

Agnus paschalis immolabatur ante occasum solis.

Confirm. Secundò, quia res fuisset nimis operosa & difficilis, si debuisset agnum immolare post occasum solis, quem eodem vespere debebant assare igni & comedere, & res nimis diu fuisset protracta, cùm vix ante mediam noctem potuissent cœnam incipere: cùm tamen contrarium clarè appareat ex Euangelio. Nam Christus post cœnam legalem lauit suorum pedes, & deinde Ven. Sacramentum instituit: suisque distribuit, ac communem cœnam cum iis sumpsit, & postea egresso Iuda longissimam concionem habuit. Deinde iuit ad montem Oliueti, ibique ter orauit, & quidem prolixè: vt habetur Luc. 22. v. 43. *Luc. 22.* & ter venit ad discipulos. Vnde colligitur eum ibi plus quàm vnam horam hæsisse: & tamen ex iis, quæ postea secuta sunt, facilè colligitur eum vt tardissimè circa mediam noctem fuisse captum. Vnde sequitur, eum debuisse absoluisse cœnam legalem notabiliter ante horam tertiam post occasum solis: quod fieri non potuisset, si agnus debuisset occidi post occasum solis. Facile esset pluribus dictam sententiam refutare, sed hæc sufficiunt, præsertim cùm ostensum sit eam nullo niti fundamento, cúmque pugnet contra communem omnium opinionem.

66

His igitur positis difficultas, quam hîc disputamus, est, Vtrùm Christus comederit agnum paschalem die 14. mensis, & eodem tempore, quo alij Iudæi eum comedebant?

67

Prima sententia est Græcorum, qui iam à quingentis & amplius annis omnes docent, Christum manducasse agnum die 13. mensis, & passum esse die 14.

Probant Primò, quia Iudæi Matth. 26. dum consultarent de occidendo Christo, dicebant: *Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo*: ergo Christus non fuit occisus in die festo paschæ, qui incidebat in diem 15. sed antè. *Matth. 26.*

Secundò, quia eodem die quo Christus mortuus est, Ioseph mercatus est sindonem, & mulieres parauerunt aromata ad sepeliendum & vngendum Christum, & Iudæi criminaliter contra eum processerunt; quorum nihil licebat facere die festo paschæ, in quo, vt habetur Levit. 23. omnia opera seruilia *Levit. 23.* prohibebantur: ergo Christus non fuit mortuus ipso die festo.

Tertiò, quia Ioan. 13. dicitur Christus sumpsisse *Ioan. 13.* vltimam cœnam ante diem festum paschæ, qui incipiebat luna 14. ad vesperam.

Quartò, quia Ioan. 18. Iudæi non introierunt in *Ioan. 18.* domum Pilati ne contaminarentur, sed vt possent comedere pascha: ergo illud nondum comederant.

Quintò, quia Ioan. 19. dies qua Christus passus est, *Ioan. 19.* dicitur parasceue paschæ.

68

Secunda sententia est omnium Latinorum, Christum esse passum die 15. mensis, & comedisse pascha die 14. vesperi. Aliqui tamen putant Iudæos illo anno non celebrasse primum diem azymorum die 15. sed die 16. atque ita Christum non fuisse mortuum in festo paschæ, sed pridie.

Tertiâ itaque sententia est Pauli Burgensis, qui *Paulus Burgensis.* in additione ad Liranum in cap. 26. Matth. docet, quando festiuitas, siue dies primus azymorum incidebat in feriam primam, quartam aut sextam, solitam transferri in diem sequentem, ita vt Iudæi comederent agnum die 15. & celebrarent festum azymorum die 16.

69

Quarta sententia est Ruperti in commentario in *Ruperti.* c. 23. Levit. & Matth. 26. qui cum Burgensi consentit in illam festi translationem azymorum, negat tamen Iudæos solitos trâsferre comestionem agni paschalis. Fundamentum vtriusque sententiæ est traditio quædam Hebræorum, qui dicunt hoc statutum fuisse

post liberationem populi Israël ex captiuitate Babylonica, & restaurationem templi, ne duo festa, v. c. pascha & sabbatum, immediatè se mutuò sequerentur, quod fuisset graue incommodum. Primò, quia tunc Iudæi debuissent parare ante illa festa & coquere omnes cibos, quos illis duobus diebus voluissent comedere. Secundò, quia quando festum azymorum incidisset primo die hebdomadæ, debuissent Iudæi die sabbati occidere agnum paschalem, & ignem accendere quo eum assarent: cùm tamen Exodi 35. v. 3. fuerit prohibitum sabbato succendere ignem ad coquendum cibum.

Exod. 35.

Burgensis. Hinc Burgensis infert, Christum eo anno quo mortuus est, non comedisse agnum eodem die quo Iudæi eum comedebant. quia hi comedebant eum feria 6. & luna 15. Christus autem comedebat eum feria 5. scilicet luna 14. Sed hæ sententiæ non sunt probabiles, vt ostendam infrà.

70 CONCLVSIO I. Iudæi etiam tempore Christi semper comedebant agnum paschalem die 14. mensis primi, & die 15. celebrabant festum azymorum.

Exod. 12. Leuit. 23. Num. 28. Est communis DD. paucis exceptis, & etiam Græci hoc fatentur. Probatur, quia Exodi 12. v. 7. & 18. & Leuit. 23. v. 6. & Num. 28. v. 18. hoc absolutè & generatim sine vlla exceptione præcipitur: ergo fuerunt semper ad hoc faciendum obligati. Quare incredibile est eos circa tempora Christi hanc cæremoniam mutasse; cùm tunc eiusmodi cæremoniarum fuerint obseruantissimi.

Iosephus. Probatur Secundò, quia Iosephus scribens ea quæ ipse suis oculis spectabat l. 2. Antiquit. c. 3. & l. 3. c. 1. scribit eam legem de immolando agno paschali luna 14. & die 15. seruanda solemnitate azymorum semper fuisse inuiolabiliter obseruatam.

71 Christus comedit pascha eodem die quo alij Iudæi. Probatur Tertiò, quia Christus comedit eodem die pascha, quo reliqui ex lege id tenebantur comedere: atqui ipse comedit hoc feria quinta, vt omnes fatentur: ergo etiam Iudæi illud tunc comedebant: ergo falsum est eos non solere vmquam comedere pascha feria quinta.

Luc. 22. Maior probatur, quia Lucæ 22. dicitur: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.* Vbi Lucas agit de die in quo Christus comedit pascha; & dicit necesse fuisse in eo die comedere pascha. Etne fortè quis dicat fuisse præceptum eo die comedere pascha, Iudæos autem hoc præceptum non obseruasse, addit Marcus, *Primo die azymorum, quando pascha immolabant*, scilicet Iudæi, clarè ostendens eos eodem die immolasse pascha.

Marci 14.

Ruperius. Dices cum Ruperto, eos quidem eo die immolasse pascha, sed sequenti die non celebrasse festiuitatem azymorum. Sed hoc & gratis dicitur, & apertè repugnat Euangelistis. Matth. 26. v. 17. Marc. 14. v. 12. Luc. 22. v. 6. qui omnes vocant eum diem quo Christus comedebat pascha, primum diem azymorum. quia scilicet in fine illius diei post occasum solis incipiebat festiuitas azymorum, vt patet Exodi 12. v. 18. quod fuisset falsum, si primus dies azymorum fuisset translatus in sabbatum. quia tunc solùm incepisset feria sexta vesperi.

Matth. 26. Marci 14. Luc. 22.

Exod. 12.

72 Prob. Quartò, quia vel illa causa translationis festorum fuit talis, vt effecerit illam translationem necessariam ac legitimam: vel non fuit ad hoc sufficiens. Primum dici nequit: quia tunc Deus sine dubio ab initio talem translationem instituisset: quod omnes negant. Item legitimè tunc tempore passionis Iudæi celebrassent phase die 15. ad vesperam, & consequenter falsum fuisset, fuisse necesse die 14. comedere pascha. & Christus illegitimo tempore comedisset contra aperta testimonia Euangelistarum.

Secundum etiam dici nequit: quia auctores illius volunt illud decretum factum circa instaurationem templi post reditum populi ex captiuitate Babylonica: quo tempore Nehemias, aliique sanctissimi viri ac prophetæ viuebant, qui numquam eiusmodi rem contra expressum legis mandatum permisissent. qui tamen numquam leguntur vel verbum contra eiusmodi statutum dixisse. Vnde sequitur, tunc nullum tale statutum fuisse.

Probatur Quintò, quia illa sententia nititur sola traditione Rabbinorum, & quidem satis recentium, qui eam sine vllo fundamento, & sine vllo antiquo teste confinxerunt. Nec refert quòd Iudæi iam ita disponant suum calendarium, vt numquam primus dies azymorum in feriam primam quartam, aut sextam incidat. Quia illa consuetudo habuit initium vt summum à quingentis aut sexcentis annis: vt clarè probat Cardin. Bellarm. l. 4. de Sacramentis c. 8. §. *Secundò falsum est.* Ratio etiam cur illa festa sic deberent differri, nullius momenti est. Nam supponit falsum, scilicet, quòd in eiusmodi solemnitatibus non licuerit coquere cibos: cuius contrarium apertè dicitur Exodi 12. v. 16. vbi de primo & septimo die azymorum dicitur: *Nil operis facietis in iis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.* Similiter falsum est, quòd non licuerit sabbato incidenti in feriam decimam quartam mensis primi, immolare eo die, ac assare agnũ paschalem. solùm enim erat Iudæis prohibitum die sabbati parare cibos communes. immolatio autem illa & assatio agni paschalis erat cæremonia quædam sacra ad cultum Dei pertinens, quæ eodem modo erat licita sabbato. sicut oblatio aliorũ sacrificiorum: de quibus Christus Matth. 12. *Aut non legistis*, inquit, *in lege, quia sabbatis sacerdote in templo sabbata violant, & sine crimine sunt?* Adde, si aliqua ratio fuisset habenda talium incommodorum, cùm Deus illa clarissimè præuiderit, ab initio ita pascha instituisset, vt potuissent facilè euitari. quod cum non fecerit, clarum est noluisse vllam eorum haberi rationem.

Bellarm. *Exod. 12.* *Matth. 12.*

CONCL. II. Christus comedit cum discipulis agnum paschalem die 14. 74

Est communis Latinorum. Probatur Primò, quia Matth. 26. dicitur: *Primo die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, Vbi vis paremus tibi comedere pascha?* Marci 14. *Primo die azymorum, quando pascha immolabant*, scilicet Iudæi, *dicunt ei discipuli: Quò vis eamus & paremus tibi vt manduces pascha?* Lucæ 22. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.* Vnde sumitur triplex argumentum. Primò, quia illum diem in quo Christus comedit pascha, Euangelistæ vocant primum diem azymorum; quod nullo modo potest dici de die 13. quia toto illo die licebat comedere fermentatum: sed solùm de die 14. quem Euangelistæ vocant primum diem azymorum, quia in eius posteriore parte, siue vespera, nullo modo licebat Iudæis comedere fermentatum, aut illud habere in suis domibus, vt expressè habetur Exodi 12. v. 18. Secundò, vt patet ex Marco, Iudæi eodem die immolabant pascha: atqui ipsi numquam illud immolabant die 13. sed 14. vt patet ex conclus. 1. Tertiò, dicit Lucas fuisse necesse eo die immolare pascha, scil. propter præceptum legis, quod solùm præcipiebat id immolare die 14. vt patet Exod. 12. v. 6. & Leuit. 23. v. 5. Nullibi autem quid simile præcipitur de die 13.

Matth. 26. *Marc. 14.* *Luc. 22.* *Exod. 12.*

75 Respondent aliqui Græci Primò, illud Lucæ, *Venit autem dies azymorum*, idem significare, atque *appropinquabat dies*, &c. Sed hoc dici nullo modo potest. Primò, quia illud *venit* in Luca est præteritum, vt patet ex Græco ἦλθε. Secundò, quia Lucas antè dixerat appropinquasse diem azymorum, & postea dixit venisse. Tertiò, quia alij Euangelistæ dicunt apertè tunc fuisse primum diem azymorum.

Exod. 12. Leuit. 23.

76 Respondent Secundò, dici illum diem primum azymorum: quia Christus tunc cum discipulis in

comestione agni vrebatur azymo pane. Sed hoc dici nequit. Primò, quia Euangelistæ nõ respectiuè sed absolutè vocant illum diem primum azymorum. Secundò, quia dicunt ideo petiisse discipulos à Christo vbi vellet comedere pascha, quia erat primus dies azymorum, non autem quia tunc Christus volebat comedere pascha. Tertiò, quia Marcus & Lucas dicunt tunc Iudæos immolasse pascha, idque necesse fuisse. quod esset falsum si solus Christus comedisset pascha.

77 D. Thom. Quare euidentia horum testimoniorum conuicti respondent alij Tertiò (vt refert D. Thom. in 4. d. 11. q. 2. a. 2. quæstiuncula 3.) tres illos Euangelistas erasse, & à D. Ioanne correctos fuisse: sed in eo ostendunt se absolutè hæreticos & blasphemos esse, & quòd malint ab Euangelio recedere, quàm suis erroribus.

Ex his apertè patet, Christum eodem die comedisse pascha, quo id omnes Iudæi comedebant. quod etiam Marcus & Lucas suprà citati apertissimè testantur. quod etiam plurimis argumentis liceret confirmare: sed vix video quid clarius possit adferri.

78 Ad argum. Primum Græcorum suprà pro prima sententia allatum, nego consequ. Quia initio Iudæi aliqui timuerunt Christum occidere in festo paschæ, ne fieret tumultus in populo: postea tamen oblata occasione ex proditione Iudæ promittenti ũ trãdere sine turbis, omnes statuerunt statim occidendum; & quidem die festo, vt maior eius esset ignominia.

79 Quædam opera interdicta sabbato licebant in aliis festis. Exod. 12. Tob. 2. Ad Secundum Resp. diebus festis non ita strictè fuisse omnia opera interdicta sicut diebus sabbati. quia licebat in illis cibos coquere. vt patet Exodi 12. 16. Quare similiter etiam licita erant opera pietatis; quale erat sepelire mortuum, præsertim quando sepultura non poterat differri, vt accidebat in morte Christi imminente sabbato. Sic Tobiæ 2. v. 4. narratur ipsum die festo sustulisse occisum iacentem in plateis, & tulisse domum, vt eum sepeliret. Quòd autem sepelierit cum post solis occasum, non ideo fecit quia timebat violare festum, sed quia timebat deprehendi, si clara luce eum sepeliuisset. Confirm. quia si non licuisset tunc sepelire, nec licuisset

Ioan. 5. ferre cadauer. vt patet ex Ioan. 5. v. 10. vbi Iudæi reprehendunt ferentem grabatum in sabbato. Vnde eodem Tobiæ loco dicitur quòd occultè eum sustulerit, & cautè sepeliuerit. Quare etiam consequenter licebat parare & facere ea quæ ad sepulturam erant necessaria. v. c. emere sindonem & aromata. Confirm. quia hæc videntur minùs seruilia quàm fodere sepulchrum cui cadauer imponas: & tamen hoc ob necessitatem licuit die festo: ergo & illud.

Quod autem spectat ad Iudæos criminaliter contra Christum agentes, certum est eos siue bene, siue malè sibi persuasisse hoc sibi licere die festo. Nam inuidia & odio excæcari putabant se Deo sacrificium facere procurando mortem Christi. Hinc dum consulrarent de morte ipsi inferenda, non dicebant, *non in die festo*, ne ipsum violemus; sed *ne tumultus fiat in populo*: quasi supponentes festum aliàs non violandum per mortem Christi.

80 Ioan. 13. Ad Tertium Resp. S. Ioannem c. 13. dum dicit Christi cœnam contigisse ante diem festum paschæ; computasse dies non secundùm vsum sacrum quo festa incipiebant à vespera præcedente: sed secundùm vsum ciuilem & communem, secundùm quem dies primus azymorum, quem Ioannes vocat diem festum paschæ, incipiebat sequenti mane ab ortu solis. Qua ratione etiam communiter in Scriptura dies primus azymorum vocatur dies decimus quintus: cùm tamen vsus azymi inciperet die 14. ad vesperam, vt

Exodi. 12. habetur Exodi 12. 18.

81 Ad Quartum varij varia respondent: sed verior & planior est illorum responsio, qui dicunt per pascha ibi intelligi victimas paschales, quæ singulis festis paschalibus solebant offerri: vt pater Num 28. v. 19. Num. 28. Vocabantur enim hæ hostiæ pascha; quia in festo paschatis immolabantur. Sicut hostia oblata pro peccato, dicitur peccatum 2. Corinth. 5. v. 21. 2. Cor. 5.

Ad Quintum Resp. parasceuen paschæ non dici 82 eam quæ precedebat festum paschæ: sed quæ incidebat in festa paschalia. Nam solum sabbatum præcedebat parasceue, q. d. præparatio, siue dies præparationis; sic dicta, quia cum Iudæi die sabbati non possent vllos cibos coquere; quæ volebant edere die sabbati, præparabant pridie: vt habetur Exodi 16. v. 23. In aliis autem festis licebat coquere cibos, vt habetur Exodi 12. v. 16. Quare pro his non erat opus parasceue eos præcedente. Solum sabbatum habebat parasceuen. Exodi 16. Exodi 12.

Concl. III. Christus est mortuus die 15. mensis, 83 qui erat primus dies azymorum & festum paschatis. Sequitur apertè ex dictis: quia de fide est eum esse mortuum postridie quàm sumpserat cœnam, vt pater ex omnibus Euangelistis, & ex Apostolo 1. ad Cor. 11. v. 23. Confirm. quia Ioan. 13. dicitur Christus 1. Cor. 11. sumpsisse vltimam cœnam ante diem festum paschæ, Ioan. 13. qui erat 15. dies mensis: quibus verbis Euangelista voluit designare certum aliquem diem, in quo Christus vltimò cœnauit: ergo loquitur ibi de die siue vespera immediatè præcedente diem festum paschæ. quia alias nullum certum diem designasset: atqui Christus die sequente ipsam cœnam est passus: ergo ipso die paschatis Iudæorum est passus.

Confirm. Secundò, quia Ioan. 18. Pilatus dicit Iu- Ioan. 18. dæis: *Est autem vobis consuetudo, vt vnum dimittam vobis in pascha.* &, vt habetur Matth. 27. *per diem so-* Matth. 27. *lemnem*, & Marci 15. *per diem festum*. Ex quibus patet, Marc. 15. ipso die festo paschatis debuisse illũ vinctum dimitti. atqui hæc dicta fuerunt, & Barabbas fuit dimissus eodẽ die quo Christus passus est: ergo fuit passus in die solemni paschæ, die 15. mensis, quia dies præcedens siue 14. non erat festus aut solemnis: nec vllibi sic vocatur in Scriptura, quamuis vespera eius esset solemnis & festa.

Contra dicta vnica restat obiectio satis difficilis, & 84 quæ multos torsit, & nescio an ideo fortasse à multis dissimulanter planè omittatur. Est autem talis: Spiritus sanctus, vt patet ex traditione Ecclesiæ, descendit in Apostolos die Dominico, & quidem eodem die quo Iudæi celebrabant festũ pentecostes: atqui hoc non potuisset fieri, si festum paschæ incidisset in feriam sextam, quia tunc necessariò festum pentecostes incidisset in diem sabbati: ergo illud non est dicendum. Minor probatur, quia Leuit. 23. Leuit. 23. iubentur filij Israël altero die sabbati, siue altero die post festum azymorum, qui vocatur ibidem sabbatum, offerre primitias frugum Domino: & v. 15. additur: *Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas vsque ad alterum diem explctionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium nouum Domino.* Vbi clarè dicitur, diem pentecostes semper fuisse diem quinquagesimum à secundo die azymorum. quare si dum passus est Christus, secundus dies azymorum fuerit sabbatum: etiam festum pentecostes eo anno incidit in sabbatum. quod est contra communem Ecclesiæ sensum. Respondent aliqui negando minorem. quia putant quando festum paschæ incidebat in feriam sextam, tunc Iudæos manipulum primitiarum non obtulisse secundo azymorum (quia hic esset sabbatum, in quo non poterant metere, & exsiccare manipulum offerendum) sed die tertio; ideoque in Scriptura non dici manipulum offerendum altero die paschæ, sed altero die sabbati.

Sed contra hanc explicationem facit Primò, quòd 85 Iosephus cæremoniarum Iudaicarum peritissimus l. 3. Iosephus Antiquit.

Antiquit. c. 10. absolutè dicat, hos quinquaginta dies incepisse numerari post paschale sacrum siue festum. quod necessariò intelligendum est de primo die post illud festum. nam alioquin nullum certum diem designasset. Quòd si fuisset aliqua exceptio facienda, cùm has res exactè describat, eã omnino expressisset.

Secundò, Scriptura loco citato per sabbatum non potuit alium diem intelligere, quàm ipsum festum, siue diem primum azymorum. tum quia toto illo capite sæpe eiusmodi festa vocat sabbata, eò quòd filij Israël in iis deberent quiescere ab operibus seruilibus: tum quia aliàs Scriptura nullum certum diem designasset, quo debuisset ille manipulus offerri. quia nullus est alius certus dies, qui ibi nomine sabbati possit intelligi. Nec enim potest intelligi sabbatum aliquod vagum, vt omnes fatentur, & per se patet: nec etiam sabbatum proximè sequens ipsum festum azymorum. quia si festum incidisset in feriam primam, tunc manipulus debuisset offerri die octaua à festo paschatis, quod nemo dixerit.

86 Dices, per sabbatum intelligi tam festum azymorum, quàm sabbatum immediatè ipsum sequens.

Sed contrà est Primò, quòd hoc modo Scriptura per sabbatum non designasset determinatum ac certum diem, sed indeterminatè alterum ex illis duobus, & reliquisset ex coniecturis coniiciendum, quis dies deberet intelligi per sabbatum. quod tamen est contra morem Scripturæ, quæ exactissimè eiusmodi dies solet exprimere. Secundò, quia aliàs non debuisset Scriptura dicere *altero die à sabbato* (quo modo loquendi determinatus dies in singulari significatur) sed *à sabbatis*, vt comprehenderet tam dictum festum, quàm sabbatum immediatè sequens. Quare cùm generatim sine exceptione dicat, manipulum altera die à sabbato offerendum; sine fundamento aliquos casus excipimus. Tertiò, quia Deus præcisissimè volebat omnia festa certo die mensis celebrari, ita vt qui non poterant comedere pascha 14. die mensis primi, non possent illud comedere sequenti die, sed necessariò iis erat expectandus dies 14. mensis sequentis: ergo non est verosimile, festum pentecostes non habuisse diem omnino fixum, sed ob certos casus in alium diem mensis debuisse transferri. Nec refert quòd aliquando contingebat vt Iudæi deberent die sabbati metere & siccare manipulum frugum; eumque adferre ad sacerdotem offerendum Domino; quia cùm esset cæremonia sacra, non magis erat prohibita sabbato, quàm immolatio & assatio agni paschalis, ac aliarum victimarum.

Cæremonia sacra etiã apud Iudæos nõ violabat festa.

87 Alij variè respondent. Sed verissima videtur responsio, pentecosten Iudæorum illo anno incidisse in sabbatum; nec eo die, sed sequenti Spiritum sanctum descendisse.

Spiritus sanctus non descendit in pentecoste Iudæorum.

Quod igitur dicit Lucas Act. 2. *Et cùm complerentur dies pentecostes*: intelligendum est de pentecoste Christianorum. quod probatur Primò, quia, cùm Lucas hæc scribebat, celebre inter Christianos erat festum pentecostes, quod celebrabant in honorem descensionis Spiritus sancti: vt rectè contra Magdeburgenses docet Card. Bellarm. l. 3. de Sacramentis cap. 13. initio. Cùm igitur D. Lucas scriberet Christianis, verisimile est more Christiano fuisse locutum.

Act. 2.

Bellarm.

Act. 20.

Prob. Secundò, quia dum D. Lucas Act. 20. dicit D. Paulum festinasse vt ageret festum pentecostes Hierosolymis; teste Epiphanio hæresi 75. loquitur de pentecoste Christianorum: ergo simili modo intelligendus est c. 2.

Epiphan.

88 Tertio, quia contextus ipsius narrationis satis indicat D. Lucam per pentecosten intelligere quinquagesimum diem à resurrectione. Nam toto illo cap. docuerat, quomodo Christus per 40. dies fuerat conuersatus cum Apostolis, & die 41. ascenderat in cælum. Deinde addit quid Apostoli post eius ascensum agerent, tandemque c. 2. subiungit: *Et cùm complerentur dies pentecostes*, scilicet quinquaginta à resurrectione. Hoc enim modo hæc optimè connectuntur præcedentibus, si intelligatur semper de eodem dierum ordine loqui. Nec refert quod statim post narrationem descensionis Spiritus sancti, dicat multos Iudæos fuisse Hierosolymis, qui ad festum conuenerant. quia hoc ideo accidit; quia pridie fuerat festum Iudæorum.

Addit Suarez tomo 2. disp. 42. aliam explicationem, scilicet vt illud, *cum complerentur dies pentecostes*, idem sit ac si diceret; cùm completa esset, siue cùm transisset dies pentecostes. Quæ explicatio posset etiam probabiliter defendi, si cui altera displiceret.

Suarez.

Concl. IV. Certum omnino est Christum in institutione Venerab. Sacramenti vsum esse panè azymo. 89

Docet id fusè Gregorius IX. in epistola ad Michaëlem Cerularium Episc. Constantinopol. Et sequitur apertè ex dictis. Nam ex iis patet, Christum hoc Sacramentum instituisse die 14. ad vesperam eodem die quo Iudæi ex præscripto legis phase comedebant: quo tempore nullus panis fermentatus poterat in eorum domibus reperiri: vt habetur Exodi 12. v. 18. & 19. Vnde euidentissimè sequitur, Christum tunc necessariò fuisse vsum panè azymo: quia aliàs tanquam præuaricator legis ab omnibus fuisset accusatus.

Greg. IX.

Exodi 12.

DVBIVM II.

An panis azymus, vel fermentatus sit materia necessaria huius Sacramenti?

90 Nota Primò, hîc esse quæstionem tam de necessitate ad valorem Sacramenti, quàm de necessitate præcepti.

Nota Secundò, vsque ad annum Christi 1050. fuisse indubitanter semper creditum in tota Ecclesia, vtrumque tam fermentatum, quàm azymum esse sufficientem materiam huius Sacramenti: primùm circa dictum annum Michaël Cerularius Patriarcha Constantinopol. incepit damnare Latinos, quòd panem azymum consecrarent: vt docet Leo IX. epist. ad eundem data, c. 5.

Michaël Cerularius.

Leo IX.

91 Prima igitur sententia est Græcorum, qui putant panem fermentatum esse necessarium ad valorem Sacramenti. Primò, quia putant Christum vsum panè fermentato. Secundò, quia putant solum panem fermentatum propriè dici panem: tum quia eo solo communiter vtimur: tum quia volunt ἄρτος, id est panis, dici ab αἴρω, id est, tollo, quòd fermento attollatur. quod in azymum non conuenit.

Secunda sententia docet, nec Latinos posse validè consecrare in panè fermentato, nec Græcos in azymo. Ita Gloss. in c. *Litteras.* de celebrat. Missarum. Sed hæc sententia caret omni fundamento, & eam satis refutaui q. 60. a. 6. in dub. concl. 4.

Tertia sententia docet, panem azymum omnibus esse de necessitate præcepti, ideoque peccare Græcos vtendo fermentato. Quia tenentur se conformare Ecclesiæ Romanæ quæ est caput omnium Ecclesiarum & hac in re exemplum Christi sequitur. Ita licet dubitanter Scot. in 4. d. 11. q. 6. in fin.

Scotus.

Quarta opinio docet, Latinos teneri vti panè azymo: Græcis liberum esse vtrolibet vti. quia possunt aut Ecclesiæ suæ consuetudinem sequi, aut Latinæ Ecclesiæ se conformare si velint. Hanc insinuat Paludan. 4. d. 11. q. 1. a. 4. concl. 6.

Paludan.

Quinta opinio est nostrorum hæreticorum, qui adiaphorum putant vtro quis panè vratur, sicut adiaphorum est vino albo an rubro vtaris. Volunt

Hæretici nostri.

tamen fermentatum magis esse conuenientem. Primò, quia est aptior ad hominem cibandum, ideoque magis vsualis & communis. Secundò, quia vti azymis videtur sapere cæremonias Iudaicas. Vnde in can. 11. Trullano prohibentur Christiani comedere azyma Iudæorum.

93 Impudens Caluini mendacium.

Quia in re notandum est impudens mendacium Caluini, qui l. 4. Instit. c. 43. ait constare ex historiis totam Ecclesiam initio vsum pane fermentato vsque ad tempora Alexandri Papæ. Hunc verò vt nouo spectaculo populum in admirationem raperet, primò instituisse vt sacerdotes consecrarent panem azymum. Sed bene facit nullum historicum citando; quia nullum probatæ fidei reperire posset, qui hoc dicat. Simili etiam fraude non dicit, quis ille Alexander fuerit, cùm tamen plures Alexandri fuerint Pontifices. Sed verosimile est eum non agere contra Alexandrum I. qui floruit anno Christi 125. septimus Pontifex à D. Petro. Nec enim hæretici facilè fatebuntur ritum quem reprehendunt, esse tam antiquum, & à tam sancto Christi martyre institutum. Si autem intelligat Alexandrum II. aut sequentes, eum manifestè mentiri patet ex epistola Leonis IX. qui præcessit diu Alexandrum II. & contra Michaëlem Constantinopolitanum morem Latinorum celebrandi in azymis defendit.

94 *Florent.*

CONCL. I. Tam panis azymus quàm fermentatus, modò sit triticeus, est sufficiens materia huius Sacramenti. Est de fide, vt patet ex Florentino citato in explicatione art. Et patet, quia vterq; est verè & propriè dictus panis: atque ita in Scriptura absolutè vocatur. & de fermentato omnes fatentur: & de azymo pater Primò ex Matth. 26. 26. Marci 14. 22. Lucæ 22. 19. vbi dicitur, Christum accepisse panem græcè ἄρτον, quem tamen suprà dub. 1. concl. 4. clarè ostendi fuisse azymum. Et quamuis hoc sine ratione Græci negent; tamen nullo modo possunt negare, quin panis quem Christus post resurrectionem in castello Emaus accepit ac benedixit, fuerit azymus: cùm hoc factum sit secundum nos tertio, aut secundum illos secundo die azymorum. quo tempore certum est in domibus aut mensis Iudæorum non potuisse comparere vllum panem fermentatum: & tamen absolutè id quod Christus ibi fregit dicitur panis, & græcè ἄρτος. Illa autem deriuatio Græcorum ab αἴρω, tam facilè reiicitur, quàm ab iis confingitur. Et quamuis eam concederemus, inde tamen non sequeretur, ita dictum, quia fermentato attollitur; sed quia habet vim homines ad iustam staturam attollendi, eos nutriendo, & hoc modo incrementum dando. Vnde patet responsio ad secundum argumentum Græcorum. In primo autem apertè falsum sumunt; vt patet ex dubio 1.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

CONCL. II. Ex necessitate præcepti tenentur Latini consecrare in pane azymo: Græci in fermentato.

95

Patet ex consuetudine vtriusque Ecclesiæ, quæ tanquam grauiter obligans respectiuè recepta est; & vtraque est rationabiliter introducta: vt patet ex dictis in explicatione articuli.

Ad fundamenta tertiæ & quartæ sententiæ Resp. cùm illa consuetudo fuerit legitimè in Ecclesiam introducta, Græcos non teneri eam dimittere; præsertim cum Ecclesia Romana hoc nullo modo iis præcipiat, aut illi consuetudini contradicat. Vnde nec in eo quòd illam retineant sunt vllo modo schismatici aut reprehensibiles; sed in eo quòd contrariam Latinorum consuetudinem damnent. Vnde sequitur, Græcos quidem posse communi consensu Latinorum consuetudinem amplecti: priuatos tamen nullo modo id posse quandiu in ea Ecclesia manent. Quia quisque obligatur obseruare legitima Ecclesiæ suæ præcepta.

Græci non peccant, quia nolint celebrare in azymo, sed quia hoc in aliis reprehendunt.

CONCL. III. Melior est consuetudo Latinorum, quàm Græcorum. 96

Primò, quia est conformis facto Christi: vt ostendi dub. 1. Secundò, quia panis azymus est purior, & aptiùs significat puritatem, tum Christi, quia sine semine virili conceptus fuit: tum eam qua hoc Sacramentum debemus suscipere. Azyma enim sinceritatem conscientiæ significant: sicut contra fermentum significat corruptionem & malitiam, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 6. *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* *1. Cor. 6.*

Nec refert quòd fermentum possit aliqua ratione significare vnionem diuinitatis cum humanitate Christi. quia, vt rectè notat D. Thomas hîc; hoc Sacramentum magis est Sacramẽtum corporis Christi, quàm diuinitatis eiusdem; ideoque magis debet significare puritatem corporis quàm diuinitatem Christi. *D. Thom.*

Ex his patet, etsi vterque panis possit esse sufficiens materia huius Sacramenti; meritò tamen Ecclesiam posse vsum huius vel illius præcipere: quia iustæ ad hoc sunt causæ. Et simili modo posset præcipere vsum vini rubri & albi, si iusta causa occurreret. 97 Ecclesia Latina meritò præcipit vsum azymi in sacrificio.

Ad Primum autem argumentum hæreticorum Resp. vtrumque panẽ esse aptissimũ ad nutriẽdum. Et quamuis fermẽtatus sit gratior gustui, ideoque magis vsitatus; nihilominus azimum esse apriorem ad vsum huius Sacramenti ob rationes dictas, quæ illi præponderant: præsertim ob Christi exemplum.

Ad Secundum Resp. nos non comedere azyma Iudæorum, nec in hoc facto eos imitari, sed ipsum Christum. Nec enim est prohibitum aliquid facere, quod olim fecerunt Iudæi: sed est prohibitum aliquid facere tanquam cæremoniam legis veteris. Sic in canone Trullano prohibemur iam cum Iudæis in communi mensa vti azymis: quamuis etiam illi canones non sint legitimè facti, nec alicuius Synodi generalis, vt præ se ferunt; sed aliquorum Græcorum post Synodum VI. peractam illegitimè conuenientium. Licitè quædam facimus quæ fecerũt Iudæi, modo non Iudaico ritu. Canones Trullani illegitimi.

DVBIVM III.

Vtrùm sacerdos Latinus existens inter Græcos debeat celebrare in pane fermentato, an verò in azymo.

VT hæc difficultas clarius explicetur, generatim explicandum est vtrùm peregrinus possit se accommodare particularibus consuetudinibus loci per quem transit, quando hæ contrariæ sunt consuetudinibus in sua patria sub peccato obligantibus; & Vtrum ad hoc teneatur. 98

Nota Primò, nos propriè dici in aliquo loco habere domicilium, in quo animo perpetuò ibi commorandi habitamus, siue communiter fixam sedem habemus, etsi actualiter ibi non simus præsentes. Sic existens pro aliquo breui tempore Louanij, potest dici habitare Antuerpiæ. Definimus autem ibidẽ habere domicilium statim atque eum locum deserimus, animo nunquam ad eum habitationis causa reuertendi. Ita communiter Doctores colligunt ex l. *Non interest* 25. π. de captiuis & postliminio reuer. Vbi dicitur: *Neque enim satis est corpore quẽ reuersisse, si mẽte alienus est*, id est, si non redeat animo perpetuò manendi. 99 Quis dicatur alicubi habere domicilium.

Habitare verò secundùm communem loquendi modum, eo loco quis dicitur, in quo maiore anni parte commoratur, etsi cum animo reuertendi in locum vbi habet domicilium. Vnde studiosi extranei verè dicuntur habitare in ea vrbe in qua student, non tamen habere domicilium. Quis dicatur alicubi habitare.

Nota

Nota Secundò, certum esse inter omnes, peregrinum teneri legibus loci in quo est, quando non modò similes, sed eadem leges in ipsius patria obligant; nisi sint leges singulariter latæ pro ciuibus, quibus peregrini nullo modo comprehenduntur. v. c. de agendis excubiis, vel similibus.

100 CONCL. I. Peregrinus potest se accommodare legibus, & rationalibus consuetudinibus loci in quo est, etsi repugnent legibus loci in quo habet domicilium.

Nauarr. Panorm. Sanchez August. D. Ambros. Ita Nauar. c. 23. n. 120. Panorm. c. *Nobis.* 1. de sententia excomm. n. 11. Sanchez de matrimonio l. 3. d. 18. n. 18. & communiter DD. Patet Primò. ex c. *Illa.* d. 12. vbi ex sententia Augustini & Ambrosij expressè docetur quemque posse se accommodare moribus Ecclesiæ in qua versatur, etsi contrarientur consuetudini propriæ patriæ.

Secundò probatur ex cap. *Vt animarum.* de constitutionibus. in 6. vbi dicitur: *Statuto Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius furtum extra diœcesim committentes, minimè obligati noscuntur: cùm extra territorium ius dicenti, non pareatur impunè.* Vbi apertè dicitur, statutum Episcopi non ligare etiam proprios subditos extra diœcesin existentes; idemque omnino est de legibus particularibus alicuius loci.

101 Vnde sequitur Primò, vt quis loci alicuius particularibus legibus non teneatur, sufficere eum egressum esse limites illius loci, etsi parum egressus sit & animo statim reuertendi. quia verè tunc extra locum est.

Licitè egrederis è loco vbi est ieiunij, vt possis alibi non ieiunare. Sequitur Secundò, discedentem è loco in quo est festum vel ieiunium, in alium in quo nec est festum nec ieiunium, eo animo vt possit ibi laborare, aut vesci carnibus, licitè vtrumque facere statim ac limites loci sui egressus est, nec ita discedendo peccare. quia vtitur iure suo, quærendo modum quo licitè se legibus eximat; sicut qui petit secum in legibus dispensari. Nec illud vllibi prohibitum est: nec etiam legi vllam fraudem facit. vt patet ex regula *Nullus videtur* 55. ff. de regulis Iuris.

102 Infertur Tertiò, idem dicendum esse de legibus generalibus, quæ certo quodam loco non obligant. v. c. Mediolani primis quatuor diebus Quadragesimæ non obligat lex ieiunij quadragesimalis. Quare non solùm Mediolanenses, sed etiam peregrini qui ibidem illis diebus sunt, non tenentur ieiunare: quia absolutè lex illa ibi non obligat.

103 Nota, quosdam putare, eum qui ex loco in quo est ieiunium eo die, statuit ire ad eum locum in quo non est ieiunium, si moraliter certus sit se ante noctem in hunc locum peruenturum; posse manè sumere ientaculum, nullo tamen modo posse vesci carnibus priusquam ad alterum locum peruenerit. Ratio ipsorum est, quia lex ieiunij, quatenus præcisè vetat sæpiùs comedere, est omnino indiuidua, ita vt non possit solùm ex parte seruari. quare, qui non potest eam totam seruare, non tenetur eam seruare ex parte. Hinc plurimi probabiliter aiunt, eum qui semel fregit ieiunium bis comedendo, non peccare postea sæpiùs comedendo. Vnde sequitur, eum qui eo die licitè poterit non integrè seruare ieiunium, non teneri illud seruare ex parte: atqui talis poterit vesperi cœnare etsi antè prandium sit; quia vesperi erit in loco, vbi non tenetur ieiunare: ergo etiam non tenebitur ieiunare vsque ad prandium, etsi tam diu sit in loco vbi obligat lex ieiunij. Confirmatur, quia qui die ieiunij est subiturus magnum laborem, qui excusat à ieiunio, poterit antequam cum subeat sumere ientaculum, etsi nondum cœperit laborare, & consequenter necdum posita sit causa excusans à ieiunio: ergo idem dicendum est de eo qui vesperi venturus est ad locum vbi non erit ieiunium.

Sed cum aliis probabiliùs omnino credo, talem 104
posse quidem statim ac peruenerit ad locum vbi non est ieiunium, & cœnare, & carnes comedere, sine cousque ieiunarit, siue non: nullo tamen modo posse priùs frangere ieiunium ante tempus prandij ientando. Probatur Primò, quia quisque legibus loci, in quo habitat, obligatur quamdiu in eo est, nisi causa iusta aliqua excusetur, v. c. ob impossibilitatem seruandi legem, aut dispensationem: atqui hîc nulla talis causa occurrit, quia quamdiu est in loco, commodè potest seruare legem, nec est cum eo dispensatum: ergo tenetur eam seruare. vide Sanchez l. 3. d. 18. num. 22. *Egressurus è loco vbi est particulare ieiunium, teneris hoc seruare quamdiu in eo es.*

Nec refert quòd vesperi sit ponenda causa excusans à ieiunio. quia hæc nondum est posita, nec potest moraliter censeri posita; aliàs posset manè comedere carnes. quia eadem causa quæ excusabit eum à ieiunio, excusabit etiam ab abstinentia carnium. Has enim vesperi licitè comedet.

Vnde patet aliam esse rationem eius, qui iam fre- 105
git ieiunium, quia, posita veritate illius sententiæ (quæ mihi tamen videtur satis dubia) est præsens impossibilitas legem obseruandi; eademque est ratio eius qui grauem laborem subiturus est. Sicut enim hic licitè sæpiùs comedit, quia hoc est necessarium vt possit laborem ferre: ita ante laborem inchoatum licitè comedit, quia hoc est etiam aliquo modo necessarium, vt postea benè laboret: atque ita necessitas comedendi est præsens, dum comedit. Et confirm. quia si esset talis labor, qui perferri non posset, nisi ab eo qui comederet carnes, ideoque eum subeuntibus liceret comedere carnes, posset easdem comedere, qui mox esset eum subiturus; præcipuè cùm se accingens ad laborem, censeatur eum quodammodo inchoare. Secùs hæc se habent in eo qui ex loco vbi obligat ieiunium in alium discedit, nisi excuseretur ratione laboris in itinere subeundi, de quo hîc non agimus. Ex quibus patet clara solutio ad argumenta contraria. *Tempore ieiunij laboraturus licitè priùs comedit.*

Prob. Secundò, quia præceptum ieiunij est ali- 106
quo modo duplex & diuisibile. quia non solùm prohibet sæpiùs in die comedere, sed etiam comedere ante tempus prandij, siue notabiliter diu ante meridiem. Hinc qui summo manè sine iusta causa comederet, frangeret ieiunium, etsi postea toto die nihil comederet: & qui ita fregisset ieiunium, teneretur nihilominus illud postea eodem modo seruare, ac si solùm in prandio comedisset, modò vires hoc ferrent. *Præceptum ieiunij duo continet.*

Addunt aliqui, discedentem è loco vbi habi- 107
tat die festo, si ante tempus quo vltimum Sacrum in eo erat dicendum, peruenturus sit in locum vbi non est festum, non teneri eo die audire Sacrum: quia talis nec tenetur audire Sacrum ante illam horam qua vltimum Sacrum dicitur. quia clarum est eum posse tam diu expectare: nec etiam post, quia iam est in loco vbi non obligat præceptum Sacri. Secùs est de eo qui post dictam horam ad talem locum peruenturus est, qua non audiendo Sacrum absolutè peccat antequam illa obligatio soluatur.

Ego tamen cum Nauar. c. 13. n. 5. & aliis contra- *Nauar.*
rium in primo casu iudico esse verius.

Prob. quia talis iam antè contraxerat veram obli- *Manè egrediens è loco vbi est festū tenetur audire Sacrum. Flores.*
gationem audiendi Sacrum, etsi eam non tenebatur implere ante horam v. c. vndecimam, qua vltimum Sacrum erat dicendum. Nec illi obligationi vllo modo satisfacit peruenicndo ad locum vbi non est festum. Ergo peccat non audiendo eo die Sacrum. quia obligationi iam contractæ nullo modo satisfacit.

108 Respondent alij, cum tantùm fuisse obligatum audire Sacrum sub hac conditione, nisi ante horam vndecimam peruenirent ad locum vbi non est festum.

Sed contrà. Præceptum audiendi Sacrum est absolutè latum iis omnibus incolis, qui sunt in loco vbi est festum. Nec ex verbis legis, nec ex eius aut rei natura vlla est occasio, cur talem conditionem subintelligamus, aut dicamus legem esse conditionatam: ergo talis conditio non est subintelligenda. alioqui possemus probabiliter dicere, quamuis conditionem sub quauis lege subintelligi. Confirmatur, quia cùm eiusmodi festa particularia sint ferè institura, vt Patronus loci, vel alius Sanctus ibi singulariter colatur, cumque legislator cupiuerit ad eam celebritatem omnes quantùm posset aduocare: nullo modo probabile est, voluisse incolas tantùm obligare ad audiendum Sacrum sub conditione, nisi inde discederent ante vltimum Sacrum, quia hoc modo concessa immunitate inuitarer eos vt discederent. Nec potest dici, quòd non possit eos aliter obligare. quia nulla est ratio, cur non potuerit absolutè præcipere auditionem Sacri, siue inde discederent, siue non. Aliud est de iis qui pridie discedunt, quia ex loco iurisdictionis ipsius legis discesserunt, antequam ipsa vllo modo obligaret, atque ita numquam aliquam obligationem contraxerunt.

109 Nota Primò, quosdam nobiscum tenentes subditos extra patriam existentes non obligari legibus particularibus suæ patriæ, putare tamen eos obligari præceptis generalibus sui Principis aut Episcopi, idque probant ex c. *Nobis.* 21. de sententia excommunicationis. Sed hoc nihil facere ad rem ostendam To. 2. dis. 13. n. 55. vbi probabo inter legem & præceptum ex hac parte nullam esse differentiam. Vt tamen hæc meliùs intelligantur:

Nota Secundò, quasdam personas particulari ratione & omnino personaliter suis superioribus subiectas esse, vt sunt Religiosi suo Superiori, filij parentibus, mancipia, famuli, legati & similes suis dominis, milites suo principi, & beneficiati suo Prælato in rebus ad Beneficij ac officij ei annexi administrationem pertinentibus. Item feudatarij in iis rebus ad quas ratione feudi suo domino obligantur. Hi enim cùm non ratione loci, sed ratione suæ personæ, aut saltem officij immediatè sint superioribus subiecti, in iis in quibus sunt subiecti eodem modo sunt subiecti vbicumque sunt, ideoque eodem modo eorum legibus aut præceptis obligantur: secùs est de iis qui solùm sunt principi subiecti quatenus ciues sunt. quia cùm hi solùm sint subiecti ratione territorij, in quod Princeps immediatè habet imperium, & hoc mediante in incolas; non sunt illi subiecti nisi quandiu in territorio sunt, quamuis eorum res in territorio existentes Principi subiectæ sint. ex quo patet ratio à priori conclusione.

110 Contra hanc conclusionem obiiciunt aliqui Primò, l. *Romana.* C. de eunuchis. vbi, vt aiunt, prohibentur eunuchi origine Romani etiam extra Imperij fines vendi. Sed hi apertè falluntur: nam lex solùm prohibet tales eunuchos alibi castratos vendi intra fines Romani Imperij: nam eadem lex punit notarium venditioni assistentem, & publicanum invectigal exigentem. certè Romani tales in alieno territorio existentes, atque ita sibi non subditos punire non poterant.

Obiiciunt Secundò, l. vlt. π. de decretis ab ordine faciendis vbi dicitur. *Si quis extra synedrium iudicauerit ordine moueatur, & luat ad hæc drachmas mille.* Sed hoc nihil facit ad rem: nam ibi Princeps non præcipit ciuibus, sed collegium suis collegis in re quæ ad collegarum officium spectat, in qua hi collegio non ratione loci, sed ratione officij & personaliter immediatè subiecti sunt.

Obiiciunt Secundò, l. *Mercatores.* C. de commerciis, vbi Imperator prohibet mercatoribus sibi subiectis ne mercandi causa vltra certa loca, de quibus inter ipsum & Persam conuenerat, in Persidem profecti merces suas diuendant. Sed nec hæc lex facit ad rem. Primò, quia Imperator ibi non tam vetat distractionem mercium, quàm profectionem ad talia loca; vt patet tum ex ratione legis, quia ideo commercia prohiber ne mercatores sub ea specie alieni regni arcana scrutarentur; tum etiam quia eam distractionem permittit, quando mercatores comitantes legatos habent iustam causam ea loca adeundi. Potest autem princeps suis præcipere, ne alienorum loca adeant, quando id fieret cum incommodo regni, vt hîc fiebat. Secundò, quia eiusmodi commercia, vel potiùs profectio mercandi causa, fiebat contra pacta inter Romanos & Persas inita, vt patet initio legis; atque ita erat quædam pactorum violatio, adeoque contra honorem, bonum ac pacem ipsius Imperij: atque ita tales etsi physicè existerent extra Imperium, tamen intra fines Imperij ipsius bonum lædendo peccabant; vnde meritò hoc ipsis prohibebatur; & contrà facientes puniebantur.

CONCL. II. Non est improbabile transeuntem per aliquem locum, per se non obligari particularibus legibus aut consuetudinibus illius loci, si sint contrariæ consuetudinibus loci in quo habitat. 111

Ita glossa c. *Illa*, verbo *Venerit.* d. 12. & c. *Quæ contra.* d. 8. v. *Aut peregrini.* Paludanus in 4. d. 15. q. 4. a. 3. Rosella v. *Iejunium*, n. 16. Sylvester v. *Iejunium*, n. 7. & cum pluribus quos citat P. Sanchius l. 3. de matrimo. d. 18. n. 6. Suarez hîc disp. 44. sect. 4. §. *Illud verò.* Probatur, quia valdè durum videtur eum qui quacumque ratione per aliquem locum transit, statum ipsius legibus aut consuetudinibus obligari: vt apertè colligitur ex l. *Heres absens.* 19. π. de Iudiciis. §. *Proinde.* vbi dicitur eum qui vendidit vel emit merces in loco in quo habebat conductam tabernam, posse eo loco conueniri, & debere se ibi defendere. secùs esse de eo qui transiens alicubi aliquid emit aut vendidit. Et ratio additur: *Quia durissimum est, quotquot locis nauigans, vel iter faciens delatus est, tot locis se defendere.* Simili autem ratione videtur durum esse, ita transeuntem statim subiici consuetudinibus illius loci. Eadem enim in his est ratio. Imò, ideo transiens videtur se iis locis non debere defendere, quia illorum consuetudinibus non est subiectus. Confirmatur, quia leges propriè solùm feruntur in subditos & eiusmodi consuetudines propriè tantùm ligant eos, qui eius communitatis quæ eas induxit, sunt quodammodo pars. Nec enim possumus aut legibus aut consuetudinibus omnino alienos obligare: atqui transiens per aliquem locum, vbi exiguo tempore, v.c. aliquot dies, hæret, non potest propriè dici illius loci esse pars, aut subditus: ergo nec potest illius consuetudinibus obligari. Confirm. Secundò, quia c. *Nobis*, 21. de sententia excommunicationis, expressè dicitur, sententia siue legibus Episcopi non ligari nisi subditos; & apertè insinuatur, peregrinos ei non esse subditos. vt pluribus ostendam tom. 2. disp. 13. n. 58.

Paludan. Rosella. Sylvester. Sanchez. Suarez.

Dices Primò, Cap. *Quæ contra.* d. 8. quod sumptum est ex l. 2. confess. S. Augustini, dicitur, rationabiles leges aut consuetudines alicuius loci, non debere alicuius ciuis aut peregrini libidine violari. Resp. D. Augustinum ibi apertè loqui de peregrinis qui aliquo loco iusto tempore commorantur, atque ita aliquo modo sunt pars illius Reipub. Nam rationem reddens subiungit, *Turpis est enim omnis* 112 *D. August.*

pars

pars vniuerso suo non conueniens. Vnde patet Augustinum potiùs à nobis facere. Confirmat enim clarè rationem iam statim à nobis allatam. Et simili modo intelligendæ sunt quædam aliæ auctoritates D. Augustini, quæ contra hanc sententiam adferuntur.

113 Dices Secundò, Vel illæ leges particulares obligant immediatè incolas loci, & sic eosdem obligabunt vbicumque sint: quod est contra primam conclusionem. vel afficiunt immediatè quasi ipsum locum, & sic obligabunt absolutè omnes in eo existentes, sicut interdictum locale.

Resp. immediatè afficere incolas illius loci; non tamen absolutè, sed quatenus existunt in tali loco præcipienti subiecto. nam cùm non sint ei subiecti nisi ratione loci, non aliter ei subiiciuntur quàm quatenus in loco sunt, vt patet ex dictis n. 109.

114 Nota multos putare, consuetudine iam inductum esse vt peregrini teneantur quasuis leges loci in quo sunt seruare. quia communiter omnes putant se ad hoc obligari, & alij scandalizarentur si viderent illos eas leges non obseruantes. Quod est probabile, & in praxi tutius. sed non conuincit: quia nascitur ex ignorantia, quòd tales putent se iis legibus obligari, & sunt etiam multi, & semper fuerunt qui persuadent sibi contrarium, præsertim docti, inter quos hæc res semper fuit in vtramque partem disputata, vt patet ex Sanchez l. 3. de matrimon. dispur. 18. Quare dixi, *tales per se non obligari.* quia ratione scandali quod aliàs oriretur, sæpissimè contingit, vt legibus, præsertim factum aliquod, v. cau. esum carnium, aut quid simile, prohibentibus, peregrini teneantur.

115 Hinc sequitur Primò, transeuntem per aliquem locum, vbi est ieiunium, aut festum, si in loco in quo habitat, non sit festum aut ieiunium, non teneri ieiunare, vel audire Sacrum, modò possit sine scandalo (quod tamen in esu carnium rarò accidit) contrarium facere, etsi vna atque altera nocte ibi hæreat.

Diu alicubi commorãtes obligãtur legibus loci. Sequitur Secundò, eos qui magna parte anni alicubi habitant, obligari particularibus illius loci legibus. quia sunt aliquo modo illius inquilini, & consequenter pars Reipub. Colligitur apertè ex D. Augustino, & l. *Heres.* mox citatis n. 111. Et confirmatur, quia nimis absonum videtur, studiosos, qui in Vniuersitatibus studiorum causa commorantur, nullis earum ciuitatum consuetudinibus teneri, etsi tales sint quæ studiosos indigenas etiam obligent: qualia sunt particularia festa & ieiunia.

116 Cõtractus regulantur legibus loci in quo fiunt. Ab hac conclusione excipiuntur Primò contractus qui necessariò reguntur consuetudine loci in quo fiunt. patet ex l. *Si fundus 6. ff.* de euictionibus. Vbi dicitur: *Si fundus venierit, ex consuetudine eius regionis in qua negotium gestum est, pro euictione caueri oportet.*

Excipitur Secundò casus quo transgressio legis cederet in damnum Reipub. illius loci, vt si certæ merces inferri vel auferri prohibeantur. Vnaquæque enim Respub. habet ius prohibendi ne quis peregrinus aliquid in ipsa contra eius bonum gerat.

Vagi tenentur legibus loci in quo sunt. Tertiò, communiter Doctores excipiunt vagos, qui nullibi habent domicilium: quia cùm hi nullas proprias habeant leges, censentur vbique subesse legibus loci in quo sunt, quia aliàs nulli subessent. Quod probabile est ob DD. auctoritatem. Sed ratio non vrget. quia tales communibus saltem Ecclesiasticis & ciuilibus legibus subessent.

117 Conc. III. Sacerdos Latinus transiens per Græciam potest celebrare vel ritu Græcorum, vel ritu Latinorum: & similiter Græcus transiens per loca Latinorum.

Patet ex dictis. quia vterque potest se accommodare consuetudini loci per quem transit, etsi ad hoc non teneatur.

Hinc sequitur, sacerdotem, in cuius habitationis loco fit officium de festo, si transeat per locum vbi non est festum, posse pro libitu legere officium, vel de festo, vel de feria occurrente.

Conclvsio IV. Etsi communiter expediat peregrinum obseruare consuetudines particulares loci per quem transit. vt patet ex c. *Illa,* quod acceptum est ex D. August. iuxta illud vulgare: *Si fueris Romæ, Romano viuito more,* tamen sacerdotem Latinum transeuntem per Græciam præstat celebrare ritu latino quàm græco. Idemque est de Græco transeunte per loca Latinorum. Colligitur apertè ex *epistola Leonis IX. ad Michaëlem Constant. c. 29.* vbi apertè hoc suadet. Et ratio est, quia hæ non tam sunt consuetudines diuersorum locorum particularium, quàm generales vtriusque Ecclesiæ: præstat autem vnumquemque seruare consuetudinem suæ Ecclesiæ, quamdiu eius est pars, quàm imitari alienam. Imò in dicta epistola Leonis satis insinuatur, hoc non solum obseruandum esse quando quis leuiter transit per alienam patriam: verùm etiam cùm aliquo tempore in ea commoratur. Et hoc etiam consuetudo videtur obtinere: tum ob rationem iam dictam: tum etiam quia nimis difficile esset sacerdoti omnes patrios ritus locorum in quibus versatur in celebrando imitari, & Latinum discere græcè celebrare, aut Græcum latinè, ob aliquot menses, quibus in aliena patria commoratur. Nec expedit eum aliquos ritus mutare sine aliis, atque ita celebrare partim græco more, partim latino. 118 *Aug. Leo. IX.*

Nota demum, sacerdotem Latinum in nostris regionibus non posse in iis templis, in quibus Græci ex priuilegio celebrant more suo, eodem ritu celebrare, quia hoc in iis locis solis Græcis conceditur. Idemque dicendum de templis Latinorum in Græcia existentibus respectu Græcorum. 119

ARTICVLVS V.

Vtrùm vinum vitis sit propria materia huius Sacramenti?

Articvlo V. docet, vinum de vite esse materiam necessariam huius Sacramenti. Est definitum in Florentino in literis Eugenij ad Armenos. Et patet ex Matth. 26. & Lucæ 22. Ex quibus locis apertè colligitur Christum in calice consecrasse vinum; accedente præsertim Ecclesiæ auctoritate, quæ ex Apostolica traditione ea loca semper sic intellexit. 120 *Florent. Matth. 26. Luc. 22.*

Hinc sequitur Primò, omne vinum de vite, siue ex vuis expressum, esse conueniens materiam huius Sacramenti, siue vina inter se specie differant, siue non: quia omne eiusmodi vinum est verum vinum; quod sufficit vt sit conueniens materia huius Sacramenti: vt patet ex vsu Ecclesiæ, quæ indifferenter hæc omnia vina in hunc vsum assumit. 121 Omne verum vinum est materia Sacram. Eti.

Sequitur Secundò, alios liquores expressos ex pomis aut malogranatis, aut similes non posse esse materiam huius Sacramenti. quia non sunt verum vinum, & non nisi impropriè & cum aliquo adiuncto possunt dici vinum, v. c. vinum ex pomis, &c. Succus pomorũ non est materia Sacramẽti.

Sequitur Tertiò, agrestam siue omphatium (quod est succus ex vuis omnino immaturis expressus) non posse esse materiam huius Sacramenti. quia verè non est vinum, imò nec materia apta ad potandum: vt docet D. Thom. hîc ad 3. & communiter Doctores. 122 Nec etiam agresta. *D. Thom.*

Sequitur Quartò, idem dicendum esse de vino omnino in acetum conuerso. quia verè non est vinum, nec apta materia ad potandum. Ita D. Thom. ad 2. & maior pars DD. quamuis aliqui videantur Aut acetũ.

contrarium docere: sed facilè explicari possent; vt acetum vocent vinum iam acescens, nondum tamen omnino corruptum: quod validè consecratur; sed peccat ita consecrans; vt docet D. Thomas ad 2. quia indecens est in tali Sacramento vti materia quæ incipit corrumpi, præsertim quando esset notabiliter acidum: secùs esset, quando non esset notabiliter acidum, & esset aliqua necessitas tali vino vtendi.

123 *Aut integræ vuæ. Sanct. D. Thom. Caietan.* Sequitur Quintò, vuas integras non posse validè consecrari, vt cum aliis docent Sotus in 4. d. 9. q. 1. a. 5. §. *De vuis.* & Caiet. hîc, atque etiam ipse D. Thomas ad 3. vbi ait: *Non tamen debent vuæ integræ huic Sacramento misceri: quia iam esset ibi aliquid præter vinum.* Vbi apertè docet, vuas non esse vinum, & consequenter non posse consecrari. Licet aliqui contrarium sentiant, Probatur Primò, quia vuæ verè nec sunt vinum, nec materia potabilis, sed potiùs sunt cibus: nec enim dicuntur bibi, sed comedi; sicut pomum non est sicera, nec potus, sed cibus. Secundò, quia etsi concedamus liquorem in iis contentum esse verum vinum antequam exprimatur, tamen non potest designari per particulam *Hoc*, quod est necessarium vt aliquid sit materia consecrationis: vt patet ex dictis art. 2. dub. 1. & 2. Quòd autem non possit ita designari, probatur. quia ille liquor non est in vuis vt vinum in vase, sed vt pars in toto, & sicut sanguis in animali. quamuis autem monstrato vase verè & propriè dico, Hoc est vinum; non tamen monstrato homine verè dico, Hoc est sanguis: & similiter monstrata vua malè dico, Hoc est vinum. Vide dicta art. 2. dub. 1. notab. 5.

124 *Musti validè consecrati.* Infertur Sextò, mustum recens ex vuis expressum validè consecrari. quia est verum vinum, licet nondum sit purificatum, sed habeat aliquas feces mistas: ideoque peccaret qui sine necessitate illud consecraret; in necessitate tamen id liceret: vt expressè docet Iulius Papa in ep. ad Episc. Ægypti. vt refertur c. *Cùm omne crimen.* de consecrat. d. 2. *Iulius Papa.*

125 *Armilla. Alanus.* Præcipuum autem hîc dubium est inter DD. an vinum congelatum validè consecretur. Armilla verbo *Eucharistia.* n. 19. & Alanus l. 1. de Euchar. c. 11. id negant. quia vel vinum dum congelatur, substantialiter corrumpitur; vel etsi non omnino corrumpatur, non tamen videtur posse consecrari, quia non est potabile: materia autem calicis debet esse potabilis.

126 *Vini congelati validè consecratur. Cand. autem. Silvester. Angelus. Sotus.* Partem autem affirmatiuam tenet Candelabrum aureum. de Eucharistia n. 39. Silvester verbo *Eucharistia* 2. q. 10. n. 15. vers. *Quintum si vinum.* Angelus verbo *Missa.* n. 23. Sotus in 4. d. 9. art. 5. §. *Quid autem.* vbi ait vinum exiliter congelatum validè consecrari: additque; *sed vsque adeò posset indurescere, vt desineret esse vinum, & transiret in formam lapidis.* quæ verba satis obscura & difficilia sunt.

Probatur hæc sententia. quia vinum per congelationem non corrumpitur substantialiter, vt patet: quia postea soluto gelu experimur esse verum vinum, licet aliquid virium communiter amittat. Et confirmatur Primò, quia alij liquores dum congelantur, non corrumpuntur substantialiter: ergo nec vinum. quia est eadem ratio. Confirm. Secundò. quia etsi calix consecratus congelatur, manet nihilominùs in eo verus sanguis, vt ex communi sententia apertè supponit rubrica Missalis, de defectibus Missæ, §. *Si in hyeme.* quod esset falsum, si vinum per congelationem substantialiter corrumperetur. Vnde sequitur, manere veram materiam huius Sacramenti. quia ob solam mutationem accidentalem, non desinit aliquid esse materia Sacramenti. nisi reddatur omnino inutile, vt per ipsum ponatur materia proxima Sacramenti, sicut in materia baptismi. Quia enim aqua congelata non potest esse materia lotionis, quæ est materia proxima baptismi, ideo etiam non potest esse materia baptismi. Vinum autem congelatum, etsi non sit in actu secundo potabile, tamen potest esse materia proxima consecrationis: quia hæc non consistit in vsu Sacramenti, vt baptismus, sed in confectione eiusdem. Quare sufficit, quòd eius materia sit natura sua potabilis, etsi ob aliquod accidens actu potari non possit. Ex quibus patet solutio ad argumenta contraria.

Grauiter tamen peccaret qui tale vinum consecraret, vt omnes fatentur. Quòd si tamen priùs congelatio solueretur, non est improbabile, licitè ipsum consecrari: quia cùm sit verum vinum, nihil obstat, quo minùs liceat ipsum consecrare: quamuis deceret aliud sumere, & omnino suadendum sit quando commodè fieri potest: vt docet Suarez disp. 45. sect. 1. in fine. 127 *Suarez.*

ARTICVLVS VI.

Vtrùm aqua vino sit permiscenda?

ARTIC. VI. docet, vino consecrando priùs aliquantulam aquam miscendam. Patet ex Florentino in literis Eugenij ad Armenios, & Trident. sess. 22. c. 7. Fuitque hoc ab initio Ecclesiæ semper obseruatum, vt docet apertè Alexander Papa VII. à B. Petro; qui in suis literis, siue decretis ad vniuersos Christianos, testatur se hoc à patribus accepisse, qui non potuerunt esse alij quàm Apostoli, quibus propinquè successit. 128 *Florent. Trident. Alexand. Papa.*

Facit autem hoc Ecclesia; Primò, quia Christus creditur ita primùm consecrasse: vt docet Florentinum suprà. & D. Clemens l. 7. Constit. c. 17. & habetur expressè in liturgia S. Iacobi. Idemque senserunt olim antiquissima Concilia, & communiter Patres, quos fusè refert Cardin. Bellarm. l. 4. de Vener. Eucharistia c. 10. 129 *Cur aqua miscetur vino consecrando. Florentin. D. Clement. Bellarm.*

Secundò, quia per hanc mistionem repræsentatur nobis, quòd è latere Christi sanguis (qui per vinum significatur) vnà cum aqua effluxerit. Aptissimè etiam repræsentatur huius Sacramenti effectus, cuius sumptione populus Christianus (qui per aquam significatur) Christo suo capiti coniunctissimè vnitur: vt fusè docet D. Cyprian. epist. 63. ad Cæcilium, aliàs l. 2. epist. 3. paulò post medium. *Cyprian.*

ARTICVLVS VII.

Vtrùm permistio aquæ sit de necessitate huius Sacramenti?

ARTIC. VII. docet, hanc mistionem non esse necessariam ad valorem Sacramenti, solumque vinum validè licet illicitè consecrari. quia illa mistio non pertinet ad essentialem significationem huius Sacramenti, scilicet præsentiæ Christi per modum nutrimenti; quæ sufficienter potest significari sine illa mistione, quæ solùm aliquid secundarium significat, scilicet egressionem aquæ è latere Christi, & vnionem populi cum Christo, quæ nec sunt essentialia huic Sacramento; nec necessariò immediatè per consecrationem siue confectionem huius Sacramenti significantur: sed illa vnio & significatur & efficitur immediatè, per vsum huius Sacramenti, qui distinguitur à consecratione. Adde, hanc vnionem sufficienter etiam significari per ipsum panem & vinum, vt ostendi art. 1. 130

Nota, Armacanum lib. 9. de quæstionibus Arme- 131

norum c. 9. putare hanc miſtionem eſſe de eſſentia huius Sacramenti. Primò, quia putat eam fieri ex præcepto & inſtitutione Chriſti. quod probat, quia Chriſtus ita aquam vino miſcuit: tum quia quidam Patres illud videntur apertè aſſerere: & præcipuè D. Cyprianus epiſtola 63. ſuprà citata, volens oſtendere aquam neceſſariò vino miſceri, ait, *Nam ſi in ſacrificio quod Chriſtus obtulit nonniſi Chriſtus ſequendus eſt: vtique id nos obtudire & facere oportet, quod Chriſtus fecit, & faciendum mandauit.* Vnde ſequitur, eſſe etiam de eſſentia Sacramenti. Nam aliunde non poſſumus ſcire quæ ſint eſſentialia in Sacramentis, niſi ex inſtitutione Chriſti. *Cyprian.*

Secundò, quia Cyprianus ibidem ait: *Sic autem in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt; quo modo nec vinum ſolum poteſt.* Et infrà: *Sic verò calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum: quo modo corpus Chriſti non poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola niſi vtrumque adunatum fuerit:* atqui ſola aqua, aut ſola farina inualidè conſecrantur: ergo etiam ſolum vinum.

132 Alij verò concedunt quidem ſolum vinum validè conſecrari, propter eiuſmodi tamen auctoritates, & factum ipſius Chriſti, putant hanc miſtionem eſſe neceſſariam ex præcepto diuino. Ita Hoſius lib. 4. de traditionibus contra Brentium ſub finem. A Caſtro lib. 6. verbo, *Euchariſtia*, hæreſi 7. *Hoſius. a Caſtro.*

Tertiò, quidam putant, Alexandrum I. hanc miſtionem primò in Eccleſia præcepiſſe. *Alexand. I.*

133 Sed dicendum eſt Primò, omnino certum eſſe, miſtionem aquæ non eſſe de eſſentia Sacramenti. Ita D. Thomas hic, & communiter Theologi. Probatur Primò, quia Florentinum in litteris Eugenij ad Armenos apertè docet, materiam huius Sacramenti eſſe panem triticeum, & vinum de vite. quibus verbis abſolutè exprimit quæ ſit eſſentialis materia Sacramenti: vt patet ex aliis locis, vbi recenſet materias Sacramentorum. Quòd ſi autem voluiſſet miſtionem aquæ eſſe de eſſentia Sacramenti; tunc non dixiſſet vinum de vite eſſe materiam, ſed vinum, miſtum aqua: ſicut priùs dixerat, materiam Confirmationis eſſe oleum miſtum balſamo. Confirmat. quia dum dicit aquam vino eſſe miſcendam, reddit rationem, non quia hoc eſt ex inſtitutione Chriſti aut de eſſentia Sacramenti; ſed quia tota hoc ab initio ſeruauit Eccleſia: additque hoc Armenos debere imitari, ne ab vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine diſcrepent. Quibus verbis Concilium ſatis oſtendit, Armenos hactenus celebrando ſine vlla miſtione aquæ non peccaſſe contra eſſentialia Sacramenti; imò ne quidem contra præceptum diuinum. aliàs volendo eos in ſuam ſententiam adducere, non debuiſſet illos promere generali Eccleſiæ conſuetudine, ſed inſtitutione & præcepto Chriſti. *D. Thom. Florent. Miſtio aquæ non eſt eſſentialis.*

134 Probatur Secundò clariùs ex Trident. ſeſſ. 22. c. 7. vbi ait: *Monet deinde ſancta Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia ſacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſcerent; tum quòd Chriſtum ita feciſſe credatur: tum etiam quia è latere eius aqua fluxiſſe cum ſanguine exierit.* Vbi apertè docet, nos ex præcepto Eccleſiaſtico teneri aquam calici miſcere, Eccleſiámque hoc præcipere, non ob aliquam neceſſitatem Sacramenti, aut Chriſti inſtitutionem; ſed ob aliquas congruentias, quas ibi adfert, & ſuprà etiam attulimus in explicatione articuli.

135 Dico Secundò, præceptum miſcendi aquam vino conſecrando eſt ſolùm præceptum Eccleſiaſticum. Paret apertè ex Florentino & Tridentino citatis. Et confirm. quia ſi Chriſtus hoc ita inſtituiſſet, ſequeretur eſſe neceſſarium ad valorem Sacramenti. Nam non alirer ſolemus colligere quæ ſint neceſſaria ad valorem Sacramenti, quàm ex inſtitutione Chriſti. Ex his ſequitur, ſententiam Armacani nullo modo eſſe probabilem, nec poſſe defendi, eùm apertè dictis Conciliis repugnet. *Aqua miſcetur calici ex præcepto Eccleſiæ. Florentin. Trident. Armacan.*

Ad Primum eius argumentum, nego Chriſtum 136
hoc ita inſtituiſſe aut præcepiſſe. Cyprianum tamen *Cyprian.*
aliòſque Patres quandoque dicere hoc fieri ex mandato Chriſti. quia ipſe ſuo exemplo dedit Eccleſiæ occaſionem hoc præcipiendi: atque ita latiore modo poteſt dici hoc inſtituiſſe, & quaſi mandaſſe. quia facti ipſius auctoritas, quaſi inſtar mandati Apoſtolis fuit. Vnde Cyprianus ideo dicit Chriſtum hoc mandaſſe: quia *in ſacrificio quod Chriſtus obtulit, nonniſi Chriſtus ſequendus eſt*, vt ipſe ait. Non quòd velit Eccleſiam neceſſariò in omnibus debere ſequi ea quæ Chriſtus tunc fecit. Nam ſic non poſſet permittere, vt quis aliter celebraret quàm in azymis, in quibus Chriſtus celebrauit. quod tamen apertè falſum eſt: ſed quia ſine grauiſſimis rationibus ab eius exemplo non eſt facilè in re tanta recedendum. Sic multi dicũt, ſolutionem decimarum eſſe ex præcepto diuino, eo quod Eccleſia præceperit ex Dei imitatione eam olim Iudæis præcipientis. *Idem, Chriſtum ſequendus eſt.*

Ad Secundum reſp. Cyprianum dicere, non poſſe 137
purum vinum conſecrari, quia hoc non poteſt licitè fieri: & in hoc ſolùm dictas materias comparare, quòd neutra poſſit licitè ſeparatim conſecrari. Nam vinum validè ſine aquæ miſtione conſecrari, apertè ibidem docet his verbis: *Nam ſi vinum tantùm quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis.* Apertè oſtendens poſſe ſanguinem per conſecrationem eſſe in calice, etſi aqua non fuerit miſta vino: eſſe tamen ſine nobis, quia tunc non ita ſignificat vnionem noſtram cum Chriſto. Deinde ſubdit: *Si verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto.* Non dicit, Sanguis incipit eſſe ſine Chriſto, quia ſentit eo caſu non eſſe ſanguinem in calice, ſed puram aquam per quam plebs ſignificatur.

Dico Tertiò, Hæc miſtio nullo modo ab Alexand. 138
Papa, ſed ab ipſis Apoſtolis fuit præcepta. Paret Primò, quia Alexander apertè dicit ſe à Patribus, id eſt, ab Apoſtolis didiciſſe hanc miſtionem eſſe faciẽdam. Secundò, quia Florentinum ſuprà citatum apertè docet, hanc conſuetudinem ab initio fuiſſe in Eccleſia, acceptam ab ipſis Apoſtolis. *Ea miſtio ab Apoſtolis præcepta. Alexand. I. Florentin.*

Hinc ſequitur, Eccleſiam poſſe abſolutè in hoc 139
præcepto validè diſpenſare: quia iam eandem poteſtatem habet quam ab initio habuit. Malè tamen faceret Pontifex in re tanta, ac in tam antiquo ac vniuerſali Eccleſiæ præcepto diſpenſando; niſi grauiſſima aliqua occurreret neceſſitas, quæ vix videtur poſſe accidere: niſi fortè ad conciliandam aliquam gentem, cui aliàs immineret periculum ſchiſmatis: qua ratione conceſſit Bohemis communionem ſub vtraque ſpecie.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm aqua debeat in magna quantitate apponi?

ARTIC. VIII. docet modicum aquæ debere 140
miſceri vino: quia ſi multum aquæ miſceretur, eſſet periculum ne corrumperet vinum, præſertim quando hoc eſt tenue: atque ita non poſſet fieri conſecratio.

Nota Primò in canonibus non determinari præciſè quantum aquæ debeat miſceri vino. tamen c. *Pernicioſum.* de celebr. Miſſar. dicitur minorem debere eſſe quantitatem aquæ quàm vini, & contraria conſuetudo dicitur pernicioſa. In Concilio verò Tribur. can. 19. *Concil. Tribuſ.*

dicitur ita aquam miscendam esse vino, vt duæ partes sint vini, tertia verò aquæ: *quia maior est mœstitia sanguinis Domini, quam fragilitas populi*, &c. quod pro conditione vini, & moribus illius populi potuit esse licitum. Alia tamen est communis Ecclesiæ praxis, vt scilicet minimum octies vel decies plus vini ponatur in calice, quam aquæ: cui etiam fauet Florent. dum ait modicissimam aquam vino apponendam esse. Quare in hoc, quantum commodè fieri potest, communis cuiusque Ecclesiæ praxis, sequenda est: quamuis hac in re non sit scrupulosè agendum. quia modicus in alterutram partem excessus non est curandus.

Quantum aquæ vino misceatur.

Florent.

141 Nota Secundò, hanc aquam debere esse puram & naturalem, vt omnes communiter docent: quia sola naturalis aqua propriè dicitur aqua: nec vllo modo decet aquam minùs puram huic Sacramento misceri.

Hæc mistio debet fieri tempore sacrificij;

Nota Tertiò, non sufficere, vinum priùs in vase fuisse mistum aquæ; sed hanc mistionem debere fieri in ipso calice, ita vt iuxta ipsum altare ab ipsis sacris ministris tempore sacrificij priùs vinum fundatur in calicem, & deinde aqua misceatur: quia hæc mistio non quomodocunque, sed per modum sacræ cæremoniæ ad ipsum sacrificium pertinentis, facienda est; vt D. Thom. docet hîc ad 3.

D. Thom.

142 & ante oblationem,

Nota Quartò, debere hanc mistionem fieri ante oblationem calicis, vt præcipitur in rubricis, si quis tamen id tunc fuisset oblitus, deberet postea aquam infundere modò calix nondum esset consecratus. Si autem non recordaretur ante consecrationem calicis, nullo modo postea esset imponenda. quia nihil non consecratum est miscendum sanguini.

Dispurant hîc quidam, an illa aqua debeat misceri initio Sacri, an post Euangelium. Et quidam volunt eam in priuatis Missis debere initio misceri, vt possit certiùs conuerti in vinum ante consecrationem. Sed, vt ostendam dubio sequenti, meliùs est sequi Rubricas Romanas, quæ docent imponendam esse post Euangelium, ac oblationem panis.

DVBIVM.

Vtrùm aqua quæ ex Ecclesiæ præcepto calici infunditur, necessariò priùs conuertatur in vinum, vt possit per formam consecrationis conuerti in sanguinem?

143 Thomistæ.

PRima sententia id affirmat. Ita communiter Thomistæ. Præcipuum eorum fundamentum est, quia solum vinum & panis videntur esse materia huius Sacramenti.

Alanus, Baronius. Altisiodor. Pesantius. Conimbric. Marsilius. Aristoteles. Toletus. Iansenius.

Secunda sententia id negat. Ita Card. Alanus l. 1. de hoc Sacram. cap. 13. & D. Baronius tom. 12. Annal. sub fin. anni 1188. qui putant hanc sententiam esse de fide. Item Altisiodorensis lib. 4. Summæ, tractat. 5. cap. 2. Alexand. Pesantius in 3. p. qu. 74. art. 8. disp. 2. probátque etiam esse sententiam D. Thomæ. Eandem sententiam probabilem putant Conimbr. lib. 1. de Generat. cap. 10. quæst. 1. art. 2. sub fin. Ei fauet etiam Marsilius ab iis citatus, cùm doceat aquam numquam conuerti in vinum: quæ est etiam expressa sententia ipsius Aristotelis ac antiquorum ipsius interpretum, vt ostendam infrà num. 178. Hanc etiam sententiam apertè docet glossa cap. *Cùm Marthæ*. v. *Physici*. & v. *Cum vino*. item Card. Toletus l. 2. Summæ cap. 25. §. *Rursus siue vinum*. item Corn. Ianssenius in sua Concordia c. 131. c. *Cùm Marthæ* pro hac sententia explicans. Eadem sententia publicè defensa est Romæ anno 1608. in Collegio Germanico, & anno 1606. in Romano. Eandem tenent multi recentiores viri docti.

144 CONCLVSIO. Etsi propter auctoritatem Doctorum prior sententia sit probabilis; secunda tamen videtur probabilior, scilicet, Aquam aliquando immediatè conuerti in sanguinem.

Aqua immediatè conuertitur in sanguinem.

Probatur Primò, quia hoc vnanimi consensu docuerunt omnes sancti Patres & Doctores Catholici, qui hanc rem aliqua ratione attigerunt vsque ad finem sæculi 12. vt statim ostendemus.

Alexander I. in epistola ad omnes Orthodoxos, & refertur cap. 1. de consecrat. dist. 2. *Non enim*, ait, *debet in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri sed vtrumque permistum offeratur: quia vtrumque ex latere eius in passione profluxisse legitur.* Vbi eodem modo dicitur aqua offerri ac vinum: non autem offertur nisi per consecrationem: & consequenter insinuatur, manere aquam vsque ad consecrationem.

Alexand. I.

Idem docet D. Cyprianus l. 2. epistola 3. aliàs 63. qui etiam addit, tunc Sacramentum cæleste effici (scilicet per consecrationem) quando aqua & vinum confusa adunatione copulantur. quod sanè non fit nisi vtrumque in sua substantia permaneat. Nec enim nisi absurdè, potest dici, panem in meam substantiam conuersum, cum eadem confusa adunatione copulatum esse.

D. Cyprian.

Item capite 4. de consecrat. distinct. 2. quod sumptum est ex Concilio Martini Papæ; vinum & aqua dicuntur offerri & benedici, siue consecrari: quod fieri nequit, nisi aqua existat dum consecratur. Aliàs si priùs conuertatur in vinum, verum erit solum vinum consecrari: quod negat D. Cyprianus suprà.

Sed clariùs hanc sententiam docuit Paschasius Corbeiensis l. 1. de corpore Christi c. 11. *Nec dubium*, inquit, *quin sub hoc mysterio bibamus aquam, de qua Dominus: Qui biberit aquam, inquit, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Propterea non inconuenienter etiam ob hoc ibidem aqua consecratur; non quòd aqua permaneat, sed vertatur in sanguinem, vt significet quid fides percipiat.* Quomodo potuisset clariùs dicere hanc aquam permanere in calice donec vertatur in sanguinem? Insinuátque etiam eius permanere species, vt significet illam aquam, quam Dominus nobis Ioan. 4. & 7. promittit.

145 *Paschas. Corbeiensis.*

Ioan. 4. & 7.

Et D. Algerus l. 1. de Sacramento corporis Domini, c. 16. *Cùm enim vinum pro Christo, aqua sacrificetur pro populo, & vtrumque vnus sanguis fiat*, &c. Vbi clarissimè insinuat, aquam immediatè consecrari & conuerti in sanguinem.

Algerus.

Eôdem pertinet illud Ambrosij l. 4. de Sacramentis cap. 5. *Ante verba Christi calix est vino & aqua plenus: vbi verba Christi operata fuerint, sanguis efficitur.* Vbi cùm dicat absolutè, *ante verba*, &c. significat toto tempore ante consecrationem, aquam & vinum permanere in calice: & consequenter illam non priùs mutari in vinum, quàm in sanguinem.

Et clariùs D. Algerus apud Baronium suprà, vbi ait: *Sed licet in mensa Domini tria constituantur munera, sunt tamen duo; per quam sacrificatur, est aqua mista priùs vino: sed quando sacratur, non nisi sanguis erit, quo anima intus alatur.* Vbi dicit tria esse munera ante consecrationem, scilicet panem, aquam & vinum; & postea esse tantùm duo: quia aqua mista priùs vino, cum quo scilicet duo munera constituebat, fit vnus sanguis. Idem planè docet Paschasius suprà, vbi ait: *Constat igitur etsi tria priùs ponantur, non nisi caro & sanguis postea rectè creditur.* Vbi clarè docent aquam semper distingui à vino, donec per consecrationem mutetur in eundem sanguinem. Ibidem Hildebertus Cænomanensis: *Aqua*, ait, *in sanguinem vertitur, vt populus qui per aquam significatur, in melius se mutatum intelligat.*

Algerus. *Paschasius.* *Hildebertus Cænomanensis.*

Ibidem D. Augustinus: *Aqua mittitur in calicem,* *Augus.*

Damasc. & fit sanguis consecratione verbi cælestis. Item Damascenus l. 4. orthod. fidei c. 14. *Non potest* (scilicet Christus) *panem sui ipsius corpus facere, & vinum & aquam sanguinem?* græcè ἢ τὸν οἶνον, ἢ τὸ ὕδωρ; & ipsum vinum, & ipsam aquam; quæ particularem certam & veram significat, & æqualiter aquæ & vino apponitur.

S. Iustin. S. Iustinus martyr Apologia 2. pro Christianis sub finem. vbi ait: *Postea quam & is qui præest, gratias egit, & populus omnis benedixit, ij qui apud nos diaconi dicuntur, dant vnicuique eorum qui adsunt percipiendum panem, vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt; & ad eos qui absunt perferunt: atque cibus hic apud nos Eucharistia nominatur.* vbi Iustinus apertissimè docet, post consecrationem eodem modo panem, vinum & aquam remanere ac dari populo, scilicet ratione specierum remanentium. quod esset apertè falsum, si aqua priùs semper conuerteretur in vinum.

146 Ex his sic argumentor. Patres dicunt aquam offerri, benedici, consecrari & cõsecratione mutari in sanguinem: atqui hæc sunt falsa, si necessariò ante consecrationem vertatur in vinum: quia tunc non esset, quando fieret consecratio, nec ipsa, sed vinum mutaretur in sanguinem: ergo sentiunt Patres ipsam immediatè conuerti in sanguinem.

147 Dices, Patres loqui de aqua mista vino, & intelligendos de aqua iam conuersa in vinum.

Sed contrà Primò, hæc glossa gratis apponitur, nec vllum in Patribus habet fundamentum, teddítque sensum eorum verborum planè contortum & violentum, vt magis patebit infrà: ergo non est admittenda: præsertim cùm huius quæstionis solutio ex verbis Conciliorum, ac Patrum dictis, & claro ac genuino ipsorum verborum sensu petenda sit: cùm nonnisi per traditionem possit cognosci, cùm à mera Christi institutione pendeat, qui potuit materiam Sacramenti, qualem voluerit instituere. Vnde sequitur verba Patrum & Conciliorum de ea re agentium in vsitato ac genuino sensu accipienda esse.

Secundò, quia aliàs eadem ratione possem dicere triticum consecrari, & consecratione verti in corpus Christi: quia triticum mutarum in panem consecratur. Quamuis autem possum dicere, triticum conuersum in panem consecrari; malè tamen dicerem absolutè triticum consecrari: aut vescentes bubula conuertere in suam substantiam herbam quâ bouem nutrierant. Item sicut Patres absolutè dicunt, aquam consecrari & conuerti in sanguinem, simili phrasi possent dicere communicantem bibere aquam & vinum. quod omnino absurdum est.

Et quamuis loquantur de aqua mista vino; nullo tamen modo, vel leuiter insinuant eam debere priùs conuerti in vinum. sed potiùs contrarium innuunt, dum absolutè dicunt aquam consecrari: eodem omnino modo de hac & de vino loquentes, vt patet ex

D. Damasc. Damasceno. imò quandoque nullam facientes vini

Paschasius. mentionem, vt patet ex Paschasio.

148 Tertiò, quia clarè insinuant aquam permanere distinctam à vino vsque ad consecrationem: vt patet ex

D. Ambros. Algerus. Ambrosio & Algero.

Quartò, quia quando reddunt rationem, cur in calice plus debeat esse vini, quàm aquæ, non dicunt: Quia hæc in illud debet conuerti: sed, *quia maior est maiestas Christi* (significata scilicet per vinum) *quàm fragilitas populi*, quæ per aquam significatur. Ita Con-

Tribuiensis. cilium Triburiense can. 19.

Quintò, quia, si Patres sensissent aquam priùs necessariò conuertendam in vinum, quàm possit cõuerti in sanguinem; mirum omnino esset illos ne per vmbram quidem hoc vnquam significasse: cùm tamen sæpe clarissimis verbis testentur eam conuerti in sanguinem.

Sextò, quia aliqui eorum negant eam conuerti in 149
vinum: vt D. Nemesius l. de anima cap. 3. vbi etiam *D. Nemesius.* Patres cõmuniter sensérunt aquam nunquam conuerti in vinum. *D. Iustinus. Plinius.* docet aquam posse artificio à vino separari. quæ sententia videtur fuisse communis Patrum. Primò, quia, vt suprà ostendi, apertè insinuat aquam in sua substantia manere vsque ad consecrationem, imò ipsius speciem etiam post hanc perseuerare. vt D. Iustinus suprà citatus. Secundò, quia in similibus rebus apud eos magnæ auctoritatis erat Plinius, qui lib. 16. Natu. hist. cap. 35. negat aquam conuerti in vinum. quod antè etiam docuerat Cato: vt habent Conimbric. de *Cato. Conimbric.* generatione lib. 1. cap. 10. quæst. 1. art. 1. Tertiò, quia circa annum 1188. & circa tempora Innoc. III. vt patebit infrà ex Baronio. & c. *Cùm Marthæ.* de celebra- *Baronius.* tione Missarum communiter ferè omnes docti supponebant, aquam nunquam conuerti in vinum. quare valdè probabile est, idem olim antiquiores Patres sensisse.

Demum, si liceat sine euidenti necessitate hoc 150
modo Patres interpretari, nihil vnquam ex iis certò poterimus discere: cùm eorum verba facilè in quemuis sensum quiuis deflecter. Et facillimum erit D. Thomam, omnésque ferè auctores ita interpreta- *D. Thom.* ri, vt vix vllus reperiatur qui doceat primam sententiam: si nimirum dicam eos nihil aliud velle, quàm aquam, vt vertatur in sanguinem, debere priùs secundùm externam apparentiam in vinum conuerti, ita vt à vino discerni non possit. Et credibile omnino est plurimos nihil aliud velle & immeritò pro prima sententia citari: præsertim illos omnes qui tantùm dicunt aquam debere à vino priùs absorberi, aut incorporari. Item qui tantùm incidenter dicunt eam priùs in vinum conuerti. Et fortè hoc modo etiam explicari posset D. Thomas, qui, cùm infrà qu. *D. Thom.* 77. dicat generatim, quoties duo liquores etiam eiusdem speciei in pari quantitate miscentur, vtrumque corrumpi, & generari vnum tertium; necessariò videtur intelligendus de corruptione accidentali, & quo ad apparentiam: vt ibidem pluribus dicemus. Et simili ratione hîc videtur dicere, aquam debere priùs conuerti in vinum vt conuertatur in sanguinem.

Quæ ratione intelligendi, qui dicũt aquã conuerti in vinum.

Prob. concl. Secundò ex c. *Cùm Marthæ.* de cele- 151
bratione Missarum: vbi ab Innoc. III. quæritur, Vtrum *Innoc. III.* aqua simul cum vino conuertatur in sanguinem? quæ quæstio fuisset nugatoria, nisi quærentes supposuissent tanquam communiter indubitatum, eam ante consecrationem non conuerti in vinum. Nulla enim est ratio dubitandi, quin aqua conuersa in vinum sit legitima materia Sacramenti.

Pontifex autem respondendo refert tres senten- 152
tias. Prima est eorum qui asserunt illam conuerti in aquam quæ fluxit ex latere Christi. Quare hi apertè supponunt eam non conuerti in vinum. Secunda est eorum qui dicunt aquam cum vino conuerti in sanguinem, cùm priùs conuertatur in vinum. quod tamen ait Pontifex negari à physicis, insinuans hoc non esse necessarium, vt conuertatur in sanguinem: atque ita bimembrem facit secundam sententiam. Deinde quasi physicis assentiens subinfert Tertiam, nimirum posse dici aquam manere post consecrationem immutatam. Vnde patet, paucorum fuisse sententiam asserentium conuersionem aquæ in vinum. Primò, quia petentes hanc quæstionem, videntur eam conuersionem omnino ignorasse: nam aliàs fecissent aliquam eiusdem mentionem, & non tam absolutè supposuissent aquam non conuerti in vinum. Secundò, quia aliquot annis antè communiter supponebatur eam non conuerti, saltem à Gallis, qui hanc etiam quæstionem à Pontifice petebant: vt infrà ostendam ex Baronio. *Baronius.* Tertiò, quia, vt docet Pontifex, absolutè omnes 153

Olim paucissimi putarũt aquã conuerti in vinum.

physici siue medici (quibus hac in re magna fides habenda est, cùm ad eorum propriè artem spectet hæc cognoscere) negabant hanc conuersionem; sicut etiam modò eam negant. Vnde Pontifex quasi refutans aliorum opinionem dicentium aquam priùs conuerti in vinum, statim ei subiungit: *licet physici contrarium asseuerent*: ac deinde quasi his iuxta illud: *cuique in sua arte credendum est*) ipsique experientiæ assentiens, addit: *Præterea dici potest quòd aqua non transit in sanguinem, sed remanet.* Vbi non adfert alienas opiniones sicut priùs, sed docet quid videatur posse ex præcedentibus inferri quod non fecisset, nisi magis inclinasset in illam sententiam physicorum. Vnde infrà proferens suam sententiam non dicit secundam sententiam, aut eorum qui dicunt aquam priùs conuerti in vinum, &c. esse probabiliorem (vt aliqui illum malè citant) sed probabiliorem esse eorum sententiam, qui dicunt *aquam cum vino in sanguinem transmutari*: vt ostendat se abstrahere ab eo quòd priùs in vinum sit conuersa necne. Imò si strictè vim verborum examinemus, significat apertè aquam non conuerti in vinum: aliàs impropriè diceret eam vnà cum vino conuerti in sanguinem. Sicut impropriè dicerem me herbam, qua bos pastus est, simul cum eius carne conuertere in meam substantiam.

154 Confirm. Primò, quia infrà rationem reddens suæ sententiæ non dicit: *ideo aqua in vinum conuertitur*: sed, *ideo vino aqua vnitur, vt Christo populus adunetur.* Insinuans quòd sicut nos per gratiæ & donorum communicationem, salua manente nostra natura vnimur Christo; ita aqua vniatur vino participando solas ipsius qualitates. quod magis patet ex D. Cypriano suprà citato ex cap. 2. de consecrat. d. 2. ad quem hìc Pontifex apertè alludit. *Cyprian.*

155 Secundò, quia aliàs nullo modo respondisset ad quæstionem propositam; scilicet, *An aqua immediatè conuertatur in sanguinem?* Hoc enim ij quibus scribit, petebant. Nam si putassent illam priùs conuerti in vinum; nulla fuisset quæstio. Vnde patet eos supposuisse eam numquam conuerti in vinum.

Nec sufficit dicere, eum respondisse probabilius esse aquam priùs conuerti in vinum, & deinde in sanguinem: quàm eam aut non conuerti per consecrationem, aut conuerti in aquam lateris Christi: quia hoc non satisfacit quæstioni propositæ, qua petebatur, Vtrùm conuerteretur in sanguinem, posito quòd non conuerteretur in vinum? Et ideo Pontifex non dicit probabilius esse eam priùs conuerti in vinum: sed eam vnà cum vino conuerti in sanguinem.

156 Confirm. Tertiò, quia Pontifex vocat probabiliorem sententiam, quæ tunc in Ecclesia erat maximè recepta: atqui tunc ea maximè recepta erat, quæ dicit aquam absolutè conuerti in sanguinem, siue conuertatur in vinum, siue non: ergo hanc dicit esse probabiliorem. Minor probatur, quia tunc & communiter credebatur aquam conuerti in sanguinem, & ferè omnes credebant eam nunquam conuerti in vinum: vt paret tum ex iam immediatè dictis; tum ex disputatione, quæ illis locis paulò antè ventilata fuerat, quam Card. Baronius sub finem an. 1188. refert ex Gaufredo, qui eam perscripsit ad Episcopum 157 Albanensem tunc Vicarium Pontificis; his verbis: *Ad partes enim Galliæ, sicut nostis, hoc anno cum Vestra benedictione reuersus, nouam & mihi hactenus inauditam ventilari inter aliquos reperi quæstionem, de substantia aquæ, quæ vino mista in calice similiter offertur: & an ipsa similiter cum eodem vino in sanguinem conuertatur?* Et cùm attulisset quædam, quibus probatur Christum miscuisse aquam vino, deinde subiungit: *Igitur circa hoc & eiusmodi affirmantium totius misti liquoris, qui in calice continetur, in sanguinem Domini conuersionem, ratiocinatio studiosa versatur. Auctoritates etiam quasdam protulere, quas præsentis scripturæ consummationi duximus reseruandas. Nam qui iis super hoc aduersantur, ex nullis antiquorum, siue etiam modernorum scriptis, tam euidentia testimonia protulere suæ assertionis: ceterùm innituntur potissimùm vni verbo, quòd principales Sancti in duabus speciebus panis & vini consecrationem perfici perhibentes, nullam in verbo illo alicuius diuersæ speciei, nullam aquæ fecerint mentionem. Ad quod respondetur eis, quòd non consueuere homines misturam vini & aquæ, nec si quantitas aquæ præualeat, aquam nuncupare: sed vinum. Præterea calicem legitur Dominus accepisse, non vinum: quamuis continens Euang. posuerit pro contento. Sacerdos quoque cùm Missam celebrat, quid dicere soleat, attendendum: Similiter post quam cœnatum est, accipiens & hunc sacrosanctum calicem (in quo videlicet continetur vinum mistum aquæ) benedixit, & dedit discipulis suis dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus*, &c. Adfert deinde Patrum auctoritates, quibus affirmans sententia comprobatur, quas suprà citauimus; ac deinde subiungit: *Ceterum pars aduersa auctoritates priores vtcunque permittit, dicens, Vinum quod aqua mistum est conuerti, sed non propterea aquam mutari.* * *Testimonium verò Paschasij quod euidens est, eadem pars contemnit, licet magnum ipsius B. Papæ Greg. in lib. Dialogorum perhibeat testimonium sanctitati: sicut Hildebertum aiunt Versificatorem fuisse, non Ecclesiastic. dogmatum assertorem. De Algero dictum, Nescimus hominem: ipsius tamen nullum adhuc comperi librum, & Sancti, vel cuiuscunque Doctoris auctoritatem similiter suffragari.* Deinde petit quid tenendum sit doceri. Subdit Baronius: *Quid autem rescripserit ad petitam consultationem Card. Episc. Albanensis, non inuenimus, sed aliud rescribere non potuisse certum est, quàm quod credidit & custodiuit semper sancta Romana Ecclesia: nimirum, aquam simul & vinum transubstantiari in sanguinem Christi.* Qui etiam infrà in fine an. 1192. contrariam sententiam vocat nuper exortam hæresim.

Nota eos hìc asserere aquam materiæ immutatam.

* Videntur errare in personæ ratione nominis & quinoci. Alius enim fuit Paschasius, cuius meminit D. Gregorius. *Baronius.*

Vbi notandum Primò, vtramq; disputantium partem vt certum supposuisse, aquam non conuerti in vinum. Primò, quia aliàs nulla fuisset causa disputandi an conuerteretur in sanguinem. Secundò, quia cùm negantes obiicerent, principales Sanctos perhibuisse, duabus speciebus panis & vini consecrationem perfici, nullam facientes aquæ mentionem; non respondent alij, aquam iam conuersam esse in vinum, cùm fit consecratio (quod tamen fuisset promptissimum, si hoc putassent probabile. Imò si putassent aliquem è Patribus fuisse in illa opinione, potuissent statim dicere eos hoc dixisse, quia putabant aquam ante consecrationé cóuerti in vinum.) sed his omissis, quia nihil horum vnquá cogitarát dici posse; respondét, *non solere homines misturam aquæ & vini, ne quidem vbi quantitas aquæ præualet* (siue, vbi est plus aquæ quàm vini) *vocare aquam, sed vinum.* Item, vt ostendant sibi omnino persuasum esse, etiam tẽpore consecrationis non esse solũ vinum in calice, sed etiam aquam, dicunt ideo Euangelistam non dixisse, Dominum accepisse vinum, sed accepisse calicem, vt posset significare totum contentum, tam aquam, quàm vinum: quod nomen totum contentum significat, siue vinum sit, siue aqua. 158

Similiter quòd pars aduersa non crédebat aquam conuerti in vinum, patet: quia ideo negat eam conuerti vnquam in sanguinem, sed manere in sua substantia. Et vt eludat auctoritates Sanctorum; respondet, eos dixisse quidem vinum, cui aqua esset mista, conuerti, non tamen ipsam aquam: sed manere immutatam: ideóque negat auctoritatem Paschasij, qui id nimis clarè de aqua asserit. Et sic eos intellexisse Card. Baronium satis patet ex ipsius verbis: & magis infrà in fine anni 1192. Vbi cùm narrasset aquam, cui inciderat particula hostiæ, miraculosè conuersam in sanguinem, subdit: *Hæc* (scilicet dicta sint) *de* 159

Baronius. Gaufredus. *Paschasius.* *Baronius.*

transubstantiatione aquæ in sanguinem Christi per commistionem corporis Christi diuinitus facta, quod semper fieri in vino, cùm commistio intercederet, antiquitas existimauit. Vbi comparat commistionem particulæ hostiæ cum aqua, cum commistione aquæ & vini, & conuersionem illius puræ aquæ cum conuersione huius: insinuans vtramque æquè immediatè conuerti. Ac deinde subdit: *Confutauit hoc miraculum hæresim hoc sæculo obortam, negantium aquam vino mistam mutari in sanguinem.*

160 Ex his patet Primò, fuisse tunc temporis communissimam opinionem, aquam non conuerti in vinum ante consecrationem. quia cùm hac conuersione admissa, potuisset tam facile vtraque sententia concordari, aut altera alterius argumentis respondere; incredibile omnino est, potuisse accidere, vt neutra pars vllam eius faceret mentionem, si credidissent vel probabiliter eam fieri.

Patet Secundò, affirmantes ipsam conuersionem locutos fuisse de conuersione immediata: cùm tunc nemini veniret in mentem mediata illa conuersio.

Gaufredus. Patet Tertiò, cùm Gaufredus dicat, vsque ad illa tempora fuisse inauditum in Ecclesia, aquam non conuerti in sanguinem; fuisse communem omnium opinionem eam absolutè semper conuerti in sanguinem, siue conuertatur priùs in vinum, siue non.

161 Patet Quartò, quàm sit incredibile Pontificem c. *Cùm Marthæ.* tam leuiter hanc sententiam in Ecclesia receptissimam reiecisse, vt aduersarij volunt, præsertim cùm nec verba eius, nec probationes vel leuiter id insinuent, sed potiùs contrarium, si presse examinentur. Multóque improbabilius est, eum nullam fecisse eius mentionem: vt paret etiam ex secunda confirmatione suprà n. 155. allata. quod tamen necessariò debent dicere ij, qui volunt eum definire, probabiliorem esse eorum sententiam, qui ponunt mediatam conuersionem.

162 Quare dicendum est, eum secundam sententiam facere bimembrem, vt contineat mediatam conuersionem, quam apertè recitat: & immediatam, quam insinuat tantùm breuiter, negando secundùm physicos conuersionem in vinum, & nihilominus absolutè approbandos conuersionem in sanguinem. Adde, glossam in hoc cap. apertè docere nostram sententiam v. *Physici*, vbi dicit aquam à vino, licet difficulter, posse tamen separari. Et v. *cum vino*, vbi dicit vinum aquaticum tanquam aliquid compositum, & compactum ex aqua & vino, mutari in sanguinem.

163 Vide cæptum sit opinari aquam in vinum cõuerti. Paret Quintò, ex dictis probabiliter coniectari posse, opinionem illam de mediata conuersione fuisse excogitatam post illam disputationem ab iis qui primò negabant aquam in sanguinem conuerti: qui cùm nollent sibi persuadere aquam vlla ratione etiam vino mistam posse esse materiam huius Sacramenti; nec possent etiam respondere auctoritatibus Patrum absolutè asserentium conuersionem in sanguinem; videntur excogitasse mediatam illam conuersionem. *Gaufredus.* Quia nec in illa disputatione recitata à Gaufredo, nec ante illam alibi reperitur vlla mentio mediatæ conuersionis vel per vmbram insinuatæ. Imò clarè satis ex dictis colligitur fuisse penitus ignoratam.

164 Probatur conclusio Tertiò ex ratione. Multò certius est, totum quod continetur in calice per legitimam consecrationem conuerti in sanguinem, quàm aquam priùs conuerti in vinum: æqui hoc esset falsum, si necessariò deberet priùs conuerti in vinum, quàm in sanguinem: vt per se patet: ergo non est necesse eam priùs conuerti in vinum. Maior probatur, quia multi putant fide tenendum esse totum liquorem contentum in calice, legitima facta consecratione, conuerti in sanguinem: vt paret ex Gaufredo, Alano, Baronio suprà citatis. Cui etiam assentiuntur multi qui ponunt mediatam conuersionem. Conuincitur etiam ex Patribus suprà citatis, id absolutè communi consensu asserentibus. Item ex Trident. sess. 13. can. 2. vbi definit totam substantiam vini conuerti in sanguinem manentibus tantùm speciebus; vinum autem accipit pro toto contento in calice, siue aqua permista sit, siue non: quia totum solemus vocare vinum. Et can. 3. definit Christum totum contineri sub singulis vtriusque speciei partibus. quæ essent falsa, si substantia aquæ in calice legitimè consecrato maneret sæpe integra. Quare etsi olim Innoc. III. non dam- *Gaufred. Alanus. Baronius.* *Trident.* *Innoc. III.*

nauerit expresse eorum sententiam qui dicunt aquam remanere post consecrationem: iam tamen post Trident. non videtur sine errore posse asseri. His accedit, falsam & sacrilegam aliàs fore formam calicis: sicut falsò & sacrilegè pronuntiaretur absolutè forma corporis super hostias, inter quas essent aliquæ hostiæ chartaceæ: aut forma calicis super calicem mistum vino & oleo. Quia vox calix significat totum quod in eo per modum liquidi continetur; vt rectè illi apud Baronium suprà asserebant. Et forma absolutè ex intentione & vsu Ecclesiæ pronuntiatur de toto illo liquido, quod in calice continetur (peccaret enim grauissimè qui tantum medium partem vellet consecrare.) atque ita absolutè affirmat illud totum esse sanguinem (neque enim est vlla ratio cur forma dicatur magis cadere super vnam partem istius liquidi, quàm super aliam.) atqui hoc esset falsum si vna pars illius liquidi non conuerteretur in sanguinem: ergo tunc forma ex parte falsò & sacrilegè proferretur.

Nullo modo iam potest asseri aquam non conuerti in sanguinẽ. Trident.

Falsa foret forma calicis, si aliqua eius pars non conuerteretur in sanguinem.

Confirm. quia tam Concil. quam Patres suprà citati absolutè asserunt tamquam rem certam & indubitatam, post legitimam calicis consecrationem ita totam aquam & vinum conuerti in sanguinem vt nihil ex iis remaneat nisi solæ species siue accidentia; quod non possunt aliunde colligere nisi ex verbis formæ: ergo sentiunt hæc legitimè prolata significare, totum illud mistum secundùm omnem sui partem absolutè conuerti in sanguinem, ita vt forma ex parte sit falsa, quoties aliqua pars illius misti non conuertitur: quia aliàs non possent ex veritate formæ certò colligere totum illud conuerti, si forma secundum eum sensum quo Ecclesia eam intelligit à Christo institutam, posset esse absolutè vera, etsi pars illius misti non conuerteretur. 165

Alia autem esset ratio, si fortè parua aliqua festuca esset in calice mista vino. quia cùm non esset aliquid liquidum, nec pars rei liquidæ, nullo modo per calicem significaretur; qui significat rem liquidam: & consequenter forma super eam non caderet. Demum quia absolutè offerimus populo adorandum, quidquid per modum liquidi humoris in calice est. Et sicut esset populo causa idololatriæ qui offerret adorandas hostias non consecratas mistas consecratis: ita qui offerret calicem, cuius partem sciret non esse consecratam. 166

Festuca mista calici non significatur per formã.

Contrà verò nunquam fuit in Ecclesia iudicatum pertinere ad fidem, an aqua conuertatur in vinum, cùm semper plurimi fuerint, qui id publicè negarint, qui nunquam fuerunt in Ecclesia reprehensi. Nec id caret sua probabilitate. 167

Primò, quia qui id diligentissimè inuestigarunt, vt Aristoteles, Plinius, omnésque medici & chymici, id negant: quibus hac in re maior videtur habenda fides: quàm Theologis qui id non tam diligenter examinarunt. *Aristot. Plinius.*

Secundò, quia pro illis stat experientia, quæ certissima rerum magistra est in iis, in quibus certa catholica fides ei non contradicit. Si dicas fidem contradicere; quia aliàs aqua non posset conuerti in san- *Probatur aquam mistam vino nunquam in hoc conuerti.*

guinem; gratis sumis quod probandum est.

168 Experientia autem probatur Primò, quia potest aqua post mistionem iterum separari. Nec sufficit quòd dicas non educi aquam, sed tantùm aquaticum humorem: quia gratis hoc dicitur. Nam quod aiunt ciusmodi humorem educi etiam ex vino; hoc negant *Plinius.* harum rerum experientissimi, vt Plinius, & alij, qui volunt hoc modo posse discerni an vinum sit purum: quod fieri non posset, si similis humor posset eodem modo ex puro vino educi. Adde, etsi concedamus non esse veram aquam, nihil eos iuuare. quia saltem non est vinum; vt & peritorum auctoritate & sensu constat, & ipsi videntur fateri: ergo non erit magis materia consecrationis quàm aqua.

169 Secundò, quia, vt experimur, & peritissimi fatentur corpora simplicia, qualis est aqua, non nutriunt: cuius rationem omnes reddunt: quia non possunt immediatè conuerti in mista: ergo nec aqua poterit immediatè conuerti in vinum: præsertim cùm vinum sit plenum calidissimis spiritibus, qui nullo modo videntur posse gigni ex pura aqua.

Corpora simplicia nec nutriunt nec immediatè in mista conuertuntur.

Tertiò, quia aqua est tenacissimæ naturæ. Vnde si eam coniicias in candentem ollam ferream, si vapores alambico excipias, totam omnino integram recipies.

170 Quartò, quia ne viuentia quidem eorum cibum aut potum, quem tamen sumunt naturæ suæ accommodatissimum, possunt integrè in suam substantiam conuertere; cùm tamen virtutem ad hoc accommodatissimam habeant. Idem videmus in igne comburente materiam etiam siccissimam, & ex qua cinerem & fuliginem relinquit. Quare etsi concedamus, vinum posse in se conuertere aliquas partes aquæ crassiores, & sibi accommodatiores; non tamen totam poterit conuertere.

171 Quintò, quia experimur vinum semper proportionaliter perdere virtutem suam pro multitudine aquæ, quæ ei imponitur, etsi guttatim & per tanta intervalla impones, quanta alij requirunt, vt ipsa conuertatur in vinum: idque ita vt statim ac paulò plus aquæ imposueris, quàm fuerit initio quantitas vini, incipiat plus habere naturam aquæ, quàm vini, & si pergas imponere, tandem non percipies vinum: ita vt videatur vinum conuersum in aquam: cùm tamen contrarium experiamur in iis, quæ certò scimus alias res in suam substantiam conuertere. Quantumcumque enim panem comedamus, nunquam tamen fiemus panis: quantumcumque ligni apponas paulatim igni, nunquam ignis fit lignum aut debilitatur.

172 Dices, vinum agendo repati, & perdere virtutem agendi. Sed contrà. Si habeat vim conuertendi aquam in se, quare non habebit vim seipsum reducendi ad priorem suum statum, cùm hoc sit facilius? Item etsi vim perderet ita vt non posset priorem statum recipere, si tamen aquam in se conuerteret, non deberet eadem ferè proportione virtutem perdere, quando guttatim infunditur, ac quando tota simul. Quia aqua illo modo infusa sine comparatione habet minorem actiuitatem: & quantam vim vinum amittit ex vna parte, tantam deberet ex alia parte acquirere: quia augetur ipsius quantitas. Maior autem quantitas vini etiam secundùm illos, faciliùs in se aquam conuertit, quàm parua quantitas. Quare poterit semper aquam in se conuertere, quantumcumque aquæ paulatim infundas. Quod certissimum experimur in aliis omnibus quæ certò scimus res alias in se conuertere. Nec vlla dari potest instantia. In præsenti autem casu experimur falsissimum.

Si vinum posset aquã in se conuertere, posset paulatim quãtumcumque multã conuertere.

173 Sed vt gratis concedamus contra omnem in rebus aliis experientiam, hoc in vino non sequi; tamen negari nullo modo poterit hinc euidentissimè sequi, saltem requiri vt minimum quadruplam aut quintuplam proportionem aquæ guttatim per intervalla infusæ, vt vinum perdat omnem vim suam, quàm requireretur, si simul infunderetur: cuius tamen contrarium apertè experimur.

Sextò, quia etsi fortia valdè vina possent paruam aquæ quantitatem in se conuertere; non tamen id videtur concedendum tenuibus, quale est Mosanum, aut Louaniense, in quo tamen licitè celebramus, & tenemur etiam ei aquam miscere: quod maximè vrget, si, prout permittitur in Concilio Triburiensi can. 19. tertia pars calicis sit aqua, quod celebratum fuit in Germania, vbi sunt multa vina tenuia. 174

Septimò, etsi vinum posset in se conuertere aquam, non videtur tamen id posse facere tam breui tempore, quale est communiter in priuatis Missis ab offertorio vsque ad consecrationem, præsertim quando vina sunt valdè tenuia, & saltem quinta vel sexta pars aquæ infunditur, quod locis plurimis vsitatissimum est, & maximè hyeme quando aqua est frigidior & constipatior, ac aptior vt resistat contrariis. Maximè autem hæc vrgent, quando quis post consecrationem corporis recordatur se non imposuisse aquam calici. quo casu debet statim eam imponere & consecrare secundùm Rubricas Roman. atqui incredibile omnino videtur, tantillo tempore aquam in vinum conuerti, præsertim si vinum sit tenue. 175

Dicere autem quòd illis omnibus casibus aqua non conuertatur in sanguinem, videtur expressè repugnare Patribus, & Trident. suprà citatis: quia absolutè definiunt, in calice legitimè consecrato, qualis hic est, nullam esse substantiam nisi sanguinem Christi, & quæ cõcomitanter ei sunt annexa: vt corpus, &c. repugnat etiam formæ, quæ absolutè dicitur; *Hic est calix sanguinis*: & totum quod ibi est per modum liquidi à populo adoratur: vt suprà ostendi. 176 *Trident.*

Resp. aliqui, accidere præter intentionem Ecclesiæ, & consecrantis, quòd aliquibus casibus tota materia calicis non conuertatur in sanguinem: ideóque hoc non esse curandum. Sed contrà, Ecclesia in Rubricis citatis ex certa scientia iubet misceri aquam calici, etiam in iis circumstantiis, in quibus sæpe moraliter vix fieri possit vt ante consecrationem conuertatur in vinum; vel vt minimum probabile est non conuertendum in vinum. Quare si vera esset sententia quam oppugnamus; sine vlla necessitate (nec enim quidquam cogit Ecclesiam eo casu præcipere mistionem aquæ?) exponeret sacerdotem periculo, ne formam ex parte falsò & sacrilegè proferat, vt ostendi suprà: atqui hoc est absurdissimum: ergo etiam id vnde sequitur. 177

Adde, quòd si liceat aliquos casus, quibus fit legitima consecratio, excipere à generali regula, qua dicitur totum id quod significatur per nomen *calix*, conuerti in sanguinem, eadem ratione plures, & absolutè omnes excipiam: & dicam aquam nunquam conuerti in sanguinem. Nec enim hoc magis potest conuinci absurdum, quàm illud. nam, vt ostendi n. 165. ea sola significatione & veritate formæ potest colligi, quòd totum illud mistum conuertatur in sanguinem: forma autem in omnibus illis casibus idem significat. Et sicut Ecclesia vult in vno casu aquam ita infundi, vt possit verti in sanguinem: ita in omni casu. nec enim vllum excipit.

Dices, Aristotelem docere aquam missam in magnam copiam vini, in hoc conuerti. 178

Respond. Aristotelem hoc nullibi docere, sed aliquos id solum colligere ex verbis ipsius c. 10. l. 1. de generat. text. 89. vbi dicit guttam vini mistam decies millenis mensuris aquæ in hanc conuerti. Sed malè hinc illud inferetur: sicut ex eo quòd possimus conuertere panem in nostram substantiam, malè inferres panem posse nos in se conuertere. Nec refert quòd vinum magis sit actiuum quàm aqua, atque videatur hanc *Aristot.* *Ex eo quòd vinum vertitur in aquã malè infers aquã verti in vinum.*

hanc posse faciliùs in se conuertere ; quia similiter ignis est multò actiuior quàm sint cineres , & tamen carbo ignitus iis inclusus , paulatim muratur in cineres: cùm contrà tamen nulli vnquam carbones possint cineres in se conuertere, cuius ratio est Primò, quia sicut ignis habet magnam vim agendi , ita habet exiguam vim resistendi contrariis & facillimè suffocatur: contrà verò cineres habent incredibilem vim resistendi igni ne ab eo corrumpantur. Secundò, quia carbones sunt ex natura sua aptissimi qui vertantur in cineres , vnde seipsos in cineres vertunt; cineres verò omnino inepti vt immediatè vertantur in carbones. Et eadem est ratio vini & aquæ; nam illud aliis liquoribus parua quantitate mistum, facillimè corrumpitur, non propter horum vehementem actiuitatem: sed quia ipsius spiritus calidiores statim exhalantur,aut penitus suffocantur, atque ità omnis vis & natura vini perit. Hinc si vinum in parua quantitate diu relinquas in vase aperto , fiet paulatim quasi aqua. Secùs est de aqua, quæ & difficillimè omnino corrumpitur , & est planè inepta vt naturaliter immediatè conuertatur in vinum , vt patet ex dictis num. 169.

Cur vinum facilius vertatur in aquã quàm hæc in vinum.

Aristotel. Resp. Secundò, Aristotelem ibid.c. 5. text. 34. expressè docere aquam non conuerti in vinum , etsi huic misceatur. Ponam eius verba primùm græcè,ita se habent : Ἀποροῦσαι δ' ἂν τις ᾗ τί ὅτι τὸ αὐξανόμενον , πότερον ᾧ προσίσταταί τι , οἷον εἰ τὴν κύμβιον αὔξοι τι, αὐτὴ μείζων ὢν ὁ ἀυξάνει ἢ τροφή, ὅ. ἐξ οὗ τί ἀεὶ οὖν οὐκ ἄμφω ἠυξῆσι ; μείζον γὰρ ᾗ ὃ , ᾗ ὦ ; ὥστε οὔτε μίξις οἶνον ὕδατι ὁμοίως γὰρ πλεῖον ἑκάτερον. ἢ ὅτι τοῦ μὲν μένει ἡ οὐσία , τὸ δ' οὔ , οἷον ᾗ τῆς τροφῆς. ἐπεὶ ᾗ ἐπιβάλλει τὸ διπλασιάζειν λέγεται ἐν τῇ μίξει , οἷον ὅτι εἴνοι. ποιεῖ γὰρ τὸ οἶνον ἔχον , ἀλλ' ὃ τὸ τὸ ὕδατος τὸ σύνολον μίγμα. quæ ita latinè reddas : *Quæres verò aliquis & quid sit quod augetur : virum id cui apponitur aliquid , velut si tibiam augeat aliquid, ipsa maior* (scilicet fit) *id verò quod accreuit , scilicet alimentum , minimè* (scilicet augetur:) *Quare igitur non vtrumque augetur ? nam maius fit* (scilicet in mistione) *& id quod* (scilicet alicui miscetur) *& id cui* (scilicet aliud miscetur,) *veluti quando misces vinum aquæ : similiter enim maius vtrumque* (scilicet fit) *an quia huius quidem* (scilicet mixti) *manet substantia, illius verò non, videlicet substantia cibi: cùm & illic quod præualet dicitur* (siue nominatur) *in ipsa mixtura, videlicet quòd vinum sit ; nam totum mixtum efficit operationem vini, non autem aquæ.* Vbi Nota, Aristotelem quærere cur in nutritione id solùm quod nutritur,dicatur augeri ; in mixtione verò vtrúque mixtum dicatur augeri ? Et dicit causam esse, quia in nutritione perit substantia alimenti , in mixtione verò v.c.aquæ & vini, vtriusque substantia manet. Deinde addit , quando altera pars in mixtione præualet,hanc solam nominari , siue totum accipere huius nomen, & hoc solum dici augeri: v. c. quando aqua miscetur vino,totum dicitur vinum, & hoc solũ communiter dicitur augeri : cuius rationem reddit, non quia aqua in vinum vertitur ; sed quia ipsum totum exercet operationem vini præualentis. Ex quibus omnibus clarè patet, Aristotelem sentire,aliter se habere aquam mixtam vino, etiam præualenti; aliter verò nutrimentum respectu nutriti ; quia nimirum aquæ substantia manet , nutrimenti non. His consonant quæ ibid. dicit texru 39. vbi cùm quæsiuisset, qualiter id quod nutritur augeatur per alimentum, id per similitudinem explicans ait: ὥσπερ οἶνο εἴ τις ὕδατι χέοι ὕδωρ , ὧδε δύναι ᾧ οἶνοι ποιεῖν τὸ μιχθέν. quod latinè sic vertas : *haud secùs atque si quis aquam vino infundat , & is id quod admixtum est efficere vinum possit.* Vbi dum ait, *efficere vinum possit* , ostendit id non verè fieri , sed fingi solùm posse. Sic cum aliis antiquioribus Interpretibus Aristotelem intellexit Philoponus in commentario ad textum 84. lib. 1.de Ortu & interitu, citatus à Dandino lib. 2. de Anima, digressione 8. part. 3. vbi ex mente Aristotelis explicans mixtionem ait : *Non mixta essent , si mero actu essent , ac nihil prorsus mutarentur , sed aut dicit* (scilicet mixtio) *separari posse quæ mixta sunt , quia planè spectum suum non amiserunt; sed inquinarunt: & ideo instrumentis quibusdam ad immutandum aut secernendum comparatis ad pristinam speciem reducuntur; quomodo aqua percolata separatur à vino.* Hactenus ille. Similiter Philo Iudæus lib. de Confusione linguarum sub finem expressè docet , aquam mistam vino nunquam in vinum conuerti.

Philoponus. *Dandinus.* *Philo.*

Dices Secundò, Vinum potest agere in aquam sibi mistam ; ergo poterit corrumpere omnes qualitates necessarias ad conseruationem substantiæ aquæ , & inducere suas qualitates , & consequenter formam. Confirm. quia incredibile videtur guttam vini missam in vas aquæ retinere diu suam substantiam : & similiter guttam aquæ in dolium vini. 179

Resp. Primò, negando conseq. Quia non quæcunque possunt in aliquid agere , possunt hoc in se conuertere, aut etiam substantialiter corrumpere : vt patet in puris cineribus, & materia vitri,quæ nullo igne possunt corrumpi, etsi per annum ardeant: imò in ipsa aqua , quæ iniecta in candentem ollam potest euaporari; non tamen substantialiter corrumpi. quia statim vt venit ad locum frigidum, reducitur ad priorem statum. Alia tamen videtur ratio vini missi in aquam, cuius spiritus, vt dixi, facilè extinguuntur , & fit vappa, & demum omnino corrumpitur , non tamen mutatur in puram aquam. Quòd autem gutta aquæ in vase vini perseueret , non magis mirum est , quàm quòd perseueret in olla candenti.

Resp. Secundò , Etsi vinum posset aquam corrumpere , non tamen posset in vinum conuertere. Quia corpus mistum non potest componi ex vno simplici. Adde , tam ad hanc quàm ad præcedentem obiectionem , etsi aliquibus casibus vinum posset aquam in se conuertere, non tamen in omnibus casibus suprà positis , nec tam paruo tempore : quod nos solùm contendimus. Quare illæ obiectiones contra nos non faciunt. 180

Ex his satis probata manet maior tertij nostri argumenti ; scilicet, longè esse certius totum quod est in calice conuerti in sanguinem , quàm aquam missam in calicem priùs conuerti in vinum : cùm rationabiliter sæpè, imò semper sine vllo periculo erroris in fide possim de hoc dubitare, non tamen de illo: & consequenter patet hoc ad illud non necessariò requiri. 181

Contra ipsam verò conclusionem obiicies Primò, quòd quando Concilia & Patres recensent materiam huius Sacramenti, solùm nominant panem & vinum. Item dicunt post consecrationem nihil manere substantiæ panis & vini, sed dumtaxat species panis & vini; nulla facta mentione specierum aquæ: vt patet ex Trident. sess. 13. can. 2. ergo censent non remanere ibi species aquæ , nec hanc esse materiam huius Sacramenti. Confir. Primò , quia aliàs sola aqua posset consecrari, sicut peccata venialia sola confiteri possumus. Confirm. Secundò , quia solo præcepto Ecclesiæ tenemur aquam imponere,quæ non potest facere materiam Sacramenti. 182 *Trident.*

Resp. antecedens non esse vniuersaliter verum. Nam præterquam quòd Florentinum dicit , vino aquam miscendam ; sæpè Concilia & Patres dicunt aquam simul cum vino offerri , consecrari , benedici, &c. vt patet ex dictis. Nihil autem offertur & consecratur nisi materia Sacramenti. 183 *Florent.*

Quòd autem recensentes materiam Sacramenti, sæpe non nominent aquam , fit Primò, quia solemus totum illud mistum , quamuis in eo aliquid aquæ in *Cur multi solùm dicant panem & vinum esse materiam huius Sacramenti.*

sua substantia ac naturâ perseueret, tamen absolutè vocare vinum, à potiore nimirum & prædominante parte. Et quia totum habet similitudinem vini; vt responderunt illi citati ex Baronio n. 155. Et eadem est ratio specierum remanentium. Cùm enim solæ species vini appareant, & non sit certum an species aquæ remaneant, has Concilium tacuit, & quod erat certum solùm dixit. Quod autem dicit, *manentibus dumtaxat speciebus panis & vini*: non excludit species aquæ; sed eas sub speciebus vini secundùm communem loquendi modum (vt dixi) comprehendit, & tantùm excludit substantiam panis & vini. Agit enim ibi contra Lutheranos, qui non disputant Vtrùm aqua debeat priùs conuerti in vinum quàm conuertatur in sanguinem; sed Vtrùm substantia panis & vini post consecrationem remaneat: & hos intendit Concilium damnare, non autem controuersam inter Scholasticos quæstionem, quæ nihil ad rem præsentem faciebat, definire. Secundò id fit, quia vinum est per se, & necessaria materia Sacramenti: aqua verò nec necessaria, nec per se, sed tantùm quatenus mista vino eiusdem qualitates & species aliqua ratione participat.

Fr. Suar.

Nec refert quòd possimus separatim sola peccata venialia confiteri, quia non valet argumentum à simili in Sacramentis, quæ Christus suo arbitrio singula diuersa instituit: aliàs possemus dicere dari materiam liberam, & per se sufficientem in omnibus Sacramentis, sicut datur in pœnitentia. Vnde patet responsio ad Primam confirmationem.

184 *Florentin.* Ad Secundam Resp. Ecclesiam hoc (vt patet ex Florentino) præcepisse ob exemplum Christi, qui ita aquam materiam huius Sacramenti instituit, vt mista vino posset consecrari, cui tamen non necessariò misceretur, & nonnisi mista consecrari posset. Vnde sequitur, vt aqua possit esse materia huius Sacramenti, debere misceri vino in quãtitate notabiliter minore, quàm sit ipsum vinum. Primò, quia aliàs non posset ita à vino absorberi & immutari, vt subiret quodammodo naturam vini secundùm apparentiam externam. quod tamen, vt patet ex dictis, est necessarium. Secundò, quia aliàs non esset ratio, cur aqua potiùs diceretur mista vino, quàm vinum aquæ; cùm tamen omnia Concilia dicãt aquã miscendã vino, nõ contrà.

Cur parum aquæ vino misceatur sit.

185 Hinc patet solutio ad quædam alia quæ obiiciunt, scilicet ex nostra sententia sequi Primò, magnam quantitatem aquæ cui parum vini ineesset, posse consecrari. Secundò, saltem eo casu ipsum vinum solum posse consecrari. Tertiò, aquam solam posse consecrari sine vino. Sed primum & tertium esse falsum, patet ex dictis. Nam vt aqua sit consecrabilis, debet ita à maiore quantitate vini absorberi, vt appareat conuersa in vinum. Secundum etiam falsum esse patet. Quia etsi tunc fortè ibi maneat substantia vini, tamen quia non est ibi per se demonstrabilis, nec etiam est consecrabilis.

Cur parum vini mistũ aquæ consecrari nequeat.

Quin autem Christus potuerit dicto modo instituere materiam huius Sacramenti, nemo potest dubitare. Quòd autem id fecerit, satis à posteriore ex dictis colligitur: cùm nisi hoc dicamus, multa absurda euadere non possimus, quæ in institutione & vsu Sacramentorum admittenda non sunt.

186 Obiicies Secundò, contrariam sententiam esse communiorem Theologorum.

Sæpè sententia communior falsior, & minùs communis.

Resp. Primò, non esse inusitatum in Ecclesia Dei, vt opinio aliqua, quæ aliquando fuit visa quasi communis inter DD. Scholasticos, qui vnius fortè auctoritatem secuti, eam minùs diligenter examinarant, postea ab aliis refutetur. Nam longo tempore fuit communior, & ferè Thomistarum sententia, validè absentem absolui: quæ tamen postea, etiam ante bullam Clementis, à plurimis cœperat reiici: vt patet ex Suare quæst. 19. de pœnitentia sect. 3. Imò hæc ipsa sententia, quam impugnamus, paulò ante tempora Innocentij erat penitus ignota: vt ostendimus suprà. *Suarez.*

Resp. Secundò, numquam fuisse ita communem, quin multi contrarium apertè asseuerarint. vt suprà ostendi, & multò plures asseruissent, si distinctiùs fuissent rogati. Multi enim qui contra nos citantur, commodissimè intelligi possunt, tantùm loqui vel de eo quod sæpè fieri credebant: vel de conuersione aquæ in vinum quoad apparentiam externam. Et præstaret sanè eos hoc modo explicare, quàm fateri eos omnibus Patribus contradixisse, cùm eorum verba longè faciliùs traherentur ad sensum Patrum, quàm verba Patrum ad sensum eorum.

Obiicies Tertiò, Si aqua mista vino non tamen 187
conuersa in vinum posset consecrari; sequeretur Primò, quòd in calice esset duplex consecratio, quia ibi esset duplex materia. Secundò, quòd esset distincta specie consecratio, quando vinum solum consecraretur, ab ea qua consecraretur aqua simul cum vino, quia esset distinctus terminus à quo & ad quem: scilicet sanguis existens sub speciebus aquæ & vini. Resp. Primò, simili ratione tanquam absurdum posse inferri, esse distinctam specie consecrationem, qua consecratur vinum Græcum ab ea qua consecratur Rhenanum. Respond. Secundò, negando vtramque sequelam. Primò, quia aqua in exigua quantitate mista vino in ordine ad consecrationem, constituit cum eo aliquid vnum, & non duo. Secundò, quia vna eademque forma vtrumque consecratur. Tertiò, quia terminus ad quem, à quo actio sumit speciem, est in omnibus illis consecrationibus vnus & idem, scilicet sanguis Christi: aut si velis, tota humanitas Christi, quæ in se & secundùm ea omnia quæ hîc reproducuntur, est eadem sub omnibus speciebus, quæ nullo modo producuntur.

Obiicies Quartò, Species, sub quibus sanguis 188
continetur, debent significare sanguinem: sed species aquæ non possunt significare sanguinem; quia aqua significat populum, & vinum significat sanguinem: vt docent canones: ergo nec species aquæ continent sanguinem.

Vna res dupliciter aliam significat.

Resp. dupliciter vnam rem posse significare aliam. Primò, non significando eam esse præsentem, sed solùm per quandam analogiam, eius qualitates repræsentando: sicut agnus significat Christum, & ita secundùm canones vinum significat sanguinem, & aqua populum. Secundò sacramentaliter, significando rem hîc & nunc esse præsentem: & sic eodem modo vtræque species aquæ & vini mutuo mistæ post consecrationem significant præsentiam sanguinis; nullo autem modo præsentiam populi, qui ibi præsens non est: sola autem secunda significatio est de essentia Sacramenti.

Obiicies Quintò, Si ex facto Christi miscentis 189
aquam vino liceret inferre ipsam posse immediatè conuerti in sanguinem, sequeretur tam certum esse, hanc ita posse conuerti, quàm est certum Christum eam miscuisse: atqui hoc est falsum: ergo. Resp. negando sequelam maioris. Primò, neque enim id quod probabiliter ex aliquo infertur est tam certum, quàm antecedens. Secundò, quia illud non infertur ex solo facto Christi, sed ex hoc syllogismo: Aqua quæ secundùm exemplum Christi, & præceptum Ecclesiæ miscetur vino, quoties legitimè consecratur, semper vertitur in sanguinem: atqui sæpè non conuertitur priùs in vinum, imò fortè nunquam: ergo saltem aliquando immediatè vertitur in sanguinem. Vbi si minor esset tam certa quàm maior, conclusio esset etiam certa. Multi tamen minorem negant, ideóque conclusio non est omninò

certa,

certa. Quanquam ego de ea nullo modo dubitare possim: quia rationes suprà allatæ videntur mihi conuincere eam planè esse certam.

190 An speciesaquæ separatæ pergerent continere sanguinem.

Petes, quid fieret si species aquæ separarentur à speciebus vini, aut his corruptis manerent illæ adhuc satis integræ, vt posset sub illis existere substantia aquæ; Vtrùm sub iis sanguis maneret?

Respond. rem incertam esse, & pendere à voluntate Christi, quæ nobis non est reuelata: & fortè verisimilius videbitur non permansurum.

Primò, quia aqua non est materia huius Sacramenti, nisi mista vino huius rationem quodammodo subeat. Secundò, quia pertinet ad secundariam huius Sacramenti significationem, vt sicut per vnionem aquæ & vini significatur nostra vnio cum Christo; ita per separationem significetur nostra separatio: & sicut nos separati à caritate separamur à Christo; ita species aquæ separatæ à speciebus vini desinant continere Christum.

191 Trident.

Dices, Concil. Tridentinum sess. 13. can. 3. definit Christum sub singulis vtriusque speciei partibus, separatione facta integrè permanere: atqui species aquæ sunt pars calicis: ergo sub iis etiam separatis manet totus Christus.

Resp. ob hoc argumentum satis probabiliter posse defendi, mansurum sub illis speciebus separatis sanguinem. Et ad Primum argumentum in contrarium respondetur, ex eo quòd sanguis non possit primò poni sub speciebus aquæ separatis; non sequi, non posse sub iis conseruari. Nam similiter anima separata à corpore non potest accipere characterem baptismi; acceptum tamen retinet. Ad Secundum Resp. illam significationem non esse Sacramentalem, nèc versari circa essentiam Sacramenti; & consequenter propter eam eiusue defectum nihil mutandum esse in essentialibus Sacramenti.

Ex altera tamen parte illud etiam argumentum non conuincit quod intendit. Quia facilè posset responderi, Concilium tantùm agere de diuisione, qua partes specierum ita separantur, vt sub iis possit conseruari materia consecrabilis, vt ordinariè fit: non autem de illa qua partes ita diuiduntur, vt sub iis nequeat conseruari materia in se consecrabilis. Quod patet Primò, quia intentio Concilij est definire solùm id quod negant nostri hæretici: scilicet, illum qui tantùm accipit alteram speciem, aut etiam eius minimam particulam, tantum accipere, quantum accipit is, qui vtramque speciem sumit: vt patet ex c. 3. eiusdem sess. & ex sess. 21. c. 1. 2. & 3. Secundò, quia aliàs sequeretur, Christum semper manere sub accidentibus vini, quamdiu aliqua quæ priùs fuerunt in vino incorrupta remanent, etsi tali modo vi ignis vel alia ratione separentur, ac rarefiant, vt sub iis non possit subsistere substantia vini: quod tamen falsum est. Itaque Concilium intelligendum est de ea separatione, qua species non constituantur in eo statu, quin possit sub iis seruari materia consecrabilis: quando verò accidentia aquæ omnino separantur à speciebus vini, secundùm præsentem Sacramenti institutionem, non potest sub iis conseruari materia consecrabilis: atque ita etsi species aquæ per illam separationem non corrumpantur secundùm substantiam, corrumpuntur tamen quatenus sunt species materiæ consecrabilis.

192

QVÆSTIO LXXV.

DE CONVERSIONE PANIS ET VINI IN CORPVS ET SANGVINEM.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in hoc Sacramento sit corpus Christi secundùm veritatem?

1

ARTICVLVS I. docet, in hoc Sacramento corpus & sanguinem Christi verè & propriè esse.

Quia hoc Sacramentum maximum mysterium, & quod sensum ac intellectum nostrum omnino superat, continet; hinc factum est vt à multis sæpè sit oppugnatum.

Qui primi circa hoc mysterium errarint. *Ioan. 6. Capharnaitæ.*

Primi autem qui circa hoc errauerunt, fuerunt Capharnaitæ, & quidam ex discipulis Christi, qui Ioan. 6. Christo promittenti hoc Sacramentum noluerunt credere, sed dixerunt: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Et infrà: *Durus est hic sermo, & quis potest audire eum?*

Corinthij. 1. Cor. 11.

Secundò, videntur circa hoc mysterium errasse Corinthij, vt colligitur ex epist. 1. ad eos scripta c. 11. vbi Apostolus ait: *Audio scissuras esse inter vos: & ex parte credo. nam oportet & hæreses esse.* Deinde ostendens in quo errent, reprehendit eos quòd Eucharistiam quasi communem cibum sumant; ac deinde grauissimis verbis eius veritatem explicat. Ita ex D. Cyrillo Alexandr. docet Turrianus l. 1. de canonibus cap. 22. *Cyrillus Alexand. Turrianus.*

Deinde varij hæretici variè circa hoc mysterium errarunt; sed hi omnes non tam præcisè hoc impugnabant, quàm totam œconomiam incarnationis euertebant.

2 *Iconomachi.*

Quartò, circa annum 780. quidam Iconomachi dicebant vnicam esse imaginem à Christo probatam, scilicet Ver. Eucharistiam, quæ corpus & sanguinem Christi repræsentaret. negantes realiter Christum ibi esse præsentem, vt patet ex Synodo VII. act. 6. tomo 3. §. penult. & vltimo. Sed hi non nisi obiter videntur hunc errorem docuisse. quare etiam hæresis ibidem à Concilio damnata euanuit.

Ioan. Scotus; Berengarius; Petrobrus. Albigenses; Vviclef. Flagellantes; Carolstad. Caluinus.

Deinde inter Latinos circa annum 800. fuit quidam Ioannes Scotus, & circa annum 1050. Berengarius, deinde Petrobrusiani, Albigenses, Flagellantes, Vviclef, Carolstadius, Caluinus, & ceteri Sacramentarij nostri temporis, qui omnes directè & ex

professo hanc veritatem oppugnarunt. Ante hos autem etsi quidam negarint veritatem huius Sacramenti, tamen ferè indirectè, quatenus negabant veritatem incarnationis, aut tantùm obiter id faciebantque ideo vsque ad annum 780. semper in Ecclesia fuit tanquam indubitata suppositа hæc veritas, nec directè à Patribus ita operosè aut ex professo, propugnata: quòd non esset qui eam ita palàm oppugnaret. Post illa verò tempora, luculentissimè à Catholicis semper propugnata fuit.

3 *Trident. Veritas catholica circa hoc mysterium.*

Veritas igitur catholica est quam definit Trident. sess. 13. can. 1. his verbis: *Si quis negauerit in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verè realiter & substantialiter corpus & sanguinem vnà cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit, tantummodo in eo esse vt in signo vel figura, aut virtute; anathema sit.*

Lanfrancus. Paschasius. Guido Vdus. Algerus. Alphon. Sanderus. Garetius. Cl. du de Sainctes. Suarez. Valentia. Bellarm.

Hanc veritatem olim contra Ioannem Scotum & Berengarium pulcherrimè defenderunt Lanfrancus Episcopus Cantuariensis, Paschasius Abbas Corbeiensis, Guidmundus & Algerus: & hoc nostro tempore contra nostros hæreticos Guilielmus Alanus, Sanderus: Garetius, Claudius de Sainctes, P. Suarez in hunc articulum, P. Valentia diip. 6. quæst. 3. Card. Bellarm. de Eucharistia l. 1. 2. 3. & qui hanc ita luculentè pertractarunt, vt nihil addi posse videatur. Quare ne actum agam breuiter tantùm clarissima quædam & maximè vrgentia argumenta adferam, quibus catholica veritas probetur: & præcipua quædam argumenta hæreticorum soluam, & simul ostendam quomodo alia solui debeant. Qui fusiùs hæc expetit, dictos auctores legat.

4 *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.*

Probatur igitur Primò ex verbis Christi Matthæi 26. Marc. 14. *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Idem iisdem ferè verbis docent Luc. c. 22. & Apostolus 1. ad Corinth. 11. Et ne dubitemus Christum loqui de vero corpore & sanguine, addunt: *quod pro vobis datur*, siue offertur: *qui pro vobis effundetur.* Horum verborum claritas ita torsit hæreticos, vt anno 1577. prodierit libellus, qui enumerabat 200. in varios sensus paucorum verborum detorsiones: ita nimirum veritatis inimici se omnem in partem versant, vt possint aliquem illorum verborum sensum veritati contrarium reperire, qui vel tenuem vmbram verisimilitudinis habeat.

Præcipua ferè hoc tempore hæreticorum explicatio est: Verbum *est*, hic sumi pro significat; siue quod idem est, *corpus* sumi pro figura corporis: atque ita secundùm eos panis & vinum dicuntur corpus & sanguis Christi, quia sunt horum figura.

5

Sed contra Primò. Verba Scripturæ in proprio sensu accipienda sunt, nisi aut alius locus, aut manifesta absurditas quæ inde sequeretur, nos aliud cogat dicere; nihil autem tale hic vel per vmbram occurrit: cùm omnia loca Scripturæ, quæ de hoc mysterio agunt, mirè simplici verborum acceptioni consonent: ergo simpliciter & propriè accipienda sunt.

Secundò, quia nullus similis tropus in tota Scriptura potest reperiri: quare gratis omnino hic fingitur. Nec hæretici possunt vllum Scripturæ locũ proferre, in quo Christi corpus accipiatur aliter quàm vel pro naturali corpore, vel pro mystico. Non possunt autem loca citata intelligi de corpore mystico siue Ecclesia: quia hæc non fuit pro nobis oblata in cruce: ergo debent intelligi de vero & naturali corpore, & sine vllo tropo.

6 *Quando nisi per tropũ vna res possit dici alia.*

Tertiò, quia tales tropi essent durissimi, & contra omnem consuetudinem loquendi. Etsi enim quando alicuius rei esse quodammodo totum apertè consistit in repræsentatione alterius, possit illa vocari nomine repræsentati, v.c. ostensa Cæsaris imagine benè dicimus; Ibi est Cæsar; & sic in Genesi septem spicæ ostensæ Pharaoni dicuntur esse 7. anni. quia hæ spicæ in visione ita ostensæ non habebant alium vsum, quàm repræsentare futura, & clarum erat totas esse repræsentatiuas. At longè secùs est quando aliquid non est palàm, & quasi totaliter repræsentatiuum alterius, sed ex se habet omnino alium vsum. Quis enim non videat me absurdissimè dicturum ostenso baculo, Hic est Cæsar, etiamsi vellem mihi in posterum semper per illum baculum repræsentare Cæsarem? Quare similiter contra omnem vsum loquendi Christus de mero pane dixisset, *Hoc est corpus meum*: etsi voluisset per eum quasi per figuram suum corpus in posterum repræsentari.

Confirm. Primò, quia manna & agnus paschalis etiam fuerunt figuræ Christi, & ex natura sua magis repræsentabant carnem, sanguinem & passionem Christi, quàm panis & vinum: & tamen ineptè dicerentur corpus & sanguis Christi: ergo multò ineptiùs merus panis aut vinum dicentur corpus & sanguis Christi. 7

Confirm. Secundò, quia si hoc modo liceat cuique pro libitu verba Scripturæ detorquere ad metaphoras, nihil erit tam contra mentem Scripturæ, cui eius verba non poterunt accommodari: atque ita dicam Christum corpus phantasticum sumpsisse, & spiritualiter tantùm ex Virgine conceptum & natum, quatenus ipsa eum in suo corde per fidem concepit: sicut Caluinistæ dicunt se eum in Sacramento manducare. Item secundùm solam apparentiam fuisse passum: & tantùm assimilatione quadam ob singularem sanctitatem dici Deum. & sic euertam omnia fundamenta nostræ fidei; omnes Scripturas quæ dicunt Christum esse Deum, aut hominem natum esse ex Virgine, passum, &c. ad similes metaphoras detorquendo. Et sanè longè minùs quàm nostri hæretici torquebo verba Scripturæ, minúsque à communi illius modo loquendi recedam. Nam sicut illa dicit, Verbum factum esse hominem, Christum esse Deum, D. Virginem eius esse matrem, &c. ita eadem sæpè loquitur de Deo vt corporeo habente brachia, manus, digitos. Item vocat iudices & homines sanctos Deos, vocat Ioseph patrem Christi. Item Apostolus ad Galatas vocat eos suos filios, dicítque se eos parturire. Quare si Scripturas loquentes de Incarnatione dicto modo mysticè cum antiquis hæreticis interpreter, non ita recedam à communi phrasi Scripturæ, sicut nostri hæretici recedunt, dum ita verba Christi circa hoc Sacramentum detorquent. 8

Nec refert quòd non possimus capere, quomodo possit fieri vt corpus Christi sit verè & propriè sub hoc Sacramento; quia hoc nullo modo sufficit, vt clara Christi verba detorqueamus ad tam insuitatas metaphoras. Nam multò difficilius est concipere mysterium Incarnationis, & Trinitatis, quàm huius Sacramenti. Et multa loca satis difficilia sunt in Scriptura contra illa mysteria: vt cùm Christus dicit se minorem Patre, & similia; cùm tamen nullus sit contra hoc mysterium. nec enim est vllus in tota Scriptura locus, qui vel leuiter insinuet Christum non esse verè & realiter in hoc Sacramento. 9 *Non ideo licet nobis aliqua mysteria negare, quia non possumus ea capere.*

Prob. Quartò, quia multæ erant causæ cur Christus, dum dicta verba protulit, debuerit planè loqui: vt quòd conderet testamentum, cuius verba debent esse apertissima. Secundò, quòd solis discipulis loqueretur, hominibus tunc rudibus, & quibus iam discessurus volebat planè suam doctrinam explicare. Tertiò, quia rem grauissimam, & in qua periculosissimè erratur, erat instituturus. quæ omnia exigunt planam apertámque locutionem. Vnde videmus tam in nouo, quàm in veteri testamento, omnia Sacramenta & cæremonias ad Dei cultum pertinentes esse planissimis verbis instituta. Nulla autem contrà erat ratio cur 10

Christus

Christus obscurè loqueretur: vnde videmus cum hîc etiam clarissimis verbis vsum esse. Nec enim potuisset clarioribus verbis exprimere corpus suum verè & realiter contineri sub illis speciebus, quàm dicendo: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Quare quamdiu hæretici non reddunt apertissimam causam sui facti, impiè verba Christi in alienissimum sensum detorquent.

11 Confirm. Primò, quia aliàs quando Christus aliquid dixerat obscurè, solebat id aut sponte sua, aut interrogatus, discipulis postea explicare: vt patet Matth. 13. v. 36. de semine & zizaniis. & c. 15. v. 15. de eo quod dixerat: *Quod intrat per os non coinquinat hominem.* & Luc. 12. *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* & Ioan. 3. 5. de baptismo: vnde etiam Euangelistæ obscurè à Christo dicta sæpè per se explicabant: vt patet Ioan. 2. v. 21. de templo dissoluendo. & c. 7. v. 39. de Spiritu sancto designato per aquam. & c. 12. v. 33. de exaltatione filij hominis, & alibi. Quare si in dictis verbis fuisset tam obscurus tropus, omnino credibile est, quòd aut Christus, aut aliquis Euangelista cum explicuisset: & planè incredibile est omnes eius explicationem omissuros fuisse. Omnes autem Euangelistæ & Paulus, qui diuersis locis & occasionibus de hoc Sacramento scripserunt, planissimè asserunt veritatem corporis & sanguinis Christi in hoc Sacramento: nec possunt aliter intelligi, nisi vis eorum verbis inferatur. Quod sanè esset omnino incredibile, & contra omnem eorum consuetudinem, si per tropum tam obscurum essent intelligenda.

Matth. 13. & 15. Luc. 12. Ioan. 3. Ioan. 2. & 7. Ioan. 12.

12 Probatur Quintò clarissimè, quia id quod pro nobis in remissionem peccatorum fuit effusum, fuit verus Christi sanguis, & non solum figura eius: atqui id quod erat in Calice, quem discipulis Christus porrexit, fuit id quod pro nobis in remissionem peccatorum effusum est: ergo erat verè sanguis Christi. Maior à nullo negatur. Probatur minor ex Luc. 22. vbi dicitur: *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*: scilicet in remissionem peccatorum, vt habet Matt. Vbi apertè agitur de effusione, qua sanguis Christi in pretium redemptionis nostræ effusus est, vt patet apertè ex verbis, & etiam hæretici fatentur. Item apertissimè dicitur effundendum pro nobis id quod erat in calice, siue ipsum calicem ita effundendum esse. Hunc enim refert illud pronomen *qui*; non autem sanguinem: vt apertissimum est in Græco, vbi ita habetur, Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶ τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Vbi ἐκχυνόμενον, id est, *qui effunditur*, necessariò iungendum est cum ποτήριον, non autem cum αἵματι: ac consequenter necessariò fatendum est, aut Christi sanguinem realiter fuisse in calice; aut purum vinum in pretium nostræ salutis fuisse effusum. quod blasphemum est. Sunt hæc verba tam clara vt nulla vi aliò torqueri possint: atque ideo hæretici non aliter iis respondent, quàm dicendo esse corrupta: vt testatur Bellar. lib. 1. de Euchar. c. 10. de Beza, qui scribens in hunc locum fatetur omnia exemplaria etiam antiquissima sic habere sed esse corrupta. Quæ responsio est vanissima & miserrima. ita enim potero totam Scripturam dicere corruptam.

Calicem verè fuisse effusum in remissionem peccatorum. Luc. 22. Bellar. Beza.

13 Ex his patet, omnino falsum esse, & meritò à Pio V. in Romana editione expunctum, quod docet Caiet. in hunc art. scilicet non posse ex verbis Euangelij demonstrari realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in hoc Sacramento; & verba Christi, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*; posse metaphoricè accipi. Probat à simili: quia Apostolus 1. Cor. 10. ait: Petra autem erat Christus: &, vt ait Caiet. potuisset addere, Qui pro vobis crucifixus est. Sed hoc exemplum nihil facit ad rem, quia Apostolus ibi non qualemcunque, sed spiritualem petram vocat Christum; quæ non metaphoricè, sed verè erat Christus. Adde, etsi Caietani explicatio posset aliquo modo accommodari aliis Euangelistis (quod tamen falsum est) apertè tamen repugnaret huic loco Lucæ.

Pius 5. Caietan. 1. Cor. 10.

Probatur Sextò ex c. 6. Ioan. in quo Christus sæpiùs 14
dicit corpus suum esse verè cibum, & sanguinem Ioan. 6.
suum esse potum: promittitque se hæc nobis daturum in cibum & potum: ergo dedit. Vbi Nota Primò, omnes hæreticos concedere Christum hîc loqui de vera sua carne & vero sanguine, & ea promittere in cibum & potum: sed aiunt hæc intelligenda esse de spirituali comestione per fidem. Nos verò dicimus eum agere de comestione sacramentali, quod vt clarius sit.

Nota Secundò, Christum hoc cap. varia agere, & 15
gradatim ad declarationem huius Sacramenti ascendere. Primò enim v. 27. accepta occasione ex multiplicatione panum, excitat præsentes ad quærendum cibum animæ, & deinde v. 29. & seq. excitat eos ad fidem incarnationis, docens se per eam à Patre de cælo missum, & datum cibum hominibus. Deinde cùm exegisset ab iis fidem huius rei, & docuisset eos solos eam habere posse, quos cælestis Pater sua gratia ad se traheret; excitat illos ad lumen fidei petendum, vt altiora quæ propositurus erat, mysteria crederent. Vnde meritò D. August. tract. 25. in Ioan. explicans illud August. quod Christus dixit v. 29. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit me*: subdit, *Vt quid paras dentes & ventrem? crede, & manducasti.* Nec enim (vt aliqui malè colligunt) D. August. his verbis significat Christum toto hoc capite tantùm agere de spirituali manducatione sui corporis per solam fidem (hoc enim non est verum etiam ex mente D. Aug.) sed tantùm docet id quod Christus dixerat v. 27. *operamini cibum qui non perit*, &c. intelligendum esse de cibo qui per fidem sumitur: siue Christum eos hortari vt in se credant. quod verissimum est. Aliàs eum verè intellexisse Christum nobis hoc cap. promittere hoc Sacramentum, in quo eius caro & sanguis verè sumuntur; apertè patet ex iis quæ dicit tract. 26. vbi explicans hæc verba, *Ego sum panis vitæ: patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt*; ait: *Nam & nos hodie accipimus visibilem cibum, sed aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quam multi de altari accipiunt & accipiendo moriuntur: vnde dicit Apostolus, Iudicium sibi manducat & bibit.*

Cùm igitur Christus fusè ostendisset Iudæis quòd 16
necessariò deberent credere in eum, tandem v. 51. & seq. incipit agere de hoc Sacramento, & de reali in eo corporis & sanguinis sui sumptione. Quod patet Primò, quia id verba apertissimè sonant, & sunt omnino similia iis quæ Christus dixit in huius Sacramenti institutione: vt sunt hæc: *Cibus quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* &, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Quis non videat hîc dari quod ibi promittitur? Secundò, quia sæpissimè distinguit sumptionem carnis à sumptione sanguinis, dicitque hunc bibi, illam comedi: atqui si loqueretur de sumptione, quæ fit sola fide, nulla inter hæc esset ponenda distinctio: quia per eandem fidem eodem omnino modo veritatem ac pretium corporis & sanguinis Christi credimus. Tertiò, quia cùm videret Iudæos scandalizari, quòd videretur iis durus sermo, non solùm se non explicuit (sicut c. 3. n. 5. fecit Nico- Iodoc. 3.
demo) dicendo se loqui de metaphorica comestione, sed fortiùs affirmauit, eos debere comedere suam carnem, & bibere sum sanguinem, si vellent habere vitam. Imò discipulis ipsis cum scandalo abeuntibus, nihil mutauit de modo loquendi, sed dixit: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius?* q. d. Si iam præsenti post recentem

panum multiplicationem non creditis me vobis posse dare carnem meam manducandam, quomodo credetis absenti id per ministros meos denuntianti? *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* q. d. Caro mea per se, siue separata à diuinitate, nihil quidem prodest, sed tamen vim viuificandi habet à diuinitate ei coniuncta. *Verba quæ loquor vobis* (id est, res quam ego vobis propono, scilicet caro mea, & sanguis meus. per hebraismum enim verba hîc accipit pro re ipsa quam verba significant) *spiritus & vita sunt*: tum quia plena diuinitate, tum quia spirituali modo existentia vobis danda sunt.

17 Pro maiore horum intelligétia Nota, quia ad hanc sumptionem, vt vtiliter fiat, necessaria est fides; Christum eam sæpè requirere, & mistim modò de ea ac spirituali sui comestione, modò de sacramentali ac reali loqui, & illi etiam tribuere huius effectus v. 35. *Ego sum panis vitæ: qui venit ad me*, scilicet per fidem, *non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam.* quia scilicet meipsum (vt infrà dicitur) ei manducandum & bibendum dabo in Sacramento, quod quidem sumi sine viua fide potest, non tamen satiare. Et hæc etiam est causa cur quidam Patres, & maximè D. August. multa in hoc cap. mysticè explicent de manducatione per fidem viuam. Non quòd velint hanc solam manducationem nobis hîc promitti; sed quia etiam hæc à nobis hîc exigitur: & quia sine hac sacramentalis ac realis comestio corporis Christi nobis nullo modo prodest, sed obest, vt testatur ipse D. Augustinus tract. 26. suprà citatus: vbi expressè ostendit, Christum hîc etiam loqui de reali sumptione Venerabilis Sacramenti. *Aug. ibi.*

18 Probatur concl. Septimò, quia aliàs esset falsum quod toties inculcat Apostolus ad Galat. & ad Hebr. 9. & 10. scilicet vetus testamentum continuisse vmbras, nouum veritatem; hoc inquam esset falsum: quia præcipuum legis nouæ Sacramentum esset mera vmbra. Imò manna & agnus paschalis plus habuissent veritatis, quàm hoc Sacramentum: quia longè perfectiùs significabat Christum eiusque passionem, quàm hoc Sacramentum. Nam manna de cælo pluebat, nullaque hominum opera fiebat, & habebat in se omne delectamentum saporis; atque ita apertè repræsentabat Filium Dei descensurum è cælo, sine opera viri in Virginis vtero assumpturum carnem; fideles animas in eo omnem delectationem reperturas, &c. Similiter agnus anniculus, immaculatus, sua immolatione filios Israël à seruitute Ægyptiaca liberans, igni tostus, sine confractione ossium comestus, apertissimè Christum, eiusque passionem & fructum nobis ob oculos ponit. Nihil horum habet nudus panis Caluinistarum, & tamen hic dicitur corpus Christi & veritas; illa tam Christi, quam huius panis dicuntur vmbra. Sicut si rudem truncum dicas verè esse Cæsarem; viuam verò Cæsaris imaginem, tam Cæsaris, quàm illius trunci voces vmbram. *Hebr. 9. & 10.* *Manna & agnus paschalis plus habuissent veritatis, quã cœna caluinistica.*

19 Resp. Caluinistæ, hoc Sacramentum dici veritatem, quia exhibet nobis Christi passionem præteritam, & pretium nostræ redemptionis iam solutum per fidem apprehendenda. Sed illa etiam hæc eadem per fidem apprehendenda exhibebant antiquis: ergo similiter erunt ipsa veritas. Quòd autem illa hæc exhibebant futura, nostrum verò Sacramentum ea exhibeat præterita, non efficit vt sit magis ipsa veritas quàm illa: maximè in fide Caluinistarum, qui volunt nihilo magis cælum nobis iam patere, quàm panuerit antiquis; cùm nulli ante finem mundi cæleste gloriam secundùm illos assequantur. *Caluinistæ.*

20 Respondent Secundò clariùs, hoc Sacramentum nobis exhibere Christum non ratione sui, sed ratione verborum quibus dicitur corpus & sanguis Christi. Sed hoc idem est ac si dicas, truncum illum perfectiùs repræsentare Cæsarem, solùm quia ego dico eum esse Cæsarem: & consequenter imaginem non posse dici Cæsarem, truncum posse. Adde, quando vna imago aliquid perfectiùs repræsentat quàm alia, ideo posse quidem dici perfectiorem imaginem, non tamen desinere esse imaginem & vmbram, aut fieri rem ipsam: cùm tamen Apostolus dicat nouam legem non continere ampliùs nudas vmbras & imagines, sed ipsam veritatem. Et Christus non dixit, Hoc est imago corporis mei: sed, *Hoc est corpus meum.* quæ sanè tam à Christo, quàm ab Apostolo, si vera esset sententia Caluini, absurdissimè dicerentur: vt patet ex dictis.

Octauò demum probatur ex perpetuo totius Ecclesiæ, omniumque Patrum consensu, quem fusissimè probat Card. Bellar. toto l. 2. de hoc Sacram. vbi omnium ætatum testimonia clarissimè refert. & conantur quidem hæretici ea eludere sicut loca Scripturæ, dicendo Patres imitantes Christum vocare hoc Sacramentum corpus Christi, quia est figura eius. Sed quædam testimonia sunt tam clara, vt nulla ratione possint in aliam partem torqueri: vt sunt primò eorum qui excludunt expressè figuram. Ita D. Ambr. l. 6. de Sacram. c. 1. *Sicut*, inquit, *verus est Dei filius Dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris: ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus; & verus eius sanguis est, quem potamus.* Item Damasc. l. 4. de fide c. 14. *Non est*, inquit, *figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi (absit enim hoc) sed est ipsum corpus Domini deificatum; ipso Domino dicente: Hoc est meum (non figura corporis) sed corpus, & (non figura sanguinis) sed sanguis.* quibus verbis quid potest clarius dici? Idem fusè probatur in VII. Synodo act. 6. tomo 3. §. vlt. contra Iconoclastas, qui dicebant hoc Sacramentum esse imaginem corporis Christi. 21 *Bellarm.* *D. Ambros.* *D. Damasc.*

Huc etiam pertinent eorum testimonia, qui dicunt nos non sola fide, sed reipsa Christum in hoc Sacramento suscipere. Chrysost. hom. 60. ad pop. *Semetipsum, ait, nobis commiscet, & non fide tantùm, verùm & ipsa re nos suum efficit corpus*: per realem scilicet sui corporis vnionem. Et hom. 61. *Vt itaque*, ait, *non tantùm per charitatem hoc fiamus, verùm & ipsa re in illam misceamur carnem: hoc per escam efficitur quam largitus est nobis.* Et D. Hilarius l. 8. de Trinit. *Hæc autem idcirco*, inquit, *à nobis commemorata sunt, quia voluntatis tantùm inter Patrem & filium vnitatem hæretici mentientes, vnitatis nostræ ad Deum vtebantur exemplo: tanquam nobis ad Filium & per filium ad Patrem obsequio tantùm ac voluntate religionis vnitis, nulla per Sacramentum carnis & sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur: cùm & per honorem nobis datum Dei filij, & per manentem in nobis carnaliter Filium, & in eo nobis corporaliter & inseparabiliter vnitis, mysterium veræ ac naturalis vnitatis sit prædicandum.* Quæ verba clarissimè omnes hæreticorum explicationes & figmenta refutant. 22 *Chrysost.* *Hilarius.*

Secundo, hanc rem clarissimè probant ea Patrum verba, quibus dicunt panem conuerti in corpus Christi, & in eo deprædicant maximam Dei potentiam. Item post consecrationem non esse ibi ampliùs panem, sed veram Christi carnem: nec in hac re sensibus credendum esse sed verbis Christi. Hinc D. Ambros. de iis qui mysteriis initiantur c. 9. *Quantis*, inquit, *vtimur exemplis, vt probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit.* & infrà: *De totius mundi operibus legisti, Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat; non potest ea quæ sunt mutare in id quod non erant?* & infrà: *Liquet igitur, quòd præter naturæ ordinem Virgo generauit: & hoc quod facimus, corpus ex Virgine est*, &c. 23 *D. Ambros.*

Similiter D. Damascenus l. 4. de fide cap. 14. fusè *D. Damasc.*

probat, panem & vinum per consecrationem mutari in corpus & sanguinem Christi. Et huc spectant tam eius, quàm aliorum verba, quæ attuli suprà q. 74. ar. 8. & infrà art. 2. adferam. Pulchra etiam sunt verba D. *Chrysost.* Chrysost. l. 3. de sacerdotio sub initium; vbi ait: *O miraculum! ô Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, in illo temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Plurimas alias auctoritates alij congerunt, sed hæ sufficiùnt, quia his nihil potest clarius dici. Quare ad hunc omnium Patrum ac sæculorum consensum probandum hoc vnum addam.

24 Primò, clarissimum est circa annum 780. in VII. Synodo generali act. 6. tomo 3. §. vlt. hanc veritatem contra Iconoclastas esse definitam: & postea contra Berengarium & alios in Ecclesia latina. Vnde constat, ab illo tempore tam Græcam quàm Latinam Ecclesiam hanc veritatem indubitatam habuisse. quod nec hæretici possunt negare. Secundò, ipsi nullo indicio demonstrare possunt, quando hæc opinio primùm in Ecclesiam irrepserit, nisi cùm Christus hoc Sacramentum instituit: ergo clarè patet ab illo tempore hactenus in Ecclesia perseuerasse. Confirm. quia cùm minutissimas quasque nouitates historici notarint, & quando ortæ sint accuratissimè scripserint; cùm item aliæ omnes hæreses statim notatæ sint, & in suo ortu à Patribus, vel etiam à Conciliis oppugnatæ: quis credat fieri potuisse vt tanta potuerit circa præcipuum mysterium in fide induci mutatio, ita vt nemo eius ortum notarit, nemo contra eam scripserit, nulla Concilia celebrata fuerint? hoc qui credit, omnem euertit historiam, omnes mortales truncos facit.

25 Confirm. Secundò, quia statim atque aliqui cœperunt hanc veritatem circa annum 780. & sequentes vocare in dubium; tota Ecclesia in eos tanquam rem absurdissimam & inauditam adferentes, insurrexit: vt *Synodus 7.* Patet Primo ex Synodo VII. anno 781. Secundò ex *Conc. Vercellens. Lanfrancus.* Concilio Vercellensi: quod, teste Lanfranco l. de Eucharistia post initium, damnauit librum Ioannis Scoti, quem circa annum 800. contra Eucharistiam scripsit. Et ex *Paschasius. Bertramnus.* Paschasio Corbeiensi, qui refutauit Bertramnum circa annum 888. contra Eucharistiam scri- *Conc. Rom.* bentem. Et ex Concilio Rom. sub Gregorio VII. post annum 1050. quod damnauit Berengarium, &c. Ex quibus satis patet quàm nihil agant hæretici, dum ex quibusdam obscuris quorundam Patrum locis conantur probare, eos sensisse Christum tantùm esse in Sacramento, vt in signo. Vt hoc enim probent, primùm docere debent, quis primò nostram sententiam docuerit. Secundò, cur in eos qui primi à sententia antiqua Ecclesiæ defciuerunt, nemo antiquorum scripserit: imò cur hactenus nemo nostram sententiam oppugnauit, qui non fuerit iudicatus hæreticus ab vniuersa Ecclesia.

26 Vt tamen faciliùs eorum argumenta ex Patribus *Cur Patres quandoque obscuriùs de hoc mysterio loquantur. Theodor.* desumpta refutentur, Nota Primò, Patres olim sæpè de hoc Sacramento fuisse obscuriùs & per metaphoras locutos, ne proderent augustissima mysteria Ethnicis. Vnde Theodoretus dial. 2. post medium: *Non oportet*, inquit, *aperte dicere, est enim verosimile adesse aliquos mysteriis initiatos.*

27 Nota Secundò, eos sæpè solere Scripturas explicare sensu mystico, vt mores instruerent, vt patet ex *Gregor.* Gregorio & Augustino in multis locis. Item ornatus causa sæpè vsos fuisse metaphoris, idque eò liberiùs circa hoc Sacramentum; quia (vt ait in re simili D. *Augustin.* Augustinus l. 1. contra Iulianum c. 2.) sciebant se in Ecclesia Catholica loqui, mentemque suam satis intelligi, nec arbitrabantur se aliter aliquando interpretandos, quia tali quæstione tunc nemo pulsabatur, & nondum exortis Sacramentariis securè loquebantur. Hinc vsque ad annum 780. Patres vix vnquam ex professo huius Sacramenti veritatem conati sunt demonstrare, sed ferè obiter tantùm eam asseruerunt; quia nulli eam ex professo oppugnabant: ideòque ferè solùm mysticè de eo disputabant, & quandoque quædam dicebant obscuriùs, ita vt viderentur eius veritatem negare: quia sciebant se satis à suis auditoribus intelligi, & alibi clariùs suam mentem explicabant. Quare loca obscuriora ex clarioribus debemus interpretari: & quis vnius Patris fuerit sensus, ex communi aliorum sententia debemus colligere.

Nota Tertiò, hoc Sacramentum non tantùm realiter Christum continere, sed etiam eumdem verè re- 28 *Hoc Sacramentum non tantùm Christum continet, sed etiam repræsentat. Damasc.* præsentare, tum patientem, tum sua gloria nos in cælo beantem, & æternùm saturantem. Est enim pignus æternæ gloriæ. Vnde pulchrè D. Damasc. l. 4. de fide c. 14. *Figura*, ait, *porrò rerum futurarum idcirco dicuntur, non quòd non verè corpus & sanguis Christi sint; sed quòd nunc quidem diuinitatis Christi per ea participes efficiamur: tunc autem intellectuali modo, & per solum intellectum.* Et Ansel. l. de diuinis officiis, *Neque*, ait, *ab hoc Sacramento figuram omnino excludimus, neque eam solam admittimus: veritas est, quia Christi corpus est: figura est, quia immolatur quod incorruptibile habetur.* *Anselmus.*

Nota Quartò, vt iam communiter DD. ita etiam 29 Patres olim distinxisse sumptionem huius Sacramenti, in Sacramentalem tantùm, qua mali hoc sine fructu percipiunt; & spiritualem tantùm, qua boni id in voto cum fructu recipiunt: & Sacramẽtalem & spiritualem simul, qua id omnes piè communicantes recipiunt. *Triplex sumptio Sacramenti.*

Nota Quintò, sicut iam Theologi, ita olim Patres 30 hæresin distinxisse; nudum Sacramentum, rem Sacramenti, & Sacramentum & rem simul: itaque species huius Sacramenti quandoque absolutè vocant Sacramentum. Ita D. Aug. epist. 23. dicit Sacramentum corporis Christi, id est, species panis ob similitudinem quandam, quodam modo esse corpus Christi. Et similis est locus contra Aduersantium cap. 12. Ita quidam hæc loca S. Aug. explicant. Nec hæc explicatio est improbabilis: & potuit D. Aug. ita velle loqui, vt ostenderet quomodo intelligendum sit, quod dici soler, corpus Christi in hoc Sacramento tangi ac frangi, & dentibus teri. quod propriè solùm conuenit in speciebus, quibus subest corpus Christi. Sed credo verius esse, eum hîc non loqui de ipsis speciebus huius Sacramenti, sed de pane benedicto, qui tunc solebat dari catechumenis, & ab Augustino vocatur aliquando Sacramentum corporis Christi; vt patet ex lib. 2. de peccat. merit. c. 26. quem infrà citabo n. 33. *D. Augustin.*

Ex his ad omnia testimonia, quæ hæretici nobis 31 ex Patribus obiiciunt, Respondeo generatim. Primò, etsi quandoque Patres dicant hoc Sacramentum esse figuram corporis Christi, & nos hoc fide manducare: numquam tamen negant Christum realiter etiam in eo esse præsentem, voluntque eum existentem in Sacramento esse signum sui in cruce patientis, aut in cælo triumphantis: dicuntque nos fide eum manducare, tum quando solùm spiritualiter hoc Sacramentum sumimus: tum quia fides necessaria est vt fructum Sacramenti percipiamus. Item si quando videntur negare malos fieri participes corporis Christi, etsi Sacramenta corporis eius dentibus premant, intelligendi sunt vt dicant hos non fieri participes fructus ipsius corporis Christi. Hoc enim est verè & propriè fieri participem corporis Christi. Nec enim diceremus canem fieri corporis Christi participem, etsi hoc Sacramentum comederet. Aliàs etiam malos sumere verè corpus Christi contra Caluinum satis vbique Patres docent: & patet apertè ex Apostolo 1. Cor. 11. vbi do- *1. Cor. 11.* cet, iudicium sibi sumere, qui id indignè sumit. Ita se explicat Aug. relatus c. *Quid est.* de consecrat. d. 2. ex *Augustin.* Iunone lib. 1. de Eucharistia. *Generalis ad difficiliora Patrũ loca respõsio.*

Respondeo Secundò, si aliquando obscuriùs lo- 32 quantur, ita vt contra veritatem Sacramenti aliquid

videantur aſſerere; loca obſcura per clara eſſe interpretanda, non contrà. Plurima autem vbique clariſſima loca occurrunt, quibus clariſſimè hanc veritatem
Bellarm. aſſerunt, vt patet ex dictis ſuprà, & ex Bellarm. toto l. 2. de hoc Sacramento. Quod maximè locum habet
Auguſt. in D. Auguſtino, quem aduerſarij totum ſuum eſſe clamant, & loca quædam ex eo obſcura adferunt; ſed quæ mens eius fuerit, omiſſis plurimis clariſſimis locis, quæ adfert Bellarm. l. 2. c. 24. vel ex ſolo c. 26. l. 2. de peccat. meritis apertiſſimè colligitur: vbi loquens de benedicto pane ſolito dari iis, qui nondum poterāt communicare, ait: *Quod accipiunt*, ſcilicet catechumeni, *quamuis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quàm cibi quibus alimur; quoniam Sacramentum eſt*, ſcilicet latè ſumptum: vbi fatetur illum panem eſſe Sacramentum, ſeu ſignum corporis Chriſti, non tamen eſſe ipſum corpus; quod tamen alibi de noſtro Sacramento ſæpiſſimè affirmat. vt patet ex l. 2. contra Fauſtum c. 10. vbi dicit fideles ore eum ſanguinem percipere quo redempti ſunt. Et c. 20. nunc bibi quod ex latere Chriſti fluxit. Item ex l. 2. contra aduerſarium legis c. 9. vbi ait: *Mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem dantem fideli corde atque ore ſuſcipimus: quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere; & humanum ſanguinem potare, quàm fundere.* Vbi neceſſariò debet intelligi loqui de reali māducatione carnis, & potatione ſanguinis. Nam hæc comedere & potare per fidem, ſcilicet credendo ea eſſe, nullam habet ſpeciem vel vmbram horroris.

34 Item ex concione 1. in Pſalm. 33. tractans illa verba 1. Reg. 21. *Collabebatur* (ſcilicet Dauid) *inter manus eorum* pro quibus legit: *& ferebatur in manibus ſuis*: ait: *Quomodo intelligatur in ipſo Dauid, ſecundùm literam non inuenimus: in Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait: Hoc eſt corpus meum. Ferebat enim illud corpus ſuum in manibus ſuis.* Quæ verba vt vera ſint neceſſariò ſupponunt Chriſti corpus propriè & realiter eſſe in Sacramento. Aliàs ſi ibi tantùm eſſet tamquam in ſigno aut imagine, etiam Dauid potuiſſet ſeipſum ferre in manibus ſuis, non minùs quàm Chriſtus.

Et hæc ad obiectiones ex Patribus dicta ſufficiant.
Bellarm. ſi quis plura deſideret, videat Card. Bellarm. lib. 2. de Euchariſtia c. 24. quo toto libro ſuis locis adfert particulatim auctoritates, quas hæretici obiiciunt, ac ſoluit. Sed ex dictis facilè ſolui poſſunt.

35 Obiiciunt hæretici Primò, id quod Chriſtus habebat in manibus dum pronuntiabat pronomen *hoc*, erat adhuc panis: ergo pronomen *hoc* demonſtrat panem. & hunc dixit Chriſtus eſſe ſuum corpus: ac conſequenter corpus figuratè accipitur.

Confirm. Primò, quia Chriſtus porrexit diſcipulis id quod accepit ac fregit: hoc enim indicant illa ver-
Matth. 26. ba Matth. 26. *Accepit Ieſus panem, benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis*, &c. atqui accepit panem: ergo dedit panem diſcipulis.

Confirm. Secundò, quia in forma conſecrationis apud Lucam, *calix* & *teſtamentum* accipiuntur metaphoricè: ergo & *corpus*.

Confirm. Tertiò, quia forma conſecrationis eſt propoſitio Sacramentalis: ergo etiam figurata.

36 Ad obiectionem Reſpondeo, pronomen *hoc* ſignificare & demonſtrare id quod continetur ſub ſpeciebus abſtrahendo ab eo quòd ſit panis, aut corpus Chriſti; ita tamen vt non referatur ad illud inſtans quo pronuntiatur. ſed ad illud inſtans quo tota propoſitio erit ſufficienter pronuntiata, vt habeat perfectam ſignificationem. itaque in illa propoſitione affirmatur, id quod eſt ſub ſpeciebus, eo inſtanti quo completur ſignificatio ipſius propoſitionis, eſſe corpus Chriſti. Quod eſt commune non ſolum omnibus propoſitionibus practicis, quæ non ſupponunt, ſed faciūt ſuum obiectum: ſed etiam iis quæ ſignificant aliquid coram alio fieri. Hinc faciens diuerſas figuras propriè dico: *hic eſt circulus: hic eſt triangulus*, &c. cùm tamen nondum ſint hæ figuræ dum dico *hic*. Nec in tali oratione committitur nugatio, vt obiiciūt hæretici, quaſi idem eſſet, *hoc eſt corpus meum*: ac; *corpus meum eſt corpus meum*. Nam etſi *hoc* demonſtret aliqua ratione corpus Chriſti, non tamen id ſpeciatim ſignificat, ſed generatim id quod continetur ſub ſpeciebus: ſicut cùm oſtenſo dolio dico, *hoc eſt vinum*.

Ad Primam confir. Reſpōdeo, eſſe puerilem. Idem 37
enim valet ac ſi diceres, Ioānes emit carnes crudas, coxit & comedit: ergo comedit carnes crudas. Tradidit itaq; Chriſtus quod accepit, ſed mutatū in ſuū corpus.

Ad Secundam Reſpondeo, in verbo *calix* eſſe qui- 38
dem metonymiam; accipitur enim continens pro cōtento; ſed vſitatiſſimam & clariſſimam, quæque ex circumſtantiis apertè explicatur. Tropus autem quem fingunt hæretici eſt duriſſimus & inauditus; nec quidquam nos cogit eum fingere: atque ita conſequentia nulla eſt. Teſtamentum autem accipitur propriè, pro authentico inſtrumento, quo continetur voluntas teſtatoris, & hereditas alicui defertur. quæ ſignificatio illi voci propriiſſima & vſitatiſſima eſt. Sacramēta autem (& maximè illud de quo hic agimus) ſunt verè authentica inſtrumenta, quibus merita Chriſti, quæ nobis teſtamento reliquit, continentur & nobis applicantur. Quod autem additur, *in meo ſanguine*: idem eſt ac ſi diceretur, quod ſanguine & morte mea confirmatur. Dum verò Matthæus dicit: *hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti*: accipit teſtamentum pro voluntate teſtatoris, qua eius ſanguis heredes efficimur. Teſtamentum autem in propria ſignificatione, tam voluntatem teſtatoris, quàm eius inſtrumentum ſignificat.

Ad Tertiam Reſpondeo, eam propoſitionem eſſe 39
Sacramentalem orationem, quia eſt inſtitutiua & confectiua Sacramenti: non autem quia tropicè explicanda eſt. Aliàs hæc verba: *ego te baptizo*, eſſent etiam tropicè intelligenda. quod abſurdum eſt.

Obiiciunt Secundò. 1. ad Corint. 10. dicuntur He- 40
braei comediſſe eandem eſcam ſpiritualem, & bibiſſe 1. Cor. 10.
eundem potum nobiſcum: arqui illi ore tantùm ſumebant ſymbola corporis & ſanguinis Chriſti; corpus verò & ſanguinem ſola fide: ergo ſimiliter nos.

Reſpondeo negando antecedens. Tantùm enim dicit Apoſtolus eos comediſſe eandem eſcam inter ſe, non autem nobiſcum: ſed hoc ei affingunt hæretici. Nec obeſt auctoritas Auguſtini, qui tractatu 26. in Ioannem etiam aſſerit Iudæos eandem nobiſcū eſcam comediſſe. quia ad ſenſus myſticos & morales ibi deflectit, vt ſuprà notaui. Et apertè ſatis dicit, eos comediſſe eandem eſcam ſignificatione non re: quia eorum eſca ſignificabat noſtrā; re autē ipſa erat lōgè diuerſa.

Obiiciunt Tertiò, Matth. 26. ait Dominus: *pauperes* 41
ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. Matth. 26.
Reſpondeo, eum loqui de præſentia viſibili, & quæ humano & naturali modo exhibetur, quæque alieno ſubſidio indigeat. Similiter Lucæ vltimo ait diſcipu- Luc. vlt.
lis: *Hæc ſunt verba quæ locutus ſum vobis, cùm adhuc vobiſcum eſſem.* Significans ſe iam cum iis non eſſe, ſcilicet humano modo conuerſando, cùm tamen realiter præſens iis loqueretur. Similiter Ioan. 14. dicit ſe re- Ioan. 14.
linquere mundum, & ire ad Patrem, & miſſurum Spiritum ſanctum, qui ſuo loco eos ſenſibiliter conſoletur & inſtruat; cùm tamen ibidem dicat: *Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos.* Et Matth. vlt. *Ego* Matth. vlt.
vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Itaque non omnibus modis Chriſtus à nobis receſſit. Quare cum dicto loco Matthæi nullo modo pugnat quòd corporaliter nobis præſens ſit in Sacramento, & ibi poſſit à nobis auro, argento, & ſuffitu honorari: quia

non adest visibili & humano modo, aut indigens obsequio nostro, sicut tunc indigebat perfusione vnguenti, tum ad refocillanda defatigata membra; tum propter instantem sepulturam, vt ipse ibidem dicit. Plura loca ex Scriptura adferunt, sed nullius momenti, atque ita nec digna refutatione.

42 Obiiciunt demum ex ratione, Primò, Implicat vnum corpus esse eodem tempore in diuersis locis: quia sequeretur, idem sibi dextrum & sinistrum esse; quiescere & moueri; summè calere & frigere; mori & viuere: quæ videntur implicare. Secundò, quia tantum Christi corpus non videtur posse esse sub tam parua hostia. Tertiò, Nec gustamus, nec videmus aliud quàm panem & vinum: ergo nihil aliud est. Confirm. quia si ab his experientiis non potest sumi certum argumentum: frustra Christus Luc. 24. obtulit discipulis palpandum corpus suum, vt ipso attactu discerent eum non esse spiritum. Quartò, Susceptio Sacramentorum debet esse conformis suo fini; sed finis huius Sacramenti est spiritualis, & nutritio animæ, non corporis: ergo spiritali tantùm modo, & per ipsam animam sola fide Christi corpus nobis sumendum est. Hoc argumentum valdè vbiq; iactant hæretici. Quintò, obiiciunt quædam absurda ex nostra sententia sequi: vt quòd Christus possit comedi à bestiis, si hoc Sacramentum comedant: quòd Christus in fœtidum communicantium stomachum descendat: imò quòd in cloacam possit conici: & similia quæ videntur indigna Christo.

Luc. 24.

43 Ad hæc generatim responderi posset illud Augustini. l. 22. de Ciuit. c. 11. *Esse qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam posidet vanitas.* Quanta enim est vanitas, imò peruersitas eorum qui non aliter volunt Deo credere, quàm quatenus quæ asserit, possint capere? Quasi non multa sint à nobis credenda, quæ intelligentiam nostram superant: aut quasi ipsi intelligant, qui fieri possit, vt vna natura simplicissima, tribus personalitatibus realiter inter se distinctis identificetur. Si igitur non possint capere, qui fieri possit vt Christus realiter sit in hoc Sacramento, audiant Apostolum 2. ad Cor. 10. & redigant in captiuitatem omnem intellectum in obsequium Christi.

Augustin.

Multa nobis credenda quæ non capimus.

2. Cor. 10.

44 Deinde Respondeo ad Primum, nullam hîc ostendi implicantiam. Nec enim quidquam absurdi habet, si eiusmodi de corpore replicato secundum diuersos existendi modos dicantur; quod est vnum quidem secundùm substantiam, virtute tamen plura, & in diuersis existẽdi modis diuersum, quatenus pluries existit. Et simile videmus in anima, quæ est tota in singulis membris, & mouetur loco in manu dum quiescit in capite; simul mouetur sursum in dextra, & deorsum in sinistra; in illa sentit calorem, in hac frigus. Quòd si Deus hoc tribuerit spiritui, vt naturaliter totus in pluribus locis partialibus sit: & cùm nulla sit ratio negandi quin Deus animam in abscissa manu & consequenter in distinctis omnino locis possit conseruare: cur hoc ei circa corpus denegemus? Item plurimos Sanctorum eodem tempore diuersis in locis fuisse, plurimæ referunt historiæ. Nec potest commodè intelligi quomodo Christus Act. 9. & 22. D. Paulo apparuerit, & cum eo collocutus, & ab astantibus auditus fuerit, nec tamen è cælo (vt ipsi hæretici communiter fatentur) discesserit; nisi dicamus eum simul in duobus locis fuisse. Omnino enim Scriptura ibidem innuit eum D. Paulo præsentẽ & propinquũ fuisse. His adde, quòd si credamus Deum posse corpora nostra omnino corrupta secundò reproducere; nihil esse cur negemus eum posse secundò reproducere rem iam existentem.

Eadem anima in diuersis membris simul quodammodo contraria patitur.

Act. 9. & 22.

45 Ad Secundum Respõdeo, hoc non magis esse absurdum, quàm sit absurdũ aut impossibile camelũ transire per foramen acus (quod fieri posse restatur Christus Matth. 19.) aut Christi corpus è clauso virginali vtero, ac è sepulchro in apertum aërem egressum esse, domumq; omnino clausã intrasse; ac sic aliud corpus penetrasse: quod omnia corpora glorioſa post resurrectionẽ etiã poterũt. Item cùm videamus corpora posse naturaliter rarefieri ac cõdensari, & sic multò maiorẽ aut minorem locum obtinere: quid mirum est si Deus omnipotens possit magnum corpus in pũcto ponere?

Matth. 19.

Ad Tertium Respondeo, magis hîc credendum esse verbo Christi, quàm sensibus. Aliàs deberemus dicere Christum phantasticum habuisse corpus, quod supra aquas ambulauit, & per medium Iudæorum inuisibile transiuit. Quanquam propriè loquendo hoc Sacramentum sensus non fallat qui de solis qualitatibus propriè iudicant; quæ verè tales ibi sunt, quales sensibus apparent; etsi consueta substantia iis non subsit, quam sensus percipere nequeunt. Ad illud autem, quod ex D. Luca allatum est, Respondeo, illam palpationem per se non sufficiẽter probasse veritatem corporis humani: potuisset enim spiritus similiter apparere, & palpandum corpus offerre; vt patet in angelis apparentibus Loth, & manum eius apprehendentibus: quos omnino homines credebat. Valuit tamen ista palpatio, Primò ad confirmandos Discipulorum animos, qui similibus externis signis multùm in vtrãque partem mouebantur. Secundò, iuncta Christi attestationi, & adhibita ad testandum articulum fidei, habuit sufficientem vim ad probandam veritatem resurrectionis. tum quòd Christus per se non posset fallere: tum quod ad diuinam prouidentiam pertineat non permittere fieri miracula in attestationem rei falsæ.

46

Sensus nostri in Ver. Sacramento non fallũtur.

Ad Quartum Respondeo Primò, hoc argumentum solum probare, non sufficere nudam externam Sacramenti perceptionem: sed ad eius fructum requiri, vt id fide viua percipiamus. Aliàs probaret, corporalem in baptismo ablutionem esse superfluam, cùm adhibeatur ad solam ablutionem animæ. Imò probaret nulla externa Sacramenta esse necessaria; sed omnia esse superflua: cùm sine his fide & desiderio Christum possimus percipere. Respondeo Secundò, hoc argumento etiam nostram sententiam probari. Nec enim Christum in Sacramento solùm sumimus in nutrimentum animæ; sed etiam vt carnem nostram in resurrectione viuificet, & æterna vita beet: vt habetur Ioan. 6. & consequenter non solo animo, sed etiam corpore debemus eum sumere.

47

Ioan. 6.

Ad Quintum Respondeo, nostros hæreticos eum modum argumentandi didicisse à Nestorio, qui olim similibus ratiunculis conabatur euertere Christi diuinitatem. *Egone*, inquiebat, *bimestrem aut trimestrem, fœdatum sputis, flagris laceratum, crucifixum, dicam Deum?* Quibus si moueremur, facilè nobis vnus Vorstius, eique similes Atheistæ probarent, Deum non esse vbique: quia eorum iudicio fœdaretur si esset in cloacis, & pareretur in inferno. Sicut igitur amor nostri Christum impulit, vt vellet nouem mensibus Virginis vtero concludi & postea fœdissimis Iudæorum spuris oppleri, à militibus flagellari, ac nudus crucifigi: ita idem amor eundem compulit, vt vellet à nobis in hoc Sacramento comedi, & ex hominum negligentia, aut etiam malitia, quædam indigna pati, præsertim cùm corpus eius iam glorioſum his non magis inquinetur quàm diuinitas.

48

Vorstius.

Dignum est amore Christi in nos quædã aliàs minùs digna pati.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in hoc Sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationem?

49 ARTIC. II. docet, post consecrationem nihil substantiæ panis aut vini remanere, sed totum

conuerti in corpus & ſanguinem Chriſti. Eſt de fide contra Lutherum & ipſius aſſeclas, definitum in Trident. ſeſſ. 13. c. 4. & can. 2. vbi dicitur: *Si quis dixerit in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini vna cum corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, negaueritque mirabilem illam & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpecicbus panis & vini, quam quidem conuerſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè Tranſubſtantiationem appellat; anathema ſit.* Idem olim definitum fuit in Concilio Romano ſub Gregorio VII. contra Berengarium. Item in Concilio Lateranenſi ſub Innoc. III. c. 1. Item in Conſtantienſi ſeſſ. 8. vbi hi duo errores Ioannis Vvicleſ damnantur. Primus, *Subſtantia panis naturalis, & vini naturalis manent in Sacramento altaris.* Secundus, *Accidentia non manent ſine ſubiecto in eodem Sacramento.*

Luther. Trident. Conc. Rom. Berengar. Lateranenſ. Conſtantien. Vvicleſ.

D. Thom.

Probat hanc concluſionem D. Thomas variis argumentis, quorum primum habet ſatis magnam difficultatem, & aliqua interpretatione indiger, de qua agam infrà art. 4. Tertium & quartum ſatis probabilia ſunt: Secundum verò omnino firmum eſt. Quia ſi ibi maneret ſubſtantia panis, forma conſecrationis eſſet falſa. Quod vt clariùs appareat.

50 Notandum eſt Primò ex dictis art. 1. Chriſtum hîc propriè fuiſſe locutum: & verba eius eſſe vera intellecta ſecundùm communem vſum loquendi.

Nota Secundò ex dictis q. 74. art. 2. dub. 1. pronomen *Hoc*, ex communi vſu loquendi demonſtrare rem præſentem, & ſenſu aliquo modo perceptibilem.

Nota Tertiò, ſubſtantiam non eſſe per ſe ſenſibilem, atque ita nec demonſtrabilem, ſed tantùm ratione accidentium. Sicut autem ipſa ſunt propter ſubſtantiam: ita per ea ipſa ſubſtantia, quæ ſub iis cõtinetur, demonſtratur. Sicut etiam quia res quædam artificiales ſunt propter alias, etiam conſequenter hæ per illas demonſtrantur: ſic oſtenſo vaſe, vel crumena dico, Hoc eſt vinum, hoc eſt aurum, &c.

Quatione res vna per aliã demonſtretur.

51 Quæ requirantur vt aliquid poſſit per aliena accidentia demonſtrari.

Nota Quartò, eiuſmodi res ſiue accidentia, ex iis quæ quoquo modo continent, primò & per ſe ſemper deſignare ea, quæ ex natura vel vſu ſuo magis nata ſunt afficere & continere. Hinc accidentia hominis per ſe deſignant corpus, non animam: atque ideo iis demonſtratis benè dico, *hoc eſt corpus humanum*: non ita, *hoc eſt anima rationalis*: multo tamen abſurdiùs loqueretur qui demonſtrato lapide aut dolio pleno vino, intra quæ eſſet angelus, diceret: *hoc eſt angelus.* Quia accidentia corporis ſaltem ſecundariò & ratione corporis, quodammodo per ſe animam continent, ideoque eius aliquo modo ſunt ſigna. Nam ex iis præſentiam animæ cognoſcimus: dolium verò ac lapis præſentem intra ſe angelum planè per accidens continent, ideoque nullo modo eum deſignant. quare etiam iis oſtenſis ineptiſſimè & planè falſo dicerem, *hoc eſt angelus.* Secùs eſſet ſi Deus annihilaret omnem ſubſtantiam alicuius lapidis, permanentibus omnino immutatis omnibus eius accidentibus, & tunc ſub iis poneret angelum cum mutua inter hunc & illa dependentia; ita vt & ſtaturet nec hunc ſine illis, nec illa ſine hoc ita conſeruare: & quocumque accidentia mouerentur, neceſſariò etiam eò angelus moueretur. Tunc enim ſicut ab iis qui illud Dei decretum ſcirent, poſſet ex præſentia accidentium certò cognoſci præſentia angelis: ita etiam poſſet ab iis demonſtrari, & his oſtenſis dici, Hoc eſt angelus. Nam accidentia ſunt naturaliter ſigna ſubſtantiæ ſub iis ita contentæ, vt ſir vel ipſorum ſubiectum; aut deficiente omni ſubiecto ab illius præſentia in conſeruari pendeant, quod tunc vicem quodammodo ſubiecti ſubit, & eſt primarium, imò vnicum obiectum, quod per illa accidentia poteſt deſignari aut demonſtrari.

Nota Quintò ex dictis art. 1. cùm forma conſecrationis ſit propoſitio practica, efficiens id quod affirmat; pronomen *hoc*, non demonſtrare id quod continetur ſub accidentibus; dum ipſum pronuntiatur: ſed quod continetur in eo inſtanti, quo perfectè forma pronuntiata eſt. ſicut cùm formans aliquam literam dico, *hoc eſt A.* hoc non demonſtrat illam figuram quæ eſt dum pronuntiatur; ſed quæ eſt dum tota actio mea perfecta eſt. 52

His poſitis probatur concluſ. ex verbis Chriſti *Hoc eſt corpus meum.* Cùm Chriſtus hæc diceret tenebat manibus accidentia panis; & conſequenter pronomen *hoc*, deſignabat id quod illa accidentia hîc & nunc deſignabant, dum ſermo Chriſti cõpleretur, atqui ſi erat ibi panis in proprio ſenſu, hunc ſolum deſignabant: ergo Chriſtus dixit hunc eſſe corpus ſuum. quod omnino eſt falſum. Sicut falſum eſt, monſtrato lapide ſub quo eſt angelus, dicere, Hic eſt angelus: cum panis non ſit magis corpus Chriſti, quàm lapis ſit angelus: nec corpus Chriſti quantumcumque ibi præſens ſit, magis erit demonſtrabile per accidentia panis, quàm angelus aut Deus per lapidem. 53 Si ſubſtãtia panis maneret vnã cum Chriſti corpore ſub ſpeciebus, pronomen *hoc* de. ſignaret ſolum panem.

Reſpondent Lutherani, per *hoc* demõſtrari panem, eumque dici corpus Chriſti per communicationem idiomatum ratione vnionis Sacramẽtalis: ſicut homo dicitur Deus ratione vnionis hypoſtaticæ. 54 Lutherani.

Sed contrà Primò, tunc deberet dici, *hic* (ſcilicet panis) *eſt corpus meum*: non autem, *hoc eſt corpus meum.* Sicut demonſtrato Chriſto dicimus, *hic eſt Deus*: non autem, *hoc eſt Deus.* Sicut etiam dicitur, *hic eſt calix*: non autem, *hoc eſt calix.*

Secundò, quia gratis omnino & contra omnem vſum loquendi fingitur talis communicatio idiomatum, quam vſus non fert niſi inter ea quæ idem habẽt ſuppoſitum. Aliàs poſſem dicere aquam eſſe formam baptiſmi, & pronuntiationem formæ eſſe aquam, vel ablutionem: quia inter hæc eſt vnio Sacramentalis. Inter panẽ & corpus Chriſti non poteſt eſſe communicatio idiomatũ.

Tertiò, quia etiam inter vnita hypoſtaticè non eſt communicatio idiomatum, niſi ſint formæ integræ per modum ſuppoſiti ſignificatæ. Hinc hæc eſt falſa; *Anima Chriſti eſt corpus Chriſti*: vel *humanitas eſt diuinitas*: ergo multò magis hæ erunt falſæ, *Panis eſt corpus Chriſti*: *Vinum eſt ſanguis Chriſti.*

Probatur Secundò concluſio ex ſenſu totius Eccleſiæ, quæ, vt patet ex Conciliis ſuprà citatis, hoc iam diu apertè ſenſit ac definiuit. Nec huius opinionis initium poſt tempora Chriſti poteſt demõſtrari. Imò omnes contrarium ſentientes ſtatim Eccleſia damnauit. quod firmiſſimum eſt argumentum non dari initium huius ſententiæ, niſi in inſtitutione Chriſti. 55

Probatur Tertiò ex Patribus, qui docent panem & vinum poſt conſecrationem deſinere eſſe, & mutari in corpus & ſanguinem Chriſti, &c. Ita S. Cyrillus catecheſi 3. myſtag. *Hoc*, ait, *ſciens ac pro certiſſimo habens, panem hunc qui videtur non eſſe panem, etſi guſtus panem eſſe ſentiat.* Et Cyprian. ſerm. de cœna Domini: *Panis iſte*, inquit, *communis in carnem & ſanguinem mutatus procurat vitam & incrementum corporibus.* Et paulò infrà: *Panis iſte quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie ſed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt caro.* Quòd ſi panis mutatus ſit in carnem, certè non manet panis: vnde etiam pulchrè D. Ambroſ. lib. 4. de Sacramentis c. 5. *Ante verba Chriſti*, inquit, *calix eſt vini & aquæ plenus: vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit.* Expreſsè inſinuans, poſt conſecrationem nec aquam, nec vinum ampliùs eſſe in calice, ſed ſolum ſanguinem. Quod etiam expreſsè aſſerit lib. de iis qui myſteriis initiantur c. 9. vbi ait: *Quantis vtimur exemplis vt probemus non hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit.* Plurimas auctoritates vide apud Bellarm. lib. 3. de Euchariſtia cap. 20. Cyrillus. Cyprian. Ambroſ. Bellarm.

56 *Lutherus. Caluin. D. Thom. Lateranenſe.*

Ex his patet, Lutherum & Caluinum mentiri, dum fingunt tranſubſtantiationem eſſe inuẽtum D. Thomæ, aut Concilij Lateranenſis. Etſi enim ante illud Concilium, nomen non ita fuerit in vſu, res tamen apud Patres explicata, & in Eccleſia ſemper credita fuit. Et eadem planè licentia calumniabantur olim Ariani, *conſubſtantialitatem* diuinarum perſonarũ fuiſſe inuentum Niceni Concilij: quia circa eius tempora nomen *Homouſion* primùm cœpit celebrari. ſuper quo etiam verbo nauſeat anima Lutheri, vt ipſe ait. quare etiam illud myſterium negaſſet, ſi fuiſſet auſus. Deinde etſi non poſſemus clarè ex Patribus oſtendere quid hac de re ſenſerint: non tamen inde quidquam probarent hæretici, niſi ante Berengarium non fuiſſe oblatam Eccleſiæ occaſionem ita expreſſis verbis hoc myſterium declarandi, quòd de eo nulla eſſet in Eccleſia quæſtio. quod noſtram ſententiam (quam ex damnatione Berengarij, & Conciliis ſuprà citatis cõſtat iam ampliùs quam quinque ſæculis totam tenuiſſe Eccleſiam) multùm iuuat, & inexpugnabilem reddit, donec probatos aliquot hiſtoricos hæretici proferant, qui doceant quo tempore, aut quo auctore hæc ſententia in Eccleſiã irrepſerit. quod nunquam facient niſi Euangeliſtas & Paulũ laudent hiſtoricos: ex quibus diſcimus Chriſtum huius doctrinæ eſſe auctorem.

Berengarius.

57 Cur Euchariſtia dicatur panis.

Obiiciunt hæretici Primò, in Scripturis Euchariſtiam ſæpè dici panem. Reſpondeo, id fieri phraſi Hebræa; qua omnis cibus dicitur panis. Nam לחם *lechem*, quod latinè ſemper *panis* vertitur propriè ſignificat edulium, à לחם *lacham*, quod ſignificat comedere. Accipitur autem ferè pro pane: quia hic inter cibos eſt communiſſimus: caro autem Chriſti verè eſt cibus Ioan. 6.

Ioan. 6.

Deinde dicitur etiam panis, quia ex pane fit; & quia retinet proprietates panis. Adde, ferè dici panem cum aliquo addito, ſcilicet cæleſtem, panem vitæ, quem frangimus, &c. quibus ſignificatur non eſſe propriè dictum panem, ſed altioris naturæ cibum: ſicut Chriſtus dicitur petra ſpiritualis, lapis angularis, &c.

58 *Gelaſius. Chryſoſt. Theodoret. Damaſc.*

Obiiciunt Secundò, ex Patribus. Primò, quia Gelaſius lib. 2. contra Eutychetem in fine dicit, in Euchariſtia non deſinere naturam panis. Item Chryſoſt. epiſt. ad Cæſarium monachum dicit naturam panis in Euchariſtia manere. Theodoretus dialogo 1. ſub initium ait: *Symbola & ſigna quæ videntur, nomine corporis & ſanguinis honorauit, non naturam mutans, ſed naturæ gratiam adiiciens.* Similiter Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 14. dicit Chriſtum cum pane & vino diuinitatem ſuam coniunxiſſe, eaque ſuum corpus & ſanguinem feciſſe.

Accidẽtia dicuntur aliquando natura.

Theodor.

Baronius. Suarez. Damaſc.

Reſpondeo, Patres ibi ipſa accidentia & naturalem panis ſaporem vocare naturam panis, latè accipiendo hoc vocabulum; ſicut ſolemus etiam dicere, conſuetudinem eſſe alteram naturam. Vbi natura accipitur pro innatis conditionibus, quæ accidentia ſunt. Hinc Theodoretus ibid. dicit: non eſſe attendendum ad naturam eorum quæ videntur, ſed credendum mutationi, quæ hîc fit ex gratia. Certè non videtur propriè ſubſtantia ſiue natura panis, ſed accidentia: nec hic vllius rei mutatio fit ſi panis permaneat. Poteſt etiam dici eos dicere, manere naturam panis; quia quoad externam ſpeciem manet. Adde primum & ſecundum teſtimonium non eſſe Gelaſij Papæ aut Chryſoſt. vt benè docent Cardin. Baronius in fine vitæ Gelaſij. inſtitio anni 496. & Suarez diſp. 49. ſect. 2. 6. *Ad ſecundam confirm.* Damaſcenus verò pro nobis eſt: dicit enim Chriſtum panem & vinum ſuæ diuinitati iunxiſſe, non ea in natura ſua relinquendo, ſed corpus & ſanguinem ſuum faciendo. & deinde quomodo hoc fiat explicans ſubdit: *Corpus enim ſecundùm veritatem coniunctum eſt diuinitati, quod ex ſancta Virgine corpus eſt: non quòd ipſum corpus aſſumptum è cælo deſcendat; ſed quod ipſe panis & vinum tranſmutentur in corpus & ſanguinem Dei.* Vbi clariſſimè ſe explicat, & noſtram ſententiam contra hæreticos aſſerit.

59

Ex his patet Primò, malè aliquos dixiſſe, ſecluſa Eccleſiæ auctoritate non poſſe tranſubſtantiationem ex ipſa Scriptura apertè probari. Patet enim aliter verba Chriſti non poſſe habere genuinum ſenſum.

Bellarm. Ruperti.

Patet Secundò, grauiter erraſſe quoſdam dicentes panem hypoſtaticè à Verbo in Euchariſtia aſſumi. qui error à Bellarm. lib. 3. cap. 11. tribuitur Ruperto Abbati Thuitienſi, quem tamen alij conantur excuſare: ſed eſt difficile eius verba in bonum ſenſum torquere. Sed hic error cuiuſcumque ſit abſurdiſſimus eſt, tum quia gratis omnino confictus eſt, & in Eccleſia inauditus: tum quia hoc myſterium non tam iuuat quàm euertit. Nam ſi hoc eſſet verum, tunc ex vi verborum conſecrationis, ſub ſpeciebus panis non eſſet neceſſariò aliud corpus Chriſti, quàm ipſe panis, qui tunc eſſet corpus Chriſti: caro autem Chriſti ne quidem per concomitantiam ibi eſſet. quia ſi Verbum aſſumeret hypoſtaticè duo diſtincta corpora, hæc non eſſent neceſſariò loco coniuncta.

Qui dicũt panem hypoſtaticè à Chriſto aſſumptum, hoc myſterium euertunt.

60

Deinde falſa eſſent illa verba Chriſti: *hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur.* Quia cùm panis ibi maneret, pronomen *hoc* ex vi & proprietate ſermonis neceſſariò eum demonſtraret; vt patet ex dictis: cùm tamen panis eo caſu non eſſet corpus quod pro nobis traditum eſt, ſiue crucifixum: ſicut anima Chriſti non eſt corpus Chriſti.

Falſa etiam eſſet forma calicis: quia tunc, *hic calix* deſignaret ſimpliciter vinum, vt pater ex dictis: & cõſequenter vinũ diceretur ſanguis Chriſti. quod etiam eo caſu eſſet falſum. Quia ſi Verbum aſſumeret duo diſtincta corpora, neutrum de altero poſſet prædicari, ſicut iam anima Chriſti non poteſt dici corpus; aut corpus anima.

61 *Ioan. Pariſienſis.*

Quare quidam Ioannes Pariſienſis dixit panem & vinum fuiſſe aſſumpta immediatè à corpore & ſanguine Chriſti. Sed præterquàm quòd hoc ſit contra definitiones Eccleſiæ & communem auctoritatem Patrum, eſt etiam omnino improbabile. quia natura non poteſt immediatè naturam aſſumere. Poſſent contra vtrumque hunc errorem plura clariſſima argumenta adferri, ſed non eſt operæ pretium tam vanis figmentis confutandis diutiùs inhærere.

62 *Durand.*

Patet Tertiò, erraſſe Durandum in 4. d. 11. q. 3. dum dixit materiam primam panis remanere, & animam Chriſti informari, & ſic panem mutari in corpus Chriſti, ſicut alimentum conuertitur in alitum. Fundamentum ipſius eſt, quia aliter intelligi nequit, quomodo verè panis mutetur in corpus Chriſti, niſi aliquid vtrique termino commune permaneat, quod ſit ſubiectum mutationis. Aliàs enim panis non mutaretur in corpus, ſed annihilaretur, & corpus Chriſti crearetur. Nullum autem aliud tale ſubiectum mutationis hîc poteſt fingi præter materiam primam.

Trident.

Sed hoc eſt contra Trid. ſuprà, vbi dicit nihil ſubſtantiæ panis manere, cùm tamen materia ſit aliquid ſubſtantiæ panis: & ideo dicit hanc conuerſionẽ dici tranſſubſtantiationem, volens diſtinguere ab aliis cõuerſionib. in quibus permanẽs materia formas mutat.

Deinde quia ſic corpus Chriſti quod eſt in Euchariſtia, eſſet diuerſum ab eo quod fuit pro nobis traditum. Conſtaret enim diuerſa materia prima, & ſic falſum eſſet, à Chriſto diſcipulis datum corpus, quod erat tradendum in cruce: nec eadem eſſet hoſtia ſacrificij cruenti & incruenti. quæ ſunt contra fidem. Ad rationem Durandi reſpõſio patebit a. 3. & 4.

63 *Banes.*

Patet Quartò, omnino impoſſibilem eſſe ſententiã Bañes, qui in 1. p. q. 4. a. 2. d. 2. docet probabile eſſe, manere exiſtentiam ſubſtantiæ, qua accidentia poſt conſecrationẽ exiſtãt. Ratio eius eſt, quia putat omnia

accidentia carere propria existētia, & formaliter existere existentia ipsius subiecti cui insunt, quæ realiter ab ipso subiecto distinguatur: Item ipsa accidentia non posse retinere idem esse, nisi retineant eandem existentiam: cùm igitur retineant post consecrationem idem esse, retinebunt etiam eandem existētiam.

Dici nullo modo potest existentiam panis manere. *Videat.*

Sed præterquam quòd secundùm veram philosophiam sit improbabile & inconcepribile, aliquid aliena existentia existere. vt ostendimus in materia de Incarnatione q. 17. art. 2. illa sententia videtur apertè repugnare Tridentino suprà vbi dicit totam substantiam panis conuerti in corpus Christi. Quomodo autem conuertitur tota, si id quod in ea præcipuum est, & per quod est ens in actu, & sine quo non potest habere esse aliquod physicum, verè remaneat? Nec enim Concilium hic dicit ens aliquod metaphysicum conuerti, ac desinere esse: sed ens actuale, & substantiam existentem, quæ intrinsecè includit existentiam, saltem sicut album albedinem. Item Concilium docet, solas species siue accidentia manere: atqui existētia substantiæ non est accidens, sed aliquid substantiale, imò præcipua entitas ipsius substantiæ. Nam secundum Bañes suprà, potest existentia conseruari sine essentia non autem essentia sine existentia. Illa autem entitas in quauis re est præcipua, quæ sola sine altera potest existere (vt pater in re & modo ipsius.) ergo apertè repugnat Cœlio affirmare eam manere.

64 Respondet Bañes, hoc ipso quo Concilium dicit manere accidētia, etiam dicit manere eorum existentiam, quæ non est alia quàm existentia substantiæ.

Sed contrà Primò, sicut Concilium dicit manere accidentia, sic dicit nihil remanere substantiæ. quare sicut ex primo Bañes colligit manere eandem existētiam accidentium: sic ex secundo debuisset colligere hanc distingui ab existentia substantiæ. Nam etsi secundum rationes philosophicas esset probabilius, accidentia existere existentia substantiæ (cuius contrarium tamen possem euincere, si esset huius loci) debuisset Bañes potiùs corrigere philosophiam secundùm rationes theologicas; quàm clara verba Concilij ob rationes philosophicas vt summum probabiles, in alienos sensus torquere. Si enim detur semel licentia ob aliquas rationes physicas aperta verba Conciliorum *in alios sensus torquendi*; dicam statim cum Durando, & quidem maiore probabilitate, manere materiam panis. quia Concilium dicit panem in corpus Christi conuerti: in omni autem conuersione videtur debere esse idem subiectum corruptionis & generationis: alioqui non videtur corruptio talis distingui ab annihilatione: nullum autem hîc videtur posse fingi subiectum præter materiam. Neque enim *accidentia possunt dici subiectum in quo suscipiatur* actio corruptiua panis, & productiua corporis. Quare sicut Bañes id quod definit Concilium, scilicet nihil substantiæ panis remanere, ita intelligit, vt solùm dicatur nihil remanere quod non sit necessarium vt accidentia possint perseuerare: ita Durandus dicet intelligi solùm de eo quod non est necessarium vt conuersio possit fieri. Item alius dicet, quantitatem non distingui realiter à materia, nec ab hac separari posse; atque ita necessariò vtramque post consecrationem manere.

Rationes philosophicæ potiùs sunt corrigendæ per theologicas quàm contra.

Durand.

65 His adde, videri omnino sequi ex hac sententia, accidentia post consecrationem esse in subiecto, quod

Concil. Constantiens. est expressè damnatum in Concilio Constantiensi. Sequela probatur Primò, quia accidentia necessariò vniuntur existentiæ substantiali per modum recepti siue formæ actuantis (proprium enim est accidentium habere rationem formæ respectu substantiæ, non contrà) ergo informant ipsam existentiam: ergo ei insunt non tanquam in parte, aut comparte, &c. ergo vt in subiecto.

Denum ex dictis sequitur, nulla ratione posse defendi aliquorum sententiam, qui dicunt non remanere quidem naturam specificam panis, manere tamen quandam entitatem eandem numero, quæ antea fuit panis, & postea est corpus Christi. Sed hoc est contra Concilium. quia sic aliquid substantiæ panis remaneret. Et est omnino inconcepribile, quomodo aliquid idem numero maneat; quod non sit idem specie.

ARTICVLVS III.

Vtrùm substantia panis vel vini, post consecrationem huius Sacramenti, annihiletur?

ARTICVLVS IV.

Vtrùm panis possit conuerti in corpus Christi?

ART. 3. & 4. docet, substantiam panis & 66
vini non annihilari in hoc Sacramento, nec resolui in vicinum aërem, sed conuerti in corpus & sanguinem Christi. Vt tam dicta his quatuor articulis, quàm in tota hac materia dicenda possint meliùs intelligi, quædam difficultates nobis explicandæ sunt.

Prima, Per quid res aliquæ formaliter sint in loco.

Secunda, Per quid Christus sit formaliter præsens in Sacramento.

Tertia, Qua ratione idem corpus possit poni in diuersis locis.

Quarta, Quid requiratur vt vna res in aliam conuertatur.

Quinta, Qualis sit illa actio qua Christus ponitur in Sacramento.

DVBIVM I.

Per quid res sint formaliter in loco?

HÆc difficultas nobis necessariò primò fuit dispu- 67
randa, vt possemus clarè ostendere qua ratione Christus sit in hoc Sacramento.

Vt autem tota res intelligatur, Nota Primò, nos hîc non quærere per quid formaliter res aliqua sit extensa per tantum spatium, aut habeat talem aut talem situm (quos modos potest eosdem retinere, etsi mutet locum) sed per quid sit ita formaliter in hoc vel illo loco, vt per ipsum præcisè habeat quòd sit in tali loco, & cum quo implicet eam non esse in eo loco: ita vt necessariò eam formalitatem mutet, quoties mutat locum.

Variæ autem hac in re sunt sententiæ, & plurimi quidem Doctores aliter omnino putant hîc loquendum esse de rebus corporeis, aliter de incorporeis: & illi ipsi diuersimodè inter se loquuntur. Vt autem breuitati studeamus, solùm aliquot præcipuas sententias hîc referemus.

Primò igitur plurimi volunt, corpora esse in loco 68
per quendam modum realem & absolutum, aliquo modo à parte rei ab iis, ac omnibus aliis accidentibus distinctum, quem *vbi* vocant, & volunt esse terminū motus, qui primò & per se motu locali acquiritur. De angelis variè iidem sentiunt.

Secundò, alij volunt corpora esse in loco immediatè per suam substantiam ac quantitatem: ita vt esse in loco his nihil aliud superaddat, quàm quendam respectum extrinsecum ad ipsum locum. Ita D. Tho. 1. p. q. 100. a. 3. vbi ait: *Mobile secundum locum, non est in potentia ad aliquid intrinsecum, in quantum huiusmodi; sed solùm ad aliquid extrinsecum, scilicet ad locum.* Et 2. contra Gentes cap. 13. *Aliquando*, ait, *denominatur aliquid* *D. Thom.*

aliquid ab eo quod est extra ipsum: vt à loco dicitur aliquid esse alicubi. Apertè ostendens nihil intrinsecum rei accedere per hoc quòd sit in loco. Idemque docet Aristoteles 8. Physicorum c. 7. Idem expresè docet Scotus in 2.d.2.q. 6. §. *Ad quæstionem initio.* & versu, *Tamen oppositum*, &c.

Aristot. Scotus.

69 *Thomistæ.* Tertiò, ferè omnes Thomistæ docent, angelos non esse per se immediatè in loco, sed per aliquam operationem transeuntem in aliquod corpus. quam sententiam variè admodum explicant; sed omnes explicationes eadem patiuntur difficultates.

Quartò, aliqui putant, angelos esse in loco per modum quemdam absolutum, quo certo modo se habent circa aliquod corpus quod est in loco: qui modus ita pendet ab eorum voluntate, vt possint nullum talem habere, atque ita esse nullibi.

Quintò, alij volunt, angelum necessariò semper esse in aliquo loco, idque per modum aliquem sibi intrinsecum, quo certo modo se habet ad aliquem locum.

Sextò, alij volunt, angelos esse in loco immediatè per suam substantiam; nihilque aliud per hoc iis accedere nisi respectum aliquem extrinsecum. Ita D. Bonauentura in 2. d.2.p.2.a. 2. q. 1. Scotus in 2.d.2.q.6. §. *Ad propositum*, &c. Gabriel ibid. q. 2. a.2. concl. 4. Greg.q.2.a.2. Marsilius q.2. a.1. & alij.

Bonauent. Scotus. Gabriel. Gregor. Marsilius.

70 Nota Secundò, non satis conuenire inter Doctores quid locus propriè sit. Multi enim volunt esse ipsam concauam superficiem corporis ambientis cum certo aliquo respectu ad quædam puncta imaginaria & immobilia. Sed hi valdè difficulter ostendunt, quomodo locus sit immobilis & incorruptibilis: & quomodo dum aër circa nos mouetur non continuò acquiramus nouum locum. Item quomodo secundùm illam sententiam totum vniuersum sit verè in loco: quia nullum corpus ipsum ambit: atque ita nullibi esset. quod per se absurdum est.

71 Quid sit locus. Alij igitur volunt illam superficiem solùm esse locum extrinsecum: id autem quod propriè habet rationem loci, esse illud spatium quod est intra illam superficiem, quodque totum occupatur ab ipso locato, & manet idem quantumcumq; corpus ambiens moueatur, aut etiam annihiletur. ita Simplicius 4. Physicorum ad cap. 5. in digressione de loco. Philopon. ibid. Toletus ibid. q. 3. Quam sententiam credo veriorem, & longè faciliùs defenditur, & est magis consentanea communi conceptui. Et secundùm hanc facilè concipitur quomodo & totum vniuersum, & corpus, vel etiam angelus positus extra vltimam sphæram verè sint in loco. Quæ si dicas nullibi esse, communi repugnabis conceptui.

Simplicius. Philoponus. Toletus.

72 Concl. I. Angelus non est in loco per solam aliquam operationem, aut modum se habendi circa aliquod corpus; vt volunt 3. & 4. sententia.

Prob. Primò, quia aliàs sequeretur Primò, angelum abstinendo à tali operatione, aut sui circa corpus applicatione permanere in rerum natura, & tamen nullibi esse. Secundò, nec distare ab vllo loco vel corpore; nec vlli esse præsentem aut propinquum.

Rem aliquam posse verè existere, & tamè nullibi esse omnino impossibile. *D. Augus.* Quæ ipsi quidem concedunt, & aiunt illo casu illum angelum fore à quouis corpore indistantem negatiuè: ita vt eadem facilitate cuiuis designabili immediatè posset sese applicare, eique esse præsens. quæ sanè inconcepribilia sunt. Experimur enim nos non posse concipere aliquid vt verè existens, nisi concipiamus esse alicubi. Vnde benè D. Augustinus epistola 57. ad Dardanum ante medium, docet ea necessariò non esse quæ nullibi sunt.

73 Deinde sequeretur Tertiò, si (quod multi putant fieri posse) Deus crearet corpus infinitè extensum angelū à quauis eius parte esse æquè indistantē, & circa quamuis designabilē posse æquè immediatè operari. Quartò sequeretur, postquam circa vnam partem fuerit operatus, immediatè pòst posse circa quamcumque partem quantumcumque distantem operari, aut ei se applicare: atque ita quasi in infinitum distare à priore loco: imò habere absoluè infiniram vim transferendi se quasi in momento ab vno loco in alium. quia nulla loca tam distantia poterunt assignari, vt non possit se minimo tempore longius transferre.

Quintò sequeretur, eum posse esse in locis planè distantibus, ita vt non sit in medio. Nam sicut potest operari, aut ita se applicare circa totum aliquod corpus longum v. c. 20. pedes: ita poterit se solùm ita applicare ad partes eius extremas, & non ad medias (quid enim cogit angelum mouentem v. c. extremas partes aëris in tali spatio, mouere etiam medias?) quo casu erit in duobus locis distantibus, & non in medio, atque ita à seipso diuisus & distans. quod naturaliter fieri posse ferè omnes negant; & quidem meritò. Quia si concedamus eum à se vel minimum distare posse, nihil erit cur non cōcedamus posse in infinitū magis & magis distare. quod omnino absurdū est. 74

Sequeretur Sextò, nullam esse rationem, cur dicamus angelos potiùs esse in cælo empyreo, quàm alibi. imò sequeretur eos absolutè ibi nō esse. Nec enim est vero simile eos ibi aliquam actionem transeuntem circa aliquod corpus perpetuò exercere, aut se ita ei applicare. Nec est vlla ratio, cur id fingamus. Dicere autem nullos angelos esse in cælo, est contra commune omnium Christianorum sensum.

Prob. concl. Secundò, quia ponamus per possibile vel impossibile me oculis corporeis posse angelum in se immediatè intueri: atque ita videam illum per talem operationem vel applicationem alicubi existentem, & deinde desistat ab illa operatione vel applicatione; quo casu cùm videam illum non ratione operationis illius, sed immediatè in se, pergam illum videre vt antè: quæro igitur, an apparebit mihi esse circa certum aliquem locum, in quem debeam oculos conijcere vt cum videam: an verò quocumque oculos conuertam, eodē modo eum videbo, ita vt à quouis loco æquè indistans apparear, vsque ad extremum cæli ambitum? Certè illud secundum videtur per se omnino absurdum, & secundùm hunc modum non tam viderem angelum nullibi esse quàm vbique, & omni loco præsentem; nec enim appareret mihi vbi non esset, sed ibi, vbi reuera esset. Quòd si primum dicas futurum; certò sequetur eum illo loco debere esse, & alibi non: quia aliàs nulla esset ratio, cur vt eum viderem, deberem potiùs in illum locum oculos conijcere, quàm in alium: aut cur circa illum locum potiùs mihi appareret, quàm circa alium. 75

Dices, esse omnino impossibile vt oculis coporeis angelum in se videam; atque ita non est mirum si ex eo alia absurda sequantur. 76

Sed contrà Primò, si illud impossibile verè à parte rei poneretur, nullo modo mutaretur angelus aut in se, aut in modo existendi in loco; sed solùm potentia mea visiua mutaretur: ergo nullum inde sequeretur absurdum circa modum existendi ipsius angeli, quod iam ex illorum sententia verè à parte rei non sequitur: ergo illa responsio nihil facit ad rem.

Secundò ponamus (quod omnes fatentur fieri posse) Deum contrahere aliquod corpus in punctum, ita vt nullum spatium occupet: tunc illud corpus secundùm illos non magis erit per se immediatè in loco quàm spiritus (quia illi volunt ea sola per se immediatè esse in loco, quæ loco possunt commensurari) & tamen Deus poterit elenare oculum meum vt possim illud corpus videre. quo casu redit idem argumentum suprà positum. Nam vel debebo illud videre in certo loco, vel vbique. Quidam ob hæc similiaq; argumēta 77

concedunt, angelum per se immediatè, sine eiusmodi applicatione, aut operatione circa aliquod corpus posse esse hîc, aut ibi, siue in hoc aut illo spatio; non posse tamen esse in hoc vel illo loco: atque ita aliud apud eos est esse hîc, aliud verò esse hoc loco. quos facilè esset ex iis quæ num. 78. dicam refutare: sed quia ipsi nouam de mero nomine quæstionem mouent, relinquam eam grammaticis soluendam, vt ipsi dispiciant, an *hic, ibi, illic*, &c. desierint esse aduerbia localia, factaque sint solùm spatialia.

78 Prob. concl. Tertiò, quia sine vllo fundamento dicitur talis operatio aut applicatio esse necessaria vt angelus sit in loco. Nec enim ex vllis rebus reuelatis, aut ex vlla experientia, aut analogia quam habent angeli cum rebus corporeis id possumus colligere, ex quibus rebus solis omnem nostram scientiam haurimus. Et eadem planè ratione qua illud asseritur, dicam, vt angelus sit in loco, requiri, vt visibiliter aliquod corpus assumat; & vt aliquod corpus moueat, non requiri vt sit ei præsens, sed sufficere vt sit ab eo negatiuè indistans. Vel etiam dicam eum esse in loco formaliter per hoc solùm, quòd aliquem locum distinctè intuetur, aut in eo esse velit. Et fortè probabilius; quia magis conuenit naturæ spiritali esse in loco per aliquid spirituale, quàm per aliquid corporale: & alij alia poterunt pro libitu eadem probabilitate fingere.

Omnem scientiam ex experientia, aut reuelatione haurimus.

79 Conclvs. II. Vt corpus aut spiritus sint in loco, non est opus superaddatur iis certus aliquis modus realis iis intrinsecus, quo formaliter sint in loco, quemque toties mutent, quoties locum mutant. Ita tenent auctores sextæ sententiæ & ex parte auctores secundæ sententiæ.

Res non fiunt per aliquem modum in loco.

Probatur Primò, quia aliàs sequeretur, quamuis rem quotiescumque moueretur localiter, infinitos tales modos nouos acquirere, & alios perdere. quod tamen videtur omnino absurdum. Et per se incredibile est, me mouendo paululùm digitum, infinitas reales entitates producere & perdere. Et inde sequeretur, quotidie produci innumerabilia infinita actu, seu infinitas entitates inter se distinctas, sibi mutuò succedentes: cùm tamen omnes negent, posse naturaliter dari infinitum actu. Illud autem sequi probatur. Quia quantumcumque parum aliqua res moueatur, necessariò acquirit nouum locum saltem partialem: imò prima & vltima eius superficies acquirunt locum totalem nouum ad singula puncta in illo spatio assignabilia, quæ de nouo attingunt. Et similiter si corpus contractum in punctum moueatur, aut linea recta moueatur lateraliter, totis se toris acquirent nouum talem modum, & consequenter nouam entitatem realem à se, licet tantùm modaliter, tamen verè à parte rei distinctam, quoties nouum punctum in spatio per quod mouentur assignabile attingent. Cùm igitur secundùm communem sententiam hæc puncta sint infinita assignabilia, siue distincta sint à continuo, siue non; apertè sequitur illa mota infinitas tales entitates breuissimo tempore acquirere & amittere. Possent hoc argumento plura absurda ex illa sententia inferri: sed hæc sufficiunt.

80 Probatur Secundò, quia ex alia sententia sequeretur, quòd si esset aliquod corpus contractum in punctum, quòd nullo modo possem illud naturaliter mouere: quia non possem in illo talem modum producere. Nam cùm ille modus præsentiæ sit aliquid corporale, ex natura sua requirit aliquam extensionem; & consequenter non potest naturaliter poni in puncto: atqui illud est falsum: ergo etiam id vnde sequitur. Minor probatur. Nam si illud corpus esset inclusum alicui paruo corpori omnino solido & intus concauo, si hoc corpus mouerem, necessariò moueretur alterum, quia non posset illud penetrare. Quòd autem non obstante illo alio possem hoc mouere, & per se videtur certum; & probatur: quia aliàs sequeretur me non posse mouendo Venerabile Sacramentum, mouere corpus Christi in eo existens. quod tamen falsum est. Nam Trident. sess. 13. cap. 5. & 6. & can. 6. expressè docet, nos corpus Christi in processionibus ad ægrotos gestare & circumferre. Respondent aliqui, nos non mouere corpus Christi, sed solas species: Deum autem ad harum motum illud per se immediatè mouere. Sed hoc dici nequit: quia sic verè & propriè loquendo non circumferremus corpus Christi, sed solus Deus hoc faceret; atque ita posset quis verè dicere, nos in processionibus non circumferre corpus Christi, cuius contradictorium Concilium asserit. Secundò, quia, vt docet Trident. suprà can. 8. & patet ex Ioan. 6. communicantes verè, realiter, ac propriè manducant corpus Christi: atqui hoc esset falsum, nisi illud propriè mouerent: ergo propriè illud mouent. Minor probatur, quia, vt dicar aliquid manducare, necesse est vt illud deglutiam: aliquid autem deglutire est illud per actionem vitalem ex ore per guttur traiicere in stomachum. Non potest autem intelligi quomodo verè aliquid ita traiiciam, nisi ipsum verè moueam. Secundùm illos autem ego non traiicerem hoc modo corpus Christi, sed Deus hoc faceret: atque ita non magis possem dici manducare corpus Christi, quàm possem dici manducare aut deglutire angelum, si simul cum alio cibo ingrederetur per os in meum stomachum.

Sacerdos verè mouet corpus Christi dum mouet species. Trident.

81

Necessariò verè mouemus ea quę comedimus.

Respondent alij, species supernaturaliter eleuari, vt quoties mouentur, possint simul secum attrahere corpus Christi, & talem modum præsentiæ in eo producere. Sed contra hoc facit Primò, quòd, vt ostendi q. 62. a. 4. implicet res corporales eleuari vt possint eiusmodi res supernaturales producere; cùm ad hoc nullam vel inchoatam potentiam habeant. Secundò, quòd sine necessitate fingamus hîc miracula, quæ sunt inconceptibilia.

82 Probatur concl. Tertiò, quia, cùm, vt ostendi, ille modus præsentiæ patiatur graues difficultates, & non possit facilè concipi & minùs explicari; non debet asseri sine graui necessitate: atqui nulla hîc est necessitas; imò nullum apertum fundamentum, cur eum asseramus: ergo gratis fingitur.

Ex nullo fundamento potest colligi ibi esse modi realem.

Minor probatur, quia nec ex iis quæ fide cognoscimus, vt per se patet; neque etiam ex iis quæ lumine naturæ per se nota sunt, vt patebit ex solutione obiectorum; neque ex aliqua experientia potest tale aliquod fundamentum sumi: neque est aliud principium vnde possit illud sumi: ergo gratis asseritur. De experientia probatur. quia hæc solùm potest per sensus haberi, nullo autem sensu possumus talem aliquem modum percipere. Nam si in naui quæ suauiter mouetur, ita sim interiùs conclusus, vt nihil extrinsecum videam, mutabo continuò locum; & tamen hanc mutationem nullo sensu vel in me, vel in astantibus potero percipere, aut vllo modo deprehendere an mouear nec ne. Vnde patet, experientiam potiùs huic modo contradicere quàm fauere.

83 Dices Primò, Cùm motus localis sit motus realis, necessariò debet habere terminum realem: atqui hic non potest esse alius, quàm talis aliquis modus: ergo hic ponendus est.

Secundò, non potest cõcipi quomodo res quæ huic spatio priùs nó erat præsens, postea sit præsens; nisi in ea, vel in ipso spatio aliqua sit facta realis mutatio: atqui nulla fit talis mutatio in spatio: ergo fit in re mora.

Terminus motus localis quid sit.

84 Ad Primum, nego minorem. Terminus enim motus localis est acquisitio noui loci, siue noua realis coniũctio loci & locati: quæ nihil aliud requirit quàm vt res illi spatio per seipsam immediatè sit præsens. Sicut igitur spatium vt mihi sit intimè præsens, non debet

debet in se talem modum suscipere (quod cùm non sit res realis, non potest esse subiectum modi alicuius realis;) sic nec ego debeo vllum eiusmodi modum suscipere, vt sim præsens illi spatio.

Confirm. à simili. Quia vt sim in aliqua domo, neque in me, neque in ipsa domo requiritur aliquis modus realis, qui non possit in nobis perseuerare, etiamsi desinam esse in domo: ergo nec requiritur aliquis in me modus præcisè vt sim in tali spatio, qui non permaneat, cùm ab eo absim. Antecedens probatur, quia neque ille modus requiritur in domo; nam posset Deus me annihilare manente domo immutata: neque etiam in me; quia posset annihilare domum me manente immutato.

85 Nota, alium esse terminum motus localis, alium verò ipsius actionis, qua quis motum producit. Mouens enim rem aliquam immediatè in ea producit aliquem impetum, siue ipsum motum, qui est qualitas quædam fluens; & hic est immediatus terminus actionis ipsius mouentis: quod vel inde patet, quia mouens verè & propriè dicitur producere motum. Ipsa verò coniunctio rei motæ cum tali aut tali loco, siue ipsum *vbi*, non est immediatus terminus illius actionis; sed aliquid ipsum motum consequens, & ex eo resultans, sicut relatio resultat ex positione fundamenti aut termini. atque ita ipsum nouum *vbi* est immediatus terminus ipsius motus, quatenus hic concipitur vt terminus immediatus actionis ipsius mouentis: & consequenter ipsum *vbi*, est solùm mediatus terminus illius actionis.

Ex quo sequitur, quòd sicut motus in genere dupliciter accipitur, Primò pro actione, qua aliquid immediatè præsertim in tempore producitur: Secundò, pro immediato termino actionis, qua aliquis aliquid localiter mouet: ita etiam ipsius duplicem esse terminum. in priore significatione, si verus & realis sit, habet necessariò pro termino rem aliquam realem de nouo secundùm se productam (nequit enim concipi quomodo actione vera & reali nihil omnino producatur; præsertim cùm communiter Theologi ideo negent intellectionem essentialem in Deo esse veram actionem, quia per eam nihil de nouo producitur.)in secunda verò significatione, sicut non est propriè actio, sed potiùs terminus actionis, ita nihil reale necessariò propriè producit; sed ipsum necessariò consequitur dicta rei motæ cum loco coniunctio, siue *vbi*: quod siue sit aliquis realis modus, siue non, nequit esse immediatus terminus alicuius actionis, sed aliquid ad motum ipsum consequens modo iam dicto.

Ad Secundum, concedo totum. Nam hoc fieri nequit nisi acquiram nouum locum. & quidem si loquamur de via naturali per motum localem: inde tamen non sequitur me aliquem eiusmodi realem modum debere in me suscipere, vt patet ex dictis: quia ille motus non tendit ad aliquem modum, sed ad locum. imò quando clausus in cubiculo suauiter nauigo, vix potest intelligi qua ratione talis aliquis modus producatur:

86 Quòd enim aliqui clamant se non posse concipere cur aliquis iam sit verè in tali loco in quo antè non erat, si nullus realis modus etiam ei insit, qui antè non erat, nos mouere non debet: sed ipsi vel ex sensu debent discere hoc posse concipi. Nam quod sensu possum discernere, possum intellectu concipere. Possum autem sensu percipere aliquem esse in aliquo loco in quo antè non fuit, non percipiendo in eo aliquem realem modum, quem antea non percipiebam: vt si quierè iaceat super nauigio, & videam eum primò in vno loco, & interim dum clando oculos nauis paululùm mouearur, tunc videbo illum esse in alio loco; & tamen nullum modum, nihilque aliud reale pote-

Possumus notare aliquem mutasse locũ, nullum in eo nouum modum notando.

ro in eo notare, quod antè non erat, præter illam coniunctionem cum alio loco. Similiter possum oculis clarè discernere duas res modò magis, modò minùs distare, & consequenter alterutram mutasse locum, etsi nihil nouum reale iis intrinsecum cernam. quare igitur non potero hæc eadem intellectu concipere? Sicut igitur ex eo quòd distinctè videam eamdem rem modò magis, modò minùs illuminari, nullo modo videndo eam moueri localiter, bene colligo illuminationem posse fieri sine motione locali rei illuminatæ: ita ex eo quòd distinctè videam rem aliquam modò esse in hoc loco, modò in illo, non videndo in illa vllum eiusmodi modum, benè colligo, eam non esse per talem modum formaliter in loco.

Conclvsio III. Vt aliqua res siue corporalis, 87
siue spiritualis sit in loco, nihil aliud requiritur, quàm intima ipsius cum loco coniunctio: atque ita sicut res immediatè ipsi loco siue spatio coniungitur sine vllo modo reali superaddito iis, quos necessariò habet vbicumque sit; ita per se immediatè ac per eiusmodi coniunctionem est propriè & formaliter in loco.

Patet ex dictis. & confirm. quia hoc ipso quo res aliqua intra tale spatium est, aut esse concipitur, etsi vel per diuinam potentiam, vel per intellectum omnes eiusmodi modos auferas siue præscindas, necessariò erit, siue concipitur esse in tali loco: sicut manet & concipitur esse in aliqua domo, etsi omnes ab ea eiusmodi reales modos auferas. Confirmatur, quia, vt aliquid existat in hoc vel illo tempore, nullo opus est reali modo, quo formaliter sit in tali tempore, sed seipso formaliter est in hoc tempore, hoc ipso quo simul cum eo existit. Ergo similiter aliquid erit in tali loco hoc ipso, quo ei erit coniunctum, sine vllo alio modo superaddito.

DVBIVM II.

Per quid Christus sit formaliter præsens in hoc Sacramento?

NOta, duo hîc quæri. Primum, per quid Chri- 88
stus sit formaliter ibi, vbi sunt ipsæ species? De quo varij variè sentiunt, prout quique habent diuersa principia circa existentiam rerum, præsertim spiritualium in loco. Secundum, per quid Christus constituatur sub illis speciebus vt contentum sub continente: ita vt cum iis vnum Sacramentum efficiat? Qua de re etiam variæ sunt sententiæ. Scotus enim in 4. d. 10. *Scotus.* q. 1. cum Gabriele ibidem art. 2. & alij sentiunt, ad hoc *Gabriel.* nullam inter species & corpus Christi physicam vnionem esse necessariam; sed sufficere vt Deus decreuerit ea inseparabiliter coniuncta conseruare. Alij verò volunt inter ea necessariam esse aliquam physicam vnionem, quam plurimi dicunt esse inexplicabilem. Alij verò diuersimodè eam explicant (vt patet apud Suarez hîc disp. 47. sect. 1. 2. 3.) quos singulatim re- *Suarez.* ferre non est operæpretium. Nam quid de tota re sentiendum sit facilè ex sequentibus poterit videri.

Nota Secundò, tripliciter aliquas res posse inter se 89
vniri. Primò, solo loco, ita vt nullo modo inter se dependeant, & alterum possit moueri loco, altero manente immoto. Et de hac coniunctione non est vlla difficultas. quia ad hanc sufficit res esse in eodem loco. *Triplex rerum vnio.*

Secundò, vt inter eas sit vnio formalis, ita scilicet vt vnum se habeat per modum formæ, & alterum per modum materiæ, aut subiecti. Et quidam volunt talem aliquam vnionem inter species & corpus Christi reperiri. Sed concipi nequit, qualis hæc vnio possit esse. Neque enim potest esse talis, qualis est inter subiectum & accidens: quia aliàs accidentia essent in corpore Christi vt in subiecto, & ab iis posset *Inter corpus Christi & species non est vnio formalis.*

denominari album, rotundum, &c. quæ falsa sunt. Multò minùs potest esse talis vnio, qualis est inter materiam & formam substantialem; vt per se patet: aut qualis est inter hypostasin & naturam assumptam. quia nulla hîc interuenit vnio hypostatica. Alia autem formalis vnio, quæ saltem ad has non reducatur; nor potest hîc facilè fingi. Quòd autem aliqui dicunt esse quidem aliquam vnionem formalem, explicari tamen non posse qualis sit, cùm nihil tale ex Scripturis, traditione, aut natura huius Sacramenti possit colligi; gratis omnino dicunt.

Tertia vnio posset vocari effectiua, qua vna res aliam ad se attrahit, eamq; ita sibi vnit, vt secum necessariò moueatur; sicut magnes vnit sibi ferrum.

90 CONCLVS. I. Christus est formaliter ibi, vbi est Sacramentum, per realem suiipsius cum illo spatio coniunctionem, sicut aliquis angelus in aliquo loco est. Ratio est, quia omnibus aliis exclusis hoc ipso quo concipis talem coniunctionem, concipis Christum ibi esse. Patet ex dictis dub. 1.

91 CONCLVS. II. Vt Christus sit sub speciebus tanquam contentum sub continente; ita vt possit per eas infallibiliter demonstrari, non sufficit sola coniunctio localis: sed necessarium est, vt vnum non possit moueri loco aut definere esse quin alterum simul moueatur, aut definat aliquo modo esse.

Inter species & corp. Christi requiritur vnio inseparabilis.

Patet, quia aliàs non esset infallibile Christum esse vbi species sunt: atque ita non posset infallibiliter per has demonstrari. quod tamen est necessarium, vt cum speciebus constituat vnum Sacramentum. quia ad hoc requiritur vt species sint necessarium & omnino infallibile signum præsentiæ corporis aut sanguinis Christi.

92 CONCLVS. III. Præcisè tamen vt species respectu Christi habeant rationem continentis, ac infallibilis signi, ac consequenter vnum cum eo Sacramentum constituant, absolutè loquendo non est necessaria inter Christum & species aliqua vnio physica, sed sufficit moralis, quæ ex decreto Dei talis sit, vt vnum ab altero separari non possit.

Non est necessaria physica.

Quia, vt patet in aliis Sacramentis, ad rationem Sacramenti præcisè sufficit vnio moralis inter materiam & formam. Et posito tali Dei decreto species tam etunt infallibile signum præsentiæ Christi, quàm si esset inter vtraque maxima vnio physica. Nec potest vlla ratio adferri quæ conuincat aliam vnionem hîc absolutè esse necessariam ad rationem huius Sacramenti, præcisè vt habeat rationem Sacramenti.

93 CONCL. IV. Non est improbabile, inter corpus Christi & species esse quandam vnionem, quam vocant effectiuam: ita vt corpus Christi habeat vim attrahendi ad se species, eásque ita sibi vniendi, & consequenter se iis, vt quocunque illæ mouentur, & ipsum necessariò moueatur, sicut moto magnete mouetur ferrum.

Quomodo corpus Christi moueatur per species.

Probatur, quia, nisi sit aliqua similis vnio, videtur difficulter intelligi quomodo is qui mouet species, verè & propriè moueret corpus Christi; quod tamen necessariò est asserendum: vt ostendi dubio præcedenti concl. 2. Nam si non esset inter hæc alia coniunctio, quàm quòd Deus statuisset mouere corpus Christi ad omnem locum, ad quem mouentur species, tu. nos ipsum non moueremus, sed solus Deus, & mouens species solùm esset occasio illius motus aut vt summum causa moralis, quod nullo modo sufficit vt possimus verè & propriè comedere corpus Christi. quia ad hoc requiritur vt physicè ipsum traiiciamus in stomachum. Nam comestio numqua. significat actionem moralem, sed physicam.

94 Dixi, *hoc non esse improbabile*. quia nihil est quod absolutè conuincat talem vnionem esse necessariam. Nam vt corpus moueatur per motum specierum, videtur omnino sufficere, vt iis vniatur simili aliqua ratione, qua is qui vehitur curru aut naui, iis vnitur: ita vt Christus quasi vehatur ipsis speciebus. Nam cùm in corpore Christi nulla sit resistentia, quò minùs facillimè in quamuis partem moueatur; vt sequatur naturaliter motum specierum, minima vnio sufficit. Vel si velis, hæc vnio corporis Christi cum speciebus meliùs explicabitur, si dicatur similis vnioni quam haberet corpus glorioſum cum alio corpore, quo cum penetratiuè simul in eodem loco ita existeret, vt moueretur necessariò moto alio corpore: ad quod sufficeret, vt Beatus, cuius esset illud corpus glorioſum, non permitteret se alio modo ab alio illo corpore penetrari, quàm de facto priùs penetraretur.

Pro quo Nota Primo, etsi Beatus habens corpus glorioſum possit permittere vt ab alio sine difficultate penetretur; tamen potest etiam huic penetrationi resistere: atque ita ab alio corpore poterit propelli, nisi huic propulsationi resistat. 95 *Beati possunt impedire ne ab alio corpore penetrentur.*

Nota Secundò, vt duo corpora quæ simul penetratiuè existunt, à se mutuo separentur, opus est noua penetratione, qua secundùm aliam atque aliam partem se mutuò penetrent, v. c. si vnum moueatur ad dexteram, & alterum ad sinistram, necesse est vt pars quæ priùs penetrabat alterius dexteram partem, incipiat penetrare sinistram; & contrà. Hinc si Deus poneret duo corpora non glorioſa penetratiuè in eodem loco, sine nouo miraculo vnum non posset moueri immoto altero. *Sicut igitur* Beatus habens corpus glorioſum potest resistere ne alius homo eum penetret: ita cùm semel penetrauit, potest resistere ne alia noua ratione fiat penetratio, & consequenter ne vnus ab altero possit separari. quo facto Beatus ad motum alterius necessariò mouebitur, & quidem eadem facilitate non beatus mouebit & se & Beatum, qua moueret se solum, si modò Beatus motui non resistat. quia corpus beatum ex se nullo modo resistit motui. 96

Idem, quod ad hanc rem attinet, credo dicendum de angelo, qui sicut potest resistere ne ab alio corpore penetretur; ita cùm semel illud penetrauit, potest resistere ne alia ratione penetretur. quo facto vt moueatur ab illo corpore, sufficit quòd motui non resistat. 97 *Quomodo angelus possit moueri per aliud corpus.*

Simili itaque ratione, vt Christus ad motum specierum necessariò moueatur, sufficit quòd non permittat hîc aliam fieri penetrationem, quàm quæ per ipsam conuersionem panis in ipsius corpus in consecratione facta est. Quare cùm hic modus vnionis sufficiat vt satisfiat omnibus difficultatibus, quæ possint hîc obiici, & sit simplicissimus, & rei maximè connaturalis; nihil nos cogit aliam vnionem physicam ponere. Quamuis si quis velit eam quam in conclusione posuimus vnionem asserere, facilè poterit ad hoc aliquas congruentias reperire. 98

DVBIVM III.

Qua ratione possit idem numero corpus poni in diuersis locis?

HÆc res generatim priùs nobis disputanda est, vt possimus clariùs ostendere, per quam actionem Christus fiat præsens in Vener. Sacramento. Est autem hæc difficultas satis ardua: quia cùm sit omnino supra omnem naturæ ordinem, ex iis quæ clarè habemus cognita, nihil hîc potest à priore probari, aut etiam à posteriore clarè & immediatè demonstrari. Quare tota hæc res petenda est partim ex principiis fidei, quæ apertè nos docent, fieri posse vt idem corpus sit in distinctis locis; idque de facto in Ven. Sacramento fieri: partim ex iis quæ lumine naturæ cognita 99

cognita sunt, ostendendo hunc vel illum modum ponendi idem corpus in diuersis locis nihil absurdi inuoluere. Quare vt hunc vel illum modum vt probabilem acceptemus, non est hic expectandum vt à priori probemus eum esse possibilem, sed sufficit vt ostendamus nullam probabilem in eo posse ostendi implicantiam. Vnde sequitur, inter varias Doctorum sententias, illam esse probabiliorem, quæ & principiis fidei, & dictis Patrum & Conciliorum est maximè conformis, ac minimas in soluendis obiectionibus partuit difficultates. Ex variis itaque Doctorum sententiis præcipuas aliquot examinabimus, vt veriorem possimus seligere.

100 Præter hæreticos, qui, vt faciliùs veritatem huius Sacramenti oppugnent absolutè negant fieri posse vt idem corpus sit simul in diuersis locis: quatuor ferè sunt præcipuæ Theologorum sententiæ.

Prima docet, non posse corpus quod in vno loco existit, poni in alio loco, nisi commutetur in aliud corpus. Ita quidam olim discipuli D. Thomæ.

Secunda sententia docet, idem corpus posse quidem simul esse in vno loco secundùm modum existendi quantitatiuum, & simul in alio secundùm modum existendi sacramentalem. Fieri tamen non posse vt idem corpus sit simul in duobus locis modo quantitatiuo, siue ita vt ipsi loco coëxtendatur, sicut fit quando modo naturali existit. Et hanc sententiam tanquam probabiliorem docet Sotus in 4. d. 10. q. 1. ar. 5. §. *Hic præterea.* & quidam alij Thomistæ.

Sotus. *Thomistæ.*

Vtraque hæc sententia maximè nititur auctoritate D. Thomæ, qui eas quibusdam locis videtur asserere. Alij tamen Thomistæ eum in commodo sensu conantur explicare: & omnino verisimile est aliam fuisse eius mentem. Quod maximè potest colligi ex rationibus, quibus D. Thomas dictas sententias videtur probare. Quæ si absolutè & sicut sonant sine vlla explicatione acciperentur; ex iis inferrentur quædam apertè falsa.

D. Thom.

101 Prima ratio est quam adfert D. Thomas hîc art. 2. vbi ait: *Non autem aliquid potest esse vbi prius non erat nisi vel per loci mutationem, aut alterius conuersionem in ipsum.* Quòd si intelligatur de potentia Dei absoluta, sequetur Deum nihil iam posse de nouo creare: quia aliàs inciperet aliquid esse, vbi antè non fuit sine loci mutatione, aut alterius in ipsum conuersione. Quare benè notauit Sotus in 4. d. 9. q. 2. art. 2. §. *Sed dicent,* D. Thomam tantùm velle, illud non posse fieri secundùm legem Dei ordinariam, & modum agendi rebus magis conuenientem. Secunda ratio est quam idem adfert in 4. d. 44. q. 2. art. 2. q. 2. ad 4. Vbi ait: per miraculum fieri non posse vt vnum corpus sit in duobus locis, scilicet modo quantitatiuo: *Quia esse in pluribus locis repugnat individuo, ratione eius quod est esse indivisum in se.* Sanè si hæc ratio absolutè prout sonat, intelligatur; absolutè probabit corpus Christi non posse esse in cælo, & simul verè & realiter in Venerab. Sacramento. Nam siue in hoc sit modo quantitatiuo, siue modo spirituali, non ideo minùs vel magis erit à se diuisum, siue distinctum. Imò existendo in vno loco modo Sacramentali, magis erit à se distinctum, quàm si existeret vtrobique modo quantitatiuo: quia tunc habebit modos existendi omnino inter se repugnantes. Quare cùm planè faciliùs appareat, idem corpus in duobus locis simul habere modum existendi sibi connaturalem, quàm habere in vno modum connaturalem, & in altero spiritualem, (quia hic modus difficillimè concipitur:) si hoc concedamus esse possibile, omnino alterum erit concedendum. Quæ omnia magis ex dicendis constabunt, in quibus & soluemus alias quasdam rationes, quæ contra hæc obiici solent. Quare non putaui pluribus has sententias oppugnandas, præsertim cùm iam communiter ferè Doctores concedant, Deum sine vlla conuersione vnius in alterum posse vnum corpus modo quantitatiuo in duobus locis ponere: valdè tamen dissentiunt quomodo hoc fieri possit.

Sotus.

Idem potest quantitatiuè in duobus locis existere.

Tertia igitur sententia docet, id fieri posse per solam productionem diuersorum vbi in eodem corpore; quam productionem vocant adductionem: quia idem corpus retinens locum, quem antea habebat, alia diuersa loca acquirit, atque ita ad ea quasi adducitur. 102

Ita Scotus in 4. d. 10. q. 1. §. *Quantum ergo ad istum articulum.* versu, *Si verò corpus.* quem communiter Scotistæ in 4. d. 10. & 11. atque etiam alij multi sequuntur. Fundamentum huius sententiæ est: quia *vbi* est modus aliquis realis distinctus à loco & locato per se producibilis: vt patet in motu locali: ergo potest immediatè in corpore aliquo produci à Deo, non destructo eo, quem priùs habebat (quia hîc nulla potest ostendi implicantia) & consequenter vnum corpus erit in pluribus locis simul. Confir. quia angelus existens in loco sibi inadæquato naturaliter potest proximum occupare non deferendo priorem, idque solùm per acquisitionem noui vbi; ergo duos tales modos simul esse in eadem re, non implicat.

Scotus. *Scotistæ.*

Quarta sententia docet, Deum posse ponere idem corpus in diuersis locis ipsum saepiùs reproducendo: ita vt virtute æquiualeat multis corporibus: quia in hoc nulla potest ostendi implicantia. Ita Gabriel in 4. d. 11. q. 1. art. 2. dub. 2. & plurimi recentiores. 103

Gabriel.

Conclvsio I. Fide tenendum est, diuina virtute posse idem corpus simul ita poni in diuersis locis, vt verè & realiter sit in singulis præsens, & propriè possit dici ibi & ibi esse, siue in omnibus sit propriè tanquam in loco, siue aliter, quæ est quæstio magis de nomine quàm de re. vt videbimus q. 76. art. 5. 104

Ita communiter omnes Catholici, & patet expressè in mysterio Vener. Sacramenti, in quo Christus in diuersis locis, verè & realiter præsens est: vt ostendi suprà ar. 1. vbi etiam quæ contrà possent obiici, ex parte dissolui, & reliqua commodiùs soluemus infrà.

Concl. II. Non potest hoc fieri per solam adductionem, siue nudam productionem alicuius vbi. 105

Probatur Primò, quia, vt ostendi dub. 1. nec corpora, nec spiritus sunt formaliter in loco per talem aliquem modum, sed immediatè seipsis, siue per immediatam sui cum loco coniunctionem: ergo non possunt per nudam talis modi productionem in aliquo loco constitui.

Probatur Secundò, quia ponamus Deum, Petrum existentem Louanij velle ponere Romæ, per nudam talis vbi productionem, ita tamen, vt simul destruat prius vbi, ac Petrus desinat esse Louanij (hoc enim fieri posse supposita contraria sententia per se clarum est, & omnes illius auctores concedunt) tunc vel producet illud vbi in Petro existente Louanij, vel existente Romæ. Neutrum dici potest: ergo est impossibile.

Minor probatur, quia si dicatur produci in Petro, adhuc existente Louanij, tunc vbi Romanum produceretur Louanij. (Nec enim potest intelligi, quomodo illud vbi producatur in Petro non existente alibi quàm Louanij, nisi producatur Louanij,) atque ita vbi Romanum, ac consequenter locus adduceretur ad Petrum, & consequenter non tam Petrus adduceretur Romam, quàm illa Louanium. quæ absurdissima sunt. Quòd si dicas illud vbi produci in Petro iam existente Romæ, sic Petrus erit Romæ priùs natura, quàm illud vbi in eo producatur: & consequenter neque effectiuè, neque formaliter statuetur Romæ per illud. Quia implicat effectum esse priorem sua causa, siue aliquam esse album priùs natura quàm albedo existat.

Dices, illud vbi non produci in Petro existente 106

Romæ vel Louanij, sed vt concipitur iam adduci Romam. Sed contrà. Primò, vel illud vbi producitur Romæ, vel alibi, vel nullibi. Neque enim potest hîc aliquod quartum excogitari.

Deus nequit in me aliquid producere eo loco vbi non sum.

Primum dici nequit: quia cùm necessariò producatur in Petro, supponeret Petrum priùs esse Romæ. Implicat autem Deum hîc aliquid in me producere nisi hîc sim. Neque etiam secundum dici potest: quia si dicamus alibi produci quàm Romæ, tunc debemus concedere illud vbi produci alicubi; & consequenter alicubi esse extra Romam: nec vlla erit causa cur negemus produci Louanij: & aliàs dicendum esset, Petrum, dum illud vbi producebatur, fuisse alicubi extra Romam & Louanium, & consequenter tertium vbi in eo ponendum erit. Nec etiam tertium dici potest: quia sicut implicat ipsum vbi esse, & tamen nullibi esse (cùm necessariò & intrinsecè dicat præsentiam in loco) ita implicat ipsum verè & realiter produci, & tamen nullibi produci. Secundò, quia illud vbi necessariò producitur in aliquo instanti: atqui in eo casu nullum daretur instans quo Petrus non esset vel Romæ, vel Louanij: ergo necessariò deberet in eo produci existére Louanij, vel Romæ. Et confirm. quia illa duo vbi haberent se sicut frigus & calor, quæ se mutuò formaliter expellunt: atqui vt calor formaliter expellat frigus, debet produci in frigido, & similiter forma ignis producitur in ligno: ergo similiter illud vbi Romanum debebit produci in existente Louanij, vt formaliter vbi Louaniense expellat, ac deinde subitò Petrum constituere Romæ, quæ ego sanè concipere nequeo.

Nihil potest produci nisi alicubi producatur.

107 Sed instabis, Si Deus produceret in instanti calorem vt octo in aliquo frigido in eodem instanti priùs natura quàm calor conciperetur productus, subiectum non posset concipi frigidum (quia aliàs calor & frigus simul essent in eodem) & consequenter propriè loquendo ille calor non produceretur in eo, quod tunc esset frigidum, sed quod antè fuisset frigidum: ergo similiter vbi non producetur in existente Louanij, sed in eo qui priùs fuit Louanij.

Respond. etsi concederemus antecedens (quod tamen ex parte communi modo loquendi repugnat) omnino negandam esse consequentiam. Quia calor ille non necessariò supponit subiectum suum esse calidum aut frigidum, ac consequenter, sicut per diuinam potentiam potest produci in subiecto nec frigido, nec calido: ita potest concipi produci in subiecto, nec frigido, nec calido. Contrà fit in illo *vbi*: quia sicut necessariò debet produci alicubi: ita supponit subiectum suum esse alicubi, præsertim quando concipitur produci in subiecto quanto & extenso in ordine ad locum, quod nemo potest concipere esse non in loco: & consequenter nullum potest dari instans naturæ, quasi medium inter vtrumque vbi, in quo Petrus *sit non* in loco, *nisi* velis gratis & contra rationem fingere eum illo medio instanti esse in vacuo, & tunc cum quibusdam negare eum esse in loco, & sic hîc facere quæstionem de nomine, quid debeat dici esse in loco: sed sic consequenter illud vbi debebit in vacuo produci.

Vbi non est simile ipsi calori, sed inhærétiæ qua hic ligno inhæret.

108 Vt autem hæc omnia clariùs intelligantur, Notandum est, quòd etiamsi concedamus *vbi* esse modum aliquem realem, per quem res est formaliter in loco, nullo tamen modo concedendum esse, illud se habere respectu locati, sicut calor se habet respectu calidi, sed potiùs sicut se habet inhærentia caloris respectu calidi. Sicut enim hæc facit lignum esse formaliter calidum vniendo illi calorem, sine quo hoc nequit concipi calidum, ita illud vbi facit rem esse in loco vniendo ipsi locum, & ipsum loco. Nec enim sine vera loci & locati coniunctione potest res concipi esse in loco. Quare cùm illud vbi non sit intrinsecè ipse locus (nam illud producitur in locato, non tamen ipse locus, qui succedentibus diuersis locatis semper idem perseuerat) non potest intelligi esse aliud quàm ipsa coniunctio locati cum loco. Quare sicut quando calor priùs existit quàm vniatur ligno, idque in loco distante; non potest concipi immediatè in ipso produci inhærentiam in ligno, nisi aut simul reproducatur in ligno, aut priùs natura fiat illi localiter coniunctus, aut saltem non distans (quis enim concipiat in calore existente Romæ sine vlla alia actione produci immediatè inhærentiam qua mihi hîc Louanij inhæreat?) sic inconceptibile est in me hîc existente immediatè produci vnionem cum loco Romano, siue vbi Romanum, nisi ibi reproducat, aut priùs natura sim ab eo loco non distans. Quare sicut lignum, cui nullus calor est coniunctus, non potest fieri calidum per solam productionem inhærentiæ caloris, sed opus est vt simul aut ipse calor in ligno producatur, aut per motum localem ei admoueantur: ita impossibile est existentem Louanij fieri immediatè Romæ per solam productionem alicuius *vbi*, siue coniunctionis ipsius cum loco Romano; sed necessarium est, vt simul aut ipse reproducatur Romæ, aut eò mouеatur. Ex quo clarissimè nostra sententia probatur.

Probatur Tertiò, quia vel corpus positum hoc modo in diuersis locis habebit necessariò vtrobique eadem accidentia, vel non. Neutrum dici potest: ergo illud est impossibile. 109

Respondent aliqui, necessariò vtroque loco habitutum omnia accidentia eadem, quæ non pendent à certo loco. Secùs esse de iis quæ pendent à certo loco: quale est ipsum vbi; quod in vtroque loco necessariò erit diuersum. 110

Sed contra Primò, ponat Deus hîc stupam in medio magni ignis, & eandem simul Romæ totam immersam aquis: peto quid fiet de illa stupa, si Deus agentia naturali suo modo agendi relinquat? Nec enim potest dici vtrobique comburendam, quia impossibile est vt ignis naturaliter comburat stupam immersam aquæ. Nam sic deberet ignis generari in ipsa aqua. Nec etiam potest dici hîc comburendam, & Romæ non comburendam: quia sic materia prima alia forma informaretur hîc, & alia Romæ. quod ipsi negant fieri posse. Nec etiam dici potest in neutro loco comburendam aut alterandam: quia incredibile est aquam existentem Romæ posse impedire actiuitatem ignis hîc existentis.

Secundò, ponamus eandem stupam hîc creari in medio ignis & Romæ in loco sicco: tunc secundùm illos vtrobique comburetur. Sed hoc videtur repugnare naturis rerum. Quia sic ignis hîc existens deberet ignem producere Romæ, & quidem eundem numero cum eo quem hîc producit (quia si esset diuersus, tunc eadem materia haberet diuersas formas) quæ tamen naturaliter omnino impossibilia sunt. Nam si ignis virtute sua naturali poneret eandem numero formam in duobus locis, quod clarum est naturaliter fieri non posse. Nec refert quòd ipsum subiectum in quod ignis agit, sit virtute supernaturali in diuersis locis positum, quia hoc non dat ipsi igni vim agendi supernaturalem, vt possit agere Romæ, & dare ipsi formæ modum existendi supernaturalem. 111

Ignis hic existens nullo casu potest naturaliter Romæ comburere.

Tertiò, creet Deus animam rationalem cum duplici illo vbi, & hîc infundat eam corpori iam vltimò dispositio ad susceptionem formæ; tunc hæc anima hîc animabit corpus, & Romæ erit extra corpus. Nec enim potest dari ratio cur hîc non possit animare hoc corpus: nec poterit illud Romæ animare, cùm corpus ibi non sit: nec etiam potest dici eodem instanti illud corpus futurum Romæ, cùm nulla hîc sit causa, quæ producat in eo illud vbi. Si igitur anima possit hîc animare corpus, & Romæ non animare; 112

quare non poterit idem corpus hîc animari, & Romæ esse inanimæ?

113 Corpus positū in duobus locis necessariò potest aut omnia accidentia habere diuersa aut nulla.

Quartò, si ratione identitatis subiecti repugnaret corpori posito in diuersis locis recipere vtrobique diuersa accidentia, nulla omnino posset habere vtrobique diuersa: atqui hoc falsum est (quia potest habere diuersa accidentia, quæ dicunt ordinem ad locum:) ergo etiam id vnde sequitur est falsum. Negant aduersarij maiorem. quia accidentia quæ dicunt ordinem ad locum, non possunt poni eadem in diuersis locis: atque ita necessariò sunt diuersa in diuersis locis. Secùs autem est de aliis.

114 Sed hæc responsio nullo modo satisfacit. Primò, quia etsi ex eo quòd illa accidentia non possint esse eadem in diuersis locis, benè sequatur, ea necessariò esse diuersa; non tamen ex eo quòd alia possint esse eadem in diuersis locis, sequitur necessariò esse eadem. Nam si omnino repugnet, idem subiectum habere aliqua accidentia in vno loco, quæ non habeat in alio loco, sequetur etiam non posse vlla habere in diuersis locis diuersa, siue hæc pendeant necessariò ab aliquo certo loco, siue non. Nam hæc dependentia accidentis à certo loco nullo modo tollit illam repugnantiam: & consequenter non poterit idem corpus habere diuersa vbi. Quòd si hoc ei non repugnet, nulla erit ratio cur alia accidentia non possint vno loco ei inesse, & altero non inesse. Nam quòd ipsa possint esse eadem in diuersis locis, nullo modo potest causare talem repugnantiam, ob quam implicet idem subiectum habere diuersa in diuersis locis.

115 Christus in diuersis locis habet diuersa accidentia independentia à certo loco.

Confirmatur, quia de facto Christus habet aliqua accidentia in cælo, quæ non habet in Venerabili Sacramento, quæ tamen possunt poni in diuersis locis: Quia in cælo habet extensionem in ordine ad locum, & certum situm corporis, v. c. quòd ster, vel sedeat, quorum nihil habet in Ven. Sacramento, in quo non habet vllam extensionem in ordine ad locum, vel saltem non talem qualem habet in cælo, sed omnino alterius generis. Nec ibi sedet nec stat, cùm tamen eiusmodi accidentia possint esse eadem in diuersis locis. Posito enim quòd idem corpus possit verè esse in diuersis locis, nihil implicat ipsum in vtroque sedere aut stare, & esse extensum in ordine ad locum. Item sedens aut stans in naui qua vehitur, eundem situm & extensionem in diuersis locis retinet. Et Christus modum existendi Sacramentaliter habet eundem in diuersis locis, non tamen in cælo. Quare dicta sententia videtur apertè non solùm cum clara ratione, sed etiam cum veritate huius Sacramenti pugnare.

116 Corpus per solam multiplicationem vbi positum in diuersis locis non posset suscipere contraria.

Alij igitur concedunt, corpus hoc modo positum in diuersis locis posse in singulis habere diuersa accidentia: atque adeò eundem hominem posse vno loco moti, & altero viuere: vno loco summè frigere, alio summè calescere: in vno moueri, & in alio quiescere: aut contrario motu moueri. Sed hæc videntur omnino inconceptibilia, & inuoluere apertam implicantiam. Nam quiescere dicit expressam negationem motus; atque ita quiescere & moueri sunt contradictoria: & similiter animam informare aliquod corpus, atque illud non informare. quæ tamen de eodem secundùm omnino idem dicerentur. quia eadem forma totum hoc corpus informaret, & totum non informaret. item totus hic homo quiesceret, & totus moueretur.

117 Respondent hæc dici quidem de eodem, non tamen secundùm idem. quia hæc conuenirent ei ratione diuersorum vbi. Sed hoc nullo modo satisfacit. quia esse mortuum & viuum: frigere & calere, non conueniunt subiecto ratione loci, sed ratione sui. Sicut igitur diuersa vbi nullo modo faciunt, vt subiectum secundùm se sit plura: ita nullo modo efficiunt, vt ea quæ ipsi in diuersis locis conueniunt, non conueniant secundùm idem. Confirmatur Primò, quia aliàs sequeretur album dum mouetur, semper secundùm aliud & aliud esse album: quia in diuersis locis est album. aut si diuersa vbi sibi mutuo succedentia nullo modo, vel virtualiter faciunt subiectum aliud atque aliud, ita vt possit dici esse album secundùm aliud atque aliud, vel alia atque alia ratione: cur quando simul eidem insunt hoc facient? Confirmatur Secundò, quia illa diuersa vbi, cùm sint mera accidentia, non magis multiplicant subiectum secundùm se quàm alia accidentia: atqui diuersa accidentia simul eidem inexistentia (siue id fiat naturaliter, vt quando lac simul est album & dulce; siue supernaturaliter, vt quando nigredo & albedo eidem toti subiecto diuina virtute ineſſent;) nullo modo efficiunt vt subiectum possit quà album calere, & substantialiter corrumpi, & simul quà dulce aut nigrum frigere ac manere substantialiter incorruptum: ergo nec diuersa vbi illud poterunt facere. Subiectum acquirens diuersa semper secundum idem manet calidum aut frigidum.

Probatur concl. Quartò, quia secundùm aliam 118 sententiam illa duo vbi sunt duo modi formaliter sibi mutuo repugnantes, non minùs quàm calor & frigus: ita vt vnum non possit naturaliter acquiri, nisi alterum amittatur. Vnde sequitur eum qui supernaturaliter esset hoc modo positus in duobus locis, virtute naturali non posse moueri, nisi vtrumque vbi amittat, & absolutè desinat esse in duobus locis. quod tamen dicti auctores negant. Illud autem sequi probatur. Nam si moueretur solùm in vno loco, tunc vi naturali acquireret aliquod vbi formaliter repugnans & naturaliter incompossibile cum illo vbi in quo quieſcit: & consequenter hoc necessariò destrueretur; aut si Deus illud supernaturaliter conseruaret, tunc alterum naturaliter acquiri non posset. quia agens naturale non potest in aliquo subiecto ponere aliquam formam vel modum, perseuerante in eodem subiecto alia forma, siue modo qui illi formaliter repugnat. Hinc si Deus supernaturaliter conseruaret in aqua frigus vt octo, nullus ignis posset in ea producere calorem. Item si in me conseruaret sessionem, non posſem vllo modo stare. Et similiter si vbi sit modus aliquis realis; posito quòd Deus conseruet in me hoc vbi quod iam habeo, non potero me mouere localiter. Quòd si verò vtrobique naturaliter moueretur simul in vtroque loco, tunc vi naturali acquireret simul duas formas siue modos sibi planè repugnantes: quod naturaliter est impossibile. Sicut si Deus poneret in aliquo toto corpore simul rubedinem & vitorem, nulla vi naturali posset postea simul fieri totum flauum & subcinericium. Corpus per solam multiplicationem vbi positum in diuersis locis neutro posset naturaliter moueri.

Probatur Quintò, quia neque hæc sententia po- 119 test vllo modo deduci ex rebus naturali lumine notis: vt patet ex iis quæ hactenus diximus, quæ satis probabiliter ostendunt eam inuoluere implicantiam: nec potest clarè contrarium ostendi. Neque etiam ex rebus quas fide cognoscimus: quia si esset aliquid vnde posset ea deduci, maximè posset deduci ex mysterio Venerabilis Sacramenti: arqui ipsa potiùs hoc mysterium euertit, quàm ipsum explicet. Quia (vt ostendam concl. sequenti, & dub. 4. ac 5.) posita veritate illius sententiæ, ex vi verborum formæ non bene colligeretur, corpus Christi ibi esse per veram conuersionem, & transsubstantiationem panis in corpus Christi, & quandam quasi creationem (vt Concilia & Patres ibi esse asserunt.) ergo nulla est ratio qua eam probemus.

Ad fundamentum autem tertiæ sententiæ Re- 120 spondeo, negando antecedens; scilicet, res esse in loco per aliquem eiusmodi realem modum. Et quamuis res essent verè in loco per talem modum; tamen ille modus non posset ea ratione produci,

quâ illa sententia cum vult produci: vt patet ex dictis num. 108.

Ad confirmationem Respondeo, probare obscurum per obscurius, & sumere quod probandum est: scilicet angelum acquirere nouum locum per solam productionem talis vbi. quia, vt ostendi dubio primo, angelus non est in loco per talem modum, sed immediatè per suam substantiam.

121 Dices, Constat angelum existentem in loco inadæquato, posse se extendere ad proximum non deserendo priorem: atqui nullum alium modum possumus assignare quo probemus id fieri: ergo ille modus assignandus est.

Respondeo Primò, negando conseq. quia ex antecedente solùm sequitur nos ignorare modum quo id fiat, quod non debet videri mirum: quia neque ille modus per se est nobis cognitus: neque est aliquod fundamentum nobis perfectè cognitum, ex quo cum clarè possimus colligere. Quare meliùs dicam, me eum ignorare, quàm talem assignabo, quem constat in se inuolucrè tot difficultates, quas suprà recensui.

Non possumus propriè cognoscere spiritualia.

Respondeo Secundò, Si ex iis quæ nobis nota sunt possumus aliquo modo colligere, qua ratione angelus non deserendo locum in quo est possit proximum occupare; longè vero similius est hoc fieri per realem suiipsius extensionem, & quendam motum localem.

Quomodo angelus possit occupare maiorè locum.

122 Pro quo Nota Primò, quod in corporibus est quantitas molis, hoc in angelis est quantitas virtutis: vnde sicut corpus ratione maioris quantitatis, ita spiritus ratione maioris virtutis potest maiorem locum occupare.

Quantitas virtutis in angelo respondet quantitati corporis.

123 Nota Secundò, quando corpus aliquod homogenium, v. c. lignum, est per certum locum extensum, substantiam ligni in eo esse sæpiùs, imò quasi infinities replicatam. Nam in singulis eius partibus verè & perfectè substantia ligni reperitur, non quidem omnino eadem numero, sed omnino eadem specie, & quadam continuatione eadem numero, quatenus omnes partes vnum totum constituunt. Cùm igitur angelus id habeat per simplex quoddam esse, quod corpus habet per diuersas partes, vt concipiatur extensus per aliquem locum, ita vt verè & realiter sit ei præsens totus in toto, & totus in singulis partibus; necessariò nobis concipiendum est, ipsius esse sæpiùs & quasi infinities esse replicatum, non quidem formaliter, sicut quando idem corpus bis à Deo productum ponitur in diuersis locis; sed virtualiter, ita vt in singulis partibus loci sit tota substantia angeli, non tamen totaliter. Item vt in singulis partibus loci sit realiter & formaliter eadē substantia, virtute tamē distincta à seipsa prout est in alia parte loci. Sicut secundùm eam sententiam (quæ saltem est valdè probabilis) quæ docet intellectum & voluntatem angeli non distingui à parte rei ab ipsius substantia, tota substantia angeli est voluntas, non tamen totaliter: quia sic non esset intellectus; & similiter tota est intellectus, non tamen totaliter: & re quidem idem sunt voluntas & intellectus, virtute tamen inter se distinguuntur. Cùm igitur angelus non deserendo locum in quo est, maiorem occupat, hoc facit per verum motum localem seipsum latiùs diffundendo: ita vt secundùm aliquid sui vere moueatur, & secundùm aliquid quiescat, quod non quidem realiter, sed virtualiter tamen distinguitur ab eo quod mouetur. Sicut cùm ipse aliquid intelligit, & nihil tamen vult, secundùm aliquid sui verè operatur, & secundùm aliud virtualiter distinctum non operatur, sed omnino quiescit.

Esse angeli est sæpius virtualiter replicatū.

124 Hæc videntur saris probabiliter posse dici, si modò cum rebus sensibilibus spiritus aliquam analogiam habeat; ita vt ex his aliquid circa ipsius modum existendi, & operandi possimus colligere. Quòd si nihil ex iis possimus colligere, frustra de modo quo angelus existit in maiore vel minore spatio disputamus; cùm hac de re nihil nobis sit reuelatum; & extra reuelationes nihil sit in intellectu, quod priùs non fuerit aliquo modo in sensu.

Non possumus de spiritibus ratiocinari nisi ex reuelatis aut sensu cognitis.

Conclvsio III. Potest idem corpus poni in diuersis locis per veram ac substantialem ipsius reproductionem. Ita Gabriel suprà citatus pro quarta sententia, & plurimi recentiores. Et colligitur apertè ex D. Thoma, vt ostendam dub. 5. n. 138. Probatur Primò, quia nulla hîc potest ostendi implicantia. Secundò, quia ex iis quæ docet fides de corporum resurrectione apertè constat Deum posse vnum corpus hîc corruptum, aut etiam annihilatum alibi reproducere: cur non possit idem facere, etsi hîc non annihiletur? Quòd enim hîc existat, nullo modo impedit, quo minùs alibi possit reproduci, per quandam quasi creationem. 125

Gabriel. *D. Thom.*

Dices Primò, implicare eandem rem sæpiùs eodem tempore existere; quia idem à seipso hoc modo diuideretur, & fieret plura. 126

Resp. Simili modo, quando res semel annihilata alio loco producitur; à seipsa tempore & loco diuiditur: quia prout existit secundo tempore, nullam habet dependentiam aut connexionem cum seipsa, prout existit priore tempore & loco. Vbi autem nulla est connexio, necessaria est diuisio: atque ita habet iam esse non quidem realiter, sed virtute à priore distinctum, & consequenter virtute plura. & similiter dicendum, quando eodem tempore aliquid diuersis locis existit, habere virtute plura esse. Secùs autem est quando aliquid per motum localem diuersis locis existit: quia eius esse hoc loco & tempore dependet à priore, & cum eo continuatione durationis & motus connectitur; atque ita quadam connexione & continuatione est omnino idem esse.

Non magis implicat aliquid eodem tempore sæpiùs reproduci quàm diuersis.

Confir. quia si spectemus virtutem causarum naturalium, & ex iis velimus argumentari, tam est impossibile aliquid semel omnino corruptum secundò produci, quàm aliquid simul duobus locis produci. Si verò spectemus solam diuinam virtutem, in vno non potest ostendi maior implicantia quàm in alio.

Dices Secundò, Eadem res non potest produci à duabus causis totalibus: aut ab eadem causa bis secundùm idem omnino esse pendere: ergo non potest bis eodem tempore produci. 127

Resp. vt antecedens sit verum (quod tamen plurimi, & fortè verius absolutè negant, si loquamur de potentia diuina) debere saltem intelligi de eo quod consideratur secundùm esse omnino idem, & ne quidem virtute à seipso distinctum. Nam aliàs Deus non posset lumen priùs productum à sole & corruptum secundò per seipsum reproducere, aut etiam se solo antequam corrumperetur absente sole conseruare, aut rem aliquam creare, & deinde annihilatam secundò reproducere: quia sic eadem res à diuersis causis totalibus, ac bis ab eadem penderet: cùm tamen apertè falsum sit, Deum illa non posse facere.

Dices Tertiò, Talis productio esset vera creatio: atqui hoc dici nequit: quia creatio supponit id quod creatur nullo modo existere: ergo talis productio non est admittenda. 128

Resp. talem reproductionem secundùm sua intrinseca non differre à creatione. An autem possit dici creatio; esse quæstionem de nomine. Et sanè sancti Patres sæpe dicunt corpus Christi in Ven. Sacramento creari, vt videbimus dub. 5. Propriè tamen loquendo talis res non debet absolutè dici creari, aut produci (quia hæc connotant rem priùs nullo modo existere) sed debet dici reproduci, & quasi recreari, siue secundò creari.

Quomodo reproductio differat à creatione.

Probatur concl. Tertiò, quia secundùm hanc 129

Per reproductionem omnia incommoda facilè explicantur.

sententiam explicantur facillimè omnia incommoda, quæ videntur sequi ex eo quòd corpus Christi existat in duobus locis. Cùm enim corpus hoc modo reproductum sit virtute duplex, & in vno loco omnino independens à seipso prout est in alio loco; sequitur in vtroque loco posse eadem agere & pati, quæ duo omnino distincta corpora possunt agere & pati. Quod non solùm est intelligendum de actionibus transeuntibus, & passionibus aliunde illatis, verùm etiam de actionibus immanentibus. Vnde homo ita replicatus posset vno loco comburi ac mori, peccare, & si velis, damnari; & alio frigere, & pergere viuere, & mereri, & saluari, si absolutam Dei potentiam spectemus: quia æquiualet absolutè duobus hominibus. Et videmus quædam similia fieri in Christo, qui in cælis seipsum mouet, & in Sacramento in vno loco ab alio mouetur, in alio quiescit. Quamuis omnino credendum est, in tali casu Deum non permissurum vt talis homo alium gratiæ statum haberet in vno loco, quàm in alio: quia videtur minùs conueniens eundem esse simul filium Dei, & diaboli. Item ex huiusmodi aliquibus incommodis benè sequitur, minùs quidem conuenire extra mysterium Venerabilis Sacramenti, Deum hoc modo ponere aliquem diuersis locis. Nulla tamen absolutè potest inferri implicantia.

130 Probatur Quartò, quia cùm constet ex fide idem corpus posse simul poni in diuersis locis, & solùm inquiratur quomodo id fieri possit; ille modus debet videri probabilissimus, in quo minùs apparens potest ostendi implicantia, & qui magis congruit cum principiis fidei: arqui, vt patet ex dictis, longè minor est apparentia implicantiæ in hoc modo, quàm in altero; &, vt patebit dubio sequenti, longè magis consonat dictis Patrum & principiis fidei: ergo hic modus inter alios debet iudicari probabilissimus.

131 Idē corpus potest poni in diuersis locis extensum.

Ex his apertè patet, posse idem corpus poni in diuersis locis extensum in ordine ad locum, & sine vllius alterius conuersione in ipsum, per veram ex nihilo productionem, si simul in diuersis locis creetur, aut per substantialem reproductionem, si priùs existebat: quia hic nulla apparet implicantia, aut maior difficultas quàm in alio. Imò si consideremus rationem naturalem, difficilius est, corpus, quod in vno loco existit modo naturali, ponere in alio modo illo Sacramentali, aut per veram transsubstantiationem, quàm illud ipsum alio loco extensum in ordine ad locum simpliciter reproducere, quia illud plura includit miracula quàm hoc.

DVBIVM IV.

Quæ requirantur vt vna res in aliam verè conuertatur?

132 HÆc quæstio necessariò nobis est disputanda, vt possimus videre an panis verè dicatur conuerti in corpus Christi. Sunt autem hac in re variæ sententiæ, quas infrà paulatim recensebo & simul refutabo, dum fundamenta nostræ sententiæ proponam: multæ enim magis videntur ab auctoribus excogitatæ, vt suam de Eucharistia sententiam possent defendere; quàm quòd certas haberent rationes, quibus eas probarent.

133 Vt autem clariùs possimus progredi, Notandum est Primò, hanc quæstionem esse magis de nomine, quàm de re ipsa. Nec enim hic quæritur quomodo hoc vel illud factum sit, aut fieri possit; sed quid sit necessarium, vt aliquid possit dici cõuersum in alterum, v. c. non quæritur, Vtrùm Deus possit ponere sub speciebus corpus Christi per nudam adductionem, ita vt simul ibi desinat esse substantia panis, sed, Vtrùm posito quòd hoc fieret, posset panis verè dici conuerti in corpus Christi. Quare tota hæc res non ex naturis rerum aut secundùm se, aut etiam cum respectu aliquo ad diuinam potentiam, sed ex communi vsu & modo loquendi detumenda erit. Hinc vt possimus discernere an aliqua actio habeat veram rationem conuersionis, non tam videndum est quid Deus possit facere, aut non facere; quàm an ea actio habeat in se ea propter quæ aliæ conuersiones, quas constat esse tales, verè dicuntur conuersiones; & propter quorum defectum aliæ mutationes communiter à nullis dicuntur conuersiones. Nam etsi ex Dei potentia & voluntate pendeat, vt res aliqua fieri possit ac fiat; non tamen ab iis propriè pendet, vt tali aut tali nomine vocetur: sed hoc pendet à sola significatione talis nominis communi vsu recepta.

Quæstiones de nomine ex communi verborum vsu definiendæ.

134 Variæ conuersiones.

Nota Secundò, eas conuersiones reales, quas constat hactenus esse factas, esse triplices. Duplex enim est formalis; Prima est accidentalis, qua res mutat sola accidentia: vt quando calidum fit frigidum. Secunda est substantialis, qua formæ substantiales mutantur: vt quando lignum conuertitur in ignem. Tertia est, quando tota substantia conuertitur in aliam: vt fit in Venerabili Sacramento. Quarta, quæ fieri quidem posset, nunquam tamen facta est; est quando manente eadem forma vna materia conuertitur in aliam. est & alia Quinta, quæ solùm ex vna parte realis est; vt quando lucidum conuertitur in tenebrosum, aut contrà: aut peccator in iustum, vel contrà. quia esse peccatorem nihil reale in homine ponit. & Sexta, omnino moralis: vt quando laicus accipiendo primam tonsuram fit clericus.

135 Formæ non dicuntur in se mutuo conuerti.

Nota Tertiò, etsi in conuersione formali duæ formæ verè inter se commutentur, & vna desinat ex vi productionis alterius, vnam tamen non dici conuerti in aliam, v. c. frigus in calorem. quia ipsa conuersio non solet denominare ipsas formas, sed ipsum compositum. quia cùm hoc sit subiectum conuersionis, propriè ab ea deber denominari. Quare cùm in transsubstantiatione nullum sit commune subiectum conuersionis, ipsa conuersio denominat necessariò ipsos terminos, quorum vnus omnino desinit, & alter producitur.

136 Requisita ad conuersionem.

CONCLVSIO. In omni propriè dicta conuersione requiruntur Primò duo reales termini, qui dicuntur conuerti; scilicet terminus à quo incipit conuersio, & is in quem desinit. Hinc quando aliquid creatur, non dicimus nihil conuersum esse in aliquid. Et quamuis aliquando dicamus aliquid conuerti in nihil; minùs tamen propriè id dicitur, sed per quandam catachresin.

137 Terminus à quo necessariò desinit esse.

Dixi, terminos qui denominantur à conuersione, debere esse reales, non autem ea quæ desinunt & producuntur, debere esse realia. quia tenebrosum verè dicitur conuerti in lucidum, & contrà.

Secundò, requiritur vt terminus à quo, siue qui dicitur conuerti in aliud, secundùm eam rationem qua dicitur conuerti, esse desinat, v. c. vt album conuertatur in nigrum, debet desinere esse album. Quia in omnibus conuersionibus, de quibus constat esse veras conuersiones, hoc videmus fieri, vt patet discurrenti per omnes modos suprà enumeratos. Item ob huius conditionis defectum, si Deus in frigido produceret calorem frigore in suo priore statu conseruato, frigidum non posset dici cõuersum in calidum: idémque dicendum esset in reliquis conuersionibus; vt si Deus conseruata forma ligni in eo poneret formam ignis; & sic de cæteris: atqui, vt ostendi suprà, ex iis quas scimus esse, aut non esse veras cõuersiones, oportet nos discernere quid ad veram conuersionem requirarur: ergo illa conditio est necessaria ad rationem conuersionis. Confirm. quia aliàs nulla esset ratio qua possemus discernere, quid ad veram conuersionem

requiratur, sed quiuis posset quidquis asserere, & pro libitu fingere quidquis quotidie in quodlibet conuerti: & vt aliquid in aliud dicatur conuerti, sufficere vt hoc illud expellat loco, in eum succedendo. Nec de hac conditione est ferè vlla difficultas inter Doctores.

138 *Et terminus ad quē incipit esse.*

Tertiò, requiritur vt terminus ad quem sub ea ratione incipiat de nouo esse, aut secundùm idem esse secundò reproduci, secundùm quod aliud dicitur in ipsum conuerti, v. c. vt album vertatur in nigrum, debet de nouo incipere esse nigrum. Quia ratio pro priore conditione allata eodem modo hanc etiam probat. Et hæc est expressa sententia D. Thomæ in 3. p. q. 2. art. 1. vbi loquens de diuina essentia, ait: *Nec ipsa potest conuerti in aliud, cùm sit incorruptibilis; nec aliud in ipsam, cùm sit ipsa ingenerabilis.* Expressè insinuans vt aliquid possit conuerti in alterius substantiam, hanc debere posse produci. Confirmatur Primò. Nulla est ratio cur magis necessarium sit ad veram conuersionem vt terminus à quo desinat, quàm vt terminus ad quem incipiat aliquo modo de nouo esse: atqui illud est absolutè necessarium: ergo & hoc.

D. Thom.

139 Dices, esse diuersam vtriusque rationem. quia in omni mutatione, quam scimus esse veram mutationem, constat terminum à quo dicta ratione desinere esse: non ita tamen constat de termino ad quem. Nam in Ven. Sacramento constat panem verè mutari in corpus Christi, cùm tamen hoc non incipiat de nouo esse, cùm antè sit: & multi asserunt nullo modo incipere de nouo esse secundùm se, sed solùm acquirere nouum vbi.

Solutio quæstionis non est petenda ex re controuersa.

Respondeo, hoc nihil obstare. quia non debemus significationem huius vocis inquirere ex re dubia & controuersa, qualis est modus quo Christus hîc sit præsens in Ven. Sacramento: sed ex iis de quibus inter omnes constat. Cùm igitur in omnibus aliis conuersionibus, quas omnes fatemur esse tales, constet hoc fieri: cur non potiùs ex iis concludamus, hoc absolutè requiri; quàm ex re dubia concludamus hoc non requiri? Nisi enim ex iis quæ aperta sunt, quid hac in re dicendum sit, colligamus, nulla certa regula hîc poterit statui; sed quiuis poterit pro libitu quiduis fingere. Quare quod aliqui dicunt sufficere, quòd terminus ad quem incipiat conseruari dependenter à desitione termini à quo: Item quod alij dicunt sufficere, vt terminus ad quem ponatur sub iisdem accidentibus sub quibus priùs fuit terminus à quo, modò ille ibi ponatur vi eiusdem actionis qua hic desinit esse: quamdiu id certis exemplis non probant, contincuntur id gratis dicere. Et eodem modo facilè dicam sufficere, vt vnum succedat in locum alterius, vt dicatur in hoc mutari.

140 Et confirmatur, quia si primum sufficeret, posito casu quo Deus simul in eodem subiecto poneret calorem & frigus vt octo, & deinde quia nollet vtrumque simul diutiùs conseruare, desineret conseruare frigus; sequeretur frigidum conuerti in calidum: quia calidum quà tale tunc conseruaretur dependenter à desitione frigoris. Si verò secundum sufficeret, posito casu quo angelus haberet in se aliquam qualitatem destructiuam totius naturæ panis, si ipse per motum localem se poneret in eodem loco cum ipso pane, & ita ipsum destrueret, Deo interim conseruante omnia accidentia panis sine subiecto; sequeretur ipsum panem conuerti in substãtiam angeli. Vtrumque autem per se statim apparet absurdum, & contra communem vsum loquendi.

141 Obiiciunt alij Primò, quòd cibus verè conuertitur in substantiam hominis qui eo vescitur, cùm tamen anima eius priùs existat secundùm omne esse quod postea habet. Respondeo, hoc pro nobis etiam facere. Nam nemo vnquam dixit, aut etiam potuit concipere, cibum conuerti in animam, aut partem corporis priùs existentem; sed in nostram substantiam, siue in partem corporis nostri; ad quod secundùm omnes necessarium est, vt illa pars corporis in quam conuertitur, de nouo substantialiter producatur, & incipiat esse talis substantia.

Cibus vertitur in substãtiam recens productam.

Obiiciunt alij Secundò, vt docet Trident. sess. 13. c. 4. Ecclesia ex veritate verborum Christi, *Hoc est corpus meum*, benè colligit, totum panem conuerti in corpus Christi: atqui hoc malè colligeret, si ad eam conuersionem requireretur talis reproductio corporis Christi, quia hæc per verba non significatur: nam hæc essent vera, etsi corpus ibi poneretur per solam adductionem: ergo talis reproductio non requiritur ad veram conuersionem.

142 *Trident.*

Respond. negando minorem. Quia cùm illa verba significent corpus Christi esse realiter secundùm se præsens sub omnibus hostiis, & consequenter esse simul in diuersis locis; necessariò etiam implicitè significant ipsum sæpiùs reproduci. quia impossibile est ipsum aliter simul poni in diuersis locis. Ex quo etiam patet, refutari illam sententiam quæ docet ipsum posse ibi poni per solam adductionem. Quia si ibi posset hoc modo poni, ex verbis formæ non posset certò colligi vera & propriè dicta conuersio panis in corpus Christi.

Quomodo ex verbis formæ vera reproductio corporis Christi colligatur.

Quartò, requiritur vt inter desitionem termini à quo, & positionem termini ad quem, sit aliqua connexio: ita vt hæc sit aliquo modo causa illius. 143

Probatur Primò, quia omnis nobis manifesta conuersio, hoc modo fit. Secundò, quia aliàs non posset certa dari regula, quando aliquid diceretur in aliud conuerti, quando non. Tertiò, quia aliàs si Deus annihilaret lapidem, & eodem instanti ob alium finem crearet in eodem loco angelum, posset lapis dici conuersus in angelum: quod est contra communem conceptum.

Cur corpus Christi corruptis speciebus non mutetur in aliud.

Hinc patet, quando corpus Christi corruptis speciebus desinit sub iis esse, & alia ibidem substantia producitur, illud in hanc non conuerti: quia scilicet huius positio non est causa, cur corpus Christi ibi desinat esse; sed potiùs illa substantia ibi creatur, quia corpus Christi ibi desinit.

Communiter quidem DD. in hanc conditionem consentiunt: disputant tamen inter se, Vtrùm talis connexio, seu dependentia debeat esse physica: ita scilicet vt positio corporis Christi sub speciebus sit physica causa desitionis substantiæ panis. Aliqui hoc affirmant, sed hi multùm laborant vt ostendant qualis tandem hæc connexio siue dependentia sit. Cùm enim Christi corpus hîc ponatur modo planè spirituali, ita vt non repugnet ei esse simul in eodem loco cum alio corpore quanto (quia aliàs etiam repugnaret ei esse simul in eodem loco cum quantitate alterius corporis) difficile est videre qua ratione possit physicè expellere substantiam panis, aut eam corrumpere; præsertim cùm, si hæc corruptio deberet fieri actione physica, necessariò deberet dari actio immediatè & directè tendens ad corruptionem, siue non esse rei: atque ita actio realis haberet terminum priuatiuum: quod communiter negatur fieri posse. Varij igitur varias eiusmodi dependentias excogitarunt, ob quas ex natura rei ad positionem corporis Christi, necessariò sequatur desitio panis, quas operosè valdè conantur astruere: quas non duxi hîc referendas, quia nobis non est opus eas aut probare aut refutare, cùm possimus aliunde clarè ostendere eiusmodi naturalem connexionem, non esse necessariam ad veram conuersionem. 144

Respondeo igitur, Ad veram vnius rei in aliam conuersionem sufficit, vt inter desitionem vnius & positionem alterius sit quædam connexio moralis: 145 *Moralis connexio inter*

vtrumque terminum ad veram conuersionem sufficit.

ita nimirum, vt ex quadam congruentia ac intentione & fine eius qui vtraque causat, vel saltem ex aliquo diuino decreto, ex vnius positione necessariò sequatur destructio alterius. Hinc Deus infundens peccatori gratiam iustificantem, verè dicitur conuertere peccatorem in iustum. Item iustus peccando mortaliter, iustum conuertit in peccatorem. Quæ vera sunt etiam secundùm eam sententiam, quæ valde probabiliter docet, inter peccatum & gratiam habitualem nullam physicam ex natura rei esse repugnantiam. Item qui alicui conferret præturam auferendo illi officium Senatoris quod priùs habebat, verè diceretur conuertisse Senatorem in Prætorem, etiamsi potuisset absolutè vtrumque officium ei relinquere. Quorum non est alia exigenda ratio, nisi communi loquendi vsus. cùm, vt dixi initio, hic sit sola quæstio de nomine.

146 Quare in conuersionibus naturalibus requiratur physica cõnexio inter vtrumque terminum.

Nec refert quòd in omnibus conuersionibus naturalibus, quæ ex vtraque parte reales sunt, semper succedens forma formaliter expellat primam. quia hoc non fit quia est necessarium ad essentiam conuersionis: sed quia agentia naturalia non possunt vnam formam expellere nisi introducendo repugnantem. Quare si Deus crearet aliquod corpus album, nec frigidum tamen nec calidum, quod tamen posset ab agente naturali calefieri; ita tamen vt Deus statueret numquam in illo duas qualitates sensibiles conseruare, sed desinere præcedentem conseruare statim ac nouta aliqua produceretur: quicunque illud corpus calefaceret, verè diceretur mutare album in calidum, etsi inter vtrumque terminum nulla esset physica repugnantia.

147 In omni cõuersione requiritur aliquid cõmune vtrique termino.

Quintò, requiritur vt aliquid commune vtrique termino perseueret, respectu cuius ram id quod desinit, quàm id quod producitur, sibi mutuò succedant.

Patet discurrendo per omnes conuersiones, quas manifestè constat esse veras conuersiones, siue reales sint, siue solùm morales. Nam omnis conuersio formalis habet commune subiectum, in quod forma producta alteri succedit. In transsubstantiatione verò necessariò manent eadem accidentia, sub quibus primò fuit panis, & postea ponitur corpus Christi. Item si daretur aliqua conuersio materiarum; necessariò deberet manere eadem forma quæ vtramque informaret.

148 In conuersione substantiali in vtroq; termino requiritur mutatio substantialis.

Hinc infertur Primò, ad conuersionem substantialem necessarium esse, terminum à quo desinere esse secundùm aliquod esse substantiale; & terminum ad quem incipere aliquo modo de nouo esse substantialiter: quia cùm per hanc conuersionem vna substantia dicatur conuerti in aliam, necessarium est illam secundùm esse substantiale aliquo modo desinere esse, & hanc substantialiter aliquo modo incipere esse: vt patet ex requisito secundo & tertio. Vnde sequitur, vt panis dicatur conuerti in corpus Christi, non sufficere hoc ibi poni per nudam adductionem, etiamsi hæc esset possibilis.

149 Cur nihil possit mutari in Deum. *Caietan.*

Infertur Secundò, nihil posse mutari in Deum: quia Deus nullo modo potest de nouo incipere esse. Contrarium, scilicet aliquid posse mutari in Deum, multi tribuunt Caietano in 3. p. qu. 2. art. 1. §. *Circa illam literæ*, &c. vbi satis fauet huic sententiæ: tamen eam apertè non docet.

Infertur Tertiò, nihil posse totaliter cum omnibus suis accidentibus conuerti in alterum: quia tunc nihil maneret vtrique termino commune.

150 *Scotus.*

Infertur Quartò, impossibile omnino esse quod docet Scotus in 4. d. 10. q. 1. §. *De secundo*. versu, *Et si dicas*, scilicet panem existentem hîc in terris posse conuerti in corpus Christi prout existit in cælo. Tum quia nihil tunc esset commune vtrique termino, in quod vnus alteri succederet. Tum etiam quia illa sententia supponit terminum ad quem non debere aliquo modo substantialiter incipere esse contra dicta suprà.

DVBIVM V.

Qua actione corpus Christi ponatur in Venerabili Sacramento?

151 HÆc quæstio ex præcedentibus facilè poterit à nobis iam expediri. Positis enim iis, quæ dubiis præcedentibus diximus, nulla potest hîc ampliùs esse difficultas. Quare omissis aliorum sententiis, quæ ex dubiis præcedentibus poterunt colligi (Nam prout quisque variè sentit circa difficultates ibi propositas, ita etiam in hac difficultate sentire debet) rem ipsam breuiter explicabimus.

152 CONCLVS. I. Corpus Christi ponitur præsens in Vener. Sacramento, per veram & realem suiipsius reproductionem.

Gabriel. Ita Gabriel in 4. d. 11. q. 1. art. 3. dub. 2. & multi recentiores. Et colligitur apertè ex plurimis locis D. Thomæ. Primò, quia in 3. p. qu. 2. art. 1. in corp. docet nihil posse conuerti in diuinam substantiam: quia hæc est ingenerabilis; apertè ostendens vt aliquid possit in aliam substantiam conuerti, hanc necessariò debere aliquo modo produci. Constat autem ex sententia D. Thomæ, panem conuerti in corpus Christi. Secundò, quia hic art. 8. in corpore, hanc conuersionem panis in corpus Christi comparat cum conuersione formali, & cum creatione: quòd sicut in illa est vna forma post aliam, & in hac esse post non esse: ita in Ven. Sacramento sit corpus Christi post panem. apertè insinuans quòd sicut in formali conuersione & creatione aliquid verè producitur: ita & hic aliquid verè reproducitur. Confirmatur Primò, quia cùm ibi adferat varias inter hæc tria distinctiones, ne vel leuiter insinuat per transsubstantiationem nihil substantialiter produci, siue reproduci. quæ tamen differentia primò fuisset adferenda, si putasset eam esse veram, quia per hanc hæc fuisset distincta à creatione. Confirmatur Secundò, quia dicit hanc transsubstantiationem conuenire cum creatione, quòd neutra habeat subiectum commune vtrique termino. apertè insinuans per vtramque aliquid produci sine subiecto in quo recipiatur. *D. Thom.* D. Thomas docuit reproductionem.

153 Probatur hæc sententia ex auctoritate Patrum. Primò, quia dicunt in consecratione corpus Christi *fieri, confici, creari*. Hinc D. Cyprianus serm. de cœna post medium loquens de Christo ait: *Qui vsque hodie hoc Veracißimum & sanctißimum corpus suum creat.* D. Ambrosius lib. 4. de Sacram. c. 4. *Panis iste*, inquit, *panis est ante Verba Sacramentorum; vbi accesserit consecratio, de pane fit corpus Christi.* Deinde cùm ostendisset hoc fieri posse propter vim verborum Christi, quia sermo Christi ita operatorius est, vt possit quæuis ex nihilo creare, subdit: *Sed post consecrationem dico tibi quòd iam est corpus Christi: ipse dixit, & factum est; ipse mandauit, & creatum est*; scilicet corpus Christi, quod ibi absolutè dicit fieri & creari. Item Bessarion lib. de verbis consecrat. *Tota*, inquit, *Trinitas hoc corpus altaris creat.* Item cap. *Vtrùm sub figura.* d. 2. dicitur caro Christi consecratione Spiritus sancti potentialiter creari. Similia habent multi alij Patres. Atqui hæc omnia essent falsa, si corpus Christi non poneretur sub Sacramento per veram substantialem reproductionem, sed solùm per adductionem, aut susceptionem alicuius modi accidentalis. nam aliàs dum mouetur loco, aut alteror, possem dici creari, fieri, &c. ergo Patres apertè sentiunt illud ibi poni per veram eiusmodi reproductionem. *D. Ambros. Bessarion.*

154 Probatur ex iisdem Secundò, quia sæpissimè comparant hanc actionem creationi aliarum rerum, mutationi aquæ in vinum, & similibus actionibus, quibus

Cypriā. Ambros. Damasc. aliquid realiter producitur. Ita D. Cyprianus, & D. Ambrosius suprà citati, & D. Damascenus lib. 4. de fide cap. 14. & alij; clarè insinuantes corpus Christi hic simili ratione substantialiter reproduci; præsertim cùm iisdem locis apertè dicant illud ibi fieri ac creari.

155 Probatur ratione. Primò, quia, vt ostendi dubio tertio, impossibile est corpus aliquod verè & realiter fieri simul præsens in diuersis locis, nisi verè reproducatur: atqui corpus Christi per consecrationem fit verè & realiter præsens diuersis locis: ergo reproducitur.

Secundò, quia, vt ostendi dub. 4. vt aliquid verè possit dici conuerti in aliud, hoc debet verè produci, vel reproduci: atqui panis verè conuertitur in corpus Christi: ergo hoc verè reproducitur.

156 Obiiciunt aliqui Primò, quòd Patres ex eo quòd Deus potuerit verbo omnia creare, probent à minore eum etiam verbo posse mutare panem in suum corpus, quasi hoc sit facilius quam illud. Hinc D. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Si ergo*, ait, *tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant: quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur?* atqui corpus Christi secundo reproduci est difficilius, quàm semel illud produci: ergo Patres sentiunt hoc non fieri.

Ambros.

Respondeo, si rem secundùm se consideremus, vtrumque esse æquè difficile, cùm neutrum fieri possit nisi per potentiam infinitam: nec quia corpus aliquod semel existit, ideo facilius vel difficiliùs secundò reproducitur; quam semel creatur. Si verò spectemus ea quæ videmus quotidie fieri, scilicet diuersa corpora ex diuersis produci; cùm contrà numquam videamus aliquid ex nihilo produci, sed hoc aliquando factum esse sola fide credimus: videtur facilius dicto modo ex pane conficere corpus Christi, quàm ex nihilo: præsertim populo cui Patres eiusmodi argumenta proponunt, qui distinctionem inter vtramque hanc actionem non ita considerat, nec potest discernere in formali conuersione manere commune subiectum respectu vtriusque formæ; in transubstantiatione verò non.

Quare Patres insinuent reproductionem esse faciliorem, quàm eiusdem creationē.

157 Obiiciunt Secundò, & quidem præcipuè, quia videtur absurdum dici corpus Christi toties reproduci, & secundùm aliquod esse substantiale incipere esse, ac rursus desinere.

Respondeo, corpus Christi nec per hanc reproductionem absolutè incipere esse, nec corruptis speciebus absolutè desinere, cùm & priùs & pòst absolutè sit in cælo in se immutatum: sed tantum incipere esse secundùm quid, scilicet secundùm esse quod habet in Sacramento, & secundùm hoc desinere. Quod non est magis absurdum, quàm id verè & realiter à nobis immolari & manducari. Nam ex hoc illud sequitur.

Corpus Christi in Sacramento, tantum incipit ac desinit esse secundum quid.

158 CONCLVSIO II. Etsi actio qua Christus ibi ponitur secundùm intrinseca, & rationem physicam, non differat à creatione; tamen nō est propriè creatio.

Quomodo reproductio differat à creatione.

Quia vt aliquid dicatur propriè creari, debet fieri ex nihilo, & absolutè incipere esse, & consequenter priùs non existere. hæc enim connotat illa vox *creare*: corpus autem Christi verè priùs existebat, & non fit ex nihilo, sed ex pane. Quare Patres dum dixerunt corpus Christi ibi creari: non ita propriè locuti sunt, nec ita attenderunt ad id quod illa vox connotat, quàm intenderunt per eam ipsam naturam & intrinsecam rationem huius actionis significare. Propriè autem hæc actio dicitur replicatio aut reproductio, vt ostendi dub. 3.

159 CONCLVSIO III. Actio qua præcisè corpus Christi reproducitur sub speciebus, nullam habet physicam repugnantiam cum substātia panis. ita Suarez hic disp. 50. sect. 6. concl. 2. Cùm enim existat in

Suarez.

Sacramento modò quodam spirituali, facilè cum alia substantia potest esse in eodem loco: & si in hoc esset aliqua repugnantia, potiùs esset respectu quantitatis ipsius panis quàm respectu substantiæ. Quia quòd duo corpora non possint esse simul in eodem loco, non tam conuenit iis ratione substantiæ, quàm ratione suæ quantitatis. Nullum etiam hîc est fundamentum fingendi hîc aliquam qualitatem in corpore Christi destructiuam ipsius substantiæ panis: præsertim cùm eius actio deberet immediatè tendere ad solam destructionem: quod fieri nequit.

Inter corpus Christi in hoc Sacramento & substantiam panis nulla est physica repugnantia.

Dixi, *qua precisè*, &c. Quia etsi hæc productio secundùm se non habeat repugnantiam cum substantia panis; habet tamē eam ratione intentionis diuinæ, & modi quo hic producitur: quia Deus intendit corpus Christi ibi ponere eo modo, quem veritas formæ requirit, vt scilicet solùm sit demonstrabile per species, & consequenter vt solùm iis subsit sine vlla substantia panis. quæ repugnantia requiritur & sufficit, vt panis possit verè dici mutari in ipsum: vt ostendi dub. 4. requisito 4.

160 Qua ratione reproductio corporis Christi repugnet coexistentiæ panis.

Nota, quosdam, quia putant ad veram conuersionem necessarium esse, vt vnus terminus physicè destruat alterum; asserere corpus Christi, vt est sub Sacramento, diuinitus eleuari, vt producat in accidentibus modum quendam existendi extra subiectum, qui formaliter repugnat inhærentiæ, atque ita hanc in iis destruere, eámque separare à subiecto, & consequenter destruere ipsum subiectum, quod sine accidentibus non potest naturaliter conseruari.

161

Sed hæc sententia patitur graues difficultates. Primò, quia supponit quodlibet posse à Deo eleuari ad quidlibet producendum, cuius contrarium est multò probabilius, vt ostendi qu. 62. art. 4. Secundò, quia ad explicationem huius conuersionis nullo modo est necessaria, vt patet ex dictis. Tertiò, quia magis destruit veram conuersionem quàm iuuet. quia secundùm eā sententiam corpus Christi priùs natura deberet poni sub speciebus, quàm desineret substantia panis. quia priùs aliquid debet esse quàm agere: & consequenter non poneretur ibi propriè dependenter à desitione panis. quia id quod est priùs non dependet in sui positione à posteriore: nec causa in sui productione potest intelligi pendere à suo effectu. quia aliàs non posset dici prior natura: sed vel posterior, vel saltem simul, quando esset mutua dependentia. Quartò, quia nullo modo constat, substantiam panis necessariò naturaliter desinere hoc ipso quo accidentia ei desinunt inhærere, modò ei intimè maneant præsentia. Nam cùm nec accidentia, nec eorum inhærentia sit de intrinseca ratione ipsius substantiæ; qua ratione potest nobis constare substantiam ita pendere ab eorum inhærentia, vt hæc sublata illa necessariò statim intereat? Imò si attentè spectemus vtrorumque naturam, videbimus quidem præsentiam accidentium aliquo modo esse necessarium substantiæ: quòd verò necessariò ei inhæreant, hoc magis accidere ex eo quòd illa non possint per se subsistere, quàm quòd hæc inhærentia substantiæ sit necessaria.

162 Corpus Christi nihil producit incompossibile existentiæ panis.

Quare non est improbabile, substantiam panis physicè loquendo desinere præcisè, quia Deus desinit eam conseruare: moraliter verò, quia formæ veritas hoc requirit. quia hoc sufficit ad veram conuersionē, nec vlla ratio contrarium conuincit.

Substantia panis desinit defectu conseruationis.

CONCLVSIO IV. Per consecrationem tota substantia panis verè & propriè conuertitur in corpus Christi; & ideò illa actio propriè dicitur transubstantiatio. Ita Trident. sess. 13. cap. 4. & can. 2. & patet ex dictis hîc & dub. 4. quæ clarè docent omnia requisita ad veram conuersionem hîc reperiri: vt patet singula conferenti.

163

Trident.

Dices,

164 Dices, In propriè dicta conuersione debet esse idem subiectum vtrique termino commune: vt patet in omnibus naturalibus conuersionibus: atqui hoc hîc non fit ergo non est propria conuersio.

Identitas subiecti nō est necessaria in omni conuersione.

Resp. negando maiorem. hoc enim tantùm verum est in formalibus conuersionibus. Nam in transsubstantiatione & materiali conuersione implicat hoc fieri. Nec refert quòd hoc fiat in omnibus naturalibus conuersionibus. quia hoc contingit ob imbecillitatem agentium naturalium, quæ non possunt agere nisi sit aliquod subiectum in quod agant, & consequenter solam formalem conuersionem possunt facere.

165 Subſtantia panis non annihilatur.

Ex his sequitur Primò, etsi spectata præcisè intrinseca rei natura eodem modo desineret substantia, quo nunc de facto desinit, si desineret per nudam annihilationem; tamen de facto non annihilati. quia non desinit absolutè in nihil, (quod tamen significat vox *annihilatio*;) sed in corpus Christi in quod verè conuertitur: vt patet ex dictis. Nec enim in quæstionibus de nomine, qualis hæc est, tam spectandum est qualis sit natura rei in se præcisè, quàm qualia sint ea quæ ipsam circumstant, quæ sæpissimè denominationem variant.

166 *D. Thom.* Quomodo corpus Christi dicatur non mutari per hanc reproductionem.

Sequitur Secundò, quando D. Thom. quibusdam locis dicit corpus Christi per hoc quòd sistitur præsens in Vener. Sacramento, non mutari, hoc intelligendum esse aut de corpore Christi prout est in cælo, aut de mutatione propriè dicta, quæ requirit vt idem sit subiectum formæ deperditæ & acquisitæ. Nam propriè loquendo id quod creatur, non dicitur mutari. Eam autem esse mentem D. Thomæ patet tum ex dictis concl. 1. vbi satis ostendi eum sentire hîc intercedere veram reproductionē corpori Christi: tum ex iis quæ docet hic art. 4. ad 1. vbi expressè ad veram mutationem requirit, vt maneat idem subiectum sub vtroque termino: ideóque præcisè negat per hanc conuersionem corpus Christi mutari.

167 Qualis dependentia sit inter corpus Christi vt est in Sacramento, & vt est in cælo.

Sequitur Tertiò, corpus Christi prout est in Sacramento, nullam habere physicam dependentiam à seipso prout est in cælo, quantum est ex vi physicæ actionis; qua in Sacramento reproducitur & conseruatur. Per eandem enim actionem posset hîc reproduci & conseruari, si desineret esse in cælo. Moraliter tamen & ex intentione Dei est hîc omnimoda dependentia. Primò, quia Deus non statuit illud aut reproducere aut conseruare modo sacramentali, nisi dependenter ab existentia naturali. Vnde corpus Christi ponitur in Sacramento glorioſum, vel non glorioſum, prout alibi modo naturali existit. Secundò, quia forma esset falsa, si, dum pronuntiatur, Christus non existeret. quia tunc minister non posset ex persona ipsius dicere: *Hoc est corpus meum.* Sed hæc ratio secunda non probat absolutè Christum debere existere modo naturali; sed tantùm debere aliquo modo alicubi existere, dum pronuntiatur forma. quia hæc absolutè esset vera, etsi nullibi aliter existeret quàm sacramentaliter. Hæc tamen omnis dependentia, vt per se patet, tantùm est moralis. Quæ vero credunt Sacramenta physicè producere suos effectus, asserunt etiam Christum prout est in cælo, physicè concurrere ad suiipsius reproductionem & conseruationem, prout est in Sacramento. Sed hos suprà quæst. 62. art. 4. satis refutauimus.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in hoc Sacramento remaneant accidentia panis & vini post consecrationem?

168 Quæ accidentia maneant in Sacramento.

AD art. 5. docet, post conuersionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi remanere panis & vini accidentia. quod intellige de accidentibus realiter distinctis. Modos enim qui immediatè subſtantiam afficiunt, vel ab ea essentialiter pendent, qualis est mutua vnio subſtantiæ & accidentium, & similia, certum est non manere. quia destructa subſtantia conseruari non possunt. Patet concl. ex Trident. sess. 13. can. 3. & Constantiensi sess. 8. quæ docent accidentia siue species manere sine subiecto. Patet etiam ex sensu. quia experimur saltem ea omnia accidentia, quæ sensu possunt percipi, eadem permanere post consecrationem, quæ fuerunt antè. Eiusmodi autem accidentia sunt non solùm ea omnia quæ visu, tactu, vel gustu immediatè percipimus, sed etiam ea quæ ex quibusdam effectibus aperte colligimus: qualis in vino est vis quædam calefaciendi & alterandi bibentes, & similia. Et de his omnibus certum est manere post consecrationem, vt ipsa experientia docet. *Trident. Constant.*

169 Disputant autem DD. Vtrùm etiam alia accidentalia remaneant, si quæ fortè sint, quæ nulla experientia possint percipi. Soto in 4. d. 9. q. 2. art. 5. id affirmat, & putat esse errorem dicere contrarium. Primò, quia Concilia dicunt absolutè remanere accidentia: ergo hoc de omnibus intelligendum est. Secundò, quia Ecclesia solùm hîc confitetur conuersionem subſtantiæ in subſtantiam: ergo manent omnia accidentia. *Soto.*

170 Sed hæc argumenta facilè possunt solui. Ad Primum nego consequentiam. quia Concilia & Canones nullibi directè definiunt ibi manere accidentia: sed tantùm nihil panis aut vini ibi remanere præter accidentia: aut accidentia ibi manere sine subiecto; scilicet ea quæ experimur remanere. Nec enim illa Concilia vel Canones agebant contra negantes ibi manere accidentia; sed contra eos, qui dicebant ibi manere subſtantiam panis, in qua subiectarentur accidentia. Quare hos intendunt damnare, non autem definire accidentia ibi manere, sed hoc tanquam sensu notum supponunt. Quare cùm dicunt accidentia manere sine subiecto, solùm loquuntur de accidentibus, quæ experimur ibi remanere. Ad Secundum Resp. solùm inde sequi, accidentia panis non conuerti in corpus Christi: non autem nulla accidentia desinere esse. Nam sicut concomitanter cum corpore Christi simul ibi ponuntur eius accidentia: ita posset dici vnà cum subſtantia panis quædam eius accidentia perire. Quare qui hoc diceret, nihil periculosum in fide asseret: sed si hoc intelligeret de accidentibus realiter à subſtantia distinctis, sine vlla ratione gratis id fingeret. Quamuis enim possent Concilia, vt dixi, in rigore intelligi de solis accidentibus perceptibilibus; & ad occultationem huius mysterij & exercitationē fidei sufficeret hæc sola remanere; tamen longè vero similius est omnia realiter distincta remanere. quia nulla est ratio cur dicamus aliqua non remanere.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm facta consecratione remaneat in hoc Sacramento forma subſtantialis panis?

171 Trident.

AD art. 6. docet, formam panis qua constituitur in esse panis, non remanere in hoc Sacramento. Posita autem veritate illius sententiæ, quæ communiter in philosophia recepta, & satis certa est, quòd panis non fit aggregatum per accidens sicut album, sed ens vnum, ita vt constituatur in esse panis, non per aliquod accidens, sed per formam subſtantialem, id quod docet D. Thomas, est de fide: quia Trident. sess. 13. c. 4. & can. 2. expressè docet nihil subſtantiæ panis remanere, sed totam conuerti in

corpus Christi : quòd si remaneret forma substantialis panis, aliquid substantiæ remaneret, & tota non conuerteretur.

172 Notandum tamen, quosdam auctores docere, panem dicere intrinsecè aliquid compositum ex substantia & forma accidentali qua constituitur in esse panis, & consequenter asserunt formam panis manere post consecrationem. Sed hi auctores non errant contra hoc mysterium ; quia fatentur nihil substantiæ panis manere, sed sola accidentia, dicúntque per hæc panem formaliter in esse panis constitui, sicut album per albedinem ; errant tamen contra veriorem philosophiam. Sed non est huius loci de hac re fusiùs disputare.

173 D. Thom. Nota Secundò, quod D. Thomas dicit in corpore: quòd si forma panis maneret sine materia, futurum vt intelligerer; intelligendum esse in eo casu quo maneret naturaliter extra materiam sicut manet anima rationalis corrupto corpore : quia tunc sequeretur eam habere esse independens à materia, & consequenter esse spiritalem.

In responsione ad 2. & 3. sunt quædam difficultates, quæ explicabuntur q. 76. art. 2. & qu. 77.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm hæc conuersio fiat in instanti?

174 AD 7. docet, hanc conuersionem fieri in eo instanti, quod est vltimum prolationis verborum ; siue in quo verum est dicere, Iam verba formæ sunt sufficienter prolata. Vide dicta quæst. 62. art. 1. dub. 4.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm hæc sit falsa, Ex pane fit corpus Christi?

AD 8. docet Primò, quomodo hæc conuersio conueniat cum creatione, & conuersione formali : & quomodo rursus ab iisdem differat. quæ satis patent ex textu & dictis art. 4. dub. 5. 175

Docet Secundò, quòd ad modum loquendi attinet, illas propositiones, quæ inter panem & corpus Christi solùm quandam successionem significant, esse veras ; quales sunt hæ : *Ex pane fit corpus Christi* : vel, *panis conuertitur in corpus Christi*, & similes. Varij circa hanc conuersionem modi loquendi.

Tertiò docet, illas, quæ significant sub vtroque termino manere idem subiectum, esse omnino vitandas, & in rigore esse falsas : quia falsum omnino est hîc manere idem subiectum. Tales autem sunt hæ : *de pane fit corpus Christi* : vel, *panis fit corpus Christi*, &c. Quare si quando tales locutiones in officio Ecclesiæ, vel apud Patres reperiantur, piè explicandæ sunt : ita vt idem significent, quod hæc : Ex pane fit corpus Christi. Quia enim in conuersione accidentali dictæ propositiones veræ sunt, Patres per catachresim ad conuersionem quæ in hoc Sacramento fit, eas transtulerunt, quasi omnes propositiones idem significarent. 176

Quartò docet, has propositiones : *post consecrationem panis est*, vel, *erit corpus Christi*, & similes, esse improprias, & ita explicandas vt panis accipiatur in confuso pro quouis contento sub speciebus panis, quod ratione similitudinis, quoad externam apparentiam potest aliquo modo dici panis, ita vt idem significent atque hæc ; *id quod post consecrationem est sub speciebus panis, est corpus Christi*. Quare eiusmodi locutiones sicut sunt impropriæ, ita etiam vitandæ. 177

QVÆSTIO LXXVI.

DE MODO QVO CHRISTVS EST IN HOC SACRAMENTO.

ARTICVLVS I.

Vtrùm totus Christus contineatur sub hoc Sacramento?

1 AD I. docet, totum Christum integrè sub hoc Sacramento contineri. Est de fide, vt articulo 2. ostendam.

ARTICVLVS II.

Vtrùm totus Christus contineatur sub vtraque specie huius Sacramenti?

2 AD II. docet, Christum sub singulis speciebus integrè contineri. Vtriusque articuli conclusio est de fide, definita in Concilio Constantiensi sess. 13. in Florentino in decreto Eugenij de Armenis, & in Trident. sess. 13. c. 3.

Constantien. Florent. Trident.

Probatur Primò, quia Ioan. 6. Christus ait de se: *Ego sum panis viuus qui de cælo descendi*. Et infrà : *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*. Clarè ostendens nos eum integrè in hoc Sacramento sumere.

Ioan. 6.

Secundò, quia, vt dicitur ad Rom. 6. *Christus resurgens à mortuis, iam non moritur*. Vbi apertè dicitur Christi corpus & animam, numquam ampliùs esse separanda : atqui si solum corpus poneretur sub vna specie, & solus sanguis sub alia, tunc corpus separaretur ab anima, & Christus ibi esset in Sacramento mortuus. quod apertè repugnat Apostolo : ergo secundùm Apostolum dicendum est, corpus Christi ibi viuum poni, & consequenter cum anima & sanguine, & reliquis quæ corpora viua requirunt ; & consequenter etiam cum ipsa Verbi subsistentia. quia non potest dici, aut Christum ibi non subsistere, aut creata substantia subsistere.

Rom. 6.

Tertiò, quia 1. Ioan. 4. dicitur : *Omnis Spiritus qui soluit Iesum ex Deo non est, & hic est Antichristus*. Soluere autem Christum est diuidere humanitatem à diuinitate : atqui qui dicit solam carnem Christi sine diuinitate sub hoc Sacramento contineri, separat humanitatem à diuinitate : ergo est Antichristus. 3 1. Ioan. 4.

Idem clarissimè docuerunt semper omnes Patres, quos fusè refert Cardin. Bellarm. l. 4. de Euchar. c. 21. Sed iis referendis diutiùs immorandum non duxi, quia hæc doctrina præcisè difficultatem non habet. Nam omnes qui fatentur veram & realem Christi præsentiam sub hoc Sacramẽto, fatentur etiam ipsum integrè sub eo contineri ; paucis planè exceptis, qui nulla ratione permoti id negant. Eos autem qui illam Bellarm.

negant

negant satis refutaui quæstione præcedente art. 1.

4 *D. Thom. Trident.* Nota cum D. Thoma hîc art. 1. & Trident. sess. 13. c. 3. & communi Theologorum sententia, duplici ratione posse aliquid contineri sub hac vel illa specie. Primò, vi verborum, quo modo omnia ea præcisè sub aliqua specie continentur, quæ per verba formæ significantur, ita vt forma esset falsa, si aliquid eorum quacunque ratione abesset.

Quid dicatur sub aliqua specie contineri vi verborum.

Quid per concomitantiam.

Secundò, per concomitantiam, qualia sunt ea, quæ per verba formæ non ita significantur, quin ipsa posset esse vera etsi abessent: propter connexionem tamen quam habent cum iis, quæ vi verborum ibi continentur, necessariò etiam ibi ponuntur. Non quidem quòd Deus illa separare non posset (nam absolutè loquendo posset separatim ponere Christi corpus, & sanguinem, & animam; & quidem vel vnita Verbo, vel non vnita. nulla enim hîc est implicantia,) sed quia Deus absolutè decreuit numquam permittere, vt ea ampliùs separentur. Quare vbicunque vnum ponitur, necessariò etiam alterum ponitur: eadem enim connexio, quæ est inter hæc, vt sunt extra Sacramentum, est etiam inter ea prout sunt in Sacramento; non quidem ex naturali necessitate, sed ex decreto diuino.

5 Hinc sequitur Primò, totam humanitatem Christi cum vnione ad Verbum vnica actione poni sub hoc Sacramento, quæ tamen habeat aliquas partes eodem planè modo quo vnica esset actio, si homo de nouo crearetur.

Sequitur Secundò, si Apostoli consecrassent in triduo mortis sub specie panis, futurum Christi corpus separatum ab anima & sanguine: & sub specie vini, sanguinem separatum à corpore: vtrumque tamen vnitum Verbo, quod numquam dimisit quod semel assumpsit.

Sequitur Tertiò, sanguinem, phlegma, & alios humores eodem modo nunc esse inclusa venis ac vasis suis naturalibus in corpore Christi in hoc Sacramento, sicut in eodem sunt in cælo. Quia quoad hæc omnia eodem modo se habet corpus Christi in hoc Sacramento, & extra illud. Vnde valdè probabile est, si Apostoli consecrassent in triduo mortis, sanguinem futurum fuisse sub specie vini concretum, nec per modum continui.

DVBIVM.

Quid hîc præcisè vi verborum ponatur sub singulis speciebus?

6 NOta, duplicem hîc esse difficultatem. Prima est, Vtrùm vi verborum sub speciebus ponatur hypostasis? Secunda est, Vtrùm corpus prout hîc sumitur in forma significet aliquod compositum ex materia & forma substantiali?

Hac in re multùm laborant ij omnes qui negant in viuentibus reperiri vllam formam substantialem, præter ipsam animam. Nam cùm constet hominem componi ex anima & corpore, & consequenter corpus significare aliquid distinctum ab ipsa anima (quâ ideo docet Trident. sess. 13. c. 3. sub specie panis tantum concomitanter contineri) difficulter possunt explicare quid præcisè corpus significet, prout ponitur in forma consecrationis.

Trident.

Prima sententia docet, sub specie panis vi verborum præcisè poni ipsam materiam primam. Ita Gabriel lect. 42. in canonem, §. *Potest ergo dici.* Sed hoc dici nequit, quia materia prima non potest verè dici corpus, quod significat aliquid compositum.

Gabriel.

7 Secunda sententia est, hîc vi verborum præcisè vnà cum materia poni etiam ipsam animam, non quidem prout habet rationem animæ, sed prout habet rationem formæ. quæ præcisè det materiæ rationem corporis. Hanc sententiam insinuat D. Thomas suprà q. 75. art. 6. ad 2. eamque tenent communiter Thomistæ. Cui consonat aliorum quorumdam sententia dicentium corpus hîc significare materiam & formam aliquam substantialem, prout abstrahit ab anima rationali, & anima cadaueris, & est quid commune respectu vtriusque: non quòd velint talem aliquam formam de facto dari (quia secundùm eos materia necessariò semper informatur vel anima rationali, vel forma cadaueris:) sed quòd possit ita significari, sicut significat corpus prout abstrahit à viuo & mortuo, etsi non possit esse nisi viuum vel mortuum.

D. Thom. *Thomistæ.*

Sed nec hæc sententia potest commodè defendi. 8 Primò, quia cùm hæc verba sint practica, necessariò debent versari circa rem certam & determinatam. Nam sicut res indeterminata nullo modo potest effici: ita nec practicè significari. Secundùm autem illam sententiam verba formæ significarent corpus aliquod indeterminatè & metaphysicum. Nec enim, vt etiam ipsi fatentur, potest vllo modo à parte rei dari tale corpus, aut talis forma. Nec satisfacit quòd aiunt simili modo non posse dari corpus humanum nisi sit viuum vel mortuum. Primò, quia hoc est falsum. Nam embryo paulò ante animationem potest dici corpus humanum, nec tamen est corpus viuum, nec mortuum. Secundò, quia etsi post animationem corpus humanum necessariò sit viuum vel mortuum: tamen neutrum horum est de intrinseca ratione corporis, aut alicuius quod corpus in se includit. Vnde, vt infrà dicemus, corpus, manens secundùm omnia sibi substantialia omnino idem, potest esse viuum & mortuum. Secundùm illos autem hoc fieri nequit: quia corpus aliquid intrinsecè includit, quod necessariò est vel anima, vel forma cadaueris, & ab vtroque abstrahit, ac est merus gradus metaphysicus.

Verba formæ necessariò significant rem determinatam.

Idē est corpus viuū & mortuum.

Secundò, inde sequeretur non esse idem Christi 9 corpus viuum & defunctum: quod omnino absurdum est, & contra omnes Patres, qui communi consensu docent idem corpus, eandemque carnem natam ex Virgine, datam discipulis in cœna, iacuisse in sepulchro, & assumptam in cælum. Respondent ipsi, non esse quidem idem corpus physicè loquendo; esse tamen idem moraliter, & secundùm communem loquendi modum, quo dicimus esse idem corpus viuum & mortuum. Sed hæc responsio euertit ipsum communem modum loquendi, qui omnino falsus esset posita illa sententia. Nam tunc illa corpora in ratione substantiæ & corporis magis inter se differrent, quàm homo & vermis ex eo genitus: quia illa haberent proximum genus corpus mistum, prout diuiditur in animatum & inanimatum. (Nec enim cadauer potest poni sub corpore animato;) hæc verò ponuntur sub corpore animato sensitiuo. Et tamen nemo dicet esse idem numero corpus. Nec refert quòd corpus viuum & mortuum magis conueniant in accidentibus, quàm vermis & homo. quia sicut accidentia nullo modo dant corpori esse corporeum: ita nec possunt dare identitatem in ratione corporis.

Absurda quæ sequerentur si daretur forma cadaueris.

Aliter respondet Soto in 4. d. 10. q. 1. a. 1. scilicet 10 formam non esse partem intrinsecam corporis, sed hoc respectu illius se habere sicut album respectu albedinis. quare sicut mutata albedine manet idem album: ita mutata forma manere idem corpus. Sed hoc dici nullo modo potest. quia inde sequeretur hanc esse veram: Hoc corpus est materia prima; sicut hæc est vera: Hoc album est nix. Item sequeretur esse idem corpus in homine, cadauere, & vermibus inde genitis; quia est eadem materia prima. quæ tamen apertè falsa sunt.

Soto.

Tertiò, ex illa sententia sequeretur, *corpus Christi* 11

dici æquiuocè de corpore viuo & mortuo, quia cùm significet aliquod singulare, non potest dici vniuocè de duobus non solùm numero ac specie, sed etiam toto genere distinctis. Imò sequeretur corpus mortuum non posse dici corpus Christi; sicut vermis ex me genitus non potest dici meum corpus.

12 Quartò, quia certum est ex vi verborum constituibi corpus humanum: atqui secundùm illam sententiam non magis ibi esset corpus humanum quàm cadauerinum.

13 Quintò, quia secundùm illam sententiam vi verborum poneretur sub specie panis anima Christi: quod aperte repugnat Trident. sess. 13. c. 3. & communi Theologorum sententiæ, nec vllo modo potest defendi. Respondent, non poni ibi animam quà animam, sed quà formam corporis. Sed hoc nullo modo satisfacit. Primò, quia Concilium non dicit ibi non poni animam quà animam, sed simpliciter animam non poni vi verborum: secundùm illos autem etsi non sub ratione animæ, tamen verè anima poneretur vi verborum. Et simili illusione possem dicere sanguinem, non quidem quà sanguinem, sed quatenus est pars corporis humani, poni vi verborum sub specie panis, nec hoc repugnare Tridentino, quod perperè falsum est. Secundò, quia anima non aliter potest dici forma materiæ, nisi quatenus eam informat: atqui nec aliter eam informat nisi animando, nec animat nisi quà anima est: ergo non potest dici forma materiæ nisi quà anima: & consequenter qui dicunt animam ibi esse præsentem quà formam corporis, dicunt implicitè esse præsentem quà animam. Tertiò, quia anima est forma non metaphysica, sed physica, non modò ipsius materiæ, sed ipsius corporis, & cum hoc non metaphysicè sed physicè componit vnum hominem: ergo corpus dicit physicam partem hominis ab ipsa anima physicè distinctam; secundùm illos autem corpus esset solum quid metaphysicum compositum ex materia & metaphysico gradu animæ: & consequenter sola ratione distingueretur ab ipsa anima, sicut gradus animalitatis sola ratione ab anima distinguitur.

Trident.

Anima nō est alia ratione forma corporis quàm quatenus est anima.

Corpus dicit partem hominis omnino distinctam ab anima sine forma.

14 Sextò, quia quod illa sententia supponit, scilicet in corpore mortuo gigni aliquam formam substantialem quam vocat formam cadaueris, sine vllo fundamento dicitur. Nam neque potest colligi ex vlla experientia, neque ex vllis principiis fidei: imò satis euidenter videtur vtrisque repugnare: ergo malè asseritur.

Nulla est ratio asserendi formam cadaueris.

Quòd enim nulla sit experientia pro illa sententia, sed omnes ei repugnent, patet. Primò, quia videmus ea omnia ex quibus possumus colligere diuersitatem vel identitatem formæ substantialis, manere sæpè eadem in corpore viuo & mortuo, hoc solo excepto quòd ex defectu vitæ videamus animam abesse: ergo debemus potiùs colligere in carne, osse, neruis, &c. manere eamdem formam substantialem, à qua præcisè accipiunt rationem carnis, ossis, nerui, quàm eam esse diuersam. Quia nulla vel minima hac in re potest assignari experientia, qua hoc colligamus, præsertim loquendo de forma quæ rotis generibus à priore differat. Et contra hanc gratis dicimus quidquid hac in re asserimus, nisi vbi fides eam corrigit.

15 Secundò, quia sæpissimè nulla potest assignari causa, quæ talem formam inducat præsertim quando animal strangulatur, vel caput ei subitò præscinditur.

Tertiò, quia si esset ponenda forma cadaueris, quæ succederet animæ discedenti; similiter in embryone deberet poni forma substantialis, quæ pelleretur per animationem: quod tamen dici nequit; quia tunc forma embryonis deberet pelli per easdem causas, per quas fuit introducta, quia eædem omnino causæ sunt quæ primò generant embryonem & eundem paulatim perficiunt, & quæ materiam disponunt ad susceptionem animæ: atque ita per idem embryo corrumperetur iam perfectus, per quod imperfectus perficiebatur. quod videtur omnino absurdum.

Forma embryonis nō expellitur in animatione.

Dices, formam embryonis expelli formaliter per animam introductam, cui formaliter repugnat. Sed contrà Primò, vt aliquid expellatur hoc modo formaliter, debet per aliud expelli effectiuè: hîc autem nihil potest assignari quò embryo, præcipuè in brutis, expellatur effectiuè, nisi id per quod fuit antè genitus & perfectus. Secundò, forma vna non expellit aliam, nisi quia ei contrariatur (vt patet in formis accidentalibus, quæ omnes possunt esse simul in eodem subiecto, quæ sibi mutuo non contrariantur. hinc lac simul est dulce, album, quantum, &c.) atqui formæ substantiales non contrariantur sibi mutuo, nisi ratione dispositionum quas requirunt, aut qualitatum quas secum adferunt, quia est proprietas substantiæ non habere contrarium. ergo si anima expellat formam embryonis, hoc fiet ratione dispositionum, quas ad sui introductionem requirit. quod tamen falsum est. Quia eædem planè qualitates embryonem conseruant & perficiunt, quæ materiam ad animæ introductionem disponunt.

16 *Vna forma nō expellit aliam nisi ei contrarietur.*

Dices, in hoc has formas sibi mutuo repugnare, quia implicat vtramque simul eandem materiam informare. Sed hoc est petere principium. Nam hoc ipsum hîc petimus nobis aliqua experientia, aut clara ratione in experientia fundata ostendi: quod quamdiu non fit, frustra contra experientiam pugnatur.

17 *Forma cadaueris videtur repugnare mysteriis fidei.*

Rursum quòd dicta sententia difficulter concordetur cum principiis fidei, patet tum ex dictis, vbi ostendi secundùm illam vix posse explicari mysterium Venerabilis Sacramenti: tum etiam quia reddit multa difficilia in mysterio Incarnationis. Primò, quia videtur indecens inducere formam cadaueris in corpus Christi mortuum. Secundò, quia tunc corpus Christi fuisset verè corruptum, contra illud Act. 2. sumptum ex Psalm. 15. *Neque caro eius vidit corruptionem.* quia omne id dicitur proprijssimè corrumpi, quod in aliam substantiam præsertim genere differentem mutatur. Nec extra hanc materiam potest dari vlla alia instantia.

Act. 2.

Nec satisfacit, si dicas corpus Christi dici non fuisse corruptum, quia secundùm externam speciem mansit idem: quia inde potiùs deberent inferre, non fuisse substantialiter mutatum, quàm sine necessitate asserere ita fuisse mutatum, & tamen non fuisse corruptum contra communem loquendi modum in aliis omnibus rebus: ac si dicerem, pomum putridum manere incorruptum, quamdiu foris integrum apparet.

18

Quartò, quia sequeretur, cadauer Christi fuisse naturam in esse substantiæ omnino completam, & integrum suppositum. Atque ita aliqua completa natura præter humanam fuisset Verbo hypostaticè vnita, & cum eo constituisset integrum suppositum; de quo per communicationem idiomatum potuissent omnia dici quæ dicuntur de Christo. Et consequenter hæ fuissent veræ: Cadauer est Deus: cadauer mundum condidit: natum est ex Virgine: redemit nos: fuit datum Apostolis in cœna, &c. quæ inter Catholicos inaudita sunt. Quare cùm Philosophia debeat subseruire Theologiæ, & per hanc corrigi; non autem contrà: etsi illa sententia spectatis solis rationibus naturalibus videretur quasi certa (cuius contrarium tamen suprà ostendi;) tamen propter dictas rationes theologicas crederem omnino esse negandam, ne dominam ancillæ cogamus seruire.

Rationes philosophicæ ex theologicis quandoque corrigendæ.

Tertia sententia docet, corpus significare materiam primam informatam forma corporeitatis, quam multi ita intelligunt, quasi hæc forma esset generalis ac vna & eadem in omnibus corporibus præsertim mistis, citántque pro ea Scotum in 4. d. 11. q. 3. art. 2. Sed hæc sententia hoc modo explicata, nullo certo

19

Scotus.

Non datur aliqua res;

funda

ticularis forma corporeitatis.

fundamento probari potest, nec in ea potest satis ostendi quomodo caro & os distinguantur substantialiter, nisi ponat præterea formas substantiales partiales: quas si ponat, frustra ponet illam formam corporeitatis. Nec credo illam fuisse mentem Scoti: sed credo potiùs eum vocare formam corporeitatis, formam vnam compositam ex multis formis partialibus: vt clarè colligitur ex loco citato post initium articuli, vbi ait, *Præterea cùm dicitur, Hoc est corpus* (scilicet in verbis formæ) *non ponitur aliquid distrahens à veritate carnis & ossis & huiusmodi, sed potiùs vt includit omnes partes eius, quod est primò animabile.*

20 Dantur formæ partiales heterogeniæ.

Quarta sententia docet, in animalibus præter ipsam animam dari formas substantiales partiales, quæ constituunt singulas partes corporis organici, & vni dant rationem carnis, alteri rationem ossis, &c. quæ simul omnes aprè materiam informantes, constituunt corpus organicum, non quidem vt integram substantiam, sed vt partem essentialem animalis, vlteriùs per ipsam animam perfectibilem & animabilem. Quod vel inde patet; quia corpus sine anima diu se conseruare non potest, sed statim tendit ad corruptionem, nisi summa arte conseruetur. Et hæc videtur esse sententia Scoti suprà. Hanc sententiam plurimi tenent recentiores, cámque fusissimè defendit ac ostendit esse ipsius Aristotelis P. Dandinus in lib. 2. de anima, textu 11. digressionis 8. parte 3.

Aristot.

Dandinus.

21 Et probatur Primò, quia os & caro, quantum possumus ex omnibus eorum accidentibus & proprietatibus colligere, differunt substantialiter: ergo per aliquam formam substantialem. Hæc autem non potest esse anima, præsertim in homine: quia hæc est omnino eadem in omnibus partibus: ergo dat omnibus partibus idem esse substantiale. Deinde quia caro & os in ratione carnis & ossis præcisè manent eadem viua & mortua, quantum possumus colligere ex omnibus eorum accidentibus: ergo non habent præcisè rationem carnis & ossis ab ipsa anima. Prob. Secundò, ex omnibus illis rationibus, quas suprà attulimus contra tertiam sententiam: quia hæ omnes hanc sententiam maximè probant, & est aptissima ad explicandum mysterium Incarnationis & Venerabilis Sacramenti.

22 Obiiciunt aliqui Primò, Forma substantialis dat esse simpliciter: ergo vnius entis non potest esse nisi vna forma substantialis.

Secundò, quidquid aduenit enti in actu, est accidens; sed per quamuis formam substantialem constituitur aliquid ens in actu: ergo quæuis forma ei superueniens constituit aggregatum per accidens.

Tertiò, quia, cùm anima sit perfectior omnibus illis formis partialibus, continebit in se quidquid illæ continent: ergo illæ frustra sunt.

Quartò, repugnat vnam formam substantialem esse dispositionem ad susceptionem alterius.

Quintò, si darentur omnes illæ formæ partiales, ex illis consurgeret vna integra habens partes heterogenias, quæ esset vera anima vegetatiua, & sic essent duæ animæ in eodem corpore: aut esset forma corporis inanimati, & hoc dici nequit, quia sic non deseruiret ad propria munia viralia.

Sextò, quia ex illa sententia sequitur, carnem mortuam & viuam esse vniuocè carnem, quod est contra Aristotelem.

Septimò, corruptio vnius est generatio alterius: atqui per mortem homo verè corrumpitur: ergo aliquid aliud generatur.

23 Non omnis forma substantialis dat esse

Ad Primum Resp. Si per esse simpliciter intelligas esse omnino completum; negandum est quamuis formam substantialem dare tale esse. Si verò esse simpliciter dicas illud omne esse, ratione cuius potest aliquid dici produci aut generari, sic neganda est consequentia. quia tale esse potest vlteriùs substantialiter perfici. complet-tum.

Ad Secundum, nego maiorem, nisi intelligatur de ente omnino completo, aliàs vnio hypostatica esset accidens.

Ad Tertium, nego antecedens. Nam si quidquid est altero perfectius, contineret in se omnem eius perfectionem; cùm anima sit perfectior accidentibus, sequeretur eam horum continere in se perfectionem; & consequenter hæc esse superflua animali.

Ad Quartum Resp. gratis in eo sumi quod probandum est, & cuius contrarium satis docet ipsa experientia. Videmus enim formam embryonis disponere materiam ad susceptionem animæ. Quod autem dicunt eam succedente anima expelli, probare non possunt, vt ostendi suprà.

Ad Quintum Resp. ex illis formis partialibus consurgere vnam formam totalem habentem partes heterogenias, constituentem formaliter corpus organicum in ratione substantiæ, incompletæ tamen, & quæ sit apta vlteriùs informari: eam autem formam quàm optimè inseruire actionibus vitalibus, quatenus ita singula corporis membra disponit, vt sint apta organa animæ ad omnes eius functiones exercendas.

Ad Sextum, concedo hoc sequi, quod etiam ex principiis fidei euidenter sequitur. Nam nisi caro Christi viua & mortua dicatur vniuocè caro Christi, nullo modo propriè dici poterit eadem caro sumpta ex Virgine, posita in sepulchro, & eleuata in cælum. Quod tamen nemo Catholicus auderet negare. Quare si Aristoteles contrarium dicat, per fidem corrigendus est. *Aristot.*

Ad Septimum Respondeo, maiorem solùm esse veram quando forma quæ corrumpitur non supponit in sua materia aliam formam substantialem, vt supponit forma animalium. Sicut enim hæc inducitur in embryonem sine vllius formæ substantialis corruptione, vt ostendi n. 15. ita definit suum corpus informare sine vllius noua productione.

CONCLVSIO I. Sub specie panis vi verborum præcisè existit corpus Christi constans materia prima & formis partialibus heterogeniis cóstituentibus corpus organicum quoad esse suum substantiale; iuxta dicta in explicatione quartæ sententiæ. 24

Probatur, quia corpus hîc sumitur vt physica pars animalis ab anima condistincta, & cum ea componens vnum totum substantiale: vt autem patet ex dictis, corpus vt sic præcisè suprà dicta includit.

Dices, Corpus secundùm communem acceptionem significat totam illam substantiam materialem, quæ requiritur ad constituendum corpus organicum aptum vt ab anima informetur; atque ita includit etiam sanguinem atque alios humores: vnde & hi tanquam partes corporis à Verbo assumpti sunt: ergo hæc omnia ibi erunt vi verborum. 25

Resp. neg. consequ. quia, etsi corpus commodè possit illa omnia significare, non tamen necessariò ea omnia significat. Quare hîc ratione circumstantiarum restringitur ad sola ea significanda quæ dixi. Quia, vt patet ex oppositione vtriusque formæ, corpus hîc sumitur prout condistinguitur à sanguine, & pro corpore immolato, quod illis humoribus solet carere: non quidem ita, vt illi humores significentur abesse, sed vt non significentur adesse. Corpus in forma accipitur prout distinguitur ab humoribus.

CONCLVSIO II. Sub specie vini vi verborum ponitur præcisè ipse sanguis, constans materia prima, & forma sanguinis. Per se patet, nec hîc vllus dissentit. 26

CONCLVSIO III. Vnio hypostatica non ponitur hîc vi verborum ita Suarez disp. 51. sect. 6. 27 *Suarez.*

Colligitur apertè ex Trident. sess. 13. c. 3. vbi docet diuinitatem hîc tantùm poni per concomitantiã. Quòd si vnio ibi poneretur vi verborum; etiam Verbum *Trident.*

ibi simili modo poneretur quia Verbum ibi formaliter singulari modo ponitur per vnionem: si autem Verbum hoc modo ibi poneretur, etiam diuinitas ibi hoc modo poneretur, quia hæc non distinguuntur. Ratio autem horum est, quia corpus hîc sumitur vt pars essentialis humanitatis; & consequenter sicut humanitas, vel etiam hæc humanitas non significat directè subsistentiam: ita nec corpus, vel etiam hoc corpus eam significat, sed ab ea abstrahit. Confirmatur. quia, etsi partes habeant partialem subsistentiam, aut vnionem ad Verbum; tamen non significant per modum rei subsistentis, siue rem subsistentem vt talem. Quod vel inde patet, quia hæc est præcipua ratio, cur inter partes ipsas, ac inter has & Verbum nulla est communicatio idiomatum. Hæc enim sunt falsæ: *Corpus Christi est anima Christi. Corpus Christi est Deus.* Quòd si significarent per modum rei subsistentis directè significando ipsam subsistentiam, posset inter ea esse vera communicatio idiomatum ratione eiusdem subsistentiæ.

Partes humanitatis non significant per modum rei subsistentis, ideoque non est inter eas communicatio idiomatum.

28 Dices, Christus dicit hoc esse corpus suum: atqui non est corpus Christi, nisi prout vnitum est Verbo: ergo significatur *ibi* esse vnitum Verbo.

Resp. negando minorem. Nam si in triduo mortis non fuisset vnitum Verbo, nihilominus erè fuisset corpus Christi: sicut corpus ab anima iam separatum, verè dicitur corpus illius animæ. Eadem autem in his est ratio sanguinis. Nam etsi metaphysicè loquendo sit quoddam integrum suppositum; moraliter tamen, imò etiam secundùm quandam rationem physicam ex communi modo loquendi est propriè pars animalis. quia non est propter se, sed à natura sua institutus est ad integrandum corpus animalis secundum eam constitutionem, quam naturaliter requirit. Quare etiam, præsertim quando dicitur *sanguis meus*, apertè significat per modum partis, non autem per modum rei subsistentis. Hinc etiam inter ipsum & Verbum non est communicatio idiomatum.

Corpus Christi etiã dimissum à Verbo posset dici corpus Christi.

29 Hinc patet Primò, ipsum Verbum, & ratione huius totam Trinitatem (quia personæ à se mutuo separari nequeunt) in hoc Sacramento esse per concomitantiam. Non quòd per consecrationem incipiat ibi absolutè esse (cùm enim tota Trinitas necessariò sit semper vbique, non potest alicubi incipere esse) sed quia incipit ibi nouo quodam modo esse: ita vt, etsi fieri posset vt Deus non esset vbique, tamen necessariò esset sub hoc Sacramento: sicut etiam necessariò esset, vbicumque esset humanitas Christi.

Quare tota Trinitas in hoc Sacramento nouo modo sit.

Patet Secundò, alios humores & omnia accidentia quæ sunt *in* corpore Christi, tam in calice, quàm sub specie panis, esse solùm per concomitantiam. quia nec sunt sanguis, nec corpus Christi, quæ solam substantiam significant, & ab illis humoribus distinguuntur.

30 Dices, Corpus Christi hîc significat corpus organicum, quare videtur etiam includere accidentia.

Respon. significare quidem corpus quod est organicum secundum omnem eam rationem quæ requiritur vt sit pars essentialis hominis, siue secundùm omnem rationem substantialem: non autem secundùm omnem rationem quæ requiritur vt perfectè sit organicum, & vltimò dispositum vt sit instrumentum functionum animæ. quod vel inde patet, quia, etsi per diuinam potentiam omnia illa accidentia relicta substantia, rollerentur, verè posset dici corpus Christi, & quidem idem quod iam in Sacramento est.

31 Patet Tertiò, substantiam panis præcisè conuerti in substantiam corporis Christi, & vinum in substantiam sanguinis. Quia cùm hæc conuersio fiat vi verborum, illud est propriè ipsius terminus, quod hîc ponitur vi verborum, & in hoc propriè panis & vinum esse desinunt ac conuertuntur.

In quid substantia panis & vini propriè conuertatur.

Nota tamen, inde non sequi, nihil hîc posse poni vi verborum, quin panis aut vinum dicantur in ipsum conuerti. Nam etsi, vt panis in aliqua conuertatur, requiratur vt ipsa hîc ponantur vi verborum, tamen hoc non sufficit. Nam si Christus inter consecrandum dixisset, Hoc est Christus; vi verborum fuisset ibi totus præsens, etiam vt Verbum est; & tamen nullo modo panis fuisset conuersus in Verbum. quia hoc nullo modo potest de nouo incipere esse: quod tamen necessarium est, vt aliquid possit esse terminus conuersionis: vt ostendi quæst. præced. art. 4. dub. 4.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus sit totus sub qualibet parte specierum panis & vini?

32 QVARTICVLO III. docet, Christum integrum esse sub singulis partibus specierum panis & vini. Patet ex Florentino, quod ait: *Sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, & vini consecrati separatione facta totus est Christus.* Item Trident. sess. 13. can. 3. *Si quis negauerit sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri, anathema sit.* Et ibid. c. 3. ait: *Totus enim & integer Christus sub specie panis, & sub quauis ipsius speciei parte: totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.*

Florent. Trident.

Idem docuit D. Hieronymus relatus c. *Singuli.* de consecrat. d. 2. & Hilarius Papa ibid. c. *Vbi pars est corporis, est & totum.*

D. Hieron. Hilarius Papa.

33 Colligitur etiam apertè ex Scripturis. Quia certum est corpus Christi in vltima cœna non fuisse in partes diuisum, sed integrum datum singulis discipulis; & tamen probabile est Christum consecrasse panem ante eiusdem fractionem: & quamuis hoc sit dubium; certum tamen est de calice, eum consecratum esse, antequam biberent discipuli. Cùm igitur singuli biberint vnam partem, necessariò species fuerunt diuisæ. Quare cùm singuli acceperint integrè Christum, necessariò debuit sub singulis partibus integrè fuisse. Ex his patet, omnino de fide esse Christum integrum esse sub singulis partibus post separationem. Magna autem quæstio est inter Theologos, quomodo ibi sit ante separationem.

DVBIVM.

Qua ratione Christus sit in singulis partibus specierum?

34 PRima sententia docet, Christum tantùm semel esse sub vna hostia ante fractionem; post fractionem autem semel sub singulis partibus: sicut in speculo integro semel apparet res obiecta, in fracto toties quot sunt partes. Ita Albertus in 4. d. 13. art. 11.

Albertus.

Sed hæc sententia ab omnibus Theologis meritò reiicitur, quia nullam potest reddere causam, à qua per solam fractionem reproducatur corpus Christi, & incipiat ibi pluries esse, cùm antea tantùm semel fuerit: aut cur, si duo calices consecrati misceantur, cùm antea bis sub iis fuerit, incipiat tantùm esse semel. Deinde ex ea sequeretur, quando vini consecrati partes inter se magna agitatione commiscentur, corpus Christi diuidi; aut alias atque alias habere præsentias & habitudines ad species. quæ sunt absurdissima.

Quod autem adfertur de speculo nihil facit ad rem, quia simul cum illius diuisione diuiditur etiam ipsius æqualitas & planities, & consequenter fiunt plura specula partialia, atque in pluribus tunc fit reflexio radiorum aut specierum intentionalium. Hic verò deberet Christi corpus aut diuidi, aut reproduci: in speculo autem nihil producitur.

35 *Thomistæ.* Secunda sententia est communis Thomistarum planè alteri contraria, quæ docet Christi corpus sub singulis partibus quantumcumque vel mathematicè diuidantur, totum existere, & secundùm singulas replicationes indiuisibiliter: & ij qui concedunt dari puncta à parte rei in continuo, consequenter dicunt etiam totum esse sub singulis punctis.

36 Sed hæc sententia, si ponamus, vt ipsi faciunt, continuum esse diuisibile in infinitum, patitur summas difficultates. Primò, quia ex ea sequitur Christum ibi esse infinitè infinities. quia singulæ lineæ sunt diuisibiles in infinitas partes, & superficies in infinitas lineas, & corpus in infinitas superficies. Atque ita in corpore sunt infinities infinitæ lineæ assignabiles, & rursum in singulis lineis infinita puncta. Corpus autem Christi toties ibi erit actu replicatum, quot sunt in toto illo continuo puncta assignabilia.

37 Dices, Sicut partes continui non constituunt numerum, nisi diuidantur: ita nec Christus sub iis existens.

Sed contrà Primò, inde sequeretur, Christum ibi tantùm semel esse ante diuisionem, quia si esset sæpius, faceret numerum, atque ita hæc sententia coincideret cum prima, quod tamen cupit vitare. Secundò, quia Christus in singulis replicationibus actu integrè est, & secundùm se diuisus, ac independens ab alia replicatione. Nec enim hæ replicationes sunt propriè continuæ inter se, sed tantùm contiguæ, sicut arenæ in cumulo. quia nulla est substantialis & intrinseca inter eas connexio. quia per fractionem specierum nihil substantiale aut intrinsecum in iis perit. Nec enim oportet concipere corpus Christi hîc existere sicut multæ guttæ aquæ sunt in vna situla plena aqua sibi mutuò connexæ, & constituentes vnum totum: sed, vt dixi, sicuti multæ arenæ conficiunt cumulum, nec sunt inter se continuæ sed contiguæ. Quia aliàs, sicut duæ partes aquæ non possunt diuidi aut coniungi sine intrinseca aliqua mutatione (subeunt enim diuersos modos sibi intrinsecos) ita per diuisionem specierum illud continuum constitutum ex replicationibus frangeretur, & corpus Christi intrinsecum aliquem modum diuersum acciperet. quod absurdum est. Quare sicut arenæ eodem modo conficiunt numerum coniunctæ atque separatæ, ita etiam illæ replicationes. Et confirmatur. quia, si Deus annihilaret omnes species, & conseruaret corpus Christi, tunc illæ replicationes essent inter se verè discretæ: ergo etiam iam sunt, quia non habent physicam vllam connexionem cum speciebus.

Diuersæ replicationes corporis Christi non componunt aliquod totum, aut cõtinuum.

38 Alij itaque concedunt totum. Sed hoc in primis est contra communem opinionem. Etiamsi enim multi concedant, per diuinam potentiam dari posse actu infinitum; communiter tamen negant de facto dari. Deinde, quia etsi daremus dari infinitum actu, nihil eos iuuaret. quia si finita indiuisibilia mutuo sibi addita non faciunt quid maius in ordine ad locum, neque infinita facient. Sicut quia vnum o in arithmetica per se positum nihil efficit: etiam infinita o nihil efficient, si sola ponantur. Vnde hæc sententia videtur omnino inuoluere contradictionem, scilicet: *Indiuisibile additum indiuisibili non facit maius.* &: *Aliqua indiuisibilia sibi mutuò iuncta faciunt quid maius & extensum in ordine ad locum.* item; *In continuo, impossibile est punctum siue indiuisibile succedere puncto.* &: *In replicationibus illis quæ sibi mutuo contiguæ instar continui replent totum illud spatium, vnum indiuisibile immediate alteri succedit.* quæ videntur apertè contradictoriæ. Quod autem adfertur de angelo & anima extensis in ordine ad locum, nihil facit ad rem. Nec enim hi replent spatium per formales replicationes, sed per æquabilem totius sui esse diffusionem: sic vt toti quidem sint in quoliber puncto, non tamen complerè: nec in his est assignare vnum indiuisibile alteri immediatè succedens. Nec enim spiritus habet in singulis punctis esse aliquod omnino complerum, & ab eo quod in aliis punctis est omnino diuisum, eique quasi contiguum; sed vnum integrum esse per totum spatium instar alicuius continui diffusum: vt ostendi suprà qu. 75. art. 4. dub. 3. Quare ex hac parte non est maior difficultas in angelo ita diffuso, quam in quouis continuo. Secùs autem est in corpore Christi in Sacramento, quia singulæ replicationes sunt ab aliis independentes ac discretæ: atque ita si essent omnino indiuisibiles in ordine ad locum, vnum indiuisibile alteri immediatè succederet.

Infinita indiuisibilia non faciũt aliquid maius.

39 *Quomodo spiritus coextendatur loco.*

Tertia itaque sententia est D. Bonau. in 4. d. 10. art. 1. q. 5. Alensis 4. p. q. 40. membro 3. art. 5. Gabrielis lect. 80. in canonem, dub. 4. in fine. Scilicet Christum ibi toties esse replicatum, quot ibi sunt minimæ particulæ physicæ. quæ sententia duobus modis potest intelligi. 40 *D. Bonau. Alensis. Gabriel.*

Primò, dari minima quædam naturalia, sub quibus naturaliter substantia panis possit conseruari, ita vt sub minoribus non possit. Cùm itaque non possit hîc existere secundùm Dei institutionem corpus Christi, nisi sub iis speciebus, sub quibus naturaliter possit substantia panis aut vini conseruari; videtur non debere existere integrum sub minore parte, quàm sub qua panis possit separatim conseruari. Sed hæc ratio tantùm probat Christi corpus non posse separatim sub minori parte existere. Adde, antecedens à multis negari. *Quatenè dentur minima naturalia.*

Secundò itaque potest intelligi, vt quanquam mathematicè loquendo & fictione intellectus possit continuum in infinitum diuidi; non possit tamen ab aliqua creatura physicè ita actu diuidi. Nam cùm omnis creaturæ vis sit finita, non videtur posse in infinitum semper magis ac magis aliquod continuum diuidere, sed alicubi erit sistendum, ita vt ipsa hoc vltiùs diuidere non possit. In homine enim hoc clara experientia constat; quare non dicemus idem de angelis? Atque ita dabitur corpus tam paruum, quod vltiùs nulla creatura possit diuidere. Et quanquam possit angelus concipere ibi medium ab extremis distinctum, & consequenter aliquam extensionem; non tamen poterit ea intuitiuè designare & distinguere. Quid enim implicat Deum creare duo corpora, quorum vnum alterum tam parum excedat, vt hoc ab angelo notari non possit: aut corpus tam paruum, vt in eo angelus non possit distinguere mediũ ab extremis? aut etsi possit in eo aliquas partes distinguere, non tamen sequitur quòd poterit eas separare. Secundùm hanc igitur sententiam Christus ibi erit toties, quot sunt talia corpuscula in hostia, sub singulis semel. 41 *Creatura non potest continuum in infinitum diuidere.*

Videtur autem hæc sententia probari posse, quia sic euitantur incommoda in prioribus sententiis allata: & hoc modo satisfit dictis Patrum & Conciliorum, qui ideo ponunt Christum sub singulis partibus hostiæ totum, vt ostendant eum qui partem suscipit Sacramenti, totum Christum suscipere. Vnde ferè dicunt separatione facta totum Christum esse sub singulis partibus: aut si dicunt absolutè eum esse sub singulis partibus, facilè possunt intelligi de partibus designabilibus, & naturali aliqua potentia separabilibus. De his enim agunt, quia loquuntur in ordine ad diuisionem & sumptionem; vt scilicet ostendant tantum sumere qui partem Sacramenti sumit, quantum qui totum. Nec enim ipsi disputant de mathematicis illis partibus, quas ne quidem satis imaginari possumus: & sic cap. *Vbi pars.* citato, Hilarius Papa dicit, *Vbi pars est, ibi est & totum:* vt ostendat nunquam corpus Christi reipsa diuidi, aut etiam posse à creatura designari locum vbi sit pars, & non totum. Loquitur enim in ordine ad actualem diuisionem & sumptionem: vt patet ex adiunctis, intenditque docere 42 *Quomodo Patres dicant Christum esse integrũ sub singulis hostiæ partibus.*

in quauis parte totum Sacramentum accipi. Nam subdit: *Eadem est ratio in corpore Domini, quæ in manna quod in eius figura præcessit, de quo dicitur: Qui plus collegerat, non habuit amplius, neque qui minus parauerat, habuit minus, &c.*

43 Thomist. Sed plurimi graues Auctores docent hanc sententiam esse erroneam, aut errori proximam, primo quia ex ea sequitur in Sacramento absolutè loquendo posse designari aliquas specierum particulas, sub quibus totus Christus non continetur, quod repugnat dictis Patrum & Conciliorum. Respondeo, nego assumptum: nam dictæ particulæ supponuntur esse tam paruæ, vt nulla potentia creata possint vlla ratione diuidi, & consequenter nec ab homine nec ab Angelo in iis poterunt distinctæ partes designari: atque ita nec poterit designari aliqua pars in qua totus Christus non sit: quare illa sententia nihil continet dictis Patrum aut Conciliorum repugnans. Secundò, quia Christus tunc haberet aliquem situm in ordine ad locum, & secundùm vnum hostiæ situm caput sursum, & pedes deorsum: & contrà, hostia versa haberet caput deorsum, quod videtur indecens. Resp. hoc non esse indecens nisi respectu nostri, qui experimur eum situm ad vsum humanum incommodum: ideóque vix imaginamur antipodas commodè sedere. Secus est respectu Beatorum, qui nullam habent dependentiam à certo loco vel situ, nec tendunt deorsum sicut nos: quare respectu illorum nihil est deorsum vel sursum.

Respectu corporis beati, habere caput deorsum, nullum continet incommodum.

44 Adde, in illorum sententia idem fatendum esse. Etsi enim secundùm eos Christus non habeat situm in ordine ad locum, habet tamen situm internum, sicut etiam veram quantitatem & distinctionem partium inter se. Et sicut secundùm illos debemus necessariò etiamsi in spatio indiuisibili concipere corpus verè quantum, & habens (non quidem in ordine ad locum, sed in ordine ad intrinsecam dispositionem) partem extra partem, & pectus medium inter caput & pedes, & caput immediatiùs coniunctum pectori quàm pedibus: ita debemus consequenter concipere situm internum partium. Vnde si plures sint replicationes eiusdem rei habentes inter se ordinem, vt fit in Eucharistia, in ea replicatione quæ media est inter duas alias, necessariò concipiemus Christi caput immediatiùs coniunctum superiori replicationi, pedésque inferiori, & consequenter caput supra pedes: & contrà, caput erit pedes si hostia inuertatur: non quidem prout suprà & infrà dicunt diuersum locum, sed prout dicunt diuersum ordinem partium inter se. Tam enim hæc possunt concipi in corpore posito in puncto, quàm illa.

45 Obiiciunt 3. Quia secundùm eam sententiam non esset ratio cur caput Christi poneretur potiùs in hac parte istius physici indiuisibilis, quàm in illa: item cùm hæ minimæ partes possint variis modis designari, cur potiùs hoc quàm illo modo designentur, quia substantia ipsius panis est planè eiusdem rationis, & secundùm omnem sui partem eodem modo conuertibilis in corpus Christi, & forma æqualiter super totam fertur. Sed facilè respondeti potest, Deum ex variis modis quibus posset hæc variare, quem vult eligere, sicut elegit hoc spatium, vbi mundum crearet, cùm alibi posset creare. Sic cùm varias hæ partes possint habere figuras, Deus suo iudicio elegit cómodissimam. Nec enim est vlla necessitas, cur dicamus hæc omnia ex quadam necessitate formæ vel materiæ fieri.

46 Obiiciunt 4. Quia etsi hæ partes non possint diuidi iam separatæ, videntur tamen in ipso continuo posse diuidi, v. c. ponamus hostiam in longitudine constare talibus partibus, diuidatur in medio (nec enim potest dari ratio cur hoc fieri non possit cùm continuum sit vbique eiusdem rationis, & æqualiter diuisibile) eo autem casu diuidetur media illa pars, & consequenter corpus Christi sub ea existens, cùm non possit diuidi, debebit desinere ibi esse, & tunc duæ medietates illius particulæ erunt sine Christi corpore. Sed vt omittam difficulter posse conuinci, naturaliter fieri posse vt hostia talis rectè in medio frangatur: Respondeti posset primò, idem incommodum posse secundæ sententiæ obiici. Nam si hostia frangatur, tunc ex vna superficie qua vtræque partes connectebantur, fiunt duæ: & vel contra eorum sententiam, qui sub singulis punctis ponunt integrum Christi corpus, tunc vna superficies eo carebit, aut infinities ibi erit reproducendum. Item cùm duo calices miscentur, ex duabus superficiebus fit vna: itaque vel Christus infinities ibi desinit esse, vel in infinitis punctis bis est. Sicut itaque illi dicunt non debere videri mirum si Christus, qui desinentibus speciebus ibi omnino esse desinit, etiam iis muratis mutet modum præsentiæ: sic etiam respondebitur in alia sententia, Christum eo casu desiturum esse sub illis particulis quæ diuiduntur, & proximas replicationes imperceptibiliter extensum iri. Et similiter respondeti posset in casu, quo hostia non contineret adæquatè certum numerum talium particularum naturaliter indiuisibilium: scilicet tunc Christi corpus secundùm aliquas replicationes occuparetur imperceptibiliter maius aut minus spatium, vt adæquatè sit sub omnibus speciebus. Quæ responsio in hac sententia est eo facilior, quod nullo casu debeat concedere Christi corpus ratione solius fractionis specierum toties de nouo replicari, aut incipere ibi de nouo esse, sicut in altera sententia necessariò dicendum est. Tolerabilius enim est dicere, ratione diuisionis cum aliqua ratione desinere esse, aut mutare nonnihil modum essendi, quam reproduci.

Quomodo se habeat corpus Christi in diuersis fractionibus.

Respondent aliqui, in eo casu Christum non reproducendum, nec muraturum præsentiam, sed tantùm terminum præsentiæ. Sed contrà, cùm singulæ corporis Christi replicationes habeant præsentiam planè indiuisibilem, & in puncto constitutam; non possunt habere terminum: quia indiuisibile non habet terminum, sed est terminus rei diuisibilis. Quare vel Christus in illa noua superficie non erit, vel debebit nouam acquirere præsentiam vt ibi sit: quia non potest in ea esse ex vi prioris præsentiæ. Adde, casu quo species rarefiant, necessariò dicendum esse Christi corpus incipere occupare maiorem locum, quàm antea occupabat. Quod qua ratione fiat secundùm tertiam sententiam facilè potest explicari: secundum secundam verò nullo modo, nisi dicamus Christum de nouo ibi infinities replicari. 47

Quod si verò prior sola solutio de casu fractionis hostiæ videatur dura, longè facilius secundo respõderi posset, Deum facilè posse prouidere, ne vnquã hostia ita frangatur, vt aliqua ex iis particulis, quibus vna integra replicatio continetur, diuidatur: aut facilè initio omnes replicationes ita disponet, vt nulla sit sub tali particula specierum, quam aliqua ratione diuidendam nouit: atque ita omnis diuisio postea non per illas replicationes, sed inter eas fiat, quod Deo facillimum est. Quamuis autem dicta sententia videatur hac ratione posse vtcumque defendi: quia tamen ferè communiter reiicitur, & à plurimis creditur minus tuta in fide: puto ea reiecta hic via omnino tuta incedendum esse & verba Patrum ac Conciliorum in eo sensu accipienda esse, in quo ea Theologi, communiter intelligunt: ita scilicet vt nulla specierum particula tam parua aut sit, aut concipi possit, sub aqua non sit totus Christus, cum etiam hac ratione hæc difficultas explicari possit, vt ex dicendis patebit. 48

49 Quomodo corpus pos-

IV. Sententia assignat etiam illas partes naturali virtute indiuisibiles: vt tamẽ magis se cõformet modo

Sit spiritualiter existere.

loquendi multorum Doctorum, qui videntur absolutè dicere Christum esse totum in singulis partibus, idque modo quodam spirituali; & vt euitet primum & secundum argumentum, docet Christum quidem tantùm semel esse in illis singulis particulis, sed ita vt totus sit etiam in singulis partibus cuiusque particulæ quantumcumque diuidatur, non per sui formalem replicationem, sed per æquabilem substantiæ suæ diffusionem, ita vt in tota particula habeat esse completum, in partibus verò eiusdem incompletum: sicut anima in corpore humano. Quæ diffusio difficulter quidem à nobis concipitur, sed hoc non est mirum. Cùm enim pendeamus toti à sensibus, rerum spiritualium vix tenuissimam vmbram omni nostra industria concipimus. Quare non est cur negemus hunc modum spiritui naturalem, potentia diuina tribui posse corpori, cum non possit ostendi aperta implicantia, & alia multa, quæ non possumus concipere, in hoc Sacramento ponenda sint. Aliam difficultatem hæc sententia non habet quæ suprà non sit explicata. Et si bene legatur D. Bon. videtur hanc tenere, etsi pro priore citetur.

D. Bonau.

50 Vt defendamus mysteria fidei, sufficit ostendere ea non inuoluere apertam implicantiam.

Pro resolutione Nota 1. In defensione mysteriorum fidei non esse necesse vt ostendamus clarè à priore ea esse possibilia, sed sufficit vt à posteriore omnia argumenta contraria soluendo ostendamus non posse contra ea apertam adferri contradictionem. Hoc ipso enim satis ostendimus non esse negandum, quin Deo sint possibilia, & consequenter verba Scripturæ ea attestantia, propriè esse intelligenda.

51 Quid obseruandum in illis explicandis.

Nota 2. Quando fides nos docet aliquid factum esse, aut fieri, nec tamen expressè docet modum quo factum est, tunc vt colligamus quomodo hoc fiat; videndum esse primò, quisnam inter varios modos sit maximè conformis dictis Scripturæ, Conciliorum ac Patrum. Secundò, quisnam possit facillimè ostendi nullam inuoluere contradictionem, nec quidquam quod sit contra rationem aut dignitatem illius mysterij. Nam cùm certum sit, multa quidem mysteria fidei esse supra rationem naturalem; nulla tamen esse contra rationem: in iis explicandis quantum fieri potest ea semper via eligenda est, in qua minima appareat cum naturali ratione repugnantia: ita tamen vt magis credamus fidei, quæ errare nequit, quàm lumini naturali, quod sæpè fallit.

52 Vnde sequitur primò, si continuum componatur ex indiuisibilibus, dicendum esse Christum ibi secundùm singulas replicationes omnino esse indiuisibiliter secundùm locum. Patet, quia sic omnes dictæ difficultates satis facilè explicantur.

53 2. Supponendo veriorem & communissimam sententiam, quæ docet continuum esse diuisibile in infinitum, si corpus per diuinam potentiam possit ita existere vt in certo spatio semel tantùm sit, ita tamen vt totum sit in toto, & totum in singulis partibus, sicut spiritus coëxtenditur loco non per sui replicationem, sed per quandam sui æquabilem diffusionem, vt ostendi quæstio 75. artic. 4. distinct. 3. tunc videtur 4. Sententia cæteris probabilior: quia Conciliorum ac Patrum verbis etiam in rigoroso omnino sensu planè conformis est: nec in ea potest ostendi vlla alia contradictio. Deinde in ea facillimè explicatur quædam alia difficultas, quam præter dictas, secunda sententia valde grauem patitur: scilicet, quid tandem fiat, quando species valdè rarefiant (quod in calice facilè fieret) atque ita multò plus loci quàm antea occupant. Nec enim dici potest eas tunc plus loci occupare, quàm Christi corpus; nec etiam satis concipitur quomodo Christi corpus per easdem indiuisibiles replicationes tunc plus loci occupet, quàm antea, nisi dicamus replicationes multiplicari, quo casu sequuntur omnes difficultates, quæ primæ sententiæ obiiciuntur. Quarta autem sententia facillimè respondet, tunc replicationes nonnihil magis extendi, non per rarefactionem corporis Christi, sed sicut anima extenditur dum corpus hominis crescit. Quare etiamsi continuum constaret ex indiuisibilibus, crederem tamen eo casu singulas replicationes accipere aliquam extensionem in ordine ad locum. Quia aliàs concipi nequit, quomodo incipiant plus loci occupare quàm antea: quod tamen necessarium est vt tantum loci occupent, quantum species occupant. Quare 2. sententia necessariò debet dicere, eo casu aut singulas replicationes quæ antea erant indiuisibiles, incipere habere aliquam extensionem in ordine ad locum, quod tamen omnino conatur vitare: aut sub aliqua parte specierum non esse corpus Christi, quod nullo modo dici potest: quia tunc species, præsertim si illa particula separaretur, nullo modo essent infallibile signum præsentiæ Christi, & forma redderetur falsa, quæ non tantùm significat Christum esse sub speciebus dum pronunciatur, sed tam diu mansurum, quam diu species manent integræ.

54 Quomodo se habeat corpus Christi quando species rarefiunt.

Quod si aliquis in hac sententia difficulter possit concipere quomodo corpus dicta ratione instar substantiæ spiritualis per aliquod spatium ita diffundatur, vt in eo tantum semel sit, & tamen sit totum in singulis eius particulis, cogitet se etiam non posse concipere quomodo anima nostra sit tantum semel in nostro corpore, & tamen sit tota in singulis eius partibus: atque ita fateatur illud non debere ideo credi falsum aut impossibile, quia non possumus id satis concipere. Quare nec ideo hæc dicta sententia improbari debet, quia hoc difficulter à nobis potest concipi: sed potius præ cæteris probari, eo quod inter omnes minores patiatur difficultates, & hoc mysterium commodissimè explicet.

55

Quo autem tota res sit expeditior, & minùs pendeat à philosophicis disputationibus, si quis cõtendat non posse dari tam paruum corpus, quin Angelus possit adhuc id diuidere, poterit nihilominus 4. sententiam tueri, dicendo quòd certissimum est, dari posse tam paruum corpus, quod homo nulla ratione possit vlteriùs diuidere, imò quod nec sensu percipere possit. Dicat igitur vel sub his singulis vel si lubeat, sub millesima cuiusque parte, ita cõtineri corpus Christi, vt completè tantùm semel sit in tota illa particula, cum aliqua tamen extensione in ordine ad locum, secundùm explicationem 4. sententiæ. Quomodo autem corpus quantum possit esse in tam paruo loco, aut etiam in puncto, dicem: art. 4.

56

ARTICVLVS IV.

Vtrùm tota quantitas dimensiua corporis Christi sit in hoc Sacramento?

ARTIC. IV. docet, totam quantitatem corporis Christi esse in hoc Sacramento, non vi verborum, sed per concomitantiam.

57

DVBIVM.

Vtrùm quantitas ac reliqua accidentia, quæ corpus Christi habet in cælo, sint etiam in hoc Sacramento?

NOta Primò, præcipuam hîc esse difficultatem circa quantitatem. Qua in re prima sententia est Durandi in 4. d. 10. q. 2. qui etsi fateatur quantitatem esse aliquod accidens realiter distinctum à substantia; tamen valdè inclinat in eam partem, vt asserat quãtitatem corporis non esse in Sacramento. quia putat de essentia quantitatis esse, vt sit extensa in ordine ad locum. Vbi etiam multa alia dicit satis periculosa in

58 *Durandus.*

doctrina fidei, v. c. corpus Christi ibi tantùm esse per quemdam ordinem siue habitudinem ad species, quæ satis refutauimus suprà q. 75. art. 1.

Nominales. Secunda sententia est Nominalium, qui putant quantitatem non esse nisi modum quemdam substantiæ, quo formaliter est extensa in ordine ad locum. Cùm igitur Christus in hoc Sacramento non habeat eam extensionem, quam habet in cælo; negant eius corpus ibi esse quantum: aiunt tamen quãtitatem corporis Christi ibi esse secundùm suam entitatem materialem. quia hæc non distinguitur à corpore Christi. Ita Gabriel in 4. d. 10. art. 2. concl. 2.

Gabriel.

D. Thom. Tertia sententia est D. Thomæ hîc, & ferè communis Theologorum, quantitatem corporis Christi esse in hoc Sacramento.

59 Nota Secundò, inter has sententias esse differentiam, partim in modo loquendi, quatenus secunda dicit extensionem in ordine ad locum esse formalem rationem quantitatis: tertia eam extensionem non vocat quantitatem, sed modum quantitatis. partim etiam in re, quatenus secunda sententia dicit corpus seipso immediatè postulare esse extensum in ordine ad locum, & natum aliud corpus ex eodem loco expellere: tertia verò dicit corpus hoc habere per aliquod accidens realiter à se distinctum. Vt autem hæc faciliùs intelligantur.

60 Nota Tertiò, sicut spiritui naturale est propter suam perfectionem habere totam suam entitatem indiuisibilem, & quam possit ad punctum contrahere, & latiùs extendere: ita corpori propter imperfectionem naturale est habere entitatem diuisibilem in partes, quarum singulæ habeant distinctas entitates, quæque postulent, vt conuenienter naturæ suæ existant, occupare locum, ita vt alterum corpus ab eodem excludant.

Differẽtia inter corpus & spiritum.

61 Nota Quartò, sicut angelus potest tripliciter concipi, Primò, vt substantia ex se requirens vim intelligendi; Secundò, vt actu habens hanc vim, qua possit intelligere; Tertiò, vt actu intelligens: ita corpus potest concipi; Primò, vt natum est occupare locum; Secundò, vt in actu primo potens occupare locum, & ex eo aliud corpus excludere; Tertiò, vt de facto occupans locum. Sicut autem disputatur, vtrùm vis intelligendi distinguatur realiter à substantia angeli: ita etiam disputatur, vtrùm potentia illa in corpore occupandi locum, aliúdque corpus excludendi, differat à substantia corporis. Thomistæ enim omnes affirmant: Nominales negant, volúntque quantitatem nihil esse aliud, quàm extensionem in ordine ad locum.

Corpus potest tripliciter considerari in ordine ad locum.

Thomistæ. Nom. contra.

Qua ratione extensio possit dici quantitas. Quod tripliciter potest intelligi. Primò, vt illa extensio nihil aliud sit quàm præsentia & quædam habitudo corporis ad hunc locum, quam corpus mutat quoties mutat locum, quámque alij vbi quantitatiuum vocant: & in eo sensu aliqui illos auctores intelligunt, & oppugnant. Sed nulla est apparentia eam fuisse mentem illorum auctorum.

62 Secundò, vt illa extensio idem sit atque modus quidam corporis, quo, vbicunque sit, necessariò occupat certum spatium, v. c. longum sex pedes, latum tres, & profundum duos: qui modus manet quidem idem in diuersis locis, mutatur tamen quoties illud corpus mutat figuram; vt si plicetur, aut alia ratione fiat duplo latius, & media parte breuius. Sed nec credo hanc esse mentem illorum auctorum, quia hic modus supra quantitatem inuoluit etiam figuram: & ex illo modo dicendi sequeretur me aliam habere quãtitatem dum sto, aliam dum sedeo, quod est contra communem conceptum: nec credo hoc illos auctores admitturos.

Tertiò, vt quantitas sit modus corporis, quo necessariò occupat tantum vel tantum spatium, siue rotundum sit, siue quadratum, siue oblongum: qua ratione area lata vno pede & longa quatuor, & alia lata duobus & longa duobus, habent eandem quantitatem. Item triangulus isosceles, cuius basis est vnius pedis, & diameter duorum pedum, habet aream eiusdem quantitatis cum quadrato vnius pedis. Et manus clausa eandem retinet quantitatem, quam habuit explicata.

Quidquid autem de hac quæstione sit, hoc necessariò est fatendum, quòd, sicut angelus in puncto positus potest dici maior magnitudine virtutis, alio extenso in ordine ad locum: ita etiam corpus minorem locum occupans potest dici maius magnitudine molis alio maiorem locum occupante. Quis enim neget globum ligneum plus substantiæ in se continere globo aëreo duplo maiorem locum occupante, & consequenter in illo magnitudinem molis maiorem esse quàm in hoc? etiamsi hic alia ratione possit dici maior ratione maioris extensionis: sicut si ingens vermis se omnino contrahat, potest aliqua ratione dici breuior alio minore quidem sed extenso; absolutè tamen est longior. Vnde patet nomen quantitatis aut magnitudinis esse aliqua ratione æquiuocum. Accipitur enim quandoque pro ipsa, vt ita dicam, multitudine substantiæ, prout abstrahit à magna vel parua extensione in ordine ad locum: aliàs pro eiusdem extensione in ordine ad locum. Prior significatio est magis propria, etsi secunda in vulgi conceptibus sit communior. Hæc tamen magis dicenda est modus quantitatiuus, quàm quantitas. Nam si ex duobus poculis aquæ Deus illam aquam ita constipet, vt tantùm quartam partem poculi impleat, propriissimè dicetur ibi tantum esse aquæ, siue, quod idem est, tãtam quantitatem aquæ, quanta hîc est: licet hæc habeat maiorem extensionem in ordine ad locum. Et vt vtar quotidiano & notissimo exemplo, lac in olla feruenti valde rarefactum obtinet quandoque triplo plus loci quam antea; & tamen secundum communem sensum dicimus tantum esse lactis, siue tantam quantitatem lactis dum friget, quanta est dum feruet.

63 *Corpus condensatum est maius magis extenso.*

Quantitas dupliciter accipitur.

64 Hinc patet Primò, essentiam ipsam corporis quanti (siue substantia per se quanta sit, siue per accidens realiter distinctum) non consistere in actuali extensione in ordine ad locũ. quia alioqui hac variata illa variaretur. quod patet falsum esse ex dictis de duobus poculis aquæ. Vnde sequitur, per absolutam Dei potentiam posse corpus conseruari quantum sine vlla extensione locali: sicut accidens potest conseruari sine inhærentia, & substantia sine propria subsistentia. Quæ etsi ratione naturali non possimus omnino conuincere, tamen secundum & tertium omnes Catholici fide credunt: quare non similiter credamus corpus quantum posse esse sine extensione in ordine ad locum, quæ, vt ostendi, non est de ratione formali quantitatis, sed naturâ posterior? Et confirm. Primò quia cum aliquod corpus retinens eandem quantitatem ratione rarefactionis & condensationis possit naturaliter quadruplo vel quintuplo maiorem locum occupare vno tempore quam alio; nulla videtur esse ratio cur Deus non possit facere, vt vel ferè, vel etiam omnino indiuisibilem locum occupet. Confirmatur Secundò, quia Matt. 19. apertè dicitur, Deum posse facere vt camelus transeat per foramen acus; quo casu necessarium esset, vt locum ferè indiuisibilem obtineret: nec faciliùs possumus concipere quomodo hoc fieri possit, quàm quomodo possit esse in loco omnino indiuisibili. Quare quod dicit D. August. ad Dardanum epist. 57. *Spatia locorum tolle corporibus, & nusquam erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt.* intelligendum est de corporibus suæ naturæ relictis.

Non consistit essentialiter in extensione.

Corpus quantum potest conseruari sine extensione.

Matth. 19.

D. August.

65 Patet Secundò, quod ad præsentem quæstionem attinet, vt explicemus modũ quo Christus est in hoc Sacramento. parum refert siue dicas quantitatem distingui à substãtia siue non. quia secundùm vtramque

sententiam poterit Christi corpus dici esse quantum in hoc Sacramento. Nec etiam ratio naturalis quidquam hac in re potest conuincere: quæ maximè vera sunt, si concedamus formas substantiales partiales, quas necessariò concedendas esse ostendi a. 2. Nihilominus ob quædam quæ dicam q. 77. a. 2. puto probabilius esse, quantitatem realiter distingui.

66 CONCLVSIO I. Christus in Vener. Sacramento habet totam suam quantitatem, quam habet in cælo; non tamen habet eandem extensionem in ordine ad locum.

Secunda pars per se patet, & ex dictis suprà, vbi ostendimus Christum hic exiltere totum in minimis quibusque partibus: quod repugnat illi extensioni.

67 Prima pars probatur, quia vel hæc quantitas non distinguitur à substantia corporea: & tunc clarum est totam eius quantitatem ibi esse, quia tota substantia ibi est. Vel si distinguatur, tunc erit necessarium, vt corpus Christi sit ibi perfectè organicum eo modo, eáque dispositione, quæ requiritur vt anima possit ipsum informare. Item vt retineat formam humanam, ac decentem membrorum proportionem, quæ concipi non possunt sine quantitate, sine qua substantia non postulat habere partem extra partem, nec in ordine ad locum, neque in ordine ad se: quorum secundum saltem necessarium est ad rationem corporis organici; aliàs esset mera membrorum confusio.

Corpus Christi in Sacramẽto est organicum, & cũ decenti forma.

Probatur Secundò, quia quantitas saltem est necessaria ad perfectionem corporis humani. Nam sine ea non potest corpus concipi, nisi planè informe: & per consequens debemus eam concedere Christo in Eucharistia. quia non repugnat eum ibi esse quantum, vt ostendimus: & omnis perfectio ei naturaliter conueniens, quam ibi habere potest, ei concedenda est.

68 Vbi Nota Primò, partes corporis Christi se mutuo propriè non penetrare, quia sic essent ibi omnino confusæ, & quasi quoddam chaos. Quare etsi fortè nullum omnino habeant ordinem ad diuersa loca; habent tamen ordinem intrinsecum, ita vt secundùm hunc vna pars sit aliquo modo extra aliam. Nam inter caput & pedes verè medium est collum, pectus, venter, tibiæ; vnde pedes capiti non immediatè, sed illis ordine suo mediantibus vniuntur. Ordinem autem quem habent partes corporis inter se præcisè vt constituunt corpus organicum, esse distinctum ab eo quem habent in ordine ad locum, patet: quia vnus potest variari altero manente inuariato, vt apertè videmus in testudine, quæ habet eundem ordinem internum partium organicarum, siue se extendat, siue in globum quodammodo contrahat.

Partes corporis Christi se mutuo non penetrant.

69 Nota Secundò, corpus Christi hìc propriè non condensari. quia sic perturbaretur tota ratio corporis organici, quæ exigit vt diuersæ partes habeant diuersam raritatem ac densitatem. Nam ossa requirunt quandam densitatem ac materiæ constipationem, quæ repugnat naturali constitutioni oculorum, cerebri, sanguinis, aliorúmque humorum, quæ omnino decet, quantum fieri potest, naturalem suam constitutionem retinere. Nec enim in hoc Sacramento quidquam admittendum, quod decorem maiestati Christi conuenientem tollat. Omnis autem eius forma & decor, imò omnis forma humani corporis per talem condensationem periret.

Corpus Christi nõ condensatur.

70 Dices Primò, Corpus Christi retinens eandem quantitatem, non potest minorem locum occupare nisi constiperur: nec maiorem, nisi rarefiat.

Resp. hoc tantùm verum esse de corpore existente modo naturali & quantitatiuo, cum naturali ordine ad locum. Secùs est de corpore existente modo supernaturali & spirituali, qui abstrahit ab huiusmodi ordine ad locum.

71 Dices Secundò, Spiritus non potest existere modo corporali, ita vt habeat partes extra partes: ergo nec corpus modo spirituali.

Cur corpus potiùs possit existere modo spirituali, quã spiritus modo corporali.

Resp. negando conseq. Quia ille modus existendi supponit rem existentem habere partes, quibus spiritus caret. quantitas autem corporis non supponit extensionem ad locum, seu modum quantitatiuum, sed hic potiùs illam supponit. quare illa vt prior potest esse sine hoc. Atque ita hoc argumentum potiùs à nobis facit. Sicut enim angelus etsi non habeat partes, potest tamen se per locum extendere: ita diuina virtute potest fieri, vt corpus quod habet partes, sine hac extensione existat. Nec refert quòd non possimus concipere quomodo fieri possit vt corpus ita existat: quia non possumus etiam concipere quomodo fieri possit vt spiritus se per spatium extendat. Quare necessariò nobis fatendum est, Deum multa posse facere, quæ non possumus concipere.

Ex dictis patet, etsi corpus Christi non habeat propriè figuram situalem, quæ sequitur modum quantitatiuum; habere tamen intrinsecam, quæ per se sequitur aptam partium organicarum inter se dispositionem.

72 CONCLVSIO II. Omnia etiam accidentia tam naturalia quàm supernaturalia, quæ permanenter sunt in corpore Christi in cælo independenter ab omni ordine ad locum; sunt in eodem per concomitantiam in Venerabili Sacramento, Probatur, quia hoc ad perfectionem & dignitatem corpori Christi debitam pertinet, nec vllum inuoluit incommodum.

73 CONCLVSIO III. Idem dicendum de actionibus internis permanentibus: quales sunt visio & amor beatificus. Quia conuenit omnino Christum ibi exercere huiusmodi actiones; & congruentius est id fieri eadem numero actione, quàm tot diuersis, quoties est in Sacramento toto mundo replicatus. Secùs quibusdam videtur dicendum de actionibus transeuntibus; quales sunt breues aliquæ volitiones aut cogitationes. Quia cùm non possit hæc replicatio fieri nisi supernaturaliter, non est ponenda sine iusta causa, qualis hìc nulla videtur occurrere.

An Christus habeat omnes actiones easdem in cælo ac Sacramento.

74 Sed contrà adferri posset, quòd Christus existens in Sacramento omnia omnino sciat quæ agit aut cogitat vt est in cælo. nec enim est vlla ratio id negandi, præsertim cùm constet inter Doctores, ipsum per scientiam infusam & beatam videre secreta cordium omnium creaturarum, nec ab eo vlla distantia impediri; vnde sequitur, cum ea omnia intelligere & cogitare in Sacramento, quæ cogitat in cælo. Vnde etiam probabiliter infertur, cum vtrobique etiam eadem velle, cùm vtrobique eadem ei obiiciatur ratio volendi & cogitandi. Vnde cùm non videatur dicendum id fieri distinctis actionibus (alioquin idem dicere possemus de visione beatifica) videtur dicendum quòd fiat eadem actione, Deo singulariter concurrente, vt intellectus & voluntas Christi actiones omnes easdem numero in cælo & in Sacramento producant.

Christus in Sacramẽto nouit omnia quæ nouit in cælo.

75 CONCLVSIO IV. Qualitates transeuntes non pertinentes admodum ad perfectionem & dignitatem Christi, quæ accidunt ei vno loco, non videntur in eo poni vt est in alio loco. Hinc si tempore passionis fuisset seruata Venerab. Eucharistia, Christus in ea non subiisset illas alterationes & dolores, quos patiebatur extra illam. Nec enim vlla est ratio cur dicamus Deum hæc immediatè Christo inflicturum. Secùs verò est de pertinentibus ad eius dignitatem.

Christus in Sacramẽto tempore passionis seruatus nihil in eo fuisset passus.

Hinc eo casu post resurrectionem corpus eius in Ven. Eucharistia etiam accepisset qualitates omnes glorioſas, quas habebat extra.

Susceptisset tamen postea dotes glorioſas.

ARTICVLVS V.

Vtrùm corpus Christi sit in hoc Sacramento sicut in loco?

76 RTICVLO V. docet, corpus Christi non esse sub speciebus vt in loco, accipiendo nimirum locum secundùm Aristotelem pro superficie corporis extrinsecè ambientis. Patet, quia Christus non ambitur ita à speciebus, sed intimè eis coëxistit: sicut substantia coëxistit accidentibus; duplici tamen differentia. Primò, quia accidentia inhærent substantiæ; species tamen non inhærent corpori Christi. Secundò, quia tota substantia tantum semel est sub accidentibus, & secundùm diuersas suas partes subest diuersis eorum partibus; corpus verò Christi sæpiùs est sub speciebus. Nam est totum ac omnino integrum sub minimis quibusque particulis.

Christus aliter est sub speciebus, quàm subiectum sub accidentibus.

77 Petes, Vtrùm saltem sit in spatio quod species occupant tanquam in loco? D. Thomas ad 1. videtur id negare: quia neque est ibi circumscriptiuè, quia hoc modo tantùm dicuntur esse in loco, quæ quantitatiuè in loco sunt; ita vt secundùm se tota toti loco, & secundùm suas partes eius partibus commensurentur: Christus autem hîc est modo spirituali planè diuerso, vt patet ex dictis.

D. Thom.

Neque etiam definitiuè. quia, vt ipse D. Thomas ait, sic tantum sunt in loco, quæ ita in eo sunt, vt non sint simul alibi: Christi autem corpus simul est alibi. Sed secundùm hunc modum loquendi anima Christi non esset in cælo definitiuè in loco; quia est alibi, scilicet in Sacramento.

Quid sit esse definitiuè in loco.

78 Alij latiùs sumunt esse definitiuè in loco, scilicet vt id dicatur esse definitiuè in loco, quod ita in vno, aut etiam pluribus locis est, vt tamen secundùm modum quo in iis existit, sine nouo miraculo non possit incipere esse, se toto in alio loco omnino separato, nisi deserat aliquem ex prioribus locis. Vel (vt alij definiunt) quod ratione modi quo existit, certam ac determinatum spatium requirit, quod totum possit occupare, & non ampliùs. Et secundùm hos Christi anima in cælo est verè definitiuè in loco: quia secundùm modum quo ibi existit, sine nouo miraculo, nec potest maiorem locum occupare, nec esse alibi priorem locum non deserendo. Et simili modo si angelus per replicationem poneretur in duobus locis omnino distinctis, esset in vtroque definitiuè. Neutro autem modo Christi corpus hîc est in loco. Non primo, quia si hostia frangatur, poterit Christus in vna parte hîc manere, & in alia aliò deferri. Non secundo, quia, quantum est ex modo quo hîc existit, posset maiorem ac maiorem locum occupare, si maior materia consecraretur. Et quamuis modus quo incipit esse per consecrationem in diuersis locis, sit nouum quoddam miraculum, si comparetur cum modo quo Christus existit in cælo; non tamen est nouum miraculum, si comparetur cum modo quo alibi existit in Sacramento: quia planè est eiusdem rationis, & supponit institutionem huius Sacramenti. qua posita quòd Christus incipiat per consecrationem esse sub Sacramento, non tam nouum est miraculum, quàm ordinarius diuinæ prouidentiæ agendi modus.

79 Sed quidquid his de rebus sit, quæ spectant ad meram nominis quæstionem patet ex Trid. sess. 13. Christum in omnibus locis, vbi sunt species consecratæ, verè, realiter ac substantialiter esse præsentem. quod est inconcipibile si in illis locis non sit. Quare etsi Christus altiore ibi modo sit, quàm vel angeli, vel corpora sunt in loco; verè tamen in illis locis est. & hoc omnino Catholicis fatendum est, nisi velint contra communem vsum votabulis abuti, dicendo Christi corpus esse quidem hîc præsens, non tamen esse in hoc vel alio loco: quasi aut vocabulum *hîc* desierit esse aduerbium loci, aut possit realiter hîc dici præsens, quod nec hîc, nec alibi est.

Trident.

Christus sacramentaliter existens est verè in loco.

Nec obest quòd communiter dicuntur tantùm duo esse modi, quibus res possunt esse in loco. quia hoc intelligendum est de rebus existentibus in loco modo naturali. Nec enim per hoc potest impediri Deus ne alio modo res in loco ponat.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm corpus Christi sit mobiliter in hoc Sacramento?

80 RTICVLO VI. docet Primò, Christum in hoc Sacramento non posse moueri per se, sed tantùm per accidens, ratione specierum quæ per se mouentur. Ratio eius est, quia corpus Christi non est in Sacramento sicut in loco. quod intellige secundùm dicta art. 5.

81 Ex quibus patet, D. Thomam non negare corpus Christi verè moueri (vt vult Caiet.) sed negat ipsum moueri per se. quia D. Thomas illa sola vult esse per se in loco, & moueri localiter; quæ quantitatiuo modo sunt in loco; sicut corpora naturaliter sunt in loco. Sed hæc acceptio loci & motus est nimis stricta. quia sic angeli verè & propriè nec essent per se in loco, nec mouerentur: cuius contrarium ostendi quæst. 73. art. 4. dub. 1. Alia tamen ratione posset dici corpus Christi non moueri in hoc Sacramento per se, sed per accidens: quia is qui mouet Sacramentum, non imprimit vllum impetum immediatè corpori Christi, sed solis speciebus, quibus motis illud etiam mouetur.

D. Thom. Caietan.

Corpus Christi in Sacramento verè mouetur: Licet aliqua ratione per accidens.

82 Docet Secundò, Christum non desinere esse in hoc Sacramento per se, seu ratione sui, quasi in ipso sit aliqua causa desitionis: sed tantùm ratione specierum desinentium esse. Quia nimirum his corruptis Deus desinit ibi conseruare corpus Christi. quæ sequentibus dubiis latiùs explicabo.

DVBIVM I.

Quomodo Christi corpus in Sacramento moueri possit?

83 NOta duplicem hîc esse difficultatem. Primò enim quæritur, An corpus Christi, vt est in Sacramento, possit verè moueri.

Prima sententia est Durandi in 4. d. 10. quæst. 3. vbi docet corpus Christi in hoc Sacramento nullo modo posse moueri localiter. Ratio eius est. quia non est ibi localiter, sed tantùm per quendam respectum. Sed hic modus loquendi Durandi est periculosus in fide. Nam videtur negare veram & realem Christi præsentiam in Sacramento. Huic sententiæ valdè fauet Caietan. hîc. Nam §. *Ad euidentiam*. dicit, se solis verbis à Durando dissentire, & fatetur corpus Christi secundùm se non moueri; debere tamen dici moueri per accidens motis speciebus. Vbi videtur insinuare, Christum tantùm dici moueri per denominationem extrinsecam. Et in solutione argumentorum in fine dicit, mouentem species non mouere corpus Christi, sed solam eius præsentiam. Quæ nescio quomodo possint intelligi, nisi velit Christum ibi tantùm esse præsentem per denominationem extrinsecam.

Durandi.

Caietan.

Secunda sententia est D. Thomæ hîc, & communis Thomistarum, scilicet corpus Christi in Sacramento non posse moueri per se, sed tantum per accidens, ratione

D. Thom. Thomistæ.

ratione motionis specierum. quod qua ratione intelligendum sit, suprà explicui.

Secunda difficultas est: A quo possit corpus Christi in Sacramento moueri?

84 *Scotus.* Primò, Scotus in 4. d. 10. q. 6. docet, corpus Christi in Sacramento à solo Deo, vel à seipso moueri posse. Quia non potest à nobis immediatè tangi: & cùm non habeat vllam physicam connexionem cum speciebus, his motis non necessariò mouetur.

Palud. Richard. Secundò, alij volunt Christum in Sacramento verè moueri ab eo qui mouet species. Ita Palud. in 4. dub. 10. q. 3. art. 3. Richard. ibid. art. 4. q. 1. in corpore. & ferè communiter Theologi. Multi tamen inter se dissentiunt, vt explicent qua ratione id fiat: vt infrà videbimus.

Tertiò, alij putant Christum, vt est in Sacramento, neque à seipso, neque ab vlla creatura propria virtute per se posse moueri: ita scilicet vt vel species non moueantur, vel motus non incipiat ab iis: sed à corpore Christi, ita vt ipsę non trahant corpus secum, sed trahantur ab ipso corpore. Ratio eorum præcipua est. quia per motum localem debet in moto produci aliquod vbi, siue modus realis, qui in corpore Christi est omnino supernaturalis, & consequenter naturaliter produci nequit. Sed hoc fundamentum satis refutaui q. 75. art. 4. dub. 1. concl. 2.

85 CONCLVSIO I. Corpus Christi verè & propriè mouetur localiter in Eucharistia.

Trident. Probatur Primò, quia Trid. sess. 13. cap. 5. & 6. dicit corpus Christi circumferri in processionibus, deferri ad ægroros, &c. atqui hoc est moueri: ergo.

Secundò, quia corpus Christi, dum defertur ad ægrotum, verè fit illi præsens cùm antea non esset, idque non tantùm ratione specierum, sed per seipsum. Nam Christus tum ægroto non solùm per respectum ad species, sed per seipsum verè, realiter ac *Trident.* substantialiter præsens est; vt patet ex Trident. sess. 13. can. 1. ergo etiam in se acquirit nouam præsentiam; nec aliter quàm per motum localem: ergo etiam in se mouetur.

Tertiò, corpus Christi, dum in Sacramento circumfertur, potest verè & realiter dici esse hìc per seipsum: sicut per seipsum verè & realiter est in Sacramento, & non esse ampliùs ibi, vbi antè erat, idque successiuè, & transeundo per medium. quod nihil aliud est quàm moueri localiter; sicuti propriè etiam est in loco: licet non modo quantitatiuo, vt dixi art. 5.

86 CONCLVSIO II. Corpus Christi verè & realiter mouetur ab eo qui mouet species.

Trident. Probatur Primò, ex Trident. suprà c. 5. & can. 6. & 7. Vbi docet Vener. Sacramentum in processionibus circumferri, & ad ægros deferri. Certè à sacerdotibus defertur. Nec nomine Sacramenti solæ species intelliguntur, sed ipsum etiam corpus Christi, & quidem præcipuè. quod autem aliquis circumfert, necessariò mouet.

Non possumus dici comedere id quod non mouemus. Probatur Secundò, quia de fide est, nos verè comedere corpus Christi: ergo illud mouemus. quia comedere nihil est aliud quam cibum ex ore ad stomachum traiicere. Quòd si Deus per se traiiceret corpus Christi in nostrum stomachum, nobis nullo modo actiuè concurrentibus, possemus quidem dici recipere illud, non tamen comedere. Comestio enim est actio vitalis: & aliàs cadauer posset dici comedere, si angelus cibum per os & guttur eius in stomachum traiiceret. Vide dicta q. 75. art. 1. concl. 2.

87 Dices, Vt aliquid moueatur ad motum alterius, debet cum illo habere physicam aliquam vnionem: atqui hìc nulla est talis vnio inter corpus Christi & species: ergo illud ad harum motum non necessario mouetur. Maior patet. quia si angelus penetraret lapidem, mouens lapidem non moueret angelum, sed hic maneret eodem loco, nisi simul se cum lapide moueret.

Variè ad hoc argumentum respondetur. Quidam putant inter corpus Christi & species esse formalem vnionem similem ei, quæ fuit inter substantiam & species excepta inhæsione. Sed hoc videtur implicare. Nam secluſa inhæsione, nulla formalis vnio est inter substantiam & accidens, nisi quòd sint in eodem loco.

Alij ponunt vnionem effectiuam, qua corpus Christi effectiuè trahit ad se species, & hæ corpus Christi, sicut magnes ferrum. Item volunt corpus Christi effectiuè concurrere ad conseruationem specierum extra subiectum: species item eleuatas per potentiam obedientialem effectiuè in corpore Christi producere sacramentalem præsentiam: atque ita dum mouentur, sicut ipsæ nouam præsentiam acquirunt, ita nouam in corpore Christi producere: & consequenter illud mouere. Sed hæc sententia inuoluit multa difficilia, nec vllo modo necessaria. Nam in primis supponit quidlibet posse eleuari ad quidlibet effectiuè producendum. quod suprà q. 62. art. 4. satis refutauimus. Secundò supponit non posse Christi corpus vt existit in Sacramento, vlla vi creata acquirere nouam præsentiam, eò quòd hæc præsentia sit supernaturalis, & nulla creatura possit producere aliquid supernaturale. Sed eadem ratio probaret brutum non posse mouere hominem illo effectiuè non concurrente, quia anima eius debet acquirere nouam præsentiam, quam brutum non potest producere. Quia clarum est naturaliter corpus non posse agere in spiritum. 88

Respondeo igitur ad argumentum, neg. minorem, si physicam hanc vnionem largè sumas: qualis etiam esse potest inter nauim & eum qui insistit naui, aut eam manu tenet, & ita simul cum ea mouetur. Qua de re tota, & qualis hæc vnio, vide dicta q. 75. art. 4. dub. 1. concl. 2. & dub. 2. concluſ. 1. & 2. quibus locis clarè ostendi, Christi corpus seipso immediatè esse præsens illi loco in quo Vener. Sacramentum est, & per mutationem localem nullum nouum modum realem in se recipere: atque ita etsi modus quo existit in Sacramento totus in toto, & totus in qualibet parte, sit omnino supernaturalis; hoc tamen supposito eius præsentia est planè naturalis, & tam facilè eam mutare potest, quàm si existeret modo naturali: & species vnà cum ipso tam facilè moueri possunt, ac si esset ibi solus panis. quia corpus Christi non resistit motui. 89 *Quomodo corpus Christi possit à nobis moueri.*

CONCLVS. III. Non possumus immediatè siue independenter à speciebus Christi corpus, vt in Sacramento existit, mouere localiter. 90

Patet, quia non possumus illud immediatè vlla actione attingere; nec possumus aliquid mouere nisi ipsum aliquo modo attingamus, saltem per aliquod instrumentum, siue corpus à nobis motum: vt fit quando baculo aut flatu aliquid impello. Et idem dicendum est de quauis creatura corporali. quia neque potest ipsum immediatè attingere, neque aliquid in eo producere, quo ipsum ad se attrahat, vt magnes ferrum. Nec est alius modus quo vnum corpus possit aliud mouere.

CONCLVSIO IV. Christus vt est in Sacramento, non potest se mouere motu progressiuo, quia ad hoc requiritur extensio ad locum; potest tamen se mouere motu simplici, sicut grauia feruntur deorsum: tum extra species egrediendo, quod tamen numquam credo feciſſe: tum etiam simul cum speciebus, quod probabile etiam est eum feciſſe in iis casibus, quibus legimus hostias sacras quandoque inuisibiliter moras nemine eas tangente. 91 *Quomodo Christus seipsum mouere possit.*

Prior pars per se patet. quia ad motum progressiuum requiritur vt vna pars moueatur ante alteram; &

consequenter vt sit in diuerso loco, vt quotidiana docet experientia in incedentibus. Secunda pars probatur, quia nulla est ratio cur id ei videatur negandum, cùm omnibus Beatis commune sit posse hoc modo sua corpora mouere. Nec obest modus indiuisibiliter existendi, quia anima non indiget ad hoc organis corporis; sed vno impulsu ipsum corpus sine eius cooperatione mouet, sicut spiritus corpora assumpta.

Animæ beatæ mouent sua corpora sicut spiritus corpora assumpta.

CONCLVSIO V. Posset etiam angelus hoc modo mouere immediatè corpus Christi independenter à speciebus, si ipse permitteret. 92

Probatur, quia, cùm, sicut suprà ostendi, vt corpus Christi prout est in Sacramento moueatur, nihil supernaturale debeat in eo produci; nulla videtur hîc maior difficultas, quàm in motione qua vnus angelus mouet alium angelum. Posse autem vnum angelum mouere alium præsertim non resistentem, non videtur posse esse vllum dubium, posito quòd angelus seipso immediatè sit in loco, & localiter moueatur: vt ostendi q. 75. art. 4. dub. 1.

DVBIVM II.

Vtrùm corpus Christi existens in Sacramento possit alterari ab agentibus naturalibus, aut eadem alterare?

93 HAc in re certum est Primò, diuina virtute vtrumque fieri posse. Nulla enim est ratio cur Deus non possit diuersas qualitates in corpore Christi vt est in Sacramento producere, & cum eo ita concurrere, vt possit corpora circumstantia alterare.

Secundò, certum est corpus Christi iam de facto, quia glorioſum est non posse vllo modo ab vlla creatura alterari, quia hoc est contra dotem impassibilitatis. Nec de his cassibus est vlla difficultas. Procedit ergo quæstio de casu quo corpus Christi poneretur sub Sacramento passibile, quale fuit in vltima cœna.

Nominales, Gabriel. Maior.

Prima sententia est Nominalium affirmantium eo casu Christi corpus posse naturaliter agere & pati. Ita Gabriel in lect. 45. in can. lit. Q. Eámque etiam insinuat in 4. d. 10. a. 2. concl. 3. Maior ibidem q. 3. circa medium, & alij.

Scotus, Suar. D. Thom. Thomistæ.

Secunda sententia planè contraria docet, Christi corpus eo casu nec posse naturaliter alterari, nec alia corpora alterare. Ita Scotus in 4. d. 10. quæst. 7. Sotus ibidem art. 6. Et colligitur ex D. Thoma hîc art. 8. & quæst. 81. art. 3. in corpore. & est communis Thomistarum.

94 CONCLVSIO I. Verius est corpus Christi in eo casu nulla ratione posse ab agente naturali alterari.

Probatur, quia cùm id quod recipitur in alio debeat secundùm modum recipientis recipi, deberet illa qualitas recipienda in corpore Christi habere eundem modum existendi cum ipso: sed talis modus existendi nulli potest virtute naturali communicari, cùm sit omnino supernaturalis omnibus rebus corporeis: ergo.

CONCLVSIO II. Etsi incertum sit, vtrùm corpus Christi eo casu posset alterare corpora vicina, plurimúsque id negent, tamen non videtur improbabile id facere posse.

95 Quia qualitas per illum modum existendi non mutat essentiam & vim agendi, & non tam videtur ab agendo impediri quàm in eo iuuari. cùm virtus collecta sit maior seipsa dispersa. Nec vlla potest adferri ratio cur requirat extensionem vt agat, cùm sine ea possit sufficienter applicari passo. Ad hoc enim nulla ratione requiritur contactus physicus. De facto tamen ob exercitium fidei omnis actio impeditur.

DVBIVM III.

Quomodo corpus Christi desinat esse sub speciebus?

QVidam apud Suarem hîc disp. 54. sect. 1. putant Christum ex Sacramento ascendere in cælum, ibique toties esse, quot sunt hactenus hostiæ consumptæ. Sed hoc fabulosum est. Nam vel ibi haberet eundem modum existendi, quem habet in Sacramento; & hoc omnino est incredibile. quia hic modus humanis vsibus planè esset inutilis & indecens, vel esset perfectè extensus in ordine ad locum: & tunc toties ita tandem existeret vt nec cæli empyrei tota concauitas eum caperet. 96 *Suarez.*

Secunda sententia docet, Christum desinere ibi esse tantùm per denominationem extrinsecam, eò quòd species esse desinant, sicut Deus desinit esse in creatura ea desinente. Præcipuum fundamentum huius sententiæ est auctoritas D. Thomæ hîc in corpore, vbi ait: *Deus cuius esse est indeficiens & immortale, desinit esse in aliqua creatura corruptibili, per hoc quòd creatura corruptibilis desinit esse. Et hoc modo cum Christus habeat de se esse indeficiens & incorruptibile, non desinit esse sub Sacramento, neque per hoc quòd ipsum desinat esse; neque etiam per motum localem. sed solùm per hoc quòd species Sacramenti desinunt esse.* Quæ verba dupliciter possunt intelligi. Primò, in sensu iam explicato, vt scilicet Christum desinere esse sub speciebus, nihil sit aliud quàm species desinere; & consequenter Christum iis non esse ampliùs præsentem; sicut Deus præcisè per desitionem creaturæ desinit ei esse præsens. Secundò, vt D. Thomas non voluerit omnimodam facere inter vtrumque similitudinem, sed tantùm in hoc, quòd sicut non potest prouenire ex parte siue defectu Dei, quòd desinat esse in aliqua creatura: ita spectata lege Dei ordinaria, non posset prouenire ex defectu aliquo ex parte corporis Christi, quòd desinat esse in Sacramento, Quia quantum est ex parte sui, posset perpetuò manere sub speciebus, si ipsæ non corrumperentur. Vnde omnis desitio hîc prouenit primò ex defectu specierum. Sotus autem in 4. d. 10. art. 6. & Caietanus hîc, & quidam alij videntur D. Thomam intellexisse in primo sensu. Sed nullo modo credo D. Thom. hoc sensisse: nec videtur esse probabile. quia tunc corpus Christi deberet permanere in corpore quod speciebus succedit, & in loco in quo fuit: sicut Deus in iisdem permanet creatura pereunte. nisi velimus contra Tridentinum dicere, eum tantùm ibi esse per denominationem extrinsecam. 97 *D. Thom. Sotus. Caietanus. D. Thom. Trident.*

Tertiò, ij qui volunt Christum tantùm poni in Sacramento per adductionem & acquisitionem nouæ præsentiæ, consequenter dicunt desinere ibi esse per solam mutationem localem priuatiuam, scilicet amittendo illam præsentiam. Sed hanc sententiam suprà satis refutauimus. 98

Quartò, alij dicunt, quòd sicut Christus incepit esse in Ven. Sacramento per reproductionem accipiendo nouum modum essendi: sic per subtractionem concursus diuini desinat ibi esse illum modum amittendo. Hanc sententiam, vt consequenter loquantur, debent tenere omnes ij qui dicunt Christum poni sub Vener. Sacramento per veram substantialem reproductionem. Vt autem hoc clariùs pareat.

Corpus Christi desinit esse in Sacramento per subtractionem concursus diuini.

Nota Primò, secundùm hanc sententiam Christum per consecrationem incipere verè & substantialiter secundò esse, ita vt si priùs non existeret, verè & propriè crearetur: atque ita actio qua Christus ibi ponitur & conseruatur, secundùm physicam & intrinsecam entitatem non differt à creatione & conseruatione rei creatæ: & Christus per eam accipit secundò suum esse substantiale; idem quidem numero 99

cum

tum eo quod habet in cælo, virtute tamen distinctum; vt fusè ostendi suprà quæst. 75. art. 4. dub. 3. & 5.

100 Nota Secundò, auctores oppugnantes quartam sententiam asserere id, quo aliquid formaliter alicubi est, esse modum à parte rei distinctum ab ipsa rei substantia, cuius solius acquisitione alicubi esse incipit, & eius amissione ibidem esse desinit, volúntque Christum desinere esse hoc modo sacramentali per hoc solùm, quòd Deus desinat conseruare illum modum quo ibidem est formaliter præsens. Sed posito quòd Christi corpus ponatur in Sacramento per veram reproductionem, hæc nullo modo dici possunt: nam tunc secundùm illos auctores est formaliter alia actio qua corpus Christi conseruatur in Sacramento secundùm esse suum substantiale, & alia qua conseruatur eius ibi præsentia: ergo præcisè & formaliter per sublationem huius illa non tollitur: & consequenter Christus non potest desinere habere illud secundum suum sacramentale esse, præcisè per hoc quòd illam præsentiam amittat.

Antecedens probatur Primò, quia vna actio rendit ad esse substantiale, alia ad accidentale: ergo sunt formaliter distinctæ actiones. Secundò, quia quoties Sacramentum loco mouetur, Christus acquirit aliam atque aliam præsentiam, & consequenter mutatur actio, qua præcisè conseruabatur præsentia, manente illa inuariata qua conseruabatur substantia.

101 Prob. Secundò, quia in vltima cœna consumpto iam Venerab. Sacramento, & corruptis iam omnino speciebus, vel Deus continuauit illam actionem substantialem, quæ præcisè conseruabat corpus Christi secundùm esse substantiale prout priùs erat, in Sacramento, vel non continuabat. Si dicas continuasse, cum actio non possit esse sine termino, sequetur Christum perseuerasse habere esse sæpiùs replicatum. quod falsum est. Quòd si dicas non continuasse, sequetur subtraxisse concursum quo corpus Christi secundùm esse sacramentale: quod affirmat quarta sententia.

Prob. Tertiò, vel corruptis omnibus speciebus sacramentalibus pergit habere esse sæpiùs replicatum, vel non. Primum est apertè falsum, vt ostendimus in refutatione primæ sententiæ. Si autem dicitur secundum, sequetur apertè Deum eum secundùm illud esse substantiale, quo erat in Sacramento, desinere conseruare: quod quarta sententia dicit.

Dices Primò, Hinc sequetur Christi corpus corruptis speciebus annihilari.

Respondeo negando hoc sequi quia annihilari significat aliquid absolutè desinere esse: corpus autem Christi absolutè perseuerat esse, & tantùm desinit esse secundùm quid, scilicet secundùm esse sacramentale.

102 Dices Secundò, Vel hoc ipsum videtur absurdum, quòd Christi corpus secundùm esse aliquod substantiale toties esse desinat.

Respondeo, hoc non esse magis absurdum, quàm eum toties secundùm aliquod esse substantiale reproduci. quod suprà ostendimus ex communi Patrum & multorum Doctorum sententia necessariò esse dicendum: nec aliter posse hoc mysterium explicari. Qui autem vnum dicit, implicitè etiam dicit alterum, cùm ex eo necessariò sequatur, vt ostendi.

103 Dices Tertiò, Hinc saltem sequetur, eo casu quo Christus existeret in solo Venerabili Sacramento, idque solùm vno loco, corruptis omnibus speciebus, ipsius humanitatem planè annihilandam.

Respondeo, illum casum secundùm legem Dei ordinariam esse impossibilem; si tamen per impossibile accideret, tunc futurum vt Deus Christum sine speciebus conseruaret, aut si omnino desineret eum conseruare, ipsum annihilandum. Quod necessariò in quauis sententia dicendum est, & nostram sententiam probat. Nam posito casu quòd in toto orbe non esset nisi vna hostia consecrata, & Deus primò desineret conseruare Christum extra Sacramentum, & deinde corruptis speciebus sacramentalibus desineret præcisè conseruare illum modum præsentiæ Christi; peto Vtrùm Christus absolutè secundùm humanitatem esse desineret? Si affirment, tunc sequetur Christum formaliter desinere esse per desitionem illius modi, & consequenter non habere esse distinctum ab eo modo, atque ita ipsius esse secundùm se toties mutari quoties mutatur ille modus: quæ absurdissima sunt. Si negent eum desiturum esse in rerum natura præcisè per desitionem illius modi, sed ad hoc necessarium esse vt subtrahatur concursus Dei, quo eius substantia conseruatur; sequetur, vt Christus desinat habere esse sacramentale, non sufficere vt præcisè desinat conseruare illum modum præsentiæ, quod nos dicimus. Nec mirum est si posita absurda hypothesi, sequantur absurda.

Obiicies Quartò, Angelus existens extensus per magnum spatium, potest desinere esse in multis partibus illius spatij per amissionem solius vbi: ergo similiter Christus potest desinere esse in Sacramento. 104

Respondeo, quidquid sit de antecedente, de quo satis egi quæst. 75. artic. 5. negando consequentiam. quia angelus non incipit occupare maius spatium per sui reproductionem: & siue occupet magnum, siue paruum spatium, propterea non habet esse sæpiùs aut minùs sæpe replicatum. Secùs est de Christo incipiente ac desinente esse in Vener. Sacramento, vt patet ex dictis.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm corpus Christi prout est in Sacramento, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato.

ARTICVLO VII. Docet, corpus Christi prout est in Sacramento, non posse naturaliter videri ab oculo corporeo. Est ferè communis sententia Doctorum, exceptis quibusdam Nominalibus, qui putant nos posse ibi videre Christum, nisi Deus subtraheret concursum. 105 *Nominales.*

Probat autem D. Thomas suam sententiam, quia corpus Christi vt existens in Sacramento non potest emittere species intentionales, sine quibus oculus corporeus naturaliter nihil videre potest. Et confirmatur Primò, quia si corpus Christi produceret species, deberent illud repræsentare prout ibi existit. (Nam species nisi à medio impediantur, repræsentant rem prout in se est) & consequenter deberent illud repræsentare modo quodam spiritali, quo tantum corpus vel in puncto, vel saltem in minimo spatio totum ac integrum cum omni sua quantitate perfectè existit, quod naturaliter fieri nequit. *D. Thom. Christi corpus in Sacramento nequit à nobis naturaliter videri.*

Confirmatur Secundò, quia experimur nos res valdè paruas, aut valdè subtiles non posse sensu percipere; hinc tenuem aërem non videmus: atqui corpus Christi existit in Sacramento vel omnino in puncto, vel saltem in spario physicè indiuisibili, & modo ita subtili vt nullum corpus naturaliter possit ita subtiliter existere: nam etiam alia corpora posset penetrare. Vnde habet modum existendi magis spiritalem quàm corporalem. Vnde clarè conuincitur, esse omnino naturaliter inuisibile, multò magis quàm subtilissimus aër sit inuisibilis.

Docet Secundò in respons. ad 2. ne quidem oculum glorificatum posse corpus Christi virtute sua videre in Eucharistia. quia etiam huic ad videndum 106

necessariæ sunt species. Addit tamen oculum Christi videre seipsum prout est in Sacramento, non tamen videre ipsum modum quo est sub Sacramento. Rationem autem cur Christus ibi videat potiùs suum
D. Thom. corpus corporalibus oculis, quàm alij Beati, D. Thomas reddit: quia oculus Christi est in Sacramento, aliorum verò oculi non sunt ibi. Hinc aliqui ita eum interpretantur, quasi solùm dicat oculum Christi prout est in Sacramento, videre seipsum existentem in cælo. Sed hæc nullo modo est mens D. Thom. Primò, quia illa responsio nullo modo faceret ad rem, quia non agitur hîc Vtrũ Christus possit videre in Sacramento: sed vtrùm possit ibi videri. Et in secundo argumento obiecerat sibi, Christum videre seipsum existentem in Sacramento. quod in responsione concedit. Secundò, quia D. Thom. in responsione expressè dicit: *Dicendum est quòd oculus corporalis Christi Videt seipsum sub Sacramento existentem.* Secundùm illorum autem interpretationem deberet dicere: *sub Sacramento existens.* Ratio quidem qua D. Thomas suam
107 sententiam probat est difficilis, tamen ideo non debemus eius verba in sensum ita peregrinum, & omnino à proposito alienum detorquere. Vt autem ratio D. Thomæ aliquid probet, vel dicendum est eum sentire oculum beatum, eò, quòd habeat esse ... quo modo spirituale, posse sine speciebus videre rem sibi intimè præsentem, sicut intellectus sine speciebus intuetur rem ita sibi præsentem. & tunc optimè sequitur, Christi oculum posse videre Christi corpus in Sacramento, quia intimè ei præsens est. Secùs autem esse de reliquis oculis beatis, qui in Sacramento non sunt, & consequenter corpus Christi non habent ita intimè sibi præsens. Vel dicendum est cum hoc ditere, quia decet omnino vt Christus seipsum oculis etiam corporeis videat vbicumque sit: atque ideo Deum singulariter cum eo concurrere, vt seipsum in Sacramento videre possit. quæ ratio in alios Beatos non conuenit.

108 Circa hanc conclusionem aliqui dubitant, An per diuinam potentiam fieri possit, vt oculus corporeus
Capreolus, Richard. videat Christi corpus in Sacramento? Capreolus in 4.d.10.q. vlt. Richardus ibid.art. 5.q.2. & quidam alij
D. Thom, Scotus, id negant. At D. Thomas hîc, & clariùs in 4.d.10.qu. 1.art.4.quæstiunc.1.ad 1.quem Sotus ibidem q. 1. ar. 7. & recentiores Thomistæ sequuntur, id apertè docent: sicut & Scotus ibid. q. 9. & D. Bonauen. q. vlt.
Scotus, D. Bonau. Ratio est, quia, cum corpus Christi sit ibi verè res corporea, quanta & colorata, est intra latitudinem obiecti visibilis: ergo oculus diuina virtute potest eleuari, vt ipsum videat: sicut intellectus potest eleuari ad videndum Deum. Nec refert quòd Christi corpus non possit emittere species. quia vel Deus potest supernaturaliter efficere vt eas oculo proportionatas emittat, vel earum defectum supplendo efficere vt oculus sine iis videat.

D. Tus facere potest vt oculus corporeus Christum in Sacramento videat.

109 Dices, Impossibile est vt oculus intuitiuè videat corpus Christi, *nisi simul videat modum quo existit.* quia intuitio fertur in rem prout est: atqui cùm hic modus sit omnino spiritualis, videtur omnino esse extra obiectum oculi, & consequenter non posse ab eo videri; ergo impossibile est vt oculus videat ibi corpus Christi.

Respondeo Primò, negando maiorem. Quia etsi intuitio necessariò feratur in rem vt existentem; intuens tamen non necessariò videt omnem modum secundùm quem res visa existit, præsertim quando intuitio non est omnino clara & perfecta. Patet, quia videmus rem eminus consistentem non discernendo quæ sit figura; an quiescat, an moueatur, imò astra inspicientibus videntur quiescere, cùm tamen celerrimè moueantur. Sic posset quis videre in Sacramento corpus Christi, prout habet rationem carnis, non tamen benè distinguendo singulas partes, aut etiam replicationes, sed in confuso eas videndo, quasi vnum continuum conficerent: sicut eminus videmus arenas in cumulo.

Videntem non semper videt omnẽ eius modum.

Respondeo Secundò, minorem etiam non satis 110
probari. Nam etsi modus quo Christus hîc existit imitetur aliqua ratione modum, quo spiritus existunt, atque ita dicatur spiritualis; reuera tamen est accidens corporale. Quare nulla est clara ratio, cur dicamus eum absolutè esse extra obiectum visus, sicut res omnino spirituales sunt extra eiusdem obiectum. Quare satis probabile est, posse oculum diuina virtute eleuari vt eum videat, ea ratione qua videmus in aliis corporibus quantitatem, figuram, & similia.

Modus quo Christus est in Sacramento est accidens corporale, ideóq; supernaturaliter visibilis.

Vtrùm autem Beatus habens corpus glorioſum 111
habeat sufficientem vim intrinsecam, vt sine nouo miraculo possit videre corpus Christi in Sacramento, non satis nobis est clarum. Plurimi Doctores id negant. quia etiam talis oculus indiget speciebus intentionalibus, quas corpus Christi hic non emittit. Sed hæc ratio non conuincit. Primò, quia multi negant species esse necessarias. Secundò, quia etsi verius sit, has esse necessarias oculis non beatis vt possint videre, inde tamen non sequitur, etiam necessarias esse oculis glorioſis. Quia similiter nos nullo modo possumus videre in meris tenebris, vbi nullum omnino est lumen; cùm tamen longè verosimilius sit oculum glorioſum rem constituram in mediis tenebris posse distinctissimè videre. Nec enim docet Beatum in suis actionibus ab eiusmodi externis qualitatibus pendere. Quare ex eo quòd nos indigeamus speciebus vt possimus videre, non sequitur Beatum iis indigere. Quare hæc sententia non est omnino certa: est tamen valdè probabilis.

An oculus beatus videat Christum in Sacramento.

Poteſt videre in tenebris.

Docet Tertiò, intellectum lumine beatifico illu- 112
stratum posse perfectè videre corpus Christi in Sacramento. Res per se clara est. Nam cùm hoc lumen sufficienter eleuet intellectum vt possit videre Deum; multò magis eundem eleuat, vt possit videre corpus Christi in Sacramento. quia difficilius est videre Deum quàm corpus Christi.

Intellectus beatus intuetur Christum in Sacramento.

Docet Quartò, *intellectum non posse solo lumine* 113
naturali ibi intueri corpus Christi. Quem communiter Thomistæ & aliqui alij sequuntur. Ratio eorũ
Thomiſtæ. est Primò, quia intellectus virtute naturali non potest cognoscere nisi res naturales: Christus autem est ibi modo planè supernaturali. Intellectus autem non potest intueri ibi corpus Christi, nisi intueatur modum, quo ibi existit. Secundò, quia angelus non habet infusam speciem corporis Christi prout hîc existit. Tertiò, quia quæ angelus potest naturaliter intueri, quando existunt, potest cognoscere esse possibilia antequam existant: sed angelus non potuit cognoscere hoc mysterium esse possibile antequam existeret: ergo non potest illud intueri dum est.

Quia in re omnino certum est hominem mortalem 114
naturaliter non posse ibi corpus Christi per intellectum intueri, vt patet ipsa experientia. Et ratio est, quia nihil hîc possumus immediatè intueri nisi per sensus. Si autem loquamur de intellectu angelico, rationes hæ non conuincunt. Ad Primam enim dici potest, multos negare angelum naturaliter non posse videre rẽ supernaturalem. & sanè illa propositio difficillimè potest probari: imò si generatim omnino sumatur, est creditu saris difficilis. Nam si Deus frigus ponere in igne, esset ibi modo planè supernaturali: & satis incredibile est angelum non visurum tam ipsum frigus, quàm ipsius inhærentiam. Si dicas eum hunc modum posse videre, illum autem non posse, difficilè probabis.

Angelus poteſt videre aliqua supernaturalia.

Adde ex dictis suprà, posse angelum ibi videre corpus Christi, etsi non videat modum quo existit: sicut

sicut diabolus vidit Christum non viso modo vnionis, & secundùm illos videt accidens existens extra subiectum, non viso modo quo ibi existit.

115 Angelus sine specie-bus infusis potest res præsentes videre.

Ad Secundam, multi valdè probabiliter negant angelum indigere specie infusa vt videat rem præsentem. Nam contraria sententia nullo argumento nititur, quod non possit facillimè solui. Et ex ea sequeretur, si Deus angelis nullas infudisset species, futurum vt in æternum nihil possent cognoscere, & consequenter eorum intellectus secundùm se consideratus fuisset imperfectior intellectu humano, atque etiam potentia visiua. quia vt multa possimus videre & cognoscere, sufficiunt nobis species quas res naturaliter effundunt: angelis autem hæ nullo modo sufficerent, sed præterea indigerent singulari infusione specierum. Item, si Deus crearet iam aliquod corpus tam secundùm se, quàm secundùm omnes qualitates distinctum specie ab omnibus quæ hactenus creata sunt; sequeretur quòd angelus id nulla ratione posset cognoscere, quia non haberet eius speciem, cùm

116 tamen si esset coloratum, id homo posset videre. Tertiò, vel tales species sunt naturaliter angelo debitæ, vel non. Primum dici nequit. quia tunc naturaliter essent ei debitæ species infinitæ, cùm sint infinitæ res naturales possibiles, etiam imperfectiores iis quæ creatæ sunt. Nec est vlla ratio cur vnius rei species ei sit naturaliter magis debita, quàm altera. Imò cùm minimus angelus naturaliter possit videre angelum perfectissimum, sequetur ei esse debitas species semper in infinitum magis ac magis perfectas. sicut angeli in infinitum semper perfectiores sunt possibiles. nec est ratio cur alicubi sistatur. Vnde vlteriùs sequetur, aut eum actu habere infinitas species, aut infinitas perfectiores ei naturaliter debitas ipsi deesse. quorum vtrumque absurdum est. Quòd si dicas has species non esse ei naturaliter debitas, sequetur esse supernaturales, vel saltem esse præter naturam ipsius eas habere. quia quod nobis non est naturale, est supra vel præter naturam. Item sequetur eum non habere naturalem potentiam cognoscendi res naturales. quia aliàs naturaliter postularet has species, sine quibus illa nullo modo potest exire in actum. Omnis enim potentia naturaliter postulat ea sine quibus non potest exire in actum. Vtrumque autem ex illis illatis est absurdum. Plura possent in hanc rem adferri, sed non est huius loci hoc fusiùs disputare.

117 Posset angelus cognoscere rem existentem, quam priùs ignorauit esse possibilem.

Ad Tertiam, nego maiorem. Posito enim quòd angelus possit intueri res præsentes sine speciebus infusis, sequetur apertè, eum posse accipere aliquam cognitionem à rebus existentibus, & consequenter multa posse cognoscere posita rerum existentia, quæ antè ignorabat. Adde, ex illa propositione sequi, aut Deum nullam posse creare substantiam, quam angelus non scit esse possibilem: aut si Deus eas iam de facto crearet, futurum vt angelus non posset eas vllo modo cognoscere; cùm tamen essent res naturales, & consequenter obiecta naturaliter cognoscibilia: quorum vtrumque videtur satis mirum. Adde etiam minorem illius argumenti esse incertam, nec posse clarè probari.

118 *Scotus.* *Maior. Occam. Gabriel.*

Ex quibus patet, non esse certum, angelum non posse ibi naturaliter Christi corpus videre. Quare contrariam partem tenent Scotus in 4. d. 10. quæst. 8. Maior quæst. 3. circa medium. & Occam ibidem, q. 5. lit. D. Gabriel lect. 45. lit. Y. in canon. & alij. Quia cùm corpus Christi vt est in Sacramento, sit res cognoscibilis, nec possit clarè ostendi, quare non possit ab angelo cognosci; non videtur negandum id fieri posse. Et confirmatur. quia per se videtur satis incredibile nullam creaturam posse creari tam perfectam, quæ posset naturaliter ibi corpus Christi eiúsque modum existendi intueri. Hoc enim videtur esse proprium ipsius Dei, vt colligitur ex illo Apostoli 1. ad Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem*, &c. Imò satis difficulter possumus adhuc defendere, quomodo talis creatura sit omnino impossibilis, quæ naturaliter possit videre Deum: vnde etiam aliqui viri docti contrarium tenent. Quòd si autem semel concedatur posse creari angelum tam perfectum, qui naturaliter possit ibi Christi corpus intueri; sine fundamento negabimus angelos de facto creatos id posse. Quia omnia argumenta, quæ probant hos hoc non posse, idem eodem modo probant de omnibus possibilibus. Quare tota hæc res est satis incerta. quia non possumus satis cognoscere quæ angeli possint naturaliter scire, & quæ non possint scire. Ex iis tamen quæ de eorum cognitione ex coniecturis possumus consequi, videtur probabilius eos posse naturaliter Christum ibi videre. quia ea quæ arguli, id videntur suadere. 1. Tim. 6.

DVBIVM.

Quas actiones immanentes possit Christus vt existit in Sacramento, exercere?

119 CONCLVSIO I. Non dubium quin possit elicere actus intellectus per scientiam beatificam & infusam, & etiam voluntatis hos sequentes. Quia in his non dependet à corpore, & consequenter nec à modo eius existendi.

CONCLVSIO II. Non videtur naturaliter posse exercere actus dependentes ab organo corporeo, quales sunt omnes actus sensuum interiorum & exteriorum, & consequenter actus intellectus dependenter à phantasmatibus eliciti.

Est ferè communis sententia Doctorum. Ratio est, quia organa corporea, vt possint ad hos actus concurrere, necessariò requirunt certam extensionem in ordine ad locum, præsertim cùm non habeant se merè actiuè, sed etiam passiuè aliquid in se recipiendo. Causæ autem naturales non possunt aliquas qualitates corporeas producere, aut in se recipere nisi modo corporali, & extenso in ordine ad locum.

120 CONCLVSIO III. Supernaturaliter tamen posset Christus tales actiones elicere. quia nulla potest ostendi implicantia: & probabile omnino est eum videre & audire adstantes.

Dices, Si Christus ibi intelligat, debebit naturaliter poni eadem intellectio pluribus locis secundùm numerum replicationum.

Respondeo negando consequ. Quia naturali vi produceret diuersas intellectiones in singulis replicationibus, sicut homo idem existens hîc & Romæ. Verosimile tamen est Deo singulariter concurrente eum producere eandem intellectionem vbicumque est, iuxta dicta art. 4. Similiter est verosimile eum producere eandem numero visionem aut auditionem saltem in omnibus replicationibus existentibus sub eadem hostia. quia ibi est quodammodo per modum vnius, & ad vnicam sumptionem ordinatus. Imò non videtur improbabile, sub omnibus hostiis quæ eodem loco sunt, siue sub quibus easdem res videt, & audit, easdem etiam numero has actiones producere. Hoc enim magis videtur conueniens vnitati ipsius Christi, & nullam implicat contradictionem. Secùs verò est de locis distantibus. Nec enim est vlla ratio cur dicamus eum existentem sub hac hostia, videre oculo corporeo quæ toto orbe fiunt

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm quando in hoc Sacramento apparet miraculosè caro, vel puer, sit ibi verè corpus Christi?

121 ARTICVLVS VIII. docet Primò, eiusmodi apparitiones dupliciter fieri posse. Primò, sine vlla mutatione specierum, per solam immutationem in oculis videntium: ita vt alia planè res appareat quàm in se sit. Et hoc ait contingere quoties vel solùm aliquibus talis species apparet, aliis intuentibus ipsum Sacramentum eodem modo quo priùs: vel quoties talis apparitio ad breue tempus durat. Secundò, ita vt species Sacramentales in se verè & realiter immutentur, ita vt accipiant figuram carnis, sanguinis, vel similem. Quod ait fieri quoties species immutatæ eodem modo omnibus apparent, idque per longum tempus.

Variè fieri potest vt aliqua in Sacramẽto apparent.

122 Nota, dupliciter posse fieri, vt immutatis speciebus circa illas figura pueri, sanguinis, aut alia similis appareat. Primò, per solam mutationem potentiæ vitiuæ: ita vt neque in Sacramẽto, neque in aër. circumstante vlla fiat mutatio. Secundò, per immutationem corporis circumstantis ipsum Sacramẽtum; ita vt sanguinis, carnis, vel pueri speciem referat, simili modo quo in nubibus apparent nobis varij colores. Et credo frequentiùs hoc modo has apparitiones fieri, quia hic modus est magis realis, & ita nulla in sensu est deceptio. quia verè videt aliquod corpus talem aut talem figuram referens: nec ipse iudicat an verè ibi sit talis color aut forma, sed tantùm videt id quod apparet, atque ita verè non decipitur. In alio autem modo etsi non sit mendacium; sensus tamen aliquo modo decipitur. quia videtur sibi aliquid videre cùm reuera nihil videat.

123 Docet Secundò, quando species non immutantur, remanere sub iis corpus Christi. quod secundùm omnes certum est.

Docet Tertiò, quando species verè immutantur, non videri ibi verè carnem aut sanguinem Christi.

Docet Quartò, quamdiu manent eædem dimensiones specierum, quæ sunt fundamenta aliorum accidentium, manere ibi corpus Christi, etiamsi color, figura, & similia accidentia mutentur.

DVBIVM I.

Vtrùm in eiusmodi mutationibus miraculosis Christus, eiúsue caro & sanguis, verè ibi aliquando appareant?

124 PRima sententia docet, quoties per specierum immutationem apparet species pueri, carnis, vel sanguinis, Christum ibi verè & realiter ita videri. Ita Gabriel lect. 51. in canonem lit. E. & Alensis 4. p. q. 53. mem. 4. ar. 3. Ratio eorum est, quia hoc est possibile, & videtur necessarium, ne aliàs decipiamur credentes nos videre quod non videmus. Omnis autem deceptio à Sacramento veritatis debet abesse.

Gabriel. Alensis.

Secunda sententia planè contraria docet, nos nequam ibi verè Christum, eiúsve carnem videre. Ita D. Thomas hîc, & communiter Thomistæ, & alij etiam Doctores.

D. Thom. Thomistæ.

125 Nota Primò, has mutationes & apparitiones circa species Sacramentales posse varias ob causas fieri. Primò enim fiunt in confirmationem fidei. & sic quandoque legimus sacram hostiam apparuisse sub specie carnis, aut parui pueri. Secùdò, ob deuotionem ipsum Sacramentum sumentium aut piè colentium. Sic refert Paschasius Corbeiensis l. de corpore Christi, c. 54.

Variæ causæ cur talies apparitiones fiant.

Paschasius.

apparuisse in specie pulcherrimi pueri, & obtulisse se amplexandum, & mox rogante id sacerdote resumpsisse speciem sacramentalem, vt posset sumi. Tertiò, ad reprehensionem indignè sumentium aut tractantium Sacramentum. Et sic quandoque legimus hostiam conuersam fuisse in lapidem, aut copiosum sanguinem ex ea manasse.

CONCLVSIO I. Quando in Sacramento solùm apparet species carnis, aut effusi sanguinis, nullo modo credibile est, nos verè videre ibi carnem aut sanguinem, sed solùm aliquid quod ea repræsentat. 126

Probatur. quia si caro vel sanguis Christi nobis secundùm se apparerent, credibile omnino est, quòd talia apparerent, qualia alicubi in rerum natura sunt, aut saltem secundùm Dei constitutionem esse possunt: atqui nullibi in rerum natura caro & sanguis Christi sunt talia, qualia ibi apparent, imò nec secundùm Dei constitutionem talia esse possunt: ergo non apparent nobis secundùm se. Maior probatur: quia secundùm aduersarios ideo in talibus apparitionibus Christum eiúsue carnem verè videmus, ne hîc fiat aliqua simulatio, dum res aliter apparet, quàm reuera est: atqui, nisi maior sit vera, necessariò Christus nobis appareret aliter quàm reuera à parte rei est; ergo omnino credibile est maiorem esse veram.

Minor probatur. quia in illis casibus apparet nobis caro frustatim concisa, aut sanguis effusus, qualia iam nec caro, nec sanguis Christi esse possunt, cùm ipse omnino sit immortalis: vt patet ex dictis suprà art. 2.

CONCLVSIO II. Idem ob easdem rationes videtur dicendum, quando Christus ibi apparet specie quidem humana, sed corpore sanguinolento & conscisso. quia eadem ratio etiam hîc militat. 127

CONCLVSIO III. Probabile est idem communiter saltem dicendum esse, in qualicumque specie seu forma Christus nobis ibi apparet. Probatur Primò, quia ita sentiunt & plurimi & præcipui quique Theologi. Secundò, quia hîc modus apparitionis est facillimus, nec habet aliquid incommodi. Nec enim ibi est aliqua falsitas aut mendacium. quia per illam speciem Christus non intendit significare se sub illa forma ibi esse præsentem: sed se verè & realiter esse præsentem sub Sacramento. quod verissimum est. ex quo patet responsio ad argumentum primæ sententiæ.

CONCLVSIO IV. Satis verosimile est Christum ibi aliquando verè apparere ac videri in specie pulchri viri, aut pulchelli pueri, aut simili; præsertim quando talis apparitio fit ad consolandum ac recreandum animum pij alicuius viri: vt accidit in exemplo suprà ex Paschasio narrato. 128

Paschasius.

Pro quo suppono Primò, Christum posse simul esse in diuersis locis etiam modo quantitatiuo, siue extensum in ordine ad locum, vt ostendi suprà q. 75. art. 4. dub. 3.

Suppono Secundò, ex dictis ibidem dub. 5. Christum in Sacramento habere esse sæpiùs replicatum. Vnde apertè sequitur, eum per diuinam potentiam posse secundùm vnam replicationem extendi in ordine ad locum, & apparere forma humana, siue virili, siue puerili, prout Deus voluerit, & secundùm alias replicationes ibidem manere modo sacramentali, & rursum postea secundùm eandem replicationem resumere esse sacramentale prout habebat priùs. Nulla enim hîc potest ostendi implicantia.

Probatur igitur conclusio. quia Christo valdè facile est ratione diuinæ potentiæ (quam etiam quà homo habet sibi perpetuò assistentem, vt omnem eius voluntatem perficiat, vt pluribus docetur in 3. part. qu. 13.) hoc modo se nobis ostendere: & hoc valdè 129

consonum est eius amori in tales pias personas; atque etiam fini, ob quem iis apparet. Nam apparet illis, vt visibili præsentia eos recreet, qui si crederent eum sibi tantùm apparere per aliquod corpus fictitium ex aëre compositum, non acciperent veram consolationem ex illa apparitione: ergo verosimile est eum in se verè iis apparere. Confirm. quia constat eum extra Sacramentum per se sæpe quibusdam piis personis verè apparuisse, vt apertè patet ex Actorum 9. v. 3. & cap. 23. v. 11. & 1. ad Cor. 15. vbi dicitur Christum specie visibili apparuisse D. Paulo: idémque de aliis Sanctis probatissimæ narrant historiæ. Quare igitur negabimus idem in Venerab. hoc Sacramento aliquandò esse factum?

Act. 9. & 23. 1. Cor. 15.

DVBIVM II.

Vtrùm, quando per miraculum verè & realiter species in se mutantur in figuram carnis, sanguinis, aut similem, corpus Christi sub iis permaneat?

130 *Durandus. D. Thom.* DVrandus in 4. d. 10. qu. 4. id generatim negat. Diuus verò Thomas hic videtur generatim dicere, corpus Christi tamdiu ibi manere quamdiu manent dimensiones siue quantitas panis & vini: quia hæc est præcipuum fundamentum reliquorum accidentium. Et hoc modo generatim cum intelligunt multi ipsius discipuli. Cuius rationem reddit Sotus in 4. d. 10. qu. 1. art. 8. sub fin. quia non potest manere eadem quantitas panis aut vini, nisi maneant aliqua accidentia necessaria ad conseruationem substantiæ panis aut vini. Sed hæc ratio Soti aut non est vera, aut nihil facit ad rem. Nam si Sotus velit tunc semper manere eandem quantitatem panis & vini, quamdiu exteriùs omnino nobis apparet eadem; est apertè falsum. quia in vino omnino corrupto, & verso in acetum planè apparet eadem quantitas, quæ antea: & omnino credibile est esse verè eandem. Quòd si velit semper esse aliam quantitatem in genito & corrupto, etsi omnino eadem appareat, vt videtur velle; & dicit aliquid quod difficillimè possit probari, & nihil facit ad præsentem quæstionem. Nam hic petitur aliquod sensibile signum, ex quo possimus cognoscere an species sint ita mutatæ, vt non possit substantia panis sub iis conseruari, & consequenter vt desinat Christus ibi esse. Si autem quantitas possit perire, etsi exteriùs appareat omnino eadem, nullo modo poterit esse tale signum.

Sotus.

Quare alij tenent mediam sententiam, scilicet aliquando in eiusmodi mutationibus desinere ibi esse corpus Christi, quando scilicet species ita mutantur, vt non possit sub iis naturaliter conseruari substantia panis: secùs autem esse quando ita non corrumpuntur, & hoc putant communiùs in huiusmodi mutationibus fieri. Ita Suarez hîc disp. 55. sect. 3.

Suarez.

131 CONCLVSIO I. Quamdiu in speciebus manent accidentia necessaria ad conseruationem substantiæ panis aut vini, manet sub iis corpus Christi: statim autem atque hæc corrupta sunt, desinit ibi esse corpus Christi. Est certa & communis omnium Doctorum.

Ex quantitate malè colligitur aliorum accidentiũ corruptio aut conseruatio.

CONCLVSIO II. Nec ex eo quòd appareat eadem quantitas specierum, sufficienter colligitur manere alia accidentia necessaria ad conseruationem panis aut vini (vt patet quando species vini omnino acescunt:) nec ex eo quòd hæc appareat notabiliter mutata, satis colligitur corruptio illorum accidentium. Nam sæpe in ollis effluescentibus videmus liquores impositos ita rarefieri, vt duplo vel triplo maiorem locum obtineant quàm antea, idque sine vlla substantiali corruptione. Quando tamen esset nimis excessiua eiusmodi rarefactio vel condensatio, posset causare eiusmodi corruptionem.

CONCLVSIO III. Vtrùm talis corruptio facta sit, non tam ex mutatione coloris, aut figuræ (nam eadem specie panis potest absolutè loquendo naturaliter conseruari sub diuersis coloribus ac figuris) quàm ex mutatione saporis ac odoris iudicandum est. Nam ex his optimè percipimus & veritatem & naturam panis ac vini. Quare quamdiu sapor & odor manent incorrupti, omnino credibile est, manere ibi corpus Christi. Ita ferè communiter Doctores. Nec credo ab hac conclusione vllos, nisi fortè paucissimos, dissentire. Sed hæc conclusio non omnino satisfacit propositæ quæstioni. Quia, quando in Sacramento apparet caro vel sanguis, non solemus ea gustare, vt exploremus an maneant ibi species panis aut vini (quia natura ab eo gustu abhorret,) sed solemus ea asseruare: & tamen quærimus, quando debeamus iudicare ibi remanere corpus Christi, quando non. Quæres satis difficilis est & perplexa ob diuersum loquendi modum Doctorum. Quæ autem mihi, & aliis viris doctis videntur probabilia, saluo meliore iudicio proponam sequentibus conclusionibus.

132 *Ex alio sapore aut odore maximè colligitur rei corruptio.*

CONCLVSIO IV. Quando in punitionem perfidiæ eius qui indignè accedit ad Sacramentum, ita species mutantur, vt appareant videnti & palpanti vera caro, aut lapis, aut sanguis, idque permanenter; omnino credibile est ibi desinere esse corpus Christi. 133

Prob. Primò, ex fine talis mutationis, quàm ideò Christus facit, vt ostendat talem esse indignum communione, seque ideo eum à communione velle hoc modo prohibere. Quare omnino credibile est, quòd seipsum ei subtrahat omnino species corrumpendo, atque ita sub iis esse desinendo. quod maiorem vim habet, quando Sacramentum vertitur in lapidem: quia tunc impossibile est ipsum Sacramentum sumi, nisi planè in puluerem conteras, ac aliis rebus misceas: quod nullo modo fieri debet.

Prob. Secundò, quia talis mutatio, quando perpetua est, repugnat fini ad quem hoc Sacramentum est institutum: ergo non est probabile Christum ibi sacramentaliter permanere. Antecedens prob. quia hoc Sacramentum institutũ est, vt à fidelibus sumatur: atqui talis mutatio repugnat sumptioni. quia omnes horremus à potu sanguinis, aut sumptione carnis crudæ. Vnde etiam non solet tunc Sacramentum sumi, sed asseruari: ergo talis mutatio fini Sacramenti repugnat.

Confirm. cùm, vt patet ex consuetudine Ecclesiæ, non teneamur species ita immutatas consumere, sed magis deceat conseruare, esset contra reuerentiam Christi, si sub iis maneret. Quia, vt constat experientia, etsi initio remanerent adhuc aliquæ species panis & vini, tamen tandem omnino corrumperentur. Nam videmus eiusmodi species tandem ita immutari, vt nulla sit in iis apparentia panis aut vini. Est autem contra reuerentiam corporis Christi, si Sacramentum tam diu conseruetur, donec species omnino corrumpantur.

Probatur Tertiò, quia inter panem & carnem tanta est differentia etiam visu vel tactu perceptibilis, vt vix videatur naturaliter fieri posse, vt aliquid ex visu & tactu appareat vera caro, & tamen maneant accidentia necessaria ad conseruationem substantiæ panis. quæ ratio adhuc videtur magis vrgere, quando Sacramentum videtur verti in lapidem. Et confirmatur, quia eiusmodi mutationes ferè leguntur factæ, quando indignè accedens ipsum Sacramentum iam habebat in ore, qui ideo quòd verteretur in lapidem aut carnem impediebatur illud sumere: ita vt nec tactu, nec gustu poterat aliud iudicare, quàm esse veram carnem vel lapidem. Nec quod sciam legitur vlla experientia deprehensum fuisse, post talem mutationem factam permansisse saporem aut odorem panis: ex quibus, vt dixi, præcipuè potest colligi, an ibi sint

134

accidentia necessaria ad conseruationem panis: ergo verosimile est eas non remanere, & consequenter nec corpus ibi remanere.

135 Dices, Ecclesia solet Sacramentum ita mutatum adorare cultu latriæ: ergo sentit Christū ibi remanere.

Quomodo Sacramentū omnino immutatū sit adorandum.

Respondeo; verosimilius esse Ecclesiam non aliter exponere Sacramentum ita muratum adorandum, quàm exponat sanctam crucem adorandam: ita vt exterior omnis cultus Sacramento ita mutato idem exhibeatur, qui solet vero Sacramento: & interior cultus, qui propriè est latria, transeat in Christum, qui ibi saltem est vt in signo; atque ita cum illa re aliquo modo quid vnum componit. Quod vel inde patet, quia solemus Sacramentum ita muratum etiam post ducentos & trecentos annos eodem modo adorare, cùm tamen iam constet, ibi non remanere accidentia panis ad eius conseruationem necessaria.

136 Conclvsio V. Quando Sacramentum videtur verti in sanguinem aut carnem, ad confirmationem fidei assistentium, aut consolationem sumentium, aut similem causam; videtur omnino ibi remanere corpus Christi.

Nam cùm illa fiant, vt ostendatur veritas illius Sacramenti, conuenit eam veritatem permanere. Et hoc vel inde conuincitur, quia tales mutationes sunt ferè temporaneæ. Vnde verosimilius est eas non tam esse veras, quàm apparentes. Quòd si tamen essent perpetuæ, verosimilius est corrumpendas omnino species panis aut vini, & Christum desiturum ibi esse: quia hoc probant 2. & 3. argumentum suprà allatum. Et tunc miracula non fierent ad testandum Christum perseuerare ibi esse: sed ad testandum eum ibi præsentem fuisse.

137 Non est verus Christi sanguis qui emanat ex hostiis cōfossis.

Ex his patet Primò, quando ex hostiis confossis emanat aliquis cruor, nullo modo ibi esse verum sanguinem Christi. Nam cùm id quod ibi effluit, non habeat vllam rationem veri Sacramenti, nulla est ratio cur dicamus sub eo contineri corpus aut sanguinem Christi. Et certissimum est illum sanguinem non elici è venis corporis Christi existentis aut in Sacramento aut in cælis. Quare est solùm aliquis humor sanguini similis à Deo subitò vel creatus, vel ex materia adiacente productus.

Patet Secundò, quando similis mutatio accidit, non debere sumi Sacramentum ita mutatum; sed asseruari: vt patet ex vsu Ecclesiæ, & communiter Doctores testantur. Aliqui tamen putant, eum qui non horreret illius sumptionem, posse illud sumere. Sed quando est perpetua illa mutatio, non conuenit illud sumi, præsertim cùm, vt dixi, sit dubium valdè an sit ibi verum corpus Christi. Sacramenti mutatis omnino speciebus non est sumendum.

Petes, Si inter celebrandum ante sumptionem contingeret Sacramentum sub vna vel alterutra specie ita mutari, Vtrùm sacerdos teneatur nouam materiam consecrare? 138

Respondeo, si temporaria tantùm sit mutatio, expectandum esse dum Sacramentum recipiat propriam speciem, & tunc sumendum. Quòd si verò sit perpetua, dubitant Auctores: & aliqui asserunt, nouam materiam necessariò consecrandam, quia ex præcepto diuino sacerdos tenetur consumere Sacramentum. Alij verò id negant, quia illa sumptio, vt ostendam q. 83. dub. 5. non est de essentia sacrificij. Et cùm Christus tunc constituat Sacramentum in eo statu vt sumi nequeat; videtur in lege qua præcipitur sumptio, dispensare. Ita Soto in 4. dist. 13. art. 4. ad 3. Siluester v. *Eucharistia*, 3. in fine. & Caiet. infrà quæst. 82. art. 4. & ibid. D. Thom. in respons. ad 3. Vbi tamen docet consulendum tali sacerdoti, vt secundò consecret. quod reliqui etiam asserunt. Quid faciet celebrans si Sacramentum immutetur. *Sotus. Siluester. Caietan. D. Thom.*

QVÆSTIO LXXVII.

DE ACCIDENTIBVS REMANENTIBVS IN HOC SACRAMENTO.

ARTICVLVS I.

Vtrùm accidentia remaneant sine subiecto in hoc Sacramento?

1 Articvlo I. Docet, accidentia, quæ remanent post consecrationem, manere sine subiecto. Quod intelligendum est de subiecto vltimo, siue substantia, cui tota congregatio accidentium vltimò inhærere solet. quia articul. 2. docet, qualitates ante consecrationem immediatè inhærere ipsi quantitati, & hac mediante ipsi substantiæ, & post consecrationem pergere inhærere ipsi quantitati. Et sic intellecta conclusio est de fide. Nam in Concilio Constantiensi sess. 8. damnatur hæc propositio, *Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento.* Et Trident. sess. 13. can. 2. absolutè definit, post consecrationem nihil substantiæ panis aut vini remanere, sed solas species. *Constantien. Trident.*

2 Hoc autem esse possibile non possumus à priore demonstrare, nisi aliquo modo probabiliter: quia scilicet intellectu satis concipimus, hæc accidentia habere absolutam aliquam entitatem distinctam ab entitate substantiæ. Nec enim colorem, saporem, & similia concipimus vt modos aliquos substantiæ, sed vt reales entitates, in suo intrinseco conceptu nihil substantiæ includentes. Vnde etiam probabiliter colligimus habere realem entitatem à substantia omnino distinctam: & consequenter posse à Deo separatim conseruari. quia nulla in eo potest ostendi repugnantia: & consequenter positis principiis fidei à posteriore illud satis probatur. Hinc sequitur, de essentia accidentis non esse, vt actu inhæreat subiecto, sed solùm vt aptum sit inhærere. Quomodo autem Deus possit supplere concursum subiecti in conseruatione accidentis, dicetur sequenti dubio. Quæ verò accidentia post consecrationem remaneant, vide dicta q. 75. art. 5.

DVBIVM I.

Vtrùm, vt accidentia existant sine subiecto, opus sit nouo influxu diuino, distincto ab eo quo prius conseruabantur in subiecto?

3 Nota Primò, in reali actione quatuor posse considerari. Primum est ipsa causa efficiens; Secundum

eſt modus quo influit; Tertium eſt ipſa actio; Quartum eſt ipſe effectus: ſiue hæc ſola ratione, ſiue etiam aliquo modo à parte rei diſtinguantur.

4 Eadem cauſa in eundem effectum diuerſimodè influit.

Nota Secundò, eandem cauſam in eundem effectum poſſe diuerſimodè influere, v. cau. producat Deus primò lumen vnà cum ſole, & deinde abſente ſole, ſolus illud conſeruet: ſine dubio alia ratione iam influet in illud lumen quàm anteà. tum quia iam influit vt cauſa totalis, cum anteà tantùm influeret vt cauſa partialis: tum etiam quia iam influit modo quodam determinato ad hunc effectum in particulari, ita vt ſpectato præcisè modo quo Deus hìc & nunc influit, neceſſariò producatur hoc lumen. Antea influebat concurſu indeterminato: ita vt ſpectato præcisè modò quo influebat, non magis eſſet natus ſiue determinatus producere lumen quàm calorem vel frigus. Nam Deus, quantum eſt ex parte ſua, eodem modo concurrit cum aqua frigefaciente, & cum igne calefacienre, & cum ſole illuminante. Sicut qui inflat organa, eodem modo concurrit ad omnes ſonos, quos organa diuerſimodè pulſata edunt.

5

Item, ſi ponamus ſolem eſſe creaturam liberam, & poſſe illuminare, vel non illuminare res ſibi obiectas, idque modò magis, modò minùs intensè prout vult; hoc caſu manens in ſe omnino immutatus, in obiectum eodem modo ſibi propoſitum aliter influeret, quando produceret in eo lumen vt duo, aliter quando produceret lumen vt octo. Nam tunc longè potentiùs influeret in effectum, quàm cùm tantum produceret lumen vt duo: non quòd acciperet in ſe maiorem vim, ſed eam quam habet, magis applicaret. Similiter quando duo leuant aliquod pondus, primò ſimul, deinde ſinguli per ſe, vtroque caſu eundem effectum producunt; alio tamen atque alio modo in eum influunt, & in ſecundo caſu potentiùs quàm in primo. Item, ſi candela poſſet operari liberè, & aliquod obiectum modò propinquius, modò duplo remotius ei obiiceretur, vt continuò in eo æquè intenſum lumen produceret; deberet in vno caſu multò vehementiùs influere, quàm in alio. quia eodem modò ex parte ſua influendo, in remotiore obiecto minus lumen produceret. Vnde ſequitur poſſe fieri vt eadem omnino cauſa eundem omnino effectum modò maiore, modò minore ex parte ſua conatu producat.

Quandoque ad eundem effectū producendum requiritur maior influxus.

6 Cauſa aliter ſe habet dum agit quàm dum non agit.

Ex quibus patet Primò, etſi cauſa etiam creata per actionem ſuam præcisè non neceſſariò aliquid reale in ſe recipiat; tamen aliquo modo aliter ſe habere quando agit, quàm dum non agit, niſi aliunde impediatur. quod in cauſis liberis poteſt facilè oſtendi. Ponamus enim me (quod pro libertate mea facere poſſum) obiectum aliquod eodem modo mihi propoſitum modò amare, modò odiſſe, modò negatiuè circa illud me habere: tunc petam, quare voluntas mea modò producat odium, modò amorem, modò nihil. Non poteſt aliud reſponderi, quàm quia modò ſe liberè applicat ad hunc vel illum actum producendum, modò non applicat: atque ita concipimus in ea quandam quaſi mutationem diſtinctam ab ipſa effectus productione, non quidem qua aliquid reale in ſe recipiat; ſed qua virtuali ter ſe aliter habet dum agit quàm dum non agit. Sicut etſi volitio libera in Deo ita verè & realiter ſit, vt tamen nihil ſuperaddat ipſius eſſentiæ; nihilominus tamen quando concipimus eum in priori rationis nihil liberè velle, & in poſteriore aliquid velle, neceſſariò concipimus eum virtualiter ſe aliter habere erga obiectum volitum quàm antea & quaſi mutatum: & ſimiliter dicendum eſt de cauſa libera modò agente, modò non agente. Niſi enim concipiamus eam virtualiter ſe aliter habere quando agit, quàm quando non agit: nullo modo poterimus concipere cur modò agat, modò non agat. Quod clarius eſſet ſi ſol eſſet cauſa libera, & haberet in ſua poteſtate obiecta æqualiter propoſita illuminare modò vt ſex, modò vt tria, modò omnino non illuminare: tunc ponamus ex rebus æqualiter obiectis vnam illuminare vt tria, aliam vt ſex, aliam omnino nihil; tunc virtus ipſius actiua neceſſariò aliter atque aliter duabus primis rebus eſſet applicata, tertio omnino non applicata: quod concipi nequit ſine intrinſeca aliqua in ipſo ſole differentia, qua virtualiter aliter atque aliter circa dictos effectus ſe habet. Et quamuis (quia naturas rerum non poſſumus omnino penetrare) non poſſimus clarè explicare in quo hæc differentia conſiſtat; tamen à poſteriore probamus eam neceſſariò eſſe aſſerendam.

Dices, cauſam ſe applicare ad agendum formaliter per ipſam effectus productionem, & ideo dici cauſam modò agere vehementiùs, modò remiſſiùs, modò non agere: quia modò ponitur effectus intenſior, modò remiſſior, modò nullus. Sed hoc dici nequit. Nec enim ideo cauſa agit, quia effectus ponitur: ſed contrà, ideo effectus ponitur, quia cauſa agit: & omnino videtur contra rationem, ponere ex parte effectus rationem cur cauſa modò agat, modò non agat. Similiter nec virtus actiua cauſæ ideò hìc & nunc eſt applicata ad agendum, quia agit: ſed ideo agit quia applicata eſt. Quod poteſt declarari ex differentia, quæ eſt inter cauſam neceſſariam & liberam. Illa enim quia naturaliter eſt determinata ad agendum, ideo tuam virtutem, quantum eſt ex parte ſua, continuò quantum poteſt exerit, & ad agendum applicat, & quaſi conatur agere. Hinc ſi materia ei debitè applicetur, ſemper neceſſariò agit: ideóque ſiue præſente obiecto agat, ſiue propter eius defectum non agat, ſemper in ſe eſt eodem modo diſpoſita. Secùs eſt de cauſa libera, quæ quia habet ſuam vim agendi in ſua poteſtate, manente obiecto ſibi eodem modo propoſito modò vim ſuam exerit, & ad agendum applicat, modò non: quod nequit concipi ſine aliqua virtuali mutatione intrinſeca ipſi cauſæ. Sicut ſi ſol, ceſſante omni extrinſeco impedimento, rem eodem modo obiectam modò illuminaret, modò non; omnino colligeremus aliquam diuerſitatem eſſe in ſole, quæ eſſet cauſa cur modò ageret, modò non ageret, poſito quòd ex parte concurſus diuini nullus eſſet defectus.

7

Ideo effectus ponitur, quia cauſa agit, non cõtra.

Differentia inter cauſam neceſſariam & liberam.

Sicut igitur quando petitur cur cauſa neceſſaria modò agat; modò non agat, non redditur ratio, quia modò effectus producitur, modò non producitur: nam petitur cur hoc fiat. ſed reſpondetur, quia obiectum modò ei debitè applicatur, modò non: nam cùm ex parte cauſæ nulla poſſit reddi ratio huius diuerſitatis, tota debet reddi ex parte obiecti aut medij impediti, poſito quòd Deus non ſubtrahat concurſum. Sic, inquam, cùm cauſa libera obiecto eodem modo propoſito modò agat, modò non agat, petenti cauſam cur hoc fiat, malè reſpondetur, quia effectus modò producitur, modò non producitur; ſed ponenda eſt aliqua differentia ex parte cauſæ, quæ diuerſimodè ſe habet erga obiectum, modò vim agendi exerendo, modò eam continendo.

8

Confirmatur, quia ad producendam aliquam volitionem aut intellectionem magis intẽſam, experimur nos ceteris paribus maiorem vim debere adhibere, ſiue virtutem agendi magis applicare, quàm vt producamus eoſdem actus remiſſiores: quod non facimus vt eos actus in potentia recipiamus (nam hac ex parte nulla eſt difficultas:) ſed præcisè vt eos producamus. quare ille conatus neceſſariò identificatur cum cauſa, non autem cum effectu.

9

10 Cauſam aliquam agere non eſt mera denominatio extrinſeca.

Vnde patet Secundò, etſi communior & fortè verior ſententia dicat actionem eſſe in paſſo, & identificari ipſi effectui; tamen neceſſariò fatendum eſſe cauſam præſertim creatam aliquid agere, non eſſe

meram denominationem extrinsecam; sicut quando paries dicitur videri: sed supponere aliquid in ipsa causa, quod, quando hæc est libera, sit tam ab eius essentia, quàm à virtute agendi (quæ secundùm se præcisè omnino eædem sunt sive agant, sive non agant) saltem virtualiter distinctum: quod potest dici applicatio virturis actiuæ, sive conatus causæ in effectum.

11 Dices, hæc omnia esse quidem vera respectu causæ creatæ, quæ defatigatur inter agendum, non tamen respectu Dei, cuius vis infinita æquali facilitate omnia producit sine vllo omnino labore. Respondeo, hæc nihil facere ad rem: nec enim ideo dicimus causam aliquam maiore conatu debere influere in effectum perfectiorem, quia ipsa in hoc magis laborat, (hoc enim omnino parergon est) sed quia effectus potentiorem influxum sive causæ conarum requirit: nec per hunc conatum significamus causam magis laborare, sive difficiliùs effectum producere; sed significamus ipsam suam virtutem magis applicare ad agendum, sive hoc faciat cum maiore, sive cum æquali aut etiam minore difficultate, (quæ hîc nullo modo curamus) quod etiam in Deo locum habet. Nam ponamus eum se solo ex tribus lignis vnum calefacere vt duo, secundum vt sex, tertium omnino non calefacere; cur hoc ita fiat debet necessariò reddi aliqua causa ex parte Dei, qui diuersimodè se erga hæc ligna habet, quatenus scilicet suam vim agendi erga vnum applicat vt duo, erga secundum vt sex, erga tertium nullo modo: nec enim alia ratio hîc reddi potest. Nec inde sequitur Deum aliquo modo mutari, quia Deus nihil omnino in se recipit, nec vllo modo per hæc laborat: quæ ex parte secùs se habent in causis creatis, quæ maiorem adhibendo conatum magis laborant.

Causa potest maiori conatu influere in effectum, etsi non laboret magis.

12 Patet Tertiò, quod ad rem attinet, non malè philosophari eos, qui distinguunt actionem à passione, & illam ponunt in causa. Posset enim eorum sententia defendi: modò actionem non distinguant à parte rei, sed solùm virture ac ratione ab ipsa causa: ita vt actio nihil aliud sit, quàm ipsa virtus agendi prout hîc & nunc concipitur applicata ad agendum, simul tamen connotando actualem effectus à causa processionem: sine qua actio nequit intelligi. Nam aliàs sol semper diceretur agere, etsi Deus ita suum concursum subtraheret, vt de facto nihil omnino produceret: quia eius vis agendi, quantum esset ex parte sua, esset semper applicata ad agendum. Quia tamen altera sententia est communior, loquendum hac in re videtur vt multi; præsertim cùm hoc modo faciliùs ostendamus, quomodo diuersi effectus per diuersas actiones producantur, cùm sæpe virtus causæ v. g. solis respectu omnium sit eadem.

Potest probabiliter defendi actionem identificari causæ.

13 Sed quidquid hac de re sit, ex dictis satis patet, nos dictam causæ applicationem, & quasi conatum in effectum meritò quandoque maioris doctrinæ & explicationis gratia, vocare concursum causæ ad effectum, vel eius influxum in effectum. quia hæc videntur significare aliquid magis intrinsecum ipsi causæ quàm actio: & aliter quasdam quæstiones ob inopiam verborum vix possumus explicare. Vt quando quærimus, Quid sit concursus Dei generalis: & quomodo differat à concursu causæ particularis ad eundem effectum. Item quando petimus, Vtrùm Deus aliter influat in vnum effectum, quàm in alium, &c. Quare in hac difficultate explicanda concursum sive influxum causæ distinguemus ab ipsa actione & effectu, & accipiemus pro ipsa applicatione virturis actiuæ: non quòd omnino contendamus illa hanc propriè significare, sed vt faciliùs ...æc difficultas explicetur.

Concursus causæ explicatur.

14 Patet igitur Quartò, quando quærimus, Vtrùm Deus eodem influxu conseruet accidens in subiecto, & extra subiectum; non agi de influxu prout identificatur termino. Hoc enim nihil esset aliud quàm quærere, Vtrùm ipse effectus sit omnino idem, de quo agemus dub. 2. sed accipimus influxum prout identificatur ipsi causæ, non quidem absolutè consideratæ, sed prout hîc & nunc applicatur passo, sive pro ipso modo quo hîc & nunc causa influit in effectum, iuxta iam dicta.

Patet Quintò; illos qui ex identitate effectus volunt probare eundem esse influxum in vtroque casu, non respondere ad quæstionem præsentem. Quia, vt patet ex dictis, eadem causa potest in eundem effectum diuersimodè influere: & hîc quærimus, Vtrùm modus influendi in vtroque casu sit idem. 15

Patet Sextò, (quod hîc obiter notandum est) malè quosdam ex eo quòd effectus omnes sint determinati, probare Deum concursu determinato concurrere cum causis secundis. Quia in illa quæstione de concursu diuino, non accipitur concursus prout identificatur rei productæ sed pro ipsa potentia diuina, prout hîc & nunc applicatur ad concurrendum cum causis secundis: & dicitur quòd applicet se modo quodam indeterminato, ita vt, quantum est præcisè ex modo quo hîc & nunc ex parte sua concurrit, non magis sit nata producere in voluntate nolitionem quàm volitionem: & eodem omnino modo concurrit ad generationem equi & hominis. 16

Ex determinatione effectus malè probatur identitas diuini concursus.

Alij hæc alio modo explicant; & sicut nos distinximus ipsam entitatem causæ, à modo quo hîc & nunc influit: ita distinguunt entitatem effectus secundùm diuersas dependentias, quibus à diuersis causis dependet. v. cau. calor productus ab igne & Deo per concursum vniuersalem, quatenus præcisè pendet à Deo, non magis habet quòd sit calor, quàm quæuis alia qualitas. quia spectato præcisè modo, quo Deus ad eius productionem concurrit, non magis est hîc & nunc natus existere calor, quàm lumen: & hanc dependentiam vocant concursum Dei in actu secundo. quatenus verò idem calor dependet ab igne, habet determinatè rationem caloris: non quòd Deus solùm concurrat ad rationem entis, & ignis ad rationem caloris (hoc enim fieri nequit, cùm hæc in calore non distinguantur.) sed quia modus quo Deus concurrit, ex se est *indeterminatus ad quoduis ens producendum*, & determinatur per ipsum ignem ad producendum potiùs calorem, quàm quiduis aliud. Sicut actio inflantis organa determinatur ab eo qui pulsat organa ad hunc sonum potiùs producendum, quàm illum. Quare vterque modus explicandi in idem incidit, sed prior videtur clarior, & sine eo secundus non potest ita intelligi. 17

In præsenti igitur quæstione quidam putant Deum non debere aliter concurrere ad conseruandum accidens extra subiectum, quàm vt conseruet illud in subiecto. Ratio eorum est Primò, quia si opus esset alio influxu, hoc esset ad supplendum concursum subiectiatqui cùm hic non sit effectiuus, non potest à Deo suppleri: ergo non est opus nouo concursu. Secundò, quia accidens realiter distinctum à subiecto in conseruari pendet à solo Deo: ergo si Deus continuet suam conseruationem præciso omni alio accidens perget existere. Antecedens probatur Primò, quia dependentia accidentis à subiecto non est essentialis conseruationi: ergo conseruatio pendet à solo Deo. Prob. Secundò, quia accidens priùs natura producitur quàm inhæreat subiecto: ergo in illo esse quod habet in illo priori, non pendet à subiecto. 18

CONCLVSIO. Impossibile est accidens à Deo conseruari extra subiectum præcisè per eum concursum quo ipsum in subiecto conseruabat. Ita Suarez *Suarez disp. 56. sect. 2.* 19

Probatur, quia accidens extra subiectum existere, est omnino supernaturale: atqui hoc esset falsum, si ad hoc ei sufficeret idem omnino concursus diuinus, qui sufficit vt existat in subiecto: ergo hic non sufficit. Maior per se patet; nec credo eam ab vllo negari.

Quare aliqui effectus dicantur naturales, alij supernaturales.

Nec enim vllo modo potest dici accidens naturaliter posse existere sine subiecto. Probatur minor. quia nihil est supernaturale quod à causa naturali cum concursu ei debito, siue connaturali fieri potest: cùm in hoc maximè differat effectus naturalis à supernaturali: quòd ille à causa naturali cum concursu ei debito fieri possit; hic non possit: atqui secundùm illam sententiam causa naturalis, v. c. sol, posset cum solo concursu generali naturaliter sibi debito lumen in aëre productum annihilato aëre conseruare extra subiectum: ergo talis conseruatio siue existentia luminis non esset supernaturalis.

20 Dices, Concursus ille accidenti tantùm est connaturalis, quamdiu est in subiecto: non autem dum est extra subiectum. quia natura sua ordinatur, vt sit in subiecto: & consequenter non est ei naturale esse extra subiectum.

Sed contrà Primò, argumentum allatum apertè generatim probat eum concursum soli illud lumen ita conseruanti fore naturalem, & consequenter illam conseruationem fore naturalem. Et confirmatur. quia ille concursus causæ primæ absolutè & generatim est causæ secundæ connaturalis, qui illius viribus est proportionatus, & quem ipsa naturaliter exigit, vt possit vllo modo exire in actum: talis autem est ille concursus generalis. Quòd autem res aliqua producatur aut conseruetur alio modo quàm naturaliter produci aut conseruari postulat, modo hoc viribus causæ naturalis fiat; non facit vt effectus sit supra naturam, sed vt sit præter naturam, siue præter naturalem ordinem: sicut quando monstrum producitur. quod nemo dicet produci supernaturaliter.

Quis concursus sit alicui causæ naturalis.

21 Secundò, quia si, vt aliquid dicatur existere supernaturaliter, sufficeret ipsum existere alio modo quàm eo, ad quem natura sua ordinatur; sequeretur animam rationalem supernaturaliter existere extra corpus: quia etiam naturaliter ordinatur, vt informet corpus, eique violentum est esse extra illud: sicut etiam lapidi violentum est in sublimi loco detineri; & tamen quia eodem concursu possunt in eo statu conseruari, quo in suo statu naturali, hic concursus dicitur iis debitus & connaturalis, nec dicuntur vlla ratione supernaturaliter in tali statu existere: ergo similiter erit dicendum de accidente existente extra subiectum, si possit ibi eodem concursu conseruari, quo conseruabatur in subiecto.

22 Respondent aliqui Primò, esse diuersam rationem. quia anima rationalis tam in produci, quàm in conseruari non pendet à corpore: accidens autem in vtroque dependet à subiecto. Sed hæc responsio euertit planè illam sententiam. Nam si accidens pendeat in fieri & conseruari à subiecto; sequitur non posse extra subiectum conseruari, nisi Deus suppleat hanc dependentiam. Vnde illi ipsi vt probent suam sententiam, negant accidens in fieri, aut conseruari ita pendere à subiecto, vt difficiliùs producatur extra illud, quàm in eo: vt patet ex argumentis initio positis. quare sibi cõtradicunt: sicut verè sibi contradiceret, qui diceret formam ignis, verbi causa, in sui productione pendere à dispositione materiæ, & simul diceret, æquè facilè, siue eodem conatu posse produci in materia malè disposita, ac in benè disposita.

Nihil potest in cõseruari ab aliquo pẽdere, sine quo æquè facilè conseruatur.

23 Respondent Secundò, ideo Deum dici supernaturaliter conseruare accidens extra subiectum: quia si vellet ibi operari prout res naturales exigunt, deberet subtrahere suum concursum.

Sed si illa sententia esset verà, hoc nullo modo dici posset. Nam si sol cum concursu Dei generali posset lumen in aëre productum hoc annihilato conseruare, nihil erit quod illam subtractionem concursus postulabit. Nam nec lumen eam postulabit. quia nihil naturaliter postulat suiipsius destructionem: sed sicut omnia naturaliter appetunt suam conseruationem, ita naturaliter exigunt ea quæ ad eorum conseruationem sunt necessaria. Nec etiam sol eam postulabit: quia cùm ex natura sua semper postuleret producere lumen, semper naturaliter etiam postulat dari sibi eum concursum sine quo nullo modo potest agere. Nullo autem casu postulat cum sibi subtrahi. Imò etsi hic concursus eo casu tam soli quàm accidenti esset supernaturalis, tamen nullo modo postularet eum sibi subtrahi: sicut intellectus non postulat naturaliter sibi subtrahi lumen gloriæ. Quare si naturaliter postularent eum concursum sibi subtrahi, ipse non esset supra eorum naturam, sed esset contra eam, siue repugnans eorum naturæ. Nullo autem modo dici potest, quòd talis concursus repugnet naturæ accidentis aut solis: quia nihil potest alicui esse contrarium, quod ei necessarium est, vt possit existere, aut agere. Confirmatur, quia si semel concedamus 24
causas naturales desinere agere præcisè, quia Deus concursum generalem eis subtrahit, & hoc naturas rerum quandoque expoſcere; aut si sufficiat hoc sine alia probatione dicere: statim eadem licentia dicam, hominem tam facilè posse videre in tenebris, quàm in lumine, & per corpus opacum quàm per diaphanum, nisi Deus concursum suum subtraheret: naturas tamen rerum postulare, vt Deus eum subtrahat. & pari ratione hæc sola affirmatione probabo. Item dicam aquam frigidam tam posse comburere lignum, quàm ignis id possit, si Deus eodem modo cum vtroque concurreret: naturas tamen rerum postulare, vt non concurrat eodem modo: & simili ratione probabo affirmando.

Probatur Secundò, quia ex alia sententia sequeretur, cum eodem concursu causæ primæ & secundæ posse accidens produci extra subiectum, cum quo producitur in subiecto. Sed hoc est falsum, vt patet experientia. Experimur enim omne accidens vt possit à causa secunda produci, requirere subiectum aliquod sibi proportionatum, ergo & illud. Maior probatur, quia eadem omnino vis quæ potest conseruare lumen productum, potest illud ipsum producere: atqui secundùm illam sententiam sol cum concursu generali potest conseruare lumen extra subiectum: ergo poterit illud ibidem producere. 25

Probatur Tertiò, quia accidens in conseruari verè pendet à subiecto. quia aliàs esset forma per se subsistens, vt anima rationalis: quia formam aliquam esse per se subsistentem nihil est aliud, quàm eam existere independenter à subiecto, omnique alia causa defectum subiecti supplente: ergo concursus diuinus, qui præcisè sufficit vt in eo conseruetur, non sufficit vt conseruetur extra ipsum. Sicut eo quòd res aliqua in produci pendet à causa secunda, bene omnes colligunt, concursum Dei vniuersalem per se solum non sufficere ad eius productionem. 26

Dices, ideo dici accidens in produci & conseruari pendere à subiecto, quia subiectum est conditio naturaliter requisita ad eius productionem ac conseruationem. 27

Sed contrà. Vel ideo subiectum ad vtrumque requiritur, quia potest per causam naturalem cum concursu generali produci & conseruari in subiecto, non tamen extra: & hoc est quod nos dicimus. Vel ideo solùm hoc fit, quia Deus non statuit ad eius productionem & conseruationem extra subiectum concurrere; & sic subiectum non erit conditio naturaliter requisita, sed ex mero Dei beneplacito: & conse-

quenter ſpectata præcisè ipſius natura, non magis in ſui productione pendebit à ſubiecto, quàm anima rationalis à corpore organico, quam Deus numquam ſtatuit producere, niſi eam ſimul infundat corpori priùs organizato.

28 Duplex ſubiecti officium. Pro ſolutione contrariorum argumentorum, Nota Primò, ſubiectum reſpectu accidentis ſubire duplex officium. Primò, compartis, componendo ſimul cum eo aliquod totum: ſic paries cum albedine componit album. Et hoc officium cauſæ materialis, nullo modo per cauſam efficientem ſuppleri poteſt. Secundò, ſuſtentat ipſum accidens. hoc autem officium à priore eſſe diſtinctum, patet: quia corpus cum anima rationali componit aliquod totum; non tamen eam ſuſtentat.

29 Multa actiuitatē cauſæ facilitant, quæ in ſe actiua non ſunt. Nota Secundò, etſi hæc ſuſtentatio non ſit efficientia, facilitat tamen ipſam actionem cauſæ efficientis, qua accidens producitur & conſeruatur. quod vel inde patet; quia diſpoſitio vel natura ipſius ſubiecti multum eandem actionem facilitat. Nam calor difficiliùs conſeruatur in aqua, quàm in aliis quibuſdam ſubiectis. Ita lumen quia naturaliter requirit ſubiectum diaphanum; naturali vi nec produci nec conſeruari poteſt in corpore opaco: virtute tamen diuina poteſt ibidem & produci & conſeruari. Simili modo etſi locus non concurrat effectiuè ad productionem aut conſeruationem ignis, aliquando tamen eam valde facilitat. Nam in loco naturali ignis facillimè conſeruatur: idémque in loco humido & vbi aër eſt conſtipatus & concluſus, & difficulter producitur & facilè ſuffocatur. Si tamen agens ſit valde vehemens, etiam tali loco eum producere & conſeruare poterit.

30 Concurſus ſubiecti per efficientiam ſuppletur. Ex quibus omnibus colligimus, quando accidens producitur aut conſeruatur extra ſubiectum, concurſum ipſum ſubiecti ſuppleri per veram efficientiam cauſæ efficientis, & conſequenter maiorem requiri vim agendi, vt poſſit ita produci aut conſeruari: ſicut maior vis agendi requiritur, vt lumen producatur in corpore omnino opaco, quàm vt producatur in diaphano: aut vt *ignis* producatur in ligno viridi, quàm vt producatur in arido ac ſicco. Confirmatur, quia leuitas non effectiuè ſed formaliter impellit corpus ſurſum: & tamen in lapide proiecto ſurſum, eius defectus per cauſam efficientem, verámque efficientiam ſuppletur: cur non poſſit idem dici de dependentia accidentis à ſubiecto?

31 Res creatæ ſunt triplicis. Vt autem hæc meliùs intelligantur, Nota Tertiò, res creatas eſſe triplicis generis. Primæ habent eſſe perfectum, quę ſemel productæ ad ſui conſeruationem indigent ſolo concurſu generali: quales ſunt ſubſtantiæ. Secundæ habent eſſe planè imperfectum, & valde dependens: quale eſt lumen, quod vt conſeruetur, præter concurſum Dei generalem, indiget ſubiecto, & continuo influxu cauſæ ſecundæ. Tertij generis ſunt mediæ, quæ ad ſui conſeruationem indigent Dei concurſu generali, & ſubiecto; non tamen continuo influxu cauſæ ſecundæ: quales ſunt colores, & ſimilia. Cùm igitur dependentia hæc accidentis à ſubiecto ſit vera & realis, ita vt ſubiectum verè ad eius conſeruationem concurrat, nequit intelligi quomodo abſente ſubiecto poſſit conſeruari, niſi aliqua cauſa eius defectum ſuppleat. Sicut ſublata grauitate nullo modo lapis poteſt ferri deorſum, niſi aliqua cauſa eius defectum ſuppleat. Sicut autem hoc poteſt fieri effectiuè, ita etiam illud.

32 Ad Primam igitur rationem contrariam nego minorem. Nam niſi concurſus ſubiecti poſſet à Deo ſuppleri, nullo modo accidens ſine eo poſſet conſeruari, vt patet ex dictis.

Ad Secundam nego aſſumptum. Sumit enim directè id quod probandum eſt, & apertè falſum, ſcilicet accidens in ſui conſeruatione non pendere à ſubiecto. Ad Primam eiuſdem probationem diſtinguo antecedens. Nam ſi ideo dicitur dependentia accidentis à ſubiecto, non eſſe ei eſſentialis, quia poteſt à Deo ſuppleri; ſic vera eſt: ſed nihil facit contra nos, ſed noſtram ſententiam probat. Si autem ideo dicitur non eſſe eſſentialis, quia annihilato ſubiecto accidens eadem facilitate, ſiue eodem influxu cauſæ ſecundæ conſeruari poteſt, quo priùs conſeruabatur; ſic falſum eſt, & petitur apertè principium, idémque aliis verbis dicitur in antecedente & in concluſione.

Ad Secundam probationem nego antecedens; quia aliàs accidens produceretur independenter à ſubiecto; non minùs quàm anima rationalis. Quare accidens ſimul natura intelligitur productum & inhærens; quia producitur inhærens.

DVBIVM II.

Vtrùm accidens exiſtens ſine ſubiecto acquirat nouum modum poſitiuum, qui terminet ipſius exiſtentiam?

33 QVi aſſerunt dependentiam effectus à ſua cauſa efficiente eſſe modum quemdam realem diſtinctum à re, facilè hic reſponderent affirmatiuè. Nam cùm ſuprà oſtenderimus accidens ita exiſtens nouâ ratione verè & realiter dependere à Deo, ſicut acquirit nouam dependentiam; ita ſecundùm illos neceſſariò acquirit nouum modum. Sed quidquid hac de re ſit, hæc reſponſio *non* ſatisfacit huic difficultati. Nam hic non quærimus modum quo aliquid pendet à cauſa efficiente, ſed quo rei exiſtentia vltimò terminatur.

34 Ad quid neceſſaria ſint ſubſiſtentia, & inhærentia. Pro quo Nota, quòd ſicut quantitas extenſa in ordine ad locum neceſſariò requirit aliquam figuram quò ipſius extenſio vltimò terminetur: ita res omnes quæ habent propriam entitatem, vt naturaliter exiſtant, requirunt aliquem modum ſibi intrinſecum quo eorum exiſtentia vltimò terminetur. Talis eſt in ſubſtantia ſubſiſtentia, & in accidente inhærentia. Quæritur hic itaque, Vtrùm, vt Deus conſeruet accidens ſine inhærentia, neceſſariò debeat ei dare alium modum ei repugnantem: ſicut humanitas Chriſti priuata ſubſiſtentia accepit modum vnionis, quo inexiſtit Verbo. Quidam hoc affirmant, alij verò negant: & res ſatis eſt dubia. quia nulla eſt experientia, qua alterutram partem poſſimus conuincere.

Quòd ſi tamen ex aliis nobis notis, & cum quibus hæc res videtur habere aliquam analogiam, velimus argumentari; ſatis eſt probabile nouum aliquem modum requiri in accidente exiſtente ſine ſubiecto, qui ſuccedat inhærentiæ.

35 Probatur, quia ſicut figura vltimò terminat extenſionem quantitatis: ita inhærentia & ſubſiſtentia vltimò terminant exiſtentiam accidentis & ſubſtantiæ. Sicut enim quantitas ex ſe indifferens eſt vt in hac vel illa figura exiſtat: ita ſubſtantia ſecundùm ſe eſt indifferens vt ſaltem per diuinam virtutem exiſtat vel per ſe, vel in alio per vnionem hypoſtaticam: & accidens eſt indifferens, vt exiſtat in ſubiecto, vel extra ſubiectum. ergo ſicut impoſſibile eſt conſeruare quantitatem extenſam, & tollere ab ea vnam figuram, quin detur ei alia: ita videtur impoſſibile tollere à ſubſtantia ſubſiſtentiam, aut ab accidente inhærentiam, niſi detur iis alius modus illis repugnans.

Confirm. quia, vt poſſumus ex rebus notis conijcere, impoſſibile eſt rem aliquam exiſtere, niſi in ſuo genere ſit vltimò determinata. Hinc impoſſibile eſt animal exiſtere niſi contractum ad certam ſpeciem vltimam, & ad certum individuum. Item impoſſibile eſt quantitatem exiſtere extenſam, niſi habeat certam figuram; & ſic in cæteris ſimilibus: ergo ſimiliter accidens

Nihil poteſt exiſtere niſi vltimò determinatum.

accidens nequit conseruari sine inhærentia, nisi accipiat alium modum quo eius existentia terminetur: alioqui hæc vltimò maneret indeterminata, & quasi vaga ac incerta.

36 Dices, Anima rationalis potest desinere informare corpus non acquirendo nouum modum: ergo similiter accidens poterit desinere inhærere sine tali modo. Resp. negando consequentiam. quia informatio non terminat existentiam animæ rationalis quæ per se existit; inhærentia autem intrinsecè terminat existentiam accidentis.

Hæc ratio videtur satis probabiliter hanc sententiam concludere: si quis tamen velit negare illam analogiam inter hos modos & figuram, facilè argumentum elidet.

37 Accidens extra subiectum non existit per se. Nota demum, improprium planè esse modum loquendi, quo aliqui vtuntur, dum dicunt accidens extra subiectum per se existere, aut sustentari ab illo modo. Nam per se existere sola illa dicuntur, quæ seipsa sustentant, vt substantiæ. Tale autem accidens nec seipsum sustentat; alioquin subsisteret & esset substantia: nec sustentatur ab illo modo, qui est ens quoddam imperfectissimum, nec supplet vicem subiecti, sed inhærentiæ. sustentare autem est magnæ perfectionis & officium subiecti, non autem inhærentiæ: sed sustentatur à Deo, qui effectiuè supplet causalitatem subiecti, iuxta dicta dub. 1.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in hoc Sacramento quantitas dimensiua panis, vel vini, sit aliorum accidentium subiectum.

38 ARt. 2. docet, solam quantitatem esse absolutè sine vllo subiecto in hoc Sacramento: reliqua verò accidentia panis & vini in ea inhærere. Probat hoc quibusdam rationibus, sed quæ procedunt ex valde dubiis principiis, & quæ communiter ab aliis negantur.

Pendet autem hæc quæstio ab illa philosophica, An quantitas realiter distinguatur ab ipso subiecto? quod quidam negant, alij affirmant. Et sanè si spectemus solas rationes naturales, facile esset vtramque partem defendere: quia nulla est ratio quæ alterutram partem clarè conuincat. Sed non est necessarium hæc pluribus hîc disputare: fundamenta verò ex quibus colligas quâ ratione vtraque pars possit defendi, posui suprà q. 76. art. 4. vbi etiam notaui quamcumque partem defendas, necessariò dicendum esse extensionem in ordine ad locum non esse formaliter quantitatem: & similiter nec rationem formalem quantitatis consistere in eo quòd res habeat partem extra partem. quia posset Deus rei quantæ partes omnes sese mutuo penetrantes ponere in puncto: sed in eo quòd res aliqua naturaliter postulet, & immediatè ac proximè nata sit habere partem extra partem extensam in ordine ad locum: ita vt nec partes eiusdem corporis se mutuo, nec aliud corpus naturaliter pariantur esse secum in eodem loco; & consequenter tam se mutuo, quàm aliud corpus ex eodem loco necessariò expellant, nisi diuinitus impediantur, in cuius extensionis & expulsionis proximo principio consistit ratio quantitatis, siue sit distincta à substantia corporali, siue non.

Ex naturali ratione nequit cognosci an quantitas distinguatur realiter à subiecto.

In quo cõsistat formalis ratio quantitatis.

39 *D. Thom.* Quare Nota, secundùm sententiam D. Thomæ dicendum esse, quantitatem esse accidens realiter distinctum à substantia, per quam hæc immediatè habet quòd naturaliter requirat habere partem extra partem; ita vt per eam vna aliam sibi quidem connectat, non tamen in eodem secum loco pariatur; sicut nec alia corpora: ita vt sine hac partes substantiæ se mutuo & alia corpora possent naturaliter penetrare, ac inidoneæ essent ad aliquod aliud accidens recipiendum. Hanc igitur Deus singulari concursu sustentat extra omne subiectum, quæ sic sustentata, Deo vlteriùs singulariter concurrente suscipit in se reliqua accidentia, eáque inter se connectit & sustentat.

Quam sententiam varij variis rationibus philosophicis probant, sed quæ facilè solui possunt, quia magna ex parte supponunt quod probandum est: spectatis tamen rationibus theologicis puro eam omnino amplectendam, quia faciliùs mysterium Ven. Eucharistiæ explicat. Nam secundùm eam faciliùs explicatur Primò, quomodo post consecrationem omnia accidentia panis & vini inter se cohæreant. Cùm enim non possint habere immediatam connexionem inter se (nec enim possunt se mutuo informare: quia nulla esset ratio cur vnum potiùs informaret alterum quàm contrà: nec potest alia inter ea ratio connexionis assignari) videtur omnino dicendum, ea immediatè connecti alicui tertio cui inhærent, quod non potest esse aliud quàm quantitas.

40 *Secundùm rationes theologicas probabilius est quantitatē distingui realiter.*

Secundò, faciliùs explicatur, quomodo accidentia possint pati ab agentibus naturalibus, quæ non habent vim producendi aliquod accidens extra subiectum. Tertiò, quomodo diuersæ hostiæ siue species se mutuo non penetrent. Cur enim non poterunt duæ albedines, duo sapores, &c. se mutuo penetrare, sicut sapor, odor, albedo in eadem hostia se mutuo penetrant?

41

Responderi quidem posset à Nominalibus, qui negant quantitatem à re distingui realiter, singulas qualitates per se esse quantas, atque ita à se habere extensionem in ordine ad locum, & excludere alias res quantas sibi non subordinatas, quales sunt qualitates eiusdem speciei: & secùs esse de subordinatis, quales sunt sapor, odor, albedo, quæ ab eiusdem rei perfectionem ordinantur; & ratione huius subordinationis naturaliter se mutuo non excludere, sed inter se connecti. Sicut autem Deus singulari concursu efficit, vt hoc aggregatum accidentium sine subiecto existat: ita etiam efficere, vt possit agere & pati, & vt productæ qualitates etiam sine subiecto existant, & simili modo se expellant, ac si existerent in subiecto.

42 *Nominales.*

Quibus aliqui obiiciunt, Videmus ibi superficiem albam, ergo albedo ei inhæret. Aliàs enim nec esset, nec videri posset alba. Sed alij facilè negabunt nos videre ibi albam superficiem, sed solam superficiem albedinis. Ex quibus patet hanc sententiam nihil tenere vel apparenter contrarium fidei, ideóque immeritò à quibusdam argui tamquam periculosam in fide.

Quantitatē non distingui à re quanta nō est periculosum in fide.

Altera tamen sententia omnino amplectenda est. Primò, quia est communior, & grauiorum Doctorum. Secundò, quia modus quo explicat supradictas difficultates, est multò simplicior, expeditior, & conceptu facilior. Tertiò, quia minùs multiplicat miracula. Nam posito quòd quantitas hoc modo à Deo sustentetur, & accipiat vim sustentandi reliqua accidentia: tunc facillimè intelligitur, quomodo sine nouo miraculo hostiæ consecratæ se mutuo loco expellant, & quomodo in iis possint produci diuersæ qualitates, quæ se mutuo expellant. In sententia autem Nominalium in his omnibus semper opus est nouis miraculis.

43 *Nominales.*

Sine fundamento tamen à quibusdam additur, impossibile esse solas qualitates sine subiecto conseruari. Cùm enim habeant esse tam distinctum ab omni subiecto, quàm quantitas, nulla videtur ratio, cur non tam possint conseruari sine subiecto, quàm illa.

Qualitas fine quantitate à Deo conseruari potest.

ARTICVLVS III.

Vtrùm species quæ remanent in hoc Sacramento, possint immutare aliquid extrinsecum?

44 RESP. 3. docet, species panis & vini eodem modo posse agere & immutare corpora circumstantia, sicut quando erant in subiecto, siue in pane, & vino. Patet experientia & sensu. Ratio est, quia inhærentia in subiecto non est aliter illis necessaria ad agendum, quàm quatenus est necessaria ad existendum: vnde hoc ipso quo non pendent à substantia in existendo, nec dependent ab ea in agendo. Hinc cùm accidentia immediatè per se subiiciantur sensibus, & his mediantibus substantia, illa eodem omnino modo sensum immutant, & à sensibus percipiuntur, ac si substantia iis subesset: ita vt hostias consecratas à non consecratis non possimus discernere, nisi quia eas consecrauimus, aut vidimus consecrari, & sola fide his nullam subesse substantiam scimus.

Inhærentia in subiecto non confert accidenti vim agendi.

Similiter corpora sibi vicina eodem modo immutant, & omnia accidentia quæ antea producere poterant, eodem modo producunt ac si esset in subiecto. quia vim hæc producendi nullo modo accipiunt à subiecto, sed eam ex se habent.

45 Difficultas verò est, quomodo possint producere substantiam. quia aut accidentia non possunt producere substantiam (vt multi volunt) aut non possunt eam producere nisi in virtute substantiæ, vt alij volunt. *Sed respondendum est*, species separatas posse etiam eas substantias producere, quas aqua aut vinum ante producere poterant, Deo etiam in hoc supplente vicem substantiæ. Quare si accidens possit producere substantiam in virtute substantiæ; Deus dat speciebus eandem virtutem, quam substantia dedisset, aut si accidens non possit immediatè producere substantiam. tunc species introducunt solùm vltimam dispositionem, & Deus supplens vicem substantiæ introducit formam substantialem. Hinc si vinum mistos sibi liquores possit convertere in vinum, vt aliqui opinantur, etiam species altero ex dictis modis id poterunt.

Quomodo species producant substantiã.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm species sacramentales possint corrumpi?

46 RESP. 4. docet, species sacramentales post consecrationem non minùs posse corrumpi, quàm si existerent in subiecto. Patet experientia. In explicando tamen modo quo hoc fit, laborant qui negant quantitatem distingui realiter à subiecto. debent enim dicere quando species frigidæ v. c. calefiunt, ipsum calorem recipi in toto illo ex diuersis accidentibus aggregato, & ipsum frigus ex hoc aggregato expellere. Non quòd ille calor verè subiectetur in illo aggregato (quia nulla est ratio cur in illo aggregato vna qualitas potiùs subiectetur in alia quàm contrà: vnde ipsi dicunt singulas diuina virtute existere sine vllo subiecto) sed quia cum iis coalescit, & vnum aliquod totum conficit. Quare secundùm illos ille calor absolutè producitur extra subiectum, Deo vicem subiecti singulari suo concursu supplente. Quæ sententia etsi absolutè non possit conuinci falsa, tamen multò difficiliùs concipitur quàm contraria.

Alij verò, qui dicunt quantitatem distingui realiter, & reliqua accidentia in ea subiectari. facilè explicant quomodo in ea possit noua qualitas produci, & alia expelli. Posito enim quòd quantitas habeat vim sustentandi qualitates, eodem modo erit capax alterationis, sicut substantia, idque sine vllo nouo miraculo. sicut si Deus corpus natura sua opacum faceret pellucidum, sine vllo nouo miraculo possem per illud videre, sicut iam videmus per vitrum. Item si Deus magnam partem aëris efficeret omnino solidam, aut alia ratione ita teneret coniunctam, vt nulla ratione posset diuidi, sine nouo miraculo posset quis super eam ambulare, non secùs quàm ambulamus super terram, aut aquam congelatam.

Addunt aliqui, vt qualitates sublata substantia sustententur à quantitate, non esse opus alio miraculo, quàm vt Deus sustenteret ipsam quantitatem sine subiecto. Putant enim in corporibus solam quantitatem immediatè inhærere ipsi substantiæ: qualitates verò immediatè inhærere quantitati: atque ita post consecrationem, eodem planè modo inhærere quo priùs. 47

An qualitates naturaliter immediatè inhæreant quantitati; an verò subiecto.

Quæ sententia propter multorum auctoritatem est satis probabilis: nullo tamen firmo fundamento nititur. Nam quod ipsi adferunt, quòd substantia non sit capax qualitatum, nisi priùs sit quanta, nullo modo probat qualitates debere subiectari in quantitate, sed hanc esse conditionem requisitam, vt corpus naturaliter possit in se vllam qualitatem suscipere.

Patitur etiam hæc sententia aliquot difficultates. 48

Nam Primò, difficulter intelligitur quomodo accidens quod natura sua indiget ab alio sustentari, naturaliter habeat simul vim sustentandi aliud, & natura sua postulet sustentare qualitates: quod est proprium officium substantiæ.

Secundò, quia inde sequeretur, qualitates non perficere immediatè substantiam, sed solam quantitatem: quia accidens solum illud immediatè perficit, cui immediatè inhæret: & consequenter omnia reliqua accidentia magis essent perfectiua quantitatis quàm substantiæ, & potiùs propter illam, quàm propter hanc. quæ videntur esse contra communem conceptum.

Tertiò, quia cùm accidens sit totaliter forma, difficulter intelligitur quomodo naturaliter postulet ab alia forma realiter distincta informari.

Dices, Similiter intellectus est accidens, & tamen naturaliter postulat à suo actu informari. 49

Resp. esse multò probabilius intellectum non distingui realiter ab anima, & consequenter esse substantiam. quia nullum est argumentum, quod contrarium probet. *Sed non est opus hæc pluribus hic disputare, quia ad præsentem materiam explicandam non sunt necessaria.*

Docet D. Thomas præterea, corpus Christi semper manere in Sacramento, donec species ita corrumpantur, vt sub iis substantia panis aut vini naturaliter conseruari non posset, eáque corruptione facta, corpus Christi ibi esse desinere. Est planè certa sententia, nec ab vllo negatur. 50

D. Thom. Corpus Christi manet in Sacramẽto donec species corrũpantur.

Nota D. Thom. hîc in corpore ponere triplicem modum quo possint species corrumpi. Primò, per diuisionem, qua ratione aliquo modo quantitas corrumpitur; quia eius continuitas corrumpitur. Imò ex sententia D. Thomæ, qui putat tam panem quàm vinum requirere certam quantitatem, ita vt sub minore non possit existere, species possent ita diuidi, vt sub iis substantia panis aut vini non posset conseruari; & consequenter desineret ibi esse corpus Christi. Secundò, per alterationem, qua ratione qualitates corrumpuntur eo modo quo iam dixi. Tertiò, per desitionem subiecti, qua ratione dicit species etiam posse corrumpi: quia etsi non habeant subiectum, habent tamen idem esse quod habebant in subiecto. Quod ait à contrario agente posse corrumpi, sicut corrumpebatur substantia panis; verba videntur obscura, & in iis explicandis aliqui satis laborant. 51

D. Thom.

Sed

52 Sed Resp. D. Thomam supponere in omni mutatione substantiali aliam esse quantitatem in genito, quàm fuerit prius in corrupto : & consequêter quando ita species alterantur, vt non posset sub iis naturaliter manere substantia panis aut vini, cùm eo casu necessariò ibi gignatur aliqua alia substantia, vt vibedimus art. 5. sentit quantitatem qua aliæ species sustentabantur, perire : quia nec potest perseuerare in substantia nouiter genita, secundùm illud D. Thomæ principium: nec etiá manere sine subiecto, quia Deus non vult species diutiùs conseruare sine subiecto, quàm ibi maneat corpus Christi. Vnde sequitur, necessariò etiam perire omni: alia accidentia, quæ tunc quantitati inhærebant : quia nec possunt manere sine subiecto, nec transire de subiecto in subiectum.

D. Thom.

Qui autem sentiunt quantitatem immediatè inhærere ipsi materiæ, & esse ei coæuam ac incorruptibilem; consequenter dicunt eandem perseuerare, quando ex speciebus sacramentalibus aliquid gignitur.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ex speciebus sacramentalibus possit aliquid generari?

53 RESP. 5. docet, ex speciebus sacramentalibus aliquid posse generari. Patet experientia. Videmus enim consecratas hostias diu conseruatas, præsertim si sint loco humido, corrumpi, & vermes ex iis generari.

DVBIVM.

Qua ratione possit aliquid ex speciebus sacramentalibus generari?

54 RATIO difficultatis est, quia omnis generatio supponit materiam, in qua forma rei genitæ recipiatur: hîc autem nulla est materia.

D. Thom.

D. Thom. hîc tres adfert sententias quas refutat, & quartam suam subiicit, in qua explicanda valdè Thomistæ laborât. Videtur enim apertè dicere ipsam quantitatem pani & vini subire vicem materiæ, & esse subiectum generationis, ac recipere in se formam substantialem genitam. Et sic intellexerunt D. Thomam non solùm illi omnes qui eum oppugnant, sed etiam antiquiores Thomistæ, vt docet Sotus in 4. d. 10. q. 2. art. 2. §. *Duæ prieres*. Sed, vt fatetur ibidem Sotus, hæc sententia non est probabilis. Primò, quia per se statim apparet absurdum, quòd forma substantialis informet aliquod accidens. Secundò, quia tale genitum esset omnino monstruosum, compositum ex quantitate & forma substantiali : & consequenter nec substantia, nec accidens : & consequenter vermes ex illis speciebus geniti nullo modo essent animalia; quia non essent corpus. nam corpus dicit aliquid compositum ex materia & forma: imò nec essent substantia. Item si homo longo tempore nihil aliud comederet aut biberet quàm species consecratas, tandem magna ex parte componeretur ex quantitate & forma substantiali sine vlla materia : & consequenter magna ex parte non esset corporeus, nec animal, sed monstrum. Tertiò, quia si mundus adhuc diu starer, plurimæ res (omnes illæ scilicet, quæ ex illis speciebus gignerêntur, quæ tandem essent notabilis pars vniuersi) perdita primæua materia constarent sola quantitate & forma substantiali, & ex iis nihil posset naturalitet generari. quia quantitas nullo modo potest esse subiectum generationis. quæ omnia certè valdè absurda sunt. Quare recentiores conantur alio sensu D. Thomam explicare, sed verba ipsius sunt valdè difficilia.

Thomistæ.

Sotus.

Quantitas nequit subire vicem materiæ in generatione.

D. Thom.

Nec minùs absurda est sententia Caietan. hîc. Vult enim ipsam quantitatem in eiusmodi mutationibus fieri ipsam materiam, ita vt eadem omnino res quæ antè erat quantitas, sit postea materia prima. Sed hæc sententia Caietani est omnino inconceptibilis: vt per se patet. 55 *Caietan.*

Sotus verò suprà vult quantitatem conuerti in materiam quantam: & hoc modo intelligendum esse D. Thomam. Sed hæc sententia & cæter omni fundamento, & multas difficultates inuoluit: quia nec potest hic assignari aliquid commune termino à quo, & termino ad quem illius conuersionis: nec potest ostendi quomodo quantitas ibi desinat vt ponatur materia prima corporis gignendi, quæ tamen necessaria sunt ad veram conuersionem. Quare cùm aliter hæc res possit facilè explicari, nihil est cur illam sententiam amplectamur. *Sotus.* *Quantitas nequit eõ uerti in materiam quantam.*

CONCLVSIO. Eodem instanti quo species ita sunt alteratæ, vt non posset sub iis vlteriùs naturaliter conseruari substantia panis & vini, definit ibi esse corpus Christi, & Deus ibi creat materiam, eique vbit quantitatem panis, aut vini, cum qualitatibus, quæ ei illo instanti inhærent, per quas iam est vltimò dispositа ad susceptionem alicuius formæ substantialis, quam eodem instanti illud agens producit, quod eam produxisset si ibi priùs fuisset substantia panis & vini. Quando autem generantur vermes ex pane vel speciebus consecratis; quisnam ibi producat formam substantialem, diuersi diuersa sentiunt. Nam qui volunt accidens posse producere substantiam ; dicunt eam produci ab ipsis accidentibus, quæ introduxerunt vltimam dispositionem necessariam ad productionem illius formæ. Qui verò negant accidens posse producere substantiam ; dicunt Deum vt auctorem naturæ supplendo defectum agentis naturalis (nulla enim est ibi forma substantialis, quæ potest producere formam vermis) producere eam formam substantialem. Vtra autem ex his sententiis sit verior, non est huius loci disputare. Sufficit enim nobis quod illa forma producatur ab eodem agente, à quo fuisset producta, si fuisset ibi panis aut vinum. 56 *Creatur à Deo noua materia.*

Hæc sententia facillima est, ideóque maximè amplectenda, eámque moderni communiter sequuntur. Nec hic nouum aliquod fit miraculum, quod posita huius Sacramenti institutione non sit necessarium. Quare non tam debet dici nouum, quàm ipsam consequens institutionem, & in ea inclusum, & quidem aliqua ratione secundùm ordinem & exigentiam naturæ, quæ postulat sibi per creationem restitui materiam, quam per consecrationem perdiderat, ne tandem magna ex parte materia prima pereat. 57 *Creatio materiæ nõ est nouum miraculum.*

Disputant autem hîc aliqui, Vtrùm eadem numero materia in tali generatione à Deo creetur, quæ antè fuerat deperdita. Qua in re nullum argumentum potest hanc vel illam partem conuincere. quia vtraque est possibilis. Videtur tamen conuenientius, vt eadem numero restituatur, quæ fuerat perdita. quia hoc modo minor in vniuerso per hoc Sacramentum introducetur mutatio. *Creatur eadem numero materia quæ fuerat perdita.*

ARTICVLVS VI.

Vtrùm species sacramentales possint nutrire?

58 RESP. 6. docet, species sacramentales posse nutrire. Patet ipsa experientia. Nam experimur illas species eadem omnino in nobis operari, quæ verum vinum operatur. Et posito quòd ex illis possit aliquid generari, (vt iam diximus) nulla hîc est noua difficultas.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm species sacramentales frangantur in hoc Sacramento?

59 AD 7. docet Primò, species sacramentales verè posse frangi ac diuidi, cùm sint verè quantæ. patet experientia.

Corpus Christi nõ frangitur nisi metaphoricè.

Docet Secundò, corpus Christi nec frangi posse, nec diuidi: quia est omnino incorruptibile & immortale. Per quamdam tamen denominationem extrinsecam quandoque à Partibus dicitur frangi, tractari manibus, & dentibus teri: quia species sub quibus est, franguntur & dentibus teruntur. sed hæc locutio est impropria.

60 Dices, Si hæc locutio sit impropria, quare Berengarius cap. *Ego Berengarius*. de consecr. d. 2. iussus est fateri, Christi corpus sacerdotum manibus in veritate tractari ac frangi, ac fidelium dentibus atteri?

Respondeo, ita iussum esse, quia ante docuerat Christum in Sacramento tantùm contineri vt in signo. Quare quando hæc dicuntur fieri in veritate, non significatur has locutiones esse proprias: sed corpus Christi sub illis speciebus quæ franguntur, arteruntur & franguntur, verè & realiter esse præsens, & non tantùm vt in signo.

61 Verè tamen manducatur.

Nota tamen, corpus & sanguinem Christi verè & propriè dici manducari & bibi. quia vt dicatur comedi & bibi, sufficit vt naturali via actione vitali in stomachum per modũ rei solidæ aut liquidæ traiiciatur. Nec opus est vlla masticatione, vt patet in auibus. propriissimè autem hoc modo corpus & sanguinẽ Christi in stomachum traiicimus: vt ostendi q. 76. n. 86.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm aliquis liquor possit vino consecrato commisceri?

62 Liquores calici infusi nullo modo madefaciunt corpus Christi.

AD 8. docet Primò, liquores infusos calici consecrato misceri speciebus patet experientia. Docet Secundò, eos non posse misceri sanguini. quia hic ibi est in venis Christi, & consequenter tangi nullo modo potest à liquoribus infusis, qui extrinsecè tantùm corpori Christi circumfunduntur. nec vllo modo ipsum penetrant, imò ne quidem madefaciunt. Vide c. *Cùm Marthæ*. de celebrat. Missarum. Docet Tertiò, quando aliquis liquor calici consecrato miscetur, siue sit eiusdem speciei, siue diuersæ, semper species vel omnes, vel saltem ex parte corrumpi. Si enim liquor ea quantitate infundatur, vt commisceatur omnibus speciebus; putat omnes corrumpi: si verò sit tam exiguus, vt tantùm misceatur vni parti; vnam tantùm partem corrumpi: & consequenter docet, vel omnino, vel ex parte desinere ibi esse sanguinem Christi.

63 Aliqua possunt variis modis misceri.

Pro quo Nota, triplici modo posse aliqua inter se misceri. Primò, ita vt vtraque retineant suam naturam integram. sic miscentur cineres arenæ. Secundò, ita vt alterum transeat in naturam alterius. sic secundùm multos parum aquæ mistum vino conuertitur in vinum. Tertiò, ita vt vtrumque mistum cõuertatur in aliquod tertium, in quo non quidem formaliter, sed virtualiter perseueret. sic secundùm communem 3. sententiam in corporibus mistis elementa miscentur, in quibus solùm virtualiter manent. Et hanc solam mistionem Aristoteles l. 1. de generatione textu 86. & seqq. vult esse veram mistionem: & hæc est mistio perfectissima & propriissima: secundùm communem tamen loquendi modum etiam ea quæ prim & secundo modo miscentur, verè dicimus misceri.

Aristot.

64 *D. Thom.*

Diuus autem Thomas hîc vult omnem mistionem liquorum fieri secundo vel tertio modo, & vtrumque liquorem mistũ necessariò substantialiter corrumpi; & gigni aliquod tertiũ: idque quandoque solo numero distinctum ab vtroque misto, vt quando miscentur duo liquores eiusdem speciei: quandoque ab vtroque specie distinctum, vt quando miscentur duo liquores diuersæ speciei æquè actiui in eadem quantitate: quandoque verò ab altero solo specie distinctum, vt quando parum aquæ miscetur vino, & in vinum conuertitur, vt multi putant.

Ratio ipsius est, quia liquores ita misti secundùm omnem sui partem miscentur, & consequenter singuli diuiduntur in minores particulas, quam sint eæ sub quibus earum substantia possit naturaliter conseruari. Sentit enim D. Thomas etiam corpora homogenia ita requirere certam quantitatem, vt necessariò corrumpantur, si in minores partes diuidantur. *D. Thom.*

Sed hæc sententia parit summas difficultates. 65
Primò, quia omnino est incredibile, statim atque duæ aquæ miscentur inter se, vtramque substantialiter corrumpi, & generari vnam tertiam. quia nulla est vel minima apparentia, ex qua possimus hîc colligere talem corruptionem: nec vllum est agens, à quo possit illa tertia aqua generari. Nam aquæ quæ miscentur, non possunt illam tertiam generare. quia quando hæc generatur secundùm illam sententiam, iliæ corruptæ sunt. Nihil autem potest agere, quando non est. Et planè inauditum est, quòd forma quæ corrumpitur, producat illam quæ in ipsius materiam introducitur, nec aliud agens hic fingi potest.

Dices, Deum producere illam formam aquæ ne materia remaneat sine forma. Sed hoc dici nequit. Quia Deus tunc tantùm introducit formam substantialem in defectu agentis naturalis, quando materia est vltimò disposita ad eam suscipiendam. hîc autem materia per illam diuisionem omnino est indisposita ad suscipiendam formam aquæ.

Secundò, quia ex ea sententia sequeretur dari certum instãs in quo verum esset dicere: Iam talis diuisio partium aquæ facta est, vt sub iis non possit vlteriùs aqua conseruari: atqui hoc est hîc impossibile: ergo & id vnde sequitur. Maior probatur. quia cùm substantialis generatio fiat in instanti, in ea datur necessariò certũ instans in quo verũ est dicere, Iam primùm forma genita est, & corrupta non est: atqui nullũ hîc aliud tale instãs posset assignari, nisi in quo talis est facta diuisio: ergo tale instans deberet assignari. Et confirm. quia in omni alia corruptione illud instãs est necessariò primum non esse formæ corruptæ, in quo primùm introductæ sunt in materiam dispositiones incompossibiles cum illa forma: atqui hîc nulla dispositio incompossibilis cum forma aquæ introducitur in materiã, nisi illa diuisio: ergo primum instans, quo facta est illa diuisio debet esse primum instans desitionis aquæ. 66

Minor probatur, quia cùm materia nullo instanti 67
possit esse sine forma, codẽ instanti quo esset facta illa diuisio, & consequenter in quo tũ primùm non esset forma corrupta, deberet introduci secũda forma aquæ: atqui hoc esset naturaliter impossibile: quia illo instanti materia habet dispositiones incõpossibiles cum forma aquæ: ergo nullum tale instans potest dari.

Sequeretur Secundò, quotiescumque aqua in aliud 68
vas infunditur, aut vehementer in eodem vase agitatur, ipsam substantialiter corrumpi, & aliam gigni. quia tunc partes tantum inter se miscentur, quantum miscentur quando vna aqua infunditur in aliam. Imò quando diu duraret talis agiratio, sequeretur sæpiùs aquam corrumpi, & gigni; vel potiùs semel corrumpi, & aliam non gigni. quia illa agitatio, ratione diuisionis quam facit, impedit ne vetus aqua possit conseruari: multò magis impediet ne noua gignatur. quia faciliùs res conseruatur, quàm producitur.

Sequeretur

Sequeretur Tertio, quando duo calices consecrati miscerentur, quòd sub vtroque desineret esse sanguis Christi: imò quòd idem fieret quando vnus paulò vehementiùs agitaretur. quæ tamen absurda videntur, & contra praxin Ecclesiæ, quæ olim quando dabatur communio sub vtraque specie, sæpè solebat sanguinem ex vno calice in alium infundere: præsertim vbi erat magnus populus. Ibi enim in maioribus calicibus consecrabant, ex quibus sanguinem in minores fundebant, vt populo porrigerent. ita multi opinantur. contrarium tamen puto verius: nam Ordo Romanus (qui liber vt minimum ante octingentos annos est conscriptus) c. 4. sub finem, expressè docet, calicem qui consecrabatur fuisse minorem, & diaconum solitum ex eo aliquid sanguinis infundere in maiorem calicem plenum vino, quem deinde populo porrigebat. *Quia*, vt ibi dicitur, *Vinum etiam non consecratum, sed sanguine Domini commixtum sanctificatur per eminem modum.* quæ apertè repugnant sententiæ quam oppugnamus, quia secundùm eam sanguis Christi ibi omnino desiisset esse.

Ordo Rom.

Quomodo olim administrabatur populo calix.

70 Fundamentum autem contrariæ sententiæ facilè soluitur. Nam etsi gratis concedamus (quod multi negant) vinum posse in tam minutas partes diuidi, vt per eam diuisionem destruatur, quando singulæ particulæ separatim ponuntur: negandum tamen id fieri posse, quando illæ particulæ ita non separantur, sed manent semper continuæ alicui vino, vt fit in illa mistione: nec enim ibi datur vlla particula omnino separata, siue non continua cum aliquo vino. quare in illa nulla est causa corruptionis.

Quòd si verò liquores diuersæ speciei misceantur, negandum omnino est eos in tam minutas particulas diuidi, sub quibus non possit eorum substantia consistere. alioqui sequerentur incommoda suprà dicta. Nec vlla est aut experientia aut ratio, cur dicamus talem diuisionem in his mistionibus fieri: præsertim cùm sicut quæuis res naturaliter resistit sibi contrariis, ita etiam resistat tali diuisioni, per quam necessariò deberet corrumpi: atque ita sine summa violentia talis diuisio fieri non posset: nec hic est vlla causa, quæ talem vim illis liquoribus possit inferre. 71

Ex his sequitur, quando miscetur liquor aliquis speciebus consecratis, numquam ideo desinere ibi esse sanguinem Christi, nisi liquor mistus sit diuersæ speciei, & adeò actiuus, vt possit species corrumpere. quod credo communiter non posse fieri, nisi longo aliquo tempore, aut quando maxima quantitate, & cum vehementi agitatione talis humor miscetur. hoc modo enim citiùs species corrumperentur. 72 Humor infusus communiter non corrumpit species consecratas.

Hinc sequitur, si quis mitteret vnam guttam ex calice consecrato in vas integrum vini, mansurum verè sanguinem sub illa gutta: præsertim si vinum non esset valdè diuersæ naturæ, ab eo quod fuit consecratum. Quia nulla esset causa, quæ posset corrumpere species. Quare totum illud vinum fieret aliquo modo sacrum, & vsibus sacris esset applicandum (quidquid aliqui contrà dicant) vt benè ex Ordine Romano, & quibusdam miraculis docet Card. Baronius tomo 12. in fine anni 1192. fol. 842. 73 Gutta sanguinis posset perseuerare in integro vase vini. *Ordo Rom. Baronius.*

QVÆSTIO LXXVIII.

DE

FORMA VENERABILIS SACRAMENTI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm hæc sit forma huius Sacramenti: Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei?

1 ARTICVLO I. docet, formam legitimam, qua hoc Sacramentum conficitur, esse: *Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei.* Deinde assignat duplicem differentiam inter formam huius Sacramenti & aliorum. Primò, quòd hæc forma immediatè dirigatur ad materiam: aliæ ad suscipientem. Cuius ratio est, quia per hanc materia, per illas suscipiens immediatè sanctificatur. Secundò, quòd sacerdos hanc formam pronuntiet non tantùm vt minister Christi, sicut in aliis Sacramentis, sed etiam vt immediatè Christum repræsentans, & quasi esset ipse Christus, dicens; *Hoc est corpus meum*, cùm sit corpus Christi.

DVBIVM I.

Vtrùm per dicta verba & à Christo facta sit, & à nobis fiat consecratio, siue conuersio panis in corpus Christi?

2 Error hæreticorum. PRimus hic est error nostrorum hæreticorum. Nam Caluinistæ & quidam alij volunt nulla certa verba requiri, quæ essentialia sint ipsi Sacramento; sed sufficere ea omnia quæ sufficiunt ad excitandam fidem in audientibus. Sed hunc errorem, eiúsque fundamentum satis refutaui suprà quæstione 60. articulo 6. dubio 2. Quidam verò Lutherani requirunt quidem certa verba, sed nullam eis veram tribuunt efficaciam: quia negant veram conuersionem panis in corpus Christi. Sed hos satis refutaui suprà quæst. 75. art. 1. & 2. *Lutherani.*

Secundus error est Græcorum recentiorum, qui docent consecrationem non fieri per illa verba: *Hoc est corpus meum*, &c. sed per quasdam preces quibus Spiritus sanctus inuocatur vt panem & vinum in Christi corpus & sanguinem conuertat. Probant Primò, quia multi Patres dicunt conuersionem hanc fieri per mysticas quasdam preces. Secundò, quia in Liturgia Diui Iacobi, D. Marci, & D. Basilij post pronuntiationem formæ subiunguntur preces, quibus Spiritus sanctus rogatur vt hanc conuersionem faciat: ergo antè non fuit facta. Confirm. quia D. Basilius in sua Liturgia post pronũtiationem illorum verborum, panem & vinum vocat typum corporis & sanguinis 3 Error Græcorum. *D. Basil.*

Damasc. Christi: ad quem locum alludens Damasc. l. 4. fidei cap. 14. dicit eum hæc sic vocare ante sanctificationem, non autem post.

4 Catholici autem omnes vnanimiter fatentur nos per dicta verba consecrare; sed quidam, quos citat D. Thom. Diuus Thomas hic art. 1. putant Christum non consecrasse per hæc verba; sed vel sine vllis verbis solo voluntatis imperio hanc conuersionem fecisse: vel consecrasse per benedictionem verbis nobis ignotis factam: & postea supradicta verba pronuntiasse, vt doceret Apostolos ibi esse suum corpus, & quomodo deberent illud conficere. Ratio eorum est, quia Euangelistæ dicunt à Christo præmissam benedictionem. Nam aiunt: *Accepit Iesus panem, ac benedixit ac fregit, deditque discipulis suis dicens*, &c. atqui illa benedictio fuit efficax: ergo per illam perfecta est consecratio.

5 Conclvsio I. Consecratio fit illis verbis: *Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei*, &c. non autem illis precib. quas Græci subiungunt. Ita omnes Catholici.

Florent. Probatur Primò, quia Florentinum (cui etiam Græci subscripserunt) in literis Eugenij ad Armenos, docet consecrationem fieri verbis Saluatoris, quibus sacerdos in persona Christi loquens Sacramentum hoc conficit: atqui sola verba supradicta sunt verba Christi, & hæc propriè in persona Christi sacerdos pronuntiat, non autem dictas preces: ergo non per has, sed per illa verba consecrat.

Probatur Secundò, quia Christus iussit nos consecrare faciendo quod ipse fecit: atqui ipse non pronuntiauit illas preces, sed verba quæ nos pronuntiamus: ergo per illa sola verba consecramus. Confirm. quia solus Christus potest instituere essentiales formas Sacramentorum: illæ autem preces non à Christo, sed ab iis qui confecerunt illa ritualia, compositæ sunt: ergo hæ non possunt esse forma essentialis Sacramenti.

6 Prob. Tertiò, quia tam apud Græcos quàm Latinos statim post dicta verba hostia offertur adoranda populo: atqui si tunc ibi non esset corpus Christi, grauis committeretur idololatria: ergo certum est ibi tunc esse corpus Christi: & consequenter ipsum ibi poni ante illas preces, quæ postea dicuntur.

Quartò, quia in Liturgia Græcorum sacerdos alta voce pronuntiat illa verba, *Hoc est corpus meum.* & respondet omnis populus, Amen. quæ est dictio affirmans veritatem dictorum: qua populus ostendit se credere ibi esse corpus Christi: quod tamen falsum esset, si ibi solùm ponerentur per sequentes preces.

7 Quintò, prob. ex Patribus, qui id disertè multis locis asserunt D. Ambros. l. 4. de Sacram. c. 4. ait: *Vbi venitur vt conficiatur Ven. Sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Christi ergo sermo hoc conficit Sacramentum.* Et deinde c. 5. docet hæc verba esse, *Hoc est corpus meum.*

D. Aug. D. Aug. ser. 28. de verbis Domini: *Dixi*, inquit, *vobis, quòd ante verba Christi, quod offertur panis dicitur: vbi verba Christi deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.*

Eusebius Emissenus. Item Eusebius Emissenus hom. 5. de paschate, *Inuisibilis*, inquit, *sacerdos, visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo suo secreta potestate conuertit, sita dicens: Accipite & edite, hoc est corpus meum*, &c.

8 Formæ Sacramentorum dicuntur preces. Ad Primam rationem Græcorum Resp. Patres vocare sæpè formas Sacramentorum preces: quia continent impliciram innocationem virtutis diuinæ ad effectum Sacramenti perficiendum.

Ad secundam Resp. per illas preces non peti vt panis ille fiat absolutè corpus Christi, sed vt fiat nobis corpus Christi viuificum & sanctificans; ne scilicet ob peccata nostra fiat nobis in iudicium & venenum. Patet apertè ex contextu Liturgiarum. Et ita se hoc intelligere professi sunt etiam ipsi Græci in Florentino sess. vlt. Vnde quædam Liturgiæ non rogant *fieri*, sed *ostendi & exhiberi nobis* panem istum corpus & sanguinem Christi. Florent.

Ad confir. Resp. Basilium vel vocare ibi Christum, vt est in Sacramento, typum sui; vt in propria persona se obtulit pro nobis in cruce. quod Patres sæpè faciunt, vt notauimus suprà q. 75. art. 1. Vel considerare adhuc materiam quasi nondum consecratam; & sic vocare eam typum corporis Christi. 9 D. Basil.

Et sic videtur eum Damasc. intellexisse. & videtur etiam hic sensus posse colligi ex textu. Instituit enim ibi quasi quandam recapitulationem ipsius sacrificij, quasi iam ipsum inciperet. Quod patet. nam sacerdos initio istarum precum, dicit se ad altare accedere quasi iam inchoaturus sacrificium: cùm tamen iam diu steterit ad altare. Deinde petit vt super typum corporis Christi, quem ipse proposuit, veniat Sp. sanctus, & efficiat eum corpus Christi; cùm tamen iam antè ibidem Diaconus dixerit ibi esse Eucharistiam (quæ sanè etiam apud Græcos non est sine corpore Christi) & Sp. sanctum super eam incubare. Ex quibus apertissimè patet, per sequentes preces non peti vt Sp. sanctus veniat, vt simpliciter panem faciat Eucharistiam; sed vt faciat eum nobis Eucharistiam. Vnde Damasc. cap. citato apertè nostram sententiam docet. Ait enim: *Dixit in principio* (scilicet Deus) *Producat terra herbam virentem. & Vsque nunc pluuia facta producit germina diuino coaditta & vigorata præcepto. Dixit Deus, Hoc est corpus meum; &, Hic meus est sanguis; &, Hoc facite in meam commemorationem: & omnipotenti eius præcepto donec veniat, efficitur.* Quæ verba sanè clarissimè pro nobis faciunt. Damasc. Damasc.

Conclvsio II. Christus per eadem verba consecrauit, per quæ nos consecramus. 10

Ita D. Thomas hic & communiter Theologi. nec contrarium videtur posse defendi. Primò, quia apertè colligitur ex Scriptura. Christus enim iussit nos facere quod fecit: atqui si non consecramus per eadem verba quibus ipse consecrauit, non facimus quod ipse facit: ergo per eadem verba consecramus. Minor patet. quia eo casu sacrificium Christi esset omnino diuersæ rationis à nostro. quia consecratio, in qua vel tota, vel longè præcipua ratio sacrificij cõsistit, fuisset, facta à Christo ritu essentiali omnino diuerso ab eo quo à nobis fit; & consequenter non faceremus idem quod tunc Christus fecit. Confir. quia aliàs Apostoli non sumpsissent tunc Sacramentum eiusdem rationis cum nostro: quia hoc dicit essentialem habitudinem ad dicta verba quibus conficitur. Imò si Christus consecrasset, aut sine verbis, aut talibus quæ non declarassent expressè præsentiam corporis Christi, ita vt necessarium postea fuisset eam Apostolis explicare (vt aduersarij dicunt) id quod dabatur Apostolis, non habuisset veram rationem Sacramenti. quia species non potuissent sufficienter nobis significare præsentiam Christi: quia non possunt eam nobis significare, nisi cum aliqua habitudine ad verba consecrationis eam apertè significantia: & consequenter non fuisset ibi sensibile signum corporis Christi: vt probauimus suprà q. 73. art. 1. post 2. concluſ. D. Thom.

Prob. Secundò, quia idem apertè docent Damasc. suprà D. Chrysost. hom. 2. in 2. epist. ad Timoth. Innoc. c. *Cum Marthe.* de celebr. Missarum, vbi corrigit quæ alibi priuatus scripserat, & alij. Damasc. D. Chrysost. Innoc.

Prob. Tertiò, quia sacerdos (vt docet Florentinum) profert hæc verba in persona Christi. quod propriè dici non potest, nisi eodem sensu & intentione proferat, qua ea Christus protulit. Florentin.

DVBIVM II.

Vtrùm Christus iisdem verbis egerit gratias Patri, bene dixerit pani & vino, eaque consecrarit?

11 HAnc quæstionem quidam fusè satis disputant, vt Soto in 4. d. 11. q. 1. art. 2. & Suarez hic disp. 58. sect. 2. Sed quia magis spectat ad Scripturæ interpretem, quàm ad Scholasticũ, breuiter quid videatur exponemus. Tres autem præcipuæ sunt sententiæ. Prima docet, hæc tria vnica actione fuisse facta. Ita Diuus Thomas hic ad 1. cum multis aliis. Ratio est, quia gratiarum actio & benedictio in Scripturis sæpissimè idem planè significant; & ipsa consecratio panis est vera benedictio. Cùm igitur non pateat ex Scriptura hæc fuisse distincta, nihil est cur distinguamus.

Soto. *Suarez.* *D. Thom.*

Secunda sententia distinguit benedictionem à consecratione. Ita Sotus suprà.

Sotus.

Tertia distinguit omnes tres actiones. Ita Suarez suprà.

Suarez.

12 Nota, secundùm proprietatem latini sermonis benedicere alicui dicere, idem esse quod benè de illo loqui. in Scripturis verò benedicere varia significat, prout variis personis, & cum respectu ad res varias tribuitur. Nam hominem benedicere Deo, idem est ac laudare Deum, aut gratias ei agere. Contrà verò Deum benedicere homini, vel rebus creatis, nihil est aliud, quàm ipsis aliquid boni tribuere, aut virtutem indere. Sic Deus Gen. 1. omnibus animalibus benedicit dando illis vim crescendi. Hominem verò benedicere aliis creaturis, idem est atque aliquid boni iis apprecari, aut futurum prædicere: vt patet ex benedictionibus Isaac & Iacob respectu filiorum, Gen. 27. & 49.

Benedicere varia significat. *Genes. 1.* *Genes. 27. & 49.*

13 Hinc patet Primò, benedictionem latiùs patere quàm gratiarum actionem. Secundò, eandem orationem posse habere rationem benedictionis respectu creaturæ, & gratiarum actionis respectu Dei. Talis fuit oratio Melchisedec Gen. 14. vbi ait: *Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Est tamen hìc semper virtualis quædam distinctio inter benedictionem specificè sumptam, & gratiarum actionem. quia hæc respicit Deum, illa creaturam.

Genes. 14.

14 CONCLVSIO I. Benedictio illa Christi super panem fuit distincta à consecratione. Ita Suarez disp. 58. sect. 2. & alij.

Suarez.

Prob. Primò, quia hoc postulat ordo verborum Euangelij, vbi dicitur; *Accepit Iesus panem, benedixit, ac fregit.* &c. Quibus apertè innuitur priùs benedixisse quàm fregisse, &c. Et confirmatur, quia in Græco habetur εὐλόγησεν ἔκλασε, postquam benedixisset fregit, &c.

Secundò, quia Trident. sess. 13. c. 1. ait: *Post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem discertis ac perspicuis verbis testatus est:* atqui hoc non aliter testatus est, nisi per formam consecrationis: ergo benedictio hanc præcessit.

Trident.

Tertiò, quia in Rituali Romano in canone, vbi sacerdos exactissimè refert & imitatur actiones Christi, apertè distinguuntur hæc tria; gratiarum actio, quæ propriè ad Deum refertur, atque ideo sacerdos eleuat oculos in cælum: & benedictio, quæ refertur ad materiam, quam ideo cruce signat: & forma consecrationis, quam postea profert.

Rituale Roman.

15 CONCLVSIO II. Benedictio Christi, qua benedixit pani & vino, fuit distincta saltem virtualiter à gratiarum actione. Patet ex probatione 3. & dictis ante 1. conclusionem. Satis autem probabile est, eadem oratione vtramque factam esse, qua Christus gratias Patri agendo pro potestate sibi tradita applicuit diuinam virtutem, vt semper præstò assisteret ritè celebranti, vt panem & vinum, statim ac consecrationis forma ritè proferretur, in corpus & sanguinem suum conuerteret.

Vbi Nota, Euangelistas cùm agunt de hac benedictione, modò dicere Christum benedixisse, modò gratias egisse: canon autem vtrumque fecisse dicit. quod videtur probabilissimum: sed ita vt vna cõtinua oratione hæc fecerit, virtute tamen distincta, quatenus gratiarum actio refertur ad Deum; benedictio ad materiam: vt patet ex dictis. 16

Videtur itaque hic ordo seruatus in actione Christi. Primò, sumpsit panem. Secundò, egit gratias Deo, quòd eius virtus ipsi semper assisteret; hìc Ioannis 11: excitaturus Lazarum primùm Deo agit gratias. Tertiò, pani benedixit apprecando ei assistentiam diuinæ virtutis, qua & tunc, & quotiescumque hæc forma legitimè pronuntiaretur, panis in eius corpus conuertetur. Quartò, fregit. Quintò, consecrauit ac porrexit discipulis. quamquam alij velint consecrasse ante fractionem: sed res incerta est. Ex his patet responsio ad contraria argumenta.

Ordo actionum, quibus Christus consecrauit. *Ioan. 11.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm hæc sit conueniens forma consecrationis panis: Hoc est corpus meum?

ARTICVLO II. docet, hanc formam consecrationis panis, *Hoc est corpus meum*, esse conuenientem. Patet ex facto Christi, & Ecclesiæ vsu. 17

ARTICVLVS III.

Vtrùm hæc sit conueniens forma consecrationis vini: Hic est calix sanguinis mei? &c.

ARTICVLO III. docet Primò, in consecratione calicis hanc formam esse conuenientem: *Hic est calix sanguinis mei noui & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Patet ex Ecclesiæ vsu, quæ à Spiritu sancto directa falli non potest. Addit D. Thomas etiam quasdam congruentias, cur illa posteriora in forma calicis addantur: scilicet vt significetur vis ipsius sanguinis Christi, cuius effusione Primò efficimur heredes regni cælestis: quod significant illa verba, *noui & æterni Testamenti.* Secundò, iustificamur per infusionem fidei & gratiæ, & ideo dicitur, *mysterium fidei.* Tertiò, emundamur à peccatis, ideóque dicitur, *qui pro vobis & pro multis effundetur*, &c. Sed plura de his infrà. 18

Docet Secundò, verba omnia suprà dicta esse de substantia formæ, quia vno tenore à consecrante proferuntur, quæ doctrina propriè intellecta patitur magnas difficultates. Quare recentiores Thomistæ variè D. Thomam explicant, & volunt eum non docere omnia illa verba esse de essentia ipsius formæ (hoc enim credunt non esse verum) sed dici de substantia: quia pertinent aliquo modo ad perfectionem formæ. Sed si quis legat attentè D. Thomam tum hìc, tum etiam in 4. d. 8. q. 2. a. 2. quæstiun. 1. clarè videbit aliam esse ipsius mentem. Nam in 4. apertè accipit pro eodem, aliquid esse de substantia, vel de essentia formæ. Et in respons. ad 3. expressè dicit, dicta omnia esse essentialia sanguini, prout in hoc Sacramento consecratur. Quare Caietanus hìc apertè fatetur eam esse mentem D. Thomæ, licèt verba eius dicat aliter posse explicari; & ita etiam eum aliqui Thomistæ intellexerunt.

Thomistæ. *D. Thom.* *Caietan.*

Vt autem melius possimus videre quæ verba sint de essentia cuiusque formæ, aliud dubium prius soluendum est, quod D. Thomas incidenter tractat art. 5. scilicet, Vtrùm verba formæ dicantur solùm recitatiuè.

DVBIVM I.

Vtrùm verba formæ dicantur à sacerdote tantùm historicè siue recitatiuè; an verò formaliter & significatiuè, siue assertiuè?

19 Quid sit dici recitatiuè. Quid sit dici significatiuè?

NOta Primò, illud dici recitatiuè siue historicè, quod solùm refertur tamquam ab alio dictum, vt facimus quando aliquorum auctorum verba referimus. Formaliter verò ac significatiuè aliquid dicimus, quando per verba quæ proferimus, intendimus aliquid affirmare vel negare; vt si dicam: Deus creauit cælum & terram.

Nota Secundò, non esse hîc difficultatem de verbis præcedentibus ipsas formas, quia per ea narramus quid Christus fecerit, atque ita verè assertiuè, siue significatiuè ea proferimus. Sed difficultas est de ipsis formis.

20 Nota Tertiò, exceptis paucis inter omnes constare, formas proferri à sacerdote recitatiuè. Patet enim hoc expressè ex ipso contextu canonis, in quo sacerdos expressè dicit Christum eas protulisse, esseque eius verba quæ postea profert. Sed difficultas est, Vtrùm etiam dicantur assertiuè siue formaliter, ita vt non solùm intendamus referre verba Christi vt ab eo dicta, sed etiam per ea significare hoc hîc & nunc fieri, quod ipsa significant.

Durand. Durandus in 4. d. 8. q. 2. ad 1. vult ea solùm recitatiuè dici. Ratio eius est, quia eadem oratio non potest ab eodem proferri recitatiuè & significatiuè. Secundò, quia aliàs forma calicis esset falsa, quia in ea dicitur sanguis effundendus: quod iam falsum est.

21 CONCLVSIO. Omnino certum est essentialia verba formæ necessariò dici etiam significatiuè. Ita Diuus *D. Thom.* Thomas infrà art. 5. & communiter ferè Doctores.

Florentin. Probatur Primò, quia Florentinum docet sacerdotem consecrare per ea verba quæ profert ex persona Christi: atqui si formas tantùm recitatiuè diceret, nulla proferret ex persona Christi. Nec enim loquitur ex persona Christi, cùm dicit Christum hoc dixisse: ergo non profert eas solùm recitatiuè.

Prob. Secundò, quia formæ Sacramentorum significant, quod efficiunt: atqui si tantùm dicerentur recitatiuè, hoc esset falsum: ergo, &c. Minor patet. quia propriè vt hîc dicuntur nihil significarent, sed merè materialiter sumerétur. quia sacerdos nihil per ea verba præcisè affirmaret, sed tantùm diceret Christum ea protulisse. quod verum esset, etsi per impossibile numquam fuisset Christus sub speciebus. Confirmatur, *Trident.* quia Tridentinum sess. 13. c. 2. dicit sub singulis speciebus esse quædam vi verborum, quæ scilicet per verba formæ ibi præcisè significantur adesse. quod tamen esset falsum, si formæ tantùm dicerentur recitatiuè. quia non magis significarent in calice quem sacerdos manu tenet, esse sanguinẽ, quàm corpus Christi, imò quàm lapidem. Quia nihil circa præsentem materiam affirmarent: atque ita verba formæ essent vera, etsi nulla fieret conuersio, sed maneret ibi purus panis, & purum vinum. quæ omnia sunt absurdissima.

22 Verba formæ non habent duplicem sensum etsi duplici intentione dicantur.

Ex his patet Primò, verba formæ propriè non habere duplicem sensum: quia vt dicuntur recitatiuè, nihil significant. Dicuntur tamen duplici intentione, scilicet indicandi quid Christus fecerit, siue repetendi eius verba: & significandi quid hîc & nunc fiat: quod vsuratissimum est. Sic obiicienti nobis aliquid solemus dicere: *talis sic respondet*, &c. intendentes simul referre illius verba, & nostram sententiam patefacere.

Ex quo patet solutio ad Primum argumẽtum Durandi. Falsum enim est non posse eandem orationem simul proferri recitatiuè, & formaliter seu significatiuè.

Patet Secundò, solam intentionem dicendi verba significatiuè esse de essentia consecrationis. quia ratione huius solius loquitur sacerdos in persona Christi, & significat quid hîc & nunc fiat. Vnde altera intentio sola nulla ratione sufficit, nisi hæc saltem implicitè adsit.

Patet Tertiò, coniunctionem *enim* non dici significatiuè, quia non significat quid hîc fiat, sed tantùm reddit causam cur Christus iusserit discipulos comedere & bibere; & à sacerdote tantùm dicitur materialiter. Idem dicendum de verbis, *Qui pro vobis effundetur*, &c. vt adduntur à Latinis in forma calicis. quia referuntur ad effusionem factam in cruce, quæ iam non potest dici futura. In formis tamen Græcorũ, qui in forma corporis addunt, *Quod pro vobis datur* vel *frangitur*: & in forma calicis, *Qui pro vobis effunditur*; ea verba possunt etiam significatiuè accipi, & intelligi de oblatione incruenta, quæ iam fit: quia nihil aliud est hæc *frangi*, aut *effundi*, quàm libari seu immolari. Ex quo patet responsio ad Secundum argumentum Durandi. In hoc tamen sensu præcisè non possunt hæc verba proferri in persona Christi, qui per ea etiam indicauit futuram effusionem in cruce, quam iam instantem per verba de præsenti significauit. 23

DVBIVM II.

Quæ verba in vtraque forma sint essentialia?

PRima sententia est Scoti in 4. d. 8. q. 2. §. *De secundo*. Vbi docet, omnia illa verba quæ in canone præcedunt formam ab illo loco: *Qui pridie quàm paterentur*, &c. non quidem esse de essentia formæ; necessariò tamen esse præmittenda, vt forma vim suam habeat. Ratio eius est, quia forma necessariò debet expressè significare ibi esse corpus Christi, quod fieri nequit, nisi illa verba præmittantur. Nam aliàs consecrans non significabit se loqui ex persona Christi; & consequenter *corpus meum* non significabit corpus Christi, sed corpus sacerdotis. Sed hæc ratio nullo modo subsistit. Nam verba illa præcedentia formam non tam iuuant, vt sacerdos intelligatur loqui in persona Christi, quàm illud impediunt. Nam significant sacerdotem verba formæ proferre recitatiuè, & quasi solùm referendo verba Christi: secundùm quam acceptionem verborum sacerdos nullo modo loquitur ex persona Christi, nec vllo modo significat corpus Christi ibi esse præsens. Nam si purè laicus assidens mensæ, & (si lubet) etiam tenẽs panem manu, illa omnia verba pronuntiaret, intendens referre quid Christus in cœna fecerit ac dixerit; verissima omnino diceret, nec tamen significaret Christũ ibi esse præsentem, nec ex eius persona loqueretur: idemque esset de sacerdote, si in illa sola acceptione illa verba proferret. Quare vt sacerdos verba formæ proferat in persona Christi, sufficit quòd hoc intendat. Nam verba ipsa secundùm acceptionem communem qua ab Ecclesia vsurpantur, & à sacerdotibus dici solent, id satis expressè significant. Aliàs autem præcedentia verba ad hoc non iuuarent, sed potiùs obessent. 24 *Scotus.*

Addit Scotus suprà §. *De isto articulo*, agens præcipuè de forma calicis, nobis non posse constare quæ verba præcisè sint de essentia formæ: ideoque omnia quæ habentur in canone spectantia aliquo modo ad formam, esse recitãda, ne essentialia omittamus. Et in vtraque dicto sequitur eum Angelus in Summa verbo *Eucharistia*. 1. num. 24. Sed quamuis omnia illa verba recitanda sint ex præcepto Ecclesiæ; tamen, quod non possimus scire, quæ verba præcisè sint essentialia formæ, repugnat communi sensui alio- 25 *Scotus.* *Angelus.*

rum Doctorum: nec vlla est ratio id asserendi, vt videbimus.

Græcorum error. Secunda sententia est Græcorum, asserentium in forma corporis hæc omnia verba esse essentialia: *Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur.* Sed hoc hæreticum est, quia inde sequeretur, totam Ecclesiam Romanam malè consecrare, quæ illa vltima verba omittit.

26 *D. Thom.* Tertia sententia est D. Thomæ hîc a. 3. qui putat in forma calicis, hæc omnia verba esse essentialia: *Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Probat hoc Primò, quia verba posteriora determinant priora, & componunt cum iis integram orationem. Secundò, quia omnia illa verba eodem tenore & ritu à sacerdote proferuntur. Eandem D. Thomæ sententiam sequuntur multi ex antiquioribus eius discipulis: quamuis recentiores conentur eum aliter explicare.

Florentin. Sed hæc sententia patitur grauissimas difficultates. Primò, quia, vt patet ex Florentino, per illa sola verba fit consecratio, quæ proferuntur ex persona Christi, & significatiuè: atqui illud: *Qui pro vobis effundetur*, non profertur hoc modo, sed solùm recitatiuè, quia aliàs significaretur, sanguinem Christi adhuc esse effundendum per sacrificium cruentum. Nam quando Christus ea protulit, planè per illam effusionem intellexit effusionem futuram in ara crucis, vt patet ex contextu Euangelij. Quamuis fortè etiam alluserit ad præsens illud sacrificium quo sanguis eius incruentè libabatur, vt quotidie libatur.

D. Thom. Secundò, quia, vt docet ipse D. Thomas suprà a. 1. ad 2. illa verba sufficiunt ad essentiam formæ, quæ significant ea quæ sunt de essentia Sacramenti, qualis est sola præsentia Christi sub speciebus; non autem traditio, aut effectus Sacramenti. Sicut igitur ob hanc ipse docet in forma corporis sufficere hæc verba, *Hoc est corpus meum*; sic in forma calicis sufficient hæc verba, *Hic est sanguis meus.* per quæ sola testatur D. Thomas art. 3. significari conuersionem. Sicut autem quæ subiunguntur formæ calicis determinant prædicatum, vt forma significet sanguinem effusum, & virtutem ac effectum passionis: sic quod Græci addunt formæ corporis, *Quod pro vobis traditur*, idem efficiet. Nec satisfacit quod respondet D. Thomas hîc ad 2. hæc potiùs addi formæ calicis, eò quòd sanguis seorsum consecratus expressiùs significet sui effusionem in cruce: quia etiam corpus vi verborum seorsum cõsecratur, & vt sic æquè expressè significat sui immolationem in cruce, & à sanguine ac anima separationem: & consequenter etiam sanguinis effusionem, ac omnem passionis effectum. atque ita est par vtrobique ratio.

27 Quando verba sequentia determinent præcedentia. Adde, illam additionem propriè non determinare prædicatum siue sanguinem. Quia tunc sequentia tantùm determinant præcedentia, quando hæc sunt indeterminata ad varia significanda, vt fieret si diceretur, *Hic est sanguis qui effusus est pro nobis*, quia *sanguis* ibi, si alia non adderentur, esset indeterminatum ad significandum quemuis sanguinem. Secùs est quando quis in forma calicis dicit, *Hic est sanguis meus.* quia expressè significatur sanguis Christi: & consequenter res quædam omnino determinata. Quare quæ adduntur non possunt sanguinem vllo modo vlteriùs determinare, sed solùm significare aliquos ipsius effectus, vel proprietates. Ex quo patet solutio ad primum argumentum D. Thomæ.

28 Tertiò, quia cùm tres Euangelistæ, & Paulus referant dogmaticè institutionem & consecrationem huius Sacramenti; incredibile omnino est eos non retulisse formam sufficientem ad eius confectionem. Quia aliàs malè subiungerent, Christum iussisse nos facere id quod narrant eum fecisse. Si enim forma quam afferunt esset insufficiens, sacrilegè ea vteremur; atque ita non possemus facere quod narrant Christum fecisse: atqui diuersi diuersa omittunt ex iis quæ habentur in forma ordinaria: imò sunt quædam quæ omnes omittunt: ergo omnia non sunt de necessitate formæ.

29 Quartò, quia omnes antiquæ Græcorum Liturgiæ, vt S. Iacobi, Marci, Basilij & Æthiopum, quæ creditur fuisse Matthæi, quædam ex nostra forma omittũt, aliæ alia, solumque constanter retinent: *hic est calix sanguinis mei*: siue, *hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur*, &c. ergo reliqua non sunt essentialia. Nam quod aliqui dicunt cum iis esse dispensatum, gratis planè sine vllo fundamento dicunt, nec vllam habet probabilitatem. Respondent autem alij, omnes illos qui vtuntur illis formis inualidè consecrare. Sed hoc temerè satis dicunt: nam damnant grauissimi erroris magnam Ecclesiæ partem, vtrosque sanctissimos, quos Ecclesia nunquam damnauit, imò ne redarguit quidem.

30 *Soto.* Quarta opinio est Soti in 4. d. 11. q. 1. art. 3. vbi docet sola hæc verba: *Hic est calix sanguinis mei*, esse de essentia formæ. quia qui ea sola proferret, verè consecraret; reliqua tamen ait esse de substantia formæ: quia legitimè consecrans debet intendere per illa omnia consecrare, ita vt non intendat perficere consecrationem donec omnia prolata sint. Quæ sententia à Thomistis solùm inuenta, est vt possint defendere D. Thomam. Sed nec hæc sententia est ex mente D. Thomæ, vt ostendi in explicatione articuli; nec videtur probabilis. Primò, quia nullo firmo fundamento nititur. Secundò, quia docet in potestate esse sacerdotis, suspendere confectionem Sacramenti, postquam materia & forma essentialis perfectè posita sunt. quod dici nequit. Quia sic esse Sacramenti penderet à conditione de futuro contingenti; vt ostendi suprà quæst. 66. a. 8. n. 86. & 87. Tertiò, quia ex ea sequeretur formam calicis esse falsam. Nam hæc verba: *Hic est calix sanguinis mei*, expressè significant sanguinem ibi esse præsentem eodem instanti, quo finiuntur. quod tamen secundùm illam sententiam esset falsum.

Esse Sacramenti posita materia & forma nequit suspendi.

31 Dices, Verba formæ non habent perfectum sensum, donec omnia illa pronunciata sint: quia posteriora determinant priora. quod probatur, quia si quis diceret: *Hic est sanguis meus, qui non effundetur in remissionem peccatorum*, tota forma esset falsa.

Respond. negando assumptum. quia, vt patet ex dictis suprà, verba essentialia formæ per se habent perfectum sensum, nec vllo modo à sequentibus determinantur. Ad probationem Respon. eo casu formam non fore propriè falsam, sed solùm id quod adiungeretur esset falsum. Sicut si dicerem, Christus est in cælo, qui heri natus est; prior pars esset vera, secunda falsa. Hinc qui vteretur tali forma: *Hic est sanguis meus, qui non effundetur*, &c. verè consecraret, si haberet legitimam intentionem, iuxta dicta q. 60. art. 8. dub. 1. concl. 3. num. 70.

32 Nec dictis obstat, quòd Ecclesia Latina eodem tenore & ritu hæc omnia verba pronuntiat. quia inde nulla ratione sequitur, omnia esse essentialia. Nam eodem tenore pronuntiat particulam *enim* in vtraque forma: & Ecclesia Græca in forma corporis: *quod pro vobis traditur.* quæ tamen non esse essentialia fatetur etiam D. Thomas. *D. Thom.*

Nec etiam quidquam probat, quòd Lucas inter verba formæ essentialia interserit illa verba *nouum testamentum.* Quia similiter essentialibus formæ calicis Matthæus interserit *enim*: quod tamen non est essentiale. Ex quo patet solutio ad secundum argumentum D. Thomæ.

Quinta sententia est Magistri in 4. d. 8. & commu- *Magister*

nior Scholastic orum maximè scribentium tam contra hæreticos. Pro quasit.

33 CONCLVSIO I. Verba essentialia formæ calicis sunt sola hæc: *Hic est sanguis meus*: siue, *Hic est calix sanguinis mei*. Sicut corporis forma est: *Hoc est corpus meum*.

Probatur, quia inter verba quæ à sacerdote pronuntiantur significatiuè, & ex persona Christi, hæc sola apud Euangelistas, & omnes Ecclesias integrè ponuntur.

Secundò, quia hæc sufficientissima sunt ad perfectè ea omnia quæ Sacramento essentialia sunt, significanda.

Tertiò, quia iis solis verbis confici Sacramentum *Damasc.* expresè asserunt aliqui Patres. Damasc. l. 4. fidei c. 14. docet his verbis: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis* *Ambros.* *meus*; fieri consecrationem. Idem docet Ambros. l. 4. de Sacramentis cap. 5. Emissenus relatus cap. *Quia corpus*. de consecrat. d. 2. *Iustin.* Iustin. Apolog. 2. in fine, & alij. *Emissen.*

34 Nota, etsi certum sit esse de essentia vtriusque formæ, vt saltem implicitè ponatur in iis verbum *est*; aliqui tamen putant non esse de essentia vt expresè ponatur, sed sufficere vt subintelligatur. Primò, quia cùm Hebræi non soleant illud exprimere, Christus non videtur id expressisse. Secundò, quia non habetur in Syriaco, nec etiam in forma calicis apud Lucam, vt habetur in Græco. Quidquid autem hac de re sit, grauissimè peccaret, qui ipsum non exprimeret: & vt minimum esset dubia consecratio. Quia communiter Doctores volunt essentiale esse vt exprimatur. Nec argumenta in contrarium allata quidquam conuincunt. Nam in illis linguis secundùm consuetudinem loquendi faciliùs verbum *est* subintelligitur: in lingua autem Latina secundum communem loquendi modum, nullus esset sensus, si quis diceret: *Hoc est corpus meum*. Nec solemus ita loqui. quare videtur inualida fore talis consecratio.

Probabilius est, est esse essentiale.

35 CONCLVSIO II. Rectè tamen Ecclesia alia quædam verba, partim ex ipsis Euangelistis, partim (vt dicitur c. *Cùm Marthæ*. de celebrat. Missarum) ex traditione sumpta in forma addit, quò vim & effectum huius sanguinis magis explicet. Dicit enim esse *calicem sanguinis*, siue continentem sanguinem *noui & æterni testamenti*: quia est quasi authenticum instrumentum, quo nouum testamentum tunc à Christo institutum, confirmatur & obsignatur, quo æterna hæreditas nobis promittitur, quodque vsque ad finem mundi non est immutandum, atque ideo æternum dicitur; sicut vetus testamentum erat temporale, quia aliquādo erat mutandum, & temporalia promittebat.

Cur Ecclesia quædā alia verbis essentialibus adiungat.

Dicitur autem *mysterium fidei*: quia in eo proponitur res valde arcana, quam nec sensu, nec intellectu possumus vllo modo naturaliter deprehendere, sed sola fide eam debemus credere. Vel quia, vt ait Diuus Thomas, per effusionem sanguinis Christi, in fide ipsius iustificamur. Sed prior ratio est magis literalis. *D. Thom.*

36 Quod autem additur: *qui pro vobis & pro multis effundetur, &c.* aut verba *pro vobis & pro multis* idem omnino significant (vt videntur supponere Euangelistæ, quorum aliqui dicunt *pro vobis*, alij *pro multis*; nullus autem vtrumque dicit:) aut si distinguantur, per ea significatur Christi sanguinem non solùm pro præsentibus in cœna, aut pro Iudæis; sed pro omnibus omnino hominibus effundendum. Sic enim intelligitur illud *pro multis*. Aut si ea verba referantur ad libationem incruentam: vt quando dicitur in præsenti *effunditur*, sicut apud Græcos: sic significatur, hoc sacrificium non tantùm prodesse præsentibus, sed omnibus etiam fidelibus.

37 Ex his patet, graviter peccaturum, qui contra præscriptum ritualis, & consuetudinem suæ Ecclesiæ aliqua verba omitteret, vel mutaret, vt omnes fatentur. posset tamen rei leuitas excusare à mortali. Hinc Suarez. Suarez disp. 59. sect. 1. cum aliis dicit omissionem particulæ *cùm* tantùm esse venialem, si sine contemptu ex negligentia aliqua aut incuria omittatur. Vbi tamen bene nota, vix fieri posse vt omnino voluntariè & ex proposito sine contemptu omittatur. quia nulla potest esse causa omittendi.

DVBIVM III.

Quæ mutatio verborum sit essentialis in his formis.

38 RESP. talem videri Primò, si ponatur aduerbium locale *hic*, loco pronominis demonstratiui. Secùs est si masculinum genus ponatur pro neutro, aut contrà. quia est solùm error contra grammaticam. Item si loco Hoc vel Hic, dicas Hæc res, hoc contentum, hoc edulium, vel hic potus, & similia, quæ communia sunt vtrique termino à quo, & ad quem; videtur accidentalis mutatio. quia pronomen demonstratiuum *hoc* rectè per eiusmodi verba explicatur, cùm pro simili re supponat. Esset tamen graue peccatum.

Secundò, erit mutatio essentialis, si loco *hoc est*, dicas *hoc fiat*. quia significaretur, panem & vinum (hæc enim tunc particula *hoc* necessariò referret) fieri corpus & sanguinem Christi. quod in rigore falsum est, vt ostendi q. 75. art. 8. Nec tum forma haberet eandem vim, quam modò habet: quia non significaret eodem instanti, quo forma finitur, ibi esse corpus, cùm forma posset esse vera, etsi post horā ibi poneretur Christus.

Tertiò, si pro *corpus* ponas *caro*, dicendo, *Hoc est caro mea*; videtur verius mutationem fore essentialem. Tum quia multi Scholastici hoc asserunt, tum etiam quia caro in rigore minus significat quàm corpus, quod etiam ossa complectitur. Quòd autem Christus Ioan. 6. vocet carnem suam cibum, nihil facit ad rem: *Ioan. 6.* quia ibi non docet nos formas sacramentales.

Dices, D. Cyprianus serm. de cœna Domini ait, 39 Christum consecrasse his verbis, *Hæc est caro mea*. *Cyprian.*

Resp. Cyprianum hoc propriè ibi non dicere: sed paulò antè ait expresè, Christum consecrasse per hæc verba, *Hoc est corpus meum*: & deinde ait eum dixisse in cœna, *Hæc est caro mea*. quod fecit ne eadem verba sæpiùs repeteret: & quia caro per synecdochen potest idem significare quod corpus. Ibi tamen non intendit docere hanc formam esse validam, *Hæc est caro mea*: sed solùm sensum Christi referre.

Quartò est mutatio essentialis, si loco *meum*, dicas *corpus* aut *sanguis Christi*. quia tunc sacerdos non loqueretur in persona Christi, nec verbis Christi. quod (vt patet ex Florentino) necessarium est ad valorem *Florentin.* Sacramenti.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm prædictis verbis formarum insit aliqua vis creata effectiua consecrationis?

40 ARTIC. IV. docet, verbis formæ inesse quamdam vim, vt instrumentaliter producant suum effectum, non quidem physicam, vt aliqui putant: sed moralem, vt patet ex responsione ad tertium, vbi ponit hanc vim in significatione, quæ moralis est. Vide dicta q. 62. art. 4.

ARTICVLVS V.

Vtrùm prædictæ locutiones sint veræ?

41 ARTIC. V. docet Primò, formas consecrationis non solùm dici recitatiuè, sed etiam significati-

uè. Consecrans enim verè affirmat ibi esse corpus Christi. Vide dicta a.3.dub.1.

Docet Secundò, verba vtriusque formæ esse vera, quia tantùm significant contentum sub illis speciebus in vltimo instanti suæ prolationis, esse corpus & sanguinem Christi; quod verissimum est. Vt autem Diuus Thomas hoc probet, disputat quid demonstret particula *hoc*, & varias adfert sententias. Prima docet, *hoc* demonstrare id quod significatur per species; vt sit sensus: Hoc quod significatur per species est corpus meum. Sed hic sensus est falsus. quia innuit corpus tantùm ibi esse tamquam in signo. Secunda sententia docet, *hoc* demonstrare id quod ibi est in fine prolationis formæ. quam sententiam reiicit: quia hoc modo tantùm demonstraretur corpus Christi esse corpus Christi. Tertia sententia, quam ipse probat, docet *hoc* demonstrare contentum sub speciebus, prout abstrahit à pane & corpore Christi; ita tamen vt propositio tantùm verificetur in fine suæ prolationis. Sed si res benè inspiciatur, secunda & tertia sententia idem diuersis verbis dicunt.

D. Thom.

Quid significet *hoc* in forma consecrationis.

42 Nota, aliud esse particulam *hoc* aliquid determinatè demonstrare, aliud verò ipsam aliquid determinatè significare, siue sub determinata ratione demonstrare, v. c. dum intendens digitum in Petrum, dico, Hic est Petrus: *hic* determinatè demonstrat Petrum, non tamen significat in particulari Petrum, sed generatim quemcumque hominem eo loco existentem: atque ita *hic est Petrus*, non est propositio identica. Simili modo in forma corporis, *hoc* determinatè demonstrat corpus Christi, sed sub ratione confusa. quia significat generatim omnem substantiam, quæ est sub speciebus in vltimo illo instanti. Atque ita idem est si dicam, *hoc est corpus meum*, atque si dicam *hoc contentum sub speciebus est corpus meum*. Quibus verbis non significo, corpus Christi fieri corpus Christi: sed per hanc orationem fieri vt corpus Christi sit sub speciebus, siue vt corpus Christi sit id, quod continetur sub speciebus. Vide dicta quæst. 74. art.2. dub. 1. & quæst. 75. art. 2. Et simili modo in forma calicis particula *hic* accepta substantiuè, significat idem quod *hic calix*, accipiendo continens pro contento, siue *hic potus*, & demonstrat id quod in fine prolationis formæ est in calice sub speciebus vini: ita vt sit sensus, hic calix, siue id quod in hoc calice per modum potus continetur, est sanguis meus.

Hæc sunt diuersa, *Determinatè aliquid significare, & determinatè aliquid demonstrare.*

DVBIVM.

Vtrùm formæ sacramentales operentur suum effectum vt veræ?

43 RAtio dubitandi est, quia cùm causa sit prior effectu, formæ necessariò operantur vt natura priores suo effectu, siue existentia rei quam affirmant esse, à qua tamen earum veritas dependet tamquam relatio à termino. Neque enim relatio potest esse prior natura suo termino: & consequenter non videntur posse esse veræ ante positionem sui effectus, siue quatenus concipiuntur, vt causæ priores natura suo effectu. Ob hanc causam aliqui putant eas operari vt neutras, id est, nec veras nec falsas. alij volunt operari vt veras practicè, non tamen speculatiuè: sed hi decipiuntur, putantes aliquam propositionem posse esse veram practicè quæ nullo modo sit vera speculatiuè. quod in rigore falsum est, vt alibi ostendi, & ad rem præsentem nihil facit. Alij varias alias distinctiones hìc faciunt, quas breuitatis causa omitto, quia ex iis quæ dicturus sum tota res clara erit: nec est operæ pretium aliorum sententiis refutandis immorari.

Respondeo itaque operari quidem suum effectum 44
vt practicas, & tamen simul vt speculatiuè etiam veras. Probatur, quia ideo operantur suum effectum, quia sunt verba primæ veritatis, & consequenter necessariò vera. Ad rationem dubitandi Respondeo veritatem propositionis pendere ab existentia rei non absolutè & necessariò præsenti, sed vel præsenti, vel præterita, vel futura, prout in propositione esse affirmatur. Sicut enim veritas huius propositionis, *Ioannes cras ambulabit*, requirit vt Ioannes cras ambulet, non autem vt hodie ambulet: ita veritas propositionis practicæ de præsenti requirit vt res quæ asseritur, existat eodem quidem instanti temporis, quo habet complerum suum esse, sed posterius natura, quam ipsa sit: quia hoc implicitè affirmat. Sicut igitur relatio quæ respicit terminum absolutè futurum, potest eo prior esse tempore: sic quæ respicit futurum posterius natura, potest eo esse prior natura: talis autem est veritas propositionis practicæ.

Potest quæ-dam relatio esse ante quam terminus actu existat.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm forma consecrationis panis consequatur suum effectum antequam perficiatur forma consecrationis vini?

45 ARTICVLO 6. docet, consecrationem panis perfici, & sub illius speciebus verè Christum existere, antequam consecretur calix. Patet tum ex veritate ipsius formæ, quæ asserit ibi corpus Christi esse in eodem instanti, quo ipsa completur: tum etiam ex vsu Ecclesiæ. Nam corpus offertur adorandum ante consecrationem vini.

QVÆSTIO LXXIX.

DE EFFECTIBVS SACRAMENTI EVCHARISTIÆ.

ARTICVLVS I.

Vtrùm per hoc Sacramentum conferatur gratia?

1 ARTIC. 1. docet, hoc Sacramentum iis qui ipsum debitè suscipiunt conferre gratiam sanctificantem per modum nutrimenti spiritualis, qua magis cum Christo vnimur. Hoc enim est proprium huius Sacramenti, nos magis ac magis Christo vnire, & quodammodo vnum cum eo efficere, vt quadam ratione in ipsius naturam transeamus: sicut eorum ciborum quibus vescimur solemus qualitates participare.

Proprium est huic Sacramento, nos strictissimè vnire Christo.

Dices, Omnia Sacramenta conferunt gratiam san- 2

ctificantem, & omnis gratia sanctificans nos vnit Christo: ergo vnire nos Christo non est proprium huic Sacramento.

Resp. si spectemus gratiam habitualem, quæ in hoc Sacramento confertur, secundùm se præcisè hanc non aliter nos vnire Christo, quàm quamuis aliam quacumque ratione acquisitam. Secùs tamen esse, si eam spectemus prout habet annexas gratias præuenientes, quas Deus suo tempore confert dignè communicantibus, quibus directè ad feruorem caritatis excitantur. Vide dicta q. 62. a. 2.

D. Thom. Probat autem D. Thomas suam conclus. variis conuenientiis: sed præcipua ratio est institutio Christi, qui hanc vim Sacramento indidit: vt patet Ioan. 6. Ioan. 6. vbi ob hanc causam hoc Sacramentum vocatur sæpiùs panis: & illud manducantes dicuntur viuere propter Christum: vita autem animæ est gratia, præsertim quatenus per eam Deo vnimur. Vide etiam dicta q. 62. art. 1. dub. 1. vbi ostendimus omnia Sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato.

DVBIVM I.

Quam dispositionem requirat hoc Sacramentum in homine iusto, vt augmentum gratiæ ei conferat?

3 POterat hæc difficultas satis videri explicata suprà qu. 62. a. 1. dub. 2. concl. 6. vbi generatim ostendi, vt Sacramenta nouæ legis conferant gratiam homini iusto, sufficere vt hic ea humano more suscipiat. Quia tamen aliqui in hoc Sacramento particularem difficultatem mouent, rem breuiter examinabimus.

Caietan. Caiet. hîc putat hominem iustum non percipere ex communione augmentum gratiæ, nisi actualem deuotionem inter suscipiendum habuerit. Probat Primò, quia hoc Sacramentum confert gratiam per modum nutrimenti; nutrimentum autem nos non nutrit, nisi ad hoc concurramus actu vitali. Secundò, D. Thom. quia aliàs qui sæpiùs existentes in gratia celebrarent, 4 Ad effectū huius Sacramenti non est necessaria actualis deuotio. Vide Ioan. Soto. percperent magnum augmentum caritatis, etsi repidè celebrarent: quod est contra experientiam, quia in huiusmodi hominibus non videmus vllum indicium magnæ caritatis. Fauet etiam huic sententiæ D. Thomas in 4. d. 12. q. 2. a. 1. quæstiunc. 3.

CONCLVS. Verius est vt homo iustus augmentum gratiæ ex communione percipiat, sufficere vt aliquo modo voluntariè, & humano modo hoc Sacramentum suscipiat.

Ita expressè D. Thom. infrà a. 8. & Soto in 4. d. 11. q. 2. a. 8. & alij. Prob. Primò, quia hoc sufficit in omnibus aliis Sacramentis: ergo etiam in hoc. Nec enim est vlla ratio cur hoc Sacramentum præ aliis excipias. Secundò, quia Sacramenta hoc ipso quo habent vim conferendi gratiam ex opere operato, eam conferunt omni non ponenti obicem: atqui talis iustus nullum ponit obicem: ergo percipit gratiam.

Tertiò, quia aliàs iustus suscipiens hoc Sacramentum sine actuali deuotione, nisi per inuincibilem inaduertentiam excusaretur, peccaret mortaliter: atqui Suscipiens Sacramentum informe, peccat mortaliter. hoc est omnino absurdum, & contra communem sensum: ergo & illud vnde sequitur. Maior probatur, quia, vt patet in omnibus aliis Sacramentis, suscipiens aduertenter Sacramentum informe, siue cum impedimento effectus, est peccatum mortale. Fit enim ea in re iniuria Sacramento, dum ipsius finis & vis quam ex sua institutione habet, omnino eliduntur: atqui talis aduertenter susciperet Sacramentum informe, & cum obice effectus: ergo peccaret mortaliter:

5 Quartò, quia hoc Sacramentum dabatur olim infantibus, & iam etiam in articulo mortis aliquando datur phreneticis, qui tamen non possunt habere actualem deuotionem: & nihilominus censet Ecclesia hoc Sacramentum in iis augere gratiam. quia aliàs frustra eis daretur: ergo vt hoc Sacramentum augeat gratiam, non est opus actuali deuotione in suscipiente.

Caietan. Respondet Caiet. Primò, non esse curandum quid in illis Sacramentum operetur per accidens. Sed hoc non satisfacit. quia sine vllo fundamento dicitur hoc Sacramentum in dictis personis operari suum effectum per accidens, cùm maximè per se operetur, cùm à nullo extrinseco ibi possit iuuari.

6 Respondet Secundò, hoc Sacramentum non dari in articulo mortis phreneticis vt percipiant augmentum gratiæ, sed propter vitam æternam, & impugnationes diaboli. Sed hæc responsio non potest sustineri. Primò, quia non potest phreneticis prodesse communio ad vitam æternam, nisi augendo in iis gratiam. Nec iis timendæ sunt impugnationes dæmonum, cùm iam peccare non possint. Quòd si autem tantùm agatur de corporali vexatione dæmonum: hæc non Sacramento, sed aqua lustrali & exorcismis pellenda esset.

7 Differentia inter hunc cibum & corporalē. Ad Primum argumentum Caiet. Resp. hoc solum esse verum in cibo corporali, quem debemus in nostram substantiam conuertere vt eo nutriamur: atque ita ipse respectu nutritionis non habet se per modum agentis, sed per modum passi. Secùs est in cibo spirituali, qui conuertit nos in suam naturam, & habet se per modum agentis, nos autem per modum patientis.

Ad Secundum Resp. Si hoc argumentum valeret, probaret etiam eos qui quotidie celebrant cum actuali deuotione sed exigua, nullum inde percipere gratiæ augmentum: quia non experiuntur tantum feruorem caritatis. Quare dicendum est in talibus augeri quidem quotidie caritatem; hoc tamen non ita apparere ob prauas aliquas inclinationes, quas illi retinent, quas habitus supernaturales per se non reprimunt, nec sensibiliter ad deuotionem inclinant. quare secundùm se per experientiam percipi non possunt: vt cum P. Vasquez notaui suprà q. 62. a. 2. Cur sæpè non ita notemus fructum quem ex hoc Sacramento percipimus. Vasquez.

Dices, Saltem tales deberent in se experiri maiores gratias præuenientes. 8

Resp. tales etiam experiri maiores gratias præuenientes, quàm perciperent si non communicarent. quia etsi iam tepidi sint, tunc essent multò tepidiores, & sæpiùs fortasse caderent: non tamen sentiunt in se singularem feruorem caritatis. tum quia hunc impediunt multis peccatis venialibus: tum etiam quia eiusmodi gratiæ præuenientes non augent feruorem caritatis nisi iis cooperemur, sed tantùm subitos aliquos motus excitant, qui nisi foueantur statim transeunt. Feruor autem caritatis præcipuè augetur per feruentes actus heroicos, & habitus acquisitos, qui dant facilitatem in operando.

Obiicies demum, omnes Patres requirere summam deuotionem in iis qui communicant, & maximè reprehendere tepidè accedentes. 9

Resp. meritissimò hoc facere: quia valdè indecens est nos tepide & sine vlla deuotione ad hoc Sacramentum accedere, quod ob sui maiestatem summam reuerentiam exigit. Sed inde tantùm sequitur, eos qui negligunt se ad deuotionem excitare, indecenter facere & contra reuerentiam huic Sacramento debitam; non tamen sequitur eos ponere obicem effectui huius Sacramenti: alioqui sequeretur eos peccare mortaliter. quod est improbabile. Patres merito summam deuotionem in huius Sacramenti sumptione requirunt.

Nota demum, Caietanum suprà putare communicantem sine actuali deuotione, si modò non peccet ob inaduertentiam, etsi non percipiat gratiam; nescio tamen qua ratione melius disponi ad gratiam postea percipiendam. Sed, vt benè notat Sotus suprà, hæc ipsius opinio est singularis & sine fundamento. Caietan. Soto.

DV.

DVBIVM II.

Quando communicanti conferatur gratia Sacramentalis?

10 SVppono Primò ex dictis suprà q. 62. art. 1. dub. 4. neque hoc, neque alia Sacramenta conferre gratiam ex opere operato antequam actu percipiantur. Secundò, hoc Sacramentum nullam conferre gratiam habitualem post species omnino consumptas: quia tunc non reuiuiscit, vt ibidem docui dub. 5. concl. 7.

Duo itaque tempora possunt hic considerari, de quibus sit difficultas. Primum, est tempus quo durat sumptio. Secundum, in quo post sumptionem species perseuerant in stomacho antequam digerantur. Ratio autem difficultatis est, quia gratia cùm producatur in instanti, & sumptio fiat in tempore, nullum videtur posse assignari instans quo gratia conferatur.

11 *Caietan.* Caietanus hic putat gratiam conferri toto tempore quo species sunt in stomacho. Sed hæc sententia, prout explicatur à Caietano, non satisfacit omnino huic quæstioni. Quia ipse supponit hoc Sacramentum non conferre gratiam nisi adsit actualis deuotio, & eam conferre quàm diu talis deuotio durat antequam species consumantur. Nos autem supponimus ex dub. 1. hoc Sacramentum conferre gratiam, etiamsi non adsit actualis deuotio, & quærimus generatim quando conferat.

12 *Maior.* Secundò, Maior in 4. d. 9. q. 1. docet hoc Sacramentum conferre gratiam aut successiuè, sicut calor producitur ab igne, ita vt productio gratiæ duret tam diu, quàm diu durat sumptio: vel in eo instanti quo homo inter sumendum est optimè dispositus. Addit tamen, in priore modo ceteris paribus non dari maiorem gratiam quando sumptio diu durat, sed tunc lentiùs eam intendi; quàm quando citò perficitur. Sed neuter modus placet. Non prior. Primò, quia cùm alia Sacramenta conferant gratiam in instanti, nulla est ratio cur dicamus hoc Sacramentorum eam cõferre in tempore, quando toto tempore sumptionis manet inuariata sumentis dispositio. Quia quòd aliquæ qualitates soleant augeri successiuè, vel fit ob imbecillitatem agentis, quod non potest formam in instanti producere; hîc autem nullus potest esse defectus in producente: vel quia variatur dispositio suscipientis; vt quando actum caritatis quis paulatim magis intendit, paulatim etiam recipit maiorem gratiam. Hic autem sæpè manet eadem dispositio.

Cur aliqui effectus producantur in tempore?

Secundò, quia cùm hoc Sacramentum conferat aliquando primam gratiam, vt dicam a. 3. tunc necessariò debet certum gradum gratiæ producere in instanti, & tunc petam, quo instanti eam producat?

Nec secundus modus placet. Primò, quia sine fundamento asseritur. Secundò, quia quando non variatur dispositio sumentis toto tempore sumptionis, nullum poterit assignari instans quo gratia conferatur.

13 *Scot.* Tertia sententia est Soti in 4. d. 11. q. 2. art. 1. §. *Colligitur ergo.* vbi ait hoc Sacramentum conferre gratiam in primo instanti quo verum est dicere, Iam comestum est, siue guttur transiuit. Sed hæc sententia satis confusè adhuc loquitur. Primò, quia non explicat quando hoc Sacramentum potest dici transisse guttur. Secundò, quia non explicat an tota hostia debeat transisse gulam; an solùm secundùm aliquam sui partem: & siue hoc siue illud dicas, res habet singularem difficultatem, vt patebit ex dicendis.

14 Quarta verò sententia notat dari aliquem communem terminum indiuisibilem inter os & guttur, qui inferiorem partem oris & superiorem partem gutturis terminat, & vtramque vnit, & docet tunc cibum comedi, quando per hunc terminum traiicitur.

15 Deinde docet Primò, quando non variatur dispositio sumentis, totam gratiam conferri simul; quod cõmuniter etiam Doctores docent. Deinde ponit quatuor modos, quibus hoc possit defendi. Primus est, vt gratia hæc non producatur in instanti temporis indiuisibili, sed in instanti discreto, vt aiunt: quod est quidem totum simul, & hac ratione dicitur indiuisibile & instans, durat tamen per aliquod tempus. Sicut substantia angeli etsi duret per æuum, quia tamen est tota simul, & secundùm se immutabilis, dicitur esse & durare, non in tempore, quod mutationem significat, sed in instanti discreto. Vult itaque gratiæ productionem esse quidem totam simul; durare tamen per certum tempus, quod immediatè sequitur primum instans, quo hostia attigit indiuisibilem illum terminum. Probatur autem hæc sententia, quia productio gratiæ non potest fieri ante illud instans; nec etiam in illo instanti, quia tunc nondum est comestio; neque etiam in instanti temporis posteriori, quia nullum certum potest assignari: ergo fit in illo instanti discreto.

16 Nihil potest propriè produci in instanti discreto. Sed hic modus non potest defendi. Quia etsi res quæ est tota simul, potest per aliquod tempus durare; tamen fieri nequit vt producatur tota simul, & tamen productio duret per aliquod tempus, prout productio accipitur propriè, & vt distincta à conseruatione. Quia res quæ propriè producitur, necessariò incipit esse: atqui in media parte illius temporis quo dicitur durare productio, gratia nullo modo incipit esse, cùm tota sit: ergo nullo modo propriè producitur.

Confirm. Primò, quia sicut incipere esse supponit immediatè antè non fuisse, ita etiam produci: atqui in media parte illius temporis falsum est dicere, Ille gradus gratiæ immediatè antè non fuit: ergo falsum est dicere, Iam incipit esse, aut producitur.

Confirm. Secundò, quia id quod exiſtit totum simul per aliquod tempus, potest dici existere in quouis instanti illius temporis: atqui secundùm illam sententiam productio gratiæ existeret per totum illud tempus: ergo posset gratia dici produci in quolibet instanti: & consequenter posset simul dici in hoc instanti produci, & iam antè totaliter producta esse. quæ absurda sunt.

17 Omnis res quæ tota simul producitur, habet primum instans sui esse. Dices, productionem non debere ita strictè accipi, sed prout identificatur conseruationi, qua ratione lumen dicitur continuò produci quandiu est. Sed nec hoc dici potest. quia tunc hæc productio non tantùm tam diu duraret quàm diu durat sumptio, sed etiam quàm diu talis homo manet in gratia. quia tam diu perseuerat conseruatio gratiæ. quod est contra mentem auctoris illius sententiæ. Adde hanc responsionem non satisfacere huic quæstioni. Nam cùm in omni re quæ incipit esse tota simul, sit verum assignare aliquod instans, in quo verum est dicere, Hæc res iam hoc instanti est, & immediatè antè non fuit. Item cùm ille gradus gratiæ qui communicanti confertur, incipiat esse totus simul, debebit in eo assignari tale instans; & petitur, quod nam illud sit.

18 Secundus modus docet, gratiam conferri primo instanti temporis, quo hostia secũdùm suam vltimam superficiem attigit illum terminum indiuisibilem suprà positum. Ratio est, quia cùm Christus sit totus in illa superficie, potest tunc aliquo modo dici iam comedi, quia cibus corporalis statim ac peruenit ad illum terminũ, incipit aliquo modo attrahi, & alterari stomacho, & vicissim etiam alterat stomachum, atque ita incipit comedi. gratia autem promissa est manducanti hoc Sacramentum.

Et hæc quidem sententia, posito quòd Christus sit integrè sub singulis punctis specierum, non potest conuinci falsa, & posset probabiliter defendi. Si quis

tamen negaret Christum ita esse sub singulis punctis, diceretq; eum tantùm semel esse sub singulis minimis particulis, quæ naturaliter dari possunt; iuxta dicta q. 76. art. 3. in tertia sententia; posset secundùm hunc modum dicere, eo instanti conferri gratiam, quo hostia saltem secundùm vnam eiusmodi particulam, dictum terminum transierit, siue simul plures aliæ eiusmodi particulæ eum terminum transierint, siue non. Imò hic modus in hac sententia habet maiorem probabilitatem, quàm alter in altera sententia. quia potiore ratione potest dici sumpsisse Christum, qui inter deglutiendum eum integrè transmiserit vltra eum terminum, quàm qui eum tantùm promouerit vsque ad eum terminum.

19 Tertius modus dicendi est, tunc dari gratiam, quando maior pars hostiæ transiit illum terminum. Sed hic modus caret omni fundamento. Nec enim est vlla ratio cur tunc potiùs detur gratia, quàm quando sola tertia vel quarta pars eum terminum transierit. Quia Christus tam perfectè continetur sub quauis minima particula, quam sub maiore.

20 Quartus modus dicendi est, tunc dari gratiam, quando tota hostia est iam recepta in stomachum, ita vt iam possit dici facta comestio. Ratio est, quia hæc gratia non videtur promissa nisi ei qui iam sumpsit Christum; siue sumptioni non in fieri, sed iam factæ. Sicut in aliis Sacramentis non datur gratia ei, qui incipit suscipere Sacramentum, sed ei qui iam ipsum suscepit. Antequam autem quis Sacramentum transmiserit in stomachum, non potest dici manducasse Christum. Sicut qui incipit ingredi domum & vno pede attigit limen, non potest dici ingressus domum.

Moderantur tamen aliqui hanc sententiam, & dicunt vt quis percipiat gratiam, non esse necesse vt hostia tota recepta sit in stomachum, sed sufficere vt tota transierit terminum diuidentem os à gutture.

21 Sed nec hæc sententia placet. Quia Christus tam perfectè continetur sub minima particula hostiæ, quàm sub tota. Quare nulla est maior ratio cur dicat eum tum primùm sumpsisse, quando tota hostia trãsmissa est in stomachum, vel transiit illum terminum, quàm quando tantùm decima pars transiit.

Dices, Christus sub vna hostia habet vnam præsentiam totalem, & ideo non censetur perfectè transmissus, donec tota hostia transmissa sit. Sed hoc dici nequit. Sequeretur enim in singulis partibus hostiæ saltem ante fractionem habere tantùm præsentiam partialem: atque ita non esse tam perfectè sub singulis partibus, quàm sub tota hostia. quod falsum est.

22 Pro resolutione Nota, sicut est terminus indiuisibilis coniungens superiorem partem gutturis ori; ita etiam esse similem terminum coniungentem inferiorem partem gutturis stomacho, qui sit communis vtriusque terminus.

23 Christus in hoc Sacramento tũc primum confert gratiam cùm iam sumptus est.

Conclvsio I. Etsi secundus modus dicendi quartæ sententiæ non sit improbabilis; tamen probabilius est tunc primùm communicanti conferri gratiam, quando Christus potest aliquo modo dici iàm receptus in stomachum: ita vt secundùm eam sententiam, quæ ponit eum integrè contineri sub singulis punctis, saltem secundùm vnam indiuisibilem replicationem attigerit inferiorem hunc terminum: aut secundùm aliam sententiam, quæ ponit eum semel sub minimis quibusque particulis, vna saltem integralis particula hunc terminum transierit, siue plures simul transierint, siue non.

Prob. Primò, quia hoc Sacramentum non confert gratiam nisi sumptum: ante illud autem instans non potest Christus dici sumptus, sed incipi sumi: ergo Sacramentum priùs non confert gratiam.

Secundò, quia hoc Sacramentum confert gratiam per modum nutrimenti: atqui cibus non nutrit, nisi iam aliquo modo receptus stomacho: ergo similiter hoc Sacramentum non confert gratiam nisi iam aliquo modo stomacho receptum.

Nec refert quòd cibus adhuc existens in gutture incipiat aliquo modo alterare stomachum, & ab eo alterari, quia idem fit, dum adhuc est in ore. Vnde videmus stomachum cibum adhuc in ore existentem vel attrahere, vel etiam reiicere & nauseare, prout sapidus, eique commodus, vel contrà insipidus eique contrarius est. 24

Dices Primò, Promittitur gratia piè manducanti hoc Sacramentum: atqui piè communicans dum traiecit hostiam vsque ad medium guttur, verè dicitur Christum manducasse: ergo tunc recipit gratiam. Secundò, quia cùm hostia recepta est stomacho, non est ampliùs manducatio: ergo non tunc sed antea data est gratia. Tertiò, quia aliàs, qui piè communicans, cùm traiecisset hostiam vsque ad medium guttur, moreretur, non reciperet gratiam Sacramenti. quod tamen videtur absurdum. 25

Ad Primum Resp. simili modo promitti gratiam suscipientibus cetera Sacramenta, & tamen hæc iis non datur nisi perfecta iam susceptione. Quare similiter hîc dicendum est, nec dari, nec promitti gratiam, nisi ei qui verè iam manducauit, qualis non est is, qui nondum Christum vllo modo stomacho recepit. Atque ita neganda est minor. 26

Ad Secundum, nego antecedens. Quia tunc mãducatio est adhuc ratione sui termini, sicut alia Sacramenta sunt in eo instanti, quo desinunt fieri, & quo confertur gratia.

Ad Tertium Respond. hoc non esse magis absurdum, quàm sit absurdum, quòd non reciperet gratiam, qui piè communicans moreretur dum hostiam adhuc haberet in ore. quod tamen omnes admittunt. Et ratio vtriusque est. quia neuter potest dici sumpsisse siue comedisse corpus Christi, sed incepisse sumere.

Dices Quartò, Minima illa particula cùm per se non sit sensibilis, non potest habere rationem Sacramenti: ergo eius solius sumptio non potest causare gratiam. 27

Resp. Etsi per se separata non sit sensibilis, est tamen sensibilis vt est coniuncta reliquis partibus, atque ita habet rationem Sacramenti. Etsi autem secundùm conclusionem nostram sit fortè sola sumpta dum cõfertur gratia; non tamen est sumpta separata, sed coniuncta reliquis partibus, atque ita habet veram rationem Sacramenti.

Conclvsio II. Post illud primum instans communicanti data est gratia, si non varietur eius dispositio, toto reliquo tempore quo communio durat, nulla ampliùs datur gratia habitualis. Est ferè cõmunis Theologorum. Quòd si tamen post illud instans, interim dum adhuc durat sumptio, communicans meliùs disponatur, valde probabile est eum suscipere maiorem gratiam. Ita Caietan. hîc, & Suarez disp. 63. sect. 4. Et apertè colligitur ex Gabriel lect. 85. in Canon. & Palud. in 4. d. 17. q. 8. in fine, & Maior. d. 9. q. 1. Quia dicunt eum qui initio sumptionis non est dispositus ad gratiam, si dum durat sumptio benè disponatur, recipere gratiam. 28

Caietan. Suarez. Gabriel. Paludan. Maior.

Pro probatione vtriusque partis Notandum est, ersi corpus Christi simul cum speciebus constituat integrum Sacramentum, & totum ipsum Sacramentum sicut ad significandam gratiam, ita etiam ad eandem producendam concurrat; tamen tota vis producendi gratiam prouenit à corpore & sanguine Christus, siue ab ipso Christo, atque ita cum Christus tam perfectè contineatur sub minima particula, atque sub tota hostia, sequitur minimam particulam habere tãtam vim producendi gratiam, quantam habet integra hostia. Et 29

Tota vis producendi gratiam in hoc Sacramento est à Christo præsente.

ratio

ratio est, quia tota vis Sacramentorum producendi gratiam prouenit ex institutione & promissione Christi: &, vt patet Ioannis 6. communicantibus propriè promissa est gratia, quia Christum manducant. Cùm igitur æqualiter Christum manducent, qui minimam particulam hostiæ sumunt, & qui integram; sequitur eos æqualem ceteris paribus percipere. *Ioan. 6.*

30 Nota Secundò, ex dictis q. 62. art. 1. dub. 3. Deum susceptioni singulorum Sacramentorum annexuisse certum gradum gratiæ, quem æqualiter dispositis, æqualem semper conferunt: ita tamen vt meliùs dispositis plus gratiæ conferant. Gratia sacramentalis respondet cuiusque dispositioni.

Nota Tertiò, etsi communio necessariò fiat in tempore; eodem tamen modo, quantum est ex parte sua, producere gratiam, ac si tota fieret in instanti. Sequitur ex dictis. Quia cùm, vt ostendi concluf. præcedente, detur aliquod certum instans, quo Christus totus potest dici perfectè receptus in stomachum, ita vt per sequentium partium Sacramenti susceptionem Christus non recipiatur perfectiùs, quàm in eo instanti fuerit receptus: sequitur totam causam productionis gratiæ esse eo instanti perfectè positam, nec eam vllo modo perfectiùs poni, per receptionem reliquarum partium: ergo eo instanti eodem modo confertur gratia, ac si tota hostia eodem instanti integrè reciperetur, quantum est ex vi & ratione Sacramenti. Sumptio huius Sacramenti ita confert gratiam ac si fieret in instanti.

Dixi, *Quantum est ex vi & ratione Sacramenti.* Quia etsi duratio susceptionis per se nullo modo conferat ad augmentum gratiæ; per accidens tamen potest conferre quatenus communicans interim potest elicere feruentiores actus caritatis, atque ita se meliùs ad gratiam percipiendam disponere. Duratio sumptionis per accidens causat maiorem gratiam.

31 Pro quo Nota Quartò, quòd sicut sumptio Sacramenti, etsi physicè loquendo duret per aliquod tempus; tamen si loquamur de ea moraliter, & in ordine ad producendam gratiam, acceptatur eodem modo à Deo ac si tota compleretur in instanti: ita omnis dispositio ad gratiam, quam habet communicans vsque ad vltimum instans communionis, etsi physicè loquendo successiuè fiat, & secundùm quasdam partes sequatur primum instans communionis; à Deo tamen in ordine ad gratiam sacramentalem eodem modo acceptatur, ac si præcederet primum instans communionis. Ratio est, quia cùm toto illo tempore homo verè ac realiter sumat Christum, & tam perfectè in vltimo instanti, atque in primo; omnis dispositio, quæ vltimum instans præcedit, est vera dispositio ad communionem, eamque secundùm aliquam sui partem præcedit. Ergo sicut totum tempus quo durat communio, computatur quodammodo pro instanti: ita etiam debet computari totum illud tempus quo augetur illa dispositio, quasi hæc esset posita primo instanti: quia est eadem vtriusque ratio. Tam successiua sumptio quàm sumentis dispositio censetur meraliter esse in instanti.

32 His positis probatur conclusio pro vtraque parte. Quia causa necessariò agens primo instanti quo secundùm omnem vim agendi perfectè ponitur, in obiecto non repugnante producit perfectè totum suum effectum, nec postea eum auger, nisi aut ipsa accipiat maiorem vim agendi, aut obiectum meliùs disponatur: atqui primo instanti quo Christus integrè intra stomachum recipitur, ponitur perfecta receptio Sacramenti cum omni sua vi agendi, quæ postea nullo modo augetur, vt patet ex dictis: ergo eodem instanti producit totum suum effectum, nec postea eum auger, nisi obiectum meliùs disponatur: & verè eum auger, si obiectum meliùs disponatur interim dum perfectè durat eius vis agendi. Causa perfectè posita producit totum effectum simul, nisi aliunde sit repugnantia.

33 Confirmantur hæc omnia, & explicantur pulchrè hac similitudine. Fingamus enim aliquod corpus lucidum, magnitudine v.c. paruæ hostiæ, habere vim illuminandi corpus remotum ad 12. pedes vt duo, & remotum ad nouem pedes illuminandi vt tria, & remotum ad sex pedes illuminandi vt quatuor. Item ponamus illud corpus habere tantam vim illuminandi in quauis vigesima sui parte, atque in se toto: tunc si illud in locum obscurum per angustum foramen immittas, statim primo instanti quo talis particula per illud foramen transierit, illuminabit corpus distans 12. pedes vt duo, & eodem planè modo, siue æquè perfectè illud corpus illuminabit & initio, & in medio, & in fine sui ingressus per foramen, atque etiam post vnam horam, si modò æqualiter semper ab eo corpore distet: quòd si tamen, dum illius durat immissio, corpus aliud fiat ei magis propinquum, perfectiùs illud illuminabit, successiuè quidem; tanta tamen intensione, quanta ipsum illuminasset, si initio fuisset ita propinquum. Et simile est in sumente hoc Sacramentum, cui meliùs dispositus potest quadam ratione dici magis propinquus.

Conclvsio III. Quando quis sumit Ven. Sacramentum sub duplici specie, si non sit meliùs dispositus quando sumit calicem, quàm erat quando sumebat corpus, non recipit plus gratiæ, quàm si sumpsisset solùm sub vna specie. Quòd si tunc meliùs sit dispositus plus recipit; eodem modo quo iam dixi eum recipere plus gratiæ, qui meliùs est dispositus in fine communionis, quàm in initio. Secundam partem tenent iidem auctores quos citaui pro 2. parte concluf. præcedentis: & eodem modo probatur, quo illam probaui, vt per se patet. 34 Sumptio duplicis speciei per se non auget gratiã,

Priorem verò partem præter dictos docent Soto in 4. d. 12. q. 1. a. 12. in respons. ad vlt. obiectionem, & Petrus Soto lect. 10. de Eucharistia, & communiter ferè omnes, qui hoc tempore scribunt contra hæreticos. Et colligitur ex D. Thoma q. 80. a. 12. ad 3. *Soto.* *Petrus Soto.* *D. Thom.*

Probant aliqui hanc partem ex Triden. sess. 21. c. 3. vbi putant eam quasi definitam: sed ex hoc capite non potest efficaciter probari, quia Concilium tantùm ibi dicit, eos qui communicant sub vna specie, nulla gratia ad salutem necessaria fraudari: aperte insinuans se nullo modo velle definire, eos nulla gratia priuari, quam percipiunt ij, qui sub vtraque specie communicant. Aliàs enim non debuisset dicere, eos non priuari gratia ad salutem necessaria: sed nulla gratia priuari. Quare cùm consultò hunc modum dicendi vitarit, ostendit eum non esse certum. Imò quidam referunt multos ex iis qui Concilio interfuerunt, sensisse communicantem sub vtraque specie plus gratiæ recipere. Nec, etsi hoc esset verum, Ecclesia fecisset vllam iniuriam laicis, prohibendo iis vsum calicis, vt dicam q. 80. a. 12. 35 *Tridem.*

Probatur igitur concluf. eodem argumento, quo probaui præcedentem. quia cùm ideo communicanti promissa sit gratia, quia sacramentaliter sumit Christum, sequitur, quoties duo æqualiter dispositi æquè perfectè sumunt Christum, eos æqualem gratiam percipere: atqui qui sumit Christum sub vnica specie, tam perfectè eum sumit, atque is qui sumit eum sub vtraque specie: ergo, si æqualiter sit dispositus, æqualem percipit gratiam. 36

Minor probatur, quia Christus tam perfectè totus omnino continetur sub vna specie atque sub vtraque: ergo qui vnam sumit, tam perfectè sumit Christum, eiusque corpus & sanguinem, quàm qui sumit vtramque.

Dices Primò, Hoc Sacramentum, vt constat duabus speciebus, perfectiùs significat gratiam, quàm quatenus constat vnica specie: ergo etiam perfectiùs causat gratiam. 37 Vtraque species simul significat perfectiùs eandẽ gratiã, non tamen perfectiorem.

Resp. neg. consequ. quia etsi vtraque species significet aliquo modo perfectiùs gratiam, quatenus magis expressè integram refectionem (quæ apud nos cibo & potu constare solet) significat; tamen non significat perfectiorem refectionem seu gratiam. quia res

significata, quia reficitur animus, est absolutè eadem. Simili modo matrimonium contractum per verba perfectiùs vinculum matrimoniale significat, quàm si contraheretur per sola signa, non tamen significat, aut facit perfectius vinculum.

58 Dices Secundò, Illud tantùm habet vim sanctificandi in hoc Sacramento, quod in eo est ex vi verborum, quia illud solum per se sumimus, reliqua verò per accidens: atqui sub specie panis vi verborum est solum corpus, non autem sanguis: ergo hic sub specie panis non habet vim sanctificandi, quia non sumitur per se.

Sanctificatiua quæ in hoc Sacramento sunt per concomitantiam.

Resp. negando maiorem. quia aliàs sequeretur, diuinitatem Christi, prout est ac sumitur in hoc Sacramento, nullam habere vim sanctificandi, quia non est in eo ex vi verborum. Illud tamen est apertè falsum, cùm tam corpus quàm sanguis Christi habeant omnem suam vim sanctificandi ratione diuinitatis coniunctæ. Nec etiam admittendum est, ea quæ sub aliqua specie concomitanter sunt, aut esse, aut sumi ibi per accidens; quia tam ex decreto Dei, quàm Christi institutione hæc omnia necessariò semper fuerunt sub vtraque specie coniuncta, & simul sumpta, quoties hoc Sacramentum fuit consecratum aut sumptum. Nec refert quòd in triduo mortis fuisset corpus à sanguine separatum, si fuisset tunc facta consecratio. quia hoc fuisset potiùs per accidens ipsi Sacramento eiusque institutioni: quia aliquò modo præter voluntatem Christi illud instituentis, qui nullo modo hoc Sacramentum instituit, vt tunc consecraretur, aut sumeretur, ideóque ita instituit vt certò sciret, nullo modo tunc aut consecrandum, aut sumendum.

59 Dices Tertiò, tam sumptioni corporis quàm calicis æqualiter promissa est gratia, nec vna sumptio impedit effectum alterius: ergo vtraque suam gratiam confert.

Resp. eodem modo vtriusque speciei sumptioni per se esse promissam gratiam, sicut sumptioni diuersarum hostiarum est sigillatim promissa gratia: ita nimirum, vt pro singulis sumptionibus detur diuersa gratia, quàndo diuersæ hostiæ vel species diuersis sumptionibus siue communionibus sumuntur. Quando autem per modum vnius communionis, & sumptione moraliter vna sumuntur (vt communiter fit ab iis, qui sub vtraque specie communicant) tunc non confertur distinctam gratiam; sed omnino eandem. quia vnicæ sumptioni non datur nisi vnica gratia.

60 Hinc sequitur, hanc omnem gratiam conferri statim in primo instanti quo Christus sub alterutra specie perfectè receptus est in stomacho iuxta dicta prima conclusione: nec eam augeri postea, nisi melioretur dispositio communicantis, iuxta dicta concluſ. 2.

Sumptio vtriusque speciei censetur moraliter fieri simul.

Quia etsi physicè loquendo vtraque sumptio fiat diuerso tempore; moraliter tamen loquendo, & ex acceptatione Dei, censetur fieri simul, & quasi in instanti. Sicut quando quis in eadem communione plures hostias; aut diuersas vnius partes vnam post aliam sumit.

61 Nō melioratā dispositionē non crescit gratia.

Conclvsio IV. Quando quis post communionem interim dum species digeruntur, non disponit se meliùs ad perceptionem gratiæ, quàm ab initio fuerat dispositus, non percipit maiorem gratiam.

Sequitur ex dictis. quia Sacramentum tantam habuit vim producendi gratiam primo instanti quo Christus fuit perfectè stomacho receptus, quantam habet toto reliquo tempore, quo species incorruptæ in stomacho perseuerant; & communicans tam perfectè tunc fuit dispositus, quàm postea: ergo Sacramentum tunc omnem suum effectum protulit. Quia nulla potest adferri ratio siue ex parte causæ, siue ex parte effectus, qui in instanti potest produci, siue etiam ex parte subiecti, cur sequenti tempore maior gratia producatur.

Conclvsio V. Quòd si interim dum species integræ manent in stomacho, melioretur dispositio communicantis; valdè probabile est etiam gratiam sacramentalem augeri. 62 Potest augeri gratia quamdiu species durant.

Ita apertè Caietan. hîc, & Suarez disp. 63. sect. 7. & apertè colligitur ex Paludano in 4. d. 17. q. 8. in fine. Citantur etiam pro hac sententia Maior in 4. d. 9. q. 1. & Gabriel lect. 85. in can. Sed non potest clarè ex iis colligi. Caietan. Suarez. Paludan. Maior. Gabriel.

Probatur, quia hoc Sacramentum confert gratiam per modum nutrimenti: atqui cibus propriè non nutrit, quia sumitur (nam si statim post sumptionem annihilaretur, non nutriret) sed quia iam sumptus in stomacho digeritur: ergo etiam hoc Sacramentum nutriret animam, prout iam sumptum in stomacho perseueraret; si modò subiectum ob meliorem dispositionem reddatur capacius ad gratiam suscipiendam quàm ab initio erat.

Dices, Hinc sequetur, quòd hoc Sacramentum conferret gratiam, etsi sine vlla manducatione nobis nescientibus ab angelo poneretur in nostro stomacho, quia cibus ibi hoc modo positus nutriret. 63

Resp. negando hoc sequ. Quia ex institutione Christi, vt hoc Sacramentum nos nutriat, debet nobis per manducationem applicari, vt patet Ioan. 6. Secùs est de cibo corporali: quia naturaliter habet vim nutriendi, quomodocumque stomacho applicetur. Ioan. 6.

Probatur Secundò, quia quamdiu habemus hoc Sacramentum in nobis, habemus vberrimum fontem omnis gratiæ, quem non conuenit arescere, quamdiu volumus ex eo haurire.

Tertiò, quia hoc conuenit dignitati huius Sacramenti, & dignitati Christi, & excitat ad pietatem, & augendam deuotionem post sumptum Sacramentum.

Quartò, quia sicut grauius longè peccat, qui committit peccatum mortale dum adhuc habet in se integrum Sacramentum, quàm qui post consumptas omnino species illud committit; quia ille grauem irreuerentiam ipsi Sacramento irrogat; ita etiam videtur quòd tunc actus caritatis & deuotionis ob coniunctionem cum hoc Sacramento plus gratiæ conferant.

Dices Primò, hinc sequetur in dignè communicante semper toto tempore, quo manent species in stomacho augeri gratiam, etsi ipse toto tempore planè distraharur. Probatur, quia statim primò instanti recipiet gratiam habitualem, & consequenter fiet magis dispositus ad gratiam sacramentalem suscipiendam (nam, vt diximus q. 62. a. 1. dub. 3. ceteris paribus qui habet maiorem gratiam habitualem, maiorem etiā gratiam per Sacramentum recipiet.) Item ratione huius dispositionis maiorem iterum gratiam suscipiet, qua rursus meliùs disponetur, & sic in infinitum. 64 Effectus Sacramēti non potest suscipiendo disponere.

Resp. negando assumptum. Quia gratia habitualis quæ per ipsum Sacramentum confertur, nullo modo disponit ad gratiam per idem Sacramentum suscipiendam. Cuius ratio est. quia, vt dixi, etsi ipsa sumptio Sacramenti, eiusque in stomacho permanentia duret certo tempore; tamen quatenus acceptatur à Deo in ordine ad producendum suum effectum, censetur esse tota simul, & quasi in instanti: & consequenter etsi aliquis effectus Sacramenti tempore præcedat desitionem, imò etiam plenam sumptionem ipsius Sacramenti; tamen cùm à Deo conferatur tanquam effectus totius esse ipsius communionis, prout consideratur in fieri & facto esse, moraliter censetur hac totaliter esse posterior, & consequenter non potest respectu communionis, quocumque modo consideretur, subire rationem dispositionis.

Dices

45 Dices Secundò, Promissa est communicanti gratia ratione manducationis Sacramenti, quæ est actus liber, non autem ratione digestionis specierum, quæ est actus merè naturalis: ergo non augetur gratia dum species digeruntur, etsi melioretur communicantis dispositio.

Resp. negando conseq. Quia etsi non sit digestioni specierum promissa gratia, est tamen promissa manducationi, non tam vt iam est in fieri, quàm vt consideratur in facto esse (vt patet ex dictis) qua ratione durat quamdiu species digeruntur: & toto hoc tempore, quantum est ex se, est nata augere gratiam, si subiecti capacitas augeatur.

46 Hinc sequitur Primò, per se loquendo nullo modo aliquem recipere maiorem gratiam, quia sumit maiores, aut plures hostias, aut quia diutiùs hæret in iis sumendis aut digerendis, vt patet ex dictis. Etsi per accidens hæc longior mora posset esse occasio, cur quis maiorem gratiam accipiat, quatenus interim plures ac perfectiores actus caritatis elicit. Qua etiam ratione si vnus diutiùs exspectet antequam communicet, quàm alius; hæc mora potest ei esse occasio maioris gratiæ percipiendæ, quatenùs potest interim meliùs se disponere; plures actus caritatis eliciendo. Quare hæc sententia non debet dare occasionem aliquibus, qui id satis superstitiosè curant, vt inter communicandum plures hostias suscipiant, quo diutiùs in stomacho hæreant, atque ita maiorem gratiam suscipiant. Quia si velint se æquè diligenter præparare, æqualem gratiam percipient, siue parum siue diu hæreant, cùm possint se ante sumptionem tam diu præparare quàm volunt. Quia omnes hi actus eliciti in ordine ad communionem, dispositionem meliorant, siue eam præcedant, siue cum ea concurrant.

Plures hostiæ simul sumptæ per se non causant maiorem gratiã.

47 Sequitur Secundò, quando durante sumptione Sacramenti, aut specierum consumptione, melioratur dispositio per actus distincto tempore eliciros, gratiam primo instanti collatam, deinde certis instantibus, quibus illi actus eliciuntur, in certa quantitate augeri secundùm proportionem qua illi actus augent præcedentem dispositionem. Quando verò dispositio augetur continuò, eò quòd vnus actus caritatis, aut similis perpetuò æquè intensus, continuetur, aut etiam continuò intendatur durante sumptione & cõsumptione Sacramenti; tunc simili aliqua proportione, prout melioratur dispositio augetur etiam successiuè gratia, sicut calor à calefacienre successiuè intenditur.

Quomodo augeatur gratia melioratæ dispositione.

48 Sequitur Tertiò, eum qui initio indispositus suscepit Sacramentum (siue id acciderit sine nouo peccato, eò quòd suam indispositionem omnino ignoraret: siue etiam cum nouo peccato) si postea interim dum adhuc ipsa susceptio aliquo modo durat, aut ea completa dum species adhuc integræ sunt in stomacho, sufficienter disponatur ad gratiam, eum verè susceperum effectum Sacramenti. Ita Caietan. Paludan. & Suarez suprà, & ex parte etiam Gabriel, & Maior. Ratio est, quia cùm Sacramentum tunc adhuc habeat vim conferendi gratiam ex opere operato, & talis sit sufficienter dispositus, verè eam conferet. Nec in hoc est aliquid absurdi, quidquid aliqui sine probatione contradicant.

Si dum durant species tollatur obex, conferetur gratia. Caietan. Paludan. Suarez. Maior. Gabriel.

Ex his demum patet solutio ad quasdam obiectiones, quas contra dicta obiicit Sotus in 4. d. 11. q. 2. art. 1. quas non est opus referre, quia clarè in dictis corollariis solutæ sunt. *Sotus.*

49 CONCLVSIO VI. Post consumptas omnino species Sacramentum nullam vnquam gratiam sanctificantem confert ex opere operato. Quia, vt dixi q. 62. a. 1. dub. 5. hoc Sacramentum numquam reuiuiscit nec est alia aliqua ratio cur dicas ipsum tunc ex opere operato gratiam conferre.

ARTICVLVS II.

Vtrùm effectus huius Sacramenti sit adeptio gloriæ?

ARTIC. II. docet, hoc Sacramentum operari in nobis adeptionem gloriæ. Primò, quia causat in nobis gratiam habitualem, vt dixit art. 1. ratione cuius habemus ius ad gloriam. Secundò, quia dat nobis vires perueniendi ad gloriam, quatenus conseruat nos ne in peccata incidamus: vt dicitur hîc ad primum, & art. 6. 50

ARTICVLVS III.

Vtrùm effectus huius Sacramenti sit remissio peccati mortalis?

ARTIC. III. docet Primò, hoc Sacramentum per se & ex institutione sua non remittere peccatum mortale. quia institutum est per modum nutrimenti, quod non conuenit mortuo, sed viuenti. Confirmatur, quia peccat mortaliter, qui conscius sibi peccati mortalis communicat: vt ostendemus infrà q. 80. a. 4. Hoc autem esset absurdum, si hoc Sacramentum esset institutum ad remissionem peccati mortalis: vt ostendi q. 62. a. 1. dub. 2. 51

Docet Secundò, hoc Sacramentum per accidens aliquando remittere peccatum mortale, & conferre primam gratiam, quãdo quis exsistens in peccato mortali solum attritus bona fide accedit ad hoc Sacramentum; aut quia putat se contritum, aut quia inuincibiliter ignorat se esse in peccato mortali; aut quia omnino putat se licitè ita accedere: tunc enim per accidens confert primam gratiam, iuxta dicta q. 62. ar. 1. dub. 2. Ita apertè D. Thomas hîc, & Soto in 4. d. 12. q. 1. art. 4. Viualdus de Euchariſt. n. 167. Siluester. v. *Eucharistia*. 4. n. 3. & alij plurimi. 52

Eucharistia per accidens remittit peccata mortalia.

D. Thom. Soto. Viualdus. Siluester.

Nec refert quòd nutrimentum corporale non prosit mortuis: quia gratia, quæ est nutrimentum siue augmentum spirituale, tam apta est ex natura sua ad viuificandum, quàm ad nutriendum, siue augendum. Confert autem hoc Sacramentum gratiam omni non ponenti obicem directè quidem & ex fine suæ institutionis nutritiuam: per accidens autem quandoque etiam viuificariuam. Et hoc videntur velle quidam Patres, qui videntur asserere hoc Sacramentum remittere peccata & scelera. Sic D. Cyprianus serm. de cœna Domini, ait hoc Sacramentũ valere ad sanandas infirmitates, & ad purgandas iniquitates. Et infrà ait esse panem propter nutrimenti congruentiam; & sanguinem propter viuificationis efficientiam. Simili habet D. Augustinus serm. 28. de verbis Domini, & Damas. l. 4. de fide c. 14. Et fortè huc etiam respexit Trident. sess. 13. can. 5. vbi ait: *Si quis dixerit vel præsumpsum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire, anathema sit.* Vbi videtur supponere, per hoc Sacramentum quandoque etiam remitti peccata mortalia. Et quamuis etiam possit intelligi de peccatis venialibus; tamen satis commodè etiam intelligitur de mortalibus: præsertim quia per peccatum absolutè positum, communiter peccatum mortale intelligimus. 53

Cibus spiritualis potest etiam viuificare.

D. Cyprian. D. Augustin. Damasc. Trident.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm per hoc Sacramentum remittantur peccata venialia?

ARTIC. IV. docet, hoc Sacramentum remittere peccata venialia, idque dupliciter. Primò, quia est 54

nutrimentum spirituale, cuius est restaurare feruorem caritatis, qui per peccata venialia minuitur. Secundò, quia excitat in nobis actus caritatis, qua peccata venialia tolluntur. Proprium enim est huic Sacramento, quod (sicut olim manna) habet in se omnem saporem suauitatis, excitare in piè sumentibus aliquam suauitatem, qua amor diuinus prouocetur: vt patet ex ipsius Officio, & Concilio Viennensi.

Concil. Viennense.

55 Remittit peccata venialia quādoque mediante motu pio, quādoque immediatè.

Nota, in secundo illo modo peccata venialia non remitti immediatè per Sacramentum, sed tantùm mediante actu caritatis per ipsum excitato: in priore autem modo ex opere operato immediatè remittitur per vsum Sacramenti. Quare etsi numquam peccata venialia remittantur, nisi qui ea commisit, ab iis aliquo modo auertatur (vt dicam in materia de Pœnitentia;) tamen vt per vsum huius Sacramenti remittantur, non requiritur in suscipiente talis auersio, quæ ea per se tollat. Tunc enim propriè non per Eucharistiam, sed per illam auersionem hæc peccata tollerentur: sed sufficit aliqualis displicentia eorum in communi etiam virtualis, quæ videtur contineri in quauis supernaturali voluntate hoc Sacramentum piè suscipiendi, respectu venialium, quibus voluntas nec actu, nec virtualiter inhæret. Quia cùm talis voluntas sit desiderium aliquod maioris vn[illegible]is cum Christo, videtur aliquam peccatorum displicentiam continere. Ita Suarez disp. 63. section. 10. Et colligitur ex D. Thoma hîc, & patebit in materia de Pœnitentia.

Suarez. D. Thom.

ARTICVLVS V.

Vtrùm per hoc Sacramentum tota pœna peccati remittatur?

56 ARTIC. V. docet Primò, hoc Sacramentum quatenus habet rationem Sacramenti, in sumente non tollere directè pœnas temporales peccatis iam remissis debitas. quia ad hoc non est institutum.

Docet Secundò, indirectè tamen eas pœnas in piè communicantibus delere, quatenus eos excitat ad feruorem caritatis, quo remissionem illarum merentur, vel ex parte, vel in totum, secundùm proportionem quam feruor ille habet cum pœnis debitis.

Docet Tertiò, hoc Sacramentum quatenus habet rationem sacrificij, tollere eas pœnas in eo pro quo offertur: non tamen semper omnes, sed plures vel pauciores, pro deuotione offerentis. quæ fusiùs dicentur in materia de sacrificio.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm per hoc Sacramentum præseruetur homo à peccatis futuris?

57 ARTIC. VI. docet, Sacramentum nos præseruare à peccatis futuris, iuxta illud Ioan. 6. *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.* quod facit tum nos interiùs corroborando per augmentum gratiæ & virtutum, & maximè per gratias præuenientes, quas suo tempore non ponentes obicem, ratione gratiæ sacramentalis à Deo percipiunt, iuxta dicta q. 62. art. 2. tum quia reddit nos dæmonibus terribiles, vt non audeant nos ita impugnare, iuxta illud Chrysost. hom. 45. in Ioannem: *Ab illa igitur mensa tanquam leones ignem spirantes, furgamus diabolo formidolosi.*

Ioan. 6.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm hoc Sacramentum prosit aliis quàm sumentibus?

58 ARTIC. VII. docet, Eucharistiam quà Sacramentum, tantùm prodesse sumentibus; scilicet ex opere operato. Nam per modum meriti de congruo, aut impetrationis posset etiam aliis prodesse, si pro iis sumeretur, sicut quæuis opera pia. Quà sacrificium tamen, etiam aliis prodesse. Sed de his infrà in materia de sacrificio.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm per veniale peccatum impediatur effectus huius Sacramenti?

59 ARTIC. VIII. docet Primò, peccata venialia præterita & solo habitu manentia nulla ratione impedire effectum huius Sacramenti. quod intellige per se. Per accidens enim aliqua ratione quandoque eum ex parte impediunt; quatenus possunt esse causa cur minores gratias præuenientes à Deo recipiamus, aut cur caritas minùs in nobis ferueat, & consequenter cur minùs benè dispositi, & cum minore fructu communicemus.

Docet Secundò, peccata venialia quæ actu inter communicandum committuntur, non impedire quidem infusionem gratiæ habitualis, impedire tamen spiritalem delectationem, quam deuotè communicantes solent percipere. quia illa peccata impediunt actualem deuotionem, & vnionem cum Deo, ac feruorem charitatis. quæ tamen necessaria sunt ad illam delectationem spiritualem.

Adde, cùm illa peccata impediant etiam deuotionem, atque ita multùm minuant actualem dispositionem, etiam efficere, vt minor gratia habitualis infundatur, quæ meliùs dispositis copiosior dari solet.

DVBIVM.

Vtrùm hoc Sacramentum operetur aliquos effectus in corpore nostro?

60 PRæcipua hîc difficultas est circa tres effectus, scilicet Primò circa resurrectionem nostrorum corporum. Qui enim volunt Sacramenta omnes suos effectus physicè operari, varias hîc rationes comminiscuntur, vt possint ostendere quomodo Sacramentum quod iam esse desiit, nostram resurrectionem operetur. Sed secundùm nostram sententiam, qui in Sacramenti non agnoscimus nisi moralem efficientiam, nulla hîc est difficultas, vt infrà videbimus. Secundò, qua ratione hoc Sacramentum in nobis mitiget concupiscentiam. Tertiò, qua ratione per communionem singulari modo vniamur Christo. qua de re multi multa disputant; sed magis dissentiunt in modo loquendi, quàm in re ipsa. Quæ omnia fusè valdè & doctè disputat Suarez hîc disp. 64. Nos vt breuitati consulamus, rem paucis declarabimus. Nam à parte rei nulla est difficultas, nisi in quibusdam modis loquendi, quos ex iis quæ dicemus facile erit explicare.

Suarez.

61 CONCLVSIO. Hoc Sacramentum habet quatuor præcipuos effectus circa nostrum corpus.

Primò enim sanctificat quodammodo corpora nostra suo contactu. Si enim olim instrumenta omnia sanctificat. passionis, eiusq; vestes, & iam vasa quibus Eucharistia continetur, eius contactu sanctificantur, cur non

Corpora

etiam corpus nostrum quod in se Christum recipit, aliquo modo sanctificetur? Hinc Chrysost. hom. 30. in 2. Corinth. super illud, *Salutate vos invicem. Non vulgarem*, ait, *honorem consecutum est os nostrum accipiens corpus Dominicum.* Ex quo patet, quàm castè deceat nos habere nostra corpora, quæ sunt sacra quædam vasa Christum continentia. *Chrysost.*

62 Secundò, minuit ardorem concupiscentiæ, Primò, directè feruorem sanguinis & humorum temperando, & applicando diuinam virtutem, vt vel per se immediatè hoc efficiat, vel causas secundas sua prouidentia ita dirigat vt hic effectus sequatur. Secundò, per gratias præuenientes, vel auocando alio imaginationem, ne spiritus vitales conciet, vel dando robur animæ, vt possit effetuescentiam corporis comprimere. Tertiò, dando animæ affluentiam suauitatis, quæ etiam in corpus redunder: vt cor & caro exultent in Deum viuum, & ita nihil carnale concupiscant. Minuit libidinem.

63 Tertiò, vnit sibi corpora nostra non quidem vnione omnino physica, vt aliqui videntur velle. Nam nulla talis hîc potest assignari, quæ sit effectus Sacramenti, & distincta ab ipsa sumptione, qua Christus nobis localiter vnitur: sed vnione morali. Sicut enim cibos alios muramus in nostrum corpus, sic contrà Christus morali quadam habitudine nos suum corpus efficit. Etsi enim omnes filij Ecclesiæ dicantur membra corporis Christi: tamen singulari ratione vnum corpus in Christo dicuntur omnes qui hoc cibo aluntur, iuxta illud 1. Corinth. 10. *Vnum corpus sumus omnes, qui de vno pane participamus.* Hanc tamen vnionem Patres quandoque vocant realem. quatenus includit aliqua ratione ipsam sumptionem, per quam Christus verè & realiter nobis intimè præsens constituitur, quæ in bonis est fundamentum alterius illius vnionis moralis; quam mali non consequuntur: ideoque Patres dicunt solos bonos Christo per hoc Sacramentum vniri. Moraliter sibi nos vnit. *1. Cor. 10.*

64 Quartò, resuscitabit corpora nostra in fine mundi iuxta illud Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Non quòd aliqua qualitas nostris corporibus imprimatur, cuius virtute sint resuscitanda: aut quòd corpora eorum qui communicarunt singulare donum accipient, quo ab aliis distinguentur (hæc enim sine fundamento dicuntur) sed quia resurrectio singulari modo est debita corporibus nostris ratione illius singularis vnionis, quam per communionem cum Christi corpore acquirimus. Decet enim gloriosum corpus habere etiam membra gloriosa. In fine nos resuscitabit. *Ioan. 6.*

65 Nota demum, etsi hoc Sacramentum tantùm moraliter operetur suos effectus sicut alia; non improbabiliter tamen quosdam asserere, diuersimodè eos operari. Alia enim solum modo mortuo nobis virtutem diuinam applicant, cùm inanima omnino instrumenta sint: Christus verò cùm in hoc Sacramento præsens sit, & actu vitali amet dignè suscipientes; credi omnino potest, etiam actu vitali diuinam virtutem iis applicare ad productionem gratiæ, sicut agens in hac vita eam applicabat ad opera miraculosa. Aliter operatur suum effectum quam reliqua Sacramenta.

QVÆSTIO LXXX.

DE SVMPTIONE HVIVS SACRAMENTI IN COMMVNI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm distingui debeant duo modi manducandi corporis Christi?

1 ARTICVLO I. docet, hoc Sacramentum dupliciter posse sumi, scilicet spiritaliter, quando ita manducatur, vt fructus eius simul percipiatur; & merè sacramentaliter, quando sine fructu manducatur.

Trident. Nota Primò, Trident. sess. 13. c. 8. cum communi etiam Doctorum sententia ponere tres modos manducandi hoc Sacramentum. Primò enim manducari potest merè spiritaliter: vt quando iustus concipit magnum desiderium communicandi. Secundò, sacramentaliter tantùm: vt quando quis indignè communicat. Tertiò, sacramentaliter & spiritaliter simul: vt fit quando quis dignè communicat. D. Thomas autem primum & tertium modum sub primo suæ diuisionis membro comprehendit: vt patet ex eius textu. *D. Thom.*

2 Vt autem tam hæc, quàm sequentibus articulis dicenda clariùs intelligantur, Nota Secundò, Christum generatim loquendo posse septem modis manducari; duobus vt est extra Sacramentum, & quatuor prout est in Sacramento, & demum in figura Sacramenti. Christus saltem modis manducari potest.

Primò igitur spiritualiter manducatur, præcipuè secundùm diuinitatem per fruitionem beatificam: & sic manducant eum Beati. de quo vide D. Bernardum serm. 33. in Cantica. Secundò, per fidem viuam, qua *D. Bernard.*

ei inhæremus: & de hac manducatione videtur loqui D. Augustinus tractatu 25. in Ioan. dum ait: *Vt quid paras dentem & ventrem? crede, & manducasti. Credere enim in eum, hoc est panem viuum manducare.* Tertiò, merè spiritualiter, per votum siue desiderium communionis. Quartò, spiritualiter & sacramentaliter simul: vt fit dum piè communicamus. vtrumque autem hunc modum complectitur D. Thomas sub manducatione spirituali huius Sacramenti. Quintò, sacramentaliter tantùm: vt fit dum quis indignè communicat. Sextò, merè materialiter: vt si bestia hostiam comedat. Septimò, in figura ipsum comederunt fideles, qui manducauerunt manna, quod erat figura huius Sacramenti, & consequenter Christi. *D. Augustin.* *D. Thomas*

ARTICVLVS II.

Vtrùm solus homo sit hoc Sacramentum spiritualiter sumere?

3 ART. II. docet, solum hominem posse hoc Sacramentum spiritualiter sumere. Quia nec creaturæ irrationales possunt hoc ita sumere, vt per se patet: nec etiam angeli. quia nec possunt hoc Sacramentum realiter sumere, quia comedere non possunt: nec etiam in voto, quia desiderium spirituale & fru-

duosum huius Sacramenti sumendi illi soli habere possunt, pro quibus ipsum est institutum; quales sunt soli homines, qui possunt fructum Sacramenti percipere. Divus autem Thomas hic solos illos vult hoc Sacramentum spiritualiter sumere, qui vel per realem Sacramenti sumptionem, vel per eius votum rem Sacramenti, siue gratiam percipiunt.

ARTICVLVS III.

Vtrùm solum homo ipsum possit Christum sacramentaliter manducare?

4 ART. III. docet, homines peccatores verè sacramentaliter corpus Christi comedere: Paret expresè ex Apost. 1. ad Cor. 11. vbi expresè docet aliquos aliquando indignè Christi corpus mâducare, qui sanè non sunt alij quàm peccatores. Ex quo benè infert D. Thomas, grauiter errare eos, qui dicunt Christum desinere esse sub speciebus statim atque hæ labia peccatoris, aut etiam bruti, v.c. muris sacras hostias absumentis, attingunt. Quia apud omnes Catholicos certum est, Christum tam diu durare sub speciebus, quandiu hæ integræ manent. Nec est magis indignum Christo ipsum in Sacramento à bestia comedi, quam in propria specie à Iudæis crucifigi.

1. Cor. 11.

D. Thom.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm peccator sumens corpus Christi sacramentaliter, pecces?

5 ART. IV. docet, esse peccatum mortale accedere ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati mortalis. Est communis Catholicorum, & videtur certa de fide ex Trident. sess. 13. c. 7. & can. 11. contra Lutherum, qui voluit ad huius Sacramenti perceptionem eo quem esse aptiorem, quo pluribus peccatis obrutus est: vt refert Bellarm. lib. 4. de Eucharistia c. 17. Probatur ex Apostolo 1. ad Corinth. 11. vbi ait: *Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Omnis autem qui est in peccato mortali, cùm sit Deo inimicus, est indignus maximo illo amicitiæ symbolo. Vnde ibidem iubet Apostolus vt priùs probet seipsum homo, non vtrùm habeat fidem, vt aiunt hæretici, sed vtrùm non sit inimicus Dei, & peccatis immersus. Non enim ibi Apostolus reprehendit Corinthios ob infidelitatem, sed ob peruersos mores. Idem pluribus docent Patres quos fusè citat Bellarm. suprà cap. 18. Nobis breuitatis causa vnum attulisse sufficiet Chrysostomum hom. 3. in epist. ad Ephes. vbi fusissimè probat summa animi puritate hoc Sacramentum esse sumendum, & inter cetera ait: *Regem vitæque non audeas oculari, si quidem os tuum olet grauiter: & Regem colorum, impudens, oscularis anima tua vitiis olente.* Et ratio est Primò, quia in peccato mortali communicans peruertit institutionem Christi, qui, vt patet Ioan. 6. instituit hoc Sacramentum per modum cibi, cuius est vitam nutrire, non autem dare. Secundò, quia grauem facit iniuriam Christo, dum eum intra illud cor concludit, quod ipsi inimicum est, & plenum peccato; quod Christus magis abominatur, quàm nos fœdissimam cloacam. Tertiò, quia docuimus suprà q. 62. esse peccatum mortale suscipere reliqua Sacramenta, præter Pœnitentiam, & Baptismum in peccato mortali: ergo multò magis hoc erit verum in hoc Sacramento, quod maximam præ reliquis reuerentiam & puritatem requirit.

Trident. Lutherani.

Bellarm. 1. Cor. 11.

Bellarm. Chrysost.

Cur peccet mortaliter in peccato communicans.

6 Ioan. 6.

7 Nota Primò, disputare hic Doctores, quid certos nos oporteat esse, nos esse in gratia, vt possimus dignè communicare.

Prima sententia docet; nos debere esse omnino metaphysicè certos, ita vt nulla ignorantia excuset. Hæc tribuitur communiter Maiori in 4. d. 9. q. 1. sed ipse ibi satis perplexè loquitur, & magis differendo quàm asserendo. Sed quidquid sit de ipsius mente, hæc sententia nullam habet probabilitatem quia secundùm eam, nullus communiter posset dignè communicare. quia communiter non possumus tam certò scire nos esse in gratia. Quare communiter alij Doctores sentiunt, sufficere moralem certitudinem, qualem censetur habere cui post diligens sui examen nullum peccatum mortale à se commissum occurrit, quod non sit confessus. Quia velle hic maiorem certitudinem requirere, esset omnium omnino conscientias perturbare, & insupportabile iugum hominibus imponere; contra illud Christi: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.*

Maior.

Sufficit communicanti vt moraliter certus sit se esse in gratia.

Nota Secundò, vt conscius sibi peccati mortalis 8 dignè communicet, necessarium esse vt præmittat confessionem, quando fieri potest, quantumcumque sibi videatur contritus, vt definit Concilium Trident. sess. 13. cap. 7. & can. 11. vbi excommunicat eos qui audent contrarium docere, aut pertinaciter asserere. Quare hæc res iam non potest ampliùs inter Catholicos esse dubia. Disputatur tamen quo iure hæc obligatio sit introducta.

Peccator debet priùs confiteri. *Trident.*

DVBIVM I.

Quo præcepto conscius sibi peccati mortalis teneatur præmittere confessionem?

NOta hic dici sibi conscium peccati mortalis, 9 omnem eum qui credit se id commisisse. & nondum hoc esse confessum; & quæritur quo iure teneatur confiteri ante communionem, quando omnino credit se esse contritum.

Quis dicatur sibi conscius peccati mortalis.

Caietan. hîc cum quibusdam aliis docet, suo tempore nullum adhuc extitisse præceptum obligans talem ad confitendum ante communionem; atque ita dicit hoc tantùm esse consilij. Sed hoc iam nulla ratione defendi potest. Nam Trident. sess. 13. c. 7. apertè docet hoc præceptum ab initio in Ecclesia fuisse. Nam agens de probatione quam in communicaturo requirit Apostolus 1. ad Corint. 11. ait: *Ecclesiæ autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Vbi Concilium clarè ostendit, se non tradere nouum præceptum, sed ex Ecclesiæ consuetudine probare, quomodo intelligendum sit illud præceptum quod habetur apud Apostolum.

Caietan.

Trident.

1. Cor. 11.

Omisso igitur hoc errore triplex est sententia. Prima docet esse præceptum iuris diuini naturalis; cuius præcipua ratio est, quia reuerentia huius Sacramenti requirit, vt homo quantum possibile est, sit priùs certus de gratia, quàm hoc Sacramentum sumat. sicut periculum mortis exigit vt homo omni modo possibili procuret sibi certitudinem gratiæ, & consequenter confiteatur, si possit. quia hoc modo est certior se esse in gratia, quàm si solùm conaretur conteri. Faciliùs enim est habere attritionem quàm contritionem. Sed hæc ratio nihil aliud probat, quàm decuisse tale præceptum imponi: nam aliàs probaret etiam non conscium sibi peccati mortalis teneri præmittere confessionem venialium, vt si fortè sit in peccato mortali (nemo enim nouit vtrùm amore an odio dignus sit) priùs iustificetur. quod tamen nemo dixerit. Item sequeretur eum qui inter confitendum sine vlla sua culpa omisisset aliquod peccatum mortale, cuius ante communionem recordatur, non teneri illud confiteri.

10

Hoc præceptum non est iuris naturæ.

quia tam certus eſt ſe eſſe in gratia, quàm ſi fuiſſet illud confeſſus. quod tamen falſum eſt, vt communiter docent DD. & probatur ex Trident. quod ſeſſ. 13. cap. 7. definit omnem ſibi conſcium peccati mortalis, teneri præmittere confeſſionem: vbi non ſolùm dicitur ſibi conſcius, qui credit ſibi peccatum non eſſe remiſſum (aliàs contritus non eſſet ſibi conſcius:) ſed qui ſcit ſe commiſiſſe, & nec dum eſſe confeſſum, ſiue ſe adhuc obligari ad confitendum. Quare etſi bonum ſit eligere viam tutiſſimam; ſecluſo tamen omni præcepto poſitiuo, ſufficit moralis hac in re certitudo de contritione: vt patet in receptione aliorum Sacramentorum, & in omnium adminiſtratione, ad quæ dignè facienda ſufficit cõtritio, etiamſi ſtatum gratiæ requirant. Longè autem diuerſa eſt ratio morituri. quia agitur hîc de euitando irrecuperabili damno; ad quod bona fides nihil iuuat, ſi omittatur aliquid neceſſitate medij neceſſarium. In noſtro verò caſu tantùm agitur de euitanda irreuerentia Sacramenti; ad quod bona fides ſufficit, ſicut etiam neceſſitas.

Trident.

Non tenemur ſemper eligere viam tutiſſimam.

11 Secunda ſententia docet, eſſe præceptum diuinum poſitiuum nobis per Eccleſiam traditum. Ita Soto in 4.d.12.q.12.a.4. Valentia hîc d.6.q.8. puncto 3. Suarez diſp. 66. ſect. 3. & alij. Probant Primò, quia Trident. ſuprà docens præceptum eſſe vt peccator præmittat confeſſionem ante communionem, non dicit conſuetudine Eccleſiæ eſſe hoc præceptum introductum: ſed per conſuetudinem Eccleſiæ declarari, ſiue cognoſci. innuens hoc modo, non eſſe Eccleſiaſticum præceptum, ſed diuinum. Secundò, quia quidam Patres hoc inſinuant, præſertim D. Cyprianus, qui epiſt. 10. 11. 12. 14. & lib. de lapſis docet, peccatores facere contra legem Euangelij, ſi ſine iudicio ſacerdotis ad communionem accedant. Tertiò, quia aliàs Pontifex poſſet in hoc præcepto diſpenſare; quod tamen cùm numquam factum ſit, non videtur

Soto. Valentia. Suarez. Trident.

D. Cyprian.

12 fieri poſſe. Sunt autem dicta argumenta ſatis probabilia, tamen abſolutè non conuincunt quod probant: vt de Primo patebit infrà. Ad Secundum Reſpondeo, Cyprianum ibi loqui de lapſis in idololatriam, qui cùm iudicio Eccleſiæ eſſent generatim excluſi à communione, non poterant ſine eius iudicio ad eandem admitti, ſine violatione iuris quod ipſa habet ligandi & ſoluendi. quod ipſi per Euangelium conceditur: & conſequenter qui hoc violat, facit contra legem Euangelij.

Ad Tertium Reſpondeo, numquam in hoc præcepto fuiſſe diſpenſatum, quia non poteſt occurrere rationabilis cauſa diſpenſandi; ſicut numquam fuit diſpenſatum, vt quis ſine aquâ cõſecraret. Inde tamen non ſequitur, Pontificem nullo modo poſſe validè diſpenſare, atque etiam licitè, ſi cauſa occurreret.

13 Tertia ſententia docet, hoc eſſe præceptum Apoſtolicum. Prob. Primò, quia Chriſtus non ſolet dare præcepta circa modum ſuſcipiendi Sacramenta, niſi quæ ſequuntur ex eorum inſtitutione: vt patet in omnibus aliis ritibus ad alicuius Sacramenti ſuſceptionem neceſſariis, quorum conſtitutionem Chriſtus reliquit Eccleſiæ: atqui quòd ante cõmunionem peccator contritus debeat confiteri, non ſequitur ex inſtitutione ipſius Sacramenti: vt patet ex refutatione primæ ſententiæ: ergo non eſt iuris diuini. Prob. Secundò, quia Trident. ſuprà videtur hoc apertè innuere, quia probat confeſſionem præmittendam communioni: quia communicaturus 1. ad Cor. 11. iubetur primò ſeipſum probare; quam probationem ex conſuetudine Eccleſiæ probat ita debere fieri: atqui illud præceptum quatenus aliquid ſuperaddit iuri naturali diuino, ſolùm eſt Apoſtolicum: ergo præceptum præmittendi confeſſionem eſt ſolùm Apoſtolicum. Minor patet ex ipſo contextu Apoſtoli, qui cùm v. 23. vſque ad 27. retuliſſet quæ à Chriſto acceperat circa inſtitutionem & vſum huius Sacramenti; deinde ſuis verbis infert quædam quæ ex illis ſequuntur, dicens: *Itaque quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Ac deinde oſtendens quid faciendum ſit vt quis dignè comedat, ſubdit, *Probet autem ſeipſum homo*, &c. Vbi apertè Apoſtolus ſuis verbis aliquid præcipit Corinthiis, quod partim erat iuris naturæ, vt patet ex contextu; quia iure naturæ tenemur nos examinare ante communionem, an ſimus dignè acceſſuri, ne aliàs indignè accedamus. partim etiam erat iuris poſitiui, vt patet ex Trident. ſuprà. quarenus conſcij peccati mortalis tenentur confiteri. Ex quo patet, Concilium potiùs facere pro hac ſententia, quàm pro præcedente. Hanc ſententiam docent Medina de confeſſ. q.17. Palacios in 4.d.9.q.10.ad 1. & multi recentiores.

Trident.

Medina. Palacios.

Conclvsio. Secunda & tertia ſententia ſunt ſatis probabiles, quia probabiles habent vtrimque rationes, quæ tamen abſolutè non conuincunt niſi alterutram eſſe veram. vt patet ex dictis.

DVBIVM II.

Quando conſcio ſibi peccati mortalis liceat communicare, non præmiſſa eius confeſſione?

NOta Tridentinum ſeſſ. 13. c. 7. ad hoc requirere duas conditiones, ſcilicet neceſſitatem communicandi, & abſentiam confeſſarij. in quo omnes auctores conſentiunt. Sed difficultas eſt quando hæ conditiones cenſeantur adeſſe. Varij varios caſus enumerant, quos recenſebo, & primò eos in quibus DD. communiter conueniunt. 14

Trident.

Reſpondeo igitur, neceſſitatem communicandi cenſeri Primò, in articulo mortis tam ſacerdotis quàm alterius: quando ſcilicet aliquis aliàs eſſet deceſſurus ſine viatico. Ita communiter DD. 15

Quando ſit neceſſitas communicandi.

Secundò, quando ſacerdos tenetur ex officio celebrare, nec poteſt id facere per alium. Et de hac neceſſitate communicandi videtur præcipuè loqui Concilium Trident. ſuprà.

Trident.

Tertiò, quando quis ſine ſcandalo aut infamia non poſſet omittere Sacrum aut communionem: vt ſi ſacerdos publicè incepiſſet ſe veſtire, aut addixiſſet aliquibus Sacrum, & ſine ſuſpicione criminis non poſſet id omittere. Aut ſi aliquis acceſſiſſet ad locum communionis, nec poſſet ſine nota recedere. Non tamen ſufficeret quòd aliqui eſſent miraturi quòd conſuetam communionem omitteret, ſi nulla mala ſuſpicio naſceretur.

Nõ teneris cum infamia ante communionem confiteri.

Quartò quando celebrans poſt conſecrationem recordatur peccati mortalis non confeſſi, aut etiam peccat mortaliter, non tenetur ante communionem confiteri, etſi adeſſet confeſſarius, & poſſet ſine nota fieri. Quia non decet tunc ſacrificium interrumpi: niſi fortè crederet ſe non eſſe contritum. Nullo enim modo poteſt communicare, niſi aut probabiliter credat ſe eſſe contritum, aut priùs confiteatur. Et hos caſus communiter Doctores admittunt. Siluester v. *Euchariſtia* 2. num. 9. Viualdus de Euchariſtia nu. 117. Soto in 4.d.12.art.9. Nauarr. c.21.nu.4. Suarez hîc diſp.66. ſect. 4. & alij. 16

Cui poſt conſecrationem occurrit ſe eſſe in peccato mortali, tantùm tenetur confiteri.

Siluester. Viualdus. Soto. Nauarrus. Suarez.

Quòd ſi verò ſacerdos recorderur ſe eſſe in peccato mortali ante conſecrationem, tenetur confiteri, ſi ſine nota poſſit. Vtrùm autem teneatur inchoatum Sacrum deſerere, ſi ſine nota poſſit, non ita certum eſt. Victoria de Euchariſtia num.79. D. Bonanent. in 4.d.13. Soto ibidem q.2.art.6. Nauarrus cap.25.n.76. negant. D. Thomas infrà q. 83. art. 6. ad 2. dicit eſſe rurius, deſerere tunc Miſſam, non tamen neceſſarium.

Sciens ſibi eſſe conſecrationem.

Victoria. Bonanent. Soto. Nauarrus. D. Thom.

Quintò, quando ſacerdos aliàs die Dominico non 17

posset audire Sacrum, aut in paschate communicare. Ita Soto in 4. d. 12. q. 1. art. 4. Paludan. d. 9. q. 4. concl. 10. Vinaldus de Eucharistia numer. 121. & 123. & fauet Siluester suprà. Suarez tamen suprà cum aliis tenet, contrarium probabilius esse. Ego credo consultius esse die Dominico omittere Sacrum: quia illud præceptum non est tam strictum, quin ob minores causas possit omitti; & aliàs posset frequens dari occasio sine confessione celebrandi. Melius tamen credo facturum, qui in paschate celebraret concepta contritione. Tum quia hoc præceptum maioris est momenti, & rarius datur ista occasio sine confessione celebrandi, ac durum videtur talem hominem tunc temporis arcere à communione, quam omnes fideles percipiunt: maximè cùm probabile sit hoc præceptum de præmittenda confessione tantùm esse iuris humani. Confirm. quia, vt impleam præceptum de confessione annua, possum confiteri non integrè, si nullus sit sacerdos, cui possim integrè confiteri, vt dicam infrà, cùm tamen integritas confessionis sit præcepti diuini: ergo similiter potero communicare non præmissa confessione, vt impleam præceptum de annua communione, cùm hoc non sit minoris momenti quàm illud.

Sotus. Paludan. Vinaldus. Siluester. Suarez.

Præstat die Dominico non audire Sacrū, quā communicare sine confessione peccati mortalis. Secùs est de communione annua.

18 Quod autem aliqui addunt sufficere magnam deuotionem, aut celebritatem festi q.. soles communicare, vt possis communicare sine confessione; nec verum est, nec in praxi securum. Quia apertè repugnat Trident. quod necessitatem requirit: talis autem deuotio, aut occurrentia festiuitatis nullam inducit necessitatem per se loquendo, nisi aliunde scandalum, aut alia similis necessitas immineret.

Non sufficit solemnitas festi vt sine cōfessione communices. *Trident.*

19 Resp. Secundò, confessarium censeri deesse Primò, quando absolutè deest, qui possit confessionem audire. Secundò, quando nullus adest, cui possis sine interprete confiteri. Nec enim ad hoc teneris. Tertiò, quando non potes præsenti confiteri sine graui periculo notabilis damni, aut scandali: vt si metuas ne sacerdos peccata tua reueler, ne ad inhonesta inuitet, ne odium contra te concipiat, & grauiter in re aliqua magni momenti noceat, &c. Oportet autem hunc metum esse prudentem; nec sufficit vana aliqua suspicio, nec quòd sacerdos de te sit malam opinionem habiturus. Hoc enim non tanti æstimandum, quando aliud malum non timetur.

Quādo alicui censeatur deesse confessarius.

20 Addunt tamen multi auctores, quòd si tum habeas aliqua peccata mortalia, quæ possis sine tali periculo confiteri, te ad hoc teneri omissis iis quæ non pores sine periculo confiteri. Secùs si habeas tantùm venialia. Tunc enim non teneris confiteri si sis contritus; quamuis suadendum sit vt confitearis. Si tamen timeres ne solùm esses attritus, tenereris confiteri venialia, vt saltem indirectè posses à mortalibus absolui, & ita in gratia communicare. Ita Suarez disp. 66. sect. 4.

Suarez.

21 Sextò, quando habes casus reseruatos, à quibus præsens confessarius te non posset absoluere. Ratio est, quia tenereris eosdem casus bis confiteri. quod videtur graue onus. Ita Armilla v. *Communio.* & Victoria n. 79. & innuit Sotus in 4. d. 12. q. 2. art. 4. Credo tamen cum Suarez probabilius esse eo casu communicaturum teneri præmittere confessionem omnium peccatorum, si habeat aliqua mortalia non reseruata, atque ita ab omnibus saltem indirectè absolui. secùs esset, si nulla habeat mortalia non reseruata. Credo tamen etiam eo casu meliùs facturum, si sua peccata reseruata vnà cum venialibus confiteretur, vt posset ab illis saltem indirectè absolui; quia sic securior esset quòd communicaret in gratia: imò ad hoc teneretur, si putaret se solùm esse attritum, vt dixi in casu præcedenti. Illud autem incommodum quòd quis teneatur hoc modo bis eadem peccata confiteri, non est tanti momenti, vt propterea possit quis excusari ne teneatur ante communionem confiteri ea peccata mortalia, à quibus potest hîc & nunc directè absolui. Sed de his dicemus plura, quando agemus de integritate confessionis.

Armilla. Victoria. Sotus. Suarez.

Nota Primò, vt peccator sine confessione communicet, nulla ratione sufficere (vt aliqui putant) quòd absit sacerdos cui deuotiùs & ordinariè soleat confiteri, si modò alius adsit, cui legitimè possit confiteri. quia hæc causa nullius est momenti. Nam si velit, poterit postea eadem peccata alteri confiteri, atque ita fructum illius deuotionis acquirere. 22

Nota Secundò, Doctores dispurare quantum debeat distare confessarius, vt possit dici abesse. Qua in re non potest certa aliqua generalis regula præscribi, sed ex circumstantiis res spectanda est, & prudenti iudicio determinanda. Nam quandoque certis personis hîc & nunc ob imbecillitatem corporis, & iniurias auræ, aut breuitatem temporis qua arctantur, erit quasi impossibile adire confessarium distantem vel ad quingentos passus; cùm tamen aliis quandoque, vel etiam iisdem alio tempore, facile esset, etiam tria milliaria conficere. Quare generatim hoc solùm dici potest, illi soli censeri deesse confessarium qui ob inualetudinem, difficultatem itineris, breuitatem temporis, præsentiam aliorum, vrgentia negotia, & similes causas sine graui incommodo hîc & nunc eum non potest adire. 23

Quantum cōfessarius debeat distare vt censeatur abesse.

Nota Tertiò, Trident. sess. 13. c. 7. præcipere sacerdoti, qui ob inopiam confessarij vrgente necessitate, omissa peccati mortalis confessione celebrauit; vt prima data occasione confiteatur. quod non est præceptum diuinum, aut naturæ, vt aliqui putant, quia hoc nullo fundamento nititur: sed ipsius Concilij. Quare cùm expressè ad solos sacerdotes dirigatur, non est ad laicos extendendum. 24

Trident. Celebrans non præmissa confessione tenetur prima commoditate confiteri;

Quod autem aliqui dicunt, Concilium si interrogatum fuisset, an laicos comprehendere intenderet, responsurum affirmatiuè; gratis fingitur: imò contrà contextum Concilij, quod cùm antè generatim dixisset, omnes conscios peccari mortalis teneri præmittere confessionem; non est credendum temerè speciatim solis sacerdotibus præcepisse, vt in necessitate aliter communicantes, statim postea confiterentur. Cuius etiam ratio videtur esse, quòd sacerdotibus sæpiùs possit occurrere talis necessitas. Quare tale præceptum videtur necessarium ne negligentes sint in ea vitanda, aut sibi persuadeant eam adesse, quando non est, vt euitent confessionis molestiam: rarissimè autem occurrit laicis. Quare Suarez disp. 66. sect. 7. probabiliter docet, hoc præcepto non teneri celebrantem extra necessitatem in peccato mortali, aut quia id omnino est oblitus: aut quia non curat legem. Tum quia neuter propriè comprehenditur verbis legis: tum etiam quia ratio legis in his deficit. Primus enim, qui scilicet immemor sui peccati celebrauit, non communicauit cum conscientia peccati mortalis, nec in eiusmodi casibus periculum est ne quis sibi fingat necessitatem celebrandi, aut eam negligenter euitet, cùm omnino sit ad celebrationem impertinens. Secundus autem non celebrauit vrgente necessitate: nec tale præceptum ei valeret ad cautelam, sed ad maius peccatum, cùm eadem licentia hoc qua præcedens transgrederetur. Quare Concilium videtur sponte hos casus omisisse. *Suarez.* 25

ARTICVLVS V.

Vtrùm accedere ad hoc Sacramentum cum conſcientia peccati mortalis, grauiſſimum omnium peccatorum ſit?

26 ARTIC. V. docet, eſſe valdè graue peccatum ſuſcipere hoc Sacramentum indignè, non tamen eſſe omnium grauiſſimum. quia odium Dei, blaſphemia, infidelitas, &c. ſunt grauiora. Vide textum, nulla enim hîc eſt difficultas.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ſacerdos debeat negare corpus Chriſti peccatori petenti?

27 ARTIC. VI. docet Primò, publico peccatori etiam publicè petenti negandum eſſe hoc Sacramentum. Patet, quia cùm ſacerdotes ſint diſpenſatores myſteriorum Dei debent ea dignè miniſtrare, nec proiicere ſanctum canibus, immundis nimirum & peccatoribus vt dicitur Matth. 7. Vide D. Cyprianum epiſt. 10. 11. & 12. vbi grauiter reprehendit miniſtrantes indignis Sacramenta. Pulcherrimus autem locus eſt quem citat D. Thom. in corpore.

Matth. 7.
D. Cyprian.
D. Thom.

Publico peccatori ante publicam pœnitentiam neganda communio.

Nota Primò, vt publico peccatori poſſit publicè dari communio, neceſſarium eſſe vt publicè conſtet eum eſſe emendatum. Vt autem priuatim ei dari poſſit, ſufficit quòd priuatim egerit pœnitentiam, & hoc ſacerdoti conſtet. Canendum tamen, ne publico peccatori poſt occultè actam pœnitentiam, ita priuatim detur communio, vt periculum ſit ne ſtatim fiat publicum eum communicaſſe (quia hæc communio æquiualeret publicæ) niſi ſimul fiat publica eius pœnitentia. Et hæc quidem certa ſunt; difficultas eſt tamen quando aliquid dicatur publicum. Qua de re multi varia ſatis confusè aſſerunt, ſed hac in re cum diſtinctione loquendum eſt, vt benè notauit P. Leonard. de Iuſtitia c. 2. dub. 13. & Suarez ſtatim citandus.

P. Leonard. Suarez.

28 Nota igitur Secundò, publicum dici peccatorem dupliciter. Primò abſolutè, cuius ſcilicet peccata maiori parti ciuitatis nota ſunt: & tali in ea ciuitate negandum eſt Sacramentum etiam coram iis qui eius crimen ignorant. Quia talis in eo loco eſt abſolutè diffamatus, ac famam amiſit. quare nullum habet ampliùs ius, vt ſuum peccatum ibi celetur, & quòd vnus atq; alter illud de nouo cognoſcat, parui momenti eſt.

Quis dicatur publicus peccator.

Imò ſi per ſententiam iudicis eius crimen notum ſit, etiam eo loco neganda eſt ei communio, vbi illud ignoratur, ſi conſtet ſacerdoti eum in peccato perſiſtere, & ſine turba id facere poſſit. quia talis omne ius ad famam amiſit: & conſequenter non habet ampliùs ius ne ei etiam publicè negetur Sacramentum. Ita Suarez diſp. 67. ſect. 5. concl. 3. Idem videtur dicendum quando notorietate facti crimen eſt omnino alicubi publicum, etiam reſpectu loci vbi quidem nondum eſt publicum, ſed breui futurum eſt. Quia tunc eius crimen ibi narrare, ne quidem eſt contra charitatem, ſi aliqua cauſa ſubſit: vt docet P. Leonard. ſuprà.

Suarez.
P. Leonard.

29 Secundò, illud crimen dicitur reſpectiuè publicum, quod eſt præſentibus omnibus notum, vel ſaltem maiori parti, ſi plures ſint quàm 10. Et coram his eiuſmodi peccatori neganda eſt communio, non coram aliis. Similitérque danda eſt communio priuatim pœnitenti, coram iis, quibus nota eſt eius pœnitentia.

30 Docet Secundò, peccatori occulto non eſſe negandam communionem coram iis, quibus ignotum eſt eius peccatum. Eſt communis ſententia DD. & apertè habetur c. *Placuit.* 6. q. 2. Sed multi laborant in eius probatione, quòd eam ex ſolo iure naturali petant. Tres autem præcipuæ rationes adferuntur. Prima eſt, quia quilibet baptizatus habet ius vt detur ei communio præſertim reſpectu Paſtoris ſui, quo non debet priuari ob ſuum peccatum quandiu occultum eſt. Secunda, quia occultus peccator habet ius ne diffametur: diffamaretur autem, ſi negaretur ei publicè communio. Tertia, quia alioqui ſequeretur ſcandalũ.

Quãdo occulto peccatori neganda ſit communio.

Sed hæ rationes meo iudicio non ſatis probant. 31
Nam Prima & Secunda generatim intellectæ ſumunt apertè falſum. Nemo enim habet ius petendi vt aliquid faciam, aut vt celem ipſius peccatum, quãdo non poſſum id facere ſine manifeſta ac graui iniuria innocentis. Hinc poſſum alterius occultum crimen detegere, aut rem ſuam repetenti, eam negare, quando hoc eſt neceſſarium vt grauem iniuriam alicuius innocentis impediam: atqui talis peccator ante emendationem non poteſt cõmunicare ſinè graui iniuria ipſius Sacramenti, atq; adeò ipſius Chriſti. vt patet ex dictis art. 4. & 5. ergo non habet ius vt dem ei communionem, aut ne hanc negando eum infamem. Ad Tertiam Reſpon. per ſe loquendo ex illa negatione nihil aliud natum eſſe ſequi, quàm quòd homines ſuſpicabuntur talem eſſe in peccato mortali, in quo nullum eſt ſcandalum, ſed ſolùm diffamatio alterius. Quòd ſi quandoque ob imprudentiam aut malitiam aliorum ſecuturæ ſunt aliquæ turbationes, hoc eſt per accidens, nec perpetuũ. Quare tunc ſaltem licebit tali publicè negare communionem, quando ille turbæ ſciuntur nõ ſecuturæ. quòd ſæpè fieri poterit quando Parochus eſt magnæ auctoritatis apud ſuos, & prudẽter rẽ totã peragit, reddẽdo, ſi opus, ſit, probabilẽ ſui facti rationem.

Nõ teneor celare vtius peccatum eum alterius iniuria.

Addunt alij Quartam rationem. quia nimirum pertinet ad bonam gubernationem Reip. vt publicus bonorum communium diſpenſator in iis diſpenſandis non vtatur ſcientia priuata, ſed publica: atqui talis diſpenſator eſt miniſter Sacramenti: ergo debet hoc publicè ſaltem miniſtrare ex ſola publica ſcientia. 32

Sed contrà. Primò hinc ſequeretur, occulto peccatori ne quidem occultè poſſe negari communionem: quod tamen illi negant. Quòd autem diſpenſatio fiat publicè aut priuatim, nihil facit ad rem, modò ſit diſpenſatio publici boni, & fiat à publico diſpenſatore, quà talis eſt, vt hîc ſit. Secundò, quia ſequeretur, quòd talis diſtributor teneretur publica bona etiam diſtribuere in eum quem priuata ſcientia ſciret iis vſurum in perniciem Reip. quod tamen ſpectato ſolo iure naturæ falſum eſt. Tertiò, qui confert Ordines non minùs diſtribuit bona publica, quàm qui miniſtrat hoc Sacramentum: atqui Epiſcopus ſeruato priùs quantum fieri poſſet ordine correptionis fraternæ, etiam publicè deberet repellere à ſuſcipiendis Ordinibus eum quem priuatim nollet omnino eſſe indignum, præſertim quando hoc poſſet per vnum aut alterum teſtem probare: ergo ſimiliter ſpectato iure naturæ, ſacerdos tenebitur repellere à communione etiã publicè peteṫẽ, quẽ ita priuatim nouit indignum, vt poſſit hoc per vnum aut alterum teſtem probare.

Ex quibus patet, etſi dictæ rationes poſſint ſufficere, vt talis obligatio iure poſitiuo inducatur; nõ tamen ſufficere vt ſolo iure naturæ eam inducant. Quare Reſpondeo, toram rationem cur non liceat occultum peccatorem publicè à communione repellere, eſſe voluntatem ac legem Chriſti, qui hoc ita ſtatuit: vt ſatis cognoſcimus tum ex ipſius facto, qui Iudæ etiam communionem tribuit: tum ex perpetuo Eccleſiæ vſu. Conuenientia huius inſtitutionis eſt. quia aliàs grauiſſima fuiſſent ſæpè ſecuta incommoda. Primò, quòd multi iniuſtè fuiſſent diffamati ex imprudentia miniſtrorum, qui ſæpè nimis leuiter iudicaſſent aliquem indignum hoc Sacramento. Secundò, ſæpè ſequeretur magna perturbatio: quia aſtantes facilè ſæpè ſibi perſuaderent per iniuriam aliquem repelli, qui ſoli miniſtro, aut paucis aliis notus eſſet indignus. 33

Ratio cur occulto peccatori non ſit publicè negãda communio.

Tertiò, *si* minister deberet probare indignitatem repulsi, hoc ei esset grauissimum onus, cùm sæpè postea difficillimè id facere posset, quòd vel sibi soli esset repellendi indignitas nota; vel quòd ipse ignoraret quibus esset nota; vel quòd alij nollent contra repulsum testari, quòd petens aut eorum amicus esset, aut sacerdos ipsis inimicus. Quòd si verò non deberet probare repulsi indignitatem, sed omnes tenerentur ei credere; tunc nimia ei daretur licentia quosuis infamandi. Demum quia ferè ad singulos sese offerentes minister hæreret perplexus ne peccaret, aut indignum admittendo, aut dignum repellendo, aut alterutrum ipsum fecisse alij facilè calumniarentur.

34 Quæ etsi non conuincant, spectato solo iure naturæ, sacerdotem nunquam debere publicè repellere quem priuatim nouit indignum (posset enim sæpè occurrere casus quò omnia hæc incommoda euitarentur: nec aliquid iure naturæ est illicitum, quia sæpè ex eo sequuntur incommoda, modò certum sit hic & nunc non secutura:) tamen conuincunt omnino decuisse Christum Sacramentum pacis ita instituere, vt ex eius administratione non esset nata sæpè sequi turbatio: & consequenter generatim velle ne eiusmodi petenti publicè communio negaretur. Etsi enim Christus ne petens infamaretur, non magis renebatur ferre iniuriam quæ Sacramento irrogatur, dum datur indigno, quàm teneatur pari vt quis ad aliqua vitanda incommoda hoc Sacramentum proiiciat in lutum; tamen ob dicta conueniebat vt illam iniuriam vellet ferre: & consequenter vt statueret ne ille actus ex parte sacerdotis esset sibi iniuriosus, quem fieri circa se vellet.

35 Dubitant verò hic DD. Vtrum quando peccator occultus occultè *petit communionem*, debeat ei denegari?

D. Thom. D. Thomas in 4.d.9.a.5.ad 1.absolutè docet ei esse negandam, etsi sacerdos crimen sciat per solam confessionem, modò possit hoc ita fieri, vt nulli alteri crimen reueletur. quem ferè communiter Thomistæ & plurimi alij sequuntur. Contrà Sotus in 4.d. 12. q. 1. ar. 6. absolutè docet, tali dandam esse communionem, etsi sine vlla reuelatione criminis ei possit negari, præsertim quando petit communionem à suo Pastore. Rario eius est Primò, quia putat eam esse sententiam D. Thomæ hîc. Secundò, quia talis habet ius petendi, quo sine publica scientia non potest priuari. Sed hæ rationes nihil probant. Ad Primam nego esse sententiam D. Thomæ. nam huius casus hîc non facit mentionem: nec credendum est eum mutasse sententiam, quam tenuit in 4. nisi hoc apertè ex verbis eius constet. Ad Secundam, nego talem habere ius petendi, vt patet ex dictis.

Thomistæ. Sotus.

D. Thom.

Alij verò mediam sententiam tenent; scilicet tali negandam esse communionem, si sacerdos eius crimen nouerit extra confessionem: secùs esse, si illud solùm nouerit in confessione. Ita Gabriel in 4.d. 9. q.2.a.3.dub.1. Paludanus ibidem, q.2.concl.3. & Nauar.c.21.num.55. Ratio secundæ partis est, quia tunc negare communionem *esset ipso facto* ei quodammodo exprobrare audita in confessione; quod est illicitum.

Gabriel. Pal.dan. Nauar.

36 Resp. Primò, quando occultum crimen petentis communionem sacerdos, siue Pastor sit, siue non, si extra confessionem, tenetur ei occultè negare communionem. Ratio est, quia, cùm, vt ostendi, talis nullum habeat ius petendi communionem, & cessent omnia incommoda, quæ possent sequi ex publica negatione, nulla est ratio, cur cum tanta Sacramenti iniuria ei detur communio. Quare hîc ministrum obligat illud præceptum Christi, ne detur sanctum canibus.

Qui extra confessionē nouit alterius crimē, negare ei occultè communionē.

37 Respondeo Secundò, quando sacerdos cognouit indignitatem petentis solùm ex confessione, non posset ei etiam occultissimè petenti ita negare communionem, vt expressè significet se eam negare ob peccatum in confessione cognitum. Quia hoc esset ei apertè exprobrare tale peccatum: quod omnino illicitum est. Et in hoc casu ferè loquuntur auctores citati pro tertia sententia: nec credo hoc vllum negaturum.

Secùs est de eo qui id ex confessione nouit.

Quòd si tamen posset eam negare adferendo aliquam aliam probabilem occasionem, non est improbabile eum debere eam negare: modò tamen hoc ita possit fieri, vt nulla vnquam alicui (saltem præter eum qui petit communionem) vel leuis inde oriatur suspicio, quòd tali negata sit communio ob aliquod crimen occultum. Quia si esset vllum vel leue periculum, ne aliqui possent hoc suspicari, certum est nullo modo posse ei negari communionem. quia aliàs reuelaretur confessio. Quare quoties esset periculum ne alij rescirent tali negatam esse communionem, cùm tunc etiam sit periculum ne putent ei negatam esse ob eius indignitatem; nullo modo licebit eam negare. Quare cum sæpissimè tale aliquod periculum sit, rarò occurret casus, quo negari poterit. Quòd si tamen occurrat, propter multorum Doctorum auctoritatem non est improbabile debere negari.

38 Resp. Tertiò, multò tamen probabilius est, nos nullo vnquam casu posse alicui negare absolutè communionem ob aliquod crimen sola confessione cognitum. Primò, *quia* semper est virtualis aliqua exprobratio illius criminis. Quia etsi aliæ causæ prætexantur, saltem ipse qui petit communionem facilè aduertet eam sibi negari ob peccatum expressum in confessione. Secundò & præcipuè, quia sicut datio communionis est propriè actus Pastoris, & pertinens ad regimen; ideóque non potest fieri, nisi à proprio Pastore, vel cum eius licentia: ita etiam negatio communionis est actus pertinens ad regimen. Vt autem fusè ostendemus in materia de sigillo confessionis; nullo modo licet vti scientia habita ex confessione in ordine ad regimen confitentis eo inuito.

39 Docet Tertiò, D. Thom. in respons. ad 3. graviter publicè suspecto de crimine esse etiam negandam communionem. Quod intellige de suspicione quam violentam vocant, quæ moralem quandam certitudinem inducit, ideóque ferè æquiparatur certæ cognitioni. Secùs est de leuioribus suspicionibus. quia hæ non sufficiunt ad tam grauem infamiam petenti inferendam, cùm fortè innocens sit.

D. Thom. Suspecto neganda communio.

Vbi Nota, fuisse olim quibusdam locis consuetudinem dandi Eucharistiam suspectis. Primò ad quandam probationem; sicut solebant etiam probari igne candenti, & si cuadebant illæsi, habebantur innoxij; & contrà putabantur esse noxij, si aliquid mali patiebantur. Et sic intellexit D. Thomas Capitula quæ citat in 3. argumento: meritóque hoc damnat, quia omnino superstitiosum est. Secundò dabatur suspectis, vt eam recipiendo testarentur suam innocentiam, sicut solemus iam eam testari iuramento. erat enim illud grauissimum quoddam iurandi genus. Et si potiùs videntur illa Capitula intelligenda. Quod nec ita damnandum est, quasi nullo vnquam casu liceret. Nouimus enim Gregorium VII. hoc modo Henrico IV. Imp. suam innocentiam probasse, &c vt idem faceret eam imitasse.

Suspectis dabatur olim communio in probationem. D. Thom.

Gregor. VII.

Nec rursum ita probandum est, vt extra grauissimos ac rarissimos casus vsurpetur. Quare meritò vsus eiusmodi probationes abolcuit.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Vtrùm nocturna pollutio aliquem impediat à sumptione huius Sacramenti?

40 AR T. 7. variè disputat, quando pollutio nocturna impediat communionem. Qua de re varij variè loquuntur, idque maximè propter dicta quædam antiquorum Patrum, qui videntur dicere, passum pollutionem debere à communione abstinere. Sed non loquuntur de stricta illa obligatione, sed de quadam decentia. Vt autem rem omnem breuiter explicemus.

41 Pollutio dupliciter contingit. Nota Primò, dupliciter eiusmodi pollutionem posse contingere. Primò, cum peccato mortali, & certum est tunc impedire communionem, donec ipsum peccatum per legitimam pœnitentiam sit remissum, iuxta dicta a. 4.

Secundò, potest contingere vel sine peccato patientis: vt quando omnino inuito accidit. vel cum solo peccato veniali: vt quando eam patiens leui aliqua sua culpa dedit ei aliquam causam. Et tunc docet D. Thomas, & communiter etiam Doctores, non quidem ex necessitate, sed tamen ex quadam decentia abstinendum esse à communione; & esse quandoque peccatum veniale tunc communicare. *D. Thom.*

42 Quando impediat communionem. Pro quo Nota Secundò, vtramque pollutionem posse rursus dupliciter contingere. Primò, ita vt secundùm se transacta relinquat aliquos effectus in homine, scilicet vel commotionem carnis, vel euagationem mentis circa huiusmodi res. Et tunc omnino consulendum est, vt eam passus abstineat à communione, quàm diu hic effectus durat. Esset enim quædam indecentia ita ad fontem omnis puritatis accedere; & peccatum veniale, si communicans esset negligens in ea passione repellenda. Quòd si tamen rationabilis causa exigeret communionem, non esset curanda talis commotio, modò eam patiens quantum posset repelleret, seque ad deuotionem excitaret. Quod maximè locum habet, quando dæmon crederetur eam excitasse, vt hominem à communione auerteret. Tunc autem nulla ratione esset omittenda communio: vt D. Thomas hîc docet. *D. Thom.*

Secundò, potest quis passus esse pollutionem ita vt iam nullum omnino eius effectum sentiat. Et tunc nulla ratione impedit communionem, quia habet se eodem modo ac si non fuisset. Quod etiam verum est quando accidit cum peccato mortali, modò præcesserit legitima pœnitentia & confessio secundum dicta suprà. Quamuis in hoc casu eiusmodi homini suadendum esset, vt ex humilitate sibi vt indigno communione interdiceret, & hoc ei confessarius consulrò pro pœnitentia iniungeret: nisi rationabilis causa aliud suaderet. Ita Suarez disp. 68. sect. 2. *Suarez.*

43 Alia peccata confessione delata non impediunt communionem. Hinc sequitur Primò, alia peccata mortalia post legitimam pœnitentiam & confessionem nulla ratione impedire, quin quis statim postea communicet. quia non relinquunt eiusmodi effectus in animo verè pœnitentis. Tamen ratione scandali, præsertim quando quis sæpè & publicè in eiusmodi peccata incideret, abstinendum esset à communione; donec aliquo tempore se emendasset, ne videretur aut peccata, aut communionem contemnere. Et confessarius deberet tali, quando commodè fieri posset, communionem prohibere, vt hoc modo excitaret eum ad eiusmodi peccatum vitandum: præsertim cùm, quando sæpiùs quis post confessionem & communionem in eadem peccata relabitur, meritò sit timendum, ne non habeat verum & sufficientem dolorem de peccatis. Nam si verè ea detestaretur, maiorem sibi vim inferret ad ea euitanda. Quare sæpè erit necessarium eum à communione prohibere, vt hoc modo meliùs sui peccati grauitatem cognoscat, illáque caueat.

Sæpiùs in peccata mortalia labentes expedit quandoque à communione à confessario prohiberi.

Sequitur Secundò, copulam inter coniuges noctu habitam nunquam absolutè impedire quo minùs sequenti die possint communicare. imò nullo modo impedire, quando nullus eius remanet effectus. Eadem enim est huius ratio, atque inuoluntariæ pollutionis, cùm vel non sit peccatum, vel tantùm veniale. 44 An copula coniugalis eam impediat.

Sequitur Tertiò, coniuges nocte præcedente communionem nullo modo peccare reddendo debitum aut etiam petendo, si rationabilis causa id exigat, v. c. vt alterius grauis tentatio superetur, vel si ob singularem corporis dispositionem sperent tunc potiùs quàm aliàs concipiendam prolem, & eam solam intendant. quia tunc actus nullo modo est malus; nec vlla ratione communionem impediet, si nullus eius effectus permaneat. Quòd si aliquis effectus permaneat, prudentis confessarij erit videre an expediat differre communionem. Reddens coniugi debitum ante communionem non peccat.

Sequitur Quartò, eum qui solùm voluptatis causa tunc debitum petit, peccare venialiter. Tum quia indecens est tali tempore eiusmodi voluptati indulgere: tum quia ad communionem maxima requiritur deuotio, & puritas affectus, quam talis voluptas funditus euertit, & ad omnem pietatem hominem reddit inhabilem. Quare talibus communiter suadendum, vt tunc communionem differant. quia sæpè ad hoc sub veniali tenentur. Nisi fortè magna deuotio præcritam culpam abstergat. Vide Suarez suprà, & Sanchez lib. 9. de matrimonio disp. 13. 45 Secùs est de eo qui solius voluptatis causa debitum petit. *Suarez. Sanchez.*

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm cibus, vel potus præsumptus impediat sumptionem huius Sacramenti?

46 AR T. 8. docet, solis iis licere communicare, qui ita ieiuni sunt, vt post mediam noctem nihil omnino per modum cibi vel potus sumpserint. Prob. ex vniuersali Ecclesiæ consuetudine ab ipsis Apostolis introducta in reuerentiam illius Sacramenti. Fuit quidem olim, vt patet ex Carthagin. 3. cap. 29. quibusdam locis licitum feria quinta hebdomadæ maioris, ad imitationem Christi, post sumptum cibum communicare: sed hæc consuetudo nunquam fuit vniuersalis, & iam omnino abrogata est. *Carthag. 3.*

Et hæc quidem conclusio est omnino certa apud omnes Catholicos, nec vllam habet difficultatem. Quod autem quidam hæretici nobis obiiciunt exemplum Christi, qui vesperi hoc Sacramentum instituit, nihil facit ad rem. quia hoc præceptum non est iuris naturæ aut diuini, sed ab Ecclesia à temporibus Apostolorum introductum, quæ ob reuerentiam huius Sacramenti hoc iustè præcepit.

47 Quis dicatur aliquid sumpsisse per modũ cibi. Difficultas autem aliqua est, quis dicatur sumpsisse aliquid per modum cibi. Nota Primò, per modum cibi aut potus dici sumi id quod ab extrinseco ori impositum per se sumitur, etiamsi medicinæ causa sumatur. Hinc saliua, vel alij humores, aut etiam sanguis ex capite aut gingiua in os defluentes, etsi deglutiantur, non sumuntur per modum cibi vel potus, quare nec communionem impediunt.

Idem dicendum de reliquiis ciborum præcedentis diei, quæ hærent inter dentes, quæ etsi deglutiantur, non impediunt communionem. quia pertinent potiùs ad manducationem præcedentis diei quàm præsentis. Quia cùm hodie nullo modo ab extrinseco ori imponantur, non sumuntur iam per modum cibi, sed per modum saliuæ. Ita Suarez disp. 68. sect. 4. *Suarez.*

Decèt tamen omnino eiusmodi res omnes exspuere, quantum commodè fieri potest.

48 Idem secundùm communem sententiam dicendum, quando quis abluens os, aut gustandi causa aliquem humorem ori imponens, quem statim exspuit, parum aliquid per imprudentiam deglutit, quia hoc non per se, sed per modum saliuæ, cui permiscetur, sumitur. Secùs esset si quis tale quid in notabili quantitate etiam contra mentem sumeret. quia tunc non posset dici sumi per modum saliuæ, tanquam quid vnum cum ea.

An aromata ori imposita cõmunionem impediant.

Licet item aromata ori imponere ante communionem ad vitandum noxium aërem, eáque etiam dentibus conterere, modò nihil deglutias. Secus est de saccaro & similibus quæ liquescunt: quia vix caueri potest, quin hæc deglutiantur, & frangant ieiunium. Quòd si tamen nihil deglutiretur, non impedirent; sed hoc difficile cauetur, nisi statim exspuantur, antequam saliua deglutiatur. Hinc patet eos, qui vt leniant raucedinem faucium, aut pectoris, vesperi incumbentes saccarum, aut similem materiam ori imponunt, quam paulatim liquefactam deglutiunt, non posse sequenti die communicare, *nisi moraliter certi sint*, se nihil ex ea materia post mediam noctem deglutiuisse. quia aliàs verè non esset ieiuni.

49 Dices, Etsi aliquid deglutiant post mediam noctem, id solùm se habebit per modum reliquiarum præcedentis diei, & consequenter non impediet communionem.

Respondeo, negando assumptum. Nam cùm illa materia ori imponatur vt paulatim deglutiatur, ex intentione sumentis tam diu durat eiusdem comestio, donec *ipse* totam deglutiuerit: sicut si paulò ante duodecimam noctis imponerem alios cibos ori, *eósque donec duodecima esset audita, manderem*, & tunc eos deglutirem; nullo modo possem eo die communicare. Secùs est de reliquiis cœnæ diei præcedentis hærentibus inter dentes. quia secundùm communem hominum sensum, & intentionem sumentis illa comestio fuit omnino absoluta ante mediam noctem; & particulæ hærentes inter dentes censentur iam comestæ *esse*. Hæc autem res moralis secundùm morale iudicium æstimanda est.

50 Nõ ieiunus licitè communicat. Primò in periculo mortis.

Nota Secundò, varios esse casus in quibus licet non ieiuno communicare, quos mox recensebimus. Primus est, quando quis est in præsenti periculo mortis, sine id fiat ratione morbi, sine quòd supplicio afficiendus sit. Tunc enim potest communicare non ieiunus, & quocumque diei tempore, si sit ante sequentem diem moriturus. Patet ex vsu Ecclesiæ. & ratio est, Primò, quia saltem valde probabile est, talem tunc teneri ex præcepto diuino communicare, quod maioris momenti est, quàm præceptum Ecclesiæ prohibens *non ieiunum communicare*. Secundò, quia cùm communio tali homini sit tunc valdè vtilis, & quodammodo necessaria, vt in extrema illa lucta tanto præsidio confortetur & roboretur, noluit eum Ecclesia suo præcepto tanto bono priuare.

51 Moribundus vtcunque cõmunicet, non tenetur omnium cõmunionem aut cibum differre, aut curare vt illa intempesta nocte ad se deferatur.

Quòd si tamen afficiendus supplicio præsciuerit se eo die moriturum, tenetur ieiunare donec communicarit: quia commodè potest. Similiter ægrotus quando commodè potest, debet dare operam vt ieiunus communicet. Non tamen ideo tenetur communionem differre vsque in sequentem diem cum periculo ne prius moriatur, aut ita morbo opprimatur, vt non possit postea integris sensibus communicare. Quia magis pertinet ad reuerentiam Sacramenti, vt quis communicet integris sensibus quàm vt ieiunus. Similiter vt ieiunus communicet, non tenetur cum notabili incommodo aut sumptionem cibi vel medicinæ diutiùs differre, aut etiam intempesta nocte curare ad se adferri Sacramentum, cùm sine magno incommodo communiter fieri nequeat, vt notauit P. Suarez disput. 68. sect. 5. Et patet ex praxi Ecclesiæ, quæ vt pia mater cupit in ea necessitate constitutis quacumque ratione subuenire, eorúmque difficultates leuare. Et hoc etiam ad ipsius Sacramenti reuerentiam spectat, quod de die maiore veneratione defertur ad ægros quàm intempesta nocte. Et in his quidem satis conuenit inter Doctores; dubitat tamen. *Suarez.*

52 Aliquando sæpiùs in eodẽ morbo, non ieiuno licet communicare.

Primò, Vtrùm in eadem ægritudine liceat alicui sæpiùs non ieiuno communicare? Qua in re certum est Primò, non licere, nisi sæpiùs occurrat eum esse in præsenti mortis periculo. quod iudicio medici, aut alterius *personæ intelligentis* discernendum est. Secundò, quando quis sæpè ex aliquo morbo ferè totus conualuit, & postea ex eodem iterum in periculum mortis incidit; valdè probabile est sæpiùs posse hoc modo per modum viatici communicare non ieiunum, instante præsenti mortis periculo. quia tunc sunt quasi diuersi morbi.

53 Tabiena, Armilla, Suarez.

Sed difficultas est quando perseuerante eodem morbo æger sæpiùs incidit in præsens periculum vitæ. Quia cùm tunc non obligetur nisi semel communicare per modum viatici, videtur cessare necessitas communicandi non ieiunum. Sed satis probabile est *etiam eo casu posse sæpiùs ita communicare*, quando eiusmodi pericula incidunt post interuallum aliquot dierum. Ita Emmanuel Sà v. *Eucharistia*. n. 5. Tabiena v. *Communio*. vers. 48. Armilla vers. 18. & Suarez suprà. Ratio est, quia non solùm tunc permittitur *non ieiuno* communio vt possit implere præceptum diuinum, sed etiam quia moriturus valdè indiget illius Sacramenti præsidio, idque sæpiùs, quando post aliquot dierum interuallum in periculum mortis incidit, cuius necessitati pia mater Ecclesia cupit omnibus modis occurrere.

54 Maior. Suarez.

Dubitatur Secundò, Vtrùm, quando deest hostia quæ morituro detur, ne cogatur *tunc* viatico decedere, possit sacerdos non ieiunus celebrare? Maior apud Suarem hìc disput. 68. sect. 5. putat tunc sacerdotem posse sine vlla alia cæremonia accipere panem, eúmque secretò consecrare, ac ægroto porrigere. Sed hoc apud eum reperire non potui, & *sine* vlla probabilitate contra communem omnium aliorum sententiam dicitur. Quare omissa hac opinione quæritur, Vtrùm sacerdos non ieiunus possit tunc celebrare legitimo ritu Sacrum, in quo, vt dicemus infrà, in quouis casu necessariò ei communicandum est.

55

Videtur enim id posse facere. Primò, quia moriturus tenetur ex præcepto diuino communicare: ergo vt hoc possit impleri, non videtur curandum præceptum Ecclesiæ, quo communio non ieiuno prohibetur. Secundò, quia præcepta positiua præsertim humana non videntur obligare cum notabili proximi *incommodo: atqui* eo casu præceptum Ecclesiæ non potest obseruari sine graui incommodo: ergo non obligat. Et confirm. quia ne proximus decedat sine viatico, potest conscius sibi peccati mortalis modò sit contritus celebrare non præmissa confessione: ergo poterit etiam celebrare non ieiunus. Quia cùm sit probabile illud verari præcepto diuino, videtur magis obligare quàm hoc, quod tantùm veratur præcepto Ecclesiastico. Tertiò, quia aliàs posset sæpè oriri scandalum, & grauis tum ægri, tum amicorum ipsius perturbatio.

56 Defectus viatici non est sufficiẽs causa vt quis nõ ieiunus celebret.

Contrà tamen facit, quòd communiter Doctores negent licere eo casu non ieiuno celebrare. Et hoc, nisi aliàs graue scandalum oriretur, omnino dicendum est. Probatur, quia Ecclesia meritò potuit velle suum præceptum quo prohibet ne non ieiunus celebret, etiam eo casu obligare: &, vt patet ex communi Doctorum sensu & praxi, voluit illud eo casu obligare: ergo verè obligat.

Maior

Maiòr patet. Tum quia, vt patebit ex solutione contrariarum rationum, nulla est ratio cur id non possit meritò velle: tum etiam quia aliàs maxima inconuenientia possent accidere, si sacerdos benè pransus aut etiam cœnatus eructans crapulam deberet à conuiuio, aut etiam ex lecto currere ad altare ad celebrandum. quod sine magna Sacramenti irreuerentia non fieret.

57 Ad Primum nego consequ. quia æger eo casu ob impossibilitatem omnino excusatur ab obseruatione præcepti communionis. Nec expedit Ecclesiam generalem suam consuetudinem immutare, vt talis possit seruare diuinum præceptum, præsertim cùm grauia inde possent sequi incommoda, vt patet ex dictis.

Non possim violare præceptum Ecclesiæ vt alius possit seruare diuinum.

Nec sacerdos potest violare præceptum Ecclesiæ, vt alter possit seruare diuinum. Secùs est quando vtrumque præceptum in eundem concurrit: tunc enim qui nequit vtrumque simul obseruare, tenetur potiùs obseruare diuinum quàm Ecclesiasticum, nisi aliud sequatur incommodum. Res clariùs patebit exemplo. Ponamus (vt communior docet sententia) conscium sibi peccati mortalis etiam contritum præcepto diuino prohiberi priùs communicare quàm fuerit confessus. Talis potiùs tenebitur non audire Sacrum die Dominico, quàm celebrare non præmissa confessione: quòd si tamen ego scirem talem hîc & nunc teneri celebrare, nec habere cui possit confiteri, ego non possem omittere die Dominico auditionem Sacri vt ipsius confessionem audirem, quando non possem vtrumque facere. Imò etiam eo die quo non teneor celebrare, non teneret omittere Sacrum, vt possem illius confessionem audire. quando nullum aliud esset incommodum, quàm quòd ille iam contritus non præmissa confessione celebraret. Quare cùm præceptum communionis hîc & nunc non obliget sacerdotem, sed solùm moriturum; ille non potest violare præceptum Ecclesiæ, vt hîc possit diuinum obseruare.

58 Dices, hæc tantùm esse vera quando sacerdos non est Pastor morituri. Secus autem esse quando est Pastor. quia ex officio tenetur morituro dare communionem.

Respondeo, ad hoc non teneri quocumque casu, sed quando sine magno incommodo fieri potest. Maius autem est incommodum violari generalem Ecclesiæ consuetudinem tam strictè obligantem, & quam, vt ostendi, Ecclesia meritò etiam eo casu vult obligare, quàm alicui reddi impossibilem obseruationem diuini præcepti. Et confirm. quia aliàs sequeretur, quòd Pastor tali casu teneretur celebrare etiam super communem mensam, & sine vestibus sacris, aut alio apparatu sacro, quando aliàs esset necesse aliquem mori sine communione. Quia hæc solo iure humano adhibenda sunt. Illud tamen per se primò apparet absurdum.

59 Ad Secundum, nego maiorem esse vniuersaliter veram. nam vigiles tenentur seruare suam stationem etiam cum periculo mortis. Et in præsenti materia sacerdos nullo modo posset dicere Sacrum sine vestibus sacris, alióve sacro apparatu, etsi aliàs aliquis sine viatico deberet mori.

Ad confirmationem, nego consequ. Quia praxis Ecclesiæ, & etiam definitio Concilij Trident. sess. 13. cap. 7. apertè declarant occurrente notabili aliqua necessitate celebrandi, non obligare præceptum præmittendi confessionem, si confessarius haberi nequit. quod sufficit, vt sciamus hoc præceptum cum tali moderatione latum esse, siue humanum sit, siue diuinum. Secùs est de præcepto non celebrandi non ieiunum. Quia praxis & Doctorum auctoritas satis docent, Ecclesiam velle suum præceptum etiam in simili necessitate obligare. quod, vt ostendi suprà, meritò

Trident.

potuit velle. Et hoc sufficit ad solutionem argumenti, etiamsi non possemus vllam dare rationem, cur leges hæ cum talibus conditionibus latæ sint. quamuis etiam hæc non desit. Nam cùm sæpiùs possit contingere necessitas vt conscius sibi peccati mortalis debeat celebrare non præmissa confessione, si id non licuisset, grauia fuissent sæpè orta incommoda. Cùm verò semper Parochi debeant seruare pro infirmis Vener. Sacramentum, rarissimè potest contingere vt sit necessitas, vt non ieiunus celebret, ne alius sine viatico discedat. rarissimos autem casus legislator non curat. Adde, eiusmodi celebrationem futuram sæpè cum magna irreuerentia ipsius Sacramenti, si post laurum prandium, vel cœnam fieret. Quòd autem quis contritus celebret non præmissa confessione, per se loquendo non infert vllam irreuerentiam Sacramento. 60

Cur tam strictè prohibeamur nō ieiuni cōmunicare.

Ad Tertium, Nauar. c. 21. num. 53. putat ne quidem ad vitandum scandalum posse quem eo casu non ieiunum celebrare. Sed contrarium cum aliis est dicendum, quando verum scandalum timeretur; vt si parochiani grauiter essent perturbandi & exacerbandi contra Parochum. Tunc enim deberet celebrare si sine vllo scandalo hoc facere posset. quia tenemur iure naturæ euitare scandalum. Sed hoc scandalum communiter alia ratione commodè potest euitari, si sacerdos doceat se non esse ieiunum, ideóque non licere sibi celebrare. Nec enim quisquam meritò potest scandalizari, quia sacerdos leges Ecclesiæ seruat. vide Suarez disp. 66. sect. 5. in fine. 61

Nauarrus.

Ad euitandum scandalum licitè celebrat non ieiunus.

Suarez.

Ex his patet, grauiter obligari omnes Parochos, vt dent diligentem operam, ne vnquam desint hostiæ consecratæ, quæ morituris quouis tempore dari possint, si necessitas occurrat; quod facillimè fieri potest, si vel minimam in iis suo tempore consecrandis, & conseruandis operam dent. 62

Secundus casus, in quo licet non ieiuno communicare, est, quando sacerdos loco vini consecrauit aquam, eámque sumpsit; tunc enim debet iterum consecrare vinum, & illud sumere. 63

Tertius, quando sacerdos post consecrationem recordatur se non esse ieiunum. Tunc enim debet perficere sacrificium & sumere communionem eodem modo ac si ieiunus esset. Quia peius est sacrificium manere imperfectum, quàm non ieiunum communicare. Imò si celebrans post consecrationem etiam vnius speciei deficeret, ita vt sacrificium nullo modo posset perficere, si esset alius sacerdos præsens etiam non ieiunus (modò nullus esset præsens ieiunus) deberet sacrificium perficere, & communicare: vt colligitur ex c. *Nihil.* 7. q. 1.

Quid agat qui inter celebrandum recordatur se non esse ieiunum?

Quòd si verò sacerdos incepto iam sacro, tamen ante consecrationem recorderetur se non esse ieiunum, D. Thomas q. 83. a. 6. ad 2. docet rarius esse cum tunc desistere à sacrificio, si sine scandalo possit, insinuans eum ad hoc non teneri. Et hoc videtur omnino obseruandum quando quis clàm celebrat; quando tamen publicè celebrat, videtur communiter consultius vt pergat. quia communiter non potest desistere sine aliqua nota & infamia. 64

D. Thom.

Idem dicendum in casu quo aliquis bona fide accedens ad communionem, paulò antequam hostia ei porrigeretur, recordaretur se non esse ieiunum, nec posset sine infamia recedere. Est enim eadem ratio. quia scilicet præceptum Ecclesiæ non obligat cum tanto nostro incommodo.

Quartus est, quando celebrans post ablutionem reperit in patena aut calice adhuc aliquas particulas hostiæ à se consecratæ: tunc enim debet eas sumere. Ita paucis exceptis communiter DD. & pulchram rationem adfert Caiet. tom. 2. opusculorum tractatu 3. quæst. 1. quia scilicet totius omnino hostiæ & calicis 65

Quomodo reliquiæ absumendæ sint?

Caietan.

cœsumptio prout includit etiam sumptionem ablutionis, censetur vna actio, ad ipsam communionem decenter perficiendam pertinens : atque ita secundùm moralem æstimationem & praxim ac intentionem Ecclesiæ censetur totam communionem ieiunus peragere, qui ad eam ieiunus accessit. Nam vt sacerdos totam omnino communionem planè ieiunus perficiat, ita vt nihil alterius potus accipiat, antequam totum corpus & sanguinem Christi sumat, est moraliter impossibile. Nam moraliter fieri nequit, vt vel ante primam ablutionem omnem sanguinem, qui in calice est, planè exhauriat : aut vt dum primam sumit ablutionem, non sumat aliquid vini antequam sumat reliquas aliquas sanguinis guttas, quæ in calice remanserunt. Imò sæpè potest contingere, vt in secunda ablutione adhuc aliquid sanguinis sumendum restet, & tamen secundùm sensum & intentionem Ecclesiæ censetur totum sanguinem ieiunus sumere. Et idem dicendum de particulis, quas sumpta iam ablutione aduertit adhuc in patena, aut calice esse relictas, quas sumens post primam aut etiam secundam ablutionem, censetur tamen ieiunus sumere secundùm intentionem Ecclesiæ, quæ præcipit eiusmodi sumptionem eo modo fieri, quo moraliter fieri potest. Confir. quia cùm præceptum hoc Sacramentum sumatur à solis ieiunis sit inductum ad honorem illius Sacramenti, debet eo modo obligare qui maximè est ex honore Sacramenti: atqui magis est ex honore Sacramenti, si tales particulæ statim post ablutionem sumantur, quàm si relinquantur in patena. quia tunc facilè possent decuti, atque eo modo perire; quod esset contra honorem Sacramenti : ergo magis sequitur præceptum & intentionem Ecclesiæ, qui eas hoc modo sumit, quàm qui eas seruat.

66 Reliquiæ in ipsa communione aut statim post abluendæ. *Nauar. Suarez.*

Addunt tamen aliqui DD. hanc sumptionem debere fieri statim post ablutionem, siue, vt loquuntur, in incontinenti. Ita Nauar. c. 25. num. 9. & alij. Quis autem dicatur eas statim sumere, aut quanta mora possit intercedere, non satis explicant. Qua in re probabile est quod cum aliis quibusdam docet Suarez disput. 68. sect. 6. posse sacerdotem eas reliquias sumere, quamdiu est in altari; & consequenter qui post sumptam ablutionem dedisset diu communionem, & aduerteret in patena superesse adhuc aliquas reliquias hostiarum à se consecrararum, posset eas sumere. quia harum sumptio est completio sacrificij, & consequenter tota hæc actio censetur vna, & fieri à ieiuno, quando fit ab eo qui eam ieiunus inchoauit, & interim nihil sumpsit quod ex institutione Ecclesiæ celebrans non teneatur simul inter communicandum sumere. Nam, vt ostendi, secundùm ritum Ecclesiæ sumptio ablutionis in sacerdote necessariò comitatur integram sumptionem sanguinis, eiúsque aliquam partem necessariò præcedit.

Confirmatur, quia nulla alia ratione potest probabiliter definiri, quamdiu post sumptam ablutionem liceat adhuc particulas sumere. quia nulla est ratio cur liceat eas magis sumere post vigesimam partem horæ, quàm post mediam horam.

67 Quomodo absumendæ reliquiæ ab aliis cōsecratæ.

Dixi, *tam diu posse sumere reliquias hostiarum à se consecratarum.* Quia secùs videtur de reliquiis ab aliis consecratis: tum quia harum absumptio non est completio conuiuij à celebrante parati. tum quia h. m celeris absumptio communiter non ita requiritur ad reuerentiam Sacramenti. Nam cùm sint in eodem vase, in quo erant ipsæ hostiæ, quarum sunt reliquiæ, eadem ratione poterunt commodè seruari, qua illæ antea seruabantur, vt postea à ieiunis sumantur. Quòd si tamen aliquo casu honestè seruari non possent, deberent statim absumi: sicut etiam particulæ quas sacerdos aduerteret ex suo sacrificio esse adhuc in patena postquam ab altari discessisset, quæ si possint honestè asseruari, seruandæ sunt, vt postea à ieiuno inter celebrandum sumantur.

68 Soto.

Requirit præterea Sotus in 4. d. 12. q. 1. a. 3. vt hæ particulæ paruæ sint: sed alij absolutè loquuntur. & eadem est ratio in paruis & in magnis, quando illæ sunt eiusdem sacrificij, & deprehenduntur ante discessum. Sacerdotis ab altari. quia earum sumptio eodem modo pertinet ad completionem sacrificij. Posset hoc dictum Soti sæpè habere locum, quando agitur de consumptione particularum quæ reperiuntur post absolutum omnino sacrificium, aut quæ restant ex hostiis antè consecratis, quæ solùm possunt sumi à non ieiuno, quando honestè sine periculo conseruari non possunt. Quia in eo casu facilius longè possunt conseruari maiores particulæ, quàm minores, quæ facillimè deperduntur. Quando tamen est eadem difficultas in vtrisque conseruandis, vtræque eadem ratione possunt sumi, vel non sumi.

69 Quid agēdum quando pars hostiæ manet in calice.

Hinc sequitur Primò, quando pars hostiæ missa in calicem, in eo manet post sumptionem sanguinis, posse sacerdotem curare infundi ablutionem in calicem, & illam particulam simul cum ablutione sumere, etiamsi priùs aliquid vini deglutiat, quàm ipsam particulam hostiæ. Imò si post primam ablutionem adhuc pergeret adhærere calici, posset secundò & tertiò sumere ablutionem, vt eam simul sumat. quia hoc est decentius, quàm vt eam digito ad extremum calicis labrum attrahat, atque hoc modo sumat. Ita Suarez & Nauarr. suprà citati cum aliis. *Suarez. Nauarrus.*

70 Quomodo purgādum ciborium.

Secundò sequitur, sacerdotem qui inter celebrandum debet purgare ciborium in quo sunt multæ reliquiæ ex hostiis etiam ab aliis consecratis, debere primò eas quas commodè potest sumere ante ablutionem, infundendo eas calici consecrato, vt simul sumat cum sanguine, vel alio modo. Deinde debere infundere vinum in ciborium, vt cum eo simul ipsas particulas sumat, idque semel ac sæpiùs, prout est necessarium, vt omnes sumat. Ita communiter Doctores, & patet ex praxi Ecclesiæ. & ratio est, quia aliter hæ reliquiæ non possunt decenter absumi.

Tertiò sequitur, has reliquias non esse dandas aliis communicantibus, vt eas sumant simul cum ablutione. quia ad eos non spectat has reliquias absumere, sed ad sacerdotes, vt patet ex vsu Ecclesiæ, & benè notauit Suarez suprà. *Suarez.*

71 Quid agēdum quando hostia adhæret palato.

Quartò sequitur ; quando hostia adhæret palato communicantis, posse eum sumere ablutionem etiam secundò vel tertiò si opus sit, vt simul eam deglutiat. Nec enim vllo modo decet, vt digitis hostiam tangat, vt eam à palato dimoueat, quando alia ratione eam deglutire potest. quod facilè fit per ipsam ablutionem, præsertim quando tam diu ore continetur, donec tota hoc modo omnino penetrata sit.

Aut aliqua ratione periclitatur?

Quintus casus est, quando Sacramentum nisi statim absumatur, est in periculo ne incendatur, aut in manus sacrilegorum deueniat, à quibus dedecorosè tractetur. Tunc enim si non adsint ieiuni, à non ieiunis cum reuerentia sumi debet. Quia tunc non sumere Sacramentum, cederet in grauem eius iniuriam, quam iure naturæ tenemur auertere.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm non habentes vsum rationis debeant suscipere hoc Sacramentum?

73 ARR. 9. docet Primò, eos qui nunquam vsi sunt ratione, vt sunt infantes, & perpetuò amentes, non esse admittendos ad communionem. Primò, quia omnino decet hoc Sacramentum piè & deuotè suscipi; quod illi facere nequeunt.

Secundò,

Secundò, quia sæpissimè esset periculum ne irreuerenter Sacramentum tractarent, aut etiam exspuerent.

Trident. Quare, vt docet Trident. sess. 21. c. 4. etsi olim rationabilis fuerit quibusdam locis consuetudo dandi hoc Sacramentum paruulis: quia tamen etsi illis vtile sit, non est necessarium; meritò Ecclesia magis prospiciens veneration huius Sacramenti, quam vtilitati paruulorum, non admittit hos ante annos discretionis

Ioan. 6. ad communionem. Nec obstat illud Christi Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem*, &c. quia ipse ibi solis adultis imponit præceptum; non autem instituit medium saluti necessarium. Vide dicta quæst. 73. art. 3.

73 Docet Secundò, ijs qui aliquando vsi sunt ratione, & iam ea sunt destituti, in periculo mortis hoc Sacramentum dandum esse, si id antè petierint. Ita

Arausican. Arausicanum can. 3. Ratio est, quia cùm tales aliquando se piè disposuerint ad huius Sacramenti susceptionem, censentur etiam cùm ratione destituti sunt, virtute illius prioris dispositionis, hoc Sacramentum piè suscipere: sicut is qui piè se præparauit ad communionem, & inter communicandum sine sua culpa omnino distrahitur, censetur piè communicare. Secùs est in infantibus. quia nulla ratione possunt dici se disposuisse ad communionem.

74 Nota Primò, sufficienter censeri petiisse quisquis catholicè vixit. Nam hoc ipso censetur velle sibi in eo articulo media saluti conducentia tribui. quare danda ei omnino est communio, nisi constet eum esse in peccato mortali, aut timeatur notabilis Sacramenti irreuerentia ratione vomitus aut similium.

Quiuis catholicè viuens censetur petere sibi moriturò dari Sacramentum.

Nota Secundò, quando tales sperantur aliquando recepturi vsum rationis, illud tempus omnino esse exspectandum, vt maiore cum reuerentia tantum Sacramentum possint suscipere.

75 Nota Tertiò, Ecclesiam numquam solere amentibus dare hoc Sacramentum nisi in periculo mortis. quia cùm hoc Sacramentum non sit ijs necessarium, summa eius maiestas ex decentia requirit, vt non nisi in tali periculo ijs detur, qui hoc non possunt cum actuali deuotione suscipere.

D. Thom. Nota Quartò, D. Thomam in respons. ad 3. videri negare, aliquando fuisse in Ecclesia quibusdam locis licitam consuetudinem, & à sanctis Patribus vsurpatam, dandi communionem infantibus. quam sententiam videtur etiam amplecti Caiet. infrà ar. 12. Sed videtur omnino certum, sanctissimos Patres talem consuetudinem multis locis initio Ecclesiæ approbasse:

Caietan. *Solebat olim dari paruulis.* *D. Dionys.* Nam D. Dionysius cap. 3. Eccles. hierarch. ait: *Illud verò quod pueri quoque, qui nondum possunt intelligere diuina, sacri baptismatis, altissimorumque communionis sacrosanctæ signarum participes fiant*, &c. Vbi clarè docet, suo tempore eam fuisse consuetudinem, eamque probari.

D. Cyprian. Similiter D. Cyprianus l. de lapsis narrat miraculum quod contigerat circa puellam infantem, cui post sumpta idolothyta Episcopus dederat communionem.

Trident. Item Concil. Trident. sess. 21. c. 4. expressè docet initio Ecclesiæ, multis locis fuisse eiusmodi consuetudinem: additque sanctissimos Patres huius sui facti habuisse probabilem causam. quare non videtur hoc vllo modo posse negari.

Nota Quintò, disputari inter DD. qua ætate possint pueri admitti ad communionem. de quo agemus art. 11. dub. 4.

DVBIVM.

Vtrùm, si infantibus detur communio, ipsi eius fructum possint percipere?

76 *Caietan. Petrus Soto. Dominic. Soto.* CAiet. infrà art. 11. videtur id absolutè negare, cui consentit Petrus Soto lect. 8. de Eucharistia. Dominicus verò Soto in 4. d. 12. q. 1. ar. 9. docet esse incertum. Ratio eorum est, quia hoc Sacramentum datur per modum cibi. ergo sicut cibus corporalis non potest prodesse ijs qui non possunt circa eum vitaliter operari eum digerendo: ita nec Eucharistia potest prodesse ijs, qui non possunt circa eam exercere spiritales operationes vitales: atqui paruuli non possunt tales exercere: ergo, &c.

CONCLVSIO. Omnino dicendum est, infantes si darentur eis communio, recepturos gratiam. Ita Victoria v. *Eucharistia*. nu. 84. in fine, Hotius in confess. c. 40. §. *Cùm itaque Scripturæ*. Suarez hîc disp. 62. sect. 4. & alij. 77 *Infans est capax effectus huius Sacramenti. Victoria. Hosius. Suarez.*

Probatur, quia non licet dare alicui Sacramentum, qui non est capax effectus ipsius: atqui cessante prohibitione Ecclesiæ licitè daretur paruulis communio; sicut licitè eis olim fuit data, vt patet ex dictis: ergo sunt capaces effectus ipsius, scilicet augmenti gratiæ per eam recipiendæ. Maior probatur, quia, cùm Sacramenta sint instituta, vt conferant suos effectus, qui ea confert ei, qui non potest percipere eius effectum, facit apertè contra eorum institutionem.

Ad rationem Caietani Respondeo negando priorem consequ. Quia longè alia est ratio cibi spiritalis & corporalis. Nam spiritalem non conuertimus in nostram naturam, sed contrà ipse nos in suam naturam quodammodo conuertit: cibum verò corporalem in nostram naturam conuertimus. quare vt hic nobis etiam post sumptionem prosit, debemus vitaliter circa eum agere. Circa Eucharistiam verò, excepta sola sumptione quæ à nobis debet fieri, sufficit quòd habeamus nos passiuè vt nobis prosit. *Caietan.* *Differentia inter cibũ spiritualem & corporalem.*

Dices, Ergo si quis adultus iustus hostiam consecratam omnino ignorans sumeret, consequeretur gratiam. Respondeo, negando consequ. Quia, vt adulto Sacramenta possint prodesse, necessarium est vt ea aliquo modo saltem implicitè petierit recipere. Talis autem nullo modo potest censeri ea ratione cupiuisse suscipere hoc Sacramentum. Secùs est de paruulis, quibus ad susceptionem Sacramentorum aliena voluntas sufficit; nisi ex parte ipsius Sacramenti sit singularis repugnantia: vt sit in Pœnitentia, & Matrimonio. 78 *Adulto non prod. est Sacram. cum quod nullo modo petiit.*

ARTICVLVS X.

Vtrùm liceat quotidie hoc Sacramentum sumere?

RESPONDEO X. docet Primò, per se loquendo licere quotidie hoc Sacramentum sumere; multis tamen ob varias occupationes quibus distinentur, ita vt non possint se dignè preparare, consultius esse rariùs ad communionem accedere. 79

Nota Primò, D. Thomam hîc solùm disputare de communione non sacerdotum. nam de communione sacerdotum agetur in materia de sacrificio quæst. 83. *D. Thom.*

Nota Secundò, ex duobus capitibus spectandum esse an alicui consultum sit frequentiùs vel rariùs hoc Sacramentum sumere: scilicet ex parte Sacramenti; & ex conditione suscipientis.

Quantum autem est ex parte Sacramenti, cùm sit symbolum maximi amoris Christi erga nos, eiusque effectus sit, nos maximè Christo per amorem vnire; consultissimum est ipsum quotidie sumere ijs omnibus qui ita viuunt, vt cum debita reuerentia & deuotione ipsum quotidie possint suscipere. Quia & hoc modo maximè in se gratiam augent, & ostendunt maximum suum in Deum affectum, cui quantum possunt quotidie vniri cupiunt. Et demum, quia, cùm hoc Sacramentum sit institutum per modum cibi; sicut; quia quotidie corporaliter deficimus, 80 *Ex parte Sacramẽti nihil obstat quin quotidie ab omnibus sumatur.*

necessarius nobis est quotidie cibus corporalis : ita etiam quia facilè in spiritu deficimus, cibus spiritualis quotidie sumendus est. Hinc pulchrè D. Ambrosius l. 5. de Sacramentis c. 4. *Si*, inquit, *quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueuerunt? Quotidie accipe, vt quotidie tibi prosit : sic vive vt quotidie merearis accipere.* Vnde Trident. sess. 22. cap. 6. ait : *Optaret quidem sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles astantes non solùm spiritualiter, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus uberior proueniret.* Hinc in primitiua Ecclesia (vt innuitur Actor. 2. v. 42. & 46. atque ex plurimis locis sanctorum Patrum colligitur) fideles quotidie communicabant.

D. Ambr. Trident. Act. 2.

81 Ex parte fumentium sæpè est impedimentum.

Ex secundo verò capite, siue conditione sumentium, sæpè conultius est rariùs communicare. quia multi ob varias occupationes, quibus humana vita implicatur, non possunt se quotidie ita præparare ad susceptionem huius Sacramenti, prout eius reuerentia exigit.

82 Quoties ex officio laicos cõmunicare?

Quam frequenter autem vnumquemque conueniat communicare, generalis regula nequit præscribi, sed ex statu ac conditione cuiusque personæ prudenti iudicio spectandum est. Si tamen consideremus prudentissimorum per orbem Christiar n hac in re iudicium & praxin; laicis qui timoratè viuunt, & à grauioribus abstinent peccatis, videtur consulendum, vt semel per hebdomadam communicent, nec sæpiùs, nisi particularis ratio occurrat, præsertim si coniugati sint : qui partim ob matrimonij statum, partim ob varias occupationes, vix possunt se dignè præparare ad sæpiùs communicandum ea deuotione, quam tantum Sacramentum requirit. Et si velint diligentem dare operam, facilè possunt se saltem diebus Dominicis ad hoc præparare.

Personis autem continentem vitam agentibus, & omnino à mundo abstractis, iudicio prudentis confessarij posset facilè concedi, vt etiam diebus festis per hebdomadam occurrentibus communicarent. Cauenda tamen etiam est ijs nimia frequentia, ne vel appareant omnino singulares, aut suo exemplo alios eò pertrahant vt frequentiùs communicent, quàm ipsis expediat. In quibus omnibus discernendis prudentis confessarij consilio opus est.

83 Non licet sæpiùs vno die communicare.

Docet Secundò, in responsionem ad quartum, non licere sæpiùs per diem communicare. Patet ex consuetudine generali Ecclesiæ, quæ numquam solet non celebrantibus secundam communionem eodem die permittere. Et colligitur etiam apertè ex c. *Consuluisti.* de celebrat. Missarum. & c. *Sufficit.* de consecrat. d. 1. Vbi prohibetur ne sacerdos extra diem Natiuitatis, *aut casum necessitatis*, sæpiùs per diem celebret. Vnde à potiore colligitur, Ecclesiam nolle laicos sæpiùs per diem communicare. Excipe tamen casum, quo necessarium esset aliquem secundò eodem die Vener. Sacramentum sumere, ne veniret in manus hæreticorum : aut similem aliquem indignum casum subiret.

84 In festo Natiuitatis solis celebrantibus licet ter communicare.

Nota Primò, iure diuino non esse prohibitum sæpiùs per diem communicare. aliàs in festo Natiuitatis id sacerdoti esset illicitum. Reuerentia tamen tanti Sacramenti exigit ne id vulgò fiat. vnde meritò hoc Ecclesiastica consuetudine & lege sancitum est.

Nota Secundò, etsi in festo Natiuitatis liceat sacerdotibus ter inter celebrandum communicare; nulli tamen non celebranti licet plusquam semel communicare. Vt patet ex Ecclesiæ consuetudine, quæ hoc priuilegium solis celebrantibus concedit.

85 Nota Tertiò, nullam certam horam vllo iure communioni esse præscriptam, quare absolutè loquendo, si scandalum absit, quauis hora licet ieiuno communicare : vt docent Angelus v. *Eucharistia.* 3. nu. 36. Sil. *Angelus, Silvester.* uester ibidem, quæst. 15. Reuerentia tamen Sacramenti exigit, vt, nisi alia necessitas occurrat, seruetur illud tempus, quo communiter solet communio distribui. Nec extra necessitatem permittendum, vt aliquis sub vesperam, aut intempesta nocte communicet.

ARTICVLVS XI.

ARTIC. XI. docet, nos teneri aliquando hoc Sacramentum suscipere. Vide textum qui clarus est, & si quid sit difficultatis, sequentibus dubiis explicabitur. 86

DVBIVM I.

Vtrum præcepto diuino teneamur ad huius Sacramenti susceptionem?

QVidam putant nos solo præcepto Ecclesiastico ad eam teneri. Ita Caiet. hîc secutus Alexandrum, 4. parte, quæst. 51. membro 4. & D. Thom. in 4. d. 9. q. 1. art. 1. quæstiuncula 2. 87 *Caietan. Alexand. D. Thom.*

CONCLVSIO. Multò verius est nos iure diuino teneri aliquando communicare. Ita D. Thomas hîc, & est iam ferè communis : ita vt P. Valentia hîc d. 6. q. 8. puncto 4. dicat iam nullum Catholicum contrarium dicere. Tenemur iure diuino aliquando communicare. *D. Thom. Valentia.*

Probatur, quia Ioan. 6. dicitur : *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* atqui si non esset obligatio manducandi carnem Christi, sine ea possemus habere vitam æternam : ergo necessariò dicendum illis verbis significari talem obligationem : & consequenter præceptum diuinum. Nam, cùm, vt ostendi suprà quæst. 73. art. 3. sacramentalis communio non sit medium per se necessarium ad salutem ; non possumus ad eam obligari, nisi ex aliquo præcepto. Cùm igitur eo loco apertè significetur obligatio, significabitur etiam præceptum. *Ioan. 6.*

Respondent aliqui, ibi non significari absolutam necessitatem communionis, vt habeamus vitam in nobis, sed tantùm difficultatem eam conseruandi sine communione. Sed contrà Primò, quia hoc repugnat proprietati verborum, à qua sine necessitate non licet recedere. Secundò, quia possemus eodem modo dicere, illis verbis : *Nisi renatus fit*, &c. non significari absolutam necessitatem baptismi : sed tantùm nos sine eo difficulter posse saluari. quod falsum est. Tertiò, quia per institutionem Sacramentorum non est immunita copia gratiæ dandæ extra eorum vsum ratione operis operantis, aut ex mera Dei liberalitate : atqui falsum erat ante huius Sacramenti institutionem dicere neminem habiturum vitam nisi manducauerit hoc Sacramentum : ergo etiam erit falsum, si nulla sit lex positiua nos ad hoc obligans. 88

Dices, esse diuersam rationem. Quia ante institutionem huius Sacramenti Deus dabat hominibus auxilia necessaria ad perseuerandum in gratia sine respectu ad hoc Sacramentum. Iam autem ijs quibus est possibilis communio, non statuit ea dare, nisi suo tempore communicent : ideoque dicimur sine communione non posse habere vitam in nobis, scilicet perseueranter. quia si eam suo tempore negligamus, Deus subtrahet auxilia moraliter aliquo modo necessaria ad perseuerandum : vt diximus suprà q. 73. a. 3. concl. 6. 89

Sed hæc responsio non satisfacit. quia, cùm talis necessitas communionis non possit oriri nisi ex mera voluntate Christi, qui statuit negligentibus communionem eiusmodi gratias non dare, sequitur.

manifestè, eum nos voluisse ad communionem obligare, atque ita eam præcepisse.

90 Luc. 22. Probatur Secundò, quia Lucæ 22. Christus post institutionem & sumptionem huius Sacramenti ait Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Vbi præcipit Apostolis non solùm confectionem, sed etiá sumptionem huius Sacramenti: eandemque in iis præcipit omnibus fidelibus, differenter tamen pro cuiusque statu, vt patet ex Apostolo 1. ad Corinth. 11. Vbi agens de communione laicorum, accommodat illis hoc præceptum. Et ex Trident. sess. 13. c. 2. vbi ait Dominum præcepisse nos colere sui memoriam in huius Sacramenti sumptione.

1. Cor. 11.

Trident.

91 Caietan. Luc. 22. non præcipitur nobis distincta commemoratio passionis ab ipsa cõfectione & sumptione Sacramẽti.

Respondet Caietan. Christum ibi non præcepisse sumptionem huius Sacramenti: sed tantùm, vt quando id sumimus, in memoriam eius sumeremus. Sed hoc dici nequit, quia nulla alia hîc præcipitur commemoratio passionis, nisi ipsa Sacramenti confectio & sumptio, quæ intrinsecè est commemoratio passionis Christi, sicut comestio agni paschalis fuit intrinsecè repræsentatio passionis futuræ: aliàs quicumque non haberet inter communicandum actualem memoriam passionis, peccaret, quod sine vlla ratione dicitur. Itaque non tam præcipitur hîc modus sumptionis, vt Caietanus vult, quàm ipsa sumptio, quæ est commemoratio passionis. Præcipit itaque Christus, vt per Sacramenti confectionem & sumptionem (quisque pro suo statu) passionis ipsius memoriam celebremus.

Caietan.

DVBIVM II.

Quinam obligentur hoc præcepto?

92 Difficultas hîc est de duobus hominum generibus. Primò, de infantibus (sub quibus comprehendo perpetuò amentes) non quidem Vtrùm ipsi ita obligentur ad communicandum, vt peccent non communicando; hoc enim fieri nequit: sed, Vtrùm ij qui eorum curam gerunt, ac Ecclesiæ Pastores teneantur iis dare communionem, & procurare vt communicent: sicut iisdem nondum baptizatis tenentur procurare baptismum. Quidam enim hæretici id affirmant, quia Ioan. 6. generatim dicitur: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c.

Ioan. 6.

Secunda difficultas est de adultis nondum baptizatis. Videntur enim hi non teneri hoc præcepto, quia sunt incapaces communionis: ergo non possunt ad eam obligari. Et confirmatur, quia non obligantur ad confessionem, ergo nec ad communionem.

Præceptum cõmunionis nõ pertinet ad infantes.

Conclvsio I. Præceptum communionis nullo modo pertinet ad eos qui nunquam vsi sunt ratione. Quare Pastores non tenentur iis communionem procurare, eósue ad eam admittere. Patet ex praxi vniuersali totius Ecclesiæ, quæ errare nequit, quæ tales non admittit ad communionem. Et ex Trident. sess. 21. c. 4. vbi absolutè definit tales nulla necessitate ad communionem obligari. Vbi non solùm vult dicere, tales non peccare non communicando; hoc enim per se clarum est: sed Pastores non teneri eis dare communionem. Vult enim rationem reddere cur Ecclesia eos ad communionem non admittat.

Trident.

Nec obstat illud Ioan. 6. *Nisi manducaueritis*, &c. quia suprà q. 73. a. 3. concl. 5. in fine ostendi, hoc nullo modo pertinere ad infantes, aut perpetuò amentes.

93 Obligat nõ baptizatos adultos. Suarez. Vasquez.

Conclvsio II. Omnes ratione vtentes tenentur hoc præcepto etiam non baptizati: non quidem vt illud sumant ante baptismum, sed ita vt vel ideo teneantur baptizari vt possint communicare, & contrà facientes dupliciter peccent. ita Suarez disp. 69. sect. 2. Vasquez disp. 214. c. 4. & alij. De baptizatis per se patet. De aliis probatur. Quia præcepta diuina generatim prolata omnes capaces obligant: atqui hoc præceptum diuinum generatim est prolatum, & tales illius sunt capaces (quia si velint baptizari, possunt illud implere.) ergo etiam illos obligat. Confirmatur Primò, quia Christus hoc præceptum promulgauit Capharnaitis, quorum maxima longè pars non erat baptizata, & tamen omnibus dicebat: *Nisi manducaueritis*, &c. ergo etiam tales hoc præceptum obligat. Confirmatur Secundò, quia qui sunt in peccato mortali, non possunt hoc Sacramentum licitè sumere, & tamen nihilominus ad communionem obligantur: non quidem vt existentes in peccato communicent, sed vt dignam pœnitentiam agant, & sic communicent: ergo similiter non baptizati tenentur ad communionem, & consequenter ad eam sumendam se capaces reddere.

Ex quo patet solutio ad argumentum contrarium. Ad confirmationem Respond. esse diuersam rationem præcepti confessionis: quia hoc non obligat nisi eos, qui post baptismum in peccata mortalia sunt relapsi. Quare nondum baptizati nec capaces sunt confessionis, nec tenentur se reddere capaces quia etsi teneantur baptizari, non tamen tenentur post baptismum peccare, & donec ita peccent eius incapaces sunt. Secùs est de præcepto communionis, quia omnes vtentes ratione tenentur se capaces reddere huius sumptionis.

Aliter obligat cõmunio, aliter confessio.

DVBIVM III.

Quando hoc præceptum obliget?

94 Victoria. Victoria v. *Eucharistia*, nu. 86. docet sufficere semel communicare in vita, vt satisfiat præcisè præcepto diuino. Ratio est, quia Christus non præcepit nobis frequentiam communionis, sed solam communionem: atqui semel communicans verè potest dici communicasse: ergo satisfecit præcepto diuino.

Præceptum cõmunionis obligat in periculo mortis.

Conclvsio I. Adultus qui nunquam in vita sua communicauit, iure diuino tenetur communicare in periculo mortis. Patet, quia aliàs nunquam posset hoc præceptum implere. Nec de hac re potest esse dubium, posito quòd iure diuino teneamur communicare.

95 Valentia. Durandus. Gabriel. Soto. Suarez.

Concl. II. Etiam ij qui sæpiùs in vita communicarunt, tenentur nihilominus communicare instante morte.

Ita Valentia d. 6. qu. 8. puncto 4. Durand. in 4. d. 9. q. 1. art. 2. Gabriel ibidem concl. 2. Ratio tamen vtriusque nihil probat. In eandem sententiam inclinat Soto ibidem art. 11. Suarez hîc disp. 69. sect. 3.

Probatur Primò, quia quæuis res præcepta maximè videtur præcepta pro eo tempore quo eius vsus ad finem præcepti assequendum est maximè necessarius: atqui si vnquam homo teneatur se coniungere cum Deo, & contra hostes se tueri, maximè ad hoc tenetur in articulo mortis: ergo cùm in hunc finem communio præcepta sit, maximè tunc præcepta erit.

Probatur Secundò, ex cura quam semper habuit Ecclesia, ne vllus etiam excommunicatus, si modò ageret pœnitentiam, sine viatico è vita decederet. Ex qua meritò potest colligi, morientes iure diuino teneri ad communionem; præsertim cùm talis solicitudo ab initio semper in Ecclesia fuerit: vt patet ex antiquissimis constitutionibus. Et confirm. quia Concilium Nicenum 1. can. 12. dicit antiquam legem obseruandam esse, ne aliquis sine necessario viatico decedat: vbi absolutè vocat viaticum necessarium. Non videtur autem posse dici necessarium nisi ratione præcepti diuini.

Concil. Nicen. 1.

Probatur Tertiò, quia maximè expedit morientem signo aliquo externo testari se mori in communione Catholica: atqui ad vnionem membrorum totius Ecclesiæ & faciendam & declarandam à Christo institura est communio: ergo videtur maximè præcepta

moriendi, vt hanc vnionem tunc eo signo testetur.

96 Dices, Si morientes tenerentur in fine vitæ communicare, Ecclesia nullos pœnitentes posset ob sua crimina viatico priuare, quia non potest tollere præceptum diuinum.

Potest Ecclesia enim morientes priuare communione.

Respondeo, negando assumptum, quia hoc præceptum non ligat Ecclesiam, sed morientem, non absolutè, sed quantum id commodè facere potest, qua potestate potest eum Ecclesia ob iustas causas priuare; non quidem tollendo præceptum diuinum, sed tollendo ægro potestatem illud obseruandi. Sicut iudex prohibendo reo cibum, tollit ei potestatem conseruandi vitam, ad quod iure naturæ tenetur.

97 Hoc tamen esset præter consuetudinem Ecclesiæ.

Nota tamen, etsi absolutè loquendo posset Ecclesia ob grauissima crimina aliquem priuare communione etiam in hora mortis; de facto tamen numquam talis pœna generatim in Ecclesia fuit. Imò statuta aliquorum Prouincialium Conciliorum quæ priuabant damnatos ad mortem sacra communione, Ecclesia reuocauit: vt patet ex cap. *Super eo.* de hæreticis, in 6. vbi præcipitur vt hæreticis etiam relapsis, ideoque damnatis ad mortem detur communio, si pœniteant & confiteantur. Et ex proprio motu Pij V. dato anno 1569. per quem in Hispania abrogata est consuetudo non dandi communionem damnatis ad mortem: vt testatur Suarez disp. 69. sect. 3.

Pius V.

Suarez.

98 Modi dubitandi qui ante aliquot menses communicauit, tenetur iterum communicare.

Ex his sequitur, non esse verum, quod quidam dicunt, eum qui communicauit in Paschate, & sexto mense pòst incidit in periculum mortis, non teneri iterum communicare. Quia distincto præcepto tenetur in eo periculo communicare, cui non satisfecit per communionem tam diu præcedentem, quæ nulla ratione habet rationem viatici: vt patet ex Ecclesiæ consuetudine, & communi fidelium sensu, qui grauiter scandalizarentur, si talis eo casu non communicaret. Quare etsi speculatiuè esset probabile, eum præcepto diuino non teneri; certum tamen est quòd teneretur ob consuetudinem vim legis obtinentem. Secùs esset de eo qui octo vel decem diebus ante mortem communicasset, quia talis communio censeretur facta instante morte, & habere rationem viatici.

Secùs est de eo qui ante paucos dies communicauit.

99 Nec refert, quòd de eo non cogitarit, quia possumus obligationi satisfacere quam ignoramus: vt si audiamus Sacrum ignorantes esse diem festum. Omnino tamen suadendum esset tali, vt cùm sciret iam mortem instare, secundò communicaret: tum quia hoc modo auger diuinam gratiam; tum etiam quia cùm scimus iam nobis mortem instare, solemus vehementiùs instantem luctam apprehendere & consequenter maiore effectu diuinum auxilium implorare, atque extrema illa Sacramenta suscipere. Vnde etiam fit, vt maiorem fructum ac animi consolationem ex iis percipiamus.

100 Limitant hæc aliqui, docentque eum qui ita instante morte communicasset, teneri secundò communicare, si post communionem peccarit mortaliter. Sed sine fundamento quia licet per peccatum mortale amiserit gratiam sacramentalem, iterum tamen eam per pœnitentiam recipit. Et aliàs sequeretur, quòd eodem die deberet secundò communicare, si post primam communionẽ peccasset mortaliter. quod nemo dixerit. Qui enim semel eo die communicauit, etiamsi inscius instantis mortis, non potest secundò communicare. quia nulla hîc occurrit necessitas, cùm per talem communionem abunde satisfecerit præcepto, & officio Christiani hominis verè communicando in mortis articulo, etiamsi inscius id faciat. Nec enim vlla ratione necessarium est communicare cum intentione satisfaciendi præcepto. vide Suarez disp. 69. sect. 3.

101 Conclvsio III. Præter articulum mortis, etiam aliquoties in vita tenemur iure diuino communicare.

Tenemur aliquoties in vita cõmunicare. *Valentia, Suarez, Sotus.*

Ita Valentia, Suarez, & Sotus suprà.

Probatur; quia Dominus præcepit nobis hoc Sacramentum sumere per modum cibi. Sicut autem cibus corporalis sæpiùs sumi debet, eò quòd necessarium sit sæpè restaurare vires corporis actione caloris naturalis debilitatas: ita etiam necessaria est frequẽtario cibi spiritualis, quia similiter vires animæ calore concupiscentiæ continuò debilitantur.

Vbi Nota, Christum nullum certum tempus præscripsisse, quo extra periculum mortis teneamur communicare, sed hoc reliquisse Ecclesiæ, ex cuius definitione colligimus non esse contra ius diuinum differre communionem per integrum annum, quia aliàs Ecclesia teneretur frequentiorem præcipere. Multi autem DD. putant peccarum contra ius diuinum, qui ad tres vel quatuor annos communionem differret. quod est probabile: nihil tamen certi hîc potest statui.

DVBIVM IV.

Quando teneamur communicare iure Ecclesiastico.

102 Præcepto Ecclesiæ tenemur singulis annis communicare.

HAc in re Primò supponenda est definitio c. *Omnis vtriusque.* de pœnitentia. Vbi dicitur: *Omnis vtriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit, semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reuerenter ad minus in paschate Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprij sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioqui & viuens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.* Idem definit Tridentinum sess. 13. can. 9.

Trident.

Quando pueri hac lege teneãtur?

Nota Primò, hac lege non teneri stultos, aut pueros ante vsum rationis. Quando autem pueri incipiant hac lege teneri, varij varia scribunt: in eo tamen ferè conueniunt, hoc non tam spectandum ex eorum ætate, quàm maturitate ingenij (quæ quibusdam citiùs, aliis seriùs aduenit, vt experientia docet) & perfecta circa res fidei institutione. Quare etsi statim ac sunt doli capaces, ac peccarunt mortaliter, obligentur etiam lege confessionis; consuetudo tamen Ecclesiæ fundata in Concilio Lateranensi haber, vt non statim admittantur ad communionem, sed expectent donec sufficienter circa hoc mysterium sint instructi, quod in primo illo vsu rationis non possunt sufficienter capere, vt debitam ei reuerentiam exhibeant. Atque ita potest contingere, vt aliqui etiam anno decimo admittendi sint ad communionem, alij verò vix anno decimoquarto: quæ ex prudentis confessarij ac parentum iudicio spectanda sunt.

Lateran.

Quid nomine paschatis significetur.

Nota secundò, dici hîc in paschate communicare, qui communicat in Dominica palmarum, aut Dominica in albis, aut aliquo ex diebus intermediis: vt patet ex consuetudine & declaratione Eugenij IV. teste Nauar. c. 21. nu. 45. Conimbricæ tamen & Mediolani dicitur huic præcepto satisfacere, quicunque aliquo die Quadragesimæ communicat.

Eugen. IV.

Nauarr.

103 His positis difficultas est Primò, Vtrùm quis huic præcepto satisfaciat per communionem sacrilegam, siue communicando scienter in peccato mortali? aliqui enim hoc negant. Ratio est, quia Ecclesia præcipit hanc communionem, vt Deus per eam colatur, & animus sumentis reficiatur: quorum neutrum fieri potest per sacrilegam communionem.

Secunda difficultas est, Vtrùm qui videt se impediendum ne in paschate possit communicare, teneatur ante illos quindecim dies communioni præscriptos communicare? Pars affirmatiua videtur probari:

quia etsi talis non possit integrè seruare hoc præceptum, potest tamen illud seruare ex parte: ergo ad hoc tenetur: sicut qui non potest integras Horas legere, tenetur earum partem legere si possit.

104 Tertia difficultas est, Vtrùm qui in paschate non communicauit, teneatur statim post communicare: an verò possit exspectare pascha sequens?

Qua in re tres sunt sententiæ. Prima absolutè docet eum teneri statim communicare. Ita cum aliis tenet Suarez hic disp. 70. sect. 2. & Nauarrus cap. 21 n. 45. Ratio eorum est, quia hoc præcepto virtute duo præcipiuntur. Primò, præcipitur substantia ipsius communionis, siue vt simpliciter communicemus singulis annis. Secundò, quasi quid accidentarium, vt communicemus intra illos quindecim dies. Etsi autem secundum præcipiatur tanquam onus illius temporis, atque ideo eo lapso desinat obligare, sicut obligatio audiendi Sactum die festo; non tamen primum, quo simpliciter præcipitur, vt ad minus semel in anno communicemus, siue vt non differamus communionem vltra annum: qui autem in paschate non communicauit, continuò differt communionem vltra annum, & consequenter continuò contra legem peccat. Confirm. quia multis locis qui in paschate non communicarunt, compelluntur censuris statim communicare: ergo signum est eos ad hoc obligari.

Suarez. Nauarrus.

105 Secunda sententia absolutè docet, talem non teneri communicare ante pascha sequens. Ita Siluester v. *Eucharistia.* 3. q. 15. Soto in 4. d. 18. q. 1. a. 4. §. *Tertiò denique.* Valentia hic disput. 6. quæst. 8. puncto 4. §. *Quartum est.* Henriquez lib. 8. de Sacramentis c. 5. n. 1. & alij. Probatur, quia alia præcepta, quæ præcipiunt aliquid certo tempore fieri, eo lapso cessant obligare: ergo etiam hoc. Quod autem alij respondent, duo hîc præcipi, quorum vnum est alligatum tempori, & alterũ non; non videtur verum. Quia si communio sine obligatione ad certum tempus præciperetur, ita vt continuò obligemur eam sine iusta causa vltra annum non differre; sequeretur, eum qui sciret se in paschate impediendum à communione, teneri communicare ante diem palmarum: atqui hoc falsum est, vt etiam auctores primæ sententiæ fatentur: ergo etiam id vnde sequitur. Sequela maioris probatur: quia aliàs talis sine vlla legitima causa sponte vltra annum differret communionem: quod tamen secundùm eos ei prohibetur. Et confirmatur, quia cui præceptum esset singulis hebdomadis ieiunare, idque die sabbati quando commodè posset, si sciret hoc die futurum impedimentum, teneretur tempus præuenire.

Siluester. Sot. Valentia. Henriq.

106 Tertia sententia docet, eum qui legitimè fuit impeditus ne in paschate communicaret, teneri statim postea communicare: secùs esse de eo qui sine legitimo impedimento omisit communionem. Priorem partem probat. Quia qui ex iusta causa ex consilio Pastoris in paschate non communicat, tenetur ex eiusdem præscripto statim cessante illa causa communicare: vt colligitur ex cap. *Omnis vtriusque sexus*: atqui ob iustum impedimentum in paschate non communicans censetur ex tacito Pastoris consensu communionem differre: ergo illo cessante tenetur communicare.

Secundam partem probat ex fundamentis allatis pro secunda sententia.

107 Per cõmunionem sacrilegam satisfit huic præcepto. *Suarez.*

Concl. I. Qui voluntariè in paschate communicat, etsi sciat se esse in peccato mortali, & sacrilegè communicare, satisfacit tamen præcepto Ecclesiæ.

Est ferè communis Doctorum, vt patet apud Suarez disp. 70. sect. 3. Probatur quia Ecclesia solum actum externum communionis præcipit, quem hic integrè ponit. Nec refert quòd Ecclesia eum præcipiat vt Deus colatur, & anima reficiatur. quia finis præcepti non cadit sub præceptum, quando actus præceptus potest integrè sine eo poni, vt hîc fit. Adde, externum Dei cultum in tali communione secundùm speciem suam integrè poni. Nec etiam refert quòd iubemur reuerenter communicare. Quia vel hoc intelligendum de reuerentia externa, & sic habet rationem præcepti: vel quatenus significat reuerentiam internam, non tam præcipit, quàm instruit quid iure naturæ fieri debeat.

Conclvsio II. Qui videt se impediendum ne in paschate communicet, non tenetur tempus præscriptum præuenire. 108

Ita tenent auctores secundæ sententiæ suprà citati, & præter eos Suarez disp. 70. sect. 2. cum aliis. Probatur, quia aliàs qui credens futurum tale impedimentum, ante tempus paschale communicasset; si casu illud impedimentum non superueniret, non teneretur secundò communicare: atqui hoc est falsum: ergo & illud. Sequela maioris probatur, quia talis secundùm præceptum Ecclesiæ communicasset. Nam ex eius præcepto in talibus circumstantiis fuisset obligatus communicare: ergo eidem præcepto satisfecisset. quia Ecclesia tantùm vnicam communionem per annum præcipit. Ad argumentum in contrarium allatum Respon. id quod infertur, tantùm verum esse, quando quis potest ita seruare partem præcepti, vt ei absolutè secundùm illam partem satisfaciat. quod hîc fieri nequit. quia aliàs cessante impedimento talis non teneretur secundò communicare. *Suarez.*

Concl. III. In tertia difficultate prima & secunda sententia sunt satis probabiles. Quia certum est Concilium Lateranense potuisse ita nobis præcipere communionem in paschate, vt ante illud tempus ad illam non teneremur, & eo aduenicnte continuò teneremur, donec satisfecissemus præcepto. An autem ita præceperit non ita constat, cùm pro vtraque parte sint diuersæ rationes, & auctoritates Doctorum. Sed quidquid hac de re sit, hoc videtur certum: posse Ecclesiæ Pastores eum qui non communicauit in paschate, per censuras cogere, vt prima data commoditate communicet: vt patet ex multorum locorum praxi. 109

Tertia autem sententia non videtur probabilis. Nec est vlla ratio cur Ecclesia velit potiùs obligare ad communicandum proxima data occasione, eum qui omisit sine peccato communicare in paschate; quàm eum qui peccando hoc omisit, cùm hic magis compulsione indigeat quàm ille. 110

Nec refert quòd is qui ex confessarij consilio communionem differt, teneatur postea statuto tempore communicare. quia in hoc casu confessarius ex auctoritate Ecclesiæ extendit quodammodo præscriptum tempus communionis, ita vt præceptum Ecclesiæ incipiat talem primùm obligare pro illo tempore quod à confessario præscribitur. Secus est de eo qui sine confessarij cõsilio communionem omittit. Siue enim id iustè faciat, siue iniustè, nullus eiusmodi actus confessarij circa eum interuenit.

Nota demum, iure communi nullam certam pœnam staturam esse, quam non communicantes in paschate de facto incurrant. Quia in c. *Omnis vtriusque.* tantùm præscribitur quam pœnam Prælati debeant infligere iis qui non communicant. Quare meritò quibusdam locis tales excommunicantur.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm liceat sumere corpus Christi sine sanguine?

ARTIC. XII. docet licitum esse communicare sub vna specie.

DVBIVM.

Vtrùm laïci iure diuino teneantur communicare sub vtraque specie?

111 Cõtrouersia circa vsum calicis quando primùm sit mota. *Petrus Dresdensis, Iacobellus Misnens. Hæretici nostri. Lutherus. Bellarm. Valentia.*

COepit hæc controuersia primùm agitari in Bohemia anno 1412. auctore Petro Dresdensi & Iacobello Misnensi, qui affirmabant id iure diuino præceptum esse: quos secuti sunt deinde nostri hæretici, magis vt contradicant Ecclesiæ, quàm certo iudicio. Hinc Lutherus in formula Missæ: *Si quod*, inquit, *Concilium statueret aut permitteret vtramque speciem; nos neque quam vtraque vti vellemus: sed in despectum Concilij, eiusque statuti aut vna, aut neutra.*

Plurimi fusissimè hoc tempore hanc quæstionem tractarunt: & inter ceteros pulchrè Card. Bellarm. l. 4. de Sacramentis cap. 20. & seqq. & P. Valentia hîc disp. 6. q. 6. puncto 5. Nos autem breuiter pro nostro instituto eius fundamenta explicabimus.

112 Non celebrans non tenetur vtramque speciem sumere. *Trident. Conc. sess. Ioan. 6.*

CONCLVSIO I. Excepto celebrante nemo iure diuino tenetur communicare sub vtraque specie.

Est de fide ex Tridentino sess. 21. c. 1. & can. 1. & Constant. sess. 13. vbi præcipitur sub pœna excommunicationis ne vllus sacerdos communicet populum sub vtraque specie.

Probatur Primò ex Ioan. 6. vbi Dominus ait: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Item, *Hic est panis qui de cælo descendit, vt si quis ex ipso manducet, non moriatur.* Vbi omnem vim sanctificandi & viuificandi tribuit Sacramento sub vna specie panis. quod esset falsum, si altera species esset necessaria ad salutem.

Dices, has propositiones non esse omnino absolutè intelligendas; aliàs qui etiam sacrilegè semel communicaret, haberet vitam æternam: sed cum hac conditione: Si comederit sicut præcipitur; & consequenter simul cum calice. Nam ibidem Dominus dicit: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

113 Sed contrà, Verba sacræ Scripturæ absolutè prolata, absolutè prout sonant, intelligenda sunt: nec vlla conditio subintelligenda est, nisi aut alius locus Scripturæ, aut manifesta ratio aliud cogat. nam aliàs nullus posset esse certus Scripturæ sensus: atqui nihil horum nos cogit, vt sub illis verbis, quibus Christus promittit vitam manducanti suum corpus, subintelligamus hanc conditionem: *si simul biberit etiam calicem sanguinis*: imò ratio potiùs contrarium suadet: ergo illa conditio, non est subintelligenda.

Minor probatur, quia communicanti est promissa gratia non propriè ratione specierum, sed ratione corporis & sanguinis Christi, quæ communicans sub speciebus sumit: & species eatenus solùm ad gratiam concurrunt, quatenus vnà cum illis Sacramentum constituunt: atqui corpus & sanguis Christi tam perfectè continentur sub vnica specie ac sub vtraque, vt ostendi suprà quæst. 76. & cum ea constituitur perfectum signum visibile gratiæ, & consequenter Sacramentum: ergo eodem modo promissa est gratia manducanti Christum sub vna specie ac sub duabus.

114 Præcipitur nobis sumptio sanguinis, non tamen eius potatio. Hebræi sæpè sumunt *ex* pro *vel*. *Leuit. 20. Exod. 21.*

Nec obstat illud, *Nisi manducaueritis*, &c. Primò, quia etsi Christus ibi doceat & carnem & sanguinem debere à nobis sumi, indicetque ea posse sumi per modum cibi & potus; præceptum tamen sumendi pr priè non cadit super modum sumendi, sed super rem sumptam, quæ sub vna specie tam perfectè sumitur, quàm sub duabus. Secundò, quia secundùm vsitatissimum loquendi modum Hebræorum & Scripturæ, illa propositio potest accipi disiunctiuè, ita vt, *ex*, sumatur pro, *vel*. Ita Leuitici 20. dicitur, *Patri matrique qui maledixerit, sanguis eius sit super eum.* Item Exodi 21. vbi noster vertit, *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur*: hebræa habent, *Qui percusserit patrem & matrem*, &c. Item Actorum 3. ait Petrus claudo: *Aurum & argentum non est mihi*: pro *vel argentum*. His adde, vbi nos habemus, *Nisi manducaueritis*; Græca habent, Ἐὰν μὴ φάγητε, *si non manducaueritis*, &c. vbi illud *si non* more hebræo initio orationis positum; debet ad omnes eius partes repeti, aut subintelligi: hoc modo, Si non manducaueritis carnem filij hominis, & si non biberitis eius sanguinem: siue, si neque carnem comederitis, neque sanguinem biberitis, &c. Simili modo Psal. 1. in Hebræo dicitur, *Non resurgent impij in iudicio, & peccatores* (pro Neque peccatores, vt noster vertit) *in concilio iustorum.* Item Ioan. 15: *Si non venissem, & locutus* (pro Neque locutus) *fuissem eis, peccatum non haberent.* & alibi. Vnde patet hæc etiam probare nostram sententiam. Nam dum dicitur, eum qui neque manducat carnem, neque bibit sanguinem, non habiturum vitam in se; indicatur alterum sufficere vt vita habeatur.

Abac. 3. *Psal. 1.* *Ioan. 15.*

Probatur Secundò, quia etsi initio Ecclesiæ fuerit permissa laïcis communio sub vtraque specie, semper tamen fuit etiam vsus communionis sub vna specie. Patet Primò, Act. 2. vbi de fidelibus dicitur: *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Vbi agi de communione sacramentali etiam hæretici fatentur; & tamen nulla fit mentio calicis. Gratis autem dicitur sub vna specie intelligi vtramque. Primò, quia id nullo modo probatur.

115 Ab initio Ecclesiæ fuit vsus vnius speciei. *Act. 2.*

Secundò, quia aperte vel inde conuincitur contrarium, quòd tunc inter fideles fuerint multi Nazaræi: vt patet Actorum 21. v. 23. quibus Apostoli tunc permittebant obseruationem legis. aut igitur hi à communione perpetuò abstinebant, quod repugnat verbis D. Lucæ, qui generatim asserit omnes perseuerasse in fractione panis: aut contra præceptum legis (quæ Numer. 6. v. 3. præcipit eos abstinere ab omni quod inebriare potest) sumebant species vini. quod omnino est incredibile: & videtur aperte repugnare Act. 21. v. 20. & 21. vbi dicitur Iudæos conuersos ad fidem initio strictissimè & maximo zelo seruasse legem Moysis. *Act. 21.* *Num. 6.* *Act. 21.*

Dices, Cùm in communione sub vtraque specie tam modicum specierum vini sumatur, hoc obstare non potuit legi Nazaræorum, sicut si quis iam vouisset nunquam bibere vinum, posset nihilominus fieri sacerdos, & ceterorum more celebrare. Et confirm. quia D. Iacobus Minor legitur tota vita vino abstinuisse; & tamen nemo negarit eum inter celebrandum sub vtraque specie communicasse.

Resp. nego assumptum; nam Num. 6. v. 3. Nazaræis ita strictè prohibetur sumere aliquid vini, aut ex vino aut vua factum, vt etiam acetum (quod tamen valdè modicè cibis cõdiendis adhiberi solet) aut vuam acinum sumere vetentur. Ad probationes Resp. nihil facere ad rem. nam post tale votum celebrans non ideo propriè excusatur à violatione voti, quia modicum vini sumit (nam si in communi mensa tantillum vini sumeret, votum licet venialiter, violaret) sed quia, cùm votum fiat in honorem Dei, vouens nunquam aut intendit aut potuit se voto obligare vt tunc vino abstineret, cùm eius sumptio in maiorem Dei honorem cedit, eique gratior est, quàm ab eo abstinentia, vt fit in sacrificio Missæ, in quo necessariò saltem sanguis sub speciebus vini sumendus est: imo talis etiam ablutionem ex vino ceterorum more licitè sumeret, quia non est censendus vnquam voto se ad contrarium obligasse. Et simili quidem ratione potuissent antiqui illi Nazaræi sine violatione voti sub vtraque specie cõmunicare, præsertim si hoc omnibus Christianis fuisset à Christo præceptum, si ipsi legem

satis intellexissent; sed tunc simul etiam intellexissent totam legis obligationem iam cessasse (sicut hoc D. Iacobus satis intelligebat, ideóque satis sciebat se nec præcepto legis, nec voto à communione sub vtraque specie prohibeti.) Sicut igitur ipsi adhuc ex parte velatum habentes cor hoc non capiebant, sed volebant legem secundùm literam rigidissimè obseruari; (vt patet Act. 21. v. 20.) ita etiam non intelligebant sibi licere sub vtraque specie communicare.

Tertiò, quia olim dabatur Eucharistia fidelibus domum ferenda, vt commodo tempore possent eam sumere, idque sub vna specie panis. quia calix solùm distribuebatur per Diaconum in templo, nec licebat laicis eum secum ferre: vt docet Cyrillus catechesi 5. item Tertul. 2. ad vxorem: *Non sciet*, inquit, *maritus quid secretò ante omnem cibum guttes, & si sciuerit, panem non illum credat esse quis dicitur.* Similia habet Cyprian. serm. de lapsis, Clemens Alexand. li. 1. Stromatum, Basilius epist. ad Cæsariam, & alij, qui solius speciei panis meminerunt. Et manifestè etiam conuincitur, quia laici non habebant vasa sacra, quibus sanguinem exciperent: nec vllis vnquam aliis vasis licuit eum excipere.

Cyrillus. *Tertull.* *Cyprian.* *Clemens Alexand.* *Basilius.*

116 Quartò, quia quando communio pacis mittebatur ad peregrinos, aut etiam ad moribundos, communiter sub sola specie panis mittebatur: vt patet ex Eusebio l. 6. hist. cap. 43. & variis historiis, quas citat Bellarm. l. 4. cap. 24. Vbi Nota, in historia Eusebij in versione latina esse aliquam difficultatem. nam prima fronte videtur innuere, fuisse solum sanguinem missum per puerum ad ægrotum; sed ex græco clarè patet, fuisse solùm corpus missum.

Eusib. *Bellarm.*

Quintò, quia etiam publicè in templo plurimi non sumebant Eucharistiam sub vtraque specie, nec ad hoc cogebantur: patet ex facto quod refert Sozomenus l. 8. hist. cap. 5. de quadam femina Macedoniana, quæ vt suam regeret hæresim, publicè accessit ad communionem, acceptámque manu Eucharistiam clàm cum alio pane commutauit, vt hunc quasi Eucharistiam deinde palàm manducaret. Sanè communionem calicis nulla ratione potuisset ita simulare, si omnes eum debuissent sumere. Idem colligitur ex D. Leone serm. 4. de Quadragesima, vbi dicit, Manichæos vt crederentur Catholici, solitos palàm ad communionem accedere, semper tamen abstinere à calice, quòd vinum tanquam à diabolo creatum detestarentur. quod nullo modo sine nota potuissent facere, si nulli licuisset abstinere à calice. Vnde ibi iubet Pontifex obseruari eos non qui aliquando, sed qui semper abstinerent à calice: non quòd hoc per se malum esset. hoc enim nulla ratione (sed contrarium potiùs) indicat: sed quia Manichæi per illud signum tunc poterant deprehendi.

Sozomen. *D. Leo.*

Cur D. Leo iusserit notari eos qui abstinebát à calice.

117 Sextò, quia antiquissimus fuit mos in Ecclesia latina feria sexta hebdomadæ maioris in publico officio percipere Eucharistiam sub sola specie panis cum vino non consecrato. Imò iam ante 1200. annos idem mos fuit in Ecclesia græca per totam Quadragesimam, exceptis diebus sabbati & Dominicis, quibus solis consecrabant; aliis diebus communicabant, vt nos dicta feria sexta. vt patet ex Concil. Laodiceno can. 49. & Trullano can. 52.

Conc. Laodicen. Trullanum.

118 Antiquus mos communicandi sub vna specie. *Constant. Basilecens. Beda. Ordo Rom. Alcuinus.* Qua ratione olim soleret calix populo ministrari.

Septimò, quia ante annos saltem octingentos in multis latinis Ecclesiis fuit consuetudo communicandi solùm sub vna specie: vt patet ex Concil. Constant. sess. 13. & Basileensi sess. 30. Et apertè colligitur ex Beda lib. 2. histor. cap. 5. Imò Ordo Rom. (qui cùm citetur ab Alcuino Caroli Magni præceptore, ad minimum ante annos 800. fuit) c. de ordine celebrandi, docet morem fuisse in Ecclesia, vt vinum in paruo calice consecraretur, ex quo in alium magnum aqua & vino plenum solebat parum sanguinis effundi, vt ex eo populus post sumptionem corporis biberet. Quare non omnes poterant suscipere partem sanguinis, & consequenter nec sub vtraque specie communicare. Et sanè verosimile est, postquam iiccepit ita augeri fidelium numerus, non aliter datam communionem sub specie vini, saltem in magno concursu. Quia cùm reperiantur antiquissimi calices, nulli reperiuntur ea magnitudine, vt ex iis omnes vnius loci fideles vel modicum potuissent haurire. Nec vlla ratione probabile est, eundem sacerdotem plures simul calices consecrasse. Quare omnino verosimile est, vt colligitur ex Ordine Romano, in eumdem calicem *Ordo Rom.* fere euacuatum sæpiùs & sæpiùs vinum non consecratum infundi solitum: non vt mutaretur in sanguinem. quod sine consecratione fieri non poterat; sed vt aliquali sanguinis permistione aliquo modo sanctificaretur.

Prob. concl. Tertiò, quia nulla erat ratio præcipiendi omnibus vsum vtriusque speciei: cùm, vt docuimus suprà, tantum gratiæ possit percipi sub vna specie communicando, quantum sub duabus. Et plurima ex eo præcepto fuissent secuta incommoda. Primum, quia multi nulla ratione ferunt potum vini: hi iraque vel perpetuò contra diuinum præceptum debuissent abstinere communione: vel cum periculo vomitus eam sumere. 119

Secundum, quia quibusdam locis, vt in Iaponia non nisi cum magna difficultate potest haberi vinum, quod sufficiat ad celebrandum: quomodo ibi haberi posset sufficiens ad tot centena millia communicanda, præsertim quando Ecclesiæ essent pauperes?

Tertium, in multis locis, vbi est ingens populus, & vnicus sacerdos, fuisset difficillimum ita calicem administrare, vt nihil decidisset in terram; præsertim inter rusticos, & eos qui magnas barbas alunt.

Dixi, *excepto celebrante*, quia, etsi aliqui dubitent, vtrùm celebrans iure diuino teneatur consecrare vtramque speciem; nullum tamen videtur dubium, quin si consecret vtramque speciem, teneatur iure diuino vtramque sumere. Nam consumptio pertinet aliquo modo ad integritatem sacrificij. Hinc Ecclesia tanta semper cura cauit ne sumptio omittatur. Apertè hanc concl. supponit c. *Relatum.* de consecrat. d. 2. ex Conc. Toler. vbi dicitur: *Quale erit sacrificium, cuius nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Vbi non tam præcipitur, vt vtraque species sumatur, quàm insinuatur iure diuino esse præceptum. 120 Celebrans tenetur vtráque speciem sumere. *Toletan.*

Conclvs. II. Ecclesia habet iustissimas rationes præcipiendi laicis communionem sub vna sola specie. Est de fide, vt patet ex Ecclesiæ praxi, quæ errare non potest. & Trident. sess. 21. cap. 2. & can. 2. 121 *Trident.*

Prima & præcipua fuit, vt esset conformitas per totam Ecclesiam. Cùm enim ob incommoda iam dicta non posset fieri, vt omnes semper communicarent sub vtraque specie; optimum visum est vniuersaliter præcipere eam consuetudinem communicandi, quæ iam multis locis erat introducta. Cur laicis non detur calix.

Secunda, vt suo facto ostenderet Christum integrè contineri sub singulis speciebus, contra aliquos hæreticos, qui dicebant sub specie panis solum corpus ex sanguine esse.

Tertia, vt consuleret reuerentiæ ipsius Sacramenti, quod aliàs sæpè præsentissimo periculo exponebatur, ne cum summa indecentia in terram effunderetur. Dicitur tamen Paulus III. cum Bohemis dispensasse, vt sub vtraque specie communicarent, si modò fatererentur id non esse ad salutem necessarium. Paulus III. Bohemis vtramque speciē concessit.

Obiiciunt hæretici Primò, illud Ioan. 6. *Nisi manducaueritis*, &c. Sed hoc iam solutum est. 122 *Ioan. 6.*

Obiiciunt Secundò illud Matth. 26. *Bibite ex eo omnes.* vbi aiunt Dominum iubere vt omnes bibant ex calice. Resp. eos falsum sumere. Nam Christus ibi *Matt. 26.*

apertè loquitur ad solos Apostolos : alias falsum esset quod ait Marcus cap. 14. *Et biberunt ex eo omnes.* docens omnes *bibisse*, quos Dominus iussit bibere : soli autem Apostoli biberunt. Dixit autem Christus potius de calice, vt omnes ex eo biberent, quàm de pane : quia hunc dabat diuisum in 12. partes, & cuique suam ; calicem dabat primo integrum. quare potuisset fortè totum exhaurire, aut secundo non tradere, nisi Christus eos monuisset, vt calicem ita inter se diuiderent, vt omnes ex eo biberent. Adde, verius esse Christum idem de corpore dixisse, vt patet ex canone Missæ : quamuis id Euangelia non habeant.

Marc. 14.

Cur Christus singulariter iusserit omnes bibere ex calice.

123 Obiciunt Tertiò auctoritatem Apostoli 1. ad Corinth. 11. Vbi generatim totam Ecclesiam Corinthiorum instituens ait Christum post institutionem huius Sacramenti dixisse : *Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem.* Vbi datur omnibus Corinthiis præceptum bibendi calicem.

1. Cor. 11.

Valentia. Resp. cum Valentia hîc d. 6. quæst. 8. punct. 5. § 3. iis verbis nullum dari Corinthiis præceptum absolutè sumendi hoc Sacramentum, sed præscribi modum quo debet sumi ; nimirum cum magna pietate & deuotione, qua ostendamus etiam exteriùs nos in hac sumptione celebrare memoriam passionis Christi. Patet hoc Primò, ex ipsis verbis, quibus si præciperetur ipsa sumptio, æquiualerent his : Præcipio vobis vt bibatis calicem toties quoties eum bibitis. quod ridiculum est. Secundò, quia D. Paulus volebat hîc corrigere errores Corinthiorum, qui non peccabant eò quòd abstinerent à communione, sed quia irreuerenter communicabant : atque ideo instruit eos quomodo debeant communicare ; ideóque non refert expressè omnia verba Christi, sed eorum sensum, non quidem omnem, sed quatenus pertinebat ad instructionem Corinthiorum. multùm enim differunt verba Apostoli hîc, ab illis Christi Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, vbi datur præceptum hoc faciendi in memoriam passionis Christi. Ex quo Apostolus infert, summa reuerentia cum cibum ac potum esse sumendâ, quorum sumptio est vitia repræsentatio mortis Christi : idque non ratione intentionis ipsius sumentis, sed per se & ratione sui. Vnde Apostolus subiungit ; *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, aut calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, &c. ostendens eam sumptionem ita essentialiter esse commemorationem mortis Christi, vt hæc seiungi nequeant.

Luc. 22.

Communio ex se, & per se est commemoratio mortis Christi.

124 Obiciunt deinde multa ex Patribus : sed nihil aliud probant, quàm aut olim fuisse etiam laicis vsum calicis permissum ; quod & nos concedimus : aut necessariò ab omnibus sumendum sanguinem Domini, quem fatemur ab omnibus sub specie panis necessariò sumi : sed inde non sequitur, omnes debere eum sumere sub specie vini, quod illi asserunt, & nos negamus.

Nec refert quòd Patres aliquando dicant hunc bibendum esse, quia non faciunt vim in modo sumendi, sed in ipsa sumptione. Nam, vt docet D. Cyprian. serm. de lapsis, cibus & potus ad eandem rationem pertinent. Dicunt autem eum bibendum esse, Primò, quia cùm ex se & natura sua sit liquidus, habet potiùs rationem potus, quàm cibi. Secundò, quia alludunt ad consuetudinem sui temporis, quo à pluribus sub specie vini bibebatur. Et quia tunc de modo sumptionis nulla erat quæstio, sine vlla suspicione ne malè à quibusdam intelligerentur, liberiùs loquebantur : vt in simili monet D. Augustin. l. 1. contra Iulianum cap. 6.

Cyprian.

D. August.

125 Solùm habet difficultatem testimonium Gelasij Pontificis relatum à Gratiano c. *Comperimus*, de consecr. d. 2. vbi dicitur, *Comperimus quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, a calice sacrati cruoris abstineant, qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur astringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur : quia diuisio vnius eiusdémque mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire.*

Gelasius Papa. Gratianus.

Respondent aliqui eum loqui de sacerdotibus, sed hoc difficulter ex verbis Pontificis colligitur. Quare verius est quod docet Cardin. Baron. to. 6. *in* vlt. anno Pelagij : Pontificem ibi agere contra solos Manichæos, secutum nimirum exemplum Leonis primi, de quo suprà egi. Quare, vt benè notat Baron. Pontifex non dicit neminem posse sine sacrilegio abstinere à calice ; sed eos qui tunc semper contra aliorum consuetudinem abstinebant, nescio qua superstitione teneri : quia scilicet tales ferè erant Manichæi. Item non dicit, diuisionem mysterij non posse esse sine sacrilegio ; sed non posse sine eo prouenire : quia nimirum nulla erat causa, cur illi omnino à calice perpetuò abstinerent, nisi quia cum summo sacrilegio vinum à diabolo creatum credebant, omnémque ejus vsum docebant esse illicitum. quod in summam & Dei & huius Sacramenti cedebat iniuriam. Damnat itaque illos non quia à calice abstinebant ; sed quia id ex tali causa faciebant. Quæ omnia vel ex eo confic mantur, quòd, vt docet Baron. suprà, sub hoc Pontifice Manichæi Romæ latentes fuerint detecti, & in exilium missi.

Baronius.

Cur Manichæi calice abstinebãt.

Obiciunt ex ratione Primò, Hoc Sacramentum est sub duplici specie institutum : ergo ita sumendum est, quia aliàs non esset commemoratio passionis Dominicæ. Secundò, calix ipse cùm sit verum Sacramentum, etiam verè confert gratiam : ergo iniustè hac laici priuantur, cùm Dominus iis dederit ius eam percipiendi. Tertiò teste Apostolo 1. ad Corinth. 10. omnes Iudæi non solùm idem manna manducauerunt, sed etiam de eadem petra biberunt ; quæ erant figura huius Sacramenti : ergo etiam nos debemus omnes non modò corpus Christi comedere, sed etiam sanguinem bibere. Quartò, Christus nobis instituit perfectum conuiuium : atqui tale non est vbi deest potus : ergo, &c.

126

1. Cor. 10.

Resp. Christum hoc Sacramentum instituisse sub duplici specie magis quia sacrificium est, quàm quia Sacramentum. Quia illud debet exactè repræsentare sacrificium cruentum, ad quod necessarium est vt, quantum est ex vi verborum, sanguis ponatur separatim à corpore, & quasi effusus : & in hoc est perfecta repræsentatio passionis ; in sumptione autem non aliter quàm quatenus est sacrificij participatio : ad quod impertinens est, an sub vna, an sub duabus speciebus sumatur.

127 *Consecratio vtriusque speciei præcisè necessaria est ratione sacrificij.*

Ad Secundum Resp. vtramque speciem per se non plus gratiæ conferre, quàm vnam vt dixi suprà q. 79. art. 1. concl. 3. Adde, etsi plus gratiæ conferretur per sumptionem vtriusque speciei ; tamen meritò Ecclesiam hoc non curare, magisque prospicere reuerentiæ ipsius Sacramenti, quàm vtilitati sumentium, cùm hæc gratia non sit necessaria, & facilè hoc damnum possit compensari, si frequentiùs & deuotiùs hoc Sacramentum sumatur. Multo minùs curanda est maior illa consolatio, qua hæretici lamentantur laicos priuari, quámque ex sumptione calicis aiunt percepturos : quia hæc consolatio magis acquiritur diligenti præparatione, quàm vtriusque speciei sumptione ; quamquam hæretici suam consolationem quam ex solius vini potatione quærunt, aliter percipere queant.

Ad Tertiũ Resp. Israëlitas indiguisse & manna & aqua ; quia neutrũ simul erat cibus & potus. Secùs est de nostro Sacramento. Nam sub vtraque specie separatim continetur cibus & potus. Adde, Israëlitas non tam citò, nec tam diu bibisse ex illa petra, quàm diu comederunt manna. Vnde pro nobis hoc facit.

128

Ad Quartum Resp. etsi quoad signa visibilia expressus significetur integrum conuiuium per vtramque speciem, ideóque saltem secundariò aliqua ratione Christus sub vtraque specie hoc Sacramentum instituerit, vt eius vim meliùs intelligeremus; tamen quoad rem contentam eiúsque effectum, tam perfectum & fructuosum institutitur nobis conuiuium sub vna specie, quàm sub duabus: vt patet ex dictis. Quare laici nullà propriè loquendo Sacramenti parte aut fructu priuantur: quia omnino integrum Sacramentum, & spirituale conuiuium, eiúsque fructum percipiunt.

QVÆSTIO LXXXI.

DE MODO QVO CHRISTVS VSVS EST HOC SACRAMENTO.

D. Thom. INSPVTAT D. Thomas hac quæstione, præsertim 1. & 2. artic. de quibusdam à Christo gestis tempore cœnæ, quæ non tam spectant ad tractatum de hoc Sacramento, quàm ad explicationem Scripturæ, vel vitæ Christi. Quare breuiter tantùm ea quæ D. Thomas habet, enarrabimus. Si quis velit ea videre latiùs tractata, inspiciat P. Suarez hìc disp. 41.

Suarez.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Christus sumpserit suum corpus & sanguinem?

1 ART. I. docet, Christum in vltima cœna etiam corpus & sanguinem suum sumpsisse, vt daret exemplum aliis. Ita videntur sensisse multi Patres. Hieron. ad Hedibiam epist. 150. citatus à D. Thoma. Chrysost. hom. 83. in Matth. vbi ait: *Vt non turbarentur discipuli, priùs sanguinem suum bibit.* Hesychius in cap. 8. Leuit. *Christus*, ait, *in cœna priùs sanguinem accepit, deinde dedit discipulis.* Et est communior Doctorũ. Præcipua ratio est, quia tunc Christus verè sacrificabat; sacrificantem autem oportet primum esse participem: vt patet ex cap. 6. & 7. Leuit. & communi tam Hebræorum, quàm aliarum gentium vsu. Cùm enim ipsa sumptio pertineat aliqua ratione ad perfectionem sacrificij: Christus per se tunc non consummasset omnino perfectum sacrificium, si non sumpsisset, quod sine graui ratione non videtur asserendum.

D. Hieron. Chrysost.

Hesychius.

Leuit. 6. & 7.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus dederit Iudæ corpus suum?

2 ARTIC. II. docet Christum etiam Iudæ dedisse suum corpus, quamquam aliqui contrarium tenuerint: tamen id apertè colligitur ex Euangelio. Nam Luc. 22. dum Christus tradens calicem discipulis dixisset: *Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur*, subdit: *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.* Vbi apertè docetur Iudam tunc fuisse præsentem, dum Christus consecrauit ac discipulis distribuit calicem. Eum autem vnà cum aliis ex eo bibisse, apertè patet ex Marci 14. ver. 23. vbi expressè dicuntur omnes, scilicet Apostoli tunc ibi præsentes, ex calice bibisse: & consequenter etiam Iudam, qui ibi præsens erat.

Luc. 22.

Marci 14.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus sumpserit, & discipulis dederit corpus suum impassibile?

3 ART. III. docet Primò, Christum dedisse discipulis in cœna corpus suum ex se passibile, quia tunc in propria specie erat passibile; & tale semper ponitur sub speciebus per consecrationem quale est in propria specie. *Corpus Christi ponitur tale sub speciebus quale est in se.*

Docet Secundò, corpus Christi, quod tunc dabatur discipulis, ratione modi, quo in Sacramento existebat, à nullo agente naturali pati potuisse. Vide dicta suprà q. 76. art. 4. & 6. dub. 2.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm, si hoc Sacramentum tempore mortis Christi fuisset seruatum, vel conseruatum, ibi Christus moreretur?

4 ART. IIII. docet Primò, si quis consecrasset in triduo mortis, futurum ibi fuisse corpus Christi separatum ab anima & sanguine.

Docet Secundò, si quis Eucharistiam antè consecratam tempore passionis conseruasset, Christum ibi non passurum vlla vulnera aut dolores, moriturum tamen per separationem animæ & corporis. quod probabile est, non quidem ex naturali aliqua connexione, sed ex libera Christi voluntate, qui absolutè volebat mori, & non tantùm secundùm aliquod esse: & consequenter sicut in cruce, ita in Sacramento liberè posuisset animam suam.

Si tamen spectemus naturalem connexionem, quam habet corpus Christi prout est in propria specie, secum prout est in Sacramento; ex eo quòd in propria specie moriebatur, nullo modo sequitur eum moriturum fuisse in Sacramento, si fuisset tunc conseruatum: vt fusiùs ostendi q. 75. art. 4. dub. 3. Et hoc etiam videtur conforme principiis D. Thomæ, qui docet Christum conseruatum in Sacramento non vulnerandum tempore passionis, nec emissurum cruorem. Quare spectando solem naturalem rationem, sequitur non emissurum etiam animam. quia eadem est ratio. Quare etiam credo probabilius eo casu Christum non moriturum fuisse in Sacramento. Quia vel Deus debuisset ipsum immediatè ibi occidere; vel ipse seipsum non modò permisisse, sicut in cruce animam suam posuit, sed immediatè mortem suam causando, cùm à nulla creatura potuisset immediatè causari. illud autem videtur omnino incredibile.

Corpus Christi prout est in Sacramento, nullam habet physicam connexionem à seipso, prout est in propria specie.

5 *Si Sacramentum fuisset seruatum in triduo mortis, Christus non fuisset in eo mortuus.*

Nec refert quòd Christus voluerit absolutè mori secundùm omnem vitam corporalem quam habebat, quia inde tantùm sequitur, spectasse ad eum procurare ne Sacramentum tempore passionis seruaretur. Quòd si autem voluisset illud conseruari; inde non sequeretur quòd debuisset seipsum occidere, sed quòd noluisset mori secundùm omnem statum, quem in terris habebat.

QVÆSTIO LXXXII.

DE MINISTRO HVIVS SACRAMENTI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm consecratio huius Sacramenti propria sit sacerdotis?

1 ARt. 1. docet, proprium esse sacerdotum conficere hoc Sacramentum. Quia eius consecratio debet fieri in persona Christi, & consequenter potestate accepta à Christo, qui solis sacerdotibus data est.

DVBIVM.

Vtrùm solus sacerdos possit validè hoc Sacramentum conficere?

2 *Wiclef.* *Lutherus.* WIclefo olim hæc res fuit dubia. Nec enim satis videbat cur malus sacerdos validè consecraret, & iustus laicus id non posset. Postea verò Lutherus apertè docuit quemuis laicum, imò etiam ipsum diabolum validè consecrare, si verba integrè super legitimam materiam proferat; vt testatur Card. Bellarm. l. 4. de Eucharistia cap. 16. Caluinus tamen cum suis apud Bellarm. suprà docet tam hoc Sacramentum, quàm baptismum non posse ab aliis, quàm à legitimis Ecclesiæ ministris confici. Sed parum consequenter suis principiis; cum enim nec in ministris Ecclesiæ vllam agnoscat supernaturalem potestatem, nec in hoc Sacramento aliquid aliud, quàm quod sit figura corporis & sanguinis Christi, nec credat habere aliam vim quàm excitandi fidem per modum obiecti, siue signi rei sacræ; nulla potest reddi causa, cur quinis laicus non possit illud validè administrare, cùm ad supradicta conficienda panis & vinum eandem vim habeant, à quocumque nobis proponantur. Vt autem clariùs procedamus, suppono hic, quod infrà in materia de Ordine clariùs probabimus, esse in Ecclesia veros & propriè dictos sacerdotes.

3 *Solus sacerdos validè conficit.* *Concil. Nicen. 1 atcantuse. Florentin. Trident.* CONCLVSIO. Fide certum est, solos sacerdotes posse hoc Sacramentum validè conficere. Ita omnes Catholici. Et patet ex Concilio Nicæno can. 14. Lateranensi sub Innocentio III. ca. 1. Florentino in literis de Armenis, & Trident. sess. 22. c. 1.

Prob. Primò, quia cùm conficere Eucharistiam, in qua (vt patet satis ex dictis suprà) verè ac realiter corpus & sanguis Christi continetur, sit opus omnino supernaturale; nemo potest eam conficere n ad hoc acceperit à Deo potestatem: atqui soli sacerdotes hanc potestatem à Deo acceperunt: ergo ipsi soli eam possunt conficere. Minor prob. quia nec sine certis testimoniis dicendum est Christum alicui hanc potestatem dedisse: nec vlli legitur eam dedisse nisi Luc. 22. vbi cùm hoc Sacramentum confecrasset ac discipulis dedisset, subiunxit: *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis præcepit Apostolis vt faciant id quod ipse fecerat, & consequenter dat iis potestatem hoc faciendi consecrando eos sacerdotes: atqui potestatem consecrandi ibi dedit solis Apostolis, ac eorum in sacerdotio successoribus: ergo nemo alius potest dici à Christo hanc potestatem accepisse. Minor prob. quia Christus ibi iisdem verbis, iisdémque hominibus dat præceptum consecrandi, quibus dat potestatem, vt patet: quia non dat hanc potestatem aliis verbis quàm his: *Hoc facite*, &c. quæ, vt per se patet, continent præceptum: atqui Christus non dedit omnibus hominibus præceptum consecrandi, vt etiam hæretici fatentur, & per se patet, quia aliàs omnes tenerentur consecrare. quod apertè falsum est, cùm ne quidem omnes permittantur celebrare: ergo nec dedit omnibus potestatem consecrandi.

Luc. 22.

Respondent aliqui, illa verba, *Hoc facite*, solùm referri ad actionem manducandi. quia Apostolus 1. ad Corinth. 11. referens huius Sacramenti institutionem, ait: *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* Vbi astringit hoc præceptum ad sumptionem Sacramenti. Sed hoc nullo modo dici potest. Primò, quia D. Lucas referens illud præceptum Christi nullam facit mentionem manducationis: quod tamen esset mirum si hæc sola à Christo ibi præciperetur. Secundò, quia aliàs nullus esset locus in Scriptura, in quo aut consecratio Eucharistiæ nobis præciperetur: aut eam consecrandi daretur facultas. quod tamen directè repugnat principiis hæreticorum, qui nullum cultum diuinum, aut Sacramentum admittunt, quod nobis non sit præceptum in Scripturis. Quare dicendum, apud D. Lucam per se & immediatè sacerdotibus, & præsertim Pastoribus populi (quales erant Apostoli) dari potestatem & præceptum faciendi quæ Christus ibi dicitur fecisse, scilicet consecrandi & ceteris distribuendi Vener. Sacramentum: & consequenter laicis dari præceptum sumendi illud Sacramentum. 4

Ad Apostolum Resp. eum ibi non referre absolutè verba Christi, sed ipsam institutionem huius Sacramenti, quatenus communiter ad Ecclesiam spectabat. Instruebat enim totam Ecclesiam, omnémque populum, idque, vt doceret Corinthios, non tam quod esset necessarium vt consecrarent, aut sumerent Eucharistiam: sed quomodo deberent eam sumere dum sumerent: vt ostendi suprà quæst. 80. a. vlt. 5

Dices, 1. Petri 2. v. 9. omnes Christiani dicuntur regale sacerdotium: ergo omnes possunt consecrare. Resp. dici sacerdotes largo modo, qua ratione omne opus bonum dicitur sacrificium: sicut etiam 6 *1. Petri 2.*

ibidem

ibidem dicuntur reges. Sicut ergo non sunt propriè dicti reges, sic nec etiam Sacerdotes.

7 Probatur conclusio Secundò, ex communi sensu totius Ecclesiæ, qui probatur Primò ex Conciliis suprà citatis. Deinde ex Patribus, qui id frequentissimè docent. Ita Dionysius cap. 5. Ecclesiast. Hierarch. part. 1. B. Ignatius ad Trallianos, vbi ait, non sacerdotem audentem aliquid facere circa alraris mysterium, esse infideli deteriorem. Tertull. libr. de Præscriptionibus ridet Marcionistas quòd sacerdotalia officia laicis committerent, & quòd hodie haberent sacerdotes, qui cras essent futuri laici. quod iam omnibus nostris hæreticis commune est. Idem docent alij Patres, quos fusè refert Bellarminus lib. 4. de Eucharistia cap. 16. Sed sufficiunt allata Concilia, vt doceamus hunc iampridem esse Ecclesiæ totius sensum, & ab initio semper fuisse, donec doccant hæretici, quando hæc opinio primùm in Ecclesia esse cœperit.

D. Dionys. Ignatius. Tertull. Bellarm.

ARTICVLVS II.

Vtrùm plures sacerdotes possint simul vnam & eandem hostiam consecrare?

8 ARt. II. docet, plures sacerdotes posse eandem hostiam consecrare: ad quod tamen necessarium est vt eodem instanti formam absoluant. Patet ex dictis quæst. 67. artic. 6. dub. 1. vbi ostendi qua ratione plures possint simul eumdem baptizare: eadémque omnino est ratio in præsenti casu, si agamus de consecrantibus eandem hostiam secundùm eandem partem: nam diuersi possent diuersas hostiæ partes validè consecrare etiam diuersis temporibus, non secùs ac possent consecrare diuersas hostias.

9 Vbi Nota cum D. Thoma hîc §. *Sed contra.* in quibusdam Ecclesiis recenter ordinatos sacerdotes solere simul cum Episcopo ordinante consecrare: quæ consuetudo tamen non est vniuersalis: ideóque Durandus in 4. d. 13. quæst. 3. & alij eam reprobant, iudicántque abrogandam. quia sæpissimè, imò communiter, videtur esse periculum, ne aut Episcopus, aut alij proferant formam consecrationis super materiam iam consecratam. quod videtur sacrilegum. Sed hoc nimis durum est. Cùm enim Romana Ecclesia hanc consuetudinem seruet, nulla ratione potest damnari vt mala, nec facilè particularis Episcopi auctoritate abrogari. In praxi autem diuersi referuntur modi vt inconuenientia suprà dicta euitentur.

D. Thom. Durand.

10 Primus modus est, vt omnes habeant absolutam intentionem consecrandi, & diligenter curent, vt eodem instanti cum Episcopo absoluant. Sed hoc sæpè est moraliter impossibile, præsertim cùm multi sæpe rudes ordinentur, qui hoc ita non possunt obseruare, qui si ante Episcopum formam absoluant, soli consecrant, & Episcopus non consecrat, & super materiam consecratam cum multis aliis verba consecrationis profert.

11 Secundus est, vt omnes referant suam intentionem ad illud instans, quo vltimus formam absoluet; ita vt illo & non antè intendant consecrare, etsi formam antè absoluant. Sed hoc frustra fit. Nam, vt dixi suprà quæst. 64. art. 8. dub. 2. concl. 3. n. 80. & qu. 66. num. 86. in nullius hominis, nec etiam in totius Ecclesiæ est potestate, posita sufficienti materia & forma Sacramentum suspendere. Quod autem aliqui dicunt, in hoc casu Deum suspendere Sacramentum, donec omnes formam pronuntiarint; sine vllo fundamento dicunt.

Vis Sacramenti non suspenditur.

12 Tertius modus est, vt Neomystæ proferant verba formæ merè materialiter sine intentione consecrandi, sed tantùm causa ostendendæ potestatis acceptæ. Et hac ratione quidem euitantur dicta incommoda; sed videtur hoc esse contra mentem Ritualis Romani, in quo iubetur Episcopus altè & tractim verba pronuntiare, & alij attendere vt simul cum illo absoluant. quare videtur omnino requirere intentionem consecrandi.

Quare posset esse Quartus modus, vt omnes Neomystæ formam consecrationis dicto modo materialiter intendant pronuntiare: ita tamen vt simul habeant intentionem conditionatam consecrandi, si contingat eos simul omnino cum Episcopo formam absoluere, aliàs non: & simul dent etiam diligentem operam, vt simul absoluant. Et hoc videtur consilium Caietani hic iubentis Neomystam habere intentionem recitandi formam meliore modo quo potest. Nam hic modus videtur optimus, quo omnia incommoda euitantur. Ita etiam Suarez disputat. 61. sect. 4.

13 Qua intentione Neomystæ debeant cum Episcopo cõsecrare.

Caietan.

Suarez.

ARTICVLVS III.

Vtrùm dispensatio huius Sacramenti pertineat ad solum sacerdotem?

14 ARtic. III. docet, solius sacerdotis esse hoc Sacramentum aliis ministrare. Primò, quia sicut in conficiendo, ita etiam in ministrando solus Christi personam sustinet, qui in cœna hoc confecit & distribuit. Secundò, quia sacerdotis tanquam mediatoris est deferre munera populi ad Deum, & Dei ad populum. Cùm ergo hoc sit maximum Dei munus, sacerdotis est hoc populo distribuere.

Ob has rationes quidam putant, ad solum sacerdotem iure diuino pertinere distributionem huius Sacramenti. Ita Sotus d. 13. q. 1. a. 3. Hoc tamen aliis videtur difficile. quia inde videtur sequi, iure diuino nullum non sacerdotem posse hoc Sacramentum administrare: cùm tamen constet olim per Diaconos fuisse administratum: vt infrà clarè ostendemus.

Sotus.

15 Distributio Sacramẽti duas actiones continet.

Nota igitur Primò, in distributione huius Sacramenti duas actiones posse considerari. Prima est, qua Minister Sacramentum acceptum ex altari, aut loco quo seruabatur, porrigit communicaturo, vt ipsum sumat. Secunda est, qua illud præcisè admonetur ori communicantis. Quæ actiones etsi iam simul & ab eodem fiant, tamen distinctæ sunt: & distributio Sacramenti propriè consistit in prima actione. Secunda verò ad sumptionem pertinet. Vnde olim communicaturus hostiam accipiebat manibus ac ori suo imponebat.

16 Dupliciter fieri potest, & soli sacerdoti ex officio cõuenit.

Nota Secundò, duobus modis posse hoc Sacramentum ministrari. Primò, ex officio, & hoc iure diuino soli sacerdoti concessum est. Et sic intellige Trident. sess. 13. cap. 8. vbi ait ex Apostolica traditione hunc morem semper in Ecclesia fuisse, vt laici à sacerdotibus communionem acciperent, & hoc probant argumenta D. Thomæ. Et præterea confirmantur quia etiamsi quiuis habeat naturaliter sufficientem potestatem physicam vt possit hoc Sacramentum distribuere. quia hic nulla est physica difficultas. tamen naturaliter nullus ad hoc habet sufficientem potestatem moralem, qua hoc legitimè possit facere; sed hæc est omnino supernaturalis. Sicut etsi quiuis habeat physicam potestatem sufficientem vt distribuat pecunias regias; solus tamen hoc legitimè potest facere is, cui Rex eam potestatem dedit. Cùm igitur bona in hoc Sacramento contenta sint maximè supernaturalia, & solius Dei; solus is habet potestatem ea legi-

Tridentin. D. Thom.

tinè distribuendi, cui Deus siue Christus eam dedit. Non legimus autem hanc potestatem vlli à Christo datam nisi solis sacerdotibus, quibus Lucæ 22. dicitur: *Luc. 22.* *Hoc facite in meam commemorationem.* Et de iisdem dicitur 1. Corinth. 4. quòd sint dispensatores mysteriorum Dei. Secundò, potest hæc distributio fieri ex potestate delegata. *1. Cor. 4.*

Sunt igitur hîc aliquot nobis explicandæ difficultates.

17 Prima est, Vtrùm sacerdotes iure diuino teneantur hoc Sacramentum per se distribuere: an verò possint hoc per alterum facere, alicui munus suum in particularibus casibus delegando?

Prima sententia docet, sacerdotem iure diuino teneri hoc Sacramentum per se administrare; ex dispensatione tamen vrgente iusta causa posse id committere Diacono. Ita Soto in 4. d. 13. qu. 1. art. 3. Probat hoc rationibus suprà ex D. Thoma allatis. Sed illæ non satis probant sacerdotem teneri per se hoc munus obire. Sicut etsi nemo alicuius domini bona possit dispensare nisi eius œconomus; tamen hic non tenetur hoc per se facere. *Soto. D. Thom.*

Secundò, probatur illa sententia ex c. *Peruenit.* de consecr. d. 2. vbi dicitur, horrendum ac detestabile esse, quòd quidam presbyteri per laicum aut fœminam ægris communionem mittebant. Ex quo exaggeratione videtur significari hoc esse contra ius diuinum. sed nec hoc argumentum conuincit, vt infrà ostendemus.

18 Secunda sententia docet, spectato solo iure diuino sacerdotem posse hoc Sacramentum per alios administrare. Ita cum aliis Suarez hîc disput. 72. sect. 1. §. *Dico ergo.* Probo. Primò, ex vsu Ecclesiæ quia videmus olim Diaconos sæpiùs calicem populo distribuisse: vt patet ex vita S. Laurentij, & aliis historiis. Nec hîc est faciendæ differentia inter calicem & corpus Christi, quasi vnum iure diuino magis possit per Diaconum distribui, quàm aliud. quia etsi vnius distributio solita fuerit sæpiùs Diacono committi, quàm alterius, quia maiores ad hoc faciendum rationes forte occurrebant; tamen vtraque sæpius fuit Diacono commissa, vt patet ex D. Iustino apologia 2. pro Christianis in fine, vbi ait: *Postquam & is qui præest gratias egit, & populus omnis benedixit, ij quid apud nos Diacons dicuntur, dant vnicuique eorum qui adsunt, percipiendum panem, vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos qui absunt perferunt: atque cibus hic apud nos Eucharistia nominatur.* Hinc etiam Concil. Carthaginem. 4. can. 38. iubet, *vt Diaconus præsente presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget.* Nec satisfacit quod ait Soto hoc fieri ex dispensatione. quia nec vlla hîc reperitur dispensatio: nec Ecclesia potest in iure diuino dispensare. *Suarez.* *Diaconi olim aliquando vtramque speciem distribuebant.* *Iustin.* *Carthag. 4.* *Soto.*

19 Prob. Secundò, quia Trident. sess. 21. cap. 1. docet in Ecclesia semper fuisse potestatem, vt in Sacramentorum dispensatione, salua eorum substantia, statueret, aut mutaret ea quæ eorum venerationi, aut suscipientium vtilitati pro temporum varietate conducerent; clarè ostendens Christum in Sacramentis sola substantialia instituisse; modum autem distribuendi accidentalem reliquisse Ecclesiæ dispositioni. Nam aliàs hunc suo arbitrio mutare non posset: atqui quòd sacerdos hoc Sacramentum distribuat per se, vel per alium, est modus planè consequens essentiam Sacramenti, eique omnino accidentarius. Hinc eidem Doctores inferunt, probabile esse, sacerdotem spectato solo iure diuino, præsertim vrgente necessitate, non solùm per Diaconum, sed etiam per inferiores Clericos, atque etiam per laicos posse hoc Sacramentum distribuere: & rationes allatæ hoc probant. quia nullum adferri potest ius diuinum, quo hoc magis probetur posse fieri per Diaconum, quàm per alios vrgente necessitate. *Trident.* *In necessitate posse hoc Sacramentum etiam per laicos distribui, spectato solo iure diuino.*

Dixi, *vrgente necessitate*, quia reuerentia tanti Sacramenti exigit vt extra necessitatem non nisi per personas sacras administretur, & quæ publica auctoritate ad hoc sint constitutæ, atque adeò per ipsum sacerdotem, quantùm commodè fieri potest. Et ob hanc causam in c. *Peruenit.* de consecrat. d. 2. dicitur horrendum ac detestabile esse facinus illorum sacerdotum, qui Sacramentum per laicos, aut etiam per feminas sine vlla necessitate mittebant ad ægros. quia hoc in illis circumstantiis contra totius Ecclesiæ consuetudinem non poterat sine graui tanti Sacramenti contemptu fieri. Et hæc sententia ita explicata videtur mihi probabilior. 20

Secunda difficultas est, Vtrùm spectata præsenti Ecclesiæ consuetudine possit sacerdos hoc Sacramentum per alios administrare? 21

Quia in re communiter inter Theologos conuenit Primò, eum in casu necessitatis posse eius distributionem committere Diacono. Palud. in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 4. concl. 3. Richard. ibid. a. 1. quæst. 3. Durand. quæst. 4. Patet ex Carthag. 4. can. 38. suprà cit. *Paludan. Richard. Durand. Carthag. 4.* Diaconus in necessitate absente sacerdote potest hoc Sacramentum distribuere.

Secundò, hunc absente sacerdote vrgente necessitate, posse hoc Sacramentum distribuere sine vlla expressa commissione. quia tunc sacerdos censetur id ei hoc casu committere. quia ad hoc tenetur. Ita expressè docet Gelasius 1. epist. 1. cap. 10. Palud. sup. D. Thomas in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2. Sotus ibid. quæst. 1. a. 3. in argumento contra 3. concl. Siluester v. *Diaconus.* q. 2. dict. 2. *Gelasius 1. Paludan. D. Thom. Sotus. Siluester.*

Tertiò conuenit, hoc Diacono non posse committi sine rationabili causa: vt si adsint sacerdotes, qui id commodè facere possint. quia, vt patet ex Carthaginen. citato, Ius ad hoc requirit necessitatem. Siluester tamen v. *Diaconus.* num. 4. putat sacerdotem quidem peccare si hoc sine causa Diacono committat; hunc tamen licitè parere. Sed hoc dici nequit; quia Ius non minùs requirit casum necessitatis, vt hic licitè hoc munus obeat, quàm vt ille hoc ei committat. *Siluester.*

Difficultas igitur est, Vtrùm vrgente necessitate sacerdos possit hoc munus committere inferioribus Clericis, aut etiam laicis? 22

Sotus 4. d. 13. quæst. 1. a. 3. in fine, Syluester v. *Eucharistia.* 3. num. 4. Henriq. l. 8. de Sacramentis cap. 54. num. 3. cum aliis id absolutè negant. Primò, quia non licet iam laico, aut etiam Clerico inferiori Diacono tangere hoc Sacramentum. Sed hoc argumentum non vrget. quia similiter nec Diacono iam licet tangere hoc Sacramentum. quare hæc prohibitio intelligenda est extra casum necessitatis. Nam aliàs non liceret laico leuare Sacramentum lapsum in terram, etsi nullus alius, qui id facere posset, adesset. *Sotus. Siluest. Henriq.*

Secundò probant, quia in c. *Peruenit.* de consecrat. d. 2. reprehenduntur sacerdotes, qui per laicos infirmis viaticum mittebant. Sed hoc caput necessariò intelligendum est extra casum necessitatis. Nam aliàs probaret, in necessitate ne quidem licere hoc committere Diacono. quia iubentur sacerdotes per se deferre.

Tertiò probant, quia Ecclesiæ consuetudo videtur repugnare. Sed nec hoc quidquam probat. quia legimus olim sanctos viros in necessitate mississe aliquando viaticum per laicos: vt docet Euseb. l. 6. historiæ cap. 36. & fatetur Henriq. suprà. Nec potest iam dici contraria consuetudo introducta, quæ vim legis obtineat. quia quòd iam diu hoc forte non sit factum, non tam accidit quòd Ecclesia iudicarit id esse illicitum, quàm quia rarissimè occurrunt casus, in quibus hoc commodè fieri possit, & sit magna necessitas faciendi. *Euseb. Henriq.*

Quare alij putant in graui necessitate hoc fieri posse, vt si alicui mox morituro iudicaretur ad salutem valdè necessariam esse communionem; necesse 23

vllus

vllus sacerdos, aut etiam clericus, qui posset eam ferre. Ratio est, quia nec hoc iure naturæ aut diuino prohibitum est, vt patet ex dictis: & nullum ius Ecclesiasticum hoc in eo casu prohibet. Ita tenet quidam *Henricus*, Henricus apud Siluestrum iuprà, & quidam recentiores viri docti, & inclinat *Suarez* disp. 72. sect. 1. in fin. & sect. 3. quam sententiam nec damnare ausim: quia valdè durum est tali in eo casu negare communionem. nec etiam eam absolutè ausim asserere ob plurimorum DD. sententiam contrariam. *Suarez.*

24 Tertia difficultas est, Vtrùm aliquis possit sibi communionem administrare?

Qua in re certum est id licere celebranti, & sacerdoti facienti officium in feria 6. hebdomadæ maioris. Sed difficultas est, an extra hos casus hoc liceat?

25 Dico Primò, id ordinariè non licere, patet ex consuetudine Ecclesiæ. *Sacerdos in necessitate potest sibi Sacramentum distribuere. Cajetan. Suarez.*

Dico Secundò, id in necessitate licere sacerdoti: vt si iaceret moribundus, & posset facilè ex sacrario consecratam hostiam sibi sumere, nec esset alius qui posset eam dare. Ita Caietan. in Summa, v. *Communio.* & Suarez disp. 72. sect. 3. & alij. Addit Suarez, etiam extra talem necessitatem sacerdotem alicubi solum existentem, qui non posset consecrare, paratam tamen haberet hostiam consecratam, posse eam deuotionis causa sumere, quia nullum est ius contrarium. Et sanè videtur probabile, præsertim si aliàs in magno aliquo festo deberet communione abstinere.

26 Dico Tertiò, idem videtur dicendum de Diacono, & similiter quando aliàs sine viatico deberet mori, quia Ius antiquum ei expressè concedit, vt in absentia sacerdotis possit sibi communionem dare. Vt patet ex Concil. *Nicænum.* Niceno cap. 14. Nec nouum vllum Ius hoc reuocauit, quo minùs saltem hoc ei liceat in tali necessitate: cùm, vt patet ex dictis, Diaconus, vrgente tali necessitate, possit communionem, habita expressa vel tacita commissione sacerdotis, aliis administrare. *Diaconus.*

27 Dico Quartò, an in tali necessitate laico liceat sibi sumere Eucharistiam, si haberet præsentem, non ita liquet. Suarez suprà putat esse probabile: cui fauet exemplum illustris martyris Reginæ Scotiæ, quæ subitura martyrium, Eucharistiam, quam apud se seruabat, sumpsit, in quo à multis laudatur. Maxima tamen pars Doctorum id negat, quibus in re morali difficile est repugnare. *Suarez.*

28 Nota Primò, etsi cuiuis sacerdoti ratione Ordinis competat aliqua ratione distributio huius Sacramenti; non posse tamen quemuis eam cuiuis administrare. Nam vt hoc licitè fiat requiritur aliqua iurisdictio: vt patet ex Carthag. 1. cap. 7. & communi Ecclesiæ vsu. Et quia administratio Sacramentorum, & maximè huius, quo fideles spiritualiter pascuntur, est proprium officium Pastoris, atque ita soli Pastori conuenit, atque illis quibus hoc commiserit. atque ita qui sine venia proprij Pastoris alienis ouibus hoc Sacramentum distribuit, alienum officium inuadit, & graviter peccat: vt in simili dixi etiam suprà qu. 67. dub. 1. de baptizante alienos subditos. Vbi etiam ostendi quis sit proprius Pastor, & præsertim peregrinorum: & fusiùs ostendam in materia de confessione. *Non omnis sacerdos potest cuiuis communionem dare. Carthag.*

29 Nota Secundò, etsi grauiter peccet, qui sine licentia alienis ouibus hoc Sacramentum distribuit; tamen nullam incurrit censuram, si modò sit sacerdos, & non Religiosus. quia nullo Iure aliqua censura lata est. Quòd si non esset sacerdos, fieret irregularis. quia distributio communionis, quando fit propria auctoritate, est actus Ordinis sacerdotalis: & consequenter non sacerdos eam ita distribuens, exercet actum Ordinis, quem non habet. Item si aliquis Religiosus sine eiusmodi licentia saltem bona fide præsumpta alicui non Religioso det communionem, incurrit excommunicationem, vt patet ex Clement. *Religiosi.* de priuilegiis. Secùs esset si sine licentia daret communionem alteri Religioso. quia textus requirit, vt det Clericis aut laicis sine venia presbyteri parœcialis: expressè insinuans se loqui de Clericis aut laicis, qui subsunt eiusmodi presbytero: quales non sunt Religiosi. Textus etiam requirit aliquam præsumptionem, quia dicit, *præsumpserint*, &c. Quare qui omnino bona fide crederet gratum esse proprio Pastori, vt det eius subdito hic & nunc communionem, eam censuram non incurreret: vt notat Suarez disp. 72. sect. 2. *Nota Quinam malè hoc Sacramentum distribuentes censuras incurrant.* *Suarez.*

Nota Tertiò, vt possit Pastor dare alicui sacerdoti veniam dandi communionem suis subditis, nullam requiri approbationem Episcopi, sicut in confessione. quia nullo Iure exprimitur. Et ratio est, quia in dante communionem non requiritur ea industria & scientia quæ requiritur in audiente confessionem: nec etiam est tantum periculum, ne illud munus committatur in idoneo. 30

Nota Quartò, plurimos Religiosos habere potestatem à Pontifice dandi communionem omnibus ritè dispositis in suis templis; imò concedendi vt alij sacerdotes in eorum templis eam omnibus accedentibus distribuant. Hoc tamen intelligendum est de communione libera: vt patet ex tenore priuilegiorum; & praxi Ecclesiæ. Atque ideo apud eos in paschate sine speciali venia sui Pastoris communicantes, non satisfaciunt præcepto de annua communione, sed tenentur nihilominus in sua parœcia communicare. 31

Nota Quintò, eosdem Religiosos non posse morientibus sæcularibus administrare viaticum nisi vrgente necessitate, siue quando esset periculum ne aliàs sine viatico morerentur: vt patet ex priuilegio Pauli III. dato Societati. *Paulus III.* 32

Nota Sextò, vrgente necessitate, quando aliàs esset periculum, ne quis sine viatico moreretur, quemuis sacerdotem nullis censuris impeditum, posse dare viaticum morituris. quia rationabiliter in tali casu præsumitur venia proprij Pastoris, quia eam tenetur concedere; aut saltem ipsius Ecclesiæ, quæ in tali casu suis quacumque ratione potest, cupit subuenire. Ita Suarez disp. 72. sect. 2. in fine. *Suarez.*

ARTICVLVS IV.

Vtrùm sacerdos consecrans teneatur sumere hoc Sacramentum?

33 RESPONDEO affirmatiua. Ratio est, quia sumptio pertinet ad integritatem sacrificij. Vnde Concilium Toletanum 5. c. 5. *Quale est* inquit, *sacrificium, cuius nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* sed de hac re fusiùs agemus q. 83. ar. 1. dub. 4. Pro responsione ad tertium vide dicta q. 76. a. 8. *Toletan. 5.*

ARTICVLVS V.

Vtrùm malus sacerdos Eucharistiam consecrare possit?

34 ARTIC. 5. docet, malum sacerdotem validè consecrare. Est de fide, ex Trident. sess. 7. can. 12. de Sacramentis in genere. Vide dicta suprà quæst. 64. a. 4. 6. & 9. *Trident.*

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Missa mali sacerdotis minùs valeat, quàm Missa sacerdotis boni?

ARTIC. 6. docet Primò, sacerdotem malum tam efficaciter consecrare quàm bonum. Quia actio sacramentalis non pendet ex meritis ministri. Patet ex dictis q. 64. a. 5.

Docet Secundò, orationes quas malus sacerdos in Missa fundit ex persona Ecclesiæ, esse etiam efficaces ad impetrandum, de quo agemus quæst. 83. ar. 1. dub. 5.

Docet Tertiò, orationes quas malus sacerdos vt priuatus fundit, non esse fructuosas. quod non est intelligendum de quibusuis orationibus, sed de iis quas peccando fundit, vt sit inter celebrandum. Nam peccatorem posse etiam fructuosè orare certum est, & ipse etiam D. Thomas alibi fatetur. *D. Thom.*

ARTICVLVS VII.

Vtrùm hæretici, schismatici, & excommunicati possint consecrare?

35 Omnis sacerdos validè consecrat. *D. Thomas.*

ARTICVLO 7. docet, supradictos omnes validè consecrare. quia quamdiu quis viuit, non potest amittere potestatem Ordinis. Vide dicta q. 64. a. 9.

Nota, quod adfert D. Thomas ad 2. ex Innocentio Papa, c. *Arianos*, qui dicit, clericis ab hæreticis ad Catholicam Ecclesiam redeuntibus solum baptisma ratum esse permitti (quod D. Thomas intelligit de baptismo, quem ipsi licitè conferunt in extrema necessitate;) meliùs intelligi de baptismo quem ipsi susceperunt. Sensus igitur est, quòd omnis potestas quam per alia Sacramenta susceperunt, eatenus eis aufertur, quatenus non permittuntur ea ampliùs in Ecclesia vllo modo vti. Secùs est de potestate quam percepe-

Qua ratione canones dicant clericis ab hæreticis collatis solùm baptismum ratum manere.

runt in baptismate, in quo collatum est illis ius percipiendi alia Sacramenta, aliaque bona omnibus Christianis communia: quod ius illis integrum manet post conuersionem & peractam pœnitentiam. & ea ratione manet illis ratum baptisma, non autem cetera Sacramenta, siue potestas per ea tradita, quia prohibetur iis vsus omnis potestatis, quam per ordinationem acceperunt.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm degradatus possit hoc Sacramentum conficere?

RESPONDET affirmatiuè, & per se patet; quia potestas Ordinis ab Ecclesia auferri non potest. 36

Nota, pro responsione ad 2. ea quæ D. Thomas citat ex can. *Quod quidam*. 1. q. 1. non esse verba canonis aut D. Augustini, ex quo ille canon sumptus est, sed Gratiani, qui etiam facilè explicari potest. Vt nihil aliud velit, quàm degradatum amittere omnem potestatem licitè aliquo casu vtendi suo Ordine. *D. Thom.* *D. Augustin.* *Gratianus.*

ARTICVLVS IX.

Vtrùm liceat ab excommunicatis, aut hæreticis, seu peccatoribus communionem recipere, & eorum Missam audire?

ARTIC. 9. docet, non licere ab hæreticis vel excommunicatis Sacramenta accipere. Vide textum, & dicta qu. 64. a. 6. vbi ea quæ ad hanc quæstionem spectant fusè disputauimus, & quædam adhuc dicemus in materia de excommunicatione. 37

ARTICVLVS X.

Vtrùm sacerdoti liceat omnino à consecratione Eucharistiæ abstinere?

ARTIC. 10. docet, sacerdotem non impeditum non posse perpetuò à celebrando abstinere, sed teneri saltem in præcipuis festis celebrare. quia tenetur vti gratia Dei quam accepit, ne videatur in vacuum eam accepisse. Sed hac de re fusiùs agemus in materia de sacrificio q. sequ. 38

QVÆSTIO LXXXIII.

DE RITV HVIVS SACRAMENTI

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Christus in hoc Sacramento immoletur?

1 Consecratio Ven. Eucharistiæ est verum sacrificium.

ART. 1. docet, consecrationem, siue conuersionem huius Sacramenti esse verum sacrificium, quo Christus immolatur. Probat Primò, quia consecratio verè & viuè exhibet nobis sacrificium crucis, non per modum simplicis repræsentationis, sed per modum veræ imitationis, quatenus eadem res in vtroque Deo offertur in testimonium supremi ipsius dominij, vt ostendam infrà: licet alio modò hîc offeratur, quàm in cruce. Secundò, quia per consecrationem fructus mortis Christi nobis ex opere operato applicatur; quod fieri non posset, nisi esset verum sacrificium: quia quà Sacramentum est, non prodest nisi sumentibus. Et sic intellectæ rationes D. Thomæ satis probant conclusionem. Prout ipse tamen eas proponit, primo aspectu satis difficiles sunt: rem autem sequentibus aliquot dubiis explicabimus.

DVBIVM I.

Quid sit sacrificium?

2 DVplex hic est quæstio. Prior est de nomine, scilicet, quid significet sacrificium. Secunda, de re ipsa, siue essentia sacrificij.

Hæretici nostri. *Hæreticis omne opus bonum est sacrificiū.* Quod ad priorem quæstionem attinet, hæretici nostri temporis, vt sacrificium Missæ faciliùs tollant, planè enertant significationem huius nominis, docent que omne opus bonum quod Deo reddimus, vt cum honore afficiamus habere veram rationem sacrificij: *Bellarm.* quos citant Cardin. Bellarm. l. 1. de Missâ, qui est quintus de Eucharistia c. 2. & P. Valentia in Apologia pro Missâ. Probant suam opinionem.

Valentia.

Primò, quia Scripturæ omne opus bonum vocant *Psal. 4.* sacrificium. Sic Psal. 4. dicitur: *Sacrificate sacrificium* *Psal. 50.* *iustitiæ*, &c. & Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, &c. & ad Hebræos vlt. *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur* (id est placatur) *Deus.* *Hebr. vlt.*

D. Augst. Secundò, ex D. Aug. qui l. 10. de Ciuit. Dei c. 6. ait, *Sacrificium verum est omne opus bonum quod agitur vt sanctæ societate inhæreatur Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.* Vbi apertè dicit, verum sacrificium esse omne opus bonum factum vt Deo placeamus.

3 Sed hac in re abuntur nomine sacrificij, contra vsum omnium nationum, atque adeò ipsius etiam sacræ Scripturæ. Nam ram hæc, quàm omnes omnino nationes, dum propriè loquuntur, per sacrificium certum aliquem actum intelligunt, distinctum ab aliis bonis operibus. Quis enim dum legit apud aliquem auctorem sacrum aut profanum simpliciter, & sine vllis adiunctis aliquem sacrificasse, intelligat eum dedisse vnam eleëmosynam, aut humiliter Deum orasse: & non potiùs eum Deo vero vel falso aliquid immolasse? Hinc etiam Scriptura sæpissimè sacrificium distinguit ab aliis piis operibus. *Psal. 50.* *Si voluisses sacrificium, dedissem vtique, holocaustis non delectaberis.* Et 1. Reg. 15. *Melior est obedientia quàm victimæ.* Oseæ 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Sed hæc res nimis clara est, quàm vt pluribus debeat discuti, & magis ex dicendis patebit.

Sed illud repugnat communi sensui omnium gentium. *Psal. 50.* *1. Reg. 15.* *Oseæ 6.*

4 Rationes autem ab hæreticis obiectæ, nullius omnino sunt momenti. Nam eodem modo probarent Christum esse propriè dictum leonem, aut vitem: quia in Scriptura dicitur leo, ac vitis vera, &c. Sicut igitur hæc loca necessariò sunt intelligenda metaphoricè, sic etiam illa, in quibus diuersa opera bona dicuntur sacrificium: quia nimirum habent eundem effectum cum sacrificio. Non minùs enim Deum nobis conciliant quàm sacrificium; imò sæpè multò magis: atque ideo à D. Aug. dicuntur verum sacrificium, quia nimirum Deus per eiusmodi opera in suum honorem facta veriùs honoratur, nobisque conciliatur quam per externum sacrificium: præsertim quando sine interna pietate fit. quod maximè verum est de sacrificiis pecorum, quibus D. Augustinus alia bona opera comparat, quæque ostendit Deo per se, & sine interna pietate non placere.

D. Augst.

5 Vt autem tota res meliùs intelligatur, Nota Primò omnes absolutos ac supremos Principes in quauis Reipub. habere aliqua insignia, quibus supremū suum in temporalibus dominiū omnibus manifestent, quæque nemo alius possit sibi assumere sine crimine læsæ Maiestatis. Contrà Respub. habet certos quosdam ritus ac signa externa, quibus suam subiectionem, illiusque in se dominium palàm significat, quæque nullus ex illa Repub. alicui alteri sine manifesta nota defectionis exhibere potest. Tale signum videtur fuisse olim pensio tributi, quo singuli nummum Cæsaris imagine insignitum persoluebant. Tale etiam est suspensio insignium ipsius Principis certo loco ac ritu facta, &c. Sicut igitur hoc & natura duce institutū, & gentium moribus receptum est: ita multò potiore ratione, & natura nos docuit, & communis omnium nationum lex sanciuit, vt aliquo externo signo summi rerum omnium Principis supremum in res omnes dominium palàm testaremur: quod alicui alteri exhibere nihil aliud esset, quàm à vero Deo discedere, & aliud numen agnoscere. Tale autem signum seu ritum vulgò omnes nationes quæque in sua lingua sacrificium vocare solent: vt facilè patebit legenti omnes historias. hinc Poëta:

Supremum Dei dominium testantur sacrificio.

Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpè tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Vbi vt probet Augustum sibi fore Deum, dicit se illi sacrificaturum. Vnde & pulchrè D. Aug. l. 10. de Ciuit. cap. 4. *Multa denique*, ait, *de cultu diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera; ita tamen vt quibus ea deferuntur homines habeantur, qui dicuntur colendi & venerandi: si autem iis multum additur, & adorandi. Quis verò sacrificandum censuit nisi ei quem Deum aut scivit, aut putauit, aut finxit?* *D. Augst.*

Inter alia honoris signa vnicū est sacrificium quod soli Deo exhiberi possit.

6 Dices, Etsi illa signa externa necessariò sint exhibenda terreno Principi, qui internum affectum in se nequit inspicere; secus tamen est de Deo, qui internas cogitationes immediatè intuetur, nec externis illis signis indiget, & vult in spiritu & veritate coli.

Cur necesse sit nos Dei sacrificio colere.

Resp. hoc argumentum bene probare talia signa non esse necessaria præcisè ex parte Dei, vt eum colamus: quia tamen oportet nos prouidere bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus, vt dicitur 2. ad Corinth. 8. & religionem nostram ac Dei nomen profiteri etiam coram hominibus, vt multis locis docemur in Euangelio; ideo opus est signis externis, quibus internum affectum exprimamus. *2. Cor. 8.*

7 Adde, cùm omnes qui eandem fidem habent constituant vnam Ecclesiam, atque vnum corpus, non solùm singulos per se separatim teneri Deo colere, ac ipsius dominium agnoscere: sed hanc obligationem esse etiam in toto corpore, vt palàm Deum colat, eiusque in se dominium protestetur. quod necessariò fieri debet per signum aliquod externum quod communi omnium nomine exhibeatur, & ab omnibus vt tale agnosci possit: vt & singula membra suam fidem in toto corpore possint agnoscere & aliis, qui ex hoc corpore non sunt, testatam reddere, ab iisque discerni: ira vt etiam ex hoc capite verum sit quod ait D. August. l. 19. contra Faustum c. 11. in nullam religionem siue veram, siue falsam posse homines conuenire sine externis signis. *D. Augst.*

Deus non solùm priuatim, sed etiam publico signo ac nomine colendus est.

8 Nota Secundò, etsi hæc professio fidei nostræ ac subiectionis erga Deum possit declarari solis verbis; omnino tamen conuenire, vt eam rebus ipsis, ac quibusdam ritibus testemur. Tum quia eiusmodi ritus & apriores sunt, vt communitatis nomine Deo exhibeantur, & efficaciùs nostrum affectum testantur quàm nuda verba. hinc etiam omnis Respub. suo Principi non solis verbis, sed reipsa ac certis quibusdam ritibus suam subiectionem testari solet. Tum etiam quia hæc testificatio Deo debetur tamquam aliquod tributum, quod necessariò in oblatione alicuius rei consistit.

Idque non solis verbis, sed etiam certo ritu.

9 Ex his patet Primò, sacrificium esse in genere signi: & sicut vox significatiua habet in se vim aliquid significandi, ita etiam sacrificium.

Sequitur Secundò, quòd sicut enuntiatio externa absolutè prolata secundùm se & abstrahendo ab interna intentione qua profertur, habet absolutam vim aliquid significandi; ita vt etsi ab interno sensu aut intentione pendeat vt vera sit vel falsa; non tamen

ab eo pendeat in eo præcisè vt hoc vel illud significet, nisi cum iis circumstantiis proferatur, quæ internam intentionem exterius patefaciant; vt suprà ostendi q. 60. art. 8. dub. 1. Sic etiam sacrificium debet tale esse signum, quod secundùm externam suam rationem habeat vim significandi nos agnoscere illum pro vero Deo, cui illud exhibemus, nisi modus exhibendi palàm ostendat contrarium; vt fit quando comœdi exhibent in theatro vetera aliqua sacrificia. Hinc qui apud Ethnicos consueto sacrificantium ritu mactat coram aliquo idolo aliquod animal, veram committit externam idololatriam, etsi interiùs id solùm animo ridendi intendat facere. Quare sacrificium ab interna intentione præcisè non dependet, vt habeat vim testificandi diuinitatem, & rationem externi sacrificij; sed in eo, vt sit illa testificatio vera vel mendax, & cultus verus vel simulatus.

Sacrificiũ habet suam vim significãdi non ab intentione sacrificantis, sed ab institutione.

10 Sequitur Tertiò, (sicut suprà q. 60. dixi de Sacramentis) sacrificium non minùs quàm voces habere vim ex instituto. quia nulla externa actio merè naturaliter, & sine vlla institutione potest habere eiusmodi vim significandi internum nostrum affectum, cùm ex diuersa intentione fieri possit.

Sacrificiũ habet vim significãdi ex instituto.

11 Sequitur Quartò, neminem priuata auctoritate (etiam secluso omni iure positiuo) posse instituere aliquod sacrificium. Ratio est, quia ficti quòd verba hoc vel illud significant, non pendet à priuata alicuius voluntate, sed à communi hominum sensu: ita quòd hæc actio habeat vim aliquid significandi, quod naturaliter non significat, non pendet ex priuata alicuius voluntate, sed ex communi multorum sensu. Quare ad solam communitatem, aut ad eum qui in sacris est caput communitatis, spectat sacrificia instituere, & maximè omnium ad ipsum Deum, cuius proprium est nobis præscribere quibus ritibus velit coli.

Nemo potest priuata auctoritate sacrificium instituere.

12 Hinc si aliquis in lege naturæ fuisset solus in aliqua solitudine, potuisset quidem certas cæremonias externas sibi præscribere quibus Deum coleret, & per quas eum Deum suum agnosceret; hæ tamen non habuissent veram rationem sacrificij. quia non habuissent rationem veri signi talis intentionis. Nam nulli homini potuissent talem intentionem significare. Nec refert quòd potuissent eam significare angelis; quia sacrificium sicut & Sacramentum debet esse signum humanum: alioqui posset in solis internis actionibus consistere, quas Deus & Beati, saltem ij ad quos aliquo modo diriguntur, vident.

Solus in eremo viuens non potest aliquod sacrificium instituere.

13 Dices, Posset quis aliquam cæremoniam sibi præscribere, qua, quoties eam perficeret, statueret supremum Dei in res omnes dominium testari, posseréque eam intentionem aliis significare; quo casu illa cæremonia haberet veram rationem talis signi: ergo etiam sacrificij.

Resp. Talem ritum non habiturum absolutè, & ex vi institutionis suæ talem significationem; sed solùm vi verborum, quibus ille suam intentionem aliis significasset, & solùm quando ab eo homine exhiberetur, & quidem coram illis quibus eam significasset. quod non sufficit ad rationem sacrificij, quod est publicum & absolutum in aliqua communitate signum, & protestatio talis recognitionis.

14 Adde, cùm talis haberet in aliqua communitate cuius esset pars (quia si haberet in solitudine, tunc nemini hanc suam intentionem posset indicare) nullam haberet auctoritatem instituendi eiusmodi signa: sicut in repub. politica nulla ratione spectat ad priuatum designare signa, quibus subiecti sui Principis in se dominium agnoscant, eique (vt vulgò aiunt) homagium faciant. Quæ multò clariora sunt, si loquamur de sacrificio, quod vero Deo vnquam exhibitum fuit tam in lege veteri, quàm nona. quia ipse tam Iudæis, quàm Christianis certa sacrificia præscripsit, quibus voluit coli, reliqua omnia prohibendo, & consequenter efficiendo illicita; & tollendo ijs omnibus potestatem aliquod sacrificium instituendi. Quare nemo vnquam alterutri legi subiectus potuit aliquod verum sacrificium instituere.

Sequitur Quintò, ex rei natura nullam certam actionem esse de essentia sacrificij. quare quòd hæc præ illa hactenus fuerit assumpta, hoc accidisse ex libera voluntate instituentis. Quamuis rursum negandum non sit alias actiones aliis esse ex natura sua magis ad hoc accommodas: sicut suprà q. 60. dixi de Sacramentis. Hinc quia ad significandum alterius dominium in nos, aptissima est actio qua tributum ei pendimus; omnia quæ hactenus legimus propriè dicta sacrificia fuisse instituta, constiterunt in alicuius rei oblatione Deo per modum cuiusdam tributi facta. Item quia Deus non habet simplex dominium in nos, sed absolutè supremum in res omnes, idque secundùm omnem rationem essendi quam habent; ita vt posset pro libitu omnia immutare: talis oblatio non fit simpliciter sicut quando tributum offertur Regibus, sed cum rei oblatæ reali aliqua immutatione. vt patet in omnibus retro institutis sacrificiis, in quibus semper res oblata vel corrumpebatur saltem magna ex parte; vt patet in oblatione pecudum quæ occidebantur, & vini quod in terram effundebatur, & similæ quæ adurebatur: vel etiam producebatur, vt fiebat olim in oblatione suffitus, & iam fit in sacrificio nouæ legis. In his enim, non id quod corrumpitur, sed id quod producitur, habet rationem hostiæ.

15 *Nulla certa actio est sacrificio naturaliter essentialis, quædam tamen sunt aptiores vt in iis eius ratio consistat.*

Fit cum reali rei immutatione.

Pro quo Nota, rem aliquando ita corrumpi, vt ex ea nascatur aliquid ipsa dignius & aptius, quod Deo offeratur, quàm sit res corrupta. Sic in sacrificio nostro corrumpitur panis, & reproducitur ibi corpus Christi; & dum res odorifera incenditur, producitur quædam exhalatio suauissimi ac gratissimi odoris, quæ per se expetitur, & cuius causa illa materia incenditur: & consequenter in vtroque sacrificio res producta, vtpote dignior, magis offertur quàm corrupta, & habet veram rationem hostiæ. Contrà verò dum mactantur pecudes, aut nihil producitur, aut producitur cadauer, vt aliqui volunt, quod vilius est animali occiso; & consequenter hoc habet potiùs rationem hostiæ, quàm illud, & ratio sacrificij consistit in huius peremptione, non autem propriè in illius productione. Hinc quia res oblatæ communiter aut occidebantur, vt quando erant animalia, aut saltem distribuebantur; factum est vt multa verba quæ sacrificationem significant, significent etiam occidere aut destruere: vt patet in verbis immolare & mactare.

16 *Quãdoque id quod producitur alias id quod corrumpitur, habet præcipuam rationem hostiæ.*

Ex hac generali conditione excipiunt aliqui sacrificium Melchisedec, qui videtur sacrificasse per simplicem panis & vini oblationem: quia nullam legitur circa ea fecisse immutationem. Sed hoc nihil conuincit. quia etsi ibi non sit scriptum, ipsum panem ac vinum offerendo ea immutasse; inde tamen non sequitur eum hoc non fecisse: præsertim cùm Scriptura ibi non intendat describere modum quo illa oblatio facta est. Quare alij ne hoc sacrificium cogantur excipere ex generali ratione omnium aliorum, valdè probabiliter asserunt eum aliquam saltem partem panis adhibuisse, & partem vini effudisse, & reliquum distribuisse Abrahamo & sociis, vt refert Iosephus.

17 *Ao sacrificium Melchisedec constiterit in reali mutatione.*

Iosephus.

Sequitur Sextò, etsi variæ actiones circa hostiam quæ immolatur, fiant, ipsum tamen sacrificium prout significat actum sacrificandi, propriè intrinsecè & essentialiter consistere in illa actione, qua hostia per realem sui immutationem Deo offertur, siue id fiat per hostiæ productionem, siue per eius interceptionem. vnde patet, in ijs sacrificiis, in quibus hostia oblata comeditur, ipsam comestionem non pertinere ad intrinsecam rationem sacrificij. quia per eam

18 *Quæ actio sit præcipua in sacrificio.*

nihil Deo offerimus, sed potiùs aliquid ab eo accipimus tanquam conuiuæ ad eius mensam admissi. vt
1. Cor. 10. patet ex 1. ad Corinth. 10. vbi comedentes hostias dicuntur fieri participes mensæ illius, cui hostiæ immolatæ sunt. Conuiuæ autem comedendo nihil offerunt inuitanti, sed ab eo aliquid accipiunt. Hinc Dominus
Leuit. 7. Leuit. 7. v. 34. ait se dedisse Aaroni & filiis eius ex hostiis pacificis pectusculum & armum legitimum sempiternum. quia scilicet iubente lege hæc à sacerdotibus debebant comedi. Pertinet tamen hæc comestio ad quandam extrinsecam sacrificij perfectionem: vt dicam dub. 5.

19 Quinque ad sacrificium requiruntur.

Sequitur Septimò, vt aliquod sacrificium sit legitimum, in eo obseruandos esse omnes ritus ab ijs, qui ipsum instituerunt, præscriptos. Ex sacrificiis autem, quæ hactenus fuerunt instituta, colligimus quinque ad legitimum sacrificium requiri. Primum est res aliqua permanens, quæ Deo tanquam tributum quoddam offeratur. Secundum est ritus seu modus offerendi, nimirum per realem hostiæ immutationem certo ritu factam: qui diuersus semper in diuersis sacrificiis fuit. Vnde sequitur omne sacrificium esse oblationem, non tamen omnem oblationem esse sacrificium. Hinc multa Deo offeruntur, quæ non sacrificantur. Sic in lege veteri offerebantur primogeniti, & in veraque offerûtur decimæ & primitiæ, non tamen immolârur.

Tertium est minister, qui tam in veteri, quàm in noua lege necessariò est sacerdos. Hinc Ozias Rex Iuda eò quòd tentaret adolere incensum, cùm non esset sacerdos, à pontifice Azaria prohibitus est, & à Deo
2. Paral. 26. lepra percussus: vt dicitur 2. Paralip. c. 26.

Genes. 14. Idem etiam ius fuisse in lege naturæ patet ex Genesi 14. Vbi cùm narratum fuisset, Melchisedec obtulisse panem & vinum, statim subditur: *Erat enim sacerdos Dei altissimi.* Vbi clarè insinuatur futurum vt alijs non posset offerre. Imò eadem conditio etiam apud Ethnicos fuit obseruata. Nam etiam apud eos vbique legimus fuisse certos, ad quos pertineret sacrificare.

20 Contra hanc tamen conditionem triplex mouetur difficultas. Prima, quia apud Gentiles sæpè promiscuè multi leguntur sacrificasse: imò Christiani vulgo à Tyrannis ad hoc compellebantur. Secunda, quia in lege naturæ omnes videntur sacrificasse: vt Cain, Abel, Abraham, Iacob, qui tamen non leguntur fuisse sacerdotes. Tertia, quia etiam inter Iudæos vulgò omnes etiam non sacerdotes immolabant phasc: vt
Philo. testatur Philo de vita Moysis. Et videtur aperte colli-
2. Paral. 30. gi ex 2. Paralip. c. 30. vbi de populo Iuda dicitur: *Immolauerunt autem phasc decimaquarta die mensis secundi. Sacerdotes quoque atque Leuitæ tandem sanctificati obtulerunt holocausta in domo Domini.* Vbi videtur tribui populo immolatio phasc, & sacerdotibus immolatio holocaustorum. Et infrà dicitur Leuitas immolasse phasc pro iis, qui ex populo sanctificati non fuerant: vbi insinuatur sanctificatos per se immolasse.

21 Qua ratione apud Gentiles non sacerdotes sacrificabât.

Ad Primam Resp. quando priuati apud Ethnicos dicuntur sacrificasse, sacrificium latiore modo sumi pro quadam imperfecta ratione sacrificandi, qua aliquis in honorem Dei aliquid offerebat. Aliàs pro perfectis sacrificiis eos habuisse certos sacerdotes liquet ex omnibus historiis. Vel etiam posset dici, ex quodam errore ac abusu eos permisisse vt quinis sibi priuatim esset sacerdos: sicut priuatim quisque suos habebat deos.

22 D. Hieron.

Ad Secundam respondent multi, in lege naturæ omnes primogenitos fuisse sacerdotes; Abel verò qui primogenitus non erat, ex particulari Dei instinctu & ordinatione sacrificasse. Vide D. Hieron. in quæstionibus Hebraïcis, vbi agit de Melchisedec.

Alij verò volunt vnumquemque patremfamilias inter suos fuisse sacerdotem. quod colligitur ex lib. Iob. c. 1. vbi dicitur sacrificasse pro filiis. Et valdè pro-
Iob. 1. babile est: quia in lege naturæ initio quisque pater-familias erat absolutè caput suæ familiæ, & habebat in eam absolutam potestatem vt patet ex cap. 38. Genes. vbi Iudas Thamar nurum suam accusatam quòd esset fornicata, iussit igne comburi, quasi absolutus iudex.

In lege naturæ pater-familias erat inter suos princeps ac sacerdos.

Ad Tertiam, multi putant apud Iudæos phasc à solis sacerdotibus Aaronicis fuisse immolatum. Primò, quia essentiale est sacrificio vt fiat à sacerdote. Apo-
Genes. 38. 23
stolus autem ad Hebr. 7. v. 14. apertè insinuat extra
Hebr. 7. tribum Leui nullos apud Iudæos fuisse sacerdotes. Secundò, quia 1. Esdræ c. 6. dicuntur sacerdotes
1. Esdræ 6. & Leuitæ immolasse phasc pro omnibus filiis Israël. Tertiò, quia phasc solùm poterat immolari in loco quem Dominus elegerat, vt habitaret nomen eius ibi: vt dicitur Deuter. 16. Videtur autem ille locus
Deuter. 16. fuisse templum, in quo soli sacerdotes immolabant.

Sed hæ rationes nihil conuincunt. Ad Primam Resp. omnes patresfamilias quoad hanc immolationem inter Iudæos fuisse sacerdotes, idque ex institutione Dei confirmantis in hoc statum legis naturæ, ad quam illa immolatio & hoc sacerdotium pertinebant, non autem ad legem Moysis quam præcesserunt. Apostolus autem ad Hebr. solùm negat extra tribum Leui fuisse per legem vllos sacerdotes institutos: vt patet ex textu.

Ad Secundam Resp. si hic locus aliquid probaret, 24
probaret Leuitas omnes fuisse sacerdotes, quia dicitur hos etiam immolasse phasc. Quare dicendum est, eos tunc immolasse pro populo, quia vel hic fortè magna ex parte non erat purificatus; vel quia erat adhuc cæremoniarum, quibus hæc immolatio debebat fieri, omnino ignarus: vt in simili casu dicitur 2.
2. Paral. 30. Paralip. c. 30.

Ad Tertiam Resp. per locum, quem Deus elegit, ibi intelligi ipsam ciuitatem in qua erat templum: vt patet ex contextu, quia comparatur hic locus cum aliis vrbibus.

Quare alij & meliùs tenent, singulos patresfamilias in hoc casu fuisse sacerdotes, & immolasse agnum: 25
Patresfamilias immolabant phasc. Philo. Suarez. vt docet Philo harum rerum peritissimus. Ita Suarez tom. 2. in 3. partem disp. 40. sect. 2. & probat rationibus suprà allatis, quibus alia clarissima addi potest. Quia immolatio phasc fuit à Deo institura, & à Iu-
Exodi 12. dæis ritè facta antequam Aaronici sacerdotes vlli essent: vt patet Exodi 12. Quare hæc immolatio non potuit per illos fieri. Imò nec multis annis postea per illos fieri potuit, cùm solus Aaron & filij eius essent sacerdotes, qui cùm essent paucissimi, tot millibus agnorum vno vespere immolandis nullo modo poterant sufficere.

Quartum requisitum est locus in quo fit sacri- 26
Altare necessarium. ficium. Nam apud omnes nationes certus aliquis sacrificio fuit destinatus à terra eleuatior, (quem Latini altare vel aram vocant) quique illi soli rei seruiebat: vt patet ex historiis tam sacris quàm profanis. Has autem duas conditiones ad sacrificium requiri, vel ex ipsa affinitate nominum colligitur. Nam Latinis sacerdos dicitur à sacrificio: apud Græcos ἱερεύω sacrifico, ἱερεὺς sacerdos, ἱερεῖον victima. Item θύω sacrifico, θυσία, victima, θυσιαστήριον altare. Hebraïcè זבח sacrificauit. זבח sacrificium. מזבח altare, quibus significatur hæc omnia ad idem opus spectare.

Quintum requisitum est ex parte finis, vt sacrifi- 27
cium ipsi soli Deo fiat. Patet ex dictis, quia per illud testamur eum, cui sacrificamus, esse supremum rerum omnium Dominum, quod soli Deo conuenit.

Primam, secundam, tertiam, & quintam conditionem breuiter complexus est Apostolus ad Hebr. 5. Hebr. 5.
his verbis, *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat*

dona & sacrificia pro peccatis. Vbi apertè requirit Primò pontificem seu sacerdotem ex hominibus assumptum: vt ostendat non omnes homines esse sacerdotes. Secundò, vt offerat dona & sacrificia: vbi requiritur hostia, quæ offeratur. Et Tertiò cùm distinguat inter oblationem doni & sacrificij, ostendit ad sacrificium particularem oblationem siue immolationem requiri. Quartò requirit vt fiat Deo. Vbi Nota, has quatuor conditiones videri essentiales saltem omni sacrificio, quod in veteri aut noua lege fuit institutum: ita vt si aliqua deficeret, non posset habere rationem veri sacrificij, sed sacrilegij. Secùs est de quarto requisito, siue altari. Quia si quis iam sacerdos consecraret vtramque speciem sine altari, etsi grauiter peccaret, offerret tamen verum sacrificium.

28 Quatuor conditiones sacrificio essentiales.

29 Nec his obstat quòd Ethnici olim multis diis immolabant, cùm tamen fieri nequeat vt multi habeant supremum rerum omnium dominium. Quia in eo contra apertam rationem errabant, & secum pugnabant, sicut etiam in eo quòd admittebant quosdam deos minores, quibus etiam quandoque licet rariùs sacrificabant: in quo aperta est repugnantia.

30 Sacrificij definitio. Ex his demum facile est colligere in quo consistat ratio sacrificij, quæ hoc modo definiri potest. Sacrificium est oblatio externa legitima auctoritate instituta, qua res aliqua sensibilis immutatur per legitimum ministrum, legitimo loco & ritu Deo vero facta, in protestationem summi ipsius in res omnes dominij. Dico hanc oblationem debere fieri vero Deo. quia si alicui alteri fiat, magis est sacrilegium quàm sacrificium. Reliquæ omnes partes definitionis clarè patent ex dictis.

31 Varia diuisio. Diuiditur autem variè sacrificium. Primò ratione temporis quo fuit institutum; in sacrificium legis naturæ, Mosaicæ & nouæ. Secundò, ratione materiæ & modi, quo offertur. Sic in lege veteri varia fuerunt sacrificia. Nam animalia immolabantur occisione, aut etiam totali per ignem consumptione: res inanimæ siccæ, vt thus, sal, similia, per combustionem: liquidæ per effusionem, quæ libatio dicebatur. In lege verò noua vnicum omnino est sacrificium, de quo agemus dub. sequ.

DVBIVM II.

Vtrùm Christus dum in vltima cœna hoc Sacramentum confecit, proprie dictum sacrificium obtulerit?

32 Hæretici nostri. Christus in cœna verè sacrificauit. HÆretici nostri temporis vt omnino sacrificium Missæ tollant, pertinacissimè id negant: contra quos sit hæc CONCLVSIO.

Trident. Fide tenendum est, Christum, dum in vltima cœna panem & vinum in corpus & sanguinem suum consecrando conuertit, verum & propriè dictum sacrificium obtulisse. Ita Trid. sess. 22. c. 1.

Bellarm. Valentia. Hanc conclusionem multi doctissimè & fusissimè probant, præsertim qui contra hæreticos disputant: inter quos Card. Bellarm. l. 1. de Missa cap. 6. 7. &c. & Valentia hìc d. 6. quæst. 11. Nos breuiter eam pro nostro instituto explicabimus. Probatur igitur Primò.

39 *Psal.* 109. *Hebr.* 7. Cùm Scriptura testetur Psalm. 109. & ad Hebr. 7. Christum esse sacerdotem in æternum secundùm ordinem Melchisedec, debet cum eo in ratione sacrificandi aliquo modo conuenire: atqui nisi dicamus eum in vltima cœna conficiendo hoc Sacramentum sacrificasse, nulla ratione poterimus ostendere eum cum Melchisedec in ratione sacrificandi conuenire; & si hoc dicamus, id facillimè ostendemus: ergo hoc dicendum.

Maior probatur, quia cùm sacrificium & sacerdotium dicant necessarium ordinem ac analogiam inter se, ita vt sacerdos à sacrificando dicatur, vt ostendi suprà; ex conuenientia vtriusque sacrificij sumenda etiam est conuenientia vtriusque sacerdotij.

Minoris prior pars per se patet, quia nullum est aliud sacrificium Christi quod habeat vllam conuenientiam cum vllo sacrificio quod scimus Melchisedec obtulisse. Secunda pars probatur, quia sacrificium Melchisedec consistit in oblatione panis & vini, atque ita per ipsum optimè repræsentatur sacrificium Eucharisticum, in quo corpus & sanguis Christi sub specie panis & vini offeruntur.

34 Vt hoc argumentum euertant hæretici, negant Melchisedec offerendo panem & vinum sacrificasse. Probant Primò, quia Genes. 14. tantùm dicitur Melchisedec protulisse panem & vinum, vt daret ea militibus Abrahæ, vt Iosephus & alij narrant. Secundò quia ad Hebr. 7. vbi Apostolus comparat sacerdotium Christi & Melchisedec, nullam facit mentionem talis modi sacrificandi. *Gen.* 14. *Iosephus. Hebr.* 7. Melchisedec verè sacrificauit.

Sed contrà facit Primò, quia illo c. 14. Genes. cùm dictum fuisset Melchisedec protulisse panem & vinum, statim subiungitur causa: *Erat enim sacerdos Dei altissimi.* quibus verbis apertè significatur eum hæc protulisse ad sacrificandum.

35 Respondent hæretici, in Hebræo non haberi *erat enim*, &c. sed, *& erat sacerdos*, &c. volúntque hæc connecti cum sequentibus, *& benedixit ei*, &c. vt dicatur ideo fuisse sacerdos, vt posset Abrahamo benedicere. Sed hæc non satisfaciunt. quia sunt contra fidem omnium codicum Hebræorum, qui ponunt notam distinctionis post *altissimi*, hoc modo, *Produxit panem & vinum, & ipse sacerdos Dei altissimi. Et benedixit*, &c. quibus Chaldaica aliæque versiones consentiunt. Ex quo patet, illud, *Et erat sacerdos Dei altissimi*, non posse connecti cum sequentibus, sed cum præcedentibus. quare vt sit sensus, necessariò dicendum est, ו id est &, ibi poni pro כי id est *nam*. quod Hebræis frequentissimum est.

Secundò, contra dictam solutionem facit, quòd nisi fateamur ibi describi sacrificium Melchisedec, nullus sit locus in tota Scriptura, ex quo possimus colligere quale ipsius sacrificium aut sacerdotium fuerit. quod omnino absurdum est. Nam omnino incredibile est, Scripturam toties nobis inculcare sacerdotium Christi esse simile sacerdotio Melchisedec; & tamen nullibi nobis vel per vmbram indicare, quale fuerit sacerdotium aut sacrificium Melchisedec.

36 *Iosephus.* Ex quibus patet solutio Primi argumenti hæreticorum. Nec refert quòd Iosephus dicat, Melchisedec distribuisse panem & vinum Abrahamo & sociis: hoc enim non tam faciebat quòd refectionis causa his indigerent (nam, vt patet ex v. 21. & 24. lautam prædam acceperant, multáque cibaria ex quibus benè comederant) quàm vt redderet eos participes sacrificij.

Ad Secundum Respondeo, Apostolum ibi nullam facere mentionem huius aut alterius sacrificij ipsius Melchisedec. Primò, quia non erat ei propositum, ostendere Christum esse sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec, aut vtriusque sacrificium esse simile (hoc enim ex Scripturis vt clarum supponebat.) sed volebat ex excellentia sacerdotij Melchisedec, ostendere excellentiam sacerdotij Christi. ad quod impertinens erat illa ratio sacrificandi, in qua Melchisedec secundùm quandam apparentiam videbatur esse minor sacerdotibus Aaronicis. Secundò, quia, vt docet Apostolus ibidem cap. 5. vers. 11. illi, ad quos scribebat, nondum erant capaces tantorum mysteriorum, quæ in comparatione vtriusque sacrificij, Melchisedec scilicet & Christi, oportuisset explicare. Si enim hæretici nostri etiam modò nequeant capere, quî fieri possit, vt Christi corpus & sanguis *Hebr.* 5.

ſub ſpecie panis & vini verè contineantur ac immolentur: quomodo illi Iudæi, qui teſte Apoſtolo erant planè rudes & paruuli in fidè, id potuiſſent capere? Confirmantur hæc omnia, quia tota Eccleſia, & communiter Patres ſemper docuerunt Melchiſedec ibi ſacrificaſſe, & adumbraſſe ſacrificium Euchariſticum vt fusè probat Bellarm. ſuprà.

Bellarm.

37 Probatur concluſ. Secundò, quia immolatio & comeſtio agni Paſchalis fuit verus typus non ſolùm ſacrificij crucis, ſed etiam Euchariſtici: atqui illius immolatio fuit verum ſacrificium, vt communiter Patres docent, & teſtatur Philo lib. 3. de vita Moyſis. & apertè inſinuat Apoſtolus 1. ad Corinth. 5. vbi alludens ad immolationem agni paſchalis ait, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*: quo verbo verum ſacrificium ſignificatur: ergo ſacrificium Euchariſticum eſt verum ſacrificium.

Philo.
1. Cor. 5.

Immolatio agni fuit typus ſacrificij Euchariſtici.

Maior probatur Primò, quia ſicut agnus paſchalis debuit immolari luna decimaquarta ad veſperam: ita eodem tempore Chriſtus ſeipſum in hoc Sacramento immolauit. Secundò, ſicut agnus paſchalis primò fuit immolatus immediatè ante liberationem filiorum Iſraël à poteſtate Pharaonis: ita Chriſtus hoc ſacrificium obtulit immediatè ante ſuam paſſionem, qua à poteſtate diaboli ſumus liberati. Tertiò, ſicut celebratio agni paſchalis fuit inſtituta non ſolùm in memoriam liberationis Iudæorum ex Ægypto, ſed ipſe etiam fuit iis datus in cibum quo fortificaretur ad conficiendam viam verſus terram promiſſionis: ita celebratio huius Sacramenti inſtituta eſt, non tantùm in memoriam paſſionis Chriſti, qua in libertatem vindicati ſumus; ſed etiam vt huius victimæ comeſtione roboraremur, vt faciliùs poſſemus per deſertum huius mundi peruenire ad cæleſtem patriam. Quare ſicut agnus typicus debuit priùs immolari, vt Iudæi poſſunt veſci ipſius carnibus: ſi etiam verus agnus, qui tollit peccata mundi, debuit priùs ſeipſum in cœna immolare, vt ſuas carnes tanquam victimæ occiſæ diſcipulis comedendas daret: vt benè docet D. Gregorius Nyſſenus homil. 1. de reſurrectione, cuius verba infrà citabo. Vnde pulchrè D. Leo ſerm. 7. de paſſione: *Vt ergo*, ait, *umbræ cederent corpori, & ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis, antiqua obſeruantia nouo tollitur Sacramento; hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguinem ſanguis excludit, & legalis feſtiuitas dum mutatur, impletur.* Vbi expreſsè docet, tam Chriſtum vt tunc erat in hoc Sacramento, quàm agnum paſchalem fuiſſe veras hoſtias, & conſequenter conſectionem huius Sacramenti eſſe veram immolationem. Idem docent communiter alij Patres, quos vide apud Bellarm. ſuprà c. 7.

Gregor. Nyſſen. D. Leo.

Bellarm.

38 Proh. concluſ. Tertiò, ex ipſis verbis quibus Chriſtus hoc Sacramentum confecit, quæ D. Lucas c. 22. ita refert, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hic eſt calix nouum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur*, ſcilicet in remiſſionem peccatorum. vt ait c. Matth. 26.

Luc. 22.

Matth. 26.

Vnde ſic argumentor Primò, Chriſtus ibi dicit in præſenti corpus ſuum dari, ſiue, vt Apoſtolus refert 1. ad Corinth. 11. frangi pro Apoſtolis, & ſanguinem ſuum pro iis fundi in remiſſionem peccatorum. quæ ſignificant apertè eum inſtar hoſtiæ ibi immolari: ergo tunc fuit verè immolatus.

1. Cor. 11.

Hæretici noſtri.

Reſpondent hæretici, Chriſtum ibi loqui de immolatione crucis; & quia mox futura erat, loquitur de ea quaſi præſenti: atque ita ponit tempus præſens pro mox futuro. Ideóque etiam in verſione Vulgata, & canone Miſſæ in forma calicis ponitur *effundetur*. Sed hoc non ſatisfacit. quia etſi Chriſtus iis etiam verbis intendebat ſignificare immolationem mox futuram in cruce; tamen primò & per ſe intendebat explicare præſens illud myſterium, quod tunc actu peragebat. Quare cùm omnes tres Euangeliſtæ in Græcis exemplaribus ita referant verba Chriſti, vt propriè ſignificent præſentem ſanguinis effuſionem, & victimæ immolationem; omnino dicendum eſt Chriſtum primò & per ſe voluiſſe ſignificare tunc præſentem immolationem, & illa mediante mox futuram in cruce. quia verba Scripturæ propriè accipienda ſunt, quantum fieri poteſt.

Nec tamen ideo malè facit Eccleſia in canone proferendo ea in futuro tempore: quia Chriſtus ea in vtroque ſenſu, vt oſtendi, protulit; immediatè tamen ea intellexit de immolatione præſenti.

Ex iiſdem argumentor Secundò, quia per illa verba, *Hic eſt calix nouum teſtamentum in meo ſanguine*, &c. ſiue, vt habet Matth. *Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti*; Chriſtus alludit ad verba & factum Moyſis Exodi 24. vbi victimæ occiſæ ſanguinem accipiens ſparſit in populum dicens: *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum.* Nam ſicut Moyſes ibi nomine Dei condebat & firmabat cum filiis Iſrael verus teſtamentum: ita Chriſtus hic condebat & firmabat nobiſcum nouum teſtamentum, vt ipſe apertè teſtatur. Et ſicut Moyſes in confirmationem illius teſtamenti effundebat victimæ ſanguinem ſuper filios Iſraël: ita Chriſtus fundebat ſuum ſanguinem in ora & corda diſcipulorum, quibus illum propinabat bibendum. Sicut igitur Moyſes ibi fundebat ſanguinem victimæ immediatè antè immolatæ: ita etiam Chriſtus hic. Cùm igitur & figuræ ad quas hic Chriſtus tam expreſsè alludit, & verba quibus ipſe vtitur, apertè ſignificent præſentem immolationem; malè omnino contra eorum proprietatem negatur hic præſentem immolationem ſignificari, cùm nulla ſit ratio cur eam negemus. 39

Exod. 24.

Argumentor Tertiò, & clariſſimè ex verbis Chriſti apud Lucam, vbi non modò dicit in præſenti ſuum ſanguinem effundi, ſed ipſum calicem effundi. Vt patet ex Græcis quæ ſic habent; Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Vbi notandum eſt ἐκχυνόμενον, *qui effunditur*, nullo modo poſſe connecti cum αἵματι, id eſt ſanguine, ſed cum ποτήριον, id eſt calix. quare expreſsè Chriſtus dicit calicem effundi. Et quamuis continens ponatur pro contento, & calix ſignificet ſanguinem; non tamen eum ſignificat prout fuit effuſus in cruce (vt ſic enim non poteſt ſignificari nomine calicis) ſed vt fuit contentus in calice; in quo eatenus dicitur verè effundi, quatenus quantum eſt ex vi verborum præcisè ponitur ſeparatim à corpore inſtar ſanguinis victimæ occiſæ, vt dicemus infrà. 40

Probatur concluſ. Quartò, actio quam tunc Chriſtus exercuit habuit omnia quæ ad rationem veri ſacrificij neceſſaria ſunt: ergo fuit verum ſacrificium. Antecedens probatur, quia fuit in ea vera externa oblatio rei alicuius permanentis per realem immutationem. Quia, vt oſtendi ſuprà quæſt. 75. Chriſtus panem & vinum verè in ſuum corpus & ſanguinem conuertit, atque ita ſeipſum ibi præſentem ſub Sacramento ſtitit, idque in honorem Dei & teſtimonium diuinitatis ipſius, vt vel inde patet, quòd hanc oblationem facturus oculos in cælum ad Deum eleuarit, eique gratias egerit, vt oſtenderet ſe totam illam actionem in ipſius honorem facere, ipſúmque rerum omnium auctorem, à quo omnia habemus, agnoſcere. Fuit etiam facta à legitimo ſacerdote, vt per ſe patet, & ſupra menſam, quæ altaris vicem ſubiit: in quibus tota ratio ſacrificij conſiſtit. Cùm igitur & rationi & Scripturæ conformius ſit Chriſtum ibi verè ſacrificaſſe, ſine vlla ratione id negatur. 41

Probatur Quintò, quia hic fuit totius ab initio Eccleſiæ ſenſus: vt patet ex D. Leone ſuprà citato, & ex D. Cypriano lib. 2. epiſtol. 3. aliàs 63. ad Cæcilium, 42

D. Leo. Cyprian.

vbiait: *Nam quis magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedec obtulerat, id est panē & vinum, suum scilicet corpus & sanguinē?* Itē ex Gregorio Nisseno hom. 1. de resurre. circa medium, vbi de Christo loquens: *Non iniquam*, inquit, *Pilati sententiam exspectat, vt eorum malitia fit communis hominum salutis principium & causa, sed consilio suo anteuerti, & arcano sacrificij genere quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostium offert, & victimam immolat sacerdos simul existens & agnus Dei, ille qui mundi peccatum tollit. Quando id præstitit? cùm corpus suum discipulis congregatis edendum & sanguinem bibendum præbuit; tunc apertè declarauit agni sacrificium iam esse perfectum. nam victimæ corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cùm corpus edendum, & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam arcana & non aspectabili ratione corpus erat immolatum, vt ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat.* Quæ ostendunt tam apertè Gregorium loqui de vero & propriè dicto sacrificio, vt non possint sine aperta violentia ad metaphoras detorqueri. Qui plura Patrum testimonia desiderat, videat Card. Bellarm. suprà citatum. Nobis enim hæc sufficiunt, vt ostendamus iam olim Ecclesiam ita sensisse. Vnde bene inferimus eam doctrinam fuisse hausiam ab Apostolis, donec hæretici ex aliquo antiquo auctore ostenderint quando habuerit initium.

Greg. Nyssenus.

Bellarm.

43 Obiiciunt hæretici Primò Christus ibi tantùm mysticam cœnam instituit, vt daret discipulis Sacramentum sui corporis & sanguinis: ergo non sacrificauit.

Secundò, si ibi obtulisset suum corpus & sanguinem pro peccatis nostris, illa oblatio fuisset infiniti valoris, & sufficiens ad delenda omnia peccata nostra: ergo tunc frustra fuisset sacrificium crucis. quia per illam oblationem fuissemus sufficienter redempti.

Tertiò, quia si tunc Christus obtulisset sacrificium, per illud repræsentasset sacrificium crucis futurum: vnde sequitur, cùm nostrum sacrificium sit idem cum sacrificio Christi, quòd repræsentabit crucifixionem futuram: & consequenter erit falsum.

44 Ad Primum, nego antecedens. Est enim manifestè falsum: vt patet ex dictis, & sine probatione assumitur.

Cur sacrificium Eucharisticum non sufficerit pro nostra redemptione siue cruento.

Ad Secundum, nego consequentiam. Quia cùm omnis actio Christi fuerit absolutè infiniti valoris, simili ratione vnaquæque fuit sufficiens pretium nostræ salutis: & absolutè etiam vel vnica ad nostram redemptionem etiam de digno merendam sufficisset, si Deus voluisset nos ita redimi: sed quia ipse aliter iustas ob causas statuerat, hinc factum est, vt ex pacto inter Patrem & Christum inito nostra redemptio non potuerit perfici, nisi per sacrificium crucis.

Ad Tertium, nego sequelam. Quia simili ratione probaretur, sumptionem Venerabilis Sacramenti iam non repræsentare passionem Christi præteritam. quia, cùm Christus dedit hoc Sacramentum Apostolis, non potuit repræsentare præteritam. Quare dicendum est, etsi Christus non potuerit tunc per actionem quam tunc exercuit, significare passionem præteritam, cùm adhuc esset futura: eam tamen ita instituit, vt ab aliis non fieret nisi post passionem; & consequenter vt eam præteritam significaret. Vnde sicut Christi sacrificium & nostrum omnino vnum sunt: ita etiam secundum rem vnum omnino idemque significant, scilicet passionem Christi. Sicut tamen à diuersis proximè offerentibus, & diuerso tempore oblata sunt: ita eandem rem secundùm diuersas temporis differentias significant.

Sacrificium vltimæ cenæ & Missæ idem diuersa ratione significant.

Obiiciunt præterea quædam alia, seu quæ potiùs repugnant sacrificio Missæ vt à nobis offertur. quare dubio sequenti ea soluemus.

DVBIVM III.

Vtrùm Missa sit verum sacrificium?

45 HÆretici omnes nostri temporis id pertinacissimè negant. Vt autem faciliùs nostram sententiam impugnent, Primò, multum rident ipsum nomen *Missæ*, quòd sit barbarum, petuntque illud sibi in Scriptura ostendi. *Secundò*, totum statum quæstionis inuertunt, mentiunturque nos totam rationem sacrificij constituere in quibusdam externis cæremoniis, quas etiam quò magis odiosas reddant, valdè ridiculè describunt, dicendo nos in eo constituere rationem sacrificij, quòd sacerdos modò clamosus sit, modò submissa voce aliquid submurmuret; modò erectus ster, modò incuruus, modò expansis brachiis, modò contractis. Sed hac in re ostendunt se esse meros sycophantas, & omnino profligatæ conscientiæ: vt qui in tanta re doctores se ac serios disputatores fore promittant, & histrionem agant: & vndequaque omnia conquirant mendacia quò veritati tenebras offundant.

Hæretici nostri.

Sycophantia hæreticorum.

Quod igitur ad Primum attinet, siue *Missa* sit vox barbara, siue latina, siue habeatur expressè in Scriptura, siue non, nihil facit ad præsentem quæstionem. Nec enim hìc disputamus vtri loquantur latiniùs, sed vtri loquantur veriùs. Nam aliàs deserenda nobis essent Euangelia, illíque substituendus Cicero. nam in illis sæpè contra puritatem latini sermonis peccatur. Hæc ergo priùs rideant quàm nos subsannent, qui ab Euangelistis, non autem à grammatistis fidei doctrinam petendam credimus. Nec refert quòd nomen *Missæ* non habeatur in Scriptura. quia non disputamus de voce sed dere. Et simili ratione poterunt accusare omnes qui credunt Trinitatem & ὁμοούσιον quia hæc nomina non habentur in Scripturis, ideoque etiam hoc postremum eorum propheræ displicere. Credo sanè si hi noui euangelistæ fuissent in Concilio Niceno, cum Arrianis contra Catholicos ὁμοούσιον damnassent.

46

Res petenda ex Scripturis non verba.

Quod verò ad Secundum attinet, simili etiam ratione poterunt ridere ac reprobare sacrificium crucis, & dicere hoc in eo constitisse, quòd Christus in cruce pendens modò taceret, modò astantes compellaret, modò alta voce, modo submissa oraret, atque eum vocare modò clamosum, modò submurmurantem. Item quòd modò caput erexerit, modò inclinarit: atque ita cum Luciano ex Christo sacerdote histrionem facient. Et omnino credo eos satis ad hoc spiritus & oris fuisse habituros, si in Iuliani Apostatæ aut Luciani tempora incidissent.

Refelluntur qui ridendo cæremonias Missæ.

Sed his omissis vt rem ipsam explicemus, Nota Primò, nomen *Missæ* esse antiquissimum in Ecclesia. Ambrosius enim l. 5. epistola 33. circa initium: *Ego*, inquit, *manſi in munere, Missam facere cœpi*, &c. Item Augustinus serm. 91. de tempore: *In lectione*, ait, *quæ nobis ad Missas legenda est*, &c. Non est autem vox hebræa, vt multi putant, sed latina, apud solos Latinos vsitata, atque idem significat quod missio. Est autem iam olim hoc sacrificium ita dictum, quia eo peracto per Diaconum populus olim solebat & adhuc solet his verbis dimitti, *Ite Missa est*, quasi dicat, Licet abire peracto sacrificio, sit missio, siue dimittimini: atque inde totum sacrificium dictum est *Missa*. Et quia ante oblationem solebant dimitti catechumeni, prima illa pars officij solita est vocari Missa catechumenorum. Et hæc sufficiant de nomine.

47

Ambros. August.

Nomen Missæ antiquissimum. Est vox latina.

Vt autem ad rem veniamus, Nota Secundò, quæstionem, de qua contra hæreticos disputamus, esse, Vtrùm in toto illo officio quod vocamus Missam contineatur verũ sacrificium, in quacumque demum

parte

parte ipsius sacrificij essentialis ratio consistat. quod iam non quæritur, de eo tamen postea disputabimus.

48 Missa continet verum sacrificium. *Trident.*

CONCLVSIO. In Missa offertur verum & propriè dictum sacrificium. Ita omnes Catholici, & Trident. sess. 22. capit. 1. & can. 1. contra hæreticos nostri temporis.

Probatur Primò, ex veteri Testamento, in quo hoc nostrum sacrificium fuit plurimis figuris, quæ erant vera sacrificia, adumbratum; & pluribus locis quòd esset in noua lege futurum, prædictum fuit: ergo est verum sacrificium. Antecedens fusè probant tum Cardin. Bellarmin. l. 1. de Missa, per multa capita; tum alij qui hac de re proprios tractatus scripserunt. Nos breuitatis causa vnica prædictione, eaque clarissima contenti erimus, quæ habetur Malachiæ 1. vbi cùm Dominus ostenderet cur sibi displicerent sacrificia sacerdotum illius temporis, tandem subiungit: *Bellarm.* *Malach. 1.*

A Malachia prædicitur. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Vbi expressè dicitur offerri (scilicet propheticè ponendo tempus præsens pro mox futuro) in omni loco à gentibus oblatio munda, per verum scilicet sacrificium: atqui hoc non potest intelligi de vllis gentibus nisi de Christianis, quia aliæ omnes vulgò erant idololatræ, & offerebant sacrificia dæmonijs, quæ Deo placere non poterant, & quanquam fortè aliqui ea offerebant etiam Deo vero, tamen hi paucissimi erant, nec propter hos poterat dici sacrificari in omni loco. Loquitur igitur prophera de Christianis, aitque eos verè sacrificare. quod non potest intelligi de alio sacrificio quàm de sacrificio Missæ: quia nihil aliud apud nos est, aut esse fingitur quod habeat veram rationem sacrificij.

49 Respondent hæretici, prophetam loqui de sacrificio impropriè dicto, qualia sunt omnia bona opera.

Sed contrà Primò, opponit hic propheta hoc sacrificium sacrificiis Iudæorũ, & ait his repudiatis illud successurum: atqui illa erant sacrificia propriè dicta: ergo & hoc. quia aliàs non fuisset commoda oppositio, & fuisset magna æquiuocatio in nomine oblationis & offerẽdi, quæ sine grani necessitate in Scripturis non est admittenda: hìc autem nulla necessitas occurrit. Deinde propheta loquitur de aliquo sacrificio, quod Iudæorum sacrificiis erat substituendum. Nihil autem substituitur alteri, nisi quod de nouo altero abrogato instituitur: atqui spiritalia sacrificia non fuerunt inter Iudæos abrogata tanquam Deo displicerent, nec inter Christianos nouiter instituta, cùm etiam in lege naturæ & veteri fuerint: ergo ille locus de his non potest intelligi, sed intelligendus est de aliqua oblatione, quæ fuit in noua lege institura, quæ non est alia quàm quæ fit in sacrificio Missæ.

Secundò, quia nomen oblationis quod in Hebræo habetur, est מנחה quod certum genus oblationis significat ex simila, oleo & thure, nec vnquam sumitur pro oblatione impropriè dicta siue spirituali: ergo non est credibile hic ita sumi. Adde, illud genus sacrificij satis commodè repræsentare sacrificium nostrum: quia vtrumque est incruentum, & aliqua ratione in materia conuenit. vnde fit omnino credibile hoc per illud significari.

50 Hoc sacrificium est singulariter mundũ.

Tertiò, quia hæc oblatio dicitur munda, idque non ratione sanctitatis ipsius offerentis, sed ratione rei oblatæ, vt patet Primò ex antitheſi. Nam propheta vocat eorum sacrificia polluta ratione rei oblatæ, quia claudum, cæcum & debile offerebant: ergo hanc etiam oblationem vocat mundam ratione rei oblatæ. Secundò, quia Scriptura generatim & absolutè atque in omni casu dicit hanc oblationẽ fore mundam, nullo respectu habitò ad offerentem: ergo debuit esse talis ratione rei oblatæ siue quia est oblatio rei per se Deo gratæ & mundæ. quod soli Eucharistiæ conuenit, quæ nullis offerentium peccatis potest inquinari: vt pulchrè docet Trid. sess. 22. c. 1. Hoc autem non conuenit in sacrificia spiritalia, quæ pendent ab intentione & munditia operantis, siue ea offerentis; nec omnia ab omnibus ita fiunt vt munda sint & Deo grata, maximè secundùm sententiam hæreticorum, qui omnia opera nostra volunt ex se esse peccata, & consequenter immunda, & Deo ingrata, & solùm grata propter ipsius indulgentiam. Illa autem oblatio in se munda est & Deo placens. *Trident.*

Quartò, quia propheta ibi opponit contemptum diuini nominis inter Iudæos, cum eiusdem magnificatione inter gentes: atqui illi in sacrificio publico Deum contemnebant: ergo Gentes debent eum publico sacrificio honorare; aliàs nulla ratione tanta esset glorificatio quantus fuit contemptus: atqui illa sacrificia spiritalia non sunt publica sed priuata. ergo locus intelligendus est de vero sacrificio quod publico nomine fit, quod non est aliud quàm sacrificium Missæ.

Quintò, quia vnum sacrificium opponitur multis: sacrificia autem spiritalia sunt valdè varia; Eucharisticum verò vnicum.

Probatur Secundò ex nouo Testamento. Primò, 51 quia, vt ostendi dub. 2. Christus in vltima cœna obtulit verum & propriè dictum sacrificium: ergo sacerdotes iam etiam in Missa offerunt verum & propriè dictum sacrificium. Conseq. probatur, quia Christus illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*; iussit nos idem facere quod fecit: ergo sicut ipse verè sacrificauit etiam nos verè sacrificamus. Est consequentia clara, nec eam aduersarij negant, sed negant antecedens: sed in eo apertè errant, vt ostendi dub. 2.

Prob. Secundò, ex 1. ad Corinth. 10. vbi Apostolus comparat mensam Domini cum altari Iudæorum, & mensa dæmoniorum: & sumentes Eucharistiam cum comedentibus idolothyta in idolio: dicitque hos fieri participes mensæ dæmoniorum, illos mensæ Domini: atqui mensæ dæmoniorum & altare Iudæorum erant altaria propriè dicta & qui eorum erant participes, erant propriè dicti sacrificij participes, ergo mensa Domini est verum altare, & qui eius sunt participes, propriè dicti sacrificij, aut veri, aut ab offerentibus ita æstimati sunt participes. aliàs valdè manca esset comparatio, & magna in mensa & eius participatione esset æquiuocatio, ad quam admittendam nihil nos cogit. *1. Cor. 10.*

Prob. Tertiò, ex Act. 13. vbi dicitur, *Ministrantibus illis Domino & ieiunantibus*, &c. vbi ministrare Domino græcè λειτουργεῖν, significat sacrificare. Quia, vt fatentur etiam hæretici, λειτουργεῖν significat exhibere publicum aliquod ministerium: atqui non potuit hìc propriè esse publicum ministerium nisi sacrificium. Nam per concionem, aut administrationem Sacramentorum non tam Domino quàm hominibus ministratur. 52 *Act. 13.*

Dices, Nos posse dum hæc facimus etiam dici ministrare Domino, si in eius honorem hæc faciamus. Sed hoc non sufficit. Primò, quia hæc intentio est priuata, nec ratione huius ipsum ministerium fit palàm, & publica auctoritate in honorem Dei. Secundò, quia etsi λειτουργεῖν possit aliis ministerijs accommodari; in sacrâ tamen Scriptura ferè accommodatur sacrificijs: vt patet Luc. 1. vers. 23. Et ad Hebr. 8. vers. 6. & cap. 9. vers. 21. & c. 10. vers. 11. Vnde etiam Græci sacrificium Missæ, liturgiam appellant. & Erasmus, quem hæretici magni faciũt in cognitione linguarũ, vertit locum illũ Actorũ 13. *sacrificantibus illis*. Quare cùm hic locus possit ita commodè intelligi, & hoc verbum tum ex *Luc. 1. Heb. 8. & 9. & 10. Erasmus.*

se, tum ex vsu sacræ Scripturæ vulgò significet sacrificare, præsertim quando in rebus sacris eo vtimur, nulla est ratio cur fingamus hoc loco ita non accipi.

53 Prob. Tertiò ratione. Quia aliàs Christiana religio nullum haberet sacrificium propriè dictum: sed hoc est absurdum: ergo, &c. Respondent hæretici negando minorem, aiuntque sufficere nos colere Deum cultu fidei & similibus actibus.

Etiam externis actibus Deus maiorè cultum colendus est.

Sed contra Primò, quia, sicut homo non constat sola anima, sed etiam corpore: ita non solis spiritualibus & internis, sed etiam externis actibus debet Deū colere, idque non solum priuatim, sed etiam publicè, & quasi nomine publico: qualis actus propriè aut solus, aut ad id aptissimus est actus sacrificandi. Secundò, quia aliàs Christiana religio esset imperfectior Iudaica: eaque quæ fuit in lege naturæ. Nā careret perfectissimo ritu colendi Deum, scilicet sacrificio: nec haberet vllum cultum Deo proprium, quo supremum ipsius in res omnes dominium testaretur. quia reliqui omnes externi cultus possunt sanctis hominibus exhiberi: vt patet in aperrione capitis, genuflexione, iunctione manuum & similibus, quæ etiam coram hominibus mortalibus exhibemus: præsertim si quis à Principe veniam alicuius delicti præcet Atque ita Christiani longè minùs colerent Deum quam Iudæi. Quia hi haberent omnem cultum, quem habuerunt Christiani, & præterea omnium excellentissimum, scilicet sacrificium. Adde, quòd sicut Respub. nulla ratione suo officio satisfaceret, quæ Regem coleret quidem aliis officiis, si negaret ei cultum Regi proprium: sic nec Ecclesia suo officio satisfaceret, si non coleret Deum sacrificio, qui cultus Deo proprius est.

54 Prob. Quartò, ex *vsu & consensu totius ab initio* Ecclesiæ, in qua semper fuerunt & sacerdotes & altaria, vt constat ex omnibus Scriptoribus. Hinc D. Aug. l. 20. de Ciuit. cap. 10. *distinguit sacerdotes* propriè dictos ab impropriè dictis. Et D. Chrysostom. & Hieronym. integros tractatus de honore sacerdotij scripserunt. Et videmus in antiquissimis templis altaria: & historici antiquissimi, & gesta Martyrum testantur ab initio altarium in Ecclesia vsum fuisse. Sed nihil opus est altari ac propriè dicto sacerdotio nisi ad propriè dictum sacrificium, vt fatentur etiam hæretici, qui ideo sacerdotes & altaria tollunt: ergo ab initio fuit in Ecclesia creditum Missam fuisse propriè dictum sacrificium. Idem testantur omnes Patres, & antiquissimæ liturgiæ. quod nec ipsi aduersarij negant. Aliqui tamen conantur Patres explicare, quasi loquantur de sacrificio impropriè dicto. Sed hæc responsio vel inde apertè refellitur, quòd Patres vbique requirant ad hoc sacrificium altare, & propriè dictos sacerdotes: & ex historiis pateat, ab initio Ecclesiæ hæc fuisse in vsu; quæ nemo vnquam requisiuit nisi ad propriè dictum sacrificium.

August.

Chrysost. D. Hieron.

Quare communi ferè consensu hæretici in id conspirant, vt dicant Patres, totamque Ecclesiam in hoc errasse. Vnde Lutherus libr. de Missa priuata ait: *Hic non curamus si clamant Papistæ, Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres: quia, vt dixi, hominum dicta & facta in tam magni causis nihil curamus. Scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos: verbo Dei iudicamus Ecclesiam Apostolos, adeoque ipsos angelos.* Debuisse ad[illegible]isse. Atque adeò ipsum Christum & Deum.

Lutherus. Lutheri impudentia.

Caluinus l. 4. Instit. c. 18. *Et certè*, inquit, *si cogitamus Domini non hominum cænam esse, non est cur vlla hominum auctoritate, aut annorum præscriptione patiamur nos ab illa vel latum vnguem dimoueri.*

Caluin.

55 Necessariò est aut hæreticos aut totam Ecclesiam errasse.

Ex quibus sequitur, vel hæreticos errare, vel Ecclesiam ab initio errasse, & omnes Martyres, ac sanctissimos Patres, atque adeò etiam ipsos Apostolos fuisse hæreticos. Nam etiam hos Missas celebrasse, & alios celebrare docuisse testantur liturgiæ ab ipsis compositæ: qualis est liturgia D. Iacobi, & D. Marci. Imò ea qua vtitur Ecclesia Romana, creditur quoad præcipuam sui partem à D. Petro composita. Quæ omnia firmissimè confirmantur ex illa regula D. Augustini lib. 4. de baptism. c. 24. *Quod vniuersa tenet Ecclesia nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Hoc autem de quo agimus tale esse, satis clarè ex dictis colligitur, & tale certè ab omni qui sincerè iudicat habendum est, donec hæretici ex aliquo antiquo auctore probauerint, quando hæc opinio primùm esse cœperit. Qua in re, vt dixi, non quæritur quando hæc vel illa cæremonia aliqua accidentalis fuerit primùm instituta; sed quando Ecclesia primùm inceperit credere in Missa offerri verum sacrificium, & ad hoc necessarios esse veros sacerdotes, ac altaria. Videat igitur quiuis prudens, vtrùm verosimile sit, tot sanctissimos doctissimosque Patres, totam antiquitatem, totamque Ecclesiam hactenus ab ipsis vsque Apostolis in summis tenebris, grauissimoque errore à Deo desertam iacuisse: an verò contrà hinc ipsa luce meridiana clariùs probetur, hæreticos nostros insolentissimè insanire; qui contra Ecclesiæ vniuersale iudicium disputant; vt in simili ait D. Augustinus epist. 118. ad Ianuarium: præsertim cùm ex eorum sententia apertè sequatur, Christum Matth. 16. vanè prædixisse, portas inferi non prævalituras aduersus Ecclesiam: erasséque Apostolum dum 1. Timoth. 3. dicit Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis; eosque verbo Lutheri & Caluini conuinci fuisse mentitos. Quomodo enim portæ inferi non prævaluerunt aduersus Ecclesiam, quam iuxta Caluinum suprà Satan pestilentissimo errore occæcauit, vt tota crederet Missam esse sacrificium? Quomodo est columna & fundamentum veritatis, quæ tota à veritate ad tam pestilentem errorem ab *Antichristo fuit seducta*, vt Caluinus suprà de ea mentitur? Credo, si clàm habuisset auditores Iudæos, idem de Christo fuisse dicturum.

August.

56

Matth. 16.

1. Timoth. 3.

Obiiciunt hæretici Primò, Christus est vnicus sacerdos, & quidem in æternum, vt testatur Apostolus ad Hebræos 7. ergo non debent esse plures. Quia, vt idem docet, idco sacerdotes Aaronici fuerunt plures, quia prohibebantur morte permanere, vnde etiam infert nullum sacerdotem debere Christo succedere, quia ipse manet in æternum. Et confirm. quia in Scriptura nulla fit mentio sacerdotum noui Testamenti.

57

Hebr. 7.

Respondeo, Christum esse vnicum sacerdotem, sicut est vnicus magister & pastor. Quia nullum habet sibi secundum aut succedentem cum eadem auctoritate; & qui eadem ratione sit sacerdos, scilicet ratione vnionis hypostaticæ: sicut Aaron habebat successores in sacerdotio cum eadem potestate. Quia verò Christus non fungitur iam humano modo sacerdotio, per se immediatè offerendo sacrificia, necesse est vt habeat plures vicarios sacerdotes, sicut habet vicarios magistros & doctores. Quare ipsum argumentum potiùs à nobis facit. Cùm enim sit sacerdos in æternum, id est, vsque ad finem mundi, debet perpetuò fungi sacerdotio: sicut, quia perpetuus est pastor, debet perpetuò pascere: & consequenter per vicarios, cùm id per se non faciat. Nec sufficit si dicas esse sacerdotem in æternum, quia effectus sacrificij eius perpetuò durat. Quia sic Noë posset dici sacerdos in æternum, quia effectus sacrificij ipsius, quo impetrauit ne vlteriùs esset vniuersale diluuium, vsque ad finem mundi durabit.

Quomodo Christus sit vnicus sacerdos.

Ad confirmationem Respondeo Primò, esse argumentum ab auctoritate negata, & eadem ratione posse negari baptismum esse Sacramentum: quia hoc nullibi

58

in

in Scriptura dicitur. Reſpondeo Secundò, æquiualentibus verbis ſatis dici in lege noua eſſe ſacerdotes. Multis enim locis Apoſtoli dicuntur ordinaſſe Epiſcopos & presbyteros, quos veros fuiſſe ſacerdotes patet
2. Timoth. 1. rum ex Scriptura, quæ 2. ad Timoth. 1. docet hos ordinatos fuiſſe per veram ordinationem collatiuam gratiæ, & conſequenter per Sacramentum, quo ad offerendum ſacrificium conſecrabantur: tum ex tota antiquitate, quæ ſemper per Epiſcopos & preſbyteros veros ſacerdotes intellexit. Abſtinuerunt autem Apoſtoli à nomine ſacerdotis, ne viderentur æmulari ſacerdotium vetus.

59 Obiiciunt Secundò, Sacrificium crucis fuit abſolutè infiniti valoris & ſufficiens ad delenda omnia peccata totius mundi: ergo non eſt opus alio ſacrificio, quod pro peccatis offeratur. imò ſine illius iniuria nullum aliud offerri poteſt. Confirmatur Primò, quia
Hebr. 9. Apoſtolus ad Hebr. 9. v. 25. ex hac perfectione ſacrificij crucis infert, non fuiſſe opus Chriſtum ſæpiùs pati: vnde verſ. 12. ait: *Per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta.* Et v. 25. *Nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum ad deſtructionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit.* Clarè oſtendens Chriſtum vnica oblatione ſufficientiſſimè peccata deſtruxiſſe, nec alia oblatione iam opus eſſe.

Confirmatur Secundò, quia Apoſtolus ibidem cap. 10. ex eo quòd in veteri Teſtamento, ſacerdotes ſæpiùs offerrent ſacrificia pro peccatis, infert ea ſacrificia fuiſſe imperfecta, nec potuiſſe mundare conſcientiam à peccatis. *Alioqui*, ait, *ceſſaſſent offerri, ideo quòd nullam haberent vltrà conſcientiam peccati cultores ſemel mundati.* quibus deinde opponit Chriſtum, quem verſ. 14. dicit vna oblatione conſummaſſe ſanctificatos in ſempiternum. Ac deinde v. 18. ait: *Vbi autem horum remiſſio, iam non eſt oblatio pro peccato.* Quibus verbis videtur aperè negare, poſt ſacrificium crucis vllum aliud reſtare.

Confirmatur Tertiò, quia ibidem verſu 26. ob ſupradicta dicitur: *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam Veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia.*

60 Reſpondeo Primò, hæc omnia nihil planè facere contra præſentem concluſionem. quia vt ſummum probant, in lege noua nullum debere eſſe ſacrificium propitiatorium, ſiue quod offeratur pro peccatis. Nos autem hìc tantùm dicimus in genere eſſe nunc verum ſacrificium, ſiue ſit propitiatorium, ſiue non. Nec enim neceſſe eſt omne ſacrificium eſſe propitiatorium: vt patet in multis ſacrificiis legis veteris. Et quia primarius finis ſacrificij non eſt propitiatio pro peccato, ſed teſtificatio diuinæ excellentiæ. Quia tamen, vt infrà videbimus, hoc ſacrificium eſt verè propitiatorium, pro ſolutione obiectorum.

Præcipuus finis ſacrificij.

Sacrificiũ dupliciter pro peccatis offertur.

Nota Primò, dupliciter aliquod ſacrificium poſſe offerri ad propitiandum Deum pro peccatis. Primò, vt ſufficiens pretium Deo offeratur quo ei de condigno ſatisfiat pro peccato, & nos ab huius ſeruitute liberemur. Secundò, vt illud pretium vnicuique in particulari applicetur.

61 Quare præter ſacrificium crucis aliud ſit neceſſarium.

Ad obiectionem igitur nego conſequentiam. quia etſi per ſacrificium crucis Deo perſolutum ſit ſufficientiſſimum pretium pro remiſſione omnium, quæ vnquam partata ſunt, & patrabuntur, peccatorum, etſi infinities plura eſſent, ideoque ſine iniuria Chriſti, ad hoc aliud ſacrificium vt neceſſarium requiri non poſſit; negamus tamen per ſolum ſacrificium crucis hoc pretium ita ſingulis eſſe applicatum, prout neceſſarium eſt, vt de facto iis omnia peccata remittantur. Hoc enim aperè falſum eſt. Nam aliàs ſequeretur, omnes omnino homines debere ſaluari, quia Chriſtus pro omnibus mortuus eſt.

Per ſacrificium crucis ſufficiés pretium pro omniũ redemptione eſt perſolutum, non tamen omnibus applicatũ.

Item ſequeretur, ad acquirendam remiſſionem peccatorum, nulla opus eſſe pœnitentia, nullis Sacramentis, & conſequenter nec etiam baptiſmo, imò nec ipſa fide. quia ſecundùm principia hæreticorum, ſi hæc ſint neceſſaria, ſequetur virtutem ſacrificij crucis non eſſe ſufficientem ad remiſſionem peccati. Sicut igitur etſi virtus illius ſacrificij per ſe ſit ſufficientiſſima ad delenda omnia peccata; quia tamen Deus noluit nos ſaluare ſine noſtra cooperatione, certiſque mediis ab ipſo inſtituris, ſupradicta neceſſaria ſunt, vt illa virtus nobis ita applicetur, vt actu peccata nobis remittantur: ita etiam Deus vnum ex mediis, quibus illa virtus nobis applicatur, voluit eſſe ſacrificium Miſſæ, quo non offertur Deo nouum pretium, ſed in cruce oblatum nobis applicatur.

Ad Primam confirmationem Reſpondeo, Apoſtolum ibi nihil aliud velle, quàm oſtendere perfectionem ſacrificij crucis, ex eo quòd ibi ſufficiens Deo fuerit oblatum pretium pro peccatis totius mundi, atque ideo non eſſe opus Chriſtum ſæpiùs pati, & conſequenter nec opus eſſe ſacrificio vllo cruento, quo nouum pretium Deo offeratur: nullo autem modo velle negare, eſſe opus per alia media pretium illius ſacrificij nobis applicari, atque ita ſuperfluum eſſe ſacrificium Miſſæ. quia aliàs ſequeretur, omnia Sacramenta eſſe ſuperflua (eſt enim eadem horum & illius ratio.) Item ſuperflua fuiſſe omnia ſacrificia vetera, præſertim pro peccatis oblata, eaque iniurioſa fuiſſe ſacrificio crucis, quod non minùs pro veteribus, quàm pro nobis fuit oblatum. 62

Idemque dici poſſet ad reliquas confirmationes, ſcilicet Apoſtolum nihil aliud velle, quàm ex eo quòd in veteri Teſtamento diuerſæ hoſtiæ offerrentur eiuſdem inter ſe rationis, & per ſacrificia eiuſdem generis, nullam ex iis habuiſſe ſufficiens pretium ad remiſſionem peccati. Secùs autem eſſe in ſacrificio crucis, quod quia continuit ſufficiens pretium pro omnibus peccatis, non debuit niſi ſemel offerri. Ex quo non ſequitur, non eſſe opus aliquo alio ſacrificio, quo illud pretium nobis applicetur. Nec eſt aliquid vnde poſſit conuinci Apoſtolum ibi aliquid dicere quod vllo modo contra dicta faciat. Solùm habet difficultatem, quo modo Apoſtolus ex eo quòd ſacerdotes veteris Teſtamenti ſæpiùs offerebant hoſtias, benè inferat, illas non ſufficiſſe ad remiſſionem peccati. quia etſi poterat ſufficere pro præteritis peccatis ſemel obtuliſſe ſacrificium, tamen quia homines ſæpè peccabant, opus fuiſſet ſacrificia ſæpiùs iterari.

Vt igitur hæc clariùs intelligantur, Nota Secundò, Apoſtolum hìc intendere Primò oſtendere eminentem excellentiam ſacrificij crucis, quod habuit perfectam vim delendi peccata, ſupra ſacrificia omnia Aaronica; & horum contra imperfectionem, quæ non poterant mundare ſecundùm conſcientiam. Quod probat Primò capit. 10. verſ. 2. quia *alioqui ceſſaſſent offerri, ideo quòd nullam haberent vltrà conſcientiam peccati cultores ſemel mundati.* Quæ ratio poteſt intelligi Primò de iiſdem peccatis pro quibus ſæpiùs offerebant hoſtias: quod fuiſſet fruſtra ſi prima habuiſſet veram vim mundandi. & hic ſenſus intentus eſt ab Apoſtolo, & ſecundùm hunc ſenſum clara eſt conſequentia. Secundò, poteſt etiam intelligi de omnibus abſolutè peccatis præteritis & futuris. quia nimirum ſi illa ſacrificia continuiſſent ſufficiens pretium pro redemptione à peccatis, illud pretium debuiſſet eſſe abſolutè infinitum (nam minore pretio pro peccatis quibus Deum infinitum offendimus, & æternam pœnam meremur, ſatisfieri non poteſt) & conſequenter debuiſſet ſufficere pro omnibus peccatis etiam futuris: atque ita non fuiſſet opus aliquo ſacrificio eiuſdem generis, quo nouum pretium fuiſſet Deo oblatum; ſed 63

Quomodo ex multiplicatione veterum ſacrificiorum eorum infirmitas inferatur.

vt summum aliquo quo illud pretium iam semel persolutum fuisset peccanti applicatum: sicut in noua lege sacrificium crucis per sacrificium incruentum nobis sæpiùs peccantibus applicatur. Secùs autem fuit in sacrificiis veteribus, quorum vnum non offerebatur in virtute alterius sacrificij eiusdem legis, siue vt alterius virtutem hominibus applicaret, sed omnia erant eiusdem rationis, & eadem ratione sine respectu ad præcedentia offerebantur. quæ ratio apparet bona in
64 argumento Apostoli. Quia verò hæc ratio non erat omnibus ita euidens (nec enim statim ita per se clarum est, quòd nullum possit dari sacrificium absolutè sufficiens pro deletione vnius peccati: quod tamen ex parte sua non sufficiat pro deletione omnium peccatorum, si sufficienter omnibus peccatoribus applicaretur.) Item quia potuisse quis respondere, etsi ex natura sua vnum sacrificium sufficisset ad satisfaciendum pro omnibus peccatis, noluisse tamen Deum, ne homines peccata parui facerent, pro quibus videbant tam facilè satisfieri, illud ita acceptare; sed voluisse per diuersa sacrificia pro diuersis peccatis satisfieri. Sicut etsi minima actio Christi meritoria ex natura rei fuerit sufficiens ad redemptionem totius generis humani; noluit tamen Deus hanc perfici sine passione & morte Christi. Item etsi sacrificium Missæ ratione rei oblatæ, semel tantùm oblatum, sit sufficiens vt vsque ad finem mundi omnibus hominibus virtutem crucis applicet, idque modo quodam infinito; voluit tamen Deus per singula sacrificia hanc virtutem limitatè applicari, ita vt minùs singulis prosit quando offertur pro multis, quàm quando offertur pro paucis, vt infrà dicemus. Ob has inquam causas Apostolus probat suam conclusionem Secundò, & ostendit hanc necessitatem offerendi sæpiùs sacrificia, cò quòd nequeant perfectè mundare à peccatis, non prouenire ex voluntate aut dispositione Dei; sed ex natura rei & vilitate & imbecillitate rei oblatæ. dum versu 4. ait, *Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Quod deinde confirmat ex Psalm. 39. vbi apertè dicitur oblationes illas & holocaustomata taurorum & hircorum, quæ secundùm legem offeruntur, Deo non placuisse, propter vilitatem scilicet rei oblatæ, in qua nihil erat Deo dignum. Vnde Psalm. 49 per Prophetam ait: *Numquid manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis*, &c. Vbi clarè insinuat illa sacrificia non aliter sibi posse placere, quàm quatenus fiunt ex pio affectu offerentis.

Cur necessaria fuerit sacrificij Missæ sæpius repeti.

Psal. 39.

Psal. 49.

65 Secundò, Apostolus per hæc intendit ostendere, post oblationem Christi factam in cruce, debere iam cessare vetera illa sacrificia. quod probat Primò cap. 9. pluribus locis, quia illa tantùm erant figuræ quædam futurorum, scilicet sacrificij Christi. quare aduenientе veritate debuerunt cessare. Secundò, quia erant omnino imperfecta, ideoque indigna quæ in tanta legis nouæ perfectione perseuerarent: vt rationibus suprà allâtis probat cap. 10. vsque ad vers. 9. vbi deinde infert, *Auferet* (scilicet Deus sine Christus in illo Psalm. 39. promissus & Deo loquens) *primum, vt statuat secundum* sacrificium scilicet veteris legis, vt statuat sacrificium nouæ legis; sicut de Testamento vetere & nouo docuerat c. 8. in fine. Vnde quod dixit cap. 10. vers. 18. *Vbi autem horum remissio, iam non est oblatio pro peccato*: nullo modo intelligendum est de sacrificio Missæ, quo virtus sacrificij crucis ad delenda peccata nobis applicatur. de eo enim nulla hîc vllibi mentio: sed de sacrificijs veteris legis, quæ opponit sacrificio crucis, quæque antè ex Psalm. 39. & ex Ieremiæ 31. v. 31. & seqq. tam hîc quàm cap. 8. probauerat vnà cum veteri Testamento in nouo Testamento esse abolenda.

Post sacrificium crucis vetera debuerunt cessare.

Psal. 39.

Ierem. 31.

Ex quibus patet responsio ad secundam confirmationem. Ad 3. Respondeo, Apostolum agere contra Iudæos vacillantes in fide Christi, & volentes veterem legem cum noua coniungere, quod quidam faciebant ex inordinato zelo veteris legis: alij ne vexarentur ab alijs Iudæis, vt colligitur ex fine cap. in quo hortatur illos vt constanter in persecutionibus seruent fidem. 66

Cùm igitur dicit, *Voluntariè enim peccantibus nobis*, &c. non loquitur de quocunque peccato, sed de defectione à fide Christi ad iudaismum, vt patet Primò ex v. 29. vbi dicit, ita delinquentes sanguinem Testamenti pollutum ducere & spiritui gratiæ contumeliam facere: quia scilicet testamentum nouum Christi sanguine firmatum putant ad salutem esse insufficiens, nisi legem Moysis per illud euacuatam simul seruemus. Patet Secundò ex v. 25. vbi cùm hortatus fuisset eos ad bona opera & charitatem, subdit: *Non deserentes collectionem nostram* (id est societatem fidelium) *sicut consuetudinis est quibusdam*, &c. qui scilicet à fide deficiunt accedente tentatione. Et deinde rationem reddens cur debeant non deserere collectionem, ait: *Voluntariè enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.* Quia scilicet neque ea quam Christus obtulit; quia hæc deficientibus à Christo ad legem quamdiu in eo statu manent, nequit prodesse: neque etiam ea quæ offerebatur in lege veteri; quia hæc iam est abolita per sacrificium Christi. Vel simpliciter dicit, tales nullam debere ampliùs sperare peccatorum veniam per oblationem hostiarum secundùm legem veterem, quia hæc iam per legem nouam omnino sublata est cum omnibus suis sacrificiis. Ex quibus patet, Apostolum in dictis locis nihil habere quod pro hæreticis contra sacrificium Missæ faciat.

Obijciunt Tertiò, Eucharistia est Sacramentum & testamentum: ergo non est sacrificium. Probatur conseq. quia Sacramentum est actio Christi, sacrificium est nostra actio: testamento Deus aliquid largitur nobis, per sacrificium nos Deo aliquid offerimus. 67

Respondeo negando consequent. Ad probationem Respondeo Primò, Sacramentum hoc non consistere in actione, sed in re permanente: & consequenter nec esse actionem nostram, nec Christi.

Respondeo Secundò, etsi institutio huius Sacramenti sit actio solius Christi, eius tamen confectionem iam esse actionem Christi vt causæ magis principalis, & sacerdotis vt causæ ministerialis: idemque dicendum de sacrificio, in quo principalis offerens est Christus, sacerdos autem ministerialis.

Respondeo Tertiò, testatorem testamentum præcipuè instituere, vt det aliquid hæredi, sæpissime tamen in eodem præcipere, vt testatarius aliquam eius partem in testatoris vtilitatem consumat, v. c. vt singulis annis curet certa Sacra dici, det certam eleëmosynam, curet statuas erigi, &c. Testamentum sæpè ex parte in testatoris vtilitatem cedit.

Item quis neget hæredem posse totam hæreditatem testamento acceptam in testatoris honorem, aut animæ vtilitatem insumere, atque ita totam ei dare? Quia igitur Christus hoc Sacramentum ita instituit vt eius confectio sit verum sacrificium; hinc fit vt eius confectio cedat tota in honorem Dei, quatenus per eam Christi corpus & sanguis sub speciebus panis & vini reproducuntur ad testandam summam Dei excellentiam, & supremum in res omnes dominium. Rursus, quia res ipsa Deo oblata habet etiam veram rationem Sacramenti; hinc Christus voluit eam ita in honorem Dei reproduci, Deoque offerri, vt tamen ad eam tanquam ad cælestè quoddam conuiuium inuitemur, eamque in Dei honorem epulando comedamus.

Nec his obstat quòd sacrificium sit verum holocaustum.

cauſtum. quia, vt oſtendam dubio 4. concluſ. 4. ad hoc ſufficit, quòd tota hoſtia ita ſub ſpeciebus panis & vini in honorem Dei producatur, vt ſecundùm modum quo ibi exiſtit, nullis profanis vſibus poſſit applicari.

68 In teſtamento tria diſtinguenda ſunt.

Vbi Nota, in teſtamento tria debere diſtingui. Primò, ipſius inſtitutionem. Secundò, authenticum inſtrumentum quo illa continetur. Tertiò, rem teſtamento relictam: quorum duo poſteriora dicuntur etiã teſtamentum. Miſſa autem nulla ratione eſt teſtamenti inſtitutio, vt calumniatur Caluinus, ſed teſtamenti à Chriſto inſtituti executio; tum quà ſacrificiũ, quo perfectiſſimè mortem Chriſti repræſentamus & commemoramus: tum quà Sacramenti confectio, qua rem nobis teſtamento datam præſentem ſiſtimus hæredibus diſtribuendam, quibus vtraque ratione Chriſti merita applicamus, atque ita obtemperamus dicenti, *Hoc facite in meam commemorationem.*

Caluin.

69 Quæ ratione noſtrũ ſacrificiũ à Sacramento diſtinctum, eidemque identificetur.

Vnde patet Primò, accipiendo ſacrificium pro actione ſacrificãdi, non eſſe hic idem ſacrificium cum Sacramento (hoc enim conſiſtit in re permanente) ſed cum Sacramenti confectione.

Patet Secundò, accipiendo ſacrificium pro re oblata, hoc Sacramentum eſſe verum ſacrificium, quatenus Deo verè offertur. Eſſe etiam Sacramentum, quatenus eſt pract. cum ſignum gratiæ ſuo vſu nos ſanctificans. Et demum eſſe teſtamẽtum: tum quia eſt authenticum inſtrumentum voluntatis Chriſti nos hæredes inſtituentis: tum quia eſt vnum ex præcipuis, quæ teſtamento nobis relicta ſunt.

70

Obiiciunt Quartò, Patres aliquos dicere, Chriſtum tantùm ſemel eſſe immolatum; & Euchariſtiam huius immolationis eſſe repræſentationem.

Reſpondeo, Patres illos loqui de immolatione cruenta, de qua Apoſtolus agit ad Hebræos 9. & 10. ad hunc enim alludunt, & accipiunt vocem immolari pro communiore conceptu, quo cruentam immolationem ſignificat, quia tam apud Iudæos quàm Ethnicos omnium viuorum immolatio erat cruenta. Quare Patres in illis locis nihil dicunt contra nos; qui etiã fatemur, ſacrificium cruentum Chriſti eſſe ſolùm vnum, nec poſſe iterari: fatemur etiam ſacrificium incruentum verè repræſentare cruentum. Cum his tamen conſiſtit quòd ſacrificium incruentum ſit verum ſacrificium: nec hoc Patres vllibi negant, ſed pluribus locis aſſerunt, vt patet ex dictis.

Hebr. 9. & 10.

Ex his patet, quàm friuolis argumentis nitantur hæretici ſimul cum Chriſt. ana fide natam, & tot ſæculorum auctoritate roboratam ſententiam euertere: & quàm non tam verbo Dei quàm ſuis figmentis præſumant Eccleſiam iudicare.

DVBIVM IV.

Quid ſit quod propriè in ſacrificio Euchariſtico offertur?

71

VAriæ hîc ſunt ſententiæ. Prima docet, in ſacrificio Miſſæ eſſe duo ſacrificia ſecundùm rationem phyſicam diſtincta, quorum primum conſtet oblatione panis & vini, quæ fit partim in offertorio, partim ante conſecrationem. Probat hoc variis auctoritatibus Patrum, qui dicunt panem & vinũ in ſacrificio Miſſæ offerri: vt patet ex multis canonibus de conſecrat. d. 2. & ex ipſo etiam Officio Miſſæ, in quo dum panem & calicem in offertorio eleuamus, dicimus nos ea offerre Deo. Secundum ſacrificium ſecundùm eos eſt, quo corpus & ſanguis Chriſti offertur. Addunt tamen primum ſacrificium ordinari ad ſecundum, atque ita cum eo moraliter vnum conſtituere. Ita Caſſalius lib. 1. de ſacrificio Miſſæ c. 25.

Caſſalius.

Sed hæc ſententia non videtur probabilis. Primò, quia eſt contra communem ſententiam Theologorum & Patrum, qui abſolutè aſſerunt vnicam eſſe legis nouæ ſacrificium cuius hoſtia ſit ipſe Chriſtus. Secundò, quia, vt oſtendimus dub. 1. omne ſacrificium hactenus à Deo inſtitutum, & præſertim in lege Moyſis & noua, conſiſtit in reali aliqua hoſtiæ immutatione, non autem in ſola verbali eiuſdem oblatione, qualis eſt oblatio panis & vini in offertorio, quæ ſine vlla omnino eorum reali immutatione perficitur.

Secunda ſententia docet. Chriſtum prout exiſtit in propria ſpecie, eſſe materiam huius ſacrificij per modum rei offerendæ: vt verò exiſtit modo ſacramentali, eſſe terminum ad quem actionis ſacrificandi, & hoc modo etiam offerri. ita quidam apud Suar. d. 75. ſect. 1. §. *Secunda opinio eſt.* Fundamentũ illius videtur eſſe quia in omnibus aliis ſacrificiis materia ſacrificij debet præſupponi actioni ſacrificandi: cùm autem ſolus Chriſtus in hoc ſacrificio offeratur, nec præexiſtat actioni ſacrificandi niſi prout eſt in propria ſpecie, debet vt ſic eſſe materia huius ſacrificij. Sed nec hoc vllo modo probabile eſt. Quia circa Chriſtum prout exiſtit in propria ſpecie, nulla fit realis immutatio, imò nulla propriè circa illum actio verſatur.

72

Tertia ſententia docet, Chriſtum, prout exiſtit ſub ſpeciebus ſacramentalibus, eſſe primariam hoſtiam quæ in hoc ſacrificio offertur: ita tamen vt panis & vinum cenſeantur quodammodo ſecundariò offerri tanquam terminus à quo ipſius actus ſacrificandi. Pro quo Nota, cùm noſtrum ſacrificium (ſicut etiam contigit hactenus in omnibus veris ſacrificiis) conſiſtat in reali ipſius hoſtiæ immutatione, neceſſariò in ea reperitur terminus *à quo*, qui ſupponitur ipſi mutationi, & per eam deſtruitur; & terminus *ad quem*, qui per illam de nouo ponitur: atque ita vterque ſpectat aliqua ratione ad ſacrificium. Rurſum cùm ratio ſacrificij aliquando præcipuè conſiſtat in peremptione termini à quo, aliquando verò in poſitione termini ad quem, vt dixi dubio 1. fit vt quandoque terminus à quo habeat præcipuè rationem hoſtiæ, vt olim contigit in mactatione animalium; quandoque verò terminus ad quem, vt fit in noſtro ſacrificio. Et hanc ſententiam cum aliis tenet Suarez hîc d. 75. concl. 3. & vlt. & eſt ferè communis.

73 Chriſtus eſt hoſtia primaria, panis ſecundaria. Duplex eſt ſacrificij terminus. Aliquando vnus, aliàs alter eſt præcipua hoſtia. *Suarez.*

Nota Secundò, hoſtiam huius ſacrificij eſſe Chriſtum vt contentum ſub ſpeciebus panis & vini, poſſe dupliciter intelligi. Primò, vt ſpecies ſint verè pars ipſius hoſtiæ. Secundò, vt Chriſtus dicat quidem neceſſariò intrinſecum ordinem ad ipſas ſpecies, intimãque cum iis habeat vnionem localem, vt poſſit habere rationem hoſtiæ: ita tamen vt ipſæ non ſint pars ipſius hoſtiæ. Quamuis autem auctores ſupradictæ ſententiæ non ita ſe explicent, quidam tamen videntur magis inclinare in primum modum.

74

CONCLVSIO I. Id quod in hoc ſacrificio tanquam vera hoſtia primò & per ſe offertur, eſt corpus & ſanguis Chriſti, quatenus ſub ſpeciebus panis & vini vi conſecrationis ponuntur: ac conſequenter totus Chriſtus, prout exiſtit ſub iiſdem ſpeciebus, vt primaria hoſtia verè offertur.

75

Ita expreſsè Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. vbi de Chriſto hoc ſacrificium inſtituente loquens ait: *Corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit.* Et infrà: *Nouum inſtituit paſcha ſeipſum ab Eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum.* Vbi id quòd hîc offertur & immolatur, modò dicit eſſe corpus & ſanguinem Chriſti; modò ipſum Chriſtum ſub ſpeciebus panis & vini: arqui id quod in ſacrificio offertur & immolatur, eſt ipſa hoſtia: ergo, &c.

Trident.

Nota, Etſi vi verborum præcisè ſub ſpeciebus ſolùm ponantur corpus & ſanguis Chriſti; ſicut tamen per neceſſariam concomitantiam ſub ſingulis ponitur

76

Tota hostia ſub quolibet vi verborum ſub ſpeciebus. Quæ ratione Chriſtus hic habeat rationem hoſtiæ,

totus Chriſtus: ita totus immolatur, idque non ſolùm quaſi per accidens, ſed ex directa intentione Chriſti, qui hoc ſacrificium nunquam voluit celebrari, quin ſub vtraque ſpecie totus poneretur. Item quia corpus & ſanguis ponuntur ſub ſpeciebus ex vi verborũ quidem quaſi ſeparatim, cum directo tamen ordine ad ipſum Chriſtum quaſi ad victimam occiſam: hinc fit vt directè etiam & per ſe totus Chriſtus immoletur, & habeat rationem hoſtiæ.

Probatur Secundò, quia cùm ſit eadem hoſtia ſacrificij cruenti & incruenti, neceſſariò ſequitur, Chriſtum in hoc immolari, vt etiam omnes Patres docent, nec credo vllum Catholicum negare: atqui Chriſtus non eſt hoſtia huius ſacrificij prout eſt in cælo: quia vt ſic nullo modo per hoc ſacrificium immutatur, nec accipit vllum modum hoſtiæ immolatæ: ergo debet eſſe hoſtia prout exiſtit ſub ſpeciebus panis & vini, quia ibi per veram reproductionem, & conſequenter per realem immutationem ponitur, & quidem per modum hoſtiæ immolatæ, quatenus quantum eſt ex vi verborum præcisè, ſanguis ponitur ſeparatim à corpore.

77 Hæc hoſtia non includit ſpecies.

CONCLVSIO II. Hoſtia huius ſacrificij dicit quidem neceſſarium ac intrinſecum ordinem tam ad ipſas ſpecies tanquam contentum ad continens, & ſignificatum ad ſignum, quàm etiam ad vtramque formam conſecrationis; non tamen eas intrinſecè tanquam ſui partem includit.

Prior pars probatur Primò, quia cùm hoc ſacrificiũ ſit humanũ & ſenſibile, eius hoſtia debet aliquo modo eſſe ſenſibilis: atqui Chriſtus hîc non eſt ſenſibilis niſi ratione ſpecierum: ergo vt habeat rationem hoſtiæ, debet neceſſariò talem ordinem ad ſpecies dicere.

Probatur Secundò, quia ſine tali ordine ad ſpecies ac ad formas conſecrationis, non poteſt habere veram rationem hoſtiæ mactatæ, vt patet ex dictis.

78 Hoſtia non debet per ſua intrinſeca eſſe ſenſibilis.

Secunda pars probatur, quia cùm hoc ſacrificium ſit verum holocauſtum, in quo tota hoſtia neceſſariò integrè immolatur; ſi ſpecies eſſent pars hoſtiæ, ſequeretur eas etiam verè immolari: atqui hoc non videtur dicendum: ergo nec illud. Minor probatur Primò, quia nulla eſt ratio quæ hoc ſuadeat. Nam vt hoc ſacrificium ſit ſenſibile, non eſt opus vt hoſtia per ſe ſit ſenſibilis ratione alicuius ſuæ partis, ſed ſufficit quòd ſit ſenſibilis per aliquid, ad quod dicit intrinſecum ordinem. Quod vel inde patet, quia hoſtia præcipuè debet eſſe ſenſibilis, vt eius realis immutatio poſſit eſſe ſenſibilis: atqui realis eius immutatio non eſt ſenſibilis, niſi ratione ordinis, quem dicit ad formam ſenſibilem: ergo hoſtia per ſimilem ordinem ad ſpecies erit ſufficienter ſenſibilis.

Confirm. quia quòd Sacramentum & ſacrificium ſecundùm aliquam partem ſui neceſſariò debeant eſſe ſenſibilia, id ſolũ prouenit, quia ſunt intrinſecè ſigna ſenſibilia, nec in iis eſt aliquid neceſſariò per ſe ſenſibile, niſi quod per ſe habet rationem ſigni: ergo cùm hoſtia non ſit per ſe ſignum viſibile, non debet neceſſariò eſſe per ſe viſibilis; ſed ſufficiet quòd ſit viſibilis ratione alicuius ad quod dicit intrinſecum ordinem.

Probatur Secundò, quia cùm ſpecies panis & vini ſint res infimæ, non videntur dignæ, quæ Deo in tanto ſacrificio offerantur tanquã pars hoſtiæ infinitè dignæ.

Eadem eſt hoſtia ſacrificij cruenti & incruenti.

Tertiò, quia aliàs hîc aliquid offerretur, quod non fuit oblatum in cruce, & conſequenter non eſſet vtrobique eadẽ omnino res oblata. quod videtur eſſe contra communem ſententiam Patrum, & Theologorum.

79

Dices, dici vtrobique eandem rem oblatam, ſicut dicitur idem individuum ſubſtantiale, quod diuerſo tempore habet diuerſa accidentia. v. c. idem coloratum quod habet diuerſo tempore diuerſos colores: ſicut etiam eſt idem Sacramentum ſub ſpeciebus vini rubri & albi. Sed hoc non ſatisfacit, imò apertè prò nobis facit, quia hoc coloratum non dicit intrinſecum & eſſentialem ordinem ad albedinem, ſed ad colorem in genere. Item Venerabile Sacramentum non dicit eſſentialẽ ordinem ad ſpecies rubras vel albas, ſed ad ſpecies in genere. Secùs autem eſt in noſtro caſu. Nam in ſacrificio incruento ſecũdùm illas ſpecies ſunt pars eſſentialis hoſtiæ, per quas conſtituitur intrinſecè in ratione hoſtiæ, ſicut ſpecies in genere ſunt pars eſſentialis Sacramenti. Sicut igitur eſſet diſtinctum Sacramentum, ſi Chriſtus prout eſt in propria ſpecie, haberet rationem Sacramenti, ab eo quod iam eſt: ita etiã ſecundùm illos deberet eſſe diuerſa hoſtia Chriſtus in propria ſpecie, & prout eſt ſub ſpeciebus panis & vini cum iis integram hoſtiam componens.

Quartò, quia aliàs ſequeretur, Chriſtum in ſacrificio incruento tantùm eſſe partialem hoſtiam, ſiue partem vnius hoſtiæ, ſicut ſecundùm ſe prout præſcindit ſpeciebus ſacramentalibus tantùm eſt pars Sacramenti: atqui hoc videtur contra Patres, qui dum abſolutè vocant Chriſtum hoſtiam vtriuſque ſacrificij, apertè inſinuant eum in vtroque ſacrificio eſſe integram hoſtiam: ergo non poteſt dici quòd ſpecies ſint pars huius hoſtiæ.

CONCLVSIO III. Panis & vinum etiam ad hoc 80
ſacrificium neceſſariò pertinent tamquam materia, quam neceſſariò reſpicit & præſupponit: quia eorum conuerſio in corpus & ſanguinem Chriſti eſt eſſentialiter ad hoc ſacrificium requiſita, atque ita ſecundariò aliquo modo poſſunt dici offerri.

Nam cùm ideo deſtruantur, vt in teſtimonium diuinæ excellentiæ corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus ponantur, verè poſſunt dici deſtrui in honorem Dei & in teſtimonium excellentiæ diuinæ: licèt mediatè & conſequenter ratione immolationis corporis & ſanguinis Chriſti, ad quã eorũ deſtructio immediatè ordinatur. Et hac ratione ſæpè tã in ſacrificio Miſſæ quàm à Patribus, dicuntur in ſacrificio Miſſæ offerri.

DVBIVM V.

In qua actione ſacrificium Miſſæ eſſentialiter conſiſtat?

NOta Primò, ſex eſſe actiones de quibus poſſit 81
hîc aliqua eſſe dubitatio. Prima eſt verbalis illa oblatio panis & vini quæ fit in offertorio; Secunda eſt ipſa conſecratio; Tertia eſt illa oblatio quæ fit ſtatim poſt conſecrationem his verbis: *Offerimus præclaræ Maieſtati tuæ*, &c. Quarta eſt fractio ipſius hoſtiæ, & vnius particulæ cum calice commiſtio; Quinta eſt ſumptio Sacramenti facta à ſacerdote; Sexta eſt ſumptio facta à populo communicante.

Poteſt aliquid quadropliciter pertinere ad ſacrificium.

Nota Secundò aliquid quatuor modis poſſe pertinere ad rationem ſacrificij. Primò, vt partem eſſentialem, ſine qua ratio ſacrificij nequit conſiſtere. Secundò, vt partem integralem, ſicut manus pertinet ad rationem hominis. Tertiò, vt aliquid extrinſecè ita perficiens ſacrificiũ, vt hoc ſine illo maneat aliquo modo imperfectum, & ſine ſuo deſtituturn: ſicut potentiæ pertinẽt ad perfectionem animæ, ſecundùm eam ſententiam, quæ has realiter ab ea diſtinguit. Quartò, vt aliqua cæremonia, ſine qua omnino integrum conſiſtat ſacrificium, ſed illicitè offeratur. Hîc aurẽ maximè inquirimus quænam pertineant primo modo ad rationem ſacrificij. Variæ autem ſunt ſententiæ.

Prima docet, toram eſſentiam huius ſacrificij vel 82
omnino vel præcipuè conſiſtere in oblatione quæ fit poſt conſecrationem. Ita Eckius l. 3. de ſacrificio Miſſæ c. 9. Item Scotus in 4. d. 13. q. 2. artic. 1. Nam abſolutè diſtinguit conſecrationem qua fit Sacramentum, ab oblatione, in qua conſtituit rationem ſacrificij.

Eckius.

Scotus.

Imò ibidem docet, etiam esse sacrificium illam oblationem qua offertur hostia non consecrata. Eundem citat ac requirit Gabriel ibidem quæst. 1. art. 3. d. 2.

Gabriel. Cauus.

Secunda sententia est Cani, qui l. 12. de Locis theol. cap. 12. ad 4. argumentum, ponit quatuor actiones, scilicet consecrationem, oblationem, fractionem, & consumptionē corporis & sanguinis, quas vocat partes sacrificij, quibus ait ipsum redintegrari, confici & absolui. Ex quibus non satis colligitur, qua ratione vnamquamque actionem velit ad rationem huius sacrificij concurrere, aut in qua præcipuè eius rationem constituat. Si tamen ea quæ hic paulò infrà dicit, coniungamus cum iis quæ dixerat suprà in respon. ad secundum, videtur præcipuam rationem sacrificij constituere in fractione: quia per hanc vult nos assimilare mortem Christi, in eaque assimilatione constituit præcipuam rationem sacrificij.

83 *Soto.* Tertiò, Sotus in 4. d. 13. q. 2. art. 1. requirit quatuor actiones, scilicet duplicem oblationem, quæ fit partim ante consecrationem, partim post; tertiò, consecrationem; quartò, consumptionem, in qua præcipuè constituit rationem sacrificij. Consecrationem verò non videtur requirere vt partem sacrificij, sed tanquam aliquid ad sacrificium prærequisitum, tum ad oblationē, tum etiam ad immolationem, quam totam ponit in consumptione: adeò vt etiam laicos communicantes dicat in suo ordine & gradu sacrificare.

Quarta sententia requirit ad essentiam huius sacrificij consumptionem factam à celebrante, & consecrationem. Videtur autem eius essentiam præcipuè constituere in consumptione, & consecrationē solùm requirere tanquam aliquid prævium ipsi immolationi victimæ. Vtramque verò oblationem & fractionem ait pertinere ad quandam sacrificij integritatem.

Quinta sententia docet, totam essentiam huius sa- *Suarez.*
crificij consistere in sola consecratione. Ita Suarez d. 75. sect. 5. concluſ. 3. cum multis neotericis viris doctis. Aliqui tamen ex iis volunt sumptionem esse partem integralem huius sacrificij: sicut satisfactio est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ.

84 CONCL. I. Nec oblatio quæ præcedit consecrationem, nec ea quæ eam sequitur, nec etiam ipsa fractio est aut de essentia huius sacrificij, aut pars eius integralis ad substantialem eius perfectionem pertinens, sicut manus est pars hominis.

Suarez. Ita Suarez suprà sect. 3. Probatur Primò, quia essentia sacrificij consistit in reali alicuius rei immutatione: per illas autem actiones nulla fit circa hostiam huius sacrificij realis immutatio. Nam oblationes illæ solùm verbales sunt: & per fractionem solùm species immutantur, nullo autem modo ipse Christus.

Prob. Secundò, quia Christus in cœna obtulit verum sacrificium secundùm omnes suas partes substantiales perfectum: atqui ipse nullam ex his actionibus exercuit vt pertinentem aliquo modo ad rationem sacrificij: ergo illæ actiones non pertinent ad substantiam sacrificij.

Minor paret. Nam apertè ex Euangelistis colligitur, eum statim post consecrationem dedisse Sacramentum discipulis sine vlla oblatione. Item nulla legitur ab eo facta oblatio panis ante cōsecrationem: ergo gratis planè asseritur facta, cū nulla ratio ad hoc vrgeat.

85 Cur Christus ante consecrationem gratias egerit. Respondent aliqui, Christum obtulisse panem quādo ante consecrationem accepto pane gratias egit. Sed in his verbis Euangelistarum nullum est vestigium, vnde hoc colligas. Nam illa gratiarum actio nō narratur ab Euangelistis quasi aliqua cæremonia à Christo exhibita vt aliquid Deo offerret, sed qua ipse ostenderet se aliquod insigne miraculum facturum, idque virtute diuina, cuius assistentiam implorabat, & pro ea impetrata Deo gratias agebat. Hinc eiusmodi actio nō fuit particularis huic sacrificio, sed solita ferè fuit à Christo præmitti præcipuis quibusque miraculis: vt paret Matth. 14. v. 19. Marci 6. v. 41. Lucæ 9. v. 16. Ioannis 6. v. 11. in multiplicatione quinque panum. Et Matth. 15. v. 36. in multiplicatione septem panum. Ioannis 11. v. 41. in resuscitatione Lazari: & alibi. Sicut igitur per illam gratiarum actionem præmissam multiplicationi panum nulla fiebat horum oblatio: ita nec etiam per illam quā Christus præmisit consecrationi.

Matth. 14. Marc 6. Luc 9. Ioan. 6. Matth. 15. Ioan. 11.

Similiter nulla à Christo est facta fractio Sacramenti, quæ potuit habere rationē sacrificij. Nam illa quæ à Christo legitur facta, aut præcessit consecrationem (vt multi putant) aut si eam secuta est, nō fuit cæremonialis, sed necessaria, vt cuiq; suam partem distribueret, & in hunc solum finem facta. Ea quidem quā iam vsurpamus est cæremonialis, sed nulla ratione similis ei, quæ facta est à Christo, & consequenter nec à Christo vsurpata, nec instituta. 86 Fractio Sacramenti in cœna non fuit cæremonialis.

Confirmatur Primò, quia eodem modo offeruntur in sacrificiū corpus & sanguis: atqui calix nullo modo offertur per fractionem: ergo nec corpus. Confirmatur Secundò, quia si hæ actiones pertinerent ad rationem sacrificij, deberent esse institutæ à Christo, qui hoc sacrificium secundùm omnes suas partes substantiales integrum instituit; & consequenter debuissent semper in Ecclesia, & quidem eodem modo vsurpari: atqui hoc est falsum. Nam (vt omittam, illas secundùm varias liturgias vario modo fieri) testatur D. Gregor. lib. 7. indictione 2. epistola 63. Apostolos ad consecrationem solam orationem Dominicam adhibuisse. Item, quando contingit post consecrationem integram hostiam labi in calicem, nulla adhibetur fractio: & tamen tunc fit integrum sacrificium: ergo hæc ad integritatem sacrificij non pertinet. *Gregor.*

Obiiciunt Primo, quod antiquissimæ liturgiæ eiusmodi cæremonias sacrificio adhibeant. Sed inde tantùm sequitur, eas ex antiquissimo Ecclesiæ vsu ac præcepto esse adhibendas.

Obiiciunt Secundò, quòd panis & vinum ante cōsecrationem dicuntur hostia, & sacerdos dicit se ea offerre, & similiter Patres sæpissimè dicunt, nos in sacrificio offerre panem & vinum. 87

Respondeo, panem & vinum posse dici hostiam huius sacrificij licèt secundariam, & in eo verè secundariò offerri, sed per consecrationem, vt dixi dub. 4. concl. 3. Quare sacerdos quando ante consecrationē dicit se suprædicta offerre, respicit ad consecrationem mox futuram, quæ tunc aliquo modo fieri incipit; tū quia materia eius præparatur: tum etiam quia totum illud officium per modum vnius actionis moralis concipitur. Dicitur itaque sacerdos tunc offerre, sicut sacerdotes olim assistentes altari, & præparantes hostiam ad immolandum poterant dici iam eam immolare; consueto omnino modo loquendi, quo dicimur facere id ad quod faciendum nos accingimus. Panis & vinum per anticipationem dicuntur offerri in oblatione.

CONCLVSIO II. Dictæ actiones pertinent ad rationem sacrificij quarto modo ex suprà numeratis: scilicet tanquam cæremoniæ ex præcepto Ecclesiæ necessariò inter sacrificandum adhibendæ, vt ipsum sacrificium decentiùs fiat. Per se patet ex liturgiis & vsu Ecclesiæ. 88

CONCLVSIO III. Sumptio huius Sacramenti vt à laicis fit, etsi sub duplici specie id sumant, nullam habet rationem sacrificij. 89

Est ferè communis, excepto Soto suprà citato. Probatur Primò, quia clarum est in lege noua solos sacerdotes posse sacrificare: laici autem nullo modo sunt sacerdotes propriè dicti. Probatur Secundò, vel ipsa sumptio constituit per se integrum sacrificium, vel est tantùm pars sacrificij: neutrum dici potest: ergo nullo modo est sacrificium. Minor probatur, quia si dicas esse integrum sacrificium, hoc est Primò contra communem sententiam Doctorū. Secundò, sequetur. *Suar.*

omnes laicos esse perfectè sacerdotes, & integrum Missæ sacrificium offerre; quod nullo modo dici potest. Si dicas esse partem sacrificij, sequetur communionem nunquam posse ita dari, nisi dum durat sacrificium Missæ: quia aliàs fieret sacrificium partiale & imperfectum, quod absurdum est.

90 Conclvsio IV. Consumptio hostiæ etiam à sacerdote facta non est pars essentialis sacrificij. Ita Suarez disp. 75. sect. 5. Probatur Primò, quia sacrificium est actio sacerdotis, quâ sacerdos est, & ad quam ex vi suæ consecrationis immediatè directam accipit potestatem: atqui sacerdos non accipit in sua consecratione directam potestatem sumendi hostiam, quia eam iam habet quatenus fidelis est: ergo sumptio hostiæ non habet rationem sacrificij.

Suarez.

Sacerdos non communicat in persona Christi. *Trident.*

Probatur Secundò, quia sacrificium offertur directè in persona Christi: vnde ipse est in omni sacrificio præcipuus offerens: vt docet Trident. sess. 22. c. 2. atqui consumptio hostiæ non fit in persona Christi. alioqui quicumque communicaret sustineret immediatè personam Christi, quod tamen in laicis communicatibus patet esse falsum, qui potiùs aliquid à Christo recipiunt, quàm eius personam sustineant: ergo ipsa sumptio non habet rationem sacrificij.

91 Dices, Sacerdos ideo sumit in persona Christi, quia sibi ipsi hostiam porrigit, & quasi propria auctoritate communicat.

Respondeo, hoc tantùm probare, sacerdotem sustinere personam Christi, quatenus porrigit sibi communionem: sicut etiam sustinet personam Christi, quando eam porrigit populo; non autem quatenus consumit hostiam. Et consequenter vt summù posset probare, distributionè hostiæ esse de essentia sacrificij, quod patet esse falsum: aliàs quicumque eâ distribueret populo, aut viaticum ægroto administraret, verè sacrificaret. quod tamen nemo dixerit: præsertim cùm hoc sacrificium non posset esse nisi partialem: quia auctores contrariæ sententiæ tantùm volunt, hoc sacrificium partialiter consistere in consumptione hostiæ.

92 Probatur Tertiò, quia per sacrificium aliquid Deo offerimus: atqui consumendo hostiam nihil Deo offerimus, sed potiùs à Deo aliquid accipimus tanquam conuiuæ mensæ ipsius participes facti: vt patet ex dictis dub. 1. corollar. 6. ergo sumptio non habet rationem sacrificij.

Probatur Quartò, quia D. Lucas cùm narrasset quomodo Christus consecrarit, subdit eum dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis, vt testatur Trident. sess. 22. c. 1. præcipit sacerdotibus omnibus, vt hoc sacrificium offerrent. Vnde sic argumentor. Cùm Euangelista ibi expressè dicat, Christum nobis præcepisse hoc sacrificium offerre, omnino credibile est eum explicuisse in quo hoc essentialiter consistat (quis enim credat, Euangelistam nobis denuntiare, Christum nobis aliquid præcipere, & tamen non explicuisse quid hoc sit?) atqui ipse ne vel leuiter quidem insinuat, Christum sumpsisse Venerabile Sacramentum: ergò omnino credibile est hanc sumptionem non esse de essentia ipsius sacrificij.

Trident.

Confirmatur Primò, quia ex eo quòd omnes Euangelistæ quædam verba quæ nos habemus in forma consecrationis calicis, omittant, colligimus ea non esse essentialia: ergo similiter ex eo quòd referentes Christi sacrificium non referant eum sumpsisse, rectè colligimus hoc non esse essentiale sacrificio.

Confirmatur Secundò, quia de fide certum est Christum sacrificasse, ex Tridentino sess. 22. cap. 1. & consequenter fecisse ea omnia, quæ erant essentialia sacrificio quod instituebat (nam sine his non potest cõsistere sacrificium.) atqui aliquo modo incertum est, vtrùm Christus communicarit: ergo ex sententia Ecclesiæ vt minimum probabile est, hoc non esse de essentia sacrificij. Quomodo enim Ecclesia posset definire Christum sacrificasse, si putaret essentiam sacrificij non posse consistere sine sumptione, quam nescit an Christus vsurparit?

Trident.

Conclvsio V. Pertinet tamen sumptio ad aliquam integritatem ac perfectionem sacrificij. 93

Primò, quia est approbatio quædam sacrificij. Secundò, quia sic res Deo oblata in eiusdem honorem consumitur. Tertiò, quia cùm hoc sacrificium instituatur etiam vt sit Sacramentum & conuiuium (sicut etiam inter veteres ferè omnia sacrificia Eucharistica) non consequitur vltimum suum finem ante consumptionem hostiæ: sicut tamen *vsus Sacramenti* non est de essentia sacrificij; ita nec consumptio hostiæ. Atque hinc factum est vt semper ab Ecclesia tanta diligentia obseruatum sit; vt celebrans, aut, vbi ipse non posset, aliquis eius loco sacerdos sacra mysteria sumeret, ne immolata victima frustra à Deo nobis conuiuium pararetur, si nemo id publico nomine adiret. Quò etiam referri potest illud Chrysost. hom. 3. in epistolam ad Ephes. *Frustra habetur quotidiana oblatio, cùm nemo sit qui simul participet.* Huc etiam spectat id quod dicitur in c. *Relatum.* de consecrat. dist. 2. scilicet: *Quale erit sacrificium, cuius nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Ideoque antiquis etiam præceptum fuit, vt victimas aut ipso immolationis die, aut saltem sequenti, idque ferè intra templi atria consumerent. quia conuiuas Dei in domo Dei conueniebat epulari.

Chrysost.

Dices, Si sumptio non habeat rationem sacrificij, non erit necesse celebrantem communicare; sed sufficiet eum aliis dare hostiam consecratam consumendam. 94

Resp. negando assumptum. Primò, quia cùm celebrans hoc cælestè conuiuium in persona Christi non minus sibi quàm aliis instituat, omnino indecens est eum primò omnium eius non fieri participem. Secundò, quia sicut sacerdos publico nomine sacrificium offert: ita etiam debet hoc publico nomine sumere.

Cur celebrans necessariò communicet.

Peres, Vtrùm quòd celebrans necessariò teneatur communicare, sit iuris diuini, an Ecclesiastici? Suarez d. 75. sect. 5. respondet rem esse incertam. quia Concil. Trident. sess. 22. c. 1. tantùm docet id haberi ex traditione Apostolica, ex qua non necessariò infertur ius diuinum: nec vlli antiqui canones docent id esse iuris diuini. Et sanè si loquamur de præcepto diuino superaddito institutioni huius sacrificij, difficulter tale præceptum posset clarè probari. Viderur tamen omnino tale præceptum naturaliter consequi ipsam institutionem sacrificij; non quidem prout habet rationem sacrificij, sed quatenus est confectio Sacramenti & spiritualis cõuiuij præparatio, cuius ille ipse qui hoc præparauit (vt dixi) necessariò debet esse particeps, ne cibum quem aliis in persona Christi præparat, ipse fastidiosus reiiciat. quod magnam indecentiam per se inuoluit. Quare omnino credibile est Christum absolutè voluisse hoc ita fieri. Vnde Ecclesia meritò semper hoc tam strictè seruauit, vt etiam deficiente ante sumptionem celebrante, alius sacerdos vicem celebrantis supplens teneatur hoc Sacramentum sumere. Hinc patet sumptionem propriè tertio modo ex suprà numeratis pertinere ad sacrificium. quia non perficit hoc propriè intrinsecè, sed potiùs quadam ratione extrinseca, quatenus per hanc illud assequitur finem suum, ad quem institituitur, quatenus est confectio quædam Sacramenti, & præparatio conuiuij. 95

Suarez.

Trident.

Necessitas communicandi in celebrante prouenit ex Sacramenti institutione.

Conclvs. VI. Nonæ legis sacrificium totum essentialiter perficitur consecratione; & quidem primariò, quatenus per eam corpus & sanguis sub specie panis & vini, quantùm est ex vi verborum separatim ponũtur, illud quasi occisum, hic quasi effusus: atque ita mortẽ Christi perfectissimè repræsentant. Secundariò 96

Essentia sacrificij consistit in sola consecratione.

verò, quatenus per eam panis & vinum esse desinunt, quæ tanquam terminus à quo ad sacrificium pertinent.

In omni sacrificio aliquid corrumpitur, & aliquid producitur, & modò hoc modò illud est primaria hostia.

Vbi Nota ex dictis dub. 1. concl. 5. in omni sacrificio cõmuniter aliquid destrui, & aliquid aliquo modo produci, saltem secundùm aliquem nouum modum essendi. Item aliquando principalem hostiam esse rem ipsam quæ destruitur: vt quãdo animalia immolantur. Hæc enim sunt principales hostiæ, quæ vita priuantur in Dei honorem, vt hic ostendatur vitæ auctor, dum vita ei redditur. Cadauer verò & sanguis effusus sunt hostiæ minùs principales. Contrà in thymiamate res producta siue suffitus ex illius cremationc proueniens est principalis hostia. Hic enim præcipuè intenditur, vt illa suaueolentia Deus omnis suauitatis auctor honoretur. Vterque tamen terminus est sacrificio essentialis. quia & hic suffitus necessariò debet fieri ex tali materia; & animalia ita debent occidi, vt eorum cadauera & sanguis separatim ponantur.

Similiter in nostro sacrificio, principalis hostia est corpus & sanguis Christi in honorem Dei hîc reproducta: & quantum est ex vi verborum & specierum significatione separatim quasi victima mactata posita. Minùs autem principalis & quasi secundaria hostia est panis & vinum quæ huic sacrificio essentialia sunt, quatenus illorum reproductio debet necessariò & ex his, & sub horum speciebus fieri. aliàs non haberet rationem sacrificij à Christo instituti. Imò si corpus & sanguis non ponerentur sub specie aliqua visibili, eorum reproductio non haberet rationem sacrificij: quia non esset sensibilis. Vide dicta dub. 4.

97 Prob. iam concl. Primò, quia ex dictis patet nihil esse aliud quod possit commodè habere rationem sacrificij.

Secundò, quia in hac consecratione reperitur quidquid ad essentiam sacrificij possit requiri, vt patet ex definitione data dub. 1.

Consecratio perfectè repræsentat sacrificium cruentum.

Tertiò, quia hæc sola actio fit propriè in persona Christi. Item sola perfectissimè repræsentat sacrificiũ cruentum. Nam corpus & sanguis posita sub diuersis speciebus, quantum est ex vi verborum separatim, expressissimè repræsentant hostiam immolatã, siue Christum in cruce occisum: sumptio autem per se nullam habet vim illa repræsentandi, nisi quatenus est participatio hostiæ immolatæ. Cùm enim nó soleamus animalia viua comedere, sed priùs occisa, comestio non potest per se repræsentare animalis occisionem, sed eã supponit iam factã. Vnde pulchrè Gregorius Nyssen.

Hostia mactatur antequam comedatur. *Gregor. Nyssenus.*

hom. 1. de resurrect. circa medium ait, *Nam victimæ corpus non est ad edendum idoneum si animatum sit. quare cùm corpus edendum & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam arcana & non aspectabili ratione corpus erat immolatum.* quo nihil clarius pro nostra sententia dici potest.

Prob. Quartò, quia Patres in hac sola rationem sacrificij cõstituunt. Ita clarissimè D. Greg. mox citatus,

D. Gregor.

Item Irenæus l. 4. c. 32. *Calicem,* inquit, *sanguinem suum confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem.*

Irenæus.

& Cyprian. ser. de cœna Dom. ait, cùm verbis consecrationis panis benedicitur, Eucharistiam fieri medicamentum & holocaustum. D. Chrysostomus hom. de proditione Iudæ, docet verba Domini, *hoc est corpus meum,* vsque in finem mundi præstare sacrificio firmitatem. Quæ omnia apertè insinuant hoc sacrificium in sola consecratione consistere.

D. Cyprian.

D. Chrysost.

98 Sacrificiũ essentialiter requirit consecrationem vtriusque speciei.

Ex quibus infertur, rationem sacrificij ex institutione Christi, ita coniunctam esse cum consecratione, vt hæc sub vtraque specie nulla ratione sine illo fieri possit, quantumuis quis intenderet nó sacrificare, sed tantùm consecrare, quia hoc ipso implicitè intenderet etiam sacrificare: sicut implicitè intendit conferre gratiam, qui intendit conferre Sacramentum.

Obiicitur Primò, nostrum sacrificium esse perfectissimum holocaustum: atqui de ratione holocausti est, vt totum in Dei honorem consumatur: ergo comestio, per quam hæc hostia consumitur, est essentialis sacrificio.

Resp. Si hoc argumentũ aliquid probaret, etiã probaret, aut omnia vetera sacrificia fuisse holocausta, aut non licere comedere hostiam nostri sacrificij, sed eam alia ratione debere consumi. Nam si ad rationẽ holocausti sufficiat, vt hostiæ comestione consumantur, omnia vetera sacrificia erunt holocausta. Nam omnia aut comestione, aut alia ratione in Dei honorem consumebantur. Quòd si verò ad rationem holocausti non sufficiat hostiam comedi, probaret non licere ex hac hostia quidquam comedere. quia ex holocaustis olim nihil licebat comedere, sed debebant tota igne consumi. Vnde patet, negandam esse minorem loquendo de holocausto in genere, quod hebraicè dicitur עלה quasi ascensio, eò quòd in eo tota omnino hostia Deo penitus offeratur, atque ita quasi ad eum ascendat: siue hæc oblatio fiat per hostiæ totalem consumptionem: siue per quamcumque aliam hostiæ legitimã oblationem, qua possit verè dici totaliter ac integrè Deo offerri. 99

In quo consistat ratio holocausti.

Sicut autem sacrificia pecorum fiunt per eorum occisionem, ita eorum holocausta fiunt per omnimodam ipsorum destructionem. Contra verò, sicut huius hostiæ sacrificium consistit in eiusdem quadam reproductione: ita eiusdem holocaustum consistit in tali reproductione qua tota in Dei honorem reproducitur, quasi per modum victimæ occisæ sub distinctis speciebus, idque tali modo existendi, ex cuius vi non possit vllis profanis vsibus deseruiri, atque ideo necessariò cedat tota in honorem Dei, cuius productione Deus est honorandus; non autem eius destructione, cùm omnino immortalis ac impassibilis sit.

Obiic. Secundò, sacrificium debet esse sensibile: atqui reproductio Christi non fit ibi sensibiliter: ergo ad eius rationem requiritur consumptio. 100

Resp. sacrificium non debere magis esse sensibile quàm Sacramentum: sicut igitur hoc est satis sensibile ratione specierum & formæ consecrationis: ita etiam sacrificium. quare neganda est minor.

Obiic. Tertiò, 1. Cor. 11. dicitur, *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur. Hic est calix qui pro vobis effunditur.* atqui hæc effusio & fractio significant quandam immolationem, nec fiunt nisi per hostiæ comestionem: ergo hæc est immolatio. 1. Cor. 11.

Resp. negando secundam partem minoris. quia illa verba *frangitur* & *effunditur,* referũtur partim ad cruentam immolationem crucis: partim ad incruentam, per quam mysticè corpus Christi frangitur siue occiditur: & sanguis eius effunditur, quatenus vtraque quantum est ex vi verborum & specierum significatione, ponuntur separatim. Patet Primò, quia hæc propriè fiunt pro nobis in remissionem peccatorum: sumptio verò directè tantùm fit in augmentum gratiæ. Secundò, quia sanguinem hîc effundi, non significat eum ex calice in os bibentis infundi (hæc enim potiùs esset infusio quàm effusio dicenda) sed significat eum ex corpore realiter aut mysticè effundi, & consequenter corpus simili ratione occidi.

Obiicitur Quartò, hinc sequi nostrum sacrificium non fore verum & reale, sed tantùm mysticum: quia tantùm erit mystica immolatio. 101

Ad verum ac reale sacrificium sufficit mystica occisio hostiæ.

Resp. negando hoc sequi. Ad probationem Resp. si per immolationem intelligas occisionem hostiæ, tunc hîc tantùm fore mysticam immolationem: sed realis hostiæ occisio ne quidẽ in comestione reperitur, vt aduersariis etiam farendum est: nec vllo modo ad rationẽ huius sacrificij requiritur, imò esset contra rationem ipsius. quia si Christus in eo verè occideretur, non esset sacrificium incruentũ, sed cruentũ. Imò si rem penitiùs consideremus, in comestione hostiæ ne quidem

mystica reperiretur eiusdem occisio, sed iam facta supponitur: vt patet ex probat. 3. & Nyssèno ibidem citato. Quòd si verò per immolationem intelligas veram & realem hostiæ sacrificationem, illa realissimè & perfectissimè in consecratione reperitur. quia per hanc corpus & sanguis Christi sub diuersis speciebus per modum hostiæ mactatæ verissimè & realissimè reproducuntur in testimonium diuinæ excellentiæ, in quo tota ratio huius sacrificij consistit.

103 Hinc patet, de essentia huius sacrificij, prout iam est à Christo institutum, esse, vt consecratio fiat sub vtraque specie. Aliàs enim non fieret mystica sanguinis effusio, victimæque occisio.

Sequitur Secundò, vtriusque speciei sumptionem pertinere ad illius quandam perfectionem, iuxta dicta suprà.

Pontifex nequit dispensare vt vtrica species consecretur.

Sequitur Tertiò, Pontificem nullo modo posse dispensare, vt alterutra species sola consecretur. quia tunc non esset verum & integrum sacrificium; sed dimidiatum ac mancum. quod est contra ius diuinum.

Sequitur probabiliter Quartò, eum non posse etiam dispensare, vt quis celebrans alterutram tantùm speciem sumat. Quia est probabile, celebrantem iure diuino teneri vtrumque speciem sumere: vt ostendi suprà concl. 5. Nec vlla est ratio cur dicamus eum teneri sumere vnam speciem, non tamen vtramque.

103 Sequitur Quintò, nulla ratione audiendum esse *Volaterranum, Innoc. VIII.* Volaterranum, qui docet Innoc. VIII. cum Norvvegis dispensasse, vt sine vino consecrarent, eò quòd difficulter apud eos vinum conseruari possit. Sed hoc falsum esse patet Primò, quia ostendi contrarium esse iuris diuini. Secundò, quia nulla extant huius dispensationis vestigia. Tertiò, quia falsum est ibi vinum non posse conseruari. Quartò, quia, si difficultas habendi vinum sufficeret ad huiusmodi dispensationem; *maximè* iam *dispensandum* esset cum aliquibus Indis, apud quos difficillimè vinum haberi potest. Quintò, quia ipse dicit Pontificem dispensasse vt calix sine vino consecraretur: qui esset apertus error in fide, cùm *Florentin.* Concil. Florentinum definiat, vinum de vite esse materiam necessariam consecrationis calicis.

DVBIVM VI.

Qui hoc sacrificium offerre possint?

104 TRiplex hic est difficultas. Prima, Vtrùm omnes & soli sacerdotes hoc sacrificium offerre possint? *Hæretici nostri.* Plurimi enim hæretici hoc tempore volunt omnes Christianos æqualem habere potestatem circa confectionem Eucharistiæ, in quo dixi hoc sacrificium consistere.

Magister. Contrà Magister in 4. d. 13. putat hæreticos & excommunicato; inualidè conficere. Sed hoc nulla ratione à Catholico defendi potest: vt ostendi suprà q. *Scotus.* 64. a. 9. Scotus verò ibidem q. 2. concedit quidem tales validè posse consecrare Eucharistiam; negat tamen eos validè posse offerre sacrificium, quia constituit sacrificium in oblatione verbali, quæ fit post consecrationem quam dicit debere fieri in persona Ecclesiæ: hæretici autem & excommunicati cùm sint præcisi ab Ecclesia, non possunt in eius persona offerre. Fun- *Gabriel.* dem sequitur Gabriel ibidem q. 2. ar. 3. dub. 2. Sed hoc fundamentum satis refutauit dubio præcedenti.

105 Secunda difficultas est, Vtrùm in omni nostro sacrificio Christus sit verè ac propriè principalis offe- *Scotus, Gabriel.* rens? Scotus enim quodlib. 20. in fine a. 2. & Gabriel lect. 26. in canon. lit. G. & H. dicunt Christum ea solùm ratione dici hoc sacrificium offerre quatenus hoc totâ suam vim ex illius meritis habet, & ex ipsius institutione & præcepto offertur. Sed hac ratione non nisi valdè remotè posset dici offerre hoc sacrificium; sicut dicitur etiam baptizare cum quocumque baptizante: cùm tamen longè alia ratione dicatur offerre hoc sacrificium, quàm conferre reliqua Sacramenta.

Tertia difficultas est, Vtrùm omnis populus Christianus per sacerdotem hoc sacrificium aliqua ratione offerat?

CONCLVSIO I. Soli sacerdotes sacrificium Missæ 106 per se validè offerre possunt. Est de fide. vt patet ex dictis q. 82. art. 3. & suprà dub. 1. corol. 7. num. 19. & 28.

CONCLVSIO II. Omnes veri legis nouæ sacerdotes, quantumuis sint hæretici aut excommunicati, validè hoc sacrificium offerunt, si legitima forma & materia vtantur. Ita D. Thomas q. 82. ar. 7. & commu- *D. Thom; Trident.* niter Theologi. & apertè colligitur ex Trident. sess. 23. vbi cap. 1. docet sacerdotibus per ordinationem à Christo dari potestatem corpus & sanguinem ipsius consecrandi & offerendi: vt patet etiam apertè ex sacerdotis ordinatione, qua immediatè traditur illi potestas offerendi hoc sacrificium. Deinde cap. 4. ex eo quòd sacerdotibus imprimatur character, infert hanc potestatem ijs auferri non posse. Et eodem sensu can. 4. dicit anathema ijs, qui dicunt sacerdotes posse fieri laicos. Quare non videtur contraria sententia posse vlla ratione defendi. Et confirm. quia, vt ostendi dub. 4. tota ratio huius sacrificij consistit in consecratione. potestas autem consecrandi à sacerdotibus auferri non potest. Quare quod quidam Patres dicunt extra Ec- *Quomodo Patres dicunt extra Ecclesiam non posse verum sacrificium offerri.* clesiam non posse esse verum sacrificium; vel intelligendum est, quòd extra Ecclesiam non possit legitimè offerri sacrificium: vel potiùs quòd extra eam nullum possit verum sacrificium institui, vel quacumque ratione haberi, quod sit distinctum à sacrificio Ecclesiæ, quod à quibuscumque offeratur, semper aliqua ratione in Ecclesia offertur, quia ipsius sacrificium est.

CONCLVSIO III. In omni sacrificio legis nouæ 107 Christus est verè & propriè principalis offerens. Ita D. *D. Thomas, Trident.* Thomas hic ad 3. & communiter Theologi. Et expressè docet Trident. sess. 22. c. 2. vbi ait, *Idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit.* Idem communiter docent Patres & Scripturæ interpretes, dum docent ideo Christum dici sacerdotem in æternum (id est vsque ad finem mundi) quia continuò hoc sacrificium per sacerdotes offert. Et clarè satis inde probatur.

Præcipua autem huius rei ratio (præter eas quas initio dubij ex Scoto attuli) est, quia sacerdos offert *Scotus.* hoc sacrificium vt minister Christi, ipsius personam immediatè sustinens ac repræsentans: ita vt consecrans eodem modo loquatur ac si reuera Christus esset, dicens: *Hoc est corpus meum.* Vnde pulchrè D. Anselmus *D. Anselm.* super Psalm. 38. *Ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur.* Sicut igitur quis propriè dicitur dare eleëmosynam, quam per famulum dat, ita Christus verè dicitur hoc sacrificium offerre; idque longè alia ratione quàm dicatur per ministros suos baptizare: quia etsi baptizans agat vt minister Christi, tamen loquitur in propria persona, & propriis verbis; consecrans autem absolutè in persona Christi, & verbis Christi loquitur.

His adde, cùm Christus eo tempore quo hoc sacri- 108 ficium & Sacramentum Ordinis instituit, præuiderit in particulari omnia sacrificia, quæ vsque in finem mundi erant offerenda; probabile esse hæc omnia & singula actu elicito Patri obtulisse. Imò cùm, vt docet Apostolus ad Rom. 8. & ad Hebr. 7. etiam modò Pa- *Rom. 8. Hebr. 7.* trem interpellet pro nobis; satis credibile est, eum singula sacrificia dum actu fiunt, Patri actu elicito offerre. Hoc enim ipsius in Patrem reuerentiæ, & summo in Ecclesiam amori congruit.

CONCLVS. IV. Omnes Catholici non excommunicati aliqua ratione per sacerdotes offerunt, quatenus sacerdos offert hoc sacrificium in persona totius Ecclesiæ: sicut tota ciuitas dicitur agere quod eius legatus apud Regem agit. Secundò, & magis propriè hoc per sacerdotes offerunt, qui ei aliqua ratione cooperantur, curando illud pro se dici, vel ei ministrando, vel etiam assistendo. Patent hæc ex verbis quæ celebrans dicit post primum Memento, vbi ait, *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium.*

DVBIVM VII.

Vtrùm hoc sacrificium sit verè propitiatorium & impetratorium: & qua ratione?

109 *Hæretici nostri.* DVplex hìc est difficultas. Prima est cum hæreticis nostris, qui absolutè negant hoc sacrificium esse propitiatorium, siue valere ad obtinendam veniam peccatorum. Ratio illorum est Primò, quia hoc cederet in iniuriam sacrificij crucis, quo Christus pro omnium peccatis abundantissimè satisfecit. Secundò, quia hoc videtur repugnare Apostolo, qui ad Hebr. c.9.& 10. docet Christum sufficienter satisfeciſſe pro peccatis nostris, nec opus esse alio sacrificio. Sed has rationes nullius esse momenti, satis ostendi dub.3.

Hebr.9. & 10.

Secunda difficultas est cum Catholicis, Vtrùm hoc sacrificium conferat suum effectum (qualiscumque ille sit) ex opere operato, an per modum impetrationis; an verò vtroque modo?

Valentia. Has difficultates varij variè tractant. In primis Valentia hìc disp. 6. q. 11. puncto 1.§. 19. & ieqq. Item Card. Bellarm. l.2. de sacrificio c.4. Soto in 4. d. 13. q. 2. a. 1. §. *Per hæc.* Sed non satis hanc secundam difficultatem explicant. Fusissimè autem & distinctissimè e...n tractat Suarez disput. 79. Tractant eandem & alij multi, varieque de rebus variis dissentiunt, sed sæpè magis in verbis & modo se explicandi, quàm in re.

Bellarm. Soto.

Suarez.

110 VT autem rem omnem breuiter exponamus, Nota Primò, nos hìc non agere de sacrificio quod Christus in cœna obtulit. sed de eo quod sacerdotes iam quotidie offerunt.

Nota Secundò, hoc sacrificium generatim loquendo ex quadruplici capite posse habere vim operandi aliquem effectum. Primò, ex opere operantis, siue proximè offerentis. Cùm enim sit actus veræ virtutis, eosdem planè effectus potest habere, quos habent aliæ actiones virtutis, & iisdem omnino modis; scilicet, Primò per modum meriti de condigno aut de congruo. Secundò, per modum satisfactionis. Per omne enim opus veræ virtutis possumus pro peccatis satisfacere, præsertim quando in eum finem id Deo offerimus. Tertiò per modum impetrationis, tum quia omne opus veræ virtutis habet vim aliquid à Deo impetrandi, si in eum finem offeratur: tum etiam quia sacrificium est actus excellentissimæ orationis: vt magis infrà patebit. Sed ad hos operandi modos necesse est vt offerens sit in gratia, præsertim pro primo & secundo. Quia qui est extra gratiam, nec mereri de condigno, nec satisfacere potest: quamuis per modum orationis possit aliquid à Deo impetrare, quando ritè orat, ita vt non peccet in ipsa oratione, vt facit peccator sacrificans, nisi excusetur per facti ignorantiam.

Sacrificiũ habet quadruplicem vim operandi.

111 Secundò, potest habere vim aliquam agendi ratione excellentiæ rei oblatæ. Munus enim alicui munifico Principi oblatum, quod illi in se est valdè gratum, habet ex se vim eum permouendi ad aliquid rependendum, modò debita ratione offeratur: ita scilicet vt ipso modo offerendi Princeps non offendatur. Atque hac etiam ratione sacrificium à iusto legitimè oblatum sine dubio habet vim mouendi Deum vt aliquid conferat offerenti: non quidem quòd æquet dignitatem rei oblatæ (quia hoc impossibile est) sed prout iudicauerit hìc & nunc secundùm suæ prouidentiæ rationes expedire. Et hic effectus etiam per modum impetrationis acquiritur. quia sicut preces, ita etiam munera solent habere vim impetrandi. Ex illo tamen capite præcisè hoc sacrificium nullam potest habere vim impetrandi, quando offertur ab iniusto; quia contra voluntatem Dei offertur.

Tertiò, potest sacrificium acquirere vim impetrandi aliquid à Deo, ex eo quòd sacerdos id offerat ex persona Ecclesiæ: quæ cùm Deo semper sit accepta, eius etiam preces & munera Deo grata sunt, etsi per peccatorem offerantur: sicut munera vnius Principis alteri per legatum oblata, huic grata sunt, etsi offerens secundùm se ingratus sit. 112

Quartò, sacrificium acquirit vim operandi suum effectum ex institutione, voluntate & persona Christi, qui semper primarius est offerens. Quod duplici ratione potest concipi fieri. Primò, quatenus Christus potuit annectere in certa proportione sua merita ipsi externo actui sacrificij ad certum effectum conferendum ei pro quo offertur, cui (modò ex se non ponat obicẽ) infallibiliter conferatur, independenter à dignitate aut deuotione immediatè offerentis. simili aliqua ratione, qua Sacramentum suscipienti dispositio confert suum effectum independenter à dignitate aut deuotione ministri. Et hunc modum operandi vocamus ex opere operato. quia effectus sequitur infallibiliter positionem externi operis in subiecto non ponente obicem. Quamuis autem posset quis negare Christum de facto eo modo annexuisse sua merita huic sacrificio; quin tamen id facere potuerit, nullum potest esse dubium. Nec enim hic aliqua vel probabilis potest ostendi implicantia: præsertim cùm non asseramus hìc aliquam efficientiam physicam in sacrificio qua operetur hunc effectum, sed tantùm moralem. 113 *Quam vim habeat sacrificium ex institutione Christi.*

Secundò, per modum cuiusdam impetrationis. Hoc ipso enim quo hoc sacrificium offertur in persona Christi, ita vt Christus verè id etiam per ministrum offerat, habet magnam vim aliquid impetrandi à Deo, etsi Christi merita ei non essent supradicto modo annexa.

CONCLVS. I. Sacrificium Missæ non solùm est ἀντιστατικὸν & eucharisticon, sed etiam propitiatorium ac impetratorium. Ita definiit Trident. sess. 22. c. 2. & can. 3. 114 *Nostrum est verè propitiatorium. Trident. Matth. 26. Luc. 22.*

Prob. ex Scripturis, quia Matth. 26. & Luc. 22. calix sanguinis Christi dicitur effundi, siue per sacrificium Deo offerri in remissionem peccatorum. quod nihil est aliud, quàm hoc sacrificium in quo sanguis Christi offertur, esse propitiatorium. Ille autem verba Christi esse etiam intelligenda de sacrificio incruento clarè ostendi suprà dub. 2. & patet ex eo quòd dicitur calix effundi. quod necessariò intelligendum est de sacrificio incruento.

Prob. Secundò, quia Apostolus ad Hebr. 5. expressè docet, omnis pontificis siue sacerdotis munus esse offerre Deo sacrificia pro peccatis: atqui in noua lege est verum sacrificium, vt ostendi suprà; & sunt etiam veri sacerdotes, vt ostendam in materia de Ordine: ergo eorum officium est offerre sacrificium pro peccatis. *Hebr.5.*

Prob. Tertiò, quia hoc sacrificium successit omnibus veteribus, tanquam vnum sufficiens pro omnibus, & eminenter omnium vim continens: atqui inter vetera sacrificia multa fuerunt propitiatoria & impetratoria: ergo hoc etiam debet esse tale; hac tamen differentia, quòd sicut lex vetus continebat solùm vmbras futurorum, & vim purgandi immunditias *Nostrum sacrificium eminenter continet vim omnium antiquorum.*

Hebr. 9. legales, vt docet Apostolus ad Hebr. 9. ita illa sacrificia ex vi sua & abstrahendo à deuotione offerentis tantùm valebant ad tollendas immunditias legales. Sacrificium autem nouæ legis in quo est veritas, valet etiam eo modò quem infrà dicemus, ad mundandas conscientias à peccato.

Probatur Quartò, quia ille fuit sensus totius ab initio Ecclesiæ: vt patet ex antiquissimis liturgiis, & præsertim D. Iacobi, in qua dicitur, *offerimus tibi incruentum sacrificium pro peccatis nostris.* Idem communiter docent antiqui Patres, vt patet apud Card. Bellarm. *Bellarm.* l. 2. de Missa, c. 2.

115 Habet vim satisfaciendi, ac diuersa impetrandi.

CONCLVS. II. Sacrificium Missæ habet vim satisfaciendi pro peccatis, & impetrandi diuersa Dei dona primo, secundo & tertio modo suprà numeratis. Per se patet. nam cùm sit perfectissimus actus virtutis religionis, nulla est ratio, cur non habeat omnem vim satisfaciendi, merendi ac impetrandi, quam habent reliqui actus virtutis. Itè cùm res in eo oblata sit excellentissima & Deo gratissima, per se aptissima est, vt eũ ad liberalitatem excitet, si debitè ei offeratur. Denique cùm Ecclesia sit Deo gratissima, nulla est causa negandi ipsius preces & sacrificia, quæ per ministros suos Deo offert, hoc ipso habere aliquam vim impetrandi, quia ex persona Ecclesiæ Deo offeruntur. Nec credo vllum Catholicum huic conclusioni contradicere.

116 Habet effectum ex opere operato.

CONCLVS. III. Sacrificium habet vim producendi aliquem effectum ex opere operato secundùm rationem suprà in prima parte quarti modi explicatam.

Ita ferè communiter, vt patet ex Valentia, Bellarmino, Suarez citatis nu. 109. Theologi. Prob. Primò, quia Matth. 26. Christus ait: *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quod, vt ostendi suprà ex Luc. 22. est etiam intelligendum de effusione quæ fit in hoc sacrificio. Quibus verbis Christus apertè docet, se hoc sacrificiũ instituisse; vt suo modo (de quo agemus dubio seq.) remissionem peccati operetur. Quare cùm Christi institutio sit efficax, patet, Christum ei indidisse aliquam vim ad illum effectum operandum. Non vt eam haberet ex opere operantis (quia hoc ipso quo erat actus virtutis, ex natura rei hanc vim habebat, nec ad hoc aliqua noua promissionẽ egebat;) ergo vt eam haberet ex opere operato. Confirm. quia Christus illis verbis clarè satis promittit remissionem peccatorum iis pro quibus debitè dispositis hoc sacrificium offertur: atqui ex eo quòd Christus suscipientibus aliqua Sacramenta promittit aliquem effectum, colligimus ea hunc producere ex opere operato: ergo idem dicendum est de illo sacrificio.

Matth. 26.

Luc. 22.

Hebr. 9. Vetera sacrificia ex opere operato tollebant immunditiẽ legalem.

Prob. Secundò, quia, vt apertè colligitur ex Apostolo ad Hebr. 9. sicut vetera Sacramenta & sacrificia habebant vim ad tollendam immunditiam legalem: ita nostra Sacramenta & sacrificia habẽt vim ad mundandas conscientias à peccatis, vnumquodque secundùm rationem suæ institutionis: atqui non modò Sacramenta quædam vetera, sed etiam quædam sacrificia ex opere operato tollebant immunditiam legalem (vt patet ex Leuit. 4. vbi per eiusmodi sacrificia absolutè promittitur futura purgatio à peccato per ignorantiam contracto:) ergo sicut nostra Sacramenta habent vim ex opere operato tollendi peccata: ita *Leuit. 4.* suo modo eandem habebit sacrificium. Est enim par ratio.

117 Prob. Tertiò, quia aliàs sæpè grauissimè populus Christianus decipereтur, dum sacrificium pro se & maximè pro defunctis offerri curat, si offerentes essent in peccato, & ab eorum dignitate aut deuotione vis sacrificij penderet, quia sine vlla sua culpa omni sacrificij effectu priuarentur. quod & repugnat communi Ecclesiæ sensui, & per se videtur absurdum: quia sic Christus per institutionem illius sacrificij non satis prouidisset populo Christiano: cùm quoties sacerdotes essent mali, non esset in huius potestate illius effectu frui. Confirm. quia Trident. sess. 22. c. 1. docet *Trident.* ideo hanc oblationem Malach. 1. dici mundam, quia *Malach. 1.* *nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest.* Quod non videtur dici ideo, quia externa oblatio non potest coinquinari ob internam malitiam offerentis: quia hoc non videtur aliter verum in noua lege quàm in veteri. quia vtraque oblatio, siue externus actus offerendi, quando illegitimè fit, siue ob malam intentionem, siue ob indignitatem offerentis, verè hic & nunc est externum peccatum, & per eam actionem verè offerens peccat; sed quia habet vim reconciliandi nobis Deum independenter à dignitate aut bonitate proximè offerentis, quod veteribus sacrificiis non fuit concessum.

118 Nouum sacrificium habet singularem vim impetrandi, quia in persona Christi offertur.

CONCLVS. IV. Hoc sacrificium ex eo quòd offeratur immediatè in persona Christi, habet ex eiusdem institutione singularem vim vt varia à Deo impetretur iis pro quibus offertur: idque præter omnem dignitatem & meritum proximè offerentis.

Per se patet, quia etsi hic sit secundùm se indignus qui à Deo exaudiatur, tamen Christus cuius ipse personam sustinet, quique per eum verè offert, semper est dignissimus qui quiduis à Deo impetret: sicut rex Pontifici gratissimus, & optimè de Ecclesia meritus, qui aliquid à Pontifice per legatum regat, dignissimus est qui impetret, etsi legatus per se omnino indignus sit qui audiatur. Et credibile omnino est, ob hanc causam præcipuè Christum voluisse hoc sacrificium ita immediatè in persona sua, suisque verbis offerri, vt per ipsum facilius quæuis à Deo impetraremus, quia ob indignitatem nostram facilè tulisset repulsam, si hoc in persona nostra obtulissemus.

119 Differt hæc virtus ab ea quæ causat ex opere operato.

Differunt autem hi duo modi explicati in tertia & quarta conclusione. Primò, nam prior etsi mediatè nitatur dignitate personæ Christi, quatenus merita ipsius eadem dignitate nituntur: immediatè tamen præcisè nititur dignitate & efficacia meritorum Christi huic operi externo annexorum, & pacto inter Christum & Patrem inito circa operationem salutis nostræ: ideoque eius effectus confertur à Deo ex iustitia, ratione meriti de condigno Christi. Secundus verò præcisè nititur dignitate personæ Christi, & gratia qua apud Patrem valet: non autem immediatè ipsius meritis, & præscindit ab omni pacto; ideoque eius effectus confertur ex pura liberalitate Christi. Vnde sequitur, secundum hunc modum quo sacrificium operatur suum effectum, neque esse ex opere operato, vt patet ex dictis: neque etiam ex opere operantis; quia non habet suam vim propriè ex dignitate aut deuotione ministri offerentis, sed ex dignitate Christi. Quare est modus operandi quasi medius inter vtrumque.

120 Effectus ex opere operato est rei determinatæ, secùs est de effectu qui ex persona Christi impetratur.

Differunt Secundò, quòd prioris effectus sit ferè rei determinatæ, v.c. remissio alicuius pœnæ peccatis remissis adhuc debitæ, vel fortè gratiæ alicuius præuenientis, &c. de quo agemus dubio sequenti. Secundi verò effectus est omnino indeterminatus: quia per hoc sacrificium quiduis ad salutem pertinens à Deo impetrare possumus. Et ob hanc causam hic modus præter priorem fuit necessarius, ne angustus esset huius sacrificij fructus.

Tertiò differunt, quòd prioris effectus sit omnino infallibilis, saltem modò is, pro quo offertur sacrificium, non ponat obicem. Et hæc est ratio cur effectus eius debuit fuisse determinatus, quia non decet diuinam prouidentiam ea dona quæ alicui operi externo infallibiliter sunt annexa, ita ponere in nostra potestate, vt nostri arbitrij sit eligere quæ dona velimus ei hic & nunc esse ita annexa, vt ea infallibiliter impetre-

impetremus. Hinc secundus effectus, cùm sit indeterminatus, & possit esse quæuis res saluti nostræ conducens, quam conamur à Deo impetrare, quamque soleat secundùm prouidentiæ suæ ordinem hominibus aliquando concedere; non est ita infallibilis. Experimur enim sæpè nos non impetrare per sacrificium quod perimus, eò quòd Deus iudicet hîc & nunc secundùm suæ prouidentiæ rationem non conuenire dare quod petitur. Credibile tamen omninò est, nunquam nos ita frustrari hoc effectu, quin etsi non concedatur quod petitur, aliquid tamen aliud concedatur, prout Deus hîc & nunc iudicat expedire. Hoc enim omnino decet dignitatem Christi, vt non frustretur omnino eius petitio, quam hîc & nunc per sacerdotem offert.

Sacrificia non semper impetrat quæ petit, nunquam tamen omni impetratione frustratur.

121 Quartò differunt, quòd priotis effectus nullo modo possit augeri vel minui ratione deuotionis, aut dignitatis ministri. Secundus verò potest ex hac parte augeri vel minui: vt videmus etiam fieri in rebus humanis. Nam quamuis legatus Regis benè de Ecclesia meriti secundùm se indignus sit; tamen ratione dignitatis ipsius Regis, qui per eum petit, facilè multa à Pontifice obtinet: facilius tamen eadem atque etiam maiora obtinebit, si ipse per se Pontifici gratus sit, & magna gratia petat ea quæ cupit obtinere. Quod maximè locum habet, quando ea quæ petuntur, non tam cedunt in bonum ipsius Regis, aut regni, quàm in commodum priuatum legati aut amicorum ipsius: vt sit in iis quæ communiter petimus in Missa.

Vis impetratiua sacrificij crescit ex dignitate celebrantis.

122 Dices, hinc sequi indignitatem legati posse esse tantam, vt hunc effectum omnino impediat, sicut si Rex per legatum publicè sceleſtum & hæreticum aliquid à Pontifice peteret; meritò hoc ei negaret, quia videtur talis petitio cedere in contemptum eius à quo petitur.

Resp. negando conseq. Numquam enim indignitas ministri omnino hunc effectum sacrificij impedit, modò in eo pro quo petitur, nulla sit causa ob quam ille impediatur. Quia Christi dignitas meretur per quemuis legatum quantumuis malum, per quem à Deo aliquid petit, exaudiri. Secùs potest aliquando accidere in Regibus, quorum merita sæpè non sunt tanta apud Ecclesiam, vt ea quæ petunt, mereantur quacunque ratione impetrare.

Indignitas sacerdotis nunquam omnino impedit vim impetrandi quæ habet sacrificium.

Ad probationem Resp. tunc tantùm malitiam legati cedere in contemptum eius à quo petitur, quando is qui mittit legatum non habet iustas rationes cur per eum hîc & nunc hoc petat: Christus autem habuit iustissimas rationes ita hoc sacrificium instituendi, vt per quoſuis legitimos sacerdotes posset in sua persona validè offerri; ne populus Christianus meritò haberet omnium sacerdotum sacrificia suspecta, ne fortè inualidè offerantur, cùm nullius dignitas possit nobis certò esse nota. Idemque probabiliter cum quadam proportione dici potest de vi operandi, quam hoc sacrificium habet, eò quòd offeratur in persona Ecclesiæ. Credibile enim est etiam hanc semper in suis ministris per quos offert, aliqua ratione exaudiri, ita vt semper aliquod bonum saltem Ecclesiæ in communi ex hoc sacrificio proueniat. Excipe tamen sacerdotes excommunicatos præsertim non toleratos ac degradatos, quos cùm Ecclesia nolit in sua persona hoc sacrificium offerre, sicut per eos non orat, ita nec impetrat.

Malus minister impetrat in persona Ecclesiæ, nisi sit excommunicatus.

123 Hinc patet Primò, hoc sacrificium semper Deo esse gratum & efficax, quatenus offertur in persona Christi & Ecclesiæ; ratione tamen conditionis ministri aliud alio gratius & efficacius.

Patet Secundò, vim operandi huius sacrificij quam habet ex capitibus secunda conclus. explicatis, multum pendere à conditionibus ministri; & ex huius bonitate aut malitia augeri vel minui, aut etiam omnino tolli, præsertim si sit excommunicatus: contrà verò vim quam habet ex opere operato, nullo modo à malitia ipsius aut bonitate pendere: quam vtrò habet ex dignitate primarij offerentis, solùm pendere à bonitate ministri, quatenus per hanc possit augeri, & per malitiam consequenter minui.

Patet Tertiò ex dictis tam hoc dubio, quàm præcedentibus, qua ratione hoc sacrificium conueniat cum sacrificio crucis, & quomodo differat. Conuenit enim; quòd in vtroque sit eadem hostia, & idem principalis offerens, scilicet Christus: vt docet Trident. sess. 22. c. 2. 124

Sacrificij incruenti & cruenti cõueniunt in duobus. Trident.

Differt autem Primò, in modo offerendi, qui in hoc est incruentus, & sub speciebus sacramentalibus: in illo est cruentus, & in propria ac naturali Christi specie.

Differunt quadruplici.

Differt Secundò, in modo operandi suum effectum, idque Primò, quia hoc habet omnem vim suam ex illo: non contrà. Secundò, quia illud est causa generalis omnis nostræ iustificationis ac gratiæ; quam quscunque ratione à Deo accipimus. Secùs est de hoc, quia multas gratias ac media salutis nostræ à Deo accipimus independenter ab hoc sacrificio: qualia sunt ea quæ accipimus per alia Sacramenta, aut ratione alicuius meriti præcedentis, aut etiam ex merò Dei beneplacito; sine respectu ad actiones aliquas humanas distinctas à meritis Christi. Tertiò, quia sacrificium cruentum operatum est nostram salutem per modum meriti de condigno, satisfactionis, ac solutionis sufficientis pretij ad remissionem omnium peccatorum, & ad omnem gratiam ac gloriam, omniaque beneficia Dei, ac media ad salutem nostram pertinentia, quæ vnquam à Deo alicui puro homini conferentur, & infinities maiora obtinenda: ita tamen vt per illud præcisè nulli in particulari aliqua pars huius pretij applicetur. Per hoc enim sacrificium præcisè Christus hoc pretium omnino infinitum pro redemptione ac salute omnium hominum in genere Deo quidem soluit, nulli tamen in particulari applicuit: sed hanc applicationem ipse partim aliis actibus fecit; v.c. vocando Apostolos, remittendo Magdalenæ peccata, &c. partim eam reliquit diuinæ prouidentiæ, quæ sua bona distribuit prout vult, omnia tamen intuitu illius sacrificij: partim etiam nostris actibus ex gratia factis, quibus gratiam & gloriam meremur in virtute illius sacrificij. Quia tamen nostri actus sunt parum efficaces, & sæpè difficiles, vt magis nostræ infirmitati conuleret, instituit quædam alia media in se facillima, & ad gratiam obtinendam efficacissima: qualia sunt Sacramenta, & sacrificium incruentum, quibus nullum nouum pretium acquiritur, sed per sacrificium cruentum acquisitum, quibusdam in particulari applicatur. Cruentum itaque operatur suum effectum de condigno nouum pretium nostræ redemptionis merendo: incruentum verò sine vllo nouo merito ex Christi voluntate & institutione meritum ac pretium iam acquisitum certis personis applicando. 125

Qua ratione sacrificium cruentum ac incruentum suos effectus operentur.

Hinc sequitur Tertia differentia in vtriusque effectu. Quia cùm effectus immediatus sacrificij cruenti sit pretium redemptionis nostræ quasi in abstracto, & prout concipitur nulli applicatum; est omnino par dignitati ipsius sacrificij, & omni ratione infinitus ac illimitatus. Quare hoc pretium ex se sufficiens est ad infinitos homines redimendos, etsi per impossibile singuli commisissent infinita peccata; atque ad infinities plura & maiora omnis generis beneficia à Deo impetranda. Contrà verò incruentum etsi in se ratione rei oblatæ & primarij offerentis sit infiniti valoris; tamen semper finitum & determinatum habet effectum: tum quia, cùm creatura infinita sit impossibi- 126

Differentia effectus vtriusque.

lis, nec gratia infinita ei dari, nec effectus vllus indeterminatus determinato actu certæ personæ applicari, potest: tum etiam, quia etsi posset dari gratia aliqua physicè infinita; tamen nullo modo conueniret eam per hoc sacrificium hominibus dari. quia sic statim omnes homines sine vllo labore infinitam gratiam & gloriam acquirerent, quod incongruum esset: quia tantum præmium meretur vt labore acquiratur. Statuit itaque Deus certam aliquam mensuram gratiæ secundùm Christi hoc sacrificium instituentis, & offerentis, & suam acceptantis intentionem, quam det iis quibus illius fructus applicandus est.

127 Vnde sequitur Quarta differentia in frequentia offerendi. Nam eò quòd effectus immediatus illius sacrificij fuerit absolutè infinitus, sufficit illud semel fuisse oblatum pro omnibus remissionibus, ac gratiis à Deo obtinendis, quæ vnquam hominibus concessæ sunt, aut concedentur, atque etiam pro infinitis pluribus ac maioribus, ideoque nunquam repetitur. Contrà cùm effectus incruenti cuiusque sacrificij sit certus ac limitatus; pro diuersis indulgentiis & gratiis à Deo obtinendis, sæpiùs offerendum fuit.

Quare sacrificium incruentũ debeat repeti, non tamen cruentum.

DVBIVM VIII.

Quem effectum hoc sacrificium conferat?

128 NOta, nos hîc non agere de effectu quem habet ex opere operantis, quatenus est actus virtutis, nam vt sic clarum est habere eosdem effectus quos habent alij actus virtutum; sed agimus de effectibus quos habet quatenus est sacrificium, tum ex opere operato, tum etiam per modum impetrationis, prout offertur in persona Christi & Ecclesiæ.

129 Difficultas autem hac in re est Primò, Vtrùm conferat aliquando immediatè gratiam habitualem.

Prima sententia docet, per ipsum aliquando conferri primam gratiam, & remitti peccata mortalia, quando pro attritis offertur. pro qua sententia varij citantur, sed ipsi dum attentè leguntur, potiùs contrarium docent.

Secunda sententia docet, per ipsum confetri immediatè augmentum gratiæ, quando pro iustis offertur. Citatur pro hac sententia Soto in 4. d. 13. q. 2. art. 1. vbi §. *Isti ergo.* sub finem, loquens de offerentibus hoc sacrificium ait, eos mereri augmentum gratiæ non tantùm ratione deuotionis, sed etiam ratione rei oblatæ. Et paulò infrà subdit: *Ex quo fit, vt illi effectus meriti operantis commisceantur cum effectu operis operati, ideſt, hostiæ quæ offertur.* Sed etsi ibi impropriè loquatur, ideoque videatur illam sententiam asserere; tamen eam verè non asserit: sed tantùm vult dicere, meritum offerentis crescere ex dignitate rei oblatæ, sicut meritum dantis eleëmosynam crescit ex magnitudine rei datæ; quo exemplo ibidem etiam vtitur. Nam per hoc sacrificium non conferri alicui gratiæ augmentum per hoc præcisè quia pro illo offertur, expresè docet ibidem, disput. 11. quæst. 2. art. 5. §. *Hic discrimen,* &c. Alios plures pro hac sententia citat Henriquez l. 9. de Missa c. 13. n. 4.

Soto.

Henriquez.

Tertia sententia docet, per hoc sacrificium nunquam alicui conferri vllam gratiam habitualem, nisi mediante pio aliquo motu. Et videtur communis sententia omnium Theologorum, qui hac in re suam sententiam perfectè explicuerunt. Et secundùm hanc sententiam credo intelligendos etiam eos qui pro secunda citantur.

130 Secunda difficultas est, Vtrùm hoc sacrificium remittat immediatè *iis* pro quibus offertur, ea peccata venialia, quibus nec actu, nec virtute inhærent?

Canus.

Quidam hoc affirmant, vt Canus lib. 12. de locis Theolog. c. 13. ad 2. & alij, multoque pro sua sententia citant, sed hi potiùs contrarium innuunt. Ratio illorum est, quia sacramentalia habent vim remittendi immediatè peccata venialia: ergo multò magis sacrificium. Sed hæc ratio sumit quod probandum est. Nam, vt ostendi suprà quæst. 71. art. 3. verius est sacramentalia non remittere immediatè peccata venialia.

Tertia difficultas est, Vtrùm hoc sacrificium conferat aliquando ex opere operato gratias præuenientes iis pro quibus offertur. Durandus in 4. disput. 12. quæst. 4. id videtur negare. Nam dicit tantùm quandoque impetrare hunc effectum. Alij verò id affirmant.

Durand.

Quarta difficultas est, Vtrùm hoc sacrificium remittat pœnam temporalem peccatis remissis adhuc debitam, non modo ex opere operato per modum iustitiæ satisfactionis: quod communiter DD. cõcedunt, sed etiam per modum impetrationis: quod aliqui aiunt, vt Soto in 4. d. 13. q. 2. a. 1. §. *Tertiò.* alij negant.

Soto.

131 CONCLVSIO. 1. Hoc sacrificium, quà sacrificium est, nullo modo potest immediatè conferre gratiam iustificantem, eiúsve augmentum. est ferè communis, vt patet ex Suarez d. 79. sect. 4.

Probant hoc quidam. Quia ne quidem sacrificium cruentum contulit immediatè hanc gratiam: ergo multò minùs sacrificium incruentum id poterit, quia hoc est minoris virtutis. Sed hoc argumentum nihil probat. Nam si antecedens ita intelligatur, quasi sacrificium cruentum ex se non habuerit sufficientem vim ad conferendam nobis immediatè gratiam habitualem, si Christus in hunc finem illud obtulisse; est apertè falsum: si solùm velit illud de facto nulli per se immediatè conferre gratiam habitualem; tunc consequentia nulla est. Nam si aliquid valeret, probaret etiam sacrificium incruentum nullum omnino beneficium alicui immediatè posse conferre. Item Sacramenta non conferre alicui immediatè gratiam habitualem: quia totam virtutem habent à sacrificio crucis, quod nec gratiam habitualem, nec vllum beneficium per se alicui immediatè confert. quia tantùm est oblatum ad persoluendum nostræ salutis pretium quoad sufficientiam; non autem quoad applicationem particularem; ad quam instituta sunt Sacramenta, & sacrificium incruentum, iuxta dicta suprà dub. 7. concluſ. 4. corol. 3. Vnde patet ex hac parte longè diuersam esse vtriusque sacrificij rationem, quæ non prouenit ex eorum natura, aut intrinseca ratione, sed ex pura Dei voluntate, & Christi institutione, ex qua tota hæc probatio petenda est. Si igitur probem, Christum non instituisse hoc sacrificium in illum finem, apertè probauero non posse per se immediatè eam gratiam conferre. Quòd autem Christus hoc sacrificium non instituerit ad conferendam immediatè gratiam habitualem, probatur Primò, quia nec in Scripturis, nec in Patribus est 132 vllum certum fundamentum, ex quo possimus talem Christi institutionem colligere (nam quòd Scripturæ & Patres sæpè dicant hoc offerri in remissionem peccatorum, longè alium habet sensum, vt ostendam concl. 3.) Contrà verò multæ sunt coniecturæ, quæ probant nullam talem esse Christi institutionem, vt patebit ex sequentibus: ergo talis institutio non potest meritò affirmari.

Ab effectu sacrificij cruenti nõ bene argumentamur ad effectũ incruenti, aut contrà.

Quòd igitur firmæ coniecturæ contrarium suadeant, prob. Primò quia Sacramenta & hoc sacrificium sunt instituta ad diuersos fines: atqui illa propriè sunt instituta ad conferendam gratiam iustificantem eiúsve augmentum: ergo sacrificium non est ad hoc 133 institutum.

Prob. Secundò, quia, si hoc sacrificium haberet vim conferendi immediatè gratiam habitualem, conferret eam cuiuis non ponenti obicem: vt patet in

Sacra-

Sacramenti ſi: atqui hoc eſt falſum: ergo & id vnde ſequitur. Minor prob. Primò, quia liceret offerre hoc ſacrificium pro infantibus baptizatis, vt acquirerent augmentum gratiæ, quod eſt contra omnem Eccleſiæ vſum, & fidelium ſenſum Secundò, quia aliàs attrito poſſet conferre primam gratiam & remiſſionem peccati mortalis: & conſequenter poſſet quis conſcius peccati mortalis accedere ad celebrandum cum nota attritione ſi pro ſe celebraret, quia ante ſuſceptionem Sacramenti iuſtificaretur; nec ſacrificio faceret iniuriam, quia vteretur eo ad id, ad quod eſt inſtitutum, ſcilicet ad ſuam iuſtificationem. Sicut non facit confeſſioni iniuriam qui hoc modo ad eam accedit. Hanc rationem aliqui valdè vrgent, ſed reuera nihil probat, vt ibi proponitur. Quia etſi baptiſmus ſit inſtiturus ad remittendum peccatum mortale; tamen quia non eſt ita inſtitutus vt hoc remittat conferenti, ſed tantùm ſuſcipienti, fit vt peccet mortaliter illum ſolemniter conferens in peccato mortali. quod eſſet verum etſi quis ſeipſum poſſet baptizare. Sic ergo cùm hoc ſacrificium non remittat peccatum offerenti, ſed ei pro quo offertur, ſequetur talem peccare mortaliter offerendo. quia priùs conſecraret quàm iuſtificaretur. quia non iuſtificaretur niſi poſt conſecrationem calicis. Multò autem minùs hæc ratio vrget, ſi dicatur ſacrificium tantùm eſſe inſtitutum vt conferat augmentum gratiæ. Adde, vt docet Trident. ſeſſ. 13. c. 7. conſcium ſibi peccati mortalis non poſſe ante confeſſionem extra neceſſitatem communicare, quantumuis priùs iuſtificatus ſit. *Trident.*

134 Eadem tamen ratio alia ratione propoſita grauiter vrget. quia ſcilicet ex dicta ſententia ſequeretur, conſcium ſibi peccati mortalis pro quo ſacerdos ſacrificium offerret cum nota attritione poſſe communicare, ſi nec poſſit priùs confiteri, nec communionem differre. Item ſacerdotem, qui bona fide putans ſe eſſe iuſtum, cum nota attritione de peccatis ſuis in genere, pro ſe conſecraſſet, & poſt conſecrationem ante communionem recordaretur ſe fuiſſe in peccato mortali; non teneri excitare in ſe contritionem vt poſſit communicare: quia ſciret ſe iam eſſe iuſtificatum, quæ ſunt contra communem DD. ſententiam.

135 Probatur Tertiò, quia non videtur decere vt aliquis maximè rationis compos iuſtificetur, aut creſcat in gratia non modò ſine vllo omnino ſuo actu, ſed etiam ſine vllius Sacramenti ſuſceptione per meram extrinſecam ſacrificij applicationē. Primò, quia talis non videretur poſſe dici vlla ratione poſt hanc vitam recipere prout geſſit in corpore ſuo. Secundò, quia aliàs qui vix vnquam aliquid boni egiſſet, poſſet alios, qui multùm laborauſſent in vinea Domini, ſanctitate & gloria ſuperare, ſi valdè multi pro eo celebrarent, quod videtur omnino abſurdum.

Hoc ſacrificium non remittit immediatè peccata mortalia. *Trident.*

Hinc ſequitur, non remitti per ſacrificium immediatè peccatum mortale, ſed tantùm mediante pio aliquo motu: quod apertè etiam innuit Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. Vbi docet nos miſericordiam à Deo per hoc ſacrificium conſequi in auxilio opportuno, Deumque per illud placatum ingentia etiam crimina dimittere, concedendo donum pœnitentiæ. Vbi inſinuat hęc non aliter fieri, quàm mediante auxilio gratiæ præuenientis, quo quis ad contritionem excitetur.

136 nec etiam venialia. *Suarez. Soto. Pighius. Lindanus.*

CONCLVS. II. Probabilius eſt hoc ſacrificium non remittere immediatè peccata venialia, ſed tantùm mediante aliquo motu pio. ita Suarez hìc diſput. 79. ſect. 4. §. *Sed quamquam hoc.* Soto in 4. d. 11. qu. 2. a. 5. Pighius l. 2. Eccleſ. hierarch. c. 5. Lindanus l. 4. Panopliæ c. 51.

Prob. Primò, quia peccatum veniale eſt macula animæ libero arbitrio contracta, quam non decet tolli ſine vllo actu libero. Secundò, quia etſi peccati venialis macula poſſit abſoluitè deleri ſine infuſione gratiæ; tamen numquam videtur in hac vita ſine illa tolli, quia naturis rerum eſt conueniens vt quæ animæ inſunt per modum rei poſitiuæ, etiam per aliquid poſitiuum iis aliquo modo contrarium tollantur. Atque ita conuenit maculam tolli per maiorem pulchritudinem, ſiue gratiam habitualem: atqui ſacrificium non cauſat immediatè gratiam habitualem: ergo nec tollit maculam peccati venialis.

CONCLVS. III. Sacrificium ex opere operato cauſat gratias præuenientes, quibus excitantur iuſti ad maiorem perfectionem, & peccatores ad pœnitentiam, & ita illis mediantibus peccatorum etiam mortalium cauſat remiſſionem. 137 Confert gratias præuenientes.

Quod enim hoc ſacrificium habeat aliquam vim remittendi peccata, non videtur vllo modo poſſe negari. Nam hoc & clarè patet ex verbis Euangelij, & Patres ſæpiſſimè aſſerunt, & Trident. ſuprà apertè docet. Quare cùm, vt patet ex dictis, non poſſit ea immediatè remittere: dicendum erit quòd remittat ea mediante tali motu quem per gratias præuenientes excitat. quia hic modus eſt conuenientiſſimus, & expreſsè huic ſacrificio tribuitur à Tridentino. Quòd autem has gratias conferat ex opere operato, probatur, quia videtur hunc effectum maximè habere ſibi annexum ex abſoluta Dei promiſſione: atqui hoc ſufficit vt eum ita cauſet. Maior prob. quia hoc apertè indicant illa verba, *Qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum* quod etiam de mortalibus intelligendum eſſe patet ex Trident. ſuprà: atqui hæc remiſſio non fit immediatè, ſed mediante aliquo motu pio ex gratia præueniente. *Trident.*

Dices Primò, hoc intelligendum eſſe de remiſſione quoad pœnam, quæ poſt peccata remiſſa reſtat. Sed hoc non ſufficit, Primò, quia, cùm verba ſignificent abſolutam peccati remiſſionem, ſine neceſſitate (quæ hic nulla eſt) non debent reſtringi ad remiſſionem ſolius pœnæ. Secundò, quia Trident. ſuprà docet hanc remiſſionem fieri per conceſſionem doni pœnitentiæ, ſiue gratiæ præuenientis qua ad pœnitentiam excitamur, quibus verbis expreſsè tribuit ſacrificio effectum quem nos tribuimus. 138

Dices Secundò, Ad veritatem Scripturæ & Concilij ſufficit has gratias per ſacrificium impetrari; ergo non eſt neceſſe eas conferri ex opere operato. Reſp. neg. conſequ. quia cùm illa verba Chriſti contineant abſolutam promiſſionem huius effectus, meritò ex ijs colligimus eum per ſacrificium conferri ex opere operato, vt oſtendi dub. 7. concl. 3.

Dices Tertiò, Nos ſæpè non ſentimus eiuſmodi motus cùm pro nobis ſacrificium offertur: ergo non dantur infallibiliter, & conſequenter nec ex opere operato. Reſp. neg. conſeq. Quia non eſt neceſſe vt illæ gratiæ dentur eodem tempore quo ſacrificium offertur, ſed poſſunt dari poſtea, quando Deus pro ſua prouidentia id commodum iudicarit. Sicut Sacramenta ex opere operato non tantùm conferunt gratiam habitualem, ſed etiam præuenientes, ſed has non conferunt cum illa ſimul, ſed tempore commodo. Et hoc eſt quod Trident. ſuprà c. 2. dicit, per hoc ſacrificium conferri auxilium opportunum. 139 Gratiæ præuenientes non conferuntur ſemper dum ſacrificium offertur. *Trident.*

Peres, Vtrùm per hoc ſacrificium conferantur ſemper gratiæ efficaces? Reſp. conferri ſemper efficaces, quantum eſt ex parte Dei, ſiue per quas Deus, quantum eſt ex ſe, ſincerè cupit hominem conuertere, & per quas homò poſſit conuerti ſi velit: & quibus etiam, ſi velit, poſſit reſiſtere, & ſæpè reſiſtit. Quòd autem aliquæ gratiæ non conſequantur effectum, non pendet ex parte gratiæ, ſed ex parte recipientis, qui liberè eam reiicit, vel etiam eidem cooperatur. Vbi etiam hoc notandum eſt, nos licitè hoc ſacrificium offerre in eum finem, vt Deus non tantùm 140 An conferat gratias efficaces.

det alicui gratias, quibus possit absolutè converti, sed vt det in particulari eas, quibus videt eum de facto conuertendum. Item nos de facto sæpè imperrare, vt Deus det tales gratias, qui aliàs aut nullam, aut eam quam sciebat futuram inefficacem, erat daturus. Sæpè tamen fit contrarium ob defectum aliquè illius pro quo offertur sacrificium. Quare cùm hic effectus sit fallibilis, tantum habetur per modum impetrationis.

141 Operatur remissionem pœnæ.

CONCLVS. IV. *Hoc sacrificium operatur etiam in iustis remissionem pœnæ temporalis, quæ remissa iam culpa restat.* Est communis ferè Doctorum. Et prob. quia hoc sacrificium sicut & sacrificium crucis est ex se maximè satisfactorium. Confirm. Primò, tam hæc quàm præcedens concl. quia vetera sacrificia ex opere operato delebant immunditiam legalem: ergo nostrum, quod iis tanquam veritas figuris successit, poterit ex opere operato aliqua ratione delere veram immunditiam animæ, & pœnas hanc sequentes. aliàs veritas non responderet figuræ. Confirm. Secundò, quia cùm vterque hic effectus nullam requirat actualem dispositionem in suscipiente; aptissimus est qui per causam meræ extrinsecam alicui conferatur.

142 Vtrum hic effectus sit impetrat.

CONCLVS. V. *Hoc sacrificium per modum impetrationis valet ad quæuis beneficia mediatè, vel immediatè impetranda, quæ aliqua ratione spectant ad salutem animæ promouendam.* Per se patet quia oratio, ad hæc imperranda valet: sacrificium autem, vt dixi, est efficacissimum genus orationis, quod Christus nobis etiam eo fine instituit, vt per id facilè omnia à Deo impetremus, per gratissimæ illius hostiæ oblationem, & sacrificij eruenti repræsentationem. Imò vt facilius omnia impetraremus, voluit nos id in sua persona offerre.

143 Nota, hunc modum semper pendere à ministro, Primò, quatenus ipse potest sacrificium applicare suo arbitrio ad hæc vel illa beneficia impetranda, idque certæ alicui personæ saltem magna ex parte: quia non videtur etiam dubitandum quin aliqua pars huius impetrationis applicetur necessariò ex intentione Ecclesiæ, vt colligitur ex orationibus quas recitandas præscribit, & dicetur dubio seq. concl. 10.

Secundò, quatenus ex ipsius dispositione potest reddi magis vel minùs efficax iuxta dicta suprà.

144 An infallibiliter?

Nota Secundò, hunc modum, quatenus est actio ministri propria, nullo modo habere effectum infallibilem. Primò, quia potest impediri indignitate ministri: quia peccatores Deus non audit. Secundò, quia etsi minister sit Deo gratus, tamen non semper impetrat quod petit, nec per sacrificium, nec per alias orationes, quia nulla est absoluta huius effectus promissio; sed tantùm prout Deus viderit expedire dare quod petitur, aut non dare. Est tamen credibile eum qui debitè petit, nunquam omnino sua petitione frustrari, quin saltem non modò aliquid mereatur, verùm etiam impetret, prout Deo visum fuerit expedire. Hoc enim videtur nobis promissum illis verbis, *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, credite quia accipietis.* Sacrificans autem maximè petit in nomine Christi, qui Christum Patri realiter offert.

Debitè aliquid Deo petens nunquàm id omnino frustra facit.

Quatenus verò minister sustinet personam Christi & Ecclesiæ, etsi non semper obtineat in particulari quod petit, nunquam tamen etsi in se malus sit, sua impetratione ita frustratur, quin saltem Deus largiatur aliquid Ecclesiæ in genere, prout ipsius prouidentiæ visum fuerit. Imò & quatenus minister orat in persona Christi, credibile est eum semper aliquid obtinere ei pro quo orat, modò hic non ponat obicem ipsi effectui, vt dixi dubio 7. Quod intellige si pro alio offerat. Nec enim videtur rationabile, vt sacerdos malus per eam orationem sibi aliquid impetret, qua tam enormiter peccat.

Petes, Vtrùm effectus huius sacrificij possit impediri ratione alicuius obicis reperti in eo pro quo offertur? 145

Resp. Primò, si loquamur de remissione pœnæ temporalis, huic effectui poni obicem per quoduis peccatum mortale, quia hæc pœna nunquam remittitur existenti in peccato mortali. Henriquez tamen libr. 9. de Missa cap. 13. numer. 1. putat hunc effectum reuiuiscere per iustificationem peccatoris, vt suprà dixi de effectu Sacramentorum. Sed hoc incertum est. Eius effectus impediri potest. *Henriquez.*

Resp. Secundò, si loquamur de collatione gratiæ præuenientis, hanc non impediri per vllum peccatum mortale quod absolutè transactum est, quia quiuis peccatores sunt capaces eiusmodi gratiæ. Et, vt docet Trident. suprà, hoc sacrificium offertur, vt etiam maxima scelera per donum pœnitentiæ remittantur. Satis tamen videtur vero simile, vehementem alicuius malitiam, & in peccatis obstinationem posse impedire ne eiusmodi effectus ex opere operato, siue infallibiliter conferatur, quia talis reddit se sponte ineptum, qui per media ordinaria conuertatur, nec Deus communiter solet dare extraordinaria. *Trident.*

DVBIVM IX.

Quinam ex fructu huius sacrificij participent?

NOta Primò, nos hic non agere de fructu quem aliquis possit acquirere per modum meriti, quatenus aliqua ratione hoc sacrificium offerens exercet actum virtutis. Nam per hunc actum eodem modo potest quis mereri atque per alios. Sed agimus de fructu quem sacrificium confert, prout habet rationem sacrificij. 146

Nota Secundò, quadruplicis generis esse qui possint dici hoc sacrificium aliquo modo offerre. Primus, & maximè principalis offerens est ipse Christus. Secundus, sacerdos celebrans. Tertij ordinis sunt omnes alij, qui aliqua ratione ad actum sacrificandi concurrunt, v. c. inseruiendo Sacro, vel sacrificanti assistendo, audiendo ipsius Missam, atque ita cum eo aliqua ratione offerendo; vel dando eleëmosynam sacerdoti vt celebret, &c. Hos enim omnes aliqua ratione offerre sacrificium apertè insinuatur in oratione quam sacerdos dicit post primum Memento, vbi dicitur: *Et omnium circumstantium quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus,* &c. Quarti ordinis sunt omnes fideles viatores: sicut enim ipsa Ecclesia offert hoc sacrificium per sacerdotem; ita omnes fideles qui Ecclesiæ membra sunt, censentur id offerre. Quadruplices hoc sacrificium offerunt.

Nota Tertiò, quintuplicis generis esse eos pro quibus hoc sacrificium possit aliqua ratione offerri. Primi, sunt Beati; Secundi, existentes in Purgatorio; Tertij, fideles viuentes in Ecclesia; Quarti, ab Ecclesia præcisi; Quinti, infideles adhuc viuentes. 147 Pro quintuplicibus offertur.

Addunt his aliqui damnatos, eos scilicet qui sunt damnati ob leuiora peccata mortalia, quorum pœnam aiunt quidem non posse per hoc sacrificium omnino tolli; putant tamen eam posse minui. Ita glossa in c. *Tempus.* 13. quæst. 2. Fundatur maximè in eo quòd D. August. in Enchiridio cap. 110. ait, hoc sacrificium quibusdam valere, vt iis plena sit remissio; aliis, vt tolerabilior sit damnatio. Sed Augustinus. ibi apertè loquitur de iis qui sunt in Purgatorio, quorum aliquibus tota pœna, quia parua persoluenda restat, per hoc sacrificiū remittitur: aliis verò quia multùm debent,

debent, partim remittitur, & reliquam partem perſoluunt. Quare illa ſententia, nec vllum habet fundamentum, nec vllam probabilitatem. Certiſſima enim eſt Catholicorum ſententia, damnatos nullis noſtris precibus poſſe iuuari, quod apertè ibi etiam docet Auguſtinus. Nam dicit valdè malis noſtras preces nullo modo poſſe prodeſſe, omnes autem damnati cùm ſummè Deum oderint, valdè mali ſunt.

Nullo modo prodeſt damnatis.

148 Nota Quartò, ex dictis ſuprà duobus modis ſacrificium ſuum fructum communicare. Primò, ex opere operato. Secundò, per modum impetrationis. Præcipuæ autem difficultates ſunt de primo modo, eæque variæ.

Prima igitur difficultas eſt, Vtrùm ſupradictis omnibus poſſit huius ſacrificij fructus applicari?

Ratio dubitandi eſt, quia neque Beatis videtur poſſe applicari: quia eo non indigent, neque etiam præciſis ab Eccleſia, ſiue excommunicatis excommunicatione maiore. Quia, vt patet *c. A nobis, 2. de ſent. excommunic.* Eccleſia prohibet pro his ſacrificium offerri, quare videtur inualidè pro iis offerri.

Secunda difficultas eſt: Vtrùm exiſtentibus in Purgatorio hoc ſacrificium proſit ex opere operato? Quidam enim id negant. Ita Soto in 4. d. 13. qu. 2. art. 1. §. *Tertiò aſſequuntur.* Vbi videtur putare hoc ſacrificium non prodeſſe ex opere operato niſi iis qui hoc aliqua ratione offerunt, ſingulari actu ad ipſum concurrendo: quales non ſunt animæ defunctorum. Sed hæc ratio eſt falſa, vt videbimus infrà.

Soto.

149 Tertia difficultas eſt, Vtrùm omnes quicumque hoc ſacrificium aliqua ratione offerunt, ex eo percipiant aliquem fructum ex opere operato?

Prima ſententia docet, huic ſacrificio prout à Chriſto præcisè offertur, reſpondere eiuſmodi fructum, non quidem quem Chriſtus percipiat; ſed qui peculiariter à Chriſto alicui applicetur. Citatur pro hac ſententia Scotus quodlib. 20. ſed ipſe hoc non dicit, & ſi quis dicat, hoc ſine fundamento dicit. Nam ſicut Chriſtus iam per ſe nullum ſacrificium offert, vel Sacramentum confert: ita nec horum fructum alicui per ſe applicat, ſed per miniſtros Eccleſiæ, quos ſuorum myſteriorum diſpenſatores conſtituit, vt patet 1. ad Corinth. 4.

Scotus.

Chriſtus nullius particulariter fructum huius ſacrificij applicat.

1. Cor. 4.

Secunda ſententia docet, hoc ſacrificium ex opere operato prodeſſe in particulari ſingulis fidelibus ab Eccleſia non præciſis, qui omnes aliqua ratione hoc per ſacerdotem offerunt. Eandem ſententiam innuit Scotus ſuprà. Sed nec hæc ſententia nititur firmo fundamento: quia, cùm nec pro omnibus iſtis particularim hoc ſacrificium offeratur, nec ſinguli in particulari vllo modo ipſum offerant, ſed tantùm copularim ſumpti, quatenus vnum corpus Eccleſiæ conſtituunt; nulla videtur ratio cur particularem ſinguli fructum recipiant. Sufficit enim quòd generalem aliquem fructum Eccleſiæ communem percipiant. Qualis eſt quòd Deus Eccleſiæ prouideat de bonis Prælatis, coſque meliùs dirigat in Eccleſiæ regimine: quòd Eccleſiæ pacem promoueat, eiuſque hoſtes comprimat, &c.

Scotus. Quomodo proſit omnibus fidelibus.

150 Tertia ſententia docet, omnes illos qui tertio modo ex ſuprà numeratis hoc ſacrificium offerunt, ad illud particulari aliquo actu concurrendo, ex hac ſua oblatione præcisè etiamſi ſacerdos hoc pro iis non offerat, aliquem fructum ex opere operato conſequi. Ita Caiet. to. 2. opuſc. tract. 3. q. 2. Imò ipſe videtur ſentire non aliter non fructum huius ſacrificij percipere, quàm quatenus hoc aliqua ratione offerimus. Eandem ſententiam pro priore parte tenent multi recentiores viri docti.

Caiet.

Prob. Primò, quia ſicut Sacramentum confert fructum ex opere operato ratione perceptionis, in ſacrificium ratione oblationis: atqui Sacramentum eo modo fructum confert omnibus ſuſcipientibus dicit ponentibus obicem: ergo etiam ſacrificium cum ita confert omnibus offerentibus: omnes autem ſupradicti illud verè offerunt. Secundò, quia Chriſtus potuit hanc vim tribuere ſacrificio, vt per ſe patet. Et valdè conueniens fuit hoc fieri, vt omnes incitarentur, vt deuotiùs hoc ſacrificium ſuo modo offerrent: & quia videtur inconueniens quòd deuotè audiens Miſſam ex ea non plus ex opere operato percipiat, quàm is qui eam non audit: ergo omnino credibile eſt Chriſtum eam vim ſacrificio dediſſe.

Ex his quidam inferunt, ſacerdotem duplicem fructum huius ſacrificij participare. Primò, quatenus id propriè in perſona Chriſti offert. Secundò, quatenus id etiam offert vt perſona priuata, ſicut cæteri cooperantes id offerunt. Nec enim ipſe conſideratus etiam vt perſona priuata debet eſſe peioris conditionis quàm illi: imò quò efficaciùs ad hoc ſacrificium concurrit, eò videtur maiorem fructum percipere. Norant tamen iidem, varias eſſe differentias inter vtrumque modum percipiendi hos fructus.

Prima eſt, quòd cùm prior fructus proueniat ex 151
actione, quam ſacerdos vt miniſter publicus exercet, hic poſſit cum applicare cui voluerit. Contrà verò cùm ſecundus proueniat ex actione quam offerens (ſiue is ſit ſacerdos, ſiue aliquis ex cooperantibus) exercet vt perſona priuata; hic non poteſt alteri applicari quàm offerenti. Quia, vt patet in ſuſceptione Sacramentorum, fructus qui à priuato acquiritur ex opere operato, ipſi proprius eſt, nec alteri applicari poteſt.

Secunda differentia ſequitur ex prima. Quòd prior fructus ex ſe nemini applicetur, & conſequenter nulli proſit niſi ſacerdos eum alicui intendat applicare. Secundus verò per ſe applicatur neceſſariò offerenti, etſi hoc non intendat, modò ipſius capax ſit.

Tertia, ad priorem non eſt neceſſaria ſanctitas offerentis, nec ex eo quod hæc maior aut minor ſit, creſcit aut decreſcit: quia prouenit ex actione offerentis quatenus exercetur præcisè in perſona Chriſti. Secùs eſt de ſecundo, quia prouenit ex actione quam offerens in perſona ſua exercet. Quare requirit in eo ſanctitatem, ſiue gratiam habitualem, & pro huius magnitudine, ac deuotione offerentis creſcit aut decreſcit: ſicut gratia ſacramentalis creſcit ſecundùm diſpoſitionem recipientis.

Et hæc ſententia eſt ſatis probabilis, præſertim propter auctoritatem Doctorum eam aſſerentium, quos vide apud Suarez diſp. 79. ſect. 8. Nec poteſt eſſe dubium, quin Chriſtus cum iis conditionibus potuerit hoc ſacrificium inſtituere.

Sed vtrùm de facto ita inſtituerit non eſt ita cer- 152
tum. Nec enim hoc vlla ratio efficaciter probat. Nam quod ad Primam attinet, etſi ſupradicti omnes poſſint dici aliqua ratione offerre hoc ſacrificium; ſolus tamen ſacerdos id verè propriè ac realiter offert. Sicut enim ſolus propriè eſt ſacerdos ſoluſque propriè conſecrat: ita ſolus propriè ſacrificat, idque non in ſua, ſed in Chriſti perſona. Sicut igitur etſi multi percipiant ſpiritualiter Ven. Sacramentum, & quodammodo etiam ſacramentaliter per alium cooperando huius perceptioni, v. c. inducendo eum vt pro ipſis communicet, quando ipſi non poſſint ſacramentaliter communicare; ſolus tamen ille percipit fructum ex opere operato, qui ſacramentaliter per ſe communicat: ita ille ſolus, qui offert in perſona Chriſti per realem conſecrationem videtur habere annexum fructum ex opere operato. Et confirmatur, quia ſicut ſacerdos nomine populi ſacrificat; ita eiuſdem nomine de ſacrificio participat (nam vt publica perſona & publico nomine hoc Chriſti conuiuium adit) &

nihilominus quantumuis astantes spiritualiter communicent, & per eum sacramentaliter; solus tamen ipse habet fructum ex opere operato: ergo idem est dicendum de fructu sacrificij.

153 Ad Secundam facilè negabitur minor. Vt enim fideles excitentur vt deuotè audiant Sacrum, siue inseruiant, sufficit quòd supra fructum quem habent ex merito suo, alia ratione maiorem sacrificij fructū participent, prout magis aut deuotiùs ei cooperantur, quatenus scilicet eorum preces per eam cooperationem maiorem vim acquirunt, idque Primò, ratione rei oblatæ, quam in suo ordine etiam aliquo modo offerunt, quæ oblatio (vt dixi dub. 7. concl. 2.) & per se optimum orationis genus est, & ob dignitatem rei oblatæ magnam habet vim impetrandi. Secundò, quia eorum oratio, eò quòd coniungatur cum sacrificio ipsius sacerdotis, cui etiam aliquo modo cooperatur, maiorem longè vim habet impetrandi. Et simile etiam videmus in rebus humanis. Nam qui eohonestandi & cooperandi causa comitantur legatum alicuius Principis offerentem Regi gratissimum munus, longè facilius tunc quæ cupiunt à Rege impetrant, quàm si separatim eadem ab eo rogarent. Et satis probabile est eos qui tertiam sententiam defendunt, nihil aliud velle; licèt videantur minùs propriè eum fructum vocare ex opere operato.

Qui sacrificio cooperantur singularem fructum impetrant.

154 Rursum si vera est illa sententia, prima tamen differentia quam inter vtrumque illum fructum adfert, non videtur satis probari rationibus pro ea allatis: imò videtur euerti ex fundamentis illius sententiæ. Nam quòd offerens se habeat vt priuatus, non impedit quin fructum suæ oblationis aliis possit applicare. Nam quoduis opus virtutis priuatim exercens, potest eius satisfactionem alteri applicare. Secundò, quia si in hoc fructu sacrificium sit comparandum Sacramento, offerens qui se habet instar causæ efficienti, non debet comparari suscipienti Sacramentum (qui se habet merè passiuè, ideoque similior est ei pro quo offertur sacrificium) sed conferenti Sacramentum, qui est eius causa efficiens. Tertiò, quia in Missa post primum Memento, circumstantes non tantùm dicuntur pro se offerre sacrificium, sed pro *se suisque omnibus*: quibus verbis apertè indicatur eos hoc posse eodem modo offerre pro aliis ac pro se. Quare si detur talis fructus ex opere operato, credo probabilius esse eum posse ab offerente etiam aliis applicari. Id docent Caiet. tom. 2. opusc. tract. 3. q. 2. & Soto in 4. d. 13. q. 2. art. 1. paulò ante §. *Quocirca optimè*.

Caiet. Soto.

Similiter quod in tertia differentia dicitur, hunc fructum pendere à sanctitate offerentis, quod intelligendum est, vt ipsi etiam intelligunt, de offerente quà offerens est (nam quòd pendeat ab eius sanctitate, quatenus in eo recipitur, hoc est per accidens offerenti quà tali) videtur probare eum non conferri ex opere operato. Nam in hoc differt propriè fructus qui percipitur ex opere operato, ab eo qui percipitur ex opere operantis: quòd hic pendeat à sanctitate causæ operantis, ille non. Quare cùm ille fructus pendeat ex sanctitate offerentis formaliter sumpti, non videtur esse ex opere operato. Confirm. quia omnis alius fructus qui tam ex Sacramentis, quàm ex sacrificio certò percipitur ex opere operato, nullo modo pendet ex opere operantis: ergo vel hic non pendet, vel non est ex opere operato.

155 Quarta difficultas est, qua ratione fructus qui ex opere operato respondet oblationi, quam facit sacerdos in persona Christi, pendeat ab eius applicatione?

Præpositiuus. Quidam olim Præpositiuus, citatus à D. Thoma in 4. d. 45. putauit hunc ex institutione Christi applicari omnibus fidelibus pro vniuscuiusque capacitate, ac dispositione: atque ita non esse in potestate celebrantis eum magis huic applicare quàm alteri. Sed hæc sententia repugnat communi praxi Ecclesiæ ac sensui fidelium, qui secundùm eam frustra curarent pro se Sacra dici.

Alij docent, quando sacerdos vel ex pacto ratione stipendij accepti, vel ex præcepto Superioris tenetur alicui huius sacrificij fructum applicare, hunc huic semper applicare, quantumcumque sacerdos intendat eum alteri applicare. Ratio est, quia, cùm applicatio sacerdotis sit iniusta, non videtur Christus per eam velle sua merita applicari, sed videtur potiùs ea applicare ei, cui hic & nunc debent applicari. Ita Gabriel lect. 26. in can. lit. G. Sed hæc ratio nullius est momenti. Nam simili ratione probares, eum qui inuito proprio sacerdote natum in eius parœcia puerum baptizat, non conferre ei gratiam: quia baptizatio iniusta est, ac contra præceptum Ecclesiæ. *Gabriel.*

Tertiò alij putant sacerdotem semper teneri aliquam partem huius fructus applicare toti Ecclesiæ, quam singuli fideles pro sua dispositione participent. Indicat Scotus quodlib. 22. art. 2. & Gabriel lect. 20. in can. Ratio est, quia cùm sacerdos hoc sacrificium etiam offerat in persona Ecclesiæ, videtur huius omnino esse intentio, vt ipsum saltem ex parte, pro totius Ecclesiæ corpore offerat. Sed hæc ratio nihil probat de fructu qui habetur ex opere operato: quia hunc sacerdos obtinet præcisè prout sustinet personam Christi, qui vt sic propriè sacrificat; & hic fructus propriè prouenit ex sacrificio, quà sacrificium est. Quamuis alia ratione verè etiam offerat sacrificium in persona Ecclesiæ, quatenus per ipsum nomine Ecclesiæ Deus colitur ac oratur: & consequenter necessariò ex sacrificio prouenit toti Ecclesiæ aliquis fructus, qui habetur per modum impetrationis; qui tamen non necessariò datur singulis in particulari, sed toti Ecclesiæ in communi: vt dixi suprà in refutatione secundæ sententiæ in prima difficult. 156 *Scotus. Gabriel.*

Quartò, alij putant, quando sacerdos inter celebrandum non applicuit alicui hunc fructum, posse eum postea alicui applicare. Sed alij communiter tenent contrarium.

Quintò, demum grauis inter Theologos est controuersia, Vtrùm sacerdos inter celebrandum validè applicet hunc fructum ei, quem Deus scit post aliquot dies hoc vel illud facturum, v. c. daturum sacerdoti eleemosynam, &c. Quidam hoc negant. Primò, quia fructus Sacramentorum non potest hoc modo applicari: ergo nec sacrificij. Secundò, quia inde sequeretur quòd sacerdotes, dum non offeruntur iis eleemosynæ, possent celebrare multa Sacra pro iis qui primi ipsis eleemosynam pro Sacro faciendo essent dati, & ita suæ obligationi satisfacere, quod videtur absurdum, & contra sensum fidelium. Tertiò, Deus nec punit, nec confert præmia, secundùm ea quæ postea videt futura: ergo nec etiam secundùm ea applicat fructum sacrificij. Ita Suarez disp. 79. sect. 9. Contrà alij affirmant eam applicationem esse validam. Ita Corduba l. 1. q. 4. d. 5. citatus à Suarez. 157 *Suarez. Corduba.*

Quinta difficultas est, Vtrùm hic fructus crescat pro maiore dispositione eius pro quo sacrificium offertur. D. Thom. suprà q. 79. art. 5. infinuat partem affirmatiuam, quem aliqui eius discipuli sequuntur. Durandus verò in 2. d. 45. q. 3. id negat, quem sequitur. Suarez disp. 79. sect. 8. *D. Thom. Durand. Suarez.*

His positis sit CONCLVSIO I. Hoc sacrificium etsi non ita propriè, potest tamen aliquo modo dici offerri pro Beatis: non quidem vt iis aliquid directè impetremus, (nulla enim re indigent, quam iis possimus impetrare) sed quia, dum in eorum memoriam offertur, Primò, causat iis aliquod gaudium accidentale. Gaudent enim tum de honore, qui per hoc sacrificium in eorum memoriam Deo exhibetur: tum etiam quia iis ipsis gratissimum est, quòd nos Deo gratias agamus 158 *Quomodo hoc sacrificium prosit Beatis.*

pro gratia & gloria qua fruuntur; præsertim quòd videant hæc ipsa in nostrum bonum cedere, nosque per ea incitari vt eos imitemur. Secundò, proficit iis etiam ad extrinsecum quendam honorem, quatenus iis honorificum est (vt docet D. Chrysost. hom. 21. in Acta) *b. Chrysost.* in tanto sacrificio nominari & patronos inuocari, & Deum per eorum merita à nobis interpellari, vt largiatur nobis gratiam, qua eos imitemur. Vnde post offertorium petimus, vt hoc sacrificium Sanctis prosit ad honorem, & nobis ad salutem. Vide Trid. sess. 22. *Trident.* c. 3. & Innoc. in c. *Cum Marthæ*, de celebr. Miss. *Innoc.*

159 Validè offertur pro excommunicatis. CONCLVS. II. Validè etiam offertur pro excommunicatis, illique prodest, secundùm eam rationem qua effectus huius sacrificij capaces sunt. Quia etsi Ecclesia possit prohibere ne pro talibus offeratur; efficere tamen nequit ne pro iis validè in persona Christi offeratur. Quia hæc potestas est potestas Ordinis, nec pendet à iurisdictione; & consequenter non magis ab Ecclesia potest impediri, quam potestas consecrandi aut confirmandi.

Illicitè tamen. Nota tamen, grauiter peccaturum, qui vt persona publica in persona Christi aut Ecclesiæ pro talibus sacrificium offerret; quia hoc grauiter ab Ecclesia prohibitum est, c. *A nobis*, 2. de sent. excom. Licitum tamen est pro iis indirectè sacrificium offerre, celebrando pro dilatatione fidei, & extirpatione hæresium. Sic enim indirectè oramus pro eorum conuersione. Item potest sacerdos directè pro iis illud offerre vt persona priuata, sicut etiam cæteri circumstantes hoc facere possunt, hoc enim nullo iure prohibitum est. Vnde nullum est dubium quin possit pro iis orare in Memento. Sed hæc de re pluribus agemus in materia de excommunicatione.

160 Licitè offertur pro infidelibus, *1. Timoth. 2.* CONCLVSIO III. Licitè hoc sacrificium offertur pro infidelibus non baptizatis, & prodest illis per modum impetrationis. Ita Suarez disp. 78. sect. 2.

Prob. quia Apostolus 1. ad Timoth. 2. iubet obsecrationes & orationes fieri pro regibus, qui tunc erant infideles, & videtur omnino etiam sub iis verbis comprehendere sacrificium, quod (vt dixi) est efficacissimum genus orationis. Vnde etiam Tertul. ad Scapulam. *Sacrificamus*, inquit, *pro Imperatore.* Et similiter Iudæi in vetere Testamento sacrificabant pro Principibus Ethnicis, quando iis erant subiecti. Vnde patet, hoc per se esse licitum; nec vllibi ab Ecclesia est prohibitum. *Tertull.*

August. Nec his obstat illud D. August. l. 1. de orig. animæ c. 8. *Quis offerat sacrificium corporis Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi?* Agit enim solùm de defunctis, docetque illud pro infantibus sine baptismo mortuis offerri non posse, quod verissimum est. Quia ipsi nec sunt membra Christi, nec esse possunt. Secùs est de Ethnicis. Etsi enim non sint actu, sunt tamen potestate membra Christi, quia possunt fieri fideles, & vt fiant pro iis sacrificatur.

Infidelibus nõ prodest ex opere operato. Nota tamen, hoc sacrificium non prodesse iis ex opere operato. Cùm enim sit sacrificium Ecclesiæ, hoc modò solùm potest prodesse iis qui per baptismum facti sunt membra Ecclesiæ. His enim solis siue per sacrificium, siue per reliqua Sacramenta singulari illo modo Christi merita applicari possunt. Ita D. Thomas 3. p. q. 79. art. 7.

161 Prodest fidelibus defunctis ex opere operato. *Trident.* CONCLVSIO IV. Hoc sacrificium oblatum pro fidelibus defunctis prodest iis ad remissionem pœnæ etiam ex opere operato. Est iam ferè communis DD. Quod enim iis aliqua ratione prosit est de fide: vt patet ex Trident. sess. 22. can. 3. & omnibus etiam antiquissimis liturgiis, in quibus oratur pro defunctis, & plurimis sanctorum Patrum auctoritatibus: ita vt apertè constet hunc fuisse sensum totius ab initio Ecclesiæ: vt pluribus ostendemus in materia de Purgatorio.

Quòd autem prosit iis etiam ex opere operato probatur. Primò, quia sacerdos in sua ordinatione eodem modo accipit potestatem offerendi hoc sacrificium pro viuis & defunctis. Et Trident. suprà simpliciter *Trident.* dicit, illud offerri pro viuis & defunctis, nihil omnino inter hos distinguendo: atqui oblatum pro illis prodest illis ex opere operato: ergo etiam his. Prob. Secundò, quia, cùm illi sint vera ac viua membra Ecclesiæ, nulla videtur ratio adferri posse, cur fructus huius sacrificij, cuius capaces sunt, non possit tam efficaciter iis applicari, quàm viuis; cùm vtrique solùm spirituali modo, & per actionem omnino extrinsecam applicetur, per hoc solum quòd sacerdos intendat pro iis celebrare: sicut fructus orationis hoc solo alicui applicatur, quo quis intendit pro eo orare. Secùs est in Sacramentis quæ suscipienti per extrinsecam actionem circa eum factam applicari debent. Quare ex eo quòd defuncti non sunt capaces fructus, qui ex opere operato percipitur ex Sacramentis, non sequitur eos non esse capaces fructus, qui ex opere operato per sacrificium percipitur.

162 Sola sacerdotis oblatio habet effectum ex opere operato. CONCLVSIO V. Probabilius est soli oblationi quam sacerdos facit in persona Christi, respondere fructum ex opere operato.

Sequitur ex dictis in explicatione tertiæ difficultatis. Et probatur Primò, quia illa sola oblatio habet veram rationem sacrificij. Etsi enim alij possint dici offerre illam hostiam; tamen eorum oblatio vt ab iis fit, tantùm metaphoricè est sacrificium. Sicut igitur etsi fideles spiritualiter communicent percipiendo Ven. Sacramentum in voto, vel etiam quodammodo sacramentaliter per alium, quem, vt suo nomine communicet aut celebret, permouent; tamen soli perceptioni verè sacramentali respondet fructus ex opere operato: similiter soli illi oblationi sacerdotis respondebit similis fructus.

Probatur Secundò, quia soli illi actioni respondet fructus ex opere operato, cui hic ex promissione Christi annexus est: atqui soli illi oblationi qua corpus & sanguis Christi verè immolantur, eiusmodi fructus est promissus: ergo illi soli respondet talis fructus. Et consequenter cùm sola oblatio sacerdotis vt sit in persona Christi, sit talis, sola habebit talem fructum.

Minor prob. quia nullibi habetur talis promissio nisi in iis locis, vbi corpus Christi dicitur tradi, siue frangi, & sanguis effundi in remissionem peccatorum, quod non fit nisi per veram immolationem, siue sacrificationem.

Probatur Tertiò, quia, vt fatentur auctores contrariæ sententiæ, vt eorum oblatio qui sacrificio cooperantur habeat ex eo eiusmodi fructum, ipsi debent esse in statu gratiæ: quod est contra rationem operationis ex opere operato.

163 In quouis offertorio habet singularem vim impetrandi. CONCLVSIO VI. Omnes qui supradicto modo hoc sacrificium offerunt ei actu aliquo cooperando, per modum impetrationis singularem aliquem fructum percipiunt, longè maiorem quàm per alium actũ in ratione virtutis æquè bonum percipierent; tum ob dignitatem ipsius hostiæ, quam etiam ipsi aliqua ratione offerunt; tum quia eorũ actio cõcomitatur oblationem sacerdotis, cui aliqua ratione cooperantur.

Patet ex dictis suprà in explicatione tertiæ difficultatis in tertia sententia. Et hanc conclus. docet Soto in *Soto.* 4. d. 13. q. 2. ar. 1. §. *Ifi ergo*, licet minus propriè loquatur dicendo hunc fructum ita esse ex opere operato, vt simul tamen etiam habeatur ex merito: quia propriè habetur per modum impetrationis, & est distinctus ab eo qui habetur per modum meriti.

Hæc crescit pro deuotione offerentis. Ex his patet, hunc fructum crescere & decrescere ratione dignitatis, & actualis deuotionis offerentis, & posse ob eius indignitatem omnino impediri:

quamuis non semper omnino impediatur hoc ipso, quòd offerens est in peccato mortali. Quia peccator potest fructuosè orare Deum, & aliquam gratiam ab eo impetrare, idque efficaciùs sacrificanti dicto modo cooperándo quàm aliàs, semper tamen maxima ex parte tollitur, & sæpe etiam omnino, quia peccatores sæpe à Deo non exaudiuntur; præsertim quando diu in peccatis perseuerant. Nec vnquam illis vllam pœnam pro peccatis etiam remissis post hanc vitam persoluendam remittit.

164 Quomodo omnibus fidelibus pro sit.

Conclvsio VII. Qui solùm quarto modo ex supradictis hoc sacrificium offerunt, communiter (nisi sacerdos particularim pro iis offerat aut oret) ex eo nullum fructum in particulari percipiunt; sed tantùm in genere, quatenus bonum quod Ecclesiæ confertur, etiam singulis membris prodest. Ratio est, quia eodem modo illius fructum percipiunt, quo illud offerunt: atqui illud non offerunt nisi remotè, quatenus sunt membra Ecclesiæ: ergo etiam simili modo solùm percipiunt eius fructum.

Dixi, *communiter*, quia sæpe Prælatis aliisque personis publicis, à quibus bonũ Ecclesiæ multùm pendet, ratione sacrificiorum, dantur particulares aliquæ gratiæ propter bonum commune Ecclesiæ, cui multum expedit eiusmodi personas singulari[illegible] à Deo dirigi.

165 Fructus ex opere operato pendet omnino ab applicatione sacerdotis.

Conclvsio VIII. Fructus, qui ex opere operato respondet huic sacrificio prout offertur in persona Christi, omnino pendet ab applicatione sacerdotis, eique confertur, cui hic eum applicuerit; si modò eius sit capax.

Ita communiter iam DD. Et patet, quia celebrans est constitutus à Christo dispensator huius fructus, vt eum per sacrificium, cui voluerit, applicet.

Qui sint illius incapaces.

Dixi, *si eius sit capax*. quia nec existentes in Purgatorio sunt illius capaces, quatenus continet aliquas gratias præuenientes. Nec viui existentes in peccato mortali sunt illius capaces, quatenus cõtinet remissionem pœnæ temporalis, vt communiter DD. fatentur. Quod autem quidam dicunt, hunc effectum sacrificij reuiuiscere, vt contingit in Sacramentis, sine fundamento dicunt. Damnati autem nullo modo illius sunt capaces.

166 Quandoque nulli conferri.

Vnde patet Primò, si sacerdos hunc fructum aut nulli *omnino*, aut alicui incapaci applicet, eum nulli conferri, sed remanere in thesauro Ecclesiæ. Vbi tamen notandum, quoties sacerdos eum nulli alteri applicat, censeri eum sibi applicare per generalem voluntatem, qua quisque semper intendit sibi prodesse, quantum potest. Vt enim hic fructus alicui applicetur, sufficit voluntas virtualis & implicita: in illa autem voluntate generali qua sacerdotes communiter aliquo modo mouentur ad celebrandum, implicitè continetur voluntas applicandi sibi fructum sacrificij, quando ipsi non intendunt contrarium.

Ex quo patet Secundò, semper esse consultum, vt quoties pro aliquo celebramus, simul habeamus conditionatam voluntatem illum fructum, vel in totum vel ex parte alicui alteri applicandi, si fortè is pro quo celebramus, eius sit incapax, aut eo non indigeat: vt si beatus sit, aut damnatus, vel salrem in peccato mortali; aut etiam nullam de facto habeat pœnam temporalem persoluendam pro præteritis peccatis, quo casu est incapax remissionis pœnæ.

167 Virtualis intentio cum applicandi necessaria est.

Conclvsio IX. Debet sacerdos habere saltem virtualem aut implicitam voluntatem applicandi alicui hunc fructum dum celebrat: alioqui frustra eum postea conatur applicare.

Probatur, quia non potest hunc fructum dispensare nisi quatenus sustinet personam Christi vt eius nomine eum dispenset: atqui ipse non sustinet personam Christi nisi dum celebrat: ergo tum solùm potest eum applicare.

168 Non potest pendere à conditione futura.

Conclvsio X. *Probabilius est* sacerdotes inualidè applicare fructum huius sacrificij ei quem Deus scit post aliquot dies, hoc vel illud facturum.

Probatur, quia vel talis fructus, v. c. remissio pœnæ temporalis statim ac sacrificium oblatum esset, inciperet habere effectum: vel tunc primùm cùm illa conditio poneretur. Neutrum dici potest: ergo talis applicatio est inualida; quia non potest alio modo quàm altero ex dictis valere. Minor probatur, quia si primum dicas, sequetur, Petro, v. c. iam remissam esse aliquam pœnam temporalem, & collatas aliquas gratias præuenientes dependenter ab actu ab eo liberè futuro, & consequenter post vnum mensem adhuc fore in ipsius potestate efficere, vt illi effectus fuerint iam antè positi, vel non positi, quod videtur absurdum.

Secundum etiam dici nequit, quia inde sequeretur, quòd possim applicare alicui peccatori satisfactionem huius sacrificij, vt incipiat ei valere tunc quando à peccato iustificaretur, quod communiter negatur. Item quòd possem eandem applicare ei qui iam ea non indiget, vt incipiat ei valere tunc cùm in peccatũ fuerit lapsus, & ab eo resurget, quod patet absurdum esse: quia virtute remitteretur ei pœna peccati futuri; atque ita quodammodo daretur ei licentia impune peccandi.

169 Validè cum applicas cõtra præceptum Superioris.

Conclvsio XI. Potest quidem Ecclesia vel Superior me obligare, sicut etiam ex pacto possum me obligare, vt alicui in particulari hunc fructum sacrificij applicem: validè tamen eum contra dictam obligationẽ alteri applico. Ratio est, quia hæc applicatio est actus potestatis Ordinis, & fit immediatè in persona Christi, ideoque non pendet à voluntate Ecclesiæ aut Superioris, sed à libera celebrantis voluntate. Quare quantumcumque Superior conetur hunc fructum ciúsve partem alicui applicare; si tamen celebrans eum *non* applicet, ille nihil efficiet.

Conclvsio XII. Nulla est generalis obligatio, qua omnes sacerdotes teneantur hunc fructum sui sacrificij, vel aliquam eius partem alicui certo, aut ipsi Ecclesiæ applicare. Ratio est, quia talis obligatio deberet prouenire ex aliqua lege Ecclesiastica, quæ hîc nulla potest ostendi.

170

Conclvsio XIII. Ecclesia potest præcipere certas preces in Missa ad suam intentionem recitari, (sicut etiam de facto præcipit) quas si sacerdos recitet, valent secundùm Ecclesiæ intentionem, etsi sacerdos contrarium intendat. Idemque dicendum de fructu sacrificij, qui per modum impetrationis respondet sacrificio, prout in persona Ecclesiæ offertur.

Probatur, quia Deus Ecclesiam per suum ministrum orantem exaudit independenter ab illius intentione. Sicut Rex acceptarat legationem, quam legatus faceret nomine sui Principis, qui Regi esset gratissimus, etsi sciret legatum contrarium ex perfidia cupere, & tantùm simulatoriè causam sui Principis agere.

171

Conclvsio XIV. Fructus huius sacrificij qui consistit in remissione pœnæ temporalis, non crescit pro magnitudine dispositionis eius pro quo offertur: atque ita in iis omnibus qui eius capaces sunt, æqualis est.

An sit maior in meliùs disposito.

Probatur, quia cùm hæc remissio fiat per solam extrinsecam condonationem, nec homo propriè per eam fiat melior, aut aliquid positiui acquirat, non dantur propriè ad illam aliquæ dispositiones, quarum vna sit alia melior, sed hæ solùm dantur ad effectus aliquos positiuos. Secùs est de Sacramentis quæ conferunt gratiam habitualem, ad quam datur dispositio maior, aut minor.

172

Conclvsio XV. Quòd si loquamur de gratiis præuenientibus, est satis probabile, hunc effectum communiter esse maiorem in melius dispositis. Tum

quia eadem gratia in actu ſecundo communiter efficacior eſt in melius diſpoſito: tum etiam quia etſi Deus ſæpe etiam maximè indiſpoſitos & indigniſſimos ex inſcrutabili iudicio maximis gratiis præueniat; tamen ſæpe etiam in iis conferendis reſpicit aliquam hominis diſpoſitionem. Vnde communiter maiores gratias confert iuſtis quàm iniuſtis; & tunc potiùs quàdo homo aliquo modo eſt ad pietatem aptior, quàm quando eſt omnino immerſus vitiis. quia tunc fruſtra quodammodo gratias perciperet. quia niſi gratiæ ſint ſingulariter efficaces (quas Deus non ſemper confert) vix vnquam in talibus habent effectum; niſi quatenus poſſint eos præſeruare vt minùs peccent. quamuis etiam videamus quandoque contrarium. Quare hic non poteſt facilè infallibilis regula præſcribi: quia ſicut iudicia Dei, ita hæ gratiarum diſpoſitiones ſunt nobis ſatis inſcrutabiles.

DVBIVM X.

Vtrùm effectus huius ſacrificij ſit infinitus?

173 NOta Primò, nos hîc loqui de effectu ſacrificij immediato, quem confert per modum impetrationis, vel ex opere operato: non autem de effectu mediato, qui poteſt eſſe infinitus; qualis eſt remiſſio peccati mortalis, ac pœnæ æternæ, quam ſacrificium cauſat mediantibus gratiis præuenientibus iuxta dicta dub. 8.

Nota Secundò, hunc effectum poſſe eſſe dupliciter infinitum. Primò, intenſiuè, vt ſi remittatur alicui pœna infinita, aut conferatur infinita gratia. Secundò, extenſiuè, vt ſi infinitis hominibus ſingulis pœna finita remittatur.

Nota Tertiò, hunc effectum ſecundùm vtrumque modum rurſum poſſe dupliciter dici infinitum. Primò, quaſi in actu primo, ita ſcilicet vt hoc ſacrificium, quantum eſt ex parte ſua, & Chriſti inſtitutione habeat ſufficientem vim ad producendos eiuſmodi effectus, ſi ſufficienter applicaretur. Secundò, ita vt de facto aliquando producat effectum infinitum: & hunc ſecundum ſenſum nemo vnquam intendit, niſi quis fortè dixerit per ipſum immediatè remitti peccatum mortale, & pœnam æternam. Nec de hoc diſputamus, ſed de primo ſenſu, & quidem præcipuè de effectu extenſiuè infinito. Hæc enim quæſtio præcipuè à Doctoribus diſputatur, vt inquirant, Vtrùm hoc ſacrificium tantum valeat ſi offeratur pro pluribus, ac ſi offeratur pro vno: & conſequenter, Vtrùm is qui à pluribus accepit ſtipendium, vt pro ſingulis dicat vnum Sacrum, ſatisfaciat dicendo pro omnibus vnum. Qua in re multi valdè confusè loquuntur, & ſæpe citantur pro aliqua ſententia, quam reuera non tenent. Imò ex eo quòd non ſatis diſtinguant diuerſos modos, quibus hoc ſacrificium ſuum fructum confert, ſibi ipſis aliquando contradicunt.

174 Prima ſententia docet, efficaciam huius ſacrificij eſſe abſolutè infinitam: atque ita rātum ſingulis prodeſſe ſi offeratur pro pluribus, atque ſi pro vno ſolo offerretur. Ita Caiet. q. 79. ar. 5. & tom. 2. opuſc. tract. 3. q. 2. Ad hoc tamen exigit, vt illi omnes poſtulēt pro ſe dici Sacrum. Fundamentum eius eſt, quia hoſtia huius ſacrificij eſt infiniti valoris, qui ſingulis offerentibus applicatur pro eorum deuotione. Sicut igitur quando plures curant pro ſe dici Sacrum, multiplicantur oblationes (nam ſinguli illi verè offerunt ſacrificium) ſic etiam multiplicantur applicationes valoris illius hoſtiæ; qui cùm ob ſuam infinitudinem nequeat exhauriri, quòd vnus ex eo multum accipiat, non impedit quin alter tantundem accipiat quantum acciperet ſi ſolus offerret. Sicut quòd multi ſimul hauriant aquam ex mari, non impedit quo minùs ſinguli æquè multum hauriant, ac ſi ſoli hauirent. Fatetur tamen ſingulorum oblationi etiam ſacerdotis reſpondere fructum omnino finitum, qui conſequenter multis diuiſus, ſingulis datur minor, quàm ſi vni totus daretur. Cuius ratio eſt, quia fructus qui ex hoc ſacrificio accipitur, non reſpondet dignitati ipſius hoſtiæ, ſed deuotionis offerentis: vnde §. *Et confirmatur.* inter hoc ſacrificium oblatum pro pluribus qui illud non offerunt, non prodeſſe illis tantum, quantum prodeſſet ſi pro vno ſolo offerretur. Qua in re vel apertè ſibi contradicit, vel valdè æquiuocè loquitur, nec vllo modo reſpondet ad præſentem quæſtionem. Nec enim hic propriè quæritur, Vtrùm plures offerentes eandem hoſtiam æquè eius valorem participent, ac ſi vnus ſolus eam offerret: ſed, Vtrùm ſacrificium à ſacerdote oblatum pro pluribus tantum ſingulis profit, quantum vni prodeſſet, ſi pro eo ſolo offerretur. Et hoc ipſe etiam locis citatis abſolutè affirmat verum eſſe, quando ſacrificium offertur pro iis qui hoc procurarunt; in quo ſibi apertè contradicit. Nam etiamſi hi ſinguli tantum percipiant ex propria ſua oblatione, quantum acciperent ſi ſoli offerrent; tamen inde non ſequitur, quòd tantum accipiant, quia ſacerdos pro iis offert, ſed quia ipſi offerunt.

Secunda ſententia docet, quando ſacerdos offert pro multis copulatim, & in confuſo ſumptis, v. c. pro integra aliqua ciuitate, tunc ſacrificium minùs prodeſſe ſingulis, quàm ſi pro vno ſolo offerretur. Secus eſſe, quando illud pro ſingulis ſigillatim offertur, v. c. dicendo apud ſe, Offero hoc ſacrificium pro Ioanne, & offero illud pro Petro, &c. Ratio videtur eſſe, quia in primo caſu eſt vnica oblatio: in ſecundo licèt ſit vnica hoſtia, ſunt tamen multæ oblationes. Sed hæc ſententia errat, quòd conſtituat hoc ſacrificium in verbali oblatione, quia hæc ſola multiplicatur; non autem realis oblatio, quæ conſiſtit in conſecratione. Solet autem citari pro hac ſententia Silueſter v. *Miſſa*, n. 9. ſed ipſe hanc propriè non tenet, ſed potiùs inclinat in ſententiam Caiet. Nam dicit, tunc ſolùm hoc ſacrificium pro multis oblatum tantum prodeſſe ſingulis, quantum ſi pro vno offerretur; quando ſinguli per ſe mouerunt ſacerdotem ad celebrandum: quia tunc ſinguli offerunt. & conſequenter tot ſunt oblationes, quot ſunt ij, pro quibus offertur. 175 *Siluester.* *Caietan.*

Tertia ſententia docet, hoc ſacrificium abſolutè habere valorem finitum. Ita Scotus quodliber. 20. & Gabriel lectione 26. in can. Ratio illorum eſt, quia valor illius non debet reſpondere dignitati ipſius hoſtiæ, ſed ipſi oblationi & dignitati, ac deuotioni offerentis. Oblatio autem ſecundùm ipſos eſt abſolutè finitæ dignitatis: quia putant ſacerdotem hoc ſacrificium propriè offerre non in perſona Chriſti, ſed in perſona Eccleſiæ: & conſequenter offerentem eſſe omnino finitæ dignitatis. Vnde in 4. d. 13. quæſt. 2. docent excommunicatum inualidè ſacrificare: quia ab Eccleſia præciſus eſt. Sed hæc ratio, vt patet ex ſupradictis, non eſt vera. 176 *Scotus. Gabriel.*

Quarta ſententia docet, hoc ſacrificium habere quidem in ſe abſolutè infinitam dignitatem, & quaſi infinitam virtutem, ſemper tamen conferre effectum determinatum, & minùs valere ſingulis oblatum pro pluribus, quàm pro panciori bus. Ita D. Thom. in 4. d. 45. q. 2. art. 5. quæſt. 2. ad 2. *D. Thom.*

177 Vt autem hæc clariùs poſſint intelligi, Nota Quartò, aliud eſſe ſacrificium habere in ſe infinitam dignitatem & valorem, atque ita eſſe ex natura ſua tale quod poſſit habere infinitum effectum, ſi ad hoc à Deo inſtitueretur, aliud verò eſſe ipſum de facto habere completam vim producendi effectum infinitum, ſi ſufficienter applicaretur, v. c. ſi diceretur pro infinitis animabus exiſtentibus in Purgatorio. Poteſt enim fieri vt aliquod opus ex natura ſua habeat

Aliud eſt ſacrificium aliquod in ſe eſſe infiniti valoris, aliud verò ipſum poſſe infinitum effectum producere.

sufficientissimam dignitatem ad plenè satisfaciendum pro aliquibus peccatis, & ad comparandam eorum plenam remissionem; & tamen de facto non habeat completam vim ad talem effectum producendum defectu intentionis operantis, aut ratione contrarij pacti, inter ipsum & personam offensam initi. Patet exemplo. nam quoduis Christi bonum opus fuit ex se sufficiens ad operandam plenam nostram redemptionem, & vt propter illud gloriam sine vllis propriis meritis possemus consequi: tamen quia Christus contrarium pactum cum Patre iniit, vt scilicet nostra redemptio non consummaretur nisi per suam mortem; & vt non consequeremur gloriam sine nostra cooperatione: ipsius merita non habuerunt completam vim aliter nostram salutem operandi.

178 Nota Quintò, dupliciter concipi posse hoc sacrificium habere in actu primo completam vim producendi effectum aliquo modo infinitum. Primò, vt absolutè & categoricè habeat talem vim ratione vnius oblationis: ita vt provt offertur à solo sacerdote cum certa deuotione posset æqualiter singulis prodesse oblatum pro infinitis hominibus, ac si pro vno offerretur. Secundò, vt habeat quasi syncategoricè ea solùm ratione vim quodammodo infinitam, quatenus ratione circumstantiarum in infinitum potest semper magis & magis crescere eius effectus. Quod rursus dupliciter fieri potest. Primò, quatenus offertur semper cum maiore & maiore deuotione. Secundò, quatenus vel ab eodem, vel à diuersis per plures ac plures actus offertur.

179 Hoc sacrificium est infiniti valoris. CONCLVSIO I. Dignitas & valor huius sacrificij tam ratione rei oblatæ, quàm primarij offerentis, habet dignitatem ac valorem absolutè infinita.

Patet, quia tam res oblata quàm primarius offerens est ipse Christus, vt in superioribus dubiis clarè ostendi. Ex quo sequitur, illud habere sufficientem in se proportionem, vt possit à Deo institui ad infinitum effectum operandum.

180 Nihil de nouo meretur. Suarez. CONCLVS. II. Hoc sacrificium quatenus offertur in persona Christi, nullam habet vim de nouo aliquid merendi, aut operandi nouam aliquam satisfactionem. Suarez disp. 79. sect. 2.

Probatur, quia vel offertur in persona Christi provt consideratur iam beatus in cælo: & sic cùm Christus non sit ampliùs in statu merendi, aut satisfaciendi, non potest offerendo hoc sacrificium satisfacere, aut mereri. Nec refert quòd sacerdos sit in statu merèdi, quia illa actio vt sic considerata non reputatur esse ipsius sacerdotis sed Christi. Vel Secundò offertur in persona Christi, provt consideratur adhuc viuens in terris (quia, cùm adhuc viator hoc sacrificium instituerit, vt per sacerdotes suo nomine offerretur, videtur offerri in persona Christi provt consideratur adhuc vt viator.) Et hoc modo non habebit vim merendi aut satisfaciẽdi distinctam ab ea quam habebat illa Christi institutio, siue volitio qua hoc sacrificium instituebat. Sicut si dominus præcipiat suo dispensatori vt det aliquot aureos pauperibus, & postea incidat in somnum, vel moriatur, atque interim famulus det eleemosynam; dominus per illam donationem non plus merebitur aut satisfaciet, quàm fuerit meritus per illam iussionem. Ratio est, quia ad nouum meritum vel satisfactionem requiritur noua libertas: hîc autem respectu domini non est noua libertas; imò nec noua actio, quia non aliter censetur hanc actionem facere, quàm ratione præcedentis iussionis. Et eadem est ratio huius sacrificij respectu Christi viatoris ipsum instituentis.

181 Celebrans sustinet personam Christi existentis. Adde, verius esse sacerdotem sustinere personam Christi non provt consideratur olim fuisse, sed provt adhuc existit: nam profert formam consecrationis in persona Christi adhuc existentis. Quod vel inde patet. Quia si Christus omnino esse desineret, forma esset falsa, nec sacerdos per eam quidquam efficeret: ideóque etiam corpus Christi tale ponitur sub speciebus, quale est in se. Vide dicta q. 75. art. 4. dub. 5. num. 167. Et ob has causas dub. 3. dixi per hoc sacrificium non acquiri nouum pretium redemptionis nostræ, sed per sacrificium crucis acquisitum applicari.

Hinc patet, hoc sacrificium prout offertur in persona Ecclesiæ, nullam habere vim merendi aut satisfaciendi, quia Ecclesia non est persona aliqua vna quæ possit mereri.

182 Quantam vim impetrandi hoc sacrificium habeat. CONCLVS. III. Hoc sacrificium quatenus offertur in persona Christi, habet quantum est ex se, infinitam vim impetrandi: Quoniam & res oblata & primarius offerens sunt infinitæ dignitatis: & Christus etiam modò est in eo statu, quo potest Deum pro nobis interpellare, & quæ voluerit etiam impetrare. Est tamen hæc vis tantùm remota & incompleta. Quia ex eo quòd Christus hoc sacrificium non instituerit ad infinitum aliquem effectum impetrandum; nullo modo potest similem effectum immediatè impetrare, quantumcumque sacerdos ipsum ad hoc offerat: mediatè tamen potest aliqua ratione similem effectum impetrare, quatenus impetrat peccatori gratias præuenientes, quibus conuersus obtinet remissionem peccati mortalis & pœnæ æternæ. Hinc patet, hoc sacrificium oblatum in persona Ecclesiæ, habere vim impetrandi; quia etsi communitas non potest per se aliquid mereri; potest tamen per legatum suum aliquid impetrare.

183 CONCLVSIO IV. Hoc sacrificium prout offertur à persona priuata (siue is sacerdos sit, siue alij sacrificio cooperantes) semper habet actu vim limitatam producendi suum effectum. Quia, vt docet D. Thom. q. 79. art. 5. in hac oblatione magis attenditur dignitas & deuotio offerentis, quæ hoc casu omnino finitæ sunt, quàm dignitas rei oblatæ. Quæ ratio quamuis bona sit, tamen non satis videtur per se hanc conclusionem probare. Posset enim aliquis respondere: etiamsi oblationis efficacia præcipuè crescat pro magnitudine dignitatis & deuotionis offerentis, nihilominus etiam crescere ex dignitate rei oblatæ. Quis enim non videat cæteris paribus eum plus apud Deum mereri, qui dat sex aureos pauperibus, quàm eum qui dat vnum tantùm assem? Cùm igitur res oblata sit infinita, vis oblationis erit etiam infinita. D. Thom.

184 Quando virtus oblationis crescat ex præstantia muneris. Ad hoc argumentum varij variè respondent. sed iis omissis Respondeo, efficaciam oblationis in ratione meriti aut impetrationis ex præstantia rei oblatæ crescere. Primò, quando res oblata est necessaria aut valdè vtilis ei cui offertur, ita vt inde fiat ditior, aut aliqua ratione beatior: vt fit quando hominibus aliquid largimur. Tunc enim accipiens donum, eò maiore afficitur beneficio, quò illud est maius, & consequenter magis donatori obligatur, etiamsi donatio huic nullo modo sit incommoda aut difficilis. Hinc quò plura ac maiora accipimus à Deo beneficia, eò magis ei obligamur. Secundò crescit quando pro magnitudine muneris crescit difficultas oblationis respectu offerentis. Hinc qui olim Deo offerebat holocausta magni valoris, verbi causa viginti arietes, cæteris paribus plus merebatur quàm qui rem paruam obtulisset, etsi Deus æqualiter neutro dono indigeret. Ratio est, quia ceteris paribus actus internus eò est perfectior, quò actus externus, quem imperat, est difficilior: nam inde necessariò sequitur, affectum ex quo hic procedit, esse in actu secundo efficaciorem, & appretiatiuè maiorem erga eum cui illud munus offertur. Hinc Christus Lucæ 21. probat oblationem viduæ fuisse meliorem oblationibus diuitum, quia his facilius erat offerre aureum, quàm illi offerre duo minuta. Hæc tamen intellige nisi fortè is qui minus offert, sic ità Voluntas impetrans actum difficiliorem est perfectior. Luc. 21.

animò cõparatus, vt omnino æquè multum offerret si hîc & nunc hoc ei esset possibile: tunc enim absolutè fieri posset, vt par esset vtriusque interior affectus, & consequenter par esset vtriusque meritum. Sed hoc rarissimum est. Et tamen etiam illo casu ille plus satisfaceret, cuius actus exterior esset difficilior. quia ipsa rei difficultas sponte susceptæ per se habet rationem satisfactionis, cùm etiam per eam quam coacti patimur, possimus satisfari: vt patet in Purgatorio, vbi animæ purgantur præcisè, quia tantum patiuntur, quantum meruerunt: non autem quia cum magna aut parua deuotione patiuntur: vt dicam suo loco.

185 Hoc sacrificium ex aliis capitibus habet singularem vim impetrandi.

Quando autem oblatio rei dignioris nec accipienti est vtilior, nec offerenti difficilior, quàm oblatio rei vilioris, ex meneris dignitate nullo modo crescit efficacia oblationis in ratione meriti aut satisfactionis. Hinc cæteris paribus æquè apud Deum meretur, qui ei offert merita alicuius minoris Sancti, ac qui offert ei merita beati Petri, aut omnium Sanctorum simul.

Nota tamen, oblationem huius sacrificij habere singularem vim ad impetrandum aliquid à Deo, etiam vt sit à personis priuatis, quæ aliquo modo ad sacerdotis oblationem actu concurrunt, iuxta dicta dub. 9. Tum quia singulari modo repræsentat Deo passionem Christi, qua Deus ad omnia beneficia nobis concedenda præcipuè mouetur: tum etiam quia non solùm in ea offertur Deo munus, quod per se ei gratissimum est; sed etiam quia hoc offertur ea oblatione, quæ singulariter à Christo instituta est, vt per eam Deo pro peccatis satisfaciamus, & necessaria nobis beneficia impetremus: & consequenter ad vtrumque quando debitè fit, habet singularem vim, determinatam tamen secundùm Christi instituentis, & Dei acceptantis intentionem, vt dixi notabili tertio.

186 Nunquam habet effectum actu infinitum.

Conclvs. V. Hoc sacrificium nullo modo potest dici ita habere infinitam efficaciam quasi possit actu aliquem effectum infinitum immediatè impetrare: aut æquè facilè quamcumuis magnum fructum impetrare ac minimum, aut quasi tantum valeat singulis quando pro multis offertur, ac quando pro vno.

Sequitur ex dictis, quia ostendi neque habere eiusmodi vim compleram ratione offerentis, etiam vt offertur in persona Christi: neque etiam ratione rei oblatæ. quia ad talem effectum nullo modo est institutum, neque etiam institui decuit.

Et probatur vlteriùs Primò, quia aliàs possemus quouis sacrificio cuiuis homini quamcumuis magnas gratias præuenientes impetrare, atque adeò maiores quàm omnes simul Sancti habuerint. quod patet esse falsum. Secundò, quia aliàs dicendo vnum Sacrum pro omnibus hominibus viuis & defunctis, tantum singulis prodesset, ac si pro singulis vnum diceremus: atqui hoc apertè falsum est. Nam inde sequeretur Primò, stultissimè facere eos qui dicunt aliquod Sacrum pro vno particulari. Secundò, nos ex caritate aliquo modo obligari quoduis Sacrum dicere pro omnibus fidelibus, qui eius fructus sunt capaces: quia cùm hoc modo sine vllo nostro incommodo aut difficultate possemus illis plurimum prodesse, caritas omnino exigeret, vt hoc faceremus. Tertiò, quòd qui accepisset à mille personis distinctas eleemosynas, vt pro iis diceret Sacrum, satisfacere dicendo vnum pro omnibus: quia tantum iis prodest, ac si diceret vnum pro singulis, quæ omnino absurda sunt, & contrà communem fidelium sensum: ergo & id vnde sequitur.

Dices, sex Missas pro sex hominibus oblatas plus prodesse singulis, quàm si vnam pro illis offeram: quia habeo maiorem deuotionem saltem extensiuè in sex Missis, quàm in vna. Sed hoc non sufficit, quia vt summum inde sequitur, sex Missas magis prodesse illis sex hominibus, quando singulæ dicuntur pro omnibus: non autem quando singulæ dicuntur pro singulis.

Conclvs. VI. Vis huius sacrificij potest aliquo modo dici syncategorematicè infinita, quatenus fructus eius qui per modum impetrationis obtinetur, ratione deuotionis, aut multitudinis offerentium potest in infinitum semper crescere. Quò enim tam sacerdos, quàm reliqui astãtes id deuotiùs offerunt, aut etiam quò plures illud offerunt, eò maiorem habet vim impetrandi. nam singuli tantum impetrant, quãtum impetrarent si soli in suo ordine offerrent: modò æquè efficaciter ad sacrificium concurrant, ac si soli essent. Quod ideò dico, quia dantes simul sacerdoti vt dicat Sacrum talẽ eleemosynam, qualis solet prouno Sacro dari, singuli nõ tam efficaciter ad illud concurrũt, quàm si quisque pro vno Sacro daret pro se separatim dicendo. Patent hæc ex dictis suprà d. 7. conc. 4.

187 Habet vim syncategorematicè infinitam.

Petes, Vtrùm hic effectus sacrificij proportionaliter crescat pro deuotione offerentis: ita vt si deuotioni vt duo respondeat effectus vt tria; deuotioni vt quatuor respondeat effectus vt sex: Sotus in 4. d. 11. q. 2. art. 5. §. *Respondetur* id negat, putatque ea suppositione posita offerentem cum deuotione vt quatuor, tantùm habiturum effectum vt quinque, & offerentem cum deuotione vt quinque, effectum vt sex. Sed hoc modo ratione deuotionis offerentis propriè non crescet efficacia ipsius sacrificij, siue ipsius externæ oblationis, quatenus secundùm se ratione rei oblatæ & institutionis Christi secundùm dicta habet aliquam vim impetrandi. nam effectus ipsi præcisè respondens maneret semper idem: sed tantùm crescet præcisè effectus respondens deuotioni offerentis. Sicut si Sacramentum aliquod haberet præcisè vim conferendi ex opere operato vnum gradum gratiæ, quem æqualiter conferret omni suscipienti non ponenti obicem, siue optimè, siue minùs benè esset dispositus; nihilominus qui illud susciperet cum deuotione vt sex, reciperet plus gratiæ quàm qui reciperet cum deuotione vt vnum: ideo tamen effectus Sacramenti non crescet ratione deuotionis suscipientis, sed solùm crescet effectus deuotionis. Quare probabilius credo, hãc efficaciam sacrificij esse duplo maiorem in eo qui cum dupla deuotione illud offert: eadem ratione qua dixi qu. 62. art. 1. dub. 3. effectum Sacramenti proportionaliter crescere pro dispositione suscipientis. hac solùm differentia, quòd quia hic effectus sacrificij habetur tantùm per modum impetrationis, non sit ita infallibilis ac determinatus ac effectus Sacramenti. Et quia pendet etiam ex dispositione eius pro quo offertur, potest etiam ex hac parte vel in totum, vel ex parte impediri. Ratio autem huius est, quia tam D. Thomas, quàm alij communiter Theologi dicunt effectum huius sacrificij crescere ratione deuotionis offerentis. quod non esset propriè verum, si esset vera sententia Soti.

Sotus.

D. Thom.

Dupla deuotione offerẽs habet duplum effectum.

Hinc sequitur Primò, quando plures eandem Missam audiunt, aut ei inseruiunt, & ita eam aliquo modo offerunt, non ideo eos singulos minorem effectum percipere, quàm si essent soli. Quia cùm sint ibi distinctæ oblationes, etiam sunt distincti effectus iis respõdentes, qui potiùs crescunt ex multitudine concurrentium: tum quia hoc modo sese mutuò sæpe ad maiorem deuotionem excitant: tum quia multorum preces simul per modum vnius Deo oblatæ sunt magis efficaces, quàm si omnes essent separatim oblatæ. Quia etiam hîc verum est illud vulgare, *Maior est virtus vnita seipsa dispersa*: ideoque etiam Ecclesia in necessitate curat multos simul ad orandum conuenire.

189 Pluralitas eorum qui hoc sacrificium fecerdarió offerunt, non minuit in singulis effectum.

Sequitur Secundò, quando sacerdos per diuersas actiones, plures in suo Memẽto Deo commendat pro eis in persona sua hoc sacrificium offerendo, tantum prodesse singulis, ac si vnum solum commendaret. Quia singulæ actiones habent rationem distinctæ oblationis, nec vna alteram impedit. Dixi, eum sæpiùs

190 Sacerdos potest multis æqualiter in Memento prodesse, ac si vnius meminisset.

posse offerre idem sacrificium vt personam priuatam, scilicet verbali oblatione: quia, vt sustinet personam Christi, tantùm potest illud semel offerre. quia hæc oblatio non differt à consecratione.

191 CONCLVS. VII. Fructus qui habetur ex opere operato ex hoc sacrificio prout communiter offertur, nullo ex dictis modis potest esse infinitus. Quia hic fructus respondet solùm consecrationi, quæ fit à solo sacerdote, & semel tantùm in vno sacrificio, nec ratione maioris ipsius deuotionis potest crescere: vt patet ex dictis d. 7.

Fructus ex opere operato multiplicatur quãdo sunt multi verè offerentes.

Dixi, *prout communiter offertur.* Quia, si plures sacerdotes simul eandem hostiam consecrarent (vt fit quando noui sacerdotes simul cum Episcopo ordinante consecrant) tunc singuli verè offerrent; & consequenter singulorum oblationi responderet suus fructus ex opere operato, non minùs quàm si soli offerrent. Quòd enim consecrent eandem hostiam nihil de fructu detrahit: sicut contrà nihil accedit ex eo quòd sacerdos simul plures hostias consecret. Nam si propriè velimus loqui, etsi in diuersis sacrificiis plures sint materiæ, atque aliqua ratione plures hostiæ secundariæ; primaria tamen hostia ex qua sacrificium habet suam vim, in omnibus sacrificiis est vna ac eadem, scilicet Christus.

192 Obligatus pro pluribus dicere integrũ Sacrum, vnico sacrificio non satisfacit.

Hinc sequitur, eum qui à pluribus ... cepit distinctas eleemosynas vt dicat pro iis Sacrum, si singulæ sufficiant ad frugalem vnius diei victum, teneri pro singulis singula Sacra dicere. Idemque dicendum de eo qui aliunde obligatur pro diuersis Sacra dicere. Quia cùm fructus qui habetur ex opere operato (quem præcipuè sibi applicari cupiunt qui Sacrum pro se dici petunt, eò quòd maximè certus sit, & fortè solus omnino infallibiliter applicetur) omnino vnus, isque finitus vni sacrificio respondeat, longè minùs de fructu sacrificij participant, quando vnum offertur pro multis, quàm quando pro singulis vnum. Idemque iudicium est de fructu quem sacerdos impetrat prout offert in persona Christi, qui vnicus omnino vni sacrificio respondet. Quia cùm hæc oblatio non sit distincta à consecratione, non potest in eodem Sacro multiplicari, nisi quando multi eandem hostiam consecrant.

Nec his obstat, quòd quando multi conferendo eleemosynas ad idem sacrificium concurrunt, singuli recipiant particularem fructum suæ oblationi & deuotioni respondentem: quia hunc non recipiunt, quia sacerdos pro iis offert (nam eodem modo eum reciperent, si sacerdos pro aliis celebraret) sed quia ipsi offerunt. Sacerdos autem propter pactum & acceptam eleemosynam tenetur pro ipsis celebrare, vt suæ oblationis fructum iis applicet.

Dixi, *si singulæ sufficiunt ad frugalem vnius diei victum.* Quia si eleemosynæ ad hoc non sufficerent, plurimi Doctores dicunt, tunc licere tot accipere pro vno Sacro, quot sufficiunt ad talem victum. Ita Soto in 4. d. 13. quæst. 2. articul. 1. & Canus in locis Theolog. l. 12. cap. 13. & alij.

Soto. Canus.

Quanta eleemosyna pro Sacro debeatur?

Vbi Nota Primò, pro victu tali illam quantitatem eleemosynæ debere iudicari sufficientem quam vel superiorum auctoritas, vel loci consuetudo pro singulis Sacris taxauit, idque siue sacerdos indigeat ratione particularis suæ conditionis, lautiore sustentatione, siue non. hoc enim ij qui procurant dici Sacra, non tenentur æstimare, sed ipsius est aliunde sibi prouidere. Talis autem eleemosyna his locis sunt quatuor aut quinque asses. Quare quamuis sacerdos possit plus accipere à sponte offerentibus; neminem tamen potest cogere, aut fraude inducere vt plus det.

Nota Secundò, hæc intelligenda esse quando qui dant eleemosynam, non essent facilè alios reperturi, qui pro singulis singula Sacra dicerent. Nam hoc casu iniuriosè à sacerdote deciperentur, dum falsa spe inducerentur, vt darent illam eleemosynam, habituri tantùm medium fructum sacrificij, cùm aliàs possent habere integrum.

193 Raro licitè recipis plures etiã minores eleemosynas pro uno Sacro.

Quanquam autem hæc sententia non sit improbabilis ob auctoritatem Doctorum, non videtur tamen passim admittenda, nisi vbi rationabilis causa & grauis sacerdotis inopia (qui se nulla alia ratione posset nutrire) id exigeret. Tum quia sapit auaritiam, & quasi nundinationem quandam Sacrorum, dum tam rigidè pro iis sustentatio exigitur: tum etiam quia in rigore videtur falsa. Primò, quia sacerdos acceptando eleemosynam exteriùs promittit integrum Sacrum, & tamen tantùm dimidium intendit pro altero dicere, quod difficilè excusatur à mendacio. In mutuis enim siue oneresis promissionibus tenemur externa signa promissionis intelligere prout communiter intelliguntur, & sicut scimus ea hic & nunc ab altero intelligi. Dans autem tibi eleemosynam vt dicas pro illo Sacrum, intendit vt integrum dicas, & acceptando eleemosynam secundùm communem hominum sensum censeris hoc ei promittere. Sicut igitur promitteres tibi eleemosynam, vt dicas pro eo Sacrum, te deciperet si intenderet tantùm dare mediam partem eius quod in iis locis solet dari: ita etiam eum decipis dum acceptando eleemosynam promittis illi integrum Sacri fructum, & tantùm applicas medium. Secundò, quia sacerdos talem dolo inducit vt det sibi eleemosynam sub iis conditionibus, sub quibus nullo modo esset daturus, si eas intelligeret. ad quod nullum ius habet. Nam etsi non teneatur dicere Sacrum pro eo qui non vult dare tantam eleemosynam; tamen neminem potest tali simulatione contra ipsius intentionem inducere, vt tantam det. Nullum enim habet ius exigendi integrum victum vnius diei ab eo pro quo dixit vnum Sacrum, nisi ille saltem implicitè spoponderit se eum daturum. Nec sufficit quòd superior talem taxam pro Sacris statuerit. quia tantùm statuit, vt possis eam exigere nolendo dicere Sacrum pro eo qui non vult tantum dare: non autem vt possis eam dolo ab alio extorquere.

In promissis oneresis verba in plano sensu intelligenda sunt.

194 Posset autem prædicta sententia habere locum, quando dictæ eleemosynæ ita offeruntur & acceptantur, vt accipiens non possit censeri promittere applicationem integri fructus; sed tantùm pro ratione eleemosynæ datæ. Vt fit Primò, quando accipiens hoc dantibus significat: aut quando multi simul quasi per modum vnius eleemosynas alicui conferunt, vt pro omnibus iuxta illarum magnitudinem Sacra dicat: aut in similibus casibus. Tunc enim nulla fit dantibus iniuria si sacerdos pro singulis Sacris taxatam eleemosynam accipiat.

195 Quis fructus debeatur ei pro quo Sacrum debet offerri.

Nota demum, iis, pro quibus tenemur Sacra dicere, propriè debitum esse eum fructum, qui percipitur ex opere operato. quia hic est proprius fructus ipsius Sacri; aut vt summum eriam is qui impetratur in persona Christi. Quare obligati pro certis dicere Sacrũ, liberè possunt eum fructum, quem vt personæ priuatæ percipiũt, alijs applicare; siue is percipiatur per modũ impetrationis; siue ex opere operantis per modum meriti aut satisfactionis. Atque ita in suo Memẽto sacerdos potest Deo commendare quoscunque voluerit, offerendo pro ijs priuatim ipsum sacrificium. quia per eiusmodi oblationes nihil detrahitur fructui qui respondet oblationi prout fit in persona Christi.

DVBIVM XI.

Quinam sacerdotes, & qua ratione possint accipere eleemosynas pro Sacris suis?

196 PRima sententia docet, nullos sacerdotes posse ita ab aliquo pro Sacro dicendo accipere eleemosynã, vt se

vt se obligent ad celebrandum pro eo. Ratio est, quia hoc non posset fieri sine pacto: omne autem pactum in rebus sacris illicitum est, vt dicitur cap. *Pactiones.* de pactis. & hoc videtur simoniacum, quia daretur pecunia pro re sacra. Hinc D. Thom. 2.2.qu. 100. art. 3. ad 2. dicit esse simoniam, quando talia fiunt intercedente pacto.

D. Thom.

Respondent aliqui, pecuniam hîc non dari propriè pro ipso sacrificio, aut ejus fructu, sed solùm pro labore, qui inter sacrificandum impenditur. Sed hoc non satisfacit, quia cùm hic labor sit intrinsecus officio Missæ, non potest ab eo distingui, neque per se pecunia æstimari: secùs esset, si quis procul deberet ire ad Missam certo loco dicendam. Tunc enim labor itineris posset æstimari, quia sacrificio extrinsecus est. vide Lessium l.2.c.35.dub. 8.

Non potest accipi pecunia pro labore qui sacrificio intrinsecus inest.

Lessius.

Secunda sententia docet, sacerdotes diuites non posse vllas eleemosynas accipere pro Sactis. Insinuat hanc Silvester v. *Simonia.* n. 3. Vbi dicit hoc pertinere ad auaritiam. Ratio est, quia pro aliis celebrantes non possunt accipere pecunias pro Sacro, sed tantùm pro sui sustentatione. Diuites autem sacerdotes ea pecunia ad hunc finem non indigent.

Silvester.

Tertia sententia docet, Pastores non posse accipere pecunias pro Missis quas celebrant, quia tenentur eas celebrare pro suis parochianis, à quibus aluntur. Ita Soto in 4.d.13.q.2.art.2. §. *Quibus autem.*

Soto.

197 CONCLVS. I. Potest sacerdos licitè accipere eleemosynam cum obligatione dicendi Missam pro eo qui dat. Ita cum communi sententia Lessius suprà.

Lessius.

Potest accipi pecunia pro sustentatione celebrantis.

Patet ex communi praxi Ecclesiæ. Et ratio est, quia non datur eleemosyna pro ipsa Missa, sed pro sustentatione celebrantis. Nam vt dicitur 1.Corint.9. qui altari deseruiunt, de altari participant. vbi Apostolus pluribus probat eos qui aliis spiritualia ministrant, debere ab iis alij, sicut miles alitur ab iis quibus militat. hinc illud quod darur sacerdotibus ab iis quibus spiritualia administrant, ab Apostolo ibidem, & ab aliis

1. Cor. 9.

Luc.10.

sæpe vocatur stipendium: & à Christo Lucæ 10. merces; non quòd propriè habeat rationem mercedis aut stipendij; sed quia militantibus ac laborantibus in vinea Domini non minùs debetur iusta sustentatio, quàm temporalibus operariis ac militibus debentur mercedes siue stipendia. Similiter sacerdos obligat se alteri ad dicendum Sacrum cum respectu quidem ad eleemosynam: non tamen tamquam ad pretium sui sacrificij, sed tamquam ad conditionem sine qua se non obligaret: cùm verè constet eum gratis dare quæ gratis accepit.

D. Thom.

Ad cap. *Pactiones.* ac D. Thomam Respondeo, eos solùm damnare pactiones in quibus spiritualia dantur pro temporalibus, aut sine iusta dispensatione Beneficia commutantur, quod simoniacum est.

198 CONCLVS. II. Etsi potiùs deceret sacerdotes diuites dicere Sacrum sine vllis ejusmodi stipendiis; tamen licitè ea accipiunt, sicut enim non ideo miles tenetur gratis militare, quia aliunde habet, vnde potest commodè viuere: sic nec ideò tenentur sacerdos aliis spiritualia administrare non accipiendo ab iis sustentationem. Nauar. cap. 23. num. 101. Sotus l. 9. de iustitia q.5. art.1. Henriquez l.9.c.22. Suarez disp. 86. sect. 3.

Etiam diuites licitè ejusmodi eleemosynas accipiunt. *Navar. Sotus. Henr. Suarez.*

Nec hîc facienda est distinctio inter eos qui diuites sunt ex patrimonio, vel Beneficiis Ecclesiasticis. quia hæc eos nullo modo obligant, vt magis gratuitò aliis spiritualia administrent, quàm alios, nisi sint instituta cum obligatione hæc administrandi sine vllo nouo stipendio.

199 CONCLVS. III. Parochi ratione Beneficij parochialis præcisè non tenentur vlla ordinaria Sacra pro suis parochianis celebrare. Ita Suarez disp. 86. sect. 1. Probatur, quia dantur illis decimæ propriè vt suis Sacramenta ministrent, concionentur, ac diuina officia debito tempore celebrent: non autem vt prò his vel illis orent, aut Sacra faciant.

Ad quid Parochi tenentur.

Dixi, non teneri ratione Beneficij, siue stipendiorum quæ accipiunt. Quia videntur ratione officij sui saltem ex caritate teneri aliquando pro suis subditis orare, quod conuenit saltem per oblationem sacrificij fieri. Sed quanta hæc obligatio sit, & quòties obliget, non ita facilè potest definiri, sed ex circumstantiis prudentis iudicio æstimandum est. Item si fortè aliqua singularia stipendia recipiant pro certis Sacris faciendis, v.c. anniuersariis prò defunctis aut in die sepulturæ eorum secundùm consuetudinem, tenentur ea per se vel alium facere.

Ad quid Canonici obligentur.

Idem dicendum de canonicatibus & similibus officiis, quæ ordinariè instituuntur vt certa Officia in Ecclesiis celebrentur, non tamen vt certa Sacra pro aliquibus celebrentur, præsertim à singulis: quamuis sæpe ipsum corpus siue communitas teneatur curare vt certa Sacra pro fundatoribus celebrentur. Si quæ autem ad hunc finem instituta sunt, vt fit sæpe in capellaniis; qui ea obtinent, debent ea secundùm rationem quam constitutio exigit celebrare; vt per se patet, quia ad id stipendia accipiunt. Sed hæc spectant potiùs ad materiam de iustitia, quàm ad hunc locum, quare hæc breuiter dixisse sufficiat, si quis plura velit, videat Suarez hic disp. 86.

Suarez.

ARTICVLVS II.

Vtrum conuenienter sit determinatum tempus celebrationis?

ARTICVLO II. Docet Primò, licere quotidie hoc sacrificium offerre, excepta feria sexta hebdomadis maioris. 200

Docet Secundò, non licere vni sacerdoti plusquam semel vno die celebrare, excepto Natali Domini, & quibusdam casibus, in quibus necessitas contrarium exigit. Patet ex c. *Sufficit.* de consecrat. d.1.

Docet Tertiò, conuenientem horam celebrandi esse ab initio auroræ vsque ad horam nonam post ortum solis, quæ secundùm nostrum computum esset tertia post meridiem.

DVBIVM I.

Quoties teneantur sacerdotes celebrare?

PRæcipuè hîc est difficultas circa priuatos sacerdotes, qui nullum habent Beneficium quod eos ad celebrandum obliget. Duæ hîc sunt sententiæ planè extremæ.

Prima docet, ejusmodi sacerdores nullo modo, aut vt summum sub veniali teneri vnquam celebrare, modò semel in anno communicent, & diebus quibus id aliis præcipitur, Sacrum audiant. Ita Gabriel lect. 87. in can. lit. V. D. Bonauent. in 4.d.12.p.2.art.2.quæst.1. Halensis in 4.quæst.51. memb. 2. & alij. Ratio eorum est, quia id nullo iure præcipitur. Potestas enim celebrandi datur tanquam aliquod priuilegium, quo nemo tenetur vti. Et confirmatur, quia datur etiam sacerdotibus potestas audiendi confessiones; & tamen non peccant nunquam audiendo.

Gabriel. D. Bonau. Halensis.

Secunda sententia docet, eos saltem aliquoties in anno teneri sub peccato mortali celebrare, scilicet in præcipuis festis. Ita D. Thom. suprà quæst.82. art. 1. & in 4.d. 13. quæst. 1. art. 2. vbi dicit sacerdotem teneri illis diebus celebrare, nec licere ei abstinere. Et quamuis quidam ipsius discipuli velint eum loqui de obligatione solùm sub peccato veniali, quia non dicit eos

D. Thom.

teneri sub mortali; tamen cùm materia grauis sit, videtur loqui de obligatione sub peccato mortali. Idem tenent Siluester v. *Missa.* num. 7. Nauarrus cap. 25. num. 88. & alij. Probant Primò, quia cùm potestas detur in ordine ad actum, videtur esse grauis inordinatio accipere eam potestatem, & nunquam ea vti. Secundò, quia videtur esse contra caritatem & se & Ecclesiam tanto bono in perpetuum priuare. Sed respondent alij, hæc argumenta solùm probare esse peccatum veniale, quia non probant grauem obligationem.

Siluester. Nauarr.

202 Quinies Pastores teneantur celebrare.

CONCLVS. I. Omnes qui habent Beneficium pastorale aut simile, obligantur sub peccato mortali per se vel alios curare, vt in eorum parochia fiat illis diebus Sacrum, quibus subditi id tenentur audire. Quia ad hoc stipendia accipiunt, vt ita diuina officia celebrent, vt subditi possint commodè ea audire, ad quæ audienda ab Ecclesia obligantur. Vnde sequitur, quando sufficientes sunt sacerdotes in eadem Ecclesia, eos teneri plura Sacra diebus festis & Dominicis celebrare, quando id necesse est, vt omnes subditi possint audire Sacrum. Quia ob hunc ferè finem communiter parochiani plures sacerdotes alunt.

203 Quoties Canonici.

CONCLVS. II. In Ecclesiis collegiatis & alijs, vbi competens est numerus sacerdot , tenentur superiores procurare vt ad minimum singulis diebus vnum Sacrum celebretur. Patet ex c. *Cùm creatura.* de celebratione Missarum. vbi Pontifex præcipit in tales permittant sibi reperiri obrepere, *quo minùs & pro anniuersarijs defunctorum, & pro festo, vel feria secundùm temporum congruentiam Missarum solemnia celebrent.* Vbi expressè præcipitur fieri quotidie Missa: & patet ex consuetudine Ecclesiæ, & sensu fidelium, qui grauiter scandalizarentur si sine iusta causa Sacrum in iis Ecclesiis omitteretur. Quare censendum est iis cum tali obligatione stipendia dari.

204 *Victoria.*

Ex illo autem iure quidam colligunt in talibus Ecclesijs debere quotidie duo Sacra celebrari, vnum pro defunctis, & alterum de tempore. Notat autem Victoria n. 94. vt hoc sit probabile non debere intelligi, quòd quotidie debeat celebrari Sacrum, quod particulatim pro defunctis in Missali præscribitur (omnino enim absurdè hoc maioribus festis diceretur) sed de Sacro quod pro defunctis offertur, etsi dicatur de tempore.

Sed hæc sententia non habet vllum fundamentum, quia in illo capite non præcipitur, vt quotidie dicatur Sacrum pro defunctis, sed tantùm iubetur. Primò, vt talia Sacra dicantur quando occurrunt anniuersarij dies, quibus clerici recipiunt stipendia pro ijs dicendis. Secundò, vt propterea non omittatur Missa de tempore. Et confirmatur, quia cùm Pontifex ibi apertè distinguat Sacrum quod debet dici pro defunctis, ab eo quod dicitur de festo, aut feria occurrente, patet cum loqui de Sacro solito dici pro defunctis. Quare cùm indecens sit hoc Sacrum dici celebrioribus festis; certum est Pontificem ibi non præscribere vt quotidie dicatur Sacrum pro defunctis. Quod etiam probat ipsa praxis Ecclesiæ, quæ apertè est contraria.

205

Ex quibus patet, *non posse generaliter definiri* quot Sacra quotidie in eiusmodi Ecclesiis dicenda sint: sed hoc ex singularum fundatione, variisque circumstantiis, ac veteri consuetudine, (quæ, nisi videatur apertè iniqua, pro lege habenda est) definiendum est. Idemque dicendum de Ecclesiis parochialibus, vbi solùm vnus aut alter sacerdos est. Tenetur enim Pastor curare, vt tot per hebdomadam fiant Sacra, quot iam longa consuetudo & piæ fundationes (quarum stipendia vel ipse, vel sacellanus recipit) requirunt.

Hæc tamen intelligenda sunt, nisi alicubi tot essent Missarum fundationes, & ita tenues, vt commodè non posset omnibus satisfieri. Quo casu Trident. sess. 25. c. 4. de reformat. concedit Episcopis facultatem, vt in Synodo diœcesana; & Abbatibus ac Religionum Generalibus, vt in Capitulo generali, possint his aliquam moderationem adhibere, curando vnum Sacrum pro pluribus fundationibus dici, prout in conscientia iudicauerint ad Dei honorem magis expedire: ita tamen vt eorum omnium pro quibus fundationes factæ sunt, commemoratio fiat. Quod piè admodum statutum est, quia aliàs piæ fundationes peribant, cùm non essent qui pro tam paruo stipendio vellent subire onus illis plenè satisfaciendi.

Trident.

206 Quiuis sacerdos tenetur aliquando celebrare.

CONCLVSIO III. Probabilius est etiam sacerdotes qui nullum habent Beneficium, grauiter obligari vt aliquando celebrent.

Probatur, quia per ordinationem non solùm datur illis potestas, sed imponitur etiam officium celebrâdi, vt patet illo ad Hebr. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia,* &c. arqui omnis is qui aliquod officium sponte suscipit, tenetur ei satisfacere, idque sub peccato mortali, quando materia grauis est: ergo cùm officium celebrandi sacerdoti impositum sit materia grauis, grauiter peccat si non satisfaciat. Confirmatur Primò, quia hic etiam videtur communis sensus fidelium. Nam communiter grauiter offenduntur, si quem sacerdotem videant omnino à celebratione abstinere, & habent eum pro homine aut perditæ conscientiæ, aut malæ vitæ, aut qui parum religionem & pietatem curat. Nec enim communiter potest occurrere alia causa perpetuò à sacrificio abstinendi. Confirmatur Secundò, ex illis verbis Christi Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* quibus apertè (vt testatur Tridentin. sess. 22. cap. 1.) præcepit Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, vt hoc sacrificium offerrent. Vbi cùm dicit, *eorumque in sacerdotio successoribus*, videtur generatim intelligere omnibus sacerdotibus ibi datum esse præceptum sacrificandi, quia omnes omnino succedunt Apostolis in sacerdotio.

Hebr. 5.

Luc. 22. Trident.

207 Idque aliquoties per annum.

Quoties autem tales sacerdotes teneantur celebrare, vt peccatum mortale euitent, non ita facile est definire. Communior videtur eorum sententia, qui asserunt eos teneri saltem aliquoties per annum celebrare. Alij volunt, hoc non *posse* definiri ex aliquibus circumstantiis intrinsecis sed extrinsecis, v. c. ex ratione scandali aliorum, aut necessitate speciali ipsius sacerdotis, qui pro salute animæ indiget frequentiore celebratione. Sed credo probabilius esse, sacerdotem ratione officij sui teneri aliquoties per annum circa maiora festa celebrare. Per se enim videtur valdè indecens, & coniunctum cum quodam tanti muneris contemptu, si ad id à Deo vocatus, non dignetur eo aliquoties saltem per annum fungi, atque ita hunc cultum singulariter Deo debitum ei subtrahat.

DVBIVM II.

An cuiuis sacerdoti liceat quotidie celebrare?

208 *Lutherani.*

LVtherani volunt omnes Missas priuatas esse illicitas: nec aliàs Missam celebrari posse, quàm quando populus ad communicandum conuenit. Ratio eorum est, quia putant eam non esse verum sacrificium, sed tantùm institutam ad conficiendum Sacramentũ in vsum populi. Vnde inferunt, frustra celebrari, quãdo populus non communicat. Sed hoc fundamentum satis refutaui a. 1. dub. 3. vbi ostẽdi Missam esse verum sacrificium in Dei cultum & remissionem peccatorum institutum. Quare tota eorum sententia corruit, quæ apertè etiam cum tota antiquitate pugnat. Nã in vita S. Andreæ legitur, quòd quotidie agnum immaculatum

tum Deo in hoc sacrificio immolarit. Idem narrat D. Gregorius homil. 37. in Euangel. de B. Cassio Narniensi Episcopo. Vnde etiam D. Augustin. epistola 23. *Nonne* ait, *semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in Sacramento non solùm per omnes paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur?*

D. Greg.
D. Augustin.

209 His igitur omissis inter Catholicos certum est Primò, vt quis licitè celebret requiri Primò, vt nulla censura sit prohibitus. Secundò, vt conscius sibi peccati mortalis priùs confiteatur si fieri possit, iuxta dicta q. 80. art. 4. aut, si fieri nequeat, vt saltem priùs conteratur, quia nemo potest hoc Sacramentum conficere, aut sumere nisi iustus.

Secundò, certum est eiusmodi impedimentis cessantibus licere cuiuis sacerdoti quotidie celebrare, saltem exceptis tribus vltimis diebus hebdomadæ sanctæ.

Tertiò, certum est nulli licere celebrare Sacrum feria sexta hebdomadæ sanctæ. Patet ex can. *Sabbato*, de consecrat. d. 3. & communi DD. consensu; & Ecclesiæ praxi.

Quartò, certum est feria quinta & sabbato eiusdem hebdomadæ licitè iam in singulis Ecclesiis celebrari vnum Sacrum solemne. Patet ex consuetudine totius Ecclesiæ, qua ex parte abrogatus est can. *Sabbato*, citatus.

210 Dubium igitur est, Vtrùm illis duobus diebus liceat etiam priuatim plura Sacra celebrare?

Marcellus. Franc.

Prima sententia id absolutè negat. Ita Marcellus Franc. in libro de Horis canonicis, ca. 30. Nititur præcipuè, quia communiter non solet illis diebus nisi vnum Sacrum in singulis Ecclesiis celebrari. Sed quod ad feriam quintam attinet, communiter alij DD. ei contradicunt, quia nullo iure prohibemur hoc die priuatim, & plura in eadem Ecclesia Sacra celebrare: nec vlla est generalis in Ecclesia consuetudo contraria. Nam plurimi illo die priuatim vbique celebrant. Quòd autem non ita multi tunc soleant celebrare; magis ortum est ex eo, quòd aut sacerdotes tunc nimiùm aliis rebus occupentur: aut quia multi causa maioris deuotionis, & solemnitatis summi Sacri volunt in eo ad imitationem Apostolorum de manu celebrantis communionem sumere, sicut Apostoli eo die eam sumpserunt de manu Christi.

211 Secunda sententia docet, saltem in sabbatho illicitum esse priuatim celebrare. Ita Nauar. c. 25. num. 88. Prob. Primò, quia can. *Sabbato*, citato dicitur ex antiqua consuetudine non licere eo die celebrare: atqui hoc ius non est contraria consuetudine reuocatum nisi quoad Missam solemnem: ergo quoad alias Missas adhuc obligat. Secundò, quia pro priuatis Missis nullus habetur introitus: ergo signum est eas non posse celebrari. Soto tamen in 4. d. 13. q. 2. art. 2. §. *Hic primum*, docet saltem ex facultate Episcopi licere eo die priuatim celebrare. Vbi dum dicit *saltem ex facultate Episcopi*; insinuat probabile esse etiam sine ea licere: & absolutè docet Maior d. 12. qu. 2. §. vlt. Quare multi recentiores id docent. Et probatur Primò, quia nulla extat prohibitio nisi in can. *Sabbato*: atqui quoad hoc ille canon est omnino abrogatus. quia tota ratio illius vniuersim esse desiit. Ratio enim cur olim in Ecclesia non celebrabatur, erat: quia toto illo die vsque ad noctem Ecclesia protrahebat ieiunium, & lugebat mortem Christi, ideoque quasi haberet realem mortem Christi præsentem, non minùs quàm feria sexta etiam illo die vsque ad noctem omni sacrificio, quo Christus mysticè immolatur, abstinebat: & primum nocte incipiebat sacrificium, quo Christi resurrectio celebrabatur. Iam verò tota hæc ratio mutata est. Nam Ecclesia ipso sabbato ante meridiem incipit celebrare resurrectionem. Sicut igitur olim licebat priuatim incipere celebrare ab eo tempore, quo Ecclesia incipiat celebrare resurrectionem Christi: ita etiam modò licebit: Quia tota ratio illius prohibitionis ex tunc incipit cessare. Confirm. quia videmus ferè vbique in maioribus Ecclesiis aliquos priuatim manè celebrare, idque videntibus nec contradicentibus Prælatis Ecclesiæ. Quare videtur contraria consuetudo penitus abrogata.

Nauar.
Soto.
Blasius.
Licitè iam celebrabatur Sabbatho ante pascha.

Missæ tamen solemniores plures in eadem Ecclesia eo die non sunt celebrandæ. Quia generalis consuetudo habet, vt vnica in singulis Ecclesiis celebretur. Imò etiam in Missis non solemnibus cauendum ne plures publicè celebrentur: quia hoc aliquo modo interturbaret illius diei solemnitatem & cæremonias, quibus Christi passio & sepultura adhuc magna ex parte repræsentantur.

DVBIVM III.

Vtrùm liceat eidem sacerdoti sæpiùs eodem die celebrare?

212 HAc in re constat inter omnes, ordinariè hoc non licere. Patet ex c. *Sufficit*, de consecrat. d. 2. vbi dicitur: *Sufficit sacerdoti vnam Missam in die celebrare.* Et infrà additur: *Quidam tamen pro defunctis vnam faciunt, & alteram de die si necesse fuerit, Qui verò pro pecuniis aut adulationibus sæcularium vna die præsumit plures facere Missas, non existimo euadere damnationem.*

Peccat mortaliter, qui sæpiùs eodem die celebrat.

Ex quibus constat Primò, esse peccatum mortale bis in vno die celebrare sine necessitate. Secundò, id tamen licere quando necessitas id postulat. Quare DD. plures casus adferunt, quibus aiunt id licere. Nauar. c. 25. n. 87. numerat septem. Et similiter ferè Soto in 4. d. 13. q. 2. art. 2. Siluester verò v. *Missa*, 1. nu. 7. ex diuersis numerat vndecim casus, quos videtur omnes approbare. Et eosdem numerat Victoria de Eucharistia q. 95. quos tamen non omnes probat: & quidam casus bis repetuntur. Breuiter igitur decem diuersos casus hîc enumerabimus, & quid videatur de singulis explicabimus.

Nauarr. Soto. Siluester.
Victoria.

213 Primus casus est in Natali Domini: in quo, vt patet ex consuetudine Ecclesiæ, secundùm omnes DD. licet ter celebrare.

Excipitur aliqui casus.

Secundus casus est, quando dicta iam Missa superuenit Episcopus, aut aliquis Princeps, qui cuperet audire Sacrum; etsi dies festus non sit.

Tertius, si die festo dicto Sacro superuenirent multi peregrini, qui aliàs Sacrum audire non possent.

Quartus, quando dicta Missa occurrit mortuus sepeliendus in locis vbi est consuetudo eos cum Missa sepelire.

Quintus, quando aliàs nuptiæ deberent benedici sine Sacro.

Sextus, quando aliàs ægrotus deberet decedere sine viatico.

Septimus, quando quis præest duabus Ecclesiis, & alterutra necessariò die festo deberet carere Sacro nisi ipsi bis celebret.

Octauus, quando eodem die occurrunt duæ Missæ celebrandæ, vna de festo, altera de ieiunio: aut altera pro defunctis, altera de tempore, & non est nisi vnus sacerdos.

Nonus, quando alia aliqua necessitas occurrit iudicio boni viri sufficiens. Alij duo casus qui ab illis numerantur, coincidunt cum prioribus.

Decimum his adiungit Durandus l. 2. de ritibus Ecclesiasticis ca. 7. scilicet, quando in dedicatione Basilicæ tantus confluerent populus vt simul omnes in ea Missam audire non possent. Tunc enim si vnicus esset sacerdos, posset sæpiùs celebrare, vt omnes Sacrum audire possent. Et hic casus colligitur aperte ex D. Leone epistola 81. c. 2.

Durand.
D. Leo.

Addit Victoria ex Paludano, nullo casu, excepto

Primo, licere eidem sæpiùs quâ bis celebrare vno die, cuius rei nullam reddit rationē. Quare Suar. disp. 80. sect. 3. putat necessitatem quæ sufficit vt duo Sacra dicantur, posse sufficere pro tertio, si æqualiter pro hoc vrgeat. *Suarez.*

214 Pro resolutione horum casuum, ex communi Doctorum sententia notandum, in omnibus illis, vt quis secundum Sacrum licitè dicat, eum debere esse ieiunum: & consequenter in priore non sumpsisse ablutionem. Hinc quidam inferunt, secundum, tertium, quartum, quintum & sextum casum non posse habere locum. Quia vel hic casus erit notus sacerdoti antequam dicat Sacrum; & sic non erit opus dicere secundum Sacrum, sed primùm differendum erit: vel primum erit notus post dictum Sacrum; & tunc erit seriùs, quia sacerdos sumpserit ablutionem. Sed hoc non satisfacit, quia fieri poterit vt sacerdos ob aliam causam nullo modo possit differre primum Sacrum: aut vt ille casus primùm illi innotescat facta iā cōsecratione.

Alia tamen ratione aliqui ex his casibus videntur reiiciendi, quia illæ cautæ non videntur sufficientes, vt quis duo Sacra celebret. Ad hoc enim Iura requirunt necessitatem, vt patet ex eorum verbis: atqui cùm exiguum aut etiam nullum sit incommodum, Episcopum, aut aliquam personam similem non audire Sacrum, præsertim die non festo, imò etiam die festo, quando nullus est, qui possit illud seruare communi lege Ecclesiæ celebrare; nulla videtur ratio, cur contra communem Ecclesiæ consuetudinem sacerdos tunc debeat secundò celebrare. Idemque dicendum de quarto & quinto casu quia aliquem debere sine Sacro quod eodem die fiat, sepeliri, nullius momenti incommodum est: cùm sæpe videamus sepulturam fieri post prandium. Adde, numquam ita subitò nuptias contrahi, quin pastor antè necessariò moneatur.

215 In tertio casu, quando esset exigua peregrinorum multitudo, non videretur vlla eorum habenda ratio. Nec enim tam est incommodum paucos aliquos non audire Sacrum etiam die festo, quàm sit violare generalem Ecclesiæ consuetudinem de non celebrando secundò. Secùs fortè esset, si esset ingens multitudo quæ deberet carere Sacro. Tunc enim esset eadem ratio huius casus & decimi.

Necessitas autem sexti casus videtur esse satis grauis. Durum enim est morientem sine sua culpa priuare viatico, præsertim cùm ex præcepto diuino teneatur tunc communicare. Quare videtur maius incommodum ipsum sine viatico decedere, quàm sacerdotem secundò celebrare: præsertim cùm hoc non ita repugnet Ecclesiæ legibus, quim sæpe permittatur.

Septimus casus ab omnibus admittitur.

216 Octauus autem, etsi ei videatur c. *Sufficit*, fauere, tamen repugnat absolutè modernæ Ecclesiæ consuetudini, nec videtur habere vllam necessitatem. Nam vel erit dies festus valdè celebris; & tunc nullo modo conuenit celebrari Sacrum de *Requiem*, quare in diem sequentem erit differendū: vel erit dies non ita celebris, & tunc nullum est incommodum non celebrari Sacrū de tempore, præsertim in rāta inopia sacerdotū. Quare aut alius debuit fuisse illius capitis casus, quā verbis exprimatur (quod videntur innuere illa verba *si necesse fuerit*) vel (quod etiam asserit Victoria suprà) debuit olim fuisse facilior & frequentior permissio sæpiùs diem celebrandi, quá modò sit; quia ex omnibus dictis casibus solus septimus modò est in vsu. Quare Vtrùm decimus iam admitteretur videtur quis meritò posse dubitare. Quod enim multi nō audiant Sacrum, videtur minoris momenti, quàm sit violatio illius consuetudinis, quæ iam tam strictè obseruatur. Nā in multis pagis satis frequenter singulis diebus Dominicis & festis contingit, vt multi nequeant audire Sacrū, eò quòd vnica dicatur Missa, cui omnes interesse nō possunt: & tamen Prælati hoc malunt permittere, quā concedere vt Pastores bis eodem die celebrent. Tamen propter D. Leonis auctoritatem id absolutè concedentis, & ingentem populi concurrentis deuotionem, ac similium dictum celebritatem putarem eo casu etiam modò licere secundò celebrare, quia illa lex non potest verè dici contraria consuetudine abrogata, cùm casus ille rarissimè occurrat. Nam in eiusmodi solemnitatibus communiter est abundantia sacerdotum. *Victoriæ. Iam difficilius permittitur sæpiùs celebrare quàm olim.* *D. Leo.*

Adde, in secundo, quarto & quinto casu posse quandoque ratione circumstantiarum sufficientem esse necessitatem sæpiùs celebrandi: vt quando aliàs timeretur graue scandalum, aut populi perturbatio, quæ aliter euitari non possent.

DVBIVM IV.

Qua hora diei liceat celebrare?

CONCLVS. I. Licet celebrare ab initio auroræ vsque ad meridiem. Ita communiter DD. Inter illud autem tempus pro Missis priuatis quæuis hora est æquè apta: pro solemnibus verò seruandum est tempus quoniā loco consuetudine præscriptum. 217

Initium ergo diei quo Missæ possunt incipi, est initiū auroræ, aut circa illud, idest, sesqui hora aut circiter ante ortū solis. Nec enim hæc res omnino mathematicè potest definiri, vt bene notat Suarez disp. 80. sect. 4. *Suarez.*

Ante illud tempus secundùm communem DD. sententiam non licet celebrare sine priuilegio. Aiunt tamen communiter Episcopum posse hac in re tam secum quàm cum aliis ex iusta causa dispensare. Id est etiam ex consuetudine præscribi licentia illud tempus præueniendi, præsertim quando illa nititur rationabili fundamento. Insinuat hoc Victoria de Eucharistia n. 97. vbi dicit non esse initiū auroræ ita punctualiter seruandum, sed consuetudinem esse seruandam. *Non licet celebrare ante auroram, nisi priuilegiū aut consuetudo aliud obtineat. Victoria.*

Nauarr. autem c. 25. n. 85. testatur, in multis Galliæ partibus, vt famuli & operarij possent manè audire Sacrum, consuetudinem esse introductam, vt hyeme diu ante auroram celebrentur Sacra; quam etiam consuetudinem videmus hic in Belgio vigere. Et sanè illis locis vbi hyeme tam serò sol oritur, necessarium est vt Sacra possint dici ante auroram alioqui vix vlli famuli aut famulæ possent vnquam Sacrum audire. *Nauarr.* *Consuetudo Belgij.*

Ab hac regula excipitur dies Natalis Domini, in qua licet Noctu Sacrum dicere, vt patet ex. *Nocte sancta*, de consec. d. 1. Multi autem Doctores putant solùm licere vnum Sacrum tunc dicere ante auroram. Sed melius alij absolutè concedunt, eundem sacerdotem posse etiam tria ante auroram dicere. Ita cum alijs Suarez disp. 80. sect. 4. Et colligitur apertè ex dicto cap. *Nocte sancta*. Quia ibi absolutè conceditur vt nocte Natiuitatis Missæ celebrentur sine vlla restrictione: & consuetudo id etiam multis locis obtinuit. 218 *Suarez.*

Similiter non licet diu post meridiem Sacrum celebrare, sed ordinariè nitendum est vt Sacrum vltimum saltem circa meridiem incipiatur. Nauar. tamen c. 25. n. 85. putat vsque ad horam tertiam post meridiem posse Sacrum celebrari, quia olim hoc licuit: vt patet ex D. Thoma hic, & cap. *Solent*, de consecrat. d. 1. Nec iam per vllum ius reuocatum est. Vnde ipse dicit se, dum diebus festis iter ageret, sæpe post meridiem Sacrum fecisse. Sed consuetudo iam planè contrarium obtinuit, quam DD. communiter dicunt seruandam: saltem ne quis diu post horam duodecimam siue meridiem Sacrum inchoet. Ex iusta occasione tamen licet paulò pòst inchoare. 219 *An post meridiem liceat celebrare. Nauarr.* *D. Thom.*

Nota demum, plures Canonistas dicere esse peccatū mortale facere Sacrum ante dictū Matutinum: sed sine fundamēto, quia inter Horas & Sacrū nulla est connexio. Nec refert quòd rubricæ dicant Sacrum esse celebrandum post dictas Matutinas, quia aut loquuntur 220 *Canonistæ. Licitè celebras ante lectū Matutinum.*

de

de officio publico, in quo consuetudo Ecclesiæ seruanda est: aut tantùm ostendunt quid fieri deceat, quia nullum verbum præceptiuum cõtinent. Nec est dubitandum, quin, quando commodè fieri potest, omnino conueniat Horas Matutinas & Laudes præmitteret quia secundùm consuetudinem Ecclesiæ illæ preces deberent quasi noctu dici, & antequam tempus dicendi Sacrum aduenerit, & ideo etiam est introducta cõsuetudo, vt communiter etiam priuatim illæ preces præmittantur Sacro. Quando tamen adesset rationabilis aliqua causa, nullum esset peccatum hunc ordinem inuertere, vt benè docet Soto in 4. d. 13. q. 9. art. 2. in fine. Et cum aliis multis P. Leonardus de Iustitia, c. 37. dub. 12. n. 81. & Suarez hic disp. 82. sect. 1.

Soto. *P. Leonard.* *Suarez.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm oporteat hoc sacrificium celebrare in domibus, & vasis sacris?

221 *D. Thom.* HOc artic. D. Th. explicat qualis locus huic sacrificio perficiendo necessarius sit, qui triplex dici potest. Primus omnino communis, scilicet ædes in qua offertur. Secundus proprius, scilicet ipsum altare. Tertius maximè proprius & omnino proximus, scilicet ipsa vasa & lintea quibus corpus & sanguis Christi excipiuntur.

Docet igitur Primò, hoc sacrificium debere fieri in templis consecratis aut benedictis, aut oratoriis iussu Episcopi ad hoc destinatis, nisi necessitas aliter facere cogat, aut priuilegium concedat.

Docet Secundò, hoc sacrificium debere celebrari super altari lapideo, ab Episcopo consecrato.

Docet Tertiò, ad hoc sacrificium necessariò requiri vasa ac vestes sacras.

DVBIVM I.

Qua ratione ad hoc sacrificium requiratur locus sacer?

222 CONCL. I. De iure communi, vt hoc sacrificium legitimè offeratur, debet fieri in templo ab Episcopo cõsecrato aut benedicto, aut saltem in oratorio per Episcopum ad hoc designato.

Ita communiter DD. Et patet ex c. *Nullus*, de consec. dist. 1. Vbi dicitur: *Nullus presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in consecratis ab Episcopo locis, qui sui participes de cætero voluerit esse sacerdotij.* Et c. *sicut*, ibidẽ. vbi dicitur: *Non in aliis locis quàm in Domino consecratis, ideſt, in tabernaculis diuinis precibus à Pontificibus delibutis Missas cantare, aut sacrificia offerre licet, nisi coëgerit necessitas.*

Ex his patet Primò, iure antiquo ad licitè sacrificandum non sufficisse locum fuisse ab Episcopo benedictum, sed debuisse esse consecratum, vt patet ex illis verbis: *diuinis precibus à Pontificibus delibutis.* Quibus significatur vnctio chrismatis, quæ in sola cõsecratione adhibetur. Vsus iam tamen obtinuit, vt sufficiat locum esse benedictum: imò vt sit particulatim per Episcopum ad diuinum cultum & sacrificium offerendum designatus. Patet ex praxi Ecclesiæ, & Trident. sess. 22. infrà citando.

Trident.

223 Est peccatũ mortale loco prohibito celebrare. *Soto.* *Silueſter.* Patet Secúdò, sine iusta ratione extra eiusmodi loca celebrare esse graue peccatum. Tum quia materia grauis est; tum etiam quia c. *Nullus*, citato, hoc vetatur sub periculo amissionis status: quæ pœna adeò grauis præsupponit grauem culpam. Quare nullo modo audiendus est Soto in 4. d. 13. q. 2. ar. 3. vbi contrarium docet.

Addit Silueſter v. *Missa* 1. n. 5. §. *Quintum, quicunque*, iis qui illegitimè celebrant loco non sacro, de facto interdici ingressum Ecclesiæ per c. *Episcoporum*, de priuilegiis, in 6. Sed illa pœna ibi tantũ imponitur iis, qui sine priuilegio celebrant, aut celebrare faciunt in loco interdicto. Quare verius est de facto nullam cẽsuram per eiusmodi factum incurri, quia nulla est iure expressa.

Ab hac lege excipitur Primò casus necessitatis, vt patet ex c. *Sicut* citato, qualis à Doctoribus communiter admittitur.

Primò, quando aliqui dum peregrinantur, aut ex simili occasione, diu aliàs deberẽt Sacro carere, eò quòd nulla reperiant loca sacra, in quibus possent celebrare. Nec his obstat quòd cap. vltim. de priuilegiis, in 6. concedatur Episcopo singularis facultas vt inter itinerandum possit in locis priuatis celebrare: *quia hoc* intelligitur etiam de casu in quo non est necessitas, sed tantùm maior commoditas ita celebrandi. 224

Secundus casus est, quãdo alicubi Ecclesiæ sunt diruræ. Ita habetur cap. *Concedimus* de consecrat. d. 1. Vnde colligitur Tertius casus, scilicet idem dicendum, quando aliàs multi præsertim die festo non possent audire Sacrum. Vt quãdo ad paruum oratorium multi peregrini simul concurrunt, quorum magna pars in ipso loco sacro non posset audire Missam. Tunc enim ne multi cogantur non audire Sacrum, potest extra Ecclesiam loco patenti aptè ad hoc compositio dici. Eademq; necessitas communiter accidit in castris. Quãdo tamen eiusmodi necessitas potest præuideri (vt communiter fit in vltimo casu) primùm petenda est facultas ab Episcopo. Quia quando hoc fieri potest, tunc nulla est necessitas ita celebrandi sine licentia. Nota in his omnibus casibus necessarium esse altare consecratum portatile. Vide Sotum in 4. d. 13. q. 2. art. 3. §. *Ait verò S. Thom.* Silueſt. v. *Missa*, 1. qu. 5. §. *Secundum extra.* Nauarrum c. 25. n. 82. *Soto.* *Silueſt.* *Nauarrus.*

225 Secunda exceptio datur ex priuilegio vel licentia Episcoporum.

Vbi Nota Primò, Episcopos olim potuisse permittere alicui vt celebraret quocumque loco honesto in altari portatili, vt patet ex c. *Missarum*, &c. *Hic ergo*, de consecratione, d. 1. Hæc tamen facultas iam restricta est per Trid. sess. 22. post canones. Vbi præcipit Episcopis *ne patiantur priuatis in domibus, aut omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantùm cultum dicata oratoria ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium à sæcularibus, aut regularibus quibuscumque peragi.* Vbi auferrur Episcopis potestas liberè ita concedendi alicui potestatem celebrandi in loco etiam honesto, qui non sit soli diuino cultui destinatus. Non tamen videtur iis ablata potestas, vbi aliqua necessitas occurrit, quæ per se non sufficeret, dispensandi cum aliquo, vt aliquoties posset in loco profanis vsibus destinato celebrare. Ita Suarez disp. 82. sect. 3. Et vsus hoc confirmat. *Trident.* Quid possint Episcopi in hac re concedere. *Suarez.*

226 Nota Secundò, Episcopos etiam modò posse alicui concedere vt habeat domi locum honestum, qui per modum sacelli soli diuino cultui seruiat, in quo super altari portatili celebretur. Talem enim locum Trident. loco citato per oratorium intelligit, vt ex vsu patet. *Trident.*

Nota Tertiò, priuilegia quæ olim habebant Mendicantes celebrandi super altari portatili, extra loca diuino cultui speciatim deputata, videri per dictum Tridentini locum reuocata: sed plurimis rursum per Pontificem concessa sunt. Priuilegia Mendicantium.

Nota Quartò, per nullum inferiorem Papa ob quamcumque necessitatem posse alicui concedi facultatem celebrandi in naui existente in mari, aut flumine: nec per concessa hactenus priuilegia hoc vlli licet, ob periculum effusionis sanguinis, ratione agitationis ipsius nauis. Non licet celebrare in naui.

227 CONCL. II. Vt licitè quis in Ecclesia consecrata aut benedicta celebret, requiritur vt non sit polluta. Ita communiter omnes Doctores.

Et ratio est, quia Ecclesiam esse pollutam nihil est aliud, quàm ob aliquam rem eius sanctitate indignam in ea commissam prohibitum esse ibi diuina officia celebrari. Cùm ergo materia huius præcepti sit grauis, secundùm omnes est peccatum mortale in tali loco celebrare.

Ecclesia quinque modis polluitur.

Nota, Ecclesiam consecratam aut benedictam quinquemodis posse pollui.

Primus est, quando in ea humanus sanguis iniuriosè effunditur: Patet ex c. *si in Ecclesia*, de consec. Ecclesiarū: Vbi Nota Primò, sanguinē debere elici in notabili copia, vt DD. colligunt ex verbo *effundi*, quod copiam significat. Quare nō sufficeret duas vel tres guttas elici.

Quando etiam sanguinis Ecclesiam polluat.

Nota Secundò, Ecclesiam non tam pollui per ipsum contactū sanguinis decidentis in pauimentū (vt aliqui putant) quàm per actionem iniuriosam, qua effusio causatur. Vnde si in Ecclesia læsus egrediatur antequā sanguis effluat, illa nihilominùs polluetur: cōtrà verò si læsus extra Ecclesiā, eam ingrediatur, ibique sanguinem emittat, non polluetur. Quare non refert vbi sanguis effluat, sed solùm spectandū est vtrùm læsio in Ecclesia fiat. Nec sufficeret eā fieri supra rectum Ecclesiæ, aut in turri, aut in spelunca sub Ecclesia, vt notat Natar. c. 27. n. 256. Similiter nihil refert, vtrùm is qui infert vulnus sit in Ecclesia, siue extra eam. Nam si læsus dum vulnus accipit sit intra Ecclesiam, hæc polluetur: si sit extra Ecclesiam non polluetur, siue læsor sit intra eam, siue non. Ita Siluester v. *Consecratio*, 2. n. 5.

Natar.

Siluest. 228

Nota Tertiò, hanc læsionem debere esse iniuriosam, vel saltem continere in se peccatum mortale, etsi propriè iniuriosa non sit: qualis esset illa, qua quis alium consentiētem, aut etiam seipsum grauiter læderet, ita vt mortaliter peccaret: quæ actio propriè iniuriosa nō esset; sufficeret tamen ad Ecclesiæ violationem. Secùs esset de læsione quæ fit casu, aut inuoluntariè, aut alia ratione excusat à peccato mortali: vt si fiat ab amente, aut ob necessariam sui defensionem: aut quando parui pueri ex subita rixa excutiūt sibi cruorem ex naribus, quia iniuria parua est. Vide Natar. c. 27. n. 256. & Siluestrum suprà. Imò Victoria de Eucharistia n. 99. absolutè negat, per similem percussionem Ecclesiam pollui, quia non est grauis læsio. Sed si deliberatè inter maiores fiat, non ausim hoc certò asserere.

Natar. Siluest. Victoria.

Violaretur autem etiam per effusionem sanguinis, si reus iussu iudicis in Ecclesia vulneraretur. Quia ea actio esset iniuriosa saltem ipsi Ecclesiæ, imò etiā reo: quia etsi iudex habeat ius eum mutilandi, non tamen vt eum in Ecclesia mutilet. Non sufficit autem ad hūc effectum aliquem grauiter in Ecclesia lædi, modò neque sanguis effundatur, neque mors sequatur.

229 Secundus modus est, quādo aliquis iniuriosè in Ecclesia occiditur, etiā sine sanguinis effusione, v. c. si suspendio necetur. Patet ex c. *Proposuisti*, de cōsec. Ecclesiarum. In quo casu ea notanda sunt, quæ in præcedenti. Non sufficit autem aliquem sufficienter esse læsum, ita vt mors debeat naturaliter sequi, nisi de facto sequatur. Quare nisi sāguis fuerit effusus, nō cēsetur Ecclesia polluta, donec mors secuta fuerit; ea tamen secuta etiam *post* aliquot mēses statim censebitur polluta.

Quādo per effusionem seminis polluatur.

Tertiò, polluitur per effusionem illicitā humani seminis in ea voluntariè factam. Patet ex c. *Si Ecclesia*, de consec. Ecclesiarum. Notāt autem Doctores ex verbo *effusio*, debere esse copiosam, nec sufficere emissionem vnius aut alterius guttæ. Nihil autē refert, vtrùm hoc vel illo actu turpi fiat, modò illicita ac voluntaria sit.

230 Notant Secundò, tam hoc quàm præcedentibus casibus debere de iis publicè constare vel euidētia facti, vel confessione eius qui fecit, aut simili ratione. Quare quàm diu res manet ita occulta, vt nō nisi pauci aliqui eam sciant, Ecclesia non est pollura. Polluetur autem si postea res ex eorū propalatione fiat publica. Ita Natar. c. 27. n. 256. Soto in 3. d. 13. q. 2. art. 3. & Ratio est Primò, quia; cùm reuerētia eiusmodi locis debita consistat in opinione hominum; non potest per eiusmodi actus tolli, nisi hominibus innotescant: sicut homines non fiunt de facto per crimina infames, nisi innotescant. Secundò, quia sicut ob occulta crimina non potest iniungi publica pœnitētia, ne auctor iniuriosè diffametur: ita nec Ecclesia ob similia potest pollui, quia eadem diffamatio sequeretur. Tertiò, quia aliàs res esset insolerabilis. Ponamus enim solum Parochū scire eiusmodi factum, hærebit perplexus: quia nec poterit sine turbatione omnino à celebrando in ea Ecclesia abstinere: nec poterit curare vt reconcilietur, quia non poterit probare factum, si rei negent (qui hoc non tenentur fateri, quamdiu non est plenè probatum.) nec etiam liberè in ea poterit sicut anteà celebrare: quia semper dubitabit an hīc & nunc sit sufficiens necessitas celebrandi in Ecclesia pollura.

Natar. Soto.

Natar.

Natar. Siluest. Victoria.

Natar. Siluest. Paludan.

Natar. Soto.

Dubium autem est inter DD. Vtrùm polluatur per actum coniungalem inter cōiuges habitum? Nauar. c. 27. n. 257. cum quibusdam aliis id absolutè affirmat. Alij contrà id absolutè negant, ita glossa in cap. *Ecclesiæ*, de consec. d. 1. & Soto in 4. d. 13. q. 2. a. 3. §. *Imò vt licet* dubitanter. Ait enim, *Forsan per illum cōcubitum non violatur*, (scilicet Ecclesia) *quia pœnæ restringendæ sunt.* 231 Quādo per actum cōiugalē polluatur.

Tertia sententia tenet eam pollui quando coniuges sine necessitate in ea vtuntur coniugio, quia talis actus est iniuriosus loco sacro, & sacrilegus: secùs quando est grauis aliqua necessitas: vt si ratione obsidionis, aut ob similem causam coniuges debeant diu intra Ecclesiam manere, ita vt nec diu, nec noctu possint egredi. Tunc enim videtur nimis graue & periculosum ob humanam fragilitatem eos cogere perpetuò toro illo tempore coniugij vsu abstinere. Quare ille actus tunc non videtur illicitus, aut iniuriosus Ecclesiæ, quia necessitas irreuerentiam excusat, & consequenter Ecclesia per eum non polluitur. Ita cum multis aliis P. Leonard. l. 4. de Iustitia siue temperantia, cap. 3. dub. 12. Et hæc sententia videtur probabilior.

P. Leonard.

Quartò, polluitur, quando in ea sepelitur aliquis excommunicatus, ita communiter DD. colligunt ex cap. *Consuluisti*, de consec. Eccles. Vbi dicitur per eiusmodi sepulturam pollui cœmeterium; quod multò potiori ratione debet intelligi de Ecclesia. Intelligit autem hoc Victoria v. *Eucharistia*, n. 99. de nominatim excommunicato, aut denuntiato: adde, aut publico Clerici percussore. Ratio est, quia post Concilium Constantiense hi soli etiam in sacris vitandi sunt: vt dicemus in materia de excommunicatione. 232 Quādo per sepulturam excommunicati.

Victoria.

Constant.

Ex hoc autem casu multi inferunt, Ecclesiam pollui, si cōsecretur ab Episcopo excommunicato, ita Siluest. v. *Consecratio*, 2. q. 5. §. *Quintus est*, Paludan. in 4. d. 18. q. 9. ar. 4. sed sine vllo rexte. Cùm tamen eiusmodi pœnæ & quasi censuræ non incurrantur, nisi iure expressum sit: præsertim cùm Ecclesiam pollui, supponat eam esse consecratam. Cùm autem eam Episcopus consecrat, nondum potest dici consecrata: & consequenter non potest dici pollui per illū actū. Vide Suar. d. 81. sect. 4.

Siluest. Paludan.

Suarez.

Quintò, polluitur Ecclesia, quando in ea sepelitur paganus siue infidelis non baptizatus. Patet ex c. *Ecclesiam* 1. & 2. de consecr. d. 1. Quod verum est, etsi sepultus sit infans ante baptismum mortuus. Notant autem DD. hoc verum esse quando per se talis sepelitur: secus autem esse, si infans sit adhuc in ventre matris, quæ in Ecclesia sepellitur, quia quoad huiusmodi actus censetur vnum corpus cum matre. Addunt aliqui, hoc intelligendum esse quando infans fuit mortuus antequam mater sepeliretur. Nam si adhuc viuat post mortem matris, debet hæc aperiri, vt puer possit saluari. Quare aiunt, si mater sepeliretur adhuc viuo infante, fore vt Ecclesia pollueretur, quia tunc ille puer per sepulturam suffocaretur. Sed vix moraliter talis casus potest accidere, nisi ponamus matrē in ipsa Ecclesia, vel planè iuxta illā mori, & statim atque exspirauit sepeliri. Quia si infans notabili tempore in matris cadauere permaneat, statim suffocabitur. 233

Nota, violata ipsa Ecclesia quocūque ex his casibus, violari etiam cœmeterium ei annexum: non ramē cōtrà, etsi cœmeteriū aliquo ex dictis casibus polluatur, Ecclesia simul polluitur, quia accessorium sequitur principale: cœmeterium autem est accessorium ad rium. 234 Pollura Ecclesia polluitur cœmeterium

ipsam Ecclesiam; non tamen contrà. Quòd si cœmeterium sit remotum ab Ecclesia, non polluitur ea polluta. Similiter quando sunt duo cœmeteria vnius Ecclesiæ etiam solo muro inter se distincta, vno polluto alterum non polluitur. Hæc omnia expresè habentur cap. vnico de consecratione Ecclesiarum in 6.

Et hi omnes casus communes sunt Ecclesiæ consecratæ, & solùm benedictæ.

235 Lapsis parietibus Ecclesia omnis esse consecrata.

Sextò, Ecclesia cõsecrata perdit suam cõsecrationem quando eius parietes, vel omnes, vel maxima ex parte simul destruuntur. Secùs esset si manentibus parietibus integris, tectum & alia opera lignea comburerentur. Patet ex c. *Ligneis de consec.* Eccles. Ratio est, quia consecratio inhæret potissimùm ipsis parietibus.

Norant autem DD. adhuc effectum requiri vt parietes saltem maxima ex parte simul destruantur. Nam si per minores partes Ecclesia paulatim destrueretur; ita tamẽ vt pars collapsa reficeretur, antequã alia destrueretur, ita vt Ecclesia semper maxima ex parte staret integra, non amitteret consecrationem. Quia censeretur semper eadem Ecclesia permanere, nec vnquam posset verè dici destructa: & consequenter censeretur semper retinere suam consecrationem, quia omnis consecratio manet indelebilis, quamdiu manet idem subiectum. Hic autem secundùm moralem æstimationem (secundùm quam res eiusmodi morales debent pensari) manet idem subiectum, siue eadem Ecclesia, iidemque parietes licèt reparati. Ita Siluest. v. *Consecratio*, 2. n. 4. §. *Tertius*, &c. & n. 5. in fine, & alij.

Siluest.

Hic tamen casus non habet locum in Ecclesia quæ solùm est benedicta, quia benedictio inhæret ipsi solo, quod non potest tolli.

236 Quid faciet celebrans si Ecclesia interim polluatur?

Nota Primò, si contingat Ecclesiam pollui interim dum sacerdos celebrat; si pollutio fiat antequam inceperit canonem, debet desistere. Secus est, si contingat post canonem inchoatum, tunc enim debet pergere, quia censetur sacrificium aliquo modo substantialiter inchoatum, quia hostia proximè præparatur ad consecrationem: ideoque nullo modo debet ipsum relinqui imperfectum. Ita Suarez disp. 81. sect. 4. in fine.

Suarez.

Ecclesia consecrata per solum Episcopum reconciliatur.

Nota Secundò, quando Ecclesia consecrata polluitur, non posse reconciliari nisi per Episcopũ (nisi Papa hoc alicui simplici sacerdoti cõmittat.) Secùs est quando solùm est benedicta, quæ potest reconciliari per simplicem sacerdotem lauando eam aqua exorcizata, siue benedicta, vt dicitur c. vlt. de consecrat. Ecclesiarũ.

Oratoria non polluuntur.

Nota Tertiò, oratoria quæ nec consecrata, nec benedicta sunt, per eiusmodi actus non pollui, quia hoc solis locis sacris conuenit, quorum sanctitas per tales actus violatur.

237 Nota Quartò, hæreticos nostros multũ debacchari in eos ritus, quibus Ecclesiæ consecrantur, aut benedicuntur: sed sine fundamento. Cùm enim talis actio ex natura sua non sit mala, nec alicubi in Scriptura diuina prohibita; nulla est ratio, cur sit illicita. Rursum cùm valeat ad conciliandam quandam reuerentiam locis sacris, & ad excitãdam hominum deuotionem, meritò ab Ecclesia iam ab antiquissimis temporibus fuit vsurpata: cuius auctoritas sufficit ad refundendam omnem hæreticorum contra eam insurgentium insolentiam. De harum autem cæremoniarum vtilitate, efficacia & effectu, vide dicta suprà q. 71. de cæremoniis baptismi. Est enim eadem horum omnium ratio.

DVBIVM II.

Qua ratione ad hoc sacrificium requiratur altare, eiúsque ornatus?

238 Altare sacrificio necessarium.

CONCLVSIO I. Vtlicitè hoc sacrificium offeratur, necessarium est altare lapideum chrismatis vnctione ab Episcopo consecratum. Ita omnes communiter DD. & patet ex vsu Ecclesiæ. Nec vllo privilegio sine speciali Pontificis concessione, licet celebrare sine eiusmodi altari. Primus sanctus Siluester creditur præcepisse ne quis Missam sine eiusmodi altari celebraret, cùm antea ligneis altaribus vterentur: vt legitur in eius vita.

S. Siluest.

Nota Primò, non esse opus vt totum altare vnà cum pede cui insistit, sit ex lapide, sed sufficit, vt ipsa tabula cui immediatè imponitur corpus & sanguis Christi, sit ex lapide, eaque magnitudine vt possit calicem cum patena cui hostia superponitur, capere. Reliqua autem pars potest esse ex alia materia.

239 Altaria duplicia.

Nota Secundò, altaria esse duplicia. Quædam enim sunt stabilia, quæ alicui loco & basi cui instituntur calce, vel alia ratione affixa sunt; & priùs eriguntur ac ita firmantur, quàm consecrentur: ideoque amittunt suam consecrationem, vel per enormem fractionem, vel per solam amotionem à basi cui affixa sunt. Per leuem autem fractionem eam non amittunt; vt patet ex c. *Quod in dubio*, & c. *Ligneis*, de consecr. Eccles. Alia verò sunt mobilia, quæ confecta sunt vt possint in diuersa loca transferri, & per se consecrantur, ideoque tolùm amittunt suam consecrationem, quando ita franguntur, vt maiori parti non possit calix cum patena quæ hostiam continet, imponi. Aliqui tamen volunt tale altare amittere consecrationem, quando dissoluitur à ligno cui inclusum est. Sed alij probabiliùs contrarium asserunt: quia illud lignum non adhiberetur lapidi vt det ei formam (sicut aliqui putant) sed solùm ad ipsius ornatum, & faciliorem conseruationem. Ita Suarez d. 81. sect. 5. & Emanuel. Sà v. *Altare*.

Suarez. *Sà.*

240 Sigillum siue sepulcrum altaris quid sit.

Addunt alij, violari vtrumque altare per fractionem vel amotionem sigilli, siue sepulchri, (sigillum autem siue sepulchrum dicitur paruus locellus in ipsa mensa, vel in basi altaris, in quo conditæ sunt reliquiæ.) Probantque Primò ex c. 1. de consecrat. Eccles. vbi dicitur: *Adhæc si altare meum fuerit, aut lapis ille solummodo superpositus qui sigillum continet, confractus*, &c. Secundò, quia sigillum istud videtur esse de essentia & forma altaris. Sed hoc non videtur verum, quia illud sigillum non est de necessitate altaris, vt statim dicam, nec in eo huius forma consistit; nec hoc in dicto capite significatur: sed tantùm dicitur, altare amittere cõsecrationem si tabula eius siue mensa in qua est sigillum frangatur: non quia sigillum frangitur (potest enim ea fractio fieri, etsi sigillum maneat integrum) sed quia mensa frangitur, quæ per se immediatè consecratur. Vide Emanuelem Sà v. *Altare*.

Sà.

241 An in altari necessariæ sint reliquiæ.

Disputant autem hîc valdè auctores, Vtrùm vt altare sit legitimum necessariò debeat ei inesse tale sigillum siue loculus cum reliquiis? Quidam id affirmant. Ita Siluester v. *Altare*, n. 1. in fine.

Siluest.

Probatur ex c. *placuit*, de consecr. d. 1. Vbi iubentur Episcopi euertere altaria, quæ passim per agros & villas sine reliquiis Martyrum extruuntur. Sed hoc caput non vrget. Tantùm enim tales aræ præcipiuntur euerti, qui in iis committebantur superstitiones in cultu aliquorum qui quales essent nesciebatur: vt apertè colligitur ex contexu. Et ideo ne per errorem tales colantur, præcipitur vt nullæ memoriæ Martyrum extruantur; nisi vbi certæ sunt reliquiæ Martyrum.

Synod. VIII.

Magis autem vrget canon septimus Synodi septimæ generalis, vbi præcipitur deponi qui templum consecrarit sine sanctis reliquiis. Sed nec hoc caput absolutè conuincit. Quia ex eo quòd templum non possit consecrari sine reliquiis; non sequitur necessariò idem dicendum de singulis altaribus. Secundò, quia hoc ibi præcipitur in odium hæreticorum illius temporis, qui omnes imagines ac reliquias ex templis abstulerant: vt ibidem dicitur. Quare alij Respondent, olim ad consecrationem altarium necessarias fuisse reliquias; consuetudinem tamen contrarium euicisse: eò quòd in tanta altarium multitudine, impossibile sit reliquias vbique habere. Ita Hugo & Alensis

Hugo. Alensis.

Siluester, Soto. apud Siluestrum suprà, & Soto in 4. d. 13. q. 2. art. 2. §. *Sextò denique.*

242 Nota Tertiò, quosdam apud Siluestrum suprà n. 4. docere, quando reliquiæ haberi non possunt, earum loco in consecratione altaris debere in eo reponi partem hostiæ consecratæ. Sed hoc omnino absurdum est, & contra reuerentiam tanti Sacramenti.

Nota Quartò, in locis consecratis aut benedictis, aut etiam in oratoriis auctoritate Episcopi ad celebrãdum destinatis, licere cuiuis sacerdoti celebrare super altari portatili, nec ad hoc opus esse vllo priuilegio: sicut opus est priuilegio vt quis celebret in loco diuino cultui non dedicato, iuxta dicta dub. 1. Quando autem vtimur altari portatili, quod tabulæ ligneæ inserrum est, danda est opera vt tam calix, quàm hostia consecrata ponantur super ipsum lapidem consecratum saltem maxima ex parte. Quòd si tamen aliqua ex parte innitantur etiam tabulæ ligneæ, modò absit omne periculum lapsus, non est ita scrupulosè curandum, vt docet Suarez suprà. *Suarez.*

243 Duplex mappa & corpo ab necessaria. *Siluest.* CONCLVSIO II. Debet altare sterni vt minimum duplici mappa linea, vel vna duplicata, & præterea corporali etiam lineo ab Episcopo, vel alio (qui ad hoc faciendum à Papa facultatem habent) benedicto. Ita Siluester v. *Missa*, 1. n. 2. & alij communiter auctores: quorum aliqui triplex linum requirunt præter ipsum corporale: & hoc sanè decentius est, non tamen necessarium.

Similiter & lumen. CONCLVSIO III. Necessarium est præterea vt sit lumen in altari dum celebratur. Patet ex cap. vlt. de celebratione Missarum: vbi inter alios grauissimos cuiusdam sacerdotis excessus numeratur quòd sine igne celebrarit.

Vbi Nota, etsi absolutè loquendo sufficit vt vna candela accendatur; tamen quantum fieri potest, decentia requirit, vt sint ad minimum duæ, cæque cereæ. Nam aliis vti minùs decet, & esset contra consuetudinem *Ecclesiæ.*

DVBIVM III.

Qua ratione requirantur ad hoc sacrificium Vasa, ac Vestimenta sacra?

244 CONCLVSIO I. Pro hoc sacrificio necessariò opus est calice & patena ab Episcopo consecratis, & corporali ab eodem, vel ab alio sacerdote ex Pontificis licentia benedicto. Patet ex c. *Consulto* de consecrat. d. 1. & vsu Ecclesiæ. *Vasa*

CONCLVSIO II. Corporale debet necessariò esse ex lino albo, nec potest aliquo colore tingi. Patet ex c. *Consulto* de consecrat. d. 1. Calix verò & patena debent esse ex auro, vel argento, vel, si paupertas id exigat, ex stanno, vt patet ex cap. *Vt calix*, de consecrat. d. 1. Vide *D. Thom.* D. Thomam hîc ad 6. & 7. Videtur tamen sufficere in calice, vt ipsa cupa quæ continet sanguinem, sit ex tali materia. Quare pes poterit confici ex ære aut simili materia: quia omnes rationes quæ suadent calicem debere fieri ex supradictis materiis, solùm probant de ipsa cupa. Et huic sententiæ praxis suffragatur. Vide *Henriquez.* Henriquez lib. 9. c. 28. n. 2. in fine.

Requiritur præterea tegumentum quo calix immediatè operitur: in quem vsum quidam habent corporale oblongum, cuius vna parte calicem operiunt. Communior tamen iam vsus habet, vt hoc tegumentum sit distinctum à corporali: debeatque esse ex li- *Suarez.* nteorum saltem ab vna parte qua calicem contingit. Vide Suarez disp. 81. sect. 6. §. *Tandem.*

245 Ciborium non necessariò debet esse benedictum. *Suarez.* Nota, auctores variè disputare, Vtrùm vasculum in quo conseruantur, & sæpe etiam consecrantur hostiæ populo distribuendæ, necessariò debeat benedici? Multi id affirmãt; sed nullum certum ius adferunt. Rationes autem eorum tantùm probant, id admodum decere, quod verissimum est. Quare alij probabiliter contrarium tenent. Vide Suarez d. 81. sect. 7. §. *Tertiò obiter.*

Nota Secundò, constare inter omnes DD. calicem amittere suam consecrationem, quando ita frangitur, vt sit inutilis ad vsum sacrificij. Nullo modo tamen amittitur consecratio per hoc solùm, quòd aurum quod interiùs cupæ adhæret deteritur: quia non hoc solum, sed tota cupa consecratur, quæ post illam attritionem manet eadem quæ antè fuit; & consequenter suam consecrationem retinet. Quomodo calix amittat benedictionem.

Aliqui tamen addunt, amitti consecrationem, si rursum interiùs deauretur, quia fit tũc intra ipsam cupam quasi nouum vas ex tenui auro, quod immediatè debet sanguinem continere, & tamen non potest dici consecratum. Ita docet Siluester v. *Calix*. Et hoc satis proba- *Siluest.* bile est. Ratio tamen hæc non satis clarè conuincit. Quare contrarium tenet Emanuel Sà v. *Calix*. Et vi- *Sà.* detur probari. Quia cùm res semel consecrata nunquam amittat consecrationem quamdiu manet eadem & integra, vt docet D. Th. hîc ad 3. & cõmuniter DD. difficile videtur, cur calix perdat consecrationem per deaurationem; cùm nec frãgatur, nec ita mutetur, quin maneat idem. Videtur ergo omnino eam retinere simili ratione, qua Ecclesia retinet suam consecrationem, quando paulatim reficitur: in qua pars noua censetur consecrata hoc ipso quo consecratæ additur. 246

Dices, hoc tantùm verum esse quando pars quæ additur est minùs principalis; vasculum autem quod quasi nouum per deaurationem in calice interiùs efficitur, quoad vsum sacrificij esse partem principaliorem in calice; quia continet immediatè sanguinem. 247

Sed contrà inde sequeretur. Primò, calicem recèns deauratum posse dici alium à præcedente. Secundò, eum in ratione calicis & vsus quem habet ad sacrificiũ destrui, si interiùs aurum omnino deteratur, quæ tamẽ communiter negantur: Vtraque autem sequela probatur. Quia res absolutè dicitur destrui ac fieri noua, quando secundùm suam præcipuam partem simul destruitur aut renouatur. Et patet in Ecclesia, quæ amittit *suam consecrationẽ, quando præcipua pars parietum* simul corruit. Et ob has rationes viri quidem doctissimi putant sententiam Sà esse probabiliorem: prior ta- *&.* men sententia videtur communior.

Nota Tertiò, aliquos generatim asserere, calicem semper amittere consecrationem, quoties quacumque ratione cupa à pede disiungitur: vt videre est apud Sil- *Siluest.* uestrum v. *Calix*. Probant, quia altare amittit consecrationem, quando ipsa mensa amouetur à basi cui insistit. *Sed* præterquam quòd *in iis quæ merè pendent à iure* positiuo, argumentum à simili sine expresso textu sit parum efficax: hoc argumentum vt summum probat, tunc calicem per eiusmodi disiunctionẽ amittere consecrationẽ, quando cupa ita annexa est pedi, vt sine aliqua fractione disiungi nequeat, quod absolutè asserendum est, quia est communis sententia DD. Inde tamen non sequitur, idem dicendum esse, quando calix ita est factus, vt pes facilè sine vlla fractione possit disiungi à cupa, & mox reponi vt priùs. Imò ex eo argumento sequitur potiùs, per talem disiunctionem non amitti cõsecrationẽ calicis: sicut ara portatilis inserta tabulæ ligneæ, à qua facilè potest amoueri, non amittit per eiusmodi amotionem suam consecrationem. Quare hanc partem absolutè asserunt Emanuel Sà v. *Calix*, Sua- *Sà. Suarez. Henriquez.* rez disp. 81. sect. 7. Henriq. l. 9. c. 28. n. 2. in fine, & alij.

Nota Quartò, ob reuerentiam sacrorum vasorum ac 249 linteorum quæ contingunt corpus Christi, vt sunt calix, patena, ciboriũ, corporale, atque etiam purificatorium; prohibitum esse in Ecclesia, ne promiscuè ab omnibus attrectentur. Qua de re variæ fuerũt olim & inter se diuersæ in Ecclesia constitutiones, vt patet ex d. 23. c. 26. 27. 29. 31. 32. 33. & aliis iuribus. Iam verò vsus habet, vt nemo qui saltem non sit subdiaconus quidquam horum sine iusta causa tangat. Sotus tamen in 4. *Soto.* d. 13. q. 2. art. 3. in fine responsionis ad tertium, docet laicum ea tangentem sine contemptu, aut nullum, aut Vasa sacra non possunt ab omnibus tangi.

leuissimum peccatum committere. Sed virtus est esse peccatum si ea sine rationabili causa tangat, veniale tamē ob materiæ paruitatem. Quòd si rationabilis causa subsit, licitè ea tangit. Hinc quia mulieres corporalia ac purificatoria melius lauant ac reficiunt, quàm viri, postquam à subdiaconis semel leuiter lota sunt, possunt dari viginibus perfectiùs lauanda ac reficienda, saltem in locis vbi talis est consuetudo: vt docet Siluester v. *Corporalia*, n. 2. in fine, & Caiet. v. *Mulierum peccata*, in fine. Priùs tamen leuiter lauanda sunt ab aliquo, qui sit saltem subdiaconus; & aqua in piscinam proijcienda est, ne fortè illis adhæreant aliquæ particulæ corporis Christi, vt dicitur c. *Nemo*. 2. de consecrat. d. 1.

Mulieres intra sacra lauare possunt.

Siluest.

Caietan.

250 CONCLVSIO II. Ad hoc sacrificium necessariæ sunt vestes sacræ, siue benedictæ; scilicet amictus, alba, cingulum, stola, manipulus, & casula.

250 *Qua ratione vestes sacræ sint necessariæ.*

Ita communiter omnes DD. & patet ex vsu Ecclesiæ. Esset̃que peccatum mortale aliquid horum omittere: vt communiter DD. asserunt, nisi ignorantia aut inaduertentia excuser.

Vbi Nota, non posse moraliter loquendo occurrere casũ, in quo liceat celebrare sine vllis vestibus sacris, ne quidẽ si metus mortis vrgeat: vt docet Caiet. 1. 2. q. 69. a. 4. Quia moraliter loquẽdo vix fieri potest vt quis ad ita celebrandum velit alium cogere nisi in contemptũ Ecclesiæ: quo casu esset peccatum mortale ei parere.

Caietan.

Nollem autem cõdemnare eum qui quando aliàs die celebri totus populus deberet carere Sacro, celebraret sine cingulo benedicto, quo casu ait Nauar. c. 25. n. 84. licere vti stola pro cingulo, & manipulo pro stola. Vide P. Suar. d. 82. sect. 3. Et sic intellige Em. Sà v. *Missa*, n. 10.

Nauarrus.

Suarez.

Sà.

251 Nota Primò, has vestes desinere esse benedictas, si ita frangantur vt sint ineptæ ad suum vsum: vt si cingulum ita frangatur, vt neutra pars sufficiat ad cingendum sacerdotem; secùs, si longior pars adhuc sufficeret. Aliqui tamen putant etiam in prima fractione licere partibus simul nexis vti. Ita Emmanuel v. *Missa* n. 12.

251 *Quando hæ perdãt benedictionem.*

Emmanuel.

Nota Secundò, communiter DD. requirere Primò, vt sacerdos sit calceatus, vel habeat sandalia: quia honestas hoc requirit. Aliqui tamen putant non esse graue peccatum cessante scandalo sine iis celebrare. Ita Sà v. *Missa*, num. 15.

Secundò, vt habeat librum in quo saltem totus canon contineatur: dicuntque esse peccatum mortale sine eo celebrare. Ita cum aliis Nauar. c. 25. n. 84. Ratio est, quia quantumuis aliquis sciat totum canonem memoriter, facilè posset contingere eum aliquo casu vel distractione ita turbari, vt non occurreret quid dicendũ sit, & sic cogeretur aliqua omittere, quod esset graue incõmodũ.

Nauar.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm conuenienter ordinentur, quæ circa hoc sacrificium dicuntur?

252 ARTIC. IV. docet, ea omnia quæ in toto Missæ officio dicuntur, ritè conuenienterque esse instituta atque ordinata, quod satis clarè ac neruosè in textu, & solutione argumentorum explicat.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ea quæ in huius Sacramenti celebratione aguntur sint conuenientia?

253 ARTIC. V. explicat breuiter præcipuas cæremonias quæ in celebratione huius sactificij adhiberi solent, ostenditque conuenientissimè adhiberi.

Hæretici nostri.

Nota Primò, hæreticos nostros totis viribus omnes huius sacrificij ritus oppugnare. Sed vt ostendamus esse legitimos, sufficit ipsa vniuersalis Ecclesiæ auctoritas, quæ (vt patet ex antiquissimis liturgijs D. Iacobi & aliorum) ab ipsis Apostolorum temporibus semper eiusmodi cæremoniis in hoc sacrificio offerendo vsa est. Nec refert quòd in diuersis Ecclesijs, atque etiam in eadem Ecclesia, diuersis temporibus fuerint in his cæremoniis aliquæ mutatæ, atque aliæ aliis suppositæ; quia, cùm omnes illæ cæremoniæ, quæ non pertinent ad substantiam ac sumptionem ipsius sacrificij, fuerint iure humano, per eos, qui Ecclesiam vicè Dei gubernant, introductæ; potuerunt per eosdem diuersis locis ac temporibus diuersæ constitui, prout videbant ob diuersas temporis ac locorum circumstantias, has vel illas esse cõuenientiores. Hanc enim Christus suis Apostolis, ac eorum successoribus, & præsertim summis Pontificibus (qui ipsius sunt generales in terris Vicarij) dedit potestatem: vt circa diuinum cultum possint ea statuere, quæ pro diuersis circumstantiis, magis ad Dei gloriam expedire iudicarent; inuariatis semper iis quæ Christus per se obseruanda constituit. Hoc enim rationi esse maximè consonum patet ex praxi omnis humanis regiminis.

Accidentales sacrificij ritus ab Ecclesia inducti sint, & ab ea mutari possunt.

Contra dictos autem ritus hæretici varia obiiciunt, 254
quibus conantur ostendere, esse superstitiosos aut saltem absonos. Sed ea magna ex parte militant generatim contra omnes ritus Ecclesiasticos. Quare sufficienter sunt refutata in quæst. 71. vbi contra hæreticos defendi ritus baptismi. Partim etiam supponunt, Missam non continere verum sacrificium quod pro viuis ac defunctis offeratur quod refutaui suprà art. 1. dub. 3. Partim etiam supponunt, cultum Sanctorum esse illicitum. Quare non tam huc spectant, quàm ad quæst. 25. vbi etiam inter docendum hanc rem tractauimus. Pauca autem quæ ritus huius sacrificij proprios oppugnant, hic adferemus.

Obiiciunt igitur Primò, cùm Missa sit publicum of- 255
ficium, omnia in ea dici debere alta voce, & lingua vulgari, vt ab omnibus possint intelligi.

Probatur, quia Apostolus 1. ad Corinth. 14. eos re- 1. Cor. 14.
prehendit, quòd in Ecclesia loquerentur linguis, siue sermone quem alij non intelligebant, præsertim quando nemo eorum sermonem interpretabatur; additque rationem: *quia, si nesciero virtutem* (id est, significationem) *vocis, ero ei cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus*, id est, inutiliter & sine vlla intelligentia nobis mutuo loquemur.

Resp. negando assumptum, quia etsi Missa sit offi- Cur Missa non fiat lingua vulgari.
cium publicum, quia pro Ecclesia, & nomine Ecclesiæ offertur; tamen cùm non sit instituta vt populus in ea eruditur, sed vt Deus per eam colatur, non est necessarium, vt populus omnia intelligat quæ in ea dicuntur: sed sufficit quòd in genere sciat quæ mysteria in ea peragantur, quod à Pastoribus in concionibus & catechismis debet discere. Deus autem, cui sacerdos loquitur, & quem in Missa inuocat, quauis lingua siue alta siue submissa voce loquentes æqualiter intelligit.

Longè autem conuenientius fuit, vt diuina officia 256
solùm certis quibusdam linguis, quæ doctissimis quibusque viris vsitatæ sunt, & quibus omnes ferè doctrinæ sunt conscriptæ, celebrarentur, quàm vt dicerentur in singulis patriis lingua vulgari. Primò, quia hoc modo habent plus venerationis & maiestatis, quia vulgus ferè ea magis admiratur quæ minùs intelligit: & ferè contemnit ea quæ se putat capere. Secundò, quia aliàs sequeretur maxima in ritibus Ecclesiasticis confusio, dum singulæ ferè vrbes sicut habent diuersos idiotismos, ita deberent habere diuersa ritualia & officia Ecclesiastica quæ singulis etiam ætatibus deberent mutari, sicut mutantur linguæ. Tertiò, quia vix vllus sacerdos posset celebrare diuina officia extra suam patriam, quia cùm esset ignarus linguæ regionis in qua peregrinaretur, neque posset verba necessaria rectè legere, neque vllo modo aut seipsum intelligere, aut ab aliis intelligi, quæ incommoda grauissima sunt, & facilè euitantur, si sequamur ritus ab Ecclesia præscriptos.

257 Cur quædã dicantur submissa voce.

Similiter quòd quædam alta, quædam submissa voce in Sacro dicuntur; fit Primò ad imitationem Christi, qui cùm pendens in cruce sacrificium cruentum offerebat, modò alta voce tum astantes, tum etiam Deum Patrem suum compellabat: modò verò eúdem tacitus precabatur. Secundò, quia hoc multum confert ad pietatem, & Varietas attétionem veneratioñem in animis astantium excitandam: tũ quia excitat. varietas & tædium leuat, & distractos animos in sui cõtemplationem rapit (experimur enim quotidie quàvis actionẽ eò magis attentos habere astantes, quò magis est varia:) tum etiam quia, dum quædam submissè dicuntur, vel ipsum silentium satis docet, ipsum sacerdotem à circumstantibus totum in Deum abreptum solum cum solo altissima mysteria tractare, & cõsequenter quandam veneratioñem in aliorum animis excitat.

258 Ad probationem Resp. Apostolum ibi non reprehendere Corinthios quòd in Ecclesia loquerentur linguis (nam apertè ibi hoc donum inter cætera Spiritus sancti dona numerat) sed reprehendit quòd vterentur illo dono ad quandam ostentationem, illudque præferrent aliis donis potioribus: quale est donum caritatis & propheriæ, quibus proximus instruitur ac ædificatur. Vnde v. 2. & 3. dicit eum qui loquitur linguis, sibi & Deo loqui, & seipsum ædificare, non populum, aperte ostendens in iis orationibus, quæ diriguntur solùm ad orandum Deum, non esse opus ita loqui populus intelligat singula verba: sed hoc solùm opus esse in exhortationibus quæ ad populum habentur.

259 Obiiciunt Secundò, quòd in officio Missæ contineantur Primò, quædam inepta. Nam superfluè quædam diuersis verbis repetuntur; vt sunt illa: *Hæc dona, hæ munera, hæc sancta sacrificia*, quæ idem significant.

Secundò, quædam falsa. Nam in offertorio & alibi aliquoties ante consecrationem sacerdos dicit se offerre Deo *hanc hostiam*, vel *hoc sacrificium*, cleuando vel designando solum panem aut vinum, cùm tamen hostia huius sacrificij sit solus Christus.

Tertiò, quia sacerdos post primum Memento dicit tam se, quàm astantes offerre illud sacrificium pro redemptione animarum suarum, cùm solo sacrificio crucis simus redempti.

Quartò, quia in Missis pro defunctis sacerdos orat vt Deus animas defunctorum faciat transire de morte ad vitam, & liberet eas de ore leonis; ne absorbeat eas tartarus; quæ vana & superstitiosa videntur. Nam anima nunc habet statum aut vitæ aut mortis immutabilem, nec de vno ad alium transire potest. Vnde si animæ sunt in statu gratiæ, nullo modo possunt cadere in tartarum: si verò sunt damnatæ, nullo modo possunt liberari, siue transire de morte ad vitam, quare frustra hoc petimus, & videmur hoc modo fauere errori Origenis, *Origenes.* qui putauit pœnas damnatorum non esse æternas.

260 Cur quædã in Missa sæpe repetantur. *Psalm. 1.*

Ad Primum Resp. illã repetitionem non esse superfluam, quia per eam res magis exprimitur, & inculcatur, ac affectus dicentis ostenditur ac excitatur. Hinc huiusmodi repetitionibus plenæ sunt Scripturæ, præsertim psalmi Psal. 1. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Idemque ibidem fit v. 2. & 5. Item *Psalm. 6.* Psal. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, & alibi sexcentis locis.

261 Duplex est in Missa oblatio.

Ad Secundum Resp. in hoc sacrificio duplicem esse oblationem; vnam verbalem, quæ sæpiùs fit: alterã realem, quæ semel in vno sacrificio per consecrationem fit. per vtramque autem panis & vinum possunt aliquo modo dici offerri. De prima per se patet. De secunda etiam patet ex dictis a. 1. dub. 4. concl. 3. & dub. 5. concl. 1. in fine; vbi ostendi illa esse hostiam secundariam huius sacrificij, eaque sacerdotem etiam in offertorio dici offerre, quia ex nunc sacrificium aliquo modo extrinsecè inchoat, vt ibidem dixi. Adde, per hostiam posse ibidem intelligi ipsum Christum, qui per panem mox in suum corpus conuertendum per anticipationem, tanquam de facto esset præsens, repræsentatur, & à sacerdote Deo verbaliter offertur; quod maximè habet locũ in verbis quæ paulò ante consecrationem dicuntur.

Ad Tertium Resp. nos per solum sacrificium crucis redemptos esse quoad sufficientiam pretij oblati; per hoc sacrificium nihilominùs nos redimi, quatenus per ipsum illud pretium nobis applicatur: tum ad impetrandas gratias, quibus à peccatis cõuertimur, aut conuersi præseruamur: tum ad delendas pœnas peccatis remissis adhuc debitas. Vtraque autem ratione possumus dici à peccatis redimi. Vide dicta art. 1. dub. 7. 262

Ad Quartum Resp. sacerdotem ibi non orare propriè vt animæ iam exuræ corpore, ac à Deo iudicatæ liberentur ab inferno, ac de morte ad vitam trãseant (hoc enim vanum esset, vt probat obiectio;) sed vt magis cõmoueat astantes, per prosopopœiam repræsentare sibi ac populo illas animas quasi iam iam egressuras è corpore, & diuino iudicio repræsentandas, & proponere ob oculos pericula in quibus in illo articulo versantur: & pro illis quasi in eo statu constitutis Deo supplicare, vt eas liberet, quod nullo modo frustra fit. Nam & multum confert ad cõcitandos astantium animos, ad pietatem, & horrorem diuini iudicij: & illæ preces etiam apud Deum habent suum effectum, quatenus ex intentione Ecclesiæ & sacerdotum funduntur, vt per eas Deus liberet eas animas à pœnis Purgatorij, si iis fortè detinentur. Si quis plura hac de re velit, videat Cardin. *Bellarm.* Bellarm. lib. 2. de Missa cap. 11. & seqq. vsque in finem libri. Vbi omnes hos ritus contra hæreticos defendit, & magna ex parte pulchrè explicat. 263 Quomodo quædam in Missis pro defunctis intelligenda sint.

Nota Secundò, olim quando pauciores erant sacerdotes, & consequenter pauciora fiebant Sacra, celebrãti necessariò debuisse adesse minimùm duos ministros, vt patet ex c. *Hoc quoque*, de consec. d. 2. Quod etsi D. Tho. hic ad 12. intelligat de Missa solemni; verius tamen est hoc caput loqui de quauis Missa. Iam tamen consuetudo obtinuit, vt sufficiat vnus minister, qui personam totius populi sustinet, ideoque sacerdos loquitur ei in plurali dicens, *Dominus vobiscum*. Hic tamen minister nullo modo potest esse fœmina, vt patet ex c. *Inhibendum*, de cohabitatione cleric. & mulier. Vnde communiter DD. docent, vrgente necessitate potiùs committendum esse vt sacerdos sine ministro celebret, quàm vt fœmina ei ministret. Nec contraria consuetudo, quæ quibusdam locis est, videtur vllo modo probanda: nam omnino repugnat aperto iuri, & veneratioñi tanto Sacramento debitæ. 264 Olim fuere duo ministri necessarij. *D. Thom.* Iam vnus sufficit. Non potest esse fœmina.

Vrgente tamen necessitate posset sacerdos solus sine ministro celebrare, ac sibi ipsi respondere, vt si aliàs esset periculum ne quis moreretur sine viatico, cò quòd deessent hostiæ cõsecratæ. Aut si in magno aliquo festo deberet sacerdos aliàs omnino carere Sacro. In minoribus tamen festis plurimi iudicãt magis expedire omnino carere Sacro, quàm solum celebrare. Vide Sotum in 4. d. 13. q. 2. a. 5. ad 12. & Henriq. l. 9. de Sacramentis ca. 30. n. 1. Emmanuelẽ Sà v. *Missa*, n. 18. Suar. d. 87. sect. 1. in fine. vbi excusat à grauiore peccato eos, qui etiam in simplici festo, ne careant Sacro, sine ministro celebrãt. 265 In necessitate licitè sine ministro celebratur. *Sotus.* *Henriquez.* *Sà.* *Suarez.*

Nota Tertiò, esse peccatum mortale, si quis aliquid notabile in ritibus, aut orationibus Missæ mutet, aut omittat. Patet ex Diplomate Pij V. quod Missali Romano præfigitur, vbi omnibus præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ: *vt cæteris omnibus rationibus & ritibus, ex aliis Missalibus quantùm vetustis hactenus obseruari cõsueuis, in posterum penitus omissis, & planè reiectis, Missam iuxta ritum, modum, ac normã, quæ per Missale hoc nunc traditur, decantent ac legant. Neque in Missæ celebratione alias cæremonias vel preces quàm quæ in hoc Missali continentur addere, vel recitare præsumant.* Deinde addit, posse tamen obseruari ritum à Sede Apostolica approbatũ per ducentos iam annos in aliqua Ecclesia seruari solitum: sed tãtùm in illa Ecclesia, siue à ministris illius Ecclesiæ. Neque enim alij qui ad illam Ecclesiam non pertinẽt, eius 266 Est graue peccatum aliquid notabile in ritibus mutare. *Pius 5.*

ritus quatenus à Romanis discrepant, imitari possunt.

267 Excusatur inadvertentia.

Nota Quartò, in omissione aut mutatione alicuius ex dictis ritibus, aut aliquorum verborum, quæ in Sacro dicenda sunt, excusare à peccato mortali Primò inadvertentiam, quæ si omnino sit inculpabilis, etiam ab omni peccato excusat; si coniuncta sit cum leui negligentia, excusat solùm à mortali: si autem sit grauis negligentia, ne quidem à mortali excusat in re graui. Secundò, excusat à mortali rei leuitas, vt si quis pauca verba nullo modo ad essentiam sacrificij spectantia omittat aut mutet ex aliqua negligentia, vel præ festinatione; aut breuem orationem vt priuata persona adiungat, quod vix tamen excusatur à peccato veniali.

268 An quisque teneatur sequi ritus suæ Ecclesiæ.

Nota Quintò, sacerdotem qui est membrum certæ Ecclesiæ, quæ habet particulare officiū, siue ritū Missæ, teneri quidem in sua Ecclesia celebrare ritu ibidem recepto; quando tamen est in locis vbi seruantur rubricæ Romanæ, potest vel ritu Ecclesiæ suæ vel Romano celebrare. Similiter sacerdos in cuius Ecclesia seruatur ritus Romanus, transiens per diœcesim vel vrbem, in qua seruatur peculiaris ritus, potest celebrare vel ritu illius Ecclesiæ, vel Romano, nisi Religiosus celebraret in domo aliqua sui Ordinis in qua seruatur ritus Romanus. Tunc enim teneretur eundem seruare sicut alij domestici, etsi in tota vrbe ab aliis particularis ritus seruaretur. Patent hæc omnia ex dictis supr. q. 74. a. 4. dub. 3. de hac quæstione, Vtrùm Latinus transiens per Græciā possit celebrare in azymo. Est enim eadem hic ratio.

Dixi *transiens per diœcesim*, &c. Quia transeunter celebrans in aliquo monasterio in quo seruatur particularis ritus, si in vrbe tota seruetur ritus Romanus, tenetur etiam hunc seruare, quia vti priuato illo ritu, non est ibi mos patriæ, sed priuilegium illius religiosæ domus: sicut dixi loco citato celebrātem in Italia in templo aliquo Græcorum, teneri vti azymo.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm sufficienter possit occurri defectibus circa celebrationem huius Sacramenti occurrentibus statuta Ecclesiæ obseruando?

269 Quid agendum deficiente celebrante.

PRr. 6. explicat qua ratione possit occurri variis defectibus, qui possunt inter celebrandū cōtingere.

Docet igitur Primò, quando inter celebrandū sacerdos subitò deficit, ita vt non possit vllo modo sacrificiū perficere, si hoc contingat ante consecrationem panis, sacrificium relinquendum esse imperfectum, quia cùm nondum sit substantialiter inchoatum, nullum in hoc est ita notabile incommodum. Si autem contingat post cōsecrationem etiam vnius materiæ, tunc perficiendū esse per alium sacerdotem, si quis adsit, etsi ieiunus non sit, etiamsi sit in peccato mortali, aut excōmunicatus, hic tamen necessariò debet priùs conteri. Ita communiter DD. ex Conc. Tolet. 7. c. 1. Ratio est, quia minus incommodum est, sacerdotem non ieiunum, aut post commissum peccatum mortale ante confessionem, communicare, quàm sacrificium relinqui imperfectū.

Tolet. 7.

270 *Soto.* Conscius peccati mortalis debet conteri.

Nota cum Soto in 4. d. 13. q. 2. a. 6. ad 1. cōscium sibi peccati mortalis nullo modo posse hoc sacrificiū perficere, nisi priùs conteratur, aut saltē probabiliter putet se contritum; aliàs peccaret mortaliter communicando in statu peccati mortalis. Dispurat autem ibidē, Vtrùm talis sacerdos si difficulter possit conteri, posset nolle perficere sacrificiū? Et respondet affirmatiuè, quia Cōcilium tantùm dicit liberum esse sacerdoti inchoatum à deficiente sacrificium perficere. Sed meliùs Suar. d. 85. sect. 1. sub finem docet, talē teneri conteri vt sacrificium possit perficere. Quia grauissimum est incommodum contra institutionem Christi, & reuerētiam tanti sacrificij, atque etiā ipsius Sacramenti (præsertim quādo calix iam est consecratus, qui sine irreuerentia, & periculo alicuius incommodi sæpe in aliud tempus conseruari non potest) si sacrificium relinquatur hoc modo imperfectum. Quare omnis qui sine grauissimo incommodo hoc potest impedire, ad hoc tenetur. Peccator autem nullum incommodum, sed potiùs maximum commodum accipit, dum compellitur conteri.

Soto.

271 Præstat laicum sumere calicem quàm eum corrumpi.

Nota Secundò, non sacerdotem in similibus casibus nullo modo posse sacrificium perficere: quia non habet potestatem sacrificandi. Quare si nullus sacerdos adsit, sacrificium necessariò imperfectum relinquendum est, & Sacramentum honestè conseruandum, donec possit legitimè sumi, si id sine periculo fieri possit. Quòd si hoc sine periculo fieri non posset, vt si esset periculum ne Sacramentum veniret in manus infidelium; aut ne species ante aduentum alicuius sacerdotis planè corrumperentur; *tunc* Sacramentum etiam à laico sumi deberet, quia hoc ipsius reuerentia exigit. Sotus tamē suprà putat potiùs permittendum esse vt species calicis omnino corrumpantur, quàm vt sumantur à laico. Sed melius Suarez d. 71. sect. 3. in fine docet, laicum tunc debere sanguinem reuerenter sumere. Quia quæ in reuerentiam huius Sacramenti sunt instituta, non debent cum ipsius tanta irreuerentia seruari.

Suarez.

272 Quid faciet qui interea celebrādum recordatur se nō esse ieiunū aut esse excommunicatum.

Docet Secundò, quando sacerdos post consecrationem recordatur se non esse ieiunum, aut esse in peccato mortali, aut etiam excommunicatum, debere cōcepta contritione sacrificium perficere. Patet ex dictis. Quando verò horum recordatur ante consecrationem, ait rutius esse desistere à sacrificio, si id possit fieri sine scandalo, aut sui diffamatione. Imò credo hoc omnino esse necessarium, si nondum inchoarit canonem. Quòd si canon esset inceptus, quia tunc satis indecens est relinquere sacrificium, videtur tali casu posse ipsum perficere, quia in hoc saltem casu est vera sententia D. Th. quòd tantùm sit tutius desistere, quo satis insinuatur non esse præceptum. Sotus autem in 4. d. 13. q. 2. a. 6. ad 2. docet celebrantem, qui etiā in initio Missæ recordatur se esse in peccato mortali, si sit ieiunus, & nulla cēsura prohibitus, posse concepta cōtritione pergere, etsi sine scandalo possit desistere. Quod videtur etiam innuere D. Thom. quia dicit esse tutius desistere maximè in casu quo quis est excommunicatus, aut non ieiunus. Probarem tamen eum qui in dicto casu Missam relinqueret, quando aliud non sequeretur incommodum.

D. Thom. *Soto.*

273 Quid agēdum si calix inficiatur.

Docet Tertiò, quando aliquod animal, vel res alia quæ calicem inficere aliqua ratione possit, ante consecrationem in eum inciderit, vinum mittendum esse in piscinam, & abluto calici aliud cum aqua imponendum ac *offerendum, & deinde* sacrificium perficiendum.

Quòd si simile quid contigerit post consecrationem, tum animal quod incidit esse diligenter abluendum, & comburendum, & ablutionem vnà cum cineribus proiiciendam in sacrarium siue piscinam (quod intellige, nisi ablutio possit à sacerdote post sumptum sanguinem commodè sumi: hoc enim esset multò decentius, præsertim cùm valdè probabile sit, aliquā partē sanguinis quæ animali adhærebat ei ineſſe) sanguinē verò debere sumi, si fieri possit sine periculo salutis corporis aut vomitus. Quòd si verò horum notabile subsit periculum, (vt si venenum insit calici) nullo modo debere sumi, sed honestè conseruari donec species omnino corrumpantur: & tunc mittendas esse in piscinam: vel, vt alij volunt, species stuppa aut simili materia debent imbibi, & permitti omnino exsiccari, & tunc stuppa comburenda est, & cineres mittendi in piscinam. Sacerdos autem debet tunc abluto calici. imponere nouum vinum cum aqua, illudque consecrare.

274 *D. Thom.*

Docet Quartò, quando ante consecrationem calicis recordatur se non imposuisse aquam calici, debere eam statim imponere. Nullo tamē modo debere eam imponere post consecrationem sanguinis: quia indecens est aquam calici consecrato miscere. Aliā rationem reddit D. Th. sed hæc est verior. Quòd si deprehēdat in calice esse puram aquam, debere eā mittere in piscinam, & imponere vinum cum aqua, illudque cōsecrare. Idemque

dicendum si post consecrationem hoc animaduertat.

275 D. Thom. Quid agendum si qui purã aquã cõsecrauit.

Addit D. Thom. quando sacerdos primùm aduertit puram aquam esse in calice post consumptionẽ corporis, cum debere consecrare etiam nouam hostiam vnà cum calice, & eodem modo Sacrum perficere ac si nullã antea materiã consecrasset: incipiẽdo ab illis verbis: *Qui pridie quàm pateretur*: aut saltem à forma consecrationis corporis. Ratio eius est, quia si eo casu cõsecraret solum calicem, tunc nec posset facere illos ritus, qui inter consecrationem & sumptionẽ Sacramenti fieri solent; quia vt hi ritè fiant necessaria est præsentia hostiæ consecratæ: nec etiam posset eos omittere; quia tunc non perficeret debito ordine ipsum sacrificium. Et hãc sententiam D. Thomæ etiam aliqui ex ipsius discipulis sequũtur. Et cõfirm. quia est de essentia huius sacrificij, vt corpus & sanguis Christi, quantum est ex vi verborũ, ponatur sub diuersis speciebus separatim instar hostiæ occisæ: atqui ad hoc videtur necessarium vt vtraq; species simul existat: ergo non est perfectum sacrificiũ quando vna consumitur ante alterius consecrationem.

D. Thom.

276 Sed hæ rationes nihil conuincunt. Non prima, quia ritus omnes illi sunt solùm inducti ab Ecclesia, & cõsequenter sunt omnino accidẽtales ipsi sacrificio. Vt autem docet D. Tho. hic ad 5. quando aliquid accidentale omissum est in sacrificio, nihil ideo est repetendum. Et confirm. quia ex omnibus his cæremoniis verè præcipua est ipsa fractio hostiæ cum certo ritu facta, nam aliqui putant hanc esse essentialẽ sacrificio: atqui, vt docet D. Tho. ad 6. quando hostia ante fractionem cadit in calicem, non potest hæc fractio fieri, & tamen ideo non est cõsecranda alia hostia: ergo vt aliæ cæremoniæ possint debitè fieri, non erit alia hostia consecranda. Est enim cadẽ ratio. Ad confirm. nego minorẽ. Nullus est enim essentialis ordo inter consumptionem vnius speciei, & consecrationem alterius. Nã quando Christus celebrauit, discipuli sumpserunt corpus ante consecrationem calicis: & tamen Christus perfectũ sacrificium obtulit.

D. Thom.

277 Alij igitur docent, etiam in eo casu sufficere consecrare calicem mistum aqua & vino, & statim sumere; reliquis omnibus omissis, quæ ante sumptionẽ fieri solent, quod ita fieri potest vt nemo circũstantiũ aduertat: vt si celebrãs quasi acceperunt ablutionem accedat ad cornu altaris, & calici imponat vinum & paululum aquæ, & dissimulanter consecret ac statim sumat, & postea sumat ablutionem. Ita Scotus in 4. d. 8. q. 3. Naua. c. 25. n. 91. Angelus v. *Missa*, n. 17. Suar. d. 85. sect. 1. Et hanc rationem probat Soto in 4. d. 13. q. 2. a. 6. quando Sacrum fit publicè, & alij plurimi. Et confirmatur hæc sententia Primò, quia, vt patet ex c. *Pastoralis*, de Sacramentis non iterandis, sicut in celebratione Sacramentorum nihil est omittendum, ita nihil est iterandum: atqui secundùm sententiam D. Thomæ multæ cæremoniæ quæ validè factæ sunt, essent repetendæ, ergo illa non videtur asserenda.

Scotus. Nauarrus. Angelus. Suarez. Soto.

D. Thom.

278 Dices, Multæ cæremoniæ eo casu sunt illegitimè factæ aut potiùs omissę, v. c. propriè non est eleuatus sanguis; nec particula hostiæ missa sanguini, quia ibi sanguis non fuit: ergo saltem hæ repetendæ sunt, quod sine nouæ hostiæ consecratione fieri nequit.

Resp. negando consequ. quia si per oblitionem, aut quia hostia ante fractionem cecidisset in calicem, illæ cæremoniæ fuissent omissæ; nemo tamen dixerit nouã hostiam esse consecrandam, vt illæ possent suppleri: vt patet ex responsione D. Th. ad 5. & 6. ergo nec in alio casu ob similem causam noua hostia erit consecranda. Confirm. Secundò, quia, si tunc noua hostia cõsecraretur, non tam perficeretur sacrificium præcedens, quàm omnino nouum fieret. Nam illa vtriusque speciei consecratio esset essentialiter omnino perfectum sacrificium sine vllo respectu ad præcedentem consecrationem. Secùs est quando solus sanguis consecratur, quia huius cõsecratio non constituit perfectum sacrificium nisi cum respectu ad præcedentem corporis consecrationem: atque ita cum ea vnum sacrificium constituit.

279 Ob has rationes hæc secunda sententia videtur probabilior; & est sequenda quoties Sacrum fit publicè. Quia aliàs inter laicos facilè posset aliqua turbatio oriri. Nec illi obstat auctoritas rubricarũ quæ sequuntur priorem sententiam: quia hanc rem nõ præcipiunt, sed tantùm ex probabili sententia instruunt quid faciendum sit: atque ita non habent maius pondus quam pro ratione probabilitatis illius sententiæ quam sequuntur. Quia tamen certum est nos in eiusmodi cæremoniis tutò sequi rubricas; quando quis secretò vno aut altero præsente celebrat, consultò eas sequetur. Et tunc secunda vtriusque speciei consecratio, eò quòd ex intentione ministri dirigatur ad complendum prius sacrificium imperfectum; censebitur morali quodam modo vnum cum eo integrum sacrificium constituere.

280 Nota, si sacerdos percipiat in calice esse puram aquã ante eius sumptionem, non debere eam sumere, sed mittere in piscinam, aut in aliquod vasculum, vt postea eam sumat cum ablutione. Quòd si hoc nõ deprehendat nisi quando iam eam habet in ore, nullo modo debet eam iterum eiicere in calicem, vt aliqui volunt, hoc enim indecens esset, & coniunctum cum periculo eiiciendi particulas hostiæ hærentes in ore; sed debet eam deglutire, vt auctores suprà citati notant. Nec refert quòd postea debebit communicare non ieiunus, quia eo casu non est moraliter in eius potestate hoc euitare.

Nota Secundo, si per inaduertentiam, ignorationem, aut perturbationem quis omiserit dictum defectum supplere donec Sacrum sit absolutum: tunc nullo modo debet iterum consecrare, vt eum suppleat. Quia tunc esset omnino distincta actio. Ita Doctores suprà citati.

281 Quid agat qui aliqua inaduertenter omisit.

Docet Quintò, quando sacerdos in progressu Sacri non meminit se aliqua dixisse, aut fecisse, nõ debere inde turbari, sed debere sibi persuadere se legitimè processisse. Quia facilè potest contingere, vt quando deuotioni intẽti sumus, aut etiam nonnihil distracti, nõ recordemur eorum quæ immediatè antè fecimus. Quòd si verò haberet probabiles valdè rationes se aliquid omisisse; si hoc esset tantùm accidentale, docet non debere mutare ordinẽ sacrificij, vt illud suppleat, sed progredi: quòd si verò esset essẽtiale; vt si omisisset vel corrupisset formã consecrationis alterius speciei, tunc forma secretò super eam materiam esset pronuntianda, cũ tacita tamen conditione eã non consecrandi si sit consecrata, quia hoc in eo casu dubium est, quia vix potest nobis postea certò constare nos formã malè pronũtiasse, aut omisisse, nisi quis hoc ex malitia & sciẽs fecerit.

282 Docet Sextò, quando hostia, quia priùs cadit in calicem, non potest postea frangi, propterea nihil esse reiterandum. Quia nihil substantiale sacrificio deest.

Pius Papa. Quid agẽdum quando pars sanguinis effusa est.

Docet Septimò, ex decreto Pij Papæ, quando aliquid ex sanguine cadit in tabulam aliquam; hanc debere priùs à sacerdote lambi, & deinde radi, sicut etiam terra debet radi, quando in eam sanguis cecidit, & quod abraditur debet comburi, & cineres debent proiici in piscinam. Quando verò stillauit sanguis super lapidem altaris, sanguis debet forberi à celebrante. Si super aliquod linteum, hoc debet ter lauari super calicem, & ablutio (nisi esset, qui vellet eam sumere) debet proiici in piscinam. Addunt aliqui, partem illam lintei debere abscindi, & combusti cineres proiiciendos in piscinam, quod admodum decens est, quando illud lintеum non est corporale aut purificatorium. Non est tamen vlla obligatio, præsertim quando est pretiosum, & solùm rebus sacris inseruit, quia tunc honori Sacramenti per ipsius ablutionem satis consulitur.

Quòd si verò aliquis Sacramentũ per ebrietatem aut infirmitatẽ euomuerit, si species adhuc appareant integræ, debent reuerenter conseruari, donec omnino sint corruptæ (nisi fortè esset aliquis qui vellet eas inuinus sumere) quia tam diu est ibi verè corpus Christi. Quãdo verò species apparent iam omnino corruptæ, id quod

283 quod eiectũ est, condendũ est in piscina siue sub altari.
D. Thom. Nota Primò, pœnas quæ olim iniungendæ erant ei, cuius culpa sanguis fuisset effusus, quas D. Thomas hic numerat, non esse iam eo rigore in vsu. Quare talis iudicio Superioris pro ratione culpæ puniendus est; ante sententiam tamen nullam pœnam tenetur subire, nisi quatenus hoc vel ipse, vel confessarius iudicat necessarium vt satisfiat Deo pro peccato.

Nota Secundò, quando sanguis ita effunditur, vt nihil maneat in calice, tunc nouum vinum cum aqua calici infundendum & consecrandum, ac sumendum: simili ratione qua suprà dixi de casu quo deprehenderetur in calice esse solam aquam, aut mistum venenum. Quòd si aliquid sanguinis in eo remaneat quod tuti poterit; sufficiet illud sumere.

DVBIVM.

Qua ratione Christiani obligentur ad audiendum Sacrum diebus Dominicis & festis?

284 VT magis completa sit huius rei tractatio, hoc dubium hic addendum fuit, in quo varia de oratione possunt disputari; sed quia huius loci nõ sunt, breuiter tantũ quæ spectant ad praxin hîc disputabimus. Primũ autẽ ponemus solũ asserendo ea, quæ hac in re omnino certa sunt: deinde quæ habẽt difficultatẽ discutiemus.

Primùm igitur inter omnes Doctores cõstat, omnes Christianos cessãte legitimo impedimẽto teneri diebꝰ festis & Dominicis audire Sacrũ. Patet hoc ex c. *Missas*, & c. *Omnes fideles* de cõsec. d. 1. & praxi totius Ecclesiæ.

285 Omissio Sacri est peccatum mortale.
Secundò, constat hanc obligationem esse grauem, & consequenter eum peccare mortaliter, qui cessante rationabili causa, aut integrã Missam, aut notabilẽ eius partem omittit: qualem secundùm communem sentẽtiam omitteret, qui veniret post Euãgelium lectũ; secùs si veniret antequam Euangelium legatur, si modò totam reliquam partẽ audiret. Quòd si veniret post lectã epistolam, & exiret statim post communionem, communiter docent peccaturũ mortaliter. Et similiter qui exiret ante communionem, quia hęc est notabilis pars: Omnis autem qui aliquam partem spõte omittit, peccat saltem venialiter. Vide Nauarrum c. 21. num. 2.
Nauar.

286 An pueri ad Sacrum sint ducendi.
Tertiò, constat hoc præcepto non ligari amentes, aut pueros ante vsum rationis, quia incapaces sunt. Statim tamen atque perfectè incipiunt vti ratione sufficienter ad peccãdum mortaliter, aut alias graues obligationes suscipiẽdas, hoc præcepto obligantur: quod in singulis non tam ex annis, quàm ex maturitate ingenij prudẽti iudicio spectandum est. Qua in re omnino consulendũ parẽtibus, vt pueros statim atq; aliquis rationis vsus in iis lucet, assuefaciant Sacra piè frequentare, etsi nõdũ ad id obligẽtur. Hoc enim Christianam pietatem omnino decet. Quamdiu tamẽ ita parui sunt, vt neque res diuinas vllo modo apprehendere, neque in tẽplo quieti decenterque contineri possint, præstat eos domi manere, quia alios sæpè grauiter turbant, & iis qui ipsos ducunt, impedimento sunt, quo minùs orare possint.

287 An sufficiat audire duas partes Sacri.
Prima autem difficultas est, Vtrùm qui venit ad vnũ Sacrum paulò ante consecrationem, v. c. & audit reliquam partem illius Sacri, & aliud sequẽs vsque ad cõsecrationem exclusiuè, satisfaciat præcepto Ecclesiæ?

Quidam hoc negant, quia cùm illæ duæ partes sint inter se omnino independentes, non possunt vnum integrum sacrificium constituere: & cõsequenter qui eas audit, nõ audit integrum Missam; ad quod tamen obligatur. Et hæc ratio in rigore loquendo hanc sententiam satis efficaciter probat. Quia tamẽ plurimi DD. docent contrarium, absolutè loquẽdo, talis est securus, ac probabile est eum satisfacere, ita Maior in 4. d. 12. q. 3. cõcl. 1. Soto in 4. d. 13. q. 2. a. 1. §. *Neque verò* Nauarr. c. 21. n. 2. & alij. Ratio est, quia cũ Ecclesia sciat suas leges ita à grauibus Doctoribus explicari, hoc ipso quo eorum explicationes permittit publicè imprimi & doceri, censetur suum præceptum secundùm eas moderari.
Maior. Soto. Nauar.

Dices, Hinc sequetur, quãdo in Ecclesia vnꝰ sacerdos 288
incipit Sacrum, dum alter medium absoluit, satisfacere eum præcepto Ecclesiæ, qui vtriusq; Sacrum media ex parte audit, quod tamen videtur absurdũ. Resp. negãdo sequelam. Quia, cùm Doctores nõ eodem modo asserant hunc satisfacere sicut priorẽ; Ecclesia nõ potest cẽseri in suo præcepto (quod in rigore, vt dixi, audito nẽ vnꝰ integri sacrificij præcipit) secũdã hãc moderationem admittere, sicut admittit priorem. Nota tamẽ, hanc praxin parum decere, minuíque religiosam esse, ideóque nec vsurpandam sine rationabili causa. Quare eum qui omnino sponte veniret seriùs ad primũ Sacrũ cum intentione audiendi partem sequentis, credo peccaturum venialiter, vt docet Suarez disp. 88. sect. 2.
Suarez.

Secunda difficultas est, qualis attentio requiratur in 289
Sacro? Eadẽ autẽ est difficultas de attẽtione requisita in lectione Horarũ, Vtrùm scilicet ad satisfaciendũ præcepto Ecclesiæ requiratur interna aliqua deuotio? Cuius solutio pẽdet ab hac difficultate, vtrũ Ecclesia possit præcipere actus internos? Qua in re tres sunt sententię.

Prima affirmat, Ecclesiam directè posse actum etiam merè internum præcipere. Ita Adrianus quodlib. 8. q. 1. & Pighius l. 6. de Eccles. hierarchia c. 16.
Adrian. Pighius.

Prob. Primò, quia Matth. 18. tribuitur Ecclesiæ ab- *Matth. 18.*
soluta potestas ligandi atque soluendi, idque vt subiectos dirigat in suam salutem: ergo cùm hæc maximè promoueatur per actus internos, videtur Ecclesia hos etiam posse præcipere. Secundò, quia Ecclesia potest dispensare in votis merè internis: ergo potest actꝰ etiã internos præcipere. Tertiò, quia Ecclesia potest punire actus merè internos. Nam in multis canonibus fertur sæpe excommunicatio propter peccata merè interna, nam multis locis excommunicantur, qui hæresin aliquam crediderint: & ne dicamus ea loca intelligenda esse de assensu exteriùs prodito, Concil. Tolet. 1. in cõ- *Toletan. 1.*
fessione fidei vtrumque actum distinguens, sæpe dicit anathema iis, qui hæreses quas ibi enumerat, v. c. Patrem esse Filium, aut similem dixerit vel crediderit.

Secunda sententia docet, Ecclesiã non posse directè 290
& per se præcipere actum interiorem; posse tamen id facere indirectè, quatenus hic necessarius est, vt actꝰ externus quem præcipit, habeat rationem veræ virtutis. Ita Caiet. in Summa v. *Horæ canonicæ* §. *Quod tertium*, *Caietan.*
vers. *Nec propterea*, & alij. Probatur Primò, quia c. *Dolentes*, de celebratione Missarum, præcipitur, vt officium diuinũ celebretur studiosè pariter & deuotè, quod significat deuotionem internam. Secundò, quia Ecclesia ibi præcipit verum actum orationis: atqui actus externus sine interno non est talis: ergo ille non solus præcipitur. Tertiò, quia aliàs posset quis satisfacere præceptis Ecclesiæ per meram simulationẽ, v. c. simulando se piè audire Missam, & recitare Horas, cùm tamen id ridẽdi causa faceret. Quartò, quia Ecclesia potest punire actũ internũ quando externo cõiungitur. Patet ex clemẽt. *Multorum*, de hæreticis, vbi excõmunicãtur qui ex affectu odij, amoris, vel auaritiæ malè cõtra hæreticos procedũt: ergo potest etiam actum internũ præcipere.

Tertia absolutè negat, Ecclesiam etiã sub hac ratione 291
posse actum internum præcipere aut vetare; sed solùm quatenus est absolutè necessarius vt actus externus in esse physico liberè, ac humano modo ponatur. v. c. Ecclesia præcipit vt legam Horas; quia autem hoc fieri non potest nisi velim eas legere, aliquo modo indirectè præcipit vt velim; non tamen præcipit vt eas cum interna deuotione legam. Ita D. Thom. 1. 2. q. 100. a. 9. in *D. Thom. Siluester. Durand. Ioan. Med. Angelus. Rosella.*
corpore. Siluest. v. *Horæ*, n. 13. Durandus in 4. dist. 15. q. 12. Ioannes Medina codice de oratione q. 15. Angelus v. *Horæ* num. 17. Rosella ibidem §. 3. & alij plurimi.

Probat id D. Th. quia nemo potest præcipere, aut vetare, quod nõ potest punire: nec potest punire, quòd nõ potest cognoscere, & iudicare: atqui Ecclesia extra tribunal confessionis non potest cognoscere & iudicare actꝰ internos, ergo nec potest eos præcipere aut vetare.

Gregor. IX. Probatur Secundò, quia Gregor. IX. cap. finali de simonia, docet, eos qui commiserunt simoniam sine vllo pacto ex mero interno affectu, non teneri legibus statuentibus pœnas simoniacis: sed talibus sufficere satisfacere Deo. Vbi apertè insinuat Ecclesiam eiusmodi actus internos, etiamsi afficiant aliquo modo actum externum, punire non posse.

292 Ecclesia non præcipit actus internos. Quamuis autem præcedentes sententiæ non sint improbabiles, tamen ob auctoritatem D. Thomæ, & plurimorum auctorum, ac rationes dictas ac alias quas adferam, puto tertiam esse veriorem.

Duplex Ecclesiæ tribunal. Ad Primum argumentum 1. sententiæ Resp. ibi dari plenam potestatem Ecclesiæ tam in actus externos quã in internos, quatenus ea necessaria est ad salutem nostram. Sed quia duplex est Ecclesiæ tribunal, vnum externum, in quo creditur aliorũ testimoniis; alterum internũ, in quo solius confitentis de se testimonio statur: in illo solũ iudicatur de externis actibus, iique soli præcipiuntur, aut vetantur; in hoc verò etiam iudicatur de internis, quia quisque suos internos actus potest cognoscere & confessario explicare. Alij testes non possũt immediatè cognoscere nisi externos actus: internos autẽ non nisi quatenus cũ his necessariò cõiuncti sunt.

293 Relaxatio voti, non est actus iurisdictionis, sed dominij. Ad Secundum eodem modo responderi posset, illum actum pertinere ad forum internum. Sed meliùs Respondeo Secundò, irritationem, vel dispensationem votorum non esse propriè actum iurisdictionis, sed dominij, vel alterius cuiusdam potestatis quã vnus habet in alium: ita vt hic illo inuito non possit se validè ad aliquid obligare: & sic patet irritat vota filij impuberis, quæ certũ est nõ habere iurisdictionẽ in actus internos. Et Prælatus dispensat in votis subditorũ, tanquã Vicarius Dei cõdonãdo illis ius quod Deus acquisierat per illud votũ: sicut si Prorex auctoritate Regis cõdonaret alicui ius suo Regi per promissionẽ acquisitum: qui est actus dominij ex parte Regis, qui illius iuris dominꝰ est.

294 Ad Tertium Resp. omnes illos canones intelligendos de assensu, qui prodiit in actum externum.

Toletanus. Ad Toletanum Resp. per tales modos loquendi non significari illos excommunicari, sed Ecclesiam eos vt hæreticos execrari. Nam aliàs qui sine interno assensu diceret, *Patrem esse Filium*, esset anathema, quod absurdissimum est. Quare tam in hoc, quàm in aliis antiquioribus Conciliis per similes modos loquendi, nihil aliud significatur, quàm talem proportionem esse hæreticam, atque ita cum suo auctore execrandam.

295 Ad Primũ argumentũ secundæ sententiæ Resp. illo c. solùm præcipi actũ studiosum externũ; vt hic nimirũ fiat cũ iis circũstantiis quæ necessariæ sunt, vt sit actus externus religionis, & ne contra religionem exteriùs peccetur. Patet ex illius contextu. Nã agit contra illos, qui dum intererant diuino officio fabulabantur cũ sæcularibus; vel eorum fabulis ita intendebant, vt interrumperent diuinũ officium. Et confir. ex Trid. sess. 24. c. 12. de reform. in fine, vbi præcipitur vt clerici cogantur in choro hymnis & canticis nomen Dei reuerẽter, distinctè, deuotèque laudare. Vbi clarè patet, Conciliũ loqui de deuotione & reuerentia, quæ in actu externo consistit, quia ad hanc solam possunt clerici compelli.

Trident.

296 Ad Secundũ Resp. actum externum orationis quoad externas circumstantias debitè factum, esse verè actum externum virtutis religionis, sicut adoratio externa in idolo facta est verus actus externus idololatriæ, etsi illum exercens interiùs non intendat adorare idolum.

Nec refert quòd actus externus sine interno non possit habere rationem veræ virtutis, cùm possit fieri ob malum finem: quia possumus præceptis Ecclesiæ satisfacere per actum qui non sit vera virtus, imò qui sit peccatum, vt patet in ieiunante ob vanam gloriam, [illegible] in pascha te indignè communicante.

[illegible] Tertium, distinguo illarum. Nam si simulatio illa [illegible] per actum externum; ita vt hic verè non ponatur [illegible] Ecclesia præcipitur, sed tantùm simuletur; [illegible] tur prouta

nego sequelam. Nullo enim modo per talem simulationem præcepto Ecclesiæ satisfit. Quòd si totus actus externus debitè ponatur, & sola interna pietas simuletur; concedo totum. Nam certum est eum satisfacere præcepto Ecclesiæ, qui simulat se ieiunare ex pietate, & piè in paschate communicare, etsi ieiunet ob vanam gloriam, & sacrilegè communicet.

Ad Quartum Resp. in illo & similibus iuribus solùm puniri actum externum aut omissionem contra iustitiam aut officium commissa: internum autem affectum solùm requiri tanquam conditionem sine qua externus actus non puniretur.

297 Qualis debeat esse necessaria sit ad audiendum Sacrum. Ad difficultatem igitur suprà propositam Resp. Primò, quicunque vult audire Sacrum siue præceptum sit, siue non, tenetur iure naturali diuino habere internam deuotionem. Est communis, & per se patet. Quia est contra reuerentiam Deo, tantique mysteriis debitam iis vagabundo animo interesse. Si tamen absit scandalum aut contemptus, distractio ex hac parte non est peccatum mortale, etiamsi exteriùs appareat.

Resp. Secundò, vt quis satisfaciat præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, requiritur vt eidem dum celebratur ita intersit, vt humano & religioso modo cum debita externa reuerentia eidem assistat: ita vt verè possit dici hic & nunc actum externum religionis exercere, ac cum celebrante in precibus externis communicare. Probatur, quia aliàs non posset dici decenter ac humano & religioso modo audire Missam.

298 Hinc patet Primò, eos qui tempore Sacri huc illuc circumspiciunt, peccare etiam contra præceptũ Ecclesiæ, quæ externam reuerẽtiam præcipit, multoque grauiùs peccant, qui fabulantur. Imò si fabulæ sint continuæ, & durent magna parte Sacri, facilè possunt esse peccatum mortale. Grauiter enim repugnãt actui ab Ecclesia præcepto. Ita enim fabulantes nullo modo possunt dici reuerenter Sacro interesse: aut exercere actũ externũ verè religiosum, sed potiùs irreligiosum: atque ita absolutè non ponunt actum ab Ecclesia præceptum. Secùs esset si tantùm interruptim hinc inde aliquot verba miscerent, & posteà iterum Sacro reuerenter attenderent. Quamuis enim tales satis grauiter peccent cõtra reuerentiam iure diuino & Ecclesiastico huic actui debitam; non tamen videntur peccare mortaliter si absit scandalum. Et sic intellige Sotum d. 13. q. 2. a. 1. qui absolutè dicit fabulãtes in Sacro satisfacere Ecclesiæ præcepto, quod sine hac moderatione videtur esse falsum. *Sotus.*

299 Patet Secundò, dormientem in templo tempore Sacri, nullo modo satisfacere præcepto Ecclesiæ, quia non interest Sacro humano ac religioso modo.

An sit necesse videre aut audire sacerdotem. Patet Tertiò, etsi, quando commodè fieri potest, omnino deceat nos ita Sacro interesse, vt possimus videre ipsum celebrantem, & aliquo modo audire quę dicit (hoc enim modo perfectiùs ei in precibus communicamus, & excitamur ad deuotionem) tamen absolutè non est necessarium. Ita communiter DD. Et patet, quia in magnis templis sæpe tanta est frequentia audientium Sacrum etiam non solemne, vt extremi nec possint videre sacerdotem, nec eum audire. Et tamen omnes iudicant eos audire Sacrum.

300 Nota tamen requiri vt possimus aliquo modo in confuso aduertere quid sacerdos agat, vtrùm nimirum dicat Sacrũ an nõ: & aduertere aliquo modo quousq; peruenerit, maximè circa Euangelium & consecrationẽ, quia aliàs non possumus externos actus ab audientibus Sacrum exhiberi solitos exercere, nec verè dici humano modo Sacro interesse. Sed hæc facilè potest quis aduertere ex signis, quæ nunc dari solent, & ex aliorum gestu. Et hactenus dicta Doctores ferè communiter admittunt, vt patet ex Silues. v. *Missa*, 2. q. 6. Nauar. c. 21. n. 5. Suarez hic disp. 88. sect. 3. *Siluest. Nauar. Suarez.*

301 Potest satisfieri præcepto Ecclesiæ sine interna deuotione. Resp. Tertiò, non est necessarium, vt quis præcisè satisfaciat præcepto Ecclesiæ, vt habeat internã aliquã deuotionẽ. Ita Silues. sup. & auctores citati pro tertia *Silues.*

sententia.

sentẽtia. Et ex ea necessariò sequitur. Quia si Ecclesia non potest eiusmodi deuotionem præcipere, non peccat contra eius præceptum qui eam nõ habet. Imò etiã quidam ex iis, qui tenent secundam sententiam etsi verbis à nobis dissentiant, reipsa tamen consentiunt.

Caietan. Nã Caiet. suprà ait: vt quis satisfaciat præcepto de legendis Horis, sufficere illam attentionẽ ad verba, quæ requiritur ne aliquis exponat se periculo malè ac perturbatè verba pronuntiandi, aut etiam omittẽdi, quod verum est: sed hæc attentio potest haberi sine vlla interna deuotione, & cum magna distractione.

302 Satisfacit voluntariè distractus. Hinc sequitur, cũ qui etiã voluntariè est toto tẽpore Sacri distractus, modò sufficiẽter sibi præsens sit vt Sacro cũ externa reuerẽtia debitè assistat; satisfacere præcepto Ecclesiæ. Et cõfir. Primò, quia aliàs qui omnino inuoluntariè in Sacro esset distractus, non satisfaceret præcepto Ecclesiæ, & teneretur audire aliud Sacrum, quod tamen etiã illi qui cõtra nos sentiunt negãt. Hoc autẽ sequi probatur. Quia talis verè non poneret actũ præceptũ, scilicet internã illam attẽtionem. Quòd autem hæc omissio sit illi inuoluntaria, etsi excuset cum à peccato, non tamen efficit vt impleat præceptũ sicut si

Dormiens tempore Sacri etsi inculpabiliter non satisfacit præcepto. quis incipiens audire Sacrum incideret in somnum, & toto tempore dormiret: etsi quando hoc ei esset inuoluntarium excusaretur à peccato, non magis tamen implerer præceptum, quàm si id voluntariè faceret, & æqualiter teneretur audire secundum Sacrũ, si posset.

303 Respondent aliqui, quando quis cum legitima intentione deuotè audiendi Sacrum incipit illud audire, si postea inuoluntariè distrahatur, etsi illa interna attentio non maneat actualiter, manet tamen virtualiter; & hoc sufficere vt impleat præceptum. Secùs autem esse quando distractio est voluntaria: quia tunc illa intentio, & eam sequens attentio reuocantur.

Sed contrà facit Primò, quia etsi intẽtio audiẽdi Sacrũ deuotè, possit dici aliquo modo virtualiter manere, quatenus externa illa auditio ex ea procedens perseuerat; non tamẽ potest dici ita manere ipsa attẽtio interna, quia hæc per actũ omnino contrariũ, scilicet totalẽ distractionem planè interrũpitur. Quando autem aliquis actus ita interrũpitur, non amplius manet virtualiter: vt patet ex dictis q. 64. a. 8. dub. 2. Quòd autẽ illa distractio sit volũtaria, aut inuoluntaria, nihil videtur ad rem præsentẽ facere. v.c. ponamus aliquẽ incipere Sacrum cum intentione verè cõsecrandi, quãdiu progreditur ex illa intentione in dicendis iis ac peragẽdis suo ordine quæ dicenda ac facienda sunt, illa intentio virtualiter manet. Quòd si ita distrahatur vt cesset omnino ab externis illis actibus, interrũpitur illa intẽtio. Quare si tũc nullo modo memor intẽtionis cõsecrãdi, siue se hîc & nũc debere cõsecrare, ex aliquo accidẽti super materiã verba consecrationis proferret, verè nõ cõsecraret, siue illa distractio fuerit volũtaria, siue nõ. Et eadẽ est ratio illius attẽtionis, quæ nullo modo manet in ita distracto. Imò etsi intẽtio audiẽdi Sacri ratione sui effect⁹, scilicet act⁹ externi, maneat virtualiter; secùs tamen est de intẽtione interiùs attendẽdi ad res diuinas cũ interna reuerentia, quia hæc per illã distractionem omnino interrũpitur. Quare si ista attẽtio sit præcepta, omnino distractus non satisfacit præcepto.

304 Secundò, quia, etsi dicta resp̃ōsio haberet locũ in iis, qui omnino inuoluntariè distrahuntur, nõ tamẽ in iis qui negligentes sunt in distractione repellẽda. Nã vel per eiusmodi negligentiam etiã leuẽ tollitur omnino illa deuotio præcepta, & tũc ex leui negligẽtia magna parte Sacri omnino distractus tenebitur audire aliud Sacrũ: vel per nullã negligẽtiam tollitur; & tunc quantumcũque quis sit negligẽs in distractionibus toto tẽpore Sacri repellendis, satisfaciet præcepto Ecclesiæ, modò non velit expressè distrahi, quorũ neutrum illi admittunt. Vel demũ dicendum erit, illam attentionẽ per omnem eiusmodi negligentiã tolli, quando grauis est; per nullam autem tolli, quando leuis est. Et videtur valdè difficile. Quia si vt illa distractio interrũpat omnino illam deuotionẽ, sufficiat vt sit volũtaria indirectè; cùm quæuis ex iam dictis sit ita volũtaria, quæuis eam interrũpet. Nã etsi quòd vna sit minùs volũtaria, efficiat vt sit minus peccatũ; tamẽ nõ efficit vt nõ contrarietur illi attẽtioni, eãque interrũpat: præsertim cũ hæc cõtrarietas quæ requiritur inter duos act⁹, vt vn⁹ alterũ interrũpat, nõ tam cõsistat in morali aliqua repugnãtia, quam in physica: vt patet ex intẽtione cõficiẽdi Sacramẽtũ, quæ per actum cõtrarium æqualiter interrumpitur, siue hic sit perfectè volũtarius, siue nõ. v.c. si aliquis recès factus sacerdos, antequã ferò celebret sæpiùs experiẽdi causa ritus Missæ privatim exerceat, & super legitima materia affluescat sine intẽtione cõsecrandi verba cõsecrationis proferre: ac postea intẽdẽs ferò celebrare incipiat Sacrum; sed circa cõsecrationẽ omnino distractus putet se tãtùm experiri modum dicendi Sacrum, & ex ea intẽtione formã proferat: per hunc actum prior intẽtio planè interrũpetur, siue grauiter, siue leuiter in ea distractione peccarit.

Distractio eodẽ modo interrumpit attentionem siue sit voluntaria siue non.

305 Hinc dicta nostra cõclusio probatur Secundò, quia ex contraria sentẽtia sequeretur, nos sæpissimè in audiẽdo Sacro, ac Horis legendis fore dubios an satisfecerimus præcepto, quia iuxta eam non satisfacimus quoties ex notabili aliqua negligẽtia simus distracti. Cùm autem non facilè nobis possit constare, quanta hîc & nunc fuerit nostra negligẽtia, facillimè dubitabimus an notabilis sit necne. Et quamuis prudẽtes possent se aliquo modo circa actus suos resoluere; tamen summa difficultas nasceretur confessariis, dum semper deberent tam anxiè examinare pœnitentes quantum fuissent singulis Sacris vel Horis distracti, & quanta eorum fuisset negligẽtia in distractione repellẽda, quę alij rarissimè possent exprimere, maximè rudiores.

Et eo quòd interior deuotio præcipiatur, grauis sequeretur incommoda.

306 Probatur Tertiò, quia eiusmodi præceptum haberet plus incõmodi quàm commodi. Quia timoratis esset sæpissimè causa multorũ scrupulorum: laxiores verò parum illo mouerentur, qui enim non mouentur reuerẽtia præsentis ac eos intuẽtis diuinæ Maiestatis, vt inter orandum sint attenti; non multùm mouebuntur auctoritate Ecclesiæ, quàm sciũt actum suum non cognoscere. Et quamuis sciant se cõtra huius præceptum posse grauiter peccare, nõ tamen facilè apprehendent se hîc & nunc ita distrahi, vt grauiter contra illud peccent, ita vt hac ratione ad deuotionẽ excitentur. Quia naturaliter homini insitum est magis moueri ad reuerentiam erga Deum per apprehentionem Maiestatis ipsius, quàm per externum Ecclesiæ præceptum.

307 Tertia difficultas est, Vtrũ is qui legit Horas canonicas tẽpore Sacri die festo, vtrique præcepto satisfaciat? Siluest. v. *Missa*, 2. in fine, id negat. Soto verò in 4. d. 13. q. 2. a. 1. cũ aliis affirmat. Et hæc est cõmunior & vera sententia. Quia potest quis sufficienter attendere Horis, non solùm vt eas perfectè, sed etiam vt deuotè legat; & tamẽ simul exhibere sacrificio eã præsentiã quã dixi sufficere ad audiendã Missam, etiã cũ ea reuerẽtia, quã hoc sacrificiũ postulat. Quare hac in re nullũ est peccatũ: etsi magis deceat hæc diuerso tẽpore fieri.

Beneficiatus licitè legit Horas tempore Sacri. *Sylueſter. Soto.*

308 Quarta difficultas est, Vtrùm, vt quis satisfaciat præcepto Ecclesiæ, dum audit Missam, aut Horas legit, necessarium sit vt hoc intendat?

Quidã asserunt eum debere hoc expressè intendere: quia præcipitur actus obediẽtiæ, quem nõ exercet is, qui nõ intẽdit obedire. D. A. 2. p. t. 9. c. 10. §. 1. Sed hæc ratio nullius est momẽti. Quia nõ præcipitur actus formalis obediẽtiæ, sed rãtũ materialis: quẽ facit die festo audiens Missam quacũq; intẽtione hoc faciat. Quare DD. cõmuniter tenẽt cõtrariũ. Aliqui tamẽ apud Sanchez l. in præcept. decal. c. 13. n. 12. requirũt, vt non habeat saltẽ intẽtionẽ nõ satisfaciendi præcepto Ecclesiæ. Quia nemo potest dici obedire, quãdo habet absolutè voluntatẽ nõ obediẽdi. Hinc inferunt, eũ qui die festo manè audit Sacrum volẽs per hoc nõ satisfacere

D. Anto. Satisfacit præcepto, qui hoc nõ intendit. *Sanchez.*

præcepto; sed suę deuotioni, & postea aliud audire, verè per hoc nõ satisfacere præcepto, atq; ita teneri audire secundũ. Adduht, si tamen postea mutet voluntatẽ antequam vltimum Sacrum dicatur, & velit per illud Sacrum satisfeciſſe præcepto, non teneri audire aliud.

309 Sed hi non videntur consequenter loqui, quia si ad impletionẽ præcepti nõ sit necessaria intentio faciẽdi actũ, quia præceptus est, nihil obstabit volũtas cõtraria: atque ita qui exteriùs facit integrè actũ præceptũ, si interiùs habeat voluntatẽ nullo modo parendi, peccabit quidem contra virtutem obedientiæ, non tamẽ cõtra præceptũ Ecclesiæ. Sicut qui haberet voluntatẽ conditionatã non parendi Superiori posito quòd hoc vel illud præciperet, peccaret quidem contra virtutem obedientiæ, non tamẽ contra præceptum Superioris, quia nullũ esset. Hinc si quis cũ debita aliàs reuerẽtia audiret Sacrum, quia nõ auderet hero hoc præcipiẽti contradicere, cum expressa tamen voluntate non obediendi per illum actum Ecclesiæ, etiamsi esset lata excommunicatio in non audientes Sacrum, nullo modo eam incurreret. Quia, etsi peccaret grauiter cõtra virtutẽ obedientiæ, non tamen cõtra præceptũ Ecclesiæ. Quare talis teneretur quidẽ mutare illam voluntatẽ, ne pergat peccare contra virtutem obedientiæ, nõ autem vt satisfaciat præcepto Ecclesiæ: verò qui manè audit Sacrũ, intendẽs per illud non satisfacere præcepto Ecclesiæ, sed solũ propriæ deuotioni, & postea audire aliud vt satisfaciat præcepto Ecclesiæ, verè huic satisfacit per prius Sacrũ: nec ad quidquã postea tenetur, nisi vt posito quòd postea nolit audire aliud Sacrũ, simul etiã desinat habere voluntatẽ nõ satisfaciẽdi præcepto Ecclesiæ per Sacrum quod iã audiuit. Nam si pergeret velle nõ satisfacere Ecclesiæ per Sacrũ auditũ, & tamẽ simul nollet audire aliud, implicitè vellet non obedire Ecclesiæ: atque ita peccaret contra virtutẽ obedientiæ. Nõ tamen tenetur positiuè illã voluntatem reuocare, quia mala non fuit, sed bona, quia fuit voluntas audiendi plura Sacra: atque ita sufficit vt negatiuè circa eam se habeat. Ita cum aliis Sãchez suprà.

Sanchez.

310 Dices, Qui ex voto tenetur audire aliquod Sacrũ, si manè vnum audiat intendens per illud non satisfacere voto, sed ad hoc implendum audire secundum, tenebitur ex voto audire secundum Sacrum: ergo idem dicendum de obligato audire Sacrum ex præcepto.

Differentia inter præceptum & votum.

Respondeo, negando conseq. Quia sicut nobis obligationẽ per votum imponimus: ita possumus eam extendere ad materiã eo voto non comprehensam. Talis autem extendit ita suum votũ ad secundũ Sacrum audiendum, & implicitè facit quodammodo secundũ votum aliud Sacrũ audiendi. Quare in rigore loquendo, audiendo prius Sacrũ satisfacit priori voto: tenentur tamen ad secundum audiendum ratione secundi impliciti voti. Confir. quia, si Ioanni promisisse dare centũ, & postea darem ei centum, dicendo me ea liberaliter omnino dare, & velle manere priorem obligationẽ ex promissione ortã dandi illi alia centum; non est dubiũ quin teneret ei ex promisso dare alia centum, siue hîc esset virtualiter noua promissio (quod satis verosimile est) siue quòd per illam dationem nõ impleretur prior promissio, eò quòd ipsa alio titulo fieret & acceptaretur: ergo idem dicendum est in promissione facta Deo: quia est eadem ratio. Secùs est de præcepto. Quia sicut nemo potest sibi præceptum imponere, ita nec ab alio impositum potest latiùs extendere, siue efficere, vt ad plura obliger, quàm initio obligabar.

311 Petes, Vtrùm is cui pro pœnitentia iniunctum est, vt audiat aliqua Sacra, aut qui id vouit, satisfaciat audiendo Sacra ad quæ obligatur ex præcepto.

Respondeo, hoc pendere ex intentione præcipiẽtis, aut vouentis, quæ, quando de ea dubium est, prudentis iudicio ex circumstantiis debet colligi. Cõmuniter tamen pœnitẽtiæ solent intelligi iniunctę circa materiã non præceptam; & cõsequenter talis non satisfaceret. Quando tamen sacerdos alicui iniungeret vt die festo duo vel tria Sacra audiret, nisi aliunde aliud cõsteret; intelligẽdus est velle comprehendi simul Sacrũ ad quod aliàs tenetur ex præcepto Ecclesiæ. Ideo enim iubet eũ eodem die duo audire, quia vult eum vnum audire supra id quod præceptum est. Sic qui simpliciter vouit singulis diebus audire Sacrum, nisi aliud expressè intendat, non cẽsetur se obligare ad audiẽda duo diebus festis vel Dominicis, quia quando non cõstat de mente contraria vouentis, verba intelligẽda sunt vt sonãt: illa autem verba aliud non sonant, eaq; absolutè seruat, qui vnicum Sacrum per diem etiam festum audit.

Quinta difficultas est, Vtrùm vt quis satisfaciat præcepto Ecclesiæ, teneatur diebus Dominicis in sua parochia audire Sacrum? 312

Satisfacit præcepto audiens Sacrum extra parochiã.

Sed hæc solutio iã facilis est. Nã etsi olim fuerint varia iura quæ hoc videtur præcepisse; iam tamẽ cõmuni contraria cõsuetudine abrogata sunt. Quare cõmuniter Doctores iam docent, satisfacere huic præcepto eũ qui audit Sacrum extra suam parochiam, siue hoc solẽne sit, siue nõ. Vide Silues. v. *Missa*, 2. n. 5. Omni modo tamen suadendũ est omnibus, vt, quantum cõmodè fieri potest, præsertim diebus solemnioribus in suis parochiis Sacrum solemne audiant. Hoc enim multũ ad splendorem Ecclesiæ, & solemnitatem officij confert.

Silues.

Sexta difficultas est, Quænam ab audienda Missa excusent? 313

Qua in re conuenit inter omnes DD. eos omnes excusari qui sine notabili suo incommodo eã audire non possunt. Plura autem eiusmodi impedimenta passim enumerãt Summistæ, quare cùm passim obuia sint, nõ est necesse hîc inserere. Vide Nauar. c. 21. n. 3. & seqq.

Nauar.

Notandũ autem hîc est Primò, etsi itinerantes excusentur ab auditione Sacri, quãdo sunt in locis vbi id nõ dicitur; aut quãdo sine graui incommodo non possunt illud audire: ad hoc tamẽ nõ sufficere quòd deberẽt iter suũ nonnihil retardare, aut etiã amittere comites suos nolentes expectare, quando nõ sequeretur aliud graue incommodũ, nisi quòd soli deberent postea incedere. Hoc enim eos nõ excusat ab audiẽda Missa: quia nõ est tanti momẽti. Secùs esset si sequerẽtur incõmoda, vt si per hoc exponerẽtur periculo grauiter errãdi ĩ via, quã nec norũt, nec facilè ab aliis possẽt discere: aut si itinera solis incedẽtibus essent periculosa, aut si essent pauperes, & alerẽtur à comitibus, &c. Quare discedẽtes die festo è loco vbi fiunt Sacra, renentur cõmuniter vnum priùs audire, nisi moraliter essent certi quòd possent ipsum in itinere audire, quia autẽ hoc sæpissimè fallit, sæpissimè est aliqua culpa, & quidem satis grauis, illud non audire ante discessum. Vide Suarez d. 88. sect. 6.

314 Quãdo itinerãtes ab hoc præcepto excusentur.

Suarez.

Nota Secundò cũ eodem ibidem, quando ancillę vel famuli ita occupãtur à suis dominis vt non possint audire Sacrum; quamuis domini grauiter peccẽt nõ permittendo iis vt audiãt Sacrum (nisi in aliquo casu particulari id sine notabili suo incommodo permittere nõ possint) ipsi tamen excusantur. Ad hoc tamen necessarium est Primò, vt indicent domino se non audiuisse Sacrum, & petãt facultatẽ audiendi, etiãsi sciant ipsum nõnihil grauiter laturũ, quãdo diuturna ira, aut grauis turbatio nõ timetur. Quòd si rogat nõ permittat, excusantur. Secũdò, vt quãtã possunt diligẽtiã adhibeãt, vt vel audiãt Sacrũ antequã dominus eorũ opera indigeat, aut negotia sua ita disponant ac expediant, vt tẽpus audiendo Sacro commodum reperiant. Non tamẽ ideo tenetur notabiliter aliquid de moderato, ac communiter aliis famulis concesso somno detrahere. Hoc enim esset nimis durũ: vt notat Sua. suprà. Tertiò, si viderẽt se cõmuniter ferè toto anno ita impediri, teneretur, si sine graui dãno possent, talẽ herũ deserere: quia hoc valdè repugnat officio hominis Christiani. Si quis plura hac de re velit, videat Sua. ac Nauar. suprà.

315 Quando famuli excusentur.

Suarez.

Nauarrus.

DISPVTATIONVM
IN VNIVERSAM DOCTRINAM D. THOMÆ
DE
SACRAMENTIS
AC CENSVRIS
ECCLESIASTICIS

Tomus Secundus.

AVCTORE ÆGIDIO DE CONINCK BELLANO,
è Societate IESV, *in Collegio eiusdem Societatis in Academia Louaniensi S. Theologiæ Professore.*



ROTHOMAGI,
Sumptibus IOANNIS OSMONT, in Curia Palatij.

M. DC. XXX.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

PRÆFATIO.

HActenus in explicatione Sacramentorum ordinem ac methodum D. Thomæ secuti sumus, cúmque simul etiam explicuimus, quantum instituti nostri ratio & breuitatis studium patebantur. Sed quoniam ipse reliqua Sacramenta in sua Summa explicare quidem aggressus est, sed morte præuentus perficere non potuit; relicta in posterum ipsius explicatione, eam in iis exponendis rationem sequemur, quam perspicuitati & breuitati (quibus toto hoc opere pro viribus semper studuimus) conuenientissimam iudicabimus.

Scripserunt autem de pœnitentia quàm plurimi. Inter Catholicos primus omnium Cyprianus in sermone de lapsis. Deinde D. Chrysost. in duobus libris de compunctione cordis, & homiliis duodecim de pœnitentia. D. Ambrosius de eadem scripsit libros duos: totidem D. Augustinus in tom. 9. alterum scilicet de pœnitentiæ medicina; alterum de pœnitentiæ vtilitate. Extat apud eundem tom. 4. alterius auctoris liber de vera & falsa pœnitentia, qui imprudenter D. Augustino inscribitur, cùm eius auctor c. 17. D. Augustinum citet. De eadem scripserunt plurimi Theologi cum Magistro in 4. d. 14. & cum D. Thoma in 3. p. q. 84. & sequentibus.

Qui nam de pœnitentia scripserint. *Cyprian. Chrysost. Ambros. Augustin. Magister. D. Thomas.*

DISPVTATIO I.

DE POENITENTIA VT EST VIRTVS.

DVBIVM I.

Quid nomine pœnitentiæ significetur?

1 Quid pœnitentia significet. *Isidorus.*

CATHOLICI communiter omnes docent hac voce significari pœnam aliquam, siue animi dolorem peccata sua punientis, secuti Isidorum in exhortat. ad pœnit. & Auctorem lib. de vera & falsa pœnitentia c. 19. qui *pœnitere* volunt idem esse atque *pœnam tenere*. Sed mollibus nostris hæreticis, quibus sola dulcia placent, hæc austeritas mirum in modum desipit. Quare Christianis quantumcunque peccarint, nullam aliam pœnitentiam præscribi volunt, quàm quandam resipiscentiam, ac melioris vitæ amorem. Hinc eorum præcursor Erasmus in cap. 3. Matthæi conatur vocem *pœnitere* deducere à *pone tenere*, vt idem sit atque postea sapere; sed satis ridiculè: vt patet tum ex ipsa voce (nec enim dicitur *pœnitentia*, sed *pœnitentia*, à pœna scilicet) tum etiam ex communi vsu Latinorum. Hinc Ouidius lib. 1. de Ponto eleg. 1.

Hæreticorum de ea sententia.

Erasmus.

Ouidius.

Pœnitet, ô si quid miserorum creditur vlli,
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.
Cúmque sit ex ilium, magnè est mihi culpa dolori,
Estque pati pœnam quàm meruisse minùs.

Vbi clarè ostendit pœnitentem torqueri dolore. Quod clariùs docet Ausonius in epigrammate de occasione, vbi ait:

Ausonius.

Sum Dea quæ facti, non facti quæque exigo pœnam,
Nempe vt pœniteat; sic metanœa vocor.

2 Quare aliis Nouatoribus nostris ea nominis deductio visa est durior, ideóque concedunt pœnitentiam significare animi dolorem. Sed qui cum Epicureis quibusdam suam beatitudinem ponunt in quadam indolentia, ne aliquem dolorem coganter ex sua lege in se admittere, eam vocem è sacris omnibus Codicibus, quantum possunt, eradunt: nam in omnibus S. Scripturæ locis, vbi noster interpres vertit *pœnitere*, aut *pœnitentiam*; ibi vertunt *resipiscere*, ac *resipiscentiam*. Quia in Græcis aiunt vbique haberi μετανοεῖν, aut μεταμέλει, ac μετάνοια, aut μεταμέλεια, quæ, vt patet ex etymologia, resipiscentiam quandam significant.

Sed puerile omnino est, ex sola vocis etymologia contra omnium Doctorum vsum velle voci alicui significationem indere. Constat autem antiquos auctores aliter ea voce vsos, & per eam dolorem quendam animi significasse: vt clarè patet ex versu Ausonij suprà citato. Quod maximè patet ex Scriptura sacra, quæ vbicunque describit modum agendi pœnitentiam, siue, vt in Græco textu habetur, μετάνοια, vbique facit mentionem alicuius doloris aut pœnæ. Genes. 6. v. 6. *Pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus.* Iob vlt. v. 6. *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Matth. 11. v. 21. *Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent:* Græcè μετενόησαν. Quibus consonat illud Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu; & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum.* Et illud Danidis pœnitentis Ps. 37. v. 18. *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* A quibus omnibus multùm abhorret mollis illa Sectariorum resipiscentia & indolentia. Sed hac Epicureis relicta, ex supradictis Scripturæ locis patet, pœnitentiam eam peccatori esse necessariam, quæ contineat aliquem dolorem.

3 Puerile est ex sola etymologia semper velle vocis significationem inquirere. *Genes. 6. Iob vlt. Matth. 11. Ioël. 2. Psal. 37.*

Variè autem eam sancti Patres definiunt. S. Augustinus epist. 108. ad Seleucianum. *Est*, inquit, *pœnitentia bonorum & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes, Dimitte nobis debita nostra.* Et D. Greg. hom. 34. in Euang. ait: *Pœnitentiam quippe agere est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.* Quod addit, vt ostendat eam debere includere propositum secundùm se efficax, vlteriùs non peccandi:

4 Pœnitentiæ variæ definitiones. *Augustin. Gregor.*

Alia colligitur ex Auctore de vera & falsa pœnitentia cap. 19. scilicet, *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, semper puniens quod dolet commisisse*; donec scilicet vindicta æquarit culpam. Quòd indicat Auctor Hypognosticon l. 3. vbi ait: *Pœnitentia est res optima & perfecta, quæ omnes defectus* (eos scilicet qui per peccatum defecerunt) *reuocat ad perfectum.* Quæ omnia in sequentibus magis explicabuntur.

Auctor Hypognost.

DVBIVM II.

In quo actu formalis ratio pœnitentiæ consistat?

NOta Primò, vt patet ex definitionibus pœnitentiæ n. 4. allatis, & Trident. sess. 14. c. 4. perfectam pœnitentiam multos actus vel sibi intrinsecos, vel eam comitantes complecti.

Trident. Pœnitentia varios actus complectitur.

Primus, est odium quoddam, seu detestatio peccati, qua non modò peccatum in genere, sed vt præsens, atque adeò ipsius præsentiam detestamur. Secundus, est dolor siue tristitia eam detestationem consequens. Ex mali enim præsentis detestatione oritur in subiecto capaci quædam luctа, siue inquietudo animi conantis malum exosum fugere, in qua consistit ratio huius doloris; sicut rationi gaudij in oblectatione animi quietis in bono amato præsente. Quando autem hic dolor est vehemens, gignit sæpè in parte inferiore animi similem quendam affectum, quem gemitus & lacrymæ ferè sequuntur. Hic tamen non est vera virtus, sed passio animi; & quidem est sæpè signum perfecti doloris interni, non tamen necessarium. Quia potest quândoque ratione dispositionis hominis oriri vel ex alia causa, vel ex sola imperfecta quadá peccati displicentia, quæ actualem alterius, vel etiam eiusdem peccati cõplacentiam admittat. Et similiter ratione dispositionis pœnitentis potest contingere, vt sit perfectus dolor de peccato in parte superiore animi, sine eiusmodi cõmotione partis inferioris. Tertius est volũtas omnino quantum fieri potest, in nobis delendi peccatũ. Quartus est volũtas satisfaciendi ei, quem peccato nostro læsimus & consequenter hoc in nobis puniendi, quatenus ad illud est necessarium; quam ipsa realis deinde satisfactio sequitur. Quintus est propositum absolutè vitãdi peccata in posterum. Denique hos omnes actus necessariò præcedit quidam amor boni, cui malum quod detestamur repugnat, vt ostendam num. 15.

Quid sit animi dolor?

Quid gaudium.

Qua ratione dolor animi cum passione partis inferioris conuenire sit.

6 Nota Secundò, quosdam distinguere odium peccati ab eiusdẽ detestatione, quòd illud dicat solùm quandam auersionem à peccato: hoc verò desiderium quo volumus peccatum abesse quantum fieri potest. Quòd si tamẽ communem modũ loquendi spectemus, etsi detestatio differat ab odio inimicitię quo volumus inimico malum prœcisè vt ei malè sit; non videtur differre ob odio abominationis. Nã sicut odimus aliquod malũ absens, ita & detestamur. Nam audiẽtes peccatũ Iudæ cõmuni modo loquendi dicimur illud detestari. Item, sicut detestamur non solùm malum in se, sed eiusdem etiam in nobis præsentiam (quia hæc etiam malum quoddam est) ita eandem etiam odimus: in quo odio perfectè cõtinetur voluntas absentiæ ipsius mali.

Detestatio non differt ab odio abominationis.

7 Nota Tertiò, tertium actum non semper necessariò distingui à duobus prioribus. Nam quando ab initio dum priores eliciuntur, mali præsentis expulsio nondũ apprehẽditur possibilis, efficax eiusdem detestatio expresè in se includit voluntarem illud omni modo destruendi; sicut vera intentio finis includit voluntatem eum per media necessaria assequendi. Secùs est quando dum priores actus eliciuntur, expulsio mali præsentis non apprehenditur vt possibilis. Tunc enim voluntas non potest in eam expresè tendere. Si tamen detestatio sit perfecta & ex se efficax, ipsa statim ac expulsio apprehenditur possibilis, causat in voluntate expressam volitionem destruẽdi illud malum. Sicut si apprehenderem rem aliquam vt mihi valdè bonam; nullo modo tamen occurreret, an possem eam assequi: conciperem quidem statim illius vehemens desiderium; non tamen vellem expresè illam prosequi, donec eius assecutionem apprehenderem possibilem.

Nota Quartò, quartum actum distingui à tertio, sicut distinguitur electio mediorũ ab intentione finis.

Ex dictis patet solutio quæstionis, Vtrùm hæc detestatio peccati, sit voluntas absoluta absentię peccati, an tantùm conditionata. quam disputant Soto d. 14. q. 2. a. 1. in fine: vbi ait esse conditionatam. Et Medina Cod. de pœnitentia tract. 1. q. 1. vbi ait esse absolutam. Et Adrian. in 4. q. 1. §. *Pro huius*, &c. vbi ait esse solùm simplicem quandam displicentiam peccati, absolutam tamen. Sed distinguendum est. Nam si loquamur de hac detestatione, quatenus respicit præcisè peccatum præteritum, secundùm se est solùm simplex quædam & inefficax ipsius displicentia. quia impossibile est vt absolutè & efficaciter velimus nunquá peccasse. quia scimus hoc iam esse omnino impossibile: est tamen hoc desiderium tale vt efficaciter efficeret vt peccatum nunquam fuisset, si hoc esset impossibile. Et hac ratione potest dici voluntas efficax sub conditione: scilicet, vellem nunquam peccasse, si fieri posset. Si verò de ea loquamur quatenus respicit peccatum prout habitu in nobis perseuerat, & expelli potest; sic est voluntas absolutè efficax illud expellendi.

Soto. *Medina.* *Adrian.*

Qua ratione in pœnitente sit efficax voluntas absentiæ peccati.

9 His positis difficultas est in quo ex dictis actibus formaliter consistat essentia pœnitentiæ.

Prima sententia docet, eam formaliter consistere præcisè in detestatione peccati, prout distinguitur à dolore. Ita Caietan. in opusc. tom. 1. tract. 4. q. 1. Citatur pro eadem Vega l. 13. in Trid. ca. 25. Sed ibi nihil dicit pro hac sententia, sed potiùs contrarium: præsertim §. *Et sanè quanquam.*

Caietan. *Vega.*

Secunda sententia docet, eam formaliter consistere in dolore. Ita D. Tho. in 3. p. q. 85. a. 1. in corpore. Et eandem satis insinuat Vega suprà. Quod non est intelligendum de dolore quatenus est passio partis sensitiuæ; sed quatenus est actus partis superioris animæ vt benè notat D. Thomas suprà.

D. Thom. *Vega.*

10 Conclvsio I. Vera pœnitentia necessariò requirit vtrumque actum formaliter elicitum. Quia nec viator potest verè & seriò peccatum quod adhuc habitualiter in eo est, detestari, nisi simul doleat se peccasse. quia hic dolor ex ea detestatione necessariò sequitur in subiecto capaci: sicut gaudium sequitur vehementem amorem boni, quod apprehendimus vt præsens. Nec potest de eo etiá ita dolere, nisi ipsum detesteretur: sicut non possum gaudere de bono præsente, nisi ipsum amem. Atque hoc sensu Trident. sess. 14. c. 4. dicit contritionem esse dolorem ac detestationem peccati.

Pœnitentia requirit formalem detestationem & dolorem peccati.

Trident.

11 Conclvsio II. Pœnitẽtia secundùm rationẽ suam omnino intrinsecam formaliter præcipuè consistit in dolore ex tali detestatione peccati orto: & consequenter connotat ipsam detestationem, imò eam aliqua ratione intrinsecè includit: vt infrà dicam.

Præcipuè tamen consistit in dolore.

Probatur Primò, quia ipsum nomen *pœnitentiæ* afflictionem quandam significat, vt ostendi dub. 1. hæc autem reperitur in dolore, non autem in nuda detestatione. Secundò, quia Beati perfectissimè detestantur peccata à se olim commissa, etiam quatenus secundùm denominationem quandam extrinsecam adhuc manent. Nam vellent, si fieri iam vllo modo posset, nunquam peccasse; & tamen nullus in iis iam est actus pœnitentiæ; idque præcisè quia deest iis dolor, cuius incapaces sunt.

Dices, pœnitentiam esse quidem formaliter detestationem peccati, non tamen quamuis, sed talem ex qua actu sequitur dolor. atque ideo dicitur afflictio & pœna nõ formaliter, sed causaliter. Quia scilicet dolorem

dolorem necessariò causat, atque ita nequit esse in Beatis. Quæ responsio facit priorem sententiam satis probabilem.

Videtur tamen contrà facere Primò, quia ea ratione impropriè loquerentur Patres, qui communiter constituunt pœnitentiam in quodam dolore, & afflictione animi. Secundò, quia inde sequeretur, verum actum pœnitentiæ esse formaliter secundùm omnia sua intrinseca in Beatis, non tamen dici pœnitentiam, solùm defectu alicuius denominationis extrinsecæ: siue verè in iis esse actum pœnitentiæ, eum tamen non dici pœnitentiam. quod videtur contra communem sensum Theologorum, qui absolutè negant in Beatis esse actus pœnitentiæ.

12 Declaratio peccati est perfectior dolore.

Nota Primò, tam in ratione virtutis, quàm in ratione repugnantiæ cum peccato contrario perfectiorem esse dictam detestationem, quàm dolorē. Primò, quia detestatio est magis libera & ex electione, quā dolor. quia illa posita, hic ex quadam necessitate sequitur in subiecto capaci. Secundò, quia detestatio virtute continet omnem perfectionem doloris: sicut causa continet perfectionem effectus æquiuoci. Tertiò, quia quòd hic dolor sit talis aut talis virtus, v. c. contritio, potiùs quam attritio, hoc inde habet quòd sequatur talem aut talem detestationē. Atque hac ratione valdè videtur probabile, pœnitentiam secundum integram & completam suam rationē formaliter dicere vtrumque actum. quia dicit perfectum recessum à peccato & priore vita, coniunctum cum quodam dolore & animi cruciatu, & satis probabiliter vtrumque in recto. Sicut actus fidei prout dicit perfectam virtutem, includit & actum voluntatis, sine qua non potest habere rationem actus liberi, & consequenter nec perfectæ virtutis: & simul actum intellectus, à quo habet propriè quòd sit actus fidei.

Probabile est pœnitentiam virtutis vtrumque actum formaliter includere.

Ex dictis tamen non sequitur, hunc dolorem non esse in se formaliter liberum & verum actum virtutis. quia simili ferè modo ex efficaci intētione finis sequitur necessariò electio medij ad finem obtinendum necessarij, & hæc ex illa habet rationem bonitatis & virtutis, & nihilominus est verus actus virtutis, & formaliter liber quia immediatè à potentia hîc & nunc formaliter liberè operante proficiscitur. Et quamuis voluntas non possit simul retinere illam detestationem, aut efficacem intentionē, quin simul eliciat dolorem, aut electionem medij; potest tamen semper hæc non elicere ab illis desistendo, quod ad formalem libertatem sufficit. Imò eodem ferè modo ipsa detestatio peccati in memore suorum peccatorum sequitur necessariò efficacem amorem boni, cui ipsa peccata repugnant, vt dicam infrà disp. 2. num. 31. & ab hoc etiam habet suam perfectionem.

Ille dolor est formaliter actus liber.

13 Detestatio magis repugnat peccato, quàm dolor.

Nota Secundò, inter hos duos actus detestationem magis primò & per se formaliter repugnare peccato, & ab eo voluntatem omnino auertere. Quare in contritione magis disponitur animus ad remissionem culpæ per illam detestationem, quàm per dolorem. Hic tamen proprièest punitiuus peccati, & consequenter satisfactiuus pro pœna temporali restante post remissionem culpæ.

DVBIVM III.

Quod sit obiectum materiale virtutis pœnitentiæ.

14 RAtio huius difficultatis est, quia communiter Doctores asserunt, solum obiectum pœnitentiæ esse peccatum à nobis commissum. Vnde sequitur, nec vllum peccatum à nobis commissum, nec malum pœnæ, nec aliquid quod habeat rationem boni, posse esse obiectum pœnitentiæ. Ob quam etiam causam ab omnibus asseritur, in Christo non potuisse esse pœnitentiam: quia non potuit peccare.

Contrà tamen videtur facere, quòd secundùm communem sententiam eiusdem virtutis sit amare honestatem sui obiecti, & odisse malum ei contrarium. Item, quòd virtus inclinet suum subiectum vt amet honestatem sui obiecti, & detestetur malum ei cōtrarium, non solùm in se, sed etiam in aliis. v. c. Iustitia inclinat iustū non modò vt amet & procuret id quod iustum est; sed etiam vt oderit & destruat iniustitiam; idque tam in aliis, quàm in se. Item, vt ad id media necessaria procuret; ideóque hæc omnia ad obiectum iustitiæ pertinent. Et idem est de aliis virtutibus. Quare pœnitentia similiter videtur debere odisse peccatum vbicunque reperiatur, & quacunque ratione consideratum, & amare bonum ei contrarium.

Eadem virtus inclinat subiectum, vt amet sui obiecti honestatem & oderit vitium cōtrarium in se ac in aliis.

Pro resolutione Nota, omnem potentiam appetitiuam inclinare ac rendere semper primò & per se in aliquod bonum propter se amabile, verum, vel apparens, ipsum amando: & consequenter inclinari ad fugam omnis mali cōtrarij, & ad prosecutionem eorum quæ ad consecutionem aut conservationem illius boni necessaria sunt. Hinc omne malum accidens rei à nobis amatæ, nos aliqua ratione contristat. Malum autem accidens ei, quod nullo modo amamus, ne quidem eo amore, quo generatim ex naturali affectu solemus omnes homines, imò ferè omnia animalia præsertim innoxia, atque adeò omnes res excellentes amare: tale, inquam, malum nulla nos afficit molestia: vt experientia quotidie nos docet.

15 Omnis appetitus inclinat primò in amorem alicuius boni & cōsequēter in mali contrarium. Malū eius quod non amamus nos non contristat.

Et simili modo omnis habitus (cuius officium est naturalem potentiæ inclinationem in bonum adiuuare, præsertim in rebus arduis) primò & per se inclinat in amorem boni propter se amabilis, & consequenter in fugam mali contrarij, & prosecutionem mediorum, quæ ad illius consecutionem necessaria sunt.

Hinc sequitur, vnum eundémque habitum inclinare ad diuersos actus etiā specie distinctos, eósque non solùm imperare, sed etiam elicere. v. c. habitum intentionis finis elicere electionem mediorum, & odium mali contrarij. Ratio est, quia, cùm, vt dixi, habitus in omni eiusmodi inclinatione primò & immediatè tendat in bonitatem finis, & hac mediante in alia obiecta, semper accipit suam speciem à bonitate finis, quem primò respicit, tanquam ab obiecto formali. Contrà verò actus primò & per se tendit etiam in alia obiecta, v. c. electio in vtilitatem, quam medium habet ad consecutionem finis; & odium in malitiam bono amato contrariam, & consequenter ab his etiam specificantur.

16 Idem habitus ad diuersos actus inclinat.

Adde, actum non solùm specificari à suo obiecto formali, sed etiam à modo tendendi in illud: qui manente eodem obiecto formali variari potest hoc solo quo obiectum materiale diuersimodè potentiæ proponitur, etiamsi hæc diuersitas nullo modo habeat rationem obiecti formalis. v. c. proponitur alicui gloriosa resurrectio corporum vt bona & per se expetenda, statim excitat sui amorem: si autem proponatur vt præsens, (vt in B. Virgine) excitat gaudium: si vt absens & acquisitu impossibilis, excitat inefficax desiderium: si vt possibilis, difficulter tamen & cum labore (vt proponitur nobis) excitat spem: si vt acquisitu facilis, & sine labore (vt proponitur Beatis) excitat desiderium, non tamen spem; quia hæc respicit obiectū arduum, & cum labore acquirendum. In his tamen omnibus actibus obiectum formale quod per se mouet ad amorem, est intrinseca bonitas illius resurrectionis: aliæ autem omnes conditiones etsi sint occasio cur voluntas diuersimodè in obiectum tendat; tamen non sunt ei ratio cur amet obiectum, siue excitans eam ad amorem; sed hoc facit sola bonitas obiecti. quare etiam alia non habent rationem obiecti formalis. Imò absentia rei, impossibilitas, aut difficultas eam acquirēdi, nullo modo habēt rationem obiecti, ne quidem materialis,

17 Actus diuersi possunt habere idem obiectum formale.

cùm nullâ ratione æmentur. Et ex his facilis fit solutio quæstionis.

18 Habitus pœnitentiæ primò inclinat in bonum, & consequenter in peccatum ei contrarium.

CONCLVSIO I. Habitus virtutis pœnitentiæ Primò & per se tanquam in proprium & immediatum obiectum inclinat in bonum cui peccatum contrariatur. Secundò verò in odium ac detestationem peccati: idque generatim, siue sit absens, siue præsens, siue actuale, siue habituale, & in quocunque subiecto sit. Quòd si consideretur vt præsens, excitat simul desiderium absentiæ; inefficax quidem, quatenus omnimoda amotio apprehenditur vt impossibilis: efficax verò, quatenus apprehenditur vt possibilis, iuxta dicta n. 8. Tertiò, excitat dolorem, quibus adiungi potest voluntas illud omnino destruendi: quæ aliquando à dictis actibus est distincta, aliquando non, iuxta dicta n. 7. Quartò, voluntatem satisfaciendi ei, qui peccato læsus est, & consequenter voluntatem illud puniendi, & in hunc finem amplectendi malum pœnæ. Vnde patet, habitum pœnitentiæ contrario modo se habere ad malum culpæ quod detestatur & fugit, & ad malum pœnæ quod amplexatur. Quintò, excitat propositum in posterum omnino fugiendi peccata. Vnde sequitur, hunc habitum habere hæc omnia pro obiecto.

19 Actus pœnitentiæ immediatè tendit in peccatum à pœnitente cõmissum.

CONCLVSIO II. Actus pœnitentiæ tendit in peccatum liberè à pœnitente commissum; quod aliquo modo vel ratione maculæ habitualis, aut quia pro eo non est omnino satisfactum, aut ratione denominationis extrinsecæ, qua dicitur aliquando commissum esse, adhuc perseuerat. Quia, vt patet ex vi nominis pœnitentiæ, & dictis suprà n. 1. 3. 4. & 11. hic actus tendit in peccatum per modum respiscentiæ (quæ respicit vitam malè actam à respiscente) & laboriosæ fugæ, quæ respicit malum aliquo modo præsens. Et sic verissima est communis sententia, nos solùm posse pœnitere peccati à nobis commissi: etiamsi habitus pœnitentiæ omnia absolutè peccata detestetur.

Habitus pœnitentiæ & per se expetendus, & in Christo est: secus est de actu.

Ex his patet, habitum pœnitentiæ esse virtutem per se expetendam, nec supponere vllam imperfectionem in subiecto, & consequenter esse etiam in Christo, ac Beatis. Secùs tamen est de actu pœnitentiæ.

DVBIVM IV.

Quod sit obiectum formale pœnitentiæ, & an sit specialis virtus?

20 HOc dubium de obiecto formali pœnitentiæ propter duo præcipuè proponitur. Primò, vt videamus qualis sit virtus. Secundò, vt intelligatur qua ratione habeat vim delendi peccata.

D. Thom. Scotus. Durand. Suarez. Vasquez. Cur multi obscurè de obiecto pœnitentiæ loquantur.

Hac autem de re variè admodum varij sensérunt, vt patet apud D. Thomam q. 85. a. 2. & 3. & in 4. d. 14. q. 1. quæstiunc. 3. & Scotum ibid. q. 2. a. 2. & Scotum ibid. q. 2. & Durand. ibid. & Caiet. in 3. p. q. 85. ar. 2. & Suarez tomo 4. disp. 2. sect. 3. hic q. 85. ar. 2. & 3. & Vasq. in 3. p. tom. 1. disp. 7. cap. 6. & disp. cap. 3. Multi autem ex iis valdè obscurè de ea loquuntur, eò quòd obiectum habitus ab obiecto actus, & quædam alia non satis distinguant. Quorum sententias & fundamẽta breuitatis causa omitto; eò quòd ex dictis præcedenti dubio, & iis quæ mox notabo, tota res facilè apparebit.

21 Peccatum mortale in se varias malitias continet.

Nota igitur Primò, quoduis peccatum præsertim mortale continere in se varias malitias ob quas est detestabile. Primò, quòd sit contra rectam rationem, & omnino dedecens naturâ rationalem. Secundò, quòd sit contra particularem aliquâ virtutem. Tertiò, quòd sit contra auctoritatem & honorem Dei. Nam cùm ipse sit auctor naturæ rationalis, & communis boni, ac consequenter generalis legislator; omne peccatum repugnat ipsius honori, siue auctoritati, quam violat ac quodammodo lædit: & consequenter ponit aliquam inæqualitatem inter peccatorem & Deum. Sicut iniuria illata homini ponit inæqualitatem inter læsum & lædentem. Quartò, quòd sit quoddã quasi malum Dei; repugnans ipsius nobiscum amicitiæ eámque tollens, & nos inimicos ei constituens: quatenus hæc omnia considerantur non vt malum nostrum, sed vt malum Dei, & ei displicentia. Hanc autem malitiam distinctã esse à tertia, patet. quia etsi per impossibile Deus non esset supremus omnium Dominus ac legislator, nec ei teneremur obedire; tamen posito quòd peccatum esset quoddam ipsius malum ei valdè displicens, & posito quòd teneremur eum amare, vt modò tenemur, eadem etiam lege teneremur vitare peccatum: & quicunque hoc committeret, contra illam legem peccaret, sicut qui sine iusta causa facit aliquid quod scit proximo esse malum, eique rationabiliter valdè displicere, peccat contra præceptum dilectionis proximi.

Quòd duæ malitiæ sẽ per reperiantur cõiunctæ, non arguit eas nullo modo distingui.

Quòd autem vtraque malitia necessariò in omni peccato mortali sit coniuncta, non impedit quò minùs verè formaliter inter se distinguantur. Sicut quòd occisio innocentis sit contra iustitiam, non impedit quo minùs sit contra caritatem. Quintò, quòd priuer nos æterna gloria, & constituat nos reos æternæ pœnæ. Sextò, quòd propter ipsum sæpè incurramus aliqua damna temporalia, v. g. infamiam, aut quid simile.

22

Nota Secundò, nos ob has omnes rationes posse detestari peccatũ, ac de eo dolere, siue pœnitere; & consequenter ob diuersa obiecta formalia, & per actus diuersarum virtutum. Omnis tamen huiusmodi detestatio necessariò procedit ex amore alicuius boni contrarij, vt patet ex dictis n. 15. Hinc si illud detestet ob primam malitiam, erit actus amoris honesti in genere; qui vtrùm sit specialis virtus, & an gignat particularem habitum, non spectat ad hunc locum, sed ad priorem secundæ. Si verò ipsum detestet ob secundam rationem, erit actus illius virtutis, cui peccatum contrariatur, v. g. iustitiæ, vel temperantiæ. Si verò ob tertiã, erit quasi quidam actus iustitiæ: vt mox videbimus. Si ob quartam, erit actus caritatis, cuius est amare omne bonum Dei quà tale est, & odisse omne eius malum, quà tale est: siue detestari quidquid ei aliqua ratione displicet: idque quia ei displicet. Si ob quintam, erit actus spei, qua æterna bona nobis desideramus, & mala contraria odimus: vt ostendam disput. 2. dub. 5. Si ob sextã, non erit necessariò actus virtutis, sed amoris naturalis, quo nosipsos amamus, & mala nostra odimus. Et hæc omnia clara sunt excepta tertia detestatione.

Detestatio peccati à variis virtutibus potest procedere.

23 Qua ratione pœnitẽtia sit particularis virtus.

Dico igitur Primò, dolor conceptus de peccatis ob tertiam rationem est actus veræ virtutis. Patet, quia fertur in obiectum honestum propter intrinsecam eius honestatem: vt patet ex dictis.

Dico Secundò, est etiam actus particularis virtutis à cæteris distinctæ. Patet, quia habet particulare obiectum formale, scilicet malitiam inæqualitatis inter hominem & Deum per peccatum constitutæ.

D. Thom. Vasquez.

Dico Tertiò, hæc virtus est quædam iustitia imperfecta, qualis inter hominem & Deum esse potest. Ita apertè D. Thom. q. 85. ar. 3. & cum aliis Vasquez sup. Probatur, quia velle resarcire æqualitatem læsam inter duos homines, v. g. reparando damnum illatum fortunis aut honori alterius, est actus veræ iustitiæ commutatiuæ: & idem dicẽdum de dolore, quo quis dolet se posuisse illam inæqualitatem præcisè, quia est contra iustitiam: ergo idem dicendum de voluntate resarciendi inæqualitatem per peccatum positam inter Deum & hominem, & de dolore peccati eam voluntatem consequente.

Inter Deũ & hominẽ nequit esse perfecta iustitia.

Est tamen hæc iustitia imperfecta. quia inter Deum & hominem secundùm communem sententiam non potest esse perfecta iustitia. Tum quia nunquam possumus ei ad æqualitatem satisfacere. quod maximè verum est in præsenti materia, in qua per actus proprios pœnitẽtis nulla vnquam, etiam in peccatis venialibus

potest poni omnimoda æqualitas sine aliqua remissione læsi iudicis; vt ostendam in disp. 2. n. 121. Tum etiam quia quidquid sumus, ipsius sumus, & consequenter inter nos & Deum non est sufficiens distinctio qualis requiritur ad perfectam iustitiam: sicut nec inter filium & patrem, dominum & seruum, quà tales sunt.

24 Actus proprius pœnitentiæ ad iustitiam commutatiuã potiùs quàm ad vindicatiuam pertinet. *Vasquez, Valentia, D. Thom.*

Dico Quartò, hæc virtus secundùm actus quos habet efficaces & proprios, non pertinet propriè ad iustitiam vindicatiuam, sed potiùs est similis commutatiuæ. Ita P. Vasquez sup. & Valentia hic disp. 7. q. 2. puncto 1. §. *Quartò ex ratione*. &c. Et apertè eam insinuat. D. Thomas hic. q. 85. a. 3. in corpore, & ad 3. dum ait, peccanti retribuere quod meritus est pertinere ad personam offensam, & ad iustitiam vindicatiuam: voluntariè autem recompensare damnum illatum per peccatum, esse personæ pœnitentis. Probatur Primò, quia pœnitens non intendit punitionem peccati ad aliorum terrorem, vel præcisè quia peccatum dignum est punitione, & ob intrinsecam honestatem quę in ea consistit: quod proprium est iustitiæ vindicatiuæ. sed intendit per se resarcire æqualitatem per peccatum læsam propter honestatem huic compensationi intrinsecam: quod est proprium iustitiæ commutatiuæ. Secundò, actus iustitiæ vindicatiuæ est actus iurisdictionis superioris in inferiorẽ, quæ nullo modo cõueniunt actibus pœnitentiæ. Dixi *secundùm actus quos habet efficaces*, &c. quia habet ferè adiunctos quosdam actus inefficaces, qui pertinent ad iustitiam vindicatiuam, quatenus inclinat pœnitentem vt placeat ipsi punitio peccatorum, ex qua complacentia sæpè in pœnitente oritur voluntas efficax puniendi in se per opera laboriosa peccata commissa: sed hæc voluntas, actionésque eam sequentes nõ sunt propriè actus pœnitentiæ. quia hi à peccatore exercentur prout subit personam rei: illi autem ab eo fiunt quatenus subit quodammodo personam iudicis vindicantis in se sua peccata.

Exercet tamen etiam aliquos actus iustitiæ vindicatiuæ.

25 Pœnitentia est species religionis. *D. Thom. Caiet.*

Dico Quintò, hæc virtus est species religionis. Ita Caiet. in 3. p. q. 85. a. 1. Probatur, quia, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 80. a. 1. religio est pars potentialis iustitiæ generatim inclinans creaturam vt Deo reddat quod ei debitum est. Pœnitentia autem eandẽ inclinat, vt particulare debitum sub certa ratione consideratum reddat, resarciendo quantum fieri potest læsam æqualitatem: vt patet ex dictis.

Ex quibus patet, pœnitentiam non ita dici particularem virtutem, quasi sub nulla alia virtute generica constituatur: sed quia est certa species virtutis sub certo genere constituta, & ab aliis infimis speciebus distincta: sicut iustitia commutatiua dicitur specialis virtus; sed tamen contenta sub genere iustitiæ.

26 Vera pœnitentia potest esse sine hac speciali virtute.

Dico Sextò, vt quis agat veram pœnitentiam, non est opus vt eliciat actus huius virtutis particularis: sed sufficit quòd perfectè doleat de peccato ob secundam aut quartam aut quintam rationem ex recensitis n. 21.

Dico Septimò, etsi tertius & quintus dolor sufficiat ad remissionem peccati mortalis obtinendam in susceptione Sacramenti, & in iusto ad satisfaciẽdum pro pœna temporali; solus tamen quartus dolor habet veram rationem perfectæ contritionis, solúsque sufficit ad remissionem peccati mortalis obtinendam extra susceptionem Sacramenti. Quia hic solus est actus caritatis. Patet ex Tridentino sess. 14. c. 4. & dictis to. 1. q. 68. a. 2. dub. 3. & latiùs infrà disp. 2. dub. 2. Quare hæc pœnitẽtia est longè oprima & perfectissima, ideóque de ea in posterum præcipuè disputabimus, quamuis multa quæ de ea dicemus, poterunt cum quadam proportione aliis applicari.

Trident.

27 Pœnitentia vtilis, debet esse supernaturale.

Dico Octauò, vt aliquis ex dictis pœnitentiæ actibus ad remissionem peccati siue in Sacramento, siue extra illud obtinendam sufficienter disponat: aut vt sufficiat ad satisfaciendum pro pœna temporali, quæ culpa remissa restat; debet procedere ex gratia, ac esse supernaturalis. Quia dispositio ad effectum supernaturalem (qualis est remissio culpæ, aut dictæ pœnæ) debet esse supernaturalis, vt habeat conuenientem proportionem cum ipso effectu. Ita expresè Trident. sess. 6. can. 3. *Trident.*

Disputant autem hìc aliqui, Vtrùm hi actus debeãt esse supernaturales in sua substantia; an verò tantùm secundùm aliquem modum. Item, Vtrùm omnis actus supernaturalis habeat obiectum distinctum à naturali. Item, An dentur habitus infusi virtutum moralium, & consequenter pœnitentiæ prout est virtus particularis distincta à caritate. Sed hæc omnia pertinent ad materiam de gratia, aut ad tractatum de fide, spe & caritate, vbi etiam hæc conclusio fusiùs probatur; & communiùs & probabiliùs defenditur, eos actus esse supernaturales in substantia: & dictos habitus virtutum moralium infundi.

28 Pœnitentia imperfecta virtus naturæ haberi potest. *D. Thom.*

Dico Nonò, imperfecta tamen quædam pœnitentia viribus naturæ haberi potest. Ita D. Thom. q. 85. art. 7. in corpore.

Probatur, quia ratio naturalis sufficienter docet Primò, peccatum esse contra legem naturæ, & offendere auctorem naturæ, siue Deum. Secundò, omnino nobis optandum esse, Deum habere nobis placatum; & nocium esse habere eum iratum. Tertiò, pœnitentiam esse necessariam vt persona aliqua offensa placetur. quod naturalis ratio nobis ita indidit, vt parui pueri mox vt vident se parentes offendisse, conentur eos pœnitentiæ ostensione placare. Hinc etiam omnes gentes quantumuis barbaræ instituerunt certos ritus, quibus placent suos deos peccatis offensos. Vnde apertè sequitur, posse quem lumine naturæ apprehendere hic & nunc esse bonum pœnitere de peccato vt placetur Deus, & consequenter ita pœnitere.

Naturanos docet pœnitentiæ necessitatẽ.

Deficit tamen hæc pœnitentia in duobus. Primò, quòd non possit esse satis firma & efficax, vt constanter in posterum vitemus peccata. quia legem naturæ sine gratia implere non possumus. Secundò, quia cùm sit naturalis, nullam ex se habet proportionem cum effectibus supernaturalibus. Sed hæc fusiùs tractare spectat ad materiam de gratia.

Hæc pœnitentia in duobus deficit.

29 Quare sit vtile pœnitere.

Dices Primò, Inutile & stultum est dolere de peccato præterito: quia ipsum non potest iam non esse commissum. Resp. negando assumptum. Quia etsi hic dolor non possit efficere vt peccatum non sit commissum: est tamen valdè vtilis. Primò, ad obtinendam remissionem peccati. Secundò, ad reparandam læsionem auctoritatis diuinæ, eique satisfaciendum. Tertiò, ad ostendum nostrum in Deum affectum. qua ratione posset quis laudabiliter dolere de peccato, quod scit sibi iam omnino remissum esse.

Dices Secundò, Omnia peccata mortalia sunt contra caritatem in Deum: ergo ad hanc solam spectat excitare in nobis pœnitentiam.

Resp. hinc solùm sequi hoc spectare ad caritatem, non autem ad eam solam spectare. Quia cùm peccatum etiam aliis virtutibus repugnet, ad alias etiam spectat nos excitare ad eius detestationem & destructionem.

DVBIVM V.

Vtrùm quem pœnitet vnius peccati, necessariò eum pœniteat omnium?

30 NOta Primò, non esse hìc quæstionem, Vtrùm is qui detestatur explicitè vnum peccatum, necessariò detestetur explicitè omnia? Hoc enim est apertè falsum. nam possum vnum detestari nullo modo cogitans de aliis: sed, Vtrùm possim vnum detestari, non detestando saltem implicitè omnia alia?

Nota Secundò, hac in re aliter loquendum esse de

peccatis mortalibus, aliter de venialibus: & aliter de vno actu pœnitentiæ, aliter de alio.

Perfecta pœnitentia necessariò saltem implicitè detestatur omnia peccata mortalia, *D. Thom.*

CONCLVS. I. Quicumque absolutè & perfectè detestatur vnum mortale propter primam, tertiam, quartam aut quintam rationē ex recensitis n. 21. necessariò implicitè detestatur omnia mortalia. Ita D. Thom. q. 86. a. 3. *in corpore*, & ferè communiter Doctores.

Probatur, quia qui absolutè & perfectè amat aliquod bonum, necessariò saltem implicitè auersatur omne malum, quod illius boni est omnino destructiuum: sicut qui intendit efficaciter finem, implicitè intendit media ad eum acquirendū omnino necessaria, & consequenter auersatur malum quod eum finem necessariò destruit: atqui (vt patet ex dictis n. 15.) omnes dictæ detestationes, si perfectæ sint, procedunt ex amore absoluto & efficaci alicuius boni, cui quodlis peccatum mortale ita contrariatur, vt ipsum planè destruat: vt patet discurrenti per singula: ergo quicūque vnum ita perfectè detestatur, necessariò detestatur omnia. Confirm. quia absolutus amor cuiuscumque boni est virtualis fuga ac detestatio mali ei omnino contrarij: sicut accessio ad vnum terminū est necessaria recessio à termino ei directè ita oppositro; vt motus in vtrumque simul esse non possit. Amor autē omnium supradictorum bonorum, & affectus erga mala contraria sunt termini ita directè oppositi, vt quantū quis ad vnum accedit, tantum necessariò ab alio recedat.

31 Dices, Qui ex amore Dei vult facere vnum opus bonum, quia ei placet, non ideo etiam virtualiter vult facere omnia quæ ei placent: ergo similiter qui detestatur vnum peccatum quia Deo displicet, non ideo virtualiter detestatur omnia.

Cur potius possim velle vnū opus bonū fine alio, quam vnum peccatum fine alio detestari.

Resp. negando conseq. Quia voluntas etiam implicita faciendi omnia bona opera, quando non sunt præcepta, non est necessaria ad conseruandum amorem Dei. Hinc possum simul amare Deum supra omnia, & tamen nolle hīc & nunc hoc bonum opus facere. Secūs est de detestatione peccati. Implicat enim vt amem Deum supra omnia (eadem est ratio omnis perfecti amoris alicuius boni ex suprà numeratis) & simul velim committere aliquod peccatum mortale. Quia hoc ipso quo hoc vellem, amarem peccatum supra Deum. idémque dicendum est ad alias quasdam obiectiones, quas Medina Cod. de pœnitentia tract. 1. q. 12. art. 2. contra dicta obiicit. Est enim eadem omnium ratio, eadémque solutio.

Medina.

32 CONCLVS. II. Detestans aliquot ex dictis modis omnia peccata mortalia, non necessariò & implicitè detestatur omnia venialia. Videtur esse D. Thomæ suprà, Suarez hīc disp. 3. sect. 8. assert. 5. & aliorum DD. qui communiter ad veram pœnitentiam solùm requirunt detestationem omnium mortalium. Et ratio est, quia peccata venialia non habent talem contrarietatem cum aliquo ex illis bonis, ex quorum amore pœnitentia procedit. Quod in quarta & quinta detestatione est clarum. quia nullum peccatum veniale destruit *amicitiam diuinam, aut priuat nos vita æterna.*

D. Thom. Suarez. Cur possim detestari peccata mortalia non detestando venialia.

Maior autem videtur difficultas de prima & tertia. Quia omne peccatū etiam veniale contrariatur rectæ rationi, & ponit aliquam inæqualitatem inter hominem & Deum. Sed dicendum est, peccata venialia repugnare quidem aliquo modo vtrique bono, imperfectè tamen; ita vt illud bonum non omnino tollant, cùm sit supra conditionem humanā vitare omnia peccata venialia. vnde qui solùm peccat venialiter, non dicitur ducere vitam alienam à recta ratione, aut esse iniuriosus in Deum: sicut qui in re parua infert damnū proximo, non potest dici absolutè iniustus. quia propter rei paruitatem eius actus non habet rationē perfectæ iniuriæ. Quod vel inde patet, quia etsi peccata venialia etiam verè displicent Deo, & consequenter aliquo modo contrariantur eius amicitiæ; tamen quia hæc contrarietas est imperfecta, eam non tollunt, sed cum ea consistunt.

Pœnitentia omnino perfecta detestatur etiam omnia venialia. 33 CONCLVS. III. Quando dictæ detestationes peccati procedunt ex amore boni contrarij omnino absoluto & perfecto, virtualiter continent detestationem omnium peccatorum etiam venialium. Videtur sequi ex dictis in fine concl. secundæ. Nam omnia peccata venialia aliquo modo contrariantur bono, quod per talem amorem diligitur. Amor autem alicuius boni omnino perfectus mouet ad detestandum omne malum, quod ei aliquo modo contrariatur: & in tantum à perfectione deficit, in quantum ad alicuius talis mali detestationem non mouet.

34 CONCL. IV. Qui aliquo ex dictis modis detestatur verè peccata venialia, etiā detestatur omnia mortalia. quia hæc magis repugnant bono contrario quàm illa.

CONCL. V. Qui detestatur aliquod peccatum mortale aut etiam veniale ex motiuo secundo, aut sexto ex dictis n. 21. non necessariò etiam detestatur virtualiter omnia mortalia. Patet, quia ratio formalis talis detestationis nō conuenit omnibus. Possum enim perfectè odisse ebrietatem, & simul velle esse iniustus. Imò detestatio vltima vni⁹ peccati mortalis, potest procedere ex amore alterius: sic auarus detestatur prodigalitatē.

DVBIVM VI.

Vtrùm pœnitentia sit in voluntate?

Quæ pœnitentia sit in voluntate. 35 CONCL. I. Pœnitentia qua ob primam, tertiam, quartam, aut quintam rationem detestamur peccata, tam secundùm habitum quàm secundùm actum, est in voluntate tamquā in subiecto. Patet, quia cùm omnis eiusmodi actus procedat ex amore alicuius boni, necessariò debet esse in potentia appetitiua. Item cùm procedat ex motiuo aliquo spirituali, quod solo intellectu potest apprehendi (omnes enim dictæ rationes motiuæ, sunt aliquo modo spirituales) non potest esse in parte inferiore animi, quæ per rationes spirituales immediatè non mouetur. Vnde sequitur necessariò esse in voluntate.

CONCL. II. Pœnitentia qua detestamur peccata quatenus repugnant alicui particulari virtuti, est necessariò in ea parte animi, *in qua est ipsa virtus.* Vtrùm autem aliqua virtus subiectetur in parte inferiore animi non est huius loci disputare.

CONCL. III. Pœnitentia quæ nascitur ex timore alicuius damni temporalis, est in eadem parte animi, in qua est ipse timor: & consequenter quandoque in superiore, quandoque in inferiore.

Pars superior & inferior mutuas affectiones participāt. 36 Nota tamen, propter connexionem partis superioris & inferioris animæ, eas solere mutuas affectiones participare. Hinc quidquid intellectu percipimus, idem rudi quodam & corporali modo imaginamur. Vnde etiam omnem motionem voluntatis, sequitur aliquis similis motus in parte sensitiua: & ex huius *motione*, sequitur etiam communiter motio aliqua in voluntate, nisi hæc resistat.

Atque hinc vlteriùs ex frequenti apprehensione intellectus, qua ob quodcumque motiuum apprehendit peccatum vt graue malum, nascitur in imaginatione quædam dispositio facilitans in ea talem apprehensionem. Et ex eo quòd voluntas frequenter peccatum detestatur, nascitur similis quædam habitualis auersio in parte sensitiua, & quædam inclinatio ad concipiendum dolorem & fletum de peccatis; quæ respondet habitui pœnitentiæ. Et quamuis non sit supernaturalis, sed acquisita, nec etiam vera virtus, nec virtuti pœnitentiæ (quæ in affectu voluntatis perfectè consistit) omnino necessaria; hanc tamen multùm iuuat & facilitat, tum ad actus proprios eliciendos: quia inclinatio partis sensitiuæ etsi voluntatem

Frequentes actus pœnitentiæ gignunt in parte sensitiua aliquā dispositionem illos facilitans.

non

non necessitet, tamen, præsertim quando est vehemens, valdè in hanc vel illam partem concitat, vt experientia patet. Tum etiam in suis effectibus & actibus imperatis, quos multùm facilitat, præsertim quando pœnitentia imperat planctum & lacrymas, aliásve actiones naturali inclinationi repugnantes. Tunc enim hæc repugnantia contraria inclinatione vincitur.

DISPVTATIO II.

DE EFFECTV POENITENTIÆ QVOAD REMISSIONEM PECCATORVM.

DVBIVM I.

Vtrùm omnia peccata possint per pœnitentiam remitti?

1 Nec peccata, nec pœna damnatorum vnquàm remittuntur. *Matth. 25.*

NOTA Primò, non esse hìc quæstionem de peccatis damnatorum siue angelorum, siue hominum. Nam certa fide tenèdum est eos perpetuis pœnis addictos esse sine vlla spe veniæ cõsequendæ: vt patet Matth. 25. v. 41. & 46. Sed tantùm est quæstio de peccatis hominum viatorum.

Nota Secundò, satis etiam constare saltem aliqua peccata per pœnitentiam posse remitti. Hoc enim ex innumeris Scripturæ locis, in quibus hæc vis ei tribuitur, ita clarum est, vt nisi quis velit totam Scripturam negare, hoc negare non possit. Quare nulli hoc vnquam hæretici absolutè negarunt.

2 Difficultas igitur est, Vtrùm sint aliqua in homine viatore peccata, quæ propter suam grauitatem, aut aliam causam, non possint per vllam pœnitentiam remitti. Multi enim hoc aliquando asseruerunt: quorum duplex fuit sententia.

Quidã hæretici senserunt quædam peccata nunquam remitti. *D. Ambros. Paciano. Cardin. Baronius.*

Prima non negabat hominem posse agere pœnitentiam de quouis peccato, sed aiebat quædam peccata præsertim post baptismum commissa, quãrumuis pœnitenti non remitti. Et hìc fuit error Nouatianorum, Montanistarum, Cataphrygum, & aliorum olim hæreticorum: vt patet ex D. Ambros. lib. 1. de pœnitentia cap. 9. & lib. 2. ca. 4. ex Paciano epist. 3. ad Sempronianum. Cardin. Baronio sub finem anni 254. & aliis pluribus. Sumpserunt hi præcipuum suum fundamentum ex quibusdam locis Scripturæ, quæ infrà adferemus.

3 Idem alia ratione alii qui catholici docuerunt.

Secunda concedit, homini verè pœnitenti semper remitti peccatum quantumuis graue, & sæpiùs commissum, negat tamen omnes peccatores in hac vita posse agere pœnitentiam, eo quòd Deus quibusdam neget gratiam ad hoc necessariam. & tales volunt esse eos qui in Scriptura dicuntur obdurari: quibus aiunt Deum non solùm non dare gratiam efficacem, sed negare etiam sufficientem, sine qua impossibile est agere veram pœnitentiam. Ita Medina l. 3. de recta in Deum fide c. 1. Catherinus opusc. de Prædestinatione, & alij. Mouentur præcipuè quibusdam Scripturæ locis, vbi id videtur insinuari. Ecclesiastæ 7. *Considera opera Dei, quòd nemo potest corrigere, quem ille despexerit.* Psalm. 80. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Ad Rom. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Ioan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.*

Medina. Catherinus. *Eccles. 7.* *Psal. 80.* *Rom. 9.* *Ioan. 12.*

4 Sed hæc loca non vrgent: quia in iis tantùm significatur, neminem posse se à suis peccatis conuertere sine auxilio diuino, Deumque hoc quibusdam vel ob eorum peccata enormia, vel ob alias causas sibi notas tam exiguum dare, vt non nisi cum summa difficultate se cum eo possint conuertere, per quod etiam Deus videt eos de facto nõ conuertendos. Et hoc modo Deus dicitur eos obdurare. Sicut etiam pater vulgò dicitur peruertere filium, qui permittit eum incidere in tales occasiones peccandi, quas videt ei futuras causas ruinæ. Talibus autem quandoque dicitur conuersio impossibilis, aut quia valdè difficilis est, aut in sensu composito: quia posito quòd Deus prædixerit eos non conuertendos, fieri nequit, vt de facto conuertantur. Est tamen in eorum potestate adiuuante gratia Dei efficere, vt Deus hoc numquam præuiderit, & consequenter nec prædixerit. Qua ratione Deus dicatur aliquos obdurare.

Simili modo explicandæ sunt quædam locutiones Patrum, qui imitantes modum loquendi Scripturæ videntur dicere, quibusdam defectu gratiæ impossibilem esse conuersionem.

5 Omnibus in hac vita quamdiu ratione vtuntur datur gratia sufficiens.

Contra verò neminem in hac vita quàm diu vtitur ratione, ita à Deo deseri, vt non possit conuerti; videtur multis clarissimis Scripturæ locis probari: quæ sæpissimè generatim inuitat omnes peccatores ad pœnitentiam, docétque Deum non velle eorum mortem, sed vitam. Ezech. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat?* Et infrà v. 31. omnes peccatores suauissimè inuitat ad pœnitentiam: ac demum videns eorum auersionem, & dolens instar parturientis, exclamat: *Et quare moriemini domus Israël? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini & viuite.* Vbi ostendit maximum desiderium salutis pereuntium rebellium ac obduratorum Iudæorum. *Ezech. 18.*

Ex eodem affectu prouenit illud Matth. 11. vbi generatim dicit, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Vbi nemo excipitur. Vnde etiam 1. ad Timoth. 2. de Deo generatim dicitur, *Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quod autem hoc intelligendum sit etiam de obduratis patet ex Lucæ 19. v. 42. Vbi Christus reco- *Luc. 19.* gitans secum mala superuentura iis, de quibus dicitur Ioan. 12. v. 39. quòd non poterant credere, quia cor eorum erat cœcatum, amarè flens exclamauit: *Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua,* (tibi scilicet concessa ad pœnitentiam) *quæ ad pacem tibi.* *Matth. 11.* *1. Timoth. 2.* *Ioan. 12.*

Ex simili erga eosdem affectu exclamat Matth. 23. *Matth. 23.* *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos* (quos Ioannes suprà dicit à Deo fuisse obcæcatos, nec potuisse credere) *quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Similia habentur Iere. 3. Ezech. 33. Isaiæ 49. & alibi sæpiùs. Quæ omnia nescio quo- *Iere. 3.* *Ezechiel. 33.* *Isai. 49.* modo Deus potuerit verè, seriò, ac sincerè dicere, si multos homines viatores & ratione vtentes ita destituat omni auxilio ad salutem necessario; vt possint quidem adhuc quotidie peccare, nullo tamen modo quidquid faciant aut conentur, à peccatis resurgere.

Rom. 2. Consonat his illud Apostoli ad Rom. 2. vbi omnino obduratos, & à Deo desertissimos compellans, ait: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram*, &c. Quomodo clariùs potuisset dicere, nullo modo stare per Deum quò minùs tales conuertantur, qui longanimiter eorum conuersionem expectando, stat ad ostium & pulsat Apocal. 3. commouendo scilicet eorum corda per internas inspirationes? qui, vt dicitur Ioan. 1. *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Apoc. 3.

Ioan. 1.

Sapient. 12. Sed omnium expressissima sunt verba Sapient. 12. vbi dicitur: *Si inimicos seruorum tuorum & debitos morti* (pessimos scilicet & obduratissimos Chananæos, Iebusæos, &c. quorum malitia ibidem v. 10. dicitur non potuisse mutari) *cum tanta cruciasti attentione, & obiecisti ratione, dans tempus & locum per quæ possent mutari à malitia*, &c. Vnde meritò etiã talibus contestatur Oseæ 13. *Perditio tua Israël: tantummodo in me auxilium tuum.* Ac si apertè diceret, Quantum est in me, seriò cupio & procuro salutem tuam, dando tibi sufficientia ad eam auxilia: tu verò ea contemnendo, tibi es causa perditionis tuæ. Vnde etiam cap. *Firmiter.* de summa Trinitate, generatim dicitur: *Et si post susceptionem baptismi, quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari.*

Osee 13.

Cap. Firmiter.

6 Quid de re sentiat D. Thom. Ca dun. Lectura. D. Thom.

Eandem etiam sententiam communiter tenent omnes Patres, vt fusissimè citatis eorũ verbis docet Card. Bellar. li. 2. de gratia & li. arb. c. 5. Idémq; apertissimè docet D. Tho. hîc q. 86. a. 1. non sine aliqua nota sententiæ contrariæ, qua dicit liberum arbitrium tolli.

Respondent aliqui, D. Thomam tantùm velle viatorem posse agere pœnitentiam, si Deus ei dederit gratiam: non autem Deũ omnibus ex parte sua sufficientem dare. Sed hoc est planè contra mentẽ D. Thomæ. Primò, quia eodem modo posset dici, damnatos posse agere pœnitẽtiam; quia si Deus vellet gratiam ad hoc sufficiẽtem iis dare, possent verè pœnitere. Quis enim sine iniuria potentiæ diuinæ neget Deum posse conuertere damnatos? Et sic D. Thomas nullam poneret distinctionem inter peccatores ita obduratos, & damnatos; cùm expressè ibidem inter eos distinguat, absolutè dicens hos non posse agere veram pœnitentiam, illos verò posse. Secundò, quia D. Thomas voluit ibi aliquid docere (vt apertè patet ex contextu) de quo saltem aliqui hæretici aliquando dubitarunt; nemo autem Catholicus aut hæreticus vnquam dubitauit, an Deus per omnem suam potentiam posset quemuis peccatorem conuertere ergo ipse plus ibi voluit dicere, scilicet omnes peccatores quàm diu sunt viatores & ratione vtuntur, habere sufficiens à Deo auxilium vt possint pœnitere, si velint adlaborare.

Quia ratione Deus det omnibus sufficiens auxilium.

Hæc tamen non sunt ita intelligenda, quasi Deus det omnibus peccatoribus quouis tempore gratiam immediatè sufficientem ad eliciendam contritionem. Nam cùm hæc supponat fidem, Deus infideles priùs excitat ad fidem, quàm ad contritionem; & ad hanc communiter tantum dat iis gratiam remotam, idque non quouis momento, sed suo loco & tempore, prout iudicauerit expedire, aliis maiorem, aliis minoremtalem tamẽ, vt si ei voluerint collaborare, possint maiorem impetrare, & tandem etiam eam qua possint mediatè conteri. Posset hæc res multis argumẽtis clarè probari, sed propriè ad hunc locum non pertinet, sed ad primam secundæ. Si quis velit videre pluribus explicatã, videat Card. Bellarm. l. 2. de gratia & lib. arb. c. 5. & seq. P. Suarez in opusc. de auxilio gratiæ qu. 6. P. Valentiã tomo 2. disp. 8. q. 3. puncto 4. Molinam in Concordia q. 14. a. 13. disp. 10. Solùm itaque superest prior difficultas, Vtrùm pœnitens possit cuiusuis peccati remissionem obtinere; quæ propriè huc spectat.

Card. Bellarm. Suarez. Valentia. Molina.

Conclvs. Certa fide tenendum est, nullum esse peccatum tam graue, quòd verè pœnitenti non remittatur. Patet, quia in Scripturis suprà citatis, & aliis pluribus locis generatim omnes inuitantur ad pœnitentiam, & pœnitentibus venia promittitur. Et Ioan. 20. generatim datur Apostolis per Sacramentum pœnitentiæ potestas soluendi ac remittendi omnia peccata. Meritò igitur D. Hieron. epist. ad Oceanum, ait:

7 Cuius verè pœnitenti remittuntur peccata.

Ioan. 20.

Frustra mortuus est Christus, si aliquos viuificare non potest. Mentiuntur Ioannes Baptista & digito Christum & voce demonstrans: Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi; si sint adhuc in sæculo, quorum Christus peccata non tulerit.

D. Hieron.

Vnde ab omnibus Catholicis damnatum est illud Caini Genes. 4. *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Et reprehensa est desperatio Iudæ, & ab Ecclesia damnati sunt Nouatiani, Montanistæ, & similes, dicentes, aliqua peccata non posse remitti. Et in Concilio Lateranensi generaliter definitum est omnia posse remitti, vt patet ex cap. *Firmiter.* suprà citato.

Genes. 4.

Concil. Lateran.

Obijcitur Primò, Marci 3. & Luc. 12. dicitur, blasphemiam in Spiritum sanctũ nunquam remittendam.

8

Marc. 3. Luc. 12.

Omissis variis responsionibus, in quibus varij variè sentiunt quid sit peccatum in Spiritum sanctum, quas adfert Card. Bellarm. l. 2. de pœnitẽtia c. 16. Respond. blasphemiam in Spiritum sanctum hîc dici eam, qua quis agnitam fidei veritatem malitiosè oppugnat, & miracula, quibus ea cõfirmatur, arti magicæ adscribit. Sicut tunc in dictis locis Iudæi blasphemabant doctrinam & miracula Christi; & iam hæretici blasphemãt miracula, quæ diuersis locis fiunt per inuocationem B. Virginis, aliorúmque Sanctorum. Patet, quia post verba Christi dicentis illud peccatum in æternũ non remittendum, D. Marcus suprà subiungit: *Quoniam dicebant* (scilicet Iudæi) *Spiritum immundum habet*, in cuius scilicet virtute volebant Christum eiicere dæmonia, & doctrinam suam proponere. Vbi clarè insinuat hoc esse peccatum in Spiritum sanctum, quod Christus dicit esse irremissibile. Dicitur autem committi in Spiritum sanctum, quia aghitio veritatis, eiúsque per miracula confirmatio per appropriationem tribuitur Spiritui sancto. Matth. 12. v. 28. Ioan. 16. v. 13. 1. ad Corinth. 12. v. 7. 8. &c.

Cardin. Bellarm. Quid sit blasphemia in Spiritum sanctum, & qua ratione sit irremissibilis.

Matth. 12. Ioan. 16. 1. Cor. 12.

Rursum illud peccatum dicitur irremissibile, quia illud committentes, difficillimè, ideóque rarissimè verè conuertuntur. quia diuinæ bonitati eos ad se trahenti omnẽ viam præcludunt. Sæpè autem Scriptura imitando vulgarem modum loquendi, dicit impossibile, & numquam fieri, quod non nisi difficillimè & rarissimè fit.

9 In scriptura sæpè dicitur impossibile quod valdè difficulter & rarò fit.

Sic Ierem. 13. Iudæis dicitur, *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene agere cùm didiceritis malè.* Itẽ Sap. 12. de Chananæis dicitur: *Nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum: & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* De quibus tamen ibidem n. 20. dicitur, quòd Deus cum magna attentione eos punierit: *dans tempus & locum per quæ possent mutari à malitia.* Item Matth. 19. dicitur facilius esse camelo ingredi per foramen acus, quàm diuiti ingredi regnum cœlorum. quod idem est ac si diceretur esse impossibile: & subiungitur, hoc ei esse possibile per gratiam Dei.

Ierem. 13. Sapient. 12. Matth. 19.

Simili sensu 1. Ioan. 5. dicitur quosdã peccare peccatum ad mortem, eos scilicet, qui ex obstinata malitia peccant, qui vix conuertuntur, sed ferè in suis peccatis vsque ad mortem perseuerant. Subiungítque Apostolus se non dicere vt pro talibus oremus: non quòd hoc prohibeat, aut omnino vtile iudicet, aut quòd talium salus omnino sit desperanda (hoc enim esset falsum, quia etiam talibus sæpè gratiam impetramus qua conuertuntur:) sed tantùm indicat talium conuersionem esse valdè difficilem, & se nolle promittere, quòd pro talibus orantes exaudiemur, etiamsi

10 1. Ioan. 5. Quid sit peccatum vsque ad mortem.

ita

ita oremus vt ex parte nostra nullus sit defectus, quo minùs exaudiamur. Quo sensu paulò antè dixerat nos pro aliis leuioribus peccatoribus debere orare, cum certa nimirum fiducia nos exaudiendos. Simili
1. *Reg.* 2. etiam sensu 1. Reg. 2. ait Heli: *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Tantùm enim vult dicere, non esse cuiusuis hominis etiam sancti impetrare à Deo veniam iis, qui tam grauiter eum offenderant, vt fecerant ipsius filij.

11 Obiicitur Secundò, ad Hebr. 6. dicitur impossibile
Hebr. 6. esse semel illuminatos, & postea relapsos, renouari ad
Ib. d. 10. pœnitentiam. Et cap. 10. voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis non restare hostiam pro peccato.

Ad priorem locum duæ sunt responsiones. Prior est ferè communis omnium veterum Patrum, scilicet Apostolum ibi non loqui de quauis renouatione ad pœnitentiam, sed de ea quæ fit per baptismum: qui renouari non potest. Probatur Primò, quia initio capitis locutus est de pœnitentia quæ fit in ordine ad baptismum. Secundò, quia, cùm suprà dixerit non esse hic agendum de doctrina baptismatum, videtur scribere iis qui putabant baptismum sæpiùs posse repeti: sicut in veteri lege ad tollendam immunditiem legalem sæpiùs reperebatur. Tertiò, quia innuit eos qui sæpiùs ita volunt renouari ad pœnitentiam, sæpiùs crucifigere in se Christum. quia scilicet, vt dicitur ad
Rom. 6. Rom. 6. baptizati imitantur passionem Christi. Quare hæc sententia est valdè probabilis.

Secunda sententia est plurimorum recentiorum, qui dicunt Apostolum ibi agere de propriè dicta pœnitentia: & dicere, impossibile esse eos qui post agnitionem veritatis prolapsi sunt in grauia peccata, & præsertim in apostasiam, secundò per pœnitentiam renouari: quia hoc rarò & difficillimè fit, iuxta dicta num. 9. Et hæc sententia est etiam satis probabilis.
P. Cornelius. Vide hac de re plura apud P. Cornelium in cap. 6. ad Hebr. num. 265.

12 Ad secundum locum quidam similiter Respondent, eo cap. 10. Apostolum nihil aliud velle, quàm ita peccantes non debere expectare vt Christus secundò pro nobis moriatur, ac secundum baptismum pro iis instituat. Alij volunt hìc hostiam & sacrificium
Psal. 50. accipi pro pœnitentia (iuxta illud Psalm. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus,*) & Apostolum tantùm velle tales difficillimè posse agere pœnitentiam. Volunt itaque hi auctores vtriusque loci eundem esse
P. Cornelius. sensum. vide P. Cornelium in eundem locum. quæ probabilia sunt. Si tamen totius capitis contextum diligentiùs consideremus, videtur probabilius, quod satis fusè docui & probaui suprà in materia de sacrificio; scilicet Apostolum hìc loqui Iudæis vacillantibus in fide, & volentibus coniungere legem Mosis cum lege Christi; aitque iis voluntariè peccantibus, nullam iam restare hostiam pro peccato. Quia neque ea restat quam Christus obtulit (hæc enim deficientibus à Christo ad Mosen nihil prodest) neque etiam ea quæ offerebatur in lege veteri. quia hæc iam abolita est per legem Christi.

DVBIVM II.

Qualiter requiratur pœnitentia ad remissionem peccati mortalis?

13 CVm disp. 1. n. 22. dixerim nos posse detestari peccata ob varias rationes formales, hoc dubio petitur, ob quam rationem formalem debeamus detestari peccatum, vt hoc nobis remittatur. Rursum cùm peccatum possit remitti, vel per susceptionem Sacramenti vel sine ea; do vtraque remissione potest esse difficultas. Tertiò est etiam aliqua difficultas, Vtrùm actus pœnitentiæ, vt sufficiant ad remissionem peccati, debeant procedere ab habitu caritatis? Sotus in 4. d. 15. *Sotus.* q. 1. ar. 6. §. *Vt autem.* id asserit. Nam dicit pœnitentiam debere esse formatam. quia aliàs non mereretur remissionem peccati de condigno. Sed hæc ratio nihil facit ad rem. quia contritio numquam meretur de condigno remissionem peccati, nec hoc vllo modo fieri potest, vt dicam infrà.

CONCLVS. I. Vt ordinariè per baptismum, aut Sacramentum pœnitentiæ, imò etiam vt quandoque per alia Sacramenta nobis peccata remittantur, sufficit nos ea detestari ob tertiam aut quintam rationem ex recensitis disp. 1. n. 21. aut etiam ob secundam, modò ea detestatio saltem virtualiter se extendat ad omnia peccata mortalia, quæ nobis remittenda restant. Patet ex Trident. sess. 14. c. 4. Et clarè hanc conclus. *Trident.* probaui in 1. to. q. 62. art. 1. dub. 2. Vbi etiam satis fusè explicui qualis hæc pœnitentia esse debeat. Vt quis iustificetur per Sacramenta sufficit attritio.

CONCLVS. II. Ad obtinendam remissionem peccati mortalis siue susceptione Sacramenti, aut martyrij, necessaria est contritio, siue detestatio peccati ob quartam rationem ex ibidem dictis. Ita D. Tho. q. 85. a. 6. & 86. a. 3. & communiter Doctores. Patet ex Trident. suprà, vbi ad eiusmodi peccati remissionem requirit contritionem caritate perfectam. Et apertè colligitur ex Scriptura, quæ omnem vim quam pœnitentia habet ad delenda peccata, tribuit ferè vbique caritati, qua dicit omnia peccata deleri, & illam sine hac nihil prodesse. Luc. 7. Magdalenæ remittuntur peccata *Luc.* 7. multa, quia dilexit multùm: & qui minùs diligit, ei minus dimittitur. Vbi insinuatur nihil dimitti non diligenti. 1. Petri 4. *Caritas operit multitudinem peccatorum.* Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo*, ait Deus. *Prouerb.* 8. 1. Ioan. 4. *Qui diligit, ex Deo natus est.* & c. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Hinc sicut Deuteron. 6. v. 5. iubemur diligere Deum ex toto corde, quo perfectus amor caritatis significatur: ita c. 4. v. 29. vt Deum per pœnitentiam reperiamus, requiritur, vt eum ex toto corde quæramus. & Ioëlis 2. v. 12. vt ex toto corde ad eum conuertamur. Quibus verbis clarè insinuatur, vt pœnitentia sufficiat ad remissionem peccati, requiri vt procedat ex caritate. Similia etiam passim habent Patres. Vnde *D. Augustinus* serm. 7. de tempore: *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei.* Et quamuis præcipua huius rei ratio sit voluntas Dei, qui si voluisset, potuisset nobis aliter peccata remittere; tamen magis conueniebat, vt ad talem peccati remissionem, talem actum requireret. Quia cùm remissio peccati sit maxima quædam res; omnino conueniebat Deum extra Sacramenti susceptionem, eam dispositionem ad eius remissionem in nobis requirere, quæ esset in suo genere perfectissima, quam possimus exhibere. Talis autem est sola illa dicta detestatio peccati. Secundò, quia sicut per peccatum mortale non solùm conuertimur indebitè ad creaturas, sed etiá auertimur à Deo, aliquid suprà eum amando: ita omninò conuenit, vt sola illa dispositio ad eius remissionem, per se sufficiat, quæ Dei amorem supra omnia continet. qua sola perfectè ad eũ conuertimur. Tertiò, quia, cùm remissio numquam fiat, nisi simul acceptetur peccator ad amicitiam diuinam; ad hanc sola illa pœnitentia fuit conueniens dispositio, quæ ex amore amicitiæ, siue ex caritate Dei procedit. Hanc autem pœnitentiam sufficere ad iustificationem ante realem susceptionem Sacramenti, satis patet, tum ex rationibus iam allatis, quæ hoc apertè probant: tum etiam ex dictis tom. 1. q. 68. a. 2. dub. 3. *D. Augustin.*

14 Contritio per se necessaria ad remissionẽ peccati mortalis. *D. Thom.* *Trident.*

Dices, Vt contritio dicatur caritate perfecta, sufficit quòd ab ea informetur, vel impetretur: ergo non erit necesse vt eliciatur ob talem rationem formalem. 15

Resp. negando assumptum. Primò, quia Triden- *Trident.*

Quæ cõtritio dicatur caritate perfecta.

tinum suprà apertè distinguit contritionem caritate perfectam ab imperfecta; quæ non iustificat sine Sacramento. Quòd hæc concipiatur ex consideratione turpitudinis peccati, aut pœnarum inem; clarè insinuans illam concipi ex amore erga Deum, ideóque dici caritate perfectam. Secundò, quia aliàs non disponeret ad remissionem peccati, sed eam supponeret. Nam aliquem actum virtutis informari à caritate, nihil est aliud quàm eum procedere à subiecto existente iam in caritate, cui necessariò remissa sunt peccata. Item vt aliquis actus imperetur à caritate, necesse est ipsum subiectum iam habere caritatem saltem actualem, quæ ipsum moueat ad alterũ actum eliciendum: actus autem caritatis in memore suorum peccatorum necessariò immediatè excitat ad ea detestanda quatenus Deo displicent, vt ostendam num. 50. Vnde sequitur, vt aliquis actus ab his distinctus imperetur à caritate, eum necessariò supponere subiectum iam formaliter perfectè esse auersum à peccatis, & conuersum ad Deum, & consequenter perfectè dispositum ad remissionem peccati, quam necessariò immediatè sequitur iustificatio.

16 Contritio non necessariò procedit ab habitu caritatis. Scotus, Soto.

Conclvs. III. Contritio requisita ad remissionem peccati mortalis non debet esse formata. Ita Scotus in 4.d.14.q.2.art.2. Et est communis, vt refertur Soto suprà. Et probatur. quia aliàs deberet procedere ab habitu caritatis, aut saltem ab habente habitum caritatis. quòd est impossibile. quia sic esset posterior habitu caritatis & remissione peccati, cùm tamen ad eam disponat, & consequenter sit prior naturâ.

Soto. Duæ res nõ possunt sibi inuicem esse causæ.

Respondet Sotus suprà, duas res posse esse sibi mutuò causas in diuerso genere causæ, & consequenter vnam altera priorem, vt patet in causa materiali & formali. Sed hoc apertè implicat, præsertim in causa efficiente. Cùm enim agere absolutè supponat esse, quis vmquam possit cõcipere quomodo effectus priùs naturâ sit, quàm causa à qua producitur? siue, quomodo causa verè existens pendeat à suo effectu posteriùs naturâ futuro, tamquam à dispositione ad sui productionem necessaria? Confirm. quia in eo instanti naturæ quo effectus concipitur disponere ad illius productionem, deberet concipi nondum esse: quia causa debet concipi esse prior naturâ suo effectu, & simul deberet concipi iam esse. quia nihil potest concipi verè à parte rei disponere subiectum ad receptionem formæ, nisi concipiatur existere.

Quod autem sumitur de materia & forma, falsum est. Nec enim vmquam materia in sui productione dependet physicè à sua forma: nec est causa materiæ, sed compositi. Similiter quod aliqui dicunt infusionem gratiæ, & remissionem peccati esse sibi mutuò diuerso respectu priores & posteriores, non est verum, vt ostendam n. 17.

17 Caritas non infunditur priùs naturâ quàm remittatur peccatum.

Dices, Caritas priùs naturâ infunditur quàm remittatur peccatum. quia ipsa est causa remissionis peccati: ergo contritio poterit ea informari priùs naturâ quàm sit remissio peccati.

Resp. negando antecedens. Nam cùm, vt docet Trident. sess. 6. cap. 7. gratia habitualis siue caritas (quæ vel est eadem res cum gratia habituali, vel simul cum ea infunditur) sit causa formalis nostræ iustificationis; eodem instanti naturæ quo ipsa concipitur nobis infusa, concipimur iusti: sicut hoc ipso quo concipitur subiecto inhærere albedo, aut lumen, ipsum necessariò concipitur album aut lucidum. Item hoc ipso quo concipitur aliquis iustus; concipitur necessariò ei remissa esse peccata mortalia. quia iustitia intrinsecè dicit absentiã peccati mortalis. Vnde sequitur, eodem instanti naturæ, quo gratia concipitur infusa, necessariò concipi peccatum esse remissum, secundùm præsentem Dei institutionem. Nam etsi credam probabilius gratiam non habere physicam repugnantiam cum peccato, & Deum posse eam infundere nec remittendo peccatum, nec hominem iustificando; tamen ipse absolutè statuit hæc numquam diuidere: atque ita ex eius institutione, ipsa gratiæ habitualis infusio, est moraliter quædam peccati remissio: & hoc ipso quo Deus illam infundit, hoc remittit. Sicut olim Romani ipsa immediatè pilei impositione auferebant mancipiis seruitutem, & dabant libertatem. Et iam Iudex ipsa externa verborum pronuntiatione reum absoluit. Quare hæc necessariò sunt simul naturâ, scilicet gratiæ infusio, & peccati remissio. Item gratiam infusam esse, & peccatum remissum esse.

Gratiæ infusio & peccati remissio sunt simul naturâ.

Conclvs. IV. Contritio disponit ad remissionem peccati, quatenus procedit simul à gratia præueniente & cooperante, ac à libero arbitrio. Nam vt ita disponat, necessariò est & libera; quod habet à libero arbitrio: & simul supernaturalis, quod habet à gratia. 18

DVBIVM III.

Qua ratione contritio concurrat ad remissionem peccati mortalis?

19 Soto. D. Thom. Pœnitentia non expellit peccatum effectiuè.

PRima sententia docet, pœnitentiam causare remissionem peccati per modum causæ efficientis. Ita Soto in 4.d.14.q.2.a.2.§. *Tertiò vt.* &c. Ad hoc videtur inductus auctoritate D. Thomæ, qui q.85.art.2. ad 3. dicit pœnitentiam expellere effectiuè peccatum. Sed si Soto hoc intelligat (vt videtur intelligere) de remissione peccati extra Sacramentum, prout hic de ea disputamus, eius sententia est valdè difficilis. Nam ille actus, (sicut & alij actus immanentes) nullam habet vim effectiuam aliquid producendi nisi ipsum habitum. Quare nequit intelligi quomodo effectiuè delcat peccatum. Nam vel hæc remissio est omnino idem cum infusione gratiæ, & sic nullo modo potest fieri ab actu pœnitentiæ. quia hic vt est actus virtutis, nullam habet vim producendi gratiam (quæ à solo Deo infunditur) & consequenter nec destruendi peccatum: vel si concipiamus eam remissionem vt distinctam ab infusione gratiæ, sic nullam potest habere causam sufficientem præter Dei voluntatem, quæ eam immediatè operatur: sicut voluntas mea operatur remissionem debiti, quo alius mihi obligatur, quando hoc ei remitto.

Ad D. Thomam Resp. eum tantùm velle, actus virtutis pœnitentiæ concurrere effectiuè ad productionem gratiæ, & consequenter ad destructionem peccati, quatenus sunt pars Sacramenti: vt clarè patet ex q.86.art.6. in corpore, & ex q.85.art.1.ad secundum, vbi ait, contritionem vt est pars Sacramenti, effectiuè producere gratiam (quod intellige de efficientia morali iuxta dicta tomo 1. q.62.art.4.) Vt verò est actus virtutis, docet eam se habere vt vltimam dispositionem ad gratiam consequendam.

20 Contritionem expellere formaliter peccatum aliqui sentiunt. Trident.

Secunda sententia docet, peccatum formaliter expelli per contritionem, quatenus hæc continet actum caritatis, sicut frigus expellitur per calorem. Fundamentum præcipuum est: quia, vt docet Trident. sess. 6. cap. 7. nostra iustificatio (quæ includit remissionem peccati) formaliter fit per infusionem alicuius formæ inhærentis gratiæ scilicet, siue caritatis. Quod videtur ita intelligendum, vt ista forma expellat naturali sua vi peccatum. Nam aliàs remissio peccati non fieret præcisè per infusionem illius formæ, sed per extrinsecam Dei condonationem. quod videtur Trident. ibi negare. Quòd si autem habitualis caritas habeat vim formaliter expellendi peccatum, multò magis eam habebit *caritas actualis*. quia hæc nos perfectiùs Deo coniungit quàm illa.

Confirmatur Primò, quia hic actus est vera amicitia cum Deo: ergo formaliter expellit peccatum, quod

est quædam inimicitia inter nos & Deum. Secundò, quia per actum caritatis tam perfectè Deo inhæremus, quàm per peccatum ab eo auertimur: ergo ille hoc omnino delet. Tertiò, quia videtur omnino dicendum, Deum posse in homine excitare aliquem actum tam perfectum, vt per ipsum necessariò peccatum expellatur: (nam contrarium videtur diuinæ omnipotentiæ, & excellentiæ ipsius gratiæ multùm repugnare.) atqui si vllus talis actus sit possibilis, hic videtur omnino esse actus caritatis supernaturalis: ergo hic peccarum ita expellit. Quartò, quia formalis nostra beatitudo præcipuè consistit in actuali Dei visione & amore: ergo similiter formalis nostra iustificatio, quæ est beatitudo quædam inchoata, formaliter consistit in actu caritatis. Et hanc sententiam videtur etiam tenere Soto in 4. d. 14. q. 2. art. 2. §. *Tertio vt.* vbi dicit: *Pœnitentia non solùm formaliter expellit peccatum, quia se non compatiuntur: sed etiam effectiuè*, &c. Sed cùm, vt patet ex iis quæ idem dicit d. 15. q. 1. art. 6. §. *Vt autem.* ipse loquatur de pœnitentia informata per caritatem; fortè solùm vult eum actum formaliter expellere peccatum ratione gratiæ habitualis qua informatur, quod suprà n. 16. refutaui.

Soto.

21 Contritio non potest formaliter expellere peccatum.

Sed dicta sententia nullo modo videtur posse defendi. Primò, quia inde sequeretur, hominem accepta solùm gratia præueniente & cooperante, perfectissimè posse satisfacere pro suo peccato: & consequenter Deum in remissione peccati per contritionem nullum præstare beneficium, nisi quòd det ei dictas gratias. Quod etsi videantur aduersarij concedere; videtur tamen omnino absurdum esse. Quia, vt ostendam infrà disp. 10. dub. 2. malitia peccati mortalis est verè infinita, nam per eam contrahimus debitum verè infinitum, quod secluſa omni remissione, non potest nisi per infinitam pœnam deleri. Omnis autem nostra actio quantumcumque supernaturalis, est absolutè finitæ perfectionis & bonitatis. quare nullo modo potest habere vim delendi malitiam infinitam. Cuius vlterior ratio est, quia magnitudo offensæ crescit ratione magnitudinis personæ offensæ; vt per se patet: contrà verò amor & obsequia præstita personæ offensæ, ex eo quòd exhibeantur personæ alicui magnæ, in efficacia satisfaciendi potiùs decrescunt, quàm crescunt. Videmus enim quando offendimus aliquem Principem, longè maiora obsequia requiri, vt ei satisfaciamus, quàm vt satisfaciamus plebeio, etiam eo casu, quo offensa erga vtrumque esset par. Et ratio est, quia talia obsequia longè efficaciùs reparant læsam auctoritatem plebeij, quàm Principis. Hæc enim propter sui excellentiam communibus obsequiis parum potest augeri, maximè si exhibeantur à plebeio. Vnde etiam fit, vt, sicut augetur culpa ex vilitate personæ offendentis: ita contrà vis satisfaciendi quam habent obsequia, minuatur ratione vilitatis personæ exhibentis.

Malitia peccati crescit et magnitudine personæ offensæ, cùm contra meritum potiùs decrescat ratione magnitudinis personæ cui exhibetur.

22 Contritio physicè repugnat peccato actuali, non tamen habituali.

Probatur Secundò, quia etsi contritio habeat formalem repugnantiam cum omni peccato mortali actuali, ita vt non possit simul cum eo cõsistere; tamen nullam potest habere physicam repugnantiam cum peccato habituali, quia hoc vel est solùm priuatio gratiæ habitualis debitæ inesse, vt aliqui volunt: vel, vt verius credo, est solùm quid morale, scilicet ipsum peccatum actuale adhuc in ratione iniuriæ & offensæ Dei moraliter perseuerans.

23 Ratio peccati habitualis.

Pro quo Nota Primò, ex dictis d. 1. n. 21. peccatum mortale continere in se læsionem diuinæ auctoritatis, eiusque amicitiæ: & consequenter perfectam iniuriam erga Deum. Quare peccatores constituit inimicos erga Deum, eiusque inimicos: quæ iniuria moraliter & quasi in habitu in nobis manet, & nos erga Deum iniurioſos constituit, donec pro ea plenè satisfecerimus, aut ipse nobis eam condonarit. Sicut quando intuli Petro iniuriam, etsi actio transeat, maneo tamen perpetuò ei iniuriosus donec satisfecerim, aut ipse mihi eam remiserit.

Nota Secundò, amicitiam dicere duplicem amorem, scilicet vtriusque amici ad alterum, v. c. in re præsenti amorem Dei erga nos, quo ipse nos recipit in amicos, & est formaliter amicitia Dei erga nos; & amorem nostrum erga Deum, quæ est formaliter amicitia nostra erga Deum. Per illum Deus formaliter est amicus siue beneuolus nobis, & nos amici ipsius: per hunc verò nos sumus formaliter amici Deo, & ipse amicus noster. Nos enim esse alicui amicos, idem est atque nos benè erga eum affici, siue ipsum amare propter se: nos verò esse amicos alicuius, significat eum benè affici erga nos. 24 Amicitia duplicem amorem includit.

Vnde sequitur Primò, quando aliquem offendendo facimus nobis inimicum, ipsum non constitui nobis inimicum formaliter per nostrum peccatum, sed per actum odij, quem in se concipit, quique obiectiuè per peccatum nostrum causatur. Et similiter quantumcumque illud peccatum retractemus etiam eo actu quo planè eam iniuriam tollamus; per eam tamen retractationem nullo modo constituimur formaliter alterius amici, sed per actum amoris, quem ipse erga nos elicit, vnde si pergat nos odisse, pergimus ipsius esse inimici. 25 Offensa nostra solùm obiectiuè constituit nos inimicos offensi.

Sequitur Secundò, quando aliquem grauiter offendimus, etsi postea de eo doleamus, idque ex vero amore erga offensum, non statim eum fieri nobis amicum. Vnde sæpè videmus eum nihilominus manere nobis grauiter offensum: idque quandoque meritò, eò quòd talis actus non sufficiat vt pro iniuria satisfiat. v. c. Commiserit aliquis nobilis crimen læsæ maiestatis, deinde ex sincero Regis sui amore factum suum detestetur, & veniam roget; non statim per hoc plenè satisfecerit pro iniuria, & consequenter manebit adhuc verè habitualiter iniuriosus in Regem, & ipsius inimicus, poteritque vt talis plecti, erſi de eius pœnitentia constet. Quod falsum esset, si per illam pœnitentiam plenè pro offensa satisfaceret, aut Rex eam ipsi remitteret, nunc enim non posset eum habere inimicum, aut eum plectere: non tamen reneretur eum in pristinam amicitiam recipere, quia hoc gratuitum est. 26 Nulla dispicentia offensæ ex se nos reddit amicos offensi.

Et similis omnino est ratio peccatoris erga Deum, qui etsi vehementissimè ex amore Dei de peccato doleat, manet nihilominus ei iniurius, ipsiusque inimicus, nisi Deus ei peccatum remittat. Imò hæc ratio hîc magis vrget. Nam cùm Dei Maiestas sit absolutè immensa, & respectu illius infinita nostra vilitas; inde oritur quòd peccatum mortale infinitè eum offendat: & contrà nostra pœnitentia quantumcumque excellens infinitè deficiat in ratione perfectæ satisfactionis, & consequenter in virtute delendi peccatum. Et hoc videtur apertè docere Trident. sess. 6. c. 7. vbi docet solum Deum esse causam efficientem remissionis peccati, qui gratuitò etiam contritum ab eo abluit. Quod videtur esse falsum si actus caritatis aut contritionis per se formaliter deleat peccatum, quia tunc homo eum producens esset causa efficiens saltem partialis suæ iustificationis, ac remissionis peccati: sicut esset si vnà cum Deo produceret in se gratiam sanctificantem; præsertim si hæc physicè peccatum expelleret: & consequenter solus Deus non esset causa efficiens nostræ iustificationis. 27 Cur non possimus deconditigno satisfacere pro culpa mortali. *Trident.*

Nec refert quòd contritio sit perfectissima à peccatis ad Deum conuersio, quam in hac vita habere possumus: nec etiam quòd proficiscatur à gratia, & sit supernaturalis, quia inde tantùm sequitur, quòd per eam peccatum omnio desinat nobis esse habitualiter voluntarium, & quòd nos desinamus esse propriè auersi à Deo: non autem sequitur quòd desinamus esse 28

futuri Deo, quia iniuria illa adhuc moraliter nos afficit, donec remittatur, vt ostendi. Nec etiam sequitur quòd Deus ob talem actum necessariò nobis debet remittere culpam; sed tantum quòd hoc conueniat ipsius bonitati, quam omnino decet à nobis acceptare eam pœnitentiam, quam possumus perfectissimam exhibere, præsertim cùm in hunc finem nos ad eam excitet.

29 Remissio peccati necessariò est actus ipsius Dei.

Sequitur Tertiò, cùm delictio peccati, pro quo nullo modo possumus satisfacere de condigno, debeat necessariò fieri per Dei remissionem, eam non posse consistere in aliquo actu nostro, sed necessariò consistere in aliquo Dei actu erga nos: qualis de facto est infusio gratiæ habitualis ea intentione à Deo facta.

30 Peccatum habituale non est privatio gratiæ, nec huic physicè repugnat. *Suarez. Scotus.*

Sequitur Quartò, peccatum mortale habituale non esse propriè privationem gratiæ habitualis, sed formaliter consistere in iniuria Deo illata moraliter adhuc in peccatore manente. Quare si spectemus solam physicam naturam gratiæ habitualis (siue sit ipsa caritas, siue quid distinctum) ipsa nullam habet physicam repugnantiam cum peccato habituali, sed posset à Deo in peccatore optimè conseruari, vt cum aliis docet Suarez tom. 4. d. 9. n. 8. & cum suis Scotus in 4. d. 16. qu. 2. §. *Respondeo.* Quod enim dicitur peccatum esse quandam inimicitiam inter nos & Deum: gratiam verò quandam amicitiam; etsi verum sit in sensu causali (quia illud causat inimicitiam, & huius infusio, vt de facto fit, est actus amicitiæ Dei erga nos) tamen in sensu formali falsum est, quia tã inimicitia, quàm amicitia Dei erga nos, formaliter sunt actus quidam odij & amoris intrinseci ipsi Deo: vt patet in actibus inimicitiæ & amoris inter homines, & dictis suprà, quamuis Deus illos actus solùm virtualiter eliciat, sicut alios omnes actus liberos.

31 Qua ratione gratia repugnet peccato.

Quòd si tamen gratiam habitualem consideremus, prout subsistat præsenti decreto Dei, quo statuit vt sit ornamentum & insigne proprium filiorum Dei, ita vt hoc ipso quo ea alicui datur, ipse in filium Dei adoptetur, & voluntas eam dandi non distinguatur à voluntate adoptandi recipientem in amicum & filiũ; necessariò dicendum est, eam secundùm hanc moralem rationem includere formalem cum peccato mortali repugnantiam, ita vt non possit cum eo siue actuali, siue habituali consistere. Quia impossibile est aliquẽ manentem in peccato mortali, esse amicum & filium Dei. Quare huius infusio est propria & formalis externa peccati remissio, eodem modo atque pronuntiatio horum verborum, *Ego remitto tibi offensam*, procedens ex voluntate eam remittendi, est vera ipsius exterior remissio.

Sed hæc, vt dixi, non habet gratia ex physica sua entitate. Nihil enim est quod Deũ, secluso omni ipsius decreto aut promisso, cogat eum, qui talem qualitatẽ in se habet, acceptare pro filio, ac dare ei hereditatem filiorum, siue sui ipsius possessionem, per visionem beatificã. Hoc tamen fatendũ est, eam esse talis naturę, vt non cõueniat eã dari aliis, quàm amicis Dei, & consequenter, vt minùs deceat eam relinqui in peccatore.

32 *Trident.*

Ex his facile est respondere ad fundamentum illius sententiæ: nam negandum est assumptum, scilicet eam formam, cuius infusione sanctificamur debere habere hanc vim ex sua physica ratione, hoc enim est omnino impossibile. Ad probationem satis patet ex dictis, q ratione remissio peccati fiat propriè per infusionem illius gratiæ, prout subsistat illi diuino decreto: quamuis, si consideres solam physicam illius entitatem, non negarim peccata per extrinsecam Dei condonationem ab ea distinctam remitti: nec hoc negat Tridentin. sed potiùs eo loco apertè insinuat. Nam cùm docuisset quæ dona nobis in iustificatione infundantur, subdit: *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo*, &c. apertè distinguens remissionem peccati ab infusione donorum. Nec enim docet gratiam habitualem esse causam formalem præcisè remissionis peccatorum; sed iustificationis, quæ plus includit; in quo damnati hæreticos, qui nos volũt iustificari per solam iustitiæ Christi extrinsecam imputationem, vt ibidem docet. Ad primam confirmationem patet resp. ex dictis n. 24. & 25. Ad secundam patet ex dictis n. 27. & 28. Ad tertiam neganda est maior, vt ostendi n. 21. Ad quartam neganda est consequentia: vt patet ex dictis n. 29.

33 Contritio solùm dispositiuè causat remissionem peccati. *D. Thom. Trident.*

Conclvsio. Contritio est causa remissionis peccati solùm per modum cuiusdam dispositionis, qua peccator cooperante gratia Dei se disponit ad remissionem peccati, & gratiam à Deo percipiendam. Ita D. Thom. q. 86. a. 6. in corpore, & 89. art. 1. ad 2. & communiter DD. & videtur aperta sententia Trident. sess. 6. c. 7. & satis apertè patet ex dictis, quia non potest hîc alia causalitas assignari.

Nota, hanc dispositionem non esse ex natura sua sufficientem, & talem cui omnino debeatur peccati remissio (sic enim deberet esse infinitè satisfactoria) sed talem, quam Deus ex sua misericordia ob merita Christi vt sufficientem acceptat, quamque acceptare omnino decet, vt ostendi n. 28. Vnde multi Theologi dicunt peccatorem per talem actum mereri de congruo peccati remissionem, qua phrasi nihil aliud volunt dicere, quàm conuenire diuinæ bonitati, & statui rerum in quo hominem viatorem constituit, vt hanc pœnitentiam ad talem effectum acceptet, quod verum est. Quid sit meritum de congruo.

Addit Soto in 4. disp. 15. q. 1. art. 6. contritionem gratia informatam mereri etiam de condigno remissionem peccati. Sed hoc dici nequit, tum ob dicta suprà n. 16. tum quia sic hic actus deberet habere infinitam vim satisfaciendi, vt ostendi n. 21. *Soto.*

DVBIVM IV.

Qua ratione ac ordine communiter in nobis excitetur perfecta pœnitentia?

34 *D. Thom.*

NOta, cùm varij actus ipsam contritionem semper comitentur, aliquam esse difficultatem, quinam hi sint & quem ordinem inter se habeant. D. Thom. hîc q. 85. art. 5. enumerat sex tales actus; vltimus tamen duos distinctos actus complectitur: Eosdem ferè & eodem ferè ordine enumerat Tridentin. sess. 6. c. 5.

Prima igitur actio est duplex, & potiùs Dei quàm nostra, scilicet donatio gratiæ præuenientis, qua & intellectus illuminatur, vt peccator possit suum statũ, & res fidei benè apprehendere: & voluntas mouetur ad aliquos actus ex sequentibus eliciendos. Nam sine gratia Dei non possumus vllam vtilem pœnitentiam etiam inchoare: vt patet ex Arausic. c. 4. & Trident. sess. 6. c. 5. & can. 3. *Arausican. Trident.*

Secundò, sequitur actus fidei, qua peccator credit æterna supplicia peccatoribus à Deo parata.

Tertiò, dum considerat se esse in peccato, concutitur quodam horrore istarum pœnarum: & consequenter ei displicent peccata propter pœnam quæ ea sequitur. Et quamuis hic timor sit seruilis, est tamen bonus & vtilis ad inducendum timorem filialem, qui procedit ex amore, vt contra nostros hæreticos definit Trident. sess. 14. c. 4.

Quartò, considerando diuinam misericordiam pœnitentibus propter Christi merita remissionem promittentem, erigitur in spem veniæ.

Quintò, ex præcedente consideratione vlteriùs rapitur in admirationem diuinę bonitatis, quæ indignissimos peccatores ad se conuersos tam benignè recipit, eiusque amore accensus incipit odisse peccatum,

non tam propter pœnas quas adfert, quàm quia est quasi quoddam malum Dei, eique displicet: seu quia tantam bonitatem offendit: ita vt ipsum detestaretur, etsi nulla omnino præmia bonis, aut malis supplicia essent præparata. Et hæc primùm detestatio, dolorque eam consequens, habet rationem contritionis.

Deinde Sextò, ex hoc odio sequitur voluntas puniendi peccatum, vt hoc modo honor Dei læsus reparetur.

Demum Septimò, firmum propositum numquam Deum offendendi, quantum cum auxilio gratiæ ipsius fieri poterit. Hos autem duos actus vltimos videtur D. Thomas complecti sub timore filiali, quem sexto loco ponit. Est autem hic timor horror quidam seu detestatio peccati, quatenus est offensa optimi Patris nostri Dei, qui etiam ad duos vltimos actus nos excitat.

35 Ex dictis autem nascitur hîc duplex difficultas. Prior est, vtrùm hi omnes actus semper necessariò requirantur ad veram pœnitentiam, de qua agam dub. 6. Secunda est, qua ratione tertius actus, siue timor seruilis sit bonus, aut actus virtutis. Lutherus enim dixit esse malum, quia facit homines hypocritas. Sed hoc insulsè dicitur, quia hypocritæ propriè sunt qui simulant exteriùs se alios esse, quàm reuera sint. Quare etsi timor pœnæ humanæ, vel amor laudis possit facere hypocritas, quia possumus conari vt videamur hominibus alij esse quàm reuera sumus: secùs est de timore pœnæ à Deo nobis infligendæ, quia clarè scimus nos coram eo nihil posse celare, aut simulare. De eodem timore agit D. Thomas 2.2.q.19.art.4.& dicit ipsum timorem esse bonum, sed seruilitatem esse malam. Vt autem hæc meliùs explicemus, videndum est quid sit timor seruilis.

Error Lutheri circa timorem seruilem.

D. Thom.

DVBIVM V.

Quid sit timor seruilis?

36 CONCLVSIO I. Timor seruilis propriè est, quo seruorum more ita timemus pœnam, vt eius euitandæ causa peccatum fugiamus. Patet ex ipsa voce.

Timor seruilis quid sit.

Vnde nascatur.

CONCLVSIO II. Nascitur hic timor ex amore nostri ipsius, siue concupiscentiæ, & procedit ab eodem habitu siue naturali, siue supernaturali, à quo spes procedit. Quia, vt dixi d.1.nu.15. omnis habitus nos primò inclinat ad prosecutionem alicuius boni, & cõsequenter in fugam mali contrarij. Sicut igitur amor nostri naturalis impellit nos, vt amemus nostrum bonum naturale; ita timor ex eo ortus nos impellit ad fugienda mala ei aduersantia. Item sicut habitus spei nos impellit ad amandam nostram beatitudinem supernaturalem: ita timor ex eo natus nos auertit ab omnibus quæ ei aduersantur.

37 CONCLVSIO III. Timor hic quatenus à peccato auertit, semper est vtilis & experendus. Quia semper nobis vtile est, quacumque ratione auerti à peccato, cuius amor semper est noxius.

Qua ratione sit semper vtilis.

CONCLVSIO IV. Quòd si tamen hic timor oriatur ex puro amore naturali sui ipsius, non habet necessariò rationem virtutis: sicut nec amor ex quo procedit. Nulla enim virtus est seipsum amare.

38 CONCLVSIO V. Si verò procedat ex virtute spei supernaturalis, est actus veræ virtutis.

Quando sit virtus.

Probatur Primò, quia actus spei est actus veræ virtutis: ergo etiam actus talis timoris: quia ab eodem habitu, & ex amore eiusdem finis procedit. Secundò, quia actus ad quos Christus nos in Euangelio excitat, sunt actus virtutis: atqui ipse nos excitat ad talem timorem: nam Luc.12. iubet nos timere eum qui potest corpus & animam mittere in gehennam. Tertiò, quia sicut actus spei, ita actus huius timoris est donum Spiritus sancti, quatenus eius impulsu elicitur, vt ex dictis satis patet, & docet Trident. sess.14.c.4. ergo est actus virtutis. Vide plura apud D. Basilium in Psal.33.& D. Augustinum lib.de catechizandis rudibus c.17. Nota, quoties mouemur ad absolutam detestationem peccatorum ex timore pœnæ à Deo infligendæ communiter hunc nasci ex virtute spei & dono gratiæ; sine qua vix possumus eiusmodi timorem concipere.

Luc. 12.

Trident.

Basil.

Augustin.

CONCL. VI. Seruilitas tamen huic timori coniuncta est mala, quia est carentia alicuius boni. Nam prout iam à Doctoribus accipitur, dicit defectum caritatis.

39 *Seruilitas cur mala.*

Nota Primò, hãc seruilitatem esse substantiæ ipsius actus extrinsecam, sicut informitas respectu actus spei. Quare sicut hic secundùm sua intrinseca potest esse idem in habẽte caritatem, & in non habente: ita etiam ille timor potest esse in existente in caritate. Nam Iob. c.9. dicit se eum habuisse quasi perpetuum in vita sua. *Verebar*, inquit, *omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Sed tunc non habet rationem seruilitatis.

Est extrinseca timori.

Iob. 9.

Vt hæc clariora sint, Nota Secundò, timorem pœnæ posse esse triplicem. Primus, quo quis eam ita timeat, vt eius vitandæ causa velit peccare: & hic est malus, & mundanus dicitur, quia respicit pœnam infligendam ab hominibus, non autem à Deo, quia ad hanc pœnam euitandam nunquam potest esse vtile peccare.

40 *Timor pœnæ triplex.*

Secundus, quo ita timeam pœnam, vt eius vitandæ causa, velim vitare peccatum, tamen simul ita affectus sim, vt peccarem nisi eam timerem. Et quamuis hic affectus sit omnino malus, ipse tamen timor non est malus, sed potiùs bonus & vtilis, quia reddit illum affectum erga peccatum, vel omnino, vel saltem magna ex parte inefficacem, & consequenter efficit, vt homo sit minùs malus, quàm aliàs esset.

Tertius, quo ita fugiam pœnam, vt propter eam absolutè detester peccatum, quod talem pœnam causat; & talis timor pœnæ necessariò requiritur, vt detestatio peccati ex eo orta sit actus virtutis spei, & vtilis ad remissionem peccati etiam per Sacramẽtum obtinendam, quia hæc sola excludit omnem affectum peccati.

Qualis requiratur vt sit actus spei.

Dices, Qui detestatur peccatum propter pœnam, magis detestatur pœnam quàm peccatum, & ordinat maius bonum ad minus, scilicet fugam peccati ad euitationem pœnæ: atqui vtrumque est inordinatum: ergo talis timor est malus.

41

Resp. negando minorem vniuersaliter esse veram. Pro quo Nota Primò, dupliciter fieri posse vt magis detester pœnam quàm peccarum. Primò, quantum est præcisè ex vi actus quem iam elicio, quia scilicet per eum hîc & nunc primò, & per se moueor in fugam pœnæ, & tantùm ratione huius in fugam peccati; atq; ita aliquo modo magis moueor in fugam pœnæ quàm peccati. Secundò, vt timor pœnæ saltem virtute ac implicitè inclinet voluntatem ad volendũ peccare, quando hoc esset necessarium ad vitandam pœnam. Et, vt dixi suprà, secũda hæc detestatio pœnæ mala est. Prior tamen ex se bona est, nec habet secundam sibi necessariò cõiunctam. Nam potest fieri vt hîc & nunc mouear ad detestandum aliquod peccatum, quia est infame coram hominibus, non cogitans de vlla alia eius malitia: & tunc, quantum est ex vi præcisè illius actus, magis timeo infamiam quàm peccatum: & tamen simul possum habitualiter ita esse dispositus, vt mallem omnem infamiam subire quàm peccare.

Dupliciter possum vnam rem præ altera detestari.

Nota Secundò, etsi nunquam liceat mihi ita fingere pœnam vt sim paratus, pro ea euitanda peccare; non esse tamen necesse, vt peccatũ actualiter detester supra omne aliud malum, nisi quando vrget præceptũ contritionis: aut quando volo actu comparare fugam peccati, cum fuga cuiusuis alterius mali, & alterutram præeligere, quo casu teneor eligere fugam peccati. Sed nunquam est necesse facere talem comparationem; imò rarò expedit, præsertim infirmis; nisi quando

42 *Qua ratione liceat plus detestari pœnã quàm peccatum.*

occurrit necessitas subeundi aliquod malum, aut peccandi. Tunc enim necessariò illud præ hoc eligendum est. Sed hoc tantùm potest habere locum respectu alicuius mali ab hominibus infligendi, quia peccare nunquam potest esse medium necessarium, aut etiam vtile ad euitandas pœnas à Deo infligendas. Quare vix vnquam expedit etiam perfectis facere comparationem inter peccatum & pœnas inferni, vt alterutrum eligatur sub conditione posito quòd per impossibile vnum esset medium necessarium ad euitandum alterum.

Similiter etsi nunquam liceat mihi absolutè aliquid amare supra Deum, ita vt paratus sim hunc offendere vt illud obtineam; non est tamen necesse in omni actu eum plus reliquis rebus diligere.

43 Non tenemur in omni actu plus diligere Deum quam tes alias.

Vnde sequitur, quòd, sicut honestè possum aliquando aliquo actu aliquid diligere, quo nullo modo diligo Deum: ita possum aliquando honestè elicere actum, quo aliquo modo plus diligo aliud bonũ, quàm ipsum Deum, quantum est ex vi præcisè illius actus. Quod fit quoties seruimus Deo, & eius honorem promouemus, ac mandata seruamus, vt ab eo aliquod bonum temporale vel æternum obtineamus. Hoc autem honestè fieri posse, patet: tum quia in omni actu spei (quo bonum nostrum propriè diligimus) fit: tum etiam quia Deus spe mercedis etiam temporalis excitat vt ei seruiamus: vt patet in sexcétis locis antiqui Testamenti. Vnde Dauid Psal. 118. vers. 112. de se ait: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Quare quod aliqui dicunt, esse peccatum ordinare maius bonum ad consecutionem minoris, non est generatim verum, & mille exemplis refutari posset. Nam ordinatè quis vtitur arte, scientia, potentijs animæ, ac membris ad comparandum honestum aliquod lucrum, cùm tamen illa sint meliora quã hoc. Illud igitur tantùm est verum, quando ita ordino maius bonum propter minus, vt illud destruam; sicut si desuuam vitam, vt acquitam curiosam scientiam: aut quando illud ita facio, vt minus bonum absolutè præferam maiori, paratus hoc pro illo amittere.

Psalm. 118.

Quando licitum ordinare maius bonum ad obtinendum minus, quando verò peccatum.

44 Similiter sicut possum honestè odisse aliud malum, non odiendo simul peccatum; ita etiam possum odisse honestè peccatum aliquo actu, quo simul alind malum magis primariò & per se odi: præsertim quando absolutè & generatim eo ipso actu, ab omni peccato omnino auerror, vt fit quando ipsum detestor quia causatiuum pœnæ æternæ.

Ex quibus clarè patet, illam minorem argumenti contrarij in casu proposito esse falsam.

DVBIVM VI.

Qua ratione ad remissionem peccati omnes actus dubio quarto recensiti requirantur?

45 NOta Primò, nos hìc loqui de remissione peccati mortalis extra susceptionem Sacramenti, aut martyrij. Nam quando hæc adsunt, non requiri amorem Dei super omnia, aut veram contritionem, satis probauimus to. 1. q. 62. art. 1. dub. 2.

Nota Secundò, certum hic esse, Primò requiri gratiam præuenientem, sine qua non possumus pœnitere sicut oportet, vt docet Tridentin. sess. 6. can. 3.

Trident.

Actus fidei necessariò præcedit omnem alium actum supernaturalem.

Secundò, necessariò requiri actum fidei. Quia si voluntas nihil potest velle nisi præcedat actus intellectus: ita saltem secundùm præsentem Dei ordinationẽ, nõ potest vllam actionẽ supernaturalẽ elicere, nisi præcedat actus fidei qua dirigatur iuxta illud ad Hebr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*, &c.

Tertiò, requiri necessariò saltem virtualem amorẽ Dei super omnia, ac similem detestationem peccati, simileque propositum vitandi in posterum peccata.

46 Sed præcipua difficultas est, Vtrùm hi actus necessariò formaliter eliciantur? D. Thomas hìc q. 85. ar. 6. in corpore, Scotus in 4. disp. 14. q. 2. ad vlt. & cum ijs multi alij requirunt formalem actum amoris. Alij tamen hoc negant. Ita Gabriel in 4. d. 14. q. 1. a. 2. concl. 5. & quidam alij.

D. Thom. *Scotus.* *Gabriel.*

Rursum quidam absolutè requirunt formalem actũ contritionis. Ita Canus relect. de pœnitentia p. 3. & Petrus Soto lect. 4. & 5. de pœnitentia. Alij volũt sufficere virtualem: ita Scotus in 4. d. 14. q. 1. a. 3. §. *Ex his ad.* &c. Gabriel ibid. q. 1. a. 2. concl. 2. & 3. Nauar. c. 1. n. 5. Suarez hìc d. 9. sect. 1. n. 6. & alij. Simili ferè modo diuersimodè loquuntur auctores de proposito in posterum vitandi omnia peccata, quos breuitatis causa omitto.

Canus. *Petrus Soto.* *Scotus.* *Gabriel.* *Nauarrus.* *Suarez.*

Conclvsio 1. Probabilius est ad peccati mortalis remissionem extra martyrij aut Sacramenti susceptionem, necessariò requiri formalem actum caritatis, ita auctores primæ sententiæ. 47 Formalis actus caritatis ad remissionem peccati necessarius.

Prob: Primò, quia, vt ostendi supra nu. 14. tota ferè vis quam habet pœnitentia ad delenda peccata consistit in actu amoris, ex quo procedit: ergo si hic desiciat, illa non habebit ad hoc sufficientem vim.

Dices, sufficere amorem virtualem qui continetur in contritione. Sed hoc non videtur posse dici de contritione elicita ab eo qui neque habet habitualem, neque actualem caritatem. Quia talis contritio nec continet eminenter actum formalem caritatis: quia hic actus est perfectior contritione, est enim perfectissimus actus, quem hìc possumus elicere; & potiùs continet eminenter contritionem, vt dicam infrà. Nec etiam cum continet virtualiter, sicut electio medij est virtualis quædam volitio finis, quia hoc huic tantùm conuenit quatenus ratione præcedentis intentionis ex qua procedit, est mediata quædam prosecutio finis: quod tali detestationi non conuenit, nam aliàs præsupponeret actualem amorem. Quare sicut volitio medij vtilis ad aliquem finem nullo modo est volitio illius finis, nisi ex illius intentione procedat: ita illa detestatio peccati non potest esse virtualis actus caritatis, nisi ex eo procedat. Vnde videtur apertè sequi, talem detestationem nullo modo continere virtualem actum amoris, quia alius modus non videtur hìc posse probabiliter fingi.

Contritio nequit proficisci ex amore Dei virtuali.

Dices, continere dilectionem Dei super omnia. 48
Primò, quatenus saltem ex Dei decreto habet necessariam connexionem cum infusione habitus caritatis, tanquam vltima ad eam dispositio. Nam qui aliquid vult, necessariò implicitè etiam vult id omne quod ex eo necessariò sequitur. Secundò, quatenus habet idem obiectum formale cum actu caritatis, scilicet diuinam bonitatem propter se amabilem, qua ratione d. 1. nu. 30. dixi eum qui detestatur vnum peccatum mortale, quatenus displicet Deo, necessariò detestari omnia.

Sed hæc dici nequeunt. Nam prima ratio petit principium. Supponit enim talem detestationem esse vltimam dispositionem ad gratiam, quod tamen probandum est. Adde, ex ea tantùm sequi talem detestationem esse virtualem volitionem gratiæ habitualis, non autem esse virtualem actum caritatis: quod tamen probandum erat.

In secundo verò falsum sumitur, nam hæc detestatio propriè pro suo obiecto formali habet contrarietatem quam habet peccatũ cum bonitate diuina: non autem ipsam bonitatem, nisi mediante actu amoris, quando ex eo procedit, quod hìc negatur fieri. Et confirm. quia posset quis ex amore bonitatis in genere moueri ad detestationẽ peccati, quatenus contrariatur bonitati diuinæ, & sine amore amicitiæ erga Deum. Sicut ex eodem amore possem detestari iniuriã alicui viro valdè bono factam sine vlla erga eum amicitia.

Prob. Secundò clariùs. Quia omnis mali detestatio, & consequẽter etiam peccati, necessariò præsupponit 49

Contritio præsupponit formalem actum caritatis.

in detestante aliquem actualem vel habitualem boni contrarij amorem ex quo procedat: atqui detestatio peccati sufficiens ad eius remissionem non potest procedere ex amore alterius boni, quàm Dei super omnia dilecti: ergo hunc supponit. Nó habitualem, quia agimus de contritione quam elicit existens in peccato mortali: ergo actualé. Minor per se clara est, quia aliàs talis detestatio nullo modo esset actus amicitiæ erga Deum: & satis probata est suprà n. 14. Maior etiam patet ex dictis dub. 1. n. 15. Et confirm. quia sicut se habet intellectus respectu veri & falsi: ita se habet voluntas respectu boni & mali: atqui omnis cognitio falsi necessariò præsupponit aliquam cognitionem veri ex qua suo modo procedat. v. c. impossibile est vt cognoscam hanc esse fallam, *homo est brutum*, nisi priùs aliqua ratione verè cognoscam quid sit homo, & quid sit brutum: ergo similiter detestatio cuiusuis mali necessariò præsupponit amorem alicuius boni ex quo procedat.

Omnis cognitio falsi præsupponit cognitionem veri, & odium mali amorem boni.

Ex quibus satis concluditur, non posse in peccatore esse actum perfectæ contritionis sine formali actu amoris Dei.

Dices, Peccatum vt diuinæ bonitati contrarium habet sufficientem malitiam vt ipsum detester: ergo si mihi vt tale objiciatur, potero illud sine alio actu immediatè detestari.

Resp. Si sis in peccato mortali, poteris quidē ipsum detestari ex amore aliquo bonitatis in genere, iuxta dicta n. 48. non tamen ex amore amicitiæ erga Deum, quia, vt iam ostendi, ad hoc necessarium est vt talis amor præcesserit.

50 In memore suorum peccatorū formalis contritio necessaria. *Apoc. 2. Luc. 13.*

Conclvs. II. Ei qui memor est suorum peccatorum, hæc nunquam remittuntur sine formali contritione. Est communis. Videtur hæc conclusio apertè colligi ex Scripturis quæ clarè docent ad remissionē peccati requiri pœnitentiam, siue detestationē peccati ac dolorem de peccato. Apoc. 2. *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam: sin autem, venio tibi,* &c. Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* & alibi sæpè. Idem docet communiter Patres. Vnde Trident. sess. 14. c. 4. docet contritionem omni tempore fuisse necessariam ad obtinendā remissionem peccati. Quæ verba cùm propriè significent formalē pœnitentiā, de hac quantum fieri potest, accipienda sunt. Vnde fatendum est, saltē ordinariè formalem pœnitentiā requiri: si autem vnquam requiratur, maximè requiritur in dicto casu. Et hęc conclusio in sequenti probabitur. *Trident.*

51 Immemor suorum peccatorū potest sine formali contritione iustificari.

Conclvs. III. Qui nullo modo est memor suorum peccatorum, potest per actum amoris Dei super omnia iustificari, sine vlla formali contritione, ita auctores tertiæ sententiæ.

Prob. Primò, quia, vt ostendi n. 14. Scriptura vbique tribuit dilectioni vim delendi peccatum, & generatim promittit diligenti illius remissionem: atqui talis potest habere verum actum dilectionis sine formali contritione, quia eo casu nulla est illius actus ab hac dependētia, nec potest vlla ratio adferri cur hoc fieri nequeat: ergo etiā sine ea potest accipere veniā peccati.

Prob. Secundò, actus veræ caritatis Dei eminenter continet omnem vim & bonitatem contritionis. Qui enim perfectè Deū super omnia amat, perfectè omnino ad eum conuersus est, & virtualiter ab omni peccato mortali omnino auersus est: ita vt implicet eum ita amare Deum, & simul affici erga peccatum mortale. Imò si hoc ei occurreret, starim incitaretur ad eius formalem detestationem, & dolorem, idque quodammodo necessariò. Nam cùm actus caritatis sit omnino efficax, &, vt dixi, virtualiter contineat auersionem à peccato, naturaliter mouet voluntatem ad detestandū peccatū, in quo homo scit se esse: ita vt non possit hoc non detestari, posito quòd velit continuare amorem Dei. Sicut ihrendens efficaciter finem, non potest non velle medium quod scit ad eum acquirendum esse necessarium, nisi desistat ab ea intentione. Et sicut hic si perfectè videat necessitatem medij ad finem, eodem instāti quo hunc intendit efficaciter, necessariò etiam illud eligit: ita amans Deūm super omnia si aduertat se esse in peccato, eodem instanti hoc detestatur.

Amor Dei continet eminenter cōtritionē, & memoré sui peccati necessariò ad eam excitat.

Eodem etiam modo talis amor cōtinet propositum virandi in posterum omnia peccata, quia per eum voluntas perfectissimè Deo subijcitur. Quare ille actus eminenter perfectè continet omnem virtutem perfectæ pœnitentiæ: & consequenter non minùs quàm hæc disponit peccatorem ad remissionem peccati recipiendam.

Et in hanc conclusionem maxima ex parte Doctores consentiunt; sed difficultas inter eos est, quare magis requiratur formalis contritio in eo qui est memor suorum peccatorum, quàm in eo qui non est memor. 52

Respondent aliqui, hoc fieri, quia memor sui peccati, præcepto diuino obligatur, vt formaliter de eo conteratur; à quo immemor propter ignorantiam excusatur. Sed hoc non satisfacit. Nam etsi concedamus peccatorem aliquo tali præcepto obligari, non tamen obligatur pro quouis instanti. Nam præcepta affirmatiua non obligant pro semper. Ponamus igitur memorem sui peccati elicere actum caritatis eo tempore, quo non tenebatur conteri; tunc sanè non peccabit non eliciendo formalem contritionem, quia per hoc quòd elicit actum caritatis, non contrahit nouam obligationem ad contritionem: & consequenter secundùm eos poterit iustificari sine contritione.

Cur immemor sui peccati possit iustificari sine formali contritione memor verò non.

Resp. igitur, hoc ideo fieri, quia immemor sui peccati potest elicere actum caritatis sine formali contritione. Secùs autem est de memore sui peccati, quia hic efficaciter impellitur ad eiusdem detestationem, cui impulsui nequit resistere, nisi desistendo ab amore, vt dixi suprà.

Dices Primò, Scriptura & Patres requirunt formalem contritionem: ergo virtualis non sufficit.

53 Resp. eos non requirere expressè formalem contritionem, sed simpliciter contritionem, siue pœnitentiam, quæ vox etsi propriè & in rigore formalem pœnitentiam significet, & ideo quando fieri potest, ita accipienda sit, ideoque dicendum sit ordinariè, siue in memore suorum peccatorum requiri formalem pœnitentiā, vt dixi concl. 2. tamen absolutè ad veritatem istorum locorum potest sufficere, si dicamus sufficere aliquando contritionem virtualem. Primò, quia qui eā habet verè potest dici contritus: tum etiam Secundò, quia aliàs loca Scripturæ citata concl. 3. & rationes allatæ nos ad hoc cogūt. Tertiò, quia qui iustificatur per actum caritatis, habet saltem formalem pœnitentiā in voto, atq; ita potest dici nō omnino sine ea iustificari.

Nec hæc sententia fauet vllo modo sententiæ hæreticorum, quos Trident. sess. 14. c. 4. videtur damnare. Quia hi absolutè negant vllam pœnitentiam vnquam esse necessariam ad remissionem peccati, volūtque ad eam sufficere solam desistentiam à peccato, quod ibidem apertè oppugnat Concilium. Nos verò & ordinariè requirimus formalem pœnitentiam, & semper saltem virtualem. *Trident.*

54 Dices Secundò, Hinc sequetur formalem contritionem numquam disponere ad remissionem peccati, quia semper priùs natura supponit in subiecto actum caritatis, eoque posito statim infunditur gratia; & consequenter vel priùs, vel saltem simul natura cum ipsa contritione. Dispositio autem debet natura præcedere formam, ad quam disponit.

Cur contritio præcedat remissionem peccati.

Resp. negando hoc sequi. Quia etsi contritio sit posterior natura actu amoris, est tamen in memore sui peccati simul tempore, & naturaliter ac necessariò ab eo causatur, vt dixi. Et quamuis solus amor sufficienter *disponat subiectum ad receptionem gratiæ; tamen* contritio ei iuncta simul cum eo ipsum perfectiùs

disponit, Quare in hac casu Deus gratiam infundit cum respectu ad vtrumque actum, & consequenter vtroque natura posterior.

55 Multiplicitas actuũ non reddit peccati remissionem difficiliorem. Ex his facilè intelligitur, ex eo quòd requiramus hic plures actus formaliter elici, vt peccatũ remittatur ei, qui eius est memor, non reddi contritionem difficiliorem, nec impediri quo minùs quis vno instanti possit se disponere ad remissionem peccati. Quia in memore sui peccati posito actu caritatis eo instanti sine vlla alia difficultate, quasi ex quadam necessitate sequitur detestatio & dolor de peccato.

Vnus actus nequit formaliter esse caritas & contritio. Addunt aliqui, quandoque fieri, vt vno eodemque actu amemus Deum, & detestemur peccatum. Sed propriè loquendo fieri nequit, vt formalis amor Dei sit formalis detestatio peccati, quia vterque actus habet distinctum obiectum tam materiale, quàm proximum formale, vt ostendi nu. 48. & distincto omnino modo in illud tendit: vnus scilicet per modum prosecutionis: alter per modum fugæ.

56 Conclvsio IV. In conuersione peccatoris communiter vtrumque hunc actum præcedit actus spei, & in memore sui peccati eiusdem detestatio, quatenus excludit à beatitudine, aut pœnas æternas adducit.

Probatur, quia naturaliter vehementiùs inclinamur ad amandum nos ipsos ac bonum nostrum, quàm ad amandum Deum: vt experientia patet, & consequenter faciliùs magisque apprehendimus, quæ nobis sunt bona aut mala, & incitamur ad illa amanda, ad hæc detestanda. Cùm igitur peccatori obijcitur Deus tanquã auctor bonorum supernaturalium, & vindex peccatorum, procliuius est eum moueri in Deum, ipsum tanquam suum bonum sibi desiderando, & æterna supplicia metuendo, quàm amore aliquo amicitiæ. Confirm. Primò, quia imperfecta communiter paulatim, & per gradus perficiuntur, cùm igitur peccator sit omnino imperfectus, magis conforme est naturæ, vt priùs Deum amet imperfectè, quàm perfectè. Et quamuis hi actus non veniãt à pura natura, sed à gratia; tamẽ Deus in hac largienda communiter naturæ se accommodat. Confirm. Secundò, quia naturaliter nobis insitum est, vt quem scimus nobis grauiter esse offensum, prima apprehensione magis timeamus, quàm amemus, & ad eius amorem non aliter moueamur, nisi priùs speremus nos posse ei reconciliari: memor autem se esse in peccato apprehendit Deum sibi grauissimè offensum. Et hoc clarè etiã insinuat Trid. sess. 6. c. 6. vbi ordinem quo peccator ad gratiã disponitur, describit. Confirm. Tertiò, quia si æquè facilè peccatores possent conteri quàm atteri, tam facilè iustificarentur sine vsu Sacramenti, quàm per eum: quod falsum est.

Naturaliter homo citiùs & vehementiùs mouetur vt amet se quã Deũ, ideóque attritio communiter præcedit contritionem.

Trident.

57 Quãdoque contritio præcedit attritionẽ. Dixi *hoc ordinariè fieri*. Quia Deus quandoque aliquos mouet modo extraordinario, excitando eos immediatè ad apprehensionem immensæ bonitatis suæ, eiusdemque amorem, etiam nihil de peccatis suis cogitantes, aut si de ijs cogitent, excitando eos ad veram contritionem, quia hæc ei facilia sunt quando vult. Crediderim tamen hoc nunquam fieri in eo qui caret habitu spei, quia numquam caritas infunditur sine spe, nec hæc infunditur nisi præcedente eius actu: sicut nec fides infunditur, nisi præcedat actus fidei.

Nec ex dictis sequitur, quòd homo non possit via ordinaria subitò conteri, quia omnes hi actus possunt breuissimo tempore elici, quia vnus ad alium disponit, eumque facilitat; quare etiã in instanti possent omnes elici, quamuis difficulter; ideoque credo rarò hoc fieri.

58 Propositũ vitãdi peccata qua ratione requiratur. Conc. V. Non semper necessariò requiritur propositum in posterum vitandi omnia peccata, quod sit distinctum ab actibus præcedentibus. Primò, quia fieri potest, vt dum quis elicit priores illos actus, nihil cogitet de vitandis peccatis in posterum, quæ casu non poterit habere formale circa hæc propositum, & tamẽ iustificabitur. Secundò, quia potest fieri vt quis iam cernò moriturus conteratur; quo casu nullo modo est necessarium tale propositum, quia hoc tantùm est necessarium quatenus requiritur vt voluntas confirmetur ad constanter peccata in posterum vitanda. Iam verò nihil horum est opus, cùm mors peccandi facultatem sit iam iam ablatura.

Extra hos casus tamen perfecta peccati detestatio semper efficaciter incitat voluntatem ad eiusmodi propositum, quia hoc exigit perfecta à peccato in Deum conuersio, vt voluntatem, quantum fieri potest, in bono firmet: ad quod tale propositum in diutiùs victuro est vtilissimum, & quodammodo necessarium mediũ. Quare contritio ad hoc etiam sæpè excitat in articulo mortis, quando occurrit conditionata hæc propositio, Quid faceres si diutiùs viueres? Sed talis cogitatio, aut propositum conditionatum non est tunc necessarium ad perfectam contritionem, quia tunc cessat omne periculum peccandi in posterum.

59 Quale debeat esse propositũ vitandi in posterum peccata. Nota, etsi hoc propositum debeat ex se esse omnino absolutum & efficax: ita scilicet vt homo absolutè & omni casu proponat vitare omne peccatum mortale, idque ita vt quamdiu illud propositum durat, efficaciter moueat voluntatem vt actu omne peccatum mortale vitet; potest tamen fieri vt hoc propositum sit ex se tale, quale iam dixi requiri, & tamen is qui illud habet ratione suæ infirmitatis probabiliter timeat futurum, vt adhuc aliquando peccet mortaliter. Potest enim hic timor consistere cum absoluta voluntate adhibendi omnem operam ad vitanda in posterum peccata, quæ sit omnino efficax, quãtum est ex præsenti hominis dispositione: ita vt quamdiu hæc durat, ipse vitet omne peccatum mortale. Nam sicut ex inconstantia ingenij humani illa voluntas potest facilè mutari: ita habens illam voluntatem, potest aliquando probabiliter timere ne mutetur, & tunc ipse incidat in peccatum. Quare etsi hic timor sit aliquando indicium quòd illud propositum sit minùs perfectum; tamen potest cum absoluto proposito, & sufficienti ad remissionem peccati consistere. Nisi fortè oriatur ex aliquo actuali affectu erga peccatum, aut ex desperatione diuini auxilij.

Conc. VI. Absolutè loquendo potest esse vera contritio sine voluntate satisfaciendi Deo in hac vita, siue per se puniendi peccata commissa, punitione distincta ab eo dolore qui intrinsecè in contritione includitur. Ita Soto in 4. d. 20. q. 2. ar. 2. sub fin. Vega l. 13. in Trid. c. 22. & Suarez hic disp. 4. sect. 3. n. 8. Henriq. l. 4. de Sacramentis c. 24. n. 6. quatenus ait sufficere vt pœnitens sit paratus sustinere pœnam à Deo infligendam: & alij plures. Probatur, quia vel pœnitẽs teneretur habere propositum satisfaciendi pro culpa & pœna æterna, & hoc de condigno facere nullo modo potest: de congruo autem quantum potuit, & quantum Deus exigit, iam satisfecit, per contritionem se disponendo ad remissionem peccati. Vel teneretur habere propositum satisfaciendi pro pœna temporali adhuc restante. Et hoc etiam dici nequit. Primò, quia fieri potest vt contritio sit tanta, vt nulla pœna reatus. Secundò, quia fieri potest, vt homo sit iam iam moriturus, nec possit satisfacere. Tertiò, quia nisi alicui in cõfessione sit iniuncta aliqua pœnitentia, probabilius est eum non teneri pro ea pœna satisfacere in hac vita; sed potest eius punitionem relinquere Deo, & paratus esse eam acceptare, quam ipse immiserit. Tum quia nulla est ratio, qua talis obligatio probari possit: tum etiam quia aliàs quicumque quantum possunt in hac vita pro ea non satisfacerent, peccarent mortaliter, quod videtur esse contra communem fidelium sensum, qui non solent damnare eos, qui talem pœnitentiam non faciunt. Item aliàs Confessarij tenerentur semper iniungere tantas pœnitentias, quantas crederent præcisè sufficere ad satisfaciendum pro pœnis

60 Non requiritur necessariò voluntas satisfaciendi Deo in hac vita. *Soto. Vega. Suarez. Henriquez.*

Non tenentur pro pœna temporali satisfacere in hac vita.

adhuc restantibus, quod est contra communem praxin.

61 Nolle satisfacere in hac vita signum est minùs perfecti doloris, ac caritatis. Facilius & fructuosius in hac vita satisfaciamus: id ad perfectam pœnitentiã ac peccati remissionẽ requiritur.

Nota tamen Primò, quando pœnitens non vult in hac vita satisfacere pro pœna illa restãte, esse signum remissæ, valdè contritionis, quia tam hæc, quando est intensa, quàm actus caritatis efficaciter excitant ad talem satisfactionem. Primò, quia perfectius est ac Deo gratius, vt per nos pro iis pœnis satisfaciamus. Secundò, quia etsi illud debitum non excludat nos omnino à cælesti regno; tamen eius consecutionem, & Dei fruitionem retardat. Tertiò, quia satisfactio in hac vita est longè facilior, & cum magno merito peragitur: in altera verò vita, & sine merito, & cum maximo cruciatu satis patimur. Vnde etiam amor nostri ipsius si ordinatus sit, nos ad eiusmodi satisfactionem impellit. Vnde Patres & Concilia ad perfectam pœnitentiam sæpissimè requirunt externa quædam opera pœnalia, quibus pro iis pœnis satisfaciamus, tum ob causas iam dictas: tum etiam quia hoc requiritur ad perfectam peccati remissionem, quod non censetur omnino remissum, quamdiu restant tales pœnæ adhuc persoluendæ.

Nota Secundò, quòd sicut contritus necessariò habet propositum saltem virtuale implendi in posterum omnia præcepta; ita habeat necessariò propositum confitendi, quia hoc in illo includitur: & consequenter implendi etiam pœnitentiam quæ iniungetur, vt dicam pluribus suo loco.

DVBIVM VII.

Qua ratione ad veram contritionem requiratur summus dolor, siue detestatio peccati?

62 IN hac re certum est hunc dolorem debere esse aliquo modo summum. Hoc enim apertè docent plurima loca Scripturæ, quæ dicunt nos vt obtineamus veniam peccati, debere cõuerti ad Deum ex toto corde nostro, & ex tota tribulatione animæ nostræ. Vt Deuter. 4. v. 29. Ioëlis 2. v. 12. & alibi. Quibus significatur quòd debeamus summè de peccato dolere, sicut similibus verbis alibi significatur quòd debeamus Deum summè diligere. Disputatur autem inter Doctores, qua ratione hoc sit intelligendum. *Deut. 4. Ioël. 2.*

Prima igitur sententia docet, requiri summum dolorem intensiuè. Ita Adrianus in 4. q. 2. de pœnitentia. Ratio est, quia aliter non possumus peccatum summè, siue supra omnia alia mala detestari, quod tamen necessarium est ad rationem veræ contritionis. *Adrian.*

Dolor intensiuè summus non est necessarius.

Sed hæc sententia non est probabilis. Nam vel vult hunc dolorem debere esse intentissimum; qui vllo modo possit ab homine elici: & hoc nullo modo dici potest, quia nullus datur actus caritatis, & consequenter nec dolor de peccato tam intensus, quin habita maiore gratia homo possit intensiorem elicere. Vel solùm vult eum dolorem debere esse summum, quem peccator spectata gratia quam de facto habet, possit elicere. Et hoc etiam dici nequit, quia inde sequeretur, Petrum v. c. habentem gratiam præuenientem solùm intensam vt vnum, & elicientem contritionem intensam etiam vt vnum, habiturum remissionem peccati: Paulum verò habentem gratiam præuenientem vt centum, & elicientem contritionem intensam vt nonaginta nouem, non percepturum remissionem peccati, quod est omnino absurdum.

Dices, hoc ideo fieri, quia Paulus ratione maioris gratiæ acceptæ tenebatur plus conteri. Sed hoc non est verum. Neque enim vllo præcepto teneor semper tam intensè operari, quàm possum. Nam aliàs qui haberet habitum intensum vt centum, peccaret amando Deum solùm vt nonaginta.

63 Secunda sententia docet peccatorem ea ratione debere summè dolere de peccato, quia intensiùs de eo debet dolere, quàm de vllo alio malo de facto doleat. Ita Petrus Soto lect. 14. de pœnitentia, in fine, & lect. 15. §. *Ceterum*. vbi tamen suam sententiam ita explicat vt planè destruat. *Petrus Soto.*

Sed etiam hoc æquè improbabiliter dicitur. Quia inde sequeretur, Ioannem habentem contritionem vt vnum, si eodem tempore de nulla alia re doleret, accepturum remissionem peccati: Petrum verò qui doleret vt centum, si tunc fortè etiam doleret paulò intensiùs, vel etiam æquè intensè de morte parentis, nõ accepturum remissionem peccati, quod absurdum est, cùm sine vllo peccato, imò etiam laudabiliter potuerit hunc secundum dolorem habere.

Deinde vtraque sententia vel inde manifestè arguitur, quòd ex iis sequitur posse aliquem habere verum actum caritatis erga Deum, & ex eo de peccato suo dolere, & tamen nõ iustificari, quod est apertè contra Scripturas: vt patet ex Ezechielis 18. v. 27. & 33. v. 12. & ex dictis sup. n. 14. Adde, vtramque in fundamento assumere falsum, vt mox patebit. *Ezech. 18. & 33.*

Nota igitur, duobus modis posse amorem alicuius boni, aut detestationem peccati dici summa. Primò, intensiuè, quando summo conatu ac impetu in amorem aut detestationem alicuius rei ferimur. Secundò, appretiatiuè, quando scilicet ita Deum amamus, vt malimus quoduis aliud bonum amittere, quàm ipsum offendere: & peccatum ita detestamur, vt malimus quoduis malum pati, quàm peccare. Quæ fieri possunt etiam actu valdè remisso: vt patet in infantibus qui moriuntur statim post baptismum, qui in cælo Deum appretiatiuè summè amant, & tamen actu remisso: cùm non possint eum amare intensiùs, quàm sit eorum habitus caritatis, qui in iis remissus est. 64 Quis amor sit summus intensiuè, quis summus appretiatiuè.

Similiter sæpissimè fit vt rem aliquam longè intensiùs amemus quàm aliam, quam tamen appretiatiuè plùs amamus. Sic matres communiter filium maximũ natu solent amare maximè appretiatiuè, minimũ verò natu maximè intensiuè. Vnde fit, vt semper velint huic adesse, & eius malo vehementissimè afficiantur. Quòd si tamen alterutri moriendum esset, mallent hunc mori quàm alium. Possumus vnum præ altero amare appretiatiuè plùs, & tamen minùs intensiuè.

Sic etiam videmus aliquos vehementissimè dolere ex perditione liberorũ, aut vxoris, & lacrymas ac singultus ciere, qui propter admissa à se peccata, ne vnam lacrymam possunt emittere, nec sensibilem dolorem sentiunt; qui tamen animo ita sunt comparati, vt mallent omnia amittere, quàm Deum offendere, quod etiam opere ipso ostendunt, grauissima mala, ne fidem aut iustitiam deserant, perferendo.

65 Vnde proueniat quòd vnũ præ altero intensiùs aut appretiatiuè magis amemus.

Et rario huius est, quia, quòd actus sit intensus vel remissus, sæpissimè plurimùm pendet à parte sensitiua animæ, quæ plurimùm valet, vt voluntatem in aliquẽ affectũ vehementer impellat, vel ab eo retardet. Hinc videmus nos, nisi nobis vim faciamus, vehementissimè ferri in amorem earum rerum, quæ pars inferiori commodæ sunt, & similiter in detestationem earum, quæ ei repugnant. Vnde fit vt maior aut minor intensio actus voluntaris sæpissimè oriatur ex eo, quòd pars inferior erga eius obiectum vel benè, vel malè afficiatur, & imaginatio illud vt valdè commodum aut incommodum apprehendat. Quod, vt dixi d. 1. n. 36. potest habere locum quandoque etiam respectu bonorum spiritualium.

Contrà verò quòd aliquid autem plùs appretiatiuè quàm aliud, oritur purè ex iudicio rationis, quo vnum iudicem maius bonum quàm aliud: & ex libertate voluntatis, qua illud vt tale prosequor. Sæpissimè autem contingit, vt id quod iudicamus absolutè esse maius bonum, minùs afficiar partem inferiorem, aut etiam ei contrarietur, atque ita minùs intensè ametur alio bono minore.

66 Perfectio amoris magis ex appretiatione quàm ex intensione spectanda.

Nota Secundò, perfectionem siue magnitudinem amoris intensiuam esse accidentalem, & minùs principalem in ipso actu: appretiatiuam verò esse magis principalem, & quasi substantialem, quod verum est, etsi actum consideres præcisè secundùm entitatem physicam. Nam idem actus respectu eiusdem obiecti eodem modo propositi, solùm ratione diuersæ dispositionis subiecti, aut conatus potentiæ potest intendi & remitti, quod est signum hanc perfectionem non esse substantialem, sed quoddam accidens, quod adesse & abesse potest eidem subiecto.

Idem amor potest de modò maior, modò minor intensiuè, nõ tamen appretiatiuè.

Contrà verò non videtur posse fieri vt eodem actu aliquid amem modò appretiatiuè perfectiùs, modò imperfectiùs. Quia hæc maior vel minor perfectio ferè oritur ex diuersa apprehensione obiecti, siue quòd modò aliquid apprehendam in obiecto, quod antè non apprehendebam. Nec consistit solùm in additione aut detractione vnius gradus, sicut intensio aut remissio, sed in mutatione totius entitatis. Nam quando aliquid appretiatiuè magis amo quàm antè, secundùm totam entitatem actus aliter in illud tendo, quàm antea. Nam nulla est ratio cur dicamus illum actum potiùs mutari secundùm vnam partem, quàm secundùm aliam.

67 Et hoc similiter verum est, si spectes rationem moralem & virtutis in ipso actu. Primo, quia perfectio appretiatiua est magis ex electione & secundùm rationem, vt patet ex dictis: quod virtuti proprium est. Secundò, quia per eam perfectiùs & constantiùs voluntas inhæret obiecto. Nam posito quòd alterutrum bonum ei deferendum sit potiùs deferet id quod intensiùs amat, quàm id quod appretiatiuè magis amat. Tertiò, quia possum sine iniuria maioris boni minus bonum amare intensiùs, etiamsi illud sit persona, quã amare tenear, v.c. meus Princeps, vel etiam Deus; sine eius tamen iniuria non possum minus bonum amare magis appretiatiuè. Quorum ratio est Primò, quia maior vel minor intensio per se non dicit vllam comparationem inter bona amata. Nec enim quod intensiùs amo, necessariò alteri præfero. Secùs est de appretiatione, quia quod appretiatiuè magis amo, necessariò alteri præfero. Secundò, quia qui minus bonum appretiatiuè magis amat, paratus est maius bonum pro eo deserere: quorum vtrumque cum ingenti iniuria Principis vel Dei fieret.

Licitè minus bonũ amo intensiùs, nonnumquã appretiatiuè magis, quàm maius bonum, quod amare tenor.

68 Detestatio peccati debet esse appretiatiuè summa.

Conclvs. I. Sicut ad verum actum caritatis requiritur, vt diligamus Deum appretiatiuè summè, siue magis quàm rem vllam aliam; ita ad rationem contritionis requiritur, vt detestemur peccatum magis appretiatiuè quàm vllum aliud malum. Hæc est certa & communis omnium DD. Quia certum est nos debere ita detestari peccatum, vt mallemus quoduis malum subire, quàm peccare. Sicut tenemur Deum ita diligere, vt mallemus quoduis aliud bonum amittere, quàm ipsum offendere. Hinc Christus Matth. 10. *Qui*, inquit, *amat patrem, aut matrem* (idem est iudicium de omnibus aliis rebus caris, vt ibidem apertè insinuatur) *plus quàm me, non est me dignus.*

Matth.10.

69 Non est necessarium vt detestemur peccatum cum explicita comparatione ad alia mala. Imò illud sæpè difficulter dandum est.

Solùm hîc est notandum, non esse necessarium vt pœnitens faciat has comparationes, aut similes, Etsi enim deberem comburi, non tamen vellem peccare. Sufficit enim absolutè detestari peccatum vt grauissimum malum: ita vt voluntas sit ita disposita, vt quãtum est ex vi huius actus, siue præsentis dispositionis, mallet quiduis pati, quàm peccare mortaliter: etsi fortè data tali aut tali occasione propter imbecillitatem humanam esset à proposito dimouenda. Quare eiusmodi comparationes infirmioribus communiter sunt dissuadendæ, ne fortè magis moueantur horrore alterius mali quàm peccati: & sic non modò impediatur contritio, sed etiam nouum peccatum contrahatur, potiùs eligendo peccatum, quàm subire illam pœnam. Sunt tamen eiusmodi comparationes perfectioribus sæpè vtiles, tum vt expressiùs & peccatum summè detestentur, & suum in Deum affectum ostendant, tum etiam vt si quando contingat talia, vt peccatum videtur esse subeunda, voluntas sit paratior. Et hoc intelligo de malis temporalibus. Nam inter mala æterna & peccatum, vix vnquam (nisi fortè aliquando viris perfectissimis) suadenda est talis comparatio. Vide dicta num. 42.

Perfectioribus tamen sæpè vtile est.

Conclvs. II. Ad veram contritionem nulla certa intensio requiritur, sed quæuis modò appretiatiuè summa sufficit ad remissionem peccati mortalis. Ita Soto in 4.d. 17.q. 2.a. 4. Suarez disp. 4. sect. 4. n.4. Henriquez lib. 4. de Sacramentis c. 27. nu. 2. & ferè communiter Doctores. Et patet clarè ex dictis. Nam in quauis intensione potest existere vera essentia contritionis, qua detestemur peccatum appretiatiuè supra omne aliud malum, & ea posita remittitur peccatum, vt suprà satis ostendi.

70 Contritio nõ requirit certam intensionem, *Soto. Suarez. Henriq.*

Nec his obstat, quòd Scripturæ & Patres videantur quandoque requirere vt magno conatu enitamur ad contritionem, & vt dolor sit proportionatus peccato, adeoque maior pro maiore. Hoc enim faciunt partim vt explicent qua ratione debeamus peccatum summè appretiatiuè detestari, ad quod requiritur sæpè magnus conatus, vt voluntatem inclinemus; vt ita detestetur eam rem, cuius amore ita priùs exarsit. Secundò, quia loquuntur de pœnitentia non solùm prout requiritur præcisè ad remissionem culpæ (sicut nos iã de ea loquimur) sed prout requiritur ad satisfaciendũ pro omni pœna, quæ remissa culpa posset restare: quæ sicut maior debetur pluribus aut grauioribus peccatis, quàm paucioribus aut leuioribus: ita maior requiritur pœnitentia pro vna delenda, quàm pro alia.

71

Conclvs. III. Vt contritio sufficiat ad delendam culpam mortalem, nulla requiritur temporis duratio. Nam cùm, vt docet D. Tho. q.89. art.1. ad 2. contritio respectu infusionis gratiæ se habeat tamquam vltima dispositio, sequitur eodem instanti quo ipsa habetur, gratiam infundi. Est iam communis Doctorum. Et confirmatur, quia si deberet certo aliquo tempore durare, sequeretur posse fieri, vt aliquis peccator habens veram contritionem moreretur illo medio tempore, atque ita damnaretur, quod absurdum est, & contra *communem Patrum sententiam, qui docent* veram pœnitentiam numquam esse seram.

72 Contritio nõ requirit certam durationem, *D. Thom.*

Dices, hinc sequi, nos facilè scire posse quòd sumus in gratia, quia facilè scire possumus nos amare Deum suprà alia omnia. Ita Petrus Soto lect. 14. de pœnitentia, in fine.

73 *Petrus Soto.*

Respond. negando assumptum. Primò, quia scire non possumus an noster dolor sit supernaturalis, quod tamen ad remissionem peccati est necessarium. Secundò, quia, etsi quandoque possimus probabiliter colligere nos dicto modo Deum super omnia amare, & peccatum odisse; atque ita probabiliter coniicere nos esse in gratia; tamen non possumus id omnino certò scire. Quia, vt dicitur Iere. 17. *Prauum est cor omnium & inscrutabile* (etiam ipsi homini,) *quis cognoscet illud? ego Dominus*, &c. Quare sæpè nos ipsos fallimus putantes nos sincerè amare Deum amore amicitiæ, cùm tamen solùm amemus eum amore concupiscentiæ propter bonum nostrum, & simili ratione peccatum detestemur per solam attritionem, & quidem quandoque non satis perfectam, eò quòd occultè adhuc erga aliquod peccatum afficiamur, quod amore nostri occæcati non satis aduertimus.

Iere. 17.

DVBIVM

DVBIVM VIII.

Vtrùm teneamur de singulis peccatis particulatim conteri?

74 PRima sententia docet, pro singulis peccatis mortalibus à pœnitente commissis, eum debere singulas contritiones elicere, quantum saltem eorum potest meminisse. Pro hac sententia varij ex antiquioribus Scholasticis citãtur, sed eorũ verba facilè possunt alio sensu accipi. Et hæc sententia meritò ab omnibus vt improbabilis reiicitur, quia nullũ habet fundamentũ.

Secunda sententia docet, necessarium esse vt pœnitens de singulis particulatim cõteratur, hac ratione vt scilicet quantum fieri potest reuocet singula peccata sua in memoriam, & deinde de omnibus cõteratur. Tunc enim eius contritio censetur ad singula explicitè terminari. Varij etiam pro hac sententia citantur, qui non satis explicant, Vtrùm talis contritio requiratur præcisè ex ratione contritionis; an verò solùm ratione confessionis, ad quam iam ordinatur. Eam tamẽ præscindendo à Sacramento, apertè tenet Soto in 4. d. 17. q. 2. a. 3. Addit tamen in concl. 2. & §. *Argues secundò*. Primò, quando ratione brevitatis temporis aliquis non potest reuocare singula peccata in memoriam, sufficere concipere ea omnia in confuso, & sic de iis conteri. Secundò, eum qui etiam extra necessitatem de suis peccatis ita conteritur, accipere statim eorum remissionem cum obligatione tamen postea singula reuocandi in memoriam, & de iis sic conterendi, quod dicit etiam necessarium fuisse in lege naturæ. Eandem planè sententiam videtur tenere Adrianus q. 3. de baptismo, omnino in fine.

Soto.

Adrian.

Tertia docet, quantum est ex vi præcepti contritionis, sufficere conteri de omnibus peccatis confusè conceptis. Ita Caiet. hic q. 87. art. 1. Victoria in summa de pœnitentia nu. 116. Nauarr. c. 1. n. 23. Candel. aurcum de contrit. q. 21. Henriq. l. 4. de Sacramentis c. 27. n. 9. Suarez d. 4. sect. 6. n. 9. & alij plurimi.

Caietan. Victoria. Nauar. Candelab. aureum. Henriquez. Suarez.

Nota, varijs modis contritionem particularem omnium peccatorum posse dici necessariam. Primò, præcisè ad remissionem culpæ obtinendam, secluſa necessitate confessionis. Secundò, ad obtinendam simul etiam remissionem pœnæ temporalis. Tertiò, vt constanter in posterum cuitemus peccata. Quartò, vt peccata legitimè confiteamur.

75

76 CONCLVS. I. Ad obtinendam præcisè remissionem culpæ, non est necessarium sua peccata reuocare in memoriam. Probatur, quia, vt ostendi suprà n. 51. potest quis iustificari per solum actum amoris, nullo modo cogitans de peccatis suis. Item habito actu amoris, & cogitans solùm de vno, aut altero peccato suo, potest statim de eo conteri (nulla enim est ratio cur non possit tam benè detestari sua peccata per contritionẽ, quando solùm cogitat de vno aut altero, quàm quando cogitat de omnibus) habita autem cõtritione statim accipit gratiam, vt ostendi nu. 72. Et hanc conclusionem ne quidem auctores secundæ sententiæ negant.

Ad veram contritionem non est necesse reuocare omnia peccata in memoriam.

77 CONCL. II. Habita semel remissione peccati secluſo præcepto confessionis, absolutè loquendo, nulla est obligatio reuocandi sua peccata in memoriam. Hanc tenent auctores tertiæ sent. Et prob. Quia nulla est ratio cur dicamus hoc esse necessarium, nisi vt perfectè possimus à peccatis ad Deum conuerti per expressam de singulis contritionem (hanc enim aduersarij præcipuè insinuant,) atqui per priorem iam sumus verè & perfectè ad Deum cõuersi: quia sumus ei verè & perfectè reconciliati, quantum ad integram remissionem omnis culpæ attinet, quod sine vera & perfecta conuersione nõ fit: ergo non est opus alia conuersione, aut peccatorum rememoratione, quantum saltem spectat ad remissionem culpæ. Confir. Primò, quia, cùm, vt ostendi n. 14. & 15. tota perfectio cõtritionis nascatur ex perfectione amoris Dei; fieri potest vt is qui solùm in confuso cogitat de suis peccatis, perfectiùs Deum amet, & consequenter peccata detestetur, quàm is qui sigillatim ea recogitat: ergo si hic satis perfectè conteratur, etiam ille satis perfectè cõteretur. Confirm. Secundò, quia si esset opus vt contritio hoc modo expressè ferretur in singula peccata; iis qui plura peccata diuersi generis commisissent, præsertim quando nó essent magno cerebro, aut capaci memoria; esset necesse vt ferè tot elicerent distinctas contritiones, quot commisissent peccata. Nam nec tales homines multa peccata simul sigillatim & explicitè possunt intellectu concipere: nec voluntas potest ea ita sigillatim & explicitè simul detestari, nisi intellectus ea simul concipiat. Nã voluntas in nullã rem potest explicitè ferri, nisi hæc explicitè cogitetur. Illud autem cõmuniter ab omnibus reiicitur: ergo etiã id, vnde sequitur, reiiciendum est. Tertiò, quia, vt mox patebit ex refutatione obiectorũ, cõtraria sententia nullo nititur fundamẽto.

Ad locum Isaiæ Respondeo Primò, ibi non præscribi quid ad pœnitentiam absolutè necessarium sit, sed solùm narrari quid Ezechias fecerit, quidque pœnitentem facere deceat. Sicut Dauid Psal. 50. ait: Peccatum meum contra me est semper, id est, perpetuò de eo cum dolore cogito. Et alibi air, se cinerem tãquam panem manducasse; & alibi, se singulis noctibus lauisse lectum lacrymis. Quæ tamen constat non esse absolutè necessaria ad remissionem culpæ obtinendam.

Psalm. 50.

Respondeo Secundò, dictos Sanctos non egisse talem pœnitentiam præcisè vt obtinerent veniam culpæ, quam sciebant sibi iam remissam: sed Primò, vt satisfacerent pro pœnis restantibus. Secundò, vt temporalem Dei punitionem à se auerterent. Tertiò, vt se obfirmarent ad cõstantiùs in posterũ peccatis resistendum. Quartò, vt gratiã Dei ad hoc necessariã impetra-

Obiicit Soro suprà Primò, lumen naturæ secundam illam sententiam docere; & se nescire quis eam negare possit. Sed hoc est apertè sumere quod probandum est: imò etiam clarè falsum. Nam constat multos eam negare. 78 *Soto.*

Obiicit Secundò, nos contritionem debere admetiri grauitati peccatorum: sed peccata ratione suorum obiectorum & circumstantiarum aggrauantur magis & minùs: ergo, quantum est ex natura rei, debet esse singulorum singularis contritio.

Resp. negando consequ. Quia aliàs sequeretur, nos debere tot elicere contritiones quot cõmissimus peccata, easque magis vel minùs intensas prout peccata dileximus, vt scilicet tot atque æqualibus actibus cõuerteremur ad Deum, quot ab eo fuimus auersi. Quæ cùm ipse etiam Soto non admittat; fatendum est sufficere vt contritio virtute & implicitè se extendat ad singula peccata: & cõsequenter vnam simplicem contritionem etiam in cogitante de vno solo peccato sufficienter pœnitentem ab omnibus peccatis ad Deum conuertere, quia hæc implicitè ad singula extenditur, & illius voluntatem totaliter ab illis ad Deum conuertit: vt patet ex dictis.

Obiicit Tertiò, Isaiæ 38. ait Ezechias: *Recogitabo tibi omnes annos meos* (id est, omnia peccata quæ singulis annis feci) *in amaritudine animæ meæ*. Item Ezech. 18. v. 28. promittitur impio venia si auerterit se ab omnibus iniquitatibus suis, & fecerit omnia mandata: atqui tenetur per particulares actus singula mandata implere: ergo similiter tenetur de singulis peccatis dolere. Hinc etiam communiter Patres ad veram pœnitentiam requirunt, vt doleamus de singulis peccatis, ea in memoriam reuocando, vt patet ex c. 1. de pœnitentia, d. 5. & D. Gregor. lib. 4. Moral. c. 15. D. Chrysost. l. 1. de compunctione cordis, circa finem, & aliis. 79 *Isaiæ 38.* *Ezech. 18.* *D. Gregor.* *D. Chrysost.*

rent. Et ob hos fines communiter Patres eiusmodi pœnitentiam requirunt, quia ad eos sæpè necessaria est, vt ostendam concluſ. 3.

Ad locum Ezechielis Resp. eum aut probare primam sententiam, aut nihil. Quare nego conseq. quia possumus vno actu auerti ab omnibus peccatis. Impletio autem omnium mandatorum necessariò varios actus requirit.

D. Thom. Obiicitur Quartò, auctoritas D. Thomæ, qui hîc q. 89. a. 1. ait pœnitentem de peccatis mortalibus debere singula in memoriam reuocare.

Respondeo, eum loqui de pœnitentia prout ordinatur ad confessionem, quæ hoc quantum fieri potest, necessariò requirit. Et hoc modo videntur intelligi multi Doctores, qui eò quòd indistinctè loquantur, creduntur fauere secundæ sententiæ.

80 Particularis peccatorum recogitatio necessaria ad benè esse.

CONCLVSIO III. Eiusmodi particularis recogitatio & contritio de singulis peccatis est vtilissima & sæpè aliquo modo necessaria. Primò, vt perfectiùs & certiùs omnia peccata detestemur, quia quando tantùm in confuso peccata detestamur, sæpè accidit vt falsò nobis persuadeamus nos omnia verè detestari, cùm circa aliqua maneat in nobis occultus affectus; atque ita deficit vera contritio. Secundò, vt pro pœna temporali satisfaciamus, & Dei vindictam à nobis auertamus, quia singularis peccatorum omniumque circumstantiarum exacta perpensio multùm animum incitat, vt homo ea hîc in se grauiter castiger, quæ aliàs Deus aut in hac vita, aut in alia esset grauissimè puniturus. Tertiò, vt animum obfirmet, vt constanter ea in posterum euitet, longè enim magis confirmat animum propositum expressum & particulare, quàm generale & cõfusum. Et hoc est quod ait D. Chrysost. in c. 6. ad Heb. homil. 9. *Si autem dicat, Peccator sum; non autem ad peccatorum suorum species descendat, dicens: Quia hoc & hoc peccaui; numquam cessabit.* Quia scilicet animus facilè à succedente tentatione vincitur, contra quam non est singularis propositio armatus. Hæc omnia etiam probant argumenta allata n. 78. & 79.

D. Chrysost.

Quartò, illa commemoratio peccatorum omnino est necessaria ad faciendam confessionem, quæ iam omnino peccanti mortaliter post baptismum necessaria est, quando fieri potest. Sed hæc ad præsentem materiam non spectat.

DVBIVM IX.

Vtrùm debeamus vnum peccatum magis detestari quàm alterum?

HÆc difficultas facilè ex dictis posset colligi; quare breuiter eam exponam.

81 Vnum peccatum saltem implicitè præ altero detestandum est.

CONCLVSIO I. Debemus necessariò saltem implicitè vnum peccatum magis detestari quàm aliud. Probatur, quia hæc detestatio intrinsecè in ipsa contritione includitur, hoc ipso enim quo omnia nostra peccata detestamur, quia Deo displicent, implicitè magis detestamur id quod magis Deo displicet. Quod vel inde patet, quia per contritionem ita affecti sumus, vt, si necessarium esset alterutrum peccatum committere, potiùs id committeremus quod minùs Deo displicet, quàm quod magis.

non tamen necessariò explicitè. *Henriq.*

CONCLVS. II. Non est opus explicitè siue actualiter ea comparando vnum peccatum præ altero detestari. Ita cum communi sententia docet Henriquez l. 4. de Sacramentis c. 27. n. 9. Patet, quia aliàs ad contritionem necessarium esset singula peccata reuocare in memoriam, & sigillatim de singulis conteri, quod dub. 8. ostendi non esse verum.

82 CONCLVS. III. Si quis tamen veli cum explicita comparatione peccata detestari, debet necessariò maius peccatum magis detestari. Patet tam per se, quàm ex 1. concluſ.

Dubitant tamen aliqui, Vtrùm interfio huius ordinis sit peccatum mortale. v. c. si quis mallet commisisse duellum, quàm furtum: eò quòd hoc apud homines sit magis infame. Quidam enim etsi concedant esse mortale, quando ea comparatio fieret inter peccatum mortale & veniale; tamen putant esse tantùm peccatum veniale, quando fit inter peccata mortalia: modo vtrumque absolutè detestemur. Quod verum est, quando est exiguus excessus inter vtrumque; secus tamen est, quando excessus est grauis. Sicut est in exemplo suprà posito, aut in sodomia respectu fornicationis. Quod probatur, quia qui mallet commisisse duo peccata mortalia quàm vnum eiusdem grauitatis cum illis, peccaret mortaliter: ergo similiter qui mallet commisisse id quod duplo vel triplo grauius est, quàm id quod leuius est. Confirmatur, quia, si occurreret casus quo quis alterutrum ex duobus peccatis necessariò deberet committere, peccaret mortaliter eligendo potiùs maius quàm minus, si esset inter ea talis excessus. v. c. si Paulus crederetur publicè esse sacerdos, & deberet iam à Petro, qui ex sola confessione sciret eum non esse sacerdotem, consecrari Episcopus; hic teneretur eum consecrare, quoad externam materiæ & formæ applicationem, si non posset id euitare sine reuelatione confessionis; & faciendo contrarium grauissimè peccaret: cùm tamen illud extra hanc necessitatem esset grauissimum peccatum.

Detestari minus peccatum præ grauiore quando sit peccatum mortale.

83 Tenemur nostra peccata magis detestari quã aliena.

CONCLVS. IV. Quando facimus eiusmodi comparationem inter peccata nostra & aliena, tenemur nostra semper magis detestari quàm alienata vt nollemus committere, aut cõmisisse aliquod verum peccatum etiam minimum, vt possemus impedire grauissima peccata aliena, quia numquam licet facere malum, vt eueniat bonum, vt patet ad Rom. 3. Vnde tenemur semper omnia peccata propria fugere, non tamen tenemur semper aliena impedire. *Rom. 3.*

Potest tamen contingere vt ad impediendum alterius peccatum teneamur aliquid facere, quod extrà eiusmodi circumstantias esset peccatum, sed cum iis fit opus bonum. v. c. tenetur quandoque vxor vti ornatu, qui illam aliàs minùs deceret, quando hoc esset necessarium vt retraheret maritũ ab alienarum amoribus, quod sæpè potest contingere in operibus, quæ intrinsecè mala non sunt; secùs est de iis quæ intrinsecè mala sunt.

Posset hîc disputari, Vtrùm possimus agere pœnitentiam de vno peccato, & non de alio à nobis commisso. Sed hoc satis explicuimus disp. 1. dub. 5.

DVBIVM X.

Vtrùm Deus possit remittere peccatum mortale sine pœnitentia, aut infusione gratiæ?

EX dictis suprà num. 50. & 52. & to. 1. qu. 62. art. 1. dub. 2. concl. 3. satis patet, ijs qui aliquando actualiter peccarunt, numquam etiam per Sacramenti susceptionem remitti peccata sine pœnitentia, saltem virtuali. Item ex Trident. sess. 6. cap. 7. apertè constat, peccatum mortale numquam remitti sine gratiæ infusione. Et in hanc doctrinam omnes Catholici consentiunt. Sed difficultas est, Vtrùm Deus per absolutam potentiam sine his posset remittere peccatum mortale? 84 *Trident.*

Prima sententia absolutè docet, Deum non posse remittere talia peccata sine pœnitentia saltem virtuali. Ita Soto in 4. d. 15. q. 1. art. 2. §. *Sed quid*, &c. cum quibusdam aliis Thomistis, qui ad hoc præcipuè mouentur, quòd putent esse sententiam D. Thomæ in 3. p. q. 85. a. 2. Sed P. Suarez in commentariis in eũ locũ satis *Soto.* *Suarez*

satis ostendit, D. Thomam explicandum esse de potentia Dei ordinaria, de qua etiam eum intelligunt multi ipsius discipuli, vt testatur Soto suprà.

Probatur autem hæc sententia Primò, quia voluntas hominis per peccatum semel à Deo auersa, necessariò tam diu manet auersa, donec per actum contrarium ad Deum conuertatur: sicut voluntas semel conuersa ad bonum per actum virtutis manet habitualiter conuersa donec per peccatum auertatur. Sicut igitur Deus non potest facere vt hæc voluntas sine vllo suo actu desinat habitualiter esse conuersa ad bonum: ita non potest facere vt peccator desinat esse conuersus ad malum.

Secundò, quia Deus non potest homini remittere peccatum mortale, nisi eum in amicitiam suam admittendo, quod implicat fieri nisi homo sit bonus & iustus: atqui peccatorem adultum fieri bonum & iustum implicat, nisi ipse ad Deum per pœnitentiam conuertatur: ergo implicat ei remitti peccata sine pœnitentia.

85 Secunda sententia docet, Deum non posse homini remittere peccatum mortale sine infusione gratiæ habitualis, aut caritatis. Ita Caiet. *Caietan.* 1. 2. qu. 113. a. 3. & alij. Probant Primò, quia peccatum habituale constituit essentialiter in priuatione illius gratiæ: ergo sine eius infusione nequit tolli. Secundò, quia Trident. *Tridini.* sess. 6. c. 7. docet causam formalem nostræ iustificationis esse gratiam habitualem: atqui sine causa formali, effectus formalis nequit haberi: ergo nec peccati remissio sine infusione gratiæ. Tertiò, quia aliàs peccatum remitteretur, per solam non imputationem: quæ est sententia hæreticorum ibidem à Concilio damnata. Quartò, quia est impossibile Deum aliquid velle, siue remittere mihi peccatum, nisi aliquid producat vel in se, vel in me: atqui remittendo peccatum nihil potest in se producere: ergo debet aliquid in me producere.

86 Vt autem hæc facilius explicentur, breuiter nobis videndum est, in quo consistat essentia peccati habitualis. *Scotus.* Scotus in 4. d. 14. q. 1. cum suis ait eam consistere in relatione quadam rationis, siue reatu & obligatione ad pœnam subeundam. Ex quo ipsi facilè inferunt Deum posse remittere peccatum sine vlla immutatione peccatoris, per solam extrinsecam condonationem. Sed credo hoc fundamentum non esse verum, vt ex dicendis patebit.

Alij quidam eam dicunt consistere in priuatione gratiæ habitualis, quatenus hæc est peccatori voluntaria ratione peccati, quo eam amisit. Ita Soto citatus n. 84. & multi recentiores. Sed hæc sententia semper mihi est visa difficillima intellectu. Nam inde sequitur Primò, eum qui centum peccata mortalia commisisset, & eum qui vnum commisisset, fore æquè maculatos peccato. Quia æqualiter omni omnino gratia habituali priuati sunt. *Soto.*

Respondet Soto §. *Sed arguit.* negando sequelam. Quia macula peccati non consistit in priuatione gratiæ nudè sumptæ, sed cum respectu ad suas causas, scilicet conuersiones indebitas ad creaturas, quarum contactu anima sordidatur, sicut nitida contactu fœdorum magis ac magis sordidantur.

Peccatum habituale non consistit in priuatione gratiæ.

Sed contrà. Vel illa conuersio per se immediatè formaliter maculat animam: vel præcisè solùm quatenus causat priuationem gratiæ. Si Primum dicas, tunc macula peccati non consistet in priuatione gratiæ, sed in ipsa conuersione; nec ideo propriè maculabit animam, quia nitore gratiæ eam priuat: sed ideo eam priuabit nitore, quia maculat. Sicut (vt exẽplo Soti vtar) qui volutatur in pice, non ideo maculatur, quia priuatur nitore, sed ideo priuatur nitore, quia per adhærentem picem maculatur: nec eius pulchritudo tollitur per nudam priuationem, sed per positiuam positionem contrariæ turpitudinis.

Si Secundum dicas, tunc omnes peccatores æqualiter erunt maculati, quia æqualiter omni omnino gratia sunt priuati: sicut æqualiter sunt priuati vita siue occisi, qui vnico vulnere lethali, ac qui mille occisi sunt.

Ex illa sententia sequitur Secundò, Deum verè esse 87
immediatè causam peccati habitualis, quia solus immediatè subtrahendo suũ concursum peccatorem priuat gratia. Quod enim aliqui dicunt peccatoré immediatè destruere gratiam suo peccato, cũ quo implicat gratiã simul cõsistere, eò quòd gratia sit quædã amicitia, peccatũ verò sit inimicitia inter Deũ & hominem, sine fundamẽto dicitur, vt ostẽdi suprà n. 24. 25. & 30.

Dices, peccatum non consistere in priuatione gratiæ nudè sumptæ, sed prout est priuatio rei quam homo in se tenetur conseruare, quæque ei ratione peccati quo eam meretur, voluntaria est. Sed hoc non satisfacit. Primò, quia etiam sub ea consideratione solus Deus est immediata physica causa priuationis gratiæ. Quare etiam ipse erit causa peccati, non quidem quo seipsum, sed quo hominem maculabit. Sicut Princeps priuans Senatorem propter eius demeritum vestimentis senatorijs, ei verè inurit eam ignominiam, quæ in ea priuatione consistit. Secundo, quia si priuatio gratiæ sit peccatum eò quòd causetur meritoriè per peccatum hominis, qui tenebatur eam conseruare; sequetur priuationem vitæ in fure suspenso esse peccatum quia est priuatio rei quam fur tenebatur conseruare, quæ ei simili modo est voluntaria. Istorum autem vtrumque omnino absurdè quis dixerit.

Tertia sententia docet, peccatum habituale nihil 88
aliud esse, quàm ipsum peccatum actuale secundùm suam malitiã habitualiter quodammodo in ipso peccatore adhuc perseuerans, ipsumque afficiens ac denominans. Hanc sententiam iam multi recentiores amplectuntur, pro qua

Nota Primò, in peccato mortali actuali sex posse *In peccato sex considerari possunt.* considerari quæ huc spectant. Primò, quòd sit defectus quidam à regula rectæ rationis, & alicui virtuti contrarietur. Secundò, quòd per ipsum homo auertatur à Deo ad creaturas, idque vel omnino directè & explicitè, quando hoc peccatum est odium Dei, aut in alijs peccatis interpretatiuè & indirectè; quatenus peccator præponit bonum creatum amicitiæ diuinæ. Tertiò, lædit grauiter Dei auctoritatem ac amicitiam; atque ita est quædam formalis iniuria erga Deũ, iuxta d. 1. n. 21. Quartò, constituit peccatorem formaliter iniurium ac odibilem Deo, & ratione demeriti dignum æternis pœnis. Quintò, efficit vt Deus habeat voluntatẽ hominẽ puniẽdi. Sextò, hinc sequitur, quòd Deus de facto hominẽ puniat priuando eum sua gratia, aliisque pœnis subijciendo. Quæ si quis penitiùs inspiciat, facilè aduertet rationẽ, ac intrinsecam malitiã peccati consistere aliqua ratione in tribus prioribus: tria verò posteriora esse potiùs quosdã effectus, quos peccatum causat; quartum quidẽ ex priore parte formaliter, ideóque ab eo separari nequit: reliquos verò meritoriè, sicut etiam ex parte quartũ, nam dimissa culpa præcisè sub ratione culpæ, potest quis manere dignus pœna. Nam communiter remissis peccatis restant nobis adhuc aliquæ pœnæ persoluẽdæ, quib. verè digni sumus.

In quo peccati ratio præcipuè consistat.

Nota Secundò, transacto primo, siue post ipsum 89
actuale peccatum reliqua quodammodo habitualiter in peccatore perseuerare. Nam iniuria semel alicui illata, secũdùm quandam moralem æstimationem manet in inferente, eúmque constituit iniuriosum erga alterum, donec aut planè refarciatur, aut remittatur. *Iniuria alicui illata transacto actu manet habitu.*

Nota Tertiò, quando quis aliquam rem voluit aut 90
respuit, etsi actu omnino transacto, quoad multos effectus censeatur semper manere in eadẽ voluntate, donec eã reuocarit: (vt patet in ijs qui semel cõsenserunt in aliquem contractum; aut perierunt aliquod Sacramentũ: qui censentur in ea voluntate perseuerare, do- *Quomodo voluntas transacta habitu aliter perseueret.*

nec eam reuocent) non tamen quoad omnes effectus, neque quoad omnem denominationem, quæ actuali voluntati conueniebant. Etsi enim Petrus & Ioannes dum data semel occasione se mutuo actu diligunt, verè dicuntur amici; aut inimici, dum odio habent: quòd si tamen actu omnino transacto, multo tempore nullum actum voluntatis circa se mutuo habeant, nec vllum amicitiæ aut inimicitiæ signum, etiam data occasione sibi mutuo ostendant; quis dicat eos semper pergere inter se amicitias, aut inimicitias gerere, aut alterum ab altero auersum esse, etiamsi dictas voluntates nunquam contrario actu reuocarint? Item Petrus ex aliqua occasione intulerit Ioanni iniuriam, qua transacta postea multis annis de ea nihil cogitet, etsi illa possit ipsi dici perpetuò habitualiter voluntaria, donec Ioannes eam remiserit: quia alter hoc ipso quo eam non resarcit, censetur eam perpetuò continuare, quod verum est etiam eo casu quo ipse omnino factus est impotens restituere, quia, cùm iniuria illata in suo effectu côtinuò perseueret, ratione prioris actus quo voluntariè fuit posita, censetur ipsi perpetuò voluntaria, donec eum seriò pœniteat. Quòd si tamen Ioannes ei semel iniuriam remiserit: sicut hæc tunc omnino esse desinit, ita vt Petrus non sit ei ampliùs iniurius; ita etiam desinit huic eius omnino oblitio esse voluntaria.

91 Hinc apertè colligitur Primò, peccatum habituale intrinsecè consistere in secundo & tertio ex recensiris n. 88. quatenus transacto actu censetur habitualiter manere: præcipuè tamen consistit in tertio, nam quamdiu hoc perseuerat necessariò perseuerat peccatum, etsi secundum auferatur: vt sit in peccatore attrito, cui desinit peccatum esse habitualiter voluntarium (nam aliter attritio non tolleret obicem gratiæ per Sacramentum conferendæ, quia hæc numquam confertur ei, cui peccatum manet habitualiter voluntarium;) & tamen nihilominus donec suscipiat Sacramentum, manet in suo peccato: sublato verò tertio tollitur etiam peccatum, vt patet ex dictis.

92 Colligitur Secundò, ex parte ipsius peccati, nullam esse repugnantiam, quo minùs per extrinsecam Dei condonationem, sine vllo actu peccatoris possit remitti, quia posita illa condonatione tollitur iniuria hominis in Deum, & consequenter ipsa desinit homini de ea nihil ampliùs cogitanti esse habitualiter voluntaria; & consequenter homo desinit habitualiter esse à Deo auersus, eique iniuriosus: in quibus consistebat tota ratio peccati habitualis. Desinit etiam Deo esse odibilis, quia sublata causa formali, necessariò desinit effectus formalis, reliqui tamen effectus possunt manere, si Deus velit.

Definitio peccati habitualis. *D. Aug.*

Colligitur Tertiò, peccatum habituale meliùs definiri, *Peccatum præteritum nondum remissum* (vt insinuat D. Augustinus lib. 1. de nuptijs & concup. cap. 26.) quàm *nondum retractatum*. quia sine remissione per nullam retractationem potest peccatum tolli, vt ostendi suprà numer. 21. posita autem remissione etiam sine retractatione tollitur, vt mox dicam.

93 Deus potest peccatum per solam condonationem remittere. *Scotus. Gabriel. Nominales. Suarez.*

Conclvs. I. Deus potest peccatum mortale, cui voluntas nullo modo ampliùs actualiter inhæret, per absolutam potentiam remittere sine vlla physica peccatoris immutatione, per solam extrinsecam condonationem. Ita Scotus in 4. disput. 14. qu. 1. §. *Ex his.* Gabriel ibidem quæst. 1. art. 2. concl. 1. & communiter Nominales. Suarez hîc disp. 9. sect. 4. & alij.

Probatur Primò, quia nulla potest hîc ostendi implicantia, aut ratio cur hoc negetur, vt satis colligitur ex dictis, & magis parebit ex solutione obiectorum. Secundò, quia, cùm peccatum habituale solùm consistat in aliquo morali, vt iam ostendi, non videtur posse tolli præcisè per physicam aliquam actionem aut formam sine eiusmodi condonatione, quam solam ad sui remissionem ex natura sua requirit: vt ostendi suprà numer. 21. & 30. Tertiò, quia homines sibi mutuo sic possunt remittere offensas: quare non & Deus? Certè nulla videtur posse reddi ratio, cur hoc fieri nequeat, præsertim positis ijs, quæ iam satis explicui.

Dices, esse diuersam rationem. Quia Deus nemini 94
potest remittere peccatum, nisi eum diligendo, nec potest eum diligere, nisi aut sit bonus, aut faciat eum bonum. Secùs autem est de homine.

Respondeo, Deum etiam verè diligere peccatorem, dum ei etiam dicto modo peccata remittit: non quidem ea dilectione, qua diligit suos amicos, sed ea ratione qua generatim dicimur diligere omnes, quibus volumus aliquod bonum. Maximum enim bonum Deus vult ei quem tanto malo liberat. Similiter etiam in peccatore bonum naturæ reperit quod diligat, & hoc ipsum aliquo modo melius facit, non quidem positiuum bonum ei conferendo, sed magno malo ipsum liberando. Quod autem Soto ait Deum neminem posse diligere, nisi eum ad suam amicitiam assumat, aut positiuum bonum conferat, gratis sine vlla probatione sumitur: & per se apparet falsum, si de dilectione generatim sumpta loquamur.

Soto. Potest Deus aliquem diligere nihil positiuum de nouo ei conferendo.

Ad Primum argumentum primæ sententiæ nego 95
assumptum. Est enim falsum, si loquamur de vera auersione, qua homo possit absolutè dici auersus à Deo, & peccator, patet ex dictis n. 90. Nec ex eo quòd Deus fortè non possit per se immediatè facere vt voluntas desinat habitualiter esse conuersa ad aliquod bonum (de quo non est opus hîc disputare) sequitur eum non posse facere vt desinat esse auersa à bono. Quia ipsius infinitæ bonitati aliquo modo repugnat per se destruere aliquod bonum morale, qualis est illa conuersio ad bonum, præsertim cùm illa destructio non possit esse vtilis ad bonum finem. Contrà verò eidem maximè conuenit omne malum morale destruere.

Ad Secundum, nego primam partem maioris. Nulla enim est ratio eam asserendi, vt patet ex dictis. Minor etiam apertè falsa est. Quia Deus posse peccatori sine vllo ipsius actu infundere gratiam habitualem, & sic eum positiuè iustum efficere. Nulla enim hîc videtur ratio dubitandi.

Ad Primum argumentum secundæ sententiæ, nego 96
antecedens. Vide dicta n. 85. & seqq.

Ad Secundum, nego consequentiam. Quia, etsi remissio peccati de facto non fiat sine positiua & reali iustificatione peccatoris, tamen hæc duo secundùm se distinguuntur, vt etiam Trident, ibidem insinuat, dum ait: *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo*, &c. clarè distinguens remissionem peccati ab infusione gratiæ, siue donorum.

Remissio peccati distinguitur ab infusione gratiæ. *Trident.*

Ad Tertium, nego assumptum, quia non imputatio non tollit peccata. Vnde hæretici aiunt peccata etiam in iustis manere, & volunt hos de facto solùm esse iustos per extrinsecam imputationem iustitiæ Christi, quæ vtraque Concilium damnat. Per dictam autem remissionem peccata verè tollerentur. Quare Concilium nihil facit contra nos, præsertim cùm solùm docear quid de facto fiat. Nos autem solùm agimus de eo quod Deus absolutè facere possit.

Aliud est peccata nō imputari, aliud ea verè remittere.

Ad Quartum, nego maiorem, quia ex ea sequitur Primò, Deum non posse mihi remittere pœnam Purgatorij, nihil in me producendo. Secundò, Deum non posse positiuè nolle secundum mundum producere, aut velle subtrahere alicui creaturæ suum concursum, quia sic nihil produceret. Tertiò, hâc esse falsam:

Deus potest aliquid velle nihil reale producendo.

Deus

Deus ante mundum conditum verè amauit electos. Nam si amor rei externæ non potest in Deo poni sine aliquo reali effectu, non potuit etiam poni antequam ille effectus ponatur.

Quòd autem nos non possimus remittere alicui peccata nisi producendo in nobis volitionem, fit propter nostram imperfectionem, qui non possumus aliter velle. Secùs est de Deo, qui propter suam perfectionem omnino infinitam potest plurima verè velle, & alia nolle per simplicissimam suam entitatem, sine vllius actionis immanentis productione. Sicut etiam eadem ratione omnia futura intuetur.

Quare Deus possit potiùs sine vlla reali actione remittere iniuriam sibi factã quàm nos.

Nec refert, quòd qui prius verè dicebatur peccator, eo remisso verè diceretur non peccator, quia ad hoc sufficit in eo factum esse veram moralem mutationem, per ablationem peccati.

97 Conclvsio II. Eiusmodi tamen remissio peccati, esset aliquo modo imperfecta. Primò, quia magna pars pœnæ remaneret, scilicet perditio gratiæ habitualis, & status supernaturalis. Secundò, quia relinqueret in homine aliquam vilitatem, quia esset ei magno dedecori suo peccato illa perdidisse, & se brutali suo appetitui subiecisse. Posset tamen hæc vltima vilitas postea tolli heroico aliquo actu illius virtutis contra quam antè peccasset; aut etiam diuturna peccati fuga, quæ motus inordinatos superaret, & priorem lapsum castigaret. Sed ad hæc necessaria esset gratia præueniens & cooperans.

98 Conclvs. III. Posset Deus non tantùm peccatori ita remittere peccatum, sed etiam eum in filium ac hæredem suæ gloriæ adoptare, sine vlla physica ipsius immutatione; etsi sine hac ei gloriam de facto cõferre non possit, vt per se patet. Ita quidam recentiores viri doctissimi, & fauent Magister in 4. d. 1. §. penult. & Varro, & glossa cap: *Quod autem.* de consecrat. disp. 4. apud Salas 1. 2. tractat. 14. disp. 22. sect. 13. eamque expressè docet Curiel 1. 2. q. 113. art. 2. dub. 2. concl. 3.

Posset Deus peccatori remissa culpa adoptare in filium sine physica ipsius immutatione. *Magister. Varro. Salas. Curiel.*

Probatur, quia sic homo hominem in filium potest adoptare: quare non etiam Deus; Certè non video cur hoc repugnet. Etsi enim Dei dilectio sit efficacior, quàm nostra, ideoque possit statim nobis dona supernaturalia conferre; non est tamen necesse, vt statim omnia operetur quæ potest. Confirmatur, quia; quòd per gratiam infusam adoptemur in filios Dei; hoc non habet gratia ex physica sua entitate: quia ipsa posset esse etiam in peccatore, vt ostendi numer. 30 & docet P. Suarez disp. 9. sect. 3. num. 9. sed hoc habet ex mera Dei deputatione, vt ostendi nu. 31. Et ratio est, quia sicut esse filium ac hæredem regis, non est propriè quid physicum, sed morale: ita etiam esse filium ac hæredem Dei. Quare non potest hoc conferri præcisè per entitatem quamcumque physicam, sed per Dei voluntatem nos ad eam dignitatem acceptantis.

Suarez.

Esse filium Dei non est quid purè physicum.

Nota tamen, talem adoptionem fore imperfectiorem ea, qua modò adoptamur, qua elenamur ad quoddam esse suo modo proportionatum tantæ dignitati.

99 Conclvs. IV. Implicat Deum remittere peccatum eodem instanti quo committitur, quia sic peccatum simul esset, & non esset: peccatum enim eo instanti quo remittitur, verè non est, illud autem apertè implicat.

Peccatum non potest remitti eodem instãti quo committitur.

Dices, implicare quidem vt quis actu verè peccet, & Deus eodem instanti hoc illi remittat; eum tamen posse facere, vt is qui talem actum committit, verè non peccet, si nimirum nolit eo actu offendi, & cedat quodammodo iure suo, quod aliàs per peccatum læderetur.

Respondeo, hoc aliquo modo fieri posse in actibus quibusdam, qui non sunt intrinsecè mali, sed tantùm ideo præcisè mali sunt, quia sunt contra alterius ius, aut ob similem causam, quam Deus potest tollere; atque ita dare nobis veniam vt tales actus faciamus. Sicut Abrahæ dedit veniam, vt occideret innocentem filium, & antiquis, vt ducerent plures vxores. In ijs autem actibus, qui intrinsecè mali sunt, quale est mendacium, odium Dei, & similia; hoc dici nequit. Secluſa enim ignorantia implicat me liberè tales actus facere, & non peccare. Nam per nullam potentiam fieri potest vt eiusmodi actus non repugnent naturæ rationali, ac rectæ rationi; & consequenter vt non sint peccata. Item sicut implicat Deum efficere vt non sit omnium rerum absolutus dominus: ita implicat eum efficere vt non sit supremus legislator: ac consequenter fieri nequit, vt peccata non lædant ipsius auctoritatem, aut vt peccans non sit in eum iniurius.

Deus nequit facere vt liberè faciens actũ quem scit esse malum, non peccet.

Sed instabis, Potest homo efficere vt nullo actu eum possim offendere, eique iniuriam inferre, ergo etiam Deus. Respondeo negando consequentiam. Quia homo siue iustè siue iniustè sæpè potest consentire vt hoc vel illud faciam, & hoc ipso desinit ei esse iniuriosum. Nam scienti & volenti non fit iniuria. Implicat autem Deum consentire vt mentiar, vel blasphemem, aut mihi dare veniam ea faciendi, & consequenter implicat, vt ea faciendo non sim ei iniurius. Posset tamen nolle vnquam vllum meum peccatum punire. Nec enim est quidquam quod eum possit cogere vt velit peccata punire. Et sic quamuis peccando fierem aliquo modo radicaliter dignus pœna, tamen actu non contraherem vllam obligationem subeundi pœnam, quia hæc supponit in offenso voluntatem peccata puniendi, vel saltem vt non habeat contrariam voluntatem. Sicut obligatio soluendi debita supponit creditorem velle debitorem soluere.

100

Posset Deus facere vt peccãs non incurreret reatum pœnæ.

DVBIVM XI.

Vtrùm Deus possit remittere vnum peccatum mortale sine alio?

101 HAc in re certum est, hoc de potentia Dei ordinata, siue spectato præsenti Dei decreto circa modum remittendi peccata, fieri non posse. Quia Deus de facto nulli remittit peccatum mortale sine infusione gratiæ, & acceptatione ad suam amicitiam. Implicat autem Deum aliquem acceptare in suam amicitiam remanentem in peccato mortali, quia *similiter odio sunt Deo impius & impietas eius*, Sap. 14. Sicut igitur implicat Deum non auersari impietatem sine peccatum; ita implicat eum non auersari sed habere amicum ipsum peccatorem.

Manens in peccato non potest acceptari in amicitiam Dei, *Sap. 14.*

Et in hac sententia omnes consentiunt cum D. Thoma hîc q. 86. art. 3. vbi eam satis probat, dicitque sæpiùs esse impossibile vnum peccatum sine alio remitti, quod non est intelligendum de potentia Dei absoluta, sed tantùm de ordinaria, vt satis patet ex discursu D. Thomæ. quia ipsius rationes nihil aliud probant. *D. Thom.*

Dubium autem est inter Doctores, Vtrùm Deus per absolutam potentiam possit remittere vnum peccatum mortale sine alio. 102

Soto in 4. d. 15. art. 3. §. *Conclusionem.* id absolutè negat. Primò, quia putat eam esse sententiam D. Thomæ. Secundò, quia putat Deum non posse alicui remittere peccata, nisi eum recipiat in suam amicitiam. Sed neutrum esse verum satis ostendi tum hîc, tum suprà n. 94. *Soto.*

103 Deus et potentia absoluta potest remittere vnum peccatum sine alio.

Conclvs. I. Posset Deus per absolutam suam potentiam alicui remittere vnum peccatum mortale sine alio. Hanc conclusionem tenent omnes ij quos citaui dub. 10. numer. 93. pro mea sententia; & ex ea apertè

sequitur. Nam posito quòd Deus possit remittere peccatum per solam extrinsecam condonationem, non recipiendo hominem in suam amicitiam; nulla est ratio, cur non possit vnum remittere sine alio.

104 CONCLVS. II. Posset Deus dicto modo etiam pœnitenti siue attrito, siue etiam contrito remittere
Suarez. vnum peccatũ mortale sine alio. Ita P. Suarez d.10. n. 6. & 7. Quia nulla apparet implicantia. Imò hæc conclusio apparet facilior quàm præcedens. Nam per illam pœnitentiam peccatum definit homini esse habitualiter voluntarium, quare sola iniuria in Deum restat remittenda.

Nec refert quòd, contritus præsertim, æqualiter sit dispositus ad remissionem omnium peccatorum recipiendam, quia hæc dispositio non est per se sufficiens ad deletionem peccati, sed contrito Deus illud ex pura liberalitate remittit: vt ostendi suprà nu. 27. & 29. Quare sicut absolutè loquendo posset ei nullum peccatum remittere: ita posset remittere vnum sine alio. Nulla enim hîc apparet implicantia. Imò absolutè loquendo posset Deus ita remittere vnum peccatum sine alio, infundendo ei eam qualitatem quæ iam habet rationem gratiæ iustificantis; quamuis tunc eam rationem non haberet: quia non iustificaret. Probatur, quia, vt ostendi suprà n. 30. posset Deus peccatori eam qualitatem infundere, nullum ei peccatum remittendo: ergo posset ipsi illam infundere remittendo solùm aliqua. Et positis iis quæ iam diximus, nulla apparet ratio hæc negandi.

DVBIVM XII.

Vtrùm simul cum culpa semper remittatur omnis pœna ei debita?

105 HÆc controuersia præcipuè iam versatur inter Catholicos & nostros hæreticos, qui ferè omnes affirmant, vnà cum culpa semper omnem pœnam remitti, vt ex eorum libris docet Cardin. Bellarm. l. 4. de
Bellarm. pœnitẽtia c. 2. Probant hoc Primò, quia Scripturæ hoc
Ezech. 18. & 33. videntur insinuare. Nam Ezech. 18. v. 22. & c. 33. v. 12. & 16. dicitur, quòd in quocumque die impius se ab impietate auerterit, impietas eius amplius ei non nocebit, sed Deus omnium peccatorum ipsius obliuiscetur. Et ad
Rom. 8. Rom. 8. dicitur: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu.* atqui hæc essent falsa, si remissa culpa restaret adhuc aliqua pœna persoluenda: ergo, &c. Secundò, quia Christus in hac vita legitur multis remisisse peccata, nulli tamen injunxisse vllam pœnitentiam. Tertiò, quia Christus pro nobis infinitè satisfecit: ergo nulla alia satisfactione opus est. Quartò, quia sublata causa tollitur effectus; atqui peccata sunt causa punitionis: ergo iis sublatis tollitur punitio. Quintò, *contritio* habet vim tollendi culpam & pœnam æternam: ergo poterit etiam tollere pœnam temporalem, quia hoc facilius est.

106 CONCLVSIO I. Semper vnà cum culpa mortali tol-
Pœna semper remittitur simul cum peccato mortali. litur etiam debitum pœnæ æternæ. Ita Trident. sess. 6. c. 14. & cum eo omnes Catholici. Probatur Primò ex locis Scripturæ iam allatis, quæ hoc saltem probant. Secundò, quia numquam remittitur peccatum mortale, nisi simul peccator per gratiæ infusionem acceptetur in filium Dei, & hæredem regni cælestis; vt patet ex Trident. suprà c. 7. & apertè colligitur ex initio c. 8. ad Rom. atqui fieri nequit, vt aliquis sit filius Dei & hæres æternæ gloriæ, & maneat debitor pœnæ æternæ, hæc enim mutuò repugnant: ergo hoc ipso quo

107 Remisso peccato non semper tota pœna remittitur. *Trident.* Deus alicui dicto modo remittit peccatum, etiam necessariò remittit ei pœnam æternam.

CONCL. II. Remissa culpa sæpissimè stat adhuc aliqua pœna temporalis persoluenda. Ita Trident. sess. 14. c. 8. & can. 12. & cum eo iam omnes Catholici. Probatur Primò, quia Scriptura multis locis docet Deum culpas iam remissas pœnis temporalibus puniuisse. 2. Reg. 12. Dauid ob commissum adulterium & homici- 2. Reg. 12.
dium remissa culpa punitur morte filij, aliisque grauissimis pœnis; & similiter c. 24. ob numeratum populũ: & aliis multis locis similes pœnæ legũtur inflictæ.

Respondent hæretici, hæc fieri non in punitionem 108
peccati præteriti, sed ad impedienda futura: sicut, inquiunt, verberantur filij non vt mulctam delictorum persoluant, sed vt inde ad resipiscentiam proficiãt. Sed contrà Primò, hoc pugnat cum expressis verbis Scripturæ 2. Reg. 12. vbi Nathan Dauidi denuntians futuram Dei punitionem, non ait: Vt caueas in futurum peccata: sed, *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius qui natus est tibi morte morietur*, &c.

Secundò, quia falsum est parentes in filiis non punire delicta præterita: vt patet tum ex cõmuni hominum sensu, & modo loquendi, nam parentes verè dicuntur castigare & punire filios: punitio autem dicit directum ordinem ad culpam ob quam ipsa infligitur. Nemo enim rectè potest dici punire innocentem, etiã dũ iustè infligit ei dolorem: vt cũ medicus inurit ægro cauteriũ. Tũ etiã, quia aliàs parentes vno filio peccãte deberent omnes verberare, vt sic eos à peccando deterrerẽt, quod tamẽ omnes cordati iudicarẽt iniquissimũ.

Tertiò, quia sæpè ob peccatum iam remissum infligitur mors, nam omnes morimur ob peccatum originale, etsi nobis per baptismum remissum sit. Et Num. Num. 20.
20. & Deut. 32. Moyses & Aaron moriuntur ante in- & Deut. 32.
gressum in terram promissionis: idque, vt testatur Scriptura, quia præuaricati erant in Deum, quod tamen peccatum iam iis erat remissum. Ridiculum autem est aliquem puniri morte, vt eruditur fugere in posterum peccata.

Ob huiusmodi loca respondent Secundò, mortem, 109
aliasque pœnas remisso peccato infligi hominibus ad exercitationem virtutis: vt docet D. Augustin. lib. 2. de D. Augustin.
peccat. meritis cap. 34. Sed nullo modo satisfacit. Primò: nam multis mors infligitur, quibus non potest esse exercitatio virtutis; vt sunt omnes infantes & amẽtes, & etiam ij qui subitò & ex improuiso moriuntur: qui cùm non possint mortem liberè acceptare, non possunt per eam in virtute exerceri. Secundò, quia, si velint eas pœnas ira infligi ad exercitationem virtutis, vt non sit simul pœna peccati, apertè repugnant Scripturis iam citatis, vbi illæ dicuntur infligi propter ipsa peccata, siue in eorum punitionem. Tertiò, quia Tobiæ 3. vers. 21. apertè docetur, Deum ijs qui ipsum Tobiæ 3.
colunt, & consequenter amicis suis ex duplici intentione afflictiones immittere: scilicet ad probandam eorum virtutem, & ad corripienda siue punienda peccata: & in hoc casu dicitur speranda misericordia siue venia, quæ non datur nisi ad euadendam propriè dictam punitionem. Vnde etiam D. August. lib. 13. de D. August.
Ciuit. c. 6. ait: *Cùm ex hominis primi perpetuata propagine procul dubio sit mors pœna nascentis tamen si pro pietate iustitiaque pendatur, sit gloria renascentis: & cùm sit mors peccati* (scilicet originalis) *retributio, aliquando impetrat vt nihil retribuatur peccato*, scilicet actuali, cui post remissionẽ adhuc aliqua pœna debetur, sed martyrio tota deletur. Et secundùm hæc intellige locum ex D. August. nobis obiectum: scilicet mortem aliasque pœnas, quas ob peccatum originale incurrimus præter alios fines, etiam ob hunc quantumuis iustis non remitti, vt sint iis exercitatio virtutis, dum eam intrepidè sustinent. Nam quòd velit peccata iam remissa verè à Deo adhuc puniri, satis patet tum ex dicto c. 6. tum etiam ex iis quæ dicit in Psal. 50. vbi ait: *Veritatem dilexisti, id est, impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscis, non reliquisti.*

Probatur Secundò, quia Scriptura ferè vbique in 110
iis qui ad Deum conuertuntur, requirit pœniten-

Ierem. 31. tiam, luctũ, lamenta, aliaque opera pœnosa. Ierem. 31.
Ioël. 2. *Pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectã.* Ioël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra.* ideoque viri sancti, quorum pœnitentia in Scriptura laudatur, narrantur maximas pœnas sibi inflixisse. Sic Iob c. vlt.
Iob vlt. agit pœnitentiam in cinere & cilicio. Et Dauid Psal.
Psalm. 6. 6. v. 7. laborat in gemitu suo, & lachrymis per singulas
Psalm. 101. noctes lectum suum lauat. Et Psal. 101. cinerem tamquam panem manducat, & potum suum cum fletu
Isaiæ 38. miscet. Similiter Isaiæ 38. Ezechias omnes annos suos Deo recogitat in amaritudine animæ suæ, & similia passim in Scriptura occurrunt. Quæ frustra omnia fierent, si peccato iam remisso nullum amplius pœnæ debitum restaret. Probatur Tertiò, quia hic fuit semper sensus totius ab initio Ecclesiæ, quæ resurgentibus à peccatis semper graues pœnas præscripsit: vt patet ex
D. Cyprian. Tertull. D. Greg. D. Cyprian. l. de lapsis, & Tertull. l. de pœnitentia, D. Greg. homil. 20. in Euang. super illud Lucæ 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ,* & aliis.

111 Cur Deus non semper cum culpa omnem pœnam remittat. Quamquam autem tota huius rei ratio præcipuè pendeat ex Dei arbitrio, qui sicut pœnam quæ æterna est vnà cum culpa gratis remittit, ita potuisset semper remittere omnem omnino pœnam: tamen hoc minùs conueniebat, ne daretur nimia peccandi licentia, si tam facilè omnis peccati pœna fuisset remissa. Vnde
D. Chrysost. D. Chrysost. homil. de pœnitentia & confessione, ait: *Nepeccantes & inulti manentes nos efficeremur deteriores, non remisit nobis supplicium: sed vidit hoc manifestè, quòd peccati ipsis non minùs damnosum sit non puniri: propter hoc imponit pœnam.* Vbi docet Deum exigere pœnas pro peccatis remissis. Quare quod postea subiungit, Deum infligendo illas non exigere supplicium, sed ad
Caluinus. futura corrigere; non (vt vult Caluinus) ita intelligendum est, quasi velit Deum nullo modo per illas pœnas punire peccata iam remissa (sic enim sibi apertè contradiceret?) sed quia ad hanc punitionem monetur non tam cupidiate vindictæ, quàm desiderio nostræ correctionis.

112 Ad Primum argumentum in contrarium nego minorem. Nam illis locis nihil aliud significatur, quàm statim ac homo perfectè conuersus est, Deum ei remittere peccatum, & illius, quatenus habet rationem culpæ, & meritorium est mortis æternæ, quasi omnino obliuiscì, quia non recordatur illius in ordine ad æternam punitionem; & similiter remittere etiam omnem pœnam temporalem, quando homo perfectam egerit pœnitentiam, faciendo tam quæ in illis capitulis Ezechielis, quàm quæ in aliis locis n. 110. citatis requiruntur, vt pro omni debito pœnæ satisfiat.

Ad Secundum Respondeo Primò, esse argumentum ab auctoritate negata, nec ex eo quòd Christus illis non iniunxerit pœnitentiam sequi quòd ad nullam fuerint obligati. Respondeo Secundò, Christum
Cur Christus non iniunxerit pœnitentiã iis quibus peccata remisit. hoc fecisse, aut quia multis talem de peccatis contritionem inspirauerit, vt sufficeret etiam pro deletione omnium pœnarum; vt in Magdalena & latrone satis patet: aut quia ij quibus denuntiabat peccata remitti, iam diu pro iis fuerant puniti, vt accidit in languidis quos sanabat, atque ideo etsi fortè dolor eorum non sufficeret ad deletionem omnis pœnæ; tamen liberalitatẽ Christi decebat iam satis diu afflictis omnem afflictionem remittere, aut demum potuit id fecisse ob alias causas sibi notas.

113 Ad Tertium Respondeo, Christum quidem sufficientissimè pro omnibus peccatis & eorum pœnis satisfeciss quoad oblationem pretij, ideoque non esse nobis opus alio pretio quo redimamur; opus tamen esse variis mediis, quibus hoc pretium nobis applicetur, vt possit nobis prodesse: vt fusiùs dixi in materia de sacrificio dub. 3.

Ad Quartum Respondeo, maiorem tantùm esse veram in effectu cõtinuo dependente à sua causa. Nam aliàs sublato parte necessariò tolleretur filius. Debitũ autem illius pœnæ non pendet à perseuerantia peccati. Ad Quintum, nego consequentiam, quia contritio non habet vim delendi culpam, aut pœnam æternam ex vi sua, sed ex pura Dei misericordia: vt ostendi nu. 21. & 22. quem etsi conueniat contrito culpam & æternam pœnam remittere; tamen minùs conuenit eum semper illi remittere omnem pœnam ob rationes nu. 111. dictas.

Hactenus dicta concedunt omnes Catholici: sed 114
inter eos est aliqua difficultas. Primò, Qua ratione pœna æterna dicatur mutari in temporalem? Qua de re varij varia dicunt, sed est magis ferè quæstio de nomine, quàm de re. Secundò, Vtrùm contritio semper deleat aliquam partem pœnæ eius, quæ delera culpa restat?

Nota, contritionem quam elicit peccator posse dupliciter considerari. Primò, vt est prior natura infusione gratiæ: & sic est dispositio ad remissionem culpæ & pœnæ æternæ. Secundò, prout consideratur adhuc durare post gratiam iam infusam, siue in eodem instanti temporis, siue postea.

Conclvsio III. Ea ratione Deus dicitur pœnam 115
æternam commutare in temporalem, quatenus illam Qua ratione pœna æterna mutetur in temporalem.
ita remittit, vt tamen relinquat in homine debitum subeundi aliam pœnam temporalem: talem scilicet qualem decet eum ab amico, à quo grauiter fuit offensus, exigere. Quanta autem pœna pro singulis peccatis iam remissis soluenda restet, nobis incertum est, quia Deus talem statuit, qualem ipse iudicauerit expedire.

Conclvs. IV. Contritio prout infusa iam gratia 116
informatur, est de condigno satisfactoria pro pœna re- Contritio est satisfactoria pœnæ temporalis.
stante, quia habet omnes conditiones ad hoc requisitas.

Ex quo sequitur Primò, per contritionem semper deleri aliquã partem pœnæ, quæ concipitur in eodem instanti naturæ quo culpa remittitur, adhuc restare.

Secundò, eam quò est perfectior, eò maiorem partem pœnæ delere: atque adeò in tantum posse perfici, vt totam deleat. Vtrùm autem hanc solùm deleat per modum satisfactionis, an etiam per modum meriti; & quare non semper sufficiat vt totam deleat; dicemus in materia de satisfactione.

Nota hac conclusione dicta tripliciter posse concipi fieri. Primò, ita vt sicut per quamuis contritionem siue magnam siue paruam æqualiter delentur omnia peccata mortalia quoad culpã, ita per eandem quatenus spectatur præcisè vt dispositio ad gratiam prior natura quàm hæc infundatur, æqualiter deleatur etiam debitum pœnæ, atque adeo pro eo instanti qui æquè grauiter peccauerant æqualis pœnæ temporalis maneant debitores siue intensè siue remissè conterantur. Et deinde eodem instanti temporis posterius tamen natura quàm gratia fuit infusa per modum satisfactionis aliquid de pœnâ restante deleant, plus minúsve, pro perfectione contritionis. Et hoc non videtur probabile, quia sicut is qui perfectius conteritur ob eam dispositionem recipitur ad maiorem amicitiam per maioris gratiæ infusionem, ita omnino conuenit plùs pœnæ ei remitti, ita scilicet vt cæteris paribus minor ei soluenda reste.

Secundò, ita vt perfectior contritio etiam per modum dispositionis plùs deleat debita pœnæ; & tamen eodem instanti posterius natura quàm gratia informata est, adhuc aliquid deleat de pœnâ restante per modum satisfactionis. Sed nec hoc videtur dicendum, nam inde videtur sequi quod simili ratione posset dici illi actui duplicem dari gratiam, vnam tanquam dispositionem, & aliam tanquam merito de condigno, quod tamen dici non posse ostendam in tractatu de

merito disp. 8. dub. 8.

Tertiò, ita vt illi actui pro primo instanti solùm respondeat vnica pœnæ remissio, idque tanquam dispositioni siue merito de congruo, maior aut minor pro diuersa eius perfectione, pro tempore autem sequenti (omnis enim nostra actio durat aliquo tempore nec datur vlla merè instantanea) per eundem de condigno satisfiat pro pœnâ restante, plùs minúsve prout perfectior est, diutiúsve durat. Et hoc sensu nostra conclusio clara est.

DVBIVM XIII.

Vtrùm Deus per absolutam potentiam possit remittere culpam, non remittendo æternam pœnam?

117 QVidam hoc negant, quia putant peccatum habituale nihil aliud esse quàm obligationem ad pœnam suscipiendam. Ita Scotus, Gabriel, & alij in 4. d. 14. Et confirmari posset: quia Deum velle hominem punire æterna pœna, est eum odisse: atqui sublata culpa homo non est ampliùs dignus odio; ergo Deus non potest eum velle æternùm punire.

Scotus. Gabriel.

Sed neutrum fundamentum esse verum satis patet ex dictis n. 88. Vt autem huic difficultati respondeamus, Nota cum P. Suarez disp. 10. sect. 2. n. 8. dupliciter posse considerari pœnam æternam. Primò, prout de facto iam existit in damnatis: qua ratione includit inimicitias cum Deo, vermem conscientiæ, &c. Secundò, prout dicit solam privationem gloriæ, & passionem pœnarum sensus.

Suarez. Pœna æterna dupliciter considerari potest.

118 CONCLVSIO I. Si loquamur de prima illa pœna peccati, Deus non potest eam integrè infligere sublata culpa, quia hac sublata nec homo est ampliùs iniurius Deo, aut ab eo auersus, aut dignus odio, nec ampliùs ipsa culpa vt præsente potest torqueri.

CONCL. II. Si loquamur de secunda pœna, Deus potest eam infligere remissa culpa. Quia peccatum constituit hominem absolutè dignum æterna pœna; & hæc dignitas siue obligatio ad pœnam est aliquid distinctum à peccato, & eius effectus, vt dixi n. 88. & cõsequenter ablata culpa manere potest. Confirmatur Primò, quia homines remissa offensa in ratione culpæ possunt rigidè debitas pœnas exigere, v. c. mortem homicidæ: quare non etiam Deus? Secundò, quia morientibus in peccato veniali Deus statim omnem culpam remittit, vt infrà dicam, remanente totali obligatione vt satisfaciant pro pœna: quare non possit idem facere in peccato mortali?

Deus potest remittere culpã relicto reatu pœnæ æternæ.

DVBIVM XIV.

Qua ratione requiratur pœnitentia ad remissionem peccati venialis?

119 TAm hoc quàm sequentibus dubiis solùm disputamus, qua ratione possit tolli peccatum veniale per potentiam Dei ordinariam. Nam si loquamur de absoluta, satis patet ex dictis n. 93. & 101. Deum posse peccatum tam veniale quàm mortale remittere etiam sine vlla pœnitentia.

Item agimus hîc solùm de remissione peccati venialis extra Sacramentum: & quidem hoc dubio, prout reperitur in iusto adhuc viuente.

Prima sententia docet, peccatum veniale posse remitti per hoc solum quòd homo satisfaciat pro pœna illi debita. Ita Gabriel in 4. d. 16. q. 5. a. 2. concl. 2. cui fauet Scotus d. 21. q. 2. §. *Dito ergo.* Ratio eorum est, quia peccatum habituale nihil est aliud quàm obligatio ad pœnam persoluendam: hac ergo persoluta tollitur.

Gabriel. Scotus.

Secunda sententia docet, ipsum posse deleri per quemuis actum bonum. Ita Gabriel suprà, concl. 4. Et insinuat eam Medina tract. 1. de pœnitentia, q. 3. §. *Oppositum.* vbi docet non requiri pœnitentiam ad eorum remissionem, sed solùm quandam voluntatis reordinationem, quæ videtur fieri per quemuis actum virtutis, cui peccatum contrariatur.

Gabriel. Medina.

Tertia sententia requirit contritionem. Ita Thomas de Argentina in 4. d. 21. art. 4. ad 1. & quidam alij recentiores. Quidam tamen ex his non requirunt contritionem tam perfectam pro peccato veniali ac pro mortali. Nam hæc debet proficisci ex amore Dei super omnia, ad illam verò requirunt quidem amorem amicitiæ erga Deum; non tamen quo ametur omnino super omnia.

Thomas de Argentina.

Quarta sententia requirit quidem necessariò aliquam pœnitentiam; ait tamen sufficere attritionem etiam implicitam, qualem vult reperiri in omni opere bono, quod continet saltem implicitam displicentiam peccatorum venialium. Additque, per quamuis attritionem tolli omnia peccata venialia, ad quæ illa se implicitè saltem extendit. Vnde etiam ait esse probabile, nobis nunquam per Sacramentum remitti peccata venialia quæ confitemur: quia si simus de ijs legitimè attriti, iam anteà nobis remissa sunt.

Pro faciliore explicatione tam huius dubij quàm sequentium, Nota Primò, etsi peccatum veniale non contineat veram ac perfectam iniuriam erga Deum, ideoque non tollat eius amicitiam, sicut peccatum mortale; verè tamen displicet Deo, & est contra ipsius voluntatem ac præceptum, ideóque impedit perfectionem amicitiæ: tum quia efficit vt hominis voluntas minus perfectè vniatur ac subijciatur diuinæ: tum etiam quia ratione ipsius homo aliquo modo displicet Deo, & consequenter eidem minùs placet. Vnde sequitur, in omni peccato veniali esse quandam inordinationem & indecentiam, Primò, contra ius naturæ; Secundò, contra præceptum ac auctoritatem Dei illud prohibentis; Tertiò, contra eiusdem amicitiam quam omnia peccata aliquo modo offendunt: quæ inordinatio est vera quædam animæ macula, eius decorem offuscans.

120 *Peccatum veniale verè Deo displicet, ac est aliquo modo contra eius Præceptũ.*

Verè etiam animam macular.

Nota Secundò, sicut dixi suprà num. 91. peccatum mortale habituale intrinsecè consistere in habituali iniuria erga Deum, & auersione à Deo ad bonum creatum: ita peccatum veniale habituale intrinsecè consistere primariò in dicta inordinatione habitualiter permanente, & secundariò in eo quòd adhæsio indebita ad creaturam, quam peccando amauimus, censeatur voluntaria, donec eam contrario actu reuocauerimus, aut ipsum peccatum nobis remittatur.

In quo cõsistat hæc habitualis macula.

Hinc sequitur, secluſa omni gratuita remissione, ad perfectam deletionem peccati venialis requiri, vt triplex illa læsio iusta satisfactione reparetur.

121 *Qua ratione satisfiat pro peccato veniali.*

Pro quo Nota Tertiò, vt satisfiat iuri naturæ, ex natura rei requiri saltem implicitam detestationem ipsius peccati, qualis est in amore virtutis contrariæ. Item vt satisfiat amicitiæ diuinæ requiri actum amicitiæ erga Deum, quo homo etiam circa illam materiam in qua à voluntate diuina recessit, eidem se subijciat, qui actus necessariò continet saltem virtualem displicentiam peccati. Vt verò satisfiat offensæ auctoritati Dei, prout est summus legislator & iudex, secluſa omni remissione, requiritur aliqua punitio peccati, quod inde patet, quia iudex, cuius auctoritas per violationem legis læditur, acquirit verum ius infligendi certam punitionem peccatori; ita vt si velit rigidè agere, non teneatur vllam aliam satisfactionem admittere. v. c. meritus est aliquis flagellationem, etsi offerat millies per propria opera etiam magis laboriosa satisfacere iudici, ipse tamen nõ tenetur ea acceptare: sed etiam ijs positis secluſa omni promissione potest

staturam pœnam imponere si velit rigidè agere: quàuis hac in re misericordia aliquando atque æquitas aliud exigant. Ex quibus vlteriùs sequitur, nunquam omnino deleri peccatum veniale quoad culpam & reatum sine aliqua diuina punitione aut remissione, siue voluntaria acceptatione nostræ satisfactionis, quamuis aliquando ratione promissionis hæc acceptatio possit esse debita: sicuti iam de facto ratione suæ promissionis, Deus tenetur acceptare satisfactionem hominis iusti, qua pro pœnis in Purgatorio persoluendis in hac vita satisfacit, vt dicam d. 10. dub. 3. illa ipsa tamen promissio includit aliquam remissionem, nam Deus ea ratione aliquid de suo iure puniendi peccata remisit.

Numquam omnino deletur sine aliqua punitione aut remissione.

122 *Numquam remittitur sine aliqua pœnitentia.*

Conclvs. I. Numquam remittitur vllum peccatum veniale sine virtuali saltem de eadem pœnitentia. Est iam ferè communis. Et potest probari ex iis locis quibus n. 50. probaui ad remissionem peccati mortalis requiri pœnitentiam; quæ suo modo etiam possunt applicari præsenti quæstioni, quia eadem etiam hic est ratio. Quia scilicet minimè decet Deum remittere alicui peccatum quod ei adhuc interpretatiuè est voluntarium, quale est omne peccatum ab aliquo commissum, donec de eo saltem implicitè pœniteat. Quod verum est etiam in casu susceptionis Sacramenti, aut martyrij: vt ostendi tom. 1. q. 62. art. 1. dub. 2. & q. 66. a. 12. dub. 2. Quare quod D. Thom. qu. 8. a. 1. ad 2. ait, martyrium purgare ab omni culpa veniali & mortali, cui non reperit voluntarem actualiter inhærentem; adiungendum est, vel interpretatiuè. Nam, vt patet ex ipsa obiectione D. Thomæ, tantùm vult ad remissionem peccati non esse necessariam actualem pœnitentiam eo instanti, quo per martyrium peccatũ remittitur. Quare quod Caietan. hic ex D. Thoma infert, obdormiscentem cum voluntate peccandi venialiter, si dormiens occidatur, eiusdem peccati per martyrium accipere remissionem, & malè infert, & verum non est: Alioqui pari ratione ex eodem inferret, obdormiscentem cum voluntate peccandi mortaliter, si inter dormiendum propter fidem occideretur, acceptarum istius peccati remissionẽ, quod apertè falsum est: & tamen D. Thomas de vtroque casu eodem modo loquitur. Quare dicendum est, D. Thomam loqui de eo qui antequam obdormisceret, habuerit displicentiam sui peccati, insufficientem tamen vt sine Sacramento aut martyrio remitteretur.

D. Thom.

Caietan.

Sufficit pœnitentia virtualis.

Conclvs. II. Non est necessarium vt hæc pœnitentia sit formalis, sed sufficit virtualis. Patet, quia, vt ostendi num. 51. eiusmodi pœnitentia sufficit ad remittenda peccata mortalia: ergo multò magis ad venialia.

Debet tamen esse supernaturalis.

Conclvsio III. Hæc pœnitentia debet semper necessariò esse supernaturalis, & proficisci ex gratia. Quia peccatum veniale in hoc hominis statu offendit aliquo modo amicitiam Dei supernaturalem, vt dixi num. 20. & retardat consecutionem salutis, quare eius remissio spectat ad statum supernaturalem, & est vtilis ad consecutionem salutis, atque ita est aliquid supernaturale: ergo requirit pœnitentiam supernaturalem; tum quia media debent esse proportionata finitum; quia Arausicanum cap. 7. definit nos nihil boni ad salutem pertinens vt expedit cogitare posse sine gratia. Alia fuisset ratio in statu puræ naturæ, quia tunc peccatum veniale nullo modo læsisset statum supernaturalem, nec peccati remissio ad hunc fuisset ordinata.

123 *Optima pœnitentia est contritio.*

Conclvsio IV. Ad horum remissionem optima est formalis, vel virtualis contritio, per quam remittuntur semper omnia peccata venialia, ad quæ saltem virtualiter se extendit. Per se patet, quia per eam ita remittuntur etiam peccata mortalia. Non tamen per eam remittuntur ea peccata venialia ad quæ ipsa se non extendit, quia voluntas per illam ab his nullo modo auertitur, quare manent adhuc saltem interpretatiuè voluntaria, & consequenter non remittuntur. Quod accidere patet vel ex eo quòd homo ob nimiam affectum erga aliquod bonum temporale aliquo modo adhuc sibi complacet in quibusdam peccatis: vel quia siue ob hanc, siue ob aliam causam hîc & nunc expressè solùm proponit ob amorem Dei se exercere in aliqua certa virtute, quam concipit Deo præ cæteris placere; atque ita solùm detestatur peccata quæ huic virtuti contrariantur. Quoties verò homo ex absoluto & perfecto amore Dei, se eius voluntati absolutè subiicit, cupiens ei absolutè placere, aut absolutè peccata venialia sine restrictione detestatur, quia Deo displicent; eius contritio ad omnia se extendit.

Non semper per eam remittuntur omnia peccata venialia.

Aliquando omnia remittuntur.

Conclvsio V. Probabilius est ad remissionem peccati venialis etiam sine Sacramento in iustis sufficere attritionem. Ita P. Suarez d. 11. sectione 3. Crediderim tamen per eam non semper remitti omnia, etsi ad omnia se extendat.

124 *Ad eius remissionem sufficit attritio. Suarez.*

Prima pars probatur, quia talis actus tam est proportionatus ad merendum veniam peccati venialis, quàm ad merendum augmentum gloriæ: atqui cùm habeat omnes conditiones requisitas ad meritum, ad hoc sufficit: ergo etiam ad illud. Maior probatur, quia nec est maior improportio ex parte præmij, cùm maius sit præmium augmentum gloriæ, quàm remissio peccati venialis, & difficilius sit obtinere finem quàm media, qualis est remissio peccati venialis respectu gloriæ. Nec etiã est maior improportio ex parte actus. Nam sicut attritio ex natura sua præcisè non est sufficiens auersio à peccato, vt eius mereatur veniam: ita non est sufficiens conuersio in amicum, vt amicitiæ mereatur augmentum (cum per se loquendo ad vtrumque requiratur actus amicitiæ.) Et rursum sicut attritio ad hoc redditur sufficiens ratione subiecti à quo habet quòd sit actus amici, & informatus charitate, atque ita quodammodo actus charitatis; eadem etiam ratione redderur sufficiens ad remissionem peccati venialis merendam. Cùm igitur Deus non minùs promiserit pœnitenti veniam peccatorum, quàm benè operanti augmentum gloriæ; non videtur ratio cur attritio non tam benè mereatur vnum quàm aliud.

125 *Cur non deleat semper omnia.*

Secunda pars probatur, quia longè maius Dei beneficium est remissio multorum & grauium peccatorum venialium, quàm remissio paucorum & leuium: ergo cùm meritum debeat esse proportionatum præmio, non omne meritum quod sufficit ad vnum, sufficiet etiam ad aliud: & consequenter fieri poterit vt peccata venialia sint tam multa & tam grauia, & attritio tam remissa, vt non sit sufficiens ad remissionem omnium.

Obiicies Primò, Vni operi non respondet nisi vnum præmium adæquatum: atqui iustus pro sua attritione accipit augmentum gratiæ operi proportionatum: ergo non accipit pro ea remissionem peccati venialis, quia sic maius acciperet præmium quàm is qui atteritur, quando nullum habet peccatum veniale. Secundò, quodcumque augmentum gloriæ est maius præmium quàm remissio quorumcumque peccatorum venialium: ergo attritio sufficiens ad illud merendum, sufficiet etiam ad hanc. Tertiò, contritio sufficiens ad remissionem vnius peccati mortalis sufficit pro omnibus: ergo similiter attritio sufficiẽs ad remissionem vnius peccati venialis, sufficiet pro omnibus, ad quæ se extendit. Et confirmatur, quia aliàs nulla erit ratio cur vnum peccatum per eam potiùs remittatur quàm alia: ergo vel omnia remittentur, vel nullum.

Ad Primum Respondeo, Si aliquid probaret, etiam 126 probaret per contritionem non remitti peccata venia-

lia, quia ei respondet sua gratia vt præmium. Respondeo Secundò, maiorem tantùm esse veram quando præmia sunt eiusdem rationis, & eadem ratione alicui actui promittuntur. Nam sicut per eundem actũ possum satisfacere debito, vtc. iustitiæ & gratitudinis, sic etiam possum mereri diuersa præmia: Sic videmus etiam apud homines mercenarium diligéter hero suo seruiendo mereri & quotidianum stipendium, & maiorem ipsius gratiam, & abolitionem aliquorum defectuum, quibus eum antè offenderat. quod maximè verum est, quando vnum præmium est necessarium ad alterius consecutionem: sicut remissio peccati venialis est necessaria ad consequutionem gloriæ. Vnde ex his etiam confirmatur prior pars nostræ conclusionis, & colligitur responsio ad secundum. Negandа enim est consequentia. Nam dicta præmia sunt diuersi ordinis, & diuersa ratione attritioni charitate informatæ promissa. Nam primum ei promissum est quatenus est opus veræ virtutis supernaturalis à filio factum, quem pro vltimo præmio suarum actionum non decet habere aliud præmium quàm hæreditatem gloriæ, eiúsve augmentum. Et ex hac parte cuiusi operi vnicum ac determinatum præmium respondet; & in omnibus est æquale, in quibus opus omni ex parte est æquale. Secundum verò attritioni promittitur, quatenus est auersio à peccatis ad Deum: & consequenter alia ratione ac proportione ei debitum est. Quare nullum est absurdum, quòd attritus non habens peccata venialia hoc secundum præmium non accipiat, & alter ipsum accipiat, quia hic est eius capax, ille non. Et similiter ex eo quòd attritio secundum primam rationem mereatur maius præmium quàm sit remissio multorum peccatorum venialium, non sequitur eam hanc semper integrè mereri. Est enim diuersa ratio, vt patet ex dictis. Quanta autem remissio peccatorum venialium tantæ aut tantæ contritioni respondeat, solus Deus nouit.

Eodem actu possum satisfacere debitis diuersæ rationis, & mereri diuersa præmia.

Meritum gloriæ & remissio peccati venialis diuersa ratione respondent peccato veniali.

127 Quare contritio potius semper deleat omnia peccata mortalia quàm attritio omnia venialia.

Ad Tertium, nego consequ. Quia contritio respectu remissionis peccatorum mortalium, non habet se per modum meriti de condigno, sed solùm per modum dispositionis, qualem & homo in genere suo potest per strictissimam exhibere, & quam Deum ex misericordia decet acceptare. quare non requiritur hìc talis proportio, qualis est inter meritum & præmium, sed solùm dicta proportio in ratione dispositionis, quæ æqualis est ad vnum peccatum mortale, & ad multa. Secùs de remissione peccati venialis per attritionem, quæ nõ habet se per modũ dispositionis (quia sic requireretur actus amicitiæ, qui solus disponit ad amicitiam aut inchoandam, aut aliquo modo per remissionem offensæ redintegrandam) sed per modum meriti, in quo requiritur proportio respectu præmij.

Cur potiùs vnũ quàm aliud deleat quando ad omnia se extendit.

Ad confirmationem nego assumptum. Quia potest vnum peccatum potiùs remitti, quàm aliud: vel quia est leuius: vel quia ratione modi quo commissum est, meretur faciliorem veniam: vel quia reus illud magis explicitè detestatur, aut cum firmiore proposito illud in perpetuum vitandi. Possum enim eodem actu in vnum obiectum constantiùs & firmiùs ferri, quàm in aliud, ob habitualem affectum diuersum: vel demum si hæc omnia sint paria, poterit Deus suo arbitrio ea peccata remittere quæ voluerit. Nec enim in hoc est vllum absurdum.

128 Peccata venialia etiã in iustis sæpè remittuntur virtute clauium.

Per susceptionem Sacramenti semper omnia peccata venialia remittuntur, quorũ nos pœnitet. D. Thom.

Ex his patet, etiam in iustis sæpè remitti peccata venialia virtute clauium, quia sæpè potest contingere vt attritio non sufficiat ad remissionem omnium. Per susceptionem tamen Sacramenti semper remittuntur omnia peccata venialia, ad quæ attritio se saltem implicitè extendit, quia hoc remittit omnia peccata, quorum remissioni voluntas non ponit obicem, iis saltem interpretatiuè inhærendo: vt de baptismo docet D. Thom. q. 87. a. 1. ad 2. Et eadem est ratio in confessione, & probabiliter etiam in aliis Sacramentis, quia omnia applicant nobis vim sanguinis Christi, qui pro remissione peccatorum nostrorum effusus est; & consequenter habent vim ea remittendi.

129 Sufficit attritio virtualis.

Conclvsio VI. Sufficit vt hæc attritio sit virtualis. Quare ad remissionem alicuius peccati venialis obtinendam, videtur sufficere quoduis opus bonum supernaturale ea intentione seriò factum. Quia, cùm talis intentio contineat verum desiderium impetrandi à Deo veniam, necessariò cõtinet saltem virtualem displicentiam peccatorum. Nam non possumus seriò desiderare liberari à peccatis sine aliqua eorum displicentia.

Debet includere propositũ ea peccata amplius non committendi.

Concl. VII. Omnis pœnitentia sufficiens ad remissionem peccati venialis, debet necessariò includere saltem virtuale propositum illud ampliùs non committendi, sine quo non potest consistere vera pœnitentia. Quia non possum seriò ea peccata detestari à quibus in posterum nolo abstinere. Potest tamen hoc propositum consistere cum probabili timore, quòd in posterum in eadem peccata incidemus, & cum tali habituali constitutione pœnitentis, vt si hìc & nunc occurreret talis occasio committendi ea peccata, ipse mutato proposito succumberet, modò de facto nullus actualis affectus circa ea peccata sit. Nec enim propositum debet esse tale, vt omnem habitualem inclinationem ad peccatum à pœnitente excludat, quia hæc non obest quamdiu in actum non prorumpit: sed sufficit quòd excludat omnem actualem affectum. Vide dicta n. 59.

130 Propositũ requisitum ad remissionem venialium tripliciter differt ab eo quod requiritur ad remissionem mortalium.

Nota, hoc propositum requisitum ad remissionem peccati venialis tripliciter differre ab eo quod requiritur ad remissionem peccati mortalis.

Primò, quia secundum necessariò debet se extendere ad omnia peccata mortalia. Nam nec vnum sine alio remitti potest: nec remissio peccati potest consistere cum aliquo etiam virtuali aut interpretatiuo erga ipsum affectu. Contrà verò sicut potest vnum peccatum veniale remitti sine alio: ita etiam potest remitti existente actuali affectu erga alia.

Secundò, secundum propositum debet esse absolutum vitandi in posterum omnia omnino peccata mortalia etiam collectim sumpta, quia & possumus & tenemur ea omnia hoc modo vitare. Vt verò obtineamus remissionem venialium etiam omnium, si cætera adsint, sufficit propositum vitandi singula in particulari, siue speciatim sumpta; & vitandi omnia simul collectim sumpta, quantum humana fragilitas fert. Nam absolutè ea sic vitare non possumus sine specialissima gratia, quæ non datur omnibus. Quoduis tamen in particulari vitare possumus.

Facilius possunt absolui sæpiùs relabentes in eadem peccata venialia quam in mortalia.

Tertiò, quia non videtur requiri propositum ex se tam efficax vitandi omnia venialia, sicut vitandi mortalia. Quia non ita tenemur vitare omnes occasiones peccandi venialiter, sicut occasiones peccandi mortaliter. Quare non tam firmiter tenemur illud proponere atque hoc. Et idem est de proposito adhibendi omnia media quæ ad vtramque vitationem iudicantur aliquo modo necessaria. Teneor enim multò maiorem operam dare vt quæram media necessaria ad euitanda peccata mortalia, quàm ad venialia. Vnde etiam sequitur, nos faciliùs posse absoluere sæpè relabentes in eadem peccata venialia, quàm relabentes in eadem mortalia, quia hic relapsus sæpiùs est signum defectus necessarij propositi peccata in posterum vitandi: relapsus verò frequens in peccata venialia non tam facilè est signum defectus talis propositi ad eorum remissionem necessarij, cùm hoc possit contingere ratione frequentium occasionum peccandi, quas non ita tenemur vitare in venialibus atque in mortalibus, præsertim quando hoc cum notabili incommodo fieret.

DVBIVM XV.

Virtùm peccatum veniale possit remitti sine mortali, aut originali?

131 *Gabriel. Scotus.*

GAbriel in 4.d.16.quæst.5.art. 3. dub. 2. affirmat, & inclinat Scotus dist. 21. quæst. 1. §. *Dico ergo.* Ratio eorum est, quia putant peccatum veniale habituale nihil esse aliud quàm reatum pœnæ, pro qua existentes in peccato mortali aiunt posse satisfieri. Idem ex alio fundamento docet Durandus d. 16. quæst. 2. quia scilicet peccatum veniale præter reatum pœnæ continet solùm aliquam deordinationem voluntatis, quæ potest corrigi per actum virtutis contrariæ etiam ab existente in peccato mortali. Gabriel & Scotus ex illo principio inferunt, peccata venialia etiam damnatis in inferno remitti, quod Durandus concedit de damnatis ob solum peccatum originale, negat tamen de cæteris, quia hi non possunt habere vllum rectum motum voluntatis. Sed dicta fundamenta non esse vera, satis patet ex dictis n. 120.

Durand.

132 Peccatum veniale nũquam remittitur sine mortali. *D. Thom.*

CONCLVS. Peccatum veniale in eo qui simul est in mortali aut originali, nunquam sine his remittitur. Ita D. Thom. qu. 87. art. 4. & omnes ipsius discipuli, & maxima pars Theologorum & apertè sequitur ex dictis n. 120. & 121. Quia peccatum veniale præter reatum pœnæ continet quandam offensam auctoritatis & amicitiæ diuinæ, pro qua peccator nequit vllo modo de condigno satisfacere; cùm ad hoc requiratur vel attritio charitate informata, vel contritio siue actus charitatis, vt ibidem ostendi: hoc autem posito statim remittitur peccatum mortale. Neque etiam potest se ad eius remissionem congruè disponere. Nam nemo potest dici congruè dispositus vt veniam à Deo impetret, quamdiu manet ab eo auersus, eique iniurius ac inimicus. Quod apertè insinuatur Eccl. 34. vbi dicitur: *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.* Vbi generatim dicitur Deum nunquam remittere peccata ijs, qui manent impij, omnis autem qui perseuerat in peccato mortali manet impius.

Eccl. 34.

Hinc sequitur, nulli vnquam decedenti in peccato mortali actuali, vel originali remitti vllum peccatum veniale, quia peccata mortalia ijs nunquam remittuntur. Hoc tamen videtur Scoto & Gabrieli durum: quia inde sequetur, tales ob peccatum veniale perpetuò puniri, cùm tamen hoc tantùm mereatur pœnam temporalem. Cui difficultati varij variè respondent, sed eam melius explicabimus d. 10. dub. 6. in materia de satisfactione, ad quam propriè spectat.

DVBIVM XVI.

Vtrùm in remissione peccati venialis semper infundatur noua gratia?

133 *D. Thom.*

MVlti id negant, quibus etiam fauet D. Thomas quæst. 87. art. 2. Ratio eorum est, quia macula peccati venialis non consistit in priuatione gratiæ: ergo ad illius remissionem non requiritur huius infusio.

Suarez. Peccatum veniale nõ remittitur sine infusione gratiæ.

CONCLVS. I. Numquam in hac vita remittitur peccatum veniale sine infusione gratiæ. Ita Suarez d. 11. sect. 2. nu. 20. Prob. quia vel remittitur simul cum mortali, & tunc certum est infundi gratiam: vel remittitur iam antè iustificato, & huic nunquam remittitur sine aliquo actu virtutis supernaturalis: vt patet ex dictis dub. 14. omnis autem talis actus est meritorius augmenti gratiæ; quod (quidquid aliqui contradixerint) longè probabilius est statim ac meritum ponitur, infundi. Neque enim est vlla ratio hoc negandi, sed hoc fusiùs disputare non pertinet ad hunc locum.

CONCLVS. II. Hæc infusio non fit solùm per accidens ratione concomitantis actus pij, sed etiam per se, & ex intentione remittendi ipsum peccatum. Ita D. Bonauentura in 4.d.21.p.1. art. 1. quæst. 1. Probatur, quia peccatum veniale, vt ostendi nu. 120. inurit aliquam maculam ipsi animæ, quam conuenit deleri per aliquid animæ intrinsecum, quod sit pulchritudo ipsius animæ qualis est gratia sanctificans. Probatur Secundò, quia, etsi Deus non solùm veniale peccatum, sed etiam mortale de absoluta potentia possit remittere per solam extrinsecam condonationem, vt ostendi n. 93. tamen multò conuenientius est vt hoc faciat per infusionem alicuius doni nobis inhærentis; tum ob dicta in primo argumento: tum etiam quia conuenit ipsius liberalitati, vt omnem actum suæ dilectionis erga nos testetur per realis alicuius doni largitionem: nullum autem in præsenti est aptius quàm augmentum gratiæ. 134 Hæc gratiæ infusio per se requiritur. *Bonauent.*

Dices, hoc sufficienter fieri per gratiam priùs inhærentem, aut per actum pœnitentiæ ob quem remittitur peccatum. Sed neutrum dici potest. Non primum, quia hæc gratia non est noua aliqua Dei operatio, aut doni collatio. Nec etiam secundum, quia etsi hic actus ratione gratiæ ex qua procedit sit aliquod donum Dei; est tamen etiam actus noster & meritorius remissionis peccati, eamque præcedens. Quare non potest dici eiusdem remissio: quia hæc sequitur actum pœnitentiæ, & fit à solo Deo. 135

Dices Secundò, Hoc augmentum gratiæ nullam habet repugnantiam cum peccato veniali: ergo hoc non expellit. Respondeo, non habere quidem vllam repugnantiam physicam, siue ex natura sua: quia hac ratione nec gratia habet repugnantiam cum peccato mortali, habet tamen eam ex intentione Dei in his circumstantijs eam infundentis, quatenus per ejus infusionem intendit peccatum veniale remittere.

Nota tamen, gratiam qua remittitur peccatum veniale, non esse distinctam ab ea quam actus ob quem remittitur, per se meretur, quia aliàs qui haberet peccata venialia remittenda, pro æquali actu plus gratiæ reciperet, quàm is qui ea non haberet, quod absurdum est. Illo tamen casu duplici intentione à Deo gratia infunditur, scilicet ad remunerandum actum virtutis, & ad delendum peccatum.

Ad fundamentum contrarium. Respondeo, etiam peccatum mortale non consistere propriè in priuatione gratiæ, vt ostendi n. 86. Sicut igitur hoc vt conuenienter remittatur, requirit infusionem gratiæ: ita & peccatum veniale ob rationes allatas.

DVBIVM XVII.

Qua ratione peccata venialia remittantur post hanc vitam?

136 POsitis ijs quæ dixi num. 132. vbi ostendi nulla vnquam peccata remitti damnatis, hęc quæstio solùm potest habere locum in ijs qui moriuntur cum peccato veniali in statu gratiæ. Quod etsi aliquando aliqui negarint fieri posse, sine vllo tamen fundamento id negarunt: & res nimis per se clara est, & iam ab omnibus conceditur.

137 Decedentibus cum solis peccatis venialibus hæc per actum cõtritionis, statim à morte remittuntur.

Variæ autem sunt de eorum peccatorum post hanc vitam remissione opiniones, eò quòd diuersi diuersa opinentur de formali ratione peccati venialis habitualis. Sed positis ijs quæ dixi n. 120. eorum fundamenta, & opiniones in ijs fundatæ corruunt quare eas referre omitto, quia res tota partim ex ibi dictis, partim ex dicendis satis eluceſcet.

CONCL. I. Decedentibus in gratia, si quæ habent adhuc peccata venialia, ijs remittuntur per actum contritionis, quem anima primo instanti post mortem emittunt.

elicit, quoque se ad eorum remissionem disponit. Ita *Suarez.* P. Suarez disp. 11. sect. 4. n. 10. & 14.

Probatur, quia, cùm talis anima habeat veram fidē, qua bonitatem Dei, & suum statum, ac turpitudinem peccati etiam venialis, & quantū hoc Deo displiceat, perfectè cognoscit: item cùm habeat veram in Deum charitatem, ab hac statim impellitur, vt omnia peccata, quatenus Deo displicent, detestetur, quod tunc ei facillimum est, cùm ab omnibus passionibus & terrenis affectibus, quibus à peccatorum omnimoda detestatione priùs impediebatur, iam sit libera. Atque ita nulla potest esse causa cur statim primo instanti eum actum non eliciat. Item cùm anima per eum actum perfectissimè disponatur ad remissionem peccati venialis; nulla est ratio cur eam à Deo perfectè illam amante non statim consequatur, quia nulla est causa eam veniam differendi. Addunt aliqui eam hanc remissionem per eum actum mereri. Sed contrarium

Post hanc vitam non est tempus merendi. *Eccl. 4.*

est verius, quia omne tempus merendi vnà cum vita finitur: vt communiter Doctores fatentur, & ex multis Scripturæ locis apertè colligitur. Nam Ecclesiastici 14. dicitur: *Ante obitum tuum operare institiam, quia non est apud inferos inuenire cibum.* quia scilicet post obitum nihil possumus mereri. Et Ioan. 9. *Venit nox* (id est, mors) *quando nemo potest operari*, scilicet meritoriè. Sic Apoc. 10. v. 6. dicitur non fore ampliùs tempus, scilicet merendi. Idem apertè insinuatur Eccles. 9. v. 10. & alibi. Nec hic excipiendum est meritum remissionis peccati venialis, quia, cùm Scripturæ generatim loquantur, nulla facienda est exceptio sine necessitate, quæ hic nulla occurrit.

Ioan. 9. *Apoc. 10.* *Eccles. 9.*

138 Nihil pœnæ is remittitur.

Conclvs. II. Ille tamen actus nihil demit de pœna quæ morienti pro peccatis restat soluenda. Quia neque per modum meriti, vt iam dixi: neque etiam per modum satisfactionis, quia sicut post mortem non est ampliùs tempus merendi ita nec satisfaciendi, sed solùm satispatiendi. Et confirmatur, quia, si per tales actus possent animæ satisfacere, cùm habeant iam intellectum & voluntatem in suis operationibus planè expedita; possent statim plurimos tales actus elicere, atque ita breuissimo tempore pro maximis pœnis satisfacere, quod est contra communem Ecclesiæ sensum, quæ iudicat sæpè multas animas valdè diu in Purgatorio permanere.

D. Thom. Disputant hîc multi cum D. Thoma q. 87. a. 3. qua ratione peccata venialia remittantur per aspersionem aquæ benedictæ, & similia sacramentalia: sed hanc quæstionem commodiore loco exposuimus tom. 1. q. 71. in fine, vbi omnes effectus sacramentalium explicuimus.

DVBIVM XVIII.

Vtrùm peccata semel remissa per subsequens redeant?

139 *D. Thom. Gratianus. Magister.* CVidam id olim absolutè affirmarunt, vt docet D. Thomas quæst. 88. art. 1. & Gratianus de pœnitentia d. 4. initio. & Magister in 4. d. 22. Mouebantur ipsi quibusdam dictis Scripturæ & Patrum, quæ illi ibidem citant, quibus hoc videtur asseri. Nam Primò, Matthæi 18. dominus quidam narratur reuocasse omne debitum, quod seruo remiserat, & in fine iungitur, *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Secundò, quia Scriptura sæpè dicit, iustorum peccata tegi, & à caritate operiri: ergo postea hac per peccatum sublata iterum redeunt. Et confirmatur, quia Ezech. 18. eodem modo dicit Dominus se non recordaturum ampliùs bonorum operum, quæ quis cadens in peccatum antea egerat, sicut dicit se non recordaturum peccatorum pro quibus quis egit pœnitentiam;

Matth. 18. *Ezech. 18.*

atqui bona opera per peccatum mortificata redeunt per pœnitentiam: ergo peccata occultata per pœnitentiam redeunt per peccatum subsequens. Tertiò, quia Scriptura docet Deum data occasione recordari peccatorum, ea scilicet puniendo, quæ iam erant remissa. 3. Reg. 17. ait mulier ad Eliam: *Quid mihi & tibi, vir Dei, ingressus es ad me vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* Et Psal. 78. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, citò anticipent nos misericordiæ tuæ.* Quartò, quia D. August. lib. 1. de baptism. contra Donatistas expressè asserit patere ex loco Matthæi citato, Deum peccata iam remissa sæpè iterum reuocare punienda, quando nolumus fratribus offensas remittere: cui videntur etiam fauere plures alij Patres qui citantur dist. 4. de pœnitentia, initio. Quintò, quia qui post peccatum remissum antequam pro pœnis temporalibus satisfecerit, moritur, propter illud in æternum in inferno punitur: ergo saltem tali casu redit peccatum remissum secundùm obligationem pœnæ æternæ iam remissæ.

3. Reg. 17. *Psalm. 78.* *D. August.*

Pro horum solutione Nota cum D. Thoma suprà, 140 dupliciter posse dici peccatum semel remissum redire. Primò absolutè, vt scilicet eadem culpa redeat: vel saltem omnino eadem obligatio ad pœnam. Secundò, secundùm quid, iuxta modum infra explicandum.

Peccatum remissum numquam absolutè redit. *D. Thom.*

Conc. I. Peccatum semel remissum numquam per subsequens absolutè redit, siue secundùm culpam, siue secundùm obligationem ad pœnam: ita vt eadem culpa, aut obligatio ad pœnam redeat. Ita D. Thomas suprà, & communiter omnes Doctores: & est omnino certa, & expressè eam docet D. Prosper in respons. ad secundam obiectionem Gallorum, vbi ait: *Qui enim recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed non in quod remissum est recidit, nec in originali peccato damnabitur: qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa quæ remissa sunt, debebatur.* Vbi etiam insinuat neminem Catholicum posse hac de re dubitare. Item Gelasius citatus c. vlt. de pœnitentia, dist. 4. *Diuina*, ait, *clementia remissa peccata in vltionem vlterius venire non patitur.* Idem docent plures alij Patres, quos Gratianus ibidem citat.

D. Prosper. *Gelasius.*

Probatur, quia Deus pœnitentibus absolutè & in- 141 dependenter ab omni conditione futura remittit peccata, eaque penitus tollit: ergo non possunt postea redire. Consequentia patet, tum quia, cùm Deus sit omnino immutabilis, numquam potest reuocare quod semel remisit. Nam, vt dicitur ad Romam. 11. *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* Tum quia aliàs remissio culpæ & pœnæ in sui conseruatione penderet ab euitatione futuri peccati, & consequenter non esset facta absolutè sed dependenter ab ea euitatione, & sub conditione non futuri peccati. Antecedens probatur. Quia Scriptura sæpè dicit pœnitenti peccata absolutè reuitri, tolli, ac deleri, ita vt nihil eorum remaneat. Psal. 50. *Mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.* Isaiæ 1. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Et Psalm. 102. *Quantum distat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.* Vnde Ioan. 1. Christus dicitur tollere peccata mundi, quibus modis loquendi omnimoda abolitio peccati significatur. Hinc Trident. sess. 5. §. 5. docet per baptismum peccatum originale (& idem est de reliquis peccatis) ita tolli, vt nihil eius remaneat, quod habeat rationem peccati.

Rom. 11. *Psalm. 50.* *Isaiæ 1.* *Psalm. 102.* *Ioan. 1.* *Trident.*

Ad Primum argumentum contrarium Respondeo, 142 eiusmodi parabolas non esse secundū omnē sui partem applicādas veritati. Nam aliàs ex parabola villici iniquitatis disceremus ex furtiua pecunia facere eleëmosynas. Sed quid Christus per eas nos voluerit docere,

ex scopo ipsius & circumstantijs spectandum esse. Vt autem patet ex præcedentibus, Christus tantùm ibi intendit nos excitare, vt benignissimus in proximos facilè ijs iniurias remittentes, atque ita nos habituros Deum benignum erga nos: alioquin eam tam seuerum futurum in nos, quam nos sumus seueri in proximos.

Luc. 6. Sic Lucæ 6. v. 37. ait: *Dimittite & dimittemini.* Et infrà: *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

Ad Secundum Respondeo, si illa loca aliquid probarent, probarent sententiam hæreticorum à Tridentino damnatam, scilicet peccata in iustificatione non deleri, sed tantùm tegi. Respondeo itaque, eiusmodi locutionibus metaphoricè significari veram peccati remissionem & abolitionem, quia aliter coram Deo tegi nequit.

143 Ad confirmationem Respondeo, etsi ex illis verbis Prophetæ per se sumptis non possimus clarè colligere diuersitatem inter remissionem peccatorum, & mortificationem bonorum operum; tamen ex diuersitate materiæ eam facilè colligimus. Nam cùm iustificamur, applicantur nobis merita Christi, quibus pro peccatis quoad culpam & pœnam æternam de condigno satisfit, atque ita secundùm hæc omnino delentur, ac si nunquam fuissent, vt etiã patet ex aliis locis Scripturæ. Secùs est de bonis operibus, quibus debetur æterna merces. Nam peccatum subsequens etiamsi habeat vim ea mortificandi, siue impediendi hominẽ ne possit eorum præmium consequi; cùm tamen non efficiat vt pro iis satisfiat, non potest ea omnino tollere, quare manet in acceptatione Dei, vt sublato impedimento eorum præmium iis redeat. Peccati itaque remissi obliuio quoad culpam & pœnam æternam debet esse perpetua, cùm pro eo sit omnino satisfactũ per merita Christi. Obliuio verò bonorum operum tantùm debet durare, quamdiu peccatum mortale subsequens durat, nam aliàs peccatum remissum necessariò in æternum puniretur; cùm propter ipsum homo in æternum priuaretur mercede præcedentium operũ: atque ita Deus cõtrà quàm per Prophetam pollicetur, illius in æternũ ipsum puniendo recordaretur.

Cur potiùs redintegrent opera bona mortificata, quàm remissa peccata.

144 Ad Tertium Respondeo, illis locis agi de peccatis non omnino remissis, quatenus saltem restat adhuc aliqua pœna pro iis persoluenda: quæ dum Deus differt punire, videtur eorum obliuisci, qui rãdem peccatis recentibus prouocatus ea cum his grauiter punit.

D. Augustin. Ad Quartum Respondeo, D. Augustinum eo loco non loqui ex propria sententia, sed ex sententia Donatistarum sumere argumentum, vt aiunt, ad hominem, eos ex suis verbis conuincendo. Nam si illo loco aliquid ex sua sententia assereret, asseretet homini manenti in actuali saltem implicita voluntate peccandi, quandoque ratione susceptæ Sacramenti remitti peccata, ita tamẽ vt statim postea redeant: quod apertè absurdum est. Si verò tam ipse aliis quibusdam locis, quàm alij Patres dicant, peccata remissa per subsequens peccatum redire, intelligendi sunt de reditu secundùm quid, quem conclusione secunda explicabimus. Hunc enim solùm intendunt, etsi quandoque more concionatorio vehementiùs loquantur.

Ad Quintum, quidquid sit de antecedente, nego consequentiam. Si enim talis in æternum pro eo peccato puniatur, mitissima quadam pœna punietur. Sed de hoc fusiùs agam in materia de satisfactione, disp. 10. dub. 5.

145 CONCLVS. II. Peccata remissa per subsequentia redeunt secundùm quid. Primò, quatenus hæc continent eandem saltem genere malitiam cum illis, & iisdem hominem bonis priuant, & easdem specie pœnas inducunt; ob quam rationem Lacobi 2. dicitur: *Quicumque autem totam legem seruauerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*: quia scilicet priuabitur omni gratia, beatitudine, ac mercede operum, ac si nullum mandatũ seruasset. Secundò, quia subsequentia peccata sunt grauiora, & merentur maiorem pœnam ob ingratitudinem peccantis post tam insigne acceptum beneficium. Sicut autem beneficium Dei remittentis peccata eò est maius, quò hæc fuerunt plura & grauiora; ita etiam ingratitudo peccanti, & consequenter eius peccata sunt maiora. Et hoc solùm volunt Patres pro prima sententia citati, dum dicunt peccata remissa per subsequentia redire.

Redeunt secundùm quid.

Iacobi 2.

Dispurant hic præterea quidam doctores, Vtrùm 146
per absolutam Dei potentiam peccata semel remissa possint per subsequentia redire? Quæ quæstio varium potest habere sensum, & partim ex dictis clara est, partim nobis obscura. Quare omissis variis opinionibus quid sentiam exponam.

Dico igitur Primò, Deus nullo modo potest facere, vt peccata semel absolutè remissa (sicut modò de facto remittuntur) per subsequentia propriè redeant, aut secundùm culpam, aut secundùm reatum pœnæ. Probatur, quia impossibile est concipere quomodo per subsequens peccatum illa redeant, nisi aut à Deo immediatè in homine producantur, quod fieri nequit: aut per subsequens peccatum resultent, quod non potest concipi nisi fuerint remissa non absolutè, sed sub conditione & dependenter ab euitatione futuræ culpæ.

Deus nequit facere, vt peccata absolutè remissa omnino redeant.

Dico Secundò, posset Deus alicui remittere pecca- 147
tum cum ea conditione, vt, si postea iterum peccaret, contraheret tantam culpam, & tantum reatum pœnæ, quanta hæc fuit ex vtroque peccato, si prius non fuisset remissum. Pater, quia homo per votum aut similes modos potest se sub dupla, vel etiam tripla culpa obligare ad fugam alicuius peccati: quare Deus non poterit facere, cùm absolutus dominus sit? Videtur tamen Deus tunc debere hanc obligationem homini significare, quia aliàs ignorantia ab eius violatione eum excusaret. Eo tamen casu prior culpa aut reatus non redirent secundùm se, sed tantùm secundùm æquiualentia.

Dico Tertiò, posset Deus remittere absolutè cul- 148
pam, & reatum pœnæ externi sensus & damni tantùm sub conditione & dependentia ab euitatione futuri peccati. Quia posito, vt dixi num. 118. quòd possit Deus remittere culpam non remissa hac pœna, nulla apparet ratio cur non possit hanc solùm remittere sub conditione futura: atque ita illo medio tempore maneret quidem aliquo modo radicaliter reatus pœnæ: ita tamen vt non haberet actu vllum effectum, nec propter eum homo puniri posset, donec ipse iterum peccaret. Si verò sine nouo peccato moreretur, quia euitatio requisita esset tunc absolutè posita, omnis reatus absolutè tolleretur.

Reatus pœnæ potest sub conditione remitti, etsi culpa absolutè remittatur.

Dico Quartò, vtrùm culpa hoc modo remitti pos- 149
sit, obscurum est: & satis probabile est non posse. Quia vel per talem remissionem culpa omnino desineret esse, & tunc non posset secundò poni, quia nemo potest in homine ponere culpam, v. c. odij, nisi ipse solus, idque non quacumque ratione, sed solùm producendo actum odij: ipse autem per sequens peccatum nullo modo reproduceret actum odij præcedentem & iam remissum: ergo nec præcedentem culpam in se reponeret. Vel Secundò, per talem remissionem verè non tolleretur culpa, sed tantùm suspenderetur, sicut reatus pœnæ quodammodo suspenditur, & hoc dici nequit, quia quamdiu culpa in homine est, necessariò hominem inficit, & efficit hominem Deo odibilem, idque formaliter, quare eius effectus non potest suspendi, sicut fieri nequit vt calor actu mihi insit, & non efficiat me calidum. Et hoc argumentum illam sententiam satis verosimiliter probat, tamen

Culpa necessariò est maculat cui inest.

eam non conuincit, quia posset dici medio illo tempore culpam secundùm se tolli (sicut etiam tollitur reatus pœnæ, nam homo tunc verè nulla pœna dignus est: & similiter nec erit eo casu maculatus vlla culpa, nec Deo odibilis, sed amicus) eam tamen manere quasi in radice in præcedenti peccato actuali, quod non fuit absolutè remissum, sed tantùm sub conditione, si homo amplius non peccaret.

150 Peccatum originale non inficit animam priùs natam à quam corpori vniatur.

Pro quo Nota Primò, quòd, sicut peccatum Adami habet vim inficiendi singulos homines ex ipso natos, ita tamen vt animam nõ inficiat antequam sit vnita corpori: ita peccatum actuale habere vim inficiendi peccatorem, donec remittatur. Ponamus igitur Deum creare animam aliquo tempore priùs quàm corpori vniatur, tunc illo tempore erit, & tamen peccatum Adami eam non inficiet, quia deerit conditio requisita vt possit suam vim exerere; & statim atque erit vnita corpori, eam inficiet. Item sicut peccatum Adami non potest animam inficere antequam vniatur corpori, ita potuit Deus efficere vt eam non posset inficere antequam homo edatur in lucem, quid enim hic implicat? Aut cur, sicut Deus potest absolutè impedire ne aliquis contrahat peccatum originale etiam nullam gratiam ei infundendo; efficere non poterit vt aliquis ipsum non contrahat antequam... pariatur? Imò hoc fieri posse videtur sequi ex priore casu. Nã in illo peccatum Adami æqualiter esset commissum & cùm anima illa crearetur, & cum corpori vniretur: & tamẽ defectu conditionis requisitæ in priore tempore eam non inficeret; in secundo inficeret. Cur simili modo non possit per diuinam potentiam in secundo casu fieri, vt sicut de facto nunc ad hanc infectionem requiritur vnio animæ & corporis: ita requireretur hominis natiuitas? Nã etsi prior condirio sit magis quodammodo naturalis: tamen secunda nullo modo aut rerum naturis, aut diuinæ bonitati repugnat, imò hãc magis commendaret. Melius enim esset homini, si peccatum originale non contraheret ante natiuitatem.

Posset Deus efficere vt non contraheremus peccatum originale ante natiuitatẽ.

Nota Secundò, sicut peccatum Adami, in quo omnes verè peccauimus, inficit singulos homines habituali macula: ita peccatum actuale inficere etiam habituali macula eos, qui ipsum committũt. Sicut autem in secundo casu Deus non remitteret illi homini peccatum, quod in Adamo commisisset, sed eius vim quodammodo suspenderet, vt ipsum non posset inficere ante natiuitatem, atque ita toto tempore præcedente esset verè sine peccato: ita remittendo alicui peccatum sub conditione futura, verè efficeret vt medio tempore homo in peccato non esset, impediendo vim actualis peccati, ne eum inficeret. Item sicut in priore casu statim ac homo nasceretur, inficeretur peccato originali: ita in secundo statim ac peccaret, rursum primum peccatum eum inficeret. Itaque ipse homo tunc rursum se inficeret priore macula, per ipsum peccatum quod antè commiserat, quod sublato impedimento rursum vim suam exeret. Et hic discursus etiam hanc sententiam facit satis probabilem: non tamen ita claram, vt alteram reddat improbabilem; vtra autem vera sit difficile est dicere.

Non est improbabile. Deum posse efficere vt peccatũ habituale, pro certo tempore hominem non maculet,

DVBIVM XIX.

Vtrùm per ingratitudinem, quæ continetur in peccato subsequente æquiualenter redeant omnia peccata remissa?

Sine:

Vtrùm hoc peccatum præter propriam malitiam rationem illius ingratitudinis contineat tantam malitiam, atque omnia peccata remissa?

151 CONCLVS. I. Certum est eam ingratitudinem non continere omnem malitiam peccatorum præcedentium. Ita D. Thom. quæst. 88. a. 3. Et communiter alij. Quia per se omnino patet esse absurdum, eum cui remissa sunt mille grauissima peccata mortalia, committendo leue aliquod peccatum mortale, fieri reum pœnæ respondentis omnibus præcedentibus peccatis. Et ratio est: quia, etsi accepta beneficia nos obligent ad gratitudinem, & hæc nos obliget ne benefactorem offendamus, (quia in hoc includitur aliqualis contemptus beneficij præstiti;) tamen quia hic contemptus adeò est imperfectus, & tantùm indirectè & interpretatiuè voluntarius, non ita auget malitiam peccati, vt ex hac parte coæquetur beneficio accepto: præsertim cùm obligatio gratitudinis ex hac parte nõ sit tam stricta, atque obligatio iustitiæ, aut similium virtutum: ideoque contra eam faciens communiter non adeò grauiter peccat. Hinc si teneor alicui ex iustitia dare vnum florenum, peccabo mortaliter si eum non dem, cùm facilè possim. Contrà, si deberem etiam sex florenos alicui dare ex gratitudine, non peccarem mortaliter eos non dando, præsertim quando non ex contemptu beneficij, sed ex alia cupiditate mouerer ad non dandum. Quòd si tamen aliquis peccaret directè vt offenderet se contemnere beneficia à Deo accepta per remissionem præcedentium peccatorum (quod omnino diabolicum esset, & credo rarissimè inter homines contingere;) tunc posset facilè fieri vt illud peccatum æquaret malitiam omnium præcedentium, atque adeò etiam superaret, quando non essent ita grauia. Non tamen credo futurum vt semper æquaret, quia posset fieri vt præcedentia peccata essent plurima numero, & non minùs grauia quàm illud: vt si quis sæpiùs peccasset ex puro odio Dei, quod peccatum est grauissimum ex suo genere.

D. Thom. Gratitudo non ita strictè obligat ideóque nõ tam facilè cõtra eam præcisè peccatur mortaliter.

Nisi directè contemnatur beneficium.

152 Nota Primò, cum D. Thoma q. 87. a. 2. solere communiter à Doctoribus quatuor genera peccatorum recenseri, per quæ ratione ingratitudinis dicuntur remissa peccata singulariter redire. Primum est, odium fraternũ. Valdè enim indignus est diuina beneficẽtia Deoque ingratus, qui in alios Dei filios immitis est, nolendo eis offensas remittere. Secundum est, contemptus confessionis. Cùm enim peccatum mortale contrito directè remittatur cum obligatione illud confitendi, hanc remissionem quantum est in se rescindit qui non vult postea confiteri. Sicut quodammodo rescindit emptionem qui non vult soluere. Non tamen propriè contrahit iterum priora peccata, sed tantùm culpam omissæ confessionis. Tertium est, pœnitentia prioris emendationis, quando quis dolet se recessisse à peccato, quia hoc modo complacendo sibi in prioribus peccatis, ea rursus quodammodo committit. Quartum est, apostasia à fide, quia per hanc homo fit valdè ingratus Deo, à quo omnino deficit.

D. Thom. Perquatuor genera peccatorũ priùs remissa singulariter redeunt.

153 Nota Secundò, Doctores occasione dictorum disputare Primò, Vtrùm maius sit beneficium Dei conseruare aliquem in innocentia, quàm remittere ei peccata? Secundò, Vtrùm ingratitudo quam quis committit iterum peccando, postquam ei priora peccata sunt remissa, sit speciale peccatum.

Ad Primum Respondet D. Thom. q. 88. a. 3. ad 3. conseruationem in innocentia secundùm se esse maius beneficium, quia melius mihi est à Deo præseruari à peccatis, quàm ea mihi iam perpetrata remitti. Contrà tamen remissionem peccatorum ex altera parte esse maius beneficium, quia confertur omnino indigno: vbi ostendit hæc beneficia secundùm quid se mutuò excedere. Quare vlteriùs disputatur, Vtrum beneficium absolutè sit maius.

D. Thom. An maius sit Dei beneficium conseruatio innocentiæ, an remissio peccati?

Hac in re aliqui variis vtuntur distinctionibus, quæ mihi non videntur ita necessariæ. Quare iis omissis hîc solùm distinguendum credo, Vtrùm Deus sine in vno præseruando à peccatis, sine in altero ad pœnitentiam excitando vsus sit solùm gratiis iis, quas secun-

secundùm communem prouidentiæ modum solet omnibus præsertim fidelibus (inter hoc enim hîc fit propriè comparatio, nam nemo non fidelis potest aut in innocentia conseruari, aut peccatorum remissionē accipere) elargiri: An verò circa alterutrum vsus sit modo singulari, conferendo ei tales gratias, quales communiter non solet aliis conferre: vt accidit in præseruatione B. Virginis, & conuersione D. Pauli, qua in re varius ex vtraque parte potest esse excessus.

154 Remissio peccati cōmuniter est maius beneficiū.

Dico igitur Primò, in priore casu semper remissio peccatorum est absolutè maius beneficiū, quàm præseruatio à peccatis. Primò, quia, vt videmus in humanis, si Rex communi modo foueat suos fideles amicos, eosque promoueat; non confertur iis tantum beneficium præstare, quantum præstaret ei, quem læsæ maiestatis reum remisso crimine in amicū reciperet, quia illud beneficium præstatur dignis, & id de congruo merentibus, ideoque est ordinarium, & secundùm communes amicitiæ leges: hoc autem præstatur non solùm indigno, sed etiam omnia contraria merenti: quod est supra omnes amicitiæ & communis beneuolentiæ leges. Secundò, quia Deus, quantum est ex parte sua, etiam peccatori dat innocentiam, & est huius gratiam Dei negligentis pura puta culpa, quòd non conseruetur in innocentia per baptismum accepta; cùm per gratias quas Deus ei partim confert, partim paratus est conferre, si non poneret impedimentum, absolutè in ipsius potestate sit innocentiam conseruare, vt apertè docent Arausicanum can. 25. sub finem, & Trident. sess. 6. c. 13. & can. 18. & 22. Atque ita Deus, quantum est ex parte sua, & quasi in radice, etiam huic idem beneficium confert, quod alteri confert, & præterea remissionem peccatorum.

Deus quātum est ex parte sua omnes iustos in innocentia conseruat.

Arausican. Trident.

155 Quādoque cōseruatio innocentiæ est maius beneficiū.

Dico Secundò, quando Deus modis valdè extraordinariis conseruat aliquem in innocentia, maius beneficium ei præstat, quàm peccatoribus quibus peccata remittit: præsertim quando eos solùm per gratias ordinarias conuertit. Quia hæc benevolentia est secundùm legem Dei ordinariam: non quidem quam amicitia postulat (quia, vt dixi, remissio peccati est supra omnes leges amicitiæ) sed quam Deus ex insigni erga omnes homines beneuolentia, seruare statuit. Illa verò omnino est extraordinaria, & supra communes leges, ideóque ex singulari omnino beneuolentia prouenit. Et talis sine dubio fuit præseruatio B. Virginis, præsertim à peccato originali, & omnibus venialibus: quæ dilectio omnium hominum dilectionem superauit.

156 *D. Thom.*

Ad Secundum D. Thom. quæst. 87. art. 4. Respondet Primò, quando quis ideo peccat, vt exhibeat se Deo ingratum pro beneficiis acceptis, siue vt ostendat se ea contemnere, esse speciale peccatum in confessione explicandum. Per se patet. Respondet Secundò, quando peccatum non fit ex tali intentione, sed ob alios fines, vt homines solent communiter peccare, eam ingratitudinem non dicere specialem malitiam. Et hæc sententia paucis exceptis est communis. Sed quidam assignant tales rationes, quæ si aliquid probarent, potiùs probarent hanc malitiam non reperiri in peccatis, quàm eam non esse specialem. Vera itaque ratio est, quia id non potest alicui peccato tribuere specialem malitiam, quod ei nullo modo est speciale, sed in omnibus peccatis reperitur: talis autem est hæc ingratitudo, præsertim respectu omnium peccatorum mortalium. Nam cùm nemo sit, qui non acceperit ingentia beneficia à Deo; nemo potest peccare, præsertim mortaliter, quin sit ingratus in Deum. Quòd autem vnus peccando sit magis ingratus quàm alter; efficit quidem vt hæc malitia sit maior in vno peccato, quàm in altero: non tamen vt sit diuersæ speciei.

157 Dices, Potest saltem tantùm crescere vt in vno sit triplo vel quadruplo maior, quàm in altero: ergo tunc saltem in ordine ad confessionem addet specialem malitiam in ea explicandam. Sicut furtum sex aureorum etsi sit eiusdem speciei cum furto vnius aurei; quia tamen est sextuplo maius, in confessione particulatim explicandum est, secundùm probabiliorem sententiam.

Respondeo, negando consequ. Primò, quia, vt colligitur ex dictis n. 151. hic excessus non tam facilè, & fortè rarissimè vel numquam superaddit malitiam mortalem. Secundò, quia, etsi sæpè adderet talem malitiam; tamen, cùm hoc pendeat à pluribus circumstantiis, v. c. à gratiis præuenientibus, quas Deus alijs quàm alijs maiores confert, à libertate qua quis peccauit, ab actuali cognitione beneficiorum Dei, quam habebat dum peccabat, & similibus pluribus, quæ neque nos satis in nobis cognoscere, neque alteri exponere possumus; neque peccator, neque confessarius possent vnquam vel probabiliter iudicare quando talis excessus esset commissus, & quando non; ideoque pœnitens frustra conaretur hoc confessario explicare: nec hoc posset communiter vllo modo vel apparenter fieri, nisi repetando figillatim omnia peccata semel confessa, quod esset onus grauissimum, & sæpè intolerabile, quia fieri deberet, quoties aliquis recidisset in peccatum mortale.

Dixi, *Præsertim in mortalibus.* Quia D. Thomas q. 88. a. 3. ad 2. dicit venialia non includere hanc ingratitudinem, quia non sunt contra, sed solùm præter legem Dei: quod ipse dicit, quia non violant amicitiam diuinam, nec grauem ingratitudinem continent. Aliàs si velimus propriè & in rigore loqui, etiam venialia sunt verè à Deo prohibita, ideoque contra eius legem fiunt, & continent aliquam ingratitudinem: præsertim quæ fiunt deliberatè, siue cum perfecta aduertentia: & ideo quando sine scrupulo frequentantur, sunt sæpè causa cur Deus vberiores gratias homini subtrahat, atque hic ita derelictus in grauiora peccata cadat.

D. Thom.

Peccatum veniale est verè contra legem Dei.

DVBIVM XX.

Qua ratione bona opera per peccata præcedentia mortificata, per pœnitentiam reuiuiscant?

158 Opera nostra quadruplicia sunt.

NOta Primò, nostra opera posse esse quadruplicia. Primò mortifera, vel saltem nociua: vt sunt omnia peccata: quæ non modò vitam non habent, sed eā habenti auferunt, si mortalia sint: aut saltem ei nocēt, si venialia sint. Secundò indifferentia, quæ nec bona sunt, nec mala. Tertiò mortua; talia dicuntur opera virtutum facta ab homine perseuerante in statu peccati mortalis: quæ cùm numquam habuerint vitam, aut conditiones necessarias ad meritum, reuiuiscere non possunt. Quartò sunt mortificata: talia sunt opera virtutum in gratia facta, quæ per peccatum mortale subsequens, vitam, siue vim perducendi hominem ad vitam æternam, quam antea habebant, quodammodo amittunt; quia peccator fit incapax vitæ æternæ. Tota autem hæc quæstio solùm versatur circa quartum genus operum, quia hæc sola secundùm omnes possunt reuiuiscere: quia sola aliquando habuerunt vitam.

159

Nota Secundò, communiter DD. omnes concedere, opera mortificata reuiuiscere, sed multùm inter se variant quomodo hoc fiat. Difficultas itaque in hoc consistit, Vtrùm peccator per pœnitentiam recuperet omnem gratiam, omnesque virtutes infusas in eadem intensione, in qua eas ante peccatum habuerat?

Qua in re valdè variæ sunt sententiæ, cuius ferè causa est, quòd multi non satis perspexerint quam vim

Hoc principium, *fortè inuentum fuit secundum diuersam dispositionem subiecti*, multi malè intelligũt.

in hac re habeat illud principium, quòd ipsi generatim vt certum supponunt: scilicet formas quæ recipiunt magis & minùs pro diuersa dispositione subiecti intensiores vel remissiores acquiri. Quod multi ita accipiunt, vt non solùm sit verum respectu formæ quæ per se per illam dispositionem acquiritur, sed etiã respectu eius, quæ per accidens acquiritur, solùm occasione illius dispositionis, qualis est gratia, quæ redditur pœnitenti propter merita mortificata, quam volunt etiam huic dispositioni respondere, qua autem ratione hoc fiat plurimi inter se dissentiunt. Et quidẽ

D. Thom. D. Thom. & alij antiqui satis obscurè hac in re loquũtur, vt quæ sit eorum sententia difficillimè colligatur: tamen eos varij pro se citant: vt fusè ostendit Suarez

Suarez. in commentarijs in q. 89. art. 2. D. Thomæ. Vt autem breuitati consulamus, solùm aliquot præcipuas sententias hîc breuiter ponemus.

160 Prima sententia docet, pœnitentem numquam recipere intensiorem gratiam, quàm sit contritio per quam resurgit: atque ita omnes qui resurgunt per cõtritionem æquè intensam, recipere æqualem gratiam, quantumcumque merita præcedentia fuerint inæqualia. Ratio eorum est, quia illud axioma intelligunt vt velint nos nunquam vlla ratione acquirere vllum habitum intensiorem, quàm sit actus quem ad eum

Soto. disponimur. Et hanc sententiam Soto in 4. d. 16. q. 2. a. 2. in explicatione 4. opinionis, ait solere defendi à Thomistis, dicitque eam esse falsissimam. Ex eodem etiam principio ijdem auctores inferunt, numquam in nobis augeri gratiam per actus meritorios ea remissiores.

Hæc igitur sententia est omnino improbabilis, quia ex ea sequitur Primò, merita mortificata verè non reuiuiscere, quod est contra

D. Thom. D. Thomam, & communem sententiam. Illud autem sequi probatur. Quia

Merita reuiuiscere quid sit merita reuiuiscere nihil est aliud quàm ea recipere planè expediram vim causandi in nobis gratiam ipsorum dignitati respondentem, & simile ius ad gloriam essentialem, quæ propriè iustorum meritis est debita: siue, quod idem est, nos propterea recipere gratiam per peccatum perditam, quod illi negãt his operibus competere.

Sequitur Secundò, iustos per maximam partem suorum bonorum operum non acquirere maiorem gratiam aut gloriam; quia sæpiùs contingit eos elicere actus remissiores suis habitibus quàm intensiores. Imò qui habent habitus valdè intensos, fortè postea numquam eliciunt actus intensiores. Vnde omnes illi actus

Trident. carerent suo præmio, quod apertè repugnat Tridẽtino sess. 6. c. 16. vbi dicitur omnia opera bona in Chri-

Matth. 10. sto facta, remuneranda esse, atque illi Matth. 10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Vbi apertè significatur, nos etiam per opera minima mereri mercedem à Deo.

Tertiò, si tres ita vixissent, vt vnus per sexaginta annos sine vllo peccato mortali seruiuisset Deo, numquam tamen eliciuisset actum intensiorem quàm vt decem. Secundus verò per tot annos Deo sine vllo etiam peccato mortali cum summo feruore seruiuisset, & tunc ex infirmitate labereretur in peccatum mortale. Et tertius tanto tempore vixisset in maximis flagitijs; & vterque posterior per contritionem vt dictum resurgeret & statim moreretur: sequeretur eos æqualem beatitudinem in cælo percepturos. Quæ videntur planè absurda.

161 Respondent, eiusmodi opera reuiuiscere, quia eadem gratia quæ respondet contritioni resurgentis datur etiam propter illa opera: & similiter in secundo casu gloria debita operi intensissimo datur etiam propter opera minùs intensa; atque ita hæc non carent sua mercede. Quare aiunt, etsi non crescat in illis gloria essentialis, crescit tamen accidentalis, quare cum talibus glorioſum est eandem mercedem varijs titulis accipere. Vnde in tertio casu aiunt illos omnes futuros in æquali gloria essentiali, nõ tamen in æquali accidentali, quod ipsi valdè ponderant; sed reuera parui momenti est, nec vllo modo satisfacit. Primò, quia merces quam à Deo pro bonis operibus expectamus, non est gloria accidentalis, sed essentialis: vt patet clarè ex Tridentino sess. 6. cap. 16. vbi definit nos omni- *Trident.* bus operibus bonis in Christo factis vitam æternam promereri, quæ non est gloria accidentalis, sed essentialis.

Quòd autem dicitur hæc gloria dari pluribus titulis, nõ magis satisfacit, quàm satisfaceres ei, qui pactus tecum pro denario diurno; fodisset per decem dies hortum tuum, si ei dares vnum denarium decem titulis. Nam etsi per donationem eiusdem rei possis quandoque satisfacere diuersis titulis, quando hi sunt diuersi generis, nec inducunt strictam obligationem; secùs tamen est, quando sunt diuersa debita stricta, siue iustitiæ, quibus nulla ratione per eandem mercedem satisfacis: vt patet in exemplo dato, & communi hominum sensu. Iusti autem per bona opera ex iustitia merentur cælestem gloriam: vt patet ad Hebræos cap. *Hebr. 6.* 6. & ex Tridentino suprà. *Trident.*

Quòd aliquis eandẽ beatitudinẽ accipiat diuersis titulis, eum non magis beat.

Adde, in tertio illo casu absolutè illos trẽs futuros æquè beatos, & vnum solùm secundùm quid fore altero beatiorem. Quia nostra beatitudo absolutè sumpta solùm significat essentialem; accidentalis autem est solùm beatitudo secundùm quid: & qui illam haberet, sine hac esset absolutè beatus; qui verò hanc sine illa, tantùm secundùm quid, & absolutè esset non beatus.

Secunda sententia docet, contritum, v. c. vt decem, 162 præter gratiam huic contritioni respondentem, accipere alios decem gradus ex gratia priùs deperdita, & sic consequenter per reliquos actus, donec totam gratiam recuperauerit. Hunc modum dicendi adfert Soto *Soto.* in 4. dist. 16. q. 2. a. 2. §. *Quòd si quæras.* eamque reprobat, & meritò. Primò, quia gratis hoc fingitur. Secundò, quia sic non omnia merita per pœnitentiam reuiuiscerent, sed tantùm paucula: & reliqua vt summum reuiuiscerent per opera virtutum sequentia, quod omnino gratis dicitur, & nihil iuuaret eum qui statim post pœnitentiam moreretur: atque ita magna ex parte sequerentur absurda suprà allata. Nam si vnus per sexaginta annos feruentissimè Deo seruiuisset, & deinde ex infirmitate peccaret mortaliter: & alter tot annos flagitiosissimè vixisset; si vterque resurgeret per contritionem vt decem, & statim moreretur, modò secundus habuisset priùs gratiam vt decem, sequeretur vtrumque forè æquè beatum.

Tertiam sententiam tenet Sotus suprà, §. *Hanc igitur.* 163 *Sotus.* vbi docet eum qui resurgit summo conatu, quem per auxilium Dei habere potest, præter gratiam contritioni respondentem, recuperare totam gratiam deperditam, siue hæc magna sit, siue parua: eum verò qui tantùm medium conatum adhibet recipere mediam partem gratiæ deperditæ, & sic in cæteris proportionibus. Et deinde §. *Subsequuntur.* ait in secundo casu per bona opera subsequentia eadem proportione reliquum gratiæ deperditæ restitui. Sed nec hæc sententia videtur probabilis. Primò, quia & gratis talis proportio fingitur, & simili modo quamuis aliam fingere possem: & secundùm eam non semper omnia opera bona per pœnitentiam reuiuiscunt.

Respondet Soto omnia dici reuiuiscere, quia gratia quæ pœnitenti restituitur, datur pro omnibus operibus mortificatis; quæ quãdo ea gratia minor est quã deperdita, ad minorem gratiam à Deo acceptantur. Sed hoc non satisfacit. Primò, quia similiter in prioribus sententijs posset dici omnia opera reuiuiscere

per

per pœnitentiam, sed ad minorem gratiam. Secundò, quia tunc per opera sequentia nihil ampliùs ex gratia deperdita deberet acquiri, quia aliàs opera iam viuificata, iterum ac sæpius reuiuiscerent: quia iustificati sæpiùs ex eorum vi & merito reciperent aliquam gratiam per peccatum antè deperditam. Illa autem absurda sunt & ex parte etiam contra Sotum.

164 Secundò, quia ex ea sequuntur quædam quæ videntur absurda & ferè ridicula. Nam vel Soto intelligit illum solum summo conatu conteri, qui summum adhibet conatum, quem posset per omnem gratiam possibilem adhibere: vel qui tantum adhibet, quantum per præsentem gratiam præuenientem adhibere potest. Neutrum autem satisfacit. Nam primum omnino impertinenter diceretur, quia nunquam summa illa gratia alicui datur, & verosimilius est dari non posse, cùm sit in infinitum semper maior & maior possibilis. De secundo verò idem fortè dici posset, scilicet hominem habita gratia præueniente vt sex, posse semper vehementiùs ac vehementiùs conari ad cõtritionem, Deo parato per speciale auxilium concomitans cum eo magis & magis concurrere, prout ille magis fuerit conatus. Sed hæc nolo hic disputare. Quare demus, habentem gratiam præuenientem, v. c. vt decem, non posse elicere contritionem ea intensiorem; tunc ex illa sententia sequetur Primò, eum qui perdiderat gratiam vt decem, v. c. sæpiùs elicientem contritionem vt tria, cùm posset elicere vt sex, prima vice recipere quinque gradus gratiæ, secunda duos cum dimidio, tertia vnum & vnam quartam, quarta vice quinque octauas partes vnius gradus, & sic deinceps. Et, cùm, sicut continuum, ita etiam gradus intensionis possint in infinitum diuidi; sequetur eum qui numquam summo conatu operatur, perpetuò minutiores partes gratiæ recuperare, quæ & ridicula sunt & absurda. Nam cùm actus sequentes & in se sint æquè perfecti, ac priores; & ratione subiecti meliores: absurdum est per hos minus gratiæ recuperari, quàm per priores.

Non tenemur semper tam intensè operari quàm possumus.

Secundò, si duo amisissent singuli ducentos gradus gratiæ, & vnus accepta gratia præueniente vt centum, eliceret contritionem vt quinquaginta, & alter accepta gratia præueniente vt vnum, eliceret contritionem vt vnum; hic recuperaret ducentos gradus gratiæ, ille tantùm centum, cùm tamen sine comparatione perfectiùs conteretur, quàm ille, atque ita obesset ei quòd tanta gratia fuisset præuentus.

Dices, eum hoc suæ negligentiæ debere imputare, qui non fuerit tantùm conatus quantum potuit. Sed contra Primò, Nulla hîc fuit culpabilis negligentia, quia nulla est obligatio semper operandi tam intensè quàm possumus. Secundò, hic fuit diligentior altero, nam quinquagecuplo intensiorem conatum adhibuit: & fortè maiore etiam cum difficultate; tum propter magnam intensionem: quia difficilius est adæquatè respondere intensæ gratiæ, quàm remissæ: quod vel hoc ipsum indicat, quòd ex nostra parte conatus debeat esse maior. Tum etiam quia potuit accidere, vt propter quædam extrinseca impedimenta fuerit ei difficilius conteri quàm alteri, qui fortè hîc & nunc nullam habuit repugnantiam.

Tertiò, quia simili ratione possemus fingere non semper eum plus mereri, qui absolutè perfectiorem actum elicit, sed eum qui elicit actum magis proportionatum gratiæ præuenienti, quam à Deo accipit, atque ita in dicto casu secundum accipere duplo maiorem gratiam præcisè respondentem contritioni, quàm priorem, quod omnes fatentur esse absurdum. Et tamen eodem omnino fundamento niritur, quo sententia Soti, & iisdem rationibus posset defendi.

165 Quarta sententia docet, pœnitentem præter gratiam quæ contritioni præcisè respondet, semper recuperare omne ius ad gloriam, non tamen omnem gratiam deperditam in hac præsertim vita. Hanc inclinat Durandus in 3. d. 31. q. 2. ad 3. Citatur pro ea Scotus in 4. d. 22. quæst. 1. art. 2. addunt que aliqui eum d. 21. quæst. 1. §. *Ad propositum*, dicere, gratiam eam reddendam in fine vitæ. Sed priore loco solùm ait, per pœnitentiam recuperari omne ius ad gloriam, quod respondebat præcisè meritis, non autem quod respondebat gratiæ deperditæ, quam negat recuperari. Secundo autem loco tantùm dicit probabile esse, gratiam non statim intendi per actus remissiores; in fine tamen vitæ dari gratiam iis respondẽtem. Hæc autem sententia ex dicendis facilè refutabitur, & per se parum apparet probabilis. Nam secundùm eam beatitudo patriæ non responderet gratiæ, siue sanctitati habitæ in hac vita. *Durand. Scotus.*

Quinta sentẽtia docet, per pœnitentiam recuperari omnem gratiam correspondentem meritis mortificatis, non tamen eam quæ acquisita fuit ex opere operato per Sacramenta. Et quamuis verba Scoti supra aliud prima fronte significent, videtur tamen hæc sententia posse ex illis colligi, quia dicit ideo omne ius ad gloriam debitum meritis restitui, quia hæc sunt opera nostra quibus debetur merces, quæ ideo manent in acceptatione Dei & reuiuiscunt: gratia autem fuit purum donum Dei, & ideo non reuiuiscit, quod optimè videtur posse intelligi de gratia sacramentali. Sed hoc argumentum nihil probat, quia propter applicationem meritorum Christi per Sacramenta factam, non minùs per horum susceptionem fuit homini acquisitum ius ad gloriam, quàm per propria merita. Quare nulla est ratio, cur hoc ius minùs reuiuiscat quàm aliud. 166 *Scotus.*

Sexta sententia tenet, per pœnitentiam, præter eam gratiam quæ ei speciatim respondet, statim restitui omnem deperditam, ac omne ius ad gloriam priùs habitum. Ita Gabriel in 4. d. 14. q. 3. a. 3. dub. 3. Vasquez hîc q. 89. a. 5. dub. 3. Medina cod. de pœnitentia tract. 1. qu. 8. §. *Est igitur*, vbi dicit esse communiorem sententiam, eamque multis aliis citatis fusissimè ac doctissimè defendit Suarez relect. de reuiuiscentia meritorum, disp. 2. sect. 3. *Gabriel. Vasquez. Medina. Suarez.*

Conclvsio I. Certum omnino est opera mortificata per pœnitentiam reuiuiscere. Hanc conclusionem omnes Theologi admittunt. Probant eam multi, & inter alios doctissimè Suarez ex c. 6. ad Hebr. v. 10. sed alij eum locum aliter intelligunt. Probatur Primò, ex c. 3. ad Galat. vbi dicitur, *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.* Vbi Apostolus loquitur Galatis, qui post magna merita lapsi erant in peccata, deficiendo ex parte ad Iudaismum: vt patet ex initio capitis. Et ex v. 3. vbi ait: *Sic stulti, vt, cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* cui statim subiungit verba citata: quibus significat Primò, eos frustra tam grauia priùs propter Christum fuisse passos, quia merita peccatoribus non possunt prodesse ad gloriã. Deinde seipsum quasi corrigens subiungit: *si tamen sine causa.* q. d. In vestra potestate est efficere vt ea sitis passi frustra, siue sine fructu, si maneatis in peccatis vestris: aut etiã cum fructu, si à peccatis resurgatis. Et ita hunc locum explicãt D. Hieron. & Ambr. in commentariis in istum locum. 167 Merita mortificata per pœnitentiam reuiuiscũt. *Hebr. 6. Galat. 3. D. Hieron. D. Ambros. Iuã. 2.*

Secundò, Ioëlis 2. Dominus pœnitentibus ait: *Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, & rubigo & eruca.* Vbi D. Hieronymus ait: *Et annos quos perturbationibus antè regnantibus perdideratis in vobis, quando opera vestra locusta, bruchus, rubigo, eruca que consumpserant, Deus vobis perire non est passus.* Et infrà: *Si autem post pœnitentiam tantam vbertatem Deus rerum omnium pollicetur, quid respondebit Nouatus negans pœnitentiam, & reformari posse peccatores in pristinum statum*, &c. Vbi clarè docet, pœnitentem antiquum statum recuperare, & merita deperdita ei restitui. *D. Hieron.*

Ezech.33.& 18. Si pœniteti non restitueretur gratia deperdita, priora eius peccata æternum punirentur.

Tertiò, Ezechielis c. 33. dicitur: *impietas impij non nocebit ei in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua.* Et simili sensu c. 18. dicitur: *omnium iniquitatum eius quas operatus est non recordabor*: atqui si peccator pœnitẽdo non recuperaret gratiam deperditam, multùm in omnem æternitatem ei impietas sua noceret; & Deus perpetuò recordaretur peccatorum ipsius ea puniendo priuatione gratiæ & gloriæ, quam per opera præcedentia fuerat meritus. Quod autem quidam dicunt eam priuationem post pœnitentiam ampliùs non habere rationem punitionis, dici nequit. Quia omnis pœna in punitionem peccati semel inflicta, semper habet rationem pœnæ quamdiu durat, & consequenter tamdiu etiam durat punitio, quia hæc nihil est aliud, quàm pœnæ semel inflictæ continuatio. Nec etiam in præsenti casu vlla potest reddi ratio, cur hæc priuatio ante pœnitentiam potiùs habeat rationem pœnæ quam postea. Confirm. quia si Rex alicui militi ob fortia facta dedisset aliquod dominium, quo eum postea ob aliquod peccatum priuaret; nunquam diceretur ei hoc peccatum perfectè remisisse, sed illud perpetuò punire, quamdiu non restitueret ei hoc dominium in se vel in æquiualenti: eademque est ratio de gratia prioribus meritis respondente, si per pœnitentiam non restituatur.

Nec refert quòd apud Ezechielem etiam dicatur, quòd Deus non recordetur ampliùs bonorum operum *iusti* in peccatum labentis, quia aliter hæc obliuio est respectu peccatorum; aliter respectu bonorum operum, vt ostendi n. 143.

168 *Trident.* Quartò, Trident. sess. 6. c. 16. ait, *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minùs plenè illi quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decessissent; consequendam verè promeruisse censeantur.* Vbi vt iusti suis operibus & meretur, & de facto consequantur vitam æternam, Concilium solùm requirit vt in Deo facta sint, & vt in gratia decedant: atqui vtraque conditio propriissimè conuenit omnibus & singulis bonis operibus etiam per peccatum mortale mortificatis, quæ illi, qui in gratia moriuntur, tota sua vita dum in gratia exstiterunt vnquà fecerunt; ergo pro his omnibus & singulis vitam æternam consequuntur. Nam mutila esset doctrina, & impropria locutio Concilij, si quid aliud requireretur.

Dices, Ibidem can. 26. dicitur iustos debere pro bonis operibus sperare æternam retributionem, si tamen diuina mandata custodiendo vsque in finem perseuerauerint: ergo qui post bona opera mortaliter peccant, pro iis non recipiunt æternam retributionem.

Resp. negando consequentiam. Quia ibi censet vsque ad finem perseuerasse non solùm eos qui nunquam peccarunt, sed eos omnes qui in gratia decedunt, siue acceptam gratiam perpetuò conseruarint, siue amissam recuperauerint: vt apertè docet c. 16. initio, & circa medium. Nam hi omnes verè dici possunt perseuerasse vsque in finem. Nam aliàs semel post iustificationem lapsi non possent fieri salui. Nam simili modo Matth. 24. dicitur: *Matth. 24.* *Qui autem perseueraverit vsque in finem, hic salvus erit.*

169 Pœnitens semper recipit omnem gratiam deperditam.

Conclvsio II. Contritus præter eam gratiam, quæ ipsi contritioni respondet, semper recipit omnem gratiam, quam ante lapsum fuerat meritus: & consequenter omne ius ad gloriam ei respondens, ita auctores sextæ sententiæ.

Probatur Primò, ex refutatione aliarum sententiarum. Secundò, quia hoc necessariò dicendum est; si merita per pœnitentiam semper propriè reuiuiscant: vt ostendi n. 162. & 163.

Tertiò, quia hoc omnino conuincunt argumenta pro prima concl. allata. Quid enim est aliud, omnes annos (id est omnium annorum fructus) quos comederat rubigo, restitui pœnitenti (si hoc cum D. Hieronymo spiritualiter intelligamus) quàm omnem fructum bonorum operum, siue omnem gratiam per peccatum deperditam, integrè pœnitenti restitui? Item quomodo peccatum etiam post pœnitentiam non punitur in perpetuum, si propter ipsum perpetuò tanto gloriæ augmento priuemur? Item si morientes in gratia non consequantur omnem gloriam, quam per bona opera ante peccatum facta fuerant meriti, quomodo consistit definitio Concilij Trident. quod docet nos pro omnibus iis meritis gloriam consequi? *D. Hieron.*

Dices, nos pro iis meritis gloriam consequi, non tamen distinctam ab ea, quam per pœnitentiam & consequentia opera meremur. Sed hoc nullo modo satisfacit: tum ob dicta n. 161. tum quia Tridentin. suprà can. 32. docet iustos non solùm per omnia eiusmodi opera mereri gratiam & gloriam, sed etiam gratiæ & gloriæ augmentum: & eos hoc de facto consequi, si in gratia decesserint. Quæ verba essent apertè falsa, si singulis non responderet diuersa pars gloriæ. Nam si propter varia opera acciperent solùm eam gloriam, quæ vni ex illis operibus, etsi solùm esset, deberetur; falsum esset quòd pro singulis acciperent gloriæ augmentum. *Trident.*

Quartò, quia, vt expressè docet D. Thom. q. 89. a. 5. in corpore, bona opera per subsequens peccatum non abolentur (nam sic non magis possent reuiuiscere quàm peccata) sed semper manent in acceptatione Dei, qui ea ad gratiam & gloriam pro iis conferendam, prout fuerant facta, acceptat: ita vt per peccatum tantùm impediantur ne hunc effectum de facto habeant: ergo sublato peccato integrè suum effectum habent; quia nihil est amplius quod hunc impediat. Confirm. quia aliàs Deus pœnitenti non remitteret omnino perfectè peccata, si ipsum priuatione gloriæ præcedentibus meritis respondente perpetuò puniret: vt patet ex tertio argumento pro 1. concluſ. *D. Thom.*

Conclvsio III. Restituitur etiam pœnitenti omnis gratia, quam per Sacramenta ex opere operato perceperat, ita auctores sextæ sententiæ. Quia aliàs peccatum ipsius perpetuò puniretur priuatione illius gratiæ, & correspondentis gloriæ: nec pœnitentia omnes annos, siue annorum omnium fructus (inter quos ea gratia propriissimè computatur) quos peccati rubigo comederat, pœnitenti restitueret, contra dicta in secundo argumento pro prima concluſ. Deinde cùm tam strictum ius ad gratiam & gloriam acquiramus per Sacramenta, ac per merita; nulla est ratio cur pœnitenti hæc gratia potiùs restituatur quàm illa. 170

Conc. IV. Gratia per peccatum deperdita iustificato statim redditur. Probatur Primò, quia homo est capax huius præmij in hac vita, & solet propter merita aut susceptionem Sacramenti hîc conferri; & quòd de facto eiusdem collatio non fuerit continuata, solum peccatum fuit impedimento: ergo hoc sublato illud statim rursum conferatur, sicut gratia Sacramenti reuiuiscentis statim sublato obice confertur. Secundò, quia nulla hîc potest esse causa diutiùs expectandi. Tertiò, quia aliàs aut gratia illa sæpe nũquam restitueretur, si secundùm secundam aut tertiam sententiam esset restituenda aut deberet restitui post hanc vitam, & sic gratiâ patriæ non responderet gratiæ vitæ, quod est absurdum. Nam dicere eam restitui in vltimo instanti vitæ, aut rempore illud immediatè præcedente sine vllo fundamento dicitur. Nec enim vlla potest fingi ratio cur potiùs tunc restituatur quàm antè. 171 Gratia deperdita pœnitenti statim restituitur.

Conclvsio V. Idem dicendum de omnibus virtutibus infusis, quas pœnitens secundùm earum intrinsecam perfectionem integrè recipit sicut eas amiserat. Probatur, quia aliàs peccatum etiam post perfectam pœnitentiam adhuc puniretur priuatione istarum virtutum, quæ sunt magnum quoddam animæ 172 Pœnitens recipit omnes virtutes infusas.

ornamentum. Deinde, cùm omnes fateantur has virtutes vna cum gratia infundi, & cùm non augeantur per actus nostros physicè, sed tantùm meritorie; nulla est ratio cur, cùm dicamus totam gratiam deperditam restitui, id de his virtutibus negemus: & argumenta superiùs aliata etiam hoc probant.

Dixi, *secundùm earum intrinsecam perfectionem*, &c. quia secundùm extrinsecam, sunt sæpe imperfectiores & minùs expeditæ ad operationem, ob ea quæ num. 175. dicam. Hinc sequitur pœnitentem semper resurgere in maiore gratia, quàm fuerat ea ex qua exciderat, quia præter hanc aliam accipit suæ pœnitentiæ respondentem.

Pœnitens semper resurgit ad maiorem gratiam.

173 *Trident.* Dices Primò, Trident. sess. 6. cap. 7. dicit, iustificato gratiam infundi iuxta propriam eius dispositionem, & cooperationem: atqui hoc non fieret si semper tota gratia deperdita ei restitueretur: ergo, &c.

Resp. Concilium ibi tantùm loqui de gratia quæ respondet præcisè actibus, per quos peccator resurgit, & se ad gratiam disponit, quæque hic & nunc pœnitenti per se infunditur ratione præsentis dispositionis: non autem de gratia quæ datur propter merita præcedentia, quæ omnino se per accidens habet respectu pœnitentiæ, qua peccator resurgit. Nam hæc respectu illius non habet se per modum dispositionis, sed per modum remouentis prohibens illius conseruationem.

Dices Secundò, Hinc sequitur, peccatorem consequi lucrum per peccatum, quia sanctior erit postea quàm antea.

Inde tamen non sequitur eum acquirere commodum ex peccato.

Resp. eum per peccatum nihil aliud acquirere nisi maximum detrimentum. Primò, quia tam diu fuit inimicus Dei, quod per se graue malum est. Secundò, quia interim infructuosè illud tempus ei transiit, quo potuisset multa mereri. Tertiò, quia peccatum relinquit sæpe multas reliquias, v.c. prauas dispositiones, & debitum pœnæ temporalis. Per actus quidem pœnitentiæ acquirit commodum: sed hoc per accidens est respectu peccati, quod commodum illud non auget, sed minuit. Nam si ille non peccasset, per eosdem actus multò plus meruisset.

174 Dices Tertiò, Dicta sententia videtur repugnare experientiæ. Experimur enim eos qui ante lapsum magna facilitate exercebant opera virtutum; si diu in peccatis iacuerint, postea resurgentes valdè difficulter illa exercere: hoc autem non fieret si haberent eandem caritatem, aliosque habitus infusos æquè intensos: ergo signum est eos hos non habere. Quia, vrait D. Gregorius homil. 30. in Euang. *Nunquam est Dei amor otiosus. Operatur enim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est.*

D. Greg.

Experientia potiùs nostram sententiam probat quàm contrariam.

Resp. si hac in re posset experientia aliquid probare, clarissimè probaturam nostram sententiam. Nam videmus si quando aliquos perfectos in virtutibus contingat ex humana fragilitate cadere, & statim resurgere; eos postea potiùs maiorem quàm minorem experiri facilitatem in exercitio virtutum. Vnde secundùm illud argumentum apertè sequitur, eos minimùm æquales habitus virtutum habere. Quòd autem quando resurgunt postquam diu in grauibus peccatis vixerunt, experiantur magnam difficultatem in exercitio virtutum, non est mirum: quia, cùm contraxerint vehementes inclinationes prauas & virtuti contrarias, necessariò cum magna difficultate contra earum inclinationem operantur.

Cur post multa peccata pœnitentes difficulter exerceant virtutes.

175 Et facilitate aut difficultate operandi non colligitur intensio habitus supernaturalis.

Sed verius credo, nos ex facilitate aut difficultate operandi non posse colligere an habeamus habitus supernaturales intensos: imò ne quidem an eos habeamus. Nam qui tepidè vivit sæpe peccando venialiter, ita tamen vt non peccet mortaliter, & interim quotidie celebrat, ac sæpiùs confiteatur; certum est eum quotidie augere habitum caritatis, tum per susceptionem Sacramentorum ex opere operato: tum etiam ex opere operantis ratione bonorum operum quæ interim exercet, & tamen eandem semper experitur difficultatem in exercitio virtutum; & tentationibus superandis. Cuius ratio est, quia, vt docet P. Vasq. 1. 2. disp. 83. c. 1. n. 1. & 2. habitus supernaturales dant quidem facultatem operandi actus supernaturales, non tamen facilitant operationem, quia, sicut non producuntur physicè per nostros actus, ita nec ad eos nos sensibiliter inclinant: vnde nec possumus eos in nobis percipere. Tota autem facilitas operationis virtuosæ ex eo prouenit, quòd ad eam sensibiliter inclinemur, & quodammodo incitemur, quod prouenit vel à gratiis præuenientibus, quibus sentimus nos sæpe ad hanc vel illam rem vehementer impelli: Vel ab habitibus acquisitis. Nam sicut actus ipsi dum eliciuntur, sensibiliter voluntatem impellunt: ita etiam habitus ex iis generati, quoties eorum obiecta nobis obiiciuntur, nos ad eadem sensibiliter inclinant. Vel demum prouenit ex dispositione, quæ ex ipsis actibus generatur in parte sensitiua, iuxta dicta disp. 1. num. 36. Ex quibus satis patet nos non posse vlla experientia percipere, quales aut quanti sint in nobis habitus infusi.

Vasquez. c. 1. n. 1. & 2. Habitus supernaturales non facilitant operationem.

Ad D. Gregorium Resp. cum debere intelligi aut de casu in quo quis omittit ea facere ad quæ sub peccato mortali obligatur; aut de caritate actuali, quæ non est sine operatione, vbi datur occasio. Alioqui probaret caritatem per peccata venialia aut tolli, aut saltem minui: quia per ea impeditur ne magna operetur. Et hac etiam ratione quandoque alij sancti Patres dicunt, lapsos in grauia peccata difficulter & rarò recuperare pristinum statum; facilicer quo ad feruorem & facilitatem in exercitio virtutum.

Qua ratione lapsi rarò recuperent pristinum statum.

Dices Quartò, hanc sententiam causare in hominibus teporem, si credant etiam per remissam pœnitentiam omnia pristina merita restitui. 176

Respond. eam non magis inducere teporem, quàm eum inducat summa illa Dei benignitas, quæ ob remissam contritionem aut attritionem cum Sacramento quantumcumque enormia peccata remittit.

Et quamuis aliqui Dei bonitate abutuntur, non tamen ipse ideo debet desinere esse misericors. Quòd autem aliqui ex eo quòd Principes etiam clementes, dum subditis peccata, propter quæ eos dignitatibus suis priuarunt, remittunt, non soleant eos statim pristino statui restituere, velint probare idem de Deo dicendum esse malè planè argumentantur, & potiùs deberent inferre, grauium criminum reos quantumcumque perfectè pœniteant, & se in virtutibus exerceant, non modò nullo vnquam tempore restitui pristino statui, sed nec in amicitiam à Deo recipi: quia Principes non modò nunquam solent reos læsæ maiestatis, quantumcumque eos peccati sui pœniteat, pristinæ dignitati restituere, sed nec in amicitiam suam eos ampliùs recipere solent, imò nec ipsum supplicium remittere: nisi fortè aliqua necessitate ad id cogantur, quia eos punire non audent, aut non possunt, aut quia eorum opera indigent, alia est igitur ratio Dei, qui perfectè pœnitenti perfectè culpam remittit, idque propter Christi merita, qui pro nostris peccatis perfectè Deo satisfecit: alia verò est Principum ratio, quibus pœnitentes nec per se, nec per alios pro peccatis in eos commissis semper satisfaciunt, ideóque vix vnquam hæc iis integrè remittunt.

Deus aliter remittit offensas quam Principes.

Dices Quintò, Adamo pœnitenti non fuit restituta iustitia originalis: ergo nec aliis peccatoribus pœnitentibus restituitur omnis prima gratia. 177

Resp. negando conseq. Quia Adamo illa iustitia ea conditione fuerat data, vt eam per esum cibi veriti irrecuperabiliter perderet. Secùs est de nostra iustitia, quia aliàs sequeretur, semel lapsos nulla pœnitentia, nullisque operibus quantumcumque heroïcis posse priſtinum ſtatum recuperare quod apertè falsum est.

Diuersitas inter gratiã habitualem & iustitiã originalem.

An Adamus pœnitens recuperarit omnem gratiam de perditam.

Posset autem hîc quæri, Vtrùm Adamus per pœnitentiam recuperarit omnem gratiam habitualem, quam in statu innocentiæ habuit: sicut dixi peccatorem pœnitentem iam recuperare omnem gratiam priùs amissam. Et res satis dubia est. Nam partem affirmatiuam videntur probare rationes suprà allatæ, quia eadem videtur ipsius & nostri ratio.

Contrà verò negatiua probatur Primò, quia omnis illa gratia pertinebat ad alium statum & ordinem diuinæ prouidentiæ, qui per eius peccatum fuerunt omnino euersi sine vlla spe restitutionis: ergo illa gratia fuit similiter amissa: ita vt nouam quidem gratiam potuerit per pœnitẽtiam recipere, non tamen illam. Secundò, quia sicut verius est Christum non venturum fuisse si Adam non peccasset: ita probabilius est, nec Angelos, nec Adamum in paradiso accepisse gratiam per merita Christi. Quare si ea pœnitenti fuisset restitutura, haberet iam aliquam gratiam, & gloriam quæ non fuissent ei propriè & secundùm se data propter merita Christi, sed vel ex alia Dei liberalitate, vel propter merita quæ sine gratia Christi fuissent facta: ita vt Christus tantùm per accidens fuisset illorum causa, quatenus meruit remissionem peccati, quod impediebat ne Adam illam gratiam ac gloriam consequeretur, sicut modò pœnitenti gratia amissa non datur propter pœnitentiam, sed propter merita præcedentia: pœnitentia autem tantùm est eius causa per accidens quatenus tollit impedimentum. Et hæ rationes hanc partem faciunt satis probabilem, non tamen certam.

Demum hîc aliqui disputant, An opera virtutum informia, *siue facta à peccatore, ei* pœnitenti aliqua ratione prosint? 178

An opera mortua pœnitenti prosint?

Resp. Primò, Homo ob talia opera nunquam accipit augmentum gratiæ aut gloriæ. Primò, quia Ioan. 15. dicitur palmitem non posse ferre vllum fructum nisi manserit in vite. Peccator autem non manet in Christo, vt ostendit D. Ioannes Epist. 1. multis locis. Secundò, quia 1. ad Corinth. 13. absolutè dicitur, nulla opera extra caritatem facta prodesse ad vitam æternam. *Ioan. 15.* *Ioan. epist. 1.* *1. Cor. 13.*

Resp. Secundò, Sæpè tamen eiusmodi opera prosunt peccatori, vt accipiat gratias præuenientes, quibus adducatur ad pœnitentiam. Primò, quia ea operans ponit minora impedimenta gratiæ Dei, quare eam faciliùs accipit. Secundò, quia, quando fiunt ex gratia præueniente, de congruo merentur vt Deus det maiores gratias: quia eius liberalitatem decet vt maiora donet ei qui minoribus benè vtitur; præsertim cùm illa in eum finem det.

Resp. Tertiò, Merentur etiam aliquo modo de congruo bona temporalia; & auersionem aut dilationem pœnæ in hac vita infligendæ. Ita D. Tho. q. 89. art. 6. in corpore. Et patet in Achab, 3. Reg. 21. cuius mortem Deus ob pœnitentiam distulit, cùm tamen perseuerauerit in idololatria. Hinc D. Gregorius hom. 40. in Euang. ait, valdè metuendum diuitibus, & aliis quibus omnia succedunt ex voto, ne hîc recipiant suorum operum mercedem. *D. Thom.* *3. Reg. 21.* *D. Greg.*

DISPVTATIO III.

DE

PRÆCEPTO

POENITENTIÆ.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm peccator obligetur aliquando pœnitere, ita vt peccet non pœnitendo?

1 *Ioannes Medina.*

VIDAM apud Ioannem Medinam tract. 1. de pœnitentia q. 2. §. *Esto sit*, fatui quidem sunt pœnitentiam esse necessariam vt peccator obtineat remissionem peccati; aiunt tamen eum qui sponte eam omittit, non committere nouum peccatum. Videntur præcipuè moti auctoritate D. Thom. qui 2. 2. q. 14. art. 2. docet impœnitentiam, prout dicit solam perseuerantiam in peccatis, etiam vsque ad mortem, non esse speciale peccatum; sed solùm prout dicit propositum non pœnitendi: atqui hoc esset falsum, si peccator committeret nouum peccatum solùm non pœnitendo, quia hoc peccatum deberet esse speciale. Et confirm. quia aliàs nullus posset damnari propter vnum solum peccatum mortale, quia præter peccatum prius committeret secundum non pœnitendo. Illud autem videtur absurdum. Sed hæc sententia communiter ab omnibus reiicitur. *D. Thom.*

2 Peccator peccat non pœnitẽdo.

CONCLVSIO I. Qui non potest suscipere Sacramentum baptismi aut pœnitentiæ, obligatur ad eliciendam cõtritionem, ita vt peccet mortaliter, si eam sponte tota vita omittat. Est omnino certa, & communis omnium Doctorum, paucissimis fortè exceptis.

Probatur, quia Scriptura plurimis locis non solùm dicit pœnitentiam esse necessariam ad remissionem peccatorum, & ad eam hortatur peccatores, sed etiam grauissimè eos reprehendit, prætisè quia non conuertuntur ad Deum per pœnitentiam, iisque supplicium ideo minatur. Isaiæ 65. v. 12. Deus minatur peccatoribus mortem, quia vocanti eos ad pœnitentiam non respondebant, & Ierem. 8. Deus conquerendo ait, *Numquid qui cadit non resurget? & qui auersus est non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa?* & infrà: *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci?* Et similia loca tam in Scripturis quàm in Patribus passim occurrunt, & res ipsa dubio sequenti clariùs probabitur. *Isaiæ 65.* *Ierem. 8.*

Ad locum D. Thomæ Respondeo, eum ibi solùm velle, finalem impœnitentiam tunc non esse speciale peccatum, quando quis non aduertendo obligationem pœnitendi, in peccatis suis moritur, vt fit quando subitò moritur: quo casu potest fieri vt quis cum vno solo peccato mortali moriatur. Secùs autem est quando quis aduertit se impœnitentem mori. Nam tunc saltem interpretatiuè vult non pœnitere: & sic potest dici habere propositum non pœnitendi, atque ita etiam secundùm D. Thomam committere speciale peccatum impœnitentiæ. Et in eo casu nunquam aliquis moritur cum vno solo peccato mortali. Nec hoc vllo modo absurdum est. 3 *D. Thom.* Quando finalis impœnitentia potest esse sine nouo peccato.

CONCLVSIO II. Peccator suscipiens Sacramentum baptismi aut pœnitentiæ, saltem extra periculum 4

Suscipiens baptismum aut pœnitentiam satisfacit per attritionē. *Suarez. Henriquez.*

mortis, satisfacit præcepto pœnitētiæ per solam attritionem. Ita Henriquez l. 4. de Sacramentis c. 6. n. 5. & Suarez disp. 15. sect. 4. n. 13. Et est communis eorum omnium qui fatentur attritionem etiam notam esse sufficientem dispositionem ad dignam susceptionem baptismi & pœnitentiæ. Et ratio est, quia, vt dub. 2. dicam, ideo præcisè peccator obligatur ad pœnitentiam, quia obligatur vt quacumque ratione potest Deo satisfaciat pro iniuria illata, & eius amicitiam recuperet, ad quod extra susceptionem Sacramenti necessaria est contritio, & consequenter ad hanc obligatur. Secùs est quando suscipit vnum ex dictis Sacramentis, quia hoc ipso quo Deus ea ita instituit, vt ad eorum iustificationem qui ea suscipiunt, non requirat aliam dispositionem quàm attritionem; effecit vt & ad amiciciam eius recuperandam, & ad ei pro culpa satisfaciendum non esset aliud medium necessarium, & consequenter vt cessaret obligatio ad contritionem: quantum saltem spectat ad obligationem pœnitentiæ, quæ oritur ex eo quòd quis commiserit peccatum mortale. Nam ex præcepto caritatis potest talis obligari ad eliciendam cōtritionem saltem virtualem siue actum caritatis. Sed hoc per accidens est respectu quæstionis præsentis: quia talis eodem modo ad illum actum obligaretur, etsi nunquam peccasset.

5 Quidam in articulo mortis requirunt cōtritionem etiam in eo qui confitetur.

Dixi, *saltem extra periculum mortis.* Quia multi docent constitutum in periculo mortis etsi confiteatur, teneri nihilominus conteri, quia quisque in eo casu tenetur tutissimam viam saluris eligere. Nam aliter exponit se periculo eam in æternum irrecuperabiliter perdendi; quod est contra caritatem sui ipsius. Etsi autem probabilissimum sit, attritionem cum Sacramento sufficere ad iustificationem; tamen hoc non videtur omnino certum, cùm multi contrarium teneant. Quare qui sine contritione confessus moreretur, exponeret se alicui periculo damnationis.

Illorum ratio refutatur.

Sed hæc ratio non videtur sufficiens. Primò, quia quòd attritio cum Sacramento pœnitentiæ sufficiat, videtur iam ita certum, vt prudenter possimus nobis persuadere, nullum iam de eo esse periculum, cùm Trid. sess. 14. c. 4. hoc tam expressè doceat, & eius verba sine aperta violentia non possint aliter explicari. Secundò, quia ex ea ratione sequeretur, lapsum in peccatum mortale teneri statim omnino, vel saltem ante somnum conteri: quia fieri potest vt paulo post, vel saltem inter dormiendum subitò moriatur. Quare si statim non conteratur, exponit se periculo æternæ damnationis. Imò sequeretur eum teneri statim confiteri, quia aliàs non potest esse satis certus de sua iustificatione, quia non est ei certum quòd habeat veram contritionem, & aliqui DD. dicunt, contritum non iustificari ante susceptionem Sacramenti. Imò si rem benè consideremus, puto hanc obligationem ex hac parte esse magis probabilem: quia credo esse certius, quòd attritio cum Sacramento pœnitentiæ iustificet, quàm communiter certus esse possim, quòd aut cras viuam, aut quòd sim verè contritus, etiam cùm maximè mihi contritus esse videor.

Tridut.

6 Alia ratione illa sententia defenditur.

Alia tamen ratione dicta sententia probari posset. Primò, omnes tenentur in articulo mortis elicere actum amoris Dei super omnia, qui actus est virtualis contritio, & in eo qui sibi conscius est peccati mortalis, necessariò causat formalem cōtritionem: vt ostendi suprà disp. 2. num. 51. Sed hæc ratio non probat generaliter talem obligari ad contritionem ratione peccati à se commissi: quia facilè respondebitur eum satisfacere omni obligationi si eliciat actum caritatis post confessionem; & tunc ad eum solùm obligabitur, idque præcisè ratione præcepti caritatis, quod eum obligaret etsi non peccasset. Probatur igitur Secundò. Nam qui tali articulo nollet conari ad veram contritionem, exponeret se periculo ne quidem eliciendi attritionem, qui enim tali tempore deliberatè non conatur se excitare ad amorem Dei, & ad detestationem peccati eum consequentem; valdè timendum est, ne adhuc totus occulrè affixus hæreat mundo & peccatis, & hæc perfectè non detestetur, etiam per attritionem: & non tam oderit peccatum, quàm solas pœnas inferni, quas videt sibi imminere: atque ita retineat occultum aliquem affectum erga peccatum, qui metu præsentis periculi non tam sit extinctus, quàm paululùm compressus.

Non cōnati iustanre morte conteri timendum est ne non fit attritus.

Diuersa autem est ratio in iis qui adhuc sani de peccatis atteruntur, quia cùm hi liberè peccata deserant, possunt credere se ea seriò deserere ac detestari: qui autem solùm mouetur ad pœnitentiam instante morte, magis videtur ab ipsis peccatis deseri, quam ea deserere. Quare communiter Patres dicunt talem pœnitentiam debere esse suspectam. Ex quibus satis probabiliter concluditur, talem quantum potest debere eniti ad dolorem omnino perfectum, siue contritionem, vt saltem attritionem certò obtineat.

Qui iam moriturus agit pœnitentiam, eam magis suspectam habere debet quàm qui sanus eam agit.

Ex quibus infertur, nos in eo periculo magis teneri conteri, quando non possumus accipere Sacramenta: & vt puto etiam eo casu quo non sumus nobis conscij alicuius peccati mortalis quod non sumus confessi, quia ideo non sumus certi nos esse in statu gratiæ: & tunc conandum est vt viam certam eligamus.

In periculo mortis tenemur conari contritionem.

DVBIVM II.

Vtrùm peccator obligetur ad contritionem iure naturæ, an positiuo?

7

HÆc quæstio procedit solùm in iis casibus in quibus homo non potest suscipere Sacramentum. Quia posito quòd possit illud suscipere, iam dixi eum per se non teneri ad contritionem.

Prima sententia docet, hoc præceptum esse iuris naturæ, cui fauet valdè D. Thom. q. 84. art. 7. in corpore, vbi dicit dolorem de peccatis qui est materia Sacramenti pœnitentiæ, esse à iure naturæ, & eam tenet Caiet. in eum locum, & Vega in Trident. l. 13. c. 20. & alij. Ratio est, quia qui alteri intulit iniuriam, tenetur eam quantum potest resarcire: atqui homo per peccatum intulit Deo iniuriam: ergo tenetur eam quantum potest resarcire, quod fit per contritionem.

D. Thom. Caietan. Vega.

Secunda sententia docet esse iuris positiui. Ratio est, quia Deus non potest ius naturæ mutare, quare si contritio esset iure naturæ præcepta peccatori, etiam modò ad eam teneretur quantumuis Sacramentum pœnitentiæ susciperet. Hanc sententiam videtur tenere Medina tract. 1. de pœnit. q. 2. §. *Secundò contra positionem.* Et si benè legatur, Soto in 4. d. 14. q. 1. ar. 7. §. *Sed circa*, & d. 17. q. 2. art. 6. concl. 1. quamuis pro prima sententia citetur.

Medinā.

Soto.

Tertia sententia est quasi media, docetque Primò, peccatorem iure naturæ teneri ad satisfaciendum Deo, quantum hoc ei possibile est, quia hoc videtur probare argumentum primæ sententiæ. Docet Secundò, vt tamen teneatur ad talem modum satisfaciendi, hoc prouenire ex positiua Dei ordinatione. Ratio est, quia nemo tenetur ad aliquem finem assumere aliquod medium, quo non potest eum finem assequi: atqui secluſa omni Dei ordinatione, qua contritionem velit suscipere tanquam sufficientem satisfactionem pro peccato, nullo modo possemus per contritionem pro peccato satisfacere: ergo ad eam non teneremur. Hanc tenet P. Suarez disp. 15. sect. 3. n. 4. & 8.

Suarez.

8 Obligatio ad contritionem triplici capite oritur.

Vt autem hæc res clariùs intelligatur, Nota Primò cum Suarez disp. 15. sect. 1. n. 8. obligationem ad contritionem in peccatore posse oriri ex triplici capite. Primò, ex virtute speciali pœnitentiæ, siue imperfecta quadam iustitia, qualis potest esse inter nos & Deum,

quæ peccatorem obligat, vt quantùm fieri potest, tollat iniuriam Deo per peccatum illatam. Secundò, ex virtute caritatis, quæ sicut obligat vt conseruemus diuinam amicitiam: ita etiam nos obligat, vt sublatam, quantum fieri potest, restauremus. Tertiò ex amore nostri ipsius. Nam sicut obligamur non occidere nos *spiritualiter*: ita obligamur vitam perditam recuperare, & præsertim quando aliàs æternùm sumus perituri, vt accidit ei qui in peccato mortali moritur.

9 Qualis esse possit obligatio ad impossibile.

Nota Secundò, etsi nemo ita obligetur ad impossibile vt peccet illud non ponendo; posse tamen aliquem quasi in actu primo ad illud obligari. v.c. Petrus iniustè occidit aliquem, etsi in actu secundo verè non obligetur vt ei vitam restituat, quia impossibilitas excusat eum ne peccet non restituendo; tamen in actu primo, & quasi in radice est in eo aliqua obligatio. Quia si Deus daret *ei* potestatem restituendi Petro vitam, statim absolutè ad hoc obligaretur: non ratione potestatis, quam Deus tunc ei daret, sed ratione obligationis, quæ priùs quasi in actu primo *in eo* erat, *sed* quasi mortificata & impedita ne vim suam exereret ratione impotentiæ, qua *sublata eam* statim exerit.

10 Impotens restarcire integrum damnum à se illatum, tenetur id restarcire ex parte si potest. Nō tenetur ad actus improportionatos ad restitutionem damni.

Nota Tertiò, quando is qui intulit damnum (eademque est ratio iniuriæ) non potest illud totum tollere, sed tantùm ex parte; eum ad hoc teneri. v.c. Petrus aliquem mutilauit, ex quo patitur damnum peculiarum: à restitutione membri excusatur quidem per impotentiam; tenetur tamen alterum damnum restarcire vel in totum, vel ex parte, prout potest, quòd si nihil omnino possit restituere, præcisè iure naturæ non tenetur facere aliquos alios actus, qui nullo modo sunt vtiles ad restarciendum damnum illatum, etsi læsus eos cupiat sibi exhiberi, & iis exhibitis paratus sit omnem obligationem remittere. Quia ex virtute iustitiæ siue præcisè ratione damni illati non obligatur vt procuret, vt alter sibi omnem obligationem remittat, sed *solùm* vt restarciat illatum damnum, à quo per impotentiam excusatur.

Dixi, *ex virtute iustitiæ*, &c. quia ex alia causa posset ad alia opera obligari. v.c. ratione præcepti indicis eum ad ea condemnantis: aut ex caritate sui, quia aliàs exponit se euidenti periculo mortis, quam tenetur euitare: aut ratione pacti inter eos initi, &c.

Hic autem, quidquid sit de obligatione pœnitentiæ, fatendum est Primò, pœnitentiæ virtutem inclinare peccatorem vt eliciat eos actus, quos nouit Deum acceptaturum pro satisfactione iniuriæ illatæ, quosque ipse sibi cupit exhiberi: quia ipsa inclinat vt quacunque ratione læso satisfiat. Sed aliud est eam ad hos actus inclinare pœnitentem, aliud verò eam ad hos obligare. Nam inclinat etiam vt peccator remissa culpa satisfaciat in hac vita pro pœna restante; non tamen ad hoc obligat: vt cum communiore sententia docet Suarez disp. 15. sect. vlt.

Suarez.

Satisfactio solò requirit vt voluntati ipsius læsi fiat satis.

Secundò, fatendum etiam est, per eiusmodi actus, quibus peccata in nobis punimus, verè Deo pro offensa satisfieri: quia ad hoc sufficit vt faciam id quod offensus à me petit, siue sit vtile ad reparandam læsionem, siue non. Nam satisfactio nihil aliud requirit quàm vt voluntati ipsius læsi fiat satis, quod hic verè fit.

11 In violatione legis duo sunt considerada.

Nota Tertiò, in peccato, quatenus est præcisè contra voluntatem Dei vt summi legislatoris, duo possunt considerari. Primò, quòd per ipsum peccator subtrahat suam voluntatem à lege, siue obedientia Dei contra eam faciendo: quæ subtractio censetur ei manere habitualiter voluntaria, donec eam retractat, aut peccatum ei remittatur. Secundò, quòd per violationem ipsius legis fiat aliqua iniuria auctoritati Dei; atque ita ponitur aliqua inæqualitas inter peccatorem & Deum.

12 Lex potest dupliciter violari.

Nota Quartò, legem aliquam dupliciter posse violari. Primò, ita vt nullum aliud distinctum damnum sequatur: Vt quando quis suo peccato nullo modo apud alios laroris auctoritatem minuit. Secundò, ita vt hanc verè apud alios minuat, eos inducendo, vt aut falsa de ea credant, aut eam vel formaliter vel interpretatiuè minoris faciant: vt fit quando ideo faciliùs peccant, aut peccata paruipendunt.

13 Ex præcisa iuris naturæ peccator tenetur ad aliquā pœnitentiam.

Hinc sequitur Primò, *sepositio* omni decreto ac præcepto *Dei positiuo, quo* aut statuerit pœnitenti remittere peccatum, aut præceperit vt hanc vel illam pœnitentiam agat; eum qui *solùm* primo modo peccauit, spectato præcisè iure naturæ, ex virtute pœnitentiæ, & quadam quasi iustitia erga Deum obligari; vt peccatum suum saltem virtualiter retractet per aliquem actum, quo voluntatem suam legi *diuinæ subiiciat*atque *ita implicitè* etiam sit paratus sustinere pœnam, quam Deus ei volet pro peccato infligere, quia & hoc ei possibile est & vtile, ac necessarium, vt læsam diuinam auctoritatem aliquo modo restauret, ita *Soto* in 4.d.14.q.1.ar.7.ad 1.argum. Alensis 4.p.q.18. memb. 2.art.3. Richard.d.17.art.2.q.3. Et confirm. Quia sine eiusmodi retractatione peccatum ei manet peruò habitualiter voluntarium, & sicut qui actu peccat, actualiter diuinam auctoritatem violat: ita ille pergit eam quodammodo habitualiter violare, quamdiu prior violatio pergit ei habitualiter esse voluntaria, quod aperiè malum est, vt autem habeat explicitam voluntatem volendi pati eam pœnam, non est necesse: sed sufficit quòd non habeat actum contrarium ei repugnando, & implicitè velit hunc non habere, quatenus subiicit suam voluntatem diuinæ. Quòd si verò etiam secundo modo peccarit, tenetur præterea tollere omne scandalum quod posuit, quatenus ei possibile est, reuocando errores quos seminauit, extollendo diuinæ legis auctoritatem, ostendendo sui facti pœnitentiam, aliosà peccatis deterrendo, &c. quatenus *credit hæc ad eum finem posse conducere.*

Soto. *Alensis.* *Richard.*

14 Nō tenetur iure naturæ præcisè spectato confiteri.

Sequitur Secundò, neutrum eo casu teneri dolere de suo peccato ex amore Dei, siue quia illud Deo displicet, quia hoc tunc nec est necessarium vt suam voluntatem legi diuinæ subiiciat, neque vt peccatum sufficiètèr retractet, ita vt definat ei esse voluntarium, quia hæc sufficienter potest facere ob alios fines pœnitendo. Neque etiam est *necessarium*, vt iniuriæ Deo illatæ satisfaciat, quatenus hæc post dictam peccati retractationem adhuc manet, quia hoc non potest aliter fieri quàm per passionem æternæ pœnæ. Neque etiam vt diuinam amicitiam recuperet, aut æternam damnationem euadat, quia in dicto casu hæc omnia sunt ei absolutè impossibilia; & consequenter talis dolor ad hæc omnia est omnino improportionatus ac inutilis.

Au teneatur habere expressum dolorem.

Maior posset esse difficultas, Vtrùm absolutè teneretur habere formalem dolorem aut detestationem peccati commissi? Qua in re videtur certum, eum qui secundo modo peccauit, teneri habere talem detestationem, quia non potest sufficienter restarcire auctoritatem Dei apud alios læsam, nisi ostendendo talem dolorem: quare ne simulet, debet eum habere.

In eo autem qui *solùm* primo modo peccauit, requiritur saltem virtualis peccati displicentia concepta ex fine aliquo modo honesto, aut saltem *non malo*: vt si quis audiens peccatis æternam pœnam paratam esse, ne hanc incurrat absolutè statuat Deum numquam *mortaliter* offendere, quia peccatum aliter secluſa omni remissione, non potest ei definere esse habitualiter voluntarium. In memore autem sui peccati virtualis hæc displicentia non videtur posse poni sine formali: vt ostendi disp. 2. num. 51. & 52. Quòd si tamen quacumque ratione virtualis fuerit posita, videtur sufficere, quia per eam voluntas sufficienter legi diuinæ subiicitur, vt peccatum definat ei esse

voluntarium nec talis dolor videtur requiri ad alios fines, quia ad eos eo casu est omnino improportionatus.

15 Peccator de facto iure naturæ tenetur ad certam pœnitentiam.

Sequitur Tertiò, posito quòd Deus statuerit omnibus verè contritis remittere peccatum pœnásque æternas, & sufficientem peccatori gratiam det, vt possit conteri, (vt de facto dat omni facienti quod in se est;) peccatorem iure naturæ, secluso omni præcepto positiuo, teneri conteri, casu quo nullum Sacramentum possit suscipere. quia, posito quòd ei quacumque ratione sit possibile Dei amicitiam recuperare, ac æternam damnationem euadere, ad hoc absolutè obligatur; & consequenter etiam vt adhibeat medium ad hoc absolutè necessarium; quale eo casu est contritio etiam formalis in memore sui peccati, de quo hic loquimur, secùs est in immemore; quia nemo potest obligari vt de suo peccato conteratur, nisi aliquo modo eius recordetur, aut saltem in genere cogiter esse aliquod periculum ne fortè habeat aliquod peccatum, de quo non egerit sufficientem pœnitentiam. excipimus hic semper etiam casum martyrij, in quo vtrùm peccator teneatur conteri, satis dixi tom. 1. quæst. 66. artic. 12. Et hæc res ex dictis num. 8. & 9. videtur satis clara. Solùm posset esse dubium, an in dicto casu peccator teneatur conteri præcisè virtute speciali pœnitentiæ, siue ad resarciendam iniuriam Deo factam per peccatum? quidam enim hoc affirmant.

Et qua virtute peccator teneatur conteri?

16 Sed saluo meliori iudicio, credo probabilius dicendum esse cum non teneri conteri, sed sufficere eum alia ratione peccata retractare: quia vt pro iniuria quæ post eam retractationem restat, vel in totum, vel etiam ex aliqua parte, verè satisfaciat, ille actus est omnino improportionatus: vt autem illius iniuriæ remissionem à Deo obtineat, etsi obligetur ex caritate Dei, & sui, non tamen ex virtute speciali pœnitentiæ siue iustitiæ erga Deum. sequitur ex dictis num. 10. vbi ostendi nos non teneri ex iustitia procurare vt læsus nobis remittat sibi illatam iniuriam, pro qua non possumus satisfacere. Et confirm. quia aliàs qui Principi suo furatus fuisset ingentem pecuniam sine vlla tamen læsione honoris ipsius, & deprehensus ea tota restituta fugisset, & iam esset tali loco vbi aliter non posset ei nocere, teneretur procurare vt alter ei offensam omnem remitteret, quando id speraret facturum, nec aliter posset à peccatis absolui. quod est contra communem omnium praxim. Nec enim Doctores aut confessarij solent fures ad aliud obligare, nisi vt ablata restituant, quando aliam iniuriam non intulerunt.

17 Ex dictis patet Primò, qua ratione non obstante quòd ius naturæ sit immutabile, potuerit fieri vt peccator ante institutionem baptismi, & pœnitentiæ, teneretur conteri, & iam posito quòd ea Sacramenta suscipiat, solùm teneatur atteri. Per hoc enim non mutatur ius naturæ, sed ponitur aliqua conditio per quam contritio desinit esse medium necessarium ad iustificationem, & consequenter tollitur omnis ratio, ob quam ad eam tenebamur. sicut tollitur obligatio soluendi debitum, posito quòd creditor hoc remittat.

Obligatio pœnitentiæ oritur ex præcepto amoris Dei ac nostri.

Patet Secundò, hanc obligationem oriri partim ex primo præcepto decalogi, quo iubemur Deum super omnia diligere, & consequenter omnem iniuriam ab eo auertere, ac ipsius amicitiam procurare: partim ex præcepto caritatis erga nos ipsos, quod est regula dilectionis proximi, & quasi fundamentum præceptorum secundæ tabulæ.

DVBIVM III.

Pro quo tempore obliget præceptum contritionis?

18 NOta, posito casu, quòd non possimus confiteri (de quo hic semper loquimur) nos dupliciter posse obligari ad contritionem. Primò, per se ex aliquo capite ex recensitis n. 8. Secundò, per accidens: quod quatuor præcipuè casibus euenire potest. Primus, quando tenemur aut etiam liberè volumus suscipere aliquod Sacramentum, aut hoc ex officio administrare, quod tenemur in gratia Dei facere, iuxta dicta tom. 1. quæst. 62. art. 2. & quæst. 64. art. 6. Secundus, quando ob meum peccatum communitas incidisset in periculum ne à Deo puniretur, vt accidit in peccato Achan, Iosue 7. Dauidis, 2. Reg. 24. Tunc enim ex caritate proximi tenerer me statim ad Deum omnino conuertere, vt hoc modo ipsius iram placarem. Quia tenetur laborare vt commune periculum auertam, præsertim quando ego eiusdem sum occasio. Sed hoc rarissimum est; nisi fortè aliquando in iis, qui sunt capita populi.

Contritio potest obligare vel per se vel per accidens, idque ex quatuor capitibus.

Iosue 7. 2. Reg. 24.

Tertius est, quando quis vrgetur grauibus tentationibus, quas credit se aliter non posse superare, nisi ad Deum per contritionem conuertatur. Quod etiam prudenter quandoque potest credere. quia constat nos sæpe non posse vincere tentationes sine speciali Dei gratia. Et quamuis Deus semper ex se paratus sit sufficientem dare gratiam, vt possimus tentationes superare; non tamen semper efficit, vt possimus eas quacumque ratione superare sed semper requirit nostram cooperationem, & sæpe certum conatum, siue modum iis resistendi, v. c. per orationem, conuersionem ad Deum, auersionem à peccatis siue contritionem, afflictionem corporis, &c. atque ita dat nobis gratias quibus nos ad hæc media excitat: quas si negle-xerimus meritò alias subtrahit. ita vt quamuis nullum sit tempus in quo homo non possit absolutè vitare peccatum; potest tamen quandoque accidere, vt possit sibi moraliter certò persuadere, se illud non euitaturum, nisi vtendo hoc vel illo medio, inter quæ posset aliquando esse vera conuersio à peccatis ad Deum: præsertim quando alicui adessent graues occasiones peccandi, quas ipse non posset euitare.

19 Prudenter quandoq; peccator creditur nō superaturū aliquas tēptationes nisi contemptatur.

Sæpe ad superandas tentationes requiritur vt certo medio vtamur.

Quartus est, quando tenemur aliquod heroïcum & difficile opus aggredi, v. c. confessionem fidei coram tyranno, ad quod singulari gratia opus est, quam sæpe possumus nobis persuadere nos non accepturos à Deo quamdiu volumus sponte in eius inimicitia manere, siue non conuerti à peccatis. qua hac ratione resistimus gratiæ Dei, & reddimus nos ea indignos. Hic tamen casus ferè coincidit cum tertio, nisi quòd sit specialior. Sed in his omnibus casibus omissio contritionis non est distinctum peccatum ab eo quod committimus indignè suscipiendo aut administrando Sacramenta, aut voluntariè exponendo vel communicando, vel nos ipsos supradictis periculis, ad quæ vitanda tenemur conteri. Atque ita horum tractatio ad hunc locum propriè non pertinet.

20

Tota igitur difficultas hic est, quando quis per se ad contritionem obligetur. Qua in re variæ sunt sententiæ.

Prima docet, nos commisso peccato teneri conteri statim prima data commoditate, v. c. statim ac perfectè aduertimus nos esse in peccato, nec habemus aliquod necessarium impedimentum, quo impediamur ne possimus hic & nunc cogitare ea, quæ ad contritionem nos possent excitare. Ita Thomas de Argentina in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 4. ad 4. Gulielmus Parisiensis in 1. de Sacramento pœnit. cap. 19. D. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 18. §. 2. Siluester v. *Contritio.* num. 4. &c. Probatur, quia qui intulit alicui damnum continuò peccat, donec illud restituat: ergo similiter peccator continuò peccat, quamdiu Deo non satisfacit. Secundò, qui expressè vellet permanere Deo inimicus, peccaret mortaliter: atqui qui non vult conuerti à peccato, vult manere Deo inimicus: ergo peccat

Thomas de Argentina. Gulielmus Parisiensis. D. Antoninus. Siluester.

mortaliter. Tertiò, quia aliàs sequeretur, peccatorem posse velle hîc & nunc non converti: atqui hoc falsum est. quia hoc idem esset atque velle permanere in inimicitia Dei: ergo, &c. Quartò, qui intulit sibi graue malum corporale, tenetur illud statim emendare si potest: ergo multò magis is, qui sibi intulit graue malum spirituale. Quintò, quia tenemur præcepto caritatis proximum statim data prima commoditate corripere: ergo multò magis nos ipsos emendare. Sextò, quia qui non resurgit statim à peccato, exponit se periculo ne iterũ peccet. Qui enim perseuerat sponte in peccato mortali, non potest diu omnia peccata mortalia vitare. Item exponit se periculo moriendi in peccato, quia potest subitò mori. Septimò, quia Eccl. 21. dicitur, *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* vbi inbemur illa statim fugere.

Eccl. 21.

21 Secunda sententia docet, peccatorem statim occurrente die Dominico aut festo teneri conteri. Ita Angelus v. *Feriæ.* num. 4. & fauet Scotus in 3. d. 27. art. 3. §. *Quantum ad secundum.* quatenus dicit hominem tunc teneri amare Deum super omnia vnde sequitur teneri conteri, si sciat se esse in peccato mortali. Probatur Primò, quia præcepto diuino tenemur diem sabbathi sanctificare: quod peccator non potest congruè facere, nisi se conuertat ad Deum. Secundò, quia Leuit. 23. v. 32. dicitur, *Sabbathum requietionis est, & affligetis animas vestras.* Et suprà vers. 29. dicitur: *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis.* Vbi videtur præcipi contritio.

Angelus, Scotus.

Leuit. 23.

Peccator non tenetur conteri statim occurrente die festo.

Sed hæc sententia non videtur vllo niti fundamento. Primò, quia illæ leges de modo sanctificandi sabbathum Iudæis olim latæ, fuerunt cæremoniales, nec iam obligant. Festa autẽ, quæ iá colimus, iure Ecclesiastico inducta sunt, sicut & modus ea celebrãdi: Ecclesia autem non potest immediatè præcipere internam contritionem. Secundò, quia ne quidem olim Iudæis fuit præcepta contritio diebus sabbathi, sed tantùm vt hoc colerent cessando ab operibus seruilibus, & offerendo certa sacrificia. Sicut iam tenemur colere festa audiendo Sacrum aliáve diuina officia, quod legitimè faciunt existentes in peccato mortali. Loco autem citato ex Leuit. 23. non præcipitur modus colendi omnia sabbatha, sed vnius particularis festi: nec ibi præcipitur interna, sed externa animæ afflictio, scilicet per ieiunia & similia opera. Nam iubetur mulctari morte quicunque afflictus non fuerit (hoc enim significant verba illa, *Peribit de populis suis*: vt patet ex aliis similibus locis) non poterant autem Iudæi punire morte eos qui non conterebantur: quia hoc dignoscere non poterant. Adde, hac lege etiam innocentes fuisse obligatos, hi tamen non tenentur conteri.

32 Tertia sententia est Soti in 4. d. 17. q. 2. a. 6. concl. 5. vbi docet, peccatorem, qui eo tempore quo præceptum confessionis obligat, non potest confiteri; teneri tunc conteri. Probat, quia præceptum contritionis, quod antè erat indeterminatum, ab Ecclesia ad hoc tempus determinatur. Vnde infert, posito quòd Ecclesia non præscripsisset tempus confessionis, tunc peccatorem solùm obligandum conteri primò, in articulo mortis; secundò, quando aliàs esset periculum ne peccati sui obliuiscereturo. quia ipse putat eum qui legitimè vult conteri, teneri singula peccata sua in memoriam reuocare, quod disp. 2. nu. 76. latis refutaui.

Soius.

Qui non possunt Sacramenta suscipere, non tenentur in paschate conteri.

Sed nec hæc sententia satis fundata est. Quia Ecclesia non aliter potest determinare tempus quo teneamur præceptum aliquod siue diuinum, siue naturæ implere, nisi aut definiendo hoc in tali tempore per se obligare: aut præcipiendo vt ren. præceptam tunc faciamus: quorum neutrum facit circa contritionem. Nec enim vllibi Ecclesia definit, nos aut diuino aut naturæ præcepto teneri semel per annum conteri: nec etiam vt hoc faciamus vllibi præcipit, sed tantùm vt existentes in peccato mortali, tunc Sacramentum pœnitentiæ suscipiant. quod longè diuersum est ab illo. Imò secundùm probabiliorem sententiam Ecclesia non potest immediatè internam contritionem præcipere.

Quarta sententia docet, peccatorem per se, siue 23
seclusa omni extrinseca obligatione, de qua egi n. 18. tantùm teneri conteri in articulo mortis. Ita Caiet. in Summa, v. *Contritio.* §. *Tempus autem.* Nauar. c. nu. 27. Nauar. Caietan. Durand. Soto. Durand. in 4. dist. 27. quæst. 10. articulo 1. in fin. iuncto articulo 2. Et expressè docet Soto citatus nu. 22. posito quòd Ecclesia non præcepisset annuam confessionem, nec esset periculum obliuionis peccati. Probatur hæc sententia Primò, quia non videtur vlla sufficiente ratione posse probari, hominem priùs ad contritionem per se obligari. Secundò, quia, cùm homo non teneatur conteri statim post peccatum commissum, nullum videtur posse tempus assignari, quo peccet si non conteratur, præter articulum mortis. Quodcunque enim tempus assignaueris, nulla poterit assignari ratio, cur tunc potius teneatur sub mortali, quàm aliquot horis aut diebus antè.

Conclvs. I. Non tenemur sub nouo peccato 24
mortali statim post commissum peccatum mortale cõteri, etsi hoc nobis memoriæ occurrat. Ita omnes auctores tertiæ & quartæ sententiæ, & iam ferè communiter DD. Probatur, quia cùm hæc obligatio sit grauis & dura, non est inducenda sine claro fundamento: atqui nullum est tale fundamentum, vt patebit ex solutione argumentorum primæ sententiæ: ergo, &c. Secundò, quia aliàs Ecclesia non satisfaceret suo muneri solùm præcipiendo vt semel per annum confiteamur. quia palàm est multos initio anni peccare mortaliter, qui nec confitentur ante finem anni, nec priùs conteruntur. Quare cùm Ecclesiæ Prælati teneantur, quantum fieri potest, suorum peccata impedire; si talęs toties peccant mortaliter, quoties data occasione nec conteruntur, nec confitentur; deberent frequentiorem confessionem præcipere. Imò eos, quos constaret palàm incidisse in peccatum mortale, compellere, vt statim confiterentur, cùm aliàs sit valdè credibile quòd sæpius peccabunt mortaliter. sicut ob eandem causam simul habitantes, quos constat impudicè inter se viuere, statim cogunt separari. Tertiò, quia quoties quis confiteretur aliquod peccatum mortale, confessarius deberet rogare quàm pridem illud commisisset, & quoties interim neglexisset occasionem de eo conterendi, illúdve confitendi. quæ durissima sunt, & contra communem omnium praxim.

Peccator nõ tenetur statim conteri.

Ad Primum argumentum in contrarium nego 25
consequentiam. Quia peccans mortaliter non semper infert Deo aliquod damnum. Adde, nec antecedens esse vniuersaliter verum: vt mox ostendam. Vbi Nota, me tripliciter posse alteri inferre iniuriam. Primò, ita vt nihil quidem ab eo accipiam, verum tamen ac realiter damnum ei inferam, siue in pecunia, siue in fama, aut simili re. Quo casu teneor communiter statim ac commodè possum damnũ resarcire: quia hoc aliàs per ipsam moram continuò crescit. Nam grauius est alicui carere sua pecunia aut fama per annum, quàm per vnum diem. Quare sicut dilatio restitutionis est vera causa noui damni: ita etiam est verum peccatum: & quidem tunc secundùm se præcisè est nouum peccatum mortale, quando est causa grauis noui damni. Eadémque est ratio erga Deum quando meo peccato apud alios eius auctoritatem diminui, iuxta dicta nu. 22. Potest autem aliquando fieri, vt

Iniuria potest alicui tripliciter inferri, & debet statim reparari quando ex dilatione crescit.

is qui

Secus est quàdo inde nõ crescit.

is cui damnum intuli, nullum ex dilatione restitutionis patiatur damnum: & tunc non tam strictè obligor statim restituere, nec semper committo nouum peccatum, quoties oblatam restituendi commoditatem negligo; modò non habeam voluntatem nunquam restituendi, & credam me adhuc sæpius habiturum commoditatem restituendi.

Teneor aliquãdo statim restituere ratione rei acceptæ.

Secundò, possum alicui inferre iniuriam aliquid ab eo accipiendo, & tunc non tantùm teneor ad restitutionem ratione damni iniustè illati, sed etiam quia iniustè retineo rem alienam: atque ita quodammodo continuò furtum committo, quàm diu eam voluntariè sine iusta causa retineo, quia eiusdem rationis sunt rem alienam iniustè capere, & retinere.

26 Grauius est alteri damnũ inferre, quàm non reſarcire illatum. *Lessius.*

Vbi tamen aduertendum est, in vtroque casu cæteris paribus grauius esse peccatum alteri damnum inferre, quàm illatum non resarcire. Hinc multa sunt quæ damnificatorem vel ad tempus, vel etiam perpetuò excusant à restitutione damni: quæ tamen non sufficiunt vt quis licitè possit damnum inferre. De quibus vide P. Lessium de Iustitia c. 16. dub. 10.

Quãdo iniuria non fit damnosa, satisfactio sine noua iniuria differtur.

Tertiò, possum alicui iniuriam aliquam facere sine vllo tamen ipsius damno, vt si clàm sine vllo effectu conet ipsius domum incendere. Et similis aliquo modo est iniuria quæ committitur quoties quis sine vllo scandalo contra præceptũ Dei, aut alterius Superioris peccat. Quo casu cùm dilatatio restitutionis non sit onerosa ei qui iniuriam passus est, non facilè continet nouam iniuriam: nisi occurrat casus in quo si omittatur, nunquam postea fieri poterit, aut tam sit diuturna, vt possit censeri continere quendam contemptum eius, cui satisfaciendum est.

27 Ad Secundum & Tertium, nego in vtroque minorem. Primò, quia potest quis hîc & nunc liberè non velle conteri, sine eo quòd positiuè nolit conteri, quia poterit nullum habere actum circa contritionem. Secundò, quia potest aliquis velle hîc & nunc non conteri, & tamen nullo modo velle esse in peccato mortali, aut Deo inimicus: imò potest simul de hoc dolere, & contrarium inefficaciter velle. Sicut potest fieri vt videam equum proximi submergi, cui possem quidem succurrere, ita tamen vt hîc & nunc non tenear: & tunc possum quidem nolle ei succurrere, non possum tamen velle eum submergi. Et simili modo possum aliquando hîc nunc nolle conteri de peccato sine eo quòd velim in eo perseuerare: & illud aliquando potest licitè fieri, hoc verò nunquam.

28 Dices, Hæc nolitiò non potest habere honestum finem: ergo semper erit saltem peccatum veniale. Quidam negant antecedens. quia potest quis nolle hîc & nunc conteri, eo quòd per hoc impediretur ab alio bono opere, quod vult exercere. Sed hoc non planè satisfacit. Quia vel loquuntur de opere quod peccator hîc & nunc tenetur exercere, nec potest illud facere, & simul se excitare ad contritionem: & sic non respondent ad mentem obijcientium, qui loquuntur de casu quo quis sine incommodo potest conteri. Vel agunt de opere ad quod peccator hîc & nunc non obligatur: & tunc difficile est videre quomodo illa nolitio posset esse honesta, quia talis expressè vellet omittere maximum bonum, scilicet contritionem, & recuperationem amicitiæ diuinæ, propter aliud opus quod in tali statu factum exigui momenti est. quod non videtur secundùm exigentiam honestatis & virtutis fieri posse. Nam etsi possim honestè aliquando facere minus bonum quando possum facere maius; non tamen videor honestè posse expressè velle illud omittere, vt hoc faciam: quia hoc esset explicitè minus bonum præferre maiori, siue meliori. Quare quidquid sit de antecedente, nego consequentiam. quia poterit esse actus indifferens, quales dari in individuo est probabilius. Quamuis non negarim talem nolitionem sæpe fore peccatum veniale. quia facilè continebit aliquam indecentiam. Sed hoc non facit contra conclusionem, sicut nec obiectio. quia hîc agimus de obligatione sub peccato mortali.

Ad Quartum, nego antecedens. nam hoc tantùm 29
est verum quando ex omissione illius emendationis creditur secuturum aliud malum quod teneor euitare: vt sit in periculoso morbo, ex quo mors facilè sequeretur. Hinc qui sine graui causa amputaret sibi manum, grauiter quidem peccaret: tamen etsi postea omnino crederet sibi restituendam per aliquam peregrinationem, vel similem modum, non teneretur eam suscipere, si modò non timeretur aliud incommodum quod sub peccato teneretur euitare.

Nõ teneor proximum corripere ob peccatũ præteritum quãdo non timetur aliud malũ.

Ad Quintum Resp. antecedens tantùm esse verum quando probabiliter timemus proximum, nisi statim corripiamus, aut lapsurum in aliud aliquod peccatum mortale, aut in peccato moriturum. Quia sicut non teneor alicui dare eleemosynam corporalem nisi sit in necessitate; ita nec spiritualem, peccator autem non est in necessitate correptionis, nisi quando ex eius dilatione graue aliquod malum timetur.

Non tenemur vitare peccati pericula remota.

Ad Sextum Resp. illa pericula esse remota, qualia homo non tenetur euitare præsertim sub graui culpa. quia aliàs non posset negotiationem & similia officia licitè exercere; quia in illis semper est aliquod periculum peccandi mortaliter, præsertim impertectis hominibus. Quòd si tamen aliquis hîc & nunc crederet sibi proximum aliquod periculum peccati imminere, nisi contereturi; ad hoc teneretur iuxta dicta num. 19.

Ad Septimum Resp. ibi agi de fuga peccati com- 30
mittendi. nam statim subditur: *Et si accesseris ad illas; suscipient te.*

Dixi in concl. *Non tenemur sub nouo peccato mortali*, &c. Primò, quia certum est nos statim teneri conteri, aut cum attritione suscipere Sacramentum pœnitentiæ sub pœna manendi in antiquo peccato mortali; & hoc solùm multi docent, qui pro contraria sententia citãtur. Secundò, quia facilè hac in re committeretur peccatum veniale, præsertim quando peccator sentit se à Deo excitari ad contritionem, & cùm facilè eam habere posset, ex negligentia eam omittit. quod vix potest sine aliqua indecentia fieri. Hinc videmus etiam communiter timoratos quosque sæpe conficeri, quòd gratiæ Dei non responderint. Quamuis quando ei esset hîc & nunc valdè incommodum se disponere ad contritionem, posset sine vllo peccato eam omittere, aut etiam nolle hîc & nunc conteri, modò crederet se postea habiturum meliorem occasionem se conuertendi ad Deum.

Peccator tenetur in periculo mortis pœnitere.

Conclvsio II. Certum est secundùm omnes, 31
peccatorem qui non potest suscipere Sacramentum, teneri conteri in articulo mortis. Quia nisi hoc tunc faciat, fortè nunquam illud præceptum poterit implere, & exponit se certo periculo perpetuæ damnationis, ac perseuerantiæ in inimicitia Dei, quæ sub graui peccato tenetur vitare.

Concl. III. Etsi non sit improbabile peccato- 32
rem per se loquendo non teneri sub peccato mortali conteri extra periculum mortis; tamen in iis qui diutiùs viuunt contrarium est multò probabilius: imò eum qui expressè vellet differre pœnitentiam vsque ad finem vitæ, non dubito peccaturum mortaliter.

Prima pars probatur tum auctoritate eorum quos pro quarta sententia citaui: tum etiam rationibus ibidem subiunctis.

Secundam partem tenent Henriquez libr. 4. de Sacramentis capite 6. numero 6. Suarez disput. 15. sectione 6. numero 3. & ij omnes quos pro prima & secunda sententia citaui, & est iam communior

Henriq. *Suarez.*

Differens nimis diu pœnitentiã grauiter peccat.

DD. Probatur, quia qui tam diu sponte manet alienus ab amicitia diuina, ipso facto quoddammodo ostendit se eam parui facere. Nec enim re, quam magni facimus, tam diu volumus carere. Illud autem continet grauem iniuriam in Deum. Secundò, quia etsi, vt ostendi suprà num. 26. minor longè sit obligatio satisfaciendi pro iniuria illata, quàm eam non inferendi; poterit tamen illa ratione diuturnitatis temporis in tantum crescere vt fiat grauis: ita vt tanta dilatione meritò grauiter offendatur is, cui satisfaciendum est: vt videmus fieri etiam in rebus humanis. v.c. Paulus debeat notabilem summam Petro, quam facilè possit soluere; quamuis hic facilè ferat aliquandiu solutionem differri; tamen existimabit sibi grauem fieri iniuriam, si per multos annos differatur, etiamsi aliud nullum damnum patiatur; præsertim si Paulus sæpiùs monitus vt soluat, id negligat. Eadem autem est ratio peccatoris respectu Dei, qui eum sæpiùs per gratias præuenientes ad pœnitentiam excitando mouet vt debitum soluat, quod ipse cum quodam interpretatiuo Dei contemptu negligit: vnde Deus de

Prouerb. 1. ciusmodi grauiter conqueritur Prouerb. 1. vbi ait: *Quia vocaui, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro*

Rom. 2. *ridebo*, &c. Quibus consonat illud ad Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram*, &c. Idem etiam videtur esse sensus communis Patrum, qui grauissimè reprehendunt eos, qui differunt pœnitentiam vsque ad

D. Aug. finem vitæ. Vide D. August. ser. 57. de temp. & D.
D. Cypr. Cyprianum l. 4. epist. 2. D. Ambros. in exhortatione
D. Ambr. ad agendam pœnitentiam. D. Basilium in exhortat.
D. Basil. ad baptismum. Chrysost. in epist. 2. ad Corinth. ho-
D. Chrysost. milia 22.

33 Demum probatur quia secundùm communiorem & probabiliorem sententiam homo tenetur sæpius per vitam amare Deum super omnia: ergo multò magis à peccatis conuerti, si sciat se in iis esse, quia maior videtur Dei iniuria si aliquis diu sponte maneat in eius inimicitia, quàm si semper habitualiter eum amans diu differat eum amare actualiter.

Nõ potest præcisè definiri quãto tempore sine nouo peccato mortali possit differri pœnitentia.

Nec refert quòd non possit præcisè assignari certum tempus, quo talis per talem dilationem peccabit mortaliter. Hoc enim in rebus quæ pendent ex sola morali æstimatione non ita facile fieri potest. Quare sufficit in talibus constituere terminum aliquem extrinsecum, v. c. trium aut quatuor annorum: vt qui tam diu pœnitentiam differt, censeatur grauiter peccasse: etsi non possimus præcisè dicere, quando illa dilatio cœperit esse mortalis.

Tertia pars probatur, quia talis voluntas continet grauem quandam indecentiam, nec vllo modo à contemptu diuinæ auctoritatis ac amicitiæ potest excusari. Nam etsi is qui ex animi tepiditate pœnitentiam de mense in mensem per multos annos differt, possit videri id non facere, quia parui pendit diuinam amicitiam, sed quia ab occurrentibus difficultatibus à conuersione hîc & nunc seriò aggredienda auertitur; tamen vt quis expressè velit tam diu conuersionem differre, cùm facillimum sit à tali actu abstinere, non videtur posse esse ratio, quàm quia parui pendit diuinam amicitiam. Imò talis vt minimum implicitè aliquid creatum præfert amicitiæ diuinæ, ipsique Deo, siue, quod idem est, amat creaturam appretiatiuè supra Deum, quod est apertè peccatum mortale.

DVBIVM IV.

Vtrùm quis teneatur aliquando conteri de peccato sibi remisso?

QVidam antiquiores Theologi videntur sensisse 34
nos de peccatis iam remissis toties teneri conteri, quoties ea nobis occurrunt. Sed hoc sine fundamento dicitur: vt satis patet ex præcedentibus dubiis. Quia si non teneamur de peccato nondum remisso conteri statim atque hoc nobis occurrit; quantò minùs de peccato nobis remisso. Aliàs incumberet homini intolerabile onus, si quoties ei præteritum peccatum occurrit, teneretur de eo dolere, & malum planè esset consilium multorum prudentum confessariorum, qui scrupulosis suadent vt auertant cogitationem suam à præteritis peccatis. quia repellendo cogitationem præteritorum peccatorum peccarent omittendo contritionem. quæ absurda sunt. Quare credo illos auctores saltem magna ex parte nihil aliud voluisse, quàm quod docet D. Thomas quæst. 84. art. 8. *D. Thom.* & 9. scilicet nos de peccato commisso debere tota vita habitualiter dolere; atque etiam secundùm actum ita, vt ipsum peccatum nunquam nobis placeat: ideóque quando nobis occurrit, optimum esse consilium illud detestari: atque etiam necessarium, quando aliàs esset periculum ne illud nobis placeret. Extra hunc autem casum satis iam inter omnes constat, nos non teneri ampliùs conteri de peccato, de quo semel formaliter sumus contriti, aut etiam attriti illud sumus confessi.

Non tenemur de peccato remisso conteri quoties hoc nobis occurrit.

De eodem peccato non tenemur sæpius formaliter conteri.

Tota autem difficultas est de peccato quod alicui 35
est remissum per solam virtualem contritionem; vt quando de illo nihil cogitans peccator amauit Deum supra omnia: Vtùm scilicet casu quo postea non possit confiteri (nam si possit illud confiteri, tenetur de eo saltem attreri in ordine ad confessionem) teneatur de eo concipere formalem contritionem? Videtur enim ad hoc non teneri. Primò, quia contritio solùm est necessaria ad remissionem peccati, illud autem peccatum iam verè remissum est. Nec satisfacit si dicas esse remissum cum obligatione ad contritionem. Quia neque hæc obligatio potest oriri ex puro iure naturæ. quia ius naturæ non aliter potest nos ad eam obligare, quàm quatenus est necessaria ad remissionem peccati obtinendam: ergo hac obtenta iam ea obligatio cessat. Neque etiam potest oriri ex iure merè positiuo. tum quia nullum tale potest ostendi: nam vbicunque Scriptura docet necessariam esse pœnitentiam, loquitur de peccatoribus. Imò Lu- *Luc. 15.*
cæ 15. vers. 7. dicuntur iusti non egere pœnitentia. tum etiam quia est fere communis sententia, in noua lege nullum esse præceptum diuinum merè positiuum, præter præcepta circa susceptionem Sacramentorum. Secundò, quia in Scripturis non minor vis remittendi peccata tribuitur caritati, quàm pœnitentiæ, siue contritioni: atqui per hanc peccatum ita remittitur, vt non teneamur de eo ampliùs conteri: ergo etiam per illam. Tertiò, quia inter homines is qui remissa quacunque ratione offensa alterum verè recipit in suam amicitiam, numquam postea solet ab eo exigere vt ampliùs de ea doleat: atqui Deus non videtur minùs perfectè remittere peccata, quàm homines: ergo non est credendum eum post eorum remissionem, quid simile ampliùs requirere, nisi quatenus hoc necessarium est ad confessionem. & hanc sententiam tenet P. Vasquez de confess. qu. 86. art. 2. *Vasquez* dub. 2. nu. 11.

Alij nihilominus tenent, talem quando postea 36
recordatur sui peccati, teneri de eo conteri; quia Deus cum tali onere censetur id remisisse, sicut remittit illud cum onere confitendi, si hoc fieri possit. Probant autem

Navarrus. Medina. Henriquez, Suarez

autem id Primò, quia est communior sententia Theologorum, vt patet ex Nauarro c.1.n.5. Medina cod. de pœnitentia, tract.1. qu.2. §. *Quarò arguitur.* Henriquez l.4.de Sacramentis c.6.n.5. Suarez disp.9. sect.1.n.4.& 13. & disp. 15. sect. 1. nu. 5. qui omnes hanc sententiam adferunt vt communem. Secundò, quia tam Scripturæ quàm Patres ac Concilia sæpe docent peccata non remitti sine pœnitentia. quod cùm possit intelligi de pœnitentia formali, saltem in voto habita, ita vt actus caritatis non aliter disponat ad remissionem peccati, quàm quatenus includit virtuale votum formalis pœnitentiæ, & directam ad eam obligationem; dicendum est de ea debere intelligi, quia eorum verba hanc propriè significant: præsertim cùm Doctores ea communiter ita intelligant. Sed non est opus hæc pluribus disputare. quia non video quem vsum contraria sententia in praxi habere possit.

DISPVTATIO IV.

DE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ INSTITVTIONE AC ESSENTIA.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm in lege noua sit aliquod propriè dictum Sacramentum pœnitentiæ, distinctum à baptismo?

1

D. Hieron. D. Cyprian.

IDENTVR hoc olim negasse Montanistæ, & Nouatiani: vt colligitur ex D.Hieronym.in epistola ad Marcellam, & ex Cypriano lib.2. epistola 4. Hæretici verò huius temporis valdè varij sunt. Quidam enim aliquando admiserunt pœnitentiam esse verum Sacramentum, postea tamen dixerunt tantùm esse Sacramentum latè sumptum. Alij dixerunt non esse distinctum à baptismo: ita vt sæpe

Bellarm.

iidem secum pugnent: vt docet Cardin. Bellarm. lib.1.de pœnit.c.9. Vt autem facilius nostram sententiam oppugnent, impudentissimè fingunt nos multa dicere tam à veritate, quàm à fide Catholica alienissima: vt docet Card. Bellarm. suprà c.2. 3. 4. & 5. ita vt vel inde clarè pateat veritatem à nobis stare, cùm nostra sententia non possit nisi per calumnias oppugnari.

2

Pœnitentia est Sacramentum. Florentin. Trident.

CONCLVSIO. Est in Ecclesia Catholica verum & propriè dictum Sacramentum pœnitentiæ distinctum à baptismate, à Christo Domino institutum. Est de fide, vt patet ex Florent. in literis Eugenij, & Trident. sess. 14. can. 1. & 2.

Probatur Primò, quia ad rationem veri & propriè dicti Sacramenti sufficit, quòd sit signum aliquod sensibile diuinitus & permanenter institutum, habens annexam promissionem gratiæ, siue remissionis peccatorum: atqui pœnitentia sacramentalis est talis: ergo est verum Sacramentum. Maior patet tum per se: quia nihil est aliud quod possit præterea requiri ad rationem Sacramenti. tum etiam ex dictis tomo 1. quæst. 60. in definitione Sacramenti. Nec etiam hæretici eam negant. Minor probatur ex Ioan. 20. vbi

Ioan. 20.

Christus Apostolis ait: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Vbi habemus Primò expressam promissionem remissionis peccatorum, & consequenter gratiæ, sine qua illa non remittuntur. Secundò, ex illis verbis apertè colligitur ibi institui externum aliquem ritum, siue visibile signum, quo remissio erat facienda. Cùm enim homines debeant hanc remissionem circa homines exercere, debent hoc necessariò facere per aliquod externum signum. quia aliter eam hominibus significare non possent, & omnino impertinenter hæc remissio ita fieret, vt reus eam non posset cognoscere. Hæc autem ratio maximè vrget in sententia hæreticorum, qui volunt peccata non aliter remitti quàm per excitationem fidei. Nullus enim homo potest in altero fidem excitare, nisi per aliquod signum externum. Ex quibus clarum est, saltem ex parte absoluentis requiri aliquod signum externum remissionis peccati. quod iam contendimus.

Ad eam requiritur aliquod externum signum ex parte absoluentis.

3

Item ex parte pœnitentis.

Quòd autem etiam ex parte absoluendi aliquid simile requiratur, inde etiam clarè colligitur. quia non est dubium quin Christus instituerit vt hæc remissio fieret conuenienti modo. hoc autem fieri non posset, nisi absoluendus priùs externo aliquo signo, saltem in genere, fateretur se peccasse, ostenderétque se dolere de peccato, veniámque petere. quia aliàs posset absolutio cuiuis obuio, & nihil minùs cogitanti impendi. quod absurdissimum est. Colligitur etiam apertè ex 1. Ioan. 1. vbi dicitur; *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra.* Vbi cùm Apostolus dicit: *Fidelis est & iustus, vt remittat*; significat hanc remissionem alicubi in Scriptura esse promissam, non omnibus, sed confitentibus sua peccata. quod patet ex illis verbis: *si confiteamur.* vbi requiritur confessio tamquam aliqua conditio. Quòd autem hæc debeat fieri homini, & consequenter per signum aliquod externum, docemur Iacobi 5. v.16. vbi dicitur: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* Sed hæc pluribus docebo infrà numero 13. & 33. & disputat. 5. dub. 1.

1.Ioan. 1.

Iacobi 5.

4

Ioan. 20.

Respondent hæretici Primò illo loco Ioan. 20. solùm dari Apostolis facultatem remittendi peccata, quatenus datur potestas per annunciationem Euangelij, excitandi fidem, qua peccata remittuntur. Sed & hoc apertè falsum est, vt ostendam dub. 2. Et quamuis concederemus, nihil eos iuuaret. quia fatentur etiam baptizantem non aliter remittere peccata, quàm excitando fidem: atque ita si hoc sufficiat vt baptismus sit Sacramentum, etiam sufficiet vt pœnitentia sit Sacramentum.

Respondent Secundò, pœnitentiam esse quidem Sacramentum, nō tamen distinctum à baptismo. Probant Primò, quia baptismus semper in baptizato perseverat, nec vnquam frangitur. Quare sicut qui è nati integra exciderunt, non debent confugere ad aliquam tabulam, qua enarent, sed ad nauem redire: sic etiam eos qui per peccata baptismi gratiam amiserunt, aiunt non debere confugere ad pœnitentiam, sed baptismum in memoriam renocare, vt per eum ipsis peccata remittantur. Hinc Caluinus quibusdam locis grauissimè inuehitur in Patres, qui pœnitentiam vocant secundam post naufragium tabulam. Secundò, quia Christus eandem potestatem remittendi peccata concessit Apostolis, Ioan. 20. & Matth. & Marc. c. vlt. v. 19. & 15. atqui hic dat tantùm potestatem remittendi peccata per baptismum: ergo etiam Ioan. 20. Tertiò, quia ob hanc causam baptismus Ioannis dicitur baptismus pœnitentiæ, & Patres quandoque etiam baptismum Christi sic vocant. & Petrus Actor. 2. iubet baptizandos priùs agere pœnitentiā. Quartò, quia D. Aug. lib. 1. de nuptijs c. 33. docet baptismū etiā remittere peccata, quæ post eius susceptionē cōmittuntur.

Caluinus. *Ioan. 20. Matth. vlt. Marci vlt.* *Actor. 2.* *D. Augus.*

5 Sed hæc nullo modo dici possunt. Primò, quia Apostolus ad Hebr. 6. docet, impossibile esse eos qui semel illuminati postea lapsi sunt, rursus ad pœnitentiam. Quod communiter Patres contra Nouatianos intelligunt de renouatione quæ fiat per baptismum: vt fusè probant Card. Bellarm. lib. de pœnitentia, cap. 13. & P. Cornelius in commentarijs in hunc locum. Et sanè ipse contextus Apostoli hanc explicationem facit probabilem. Et quamuis fortè sit alius huius loci sensus, vt docet P. Cornelius suprà; tamen ex communi Patrum aliorúmque DD. interpretatione clarè patet, iam olim fuisse communem Ecclesiæ sensum, peccata post baptismum commissa non posse per eū remitti. quod esset falsum, si possent remitti per eiusdē in memoriam renocationē; vt hæretici volunt. Secundò, quia aliàs Christus non dedisset Apostolis potestatem retinendi peccata baptizatorum: quia non possunt facere vt baptizati vel nō sint baptizati, vel vt iis non occurrat memoria baptismi, qua excitentur vt credant sibi remissa esse peccata. Tertiò, quia secundùm illos per baptismum remitterentur quadam ratione peccata antequam committerentur. Sicut si Princeps alicui homicidæ dato chirographo ita crimen remitteret, vt simul etiam promitteret se in posterum omnia peccata quæ committeret remissurum, hoc ipso, quo chirographum inspiciens crederet Principem sibi crimen remisisse. quo facto sine dubio immensa daretur licentia peccandi, ideóque contra omnem rectam rationem fieret. Quare meritò omnes Patres cum tota Ecclesia Catholica longè aliam pœnitentiam requirunt vt remittantur peccata commissa post baptismum, quàm vt remittantur priùs commissa. Quartò, quia aliàs Christus potiùs debuisset instituere, vt remitterentur peccata per recordationem passionis suæ. quia hæc est efficacior ad fidem & pietatem excitandam.

P. Iann. P. Corn.

6 Quintò, quia Patres vbique distinguunt hæc duo Sacramenta. Tertullianus l. de pœnitentia, *Hæc igitur*, ait, *venena eius prouidens Deus clausa licet ignoscentiæ ianua, & intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere: collocauit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Et D. Hieron. lib. 1. contra Pelagian. post medium: *Redimatur*, inquit, *sanguine Saluatoris aut in domo baptismatis, aut in pœnitentia, quæ imitatur baptismatis gratiam.* D. Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 7. *In baptismo*, ait, *remissio peccatorum omnium est. quid interest, vtrùm per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius* (scilicet remittendi peccata) *sibi datum sacerdotes vindicent? vnum in vtroque ministerium est.* Quia scilicet tam baptizantis quàm absoluentis ministerio peccata à Deo tamquam causa principali remittuntur. Plurimos alios citat Card. Bellarm. lib. 1. de pœnitentia c. 10.

Tertull. *D. Hieron.* *Ambros.* *Bellarm.*

7 Ad Primam probationem hæreticorum Respondeo Primò, secundùm sententiam hæreticorum ibi sumi apertè falsum. Nam secundùm eos baptismus in peccatore neque manet secundùm suam essentiam, quia hæc tota consistit in actione transeunte: neque secundùm gratiam, quam nec ipsi putant infundi, & nos dicimus per peccatum mortale perire: neque etiam secundùm habitum fidei, quia ipsi hunc negant infundi: nec etiam secundùm characterem, quia ipsi hunc negant. Nihil autem aliud fingi potest secundùm quod maneat.

Respondeo Secundò, Etsi secundùm nos baptismus maneat in peccatore ratione characteris quem imprimit; tamen per hunc non remittit peccata, sed per se, idque solùm quando actu suscipitur. Nec enim institutus est vt remittat peccata futura (hoc enim ineptum esset, vt iam suprà ostendi) sed vt remittat præterita. Quare per peccata mortalia non frangimus quidem baptismum, nec eum amittimus, sed perdimus eius effectum, scilicet gratiam Dei; qua excidentes peccatis immergimur, è quibus sine pœnitentiæ tabula enatare non possumus: vt contra Caluini ineptias, aut potiùs blasphemas exclamationes optimè docet D. Hieron. epistola 8. ad Demetriadem, D. Ambros. ad virginem lapsam c. 18. aliique sancti Patres ac Ecclesiæ Doctores.

D. Hieron. Ambros.

8 Ad Secundam nego assumptum. est enim apertè falsum, vt ostendam n. 18. & sequent.

Ad Tertiam Respondeo, baptismum Ioannis & nostrum toto cælo distare: vt patet ex Act. 19. & satis ostendi in materia de baptismo. Patres quidem aliquando licet ratò baptismum Christi vocant baptismum pœnitentiæ; non quòd sit idem cum Sacramento pœnitentiæ, aut baptismate Ioannis: sed quia ij qui mortaliter aliquando peccarunt, antequam baptizentur, debent præmittere pœnitentiam, vt patet Actor. 2. Inde tamen nullo modo sequitur, ipsum esse Sacramentum pœnitentiæ. Sicut nec ex eo quòd peccator debet priùs agere pœnitentiam, quàm sumat Euer. Sacramentum, sequitur vtrumque Sacramentum esse idem.

Act. 19. Cur baptismus Christi dicatur aliquando baptismus pœnitentiæ. Act. 2.

Ad Quartam Respondeo, Augustinum eo loco non velle baptismum per se valere ad remittenda peccata à baptizatis commissa: sed solùm eum esse aliquo modo necessarium ad remissionem omnium peccatorum. Nam per eius susceptionem & remittuntur peccata priùs commissa, & suscipiens redditur capax Sacramenti pœnitentiæ, quo sequentia peccata remittantur. Vnde reddens rationem eorum quæ dixerat, ait, *Quid enim prodesset vel ante baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur; vel postea nisi præcederet?* quia nimirum inualidè hoc Sacramentum susciperetur. Peccata autem post baptismum commissa, per eum immediatè non remitti, sed per Sacramentum pœnitentiæ subsequens distinctum ab ipso baptismo; ipse apertè docet lib. 1. de adulterinis coniugiis c. vlt. Vbi cùm dixisset catechumenum, qui post petitum baptisma malè viuens in morbum subitò incidit, ac omnibus sensibus destituitur, debere baptizari; subiungit: *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupauerit: nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ reconciliationis exire velle debet mater Ecclesia.* Vbi peccantem post baptismum non iubet excitari vt recordetur baptismatis, sed per absolutionem reconciliari.

Augusti.

Probatur conclusio Secundò, auctoritate & communi 9

mani consensu Patrum, qui pœnitentiam agnoscunt esse verum Sacramentum distinctum à baptismate: *Nyssen.* vt patet ex dictis nu. 6. quibus adde Nyssenum. qui in libro de vita Moysis ait: *Moyses per lapidem inundare aquis eremum fecit. Quæ res quantum qualémque sit pœnitentiæ Sacramentum docet.* Item August. qui epist. 180. *D. Augustin.* ad Honoratum, & lib. 5. de baptismo c. 20. annumerat hoc Sacramentum cum Baptismo & Eucharistia.

Tertiò probatur, quia ex communi omnium DD. *Florent.* sententia, & maximè ex Concilio Florent. in litteris *Trident.* Eugenij. & Trid. c. 4. clarum est, totam omnino Ecclesiam iam aliquot sæculis sensisse Sacramentum pœnitentiæ esse verum & propriè dictum Sacramentum. Nec hæretici possunt vllo firmo argumento ostendere, quando hæc opinio in Ecclesia primùm inceperit, nisi reducendo eam ad tempora Apostolorum: ergo iuxta regulam D. Augustini l. 4. de baptismo c. 24. clarum est, hanc doctrinam ab Apostolis acceptam: præsertim cùm multi antiquissimi Patres sæpe eam clarè asseruerint, nullus autem vmquam negarit.

10 Obiiciunt hæretici Primò, Baptismus & Eucharistia, quæ constat esse vera Sacramenta, cõstant aliqua materia permanente & visibili: ergo nihil potest esse Sacramentum quod ea non constat. Et confirm. quia *D. Augustin.* D. Augustinus tract. 80. in Ioannem, ait: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Secundò, quia pœnitentia non fuit Sacramentum ante legem Euangelicam: ergo nec post eam. Consequent. probatur, *Act. 26.* quia Apostolus Act. 26. v. 20. & 22. docet, se eandem pœnitentiam annuntiare, quam prophetæ annuntiauerunt. Tertiò, Christus Ioan. 20. ait Apostolis: *Ioan. 20.* *sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* & statim subdit: *Quorum remiseritis peccata*, &c. arqui ipse non remisit peccata per applicationem alicuius Sacramenti, sed solùm per annuntiationem Euangelij: ergo non dedit Apostolis aliam potestatem remittendi peccata. *Gratian.* Quartò, Gratiani tempore nondum erat certum pœnitentiam esse Sacramentum. Nam ipse dist. 1. de pœnitentia, allatis pro vtraque parte variis auctoribus, tandem rem dubiam reliquit.

11 Ad Primum Respondeo, negando consequ. Nam simili modo possem argumentari, Baptismi materia remota necessariò est aqua: ergo cuiuslibet Sacramenti materia debet esse aqua. Quare etsi omnia Sacramẽta debeant conuenire in eo quòd habeant materiam aliquam sensibilem, vt possint esse signum sensibile; non est tamen necessarium, vt omnia habeant omnino similem materiam: sed vnumquodque requirit talem, quæ ipsius fini est aptissima. Ad confirmationem Respondeo, eam nihil facere ad rem. Quia D. Aug. ibi solùm loquitur de baptismo.

Singula Sacramenta non requirunt eandem materiam.

Ad Secundum nego consequ. Ad probationem nego Apostolum hoc ibi dicere: sed solùm dicit se hortatum fuisse & Gentes & Iudæos, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum suum, seque nihil de Christo annuntiasse, nisi quod Moyses & Prophetæ de eo prophetarunt: vt patet ex contextu. Adde Primò, Apostolum ibi non loqui de pœnitentiæ Sacramento. nam agit de iis quos ad fidem vocabat, qui illius erant incapaces: sed de pœnitentia, quæ debet præcedere baptismum. Adde Secundò, etsi illa verba, *Nihil extrà dicens quàm ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse & Moyses*: intelligerentur de Sacramento pœnitentiæ, futura nihilominus vera. quia Sacramentum in noua lege futurum esse multis signis & figuris fuit in veteri prophetarum. Hoc enim præfigurabant plurimæ cæremoniæ, quibus immunditia legalis expiabatur.

12 Ad Tertium Respondeo, Illa verba, *Sicut misit me Pater*, &c. non ita accipienda sunt, quasi Christus daret ibi Apostolis eandem potestatem, quam ipse habuit ac exercuit, vt eam eodem modo exercerent. Nam sic ipsi debuissent remittere peccata vi suorum meritorum: sicut Christus ea paralytico Matth. 9. & *Matth. 9.* Ioan. 8. adulteræ (cui tamen non fuerat concionatus) *Ioan. 8.* remisit. Item Apostoli non debuissent remittere peccata baptizando. Nam Ioan. 4. dicitur: *Quamquam Ie-* *Ioan. 4.* *sus non baptizaret*, &c. Adde, quòd Christus ante passionem non contulerit alicui Sacramentum pœnitentiæ non esse mirum, nec hîc quidquam probare: nam tunc nondum erat institutum. Ex quibus patet, etiam minorem esse falsam (nam Christus paralytico & adulteræ immediatè sua auctoritate verè peccata remisit;) & consequentiam esse nullam.

Ad Quartum, nego assumptum. Nam Gratianus *Gratian.* ibi non disputat an pœnitentia sit Sacramentum; sed, vtrùm per contritionem ante realem confessionem peccata verè remittantur? de quo aliquando quidam dubitarunt: nos autem omnino credimus id aliquando fieri, cum obligatione tamen ea postea confitendi: vt docet Trident. sess. 14. cap. 4. Illud autem *Trident.* longè diuersum est ab hac quæstione, Vtrùm pœnitentia sit Sacramentum? quod semper in Ecclesia fuit certum.

Peres, quando Christus hoc Sacramentum insti- 13
tuerit? Respond. eum hoc Sacramentum promisisse Matth. 16. & 18. instituisse verò cùm Ioan. 20. insuf- *Matth. 16. & 18.* flans in Apostolos dixit: *Accipite Spiritum sanctum,* *Ioan. 20.* *quorum remiseritis peccata*, &c. Ita Trident. sess. 14. *Trident.* capite 1. Et probatur, quia ibi dedit iis potestatem remittendi peccata, non quibuscunque siue benè, siue malè dispositis; siue pœnitentibus, siue non pœnitentibus: sed iis quos scirent suorum peccatorum pœnitere. Et similiter dedit potestatem retinendi ea iis, quos viderent non esse sufficienter dispositos ad remissionem. Nam aliàs illa potestas fuisset contra omnem rationem & decorem. Ad illud autem necessarium est, vt priùs cognoscant quid quisque commiserit; nam aliàs impossibile est vt comodè iudicent quinam sint benè dispositi ad remissionem; qui non. Ex quibus infertur, Christum tunc instituisse omnia quæ necessaria sunt ad Sacramentum pœnitentiæ, & consequenter etiam ipsum Sacramentum. Putant tamen aliqui, idque satis probabiliter, Christum in vltima cœna in illa longa concione inter alia prædixisse Apostolis, se instituturum postea hoc Sacramentum, eósque docuisse quo ritu illud deberent administrare: sicut teste Fabiano Papa *Fabian. Papa.* in epist. ad Orientales, eos tunc docuit conficere chrisma. Et ideo fortasse Trident. suprà dicit Chri- *Trident.* stum illud præcipuè instituisse Ioan. 20. quia scilicet & Matth. 18. illud promiserat, & in cœna eius ritum docuerat: atque ita poterat videri quodammodo inchoasse eius institutionem.

Christus instituit pœnitentiam.

Cur ad Sacramentum pœnitentiæ necessaria sit cõfessio.

DVBIVM II.

Vtrùm sacerdos in Sacramento pœnitentiæ verè peccata remittat?

HÆretici nostri temporis, secuti Nouatianos, ab- 14
solutè negant, sacerdotes habere vllam veram potestatem remittendi peccata: sed solùm dici ea remittere, aut quatenus sua prædicatione excitant in peccatore fidem, qua ei peccata remittuntur; aut quatenus illi denuntiant ea esse remissa.

Hæretici nostri. Nouatiani.

Fuerunt etiam olim multi Catholici, qui negarunt sacerdotem verè remittere ipsam culpam. Primò, quia, cùm Deus per culpam offendatur, ipse solus eam potest remittere. hinc Lucæ 5. dicitur: *Quis potest* *Luc. 5.* *dimittere peccata nisi solus Deus?* Et Io. 11. solus Christus *Ioan. 11.* suscitauit Lazarum à mortuis, & deinde iussit eum solui per Apostolos: Quare sæpe Patres dicunt, solum

Deum remittere peccata, ac vivificare animas. Secundò, quia nemo est sufficienter dispositus, vt suscipiat effectum Sacramenti pœnitentiæ, nisi sit priùs contritus: atqui peccatum omni contrito statim remittitur: ergo non potest remitti per ministrum Sacramenti.

15 Quia tamen ex altera parte ob claritatem verborum Ioan. 20. coguntur necessariò sacerdotibus concedere aliquam facultatem remittendi peccata; valdè inter se variant, qua ratione ea concedenda sit.

Ioan. 20.

Magister. Primò, Magister in 4. d. 18. §. *Non autem.* & §. *Licet quoque.* docet sacerdotem remittere peccata: Primò, quia declarando peccatori ea esse remissa, ipsum absolvit in facie Ecclesiæ. Secundò, quia remittit aliquid pœnæ temporalis ei debitæ. Fundatur autem maximè auctoritate D. Hieron. qui in illud Matt. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum*, &c. *Hunc*, inquit, *locum quidam non intelligentes, aliquid sumunt de superciliо Pharisæorum, vt damnare innoxios, & soluere se putent noxios: cùm apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. In Leuitico se ostendere sacerdotibus jubentur leprosi, quos ibi non faciunt leprosos vel mundos, sed discernunt qui mundi vel immundi sint.*

D. Hieron. Matth. 16.

Hugo Vict. Secunda sententia est Hugonis Victorini lib. 2. de Sacramentis p. 14. cap. 4. quæ docet Deum remittere peccatum quoad culpam, sacerdotem verò quoad pœnam æternam. Sed hæc sententia pugnat apertè cum Tridont. sess. 6. c. 14. vbi docet pœnam æternam semper vnà cum culpa remitti.

Trident.

Tertia sententia docet, per Sacramentum remitti peccatum quoad culpam & pœnam æternam, non tamen prout actu suscipitur, sed prout contritus illud suscipit in voto. Hanc tacito auctore citat, & meritò refutat Ioan. Medina cod. de pœnitentia tract. 2. q. 38. §. *Est alia quarta opinio.*

Ioan. Med.

Quarta est Mediнæ suprà, §. *Videtur ergo.* vbi docet tria esse in peccato, scilicet quòd constituat hominem inimicum Deo, reum pœnæ æternæ, & exulem à regno cælesti. Duo prima ait Deum remittere contrito ante Sacramentum: tertium verò ipsum sacerdotem per Sacramentum: & in hoc vult consistere vim clauium in aperiendo regno cælesti. Addit tamen, si contritus sine sua culpa moriatur antequam possit confiteri; Deum supplendo defectum sacerdotis; hoc tertium ei remittere. Sed præterquam quòd hæc gratis sine fundamento fingantur, hæc sententia implicantia dicit. quia pars æternæ pœnæ, & quidem præcipua, quam peccato suo peccator meretur, est, quòd excludatur à regno cælesti: ergo si tota pœna æterna ei remittatur, necessariò debet etiam tolli illa exclusio. Repugnat etiam apertè Trid. sess. 6. c. 7. vbi docet iustificatos à peccato constitui hæredes regni cælestis: ergo non perseverat damnari exilio, siue privari iure regni.

Trident.

16 Conclvsio I. Certa fide tenendum est, ministros huius Sacramenti habere potestatem per illud verè remittendi peccata. Patet ex Florent. in literis Eugenij, & ex Trident. sess. 14. can. 3. vbi dicit anathema iis, qui dicunt supradicta verba Ioan. 20. non esse intelligenda de potestate remittendi peccata in Sacramento pœnitentiæ.

Cõfessarius verè remittit peccata. *Florentin. Trident. Ioan. 20.*

Probatur Primò, quia verba Christi Ioan. 20. tam apertè docent Apostolis concessam esse potestatem remittendi peccata, vt id apertiùs docere non possent: verba autem sacræ Scripturæ semper accipienda sunt in proprio sensu, nisi apertum inde sequatur incommodum: vt patet ex regula Tichonij apud Augustinum: & quia aliàs nihil possemus certò ex Scriptura probare.

Tichonius.

Quòd autem hîc nullum sit inconueniens, patet. quia, etsi absurdum sit hominem propria auctoritate alicui remittere peccata (hoc enim soli Deo ac Christo conuenit;) tamen nullum est inconueniens, si homo hoc faciat nomine Dei, tamquàm minister eius, & auctoritate ab eo accepta. Sicut etsi ea quæ mihi debentur, aut iniurias mihi illatas ego solus propria auctoritate possim remittere; tamen ex commissione hoc conuenientissimè facit is, cui hanc potestatem dedero. Confirm. Primò, quia certum est Christum 17
hanc potestatem potuisse dare sacerdotibus (nulla enim hîc potest ostendi implicantia.) vt autem eam daret, & ipsius bonitati & exuberantiæ gratiæ legis nouæ fuit conuenientissimum, eúmque eam de facto dedisse apertè illa verba Ioannis significant: ergo nulla est ratio cur negemus ipsum eam dedisse. Confirm. Secundò, quia non est magis inconueniens hominem remittere peccata per Sacramentum pœnitentiæ quàm per baptismum; vt per se patet, & apertè docet D. Ambros. citatus suprà nu. 6. Item tam clarè, imò clariùs, illo Ioan. 20. conceditur Apostolis potestas remittendi peccata, quàm vllibi concedatur potestas eadem remittendi per baptismum: atqui omnes certò credimus per baptismum verè remitti peccata: ergo idem dicendum est de Sacramento pœnitentiæ. Tertiò, quia Christus ibid. paulò antè dixerat Apostolis: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; statimque subdit: *Quorum remiseritis peccata*, &c. ostendens se eam potestatem remittendi peccata, quam à Patre acceperat, iis communicare, cum quadam scilicet proportione, & quantum eius erant capaces: atqui ipse habebat veram potestatem remittendi immediatè peccata: ergo eam etiam Apostolis eorúmque successoribus concessit. Quartò, quia si dicta verba non essent propriè intelligenda, Euangelistæ id alicubi explicassent, vt solent in aliis locis obscurioribus facere: atqui nullibi hoc faciunt: ergo propriè accipienda sunt.

D. Ambros. Ioan. 20.

Respondent hæretici Primò, hîc Apostolis solùm 18
dari potestatem per prædicationem Euangelij excitandi fidem, atque ita remittendi peccata. Sed contra eam explicationem facit Primò, quia hoc modo verba illa sumerentur valdè impropriè, & contra communem modum loquendi & hominum, & Scripturæ. quod, vt ostendi suprà, planè absurdum est. Secundò, quia hoc apertè repugnat tertiæ confirmationi. Tertiò, quia Christus hîc dedit Apostolis particularem aliquam potestatem, & ad hoc particularem gratiam, eámque sufficientem. insufflans enim in eos ait: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata*, &c. atqui gratiam ad concionandum non iam, sed in Pentecoste dedit. Nam Lucæ vlt. cùm dixisset discipulis per eos annunciandam esse omnibus gentibus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in nomine eius, iussit eos sedere Hierosolymis donec induerentur virtute ex alto: ergo illo Ioan. 20. non dedit illis potestatem concionandi, sed aliquâ aliam. Quartò, quia tam hîc quàm Matt. 16. & 18. simul cum potestate soluendi & remittendi peccata promittitur & datur potestas eadem retinendi, siue ligandi peccatores. Contrà verò Matth. & Marci vlt. vbi datur potestas annunciandi Euangelium, & remissionem peccatorũ, nulla fit mentio potestatis retinendi; sed iubentur absolutè ea annunciare omni creaturæ: ergo hæ potestates sunt diuersæ. Quintò, quia, dum Christus 19
Ioan. 20. concedit Apostolis potestatem remittendi peccata, eáq; retinendi, dat eis potestatẽ iudiciariam, committitq; officium iudicis: vt ex ipsis verbis patet, & ostendi n. 13. & apertè docet D. Hier. epist. ad Heliodorum, vbi loquens de sacerdotibus, ait: *Qui claues regni cælorum habentes, quodammodo ante diem iudicij iudicant.* Concionator autem non agit officium iudicis, sed præconis: nec debet aliquos à concione repellere, sed promiscuè omnes admittere: cùm sæpè Deus mittat concionatores etiam ad eos, quos scit in malitia sua omnino obduratos esse, nec vllo modo conuer-

Potestas remittendi peccata est distincta à potestate concionandi.

Ioan. 20.

Matth. 16. & 18.

Matth. vlt. Marci vlt.

Et potestas iudiciaria.

D. Hieron.

tendos: vt patet in Prophetis missis ad Iudæos. Nec
Matth. 7. his obstat illud Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus:* &c. quia ibi tantùm monemur primò & præcipuè Sacramenta non esse conferenda indignis: vt docet
D. August. D. August. l. 1. de adulterinis coniugiis c. 26. Secundariò autem doctrinam Euangelij non esse importunè ac temerè ingerendam iis, qui per eam magis irritandi sunt, quàm emendandi: præsertim quando inde aliquod periculum Christianis immineret: vt patet ex textu. nam subditur: *Neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus, & conuersi dissipent vos.*

20 Respondent Secundò, Christum Apostolis ibi solùm dedisse potestatem remittendi peccata, quatenus dedit eis potestatem denunciandi aliis, ipsis remissa esse peccata: idque non modò publicè pro concione, sed etiam priuatim singulis. Quam potestatem & consolationem ac beneficium, quod ex ea fideles percipiunt, mirè extollit Caluinus apud Bellarm. libr. 1.
Caluin. Bellarm. de pœnitentia capit. 10. Sed hoc nullo modo satisNon est solùm potestas aliàs denuntiandi eorum peccata esse remissa. facit. Primò, quia hæc duo valdè diuersa sunt; Remitto tibi peccata: &, denuntio tibi ea esse remissa. Illud enim iudicis, hoc præconis officium est. Secundò, quia Christus apertè ostendit ideo nobis remitti peccata, quia sacerdos illa remittit: & aperiri cælum, quia ille hoc aperit. Nec enim dicit: *Quorum remiseritis peccata, iam prius erant remissa;* sed, *remittentur iis.* quod falsum esset in præcone, qui ideo ea denuntiat remissa, quia priùs remissa sunt. Secundò, quia aliàs nihil iis fuisset opus clauibus. Nec enim præconi, vt denuntiet apertos esse carceres, reisque libertatem concedi, solent dari claues, sed ruba. Apostolis autem dantur claues, quibus aperiant cælum. Tertiò, quia non possum alicui certò denunciare ei remissa esse peccata, nisi hoc sciam; nec possum hoc scire, nisi Deus hoc mihi reuelet. Vnde sequitur, Ministros hæreticos non posse vti potestate ibi à Deo concessa denunciando alicui remissa esse peccata, nisi Deus hoc ipsis reueler. Sicut Nathan non potuisset Dauidi hoc nuntiare, nisi Deus ei priùs reuelasset. Ipsi autem numquam poterunt probare Deum ipsis reuelasse huius vel illius peccata ipsi remissa esse.

Dices, nos posse scire alicui remissa esse peccata hoc ipso quo scimus eum hoc credere. Sed contrà Primò, hoc est apertè falsum: nec ex vllo loco Scripturæ, aut Patrum probari potest. imò multis Scripturis repugnat. Secundò, etsi esset verum, nihil faceret ad rem: rum quia frustra dico Petro, v. c. remissa ei esse sua peccata, quando ipse hoc certissimè credit: tum quia non possum scire alterum credere sibi remissa esse peccata, nisi ipse priùs mihi dicat se hoc credere. Quare priùs debebo petere: Credisne certissimè tibi remissa esse peccata? alterique respondenti se hoc certissimè credere, dicere: Ergo ego denuntio ea tibi esse remissa. Ac si cœcus priùs peteret à Paulo, vtrùm videret solem lucentem: & respondenti se ipsum videre, diceret: Ergo certò scias ipsum lucere. quo nihil potest fingi magis ridiculum. Vnde videmus, tales præstigiatores ludibrio habere sacram Scripturam, & illam potestatem quam Christus suis Apostolis tam amplis verbis primùm promisit, ac deinde cum tanta grauitate dedit, quámque omnes sancti Patres ita mirantur ac extollunt, planè ridiculam facere: & nihil aliud conari, quàm tenebras auditorum oculis offundere, dum eam ita extollunt.

21 Respondent Tertiò, hîc dari veram potestatem re-
Est etiam distincta à potestate baptizãdi. *Ioan. 20.* mittendi peccata, sed per baptismum. Sed hoc iam suprà n. 5. & 6. refutatum est: & ex ipso Euangelio satis apertè apparet esse falsum: Primò, quia hîc Ioan. 20. datur Apostolis noua aliqua potestas, quam ante non habebant: hoc enim & ipsa verba, & noua Sp. sancti collatio apertè indicant: & clarè ex eo conuincitur, quòd potestatem quam hîc dat, Matt. 16. & 18. iis promiserat: ineptè autem aliquis promitteret se alteri daturum, quod iam antè ei dedit, iamque habet: potestatem autem baptizandi iam antè acceperant, atque etiam exercuerant, vt patet Ioan. 3. & 4. vbi dicuntur Apostoli baptizasse viuo adhuc Ioanne Baptista, qui Matth. 14. narratur occisus ab Herode. Secundò, quia tam Matth. 18. promittitur, quàm hîc Ioan. 20. datur potestas remittendi peccata per modum iudicij, vt ostendi n. 13. coniuncta cum potestate ligandi & retinendi: atqui in baptismo non remittuntur peccata per modum iudicij. nam remittuntur iis qui ante remissionem adhuc foris sunt, nec Ecclesiæ subiecti, de quibus ait Apostolus 1. ad Cor. 5. *Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare?* quos ideo Prælati Ecclesiæ nec ligare possunt, nec eorum peccata retinere. Tertiò, quia potestas quæ significatur per claues regni cælorum, & datur hîc Ioan. 20. est quædam potestas quæ non datur omnibus: atqui omnes Christiani, imò & infideles possunt validè baptizare. Ex quibus omnibus clarissimè patet has potestates esse distinctas. Quare quòd Patres aliquando per potestatem datam Ioan. 20. intelligunt etiam eam quæ exercetur in baptismo; hoc non faciunt, quia has potestates confundunt, vt hæretici volunt, sed quia per quandam ampliationem verba textus ab vna ad aliam extendunt.

Matth. 16. & 18. *Ioan. 3. & 4.* *Matth. 14.* *Matth. 18.* *Ioan. 20.* In baptismo non remittuntur peccata per modum iudicij. *1. Cor. 5.* *Ioan. 20.*

Prob. concl. Secundò, quia, vt ostendi to. 1. qu. 62. ar. 1. omnia Sacramenta nouæ legis habent veram vim conferendi gratiam, & consequenter remittendi peccata: Sacramentum autem pœnitentiæ est verum Sacramentum nouæ legis. 23

Tertiò, quia Patres communi consensu docent illo loco Ioan. 20. datam esse Apostolis veram potestatem remittendi peccata: vt patet ex dictis suprà nu. 6. Clarissimus autem est locus D. Chrysost. l. 3. de sacerdo-
D. Chrysost. tio: vbi cùm ostendisset sacerdotes veteris legis non potuisse leprosos mundare, sed tantùm discernere ac declarare quinam essent mundati, subdit: *Et verò nostris sacerdotibus non corporis lepram, sed animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* Idem fusè etiam docet D. Leo epist. 91. fuitque semper
D. Leo communis consensus omnium Patrum totiusque Ecclesiæ. Nam etsi quidam aliquando diuersimodè locuti sunt de ratione & modo quo sacerdotes remittant peccata; omnes tamen semper consenserunt ipsos ea aliqua ratione verè remittere. hoc enim ita clarè verba Ioannis docent, vt negari non possit, nisi ab iis, qui eius Euangelio fidem non habent.

Conclvsio II. Ministri huius Sacramenti 23
Confessarius remittit peccata etiam secundùm culpã, non solùm habent potestatem remittendi peccata secundùm reatum pœnæ siue temporalis, siue æternæ: sed etiam secundùm rationem culpæ. Quamuis autem de hac conclus. fuerit aliquando inter Theologos aliqua disceptatio; post Concilium tamen Tri-
Tridem. dent. non puto eam ampliùs posse vocari in dubium. Nam in primis sess. 6. cap. 14. cùm dixisset post remissam culpam nos debere adhuc satisfacere, subdit: *non quidem pro pœna æterna quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto vnà cum culpa remittitur.* Vbi apertè significat, ipsam culpam propriè per Sacramentum pœnitentiæ (nam de hoc ibi loquitur) aliquando remitti. Et sess. 14. c. 3. ait: *Res & effectus Sacramenti* (scilicet pœnitentiæ) *quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo.* Clarum autem est, nos tunc præcisè reconciliari cum Deo, cùm ex inimicis simus amici. quod fit per remissionem culpæ. Et clarissimè ibid. cap. 4. cùm dixisset attritionem quæ ex gehennæ metu aut turpitudine peccati concipitur, esse verum donum Dei, subdit: *Et quamuis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat:*

tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Ego sanè nescio quomodo hæc res potuisset clarius dici. Eandem veritatem probant etiam omnia argumenta allata pro 1. concl. Nam & *Ioan. 20.* verba Christi Ioann. 20. verè & propriè significant Apostolis dari potestatem remittendi ipsam culpam: atque ita esse intelligenda clarè probant hi Patres, qui vim huius Sacramenti quoad remissionem comparant cum virtute baptismi; in quo clarum est ipsas culpas remitti. verba citati *nu. 6.* Adde, cùm hîc nulla sit necessitas, malè clara verba Euangelij in alienum sensum torqueri.

14 Ad Primum argumentum n. 14. allatum Resp. solum Deum posse propria auctoritate remittere peccatum; & hoc solùm tam Scripturam, quàm Patres quibusdam locis asserere: hoc tamen non obstare quin alij possint illud ipsius vice & auctoritate tamquam ipsius ministri remittere, ij scilicet quibus hanc potestatem ipse concessit, quales sunt sacerdotes, qui hanc legitimè acceperunt. Ad similitudinem illam, quæ sumitur ex suscitatione Lazari, Resp. per illam solùm significari sacerdotem non posse absoluere peccatorem, nisi Deus sua interna gratia eum priùs vocarit, & excitarit ad pœnitentiam, atque hac ratione eum saltem inchoatiuè quodammodo viuificet, excitando eum vt ea opera faciat, quæ cum ad vitam in Sacramento acquirendam disponunt, atque ita quodammodo viuere incipiat. Et hoc solùm volunt Patres, qui ex dicto Christi exemplo probant necessarium esse, vt Deus excitet & viuificet peccatorem, priusquam sacerdos possit eum absoluere: vt patet *D. August.* ex eorum verbis, & maximè ex D. August. tractat. 22. & 49. in Ioann. Fateor quidem sæpe fieri, vt Deus sua gratia ita excitet peccatorem, vt per contritionem ante susceptionem Sacramenti verè viuificetur: sed nego hoc necessarium esse, aut semper *Trident.* fieri. Nam contrarium clarè patet ex Trident. suprà citato.

Ad Secundum argumentum, nego maiorem: patet enim esse falsam ex Tridentino.

D. Hieron. Magister. Ad locum D. Hieronymi, quem Magister pro se adfert, Resp. eum nihil aliud velle, quàm sacerdotes non posse pro libitu nullo habito respectu dispositionis personarum, aut omnino peruersos absoluere, aut innocentes ligare (vt quidam falsò præsumebant, vt ipse ibidem testatur, quósque ibi solùm reprehendit;) sed necessarium esse vt absoluendus sit ad hoc ritè dispositus, & vt ligandus habeat in se culpam, vt possit ligari: docétque vtriúsque huius dispositionis sacerdotes non esse causas, sed solùm iudices. Et ad hoc valet allatum ibi exemplum veterum sacerdotum. Sicut tamen hi sua absolutione eos qui antè fuerant leprosi, verè mundabant ab immunditia legali: ita etiam nostri sacerdotes eos quos peccati sui pœnitet, verè purgant à sordibus peccatorum. Et hoc solùm vult D. Hieronymus: quamuis vt illorum supercilium magis deprimat, duriùs aliquanto loquatur. Sed quinis prudens facilè intelliget, præstare ipsius verba in sensu non ita proprio accipere, quàm credere eum velle cum claris Scripturis, alioríumque Sanctorum verbis pugnare.

25 Obiiciunt præterea hæretici, nos non legere vllis in Scriptura, Apostolos quemquam ita absoluisse à peccatis. Resp. Primò, Nec in ea legimus eos quemquam *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti* expressè baptizasse: non tamen ideo negandum est eos hoc fecisse. Quia multa fecerunt, quæ non sunt scripta. *Actor. 19.* Respondeo Secundò, assumi falsum. Quia Actor. 19. v. 18. multi leguntur fuisse confessi sua peccata, vt infrà ostendam. quod non fecissent, nisi fuissent ab iis absoluendi.

Notandum hîc demum, potestatem retinendi 28
peccata, quæ simul datur cum potestate remittendi, consistere in quadam potestate continuandi quodammodo vinculum peccati. Nam cùm quis *hoc ipso quo peccat*, contrahat obligationem obtinendi à sacerdotibus absolutionem; quamdiu hi absolutionem ei denegant, tam diu illam obligationem tamquam quoddam peccati vinculum continuant: atque ita reum in sui peccati vinculis quodammodo detinent. Hæc autem potestas dupliciter legitimè exercetur. Primò, quando Prælati Ecclesiæ aliqua peccata sibi reseruant, negando inferioribus potestatem ab iis absoluendi. de quo agemus infrà suo loco. Secundò, quando sacerdos audita confessione iudicat aliquem esse indispositum ad recipiendam absolutionem, eo quòd nolit peccata, eorúmve occasiones deserere prout tenetur. Vnde patet Primò, hanc retentionem esse actum iudicialem. Patet Secundò, sola peccata mortalia propriè posse retineri. Quia, cùm non obligemur peccata venialia confiteri, *possumus* sine vlla absolutione omnino absolutam eorum veniam consequi: & consequenter sacerdos per hoc quòd neget alicui eorum absolutionem, non potest absolutè continuare vllam in eo obligationem. Potestas autem positiuè ligandi exercetur tum in hoc Sacramento, dum pœnitens obligatur, vt certam pœnitentiam subeat: vt docet Trident. sess. 14. cap. 8. tum etiam in foro *Tridenti.* externo per impositionem censurarum, de quibus agemus suo loco.

Quid sit potestas retinendi peccata.

DVBIVM III.

Quæ sit huius Sacramenti materia & forma?

NOta, hoc Sacramentum, sicut etiam alia habere 27
duplicem materiam, scilicet remotam & proximam.

CONCLVSIO I. Materia remota huius Sacramenti sunt peccata actualia pœnitentis, quærenus sunt materia circa quam versatur, sicut medicina circa vulnera. Ita D. Thom. qu. 84. art. 2. & communiter DD. & per se patet. Hæc autem conclusio non solùm intelligenda est de peccatis mortalibus, sed etiam venialibus. quia etsi hæc non necessariò, licitè tamen ac laudabiliter confitemur: vt docet Trident. sess. 14. *Tridenti.* cap. 5. Idémque dicendum est de peccatis iam semel per confessionem remissis, quæ sæpius possumus confiteri: vt patet ex communi fidelium praxi. Et ratio est, quia, vt ostendam num. 61. eadem peccata possunt sæpius remitti.

Peccata materia circa quam huius Sacramenti. *D. Thom.*

Dices, Forma sacramentalis non potest sæpius pronuntiari supra eandem numero materiam: ergo non possumus eadem peccata sæpius confiteri.

Eadem forma sacramentalis potest sæpius pronunciari super eadem materia remota; non tamen super proxima.

Resp. antecedens tantùm esse verum de materia proxima, quæ ab ipsa forma informatur: non autem de remota. Nam aliàs idem homo non posset mortua prima vxore ducere secundam, nec plures possent eadem aqua successiuè baptizari. Hoc tamen hîc notandum, in hac iteratione confessionis eorundem peccatorum habendam esse rationem dignitatis ipsius Sacramenti, ne leuiter, & sine sufficienti dispositione fiat. Quare non videtur facilè facienda, nisi quando speratur notabilis aliquis fructus, v. c. tranquillitas conscientiæ, quãdo dubitamus an prius bene fuimus confessi. Cohibendi tamen hîc sunt scrupulosi, qui nunquam sibi satisfaciunt præcedentes confessiones repetendo: quóque hoc sæpius faciunt, eo fiunt magis scrupulosi. Ité quando ex iteratione cõfessionis speratur concipienda maior erubescẽtia & detestatio

Confessio iterata eorundẽ peccatorũ non debet leuiter sine dolore fieri.

Non facilè permittẽda scrupulosis.

peccati. Sic multi laudabiliter singulis annis secundò confitentur omnia peccata quæ toto anno commiserunt, & particulatim singulis septimanis confessi sunt; vt hoc modo rotum statum animæ suæ perspicientes seipsos magis erubescant.

28 Materia propinqua sunt actus pœnitentis. *D. Thom. Florentin. Trident.*

Conclvsio II. Materia propinqua huius Sacramenti sunt actus ipsius pœnitentis, scilicet dolor de peccato, & eiusdem confessio, & suo etiam modo satisfactio. Ita D. Thomas suprà, & communiter Theologi, & apertè docet Florent. in literis Eugenij, & Trident. sess. 14. c. 3. Quare inter Catholicos non est dubium quin hi actus sint aliquo modo materia huius Sacramenti; sed solùm est difficultas, an sint propriè dicta materia Sacramenti ipsum intrinsecè componens, de quo agam dub. 4.

29 Quæ sit forma Sacramenti.

Conclvsio III. Forma huius Sacramenti est hæc, *Ego te absolvo à peccatis tuis.* Patet ex Florent. suprà.

Nota Primò, quosdam hanc formam reprehendere vt minùs conuenientem, velleque hanc substitui, *Ego tibi remitto peccata.* quia aiunt peccata non esse vincula, & nos non posse absolui, nisi à vinculis. Sed hoc omnino inerudite faciunt. Nam est contra communem vsum loquendi, quo quiuis reus alicuius criminis aut pœnæ dicitur iis ligari, & ab iis absolui: & *Prouerb. 5.* contra auctoritatem sacræ Scripturæ, quæ Prouerb. 5. ait: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum* *Matth. 16.* *suorum constringitur.* Vnde Matth. 18. discipulis promittitur potestas ab iis absoluendi. Quare etsi quis illa alia forma validè vtatur, quia omnino æquiualet ei, qua Ecclesia communiter vtitur; malè tamen contra communem consuetudinem id facit. Non credo tamen fore peccatum mortale; quia res videtur leuis, nisi quis intenderet Ecclesiæ consuetudinem damnare. ita Soto in 4. d. 14. q. 1. art. 3. *Soto.*

30 *Vasquez.* Quæ verba sint essentialia huic formæ.

Nota Secundò, cum Vasquez hîc q. 84. art. 3. dub. 3. omnia dicta verba saltem implicitè posita esse essentialia: hæc sola tamen, *Absolvo te*, explicitè posita ad essentiam Sacramenti sufficiunt. quia reliqua sub his sufficienter subintelliguntur: vt de pronomine *Ego* per se patet. Et absolutio in iis circumstantiis data apertè intelligitur cadere super pœnitentis peccata. *Florentin.* Quod satis insinuat Florent. dum ait formam huius Sacramenti esse, *Ego te absolvo*, &c. addit tamen illud, *&c.* vt ostendat se hanc rem non definire, sed eam relinquere Doctoribus disputandam. Illud autem, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, etsi laudabiliter addatur, nullo tamen modo ad essentiam formæ pertinet. Ineptè autem aliqui addunt, *contritis & confessis.* quia potest quis etiam directè absolui à peccatis de quibus solùm est attritus; & saltem indirectè à peccatis, quæ per obliuionem omisit.

D. Leo. Dices, D. Leo epist. 91. ait peccatorem non nisi supplicationibus sacerdotis posse indulgentiam obtinere: ergo aliquæ preces præter formam sunt necessariæ.

Patres sæpe formas Sacramentorum preces vocant.

Respondeo, negando consequentiam. quia D. Leo ibi ipsam formam Sacramenti consuero modo loquendi Patrum preces vocat, quia per eam implicitè inuocatur virtus diuina, vt secundùm pactum cum Christo initum Sacramenti effectum operetur.

DVBIVM IV.

Vtrùm hoc Sacramentum ex dictis actibus & forma absolutionis tamquam ex partibus intrinsecè componatur?

31 *Scotus.* Scotus in 4. d. 14. q. 4. §. *Hîc sunt.* & d. 16. q. 1. §. *De pœnitentia*, id negat, docetque totam essentiam Sacramenti consistere in sola forma. Et probat Primò, quia tota significatio effectus huius Sacramenti est in sola forma. Secundò, quia aliàs pœnitens esset partialis minister huius Sacramenti, quia partialiter concurreret ad eius productionem; quod tamen falsum est: nam totus effectus huius Sacramenti est à potestate clauium, quam nullo modo habet pœnitens. Tertiò, quia Florentinum docet actus pœnitentis esse *Florent.* quasi materiam huius Sacramenti: ergo non sunt vera materia.

Conc. I. Hoc Sacramentum intrinsecè constat 32 actibus pœnitentis tamquam materia, & forma absolutionis, & ex iis tamquam ex partibus essentialibus componitur. Ita D. Thomas qu. 84. art. 2. & 3. Vnde qu. 86. art. 6. docet eos actus tamquam partem Sacramenti effectiuè concurrere ad remissionem peccati. & Durandus in 4. d. 14. q. 3. Alensis 4. p. q. 60. Probatur Primò, quia tom. 1. qu. 60. art. 6. probaui, omnia Sacramenta hoc modo intrinsecè constare aliqua materia & forma. Secundò, quia iis conteniunt omnia quæ necessaria sunt vt aliquid sit propriè dicta materia Sacramenti: vt patet ex dictis q. citata. Tertiò, quia forma absolutionis habet veram rationem formæ: ergo debet necessariò ei respondere aliqua materia, quam possit informare. nam impossibile est vt aliquid habeat veram rationem formæ, quod nullam materiam informare possit: hæc autem materia nihil potest esse aliud præter dictos actus. Quartò, quia Trid. *Tridentin.* sess. 14. c. 3. ait: *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex diuina institutione requiruntur; hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.*

Actus pœnitentis sunt intrinseci Sacramento. *D. Thom. Durand. Alensis.*

Ex quibus verbis patet, hos actus eatenus, siue ea 33 ratione esse partes Sacramenti, quatenus ad eius integritatem requiruntur: ergo actus qui ad illam essentialiter requiruntur, sunt eiusdem partes essentiales. Tales autem sunt detestatio peccati, eiusdemq; confessio, quæ essentialiter requiruntur ad valorem Sacramenti: ergo sunt eius partes essentiales. De cõfessione id fatetur ipse Scotus suprà, §. *De pœnitentia.* Et prob. quia, vt ostendi suprà n. 3. & 13. & apertè docet Trid. sess. 14. c. 5. hæc absolutio necessariò datur per modum sententiæ iudicialis: atqui ad rationem iudicij essentialiter requiritur acculatio rei, vt per se patet, & apertè docet Tridentinum suprà: ergo vt illa absolutio valide detur, siue vt possit habere rationem sacramentalis absolutionis, necessariò præsupponit accusationem rei, quæ non potest hîc esse alia, quàm eiusdem confessio. vnde ex dictis rationibus meritò Trident. suprà infert necessitatem confessionis. quare ego non video quomodo hoc possit negari.

Confessionem esse partẽ essentialem Sacramenti. *Scotus. Trident.*

De detestatione autem peccati etiam probatur. 34 quia sine hac ipsa confessio non habebit veram rationem accusationis suiipsius (nemo enim in se accusat quod non detestatur;) sed erit solummodo simulata accusatio, aut historica quædam narratio: & consequenter tota actio non habebit veram rationem iudicij. quod tamen omnino necessarium est ad rationem huius Sacramenti. Confirmatur Primò, quia hæc confessio non debet habere solùm rationem simplicis cuiusdam accusationis suiipsius, sed talis quæ tendat ad reconciliationem. Nam hoc iudicium est primò & per se institutum ad reconciliandum peccatorem cum Deo: atque ita intrinsecè & essentialiter est reconciliatiuum. quare accusatio quæ in eo fit debet etiam tendere ad reconciliationem: ad quod necessariò requiritur vt sit signũ interioris pœnitudinis: & consequenter requiritur, vt ex tali pœnitudine procedat, ne falsum sit signum. Hæc autem ad reconciliationem requiri, vel pueris natura docente notum est, qui mox vt delicti veniam à parentibus volunt impetrare, peccatum suum cum ostensione pœnitudinis agnoscunt. Confirmatur Secundò, quia, vt ostendam infrà, nulla potest reddi ratio, cur ad essen-

Item detestationem peccati.

Ad hoc Sacramentum est necessaria accusatio sui, tendens ad reconciliationem cum Deo.

tiam huius Sacramenti necessariò requiratur confessio formaliter integra, nisi quid aliàs non potest adesse sufficiens dolor de peccatis ad essentiam Sacramenti requisitus.

35 Ad Primum argumentum in contrarium, nego antecedens. Quia ipsa etiam confessio ptout procedit ex peccati pœnitudine, significat recessum à peccatis; & consequenter coniuncta formæ, eiusdem remissionem aptissimè significat.

Actus pœnitentis dupliciter considerari possunt.

Ad Secundum, nego priorem partem assumpti. Pro quo Nota, actus pœnitentis posse dupliciter considerari. Primò, præcisè quatenus sunt actus ipsius pœnitentis disponentis se ad remissionem peccati accipiendam; & sic tantùm sunt materia remota Sacramenti, sicut truncus rudis est materia imaginis. Secundò, quatenus à sacerdote per potestatem clauium vlteriùs assumuntur ad componendam vnà cum forma integrum Sacramentum, & ad significandum veram peccati remissionem: & vt sic fiunt quodammodo actus ipsius ministri, quatenus iis tamquam instrumento quodam vritur. Exemplo res fiet clarior. Sit aliquis qui compellat aliquam bestiam modò hac ratione, modò illa clamare, intendens per hoc aliquid alteri ex pacto cum eo ptiùs inito significare; clamor ille prout erit præcisè actio bestiæ solùm significabit eum sentire aliquod incommodum: at verò prout ab altero assumetur, vt vlteriùs aliquid significet, erit quodammodo actio ipsius. Sic etiam cùm 4. Reg. 13. Eliseus propheta iussit vt Ioas Rex iaculo terram percuteret, atque hic obediuit; percussio prout erat præcisè actio Regis, solùm significabat in eo voluntatem obsequendi prophetæ: prout verò à propheta vlteriùs ex destinatione Dei assumebatur ad significandum victoriam contra Syros, sic erat quodammodo actio ac verum instrumentum ipsius prophetæ. Simili modo actus pœnitentis prout ab eo præcisè procedunt, non habent rationem Sacramenti, nec sunt vllo modo eius pars: sed solùm prout à sacerdote per potestatem clauium ad hoc elevantur, & fiunt quodammodo ipsius actus. Ex quibus patet hunc solum esse totalem ministrum Sacramenti.

Sunt materia proxima Sacramenti, quatenus sunt aliqua ratione actus ipsius ministri.

4. Reg. 13.

Cur dicantur quasi materia. Trident.

Ad Tertium, nego consequ. Concilium enim hos actus vocat quasi materiam: non quòd non sint vera materia Sacramenti (nam cùm Trid. dicat esse verè partem Sacramenti nec possint esse nisi pars materialis, debent esse verè materia Sacramenti;) sed quia non sunt talis materia qualis est aqua in baptismo, ac chrisma in Confirmatione, quæ magis propriè videntur habere rationem materiæ, quæ secundùm primam suam significationem, significat rem aliquam permanentem. Vocat igitur quasi materiam: quia eodem modo se habent respectu huius Sacramenti, sicut aqua respectu baptismi: præsertim si considerentur prout sunt puri actus pœnitentis. quia vt sic solùm sunt materia remota huius Sacramenti, sicut etiam aqua baptismi.

DVBIVM V.

Qualis debeat esse dolor peccati, vt possit esse pars huius Sacramenti?

Varij gradus attritionis.

36 NOta Primò, nos ob varia motiua posse detestari peccatum: vt ostendi disp. 1. num. 21. & 22. Inter omnes autem peccati detestationes, illa optima est, quæ procedit ex amore Dei super omnia dilecti, quæ dicitur contritio. Omnis autem alia detestatio peccati ab illius perfectione deficiens potest generatim dici attritio: cuius tot sunt species, quot modis contingit eam ab illius perfectione deficere.

Primus est, quando ille dolor procedit ex amore amicitiæ erga Deum, non tamen super omnia dilecti. Sicut enim possum amare Petrum, v. c. vero amicitiæ amore, etsi non diligam eum super omnia: ita videor posse amare Deum amore amicitiæ, non tamen super omnia. Quidam autem volunt hanc attritionem inter omnes esse optimam: quia accedit ad contritionem.

37 Et hanc quidem peccati detestationem dari posse, est satis probabile in eo qui conatur amare Deum super omnia, sed languidè; & ne facto eum ita amet, impeditur occulto aliquo affectu, nimióque amore erga aliquas creaturas, quas non esset paratus propter Deum deserere: quem tamen ipse hîc & nunc vel nullo modo aduertit, vel saltem non aduertit esse maiorem amore diuino. Quòd tamen talis dolor de peccatis sit efficacior ad deletionem peccati quauis alia attritione, non credo. Nam cùm ne quidem virtualiter auertat voluntatem ab omni omnino peccato mortali; melior ad dictum effectum est illa attritio quæ generaliter voluntarem à peccato auertit.

Secundus modus est, quando quis dolet de peccato, quia causat pœnas æternas, aut amissionem bonorum spiritualium.

Tertius, quando quis peccatum detestatur propter intrinsecam ipsius turpitudinem.

Quartus, quando illud detestatur propter malum aliquod temporale, quod sibi timet à Deo immittendum, v. c. quia timet ne Deus puniat eum morte aut morbis, &c.

Quintò, quando quis dolet de peccato ex timore merè humano: quia scilicet timet infamiam, &c.

Sextò, si quis doleat de peccato sine proposito se emendandi etiam virtuali.

Nota Secundò, dupliciter posse dolorem de peccato requiri. Primò, præcisè ad valorem ipsius Sacramenti. Secundò, ad ipsius effectum etiam consequendum. Sed hoc secundum satis patet ex dictis to. 1. qu. 62. art. 1. dub. 2. & alibi. quare hoc breuiter tantùm attingam.

38 Tota igitur difficultas hîc est de Primo: multi enim putant imperfectiorem dolorem requiri ad essentiam Sacramenti, quàm ad eius effectum. quales sunt *omnes ij*, qui putant dari aliquando hoc Sacramentum informe: quorum variæ sunt sententiæ. Quidam enim putant ad valorem Sacramenti sufficere dolorem naturalem: alij putant sufficere sexcentum dolorem ex dictis: alij alia sentiunt, & obscurè loquuntur, & pro diuersis sententiis citantur, quas non tenent. Vide D. Thom. in 4. d. 17. q. 1. a. 4. Silu. v. *Confessio Sacramentalis*. 1. n. 26. Caiet. to. 1. opusc. tract. 5. q. 5. Suarez disp. 20. sect. 4. vbi varias hac de re opiniones citat ac refutat. Fundamentum ferè omnium est. Primò, quia ad essentiam Sacramenti videtur sufficere omnis illa displicentia peccati, quæ sufficit vt confessio habeat veram rationem accusationis suiipsius: sed non omnis displicentia quæ ad hoc sufficit, sufficit ad recipiendũ effectum huius Sacramenti: ergo non omnis quæ sufficit ad essentiam, sufficit etiam ad effectum. Secundò, quia aliàs, cùm non possimus esse certi nos sufficienter esse attritos ad percipiendum effectum Sacramenti, nunquam possemus scire, an satisfecissemus præcepto confessionis. quod videtur absurdum.

D. Thom. Silvester. Caietan. Suarez.

39 CONCLVS. I. Ad effectum huius Sacramenti Primò requiritur necessariò aliqua pœnitentia, siue detestatio peccati. quia nullum peccatum sine ea remittitur. Secundò, hæc pœnitentia debet esse formalis: tum quia est pars ipsius Sacramenti: & sicut ad materiam baptismi non sufficit liquor, qui solùm eminenter sit aqua, sed requiritur vt formaliter sit aqua: ita ad materiam huius Sacramenti non sufficit pœnitentia virtualis, sed necessaria est formalis. Tum etiam quia, vt dixi disp. 2. n. 51. & 52. in memore suorũ peccatorum (qualis est necessariò is, qui vult confiteri) non potest

Pœnitentia requisita ad effectũ Sacramẽti.

esse pœnitentia virtualis, nisi sit simul formalis. Tertiò, hæc pœnitentia debet se saltem virtualiter extendere ad omnia peccata mortalia, quæ in pœnitente remittenda restant. Quia nec vnum peccatum mortale vnquam sine alio remittitur; nec vllum vnquam remittitur nisi peccatorem saltem implicitè ipsius pœniteat. Quartò, requiritur saltem implicitum propositum vitandi in posterum omnia peccata mortalia. iuxta dicta disp. 2. num. 58. Quare quando non adest explicitum tale propositum, videtur omnino necessarium, vt detestatio peccati extendatur saltem implicitè ad omnia omnino peccata mortalia, etiamsi pœnitens vnum solum committeret, quia aliàs neque explicitum, neque implicitum haberet propositum vitandi in posterum omnia peccata mortalia; quod tamen secundùm omnes ad effectum huius Sacramenti est necessarium. Quintò, hæc pœnitentia necessariò debet procedere ex gratia, & consequenter esse supernaturalis, quia nemo viribus naturæ potest pœnitere vt conducit ad salutem, aut remissionem peccati recipiendam: vt definiunt Arausic. c. 7. & Trident. sess. 6. c. 5. & can. 3. Sextò, demum ad effectum huius Sacramenti non requiritur necessariò contritio, sed sufficit attritio, patet ex dictis suprà nu. 23. & to. 1. q. 62. art. 1. dub. 2.

Arausican. Trident.

Ex quibus infertur quintam & sextam attritionem ex recensitis nu. 37. nunquam sufficere ad effectum Sacramenti: reliquas verò tunc sufficere quando habent conditiones iam requisitas. Prima tamen & quarta meritò possent esse suspectæ: quia sæpe timendum est ne desit iis tertia & quarta conditio, imò quartæ facilè etiam deesset quinta conditio.

40 Idem dolor requiritur ad essentiam, & ad effectum huius Sacramenti. *Trident.*

Conclvs. II. Probabilius est nullam attritionem sufficere ad valorem Sacramenti, quæ non sufficiat etiam ad eiusdem effectum, siue ad gratiam percipiendam. Hanc concl. tenent omnes ij, qui tenent non dari hoc Sacramentum informe, quos citabo infrà dub. 11. Prob. Primò, quia Trident. sess. 14. c. 3. docet, contritionem, siue dolorem de peccatis eatenus esse materiam & partem huius Sacramenti, quatenus ad peccati remissionem requiritur: ergo quotiescumque deest talis dolor qualis requiritur ad remissionem peccati, deest materia, siue pars essentialis huius Sacramenti. Secundò, quia, vt ostendi suprà n. 13. Christus non dedit Apostolis potestatem quoslibet absoluendi à peccatis, sed eos solos, qui legitimè sunt dispositi: ergo ipsi non habent potestatem alios absoluendi, & consequenter inualidè id faciunt, atque ita absolutio erit nulla, & Sacramentum inualidum.

Qualis confessio requiratur ad essentiam Sacramenti.

Tertiò, vt ostendi n. 34. vt confessio sit pars Sacramenti, non sufficit vt habeat qualemcumque rationem accusationis suiipsius, sed necesse est, vt sit accusatio tendens ad reconciliationem: atqui nulla est talis, nisi per eam significetur reum sui peccati ita pœnitere prout requiritur, vt possit ei peccatum per Sacramentum remitti: ergo vt confessio possit esse pars Sacramenti, debet significare reo inesse eiusmodi pœnitentiam, quæ sufficiat ad remissionem peccati in Sacramento percipiendam: & consequenter ne sit falsum signum, debet pœnitenti talis dolor inesse. Quartò,

41 Cur requiratur integra confessio.

quia nulla potest reddi ratio, cur confessio sit semper inualida, quando pœnitens vnum peccatum mortale sine iusta causa scienter omittit: nisi quia hæc omissio non potest consistere cum attritione ad essentiam Sacramenti requisita; quæcunque enim aliæ causæ adferuntur, sine vllo fundamento adferuntur: atqui illud esset falsum, si posset dari attritio sufficiens ad essentiam Sacramenti, & tamen insufficiens ad eius effectum: ergo talis dari nequit.

Ad Primam rationem contrariæ sententiæ neganda est maior: vt patet ex secunda & tertia nostra ratione. Ad Secundam Resp. nullam esse causam cur debeamus magis esse certi nos validè confessos esse, quàm nos percepisse effectum Sacramenti; cùm non ob aliam causam quæratur valor Sacramenti, quàm vt possimus habere eius effectum. Neque ex eo quòd non possimus esse omnino certi de eius valore, sequitur nos debere esse anxios, vt sæpiùs confiteamur. Nam vt ab omni obligatione eadem peccata sæpiùs confitendi excusemur, sufficit quòd probabiliter possimus nobis persuadere nos ea legitimè esse confessos, quod sibi potest persuadere omnis is, qui moralem diligentiam ad hoc adhibuit: sicut etiam eodem modo potest sibi persuadere se esse in statu gratiæ, nam aliter non posset communicare.

Conclvsio III. Similis etiam attritio requiritur respectu peccatorum venialium, quando quis ea sola confitetur, tam ad valorem, quàm ad effectum Sacramenti, quia neque hæc sine vera pœnitentia remitti possunt: quamuis ex parte propositi ea in posterum vitandi non requiratur tanta perfectio ac firmitas. Vide dicta disp. 2. n. 122. & 130.

42 Attritio requisita ad remissionem venialium.

DVBIVM VI.

Vtrùm dolor de peccato requisitus ad hoc Sacramentum debeat necessariò saltem naturâ præcedere ipsam confessionem?

QVidam hoc negant. Quia videmus prudentes quosque confessarios postquam audiuerunt totam confessionem, quando metuunt ne pœnitentes non habeant sufficientem dolorem de peccatis; solere eos ad hunc concipiendum excitare, ac quando dicunt se de iis dolere cum proposito ea in posterum vitandi, eosdem statim absoluere, quod facere non possent si dolor deberet præcedere confessionem, quia tunc prior confessio fuisset planè irrita: ac consequenter deberet tota repeti. 43

Conclvsio I. Dolor ad hoc Sacramentum requisitus debet necessariò præcedere ipsam confessionem. Probatur, quia, vt ostendi num. 40. confessio debet esse signum illius doloris: atqui non potest illius esse signum, nisi ex eo procedat. *Actus* enim externi non sunt vera signa internæ voluntatis, nisi ab ea procedant. Quod maximè verum est in iis actibus, qui non significant formaliter internam pœnitentiam, sed tantùm quatenus sunt eius effectus; vt fit in præsenti casu. Nec enim qui narrat se aliquod peccatum fecisse, dicit formaliter se de eo dolere, sed hoc solùm implicitè significat, quatenus hìc & nunc tali modo hoc confitetur, vt ea confessio ex interno dolore censeatur procedere. Confirm. quia si confessio peccatorum non deberet esse signum interni doloris, neque ex eo procedere; posset quis sine vllo peccatorum dolore, eiúsve significatione, per modum historiæ narrare peccata sua, & postea merè interiùs de iis atteri: & sic ab iis absolui, etiamsi internus dolor nullo signo externo proderetur. Nam si non debeat exteriùs significari per ipsam confessionem peccatorum, nihil facit ad valorem Sacramenti, quòd per alia signa prodatur, quæ nullam habent rationem confessionis. Quia sicut hæc signa non possunt esse pars Sacramenti: ita non possunt ipsi interno dolori dare esse sacramentale, siue cum eo constituere vnum signum sacramentale. Quòd si verò ipsa confessio debeat significare internum dolorem peccatorum, cùm non significet futurum sed præsentem, hic necessariò debet adesse saltem virtualiter, dum ipsa confessio fit: aliàs hæc esset signum falsum.

44 Dolor de peccatis debet necessariò præcedere confessionem. Actus externus non est signum interni nisi ex hoc procedat.

Conclvsio II. Dolor iste non solùm natura, sed etiam tempore debet præcedere ipsam confessionem. Patet, quia ille dolor debet saltem natura præcedere voluntatem confitendi, quia debet esse causa

confessionis: quod fieri nequit, nisi sit causa voluntatis confitendi, hanc autem non potest causare, nisi sit ea prior. Voluntas autem confitendi, cùm sit tota in instanti, necessariò est prior tempore ipsa confessione, quæ fit in tempore, & necessariò præsupponit motum linguæ, qui non potest fieri, nisi in tempore.

45 Ad argumentum contrarium Resp. confessionem factam sine sufficienti dolore peccatorum, numquam posse esse partem Sacramenti, quantumcumque ante absolutionem sufficiens dolor in pœnitente excitetur, ad hoc tamen valet vt confessarius accipiat perfectam cognitionem status pœnitentis: ita vt hic postea omnia sua peccata possit paucis verbis sufficienter confiteri, dicendo se dolere de peccatis iam narratis, & cupere ab iis absolui : & hæc sola verba tunc habent veram rationem confessionis, quæ sit pars Sacramenti. Sicut si quis consilij petendi causa narrasset omnia peccata sua, & postea de iis dolens vellet confiteri; sufficeret eum dicere se dolere de peccatis iam dictis, & petere ab iis absolui : hac tamen differentia, quòd in priore casu peccata omnia caderent sub sigillum, quia confessio fuit facta in ordine ad absolutionem. Secùs esset de secundo.

DVBIVM VII.

Qua ratione satisfactio sit pars Sacramenti?

46 NOta Primò, nos hìc solùm loqui de satisfactione, quæ fit dum quis impleт pœnitentiam à confessario iniunctam, hæc enim sola potest esse sacramentalis.

Nota Secundò, duplices posse esse alicuius rei partes: scilicet essentiales; quales sunt materia & forma; & integrales, v.c. in homine caput, pectus, manus, pedes; quæ divisio est potiùs ipsius partis materialis, quàm totius. Sic in hoc Sacramento partes essentiales sunt ejus materia & forma: partes verò integrantes materiæ sunt contritio, sive attritio, confessio, & satisfactio.

Pars dupliciter dicitur essentialis.

Nota Tertiò, dupliciter posse aliquid dici partem essentialem alicuius rei. Primò, propriè & strictè, & sic id solùm dicitur pars essentialis sine qua essentia rei sine nouo miraculo nequit consistere : & sic in quouis composito ipsa forma ac materia totalis simul sumpta sunt partes essentiales. Item in homine caput, pectus, cor, &c. sunt partes essentiales, quia sine his homo nequit naturaliter existere; manus verò & pedes non sunt partes essentiales, quia homo sine iis potest esse. Secundò, latiore modo posset dici pars essentialis rei, quidquid eius essentiam hìc & nunc componit, sive omnis pars materiæ, quæ hic & nunc ipsa forma essentiali verè informatur, etiamsi sine hac essentia posset consistere: & sic manus posset dici pars essentialis. Sed hæc locutio est impropria : & tales partes potiùs dicuntur integrantes. Possunt etiam dici substantiales, quatenus verè sunt pars substantiæ ipsius rei.

47 *Impletio pœnitentiæ non est propriè pars essentialis Sacramenti. Soto. Cano.*

CONCLVSIO I. Impletio pœnitentiæ iniunctæ non est propriè pars essentialis, ita Soto d. 17. q. 1. art. 3. Can. relect. de pœnit. p. 5. Quia Sacramentum potest esse essentialiter integrum sine ea. Est enim verum & perfectum Sacramentum, quando absolvitur is qui in extremis constitutus solùm potest dare ... - qua signa doloris peccatorum suorum, cui nulla pœnitentia iniungitur.

48 *Sed solùm integralis.*

CONCLVS. II. Impletio pœnitentiæ iniunctæ est verè pars integralis ipsius Sacramenti ad perfectionem ipsius substantialem pertinens : & consequenter suo modo verè informatur ipsa f rma sacramentali, sicut manus anima rationali. Videtur hæc conclusio esse apertè sententia Concilij Florent. in literis Eugenij; vbi simpliciter asserit contritionem, confessionem & satisfactionem esse quasi materiam Sacramenti, nihil inter hæc distinguens: atqui contritio & confessio sunt vera materia Sacramenti : ergo etiam satisfactio. Idem etiam eodem modo docet Tri- *Trident.* dent. sess. 14. c. 3. Confirm. quia iniunctio huius pœnitentiæ est verè actus potestatis clauium, & pars sententiæ iudicialis, & eius impletio est executio illius sententiæ, & consequenter fit illius virtute : atque ita necessariò ab ea sententia atque absolutione sacramentali (quæ datur cum directo ordine ad hanc impletionem) informatur, quatenus vnà cum ea componit quoddam perfectum signum integræ remissionis ipsius peccati & quoad culpam, & quoad pœnam, saltem quantum homo tenetur pro ea in hac vita satisfacere, etsi ea non semper absolutè integrè remittatur.

DVBIVM VIII.

Quid propriè significent verba formæ : Ego te absoluo à peccatis tuis?

49 RAtio difficultatis est, quia dicta verba propriè accepta significant remissionem ipsius culpæ, & tamen non videntur eam semper posse significare, quia aliàs quando is confiteretur, cui iam omnis culpa esset remissa, non esset capax absolutionis: quod tamen falsum est. Quidam dicunt tunc dici remitti peccatum, quia remittitur pœna temporalis ei debita. Sed hoc non satisfacit, quia potest fieri vt peccatum sit omnino remissum etiam secundùm omnem pœnam. Alij dicunt etiam in hoc casu dici remitti peccatum, quia per Sacramentum delentur reliquiæ peccati, v.c. malæ inclinationes ex eo relictæ. Ita Caietan. to. 1. opusc. tract. 5. q. 4. ad 2. Sed nec hoc *Caietan.* satisfacit. Quia nec hoc Sacramentum videtur institutum ad has reliquias delendas, nec eæ semper post remissam culpam remanent, maximè quando culpa consistit in sola omissione venialiter mala.

Tertiò, D. Thomas q. 84. art. 3. ad 5. ait : *Ego te absoluo*, significare, *Ego tibi Sacramentum absolutionis impendo.* *D. Thom.* Sed etsi hac explicatione posita omnis difficultas euitetur; tamen videtur satis detorta, si ita crudè sine alia explicatione sumatur.

50 Quartò igitur alij volunt, ea verba idem significare atque hæc : *Ego tibi gratiam sanctificantem, ac quantum est ex se remissiuam peccati confero.* Probant, quia, sicut omnis actio naturalis primò & per se tendit in productionem alicuius formæ, & tantùm consecutiuè in destructionem formæ contrariæ : ita omnia Sacramenta primò & per se producunt gratiam, & tantùm consecutiuè remittunt peccata. Cùm igitur Sacramenta id significent quod producunt, sequitur; pœnitentiam primò & per se significare productionem gratiæ destructiuæ peccati, & tantùm consequenter huius destructionem, si quando adsit. Et hæc explicatio est satis probabilis, & omnem difficultatem euadit, hoc tamen in ea est difficile, quia videtur detorquere verba formæ in sensum nonnihil alienum ac durum. Nam ea propriè secundùm communem modum loquendi primò & per se immediatè significant remissionem culpæ, & potiùs consequenter infusionem gratiæ. Secundò, quia non distinguit significationem verborum ipsius formæ præcisè à significatione totius Sacramenti, quod tamen, vt infrà videbimus, necessariò faciendum est. Tertiò, quia hoc Sacramentum videtur immediatè & per se primò institutum ad tollendum peccatum. Nam hoc & ipsius materia & forma propriè indicant, & clarè etiam significant verba, quibus fuit institutum. Cùm igitur, vt ostendi disp. 2. dub. 10. aliqua actio possit primò & per se tendere in remissionem peccati, nulla

videtur

videtur esse causa cur negemus hoc fieri in hoc Sacramento: ita vt in eo per se primò & intendatur, & significetur remissio peccati, & consequenter infusio gratiæ, sine qua illa non fit.

51 Quintò igitur alij concedunt, hanc formam primariè significare remissionem peccati, aiunt tamen vt eadem culpa sæpiùs remittatur, sufficere vt quis de ea sæpiùs se accusset: sicut in foro externo toties aliquis potest absolui ab aliquo crimine, quoties de eo accusatur. Sed hæc responsio videtur petere principium, hoc enim est quod petitur; cùm culpam remitti sine deleri supponat eam esse, quomodo culpa quæ nullo modo existit quando nos secundò de ea accusamur, possit iterum verè remitti, cùm per hanc accusationem nullum accipiat esse, quod possit deleri? Nec exemplum fori externi allatum quidquam facit ad rem. Nam in hoc non remittitur peccatum ei qui absoluitur, sed hic solùm declaratur innocens. quod clarum est toties fieri posse, quoties occurrunt nouæ occasiones de eius innocentia dubitandi: in nostro autem Sacramento reus non declaratur esse innocens, sed per veram peccati remissionem fit innocens.

Differentia inter absolutionem fori sacramentalis, & externi.

52 Pro horum explicatione Nota Primò, ex dictis num. 29. peccatum deducta metaphora à vinculis physicis, quæ in multis impediunt eos quos stringunt, verè dici ligare peccatorem, quatenus eum aut ad aliquid obligat, aut ab aliquo impedit: quod multis modis fit. Primò enim ligat eum per reatum culpæ. Secundò, per reatum pœnæ siue æternæ, siue temporalis. Tertiò, quatenus constituit eum indignum omni gratia & gloria: atque ita quantum est ex se impedit eum ne quidquam horum à Deo consequatur. Quartò, quatenus obligat eum ad confitendum. Et quamuis non omnes hæ obligationes habeant rationem culpæ, vt per se patet; tamen culpa per eas hominem verè ligat, etiam dum ipsa secundùm se esse desinit. Sicut etsi obligatio quæ sequitur votum, non sit ipsum votum; tamen votum per hanc verè dicitur me ligare etiam dum iam secundùm se non existit. Et sicut qui remittit hanc obligationem, verè dicitur absoluere à voto: sic qui remissa iam culpa secundùm se, remittit sequentes obligationes, verè dicitur absoluere à culpa; quia efficit vt desinat hæc vel illa ratione ligare, secundùm quam antè ligabat.

Peccatum variis modis peccatorem ligat.

53 Nota Secundò, aliud longè esse orationem aliquam hoc vel illud determinatè significare; aliud eam pro hac vel illa re determinata verificari. v. c. dum dico, *Aliquis homocurrit*; hæc propositio non magis significat Petrum currere, quàm quemuis alium hominem: si tamen ipse solus currat, pro eo solo verificatur. Item posito quòd Petrus sit mihi obligatus vt soluat certam pecuniam, & Paulus vt restituat famam, & Iacobus vt famuletur. si dicam ijs, *Ego remitto vobis omnem obligationem*: hæc verba non significant diuersa respectu diuersorum; alioquin essent æquiuoca: sed significant vnum & idem, scilicet remissionem obligationis in communi, prout abstrahit ab hac vel illa. In diuersis tamen habet diuersum effectum, & consequenter pro diuersa remissione verificatur.

Aliud est orationem aliquid determinatè significare, aliud ipsam pro eo determinatè verificari.

54 Nota Tertiò, eandem omnino orationem, ratione diuersarum circumstantiarum quibus profertur, posse valdè diuersa significare. v. c. summus Princeps, qui habet absolutam potestatem remittendi in foro ciuili crimina, sine vlla causæ cognitione dicat alicui reo, *Absoluo te ab homicidio*; hæc oratio significabit absolutam criminis remissionem. Contrà verò subordinatus iudex, qui non habet potestatem remittendi crimina, post causæ cognitionem eandem orationem proferat; non significabit crimen commissum huic reo remitti, sed hunc ab eo esse innocentem, siue illud non commisisse; nec tamen significabit hoc absolutè, sed quantum ex allegatis & probatis potest cognosci. hinc etsi iudex secretò sciret reum verè commisisse homicidium; tamen si publicè probaretur innocens, legitimè & sine vllo ex parte sua mendacio pronuntiaret illum innocentem. Quia solùm diceret esse innocentem, quantum ex allegatis & probatis hic & nunc posset cognosci. quod verum esset. Cum hoc tamen consistit iudicium hoc continere verum errorem & falsitatem, quatenus complectitur falsas probationes pro reo allatas, quæ sunt etiam quædam pars ipsius actus iudicialis. Quamuis autem sententia ipsius iudicis præcisè solùm significet reum esse innocentem quantum ex allegatis & probatis cognosci potest, & sic nihil contineat falsitatis; tamen totus actus iudicialis absolutè significat accusatum esse innocentem, & consequenter continet falsum.

Potest iudicium aliquod continere falsitatem, etsi ipsa sententia secundùm se vera sit.

55 Potestas confessarij est media inter potestatem supremi Principis & subordinati iudicis.

Potestas autem ministri huius Sacramenti est quasi media inter dictas. Nam ipse habet veram potestatem remittendi ipsa crimina, & in eo est similis summo Principi; cùm tamen sit iudex subordinatus sub ipso Deo, tenetur in iudicando seruare formam præscriptam, vt scilicet neminem absoluat nisi legitimè dispositum, & causa cognita. hinc hæc verba, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, ab eo in Sacramenti administratione prolata, significant reo hic & nunc verè peccata remitti: cum hac tamen conditione, quantum ex ipsa confessione potuit cognoscere ipsum eorum esse reum, & ad eorum remissionem legitimè dispositum. Ipsum tamen totum Sacramentum prout constat confessione pœnitentis & forma absolutionis, significat absolutè hic & nunc peccata remitti, ea nimirum ratione secundùm quam hoc Sacramentum ad eorum remissionem est institutum. Quare cùm hoc Sacramentum sit institutum vt peccator reconcilietur Deo, & ad hoc necessaria sit remissio peccati mortalis, secundùm omnem rationem culpæ & pœnæ æternæ in eo qui adhuc his ligatur; in Sacramento absolutè significatur omnem culpam mortalem nondum remissam pœnitenti secundùm omnem rationem culpæ & pœnæ æternæ simpliciter remitti: ita vt falsa sit significatio Sacramenti, si non remittatur id totum quod adhuc habet rationem culpæ mortalis, aut pœnæ æternæ. Secus est de remissione pœnæ temporalis. Nam hoc Sacramentum non est institutum, vt hanc semper totam remittat, sed secundùm dispositionem pœnitentis: & consequenter non aliter significat eam remitti.

56 Confitens significat peccata sibi adhuc posse aliquo ratione remitti. *Psalm. 50.*

Nota Quartò, etsi, vt vera sit confessio pœnitentis, necessarium sit ipsum ea peccata commisisse quæ confitetur; tamen non est necesse, vt hæc ei non sint remissa. Nam ipse solùm asserit se ea commisisse, non autem ea sibi non esse remissa, hoc ipso tamen quo ea clauibus Ecclesiæ subiiciendo, petit sibi ipsa remitti, necessariò innuit ea nondum ita esse remissa, quin possint adhuc amplius remitti, iuxta illud psal. 50. *Amplius laua me ab iniquitate mea.* Quare etsi ad veritatem Sacramenti requiratur vt pœnitens verè commiserit ea quæ absolutè confitetur, ita vt si nihil eorum quæ confitetur commisisset significatio Sacramenti esset absolutè falsa: si autem quædam commisisset, quædam verò non commisisset; tunc Sacramenti significatio non esset quidem necessariò falsa (quia fieri potest vt falsitas commissa non tollat in pœnitente dispositionem necessariam ad effectum Sacramenti, vt si in ea vel nullo modo, vel tantùm venialiter peccarit) semper tamen contineret aliquam falsitatem saltem materialem. Nullo tamen modo ad eiusdem omnimodam veritatem necessarium est vt pœnitens confiteatur vel vnicum peccatum, quod non sit ei secundùm culpam remissum. quia Sacramentum neque secundùm se totum, neque

Eadem oratio ratione circumstantiarum diuersa significat.

secundùm aliquam sui partem absolutè significat hic & nunc aliquod peccatum secundùm rationem culpæ adhuc existere, aut remitti: vt magis patebit ex mox dicendis.

57 Qua ratione absolutio significet hic & nunc remitti peccata.

Conclvsio I. Forma absolutionis significat generatim omnem solutionem vinculorum peccati, siue secundùm culpam, siue secundùm pœnam, siue secundùm obligationem confitendi, siue secundùm quamcumque aliam rationem, secundùm quam ligare potest. Quia, vt ostendi num. 52. ea verba in proprietate sermonis, ea omnia significare possunt: nec est vlla ratio cur eorum significatio hîc restringatur.

58 Conclvs. II. Non tamen significat omnem dictam absolutionem hic & nunc de facto conferri, neque etiam hanc vel illam determinatè conferri: sed aliquam ex his indeterminatè hîc & nunc conferri, scilicet confitentem absolui à peccato quatenus ligat vel secundùm culpam, vel secundùm pœnam æternam, aut temporalem, vel secundùm aliquam aliam rationem. Imò neque hoc absolutè significat, sed solùm sub conditione, si confessio vera sit. quoties tamen Sacramentum est validum pro aliquo determinato modo remissionis, verificatur. Patet ex dictis nu. 53. 54. & 55.

59 Forma Sacramenti potest esse vera, etsi nulla omnino vera fiat remissio.

Hinc patet Primò, quomodo forma Sacramenti possit esse vera, etsi nulla omnino vera fiat remissio peccati: vt si Sacramentum sit irritum, vel informe, posito quòd tale aliquod detur; esset tamen tunc ipsa significatio Sacramenti falsa, sicut etiam falsa est in baptismo informi.

Patet Secundò, quomodo tam formæ quàm ipsius Sacramenti significatio possit simpliciter esse vera, quamdiu peccata, quæ pœnitens confitetur, aliquo modo eum adhuc ligant ratione reatus pœnæ temporalis, aut similis. Tunc enim verissimè sine vlla æquiuocatione pœnitens dicitur à peccatis absolui: vt ostend. num. 52. & 53.

Patet Tertiò, quomodo non improbabiliter possit defendi quarta sententia recitata num. 50. dicendo formam Sacramenti secundùm se quidem significare immediatè absolutionem à peccato modo iam explicato; prout tamen cum confessione componit integrum Sacramentum, significare immediatè solam infusionem gratiæ habentis vim remittendi peccatum; & consequenter remissionem peccati sub conditione, si aliquod sit remittendum. Et sic facilè possunt solui duo priora argumenta in contrarium allata. Contra eam tamen adhuc aliquo modo pugnat tertium argumentum, & maximè videtur vrgere quod dixi num. 56. scilicet confitentem sua peccata vt ab iis absoluatur, hoc ipso implicitè significare se iis adhuc aliquo modo ligari. Primò, quia ineptè quis petit absolui ab eo, quo nullo modo ligatur. Secundò, quia, vt dixi num. 53. & 54. hæc confessio debet habere rationem veræ accusationis sui ipsius, & quidem quæ tendat ad reconciliationem: atqui nemo præsertim hoc modo, ritè se accusat in eo, cuius nullo modo iam ampliùs est reus, nec ratione ipsius aliqua obligatione tenetur. Quare si confessio fiat de solis iis peccatis, quæ nulla ratione ampliùs confitentem ligant, videtur ea continere implicitum mendacium.

60 Dices, nos communiter posse præsumere, nostra peccata non esse nobis adhuc omnino plenè remissa, sed restare adhuc saltem aliquam pœnam pro iis soluendam. Sed contrà. Ex dictis saltem sequitur, si contingeret nos certò scire aliqua peccata nobis omnino plenè esse remissa, nos non posse ea subiicere ampliùs clauibus: & ex hoc vlteriùs sequitur, omnia peccata plenè remissa nullo modo posse esse materiam confessionis; sed tantùm ratione ignorantiæ, credi esse materiam: sicut sunt ea peccata, quæ verè non commisimus, sed falsò putamus nos commisisse, quia quidquid est vera materia confessionis, potest secluso omni errore clauibus subiici. quod in illa peccata non conueniret. Nullo autem modo potest dici talia peccata non esse materiam confessionis. quia aliàs viri valdè sancti, qui magnas agunt pœnitentias, & sæpè eliciunt feruentes actus amoris Dei ac contritionis, & non nisi leuia peccata committunt, quæ etiam statim cum magno dolore confitentur; sæpissimè exponerent se periculo ne facerent Sacramentum irritum: cùm sæpè fieri possit, vt eorum peccata sint ante Sacramentum iis secundùm culpam, & omnem pœnam remissa.

61 Numquam peccatum in hac vita ita remittitur, quin possit adhuc vteriùs remitti.

Ob has rationes videtur dicendum, numquam peccatum in hac vita ita remitti, quin possit adhuc vteriùs remitti; atque ita quoties hoc Sacramentum cum fructu percipitur, in eo verè peccata remittit.

Pro quo Nota, eum qui semel peccauit, quantumcumque ei peccatum remittatur, cæteris paribus semper manere minùs dignum beneficiis diuinis, quàm esset si numquam peccasset. quod patet in exemplis humanis. Sint enim duo amici Principis, in omnibus omnino meritis, nobilitate, ac naturæ donis inter se pares, hoc vno excepto quòd vnus aliquando in Principem peccarit, alter verò numquam. Item sit aliquod beneficium alteruri conferendum, quantumcumque priori illud peccatum sit remissum; tamen erit causa cur sit alteri *minùs dignus, cui illud beneficium* conferatur: atque ita si Princeps velit *in rigore* æquitatem sequi, conferet illud secundo: & sic illud peccatum erit priori impedimento, quo minùs illud beneficium consequatur. Hinc etiam videmus eos qui grauiter in suos Principes peccarunt, quantumcumque cum iis in gratiam redierint; nihilominus semper cum maiore verecundia, & timore repulsæ ab iis beneficia petere, & communiter etiam difficiliùs ea obtinere, quàm alios eiusdem omnino gradus, qui numquam in Principem peccarunt.

62 Et quamuis non sit omnino eadem ratio apud homines & Deum, qui sua beneficia etiam indignis largitur: in eo tamen est paritas, quòd is qui semel peccauit, hoc ipso cæteris paribus verè à parte rei sit semper minùs dignus cui Deus beneficia conferat, quàm alius qui numquam peccauit. Quamuis autem Deus ratione suæ munificentiæ, qua etiam erga indignissimos sæpè valdè existit liberalis, frequenter homini tanta det beneficia, quanta dedisset si numquam peccasset; hoc tamen est per accidens respectu peccati commissi, quod, vt ostendi, etiam post remissionem natum est nonnihil impedire eam munificentiam. Et non est dubium, quin etiam de facto sæpè impediat. Hinc etsi certum sit Dauidi peccatum adulterij & homicidij statim ac egit de eo pœnitentiam, fuisse remissum secundùm culpam & pœnam æternam, & omnino credibile sit tot lacrymis & gemitibus, & tam longa pœna ac aspera, quam in psalmis pœnitentialibus se egisse describit potuisse plenè satisfacere pro omni pœna temporali restante, si Deus, prout communiter facere solet, voluisset eius pœnitentiam in hunc finem absolutè acceptare: numquam tamen ab eo impetrare potuit, vt ei omnem pœnam remitteret, ac sicut priùs singulari præsidio contra omnia aduersa tueretur: vnde postea horribilibus ac grauissimis calamitatibus exagitatus fuit. Similiter Moyses quantumcumque eum pœnituerit peccati semel admissi Numer. 20. numquam tamen postea à Deo impetrare potuit illud beneficium, vt vitam ei prorogaret, donec populum in terram promissionis inducerer. Numer. 20.

63 Dixi talem cæteris paribus semper esse minùs dignum diuinis beneficiis altero qui numquam peccasset. Quia ex eo quòd prior habeat maiora merita, aut ampliorem gratiam, fieri potest vt sit dignior beneficiis

beneficiis diuinis quàm secundus.

Qua ratione peccatũ semel commissum tota vita pergat ligare?

Hinc patet Primò, quomodo peccatum semel committum pergat semper etiam post remissionem aliquo modo suum auctorem quamdiu viuit ligare. Quia quantum est ex parte sua semper est ei aliquo modo impedimento, quo minùs excellentiores quasdam gratias à Deo consequatur, quas aliàs fortè consequeretur; vt autem ostendi numero 52. quisque dicitur ea re aliqua ratione ligari, qua à beneficiis consequendis impeditur. Cessat tamen hoc impedimentum post hanc vitam; qua Beati ratione præteritorum peccatorum, à nullis beneficiis à Deo consequendis impediri amplius poterunt.

64 Qua ratione in Sacramento semper verè peccatũ remittatur.

Patet Secundò, qua ratione peccatum per Sacramentum confessionis semper dicitur verè aliqua ratione remitti. quia nimirum semper recipitur noua gratia, qua illud impedimentum eatenus minuitur, quatenus homo redditur dignior, qui maiora beneficia à Deo recipiat, quæ gratia etiam ex vi Sacramenti ad hunc effectum directè datur. Cùm tamen dicta indignitas non minuatur in se (quia æqualiter semper manet talem tale peccatum aliquando commisisse) sed solùm per appositionem alicuius rei, qua subiectum redditur dignius quàm antè fuit, numquam potest in hac vita omnino tolli. Sicut si Deus plumbo, relinquendo ei naturalem grauitatem, inderet aliquam qualitatem, quæ haberet vim illud euehendi sursum. Hæc vis si in dies crescceret, minueret quidem semper illud impedimentum, quod grauitas plumbo adfert quo minùs celeriùs sursum feratur: non quidem minuendo ipsam grauitatem secundùm se, sed efficiendo, vt minùs efficaciter euectionem plumbi possit impedire. quantumcumque tamen crescceret, numquam illud impedimentum omnino tolleret. Nam quamdiu grauitas plumbo inest, semper efficit vt cæteris paribus minùs celeriter feratur sursum, quàm aliàs ferretur. Eademque est ratio in dicta indignitate, quæ remisso peccato remaneat. Et hac fortè ratione satis probabiliter explicari posset sententia Caietani citata num. 49.

Caietan.

DVBIVM IX.

Vtrùm verba propriè dicta sint de essentia huius formæ?

65 *Medina. Petrus Soto.*

QVidam putant hanc formam posse validè scripto proferri. Ita Medina cod. de pœnitentia tract. 2. q. 15. §. *Quartum dictum.* Petrus Soto lect. 11. de confessione, & quidam alij ex referendis num. 68. Ratio eorum est Primò, quia hoc Sacramentum sequitur formam iudicij: atqui in aliis iudiciis sententia potest scripto proferri: ergo etiã in hoc. Secundò, quia cõfessio potest fieri scripto, ergo etiam absolutio.

66 Absolutio necessariò proferatur verbis. *Florent.*

CONCLVS. De essentia huius formæ est vt proferatur verbis propriè dictis. Est iam communis Doctorum. Probatur, quia Florentinum in litteris Eugenij generatim dicit Sacramenta constare verbis tanquam forma. quod nisi necessitas aliter cogat, propriè intelligendum est: verba autem propriè solùm dicuntur ea, quæ ore proferuntur.

Confirmatur Primò, quia idem Concilium agens de matrimonio ait: *Causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Vbi dum dicit hunc consensum debere regulariter exprimi per verba, insinuat Primò, hoc non esse ei essentiale. Secundò, si accipere verba propriè pro iis quæ ore proferuntur. Nam si verba velimus largè accipere pro quibuslibet signis æquiualentibus, matrimonium non solùm regulariter, sed omnino essentialiter requireret verba de præsenti: quia nullo modo potest validè contrahi sine signis, quæ præsentem consensum significent pro eo tempore quo contrahitur. Confirmatur Secundò, quia Trident. docet formam huius Sacramenti in illis ministri verbis positam esse, *Ego te absoluo*, &c. Vbi dum ait; *in verbis ministri*; apertè insinuat se loqui de verbis à ministro prolatis. Tertiò, quia, cùm Florent. suprà doceat generatim omnia Sacramenta perfici verbis vt forma, & in aliquibus Sacramentis hoc necessariò intelligendum sit de verbis propriè dictis; hoc ipso quo ab ea regula singulariter excipit matrimonium, apertè insinuat reliqua omnia Sacramenta requirere verba propriè dicta. quia, vt communiter docent Iuristæ, exceptio confirmat regulam. Quartò, quia Sacramenta quæ non requirunt verba propriè dicta, non requirunt etiam verba determinata, vt patet in matrimonio: atqui falsum est hoc Sacramentum non requirere verba determinata: ergo etiam requirit propriè dicta. *Trident. Florentin.*

Ratio à priore est institutio Christi nobis vsu Ecclesiæ, & Conciliorum verbis declarata:

Ad Primum Respondeo Primò ad maiorem. Etsi hoc iudicium in multis sequatur rationem iudiciorum sæcularium, non tamen in omnibus, vt vel inde patet, quòd in hoc iudicio sit idem actor, testis & reus. Respondeo Secundò, negando etiam minorem. quia, etsi multa iudicia requirant vt sententia ex scripto feratur; tamen communiter tam in illis ipsis quàm in aliis necessarium est vt ipsa propriè dictis verbis proferatur: ita vt scriptio nullo modo sit latio ipsius sententiæ; sed solùm conditio requisita, vt possit pro dignitate ferri. Vnde hoc argumentum potiùs pro nobis facit. quod hac ratione probo. Quia iudices subordinati communiter in proferenda sententia debent sequi certam formam à legibus præscriptam, sine qua inualidè eam proferunt. ergo cùm sacerdotes in hoc Sacramento sint iudices subordinati Christo, omnino verisimile est, sicut iis præscripta est certa forma verborum, ita etiam præscriptum esse certum modum quo teneantur sententiam proferre, qui, vt patet ex vsu, non potest esse alius, quàm vt verbis eam pronuntient. 67

Ad Secundum, nego consequ. Primò, quia forma debet esse magis expressa & determinata quàm materia, quæ per eam determinatur. Secundò, quia sæpe accidit pœnitentem non posse aliter confiteri quàm scripto aut signis: vix autem vnquam accidit vt is qui habet hic & nunc potestatem absoluendi, non possit verbis sententiam proferre. quare magis erat necessarium vt confessio posset signis fieri, quàm vt absolutio ita posset fieri. quia rarissimi casus non debent considerari.

DVBIVM X.

Vtrùm absolutio Sacramentalis possit dari absenti?

68

OLim liberiùs licuit ea de re disputare. quare plurimi præsertim Thomistæ affirmarunt absentem validè posse absolui, atque adeò in casu necessitatis etiam licitè. Fundamentum est, quia in aliis iudiciis validè fertur sententia in absentem: ergo etiam in hoc sacramentali. quia nulla est sufficiens ratio hoc negandi. Ita Palud. in 4. d. 17. quæst. 2. vers. *Tertia definitio.* Vbi ait: *Quòd si non possit ire* (scilicet pœnitens) *nec accersere sacerdotem, non tenetur quidem scribere & mandare peccata sua: sed tamen si ipse velit, licet ei scribere & mandare: & illi rescribere, & mandare absolutionem.* Item D. Anto. 3. p. tit. 17. c. 12. & c. 21. §. 3. quærit quid teneatur facere sacerdos qui alium absolnit à peccato à quo eum absoluere non poterat. & respondet, eum teneri petere facultatem, vt possit eum absoluere, & tunc si eum habere præsentem non *Palud. D. Anton.*

potest, air plurimos Doctores in Concilio Basileensi respondisse posse eum absentem absoluere. & deinde addit: *aut vt aliis placet, cùm ex hoc timetur notabile scandalum, tum committat summo Sacerdoti, scilicet Christo: præsertim quando multitudo est sic neglecta.* Vbi clarè ostendit se priorem sententiam retulisse vt probabilem. Idem simili modo docet Silvester v. *Confessor* 3. n.1.& insinuat Fumus v. *Confessio.* n.23. Quia videtur compendio velle referre sententiam Paludani, cuius sententiam etiam expresè docet Petrus Soto lect. 11. de confessione, §. *Tertium istud.* vbi dicit plurimos sui Ordinis hanc sententiam tenere. Idem etiam docet Ioannes Medina cod.de pœnitentia tract.2. qu. 15. §. *Quartum dictum.* vbi ait: *Si peccator non potest confessorem adire, nec eum ad se accersere, probabile est posse per internuntium & litteras absenti confiteri, & ab eodem per litteras sacramentaliter absolui.* Vbi pro hac re alios citat, eamque fusè probat. Quare videtur hæc sententia olim fuisse valdè communis inter Thomistas.

Silvester. *Fumus.* *Petrus Soto.* *Ioannes Medina.*

Iam verò cautiùs hac de re agendum est post definitionem Clementis VIII. in qua hæc propositio, *Licet per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eod absente absolutionem obtinere:* ad minus vt falsa, temeraria, & scandalosa damnatur: & sub pœna excommunicationis prohibetur, ne quis eam vt probabilem publicè aut priuatim doceat, aut defendat, aut ea in praxi vtatur.

Clemens VIII.

69 Conclvs. Inualidè absoluis absentem, etiamsi priùs præsentis confessionem audieris. Ita Soto in 4.d.18.q. 2.art. 6. Cardin. Toletus lib. 3. instruct. sacerd.cap.6. P. Valentia 3.p.disput. 7. quæst. 11. puncto 1. §. *Quod autem.* Suarez disputat. 19. sect. 3. numero 7.

Soto. Cardin. Toletus. Valentia. Suarez.

Probatur, quia verba formæ diriguntur expresè ad personam præsentem, vt patet ex pronomine *Te*, quo significatur, sacerdotem præsentem alloqui: ergo vt verificentur requirunt præsentiam absoluendi.

Dices, Loco *Absolvo te*, potero dicere, *Absolvo Petrum* vel *Paulum*: ergo hac ratione forma poterit dirigi ad absentem.

Respondeo, negando consequ. Quia vt talis mutatio possit fieri in forma, debet ita fieri vt ratione circumstantiarum, & ex modo eam proferendi, ac intentione proferentis omnino idem hîc & nunc significet, quod significant verba consuera formæ: aut aliàs mutatio erit essentialis: vt in simili pluribus ostendi, dum egi de forma baptismi. Confirmatur, quia nulla alia potest reddi causa, cur non possim consecrare materiam omnino absentem, nisi quia verba consuetæ formæ ratione pronominis *Hoc*, diriguntur ad materiam præsentem. Similis autem est etiam ratio in forma absolutionis.

Ad argumentum contrarium Respondeo, esse diuersam rationem in hoc iudicio, & in forensibus: vt patet ex dictis.

DVBIVM XI.

An hoc Sacramentum possit esse informe?

70 Dluus Thomas in 4.d.17.q.3.art. 4. quæstiun. 1. id affirmat, quem communiter ferè Thomistæ cum pluribus aliis grauissimis Doctoribus sequuntur: ob quorum auctoritatem res satis est probabilis. Varios autem adferunt casus in quibus hoc fieri possit, prout tenent diuersas sententias circa dolorem requisitum ad essentiam Sacramenti. Commune autem eorum fundamentum est Primò, quia imperfectior attritio sufficit ad essentiam Sacramenti, quàm ad eius effectum. Secundò, quia aliàs deberemus semper esse solliciti an satisfaceremus præcepto confessionis: quod videtur nimis durum. Sed vtrumque satis refutaui supra numero 40.& 41.

D. Thom.

Conclvsio. Probabilius est hoc Sacramentum numquam posse esse informe, siue ipsum numquam conferri validè quoad essentiam siue effectum, sine collatione gratiæ. Ita Gabriel in 4. d.17.q.1.ar.3.dub. 2.littera T.Med.cod.de pœnitentia tract.2.q.20. sub finem,& alij plures viri docti recentiores. Multi probant, quia, cùm hæc forma significet immediatè suum effectum, scilicet remissionem peccati, si hæc non conferatur, ipsa erit falsa: & consequenter Sacramentum erit inualidum. Sed hoc argumentum non multum conuincit, vt patet ex dictis num. 58. & 59. Probatur igitur, quia, vt ostendi num. 40. nulla attritio sufficit ad valorē Sacramenti, quæ non sufficiat ad eius effectū. quare si adsit talis attritio cum reliquis ad valorem Sacramenti requisitis, ponetur effectus Sacramenti; si absit, Sacramentum erit nullum. Ex quo patet, magnam esse diuersitatem inter hoc Sacramentum, in quo idem actus qui est dispositio necessaria ad ipsius effectum, est etiam ipsius pars essentialis; & inter alia Sacramenta, in quibus dispositio necessaria ad effectum omnino distinguitur ab omnibus iis quæ ad eorum essentiam requiruntur.

71 *Hoc Sacramentū numquam datur informe.* *Gabriel. Medina.* *Differentia inter hoc Sacramentum & alia.*

Et ex his satis refelluntur omnes casus, in quibus communiter DD. solent concedere dari pœnitentiam informem, quia omnes nituntur fundamentis iam refutatis. Duo tamen sunt qui videntur habere aliquam difficultatem. Prior est, quando aliquis, qui commisisset v.c. fornicationem & furtum, inuincibiliter fuisset secundi peccati oblitus, & de priore doleret *propter ipsius particularem turpitudinem* eo dolore qui ipsum sufficienter disponeret ad gratiam per Sacramentum suscipiendam, si illud peccatum fuisset solum, & hoc modo confiteretur: tunc talis validè susciperet Sacramentum. quia haberet sufficientem materiam, & consequenter reliqua omnia ad Sacramenti essentiam necessaria; nec tamen iustificaretur. quia prius peccatum non potest ei remitti sine secundo, nec secundum hîc & nunc ei remitti potest, quia de eo nullam omnino habet pœnitentiam, cùm de solo primo doleat. Sed nec hic casus est admittendus cum ob dicta num. 40. vbi generatim probo nullum dolorem sufficere ad essentiam Sacramenti, qui non sufficiat ad eiusdem effectum: tunc etiam quia ex eo sequeretur posse quem validè suscipere hoc Sacramentum cum actuali affectu peccati mortalis. Quia cùm talis attritio non extendat se virtualiter ad omnia peccata mortalia, potest cum actuali peccato mortali consistere. quare si sit sufficiens materia Sacramenti, nulla erit causa cur ita attritus, qui simul affectum habet erga peccatum mortale, non poterit Sacramentum validè suscipere. quod tamen ferè omnes negant.

72

73

Respondeo itaque talem attritionem nullo modo sufficere ad valorem Sacramenti, nisi virtualiter se extendat ad omnia peccata mortalia.

74

Prob. Primò, quia, vt ostendi nu. 34. 40. & 44. ad essentiam huius Sacramenti requiritur dolor, qui efficaciter rendat ad reconciliationem per Sacramentum obtinendam, ex quo ipsa voluntas confitendi, atque adeò ipsa confessio tanquam effectus à causa procedant. vnde talis attritio necessariò virtualiter includit seriam ac efficacem voluntatem se reconciliandi cum Deo. Nam aliàs non tenderet ex se efficaciter ad reconciliationem. Ex quibus sic argumentor: Omnis seria & ex se efficax voluntas se reconciliandi cum Deo, implicitè includit auersionem ab omni peccato mortali, saltem cuius is qui illam habet est reus: atqui omnis pœnitentia sufficiens ad essentiam huius Sacramenti, continet saltem implicitè talem voluntatem: ergo continet implicitè etiam talem auersionem

ab

ab omni peccato mortali. Minor patet ex dictis.

Omnis serius amor alicuius boni continet implicitam detestationem mali contrarij.

Maior probatur Primò, quia omnis amor serius & efficax alicuius boni implicitè continet detestationem mali contrarij, cum quo illud bonum nullo modo potest consistere: tale autem bonum est reconciliatio cum Deo respectu peccati mortalis existentis in eo, qui vult Deo reconciliari: ergo seria & efficax illius voluntas, siue amor, implicitè continet huius detestationem. Secundò, quia inde omnes meritò colligunt, actum veræ charitatis virtute continere detestationem omnium peccatorum mortalium. Primò, quia ita amans Deum, si recordetur se esse in aliquo peccato mortali, necessariò hoc detestatur. Secundò, quia implicat aliquem amare Deum super omnia, & simul velle peccatum mortale: atqui eodem modo se habet seria & efficax voluntas se reconciliandi cum Deo respectu cuiusuis peccati mortalis: ergo eodem modo continet implicitè ipsius detestationem.

75 Dices, Peccator petens vt Deus sibi remittat peccata, habet voluntatem reconciliandi se Deo, & tamen inde non sequitur eum habere implicitam contritionem aut attritionem: ergo idem dicendum erit in altero casu suprà adducto.

Respondeo, negando consequentiam. Nam non omnis qui petit remissionem peccati à Deo habet seriam & ex se efficacem voluntatem se ei reconciliandi, sed sæpè solam quandam velleitatem, quæ potest consistere cum actuali affectu erga peccatum mortale. Secùs est de pœnitentia & voluntate reconciliandi se Deo necessaria ad essentiam huius Sacramenti, quæ nullo modo potest consistere cum actuali affectu ad peccatum mortale, vt dixi n. 73. Vnde patet hanc voluntatem longè aliter se habere respectu peccati mortalis, quàm se habeat illa altera.

Secundus casus est, quando aliquis perfectè attritus 76
sua peccata confiteatur, antequam tamen absoluatur peccat mortaliter, & sic sine alia attritione absoluitur. Tunc enim videtur esse validum Sacramentum, quia ponitur ibi vera ac sufficiens ipsius materia, nec videtur quidquam ad eius essentiam necessarium deesse. Sed omnino dicendum est, etiam eo casu Sacramentum esse nullum, quia ad eius essentiam non sufficit quòd eius materia fuerit aliquando posita; sed necessarium est vt vel actu, vel saltem habitualiter & interpretatiuè adhuc sit dum datur absolutio. Et si autem talis initio habuerit legitimam attritionem, hanc tamen omnino reuocauit ac destruxit per subsequens peccatum mortale: ita vt nec actu, nec habitualiter sit cùm datur absolutio.

Posset hìc vlteriùs disputari de necessitate huius Sacramenti, sed si loquamur de necessitate præcepti, eam meliùs explicabo disp. sequenti dub. 1. Si autem loquamur de necessitate medij, hanc sufficienter explicui in simili, tomo 1. q. 68. art. 2. dub. 1. vbi docui qua ratione baptismus sit adultis necessarius necessitate medij. Eadem enim omnino ratione hoc Sacramentum est iis necessarium qui in peccatum mortale post baptismum relapsi sunt.

DISPVTATIO V.

DE

CONFESSIONIS SACRAMENTALIS NECESSITATE.

DVBIVM I.

Vtrùm confessio omnium peccatorum mortalium sit iure diuino necessaria?

1 NOTA Primò, ex triplici capite hanc necessitatem posse prouenire, Primò, ex præcepto diuino. Secundò, quatenus est medium necessarium ad remissionem peccati mortalis, in quo quæritur, Vtrùm susceptio huius Sacramenti sit necessaria necessitate medij ad remissionem peccati mortalis? Tertiò, quatenus est necessaria ad essentiam Sacramenti, vbi quæritur, Vtrùm possit aliquo casu hoc Sacramentum validè suscipi sine confessione?

2 *Montanistæ. Nouatiani. Sectarij nostri. Bellarm.* Circa Primum varij olim fuerunt errores Montanistarum & Nouatianorum negantium in Ecclesia esse veram potestatem absoluendi à peccatis, quos nostri Sectarij secuti valdè variè & inconstanter hac de re loquuntur, vt docet Cardin. Bellarmin. lib. 3. de pœnitentia c. 1. communiter autem doctrinam Ecclesiæ catholicæ hac in re damnant.

Circa Secundum quidam putarunt hoc Sacramentum ita esse necessarium necessitate medij ad remissionem peccati, vt sine reali illius susceptione hoc etiam perfectè contrito non remittatur, quibus ex parte consentit Medina citatus à nobis suprà disp. 4. n. 35. *Medina.*

Circa Tertium est quorundam modernorum sententia, hoc Sacramentum posse aliquando validè conferri, etsi nulla præcesserit confessio. Nam si aliquis incidens in vitæ periculum ita subitò destituatur omnibus sensibus, vt non possit vllo signo aut confessionem petere, aut dolorem peccati ostendere, aiunt eum validè à peccatis absolui, si interiùs de peccatis verè doleat. Probant Primò, quia essentia Sacramenti consistit in sola absolutione. Secundò, quia D. August. lib. de adulter. coniugiis c. vlt. videtur id asserere. *D. August.*

Conclvsio I. Fide tenendum est, nos iure diuino 3
teneri particulatim sacerdoti confiteri omnia peccata mortalia, quæ post baptismum commisimus, quantum morali diligentia adhibita id facere possumus. Ita contra hæreticos definit Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 7. Hanc conclus. plurimi qui hoc tempore scripserunt controuersias, fusissimè ac doctissimè probant. & inter cæteros Cardin. Bellarm. toto l. 3. de pœnitentia, & inter Theologos P. Valentia 3. part. d. 7. q. 9. punct. 1. & P. Suarez disp. 17. sect. 2. & disp. 35. sect. 1. Nos autem eam pro ratione instituti breuiter probabimus. *Iure diuino tenemur confiteri omnia peccata mortalia. Trident. Bellarm. Valentia. Suarez.*

Probatur igitur Primò, quia Ioan. 20. Christus con- 4
stituit Apostolos, eorumque successores iudices cum vera potestate peccata vel remittendi vel retinendi: *Ioan. 20.*

atqui ipsi nobis possunt hoc iudicium legitimè & prudenter exercere, nisi statum pœnitentis eiusque peccata cognoscant, nec hæc possunt cognoscere nisi ipse ea confiteatur: ergo hoc est necessarium, sicut est necessarium vt à peccatis liberemur.

Hæretici communiter negant maiorem. Sed eam sufficienter probaui disp. 4. dub. 2. Minor etiam per se clara est, quia sacerdos nullo modo potest legitimè iudicare de re incognita, aut discernere qui sint legitimè dispositi vt à peccatis absoluantur, & qui non sint, nisi vtrorumque statum & cautas cognoscat. Nec potest hæc cognoscere nisi ea ipsi explicent, cùm illorum cognitio pendeat à rebus omnino occultis.

5 Dices Primò, sufficere vt pœnitens confiteatur sua peccata in genere, aut vt summum aliqua in particulari, & dicat se de iis dolere.

Quare necessaria sit integra confessio.

Respondeo, neutrum sufficere, quia ex eiusmodi confessione sacerdos non potest prudenter iudicare de statu pœnitentis, qui habebit fortè aliqua peccata, à quibus non poterit absolui, nisi eorum occasiones prius remoueat. Item sacerdos ignorabit quam satisfactionem vel ad puniendum præterita peccata, vel ad cauenda futura, necessarium sit ei iniungere; ad quos tamen fines obtinendos ipsa confessio est instituta. Nec satisfacit, si reus dicat se satis esse dispositum, nec imminere sibi vllum periculum peccandi, & talem vel talem pœnitentiam hic & nunc sibi fore vtilem: quia hæc omnia despicere non est rei sed iudicis. Quare etsi sacerdos teneatur pœnitenti credere dicenti se hoc vel illud fecisse, aut non fecisse: se dolere de peccatis, aut non dolere (quia certificare iudicem de iis, quæ reus fecit aut non fecit, & de toto statu ipsius causæ, est officium ipsius testis, cui iudex solet in iudicio credere;) tamen non tenetur ei credere dicenti se legitimè esse dispositum: quia hoc discernere non est officium accusatoris, aut testis, aut rei (quorum personam pœnitens sustinet) sed ipsius iudicis, qui tamen hoc legitimè facere nequit, nisi causa legitimè cognita. Quare si sufficeret talis confusa confessio, sacerdos nullo modo posset dici exercere officium veri iudicis: nec tam suam sententiam, quæ debet procedere ex propria cognitione, quàm alienam proferret.

Vtrùm pœnitens sit rite dispositus, ac qualis pœnitentia ei sit iniungenda ui-dere, est solius confessarij.

6 Dices Secundò, hinc tantùm sequi, eos solos teneri confiteri sua peccata, qui volunt à sacerdotibus absolui, non autem eos qui per contritionem volunt Deo satisfacere: sicut si Rex dedisset alicui potestatem remittendi debita omnibus regiis debitoribus, qui hanc gratiam ab eo peterent; solùm illi tenerentur hanc gratiam petere, qui nollent Regi aliter satisfacere.

Omnis peccator indiget sacerdotis absolutione.

Respondeo, negando assumptum, quia nullus existens in peccato mortali potest Deo pro eo vlla ratione de condigno satisfacere, quare vt ab eo liberetur, necessariò indiget vt Deus hoc ei remittat. Vnde longè diuersa ratio est peccatoris respectu Dei, & debitoris respectu Regis, quia hic potest Regi de condigno satisfacere, ille non. Vt autem Deus condonet peccatori suum peccatum, etsi ante institutionem huius Sacramenti sufficiebat contritio, quia Deus tunc non exigebat aliam conditionem; posita tamen huius Sacramenti institutione, qua Deus quasi publicum tribunal erexit pro omnibus qui post baptismum essent lapsi in peccatum mortale: manifestè videtur ad remissionem peccati exigere, vt quis se illi tribunali sistat; ita vt numquam quantumuis contrito remittatur peccatum sine reali confessione, aut illius voto, & directa ad eam obligatione. Sicut etsi ante institutionem baptismi contritus potuerit sine eo saluari, iam verò nemo adultus saluari potest sine eius susceptione in re vel in toto.

Confirmatur Primò, quia, sicut baptismus est institutus ad remissionem peccatorum, quæ ante ipsum committuntur: ita confessio est instituta ad remissionem eorum, quæ post ipsum committuntur: vt colligitur ex plurimis Patribus, qui hæc Sacramenta hac ratione inter se comparant. Vide suprà d. 4. n. 6.

Confirmatur Secundò, quia omnino ad huius tribunalis dignitatem pertinet, vt rei non solùm possint, sed etiam teneantur illud adire. Multum enim de talis tribunalis dignitate detraheret, si quis liberè posset illud non curare.

Potestas retinendi peccata clarè probat necessitatem ea confiendi.

Tertiò, quia, etsi posito casu quòd Christus solùm dedisset Apostolis potestatem remittendi peccatum, non potuisset fortè tam clarè ostendi hæc necessitas confessionis; tamen cùm dederit iis etiam potestatem ea retinendi, clarè ea necessitas euincitur. Nam si peccator possit in hac vita omnimodam peccati sui remissionem obtinere sine confessione, aut obligatione ad eam; sequitur Christum Ioan. 20. nullam veram potestatem retinendi peccata Apostolis dedisse. Nam si sacerdotem retinere peccata nihil sit aliud quàm pura negatio remissionis, siue ipsum ea non remittere sine vlla obligatione in ipso reo: hanc potestatem retinendi peccata habebant Apostoli ante illam Christi concessionem, sicut iam etiam infideles eam habent. Hi enim verè possunt aliis sua peccata non remittere: sicut possum non creare cælum. Sicut igitur Christus ridiculè egisset, si dedisset Apostolis potestatem non creandi cælum: sic etiam dando illis talem potestatem non remittendi peccata. Quare ne in tale absurdum incidamus; dicendum est, Christum dedisse Apostolis potestatem retinendi peccata aliquo modo positiuè, prout hoc positiuè fieri potest, quatenus voluit peccatorum remissionem ab eorum absolutione ita pendere, vt nullum peccatum mortale post baptismum commissum in hac vita pleuè remitteretur, saltem sine voto & directa obligatione ad confessionem. Vnde fit vt quamdiu ipsi peccatorem etiam contritum à suis peccatis non absoluunt, tam diu ipsius vincula (quibus ratione obligationis ad confitendum adhuc constringitur) continuent: sicut iudex continuat rei vincula, quamdiu ea non laxat. Ita D. Hilarius citandus infrà num. 13.

In quo consistat potestas retinendi peccata.

Hilarius.

Probatur Secundò ex 1. Ioan. 1. vbi dicitur: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra.* Vbi apertè dicitur, Deum ex fidelitate & iustitia remittere peccata iis qui ea confitentur. Hanc enim conditionem necessariò requiri significant illa verba: *si confiteamur*, &c. Vnde sequitur, Deum alicubi promisisse remissionem peccati iis qui illud confitentur: quia aliter non posset ad hoc ex fidelitate aut iustitia obligari. Dicimus autem hanc promissionem factam Ioan. 20. vbi Christus dedit Apostolis potestatem remittendi peccata iis qui ea confitentur. Quòd autem hæc confessio debeat fieri non Deo (vt volunt hæretici) sed hominibus patet tum ex iam dictis, tum ex Iacobi 5. vbi dicitur, *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra*, scilicet homines hominibus, non quibuslibet, sed sacerdotibus qui habent potestatem soluendi. Nam cùm Apostolus paulò antè iussisset presbyteros induci ad infirmum vt orarent super eum subdit: *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* Vbi particula *ergo* indicat Apostolum hanc confessionem aliquando requirere tàmquam conditionem necessariam, vt per orationem sine absolutionem presbyteri infirmo peccata remittantur. Etsi enim Apostolus ibi loquatur de Extrema vnctione, eiusque virtute: tamen simul etiam facit mentionè confessionis, insinuatque eam ad remissionem peccati esse necessariam, quàdo fieri potest. Hæc etiam confirmat illud Actor. 19. *Multique credentium* Act. 19.

8 1. Ioan. 1.

Fidelitas supponit promissionem.

9 Iacobi 5.

Olim peccata sua confessi sunt.

venibant, scilicet ad Paulum, confitentes & annunciantes actus suos. timore nimirum perculsi ob pœnã quorundam Iudæorum, qui temerè tentauerant eiicere dæmonia, vt habetur versu præcedente. Quare nõ annuntiabant miracula sua, vt ineptè asserit Lutherus, sed peccata sua, ob quæ scilicet timebant puniri. Vnde etiam qui fuerant curiosa secuti, id est, qui magiæ fuerant dediti, ibidem dicuntur tradidisse libros suos cõburendos. Nec satisfacit quod aliqui dicunt eos tantũ generatim aliqua peccata dixisse: quia simpliciter ibi dicitur eos confessos fuisse, & annuntiasse actus suos, quæ verba innuunt eos peccata sua particulatim enarrasse.

10 Probatur Tertiò, quia ab initio Ecclesiæ confessio omnium peccatorum semper fuit in vsu, & æstimata necessaria ad remissionem peccatorum percipiendam: ergo iure diuino fuit instituta. Consequentia probatur Primò, quia valdè verosimile est hoc præceptum numquam solo iure humano potuisse hominibus imponi. Secundò, quia Patres communiter probant necessitatem confitendi aut ex Matth. 16. vt D. Hieronym. aut ex Matth. 18. vt D. Athanasius, & August. infrà citandi, aut ex Ioan. 20. clarè ostendentes hanc necessitatem nobis à Christo impositam.

Matth. 16. D. Hieron. D. Athan. D. August. Ioan. 20. Tertullian.

Confessio probatur ex Patribus.

Maior probatur Primò ex Tertulliano, qui libro de pœnitentia loquens de confessione ait: *Pleroſque tamen hoc opus vt publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudorè magis memores quam ſalutis: velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia pereunt.* Et infrà: *Grande planè emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur, videlicet ſi quid humanæ notitiæ ſubtraxerimus, proinde & Deum celabimus? Adeòne exiſtimatio hominum & Dei conſcientia comparabitur? An melius eſt damnatum latère, quàm palam abſolui?*

11 Ex quibus patet Primò, Tertullianum ibi loqui de confessione faciẽda homini, vt patet tum ex toto contextu: tum ex iis verbis: *ſi quid humanæ notitiæ*, &c. Et tamen ante verba citata definiens confessionem ait: *Is actus, qui magis Græco verbo exprimitur & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum noſtrum Domino confitemur.* Vnde patet Secundò, antiquos Patres pro eodem accepisse aliquem confiteri Domino, & confiteri secretò sacerdoti. Patet Tertiò, eum sensisse hanc cõfessionem esse necessariam ad salutem; vt patet ex illis verbis: *& ita cum erubeſcentia pereunt*, & illis: *an melius eſt damnatum latère*, &c. Patet Quartò, eum requirere talem confessionem, in qua nullum omnino peccatum mortale celetur, vt patet tum ex illis verbis: *ſi quid humanæ notitiæ ſubtraxerimus.* vbi apertè significatur nihil posse subtrahi sine periculo salutis. Tum etiam quia nulla fuisset difficultas aut verecundia in confitendo, si quinis pomisset ea celare, quæ erubuisset confiteri.

Antiqui erasebant sacramentalem confessionem non tam fieri homini quàm Deo.

12 Secundò, Origenes hom. 2. in Leuitic. *Eſt*, inquit, *adhuc & ſeptima, licèt dura & laborioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cùm lauat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ ſuæ panes die ac nocte, & cùm non erubeſcit ſacerdoti Domini indicare peccatum ſuum.* Vbi cùm præter dolorem, lacrymas & gemitus adhuc requirat confessionem, ostendit illa sine hac non sufficere.

Origen.

D. Cyprian. Tertiò, D. Cyprianus serm. 5. de lapsis: *Quanto*, ait, *& fide maiores, & timore meliores ſunt, qui quamuis nullo ſacrificij, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitarunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolentes & ſimpliciter confitentes exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licèt ac modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe, Deus non irridetur. Deridere & circumueniri Deus non poteſt, nec aſtutia aliqua fallente deludi: plus imò delinquit qui ſecundùm hominem Deum cogitans cunctare ſe pœnam criminis credit, ſi non palam crimen admiſit.* Vnde habemus etiam cogitationes internas confitendas esse; idque non solùm esse consilij (vt hæretici aliqui volunt) sed necessitatis. Quod patet Primò ex illis verbis: *& timore meliores ſunt.* vbi ostenditur, tales meritò timere sibi aliquod malum nisi confiteantur. Secundò ex illis: *ſcientes ſcriptum eſſe, Deus non irridetur*, &c. vbi clarè ostendit, eos qui talia non confitentur, velle Deo illudere. Vnde infrà de tali agens, cùm dixisset eum minùs deliquisse, quàm si facto externo peccasset, subdit: *Nec ceſſes in agenda pœnitentia, atque in Domini miſericordia deprecanda, ne quod minus eſſe in qualitate delicti videtur, in neglecta ſatisfactione cumuletur. Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui delinquit in ſeculo eſt, dum admitti confeſſio eius poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per ſacerdotes apud Deum grata eſt.* Ex quibus verbis patet, nos teneri etiam interna peccata ea intentione confiteri, vt nobis per sacerdotes remittantur: idque ad salutem esse necessarium.

Peccata etiam interna confitenda sunt.

Quartò, Lactantius lib. 4. Diuinar. institut. cap. 17. cùm docuisset cordis circumcisionem consistere in eo, quòd conscientias nostras sacerdotibus aperiamus, subdit: *Volens enim* (scilicet Deus) *vitæ ac ſalutis noſtræ pro æterna ſua pietate conſulere, pœnitentiam nobis in illa circumciſione propoſuit, vt ſi cor nudauerimus, id eſt, ſi peccata noſtra confeſſi, ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur, quæ contumacibus & admiſſa ſua celantibus denegatur.* Vbi apertè docet, confessionem peccati esse necessariam vt pro eo Deo faciamus satis, ac veniam consequamur.

13 *Lactantius.*

Quintò, D. Hilarius can. 18. in Matth. *Immobile*, ait, *ſeueritatis Apoſtolicæ iudicium præmiſit: Vt quos in terris ligauerint, id eſt, peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos ſoluerint, confeſſione videlicet veniæ receperint in ſalutem: hi Apoſtolicæ conditione ſententiæ in cælis quoque aut ſoluti ſint, aut ligati.* Vbi clarè habemus, peccatorem tam diu manere ligatum in cælis, quàm diu non absoluitur à sacerdotibus in terra.

D. Hilarius.

Sextò, D. Chrysost. hom. 33. in Ioann. *In peccatis*, inquit, *quæ commiſimus confitendis neminem verecamur, Deum dumtaxat, vt decet, formidemus, qui & nunc operta noſtra videt, & tunc quos in præſentia non pœnitet damnabit.* Et lib. 2. de Sacerdotio ait: *Multa quidem arte opus eſt, vt qui laborant Chriſtiani, vltrò ſibi perſuadeant, ſacerdotum curationi ſeſe ſubmittere oportere.* Vbi apertè docet, necessarium esse ad salutem peccata sua confiteri, non solùm Deo, sed etiam sacerdoti. Nec enim verecundamur ea confiteri Deo, sed hominibus: & submittere se curationi sacerdotum non est aperire sua vulnera Deo, sed sacerdoti, quem in his libris clarissimè docet habere potestatem peccata remittendi, vt legenti apertissimum est, & maximè in verbis citatis suprà disp. 4. n. 22.

14 *D. Chryſoſt.*

Vnde quando aliis quibusdam locis dicit peccata non esse confitenda hominibus sed Deo, non ideo hoc facit, quòd putet sacramentalem confessionem non esse necessariam, aut quòd velit hãc abrogare: sic enim & aliis omnibus Patribus, & sibiipsi contradiceret: sed solùm oppugnat confessionem publicam, quam recenter à decessore suo Nectario abrogatam vehementiùs infectatur. Et hanc confessionem dicit fieri hominibus & conseruis, & opponit non solùm ei quæ interiùs in corde fit proprie soli Deo, sed etiam ei quæ fit sacramentaliter sacerdoti vt vicario ipsius Dei, quam ideo Patres dicunt fieri potiùs Deo, quàm homini, vt patet ex dictis n. 11. Hinc dum negat nos debere confiteri hominibus, ferè addit causam: quia non debemus confiteri in theatro, aut coram testibus, aut coram seruis nostris, qui possunt crimina exprobrare; quæ omnia conueniunt in confessionem publicam, nullo autem modo in priuatam sacramẽtalem, quia hæc nec

15 Quam cõfessionem S. Chrysostomus improbet.

sit in theatro, nec coram testibus nec ei, qui possit ea exprobrare; nec etiam coleruo, sed vicario Dei, quem hoc munere fungentem nunquam Chrysostomus vocasset consueuit, cùm enim supra omnes Imperatores, & supra ipsos angelos in libris de sacerdotio extollat.

16 Et hæc explicatio pro plurimis locis, quæ hæretici ex eo citare solent, optima est & genuina. Quædam tamen loca habet, quibus non potest ita accòmodari. Nam homilia 31. in Epistolad Hebræos ait: *Ante Deũ confitere peccata tua: apud verum iudicem cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria.* His similia etiam aliis locis habet, in quibus apertè videtur asserere, solam mentalem confessionem esse necessariam, quæ non potest esse sacramentalis.

Respondeo, D. Chrysostomum in omnibus eiusmodi locis non agere de confessione requisita vt à peccatis absoluamur, quæ sacramentalis est, & quam ipse in locis suprà citatis ad remissionem peccati omnino dixerat esse necessariam: sed agit de confessione, qua remissa iam culpa satisfacimus Deo pro pœnis restantibus ad quod fuerat olim in quibusdam casibus instituta publica confessio, quam vbique Chrysostomus insectatur, & vult in eius locum succedere con-
Isaiæ 38. fessionem internam, qua cum Ezechia Isaiæ 38. recogitamus Deo omnes annos nostros in amaritudine animæ nostræ. Hinc nullibi dicit non esse confitendum sacerdoti ac vicario Dei (quod tamen maximè debuisset facere, si voluisset oppugnare sacramentalem confessionem, & priora sua dicta reuocare;) sed non esse confitendam hominibus, & coram testibus, apertè insectans solam publicam confessionem. Simi-
Cassianus. li modo intelligendus est Cassianus Chrysostomi discipulus, dum collatione 20. c. 8. docet, erubescentes peccata sua confiteri coram hominibus, debere ea iugi supplicatione confiteri Deo, qui ea fine improperatione condonat. Nam ex publica confessione timebatur improperatio, non autem ex sacramentali.

17 Septimò, insignis ad dicta hæc confirmanda est lo-
D. Ambros. cus D. Ambrosij lib. 2. de pœnitentia c. 9. vbi ait: *Plerique futuri supplicij metu peccatorum suorum confessi pœnitentiam petunt; & cùm acceperint, publicæ supplicationis reuocantur pudore.* vbi apertè distinguit vtramque confessionem, ita vt prima secretò fierer. Nam vt quis posset petere pro suis peccatis à sacerdote pœnitentiam, debebat ea necessariò confiteri, vt ille sciret qualis pœnitentia deberet iniungi, & pro quibus peccatis publica pœnitentia deberet agi. De qua confessione ibidem c. 6. dixerat: *Si vis iustificari, fatere delictum tuũ; solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.* Vbi apertè ostendit, hanc necessariam esse ad iustificationem: & satis insinuat etiam verecundos hanc non ita exhorruisse, quia sine periculo infamiæ fiebat. Secunda erat publica in ordine ad satisfactionem, à qua dicit multos pudore fuisse reuocatos. Similia ha-
Origenes. bet Origenes homil. 2. in Psal. 37. super illud: *Quoniam iniquitatem meam ego pronuntio.* Vbi cùm fusè docuisset necessitatem confessionis, tandem monet cautè circumspiciendum esse cui confiteamur, ac subdit: *si quid consilij dederit, facias & sequaris. Si intellexerit & preuiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortasse & ceteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari.* Vbi apertè ostendit, secretam confessionem debuisse præcedere publicam.

18 Octauò, D. August. tract. 49. supra Ioannem com-
D. August. parans pœnitentes Lazaro resuscitato ait: *Vt confiteatis, Deus facit, magna voce clamando, id est, magna gratia vocando: ideo cùm processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, vt solverentur peccata eius, ministris hoc dixit Dominus: Soluite illum, & sinite abire. Quid est, Soluite & sinite abire? Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cælo.*

Has auctoritates paucas ex plurimis selegi, ex quibus satis patet, ab initio Ecclesiæ semper omnium Patrum atque adeò totius Ecclesiæ fuisse hunc sensum. Quod pulcherrimè docet Cardin. Bellarm. lib. 3. de *Cardin. Bellarm.* pœnitent. cap. 5. & sequentibus: Vbi ostendit à temporibus Apostolorum illustrissimos quosque Patres, ac Ecclesiasticos Scriptores hanc sententiam vt in Ecclesia indubitatam semper tenuisse. Quare donec hæretici apertè doceant quando hæc opinio in Ecclesia esse inceperit, secundùm regulam D. August. lib. 4. de ba- *D. August.* ptism. c. 24. clarè conuincimus, eam non ab aliis quàm ab ipsis Apostolis atque adeò ab ipso Christo manasse.

Demum probatur conclusio ratione. Primò, quia 19
constat iam à multis sæculis omnes Catholicos credidisse, omnium peccatorum mortalium cõfessionem esse necessariam ad salutem, atqui incredibile est, quòd vnquam homines, præsertim Reges & Principes tam sæculares quàm Ecclesiastici, permisissent legem, quã sæpè vt difficillimam apprehendunt, sibi imponi, nisi intellexissent à Deo esse institutam: ergo hoc asserendum est. Secundò, quia aliàs aliqui tantæ rei notassent initia, & tam duro præcepto reclamassent: cuius tamen nulla indicia in antiquis historiis apparent.

Respondent hæretici, necessitatem confitendi pri- 20
mò inductam esse in Concilio Lateranensi sub Inno- *Innoc. III. in Concil. Lateranen. non præcepit confessionem, sed eius frequentationem.*
centio III. idque etiam nostros annales fateri, sed cautè nullum locum citant: quia vtrumque apertum mendacium est. Nam Innocentius in Concilio Lateranẽsi non præcepit primùm confessionem, ad quam, vt iam ostendi, ab initio Ecclesiæ quicumque post baptismum mortaliter peccarant, fuerant obligati; sed peruersam quorundam consuetudinem correxit, qui ad multos annos confessionem & communionem differebant, præcipitque vt omnes singulis annis vtrumque Sacramentum perciperent. Nec aliud voluit Pla- *Platina.*
tina (quem indoctè vel potiùs malitiosè pro nostris annalibus videntur hæretici citare) dum in vita Zepherini Pontificis scribit, huius decretum de percipienda in paschate Eucharistia extensum fuisse ab Innocentio III. ad confessionem.

Quamuis nec hæc ita accipienda sint, quasi Inno- 21
centius III. primus tum tulerit legem de annua confessione aut communione, sed quòd eam iam olim latam, ad corrigendam multorum negligentiam, qua paulatim in desuetudinem ibat, grauioribus verbis ac pœnis sanciuerit. Nam vtramque legem iam olim fuisse patet tum ex decreto Zephirini circa communionem: tum etiam ex D. Gregorio Nysseno, qui in *D. Gregor. Nyssenus.*
epist. ad Episc. Mitylenenses in to. 3. Bibliothecæ SS. Patrum docet, fideles omnes suo tempore debuisse in *D. Chrysost.*
paschate confiteri. Et D. Chrysostomo, qui hom. 3. in Genes. ait: *Quia in magnam hanc hebdomadam peruenimus, Dei gratia nunc maximè & ieiunij cursus intendendus, & magis continuanda sunt preces faciendáque diligens & pura peccatorum confessio.*

Obiicit Caluinus Primò, patere ex multis veterum 22
clarissimis testimoniis, confessionem neque à Christo, *Caluini sycophantia, ac mendacia.*
neque ab Apostolis, sed ab Episcopis fuisse institutam: illis tamen clarissimis testimoniis (quia multa quidem promittere, nulla verò reperire aut proferre poterat) relictis obscuram quandam ex Zozomeno refert historiam, quam multi diuersimodè referunt, eò quòd Zozomeni textus obscurus sit: & in ea referenda Caluinus suo more aperrissima quædam miscet mendacia: vt apertè ostendit Cardin. Bellarmin. lib. 3. de *Cardin. Bellarm. Nouatian.* pœnitentia cap. 14. Qui etiam ibidem satis clarè probat historiam ibidem narratam fuisse huiusmodi.

Primùm igitur in ea dicitur, incipientibus Nouatianis accusare Catholicos, quòd lapsos admitterent *Cur olim instituta sit publica confessio.*

ad communionem; fuisse in singulis Ecclesiis vnum presbyterum constitutum, quem lapsi in grauiora & publica crimina (nam, sicut Nouatiani solùm accusabant Catholicos, quod hos ad communionem admitterent, ita illud tribunal pro his solis fuit erectum;) cogerentur omnes adire, vt ipse confessione eorum secretò audita discerneret quæ crimina publicè ad aliorum satisfactionem essent confitenda, & quæ pœnitentia pro iis agenda: vt Prælati hac ratione ostenderent se nonnihil prudentissimè, & cum summa circumspectione, ac iusta satisfactione ita lapsos ad communionem admittere. Dicitur autem eum presbyterum debuisse esse prudentem, & tenacem secreti, ne aliqua aut ipse propalaret, aut propalari iuberet, quæ occultanda erant. Accidit autem tempore Nectarij Constantinopoli hac occasione publicari crimen nobilis fœminæ quædum diu ratione publicæ pœnitentiæ in Ecclesia moraretur, cum quodam Diacono peccarat. Vnde fuit magnum scandalum ortum in populo, & persuasum Nectario Episcopo vt officium illud publici Pœnitentiarij, & simul omnium publicam confessionem ac pœnitentiam ex sua Ecclesia tolleret, quod multæ Ecclesiæ primùm in Oriente, tandemque etiam in Occidente imitatæ sunt. *Nectarius.*

23 Ex qua historia hæretici falsò colligunt Primò, tempore Nouati fuisse primùm ab Episcopis institutam confessionem: nam tunc solum fuit instituta publica confessio, priuatam enim iam diu antè fuisse, patet ex testimoniis nu. 10. citatis. Secundò, vnum tantùm fuisse confessarium in singulis ciuitatibus, & consequenter non omnes fuisse coactos confiteri: quia vnus non poterat omnes audire. Sed malè id colligit: quia ille solùm erat constitutus pro iis qui publicam debebant agere pœnitentiam, qui non erant ita multi, & soli apud antiquos communiter dicuntur Pœnitentes. Tertiò, colligunt confessionem absolutè à Nectario fuisse sublatam. Sed hoc etiam falsò: quia solam publicam sustulit.

24 Quod patet Primò, quia hæc sola poterat esse occasio talis scandali. Secundò, quia aliàs ab aliis Episcopis, & maximè à Romanis, qui omnes, vt ostendi suprà, crediderunt obligationem confitendi esse iuris diuini, fuisset grauiter reprehensus. Tertiò, quia ipse Zozomenus l. 7. historiæ c. 16. vbi dictam historiam refert, apertè faretur confessionem esse iure diuino ad salutem necessariam, quare non potuit censere eam à Nectario potuisse auferri. Quartò, quia hactenus Græci semper confessionem secretam vt obligantem obseruauerunt: vt patet ex Nicolao Cabasila. cap. 29. in explicatione liturgiæ; & ex censura Patriarchæ Ieremiæ, qua nuper Lutheranam hæresin damnauit.

Nectarius olim solam publicam confessionem sustulit. *Zozomenus.* *Nicolaus Cabasila.*

25 Obiicit Secundò, impossibile esse omnia peccata confiteri, iuxta illud: *Delicta quis intelligit?*

Respondeo, non exigi maiorem peccatorum explicationem, quàm possimus morali adhibita diligentia facere: vt ostendam disp. 7. Quare nihil impossibile præcipitur.

Obiici Tertiò, Eadem est iam remissio peccatorum, quæ fuit olim: atqui ante Christum contrito statim remittebantur peccata sine onere confitendi: vt patet Ezechiel. 18. & 33. ergo etiam sic modò remittuntur. Et confirm. quia non legimus aut Christo, aut Apostolis vllos fuisse confessos. *Ezech. 18. & 33.*

Respondeo, Si maior ita intelligatur, quasi nihil hoc tempore requiratur ad remissionem peccati mortalis, quod non fuerit requisitum olim, neque contrà olim aliquid fuerit requisitum, quod iam non requiratur (sicuti debet intelligi vt faciat ad rem) est apertè falsa. Nam ex ea sequeretur, infideles posse iam obtinere remissionem peccatorum sine vlla obligatione ad baptismum, & infantes posse iustificari per circumcisionem, vt olim iustificabantur: item olim potuisse tam infantibus quàm adultis remitti peccata per baptismum, sicuti iam remittuntur, quæ omnia apertè falsa sunt. Minor etiam apertè falsa est, si generatim sumatur. Nam Numer. 5. Iudæi iubentur confiteri peccata sua, & sacrificium pro iis offerre. Quamuis autem hæc confessio non fuerit sacramentalis, sed tantùm cæremonialis, nec habuerit locum in omnibus peccatis, sed tantùm in quibusdam, vt cum probabiliore sententia docet Suarez disp. 25. sect. 1. nu. 2. tamen ex eo loco benè sequitur Deum pro remissione peccatorum diuersis temporibus diuersa exegisse, & aliquando in particulari eorum confessionem, quod iam contendimus. *Numer. 5.* *Suarez.*

Ad illud Ezech. 18. & 33. Respondeo, peccatorem baptizatum contritum statim quidem iustificari, sed cum obligatione suo tempore confitendi: sicut non baptizatus contritus iustificatur cum obligatione suscipiendi baptismum. Ad confirmationem Respondeo, non esse mirum si Christus dum viueret, remiserit peccata sine obligatione confitendi: quia tunc hoc Sacramentum nondum erat institutum. Apostolos autem numquam audiuisse confessiones, falsum est, vt ostendi num. 9. *Ezech. 18. & 33.*

Quartò obiicit Kemnitius, Christus non aliter misit Apostolos, quàm ipse missus fuerat à Patre: atqui ipse remisit peccata audita solùm generali confessione: ergo simili modo Apostoli ea remiserunt. *Kemnitius.*

Respondeo, negando consequ. quia alia fuit ratio Christi, alia Apostolorum. Nam Christus pro sua auctoritate, quatenus erat filius Dei, atque adeò Deus, & de iustitia pro omnium peccatis satisfecerat, poterat ea remittere prout vellet independenter ab omni Sacramento. Item ipse ea remittebat nondum instituto hoc Sacramento. Tertiò, ipse non indigebat confessione aliorum, cùm omnia peccata per se nosset. Vnde legimus eum paralytico Lucæ 5. remisisse peccata sine vlla omnino confessione. Secùs se habebant hæc omnia in Apostolis, vt per se patet. Longè meliùs sic fuisset argumentatus Kemnitius: Christus voluit Apostolos remittere peccata sicut ipse ea remisit: atqui ipse ea non solùm denuntiauit remissa, sed verè remisit, idq; eo solùm modo quo acceperat à Patre potestatem ea remittendi; & quidem tunc solùm quando habebat perfectam tam eorum, quàm status pœnitentium cognitionem: ergo similiter Apostoli verè remiserunt ipsa peccata; idque tunc solùm, (saltem in baptizatis) quando habebant perfectam cognitionem tam criminum, quàm status pœnitentium, quantum scilicet homo eam habere potest; & consequenter audita eorum confessione, & per applicationem Sacramenti, prout Christus potestatem ea remittendi iis dedit. *Cur Christus aliter quàm sacerdotes peccata remiserit.* *Luc. 5.*

Quintò idem obiicit, nos docere peccata nobis non remitti gratis, sed nos hoc per confessionem & satisfactionem mereri. Sed hæc est apertè calumnia. Nemo enim Catholicus hoc vnquam docuit. Docent quidem contritos mereri aliquo modo de congruo remissionem peccati mortalis, & postea iustificatos mereri de condigno remissionem pœnæ restantis. Sed hæc omnia optimè consistunt cum eò quòd ipsum peccatum omnino gratis nobis remittatur. *Medacium Kemnitij.*

Dixi in concluſ. *nos teneri confiteri omnia peccata mortalia.* quia etsi vtiliter confiteamur venialia, & ab iis verè absoluamur, ad hoc tamen non tenemur, quia aliis modis ab iis liberari possumus: vt docet Trident. sess. 14. c. 5. Nec est absurdum quando Christus dedit potestatem remittendi peccata, eaque retinendi, nomen *peccata* latiùs accipi in primo membro, ita vt complectatur etiam venialia, quàm in secundo, vbi complectitur sola mortalia, quia fauor absolutionis ampliandus est: nec decuit eo priuari eos qui parum peccarunt; decuit tamen eos non comprehendi odiosa 26 Venialia peccata vtiliter, non tamen necessariò confitemur. *Trident.*

retentione, quæ restringenda est ad ea quæ habent completam & perfectam rationem peccati, ita vt tollant diuinam amicitiam, qualia sunt sola mortalia.

Commissa ante baptismum non sunt materia confessionis.

Dixi etiam, *quæ post baptismum commissa.* Quia peccata commissa ante baptismum non sunt materia confessionis. Vnde patet, eos solos qui iam baptizati peccarunt mortaliter, hoc præcepto teneri. Sub iis tamen comprehenduntur etiam ij, qui in ipsa susceptione baptismi peccarunt mortaliter, iuxta dicta to. 1. q. 62. art. 1. dub. 6. concl. 3.

27 Conclvsio II. Hoc Sacramentum in re vel in voto susceptum ad remissionem peccati mortalis post baptismum commissi, eodem modo est necessarium necessitate medij, quo to. 1. q. 68. art. 2. dub. 1. dixi adultis nondum baptizatis baptismum esse necessarium ad remissionem peccatorum, quem locum consule.

28 Aliqua peccatorum confessio est de essentia huius Sacramenti. *Suarez.*

Conclvsio III. Aliqua peccatorum externa confessio ad essentiam huius Sacramenti ita est necessaria, vt nullo vnquam casu sine ea possit consistere: ita Suarez d. 21. sect. 3. initio. Probatur Primò, quia, vt ostendi disp. 4. dub. 4. hæc confessio est pars essentialis Sacramenti: nulla autem res potest consistere sine parte sua essentiali. Secundò, quia casus necessitatis non mutat essentiam Sacramenti: quare si validè daretur Sacramentum sine confessione in necessitate, sequeretur etiam validè id fieri extra necessitatem. quod tamen apertè falsum est. Confirmatur, quia si liceat semel fingere aliqua ad essentiam Sacramenti sufficere in necessitate, quæ non sufficiunt extra eam; eadem licentia dicam in necessitate posse dari baptismum sine aqua: & sic euertam omnem essentiam Sacramentorum.

29 *D. Augst.*

Quare ad Primum argumentum in contrarium allatum n. 2. negandum est assumptum. Ad Secundum, nego D. Augustinum id asserere, sed potiùs contrarium. Nam cùm D. Augustinus ibi dixisset, catechumenum viuentem in adulterio, subitò incidentem in periculum mortis, & ita destitutum sensibus, vt non possit vllo modo significare se dolore de peccato, aut cupere baptizari, debere nihilominus baptizari, quia præsumendum est eum pœnitere sui peccati; subdit, *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupauerit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Vnde sic argumentor: Eadem in hoc casu est ratio baptismatis & reconciliationis: atqui Pastores non possunt adulto morituro conferre baptismum, nisi sciant eum hunc actu petiisse: ergo similiter non possunt dare Sacramentum pœnitentiæ, nisi ei quem sciunt hoc antè petiisse. Talis autem petitio est implicita confessio. Secundò, quia D. Augustinus hîc dicit eandem esse rationem baptismi respectu catechumeni, & huius Sacramenti respectu pœnitentis: atqui ille non potest dari nisi ei quem constat esse catechumenum: ergo similiter hoc non potest dari, nisi ei quem constat esse pœnitentem, quod sine aliquali eius confessione fieri nequit. Videtur autem D. Augustinus secundùm consuetum olim modum loquendi hîc vocare Pœnitentes eos solos, qui ob commissum aliquod publicum crimen, antequam à peccatis absoluerentur, & ad communionem admitterentur, cogebantur diu publicam pœnitentiam agere; qui tamen si priùs in vitæ periculum inciderent, absoluebantur, quod poterat sine noua confessione fieri, quia iam antè erant confessi.

D. Augst.

DVBIVM II.

Quo tempore peccator iure diuino ad confessionem obligetur?

NOta 1. peccatorem dupliciter posse obligari ad confessionem, primò per se, secundò per accidens. Quod accidit Primò, quando ipse tenetur communicare. Tunc enim necessariò tenetur præmittere confessionem, si possit, quantumcumque sibi contritus videatur: vt docet Trident. sess. 13. c. 7. & can. 11. Vtrùm autem ad hoc teneatur iure diuino, an solùm Apostolico, non conuenit inter auctores. Vide dicta to. 1. q. 80. art. 4. dub. 1. Addunt aliqui idem dicendum esse de peccatore, qui alia Sacramenta vult suscipere: sed verius est huic sufficere si probabiliter credat se esse contritum. Quia, cùm Trident. suprà tanquam aliquid singulare statuat ei, qui sibi conscius est peccati mortalis, necessariò præmittendam esse confessionem ante communionem; hoc ipso insinuat contrarium esse dicendum in susceptione reliquorum Sacramentorum. quare hoc alij communiter sentiunt. Omnibus tamen semper consulendum est, vt confessionem præmittant. Ita Soto in 4. d. 18. qu. 1. art. 4. concl. 6. 30 Communicaturus cõscius sibi peccati mortalis necessariò præmittit confessionem. *Trident.* Secùs est in suscepturo alia Sacramenta. *Soto.*

Secundò, posset quis per accidens ad confessionem obligari; quia credit se aliter non posse euitare aliquod peccatum in quod sæpius incidit: vt si haberet continuas occasiones peccandi, à quibus se non posset expedire sine prudentis alicuius consilio, cui omnem suum statum aperiret, nec vellet hoc extra confessionem facere: aut etiam fieri posset, vt non posset hoc facere extra confessionem ne diffamaret complicem, cuius honori magis consulit aperiendo eius peccatum in confessione, quàm si extra eam illud aperiret. Quòd si tantùm esset periculum ne, si diutiùs differret confessionem, in aliquod peccatum in genere incideret, non ita strictè ad eam obligaretur. Vide dicta disp. 3. n. 29. in fine. 31

Tota autem difficultas est, quando hoc præceptum per se iure diuino obliget? 32

Gulielmus Parisiensis de Sacram. pœnitentiæ c. 19. & Angelus v. *Confessio.* 1. num. 3. cum quibusdam aliis docent, nos statim post commissum peccatum teneri confiteri. Sed hoc non esse probabile satis patet ex dictis disp. 3. num. 24. vbi ostendi nos ne quidem teneri statim conteri, quod multò magis militat pro confessione. *Gulielm. Parisiensis. Angelus.*

Secunda sententia planè contraria docet, spectato solo iure diuino peccatorem per se solùm teneri ad confessionem in periculo mortis, modò saltem suo tempore conteratur, vt hoc modo iustificetur. Hanc sententiam & quidem potiore iure tenent omnes ij qui tenent eum extra illud periculum non teneri conteri, quos citaui disp. 3. n. 23. & præterea D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 1. quæstiunc. 4. Scotus ibidem art. 3. sub fi. nem. Gabriel ibidem dub. 1. & alij. Probatur hæc sententia iisdem rationibus quas disp. 3. nu. 23. attuli ad probandum, peccatorem non teneri conteri extra mortis periculum: quæ hîc eò vehementiùs vrgent, quòd omnes rationes, quibus eandem sententiam ibidem n. 32. oppugnaui, hîc nihil probent. quia peccator sine reali confessione potest per contritionem redire in amicitiam cum Deo, & sic euitare omnia incommoda, quæ sequuntur ex eo quòd quis diu differat conuersionem. *D. Thom. Scotus. Gabriel.*

Tertia sententia docet, tunc hominem iure diuino teneri confiteri, quoties ex dilatione oritur periculum ne peccati sui obliuiscatur: quia hoc necessarium est vt possit facere integram confessionem, ad quod iure diuino tenetur. Ita Medina cod. de pœnitentia, tract. 2. 35 *Medina.*

Soto. q.14.§. 2. sub finem. Citatur pro eadem Soto in 4. d. 18.quæst.1.a.5. vbi concluſ. 7.ait: *Secluſo etiam poſitiuo iure tenebatur quiſque iure diuino eo tempore confiteri, quo ſecundùm communi iudicium humanum, periculum imminet obliuionis.* quæ verba videntur illi ſententiæ fauere, ſed tamen paulò infrà dicit eam eſſe falſam: & benè. Nam ex ea ſequitur, eos qui differunt confeſſionem per annum, maxima ex parte peccare mortaliter. quia exponunt ſe periculo ne aliqua peccata obliuiſcantur, quod abſurdum eſt, quia ſic Eccleſia non ſatisfaceret ſuo officio præſcribendo annuam confeſſionem, quia hoc ipſo ſignificat nos extra caſus accidentarios non teneri ſæpiùs confiteri.

Ad rationem contrariam Reſpondeo, nos teneri quidem integrè omnia peccata noſtra mortalia confiteri, quorum dum confitemur recordamur, & moralem diligentiam adhibere, vt poſſimus priùs ea omnia in memoriam reuocare; non tenemur tamen extraordinariam aliquam diligentiam adhibere, ne ea obliuiſcamur: alioquin quando non vellemus, aut etiam non poſſemus ea ſtatim confiteri, teneremur ea ſtatim ſcripto annotare: imò quicumque multa peccata feciſſent, tenerentur ea priùs ſcripto mandare, & ex charta confiteri. quia aliàs exponunt ſe alicui periculo, ne aliqua per obliuionem omittant. Illa autem omnia falſa ſunt.

Non tenemur extraordinariè procurare ne peccata obliuiſcamur.

34 Quarta ſententia docet, peccatorem iure diuino intra illud tempus teneri confiteri, quod ſecundùm prudens iudicium cenſetur eſſe tale, vt homines communiter in eius fine adhibita diligentia poſſint recordari omnium peccatorum, quæ eo toto commiſerunt, & ſimul ſit periculum ne eorum omnino obliuiſcantur, ſi vltra illud tempus confeſſionem differant: hoc autem tempus ſecundùm iudicium Eccleſiæ aiunt eſſe vnius anni. Et hæc eſt ſententia Soti nu. 33. citati. Sed hæc ſententia cùm refutet tertiam, non ſatis conſequenter loquitur, quia argumentum quod hanc probat, probat etiam illam. Item ſecundùm hanc ſententiam Eccleſia debuiſſet frequentiorem confeſſionem præcipere, quia magna pars hominum plebeiorum non poteſt ſine periculo obliuionis tam diu confeſſionem differre. Tertiò, quia ſic non debuiſſet incipi numerari hoc tempus ab vltima confeſſione facta, ſed à primo peccato mortali, poſt vltimam confeſſionem commiſſo, quia periculum obliuionis ſolùm ab hoc tempore incipit.

35 Quinta ſententia docet, peccatorem tunc teneri iure diuino confiteri, quando Eccleſia hoc præcipit. Quia, cùm Chriſtus nullum certum tempus per ſe præſcripſerit, cenſetur illud præſcripſiſſe quod Eccleſia ſtatuit. Vnde conſequenter etiam docet, nos iure diuino teneri diebus feſtis & Dominicis audire Sacrum, in paſchate communicare, &c. Ita Victoria de confeſſ. n. 32. Sed hæc ſententia ius diuinum cum Eccleſiaſtico confundit. *Victoria.*

36 Tenemur iure diuino confiteri ſaltem in periculo vitæ.

Conclvs. I. Conſcius ſibi peccati mortalis iure diuino tenetur in periculo mortis confiteri; atque adeò etiam aliàs, quando eſt mortale periculum, ne ſi iam confeſſionem omittat, numquam in vita ſua confiteri poſſit. Quia aliàs exponit ſe manifeſto periculo quòd nunquam illud præceptum implere poterit. Et hæc concluſio eſt communis Doctorum.

37 Hoc Sacramẽtum fuit à Chriſto inſtitutum vt ſæpiùs eo vtẽremur.

Conclvs. II. Videtur omnino fuiſſe intentio Chriſti inſtituentis hoc Sacramentum, vt peccatores ſæpiùs etiam extra periculum vitæ eo vterentur. Quia non ſolùm fuit inſtitutum, vt per ipſum poſſemus faciliùs peccatorum veniam obtinere: ſed etiam ob plurimas vtilitates, quas ſecum adfert. Nam ſine eo plurimi homines tota vita ſua numquam à peccatis iuſtificarentur. Secundò, quia confeſſio eſt vtiliſſimũ medium vt peccata in poſterum vitentur, & vita rectè & dignè Chriſtiano homine inſtituatur: ita vt per eam plurimi à peccatis ad honeſtam vitam reuocentur, qui aliàs totam vitam in grauiſſimis ſceleribus conſumerent. quas omnes vtilitates perdunt, qui eam vſque ad finem vitæ differunt.

Vnde ſequitur, poſito quòd homines (vt experientia docet) per ſe ſint negligentes in huius Sacramenti frequentatione, Eccleſiam ex officio debuiſſe certum tempus ei ſuſcipiendo præſcribere, quod ad dictos fines, prout commodè fieri poterat, obtinendos iudicabat eſſe neceſſarium. Cùm enim iſtorum aſſecutio, & omnibus in particulari vtiliſſima, & toti communitati ſit quodammodo neceſſaria, illa tenetur ex officio eam per media moraliter ad eam neceſſaria procurare. Tale autem eſt præſcriptio illius temporis. Eccleſia tenetur certis temporibus confeſſionem præcipere.

Conclvsio III. Quòd ſi tamen Eccleſia nullum tale tempus determinaret; valdè probabile eſt peccatorem per ſe loquendo, poſito quòd eſſet probabiliter contritus, non obligandum ad confeſſionem extra caſum primæ concluſionis. Patet ex refutatione reliquarum ſententiarum: quia nullam poteſt certum adferri fundamentum alterius obligationis. 38

DVBIVM III.

Vtrùm, poſito caſu quòd Chriſtus ita inſtituiſſet Sacramentum confeſſionis, vt eſſet cuiuis liberum illud ſuſcipere, aut non ſuſcipere, Eccleſia potuiſſet eius vſum præcipere?

PRima ſententia id negat. Ita Durandus in 4. d. 17. q.8. littera H. Soto d. 18. q. 1. a. 1. §. *Dubium autem.* & Nauarr. de pœnitentia diſt. 5. in princip. n. 18. Rationes autem quas pro ſua ſententia adferunt, non ſunt firmæ. 39 *Durand. Soto. Nauar.*

Secunda ſententia affirmat, Eccleſiam eo caſu poſſe præcipere confeſſionem, quod maximè probat refutando fundamenta ſententiæ contrariæ, quæ non ſunt magni momenti. Ita Medina cod. de pœnitentia tract. 2. q. 2. §. *Licet igitur.* & Suarez d. 35. ſect. 1. n. 18. Fauent Scotus d. 17. q. 1. a. 1. ſub fin. Adrianus q. 2. de confeſſione, initio. *Medina. Suarez. Scotus. Adrianus.*

Tertia ſententia docet, Eccleſiam eo caſu poſſe præcipere confeſſionem actus exterioris, non tamen interioris. Ita Paludanus in 4. d. 17. q. 2. a. 2. initio. *Paludan.*

Sed hac in re videtur vtendum aliqua diſtinctione. Pro quo Nota, Chriſtum in eo caſu dupliciter potuiſſe inſtituere confeſſionem, Primò, eodem planè modo ſicut iam inſtituit liberam confeſſionem peccatorum venialium: ita ſcilicet vt potuiſſemus & numquam illud Sacramentum ſuſcipere, & illud etiam ſuſcipere confitendo ſola venialia relictis mortalibus, vel aliqua pro libitu confitendo, vel alia omittendo. Secundò, vt liberum quidem fuiſſet cuiuis hoc Sacramentum numquam ſuſcipere, ita vt quiſque per ſolã cõtritionem ſine vllo Sacraméto, eiuſve voto potuiſſet iuſtificari: ſi quis tamen illud voluiſſet ſuſcipere, fuiſſet obligatus integrè omnia peccata ſua mortalia cõfiteri. 40 Chriſtus potuiſſet duplici ratione inſtituere confeſſionem liberam.

Conclvs. I. Poſito quòd Chriſtus primo modo hoc Sacramentum inſtituiſſet liberum, potuiſſet Eccleſia eius vſum præcipere. Quia hoc tunc habuiſſet multas vtilitates: quia potuiſſet quis per ſolam attritionem inſtificari, & nullam habuiſſet difficultatem. Quod autem Scotus ſuprà dicit, Eccleſiam, ſicut non poteſt inſtituere Sacramenta, ita non poſſe eorum vſum præcipere, non eſt verum. Quia inde ſequeretur, Religioſos, qui habent peccata mortalia, non poſſe per ſuas regulas obligari ad frequentem confeſſionem. quod falſum eſt. Secundò, quia illud videtur repugnare Conc. Tridentino ſeſſ. 21. cap. 1. vbi docet, Eccleſiam circa Sacramentorũ vſum poſſe ea ſtatuere quæ fideliũ ſaluti congruunt. Ex qua poteſtate infert eã licitè prohibere laicis ſũptionẽ calicis. 41 Quo caſu eam Eccleſia potuiſſet præcipere. *Trident.*

Si igitur Ecclesia potuit ex parte prohibere vsum alicuius Sacramenti, quare non possit eius vsum præcipere?

42 Quatenus potuisset præcipere.

Conclvs. II. Non posset tamen tunc Ecclesia præcipere confessionem omnium omnino peccatorum, sed tantùm talem qualis esset necessaria ad susceptionem Sacramenti. Hanc conclusionem non puto vllum negaturum. Et probatur. Quia hæc confessio in pluribus casibus multis est valdè difficilis, ita vt plurimi eam horreant tanquam mortem, & mallent ferè mori, quàm quædam peccata confiteri, atque vix vlla arte, ac timore inferni proposito possunt ad confessionem induci, & inter confitendum sentiunt tales angustias, quales experiuntur capitis supplicio damnati: atqui nisi sit maxima quædam ac ferè extrema necessitas, potestas humana non potest rem adeò difficilem præcipere; ergo cùm eo casu non esset hîc talis necessitas, non posset Ecclesia eam confessionem præcipere. Probatur Secundò, quia, si Christus hoc Sacramentum non instituisset, Ecclesia non potuisset omnibus præcipere vt sua peccata certis hominibus integrè confiterentur, quantumuis hi essent secretissimi: ergo nec posset illud præcipere posito dicto casu. Quia in vtroque casu esset æqualis vtilitas ac necessitas ea confitendi, scilicet vt confitens possit à peccatis auerti, & in via spirituali dirigi. Siue enim hæc confessio sit sacramentalis, siue non, eodem modo hæc vtilitas per eam obtineri potest.

43 Quo casu eam non potuisset præcipere.

Conclvsio III. Si Christus instituisset confessionem secundo modo liberam, valdè probabile est, futurum vt Ecclesia non posset omnibus præcipere confessionem. Nam cùm tunc etiam non esset absolutè ad salutem necessaria, argumenta pro secunda sententia allata etiam hanc conclusionem probant, præsertim primum. Et confirmatur. Nam plurimi Doctores ex eo probant, omnino credibile esse confessionē iure diuino esse præceptam, quia aliàs videtur incredibile omnes fideles, etiam Reges & Imperatores, passuros fuisse tam difficile præceptum sibi ab Ecclesia imponi, quod argumentum esset nullum, si Ecclesia habuisset verum ius eam præcipiendi.

44 Dices, Ecclesia potuit præcipere vt sæpiùs confiteamur, quàm iure diuino teneamur. ergo posset etiá illud præcipere, etiamsi iure diuino ad illud non teneremur. Resp. negando conseq. Primò, quia determinatio temporis circa confessionem ab Ecclesia facta est iam aliquo modo necessaria, vt præceptum diuinum obseruetur: quia nisi illa esset posita, multi sæpè nunquam confiterentur. Secundò, & præcipuè, quia posito quòd aliquando teneamur omnia peccata confiteri; quòd hoc paulò citiùs vel seriùs faciam, non ita auget rei difficultatem, quæ præcipuè consistit in eo quòd aliquando teneamur confiteri, non autem quòd hoc vel illo tempore. Dixi hoc esse valdè probabile, quia hæc argumenta non ita conuincunt, quin contrarium etiam sit probabile.

DVBIVM IV.

Vtrùm Ecclesia potuerit præcipere annuam confessionem?

45 Durand.

Dvrandus in 4. d. 17. q. 14. putat Ecclesiam non posse eam præcipere propria auctoritate, sicut res alias præcipit; sed solùm auctoritate specialiter sibi à Christo cōmissa. Ratio eius est, quia, vt aliquis possit aliquid propria auctoritate præcipere, necesse est vt possit cognoscere an subditus ipsius præceptum impleuerit, nec ne: Ecclesia autem non potest cognoscere an verè hîc & nunc confiteatur, an verò solum simulem. Sed si hoc argumentum aliquid probaret, sequeretur, Ecclesiam non posse præcipere sacerdoti vt celebret; quia non potest scire an hoc verè faciat, an verò solùm simulet. Item iudicem non posse testi præcipere vt dicat quidquid de hac vel illa re scit, aut vt inquirat aliquid, &c. quia non potest scire vtrùm hæc verè faciat, an solùm simulet. quia hæc pendent ab interno actu. Quare dicendum est, vt potestas humana possit aliquem actum externum præcipere, non esse necesse vt possit cognoscere an verè fiat, an verò solùm simulatoriè; sed sufficit quòd actus verè sit externus, etsi vt habeat tale esse, quale hîc & nunc intenditur, pendeat ab aliqua occulta conditione.

46 Ecclesia potuit præcipere annuam confessionem. Suarez. Durand. Medina.

Conc l. I. Posita institutione huius Sacramenti, eiúsque necessitate iure diuino inducta, Ecclesia potestate ordinaria potuit præcipere annuam confessionem. Suarez disp. 35. sect. 1. n. 18. Duran. q. 2. de confess. Medina cod. de confess. q. 2. Quia, vt ostendi tam hoc quàm præcedenti dubio, nulla est ratio hoc negandi. Imò, vt ostendi n. 37. ipsa fuit ad hoc præcipiēdum obligata. Confirm. quia Christus inducendo necessitatem huius Sacramenti, constituit Pastores Ecclesiæ ordinarios ac necessarios iudices omnium peccatorum mortalium, obligando omnes peccatores, vt omnia sua peccata illorum iudicio subiicerent: ergo consequenter dedit Ecclesiæ potestatem vt eos posset ad suum tribunal cogere, & obligare vt omnia peccata etiam interna certo tempore confiterentur, quatenus hoc est necessarium ad absolutionē. Nec ipsa hoc modo directè præcipit actum aliquem internum, sed solam externam confessionem, & Sacramenti susceptionem: quamuis indirectè internos etiam actus præcipiat, quatenus ad illa sunt necessarij: quod potest facere. Nec credo Durandum hoc voluisse negare, sed solùm asserere quod dixi n. 43.

47 De facto eam præcepit. cap. Omnis vtriusque.

Conclvs. II. Ecclesia de facto tale præceptum tulit. Patet ex c. *Omnis vtriusque*. de pœnitentiis. Et quamuis Durandus suprà & quidam alij videantur aliquando de hoc dubitasse, & putasse probabile esse in illo c. non præcipi per se confessionem, sed solùm suaderi, aut vt summùm indirectè præcipi, quatenus necessariò debet præmitti ante communionem, quæ ibi præcipitur; nulla tamen subest dubitandi ratio: quia eadem ratione ibi confessio & communio præcipiuntur. Et quòd ibi feratur verum præceptum, patet tum ex pœnis in omittentes ibi decretis: tum quia expressè dicitur statutum. Quare alij DD. communiter intellexerunt confessionem annuam ibi præcipi. Et hoc apertè etiam docet Trident. sess. 14. c. 5. sub finem, & can. 8. Trident.

48 D. Thom. Richard. Soto. Trident.

Conclvs. III. Hoc præceptum, quatenus præcisè statuit vt confessionem omnium peccatorum mortalium, quam iure diuino aliquando facere tenemur, faciamus singulis annis, est merè Ecclesiasticum. ita D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. a. 1. quæstiunc. 5. Richard. ibid. a. 2. q. 7. Soto d. 18. q. 1. a. 5. concl. 2. Patet ex dictis n. 37. & 38. & apertè hoc videtur docere Trident. suprà. Quare Pontifex validè in eo dispensaret, illúdve abrogaret: vix tamen, præsertim vt illud abroget, videtur posse occurrere sufficiens causa, quæ ipsum à peccato excusaret, præsertim cùm, vt dixi n. 37. Ecclesia fuerit obligata tale præceptum inducere.

DVBIVM V.

Quinam hoc præcepto obligentur?

49 Soto.

Primò, Soto disp. 12. q. 1. a. 11. §. *Sed si quæras*. docet pueros ante annum 12. hoc præcepto non obligari. dist. verò 18. q. 1. a. 3. §. *De verbo autem*, initio, docet eos etiá hoc præcepto teneri statim atque peccarunt mortaliter. Paulò pòst tamen ait, pueros post annum septimum posse peccare, tamen Ecclesiam ante annū duodec

duodecimum vel decimumquartum, nolle eos cogere suis præceptis ac censuris, sed relinquere eos sub iure diuino.

Bonauentur. Secundò, D. Bonauentura in 4.d.17.a.4.q.1.& quidam alij putant etiam eos hoc præcepto obligari, qui ab vltima confessione nullum peccatum mortale admiserunt.

50 Soli & omnes baptizati peccati mortalis sibi conscij hoc præcepto tenentur. *Trident.*

CONCLVSIO I. Omnes baptizati etiam pueri, qui sibi conscij sunt alicuius peccati mortalis ab vltima confessione commissi hoc præcepto obligantur. Est communis doctrina DD. Et patet clarè, quia tam c. *Omnis vtriusque.* quàm Trident. suprà sine vlla exceptione iubent omnes sua peccata confiteri, qui ad annos discretionis peruenerunt: atqui omnes etiam pueri, qui conscij sibi sunt peccati mortalis, iam peruenerunt ad annos discretionis, siue ad eam ætatem in qua inter bonum & malum possunt discernere, quia aliàs non possent peccare mortaliter: ergo illi omnes tenentur ad annuam confessionem. Nondum autem baptizati nec diuino, nec humano iure ad confessionem obligantur: vt ostendi to.1.q.80.a.11.dub. 2. concl. 2. in respons. ad argumentum contrarium.

51 Nec refert quòd pueri non tenentur tam citò communicare, quia implicitè aliquo modo ab hac obligatione excipiuntur illis verbis legis: *Nisi forte de proprij sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eiusmodi perceptione duxerit abstinendum*: quæ de sola communione dicuntur. Communiter autem omnes Pastores, vt ex vsu patet, iudicant expedire, vt pueri non tam citò ad communionem admittantur, donec maiore cum deuotione illud Sacramentum percipiant: vt ostendi to.1.q.80.a.11. dub. 4. vbi etiam dixi non tam ex annis, quàm ex maturitate iudicij spectandum esse, quando pueri incipiant hoc vel illo præcepto obligari. Sunt autem pueri assuefaciendi, vt statim atque aliquid discretionis habere incipiunt, etiam incipiant confiteri. Prudentis autem confessarij erit discernere an sufficientem materiam ad absolutionem præbeant; nec ne. Et quando dubitat, poterit absolutionem sub conditione dare.

Pueri maturè assuefaciendi confiteri. Quomodo sacerdos erga eos segeret. Soto.

Etiá pueri obligantur præceptis Ecclesiæ.

Quod autem Soto suprà ait pueros ante annum duodecimum aut decimumquartum, non obligari præceptis Ecclesiasticis, falsum est, alioquin possent iam vndecim annos nati liberè comedere carnes in Quadragesima; & diebus Dominicis non audire Sacrum. quod nemo, vt opinor, dixerit.

52 Habentes sola venialia nō obligantur hoc præcepto. *Scotus. Durand. Caietan. Medina. Siluester. Trident.*

CONCLVS. II. Qui habet solùm peccata venialia, non obligatur hoc præcepto. Ita Scotus in 4.disp.17. q.1.a.3.initio. Durandus ibid.q.9. Caiet.to.1.opusc.t. 5.q.1. Medina de pœnitentia, tract.2.q.5.circa medium. Siluester v. *Confessio.*1.n.14.& alij. Prob. Primò, quia c. *Omnis vtriusque.* cùm dicit fideles debere omnia sua peccata confiteri, apertè loquitur de habentibus peccata mortalia, quia certum est nos non teneri confiteri omnia venialia. Secundò, quia Trident. sess.14.c.5. sub finem, docet illo præcepto solùm præscribi tempus quo tenemur confessionem iure diuino præceptam implere: ergo solùm obligat illos qui iure diuino ad confessionem tenentur; quales sunt soli illi qui habent peccata mortalia. Qui tamen habet sola peccata venialia, potest cogi vt sistat se Pastori, eique declaret se non esse sibi conscium vllius peccati mortalis. Quia debet huic aliquo modo prouideri potest, constare talem non teneri præcepto confessionis, eúmque ad communionem posse admitti. Pastor autem tenetur illud de se affirmanti credere, nisi haberet iustas rationes contrarium suspicandi. Ita Suarez disp. 36.sect.2.n.9.& Scotus in 4.d.17.q.1.a.3.

Suarez, Scotus.

Soto. Gabriel. Siluester.

CONCLVS. III. Non potest Ecclesia directè præcipere confessionem peccatorum venialium, ita Soto d. 18.q.1.a.3.concl.4. Gabriel disp.17.q.1.art.2.in corp. concl.2. Siluest. *Confessio.*1.num.13. Ratio est, quia vel præciperet absolutè vt teneremur omnia omnino cōfiteri; & hoc esset nimis graue, & magna occasio scrupulorum, nec habet tantam vtilitatem vt possit omnibus præcipi: vel solùm præciperet in genere, vt aliqua confiteremur; & tunc cùm pro libitu possemus quæuis confiteri, vel omittere, illud præceptum habere exiguam vtilitatem: vel demum præciperet determinatè circa certa peccata venialia, vt quicunque ea cōmitteret, teneretur ea confiteri. Sed nec hoc videtur generatim posse omnibus præcipi, præsertim sub graui peccato: quia materia leuis est. Nec illius rei generatim loquendo, potest esse tanta vtilitas, vt Ecclesia possit eam omnibus præcipere, etiam, vt credo, sub veniali. Nam Ecclesia non potest vlla præcepta nobis imponere sine iusta aliqua necessitate, aut vtilitate rei præceptæ proportionata: quæ, vt dixi, hîc non videtur esse. Faciliùs posset in aliqua Religione reperiri iusta causa tale præceptum inducendi.

CONCLVSIO IV. Posset tamen Ecclesia generatim omnes adultos obligare ad confessionem annuam, etiam eos qui sola peccata venialia haberent. Alens.4.p. q.77.memb.1.a.1. D. Thom.in 4.d.17.q.3.a.1. quæstiunc.3. Richar.ibid.a.2.q.4.ad 1. Quia & tale præceptum respectu horum esset satis facile: & ipsa Sacramenti susceptio haberet sufficientem vtilitatem, vt pro ea assequenda illud posset statui. quo casu saltem iis qui nunquam peccassent mortaliter, indirectè præciperetur cōfessio venialium, quia sine hac præceptum implere non possent.

53 Potest Ecclesia indirectè præcipere confessionem venialium. *Alensis. D. Thom. Richard.*

DVBIVM VI.

Qua ratione debeat computari annus, intra quem conscius sibi peccati mortalis teneatur ex præcepto Ecclesiæ confiteri?

54 HÆc supputatio quatuor præcipuè modis videtur posse intelligi. Primò, vt annus incipiat computari ab illo tempore, quo quis post vltimam confessionem primùm peccauit mortaliter: ita vt ab illo tempore possit sine violatione huius præcepti differre confessionem vsque ad finem duodecimi mensis, non tamen vlteriùs.

Secundò, vt incipiat computari ab vltima confessione, quandocunque hæc facta sit: ita vt non possit quis differre sequentem confessionem vltra duodecim menses.

Tertiò, vt incipiat hic annus computari à Kalendis Ianuarij, ita vt omnes intra duo festa circumcisionis teneantur semel confiteri.

Quartò, vt hic annus computetur à paschate vsque ad pascha.

55 CONCLVS. I. Duo primi modi computandi non videntur vllo modo conformes verbis præcepti. Nam in cap. *Omnis vtriusque.* non dicitur: *Nemo differat confessionem vltra annum*, sicut deberet dici secundùm illos modos computandi: sed, *Omnes fideles semel in anno confiteantur.* Quo modo loquendi significatur vnumquemque annum certis & omnino statis terminis inchoari & finiri, quique non sint diuersi pro singulis, sed ijdem pro omnibus: sicuti omnibus vna eademque lex fertur. Patent hæc ex communi vsu loquendi, quo alias omnes similes locutiones in ea significatione solemus accipere: vt cùm dicitur, Omnes semel in mense ieiunabunt: tantum persoluent, &c.

56 Optimè annua confessio definitur à paschate vsque ad pascha.

CONCLVS. II. Etsi spectando præcisè verba legis & communem vsum distinguendi annos, optimè posset hic annus secundùm tertium modum definiri; tamen spectata fidelium consuetudine, meliùs quarto modo definitur, scilicet à paschate vsque ad pascha. quia nullo tempore anni solet confessio tanquam debita exigi nisi circa festum paschæ. quia scilicet tunc

Suarez. expirat tempus intra quod præcipitur faciendâ. Ita Suarez d.36.1.sect.3.n.8. Pascha autem hîc accipio pro quindecim illis diebus intra quos præcepta est communio: ita scilicet vt omnis confessio quæ fit ante Dominicam in albis, censeatur spectare ad annum præcedentem, non autem ad sequentem. Et eôdem sensu dicit Suarez suprà hoc tempus à Quadragesima, vsque ad Quadragesimam posse definiri.

DVBIVM VII.

Vtrùm, vt quis satisfaciat huic præcepto, sufficiat eum quauis parte anni confiteri?

57 HAc in re certum est Primò, eum qui initio anni integrè confessus est, non teneri ampliùs toto anno confiteri, si nullum ampliùs committat peccatum mortale, quia soli illi ad confessionem obligantur, qui sunt sibi conscij peccati mortalis.

Secundò etiam certum est, eum qui ante pascha confessus est, si antequam communicet sit sibi adhuc conscius alicuius peccati mortalis, teneri iterum confiteri, vt possit communicare. Sed tota difficultas est, Vtrùm, si quis esset confessus, v.c. in Ianuario, & paulò post peccaret iterum mortaliter, teneretur in Quadragesima iterum confiteri ex vi præcepti confessionis, ita vt eam omittendo peccaret, etsi ob iustam causam non communicaret. Petrus Soto lect.5. de confessione, asserit talem ad eam, obligari, quem alij quidam sequuntur. Et probatur Primò, quia Extrauag. *Vices.* de treuga & pace, dicuntur parochiani teneri suo sacerdoti confiteri in paschate. Secundò, quia cap. *Omnis vtriusque.* dicuntur fideles singulis annis teneri confiteri omnia sua peccata mortalia, scilicet hoc anno commissa: atqui talis si non confiteatur in paschate, non confitetur omnia peccata mortalia, quæ eo anno commisit: ergo non satisfacit præcepto. Tertiò, quia aliàs qui fuisset confessus stârim post Dominicam in albis, posset sine violatione illius præcepti differre cõfessionem ferè per duos annos integros, scilicet toto illo anno, & vsque ad finem sequentis. Quartò, quia Pastores omnes à subditis exigunt confessionem circa festum paschæ: ergo signum est eos pro tunc obligari.

Pet. Soto.

58 CONCLVS. Probabilius est nos satisfacere huic præcepto, quocunque anni tempore confitendo. Ita Victoria in Summa nu. 137. Soto in 4.d.18. q. 1.art.4. concl.1. Henriquez l.4.de Sacramentis c.4.num.7. P. Vasquez hic q.90.a.3. dub.1.n.5. & 15. & alij. Probatur Primò, quia cap. *Omnis vtriusque.* vbi præcipitur & annua confessio, & annua communio, hæc dicitur debere fieri in paschate; de illa solum quòd debeat fieri semel in anno. Ex quo apertè patet, obseruationem illius præcepti nulli certo tempori alligari. Secundò, quia Trident. sess. 14. cap. 5. cùm ostendisset ex dicto cap. Concilij Lateranensis, nos teneri semel in anno confiteri, ac morem esse in Ecclesia cõfitenti in Quadragesima, subdit; *quem morem hæc Sancta Synodus maximè probat, ac amplectitur tanquam pium, & meritò retinendum.* Vbi dum dicit, confessionem necessariò semel in anno fieri: morem autem confitendi in Quadragesima esse pium & meritò retinendum; apertè insinuat hunc non esse præceptum. Tertiò, quia secùndùm communem sententiam, qui videt futurum, vt non possit circa pascha confiteri, tenetur tempus præuenire, vt communiter DD. docent: atqui hoc esset falsum, si præceptum confessionis obligaret pro certo tempore, vt patet in præcepto communionis, & ieiunij, & aliis omnibus similibus, quæ pro certo tempore obligant. Hinc patet, quare is qui videt futurum vt in paschate sit impediendus, vt neque confiteri, neque communicare possit, teneatur priùs confiteri, non tamen communicare, quia scilicet præceptum communionis obligat pro certo tempore ad id quod solo impleri potest. Secus est de præcepto confessionis, quod quauis anni parte impleri potest.

Victoria. Soto. Henriquez. Vasquez. Trident. Impediendus in paschate tenetur priùs confiteri, non tamen communicare.

Ad Primum argumentum contrarium Respon. Pontificem ibi tantùm velle fideles teneri semel in anno confiteri; quia solùm vrget obseruationem cap. *Omnis vtriusque.* idque obiter. Dicit autem id debere fieri in paschate. tum quia tunc communiter solet fieri: tum etiam quia ratione communionis tunc debet fieri. 59

Ad Secundum Respondeo, in illo c. non dici nos singulis annis teneri confiteri omnia peccata illo anno commissa, nam aliàs qui vltimo die legitimè confessus communicasset, & statim postea peccaret mortaliter; teneretur eodem die iterum confiteri. Nam aliàs hoc anno non esset confessus omnia peccata quæ in eo commisisset. Illud autem est apertè absurdum. Iubemur itaque cõfiteri omnia peccata, quatenus hoc est necessarium ad integritatem Sacramenti, quod tenemur suscipere: ita scilicet vt quando confitemur, nullum peccatum mortale culpabiliter omittamus.

Ad Tertium, concedo totum. Nec enim hoc est maius absurdum, quàm sit absurdum eum qui vouisset singulis mensibus confiteri, satisfacere suæ obligationi confitendo primo die Iulij, v.c. & vltimo Augusti. Quo casu certum est eum sine vlla voti violatione ferè per duos menses confessionem differre. Hoc tamen in vtroque casu fatendum est, tales minùs decenter facere, nec omnino satisfaccre fini, qui per tale siue præceptum, siue votum intenditur; qui est ne diu confessio differatur. Sed aliud est aliquid requiri ex decentia, & vt omnino satisfiat fini per præceptum aut votum intento: aliud verò est hæc ad illud obligare, v.c. secundùm & veram & receptam sententiam satisfacit præcepto communionis, qui in paschate communicat in peccato mortali; nullo tamen modo satisfacit fini ab Ecclesia intento. 60 Potest satisfieri præcepto etsi non satisfiat eius fini.

Ad Quartum Resp. Pastores tunc confessionem exigere: tum quia communiter præsumunt, eos qui tunc non confitentur, toto anno non fuisse confessos: tum etiam quia peccatori necessaria est confessio, vt possit dignè communicare. Ex quo etiam capite nata est consuetudo tunc confitendi, non autem quòd per se loquendo præceptum confessionis obliget magis pro illo tempore, quàm pro alio.

DVBIVM VIII.

Vtrùm is qui vno anno hoc præceptum non implevit, teneatur statim initio sequentis anni confiteri?

61 NOta dupliciter fieri posse vt quis hoc præceptum non impleat. Primò, quia absolutè non confitetur aut saltem inualidè, ita vt Sacramentum non suscipiat. Secundò, quia legitimè quidem confitetur, sed per inculpabilem oblitionem, vel aliam iustam causam aliquod peccatum mortale omittit, cuius postea recordatur.

D. Anton. Siluester.

In priore casu D. Antonin. 2.p.tit.9.c.9.§.3. & Siluester v. *Eucharistia.* 3.n. 17. respondent talem non teneri confiteri ante finem sequentis anni. Primò, quia qui omisit die Dominico audire Sacrum, aut die ieiunij ieiunare, non tenetur sequentibus diebus id supplere. Secundò, quia aliàs talis, si statim initio sequentis anni non confiteretur, continuò peccaret, quod videtur durum.

Communior tamen DD. sententia tenet eum statim teneri confiteri. Ita Soto in 4.d.18.q.1.a.4.§. *Ex his asserit.* Medina de pœnitentia tract. 2.q.14. in fine. Nauar.c.21.n.45. Victoria de confessione n. 147. Henriquez l.4.de Sacramentis c.4.n.6. & alij. Ex qua tamẽ sen-

Soto. Medina. Nauarrus. Victoria. Henriq.

sententia nascitur alia quæstio, Vtrùm talis paulò post pascha confitendo satisfaciat præcepto confessionis, pro illo anno, ita vt in eo non teneatur ampliùs confiteri, nisi hoc sit necessarium ad communionem percipiendam. Videtur enim satisfecisse: quia in illo anno verè semel est confessus, nec in Iure aliud præcipitur.

62 *Ledesma.* In secundo casu DD. variè respondent. Ledesma apud Suarez disp. 36. sect. 4. n. 6. ait talem teneri statim confiteri si recordetur sui peccati ante annum elapsum, v.c. ante Dominicam in albis: secùs si postea recordetur. Sed non video sufficiens in hac distinctione fundamentum. *Soto.* Soto verò suprà, & q. 2. art. 5. ad 3. ait eum qui scienter ex iusta causa illud peccatum omisit, teneri secundò confiteri statim data commoditate: eum verò qui ex obliuione id omisit, non teneri secundò confiteri ante sequens pascha, nisi instet necessitas communicandi, aut periculum mortis. Quia secundus cùm fuerit confessus omnia peccata mortalia, quæ ei tunc occurrebant, verè impleuit præceptum Ecclesiæ, quæ aliud nihil iubet: secùs est de primo, qui non est confessus omnia quæ ipsi occurrebant, quare tenetur statim data occasione præceptum implere. Sed hæc distinctio nullum habet fundamentum in verbis canonis, qui sine distinctione iubet nos singulis annis omnia peccata mortalia confiteri, quantum scilicet ad legitimam Sacramenti susceptionem (quam per se primò præcipit) est necessarium, quod vterque æqualiter fecit.

63 Non confessus in pascha tenetur prima cõmoditate confiteri. Conclvs. I. Multò probabilius est, eum qui siue culpabiliter, siue ex iusta causa hoc anno non fuit confessus, teneri sequenti anno statim data commoditate confiteri. Primò, quia est ferè cõmunis sententia DD. Secundò, quia, cùm hoc præceptum non sit alligatum certo tempori ipsius anni, ipsius obligatio non videtur etiam certo tempore expirare, quia hoc proprium est eorum præceptorum, quæ ad certum tempus alligata sunt. Quare dum præscribitur nobis vt intra annum confiteamur, terminus anni non ponitur vt vis præcepti in eo finiatur, sed vt sine peccato nemo possit eius implerionem vlteriùs differre: atque ita præceptum includit obligationem ad non differendam diutiùs confessionem; sicut votum intrandi intra annum Religionem. Quare quò in vtroque casu lapso termino implerio diutiùs differtur, eò grauiùs peccatur.

64 Ad Primum argumentum contrarium Resp. esse magnam diuersitatem inter vtraque præcepta, vt patet ex dictis.

Qui, vltra annum cõfessionem differt, continuò peccat. Ad Secundum Resp. concedendo talem eodem modo continuò peccare, sicut qui iniustè differt restitutionem, non quidem committendo semper nouum peccatum, sed continuando & aggrauando peccatum priùs commissum per omissionem confessionis in paschare. Aut si hæc tunc ex iusta causa fuerit omissa: tũc eam differens incipit peccare statim ac commodè posset confiteri: simili modo atque is qui iusti debiti solutionem, sine iusta causa diutiùs quàm æquitas postulat, differt. qui non primo die peccat mortaliter, sed tunc cùm dilatio incipit habere notabilem deformitatem contra finem præcepti, aut ius creditoris: quod in vtroque casu ex facilitate satisfaciendi obligationi & causis eam differendi, atque aliis circumstantiis spectari debet.

65 Aliquando vnica confessione satisfit pro duobus annis. Conclvsio II. Qui siue iustè, siue iniustè omisit hoc anno confiteri, & circa initium sequentis confitetur, non satisfacit pro obligatione confitendi secundo anno. Quia ersi confessio verè fiat in secundo anno; tamen secundùm æstimationem moralem non ad hunc, sed ad præcedentem annum spectat, cùm fiat vt obligationi huius anni satisfiat. Secùs fortè esset si fieret medio anno iam elapso: quia tunc nimia esset distantia, quam vt posset ad priorem annum retrotrahi, quoad hoc vt in eo facta censeatur, quia alias qui confiteretur sub finem secundi anni, per eam confessionem non satisfaceret obligationi confitendi pro illo anno, quod est nimis durum.

66 Conclvs. III. Qui hoc anno validè confessus est, si ob inuincibilem obliuionem, aut aliam iustam causam aliqua peccata mortalia omiserit; nisi occurrat periculum mortis, aut necessitas communicandi, non tenetur hæc peccata confiteri nisi in fine sequentis anni. Ita P. Suarez disp. 36. sect. 4. nu. 7. qui citat Victoriam & Nauarrum; sed hi loquuntur tantùm de casu obliuionis. Sed, vt ostendi n. 62. eadem est in vtroque casu ratio, nam per vtramque confessionem æqualiter impletur præceptum Ecclesiæ; & consequenter desinit obligare. *Sanchez. Victoria. Nauar.*

DVBIVM IX.

Qualis requiratur confessio vt satisfiat præcepto confitendi tam diuino quam Ecclesiastico?

67 HAc in re difficultas est Primò, an illi satisfiat per confessionem informem. Sed cùm suprà ostenderim non dari talem confessionem, non est cur hac de re multùm laborem. Hoc tamen notauerim, posito quòd hoc Sacramentum posset dari informe, sicut est communior eorum sententia, qui dicunt per ipsum illi præcepto satisfieri: ita etiam videri veriorem.

Secunda difficultas est, Quando quis integrè confitetur, sed ob defectum contritionis, vel malitiam sacerdotis non absoluitur; vtrum satisfaciat præcepto Ecclesiæ de annua confessione? Siluester v. *Confessio.* 4. n. 3. in fine. Gabr. in 4. d. 17. q. 1. art. 3. dub. 5. Victoria de confess. n. 161. & quidam alij id affirmant. Primò, quia Ecclesia solùm potest præcipere externam confessionem, quam tales integrè ponunt. Secundò, quia cap. *Quod quidam.* de pœnitentia & remiss. dicitur confessionem eorum, qui sine proposito emendationis confiteri volunt, esse recipiendam, etsi absoluendi non sint. *Siluester. Gabriel. Victoria.*

68 Nunquam satisfacimus præcepto diuino nisi ab omnibus peccatis mortalibus directè absoluamur. Conclvs. I. Nunquam præcepto diuino ita satisfacimus, vt amplius nihil teneamur confiteri, donec omnia peccata mortalia, quæ commisimus, verè confessi & ab iis sacramentaliter & directè simus absoluti. Hæc sententia est communis: & patet, quia, vt omnes fatentur, quantumuis simus legitimè confessi, si tamen per obliuionem, aut aliam iustã causam aliqua peccata mortalia omisimus, aut si ab aliquibus, quia erant reseruata, non simus directè absoluti, tenemur hæc postea, quando eorum recordamur, & datur opportunitas, confiteri, sicut alia peccata mortalia post eam confessionem commissa, iuxta dicta numer. 66. Ratio est, quia tamdiu tenemur peccata nostra confiteri, quamdiu retinerut: semper autem retinentur, donec directè simus ab iis absoluti. Quamdiu tamen inuincibiliter ignoramus nos habere aliqua peccata mortalia, à quibus non sumus directè absoluti, propter bonam fidem excusamur ab eorum confessione. A solis autem illis peccatis directè absoluimur, quæ explicitè confitemur habenti legitimam potestatem ab omnibus nos absoluendi, siue cui nulla reseruata sunt, & de facto nos ab omnibus absoluenti. A quibus peccatis directè absoluamur.

69 Conclvs. II. Eadem est ratio de præcepto confessionis præmittendæ ante communionem, siue diuinum sit, siue Apostolicum. Tam diu enim tenemur eam præmittere, quamdiu occurrit nobis aliquod peccatum mortale, à quo non sumus directè absoluti, nisi necessitas hìc & nunc aliud nos cogat facere. Vide dicta tomo 1. quæstio. 80. art. 4. dub. 1.

70 Conclvs. III. Nunquam satisfacimus præcepto

ludebat de statu confiteri, non suscipiamus rectè Sacramentum pœnitentiæ, etiamsi non sit de illa materia explicè: vt quia implicitè ignorantia non excusat legentem dispositum, qui omnia iuris scire debet, sacerdotem non absolutum. Ita Soto d. 18. quæst. 3. art. 3. concl. 2. & 3. Durand. d. 16. q. 1. n. 2. Medina de pœnitentia tract. 2. q. 10. in fin. Navarrus c. 20. n. 4. P. Suarez disp. 36. sect. 1. n. 2. & alij plurimi.

Tenetur confiteri peccata mortalia ex præcepto Ecclesiæ.

Probatur, quia Ecclesia directè & per se præcipit suscipiendum ipsum Sacramenti: ergo quamdiu aliquod non suscipit, non satisfacit ipsius præcepto. Antecedens probatur. Primo, quia vt obtineat effectum iuris diuini externi directè tendentis conferri, quatenus hoc est naturaliter, vt peccata nobis dimittantur, &c. vt directè ad illum finem, quod superiùs dixerunt Sacramentum Pœnitentiæ inde fuit necessariò præceptum per se præceptum Ecclesiæ: eadem, vt patet ex Tridentino sess. 14. can. 5. præcipit eorum tempore quod diuinum præceptum implentium est: ergo præcipit directè suscipi ipsum Sacramenti.

Tridentinum.

71 Dices, Hunc sequentem eum qui aliqua peccata inculpabiliter omittit, non satisfacere præcepto Ecclesiæ de annua confessione iuxta ius diuinum non omnino satisfacto, donec omnia peccata confessus fuerit. Respon. negando sequelam. Quia, etsi talis non satisfaceret præcepto diuino per se obligante pro tota vita, satisfecit tamen ei prout obligabat eum pro hoc tempore quo confitebatur, posito quod nunc diuino præcepto ob periculum mortis, aut alium causam teneretur confiteri, quia hoc non aliter nos obligat ad integram confessionem, quam quatenus hic & nunc moraliter possibile est: hic autem talem facit.

Probatur Secundo, quia hoc præcepto Ecclesiæ obligamur omnia peccata mortalia nobis occurrentia confiteri: at qui ipsa non potest nos ad hoc directè & per se obligare (nam alias posset nos ad hoc obligare, etiam extra suscipiendum Sacramenti.) ergo tantùm nos ad hoc obligat, quatenus necessarium est ad suscipiendum Sacramentum: & consequenter primò & per se ad hanc obligat. Tertiò, quia eodem modo præcepto Ecclesiæ obligamur ad suscipiendum huius Sacramenti, & ad communionem: atqui is cui volenti communicare sacerdos occultissimè porrigeret hostiam *non consecratam, non* satisfaceret præcepto Ecclesiæ, & si illud quacunque ratione postea sciret, deberet secundò communicare: ergo idem dicendum est de eo, qui quacunque ratione confitetur sine vera absolutione sacramentali.

Ad Primum argumentum contrarium, nego assumptum, quia Ecclesia potest præcipere susceptionem Sacramenti; & consequenter indirectè omnia ad hoc absolutè necessaria.

Ad Secundum Respond. illo cap. non dici talem *confessionem* debere suscipi, quasi per eam satisfiat præcepto confitendi siue diuino, siue Ecclesiastico (de hoc enim ibi non agitur,) sed quatenus ea est vtilis, vt confitens possit paulatim induci ad veram pœnitentiam.

72 Incurrunt excommunicationem, licèt lata sit, qui Sacramentum non suscipiunt. Quomodo peccent contra præceptum Ecclesiæ siue dolore confitem.

Hinc sequitur, *in iis locis vbi excommunicantur* ij qui in patchate non confitentur, verè excommunicati eos, qui ita sciemter confitentur vt nequeant sacramentaliter valdè absolui, quantumuis hoc fiat defectu solius doloris interni: quia ipsi verè omittunt aliquem actum externum à Prælatis validè sub ea pœna præceptum. Primò, quia omittunt ipsam susceptionem Sacramenti. Secundò, quia vel non confitentur integrè, si non dicant se confiteri sine sufficiente dolore: nam in hoc grauiter peccant. Vel si hunc defectum etiam fateantur, tunc manifestè omittunt facere talem etiam externam confessionem, quæ ad absolutionem sufficiat; cùm tamen iustè sub ea pœna præceptum de integrè confitendi, & tali modo vt confessarius possit iudicare ad absolutionem impertiendam.

Nota tamen, hæc communiter verissima non procedere contra eos de quibus dixi, quæ de facto incurrunt; hæc nostra cap. Omnis vtrius sexus, vt omnes peccata confiteantur saltem semel in anno proprio sacerdoti, & suscipiant ab eo in Pascha Ecclesiæ, & non omittant sacram Ecclesiasticæ sepulturæ. Sed nec etiam de illa excommunicatione latæ sententiæ, de qua paulò post in Dubio.

Quæ pœna non videtur imposita.

DVBIVM X.

Quando teneatur ad confessionem integram confessarius.

NOta Primo, dupliciter aliquem posse excusari ab hac obligatione. Primo, vt à tali modo tenendi obtinendi. Secundo, vt teneatur quidem eo modo, non tamen integrè. Agimus adhuc de primo modo, de secundo agemus in fine.

3 Nota Secundo, dubitare multos DD. excusare ab hac integritate ita impossibile, vt non contineat non solum physicam, de qua per se patet; sed etiam moralem, vt quando quis non potest sine notabili incommodo, quod ab eo timet, & præter institutionem huius Sacramenti prudenter timere vt fit, esse particulares circumstantias peccati, aut ne confitens incurrat grave odium ipsius sacerdotis. &c. dixi 6. quæ late vt ex placebo agendo de iis quæ excusant ab integritate confessionis. Item quando sine notabili incommodo aut torturarum non possum adire sacerdotem, aut eam accersere: aut nimis laborem & laborioliratem. quod ex diuersis circumstantiis temporis & personarum spectandum est. Incommoda autem quæ oriuntur præcisè ex ipsa confessione, vt quod sacerdos, qui antè credebat aliquem esse sanctum sciet eum esse magnum peccatorem, aut quòd pœnitès valdè erubescat confiteri, &c. hic nō sunt curāda, sed contēnenda, ac superāda, quia aliàs vix vlli nisi publici & impudentes peccatores tenerentur confiteri.

Incommoda ipsi confessioni annexa non excusant.

4 Nota Tertiò, facilius nos excusari à præcepto Ecclesiastico, quàm à diuino, præsertim in hora mortis. Tunc enim ad hoc grauior causa requiritur.

Nota Quartò, fieri posse vt habeam multa peccata confitenda, & possim aliqua non tamen omnia sine incommodo confiteri, & consequenter vt teneat aliqua confiteri, etsi non omnia.

5 His positis præcipua difficultas est Primò, Vtrùm quis teneatur confiteri per interpretem, quando aliter non potest. Silvester v. *Confessio.* n. 16. docet eum teneri ita confiteri, quādo obligat præceptum diuinum: secus esse, quando obligat solum Ecclesiasticum. Alij tamen communiter negant nos vnquam teneri.

Silvest.

Secunda difficultas est, Vtrùm teneamur confiteri ex scripto, quando aliter non possumus. Multi id negant, quia sacerdos posset nos infamare si vellet. Ita Nauarr. c. 21. n. 36. Richardus dist. 17. a. 2. q. 5. Medina de pœnitentia tract. 2. q. 15. concl. 5. Victoria de confessione n. 173. citans Caiet. & Scotum, Sotus d. 18. q. 2. a. 6. & alij.

Navar. Richard. Medina. Victoria. Caietan. Scotus. Soto.

6 Tenetur quandoque ex parte confiteri, quando nō possumus integrè. *Alensis. Soto.*

CONCLVS. I. Is qui habet aliqua peccata mortalia, quæ potest sine vilo incommodo confiteri, & aliqua quæ non potest sine graui periculo confiteri; potest hæc licitè tacere; tenetur tamen illa confiteri occurrente articulo quo præceptum confessionis obligat. Alensis 4. p. q. 17. memb. 3. a. 1. Soto d. 18. q. 2. a. 5. ad 3. Ratio est, quia potest saltem ex parte hoc præceptū seruare: ergo ad hoc tenetur. Quòd si nullū habeat peccatū mortale quod sine incōmodo non possit cōfiteri, absolutè excusatur à confessione, quantùm est ex vi præcepti confessionis siue diuini, siue Ecclesiastici, quia

quia hoc solùm obligat ad confitenda peccata mortalia. Tamen in articulo mortis ex præcepto caritatis tam Dei quàm suiipsius (quo obligatur, vt quantum commodè potest, omnino rutam viam salutis eligat,) credo eum teneri ad confitenda venialia: quia hoc commodè facere potest, & aliàs exponit se periculo damnationis, si fortè non sit contritus. quod facilè fieri posset: præsertim quando alia Sacramenta nequit suscipere. Imò quando tali etiam extra mortis periculum est communicandum, omnino ei suaderem priùs ita confiteri, etiamsi sibi videatur contritus: quia hoc ob reuerentiam tanti Sacramenti decentius est. Nollem tamen eum omnino obligare, nisi dubitaret an sit contritus.

Ex caritate nostri possumus aliquando obligari ad confitenda venialia.

77 CONCLVSIO II. Nunquam ex vi præcepti confessionis teneor confiteri per interpretem. Ita Scotus dist. 18. q. 2. art. 6. n. 142. Caietan. v. *Confessio*, conditione 11. Medina de pœnitentia tract. 2. q. 25. concl. 5. Petrus Soto lect. 11. de confessione, & alij plurimi.

Non teneimur per interpretem confiteri. Scotus. Caietan. Medina. Petrus Soto. Trident.

Colligitur apertè ex cap. *Omnis vtriusque*, vbi dicitur quòd solis sacerdotibus tenemur peccata nostra confiteri. Item ex Trident. sess. 14. c. 5. vbi dicitur nos non teneri confiteri nisi secretò apud solùm sacerdotem. Vbi apertè ostenditur nos non teneri confiteri ita, vt aliquis nos audiat præter solum confessarium: & consequenter nec per interpretem. Confirm. quia, si scirem quòd confessarius vel vni esset peccatum meum reuelaturus, non tenerer ei confiteri, vt Doctores communiter fatentur: ergo eodem modò non tenebor illud confiteri, quando vel vnus alius præter ipsum hoc deber audire.

Dixi, *ex vi præcepti confessionis*, &c. Quia talis in periculo mortis ex præcepto caritatis teneretur aliqua peccata venialia ita confiteri, & generatim omnia mortalia, dicendo se confiteri alia omnia peccata, quibus fortè Deum offenderit. quia hoc tutiorem viam salutis efficit, & sine incommodo fieri potest. Imò omnino suaderem ei vt, quando aliud non timeretur incommodum, simpliciter omnia peccata sua ita confiteretur: quia hoc vtilissimum est vt possit in spiritu iuuari, quod in illo articulo maximè quærendum est. Ea tamen peccata essent tacenda, ex quorum reuelatione aliquod notabiliter incommodum timeretur, si fortè interpres esset suspectus. Idémque dicendum quando confessio nequit fieri nisi aliis audientibus.

Nisi in periculo mortis ex præcepto caritatis.

CONCLVS. III. Probabilius est habentem peccata mortalia, teneri ea confiteri per scripturam, aut etiam per nutus, quando ea aliter explicare non potest: vt quia vel ipse mutus vel sacerdos surdus est. Ita Siluester v. *Confessio.* 1. n. 16. Caietan. v. *Confessio.* conditione 11. vbi tamen satis inconstanter loquitur, & mirabilem modum præscribit quem consulas. Petrus Soto lect. 11. de confessione, qui tamen satis dubitanter loquitur. P. Suarez disp. 36. sect. 6. n. 7. & alij. Quia præceptum confessionis obligat quoties sine notabili incommodo fieri potest: atqui ex hac confessione non sequitur maius incommodum, quàm ex confessione facta ore: ergo eodem modo obligat. Nec enim communiter magis timendum est ne sacerdos non reddat chartam postquam eam legerit, quàm timendum sit ne confessionem auditam reuelet: aut si illud timeatur potest confitens eam ipsi non tradere, sed tenere eam manibus, & ita offerre ei legendam. Quod autem Soto dicit, periculum esse ne rapiat eam ex manibus, communiter friuolum est. Quòd si tamen hîc & nunc ob nequitiam sacerdotis tale quid timeretur; non teneremur ei confiteri: sed nec etiam ore teneremur tali confiteri. quia idem periculum reuelationis timendum esset. 78

Silueſter. Caietan. Pet. Soto. Suarez.

DISPVTATIO VI.

DE QVALITATE CONFESSIONIS, SEV QVO MODO FACIENDA SIT.

NOTA, Doctores, præsertim antiquiores, sedecim conditiones ad legitimam confessionem requirere, quæ his versibus continentur:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis & accusans, & sit parère parata.

In quibus conditionibus, vt docet D. Thomas in 4. d. 17. quæst. 3. art. 4. quæstiuncul. 4. quædam sunt necessariæ, quædam verò tantùm requiruntur ad maiorem reuerentiam, quas omnes fusè explicat D. Antoninus in 3. p. titul. 14. cap. 19. §. 3. & seq. Nos hîc præcipuè immorabimur in iis explicandis, quæ ad ipsius Sacramenti essentiam spectant, aut alia ratione necessariæ sunt, quæ ad quatuor capita possunt reuocari. Primò scilicet, vt confessio fiat cum accusatione suiipsius & sufficiente dolore, de quo egi disputat. 4. dub. 5. & 6. Secundò, vt certo modo fiat, de quo hîc agam. Tertiò, vt sit integra, de quo agam disp. 7. Quartò, vt fiat legitimo ministro, de quo agam disp. 8.

D. Thom. *D. Anton.*

DVBIVM I.

Vtrùm confessio debeat necessariò voce fieri?

CONCLVSIO I. Non est de essentia huius Sacramenti vt confessio voce fiat. Ita D. Thomas in 4. d. 17. q. 3. ar. 4. quæstiunc. 3. & cum eo communiter Theologi. Probatur, quia de essentia huius Sacramenti solùm est ea confessio, quæ sit vera suiipsius accusatio, & qua pœnitens sacerdoti omnia sua peccata explicet, quantum hîc & nunc facere potest. Patet ex Trident. sess. 14. can. 8. vbi damnat eos qui dicunt confessionem quam Ecclesia requirit, esse impossibilem: atqui talis accusatio potest haberi 1

Confessio non sit necessariò voce. *D. Thom.* *Trident.*

per nutus aut similia, præsertim quando pœnitens nequit loqui: ergo talis confessio tunc sufficit ad essentiam Sacramenti. Confirm. quia D. Leo epist. 91. Concil. Arausicanum can. 11. & Carthag. 3. cap. 34. expressè docent ægrotum destitutum voce, si per nutus confiteatur, debere absolui. Idem etiam confirmat quotidianus vsus Ecclesiæ, quæ mutos ad confessionem admittit. Et ratio à priore est institutio Christi: conuenientia verò, quia aliàs multi qui voce sunt destituti, debuissent hoc Sacramento cum magno suo damno, & sæpè cum periculo animæ carere.

B. Leo. Concilium Arausicanum. Carthag. 3.

2 Nota tamen, semper dandam esse operam, vt quantum fieri potest peccata distinctè explicentur. Quare quando pœnitens est quidem mutus, non tamen surdus; sacerdos tenetur eum examinare circa ea peccata mortalia, quæ eum probabiliter credit commisisse; atque ipse interrogatus tenetur nutu significare an ea fecerit, nec ne?

Quantum fieri potest, debet esse explicita & distincta.

Ex quibus sequitur, multò magis scripturam sufficere, vt quis per eam præsenti sacerdoti confiteatur, quia per hanc multò explicatiùs, quàm per nutus possumus peccata nostra enarrare. Sotus tamen d. 18. q. 2. art. 6. §. *Si verò*, dicit esse necessarium, vt dum sacerdos singula peccata legit, pœnitens nutu insinuet se ea commisisse, quia aliàs sacerdos ex sola scriptura non potest cognoscere an ille verè ea fecerit, nec ne. Sed alij hoc non requirunt: & meritò. Nam hoc ipso quo pœnitens præsenti sacerdoti sua peccata descripta tradit, nutu ostendens se de iis dolere & petere absolutionem, apertè confitetur se ea fecisse.

Soto.

Trident. Dices, In Florentino in literis Eugenij dicitur, quòd materia huius Sacramenti sit confessio oris: ergo requiruntur verba propriè dicta. Et confirm. quia c. *Quem pœnitet*, de pœnitentia, d. 1. dicitur confessionem non debere fieri per scriptum.

Resp. Concilium ibi Os accipere latè pro quocumque instrumento, quo animi sensum exteriùs aperimus. Vocat igitur *confessionem oris*, quamuis externam confessionem, quia hæc communiter solet, atque adeò quantum est possibile, necessariò debet ore fieri: & ideo etiam dicto cap. *Quem pœnitet*, dicitur non posse fieri per scriptum: quia extra necessitatem ita licitè fieri non potest. Vt autem hæc iura ita intelligamus, cogunt rationes pro concl. allatæ.

3 CONCLVSIO III. Nisi necessitas aliter cogat, confessio semper facienda est ore. Ita cum D. Thoma suprà communiter DD. Et patet ex c. *Quem pœnitet.* citato, & communi Ecclesiæ vsu, qui per se satis obligat, sicut etiam obligat, vt absoluens dicat, *Ego te absoluo*; non autem, *Ego tibi remitto peccata tua.* Et ratio etiam astipulatur, quia hic modus est aptissimus & conuenientissimus, vt finis confessionis obtineatur. Quare hæc obligatio videtur grauis: quamuis forrè nullum sit expressum mandatum vel diuinum, vel humanum ad hoc obligans: nullum enim potest ostendi, vt notat P. Suarez disp. 21. sect. 3. n. 5. & 6. Quare citans Canum infert, non solùm eum qui nullo modo potest voce confiteri; verùm etiam eum qui posset absolutè loquendo voce confiteri, sed in eo ob nimiam verecundiam valdè grauem difficultatem sentit, posse dicto modo quædam peccata scripto, aut nutu confiteri: quia dicta consuetudo non videtur in eo casu tam grauiter obligare. Idem videntur dicere: Soto suprà, & Scotus d. 17. in fine in resp. ad penult. argumentum. P. Valentia hic qu. 11. puncto 1. in fine.

Debet communiter ore fieri. D. Thomas.

Suarez. Canus.

Excusat tamen magna difficultas.

Soto. Scotus. Valentia.

DVBIVM II.

Vtrùm confessio debeat secretò fieri?

4 QVidam hæretici huius temporis voluerunt olim solam publicam confessionem fuisse in vsu; & postea mutatam esse in priuatam incipientibus Nouatianis. Sed hos apertè errare constat ex dictis disp. 4. dub. 1. vbi ostendi priuatam confessionem fuisse ab initio Ecclesiæ in vsu. Contrà quidam olim Catholici putarunt esse de essentia confessionis sacramentalis, vt fieret secretò. Et hoc probabile putat Richardus d. 17. artic. 3. quæst. 8. Citantur etiam pro eadem sententia Scotus & Gabr. d. 17. qu. 1. Sed si quis benè eos legat, solùm volunt nos ad publicam non teneri: vt expressè insinuat Scotus ibidem littera P. & Gabr. littera M. quamuis ibi habeat quædam verba, quibus illam sententiam videatur insinuare. Citatur etiam Angelus v. *Confessio* 1. nu. 29. sed ibi expressè docet, publicam confessionem esse validam: ait tamen esse contra præceptum Ecclesiæ quando necessitas non subest.

Hæretici nostri. *Nouatiani.* *Richard.* *Scotus.* *Gabriel.* *Angelus.*

5 CONCLVSIO I. Ad essentiam huius Sacramenti nihil refert, an confessio secretò, an publicè fiat. Est iam communis DD. & videtur aperta sententia Tridentini sess. 14. c. 5. Et ratio est, quia confessio ideo requiritur, vt confessarius possit cognoscere statum pœnitentis, quem per vtramque confessionem æqualiter potest cognoscere. Confirm. etiam ex praxi Ecclesiæ, in qua videmus sæpè confessionem fieri per interpretem. Et quando multi moribundi iacent simul in eodem lecto, nec possunt vllo modo secretò confiteri, possunt confiteri etiam aliis audientibus.

Potest confessio publicè fieri. Trident.

CONCLVSIO II. Etsi nemo ex præcepto confessionis præcisè obligetur publicè confiteri, nec hoc loquendo de particulari singulorum peccatorum mortalium confessione, communiter fieri expediat, ob infamiam, vel scandalum, quæ inde possent nasci; tamen ex rationabili causa quandoque laudabiliter fieret, aut ob aliorum ædificationem, aut quia secretò fieri nequit. Nulla tamen humana lege id posset præcipi, maximè circa peccata secreta: quia nimis durum esset. Ita Tridentinum suprà. *Trident.*

DVBIVM III.

Vtrùm omne mendacium in confessione admissum sit peccatum mortale?

6 NOta duobus modis posse contingere vt quis mentiatur in confessione. Primò, in re nihil ad confessionem faciente, & tunc secundùm omnes erit peccatum mortale, vel veniale: prout esset si fieret secretò extra confessionem: nisi quod ratione circumstantiarum sit aliquanto grauius, quando fit in confessione. Nam tunc fit cum aliqua irreuerentia Sacramenti. Sed de hoc mendacio hîc non agimus: quia non fit propriè in confessione, siue in materia confessionis, sed solùm eodem tempore dum fit confessio. Secundò, potest quis mentiri in re spectante ad confessionem, idque quinque modis. Primò, negando se feciſſe aliquod peccatum veniale, quod tamen fecit. Secundò, negando se feciſſe aliquod peccatum mortale, quod non tenetur hîc & nunc confiteri: quia nimirum vel est illud semel confessus: vel quia non potest illud hîc & nunc confiteri sine graui incommodo. Tertiò, confitendo aliquod peccatum veniale quod non fecit. Quartò, confitendo aliquod peccatum mortale quod non fecit. Quintò, negando se feciſſe aliquod peccatum mortale, quod tamen fecit, & hîc & nunc tenetur confiteri. Agimus autem hîc semper de eo qui sciens aut ex crassa ignorantia mentitur.

Dupliciter potest aliquis in cõfessione mentiri, estque peccatum veniale quando fit circa rem imperfectionem & leuem.

7 Cajetan. 2. 2. qu. 69. art. 1. §. *In responsione.* absolutè docet esse peccatum mortale quocumque modo ex his quinque mentiri in confessione: quia falsificatur,

Cajetan.

iudicium. Nam iudicium super eo fundatum est falsum. Sed hæc ratio in primo & secundo casu nullius est momenti. quia iudicium super illa negatione nullo modo fundatur. Et hæc opinio Caietani est singularis. Ipse autem in Summa v. *Confessio.* conditione 4. videtur eam limitare, sed satis obscurè loquitur.

Secunda sententia docet, confitentem aliquod peccatum etiam veniale, quod scit se non fecisse, peccare mortaliter. quia efficit vt forma ex parte sit falsa: qua generaliter significatur pœnitenti remitti omnia peccata quæ confessus est. Et confirm. quia qui inter alias hostias triticeas misceret vnam hordeaceam, & simul omnes offerret sacerdoti consecrandas; peccaret mortaliter; quia efficeret formam ex parte falsam: ergo etiam is qui confitetur vnum peccatum etiam veniale quod non fecit. Hanc sententiam tener Caiet. suprà, & Armilla v. *Confessio.* n. 5.

Caietan. Armilla.

Tertiò, posset alicui videri non esse peccatum mortale, si quis confiteatur aliquod peccatum mortale, quod scit se non fecisse. quia, si spectemus veritatem Sacramenti, non magis hanc vitiat, qui hoc modo mentitur, quàm qui tertio modo mentitur. Quòd autem seipsum infamet, videtur esse materia leuis. quia hæc infamia est parui momenti, præsertim cùm sit dominus suæ famæ. Et pro hac sententia citatur Siluester v. *Confessio*, 1. q. 8. sed ipse docet ibi apertè contrarium, & solùm dicit non peccaturum mortaliter, qui in genere diceret se grauem esse peccatorem: aut qui dubitans an aliquod peccatum commisisset, id paulò fortiùs assereret, modò non omnino certò.

Siluester.

8 CONCLVSIO I. Certum est eum qui sciens negat se fecisse aliquod peccatum mortale, quòd hîc & nunc tenetur confiteri, peccare mortaliter. quia talis peccaret mortaliter, etsi solùm omitteret illud confiteri: quantò magis quando negat se id fecisse. & hanc omnes admittunt.

CONCLVSIO II. Qui primo & secundo modo mentitur, tantum peccat venialiter. Ita Siluester v. *Confessio.* 1. q. 8. Angelus ibidem num. 6. & 7. Soto d. 18. q. 2. a. 4. conc. 3. Nauarrus c. 21. n. 37. & 38. Petrus Soto de confessione lect. 10. in fine. Suarez disp. 22. sect. 10. n. 4. & communiter DD. Probatur. quia tale mendacium nec est perniciosum alicui, vt per se patet: nec est contra ius ipsius iudicis: quia pœnitens non tenetur ea ipsi fateri. nec falsificat formam aut Sacramentum subiiciendo iis falsam materiam, vt per se patet. Quare si vtatur aliqua restrictione mentali, ne quidem erit peccatum veniale.

Siluester. Angelus. Soto. Nauarrus. Petrus Soto. Suarez.

9 CONCLVSIO III. Confitens aliquod peccatum veniale. quod non fecit, peccat mortaliter, si nulla alia peccata confiteatur: quia reddit Sacramentum irritum. Quod si tamen confiteatur simul alia peccata quæ verè fecit, siue venialia, siue mortalia, tantùm peccat venialiter. Ita docent omnes auctores citati pro secunda concl. Prob. quia est materia leuis, & non necessaria huic iudicio, quare nec fit grauis iniuria ipsi confessario siue iudici, nec etiam ipsi Sacramento: vt magis patebit ex solutione argumenti contrarij.

Confitens peccatum veniale quod non fecit, non falsificat formam.

Ad argumentum igitur pro secunda sententia allatum nego assumptum. Quia forma absolutionis non fertur immediatè circa peccata in particulari, sed circa ipsum pœnitentem, quem significat generatim à peccatis quæ hîc & nunc confitetur, absolui; non quidem absolutè, sed secundùm allegata & probata, sine supposita veritate eorum quæ adferuntur: vt dixi disputat. 4. num. 58. & 59. Quare tantùm in genere & sub quadam conditione, peccatorum remissionem hîc & nunc fieri significat. quare si vnum aut alterum non remittatur, forma nullo modo falsificatur. Alia autem est ratio in consecratione, in qua forma fertur immediatè circa hostias consecrandas, & immediatè significat sub singulis facta consecratione esse corpus Christi. Quare esset falsa; si vel vna hostia non consecraretur. Ex quo patet solutio ad confirmationem.

Dices, Saltem integrum Sacramentum pœnitentiæ significat absolutè hîc & nunc omnia peccata quæ pœnitens confitetur, ei remitti: vt ostendi disp. 4. num. 54. ergo in eo casu eius significatio falsificabitur. quod videtur fieri cum graui iniuria Sacramenti. 10

Resp. reddi quidem aliqua ex parte falsam significationem Sacramenti: sed, cùm non reddatur falsa in essentialibus, nec etiam secundùm integrum suum effectum, sed tantùm secundùm aliquam particulam sui effectus, hæc irreuerentia est leuis. Quod patet. nam si quis inter alia confiteretur aliquod peccatum veniale cum aliqua adhuc complacentia circa illud, eodem modo significationem Sacramenti redderet ex parte irritam, siue falsam; & tamen durissimum esset dicere talem peccare mortaliter. Item cùm baptismus detur per modum perfectæ regenerationis, sicut habet absolutam vim remittendi omnia peccata etiam venialia: ita eorum perfectam remissionem significat. & consequenter qui illum suscipit cum affectu aliquo erga aliquod peccatum veniale, ex parte eius significationem falsificat: sicut eam totaliter falsificat, qui cum obice gratiæ ipsum suscipit. Et tamen certum est priorem non peccare mortaliter: ergo idem dicendum est in casu nostræ conclusionis.

Talis tamè ex parte reddit falsam significationem Sacramenti sed est materia leuis.

Idem fit quãdo quis cum affectu erga peccatum veniale baptizatur.

CONCLVS. IV. Qui confitetur vnum peccatum mortale, quod scit se non fecisse, peccat mortaliter. Ita Soto, Siluest. Suarez, suprà citati, & communiter DD. quia in materia graui & necessaria iudicem decipit, eiúsque iudicium peruertit. Nec enim potest hîc & nunc ferre prudens iudicium qui in re tam graui errat. quod maximè patet in casu quo quis falsò confiteatur aliquod peccatum mortale, qui fecisset sola venialia: quia tunc iudicaretur esse inimicus Dei qui esset amicus. Quòd si in eo casu sit materia grauis, etiam erit quando quis alia simul confitetur. quia horum cum illo coniunctio non mutat materiæ aut mendacij grauitatem. 11

Soto. Siluesteri. Suarez.

DVBIVM IV.

Qua ratione peccet, qui vni confessario primò confitetur omnia peccata sua mortalia, & deinde alteri venialia?

FAtentur omnes DD. hoc aliquando sine peccato fieri, quando scilicet persona aliqua communiter toto anno sine peccatis grauioribus viuens, semel per occasionem in graue aliquod peccatum incidit, quod erubescit ordinario suo confessario confiteri, ideóque alterum accedit. 12

Sed difficultas est, quando aliquis hoc sæpiùs faceret, vt haberet bonam opinionem apud suum confessarium. Victoria de confessione num. 196. docet absolutè fore peccatum mortale, & inclinat Siluest. *Confessio.* 1. num. 8.

Victoriæ. Siluest.

CONCLVS. Per se loquendo non est peccatum mortale etiam sæpiùs hoc modo duobus confiteri, vt apud ordinarium confessarium bonam de te æstimationem integram ferues. Imò possent tales subesse rationes, vt hoc licitè faceres: vt si haberes maximam repugnantiam confitendi graviora illa peccata ordinario tuo confessario; & tamen non auderes, ne eum offenderes, statis temporibus ei non confiteri. Ita Nauarr. c. 21. n. 40. & Suarez disp. 22. sect. 1. n. 13. Henriquez l. 5. de Sacramentis c. 16. nu. 6. Probatur; 13

Confiteri duobus cõfessariis alteri gravia, alteri levia est per se res levis.

Nauarrus. Suarez. Henriquez.

quia neque hoc est contra integritatem Sacramenti, vt per se patet, quia vtraque confessio sit integrè: neque apparet hîc vlla alia grauis deformitas. Nam intendere bonam de se æstimationem apud suum confessarium conseruare, siue velle eam non perdere, non est per se malum: & vti ad hoc tali modo per se loquendo, aut nullam, aut non tam grauem inordinationem continet.

14 Dixi, *per se loquendo*, &c. Quia per accidens posset hîc grauis esse inordinatio; vt quando quis hac ratione exponeretur periculo sæpiùs labendi in peccatum mortale. quod facilè accidere posset, quando quis confiteretur graviora peccata alicui, qui ea parum ponderaret, & sine vlla obiurgatione imposita leui pœnitentia statim daret absolutionem: aut si quis sæpiùs in eadem peccata incidens semper diuersis ea confiteretur. Quia hac ratione non posset facilè ab iis per confessionem emendari, cùm sponte quæreret medicos, qui eum aut nollent, aut ob ignorantiam ipsius status non possent efficaciter sanare. Quare in talibus valdè timendum est, ne non habeant sufficientem dolorem de peccatis, & propositum emendandi. Sed hoc propriè non prouenit, quia illi secundo confessario confitentur peccata leuia, sed quia propria confitentur sponte iis à quibus non possunt ita iuuari: & idem omnino iis accideret etsi ordinario suo omnino non confiterentur. Quare omnes qui sæpiùs in grauia peccata incidentes quærunt aut ferè semper diuersos, aut negligentem aliquem confessarium, meritò timere possunt, ne nunquam absoluantur ob defectum doloris, & propositi emendationis. His adde, dicto modo duobus confiteri, etiamsi rarò fiat, & possit sine peccato fieri; tamen nisi singularis aliqua grauis causa subsit, semper esse dissuadendum: quia est minùs salutare ipsi pœnitenti, & est signum animi magis curantis suam æstimationem, quàm animæ perfectionem, & progressum in virtutibus.

Ex accidenti potest esse grauis inordinatio, & sæpè periculosum.

Periculosi est iis qui sæpè in grauia peccata incidunt, sæpè mutare confessarium.

DVBIVM V.

Quando confessio sit inualida?

15 HOc dubium quia spectat ad qualitatem confessionis, hîc ponendum est; eius tamen resolutio pendet à diuersis dubiis alibi explicatis. quare hîc breuiter poterit expediri remittendo ad ea loca, in quibus ea, à quibus pendet, explicantur.

Nota Primò, dupliciter aliquam confessionem posse esse inualidam. Primò, absolutè secundùm se totam: vt quando Sacramentum aut nullo modo, aut inualidè suscipitur. Secundò, solùm ex parte, vt quando quis verè à peccatis absoluitur, à quibusdam tamen solùm indirectè.

Nota Secundò, ex duobus capitibus posse vtramque inualiditatem contingere. Primò, ex defectu aliquo confitentis; Secundò, ex defectu sacerdotis.

16 CONCLVSIO I. Ex defectu pœnitentis confessio absolutè est inualida, quando deest ei legitimus dolor, de quo dixi disp. 4. nu. 34. & 40. Semper autem hic dolor manifestè deest, quoties pœnitens in susceptione Sacramenti peccat mortaliter, vt patet ex ibidem dictis. Hoc solùm hîc notandum, ex eo quòd pœnitens paulò post confessionem labatur in eadem peccata mortalia, aut etiam in aliqua alia: aut quòd pœnitentiam iniunctam non impleat; non esse certum signum, eum tempore confessionis non habuisse sufficientem dolorem, aut propositum emendationis. Potuit enim tunc ea habuisse, & pòst animum mutasse: quando tamen talis relapsus est frequens, est sæpè probabile signum illius defectus.

Aliquem statim à confessione peccare mortaliter, quando sit signum insufficientis doloris.

Ex defectu sacerdotis confessio est inualida Primò, quando ille omisit absoluere, quocunque casu hoc fiat. Per se patet. quia sine absolutione nequit consistere Sacramentum. Secundò, quando non habuit intentionem absoluendi: quia hæc est de essentia Sacramenti. Quando tamen ipsa verba absolutionis legitimè pronuntiat, hic defectus nunquam est præsumendus, nisi ipse dicat se non habuisse intentionem. Tertiò, quando absoluit sine sufficienti iurisdictione. Quo casu si in nulla omnino peccata ex iis quæ pœnitens confessus est, iurisdictionem habuit; tunc confessio est omnino inualida: sed si habuerit solùm in aliqua, tunc solùm est inualida respectu eorum in quæ (quia ipsi erant reseruata) non habuit iurisdictionem. Et tunc hæc quidem pœnitenti remittuntur, si ipse sit in bona fide; cum obligatione tamen ea iterum confitendi postquam eum defectum sciuerit: sicut etiam ei remittuntur peccata oblita, vt ostendam disp. 8. n. 101. Quartò, si confessarius aliqua peccata mortalia nullo modo intellexerit, siue id acciderit ex distractione, siue ex linguæ ignorantia, siue alio casu: & ab his pœnitens solum absoluitur, sicut ab oblitis. Cùm enim confessio sit ideo necessaria vt sacerdos peccata intelligat, ea est insufficiens, per quam ille peccata non intelligit. 17

Confessarius absoluit ab aliquibus peccatis quàdo tantùm in aliqua habet iurisdictionem.

Idem sit quando solùm aliqua intellexit.

Addunt aliqui Quintò, idem dicendum esse, quando sacerdos intellexit quidem peccatum pœnitentis, sed ex ignorantia non potuit discernere an esset mortale an veniale. Ita Silues. *Confessio.* 1. quæst. 3. Victoria de confessione num. 168. Sed hoc nimis durum est. Quare alij meliùs aiunt, sufficere ad valorem directæ absolutionis, vt sacerdos intellexerit substantiam ipsius peccati etiam secundùm circumstantias mutantes speciem, v. c. pœnitentem commisisse adulterium in loco sacro; etsi ob imperitiam aut alias causas credat esse veniale quod est mortale, aut circumstantiam non mutare speciem, quæ eam tamen mutat. Ita Gabriel in 4. d. 17. quæst. 1. ar. 3. dub. 2. Adrianus quæst. 4. de confessione, sub finem. Petrus Soto lect. 6. de confessione, P. Suarez disput. 22. sect. 6. num. 4. & alij. Probatur, quia aliàs vix vlli possent reperiri sufficienter idonei ad audiendas confessiones. quia sæpissimè contingit vt etiam peritissimi & experientissimi confessarij dubitent an id quod pœnitens confitetur, sit verè peccatum mortale, an solùm veniale: quia harum rerum cognitio in particulari sæpissimè à tot circumstantiis pendet, quas non possumus satis cognoscere, vt nullus mortalis possit de iis semper in particulari benè iudicare. 18

Silues.

Victoria.

Nõ est omnino necesse vt possit distinguere speciē peccati.

Gabriel.

Adrian. Petr. Soto. Suarez.

Adde, plurima esse peccata, de quibus inter DD. non conuenit an mortalia sint, an venialia. quare nullus potest hoc omninò certò scire.

Ex quibus secundùm illam sententiam sequeretur, in his omnibus casibus pœnitentem ab iis peccatis non aliter absolui, quàm ab oblitis. quod videtur absurdum. quia Christus tunc ad perfectam huius Sacramenti administrationem requisiuisset in sacerdote maiorem status pœnitentis cognitionem, quàm quæ humanitus haberi potest.

Dices, eam sententiam tunc solùm habere locum, quando hic defectus accidit ex imperitia confessarij; non autem quando accidit ex rei difficultate. Sed hoc non videtur dici, consequenter, quia siue hic defectus oriatur ex vna causa, siue ex alia, semper est eadem ignorantia speciei ipsius peccati, & status pœnitentis. Quare si huius cognitio esset essentialiter requisita, vt pœnitens posset directè à peccatis absolui, ex quacunque causa contingeret eam deesse, necessariò etiam deesset directa absolutio. 19

Quare dicendum est, confessarium quidem obligari, vt quantùm hîc & nunc moraliter fieri potest, tamen confessarius

Tenetur

quantum potest extare vt speciem peccati intelligat.

curet vt intelligat speciem peccati: & similiter pœnitentem teneri simili modo ita se explicare, vt ille possit eam intelligere: & consequenter eum, cuius culpa hic defectus accidit, peccare. Sed inde non sequitur, eam cognitionem esse absolutè necessariam ad directam à peccato absolutionem. Quòd si tamen pœnitens studio quæreret talem sacerdotem, qui ex imperita non posset inter peccata discernere, grauiter peccaret: atque ita propter defectum dispositionis Sacramentum esset nullum.

DISPVTATIO VII.

DE

CONFESSIONIS

INTEGRITATE.

DISPVT. 5. ostendi, necessarium esse ad perfectam peccati mortalis remissionem illud alicui sacerdori legitimè confiteri: iam verò disputamus, qua ratione necessarium sit, omnia quorum sibi pœnitens est conscius, eidem integrè confiteri. Conscius autem sibi alicuius peccati mortalis ille dicitur, qui scit se id commisisse, & nondum legitimè esse confessum.

DVBIVM I.

Vtrùm sit necessarium, suscipientem hoc Sacramentum, omnia peccata mortalia, quorum sibi conscius est, vni eidémque integrè confiteri?

1 NOta Primò, dupliciter posse esse necessariam integram peccatorum confessionem. Primò, ne peccemus in susceptione Sacramenti, eiúsve effectui ponamus obicem. Secundò, ad valorem ipsius Sacramenti.

Integritas confessionis alia materialis, alia formalis.

Nota Secundò, DD. communiter distinguere duplicem integritatem in confessione. Vnam vocant materialem, quando scilicet aliquis absolutè confitetur omnia peccata mortalia, quæ ab vltima confessione commisit. Alteram vocant formalem: quando quis confitetur omnia peccata mortalia, quæ hîc & nunc tenetur confiteri; etsi fortè aliqua commiserit quæ propter inuincibilem ignorantiam, aut aliquam iustam causam hîc & nunc non confitetur: & dicunt hanc semper esse necessariam, non tamen primam.

Formalis est semper necessaria.

CONCLVSIO I. Vt non ponamus obicem effectui ipsius Sacramenti, necessarium est vt quantum fieri potest, integrè omnia peccata mortalia, quorum nobis sumus conscij, eidem confiteamur. Habetur

Trident.

expresè in Tridentin. session. 14. c. 5. vbi ait: *Itaque dum omnia quæ occurrunt memoriæ, peccata Christi fideles confiteri studeant, procul dubio omnia diuinæ misericordiæ ignoscenda exponunt: qui verò secùs faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt.* Idem apertè insinuauit cap. *Omnis vtriusque.* Et quidem communiter DD. consentiunt hoc esse iure diuino necessarium;

Medina.

multi tamen laborant in eo probando. Quare Medina cod. de pœnitentia, tract. 2. quæst. 6. varias adfert rationes eásque soluit; randémque concludit, hoc sola traditione ex communi Doctorum consensu, & Ecclesiæ praxi cognita posse probari. Sed si consideremus quæ dixi disputat. 4. numero 3. & 13. & disputat. 5. numero 4. hæc probatio erit facilis. Ibi enim ostendi ministrum huius Sacramenti exercere verum iudicium, & ad hoc necessarium esse, vt statum pœnitentis, quantum fieri potest, cognoscat, vt possit iudicare an sit dignus absolutione nec ne.

Confirmatur, quia, sicut Deus nunquam remittit vnum peccatum mortale sine alio: ita instituit hoc Sacramentum, vt per ipsum simul ab omnibus nostris peccatis mortalibus per se & directè absoluamur: atqui hoc nequit fieri nisi vni & eidem omnia integrè confiteamur: ergo hoc ad legitimam huius Sacramenti susceptionem, quantum fieri potest, est necessarium. Maior patet, quia hoc Sacramentum institutum est vt per ipsum reconciliemur Deo. Nam vt docet Tridentin. sess. 14. cap. 13. eius proprius effectus est reconciliatio hominis cum Deo, & consequenter eius effectus debet esse integra omnium mortalium remissio. Minor probatur, quia, vt omnes fatentur, nos propriè & per se non absoluimur à peccatis quæ non confitemur, sed ea vt summum per accidens remittuntur, ratione gratiæ quæ infunditur: sicut etiam verè attrito, qui bona fide susciperet Confirmationem, aut Ven. Sacramentum, remitterentur. Sicut igitur contra ipsius institutionem vteretur Sacramento Eucharistiæ, qui conscius sibi peccati mortalis cum nota attritione illud susciperet: ita etiam qui vtitur Sacramento pœnitentiæ ad remissionem eorum peccatorum quæ non confitetur, siue qui non integrè confitetur, facit aliquo modo contra ipsius institutionem. Hæc tamen differentia, quòd & ob summam reuerentiam, quæ debetur Venerabili Sacramento, & quia non potest occurrere necessitas communicandi in peccato mortali, nunquam liceat hoc ita suscipere: contra verò quia in multis casibus possumus non integrè confiteri, licet aliquando confessionem dimidiare: atque etiam quandoque solùm confiteri per signa generalia. Quia, cùm hoc Sacramentum sit institutum vt faciliùs & certiùs possemus peccatorum veniam obtinere, non debuit ad liciram eius susceptionem maior peccatorum explicatio exigi, quàm ea quæ pœnitenti hîc & nunc moraliter est possibilis.

2 Hoc Sacramentum est institutum vt pœnitens simul ab omnibus mortalibus directè absoluatur.

Trident.

Cur liceat aliquandò nō integrè confiteri.

Hinc sequitur, eum peccare mortaliter, qui vel vnum peccatum mortale sponte, & sine iusta causa in confessione omittit. Quia, vt docet Trident. suprà, talis impedit effectum Sacramenti; quod est peccatum mortale.

Trident.

CONCLVSIO II. Integra peccatorum mortalium confessio, quantùm hîc & nunc à pœnitente moraliter fieri potest, est per se necessaria ad valorem Sacramenti. Est etiam communis DD. Sed difficulter à multis probatur. quia rationes quæ communiter adferuntur, aut solùm probant primam conclu-

3

sionem: aut si quid aliquid probent, absolutè probant hoc Sacramentum semper invalidè suscipi ab eo qui aliquod peccata mortalia omittit, etiamsi habeat iustissimam causam ea omittendi. quod facilè ostenderem per singula discurrendo, nisi brevitati consulerem; præsertim in eorum sententia qui putant aliquem dolorem sufficere ad essentiam Sacramenti, qui non sufficit ad effectum. Ratio igitur est, quia, vt ostendi disp. 4. n. 40. attritio necessaria ad effectum huius Sacramenti, est etiam necessaria ad eiusdem valorem. Cùm igitur qui sciens sine sufficiente necessitate confitetur non integrè, peccet mortaliter, vt patet ex 1. conclusione, non potest habere attritionem requisitam ad effectum Sacramenti, & consequenter nec ad eius valorem.

Cur requiratur formalis integritas ad valorem Sacramẽti.

Dixi, *est per se necessaria*, quia per accidens fieri potest, vt sine integra peccatorum confessione validè suscipiatur Sacramentum, scilicet quando contingit eam non esse integram sine culpa confitentis: vt quia hic & nunc ex iusta causa ab ea excusatur: aut quia invincibiliter ignorat sibi integrè esse confitendum: aut quia sacerdos eum subitò absoluit, antequam integrè confessus sit, &c. In his enim & similibus casibus potest confessio materialiter non integra consistere cum vero dolore peccatorum sufficiente ad Sacramenti valorem, & consequenter ponitur vera materia Sacramenti, & vera forma cum sufficiente ministri intentione: ergo ponitur verum Sacramentum.

Nunquam omissio alicuius peccati vitiat valorẽ Sacramẽti, quãdo non impedit necessariũ dolorem.

5 Hinc patet, quomodo fiat vt confessio materialiter non integra ratione necessitatis, aut moralis cuiusdam impotentiæ, aut probabilis auctoritatis Doctorum dicentium tali casu licere non integrè confiteri, aut ratione invincibilis ignorantiæ, sit materia sufficiens huius Sacramenti, quæ aliàs non esset. Quia scilicet, vt ostendi disputat. 4. numer. 40. nulla confessio est sufficiens materia huius Sacramenti, quæ non procedit ex sufficienti attritione, quæ in dictis casibus potest consistere cum tali confessione: extra eos verò non potest, quia extra eos casus intendens cum tali confessione suscipere Sacramentum, peccat mortaliter. quòd si tamen quacunque ratione à peccato mortali excusaretur, sicut tunc posset habere veram attritionem: ita posset validè absolui.

6 Dices, Hinc sequeretur nos licitè absoluere rudes quosdam homines, qui cùm ad confessionem veniunt dicunt quidem in genere se peccasse, & de eo dolere, ac petere veniam ac absolutionem: quantumcumque tamen à confessario examinantur, non possunt vel vnius peccati venialis à se commissi in particulari recordari.

An possint absolui qui nullius peccati in particulari meminerunt. *Alensis.*

Resp. Primò, si tales verè apprehendant se peccasse, & de eo attriti verè intendant confiteri, eos validè absolui. Ita Alensis 4. part. quæst. 77. memb. 1. art. 1. Resp. Secundò, communiter tamen, nisi subsit gravis aliqua necessitas, non debere absolui. quia communiter non videntur apprehendere quid sit peccatum, aut se verè Deum offendisse. Si enim illud verè apprehenderent, valdè verosimile est, quòd idem apprehenderent circa aliquod peccatum in particulari. v. c. quòd fuissent aliquando ex negligentia distracti inter orandum, aut nonnihil aliqua in re impatientes, aut auidiores in sumendo cibo, &c. quia est moraliter, ferè certum, eos sæpè in huiusmodi pecc. incidere. Cùm igitur de iis interrogati absolutè affirment se in iis non peccasse, valdè probabile est, eos non apprehendere, se aliquod peccatum verè commisisse; atque ita non tam intendere verè confiteri, quàm facere quod iubentur facere, aut quod alios facere vident. Adde, omnino conuenire vt quantum fieri potest hoc Sacramentum numquam conferatur nisi confitenti aliqua peccata in particulari. quia ex confessione illa generali, confusa solùm quædam, & vaga cognitio status pœnitentis habetur: decet autem iudicem ex cognitione determinata ferre sententiam, quando necessitas ad aliud non cogit.

Conclvsio III. Etsi tota formalis malitia peccati consistat in solo actu interno, tamen ipse actus externus etiam confitendus est: nec ei qui fornicatus est, v.c. sufficit dicere: Ego habui ex parte mea veram & efficacem voluntarem fornicandi: sed debet dicere se fornicatum esse. Est communis sententia DD. & praxis Ecclesiæ. Et ratio est Primò, quia externus actus prout coniungitur interno, est verum peccatum. Secundò, quia ferè semper mutat notabiliter statum ipsius peccati ac peccatoris: & consequenter rationem huius iudicij. Nam in dato exemplo per internum actum peccat quis solus: per externum autem alium secum ad peccandum trahit, aut saltem ipsius peccato cooperatur: In furto externus actus reddit furem obnoxium restitutioni. Item, in omnibus ferè peccatis efficit vt interior complacentia in peccatum sit vehementior, diuturnior & efficacior, quàm sine eo esset, & vt habeat malitiam omnino completam. Item, vt peccans sit in posterum in eundem actum procliuior. Nam ipsa externa peccati experientia & horrorem peccati minuit, & audaciam ad sæpiùs peccandum addit. Quare huius cognitio omnino necessaria est, vt in hoc foro, quod ad medelam animarum institutum est, possit rectum iudicium ferri. Imò explicato sufficienter actu externo communiter satis cognoscitur actus internus: atque ita communiter solum externum tenemur confiteri, nisi internus, ratione intentionis (vt si quis furetur vt fornicetur) aut ratione alterius circumstantiæ, habeat singularem aliquam deformitatem: vt infrà dub. 3. & 4. magis explicabimus.

7 Actus externus etiã cõfitendus est, quia mutat statum huius iudicij.

Explicato actu externo cõmuniter satis cognoscitur interior actus.

DVBIVM II.

Qua ratione singulæ species peccatorum distinctè explicandæ sint?

8 Caietanus.

Caietanus tom. 1. opusc. tract. 5. qu. 3. multa circa hanc rem notat, & videtur velle singularem aliquam doctrinam adferre; sed, si spectemus exempla quibus eam explicat, solam communissimam doctrinam adfert, quæ etiam verissima est; quam clariùs explicant Soto in 4. d. 18. qu. 2. art. 4. concl. 6. P. Suarez disp. 22. sect. 2. nu. 3. vbi notant duplicem esse alicuius actus speciem, scilicet physicam & moralem, qua constituitur in ratione talis virtutis aut vitij, & variari potest manente priore inuariata. v. c. comestio carnium facta feria quinta & feria sexta, est eiusdem speciei physicæ, vna tamen differt ab altera in specie morali. Similiter occisio hominis facta gladio, & altera facta sclopeto sunt eiusdem speciei moralis, in physica tamen specie differunt.

Soto. Suarez. Duplex est species actus, physica & moralis.

Conclvsio I. Non est opus in confessione explicare speciem physicam, quando non mutat moralem. quia in hoc iudicio nihil curatur species physica, sed sola moralis. Est communis.

9 *Soto. Suarez. Trident.*

Conclvsio II. Species moralis qua actus constituitur in tali aut tali specie peccati, quantum fieri potest, distinctè explicanda est. Ita Soto & Suarez suprà, & communiter DD. & expressè colligitur ex Trident. sess. 14. c. 5. Nam vt species peccatorum possit distinctè intelligi, docet explicandas esse omnes circumstantias mutantes speciem peccati. Et rationem adfert; quia aliàs nec peccata ipsa à pœnitentibus exponuntur, neque iudicibus satis innotescunt.

Neque his obstat, quòd multi non modò pœnitentes, verùm etiam confessarij nesciant distinguere inter diuersas species peccatorum. Nam non est ne-

Pœnitens nõ tenetur dicere aut

sitne cuius speciei sit peccatum quod confitetur.

cessariũ vt pœnitentes dicant peccatum quod commiserunt esse talis aut talis speciei, sed sufficit quod actum, prout factus est, clarè enarrent: quod facilè facere possunt. Confessarij verò est iudicare, quale peccatum sit. Quòd si ipse hoc nequiuerit discernere, ipsi soli imputabitur ad culpam, si eius ignorantia sit crassa: aut si hoc accidat ob rei perplexitatem, poterit esse error inculpabilis. Sed quacunque ratione id accidat, confitens suæ obligationi satisfecit, iuxta dicta disp. 6. num. 18.

DVBIVM III.

Qua ratione circumstantiæ peccatorum sint explicandæ?

10 NOta Primò, nos hîc solùm agere de circumstantiis, quæ aliquo modo augent vel minuunt malitiam ipsius actus. Sunt autem triplicis generis. Quædam enim addunt actui malitiam specie distinctam, v.c. fit homicidium in templo, circumstantia loci efficit, vt præter malitiam homicidij sit etiam peccatum mortale in ratione sacrilegij. Aliæ efficiunt, vt id quod solùm esset peccatum veniale, fiat mortale: vt si quis in re leui alterius famæ detrahat, aduertens tamen hîc & nunc ei inde oriturum graue damnum; aut contrà, quod ex genere est mortale efficiunt veniale, aut etiam omnino nullum: vt si quis alteri graue damnum inferat ex ignorantia, aut leuiter, aut nullo modo culpabili. Et vtriusque huius generis circumstantias in confessione esse explicandas, communiter omnes fatentur: vt apertè docet Trident. sess. 14. c. 5. Tertiò demum, quædam ita augent malitiam peccati, vt neque speciem mutent, neque à veniali ad mortale transferant, aut è contrà, à mortali ad veniale. Et de his maxima est difficultas.

Circumstantiæ sunt triplices.

Trident.

11 Vtrùm quando hoc augmentum est valdè notabile, necessarium sit eas circumstantias in confessione explicare. Quando enim illud non est valdè notabile, satis constat eas non esse necessariò explicandas?

D. Thom. Paludan. Durand. D. Bonau. Medina. Nauar.

Prima sententia negat eas necessariò explicari. Ita D. Thom. in 4. d. 16. qu. 3. art. 2. quæstiun. 5. Paludan. ibid. qu. 3. ar. 3. Durand. qu. 4. D. Bonauent. d. 17. q. vlti Medina de pœnitentia, tract. 2. quæst. 7. Nauar. cap. 6. num. 6. & alij.

Trident.

Probatur Primò, quia tam iure diuino quàm humano solùm tenemur confiteri integrè ipsa peccata, eorúmque numerum, quod potest fieri omissis circumstantiis. Secundò, quia aliàs teneretur peccator scire omnes illas circumstantias aggrauantes: quod videtur nimis durum. Tertiò, quia nulla videtur posse statui certa regula, quando illæ circumstantiæ tantum augeant malitiam, vt sint confitendæ, quando verò non. Quis enim satis explicabit, quando intensio voluntatis in peccando sit confitenda, quando verò non? Quartò, quia Trident. sess. 14. c. 5. doctrinaliter definiens quæ circumstantiæ sint explicandæ, solùm meminit earum quæ speciem mutant: ergo aliæ explicandæ non sunt. Nam aliàs doctrina Concilij esset imminuta.

Caietan. Victoria. Cai. bis. Pij V. Soto. Altisiod. Alensis. Marsilius. Petrus Soto. Suarez.

Secunda sententia docet, eiusmodi circumstantias esse explicandas. Ita Caietan. verb. *Confessio.* condit. 15. Victoria de confessione num. 176. Catechis. Pij V. Tridentinus. p. 2. c. 5. num. 41. Soto dist. 18. quæst. 2. art. 4. concl. 7. citans Altisiodor. Alensem, Marsilium, & alios receutiores. Petrus Soto lect. 9. de confess. Suarez disp. 22. sect. 3. num. 5. qui alios plurimos citat.

Henrig.

Tertia sententia docet, in actibus merè internis eiusmodi circumstantias non necessariò exprimi: secùs esse de externis. Et hanc probabilem putat Henriquez l. 5. de Sacramentis, c. 7. n. 5. quamuis nu. 6. secundam sententiam credat absolutè probabiliorem; pro qua plurimos citat.

12 Nota Secundò, esse præterea aliquam difficultatem, Vtrum circumstantiæ minuentes malitiam actus sint confitendæ; quando nec mutant speciem actus, nec ex mortali faciunt veniale? Nam si mutent speciem, vt si quis peccauerit cum coniugata; inuincibiliter credens esse solutam: aut si faciant ex mortali veniale ob ignorantiam leuiter culpabilem, aut paruitatem materiæ: certum est esse explicandas: aliàs pœnitens confiteretur aliquod peccatum mortale, quod verè non fecit. solum igitur dubium est de prioribus.

Soto.

Prima sententia docet, necessariò esse explicandas, quando notabiliter minuunt. Ita Soto in 4. d. 18. quæst. 2. art. 4. concl. 5. Primò, quia videtur eadem ratio in aggrauantibus & minuentibus. Secundò, quia aliàs pœnitens suam famam prodigeret apud confessarium.

Palud. Nauar.

Secunda sententia docet, esse expediens illas non confiteri. quia pœnitens non debet se excusare, sed accusare. Ita Palud. in 4. d. 16. q. 3. art. 3. Nauar. c. 6. n. 5. dicit eam esse communem: tamen ei displicet, & docet nos posse tales circumstantias explicare, non tamen ad hoc teneri.

13 Circumstantiæ grauiter augentes confitendæ. Trident.

CONCLVSIO I. Circumstantiæ quæ valdè notabiliter malitiam peccati intra eandem speciem augent, necessariò sunt explicandæ. Probatur Primò, ex Trident. sess. 14. c. 5. vbi apertè dicit eam peccatorum confessionem esse necessariam, quæ sufficiat vt sacerdos de eorum gravitate rectè censere possit: atqui hoc fieri nequit, nisi eiusmodi circumstantiæ explicentur ergo explicandæ sunt. Minor probatur, quia, cùm furtum mille aureorum sit sine comparatione grauius quàm furtum vnius aurei: quomodo poterit sacerdos rectè iudicare quàm grauiter fur peccauerit, si nesciat an furatus sit mille aureos, an solùm vnum? Secundò, quia aliàs qui explosione tormenti maioris simul occidisset viginti homines, satisfaceret dicendo se commisisse homicidium: aut qui habuisset desiderium occidendi mille homines, satisfaceret dicendo se voluisse committere homicidium. quod tamen videtur omnino absurdum. Tertiò, quia, cùm secundùm probabiliorem sententiam incestus commissi cum cognatis in primo, secundo aut tertio gradu non differant specie; qui commisisset incestum non teneretur explicare gradum cognationis. quod tamen nec aduersarij admittunt. Quartò, quia aliàs qui alicui amputasset & brachia & pedes, si modò non occidisset, satisfaceret dicendo se eum aliquantulum læsisse, aut mutilasse. quod absurdissimum est. Quintò, quia aliàs qui furatus esset centum millia aureorum, rogatus à confessario an furatus esset plusquam vnum aureum, posset id negare cum restrictione mentali. quia, cùm non teneatur id confiteri, confessarius non habet ius eum de hoc interrogandi, & consequenter non tenetur ad eius mentem respondere. quod nec aduersarij quidem admittunt.

14 Quæ circumstantiæ notabiliter aggrauent.

Est tamen in hac sententia satis grauis difficultas, quando aliqua circumstantia censeatur ita graviter augere peccatum, vt sit confitenda.

Prima sententia docet, talem esse quæ efficit, vt peccatum æquinaleat duobus peccatis mortalibus eiusdem speciei: vt si quis habeat voluntatem occidendi duos homines, aut bis tantùm furendi ac sufficeret ad peccatum mortale.

Secunda sententia docet, priorem sententiam esse veram, quando peccati grauitas sumitur ex quantitate materiæ circa quam versatur vt in exemplis allatis patet: quia in his res facilè potest diiudicari. Secùs verò esse quando augmentum sumitur ex sola du-

ratione, aut intentione actus siue interni, siue externi, aut similibus: atque in his non posse aliâ statui regulâ, quàm quòd tunc solùm pœnitens teneatur eiusmodi circumstantias confiteri, quando notabiliter excessit communem modum peccandi, vt v.c. si aliquot horis continuò inhæserit alicui delectationi turpi siue internæ, siue etiam externæ. Ita Henriquez suprà, & Suar. suprà n. 17. vbi ait hac in re maximè consulendâ esse conscientiam ipsius pœnitentis, vtrùm sibi videatur notabiliter ordinarium modum excessisse nec ne? Quod verum est quando ipse est aliquo modo prudens & timorarus. Nec credo confessarium tales circa has circumstantias debere multum interrogare, quando eas per se non confitentur: quia hoc satis indicat eos non esse sibi conscios, quòd communem modum operandi notabiliter excesserint. Quoties autem hic modus notabiliter non exceditur, paulò maior aut minor duratio non multùm variat requisitum iudicium circa peccati grauitatem.

Henriquez, Suarez.

Quando duratio actus explicanda sit.

Suarez. *Quando intensio explicanda.*

Solùm hic Nota cum Suarez disp. 22. sect. 4. n. 12. intensionem actus interni tunc solùm esse explicandam, quando causauit in actu externo extraordinarium modum cooperandi: vt si quis occisum inimicum adhuc multoties confoderet aut quando interiùs causauit voluntatem, siue desiderium simile quid faciendi. quia aliàs ipsa intensio per se nec facilè cognosci, nec explicari potest.

15 Ad Primum argumentum contrarium nego assumptum. Nam quod attinet ad ius humanum, hoc nihil statuit circa integritatem confessionis; sed solùm in quibusdam declarauit quænam integritas iure diuino requiratur. Trident. autem suprà docet talem requiri quæ sufficiat vt confessarius possit rectè iudicare de criminum grauitate, & peccatoris statu. Ad hoc autem sæpe magis necessarium est explicare circumstantias aggrauantes, quàm mutantes speciem, aut eorum numerum. quia furari semel centum millia aureorum, longè grauius est, quàm bis furari vnum aureum. Ad Secundum, nego hoc esse durum, quando rectè explicatur iuxta dicta n. 14. Imò faciliùs sæpe tales circumstantiæ possunt cognosci, quàm mutantes speciem. Ad Tertium patet responsio ex dictis num. 14. Ad Quartum Resp. Concilium explicitè solum meminisse circumstantiarum mutantium speciem: quia nolebat sententiam inter DD. controuersam explicitè in alterutram partem definire; implicitè tamen satis ostendit alias etiam circumstantias esse confitendas: vt patet ex prima probatione nostræ sententiæ.

Trident.

16 Conclvs. II. Circumstantiæ minuentes malitiam, quæ non mutant speciem peccati, nec efficiunt vt desinat esse mortale, aut saltem vt sit dubium an sit mortale communiter non sunt explicandæ in confessione. Ratio est, quia illæ circumstantiæ non dicuntur propriè minuere malitiam peccati, quæ solum efficiunt, vt sit minus grauissimis peccatis, quæ in illa materia & specie solent committi: qua ratione aliquem solùm furatum esse mille aureos, posset dici circumstantia minuens; cùm hoc sit minus peccatum, quàm si furatus esset duo millia. Illud tamen omnino impropriè diceretur, cùm ibi sit potiùs circumstantia aggrauans, cùm hoc peccatum ex parte materiæ & damni illati sit millies grauius eo, quo q. vnum aureum furaretur. Sed illæ circumstantiæ dicuntur hîc minuentes, quæ efficiunt vt peccatum circa talem materiam commissum sit minus iis, quæ communiter circa talem materiam committunt, v. c. quando quis aliquid fecit magna tentatione victus, aut aliquo timore impulsus, aut ex aliqua ignorantia, quæ tamen non excusent à peccato. Dicimus autem eiusmodi circumstantias non esse necessariò explicandas: quia malitiam peccati non ita minuunt, vt notabiliter mutent morale iudicium confessoris, sicut faciunt circumstantiæ notabiliter aggrauantes. Ex quo patet solutio ad Primum argumentum contrarium. Ad Secundum Resp. hanc infamationem nullius esse momenti; nec pœnitentem teneri eam curare.

Quare circumstantiæ minuentes non sint communiter confitendæ.

Quæ circumstantiæ dicuntur minuentes.

Dixi, *communiter non sunt necessariò explicandæ.* Quia non est illicitum eas bona intentione explicare; & hoc aliquando esset consultum, vt confessarius meliùs conscientiam pœnitentis norit. Imò aliquando posset esse necessarium: vt si quis ex crassa ignorantia commisisset aliquod peccatum, cui quando scienter fieret, excommunicatio esset annexa: præsertim si hæc esset reseruata confessario. hanc enim circumstantiam addere, necessarium est vt ipse pœnitentem licitè absoluat. Quanquam hoc casu hæc circumstantia aliquando possit etiam mutare speciem, iuxta ea quæ dicam nu. 37.

Aliquando vtiliter aut etiam necessariò explicantur.

DVBIVM IV.

Quænam sint circumstantiæ, quæ in particulari explicandæ sunt?

17 SOlent communiter numerari septem hoc versu comprehensæ.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

quas si singulas vellemus explicare, cùm hoc à variis materiis pendeat, longissimo discursu esset opus. Quare circa singulas solùm breuiter notabimus, quid DD. communiter sentiant.

I. *Circumstantia*, QVIS.

18 *Quis*, statum personæ peccantis inquirit. In quo secundùm omnes certum est, hanc circumstantiam tunc esse explicandam, quando peccatum est contra votum aut Ordinem sacrum ipsius peccantis: vt si quis habens sacrum Ordinem, aut votum castitatis, contra hanc peccet. Item quando peccans facit contra obligationem, quam ex officio vel contractu habet: vt si prætor non defendat bonum commune, aut priuatum aliorum, quando ad hoc ex officio tenetur: aut si conductus ad rei alicuius custodiam, id negligat.

Circumstantia personæ quando sit explicanda.

Addunt quidam, debere semper addi an aliqua persona sit in dignitate constituta: sed alij meliùs asserunt, hoc non esse necessarium, nisi fortè quis ideò fuisset occasio magni scandali: vt quandoque accidit, quando constituti in dignitate præsertim Ecclesiastica publicè peccant.

Dignitas peccantis quando in confessione explicanda.

Duplex autem hîc est difficultas. Prima, Vtrum virgo præsertim puella permittens se defloraari peccet duplici peccato mortali, scilicet contra castitatem, & contra debitam custodiam claustri virginalis. Quidam enim id affirmant, & consequenter aiunt, quoties puellæ confitentur, se peccasse etiam interno desiderio contra castitatem, eas debere exprimere, vtrùm sint virgines nec ne. Sed hoc & durissimum est, & sine sufficiente fundamento dicitur: vt pulchrè probat P. Lessius de Iustitia cap. 10. dub. 1. Verius itaque est, tam virgines consentientes in sui defloration-em, quàm iuuenes eas defloorantes, peccare solùm simplici fornicatione. Secùs esset si hi eis vim inferrent. hoc enim propter singulare damnum, quod eis inferunt, reddendo ipsarum nuptias difficiliores, est longè grauius peccatum, quàm si inferrent vim corruptæ, illúdque esset in confessione exprimendum. Quidam verò dicunt, tunc etiam hanc circumstantiam explicandam, quando virgo quidem consentiens, sed inuitis parentibus, sub quorum custodia est, defloratur: quia tunc parentibus fit iniuria. Sed eadem iniuria fit, quando peccatur cum corrupta; licet illa

19

Lessius. *Circumstantia virginitatis in fornicante non est explicanda: est tamen explicanda cùm vis infertur.*

illa sit fortè paulò maior. quare hæc non credo exprimenda, nisi parentibus vis aliqua inferatur, aut credatur singulis inde oritura turbatio. Sed hæc omnia tam possunt contingere circa corruptam, quàm circa virginem. Vide P. Lessium suprà.

Lessius.

20 Secunda difficultas est, Vtrùm sacerdos sæcularis, aut etiam Religiosus peccans contra castitatem teneatur dicere se sacerdotem esse aut Religiosum? Quidam docent sufficere si talis dicat, se esse Ordine sacro initiatum, aut votum castitatis habere. quia tota malitia huius peccati quam habet supra simplicem fornicationem in eo consistit, quòd sit contra votum castitatis. votum autem solemne & simplex solùm accidentaliter differunt. Crediderim tamen cum P. Henriquez libr. 5. de Sacramentis cap. 5. num. 6. in comment. litera G. talem teneri eas circumstantias exprimere. quia, etsi fortè hæ circumstantiæ non mutent speciem peccati, notabiliter tamen eius malitiam augent: vt etiam alij fatentur. Deinde credo verius esse mutare speciem peccati propter singulare præceptum Ecclesiæ, & inhabilitatem ad matrimonium, quam sacer Ordo inducit. Nam si quis sponte ordinaretur sacris, omnino intendens nullo modo vouere castitatem, teneretur eam nihilominus seruare, & esset inhabilis ad matrimonium: & si fornicaretur, peccaret duplici peccato; non tamen contra votum: quia nullum emisisset. Nec enim possumus vllo voto obligari sine propria voluntate, & minùs ea omnino repugnante. Quare in initiato sacris Ordinibus est singularis obligatio ad castitatem præter eam quæ exsurgit ex voto: & consequenter eius fornicatio contrahit singularem malitiam.

Henriq.

Ordo sacer ac voti solemnitas explicanda.

Nemo potest voto obligari sine propria voluntate.

Hoc tamen hìc Notandum, quando pœnitens est benè notus sacerdoti, non esse opus vt hanc circumstantiam explicet: quia cùm ea sit sacerdoti cognita, hoc ipso quo alter faretur se hoc fecisse, faterur se cum iis circumstantiis fecisse.

II. QVID.

21 Hìc Primò explicanda est substantia facti, an quis scilicet furtum, an fornicationem, an aliud peccatum fecerit. Secundò, si alteri iniuriâ intulit, an famam, an honorē, an bona externa, aut corporis læserit, & quàm grauiter læserit: præsertim in bonis fortunæ & corporis. Nisi enim quantitas huius læsionis, prout fieri potest, explicetur, cùm vna possit esse millecuplo grauior altera, peccatū non potest satis intelligi: vt ostendi nu. 13. Tertiò, explicanda est qualitas obiecti, circa quod peccatum est, v. c. si rem sacram quis furatus sit. Si clericum aut Superiorem aut parentem percusserit. Si cum coniugata, cum virgine sacra, consanguinea, aut affini sua peccauerit, & quo gradu ei fuerit coniuncta. Item fregit quis ieiunium, an sæpius per diem, an oua, an carnes comederit. Posset hìc vlteriùs quæri, an omittens Sacrum die festo incidente in Dominicam, peccet duplici peccato: sed hac de re melius agam dub. 6.

III. VBI.

22 Hæc circumstantia tunc addit specialem malitiam, quando aliquid fit eo loco vbi singulariter est prohibitum fieri, v. c. si semen aut sanguis fundatur in Ecclesia; quia hoc modo polluitur. Item si Sactum aut baptismus extra necessitatem ac priuilegium celebrentur loco profano.

Posset hìc addi, si quis peccet publicè. Sed hæc circumstantia non est mortalis nisi ratione scandali aut infamiæ, quæ aliis inde sequitur, v. c. Ordini religioso, quando peccans esset Religiosus: aut quando alia ratione eius infamia cum aliorum infamia esset coniuncta.

Medina.

Addit Medina de pœnitentia tract. 2. quæst. 9. semper esse explicandum quoties quis peccat mortaliter etiam sola cogitatione in loco sacro. Sed nimis durum est, & sine fundamento dicitur. quare alij communiter ferè hoc negant. Imò probabilius est etiam tactum turpem habitum in Ecclesia, modò absit periculum pollutionis; ratione loci non habere specialem malitiam in confessione explicandam: vt cum multis docet Sanchius lib. 9. de matrimonio disp. 15. numero 21.

Sanchius.

Multi etiam putant quoduis furtum commissum in loco sacro continere specialem malitiam sacrilegij. quia videtur violari locus sacer. Sed meliùs P. Lessius de Iustitia cap. 45. num. 14. docet hoc solùm esse verum, quando surripitur res in loco sacro tamquam in asylo deposita. Nam aliàs cùm res non sit illius loci custodiæ ac quasi fidei commissa, qui eam ibi surripit, loci custodiam aut sanctitatem non violat.

Lessius.

Quando circumstantia loci in furto sit explicanda.

IV. QVIBVS AVXILIIS.

In hac circumstantia explicandum est Primò, quibus instrumentis scelus aliquod perpetraueris, quando illorum vsus aut singulariter prohibitus est, aut hìc & nunc habet coniunctum periculum grauioris mali inferendi. Vt si sclopeto aliquem traieceris cum periculo lædendi vicinos: aut si haber adiunctam singularem crudelitatem aut cruciatum, vt si quem incendio interemeris. 23

Secundò, cum quibus sociis peccatum patreris, tunc scilicet quando aliquo modo fuisti causa vel occasio cur hìc & nunc peccarint: quia tunc etiam es causa peccatorum, quæ ipsi commiserunt. Secùs est quando ipsis nullo modo fuisti causa peccandi, vt si aliàs nihilominus facturi erant, aut ipsi te ad facinus induxerunt.

V. CVR, siue OB QVEM FINEM.

Hanc circumstantiam tunc necesse est confiteri, quando quis peccando intendit finem aliquem qui continet malitiam mortalem distinctam à malitia medij: vt si quis furetur, vt possit se inebriare; aut occidat Paulum, vt possit postea occidere Petrum. 24

Quando finis sit explicandus.

Solùm hìc est aliqua difficultas, Vtrùm peccans vt obtineat finem non malum, v. c. omittens die Dominico Sacrum vt studeat, debeat hunc explicare? Quidam id asserunt. quia, qui peccat mortaliter vt studeat: constituit in studio finem vltimum, ergo studium est per se malum.

Sed hoc argumentum nihil conuincit. Nam talis non habet studium pro vltimo fine suo, ad quem omnia sua dirigat; quod sine dubio esset per se grauissimum peccatum mortale: sed pro vltimo fine huius omissionis: quod per se loquendo non est peccatum. Nam qui die non festo omittit Sacrum audire vt studeat, eodem modo habet studium pro vltimo fine huius omissionis, & tamen non peccat. quare intendere talem finem per tale medium, non haber in se malitiam distinctam à malitia medij: & consequenter talis circumstantia finis non est necessariò explicanda in confessione. Ita Salas 1. 2. tract. 13. disp. 2. sect. 7. & 8. Vasquez 1. 2. disput. 93. cap. 3. & cum aliis, quos citat Henriquez lib. 5. cap. 5. num. 7. Et confirmatur, quia, siue omittam Sacrum propter studium, siue propter honestum lusum, siue vt confabuler cum amicis, siue ob alium finem in se non malum; omissio eandem planè habet malitiam: ergo finis ad eius cognitionem est omnino impertinens.

Salas.

Vasquez.

Henriq.

Quidam tamen dicta limitant, nisi quis ex valdè vehementi affectu erga studia Sacrum omittat, tunc enim aiunt hoc esse explicandum: ponúntque duo signa quibus cognoscamus quando affectus talis sit. Primò, quando quis expresse ita afficitur erga studia, vt sit paratus quoduis peccatum committere, vt possit studere. Secundò, quandò quis sæpe omittit Sacrum vt studeat. Sed etsi hæc sint communiter confitenda, non tamen quarenus sunt circumstantiæ 25

huius omissionis Sacri. Sed prior ille affectus explicandus est: quia per se est graue peccatum mortale, omnino distinctum ab omissione Sacri. Similiter talis consuetudo sæpe explicanda est non quòd sit propriè aliqua circumstantia aggrauans præsentem omissionem sed quòd sit sæpe signum pœnitentem non habere sufficiens propositum in posterum abstinendi à peccatis, aut eum versari semper in propinquo periculo peccandi. Quare si cessaret omne tale periculum, vt si quis sua studia absoluisset; non esset opus eam consuetudinem fateri, nisi forte esset probabile præcedentes confessiones ob defectum sufficientis doloris fuisse inualidas. quo casu eæ repetendæ essent. Quare eadem omnino est ratio confitendi talem affectum ergà aliquem finem, & confitendi consuetudinem peccandi.

VI. QVOMODO.

26 Quando modus actionis sit explicandus.

Hanc circumstantiam necessarium est confiteri, quando modus operandi adfert singularem deformitatem; quò spectant ea quæ num. 14. notaui circa intentionem actus quando scilicet explicanda sit. Similiter hîc modus operandi explicandus est, quando transfert actum ad aliam speciem: aut efficit vt desinat esse mortalis: vt quando quis peccat ex ignorantia, aut occidit alium se defendendo. Vide dicta numero 16.

VII. QVANDO.

27 Navar.

Olim quidam dixerunt, quemuis peccantẽ, mortaliter in die festo, peccare duplici peccato, quia violat festum. Sed hoc non est verum, nisi aut faciat opus seruile ab Ecclesia prohibitum, aut omittat Sacrum: vt cum communi sententia docet Nauar. c. 6. n. 9.

Præcipua autem hîc difficultas est. quando aliquis facit opus aliquod eo tempore quo duplici præcepto prohibitum est, v. c. An qui incidente festo in Dominicam operatur, aut Sacrum omittit, peccet duplici peccato. Quæ in re variæ valdè sunt sententiæ, & res pulchra est & cognitu vtilissima ad multas difficultates tam practicas quàm speculatiuas resoluendas. quare eam duobus dubiis sequentibus explicabo. Nam ad hoc benè explicandum, necessarium est priùs cognoscere, Vtrùm omnis qui liberè facit rem prohibitam, peccet peccato inobedientiæ?

DVBIVM V.

Vtrùm is qui facit rem iure positiuo prohibitam, peccet contra obedientiam, an verò contra aliam aliquam virtutem?

28 Durand.

PRima sententia docet, talem peccare contra obedientiam, atque adeò contra eam solam, quando res solùm est mala, quia prohibita. Ita Durand. in 4. d. 25. qu. 5. a. 2. Ratio eius est, quia ius positiuum aliquid præcipiendo aut vetando, non potest efficere vt aliquid de nouo incipiat esse materia necessaria alterius virtutis quàm obedientiæ: quia aliàs deberet naturas rerum mutare, quod fieri nequit.

Sed hæc sententia patitur graues difficultates. Quia certum est, iam agnum sacrificare esse actum superstitiosum contra virtutem religionis. Item iudicem sæcularem capientem clericum malefactorem aut alium reum in Ecclesia, si sine licentia Prælatorum hæc faciat, peccare contra virtutem religionis; vt omnes concedunt, & tamen hæc non sunt mala, nisi quia prohibita.

29 Secunda sententia docet Primò, nullum peccare formaliter peccato inobedientiæ, nisi qui ex contemptu violat præceptum. Secundò, ius positiuum præcipiendo aut vetando rem priùs nec vetitam, nec præceptam, hanc facere materiam necessariam alicuius virtutis distinctæ ab obedientia, contra quam violans præceptum, necessariò peccet. Ita Caiet. 1. 2. q. 96. a. 4. circa finem, Soto de Iust. l. 1. q. 6. ar. 4. sub finem, & alij. Caietan. Soto.

Prior pars probatur Primò, quia aliàs cùm ferè omnia quæ intrà naturæ mala sunt, sint etiam prohibita aliquo iure positiuo, & plurima diuersis iuribus; sequeretur, omnem peccantem contra ius naturæ committere etiam peccatum inobedientiæ, & sæpe plura, quando pluribus præceptis res esset prohibita. Secundò, vt quis faciat formalem actum obedientiæ necesse est vt faciat rem præceptam, quia præcepta est: ergo similiter vt quis peccet formaliter contra obedientiam, necesse est vt expresè intendat hoc vel illud facere quia prohibitum est.

Secunda pars probatur. Primò, rationibus allatis contra priorem sententiam. Secundò, quia cui prohibitum est, v. c. comedere carnes, non potest eas comedendo exercere actum virtutis temperantiæ: atqui huius non est alia ratio, quàm quia ille actus repugnat virtuti temperantiæ: ergo eas tunc comedens semper peccat contra virtutem temperantiæ.

Sed etiam hæc sententia habet graues difficultates. Nam ex priore parte sequitur Religiosum liberè omittentem rem sibi in virtute obedientiæ præceptum, aut facientem ita sibi prohibitam, vtodò id non omittat aut faciat ex expresso contemptu obedientiæ, sed ob alium finem, non peccare contra votum: quia non peccat contra obedientiam, nec vouit hanc vel illam rem in particulari facere, sed solùm obedire. Quare quamdiu non peccat contra obedientiam, non peccat contra votum. Secundò, sequeretur neminem incurrere excommunicationem nisi qui faceret rem prohibitam, quia prohibita est. Nam aliàs non peccaret contra obedientiam, & consequenter non esset contumax; secundùm communiorem autem & veriorem sententiam, ad incurrendam excommunicationem requiritur contumacia: illa autem apertè absurda sunt. 30

Secunda etiam pars est difficilis. quia secundùm eam sæpissimè difficillimum est dicere in qua virtute quodque præceptum actum, aut omissionem quam præcepit, constituat; vnde illius auctores inter se multùm variant. Quidam enim dicunt Ius suo præcepto aut prohibitione facere vt talis actus eiúsve omissio sint materia necessaria eius virtutis, ad quam immediatè per se spectant, v. c. ieiunium & abstinentia à carnibus ad temperantiam. Sed hinc sequitur, operantem die festo, modò Sacrum audiat, non peccare contra virtutem religionis, sed peccato auaritiæ, aut contra illam virtutem, quæ præcipit moderationem quandam in externo labore. quia externa illa operatio est propria materia huius vitij vel virtutis, non autem religionis. Nec enim vel operatio ipsa, vel cessatio ab ea ex natura sua dirigitur ad diuinum cultum, sed solùm ex externa hominum intentione. Aliàs qui quocunque tempore secundùm rectam rationem operaretur, aut ab opere cessaret, faceret actum materialem religionis, quacunque intentione saltem non mala id faceret: sicut omnis moderatè & secundùm rectam rationem comedens, aut à cibis abstinens facit actum saltem materialem temperantiæ. 31

Confirm. quia secundùm eam sententiam præceptum non facit vt aliquid fiat de nouo materia certæ virtutis, sed solùm vt fiat materia necessaria, siue vt actus qui priùs verè erat actus talis virtutis saltem materialis, sed liber siue non præceptus; fiat necessarius, ita vt non possis eum omittere, nisi peccando contra talem virtutem. Quare si cessatio ab operibus, ex natura sua non referatur ad cultum diuinum præceptum non faciet vt eò referatur. 32

Dices, cessationem ab operibus quandò fit die festo,

festo, ex natura sua spectare ad cultum diuinum : quia dat facultatem seruiendi tunc Deo, ad quod homo tunc obligatur. Sed contrà Primò, eodem modo hæc cessatio aliis diebus dat facultatem seruiendi Deo ; & tamen tunc non est materia religionis. Secundò, quia similiter cessatio à studiis die festo dat facultatem colendi Deum, & tamen qui tunc audito Sacro cessat à studiis præcisè, vt defatigatum animum releuet, nihil facit spectans ad religionem. Et similiter secluso præcepto Ecclesiæ de non operando, qui die festo audito Sacro abstineret ab operatione, præcisè vt se recrearet, nihil faceret spectans ad religionem : ergo cessatio ab opere ciuili etiam die festo per se non spectat ad religionem. Respondent alij, præceptum tunc posse efficere, vt aliquid de nouo incipiat esse materia alicuius virtutis, quando antè non erat materia certæ virtutis ; secùs autem esse quando antè erat materia certæ virtutis. Sed & hoc gratis dicitur (cùm inter hæc non possit reddi sufficiens differentia, nec satis possit ostendi, cur cùm votum possit materiam temperantiæ aut castitatis efficere materiam necessariam religionis, id præceptum non possit) & apertè falsum est. Nam contra prohibitionem Ecclesiæ iudex extrahens reum ex loco sacro peccat contra virtutem religionis, cùm tamen ibi sit materia iustitiæ.

33 Alij dicunt talem actum ciusve omissionem spectare ad illam virtutem, propter quam præcipiuntur. Sed contrà, si in aliqua Religione, vt melius seruaretur castitas, præciperetur vt singuli ferrent cilicium, aut se certis diebus flagellarent ; inde sequeretur, eum qui numquam sentiret in se aliquos motus libidinis, vt quia esset omnino frigidus, ea omittendo peccaturum contra castitatem ; imò sequeretur etiam, eum qui ob singularem corporis dispositionem sentiret in se per tales actus magis incitari motus inhonestos (quod quibusdam aliquando contingere certa docet experientia) eosque ideo sine licentia Superioris omitteret, peccaturum contra castitatem. quæ tamen per se apparent absurda : cùm in secundò hæc omissio, quatenus à tali hic sit nunc assumitur, potius sit ex natura sua actus materialis castitatis, etiamsi hic & nunc vitiosus sit, quia est contra obedientiam. Item hinc sequeretur, non ieiunantem in vigilia alicuius Sancti, non peccare contra temperantiam, vt auctores huius sententiæ communiter volunt, sed contra religionem. quia ieiunium tunc non præcipitur vt acquiramus temperantiam, sed vt honoretur talis vel talis Sanctus, & per ipsum Deus.

Dices, actum hic non accipere speciem virtutis à fine ei extrinseco, ad quem à præcipiente ordinatur ; sed à fine intrinseco, ad quem ex natura sua ordinatur. Sed hoc nihil est aliud quàm incidere in priorem responsionem. quia hic finis nihil potest esse aliud, quàm illa honestas ad quam actus ex natura sua ordinatur.

34 Pro resolutione Nota, actus externos siue obiecta & materiam circa quam formales virtutes & vitia versantur, esse in duplici differentia. Quidam enim actus tales sunt vt ex natura sua & physica entitate habeant quandam conuenientiam aut repugnantiam cum natura rationali, ita vt spectata præcisè eorum natura, honestas inclinet ad eos faciendos, vel fugiendos. Tales sunt actus temperantiæ, & intemperantiæ, continentiæ & incontinentiæ, iustitiæ & iniustitiæ, & similes. Quare hi apud omnes gentes & nationes manent iidem, sicut natura rationalis vbique & omni tempore est eadem ; & essentiæ rerum sunt immutabiles. Nec enim vlla consuetudine aut præcepto fieri potest, vt non sit laudabile reddere vnicuique quod suum est, & continenter ac temperatè viuere, &c. aut contrà, vt non sit inhonestum rapere aliena domino rationabiliter inuito, inebriare se, mœchari, &c.

Quidam actus ex natura sua habent quandam conueniẽtiam aut disconuenientiam cum natura rationali. Et hi consuetudine aut tempore mutari nequeunt.

Dices, in quibusdam etiam regionibus introductum esse, vt sit contra temperantiam si pueri vel fœminæ quantumcumque aliàs moderatè bibant vinum : ergo consuetudo potest etiam mutare materiam temperantiæ. Respondeo negando assumptum. Nam fit quidem ratione naturæ istorum locorum, vt communiter talibus personis potus vini sit noxius : atq; ita communiter contra temperantiam illud bibendo. Vnde etiam nascitur communiter præsumptio, quòd sint intemperantes quæ bibunt vinum. Nec tamen hæc præsumptio, nec vlla consuetudo efficit, vt quibus moderatus vini vsus est salubris, peccent illud bibendo, nisi fortè peccato scandali, si id publicè faciant. Et confirm. nam si publica consuetudo posset efficere vt moderatus vini vsus esset actus intemperantiæ, posset etiam efficere vt immoderatus vini vsus esset actus temperantiæ. quod tamen est absurdissimum.

Quidam actus sunt materia virtutis sũm rationem alicuius moralitatis extrinsec. Et sic diuersantur.

Contrà quidam actus externi secundùm suam entitatem & naturam nullam habent rationem honesti, vel inhonesti, sed hanc totam habent ratione alicuius moralitatis, quæ ab apprehensione hominum pendet. tales sunt omnes externi actus, quibus alios homines vel Deum honoramus & colimus : quorum honestas pro varia gentium aut temporum consuetudine etiam variatur. Hinc in his locis honoratioribus nos accedentibus aut compellantibus assurgimus, atque ita eos honoramus : quod tamen apud Chinenses & Iapones esset signum contemptus, vbi vt honorent ad se ingredientes, solent sedere : quod hic esset signum contemptus. Sic in templo sacrificio diuino assistentes viri caput honoris causa aperiunt, mulieres velant. Sic sacrificatio agni apud Iudæos erat actus latriæ : apud Christianos esset actus superstitionis.

Actus aliquis pertinet ad honorem aut contumeliam quatenus est signum interni affectus.

Ratio est, quia quod hic vel ille actus pertineat ad honorem vel ignominiam inde præcisè habet, quatenus est signum interni iudicij & affectus, quo alterum magni vel parui facimus, & honorare vel contemnere cupimus : sicut voces sunt signa notionum mentis. Sicut igitur hæ non significant ex natura sua, sed ex instituto ; sic etiam illi actus : & consequenter sicut vocum significatio potest consuetudine mutari ; ita etiam illorum actuum. huc tamen differentia, quòd, quia verba sunt signa æqualiter ad totam communitatem spectantia, eorum significatio maximè pender à communi vsu, & per hunc solùm mutatur. Contrà verò honor & cultus cùm sit exhibendus Superioribus, & maximè summis Principibus, ad hos maximè spectat præscribere, quibus signis eum sibi velint exhiberi, præsertim quando agitur de aliquo cultu iis proprio. Hinc Deus tam in veteri quàm in nouo Testamento per se certa sacrificia instituit, quibus vellet coli : & quoad alios ritus maximè in lege noua, dedit hanc potestatem Episcopis, & maximè summo Pontifici, vt certos ritus colendi Deum præscriberent.

Dei summique Principis est constituere quibus signis debeant coli.

Superiores habent potestatem imperandi solùm in commodũ inferiorũ. *D. Thom.*

Nota Secundò, cùm Superiores nostri tam Ecclesiastici, quàm ciuiles, non sint propriè subditorum domini, ita vt hi sint eorum mancipia : item cùm non acceperint potestatem imperandi in suum commodum, sed in commodum subditorum ; vt docet D. Th. 2.2.qu. 42.art. 2.ad 3. vbi dicit regimen esse iniustum quod non ordinatur ad commune bonum ; sequitur eos non posse vlla præcepta aut statuta communitati imponere, nisi in quantum bonum commune hoc exigit. Vnde fit Primò, vt eam leges communiter obligent grauiter vel leuiter pro materiæ grauitate, quæ præcipuè spectanda est ex parua aut magna vtilitate quam res præcepta habet ad cultum Dei, aliusve commune bonum promouendum.

Vnde spectanda sit materiæ grauitas in legibus.

Dixi legẽs communiter obligare pro materiæ grauitate: quia fieri potest vt in materia grani leuiter obligent, si legislator hoc intendat. nam ad earum valorem ac obligationem non minùs requiritur voluntas legislatoris, quàm exigentia boni communis. quare licut non possunt grauiùs obligare, quàm bonum commune postulat; ita nec grauiùs obligant quàm legislator velit. vnde sequitur, Superiorem posse rem grauem præcipere sub peccato veniali, non tamen rem leuem sub peccato mortali.

Superiorem grauẽ præcipere potest sub peccato veniali, non tamen rem leuem sub mortali.

Fit Secundò, vt quando ad rem aliquam lege naturæ aut positiua obligamur, Superior non possit nouam legem circa eam ferendo, communitatẽ grauiùs quàm antè, siue per nouam obligationem ad eam obligare, nisi occurrat noua necessitas eiusmodi obligationem inducendi. quia aliàs inductio talis obligationis non cederet in bonum commune.

37 Quando leges humanæ superadditæ iuri naturæ nouã obligationem inducant.

Nota Tertiò, sæpè contingere, vt, quia populus non ita curat obligationem legis naturæ Superiores teneantur eam suis etiam legibus, & adiunctis pœnis sancire: ita tamen vt non inducant propriè nouam obligationem, quia hoc non est necessarium, sed solùm propositis pœnis intendunt plebem cogere vt legem naturæ obseruent: & tunc contra hanc peccantes non peccant saltem notabiliter grauiùs, quàm si lex humana non esset. Aliquando verò particularis aliqua ratio exigit, vt nouam etiam obligationem imponant: & hoc credo semper fieri, quando aliquid quod est contra ius naturæ, prohibetur sub pœna excommunicationis, aut alterius censuræ de facto incurrendæ. quia vt hæc incurratur, requiritur contumacia, & consequenter peccatum contra legem Ecclesiasticam.

38 Vnde actus externi religiosis habeant quod sint tales.

Hinc sequitur Primò, quòd hi vel illi actus spectent ad virtutem religionis, eos hoc maximè habere, quatenus abstrahendo etiam ab intentione exercentis habent vim significandi internum affectũ honoris vel contemptus erga Deum. Hinc qui quoad omnes actus externos debitè & reuerenter assistit sacrificio Missæ, facit verum actum externum latriæ, etsi interiùs intendat videre Missam: sicut qui in idolio adoleret coram idolo thus, faceret verum actum idolatriæ, etsi interiùs intenderet videre idolum.

Sequitur Secundò, sicut vt hi vel illi actus habeant eiusmodi vim significandi, pendet à legitima consuetudine diuersarum Ecclesiarum, & maximè à statuto Pontificis, aut ipsius Christi, quorum est præscribere ritus, quibus Deus colendus est: ita etiam ab illarum consuetudine aut horum statuto pendere, vt hi vel illi actus sint externi actus religionis. Secùs autem esse in actibus iustitiæ, temperantiæ, & similibus, qui non ratione alicuius significationis, sed ratione suæ entitatis & naturæ sunt honesti vel inhonesti, & materia talis vel talis virtutis.

39 Dices, quòd, Petrum sibi vsurpare hæc bona, sit actus iustitiæ, aut iniustitiæ, pendet etiam ab aliquo morali scilicet quòd ipse sit illorum dominus, aut non sit. Item Petrum cognoscere Catharinam, quod sit actus coniugalis aut incontinentiæ, pendet à sola moralitate, quòd scilicet illa sit ipsius vxor, aut non sit: possuntque hi actus secundùm substantiam planè eiusdem rationis esse boni aut mali, conuenientes naturæ rationali, & ei repugnantes: ergo est eadem ratio horum actuum & præcedentium.

Qua ratione actus iustitiæ aut continentiæ pendeant ab aliquo morali.

Respondeo, negando consequ. Est enim duplex inter hæc differentia. Nam Primò, hi actus vt sint liciti vel illiciti supponunt quidem in suis subiectis aliquam conditionem, sed talem quæ ferè sit iuris naturæ & inuariabilis apud omnes. quale est matrimonium, quod ex natura sua eodem modo apud omnes gentes secundùm rectam rationẽ viuentes dat ius, aut non dat ius ad actus matrimoniales: eáque conditione posita, præcisè ex sua physica entitate habet cõuenientiam aut disconuenientiam cum humana natura. Alij verò etiam supponunt similes cõditiones in suis subiectis, v. c. eum qui colitur, esse digniorem, eum verò qui colit, inferiorem: & in hoc similes sunt aliis, sed præterea in se requirunt dictam moralitatem, siue vim significandi. Secundò, differunt & quidem præcipuè quoad rem præsentem, quòd actus iustitiæ aut castitatis ex natura sua sint necessariò materia talis virtutis, aut ei conueniens, si fiant à personis habentibus requisitas conditiones: aut disconueniens, si ab aliis fiant: ita vt nullo modo possint ab homine fieri, quin sint actus saltem materialiter iusti aut iniusti, continentiæ aut libidinis. Secùs est de actibus religionis. seclusa enim omni præcepto Ecclesiastico, quo vetatur ne Ecclesiastici Beneficia commutent; facta ab iis commutatio nullo intercedente pretio, nec esset actus religionis, nec ei contrarius, non magis quàm iam sit commutare duos calices. Ex quo patet, hos actus per præceptum aut prohibitionem incipere de nouo necessariò pertinere ad aliquam virtutem: in illis autem hoc fieri non posse. nam semper ex natura sua sunt certæ virtutis materia licita aut illicita.

Nota tamen quosdam actus iustitiæ, scilicet emptionem & venditionẽ ex parte etiam pendere à communi hominum æstimatione aut Superiorũ legibus; non quidem secundùm se, sed ratione valoris tam rei venalis quàm pretij. nam quòd hæc res tanti valeat, & tale aut tale pretiũ ei respondeat; non prouenit ex natura rei, sed ex hominum indigentia, aut cõmuni æstimatione: vnde prout hæc variatur, videmus multarum rerum valorem siue pretia quotidie variari. Ex quo etiã vlteriùs sequitur, magistratũ sua lege posse certa pretia rebus præscribere: quo legitimè facto, illa erunt verè iusta harũ pretia, & erit contra iustitiã eas pluris vendere. Ex qua parte hi actus aliquãtulum imitantur actus quibus alios colimus, quatenus vtrorúmq; medium pendet aliqua ratione à cõmuni æstimatione aut lege, hac tamen differentia, quòd actus quibus alios honoramus, pendeant à communi æstimatione, non solùm in hoc vt sint æquales honori iis debito: sed etiã vt sint potiùs signa honorationis quàm contumeliæ, aut etiam ad vtrumque impertinentia: atque ita totaliter ab hominum æstimatione & vsu pendent, sicut significationes verborum. valor autem & pretia rerum præcipuè pendent ab indigentia hominum, & vtilitate quam his adferunt: atque ita ex natura sua spectata nostra indigentia habent aliquem valorem; cui tamen hominum æstimatio sæpe multum addit aut detrahit. Secùs est in actibus castitatis, temperantiæ & similibus, qui totam suam bonitatem aut malitiam habent ex naturali sua cum natura rationali proportione, in qua non pendent ab hominum æstimatione: ideóque apud omnes gentes sunt eiusdem rationis. nec enim qui hic est actus castitatis, potest alibi esse actus incontinentiæ, aut contrà. 40

Sequitur Tertiò, probabilius esse eum, qui credens hoc suæ sanitati cõducere, die prohibito ita comedit carnes, vt si alio tempore id faceret, exerceret externum actum veræ temperantiæ, non committere actum externum intemperantiæ, sed inobedientiæ: imò si hoc faceret præcisè vt se carnium esu oblectaret, interior quidem hic affectus esset contra temperantiam. quia esset inordinatus appetitus, quem temperantia debet moderari: sicut etiam esset inordinatus appetitus sanitatis, si id sine sufficiente necessitate faceret, vt consuleret sanitati. tota tamen torius actus malitia esset ratione inobedientiæ. quia tota causa cur hîc & nunc peccaret, esset quia & appeteret & comederet carnes contra prohibitionem Ecclesiæ, vt dixi nu. 24. de eo qui omittit Sacrum vt studeat, qui peccat & inordinatè appetendo studia, & inordinatè studen- 41 Potest quis sine intemperãtia comedere cibos prohibitos.

studendo: hic tamen actus non contrahit distinctam malitiam ab omissione Sacri. Quare sicut huic sufficit confiteri se omisisse Sacrum: ita alteri sufficit dicere se comedisse carnes die prohibito, nec tenetur dicere ob quem finem hoc fecerit.

42 Dices Primò, Hinc sequitur tali sufficere dicere se peccasse mortaliter contra præceptum Ecclesiæ, nec esset opus exprimere an bis in die comederit, aut an carnes, an oua in Quadragesima comederit.

Respond. Primò, hoc argumentum multò fortiùs impugnare secundam sententiam, quæ docet talem solùm peccare contra temperantiam. Nam eum qui alio tempore peccat contra temperantiam, sufficit in confessione dicere se tantum comedisse vt notabiliter valetudini nocuerit, aut tantum bibisse vt se inebriarit; nec est opus explicare, quid comederit, aut biberit: quare non similiter alteri sufficiet dicere, se peccasse contra temperantiam frangendo ieiunium? Respondeo igitur Secundò, negando hoc sequi. quia in Quadragesima comedere sæpiùs per diem, & comedere carnes, & comedere oua, sunt singula particulariter & distinctis præceptis prohibita. vnde singula habent distinctam cum prohibitione Ecclesiæ, eiusque sine repugnantiam (quod vel inde patet, quòd vnum sæpè sine altero permittatur,) & consequenter continent distinctam malitiam in confessione explicandam.

Cur modus quo aliquis frangit ieiunium sit in cõfessione explicandus.

Dices Secundò, Princeps iustè indicens vectigal, suo præcepto facit vt eius solutio sit materia necessaria iustitiæ: ergo, &c.

Respondeo negando antecedens. quia Princeps hoc non facit suo præcepto, sed iusta exactione, quæ fundatur in contractu inter ipsum & Remp. inito, quo ipse se obligauit ad hanc defendendam, & hæc vt illi iusta tributa soluat. Itaque eodem modo hæc exigit atque mercenarius suam mercedem.

43 Sequitur Quartò, omittentem die festo Sacrum aut operantem, peccare & contra virtutem religionis: quia per præceptum Ecclesiæ auditio Sacri, & cessatio ab opere fiunt materia necessaria religionis, vt patet ex dictis n. 31. & 39. atque etiam contra obedientiam Ecclesiæ debitam, quæ suo præcepto nos ad talia obligat. Valdè tamen verosimile est, non esse hîc propriè duplicem malitiam, sed vnam, quæ sit immediatè contra virtutem religionis, & remotè tantùm ac radicaliter contra obedientiam. quia Ecclesia suo præcepto propriè solùm intendit hunc actum facere materiam necessariam religionis. Excipe casum quo ferretur excommunicatio in eos qui non audirent Sacrum: tunc enim Ecclesia intenderet specialem obligationem inducere, vt dixi numero 37. Et non est omnino improbabile idem dicendum esse, quando quis sine iusta causa in vigilia alicuius Sancti frangit ieiunium. Quia, cùm hoc præcipiatur in honorem illius Sancti, videtur constitui materia necessaria religionis, siue obseruantiæ erga talem Sanctum. Contrarium tamen, scilicet hunc solùm peccare contra obedientiam credo probabilius. Quia non præcipitur hoc ieiunium vt immediatè per illud aut Deum aut Sanctum colamus, sed vt per illud animum præparemus, & aptiorem ad illorum cultum reddamus: sicut ieiunium Quadragesimale præcipitur vt animum præparemus ad dignè celebrandam passionem & resurrectionem Christi.

Omissio Sacri aut laboratio die festo est immediatè contra religionem radicaliter cõtra obedientiam.

Violatio ieiunij est propriè cõtra obedientiam.

44 Ex his facile est respondere ad argumenta primæ & secundæ sententiæ. Nam argumentum primæ sententiæ solùm probat Ecclesiam suo præcepto non posse efficere vt aliquid incipiat de nouo esse materia necessaria temperantiæ aut similis virtutis: quod nos etiam probabilius esse credimus. De actibus autem religionis nihil probat: vt patet ex dictis n. 35. & 38. & 39. Rationes autem contra eam allatæ solùm probant ius positiuum posse efficere, vt aliquid de nouo incipiat esse materia religionis. quod nos etiam concedimus.

Ad Primum argumentum allatum pro priore parte secundæ sententiæ, nego illam sequelam. quia diuersa præcepta non semper imponunt nouam obligationem, sed tunc solùm, quando hoc noua aliqua necessitas exigit, vt ostendi n. 37.

Diuersæ leges non semper diuersam obligationem inducunt.

Ad Secundam, nego sequelam. quia vt aliquis exerceat actum virtutis, necesse est vt expressè intendat eius honestatem: vt autem quis committat actum alicuius virij, nullo modo opus est vt eius inhonestatem directè intendat. Nam rapiens aliena peccat contra iustitiam, etiamsi id non faciat quia iniustum est.

Ad nouum argumentum pro 2. parte allatum, nego minorem. quia tota ratio cur tunc comedere carnes, non possit esse actus virtutis temperantiæ, est, quia cùm sit contra obedientiam, non potest honestè, siue ob honestum finem intendi. quod tamen est necessarium, vt possit esse actus virtutis.

DVBIVM VI.

Vtrùm faciens opus duplici lege prohibitum, committat duplex peccatum?

HAc de re variæ sunt sententiæ, vt patet ex P. Vasquez 1. 2. quæst. 98. numero 8. & P. Suarez hic disp. 22. sect. 4. numero 22. P. Sanchio lib. 9. de matrimon. disp. 15. num. 5. & 6. Nauar. c. 11. n. 4. & aliis. Sed ex dictis dub. 5. facilis erit huius quæstionis solutio.

Vasquez. Suarez. Sanchius. Nauarrus.

45 CONCLVSIO. Quando diuersa præcepta habent diuersas rationes ob quas actum aliquem præcipiunt, aut vetant; siue illæ rationes sint actui intrinsecæ, siue extrinsecæ, tunc adferunt diuersas obligationes. Secus est quando omnia feruntur ob eandem planè rationem. Patet ex dictis nu. 37. Nam sicut legitimum præceptum inducit obligationem vbi antè non erat, quando subest sufficiens ratio præcipiendi: sic etiam nouum præceptum inducit nouam obligationem, quando subest noua ratio præcipiendi. Et rursùm sicut præceptum nullam inducit obligationem, quando nulla subest ratio præcipiendi: ita nouum præceptum non inducit nouam obligationem, quando non subest ratio præcipiendi.

Quando diuersæ leges diuersas obligationes inducant.

Nouam autem rationem præcipiendi voco non solùm quæ sit distincta specie, sed etiam quæ sit distincta numero. Nam coniugatus mœchando cum coniugata, ex eo quòd obligatur & huius marito, & suæ vxori non facere iniuriam, peccat duplici peccato iniustitiæ; cùm tamen hæ obligationes solùm numero differant. Similiter si vnus Superior mihi aliquam actionem prohibeat, quia periculum est ne Paulo inde damnum aut scandalum oriatur; & postea contingat simile etiam periculum ex eadem actione esse respectu Petri; ideoque alter Superior mihi eandem prohibeat: tenebor duplici obligatione eam vitare: quia duplici præcepto validè mihi prohibita est, cùm vterque habuerit iustam rationem præcipiendi, & contrà faciens peccabo duplici peccato inobedientiæ: & si sit ab vtroque prohibita sub excommunicatione, duplicem excommunicationem incurram.

46

47 Hinc sequitur, quando aliquod festum incidit in Dominicam, non audientem Sacrum, aut operantem: aut non ieiunantem, quando vigilia incidit in quatuor tempora; peccare duplici peccato: quia violat duplex præceptum latum ob distinctas rationes.

Festo incidente in Dominicã nõ audiens Sacrum peccat duplici peccato.

Nam vnum præcipit audiri Sacri in honorem Dominicæ resurrectionis; alterum in honorem festi, siue Sancti in cuius honorem est institutum: & vtraque ratio præcipiendi est per se sufficiens ad inducendam obligationem sub peccato mortali. Et simile est in dicto casu de duobus præceptis ieiunij. Hoc inquam videtur dicendum si spectemus nudam rationem. Nam propter plurimorum Doctorum auctoritatem, qui contrarium sentiunt, non est improbabile tales committere solùm vnum peccatum mortale. Vide Auctores initio citatos.

Contrarij tamen probabile.

DVBIVM VII.

Qua ratione numerus peccatorum in confessione sit explicandus?

48 NOta, ex communi sententia Theologorum & Ecclesiæ praxi satis constare, nos, quantum fieri potest, teneri numerum omnium peccatorum mortalium quæ commisimus exprimere, non solùm quando sunt diuersæ speciei, sed etiam si sint eiusdem speciei. hoc enim sensu c. *Omnis vtriusque*. dicit omnia peccata confitenda esse: & expressiùs Trident. sess. 14. c. 5. dicit omnia singillatim esse confitenda. quia aliàs confessarius non potest sufficie... er statum pœnitentis cognoscere.

Trident.

49 Difficultas autem est Primò, quando quis longo tempore, v. c. medio vel integro die inhæsit cogitationi malæ: ita tamen vt eam sæpiùs interruperit, qua ratione debeat eam confiteri.

Interruptio actus dupliciter fit.

Potest autem hæc interruptio dupliciter fieri. Primò, cum expressa voluntate desistendi à tali peccato & tunc dicunt communiter talem interruptionem esse explicandam. Primò, quia efficit vt cogitatio postea succedens nulla ratione possit dici vnum idemque peccatum cum præcedenti. Secundò, quia cùm talis interruptio necessariò notetur à peccante, facilè poterit scire quoties hoc modo illam cogitationem interruperit, & ita facile illi erit explicare quot habuerit eiusmodi cogitationes. Addo Tertiò, & præcipuè, eiusmodi interruptionem multum variare iudicium morale circa tales actus. Nam vel ita interrumpens eiusmodi cogitationem postea omnino deliberatè eam iterum admittit, & hoc tunc est signum quòd sit valdè atque adeò periculosè inconstans, & admodum facilis etiam ad deliberatè peccandum, ideoque eum & grauiter laborare, & magna curatione egere. Contrà verò si ex aliqua inaduertentia iterum in eandem cogitationem incidit; tunc illa interruptio est signum quòd ex pura imbecillitate ac vehementi aliqua tentatione ceciderit, & quòd illa cogitatio magna ex parte possit fortè à peccato mortali excusari, eò quòd fuerit vel omnino vel saltem aliquo modo inuoluntaria. Vnde patet, iudicium morale per tales circumstantias multùm variari. Est autem hæc interruptio explicanda prout commodè fieri potest sine nimis scrupulosa indagatione.

50 Secundò, potest hæc interruptio fieri quasi naturaliter ratione alicuius negotij, aut alterius cogitationis occurrentis, sine eo quòd cogitans expressè eam velit interrumpere: & tunc est præcipua difficultas. P. Suarez disp. 22. sect. 5. num. 7. tres adfert sententias. Prima docet, semper quantum fieri potest explicandas esse omnes tales interruptiones quantumcumque breues: quia efficiunt vt singulæ cogitationes sint distincta peccata. Secunda docet, quantumuis eæ interruptiones sint longæ, non esse explicandas. quia, cùm voluntas consensum in illam cogitationem nunquam reuocauerit, censetur habitualiter semper in eo permanere, & consequenter omnes illæ cogitationes censentur vnum peccatum. Sed hoc fundamentum falsum est. quia inde sequeretur, cum, qui integro anno singulis septimanis habuisset desiderium fornicandi, & de eo nunquam pœnituisset, tantùm vnicum peccatum saltem in ordine, ad confessionem commisisse. quia interpretatiuè semper in eadem voluntate perstitisset: illud autem est omnino absurdum. Tertia sententia docet, tunc illas interruptiones esse explicandas, quando sunt notabiles. quia tunc facilè notari & explicari possunt: secùs verò esse quando ita breues sunt, vt vix notari possint. quia tunc in ordine ad confessionem & morale iudicium videtur esse vnicus actus.

Suarez.

Ipse verò Suarez ibid. nu. 17. ait primam sententiam per se esse veram. quia illæ interruptiones efficiunt, vt singulæ cogitationes sint distincta numero peccata; & tenemur quantum possumus omnium peccatorum mortalium numerum explicare. Tertiam tamen sententiam ait communiter esse veram per accidens, eò quòd non possimus eiusmodi interruptiones satis aduertere. quare non possumus aliter numerum peccatorum explicare quàm dicendo nos tamdiu in morosa cogitatione hæsisse. Credo igitur in praxi tertiam sententiam esse veram & tutam. Primò, ob rationem quam P. Suarez adfert. Secundò, quia illæ paruæ interruptiones, quando hoc modo indeliberatè & quasi moraliter fiunt, vix variant morale iudicium circa illum actum. Nam ponamus esse duos, quorum vnus, quia nulla ei occurrit causa distractionis, per tres horas continuò turpi cogitationi inhæret: alter verò tandiu eidem æqualiter quoad cætera inhæreat, nisi quòd quinquies vel sexies ex occurrente occasione nonnihil distrahatur, & statim iterum quasi naturaliter ratione prioris commotionis ad eandem redeat: quis satis explicet vter grauiùs peccarit. Et si quod est discrimen, credo potiùs priorem grauiùs peccasse quàm secundum. Sicut si vnus per horam continuò sine distractione oraret, & alter tam diu æquali pietate & feruore oraret, ita tamen vt ter vel quater ratione occurrentis occasionis exiguo valdè tempore distraheretur: quis dicat priorem minùs meruisse quàm secundum? Tertiò, quia, cùm secundùm communem modum operandi rarò contingat vt alicui cogitationi sine vlla omnino interruptione valdè diu inhæreamus; is qui dicit se per tres horas alicui cogitationi continuò inhæsisse, intelligendus est id fecisse secundùm communem modum operandi, scilicet cum exiguis aliquot interruptionibus, quas sæpè prudenti coniectura ex diuturnitate temporis faciliùs sacerdos coniiciat quàm ipse pœnitens: præsertim quando hic explicat an valdè vehementer an leuiter ea cogitatione fuerit absorptus.

Exigua actus interruptio quando non est deliberata, vix variat morale iudicium.

51

Vnde vlteriùs colligas, quomodo confitendum sit ei, qui ex vehementi aliqua passione per aliquot dies aut hebdomadas aliquam cogitationem inhonestam, aut cupiditatem vindictæ, aut odij fouerit. Credo enim communiter sufficere si dicat se magna parte diei, aut quasi totum diem de illa re cogitasse: quia hoc intelligendum est secundùm communem modum agendi, qui solet esse, vt eiusmodi cogitationes sæpiùs somno, ciborum sumptione, aliorum allocutione, aliisve interrumpantur. Excipe casum. Primò, quo aut ita illis cogitationibus exarsisset, vt magna parte noctis somnum impediuisset, aut eum ferè ab omni alio negotio aut cogitatione auocasset. Secundò, quo ipse aliquoties deliberatè cum animo desistendi ab eo peccato eas cogitationes interrupisset. hæc enim morale iudicium valdè variant, & facilè notari ac explicari possunt. Et Tertiò, quo aliquis ita in omnibus illis cogitationibus fuisset sibi præsens & ita in rebus suis esset exactus, vt posset distinctè omnes interruptiones explicare, quia hoc innuerer eum cum magna deliberatione &

52 Quomodo debeat cõfiteri qui valdè malã cogitationem fouit.

perfecta aduertentia in iis omnibus peccasse. quod multùm grauat ipsum peccatum in tanta duratione. Sed hoc credo rarissimè accidere. Hæc cum viris doctissimis communicaui, qui ea etiam probarunt.

53 Peccatū in actum externū prodiens tam diu continuatur, quamdiu cōtinuatur actus externus vel internus.

Secunda difficultas est, qua ratione confitenda sit duratio peccati, quod in opus externum prodit, vt possit numerus exprimi? Qua in re benè notat Nauar. c. 6. n. 16. cum communi sententia, vt peccatum aliquod prodiens in actum externum omnino interrumpatur, necesse esse vt tam actus internus, quàm externus simul interrumpatur. Nam quamdiu alter continuatur, censetur peccatum continuari, & esse vnum numero. Vnde vadens hinc Bruxellas vt inimicum occidat, etsi sæpiùs in via distractus non cogitet de occisione, & postea iterum cogiter; quia tamen itineratio semper continuatur, censetur etiam peccatum continuari. Itineratio autem non censetur interrumpi per hoc quòd defatigatus in via quiescat, aut quòd ad hospitium, vt aliquid comedat aut bibat, diuertat. quia, cùm hæc sint necessaria ad confectionem itineris, etiam spectant ad ipsius confectionem, & ea faciens censetur iter suum prosequi.

54 Idem, quod ad præsentem materiam pertinet, dicendum est de eo qui in itinere nonnihil subsistit, vt occurrentem amicum alloquatur, aut paululum in itinere ad aliquod negotium diuertit. quia hæc non variant morale iudicium. Nam si ex duobus ex eiusmodi intentione itinerantibus, vnus ex tali occasione tantillum in itinere diuerterit aut subsiterit; & alter, quia non fuit talis occasio, sine interruptione totum iter confecerit: quis (si cætera sint paria) dicat, vter illorum grauiùs peccarit? Omnis autem peccatorum distincta narratio eò pertinet vt confessarius possit de grauitate criminum & statu pœnitentis prudenter iudicare: vt docet Trident. sess. 14. c. 5. Vnde videtur sequi illa non esse necessariò explicanda, quæ hoc iudicium in nullo prudenti confessario possunt variare. Vnde sequitur, eum qui in aliam regionem vt inimicum occideret, profectus est, sufficienter confiteri, dicendo se ea intentione tot horarum & dierum iter confecisse: nec opus esse addere quoties in via dormierit: aut leuiter occurrentia negotia expedierit, quibus iter suum interruperit. Imo potiùs credideritn dicendum esse si in magno desiderio citò occidendi, extraordinaria acceleratione iter confecerit, v. c. etiam noctu itinerando, &c. iuxta dicta num. 37. *Trident.*

55 Tertia difficultas est, Vtrùm in confessione sit explicandum, quibus mediis quis vsus sit, vt aliquod scelus perpetraret?

Nota, hæc media posse esse triplicia. Primò enim quædam ex se neque bona sunt, nec mala, vt sunt emere gladium, conficere iter, &c. Secundò, quædam ex se mala sunt, sed eiusdem quodammodo ordinis cum fine intento, vt quæ ex natura sua ad eum ordinantur: vt sunt colloquia turpia, oscula, & tactus, quibus aliqui se ad fornicandum excitant. Tertiò, quædam continent malitiam omnino diuersæ naturæ seu generis: vt si quis alium occidat, aut magos cōsulat vt mœchetur, aut furetur. Et de his vltimis nullū potest esse dubium, quin sint particulatim explicanda.

56 Dico igitur Primò, quando principalis actus non est subsecutus, necesse est explicare media secundi generis & quidem sigillatim quantum honestè fieri potest, v. c. dicendo se ea intentione locutum fuisse verba turpia, aliam toties fuisse osculatum, circa tales partes inuitam aut volentem tetigisse, seque tangendum exhibuisse, idque cum pollutione si secuta fuerit. Est cōmunis, & per se patet. quia hi actus sunt per se distincta peccata mortalia, nec aliter explicari possunt. In his tamen quantum fieri potest, habenda est ratio honestatis, maximè in tactibus circa partes secretiores qui non sunt ita sigillatim explicandi; nisi quatenus est necessarium ad speciem peccati cognoscendam. Nec his multùm inhærendum. quia quandoque periculosum est, & præstat sacerdotem minùs perfectè peccatum pœnitentis intelligere, quàm vel illi vel sibi aliquod periculum scandali creare. Turpibus circumstantiis explicandis non multùm inhærendum.

Dico Secundò, quando media sunt primi generis, si ad principalem actum non sit perueniendum, ipsa explicanda sunt, sed in genere: vt si pœnitens dicat se fuisse conatum tale quid facere, & ad hoc etiam aliqua media adhibuisse. Quòd autem hæc vel illa media adhibeantur, non variat speciem peccati, nisi quando extraordinaria sunt: vt si quis ingentem vim pecuniæ effudisset, aut magnum ac diuturnum laborem insumpsisset, vt posset aliquod scelus perpetrare. hæc enim excessiuum & extraordinarium affectum erga peccatum significant. 57

Dico Tertiò, quando ad finem intentum peruentum est, communiter sufficit hunc explicare, nec media siue primi, siue secundi generis necessariò explicanda sunt. Ita Nauar. c. 6. n. 16. & seq. & Suarez disp. 22. sect. 5. n. 24. & alij. Ratio est, quia, cùm huiusmodi actus tàm intentione agentis, quàm natura sua ordinentur ad actum principalem, constituunt quasi moraliter vnum peccatum cum eo, tanquam quædam illius circumstantiæ illud intra eandem speciem nonnihil aggrauantes: eodem ferè modo sicut peccatum aggrauat aliquanto diuturnior in eo perpetrando mora, quæ quando non est multùm extraordinaria, explicanda non est. 58 *Nauarrus, Suarez.*

Excipe tamen casum Primò, quo continerent extraordinariam aliquam malitiam, vt si quis lentè minutis vulneribus aliquem fodicando; aut viuo ventrem aperiendo, & cor extrahendo occidisset: aut valdè fœdis ac diuturnis gestibus aliquam ad libidinem prouocasset. quia hæc & notabiliter malitiam augent, nec possunt sub ordinario modo intelligi. Suarez hîc disp. 22. sect. 4. n. 8. Valerius Regin. in sua praxi l. 6. n. 137. Secundò, quando per tales tactus ante actum principalem fuisset secuta pollutio: tunc enim censetur actus consummatus. Tertiò, quando quis tertiam personam ad facinus sollicitandum induxisset. Ita Nauarr. c. 16. n. 13. Suarez sup. n. 16. Ratio est, quia tunc hanc inducendo ad peccandum, singulare peccatum scandali committeret. Ex quo capite, quando quis aliam etiam meretricem ad peccatum sollicitando inducit, hoc confitendum est. quia fuit causa non modò sui peccati, sed etiam illius quod ipsa commisit, eam ad hoc inducendo. *Suarez, Reginald. Nauarrus, Suarez.*

Addit Nauar. sup. n. 17. similiter non esse explicanda oscula, tactus, gaudium de peccato commisso, & similia quæ immediatè sequuntur ipsam copulam. Sed meliùs Suar. sup. sect. 5. n. 26. contrarium asserit. quia, cùm illa non ordinentur ad copulam præcedentem, sed ad sequentem, non possunt cum illa eundem actum moralem constituere; non magis quàm ipsa copula secunda: quam tamen Nauar. ibid. ait particulatim explicandam, etsi immediatè primam sequatur. 59 *Nauarrus, Suarez.*

Quarta difficultas est; Vtrùm, quando quis fecit aliquod peccatum quod continet duas malitias specie distinctas, vt si quis calicem furatus sit; sufficiat dicere. Primò, se rem tanti valoris furatum esse; Secundò, se commisisse mortale sacrilegium? Nauar. c. 6. n. 20. videtur id insinuare. Nam ait eum qui oblitus circumstantiæ mutantis speciem, rem ipsam confessus est, satisfacere confitendo postea solam circumstantiam. 60 *Nauarrus.*

Contrarium docet Siluester v. *Confessio.* 1. q. 10. n. 11. At P. Suarez disp. 22. sect. 2. n. 8. & 9. ait priorem sententiam veram esse, quando tam peccatum, quàm circumstantia possunt seperatim sufficienter explicari; *Siluester, Suarez.*

secùs esse quando non possunt ita sufficienter explicari. Et huius primæ partis satis aptum & fortè vnicum exemplum est quod affert Nauarr. supra quando scilicet aliquis alicui iurauit se non furaturum, aut blasphematurum, &c. & deinde furatus est, aut blasphemauit, & postea confessus se blasphemasse, oblitus fuit illius circumstantiæ; tunc sufficit eum postea dicere se toties peccasse mortaliter, contra licitum iuramentum promissorium. In aliis autem peccatis vix videntur illa posse sufficienter separatim explicari. Quod etiam credo verum esse in circumstantia voti: quia hoc pro diuersitate materiæ valdè diuersimodè obligat.

Nauarr.

61 Quare si illud iuramentum esset præcisè factum Deo, cùm tunc habeat rationem voti (nam promissio ad ipsum Deum dirigitur) erediderim in dicto casu furtum aut blasphemiam secundò confitenda esse, iuncta illa circumstantia, nam aliter ipsa satis nequit intelligi. Hinc etiam sequitur eum qui decies vnum aureum furatus est, non satisfacere dicendo se decem aureos furatum esse, quia longè grauius est id decem actibus fecisse quàm vnico, & hæc multùm morale iudicium mutant.

62 Quinta difficultas est, Quando pœnitens non potest certum numerum peccatorum inire, qua ratione eum debeat explicare?

In hac re inter omnes conuenit Primò, quando definitus ac certus numerus explicari potest, id faciendum esse. quia tunc nihil est quod ab eo excusat. Secundò, quando non potest hic omnino certò explicare, sed proximè potest coniici, hoc etiam faciendum esse, v. c. si dicas, Ego commisi illud peccatum vigesies plus minùs. Et tunc si postea occurrat te aliquot vicibus ampliùs hoc commisisse, quarum tunc non eras memor in particulari, non est necesse eas iterum confiteri, quia censentur sub priore numero comprehensæ. Secùs autem esset Primò, quando quis omnino definitum numerum expressisset. Tunc enim peccata postea occurrentia non posset censeri illa confessione comprehendisse. Secundò, quando quis postea recordaretur se ferè duplo sæpiùs tale peccatum commisisse, quàm fuisset confessus: quia per illud *plus minùs*, nemo bona fide agens censetur velle comprehendere tantum excessum.

Qui dixit minorem numerum suorum peccatorum quàm fecit, quid postea debeat facere.

63 Vbi Nota cum P. Suarez disp. 22. sect. 5. nu. 37. ci, qui commisit multa peccata, nullo modo expedire ea figillatim singula enarrare. tum quia hoc longissimi negotij est, nec vllo modo necessarium: tum etiam quia hoc dat maximam occasionem scrupulorum, quia postea semper occurrunt aliqua peccata, de quibus meritò dubitat an sit ea confessus.

Suarez.

64 Difficultas autem est, quando quis longo tempore in aliquo peccato vixit, nec potest vllum certum numerum vel proximè coniicere. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 5. q. 3. ait tali sufficere consuetudinem peccandi, & tempus quo in ea hæserit. v. c. meretrici ait sufficere, si dicat se tot annis fuisse paratam cum omnibus peccare siue Religiosis, siue sacerdotibus, siue laicis. Fundamentum eius est. quia ad hoc iudicium non tam pertinet cognoscere frequentiam peccatorum, quàm promptitudinem animi ad peccandum; eúmque sequitur Nauarr. c. 6. n. 15. Sed vt cum aliis bene notat Sotus d. 18. q. 2. art. 4. concl. 2. hoc cum grano salis intelligendum est. quia absolutè loquendo falsum est. Nam ponamus duas esse meretrices ex se æquè proiectas ad omnem libidinem; vnam tamen eò quòd deessent occasiones, integro anno tantùm ter vel quater per hebdomadam peccasse, & ferè cum soluris: alteram verò tanto tempore toties per dies singulos peccasse, & ferè semper cum coniugatis, aut sacerdotibus: quis dicat æquale de vtraque debere esse iudicium? Fundamentum autem Caietani aperte falsum est: quia ex eo sequeretur, nos non debere confiteri peccatum externum, sed solum animi consensum; imo solam habitualem promptitudinem (quia hæc sola in illis duabus meretricibus fuit par) quæ tamen secundùm se non est peccatum, sed peccati effectus vel causa.

Caietan.

Nauarr.

Sotus.

Caietan.

Quare dicendum, tales debere etiam frequentiam peccandi saltem in confuso explicare, v. c. dicendo se peccasse sæpe bis vel ter per diem, vel hebdomadam, aliquando paulò minùs, aliquando etiam sæpiùs, idque magna ex parte cum coniugatis aut sacerdotibus: vel contrà, rarò cum his, & sæpiùs cum solutis. hoc enim facto sufficienti examine facilè facere possunt, præsertim si sacerdos interrogando adiuuet: & est necessarium vt aliquod morale iudicium formari possit. De actibus autem internis sufficiet dicere, sæpiùs per diem aut quasi continuò, & prout dabatur occasio, desiderasse indifferenter cum quouis hominum genere peccare: quia hi ab illis aliter explicari non possunt. quia non ita notant actus internos sicut externos.

65 *Quomodo diuturna consuetudo peccãdi explicanda sit.*

DVBIVM VIII.

Qua ratione dubia peccata sint confitenda?

66 *Dubia peccata vt dubia confitenda sunt.*

COnuenit communiter inter omnes DD. certa peccata vt certa esse confitenda, dubia verò vt dubia, ne si confiteamur hæc vt certa, supra veritatem nostram malitiam augeamus: aut si ea omnino omittamus, aliquid taceamus quod ad integritatem confessionis necessariò sit explicandum.

Tripliciter de peccato possumus dubitare.

Pro maiore tamen intelligentia Nota Primò, nos posse dubitare primò, vtrùm aliquid fecerimus nec ne. Secundò, scientes nos id fecisse, vtrùm in eo peccauerimus mortaliter. Tertiò, scientes nos peccasse mortaliter, vtrùm id simus confessi.

67 Nota Secundò, nos quadrupliciter de vnoquoque ex dictis posse dubitare. Primò, vt altera pars sit ferè certa, & tunc hæc vt certa est sequenda, etsi aliqua formido sit de opposito. quia in rebus humanis rarò haberi potest omnimoda certitudo. Secundò, vt vtraque pars ob certas rationes verè sit positiuè probabilis, etsi alterutra pars sit minùs probabilis. Tertium dubium est negatiuum pro vtraque parte: quando pro neutra occurrunt sufficientes rationes vt possim de ea probabile iudicium ferre. Quartum, quando ex vna parte habeo rationes vtcunque probabiles me peccasse, aut confessum esse; pro altera verò nullas.

68 *Qui probabiliter scit se non peccasse, non tenetur cõfiteri. Suarez. Siluester.*

CONCLVSIO I. Qui secundo modo dubitat an peccarit, non tenetur confiteri, quia, cùm possit probabile formare iudicium se non peccasse, potest illud sequi. Ita Suarez disp. 22. sect. 9. n. 6. Siluest. v. *Confessio.* 2. n. 3. & plurimi alij, qui absolutè docent nos in agendo posse sequi probabilem sententiam.

Addunt aliqui, idem dicendum esse de eo qui scit se peccasse, sed probabiliter opinatur se esse confessum. Et ratio est, quia talis propriè loquendo non dubitat (quia hoc de illo propriè dicitur qui nullum probabile iudicium formare potest) sed probabiliter opinatur: licitè autem sequimur opinionem probabilem. sed credo probabilius talem teneri confiteri: sicut is qui scit se debuisse homini centum, & ita dubitat an soluerit, non est liber à solutione saltem partiali. quia per solutionem incertam non potest satisfacere certo debito. Imò etiam in primo casu suadendum est vt quis confiteatur, præsertim si indoctus dubitet an in tali facto quod scit se fecisse peccarit: quia facilè posset errare iudicando non esse peccatum, id quod reuera est.

Quomodo cum scrupulosis agendũ sit.

Excipiendi tamen hîc sunt scrupulosi, qui etiam in manifestè licitis dubitant an peccarint, aut etiam an

sufficienter confessi sint. Quare illis suadendum vt nihil confiteantur nisi de quo certò illis constat quòd sit peccatum, & quod non sint confessi. quia hoc necessariam est vt possint à scrupulis sanari. Nec refert quòd fortè hac ratione exponentur periculo quædam peccata mortalia non confitendi: tum quia hoc periculum in talibus est rarum: tum etiam quia non tenentur cum tanto suo damno, siue certo periculo hærendi perpetuò in illis scrupulis & cruciatibus, omnimodam integritatem confessionis procurare, à qua minora sæpè pericula excusant.

69 Qui negatiuè dubitat an aliquid fecerit, non tenetur hoc confiteri. Secùs est de eo qui scit se fecisse quod nescit an sit peccatum mortale.

Conclvsio II. Qui tertio modo dubitat an aliquid fecerit, quod credit esse peccatum, non tenetur confiteri. quia ad hoc requiritur vt saltem probabiliter possim iudicare me peccasse. quod talis nequit facere. Secùs est de eo, qui quarto modo dubitat an peccarit: quia hic potest probabiliter iudicare se peccasse, non autem se non peccasse. Item de eo qui scit se aliquid fecisse, negatiuè tamen dubitat an sit peccatum mortale: hic enim tenetur confiteri. Ratio est, quia talis scit se aliquid commisisse, quod est accusabile in illo foro, & nequit vllum ferre iudicium quale sit; quare nullo modo potest probabiliter iudicare non esse peccatum mortale, aut non esse materiam necessariam confessionis. Et in his duobus dubiis maximè procedit communis sententia, dubia esse confitenda: vt patet ex S. Ilest. & Suarez suprà, & Nauarr. c. 9. n. 14.

Silvester. Suarez. Nauarr.

Dices Primò, Primam partem huius conclusionis repugnare communi sententiæ Theologorum docentium nos teneri etiam peccata dubia confiteri, quod intelligunt non solùm quando dubitamus de iure, siue an sit peccatum mortale id quod commisimus; sed etiam quando dubitamus de facto, siue vtrum aliquid fecimus quod est peccatum mortale, vt docet Sanchius l. 1. in præcepta. c. 10. n. 67. Secundam rationem, quam adfero, non probare intentum; nam dubitatio de peccato non debet niti ratione probabili; aliàs enim non esset dubitatio, sed probabilis opinio.

Ad Primum nego assumptum. Primò, nam ram Sanchius supra quàm auctores, quos citat, non agunt de eo, qui dubitat an omnino aliquid commiserit quod sit peccatum saltem materiale (prout nostra conclusio intelligenda est) sed de eo qui scit se tale quid admisisse. v. c. (vt vtar exemplo Sanchij, & aliorum quos citat) habuisse morosam delectationem, aut desiderium pranum, sed dubitat an ei consenserit, an verò solùm fuerit motus indeliberatus: ideóque vocant dubium facti, quia dubitatur an consensus positus sit. quem casum ego comprehendo sub tertio membro huius conclusionis: quia talis verè aliquid commisit de quo dubitat, an sit peccatum formale eo quod dubitet an id liberè fecerit. Secundò, quia auctores illi communiter agunt de dubio positiuo, quando scilicet aliquis habet pro vtraque parte aliquas rationes suo iudicio probabiles, sine quibus, si pro vna sola parte occurrerent, moueretur vt eam crederet esse probabilem, sed quia similes pro alia parte occurrunt, quibus illarum vis illiditur, hæret dubius, nec potest pro hac vel illa parte iudicium vllum elicere. Et hunc dicunt teneri tale peccatum vt dubium confiteri, vt expressè docet Suarez tom. 4. in 3. parte, disp. 22. sect. 9. n. 7. vbi ait: *Tertius igitur gradus est, quando homo habet probabiles rationes dubitandi, & non potest determinari ad ferendum iudicium probabile pro alterutra parte, & in hoc euentu procedit prorsùs communis doctrina* (scilicet peccata dubia, vt dubia esse confitenda) *& de illo loquitur Nauarrus supra: & solùm probatur rationibus à principio allatis.* Nos autem loquimur de casu quo nullæ occurrant pro alterutra parte rationes, quæ etiam per se sine sine rationibus oppositis consideratæ possent inducere ad iudicium aliquo modo probabile formandum: dicimúsque ita dubitantem an aliquid fecerit quod scit esse peccatum, non teneri id confiteri, quia tale dubium non est rationabile, siue quod prudentem in ordine ad praxim mouere possit, & vix nisi in scrupulosis reperitur.

Hinc patet responsio ad secundam obiect. quia procedit in casu, quo pro vna parte ita habet rationem probabilem, vt ramen non occurrat alia contraria quam priorem videatur omnino illidere, atque ita eum impediat ne aliquod iudicium eliciat. Si enim talis ratio occurrat talem omnino suspensum reddit, & positiuum dubium efficit. In illa igitur ratione hoc solum assero vt dubius teneatur confiteri peccatum de quo dubitat an id fecerit ipsum debere habere rationem, quæ per se considerata siue nisi contraria ratione illideretur, illi probabiliter suaderet ipsum hoc commisisse, eo quod eius dubium aliàs sit irrationabile.

Conclvsio III. Qui scit se peccasse mortaliter, & tertio modo dubitat an sit confessus, tenetur illud confiteri. quia constat eum habuisse debitum confitendi, & ne probabiliter quidem potest iudicare se satisfecisse.

Conclvsio IV. Quando quis confitetur id de quo dubitat secundo aut tertio modo an fecerit, non debet absolutè dicere se id fecisse, sed de eo dubitare, aut solum probabiliter credere se fecisse: secùs est de eo qui scit se aliquid fecisse, & tamen dubitat an hoc sit confessus. Potest enim absolutè id confiteri: quia hoc modo solùm dicit se id fecisse, quod certum est, non autem negat se id esse confessum. Idem dic de eo qui scit se hoc fecisse, nescit tamen an sit peccatum mortale: nec enim est opus vt dicat se nescire quale sit peccatum. quia hoc non est ipsius iudicare, sed confessarij. Excipe casum in quo dubitaret, an cum sufficienti aduertentia id fecerit: vel quando id fecisset cum probabili iudicio se non peccare mortaliter. quia hæc ad dubium facti spectant, & nisi explicentur, confessarius non potest qualitatem peccati cognoscere.

DVBIVM IX.

Quanam excusent ab integritate confessionis, ita vt possint aliqua peccata omitti?

78 HAc in re inter omnes conuenit, quædam excusare. & hoc satis clarum est ex dictis n. 2. in fine. Sed non ita inter omnes conuenit, quænam illa sint. diuersi itaque casus enumerantur, inter quos aliqui sunt certi, alij incerti: quos consequenter explicabo.

Primus casus est, quando alicui est absolutè impossibile hîc & nunc integrè confiteri, vt quia dum incipit confiteri subitò destituitur omni ieniu, aut quia inuincibiliter ignorat suum peccatum. Et hic casus per se clarus est. Sed difficultas est, Vtrùm etiam excuset ignorantia vincibilis siue culpabilis?

Qua in re certum est Primò, quando ipsa rantùm est culpabilis venialiter, nec valorem nec fructum Sacramenti impediri. Secundò, certum est quando est culpabilis mortaliter (quod fit quando pœnitens peccat mortaliter, eò quòd ob defectum examinis est sibi causa cur obliuiscatur peccati sui) tunc impediri omnem fructum confessionis. Multum tamen disputant DD. an & qua ratione possit ex tali culpa confessio esse non integra, & tamen Sacramentum esse validum: vt videre est apud Medinam de pœnitētia tract. 2. q. 19. Victoriam de confessione n. 160. Sot. d. 18. q. 3. art. 3. concl. 3. Pe-

Ignorantia crassa non excusat.

Medina. Victoria. Soto.

Petr. Sot. Navarr.

trum Sotum lect. 16. de pœnitentia. Nauarrum cap. 9. numero 16. & alios. Sed ex dictis suprà numero 31 facile est huic difficultati respondere, scilicet nunquam eum validè hoc Sacramentum suscipere, qui ex negligentia mortaliter culpabili aliquod peccatum omittit.

71 Habenti plura peccata opus est diligenti examine. In diuersis diuersum requiritur. Suarez.

Hinc sequitur, eum qui verosimiliter habet plura peccata mortalia confitenda, teneri ante confessionem se diligenter examinare: nam aliter exponit se periculo ne aliqua omittat, Hoc autem examen non debet in omnibus esse æquè exactum, sed pro diuersa conditione personarum diuersum. Suarez disp. 22. sect. 10. num. 3. Qui enim multis valdè negotiis, in quibus facilè est peccare, fuerunt impliciti: item qui sciunt se varia peccata fecisse, exactiùs debent se examinare, quàm alij, in quibus hæc non reperiuntur. Item homines rudes non sunt cogendi ad tam exactum examen quàm alij ingeniosiores. quia illi non sunt illius capaces, & quantumcumque adhiberent operam, non possent id exactè perficere. Quare sacerdos sua industria eos examinando in iis in quibus verosimiliter coniicit eos peccasse, debet eorum defectum supplere. Quare quantam in hoc examine quisque debeat diligentiam adhibere, non potest exactè præscribi: sed solùm potest dici, vnumquemque pro suo statu & conditione teneri eam diligentiam adhibere, quam adhibere solet in aliis rebus magni momenti discutiendis.

A rudibus non est tá exacti examen exigendum. Sacerdos debet eorũ defectum supplere.

72 Non est necessariũ peccata scribere, suadendum tamen. Soto. Caietan.

Vbi Nota Primò, nos non teneri scribere nostra peccata ne memoriæ excidant. Imò Soto dist. 18. quæst. 2. articulo 4. ad vlt. dicit hoc non esse consulendum. Melius tamen Caiet. v. *Confessio.* condit. 11. cum aliis ait, hoc non esse necessarium, suadendum tamen. quia exactissima diligentia hac in re laudanda est, modò euitentur scrupuli, & nimia anxietas. Quod autem ait Soto, posse esse periculum ne peccata si scribantur euulgentur, facillimè euitari potest.

73 Facilius ignorantia excusat inter cogitandum quàm inter operandũ.

Nota Secundò, sæpe contingere aliquem peccare committendo id quod crassè ignorat esse peccatum, qui postea sine culpa se circa illud non examinat ante confessionem. Quia dum peccat, res ipsa, cùm habeat speciem mali, eum excitat & admoner, vt consideret an licita sit: quod dum omittit, peccat. Dum verò se parat ad confessionem, nihil est quod excitet memoriam ad recordationem talis facti, aut vt cogitet se in eo peccasse. Cùm enim hoc dum fieret non ita vrgeret eius conscientiam, nullam peccati commissi speciem in memoria reliquit. Sæpè tamen talibus postea accidit, vt audiendo in concione, vel alibi, tale quid esse peccatum, incipiant habere scrupulum circa præterita facta, & tunc tenentur ea confiteri.

74 In subito vitæ periculo possumus nõ integrè confiteri. Suarez. Sà.

Secundus casus est, quando periculum est ne confitens subitò moriatur antequam detur absolutio. Tunc enim auditis aliquibus peccatis potest absolui: & si postea superuiuat, possunt quarum fieri potest, reliqua audiri, & ipse deinde secundò absolui. Ita P. Suarez disp. 23. sect. 1. numero 2. Sà v. *Absolutio.* numero 10. Quò etiam spectat casus quo multis subitò imminet periculum vitæ, vt fit in naufragio, aut subita hostium irruptione, aut iam iam instante periculosa valdè pugna: tunc singuli possunt breuiter dicere aliqua peccata, & sic absolui. Imò quando imminens periculum aliud non permitteret, possent omnes simul ostendere dolorem, & aliqua peccata confiteri, & sic simul absolui. Siluester verbo *Confessio.* 1. numero 23. Angelus ibid. numero 29. Reginal. in praxi lib. 8. numero 23. In his tamen omnibus, quantum fieri potest, semper conandum est, vt pœnitens materiam certam & determinatam confitetur, vt Sacramentum sit magis certum.

Siluester. Angelus. Reginald.

75 Periculum grauis mali ab integritate excusat.

Tertius casus est, quoties ex confessione alicuius peccati pœnitens prudenter aut sibi, aut proximo timet aliquod notabile malum. Quale est Primò, quòd confessarius præter pœnitentis consensum, vel vni sit eius peccatum reuelaturus. Tunc communiter DD. fatentur eum non teneri hoc confiteri. Nauar. cap. 7. numero 3. Palud. in 4. dist. 17. quæst. 5. Soto in 4. dist. 18. quæst. 2. articulo 5. ad 4. quod tamen aliquam patitur exceptionem, vt ostendam disp. 9. numero 33. in fine. Quòd etiam spectat, quando non potest confiteri, nisi aliquis tertius suam confessionem audiat. tunc enim non tenetur peccata mortalia confiteri, vt ostendi disp. 5. numero 77.

Nauarrus. Paludan. Soto.

Secundò, quòd confessarius eum grauiter in posterum oderit, aut malè tractet, præsertim quando ab eo in aliquibus rebus pendet: vt si ab eo sustentetur, aliue inseruiat, aut cohabiter. Henriquez l. 2. de pœnitent. cap. 12. numero 6. Tertiò, quando pœnitens præsertim fœmina metuit, ne, si sacerdoti peccata carnis confiteatur, eum excitet ad similia desideria, vel vt se ad similia flagitia secum facienda inuiter. Nauar. cap. 7. numero 4. Adrianus in 4. de confessione quæst. 4. §. *Ad argumenta* 2. Henriquez sup. numero 5. Valdè tamen cauendum pœnitenti ne similia de suo confessario suspicetur sine graui admodum fundamento. Quale esset, si sciret eum aliquando adhuc confessionem reuelasse aut aliquos ob peccata in confessione audita malè tractasse, aut ad flagitium solicitasse, aut tam procliuem esse in ea vitia, vt obuias quasque sibi familiares facilè ad turpia soliciter. Aliàs grauissimè per similes suspiciones peccaret.

Henriquez. Nauar. Adrianus. Henriquez. Pœnitens non debet leuiter talia de suo confessario suspicari.

Quartò, quando pœnitens ob suam infirmitatem timet, ne si diutiùs hæreat in examine circa peccata carnis, ad praua desideria excitetur. Tunc enim præstat ea leuiter examinare, quàm delectando peccare. Angles in 4. de confess. art. 4. de casibus reseruatis, difficultate penult. Ob quam etiam causam confessarij in similibus peccatis, eorúmque circumstantiis examinandis valdè cautè debent se gerere, vt etiam monui suprà num. 56.

Angles.

Quintò, quando ipsi confessario imminet aliquod periculum, si diutiùs confessioni audiendæ immoretur: vt si pœnitens laboret morbo contagioso, nec confessarius possit eum eminus audire. Tunc enim potest paucis peccatis auditis eum subitò absoluere. Horum omnium ratio est, quia, vt ostendi suprà num. 2. integritas confessionis non est ita necessaria vt cum tanto periculo nos obliget.

76 Malum quod timetur debet confessioni esse extrinsecum.

Vbi Nota Primò, hæc incommoda debere esse grauia, & extraordinaria confessioni. Nec enim vt aliquod peccatum omittam sufficit quòd confessarius, qui me antè habebat pro valdè pio & casto, eo intellecto in mente sua me sit habiturus pro graui peccatore, aut impuro, aut quòd maximo pudore afficiat, & similia, modò aliud malum non sequatur. quia hæc immediatè & quasi per se ex confessione sequuntur, & tamen his non obstantibus à Christo præcepta est.

77 Requiritur etiam aliqua necessitas confitendi.

Nota Secundò, vt quis ob dictas causas possit non integrè confiteri, requiri etiam aliquam necessitatem hic & nunc tali confessario confitendi. Quare si posset sine graui incommodo etiam confessionem aliquantulum differendo alteri integrè confiteri; ad hoc teneretur: non tamen tenetur eam valdè diu præsertim præter consuetudinem differre. Ita P. Suarez disp. 23. sect. 2. num. 7. & clarè insinuat Soto dist. 18. quæst. 2. art. 5. §. *Circa tertium.* Et ratio est, quia

Suarez. Soto.

graue est incommodum diu Sacramentorum fructu carere, præsertim cùm homo sit incertus an sit contritus, atque ita diu carendo Sacramento, maneret fortè diu in peccato mortali. quod est graue malum. Quare cùm confessio eiúsque integritas sit instituta incommodum nostrum spirituale, non debet cum tanto nostro incommodo spirituali obligare. Vnde patet, peccatorem multò minùs eam teneri differre, quando non potest id facere sine scandalo, aut nisi ab aliis cum aliqua infamia notetur, aut quando instat præceptum annuæ confessionis, aut necessitas communicandi; quo tempore ob reuerentiam tanti Sacramenti, quando non haberemus mortalia quæ possemus confiteri, præstaret etiam sola venialia confiteri, vt hoc modo essemus certiores de statu gratiæ, quàm illud sine confessione suscipere. Imò quando conscius sibi peccati mortalis crederet se non esse contritum, aut etiam de eo probabiliter dubitaret; teneretur ante communionem etiam non integrè confiteri, quando integrè non posset. Imò, etiamsi crederet se contritum, instante necessitate communionis, aut præcepto annuæ confessionis, si haberet alia peccata mortalia quæ posset tutò confiteri, ad hoc teneretur. Ita Suarez disp. 23. sect. 2. num. 5. & 6. Vide dicta disp. 5. numero 76.

Confessio præmittenda communioni etiam cùm integrè fieri nequit.

Suarez.

Nota Tertiò, quocumque ex his casibus aliquis fecerit confessionem non integram, eum postea teneri suo tempore peccata omissa confiteri. Vide dicta disp. 5. num. 66.

78 Quartus casus est, quando aliquis habet casus reseruatos. Multi enim aiunt Prælatos, & maximè summum Pontificem aut Pœnitentiarium, posse audire solos casus reseruatos, & ab iis sacramentaliter absoluere, & remittere pœnitentem ad inferiorem, vt à reliquis peccatis integrè absoluatur. Ita Caietanus v. *Confessio.* cond. 10. D. Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 6. Palud. dist. 16. quæst. 6. art. 1. ante finem. & probabile putat Petrus Soto de confess. lect. 10. sub initium. Ratio eorum est primò, quia hæc est consuetudo Ecclesiæ Romanæ, in qua discutienda (ait Caietanus) non oportet nimiùm sapere. Secundò, quia aliàs esset onus intolerabile Prælatis, si deberent semper integras cõfessiones audire, præsertim cùm aliis negotiis grauissimis distineantur. Addunt tamen plurimi ex iis, pœnitentem postea teneri inferiori sacerdoti integrè etiam casus reseruatos confiteri. Alij tamen plurimi negant hoc licere. Ita Adrianus de confess. quæst. 4. §. *Sed dubium videtur.* Victoria de confess. numero 162. Durandus dist. 17. quæst. 15. Gabriel dist. 17. quæst. 1. art. 3. dub. 2. init. vbi ait, plurimos eam tenere. Et hanc probabiliorem putat Petr. Soto lect. 10. de confess. dicitque multos eam tenere. Pro eadem etiam multos citant Henriquez lib. 6. cap. 15. numero 4. & Suarez disp. 31. sect. 1. numero 2.

Caietan. D. Antonin. Palud. Petr. Soto.

Adrian. Victoria. Durand. Gabriel.

Petr. Soto.

Henriquez. Suarez.

79 Sed hac in re dicendum est Primò, si Superior audiat integram confessionem, teneturne absolutè ab omnibus sacramentaliter absoluere. Quia nec vlla est causa cur neget absolutionem sacramentalem, nec est in eius potestate absoluere ab vno peccato directè, & ab alio solùm indirectè, posito quòd in omnia habeat legitimam iurisdictionem, & pœnitens omnia confiteatur. quia hoc ipso quo peccata legitimè subiiciuntur clauibus Ecclesiæ, necessariò pœnitens ab iis vel nullo modo, vel directè absoluitur. Quia directè à peccatis absolui, nihil est aliud quàm absolui ab iis quæ legitimè habenti in ea potestatem confessi sumus.

Confessarius necessariò directè absoluit ab omnibus quorum legitimus est iudex.

80 Secundò dicendum est, si Prælatus audiris solis reseruatis ab iis absoluat, modò pœnitens sit legitimè dispositus; validè absoluere ab his directè, ab aliis indirectè. Ita Soto dist. 18. quæst. 2. art. 5. §. *Secunda propositio.*

Soto.

Tertiò dicendum est, pœnitentem sic absolutum non teneri peccata reseruata ampliùs confiteri, sed solùm alia. quia nemo tenetur ampliùs confiteri ea peccata à quibus est directè absolutus: vt expresè docet Benedict. XI. extrauag. *Inter cunctas.* de priuilegiis. Quare in hoc auctores primæ sententiæ non loquuntur consequenter.

Non tenemur secundò confiteri ea, à quibus sumus directè absoluti.

Benedict. xj.

Quartò dicendum est communiter esse illicitum ita auditis solis reseruatis absoluere: ex rationabili tamen causa vrgente aliqua necessitate hoc fieri posset. Ita P. Suarez disp. 31. sect. 1. numero 6. Prior pars probatur. quia, cùm integritas confessionis sit iuris diuini, non potest violari sine graui aliqua necessitate, quæ hic nulla apparet. Nam Prælati facilè possunt se eo onere liberare, constituendo vnum aut alterum virum prudentem cui vices suas hac in re committant, aut generatim respectu omnium, aut quandoque in particulari, prout iudicabunt expedire.

81 *Communiter non licet à solis reseruatis absoluere.*

Suarez.

Dices, Expedit prælatos per se tales confessiones audire, vt hoc modo noscant vultum sui pecoris. 82

Resp. Pastorem non debere vultum sui pecoris nosse ex confessione, sed aliunde. Nam cùm illa cognitione nullo modo possit vti extra forum pœnitentiæ, nullo modo potest ei esse vtilis ad gubernandum, seu vt ea vtatur quà Pastor est, sed solùm quà confessarius est. Et hæc necessitas est communis omnibus confessariis, quos expedit nosse conscientias suorum pœnitentium. Quòd si tamen aliquando in particulari iudicet expedire, vt aliquorum confessionem audiat, tenebitur eas integrè audire, & sic sacramentaliter absoluere. quod cùm rarò contingat, non potest videri ita graue onus, præsertim si pœnitens iubeatur commodo tempore ad confessionem accedere. Quòd si ipse nolit expectare dum Prælato vacet, poterit hic audire confitentem sola peccata reseruata, & absoluere à censuris, si quas incurrit, ac iniungere ei pœnitentiam, & sine absolutione sacramentali mittere eum ad inferiorem, cui omnia sua peccata integrè confiteatur, & ab iis absoluatur. Nec hac in re fit pœnitenti iniuria, quòd cogatur bis sua peccata confiteri. Primò, quia sibi imputare debet, quòd noluerit expectare dum Prælato vacet omnia eius peccata audire. Secundo, quia cùm tales casus mereantur graues pœnitentias, poterit hæc difficultas bis confitendi esse pars pœnitentiæ ipsius, vt hæc idcirco minor iniungatur.

Cognitio accepta ex confessione Prælato ad gubernandum nec necessaria, nec vtilis est.

Quòd si tamen contingere vt omnino expediret Prælatum per se talis confessionem audire, & nec illi vllo modo hic & nunc vacaret audire integram, nec pœnitens propter necessitatem communicandi posset diutiùs carere sacramentali confessione, nec esset vllus alius, cui iam absolutus à censuris, & sublata reseruatione, posset integrè confiteri; posset tunc Prælatus auditis solis reseruatis, eum sacramentaliter absoluere, & tunc ille solùm postea teneretur confiteri ea quæ non fuisset confessus. Ratio est, quia in simili necessitate posset etiam alius dimidiatam confessionem audire, vt patet ex dictis suprà. Atque ita manet probata secunda pars conclusionis. Sed hic casus rarissimus est. 83

Ex quibus patet Primò, in casu quo Prælatus potest audire dimidiatam confessionem, idem etiam posse inferiorem, aut habentem solùm potestatem delegatam, si eadem occurrat necessitas. Imò cùm non possit alteri delegare potestatem audiendi talis hominis confessionem; faciliùs ei huiusmodi necessitas occurret quàm Prælatis, qui aliis suas vices delegare possunt.

Patet Secundò solutio ad secundum argumentum contrariæ sent. quia hoc onus non erit Prælatis grauius quàm ipsi velint, si dicta num. 82. obseruent.

84 Ad Primum cum *Durando* & aliis suprà citatis pro secunda sententia, nego eam esse consuetudinem Ecclesiæ Romanæ. Nam summus Pœnitentiarius aut Pontifex, si quando sic dimidiatam confessionem audiunt, solùm absoluunt à censuris, & tollunt reseruationem, & remittunt pœnitentem vt alteri confiteatur. quod inde clarissimè patet, quia, vt ipsi aduersarij testantur, ita confessi tenentur postea eodem modo integrè confiteri, ac si nihil fuissent confessi. quod esset falsum, si fuissent à reseruatis sacramentaliter absoluti. Non tamen hîc intendo negare vllum vnquam Romæ ita confitentes auditis solis reseruatis absoluisse; sed si quis hoc fecit, aut hoc fecit ob singularem necessitatem, iuxta dicta num. 83. aut ex errore fecit, credendo alios qui absoluebant solùm à censuris, verè sacramentaliter absoluere. Sed aliquorum error non debet dici consuetudo Ecclesiæ Romanæ.

85 Quintus casus ab aliquibus ponitur. Quando quis habens casus reseruatos occurrente necessitate confitetur ei, qui non potest eum ab omnibus absoluere. *Aiunt* enim hunc tunc posse confiteri sola peccata non reseruata. Ita Alensis 4.p. q.77.memb. 5. a.2. ad vlt. Et credit probabile Maior in 4.d.17.q.5. idemque insinuat Pet. Soto lect. 10. de confessione.

Alensis. Maior. Pet. Soto.

Probatur Primò, quia aliàs talis teneretur bis eadem confiteri, quod est graue onus, ad quod confessio non obligat. Secundò. quia non tenemur ad vllam peccatorum confessionem nisi sacramentalem, & apud legitimum iudicem: atqui talis sacerdos non est legitimus iudex peccatorum reseruatorum, & consequenter confessio ei facta, respectu horum non est sacramentalis: ergo ad hanc non tenetur.

86 Contraria tamen sententia, scilicet talem teneri integrè confiteri, est D. Tho. in 4.d.17.q.3.a.4.quæstiunc. 2. ad 4. Gabrielis ibid. q.1. a.3. dub. 2. Palud. q.5.a.1. in quinto modo dicendi. Angeli v. *Confessio.* 1.n. 29. Suar. disp. 31. sect. 3.n. 8. Henriquez l.6. c.15. n.5. & ferè communis omniù DD. Vnde vel ob hanc causam videtur tenenda. quia in re simili quæ pendet à sola Christi institutione, non est facilè à communi sententia recedendum. Et probatur Primò, quia, cùm sacerdos sit saltem indirectè pœnitentem etiam à reseruatis absoluturus, omnino decet eum, quantum fieri potest, hæc etiam cognoscere, vt sciat qualem absoluat. Secundò, quia sacerdos, quantum fieri potest, debet ita cognoscere statum pœnitentis, vt ex præsenti confessione possit positiuè iudicare eum esse dignum absolutione, quod fieri nequit nisi hic integrè confiteatur etiam reseruata. Nam ratione horum fieri potest vt pœnitens nullo modo sit absoluendus, nisi prius de facto deserat concubinam, cui iam diu cum scandalo cohabitat, aut nisi restituat aliena, vt si fuerit vsurarius. Item fieri potest vt ratione eorum ad aliud obligetur, quod nullo modo paratus sit facere, atque ita sit incapax absolutionis. quæ omnia sacerdos, quantum fieri potest, ante absolutionem debet cognoscere.

Confitens ei qui non potest à reseruatis absoluere tenetur etiã hæc confiteri. D. Thom. Gabriel. Paludan. Angelus. Suarez. Henriq. Sacerdos ex ipsa cõfessione debet cognoscere pœnitentem esse dignum absolutione.

Nec sufficit quòd pœnitens sit vir doctus, & dicat hic & nunc nullum tale impedimentum subesse. Primò, quia non est ipsius hoc iudicare, sed sacerdotis cui hoc debet constare per cognitionem ipsorum peccatorum in hoc foro habitam. Secundò, quia, cùm pœnitentes longè maxima ex parte sint indocti, nec possint hæc cognoscere, omnino decuit Christum generaliter præcipere etiam hoc casu integram confessionem: qua lege tenentur etiam docti. quia obligatio legis positiuæ non cessat, etiamsi eius ratio in casu particulari cesset.

87 Ad Primum argumentum primæ sententiæ Resp. illud onus non esse tanti momenti, vt propterea debeat integritas confessionis violari; quæ, vt ostendi, est maioris momenti. Adde, pœnitentem debere sibi hoc imputare, qui sua sponte tales casus committendo, etiam sponte in tale periculum se coniicit. Quare etiamsi per se nemo obligetur aliqua secundò confiteri, per accidens tamen sæpe fieri potest, vt ad hoc obligetur. Ad Secundum, nego minorem. quia etsi talis sacerdos non sit legitimus iudex istorum peccatorum per se consideratorum; est tamen legitimus eorum iudex, quatenus hîc & nunc cum aliis coniuncta sunt, de quibus, ac simul de toto statu pœnitentis debet iudicare: quod sine illorum cognitione facere nequit. quare simili etiam ratione illorum confessio potest dici sacramentalis, quatenus illa sunt quædam quasi circumstantiæ aliorum, eáque ratione præsentis status peccatoris quòdammodo afficiunt, præsertim in ordine ad absolutionem, quam possunt hîc & nunc impedire, vt patet ex dictis.

Sextus casus est, quando aliquis fecit aliquod peccatum, quod non potest hîc & nunc confiteri, nisi detegendo peccatum, & personam complicis quæ nota est confessario. v. c. si quis peccauerit cum sua sorore, quæ confessario nota est. Hic autem casus non habet locum, quando talis commodè potest alicui confiteri, cui ignotus est. quia omnes fatentur eum tunc teneri huic integrè confiteri, quia hoc sine incommodo facere potest. Sed difficultas est quando non potest confiteri nisi ei, cui vterque notus est. Multi enim aiunt eum debere tunc tacere eam circumstantiam, & solum confiteri simplicem fornicationem, aut etiam internum affectum circa tale peccatum. quia iure naturæ tenemur proximum non diffamare, & solùm iure positiuo tenemur integrè confiteri. Ius autem naturæ magis obligat quàm positiuum. Ita Armilla v. *Circumstantia.* n. 11. Nauar. c.7. n. 3. Viguerius in Summa c.16.§.4.n.17. Contrarium tenet D. Thomas in 4.d.16.q.3.a.2.quæstiunc.5. Durand. ibidem q.4. litera G. D. Antonin. 3.p.t.14.c.19. §. 11. Adrianus q.1. de confess. §. *Sed oritur dubium,* ad quartum. Paludan. d.17.q.2. Caietanus v. *Confessio.* cond. 3. quem quidam malè pro prima sententia citant. Suarez disp. 34. sect. 2. vbi plurimos alios citat.

88 Ne quis infamet cõplicem, tenetur, si potest, ignoto confiteri.

Armilla. Nauarrus. Viguerius. D. Thom. Durand. D. Antonin. Adrianus. Paludan. Caietan. Suarez.

Et hæc sententia est longè verior. Primò, quia, vt dixi n. 76. vt propter aliquod incommodum quod ex confessione alicuius peccati tenetur, possim hoc in confessione omittere, necessarium est vt illud incommodum sit extrinsecum confessioni, nec sequatur immediatè ex ipsa confessione integrè soli sacerdoti facta: reuelatio autem complicis in dicto casu est necessaria vt confessio habeat eam integritatem, quam ex natura sua requirit. sicut est necessarium vt mea peccata explicem: quia hoc sine illo fieri nequit. Sicut igitur non excusat me ab integritate confessionis, quòd non possim eam facere nisi perdendo bonam opinionem quam confessarius habebat de me: ita etiam non excusat, quòd non possit fieri nisi simili modo fiat iactura bonæ æstimationis ipsius complicis.

89 Non potest tamen ideo nõ integrè confiteri. Incommodum cõfessioni intrinsecum nõ excusat ab integritate.

Probatur Secundò, quia publicare peccatum proximi non est ita malum, quin sæpe ob aliquas causas non solùm possim, sed etiam tenear hoc facere: vt bene cum aliis docet P. Lessius de Iustit. c. 11. dub. 8. & 9. atqui hîc est iusta causa non solùm vt possim, sed etiam vt teneat complicis peccatum sacerdoti indirectè narrare: ergo teneor hoc facere. Minor probatur. Quia, etsi sæpè aliqua causa sufficiat vt possim meum crimen propalare, quæ non sufficit vt possim crimen alterius eo inuito propalare: tamen nulla datur quæ sufficiat vt me obliget ad aperiendum alteri secretum meum crimen, quin eadem sufficiat ad simile crimen alterius eodem modo aperiendum, si ea

90 Ob multas causas licitè peccatũ alterius publicatur. *Lessius.* Quod me obligat vt meum crimen alteri aperiam, etiã potest obligare vt alterius crimen reuelem.

si ea causa vtrumque æqualiter exigat. Nam tantum, imò maius ius habeo ad tuendam meam famam, quàm alter habeat vt conseruem ipsius famam. Hinc si ad famam meam tuendam sit necessarium alterius crimen prodere, potero id facere. Nam vt reus possit aliorum contra se testimonia infirmare, licitè pandit occulta eorum crimina: vt cum aliis optimè docet P. Lessius de Iustit. c. 31. dub. 1. Item in omni casu quo reus in iudicio ita interrogatur vt teneatur suum crimen prodere, tenebitur etiam prodere crimen alterius si simili modo circa illud interrogetur. Cùm igitur necessitas integrè confitendi sufficiat vt me obliger meum crimen alteri aperire; etiam sufficiet vt obliget aperire crimen alterius, quando ad illud est necessarium.

Lessius.

Idem.

Probatur Tertiò, vt docet P. Lessius de Iustit. c. 11. dub. 12. possum alienum crimen alicui personæ, quæ id habebit omnino secretum, aperire, quando hoc est necessarium vt me in re magni momenti iuuet. quia, vt ostendi, non teneor cum notabili meo incommodo alienam famam omnino illæsam seruare; ergo multò magis potero id aperire in confessione, quando hoc necesse est, ne secundò tenear idem peccatum confiteri, & vt possim commodè in via spiritali dirigi, muniri contra pericula reincidendi. quod ad salutem meam sæpissimè necessarium est.

91 Ad argumentum contrarium Resp. ius naturæ in talibus circumstantiis desinere me obligare ne aperiá alterius crimen, quia magis habenda mihi est ratio reuerentiæ ipsius Sacramenti, & boni mei spiritualis, quæ requirunt vt integrè confitear, quàm tantillæ iacturæ famæ ipsius complicis, cuius perdendæ periculo ipsum se subiecit, cùm tale peccatum mecum commisit, quod sine tali reuelatione non possem confiteri. Quare præceptum de integritate confessionis non præcipit hîc aliquid contra ius naturæ, sed quod ei maximè consentaneum est. Sicut nec iudex in foro externo aliquid præcipit contra ius naturæ, dum præcipit testi vt accusati crimen aperiat. Hæc tamen intellige, casu quo nullum aliud notabile malum ex tali confessione timetur, quàm quòd sacerdos crimen complicis norit, iuxta dicta n. 75.

92 Nota tamen, pœnitentes omnino teneri non aliter aperire complicis crimen quàm quatenus ad integritatem confessionis est necessarium. Hinc quæ peccauit cum sacerdote; tenetur hoc dicere; debet tamen quantum potest cauere ne addat aliquas circumstantias, ex quibus confessarius possit coniicere quis ille sit, nisi ad integritatem confessionis esset necessarium eas explicare.

Pœnitens non potest complicis crimen plùs aperire quàm sit necessarium.

Idem etiam dicendum, quando necesse est alienum crimen explicare, vt pœnitens possit à confessario consilio, aut alia ratione iuuari, vt in posterum periculum peccandi, aliàve grauia incommoda euitentur. quod fieri quandoque posse patet ex dictis n. 90. ita tamen vt nihil amplius aperiatur, quàm necesse sit. Ad quod ipse confessarius debet adlaborare comprimendo pœnitentes, si aduertat eos aliquid non necessarium de alienis peccatis dicere.

Confessarius debet impedire ne pœnitentes citra necessitatem aliena peccata narrent.

Septimus casus. Quidam putant, quando in celebri festo est magnus pœnitentium concursus, ita vt omnes integrè audiri non possint, posse tunc sacerdotem, ne multi à confessione excludantur auditis præcipuis aliquot peccatis, pœnitentem absoluere, reliqua parte confessionis in aliud tempus remissa. Sed non credo hoc esse probabile. Primò, quia aliquos eo die non posse confiteri, non tanti est momenti, vt propterea confessio debeat dimidiari. Secundò, quia inde sequerentur grauia incommoda. Vt Primò, quòd illis diebus communiter plurimæ confessiones dimidiarentur, & quidem ferè eorum, quibus, vt benè instruantur, & ad debitum dolorem 93

Magnus concursus non sufficit vt quis non integrè confiteatur.

excitentur, maximè opus est integra cõfessione. Nam maximi quique peccatores, & qui habent intricatissimas conscientias, & versantur in continuis peccandi periculis, ferè similibus diebus ad confessionem veniunt, & sæpe sine sufficienti dolore, aut proposito emendationis; quos sacerdos nullo modo poterit sufficienter aut ad dolorem excitare, aut contra futura pericula munire; nisi perfectè eorum statum nouerit, ad quod requiritur integra confessio. Vnde sequetur Secundò, vt multæ confessiones sacrilegè & inualidè fiant, & multi perpetuò in peccatis hæreant, qui aliàs integrè confitendo iuuarentur.

Nec sufficiet si sacerdos eos moneat, vt paulò pòst 94
ad confessionem redeant, reliqua confessuri: quia tales non possunt id apprehendere necessarium, sed videntur sibi suo muneri abunde fecisse satis, si quacunque ratione absolutionem obtineant. Imò multi fortè aduertentes se in tali concursu paucis absolui, occasionem ita confitendi quærerent. Quare longè satiùs est tales tunc non confiteri, quàm hoc modo absolui; quia cùm apprehendant sibi necessariò confitendum esse, semper manebunt solliciti vt hoc faciant. Quod non ita dico, quasi tales tunc à confessione repellendi sint vt cæteri audiri possint (hoc enim cum offensione & aliqua eorum iniuria fieret) sed quia non ideo in eorum confessionibus audiendis festinandum est; vt omnes audiri possint.

Octauus & certissimus casus est. Quando aliquis 95
non posset integrè confiteri sine reuelatione sigilli huius Sacramenti. Hoc enim nullam vnquam ob causam frangendum est, vt infrà dicemus.

No 2 demum, in his omnibus casibus, in quibus licet non integrè confiteri, non licere plus reticere quàm sit necessarium. Hinc cui solum imminet periculum ex confessione actus externi, tenetur internum affectum confiteri. Item qui scit in genere se commisisse peccatum mortale, nescit tamen in particulari quale sit: imò etsi dubitet an fuerit mortale; tenetur hoc ita confiteri prout quàm optimè poterit: vt docet Suarez disp. 23. sect. 1. numero 9. Vide dicta num. 69.

Suarez.

DVBIVM X.

Vtrùm absoluendus sit moribundus, qui nullum peccatum in particulari potuit confiteri, sed solum signa generalia doloris ostendere?

VAriæ hac de re sunt sententiæ. Prima absolutè 96
negat, talem posse sacramentaliter absolui. Ita Soto in 4. d. 18. q. 2. a. 5. & quidam alij. Probant, quia Trident. sess. 14. c. 5. docet hoc Sacramentum requirere talem confessionem, per quam status confitentis possit cognosci: atqui hæc non est talis: ergo ad hoc Sacramentum non sufficit. Secundò, quia per talem confessionem confessarius nihil cognoscit quod antè non sciebat. nam tantùm generatim cognoscit, talem peccasse: atqui nemo potest exercere iudicium sine cognitione causæ: ergo sacerdos circa talem non potest proferre sententiam iudicialem. Tertiò, quia tam hoc Sacramentum, quàm reliqua omnia necessariò requirunt materiam determinatam: hîc autem nulla talis datur: ergo, &c. Quartò, quia absolutio sacramentalis necessariò debet saltem super aliqua peccata cadere directè, quia aliàs pœnitens à nullo peccato directè absolueretur: atqui hoc hîc fieri non potest: ergo, &c.

Soto. Trident.

Secunda sententia omnino extrema tenet, moribundum posse absolui etiamsi nulla signa pœnitentiæ dederit. Huius sententiæ fundamenta retuli disp. 5. n. 28. vbi etiam ostendi eam non videri probabilem.

Tertia sententia docet, talem posse absolui si dederit ea signa præsente sacerdote: secùs verò esse si dederit ea absente sacerdote, etsi alij præsente sacerdote testentur ipsum petiisse confessionem, & ostendisse signa doloris. Et hanc sententiam (non autem primam) tenet Nauarrus c. 26. n. 27.

Nauar.

Quarta sententia docet, talem absoluendum, etiamsi ea signa absente sacerdote dederit, modò eo iam præsente alij testentur ipsum ea dedisse. Auctores infrà citabo.

Sacerdos tenetur dare operam vt pœnitens aliquod peccatum in particulari confiteatur.

Vbi Nota, certum esse sacerdotem semper debere laborare quantum potest, examinando circa particularia peccata saltem venialia ipsum moribundum, vt aliquod peccatum particulare saltem nutu, se præsente confiteatur: sed difficultas est quando nihil simile haberi potest.

97 *Sufficiunt tamen signa generalia, quando alia haberi non possunt. Ruardus. Corduba. Suarez. Henriquez. Alcoçer. Concilium Arausican. Carthaginense 3. & 4. D. Leo.*

Conc. I. Quando moribundus dat præsente sacerdote generalia signa quibus ostendit se peccasse, & de eo dolere, si eò quòd subitò priuetur sensibus, non possit aliquid in particulari confiteri, potest sacramentaliter absolui. Ita auctores tertiæ sententiæ, & Ruardus tomo 1. contra Lutherum, a. 5. post initium, ac Corduba apud Suarez disp. 23. sect. 1. n. 5. & P. Henriquez lib. 6. cap. 10. numero 7. citans Alcoçer & alios. Et à fortiore tenent ij quos citabo conclusio. 2.

Prob. Primò, quia id expressè docent Concilium Arausicanum, & Carthag. 3. & 4. & D. Leo epistola 91. & pastorale Leonis X. vt apertè ostendam concl. 2.

Probatur Secundò, quia talis dat veram materiam absolutionis, scilicet veram suiipsius accusationem cum ostensione doloris quantam hîc & nunc dare potest, & ex qua sacerdos in hoc foro cognoscit pœnitentem peccasse, & eum de hoc dolere; & consequenter cognoscit statum pœnitentis, cumque esse sufficienter ad absolutionem dispositum; quantum hîc & nunc cognosci potest. quæ absolutè sufficiunt, vt sacramentaliter absolui possit. Nam Deus à nobis non requirit aliam confessionem, quàm quæ nobis hîc & nunc possibilis est. Confirm. quia, vt docet D. Thom. in 4. d. 21. q. 2. a. 1. & 2. qui solùm meminisset in genere se fecisse aliquod peccatum mortale, & hoc ita confiteretur, deberet absolui, cùm tamen in particulari nihil confiteretur. Item si aliquis qui multis annis in grauissimis vixisset peccatis, solùm confiteretur vnum peccatum veniale, v.c. se aliquando distractum fuisse inter orandum, & subitò destitueretur sensibus; secundùm omnes deberet absolui: & tamen moraliter loquendo sacerdos ex illa confessione non posset magis de illius statu iudicare, quàm si solùm generatim dixisset se peccasse: ergo etiam hoc casu deberet absolui.

Deus non requirit aliam cõfessionem, quàm quæ hîc & nunc fieri potest. D. Thom.

98 Ad Primum argumentum primæ sententiæ Respondeo Concilium ibi ad essentiam Sacramenti requirere aliquam confessionem, & quidem tam integram & particularem circa omnia peccata mortalia, quàm hîc & nunc à pœnitente fieri potest, qualem & nos requirimus, & hîc esse dicimus, quare neganda est minor. Ad Secundum nego maiorem. quia sacerdos per talem confessionem cognoscit in hoc foro, siue tanquam iudex hunc Deum offendisse, & de hoc dolere, quorum secundi priùs nullo modo, & primum saltem in hoc foro non sciebat. Ad Tertium nego minorem. Nam & actus pœnitentis, scilicet dolor & confessio, quæ sunt intrinseca materia Sacramenti, sunt actus singulares & omnino determinati, & versantur circa peccata determinata, quæ ipse pœnitens commisit; licet hæc determinatè non exprimantur; quod ad valorem & fructum ipsius Sacramenti non aliter requiritur, quàm quatenus hîc & nunc fieri potest. Ad Quartum Resp. ad essentiam Sacramenti sufficere vt absolutio cadat directè super peccatum in genere, atque ita pœnitens directè absoluatur ab omnibus suis peccatis in genere, prout conueniunt in offensa Dei: qua ratione iste omnia confiteretur. à nullo tamen secundùm suam speciem directè absoluitur. nec hoc ad essentiam Sacramenti requiritur. Quare si postea possit tenetur singula explicitè confiteri.

99 *Potest absolui qui sacerdoti præsenti solùm per alios confitetur.*

Conclvs. II. Si moribundus ante aduentum sacerdotis ostenderit signa pœnitentiæ, & petierit confiteri, & ipso sacerdote adueniente omnem vsum rationis perdiderit, ita vt ipso præsente nullum signum dolori possit ostendere; si tamen præsentes testentur ipsum dedisse signa pœnitentiæ, & petiisse confessionem, & periculum sit in mora, potest à præsente sacerdote sacramentaliter absolui. Ita expressè D. Antoninus 3. p. tit. 10. cap. 2. circa medium. Siluester v. *Confessor.* 3. num. 16. Paludan. dist. 21. quæst. 2. art. 2. concl. 2. vbi expressè docet, confessionem generalem de peccatis, quæ pœnitens est oblitus, esse sacramentalem, iunctis iis quæ dicit dist. 17. q. 2. vers. *Tertia definitio*, vbi docet, confessionem posse etiam absenti per nuntium fieri. quantò igitur magis secundùm eum poterit fieri modo iam à nobis explicato? Item Medina de pœnit. tract. 2. quæst. 39. in fine, Angelus v. *Confessio.* 4. num. 8.

D. Antonin. Siluester. Palud.

Medina. Angelus.

Probatur hæc sententia Primò, ex Conc. Arausicano cap. 11. vbi dicitur: *Subitò obmutescens (prout statutum est) baptizari aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu*, quo scilicet dolorem de peccatis significet. Item Concil. Carthag. 3. cap. 34. ait, *Vt agrotantes si pro se respondere non possunt, cùm voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizentur: similiter & de pœnitentibus agendum est.* Idem Carthag. 4. cap. 67. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit si casu dum ad eum sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phreneseos vecordiam fuerit, dent testimonium qui eum audierunt & accipiat pœnitentiam: & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.*

Concilium Arausicum.

Conc. Carthag. 3. & 4.

100 Respondent aliqui cum glossa in caput *Is qui.* 26. quæst. 6. hæc capita loqui solùm de absolutione à censuris. Sed hoc in primis gratis omnino dicitur. quia ibi nulla fit mentio censurarum, & iura generatim loquuntur de omnibus qui ex infirmitate subitò obmutescunt, qui non nisi temerè possunt generatim præsumi ligati esse aliquibus censuris. Secundò, comparant hanc reconciliationem cum baptismo, vt ostendant se loqui de vero Sacramento. Tertiò, quia loquuntur de reconciliatione quæ requiritur ante sumptionem Eucharistiæ, quæ respectu eorum de quibus dubitatur an sint in peccato mortali, debet fieri per susceptionem Sacramenti pœnitentiæ: vt expressè docent D. Leo epist. 91. & Concilium Trident. sess. 14. cap. 7. Quartò, quia si hoc modo Concilia & Patres interpretemur, nihil nobis in iis vlteriùs faciemus reliquum, ex quo Sacramentum pœnitentiæ probemus. quod hæreticis erit gratissimum.

D. Leo. Trident.

101 Probatur Secundò clarissimè ex D. Leone epist. 91. ad Theodorum Epis. Foroiulienscm, vbi initio docet, lapsos post baptismum, vt vitam siue gratiam amissam recuperent, debere confiteri, & per preces siue absolutionem sacerdotis indulgentiam obtinere. Deinde addit, *Mediator enim Dei & hominum, homo Iesus Christus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus satisfactionem pœnitentiæ darent, & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Vbi clarè docet se loqui de sacramentali absolu-

D. Leo.

absolutione, & hanc vocari absolutè reconciliationem & ante communionem necessariò præmittendam. Deinde cùm docuisset qua caritate & diligentia sacerdotes se huic operi impendere debeant, subdit: *Si autem aliquis eorum pro quibus Dominus supplicamus* (quales sunt omnes fideles, pro quibus Ecclesia quotidie orat) *quocumque interceptus obstáculo à munere indulgentiæ præsentis excideret, & priusquam ad constituta remedia perueniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit.* Ex quibus verbis etiam apertè patet, D. Leonem hic nullo modo loqui de absolutione à censuris (quæ, vt patet ex c. *Nobis.* 28. & c. *Sacris.* 38. de sententia excommun. potest etiam mortuis impendi) sed de sola absolutione sacramentali, quam mortuus recipere non potest. Et deinde ratione huius periculi ostendit quàm sit periculosum confessionem in vltimum vitæ tempus

102 differre. & tandem subiungit: *Verùm, vt dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, vt nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si ea etiam amisso eis vocis officio, per iudicium integri sensus quærere comprobentur.* Vbi apertè priorem conclusionem docet, ac deinde pergit: *Quòd si aliqua ægritudine ita fuerint aggravati, vt quod paulò antè poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant: testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debeant, vt simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.* Hæc D. Leonis definitio clarior est, quàm vt possit tenebris involui. Quidam tamen, ne quacumque ratione à præconcepta sententia dimoueantur, conantur respondere, aiúntque D. Leonem initio quidem loquutum fuisse de sacramentali absolutione, in vltimis tamen verbis vti æquiuocatione, & solùm loqui de absolutione à censuris: nec aliunde id colligunt, quàm quia aliàs eorum damnaretur sententia, quam tamen necessariò oportet supponere esse veram.

103 Itaque iis dicendum est Primò, D. Leonem hîc æquiuocè & obscurissimè loqui, atque ita non tam docere quàm dare occasionem errandi. Secundò, eum præsumere eos omnes qui iam moribundi pœnitentiam petunt, esse excommunicatos, & ab hac sola censura, nullo autem modo à peccatis posse absolui, siue ea per se voce, vel nutu, siue per alios sacerdoti iam præsenti fateantur, ac absolutionem petant. Nam de his omnibus eodem planè modo Pontifex loquitur, docétque omnium eandem esse rationem. Quæ quàm sint aliena à veritate nemo non videt. Sed pergamus audire Pontificem, vt ipse nobis omnem scrupulum eximat, ostendátque se hactenus non fuisse locutum de excommunicatis. Post verba enim citata subdit: *Seruata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas, qui in Deum à fide discedendo peccarunt.* vt scilicet non absoluantur sacramentaliter, nisi priùs ab excommunicatione absoluantur, & prout fieri potest professionem fidei faciant, vt idem docet epistola 3. ad Iulianum Aquileiensem. Cùm igitur hîc distinguat inter eos de quibus antè fuerat locutus, & inter hæreticos, qui præcisi sunt ab Ecclesia; ostendit se antè non fuisse locutum de huiusmodi hominibus.

104 Probatur concl. ratione. Quia cùm talis ostendat exteriùs se dolere de peccatis, ac velle confiteri, petátque in hunc finem sacerdotem accersiri, generatim iam incipit confiteri, simili ferè modo atque is qui per interpretem confitereturr, dum huic sua peccata dicit, vt sacerdoti deinde ea explicet. Quare dum astantes postea sacerdoti præsenti pœnitentiam & desiderium moribundi explicant, instar interpretum ipsius confessionem sacerdoti exponunt, atque ipse per hoc sacerdoti iam præsenti confitetur: atque ita sufficientem materiam absolutionis præbet.

Ex quo patet, hanc sententiam nullo modo repugnare definitioni Clementis VIII. qua damnauit hanc propositionem; *Licet per literas, aut internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Primò, quia, vt patet vel ex ipsis verbis, casus hic damnatus omnino est distinctus à nostro. Secundò, quia certum est Pontificem illâ propositionem damnando, noluisse contradicere D. Leoni. Tertiò, quia ipse Pont. Clemens VII. interrogatus an moribundus in casu nostræ conclusionis deberet sacramentaliter absolui; respondit debere absolui, & se eum absoluturum, eumque casum suo decreto nullo modo comprehendi: vt an. 1608. 16. Aprilis testati sunt se ex eo audisse Illustrissimus Cardinalis Bellarminus, & Illustrissimus Archiepiscopus Armacanus: qui etiam dixit se puniturum Parochum sibi subiectum, quem sciret tali negasse absolutionem: & hac de re scriptum testimonium sua manu subsignatum dedit R. P. nostro Prouinciali Francisco Florentino, & P. Leonardo Lessio tunc Romæ existentibus, & simile postea misit ad aliquos DD. Louanienses, quæ testimonia adhuc seruantur. 105 *Clem. VIII.* *Bellarm. Ill. Archiepisc. Armacanus.*

Dices, Eusebius Papa apud Burchardum lib. 18. cap. 11. dicit in tali casu sacerdotem debere otare super ægrum, oleo sancto eum vngere, & infundere ei Eucharistiam, nullam faciens mentionem absolutionis: ergo sentit hanc non posse impendi. 106 *Eusebius Papa.*

Resp. Primò, argumentum ab auctoritate negata nihil probare. Resp. Secundò, sub oratione comprehendi etiam absolutionem sacramentalem. Hanc enim Patres sæpe orationem vocant: vt patet ex D. Leone suprà citato, & ex ipso Eusebio, qui ibidem dicit tali nihil negandum quod pœnitentibus tribui solet, inter quæ præcipua est absolutio sacramentalis. Formas Sacramentorum Patres sæpè vocant orationes.

Ex his patet, sacerdotem tali casu non solùm posse, sed etiam teneri talem absoluere. Quia cùm hoc licitè possit facere, vel ex caritate, vel etiam ex iustitia, si ipsius pastor sit, ad hoc obligatur. Quod etiam verum est respectu eorum qui contrariam sententiam tenent. quia, cùm hanc sententiam possint in praxi tutò sequi, idque sit saluti moribundi valdè expediens aut etiam necessarium, si solùm sit attritus, ad hoc vel ex caritate vel etiam ex iustitia tenentur. Etiam auctores contrariæ sententiæ tenentur tales absoluere.

DVBIVM XI.

Vtrùm ad integritatem confessionis necesse sit aliqua peccata secundò confiteri?

CONCLVS. I. Qui confessus est peccata mortalia, à quibus vel nullo modo, vel solùm indirectè est absolutus (quod, vt ostendi disp. 6. dub. 5: variis modis potest contingere) necessariò debet proxima vice qua confitetur, ea secundò confiteri. Quia quicunque aliquod peccatum commisit, tam diu obligatur illud confiteri, donec ab eo directè sit absolutus. 107 Tam diu tenentur peccata mortalia confiteri donec ab iis directè absoluantur.

Vbi Nota, si is qui inualidè confessus est postea adeat alium confessarium, teneri ei singillatim omnia sua peccata confiteri eodem modo ac si nunquam ea fuisset confessus, vt omnes fatentur. quia hic nullo modo potest de eius statu ex priore confessione iudicare, vt per se patet. Quòd si verò eundem confessarium adeat, & hic adhuc habeat recentem memoriam illorum peccatorum; sufficiet ea vno verbo confiteri, dicendo se aliàs inualidè fuisse confessum ob talem aut talem defectum, & se de om- 108 Inualidè confessus potest eidē secundò vno verbo confiteri.

nibus iis dolere, eaque confiteri, quia hac ratione sufficienter sacerdoti omnia peccata explicantur, iuxta dicta disp. 4. n. 45.

109 Quid faciendum quando sacerdos est oblitus prioris confessionis. Suarez.

Quòd si confessarius oblitus sit eorum quæ in priore confessione dicta sunt, variant auctores an peccata debeant sigillatim repeti. Optima autem videtur doctrina P. Suarez disp. 22. sect. 6. n. 7. scilicet, si prior confessio fuerit secundùm se invalida ob defectum doloris in pœnitente, aut quia sacerdos non habebat vllam iurisdictionem in pœnitentem; cùm tunc prior confessio non potuerit esse sacramentalis, tota simpliciter est repetenda: quia non fuit sufficiens materia Sacramenti, & consequenter nunquam super ea cadere potest absolutio. Secùs est si fuerit ex se sufficiens & legitimè facta, sed sacerdos fuit oblitus absoluere; tunc sufficit quòd postea meminerit se talem tunc audiuisse confitentem, & iudicasse legitimè dispositum, ac pœnitentiam conuenientem iniunxisse, & quòd pœnitens dicat se ab eo tempore nihil graue commisisse, aut si aliquid commiserit, hoc confiteatur, & sic sacerdos eum poterit absoluere. Quòd si sacerdos priùs nullam pœnitentiam iniunxisset, nec sufficienter posset recordari status ipsius pœnitentis, vt posset conuenientem ei pœnitentiam iniungere; tunc vt licitè daretur absolutio, pœnitenti esset secundò confitendum. quia extra casum necessitatis, vt sacerdos possit licitè absoluere, debet talem habere cognitionem status pœnitentis, vt possit scire, quæ pœnitentia ei possit congruè iniungi.

Corollvs. II. Si spectemus præcisè institutionem huius Sacramenti, numquam requiritur vt secundò confiteamur ea peccata à quibus sumus semel directè integrè absoluti. Hanc expressè docet Benedictus x. 1. extrauag. 1. de priuileg. Et ratio est, quia, cùm semel de iis peccatis sit legitimè iudicatum, omnino huic tribunali est satisfactum, quod non aliter exigit ea sibi subiici, quàm vt possit de iis legitimè iudicare. 110 Semel, x. 1.

Dixi, *à quibus summ directè integrè absoluti.* Quia si sumus tantùm indirectè ab iis absoluti, vt quia erant casus reseruati: aut non integrè, vt si quis confiteatur ipsam substantiam peccati sine sua culpa omittendo eius circunstantiam necessariò confitendam, tenetur secundò ea peccata confiteri, iuxta dicta suprà num. 60. & 85.

Dixi etiam, *si spectemus præcisè institutionem huius Sacramenti.* quia potest aliunde occurrere necessitas talia peccata confitendi secundò; vt si quis vouerit, aut ex quodam quasi tacito pacto ad hoc obligetur: vt fit quando Superior suis subditis peregrinantibus dat facultatem aliis confitendi casus reseruatos, ea tamen conditione vt postea reuersi domum teneantur ea ipsi secundò confiteri. de quo agemus suo loco. Adferunt alij quidam varios alios casus, sed eos nulla ratione sufficienti probant, vt benè ostendit P. Suarez disputatione 22. sectione 7. Suarez.

DISPVTATIO VIII.

DE MINISTRO HVIVS SACRAMENTI.

DVBIVM I.

Vtrùm solus sacerdos sit minister huius Sacramenti?

1 Wiclef. Valdenses. Trident. Wiclef olim docuit sacerdotem non esse necessarium ministrum huius Sacramenti, vt testatur Vvaldensis tom. 2. cap. 135. quem quidam ex recentioribus hæreticis secuti sunt, vt etiam colligitur ex Trident. sess. 14. cap. 6. & can. 10. Horum autem fundamentum est, quia ipsi negant ministrum huius Sacramenti aliter remittere peccata, quàm excitando in aliis fidem. quod æquè laïci ac sacerdotes facere possunt. Sed hoc fundamentum satis refutaui disp. 4. dub. 2.

Magistri. Quidam verò Catholici secuti Magistrum in 4. dist. 17. art. 3. etsi concesserint solum sacerdotem esse ministrum huius Sacramenti, putarunt tamen in necessitate absente sacerdote peccatorem teneri confiteri laïco.

2 Solus sacerdos potest conferre hoc Sacramentum. Florent. Trident. Ioan. 20. Conc. I. Iure diuino solus sacerdos potest esse minister huius Sacramenti. Ita Florentinum in litteris Eugenij, & Trident. sess. 14. cap. 6. & can. 10. Vbi docet illa verba Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata,* &c. solis sacerdotibus esse dicta. atque iis solis hanc potestatem esse datam.

Probatur Primò, quia hoc apertè ex factis Christi ibidem colligitur. Nam antequàm Apostolis ea verba diceret insufflans in eos dixit, *Accipite Spiritum,* & statim subiunxit: *Quorum remiseritis,* &c. clarè insinuans illis solis hanc potestatem concedi, qui ad eam exercendam singulariter Spiritum sanctum acciperent, siue se iis solis hæc verba dicere, qui per singularem ordinationem ad hoc Spiritus sancti gratiam acciperent. Tales autem sunt soli sacerdotes, quibus ea verba in ordinatione dicuntur.

Probatur Secundò, quia hic fuit semper totius Ecclesiæ sensus, vt patet tum ex antiquissimis ritualibus, in quibus ea verba in solius sacerdotis ordinatione dicuntur: tum etiam ex antiquissimis Patribus, qui solis sacerdotibus hanc potestatem tribuunt: vt ex eorum verbis satis ostendi disp. 4. dub. 2. Vnde iuxta regulam D. Augustini lib. 4. de baptis. cap. 24. clarè concluditur, hanc doctrinam ab ipso Christo per Apostolos nobis fuisse traditam, donec hæretici clarè ostendant quando ea in Ecclesia esse cœperit. D. Aug.

Ratio autem huius à priore est voluntas & institutio Christi. Conuenientia est, quia, vt sæpiùs dixi suprà, in hoc Sacramento potestas omnino supernaturalis exercetur, & eius minister immediatè sustinet personam Dei, eiusque loco exercet summum hoc iudicium, in quo discernit quinam sint absoluendi, qui non. Nullo autem modo decuit & amplissimam hanc potestatem, & grauissimum iudicium 3

cuiuis

cuiuis ex plebe committi, aut vlli alteri præterquam iis, qui ad hoc essent singulariter electi & consecrati. Et confirm. quia olim soli sacerdotes poterant iuridicè iudicare inter lepram & lepram, quo apertè fuit adumbratum hoc iudicium quod in hoc Sacramento exercetur, & significatum hoc solis sacerdotibus committendum esse: vt inter alios docet D. Hieron. in Matth. 16.

D. Hieron.

4 Nunquam validè hoc Sacramentum cõfert qui non est sacerdos. *Florentin. Trident.*

CONCLVSIO II. Ecclesia in nulla necessitate potest dispensare vt aliquis non sacerdos sacramentaliter absoluat. Et communis omnium Catholicorum, & apertè colligitur ex Florentino & Tridentino suprà, vbi absolutè & simpliciter docent ex institutione Christi solos sacerdotes esse ministros huius Sacramenti. quæ autem ex institutione Christi sunt, Ecclesia mutare non potest. Vnde etiam Florent. dum ministrum huius Sacramenti absolutè docet esse sacerdotem, & ministrum Confirmationis ordinarium esse Episcopum, & ex dispensatione Pontificis sacerdotem; clarè insinuat, ministrum huius Sacramenti ita esse sacerdotem, vt per nullam humanam dispensationem fieri possit, vt alius hoc validè ministret.

5 *D. Cyprian.*

Dices, c. *Fures.* de furtis. dicitur, si fures comprehensi presbytero aut diacono confessi fuerint, communionem iis dandam esse. Item D. Cyprianus lib. 3. epist. 17. absente presbytero committit absolutionem lapsorum cuidam diacono: ergo diaconi aliquando sacramentaliter absoluerunt.

Resp. negando consequentiam: quia in c. *Fures.* non dicitur talem diaconum posse talem sacramentaliter absoluere, sed posse audire eius confessionem, vt iudicet an verè sit contritus, & dignus cui communio detur. quam tunc temporis sæpe absente sacerdote diaconi administrabant. Cyprianus autem apertè loquitur non de absolutione sacramentali; sed de ea qua publicè pœnitentes recipiebantur in communionem Ecclesiæ, vt possent cum aliis rebus diuinis interesse, & Sacramenta suscipere.

6 Non tenemur alteri quàm sacerdoti confiteri. *Trident.*

CONCLVSIO III. Nunquam aliquis ad remissionem peccati sui recipiendam tenetur alteri quàm sacerdoti confiteri. Est iam ferè communis DD. Et probatur, quia iure diuino non tenemur vlli confiteri, nisi qui possit nos sacramentaliter absoluere, qui est solus sacerdos: nec Ecclesia vllibi confessionem præcipit, nisi in ordine ad susceptionem huius Sacramenti, nec aliam præcipit, nisi ad quam iure diuino tenebamur: vt Trident. sess. 14. cap. 5. ergo nullo iure ad aliam tenemur.

Soto. Scotus.

Imò Soto d. 18. q. 4. art. 1. §. *Sed si quis.* secutus Scotum d. 17. a. 2. docet, iam nullo modo esse suadendum vt quis laïco confiteatur: quia hoc communiter fit cum aliquo periculo, & sine fructu. quod credo communiter esse verum, præsertim loquendo de integra confessione: aut de ea quæ fit eo solo fine vt hoc modo faciliùs impetremus peccatorum veniam. quia hanc per internam contritionem, & alia opera humilitatis, & generaliter confitendo nos esse peccatores, possumus sufficienter impetrare. Posset tamen quandoque fieri vt alicui omnino suadendum esset laïco prudenti & secreto aperire aliqua peccata, quando hoc esset necessarium, vt peccator posset per eum consilio, vel operâ, in aliqua re magni momenti iuuari, aut graui periculo eripi, quod aliàs non posset euadere. Quacunque tamen ratione aliquis laïco sciens esse talem, fuerit confessus, hic nullo modo tenebitur obligatione sigilli, quæ ex ea sola confessione nascitur, quæ saltem secundùm externam apparentiam est sacramentalis, vt suo loco dicemus.

DVBIVM II.

Qua ratione in ministro huius Sacramenti requiratur iurisdictio?

DVæ hîc sunt sententiæ. Prima docet potestatem iurisdictionis in hoc Sacramento non distingui à potestate ordinis: atque ita vtramque simul accipi in ordinatione. Auctores tamen huius sententiæ tripliciter eam explicant. Quidam enim dicunt quemuis sacerdotem omnino completam iurisdictionem accipere in sui ordinatione, atque adeò validè quemuis legitimè dispositum absoluere, licet illicitè ob Ecclesiæ prohibitionem. Probant Primò, quia potestas absoluendi à peccatis in hoc Sacramento, est intrinsecè potestas iudicialis, & consequenter potestas iurisdictionis: atqui illa datur in ordinatione: ergo etiam datur potestas iurisdictionis. Secundò, quia si potestas iurisdictionis necessaria huic Sacramento deberet dari ab homine, nemo posset Papam absoluere. Quia neque ipse Papa, neque vllus alius potest dare alteri iurisdictionem in Papam: quia hoc pertinet ad superiorem, nemo autem est Papa superior. Tertiò, quia aliàs in articulo mortis non posset quilibet absolui à quolibet sacerdote: quod pater esse falsum. Quartò, quia cap. *Placuit.* de pœnitentia, d. 6. ait Vrbanus II. *Placuit vt deinceps nulli sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad pœnitentiam suscipere sine eius consensu, cui prius se commisit.* ergo priùs licuit cuilibet quemuis ad pœnitentiam suscipere. Hanc sententiam docet Armacanus l. 11. quæst. Armenicarum c. 4. Et probabilem putat Durand. in 4. d. 19. q. 2. art. 1. Sed hæc sententia nullo modo iam potest defendi. Repugnat enim apertè Trident. sess. 14. c. 7. in fine. vbi expressè docet inferiores sacerdotes nihil posse efficere in casibus reseruatis, clarè ostendens, eos inualidè ab his absoluere.

7 *Vrbanus II.* *Armacan.* *Durand.* *Trident.*

8 *Nauarrus.*

Secundò, alij docent, sacerdotes in sui ordinatione accipere quidem iurisdictionem habitualem, non tamen talem ita vt validè absoluere possint, Ecclesia id sua prohibitione impediente. Ita Nauarr. in Summa c. 4. nu. 3. & c. 27. n. 59. Sed hi auctores non loquuntur satis consequenter. Nam si quuis sacerdos iure diuino habeat sufficientem potestatem, vt actu possit ab omnibus peccatis absoluere; Ecclesia sua prohibitione poterit quidem efficere vt illicitè absoluat, non tamen vt inualidè, modò pœnitens sit ritè dispositus. Sicut nulla sua prohibitione potest efficere, vt Episcopus aliquem inualidè ordinet aut confirmet.

9 *Angelus.* *D. Antonin.*

Tertiò, alij docent, sacerdotes in sui ordinatione accipere quidem potestatem iurisdictionis, sed quæ etiam seclusa omni Ecclesiæ prohibitione non possit exire in actum ob defectum materiæ. Nam vt quis exerceat actum iurisdictionis, non sufficit quòd hanc habeat, sed necessarium etiam est vt habeat subditos; quos necessariò debet habere per Ecclesiam. quia Christus hoc Sacramentum ita instituit, vt nemo sine auctoritate Ecclesiæ possit se alteri subiicere. Ita Angelus v. *Confessio* 3. nu. 4. D. Antonin. 3. p. tit. 17. c. 4. in tertio casu, & alij.

Medina. *Soto.* *Suarez.*

Secunda siue quarta sent. quam infrà probabimus, docet, potestatem Ordinis quam solam sacerdotis in sui ordinatione accipit, esse distinctam à potestate iurisdictionis, quam postea à Prælatis Ecclesiæ accipit. Ita Medina codde pœnit. tract. 2. q. 35. concl. 3. Soto in 4. d. 18. q. 4. a. 2. ad 3. Suarez disp. 16. sect. 3. n. 7. Ex quibus patet hîc propriè esse 4. sententias. Nam prima dividitur in tres: ex quibus cum duas refutauerimus, restant nobis sola tertia & quarta discutiendæ.

10 Iurisdictio iure diuino necessaria.

CONCLVSIO I. Iure diuino in ministro huius Sacramenti requiritur iurisdictio, vt validè à peccatis absoluat. Hanc conclusionem sic generatim communiter DD. concedunt. Et expresè colligitur ex Florentino in litteris Eugenij, vbi docet, Ministrum huius Sacramenti esse sacerdotem habentem auctoritatem absoluendi ordinariam vel delegatam. Vbi cùm explicet ea quæ iure diuino ad essentiam Sacramentorum requirantur; apertè docet hanc auctoritatem siue potestatem iurisdictionis requiri iure diuino. Satis apertè idem docet Trident. sess. 14. cap. 5. vbi docet absolutionem à peccatis ex institutione Christi esse actum iudicialem: ad hunc autem necessariò requiritur iurisdictio. Vnde cap. 7. ex eo quòd natura & ratio iudicij postulet vt sententia in subditos feratur, docet ad hanc sententiam ferendam ita necessariam esse iurisdictionem, vt sine ea inualidè feratur. Vnde apertè sequitur, hanc necessitatem sequi ex ipsa natura & institutione Sacramenti. Hinc etiam cap. *Si Episcopus.* de pœnitentia & remissione, in 6. dicitur nulla consuetudine posse induci, siue præscribi, vt quis sine licentia Superioris possit sibi confessarium eligere. quia nimirum contra ius diuinum nulla consuetudo aut præscriptio potest præualere. Ex quo etiam clarè prima & secunda sententia refutantur: quia si, quòd quilibet sacerdos non possit quemliber absoluere, oriretur ex solo iure humano, posset contra illud præscribi. quia secundùm veriorem sententiam contra omne ius humanum præscribi potest: vt patet ex cap. vlt. de consuetudine.

Florentin. *Trident.* Non datur præscriptio contra ius diuinum. Secùs est de iure humano.

11 CONCLVSIO II. Etsi tertia sententia magis fortè in modo loquendi quàm in re à quarta differat; hæc tamen tum Conciliorum, tum etiam communi modo loquendi est conformior, atque ita verior & tenenda. Patet Primò, quia Tridentinum & Florentinum suprà distinguunt hanc potestatem iurisdictionis in ordinariam & delegatam: vbi clarè ostendunt hanc ipsam potestatem omnino posse delegari. quod esset falsum, si esset eadem, & simul conferretur cum potestate Ordinis. quia hæc nullo modo delegari potest. Quòd si dicas Concilia minùs propriè loqui, præterquam quòd hoc non sit facilè admittendum in rebus dogmaticis; hoc ipso concedes, nostrum modum loquendi esse magis conformem modo loquendi Conciliorum, quæ eodem modo ac nos loquuntur. Probatur Secundò, quia iurisdictio est essentialiter superioritas. atque ita intrinsecè & essentialiter dicit respectum ad subditos. vnde fit, vt non magis possit aliquis habere iurisdictionem, & tamen non habere subditos; quàm possit esse dominus, & non habere seruum: atqui secundùm tertiam sententiam sacerdos per suam ordinationem nullos acquirit subditos: ergo nec acquirit iurisdictionem. Item Ecclesia ei postea verè dat subditos, ergo etiam dat iurisdictionem. quia hæc omnino eadem sunt: sicut eadem sunt dare alicui mancipium, & efficere eum huius dominum.

Florentin. *Trident.* Iurisdictio dicit essentialiter respectum ad subditos.

12 Ad Primum argumentum contrarium Resp. maiorem esse tantùm veram respectu potestatis omnino completæ, & potentis exire in actum secundum, quam sacerdotes non accipiunt in sui ordinatione, sed solùm incompletam, quæ postea per potestatem iurisdictionis, quam ab Ecclesia accipiunt, completur. Sicut qui post sufficiens studium Iuris fiunt Licentiati aut Doctores, habent potestatem iudicandi de rebus controuersis in Iure, sed incompletam, donec accepta potestate iurisdictionis alicubi iudices constituantur.

13 Dices Primò, hinc sequi pœnitentes dare confessariis iurisdictionem. quia hi non possunt in eos exercere iudicium nisi iis confitendo se subiecerint. quod maximè verum est respectu Religiosorum priuilegiatorum, quibus pœnitentes nullo modo sunt subiecti antequam iis confiteantur.

Resp. negando hoc sequi. Ad probationem Resp. hoc non prouenire ex defectu iurisdictionis, sed ex defectu materiæ, circa quam talis actus debet versari, quæ priùs necessariò per confessionem debet applicari. Simili modo nec iudex in foro externo potest in aliquem ferre sententiam, nisi sit actor, qui causam ad eum deferat, non defectus potestatis, sed defectu materiæ. Quare pœnitentes propriè non aliter se subiiciunt iurisdictioni confessarij aut claubus Ecclesiæ, quàm dando illi materiam circa quam iudicium exerceat. quare ipsi pœnitentes dicuntur propriè applicare materiam potestati iurisdictionis, vt possit exire in actum: Ecclesia autem non applicat materiam, sed dat iurisdictionem: quam quoad hoc forum verè habent Religiosi priuilegiati in omnes Christi fideles. Vnde etiam hos habent aliqua ratione subditos etiam ante confessionem, per quam confitentes non fiunt subditi, sed materiam applicant.

Religiosi priuilegiati habent iurisdictionem in omnes Christianos.

Nec refert quòd Religiosi non possint eos cogere vt sibi confiteantur. quia inde solùm sequitur, quòd non habeant iurisdictionem necessariam sed liberam.

Dices Secundò, Hinc sequitur potestatem remittendi peccata dari partialiter ab homine: atqui hoc est absurdum. Nam potestas ita supernaturalis non potest dari nisi à solo Deo, qui solus potest remittere peccata: ergo, &c.

Resp. Primò, hanc potestatem etiam quoad hoc complementum dari absolutè à Deo, sed mediante opera hominis, quo Deus ad hoc tanquam instrumento vtitur. Nec hoc absurdum est: cùm etiam potestatem Ordinis Deus det ministerio hominis ordinantis, & sicut non est absurdum, hominem vt instrumentum Dei remittere peccata: ita non est absurdum, ipsum eadem ratione conferre alteri potestatem remittendi peccata.

Resp. Secundò, propriè loquendo totam potestatem remittendi peccata quoad substantialia conferri in ordinatione: & conferentem iurisdictionem tantùm eam complere quasi extrinsecè, apponendo ei aliquam conditionem ex institutione Christi requisitam vt possit exire in actum. Quia remittere peccata absolutè & generatim loquendo, non dicit actum iurisdictionis; sed solùm illa remissio, quæ exercetur per modum iudicij, vt sit de facto in Sacramento confessionis. vnde si Christus non instituisset hoc Sacramentum conferri iudicialiter; potuisset conferri non subditis & sine vlla iurisdictione. Sed quia Christus voluit hanc remissionem fieri iudicialiter; ratione huius modi quo necessariò exerceri debet, necessariò est actus iurisdictionis & hac ratione iurisdictio complet potestatem in ordinatione acceptam, reddendo eam expeditam exire in actum secundum.

14 Potest aliquis aliquâ iurisdictionem in seipsum exercere.

Ad Secundum, nego assumptum. Quia actum iurisdictionis qui exercetur immediatè nomine Dei, potest quis ratione sui muneris subeundo diuersam personam in seipsum exercere; maximè quando non agitur de iurisdictione coactiua sed libera: qualis est ea qua Pontifex se vt priuatum hominem suo confessario in hoc foro voluntariè subiicit. quod facit propriè tanquam Vicarius Christi, eiúsque personam immediatè sustinens: qua ratione habet iurisdictionem in omnes Christi fideles, atque ita aliquo modo in seipsum, quatenus est etiam ouis, & quatenus hoc est necessarium, vt possit etiam communibus pascuis, & Sacramentorum vsu cum aliis frui.

Nec hinc sequitur, Pontificem posse seipsum absoluere à peccatis. quia omnia Sacramenta præter Vener.

Eucharistiam & matrimonium, ita à Christo sunt instituta, vt essentialiter requirant, vt conferens sit persona distincta à suscipiente. Et in hoc Sacramento maxima est ratio. quia nullo modo erat conueniens, vt vnus & idem simul esset reus, accusator, & iudex.

Ad Tertium, nego assumptum. quia hoc fit ex concessione Ecclesiæ, vt mox videbimus.

Ad Quartum, nego consequentiam. Quia illo capite solùm decernitur, ne aliquis ex iis qui agunt solemnem pœnitentiam (de his enim ibi solùm agitur) postquam commissus est vni sacerdoti, vt eam eius iudicio agat, possit sine huius licentia alteri se committere in eadem causa, nisi in casu in quo sacerdos cui primò se commisisset, iniunxisset ei aliquid in quo appareret intolerabilis error (quem hic vocat ignorantiam.) Tunc enim tali conceditur, vt alteri sacerdoti, non cuicunque, sed habenti in eum veram iurisdictionem, possit se committere. Quod vel inde patet. quia non dicitur ibi, quòd non possit confiteri alteri sine licentia eius cui à Superioribus fuit commissus, siue qui ei datus est Parochus, sed sine licentia eius cui se commisit, siue quem sponte confessionis causa adiit.

15 *In periculo mortis quiuis sacerdos potest quemuis absolucre. Henriquez. Nauarr. Siluester. Paludan. Medina. Tridens.*

Conclvsio III. Quiuis sacerdos etiam excommunicatus, aut degradatus, absentibus iis qui ægrum aliàs audire possent, ex concessione Ecclesiæ habet sufficientem iurisdictionem, vt quemuis in articulo, siue probabiliter imminenti periculo mortis constitutum possit absoluere ab omnibus casibus. Ita Henriquez l.6.c.11. Nauar.c.26.n.3. Siluest.v. *Confessor.* 1. qu.6.casu 7. Palud. d. 20. qu. 1. art. 2. concl. 3. Medina de pœnitentia tract. 2. quæst. 18. sub finem. Colligitur apertè ex Trident. sess. 14. c. 7. vbi agens de illo articulo, ait, Omnes sacerdotes quoslibet fideles à quibuslibet peccatis & censuris absoluere possunt. Vbi Concilium ponit tria signa vniuersalia, scilicet *Omnes, quoslibet, & à quibuslibet.* atqui, vt omnes fatentur, secundum & tertium accipiuntur omnino vniuersaliter sine vlla exceptione: ergo etiam primum, quia Concilium eodem modo omnia tria ponit. Et ratio est, quia decuit Ecclesiæ pietatem, ne quem filium cupientem se ad Deum conuertere, sineret defectu confessarij sine Sacramento mori cum periculo salutis, cui dando talem licentiam facilè posset subuenire.

16 *Illud intelligo, quãdo desunt alij, qui iurisdictionem habent.*

Nota Primò, quando adest proprius sacerdos sine eius licentia non posse alium accipi, qui nullam habet iurisdictionem. Idémque credo dicendum (quamquam alij contrarium sentiant,) quando adest aliquis qui ex priuilegio habet iurisdictionem, scilicet tunc non posse eum accipi, qui extra eum casum nullam iurisdictionem habet. Nam quòd talibus tunc detur iurisdictio, solùm fit ratione necessitatis ipsius moribundi, quæ, quando priuilegiatus adest, nulla est. Suarez disp. 26. sect. 4. num. 4. Reginald. in praxi lib. 1. num. 61.

Suarez. Reginald.

Periculum & articulus mortis non distinguuntur. Soto. Palud. Couarr. Henriquez. Sà. D. Anton. Angelus. Stephanus. Bruleser.

Nota Secundò, aliquos hîc putare esse distinguendum inter articulum & probabile periculum mortis hîc & nunc imminentis. Ita Sotus d. 18. q. 4. art. 4. Palud. d. 17. q. 2. concl. 3. §. *Tertius casus.* Couarr. c. *Alma.* p. 1. §. 11. nu. 18. vers. *Quod si mortuus.* Sed meliùs alij hoc negant. quia ius ea confundit: vt patet ex cap. *Eos qui.* 22. de sententia excommunicationis, in 6. Henriquez l. 3. de pœnit. c. 11. n. 3. Sà v. *Absolutio* n. 3. D. Antonin. 3. p. tit. 24. cap. 4. §. 7. Angel. verb. *Confessio.* 3. §. 2. Stephanus Brulefer in 4. d. 19. q. 5. casu 5.

Pœnitens in articulo mortis absolvitur ab omnibus

Nota Tertiò, pœnitentem tunc absolui directè ab omnibus peccatis quæ confitetur. quare etsi conualescat, non tenetur ea secundò confiteri. Si tamen fuerit absolutus à censuris reseruatis ab eo qui aliàs eum non poterat absoluere, tenetur se postea sistere ei qui eum aliàs absoluere poterat: vt latiùs dicam disp. 14. num. 235.

confessis directè.

Nota Quartò, quæ hactenus dicta sunt, præcipuè procedere circa peccata mortalia, à quibus nondum sumus directè absoluti. Nam circa venialia, aut peccata mortalia à quibus semel directè absoluti est particularis difficultas, quam fusè disputant Medina de pœnitentia tract. 2. q. 36. Suarez disp. 26. sect. 5. P. Valentia disp. 7. qu. 10. puncto 2. paulo ante finem. de qua etiam diuersas sententias citat Henriquez lib. 6. c. 5. n. 4. & 8. Qua in re communiter DD. consentiunt quemliber sacerdotem nulla censura impeditum posse ab his peccatis validè absoluere; disputant tamen quo iure id fiat: quidam enim putant id fieri iure diuino. Sed meliùs auctores citati suprà id dicunt fieri per concessionem Ecclesiæ. Et probatur, quia Ecclesia potest sua prohibitione efficere vt tales inualidè ab iis absoluant, subtrahendo iis iurisdictionem necessariam; vt de facto eam subtrahit excommunicatis non toleratis ac degradatis. Illud autem esset falsum si haberent eam iurisdictionem iure diuino. quia etsi posset tunc efficere vt illicitè absoluerent, non tamen posset efficere, vt inualidè absoluerent pœnitentem benè dispositum.

17 *Medina. Suarez. Valentia. Henriquez. Quilibet sacerdos non impeditus validè ab absoluit à venialibus; itaque iure Ecclesiastico.*

DVBIVM III.

Qua ratione in hoc foro acquiratur iurisdictio ordinaria?

18 *Quænã sit iurisdictio ordinaria, quæ delegata.*

Nota Primò, iurisdictionem aliam esse ordinariam, quæ alicui competit ratione officij quo fungitur: aliam delegatam, quam quis habet ratione concessionis factæ ab eo qui ordinariam habet.

Pontifex habet iurisdictionem iure diuino.

Nota Secundò, certum esse inter omnes, summum Pontificem habere iure diuino ordinariam & amplissimam iurisdictionem in omnes fideles, quam ei statim vt legitimè electus est, ipse Christus per se immediatè confert. Vnde fit vt per Ecclesiam hæc ei nullo modo auferri, aut in eo restringi possit.

Petr. Soto. Cajetan. Medina. Paludan. Durand. Valentia. Henriquez.

Difficultas autem est, an Episcopi suam iurisdictionem habeant iure diuino. Quidam enim hoc affirmant. Ita Petrus Soto de confess. lect. 5. Contrà verò alij volunt eos eam habere iure Ecclesiastico. Ita Cajetan. tom. 1. opusc. tract. 1. cap. 2. sub finem. Medina tract. 2. de pœnitentia q. 35. concl. 4. Palud. in 4. d. 24. q. 6. ar. 1. & Durand. ibid. q. 5. art. 1. P. Valentia disp. 7. q. 16. puncto 3. assert. 3. Henriquez l. 6. c. 5. n. 5. Vtres autem clariùs elucescat, ponam aliquot conclusiones sequentes.

19 *Act. 20.*

Conclvsio I. Potestas Ordinis Episcopalis, & dignitas eam consequens sunt iuris diuini, & ex institutione Christi, qui & Sacramentum instituit quo Episcopi ordinantur, vt dicemus suo loco, & voluit Ecclesiam per Episcopos regi. Quò pertinet illud Apostoli Actor. 20. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Dicit enim eos positos esse à Spiritu sancto quia eius gratia ordinati sunt, & ex Dei ordinatione Episcopi sunt constituti. Nec refert quòd ij, quibus D. Paulus ibi loquitur, non fuerint omnes veri Episcopi, quia saltem vnus inter eos erat verus Episcopus, ratione cuius hæc verba in alios conueniebant, quatenus simul cum eo Ecclesiam gubernabant. Confirm. quia Ioan. 20. Christus ait Apostolis, quibus Episcopi succedunt, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; scilicet cum potestate gubernandi Ecclesiam. Hinc sequitur, Ecclesiam & consequenter Pontificem iure diuino teneri certis locis Episcopos constituere, qui plebem sibi commissam regant, & dare iis iurisdictionem necessariam, vt suos subditos competenter regere possint.

Ioan. 20.

20 Conc. 11. Nullus Episcopus ex suâ ordinatione præcisè habet vllam iurisdictionem, aut aliquos subditos. Patet, quia multi sunt Episcopi merè titulares, qui nullos subditos habent, & consequenter nec vllam iurisdictionem, quæ sine subditis esse non potest. Et idem est de Episcopis iis, qui absolutè suo Episcopatu priuantur, aut cum venia Pontificis ei absolutè renuntiant. Et hi tamen omnes sunt veri Episcopi quoad Ordinem eiúsque potestatem.

Conclvsio III. Quòd hic sit Episcopus huius vel illius loci, aut quòd habeat tantam vel tantam diœcesim, aut tam paruam, aut tam magnam iurisdictionem, pendet à iure humano.

Probatur, quia si haberet hæc à iure diuino, non possent ei per ius humanum auferri, aut minui: vt patet in summo Pontifice, cuius iurisdictionem nullus homo potest minuere: atqui Pontifex potest minuere iurisdictionem aliorum Episcoporum, atque adeò ex iusta causa eos priuare omni iurisdictione: ergo hanc ab eo habent. Deinde sequitur etiam ex secunda conclus. quia, cùm possint ordinari Episcopi sine vllis subditis, aut iurisdictione, non possunt hæc habere iure diuino, cùm nihil iis competat præcisè ex iure diuino, nisi quod habent ex vi ordinationis.

Episcopis solùm cõperit iure diuino id quod habet ex vi suæ ordinationis.

Conclvsio IV. Hoc ipso quo aliquis legitimè constituitur alicuius loci Episcopus, accipit iurisdictionem *in eos omnes qui in eius diœcesi commorantur.* Sicut etiam parochus hoc ipso quo talis legitimè constituitur, accipit iurisdictionem ad hoc officium requisitam in eos omnes, qui in eius parochia commorantur. Excipe tamen eos qui legitimè ab eorum iurisdictione exempti sunt.

Nota, Archiepiscopum non habere iurisdictionem in subditos Episcoporum sibi subditorum, nec posse eorum confessiones audire nisi dum visitat; vt habetur c. vlt. de censibus, in 6. Quo tempore ex officio comperit ei iurisdictio, atque ita eam delegare potest, vt docet P. Suarez disput. 25. sect. 1. num. 14. Similiter quoad forum externum habet in eosdem iurisdictionem, dum ad eum fuerit prouocatum; vt habetur cap. *Venerabilibus.* 7. de sententia excommunic. in 6.

Suarez.

Et in hanc concl. omnes consentiunt. Solùm est aliqua difficultas, quinam quoad hunc effectum dicantur in alicuius diœcesi aut parochia commorari? Quidam enim volunt eos ibi solos commorari, qui in ea habent domicilium, siue qui in ea habitant animo perpetuò ibidem manendi. Ita Glossa in cap. *Is qui.* de sepulturis, in 6. versu, *Nota quòd secundo.* quam aliqui alij sequuntur.

21 Quinam dicantur in alicuius parochia commorari.

Sed verior & communior est sententia, sufficere ad hunc effectum, vt quis maiore parte anni in aliquo loco habitet, etsi non habeat animum perpetuò manendi, vt faciunt studiosi in Vniuersitatibus, milites in præsidiis, &c. Ita Angelus verf. *Domicilium.* & Siluester v. *Parochia.* in fine. Tabiena ibid. quæst. 2. num. 3. Suarez disp. 25. sect. 2. nu. 6. Sanchius lib. 5. de matrim. disp. 23. n. 12. & 13. vbi id multis citatis & variis rationibus probat.

Angelus. Siluester. Tabiena. Suarez. Sanchez.

Ex quibus patet, tales posse prout voluerint confiteri, vel Pastori loci in quo habitant, vel eius in quo domicilium habent; eodem planè modo ac quanquis habet domicilium in duabus parochiis. Tunc enim potest confiteri vtrique Pastori prout voluerit, vt cum aliis docet Suarez suprà n. 5.

Studiosi possunt Pastori loci, vel suo confiteri.

Suarez.

22 Conc. v. Potest Episcopus vel Pastor audire confessionem sui subditi etiam extra suam diœcesin vel parochiam. Ita Siluester v. *Confessor.* 1. qu. 14. Victoria n. 151. Soto d. 18. q. 4. art. 3. §. *Alius verò dubium.* Suarez disp. 25. n. 17. Ratio est, quia iurisdictio voluntaria, quæ fit sine strepitu, potest etiam extra territorium exerceri: vt patet expressè l. 2. ff. de officio Proconsulis. Et pluribus docet Sanchius l. 3. de matrim. disp. 19. n. 8.

Siluester. Victoria. Soto. Suarez.

Iurisdictio voluntaria, potest extra territorium exerceri. Sanchez.

Nota, aliquos putare, quòd, sicut iuxta c. vlt. de foro competenti, in foro externo aliquis fit subditus ratione delicti in aliquo territorio commissi; similiter fiat in hoc foro. Sed hoc nullo iure probatur: & inde sequeretur, quòd is qui peccasset in aliena parochia, posset Pastori ipsius confiteri. quod nullo modo probabile est. Quare communiter alij contrarium tenent. Vide Siluest. v. *Confessor.* 1. q. 13. concl. 6.

Siluester.

Conclvsio VI. Qui habet solùm titulum coloratum, etsi propriè loquendo non habeat habitualem iurisdictionem, validè tamen absoluit, Ecclesia ob commune bonum eius defectum supplente, conferendo ei quodammodo actualem iurisdictionem ad singulos eius actus. Patet ex l. *Barbarius.* ff. de officio Prætoris. quo iure etiam Ecclesia vtitur. Ita tamen absoluens, si huius defectus sit conscius peccat vsurpatione alienæ iurisdictionis, quia propriam non habet.

Habens titulum coloratum validè absoluit, sed illicitè.

Dicitur autem habere titulum coloratum, cui aliquod officium *habens curam animarum* collatum est invalidè ob occultum defectum: aut qui simili modo ab aliquo Pastore in Vicarium, aut coadiutorem ad audiendas confessiones assumptus est. Vide P. Leſſium de Iustitia c. 26. dub. 6.

Titulus coloratus quis sit?

Lessius.

DVBIVM IV.

Quinam possint delegare iurisdictionem?

23 Conclvsio I. Ij omnes possunt hanc iurisdictionem delegare, qui eam habent ordinariam: vt patet cap. *Cùm Episcopus.* de officio Ordinarij, in 6. *Sub his autem comprehenditur Vicarius Episcopi*: vt docet Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 29. nu. 15. Contrà verò qui habet solam delegatam, non potest eam subdelegare, nisi sit legatus summi Principis, qualis in rebus sacris est solus summus Pontifex. Patet cap. *Cùm causam.* 62. de appellationibus. Ratio est, quia Ordinarius habet iurisdictionem propriam & officio omnino commensam: quare potest eam exercere omni modo quo officium eam exerceri postulat. Legato verò non committitur ipsum officium sed solùm aliqua ipsius pars, atque ita habet iurisdictionem restrictam ad certam functionem, v. c. ad ferendum iudicium, ad hæc vel illa Sacramenta administranda: & consequenter non potest ea iurisdictione aliter vti nisi ei expressè concedatur. Legato autem summi Principis conceditur vt possit subdelegare, aliis non.

Sanchez.

Solus legatus summi Principis potest subdelegare.

24 Plurimi tamen, quos citat P. Sanchius lib. 3. de matrim. disp. 31. nu. 2. docent omnem delegarum ad vniuersitatem causarum, (v. c. cui data est potestas ad iudicandum de omnibus causis talis vel talis generis, vel quæ tali loco occurrent) posse subdelegare. Probant hoc ex l. 1. §. *Ab eo.* ff. Quis & à quo. Sed in hac lege nullum video fundamentum, in quo hæc sententia fundari possit. Melior pro hac re textus est l. *Legatus.* 12. ff. de officio Proconsulis: vt dicitur, *Legatus mandata sibi iurisdictione iudicis dandi ius habet.* vbi videtur esse sermo non delegato Principis, sed Proconsulis. Et clariùs leg. *Cùm prætor.* 12. ff. de iudiciis. vbi dicitur, *Is quoque, cui mandata est iurisdictio, iudicem dare potest.*

Sanchez.

Sed hæc sententia habet graues difficultates. Primò, quia apertè videtur contradicere capiti *Cùm causam.* suprà citato, & legi *A iudice.* 5. C. de iudiciis: vbi expressè dicitur hoc solùm competere delegato summi Pontificis aut Principis. Secundò, quia omnes Religiosi, qui ex priuilegio possunt audire omnium

fidelium confessionem, sunt delegati ad vniuersitatem causarum, & tamen non possunt subdelegare. Idem dicendum de Sacellanis aut aliis presbyteris, quos Pastores sibi assumunt vt ipsos iuuent in audiendis suorum confessionibus, qui nullo modo possunt subdelegare. Quare Decius in cap. *Cùm causam.* citato. & Curtius in l. *More.* ff. de iurisdictione omnium iudicum, apertè negant aliquem delegatum posse subdelegare, excepto delegato Principis. Sed hoc dicendo oportet expressè negare leges suprà citatas. quod & durum est, & in quibusdam repugnat praxi.

Decius. Curtius.

25 Pro horum explicatione Nota, dupliciter alicui posse delegari iurisdictionem. Primò, ita vt delegetur ei immediatè certa iurisdictio, siue certum exercitium talis iurisdictionis, v. c. potestas audiendi confessiones, iudicandi de talibus aut talibus causis, aut etiam excommunicandi eos qui nolunt obedire. Secundò, vt committatur alicui immediatè vicarium aliquod officium cui annexa est iurisdictio: vt fit quando alicui committitur, etiam ad certum tantùm tempus vicarium officium Pastoris absentis, aut vicaria gubernatio vrbis, &c. His positis sit.

26 Qui delegati possint subdelegare.

Conclvsio II. Quibus priore modo iurisdictio delegatur, nullo modo possunt eam subdelegare, nisi hoc singulariter iis concedatur. Patet, quia conceditur iis iurisdictio adsticta ad certum exercitium, v. c. ad audiendas confessiones, à quo exercitio distinctum est illud quo alteri iurisdictio delegatur. quare cùm hoc iis non concedatur, hoc facere non possunt. Quod verum est siue iis delegetur vniuersitas causarum, v. c. vt possint audire omnium confessiones, qui sunt in tali oppido; siue solùm aliquorum in particulari, v. c. vt audiant confessionem trium aut quatuor personarum. quia vtrobique est eadem ratio. Poterit tamen Ordinarius concedere eis potestatem, non vt nomine proprio, sed vt nomine delegantis, subdelegent: vt docet P. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 31. n. 6. & 7.

Sanchez.

27 Conclvsio III. Cui secundo modo delegatur iurisdictio, poterit eam *idem* ex parte subdelegare. Patet, quia cessat in eo ratio suprà pro 2. concl. allata. Nam huic cum ipso officio committitur etiam iurisdictio ei quodammodo commensa, & talis est quasi ordinarius, quamdiu hoc officium retinet. Et sic facilè conciliantur Iura suprà citata. Priora enim loquuntur de iis, quibus priore modo delegatur iurisdictio, quibus propriè hæc dicitur delegari. Secunda verò loquuntur de iis quibus secundo modo ea delegatur, vt apertè patet ex exemplis quæ adferuntur. agunt enim de legatis Proconsulum, Præfectis vrbium, & similibus, quibus, vt patet, officium ipsum delegatur.

Nota Primò, hos tamen non posse integrum officium subdelegare. quia cùm hoc non habeant proprium, non possunt in alium transferre. quare nec possunt subdelegare cum potestate subdelegandi. quia sic committerent ipsum officium.

Suspensus aut excommunicatus non toleratus non potest delegare.

Nota Secundò, vt aliquis alteri validè deleget iurisdictionem, requiri vt non sit excommunicatus, aut suspensus non toleratus. quia hæc delegatio est actus iurisdictionis, quam tales exercere nequeunt.

28 Quibus Parochi, Episcopi, Pontifices possint dare facultatem audiendi confessiones?

Hinc sequitur Primò, Parochum posse cuiuis sacerdoti approbato dare veniam audiendi confessionem omnium suorum parochianorum: & Episcopum posse dare facultatem audiendi confessiones eorum omnium qui habitant in sua diœcesi: & Pontificem posse dare facultatem audiendi confessiones omnium fidelium; idque etiam repugnantibus Episcopis ac Parochis quia habet absoluram iurisdictionem in omnes fideles omnino independentem ab omni humana potestate. Contrà verò cùm Episcopi in vsu suæ potestatis pendeant à Pontifice, & Parochi ab Episcopis; nec hi inuitis Episcopis, nec Episcopi inuito Pontifice possunt alicui dare facultatem audiendi confessionem.

Sequitur Secundò, Religiosos quibus Pontifex ex priuilegio dedit potestatem audiendi confessiones omnium fidelium, postquam iuxta Trid. sess. 23. c. 15. ab Episcopo ad audiendas confessiones approbati sunt; non indigere Episcopi aut Pastorum licentia, vt iplorum subditorum confessiones audiant: quia ad hoc sufficit illis licentia obtenta à Pontifice. Et confirm. quia si hac non obstante sine venia Episcopi aut Parochi non possent subditorum confessiones audire; frustra omnino eis à Papa daretur facultas audiendi confessiones, cùm sine hac, habita Episcoporum venia eodem modo possent audire subditorum ipsorum confessiones, atque cum illa. Sicut in simili Honorius III. cap. *In his.* 30. de priuilegiis. merito asserit, frustra Pontifices dedisse Mendicantibus priuilegium celebrandi in altari portatili, si id sine venia Episcopi facere non possunt. Et quamuis olim hac de re fuerit aliqua difficultas, iam verò omnes in hanc sententiam consentiunt, & praxis Ecclesiæ eam docet. 29 *Trident.* *Honor. III.*

Sequitur Tertiò, hoc ipso quo aliquis siue ab Episcopo, siue ab ipso Pastore ægroto aut peregrinante etiam ad certum tempus Vicarius in pastoratu constituitur, eum posse alteri sacerdoti approbato subdelegare facultatem audiendi confessiones, nisi sit ei prohibitum. Ita Sanchez l. 3. de matrim. disp. 31. n. 13. Et ratio est, quia demandatur ei non nuda iurisdictio, sed officium. Secùs est de iis quos Pastor assumit, vt eum in audiendis confessionibus iuuent: quia his demandatur nuda potestas audiendi confessiones. 30 Vicarij Pastorum possunt subdelegare non tamen Sacellani. *Sanchez.*

DVBIVM V.

Qua ratione delegetur iurisdictio, aut per consuetudinem acquiratur?

NOta Primò, hanc delegationem variis modis fieri posse. Primò, iure communi. Sic vrgente necessitate in articulo mortis quiuis sacerdos potest quemuis absoluere, iuxta dicta num. 15. Secundò, per priuilegia quæ aut generatim alicui Ordini, aut personæ alicui in particulari conceduntur. Tertiò, per particularem concessionem expressam vel tacitam. Quartò, per consuetudinem. 31

Possunt hæc iterum dupliciter fieri. Primò, directè, vt quando externa concessio iurisdictionis immediatè dirigitur ad confessarium. Secundò, quasi indirectè, quando pœnitenti conceditur facultas eligendi sibi confessarium, aut alicui certo confitendi: quo casu ipse pœnitens non dat confessario vllam iurisdictionem, sed tantùm personam designat, cui Superior hoc ipso quo eligitur, iurisdictionem dat. Nam hoc ipso quo Superior alicui concedit potestatem eligendi confessarium, dat eligendo iurisdictionem sub hac conditione si eligatur: qua conditione posita, concessio quæ antè erat conditionata & quasi indeterminata, cùm varij possent eligi, fit determinata & absoluta.

Nota Secundò difficultatem hîc esse Primò, An, vt quis non habens iurisdictionem validè absoluat, sufficiat vt Superior postea factum ratum habeat, aut dum fit id tacitè approbet? Videtur enim sufficere. Nam regula 10. Iuris, in 6. dicitur, *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.* 32

Secunda difficultas est, Vtrùm iurisdictio possit consuetudine obtineri: videtur enim id fieri posse. Nam, vt patet ex cap. *Cùm contingat.* 13. de foro competenti, id videtur apertè dici. Et hanc partem cum

Nauarr. Soto. aliis tenent Nauarr. c. *Placuit.* de pœnitent. d. 6. num. 36. & Soto d. 18. q. 4. art. 2. ad 2. Contrà verò facit quod dicitur cap. 2. de pœnitentiis, in 6. *Nulla quoque potest consuetudine introduci, quòd aliquis præter sui Superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui cum possit soluere, vel ligare.*

Lessius. Pro cuius solutione Nota Tertiò, ex P. Lessio de Iustitia c. 6. n. 45. dupliciter posse induci aliquam consuetudinem. Primò, scientibus nec repugnantibus Superioribus. Secundò, iis insciis aut repugnantibus, saltem interiùs, quando exteriùs resistere non audent.

33 CONCLVSIO I. Qui non habet iurisdictionem, non potest eam acquirere, nisi ei vel detur ordinaria, vel alia delegetur ab eo qui id facere potest. Patet, quia, cùm non possit eam habere à se, non potest eam habere nisi ab eo qui eam validè possit dare.

Nemo iniscius eôrum iurisdictionem. CONCLVSIO II. Vt quis alteri validè iurisdictionem deleget, debet Primò sciens quid agat id velle facere saltem implicitè. Sic Parochus censetur Petro dare iurisdictionem, dum vult eum audire confessionem suorum. Ratio conclusionis est, quia nec possumus humano modo aliquid velle nisi hoc cognoscamus: nec ea, quæ à nostra libera voluntate pendent, Nec etiam sine externo signo. possunt validè fieri, nisi ea velimus. Secundò, debet hanc voluntatem externo aliquo signo sufficienter exprimere, vt alteri possit innotescere: quia aliàs nec cócedentis voluntas potest humano modo ad alterum ditigi, nec vlli aliquid validè conceditur, nisi hic illud acceptet vel per se, vel per alios; nec hic potest concessionem acceptare nisi eam cognoscat. Vide P. Lessium de Iustitia c. 18. dub. 5. & 6. Et confirm. in re præsenti. Quia absurdissimè alicui daretur iurisdictio, ita vt nunquam ea licitè posset vti: nunquam autem potest quis licitè vti iurisdictione quam nescit sibi datam; nec potest scire sibi esse datam nisi hoc ei significetur. Vide P. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 36. n. 8.

Lessius. *Sanchez.*

34 Hinc sequitur Primò, vt is qui caret iurisdictione aliquem validè absoluat, *nullo modo* sufficere vt Pastor ipsius actũ postea ratum habeat. Quia hoc Sacramentum omnino validè confertur ab eo qui non habet iurisdictionem. Ratihabitio autem subsequens nullo modo potest efficere, aut vt absoluens iam antè verè habuerit iurisdictionem, aut vt Sacramentum inualidè collatum conualescat, præsertim cùm hoc Sacramentum nullo modo possit pendere à conditione futura: vt ostendi to. 1. qu. 64. art. 8. dub. 2. Palud. in 4. d. 17. q. 3. D. Antonin. 3. p. t. 17. c. 4. casu 8. Vasquez hîc q. 93. n. 3. Suarez disp. 26. sect. 1. nu. 14. Ad regulam Iuris citatam Resp. illam solùm intelligendam de iis actibus, qui in sui valore immediatè pendent à ratihabitione alterius: vt fit in contractibus, & similibus. Adde, cùm absolutio non possit dari nomine alicuius alterius hominis, sed immediatè nomine & auctoritate Dei, nullum eam posse ratam habere. quia, vt dicitur ibid. regula Iuris 9. *Ratum habere quis non potest, quod ipsius nomine non est gestum.*

Ratihabitio non validat absolutionẽ præcedentem. *Palud. D. Anton. Vasquez Suarez.*

Nemo potest alterius absolutionem habere ratam.

35 Sequitur Secundò, vt quis validè absoluat, non sufficere vt omnino præsumat Parocho gratum esse vt ipsius subditi confessionem audiat. Suarez supr. n. 17. Victoria de Sacrament. n. 153. Reginald. in praxi l. 1. n. 91. Vasquez hîc qu. 93. n. 2. & 3. nec etiam quòd Parochus sciens hoc fieri id de facto interiùs in animo suo approbet. Suarez sup. n. 16. Reginald. sup. 90. Nam nec illa præsumptio, nec interior illa approbatio alteri de facto dant iurisdictionem, sine qua inualidè confessionem audit. Quare necesse est vt Parochus internum illum consensum aliquo signo externo exprimat, quo eum audienti sufficienter explicet, ita vt hic determinatè sciat illum consentire.

Suarez. Reginald. Vasquez. *Suarez. Reginald.*

Non contradictio non est suf. Vnde sequitur Tertiò, non semper sufficere quòd Parochus videat me v. c. audire suum subditum, & non contradicat. quia inde non possum certò colligere eum in hoc consentire. Nam potest fieri vt non contradicat, quia putat me ex priuilegio, aut alia ratione habere iurisdictionem, quia nimirum falsò putat pœnitentem solùm confiteri venialia: aut quia non audet contradicere ne lites aut iurgia excitentur, aut aliquod scandalum fiat. Quare vt eius non prohibitio habeat rationem veræ concessionis, necesse est Primò, vt constet mihi ipsum scire, vel saltem credere me carere omni iurisdictione, cúmque esse talem, qui liberrimè contradiceret, si factum meum non approbaret: aut qui me ita amet, vt libenter habeat me ipsius consensum in simílibus rebus præsumere.

fideris signum initemi consensus.

Nisi aliquibus circũstantiis vetiatur.

Sequitur Quartò, etiamsi in hoc casu si Parochus non videat me dum me accingo ad audiendam confessionem, sed tantùm superueniat dum confessionem audire cœpi, & dicto modo factum meum approbet; me initio quousque talis approbatio sufficienter fiat, omnia inualidè agere: quia sine vlla iurisdictione. quare necessarium erit vt pœnitens secundò confiteatur omnia peccata quæ priùs fuerat confessus. quia illa confessio cùm non sit facta legitimo iudici, non potuit esse sacramentalis. Poterit tamen hoc breuiter facere, dicendo se confiteri omnia peccata, quæ antè fuerat confessus. 36

Sequitur Quintò, eum grauiter peccare qui ita confessionem audire incipit, etsi speret Pastorem mox superuenturum, & ita approbaturum ipsius factum: tum quia initio inualidè confessionem audit cum iniuria pœnitentis, & ipsius Sacramenti, ac vsurpatione alienæ iurisdictionis: tum etiam quia exponit se periculo inualidè absoluendi, si Pastor verè interiùs factum non approbet, aut non sufficienter exteriùs id exprimat. Et similiter grauiter peccat, qui tali sciens confitetur: quamuis hic faciliùs ex ignorantia excusari possit. Quare quando grauissima necessitas non postulat, nunquam simile quid, nisi expressa venia priùs petita faciendum est.

CONCLVSIO III. Consuetudo numquam dat iurisdictionem, quando vsurpatur insciis iis, qui illam dare possunt. Quia nemo potest accipere iurisdictionem nisi aliquis eam validè det; quod nemo hîc facit. Et sic intellige c. 2. de pœnitentiis, citatum nu. 32. Tum quia videtur loqui de priuata consuetudine, quæ non facilè præsumitur nota Superiori: tum etiam quia, si hæc consuetudo fieret videntè & non contradicente Superiore, non præsumeretur fieri sine ipsius consensu. 37

Consuetudo non dat iurisdictionem in hoc foro.

CONCLVSIO IV. Consuetudo quæ exerceatur Superiore apertè conscio & non contradicente cùm facilè possit, dat iurisdictionem non ratione sui, sed ratione taciti consensus & approbationis ipsius Superioris. Quare potest breui tempore validè introduci. quia hoc ipso quo Superior aliquot eiusmodi actus permittit, quando constat quòd facilè posset eos impedire, eos tacitè approbat. Vide P. Lessium de Iust. c. 2. dub. 14. n. 45. Et sic intellige c. *Cùm contingat.* citatum num. 32. 38

Nisi vsurpetur conscius iis qui eam dare possunt. *Lessius.*

Ex quibus patet Primò, posse fieri vt hæc consuetudo initio incipiat per confessiones inualidas ob defectum iurisdictionis, antequam Superiorum non prohibitio sit sufficiens signum eos consentire: & postea efficiat, vt sequentes confessiones validæ sint, postquam illa non prohibitio est sufficiens signum consensus. 39

Patet Secundò, iurisdictionem consuetudine acquisitam semper pendere à voluntate Superiorum, quorum auctoritate, siue tacito consensu fuit introducta. Quare tam ipsi, quàm eorum successores semper possunt eam reuocare. Secùs est de eorum inferio-

fibus: quia hi nec legem nec priuilegium Superiorum infringere possunt. Hinc Parochi non possunt reuocare consuetudinem Episcoporum auctoritate inductam.

Sanchez. Licentia audiendi confessiones validè metu vel dolo obtinetur.

Nota demum cum P. Sanchio l. 3. de matrim. disp. 39. num. 13. & 14. licentiam audiendi aliquorum confessiones metu vel dolo obtentam dare veram iurisdictionem. Et fauent quæ docet P. Lessius de Iustitia c. 17. dub. 5. & 6. & clariùs patebunt ex dicendis disput. 23. dub. 9.

Lessius.

DVBIVM VI.

Vtrùm validè absoluat, quis dubitat an habeat iurisdictionem?

40 NOta Primò, nos variis modis posse de aliqua re dubitare; vt ostendi disput. 7. num. 67.

Nota Secundò, posse fieri vt sic dubium in confessario habeat in vlla omnino peccata, ex iis quæ pœnitens confitetur, iurisdictionem: vt si sit dubium an omnia quæ confessus est sint reseruata: vel etiam posse esse certum confessarium habere iurisdictionem in aliqua peccata, dubium tamen an habeat in omnia.

Nota Tertiò, fieri posse vt sacerdos nunquam habuerit certam iurisdictionem in peccata pœnitentis; aut etiam vt aliquando certam habuerit, sed iam dubitat an eam adhuc habeat, eò quòd dubitet an iurisdictio quæ ei fuerat delegata, sit reuocata, vel alia ratione iam exspiratit.

41 CONCLVSIO I. Quando quacumque ratione est verè incertum an confessarius habeat veram iurisdictionem in vllam peccatum ex iis quæ pœnitens confitetur; non videtur vnquàm licitè dari absolutio. Quia cùm Sacramentum essentialiter pendeat à iurisdictione confessarij; quando hæc dicto modo est incerta, absoluens exponit se probabili periculo conferendi Sacramentum inualidè. quod extra casum magnæ necessitatis sacrilegè fit: vt communiter Doctores fatentur, & per se patet. Hìc autem non videtur posse occurrere vlla necessitas. quia pœnitens semper potest confiteri aliqua venialia aut mortalia quæ semel confessus est, in quæ confessarius habet certam iurisdictionem: nisi contingat eum post confessionem vnius peccati mortalis statim amittere sensum, & incidere in periculum mortis. quo casu certum est sacerdotem habere iurisdictionem in omnia peccata. Quare in sequentibus conclusionibus solùm loquemur de casu in quo sacerdos habet certam iurisdictionem in aliqua peccata pœnitentis.

Nunquam potest esse necessitas confitendi ei, qui in nulla peccata habet iurisdictionem.

42 CONCLVS. II. Quando sacerdos est moraliter quasi certus se habere veram iurisdictionẽ in omnia peccata confitentis, etiamsi de aliquibus paululùm dubitet, licitè absoluit. Quia secundùm communem Doctorum sententiam cum tali scientia licitè operamur. Quia aliàs vix vnquam possemus aliquid facere. Nam in plurimis rebus passim occurrentibus non possumus habere maiorem certitudinem. Hæc autem maximè vera sunt, cùm in eo casu omnino certum sit eum habere iurisdictionem in aliqua peccata, & consequenter Sacramentum esse validum.

43 CONCL. III. Quoties sacerdos verè dubitat an habeat veram iurisdictionem in omnia peccata pœnitentis nunquam licitè absoluit, nisi occurrit aliqua necessitas. Ita P. Suarez disp. 26. sect. 6. Et ratio est, quia hoc fit cum aliqua irreuerentia ipsius Sacramenti. Nam si reuera in aliqua peccata non habeat iurisdictionem, ipse ab iis solùm absoluet indirectè. quod est contra integritatem in hoc Sacramento requisitam, quam tenentur procurare tam ipse quàm pœnitens, quantum commodè possunt.

Suarez.

CONCLVS. IV. Quando sacerdos iam antè bona fide credidit se habere iurisdictionem in omnia peccata quæ pœnitens ei confitetur, & iam incipit dubitare an eam habeat; tenetur antequam ea iurisdictione vtatur, adhibere diligentiam vt veritatem cognoscat, quantum hìc & nunc fieri potest, qua adhibita, si res adhuc manear dubia, si absoluat, non peccat vsurpatione alienæ iurisdictionis quia, cum hanc iam inceperit bona fide possidere, non tenetur se abdicare, donec ei aliquo modo constet se eam non habere. Exigit tamen reuerentia Sacramenti, vt, quando nulla eum necessitas compellit ad audiendas confessiones, ab iis abstineat. quia aliàs sine causa exponit se periculo ne à multis peccatis solùm indirectè absoluat. quod sine rationabili causa non est faciendum. 44

Quòd si verò nunquam bona fide vsum talis iurisdictionis possederit, si ea sine necessitate vtatur, peccat etiam vsurpatione alienæ iurisdictionis. quia, etsi quis dubitans an res aliqua sit sua, possit licitè continuare eius possessionem iam bona fide inchoatam, non tamen potest eam cum tali dubio inchoare: vt cum aliis bene docet P. Lessius de Iustitia c. 6. dub. 3. 45 *Lessius.*

Nota, quando quis bona fide incepit possidere aliquod Beneficium cui annexa est iurisdictio in hoc foro, & postea incipit dubitare de validitate collationis; si post diligentem inquisitionem res adhuc maneat dubia: sicut ipse licitè retinet Beneficium, ita licitè vtitur iurisdictione ei annexa. Nam etsi forte Beneficium non sit ipsius: tamen Ecclesia tunc ob commune bonum eius defectum supplet, dando ei iurisdictionem, iuxta dicta num. 22. 46

CONCLVS. V. Quando id exigit notabilis aliqua necessitas, is qui dubitat an habeat iurisdictionem in omnia peccata confitentis, licitè eum absoluit. quia exigente necessitate potest fieri confessio non integra, & potest ita absoluere is qui certò scit se non habere iurisdictionem in omnia peccata confitentis: vt ostendam infrà num. 105. ergo multò magis id potest is, qui de illa dubitat. Sufficiens autem ad hoc est necessitas, quando pœnitens aliàs aut deberet communicare sine confessione, aut non posset implere præceptum annuæ confessionis, aut præter consuetudinem, aut cum aliqua nota deberet diu differre confessionem. Vide dicta disp. 7. n. 77. 47

Nota Primò, quo probabilius est sacerdotem habere iurisdictionem, eò minorem necessitatem sufficere vt licitè absoluat. atque ita in priore casu quartæ conclusionis, nisi occurrant graues valdè rationes dubitandi, non ita magna requiretur necessitas, vt sacerdos possit licitè absoluere.

Nota Secundò, quando quis cum dubia iurisdictione pœnitentem absoluit, debere eum monere, vt postea ea peccata secundò confiteatur ei qui habet iurisdictionem. quia, cùm hic sit dubius an ab iis sit directè absolutus, tenetur procurare certam absolutionem: vt ostendi disp. 7. nu. 68. & in his omnibus etiam consentit Suarez suprà citatus. *Suarez.*

DVBIVM VII.

Qua ratione in confessario requiratur approbatio Episcopi?

HVius dubij explicatio præcipuè pendet ex intelligentia Concilij Trident. sess. 23. c. 15. de refor. vbi hac de re ita ait: *Decernit tamen sanctus Synodus, nullum etiam regularem posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs ido-* 48 *Trident.*

nem indicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus.

Vt autem rem totam faciliùs explicemus, primò quædam quiæ ab omnibus conceduntur, ex ipsis Concilij verbis deducemus.

Ex iis igitur patet Primò, nullam requiri approbationem, vt quis audiat confessiones Religiosorum, quia Concilium apertè restringit suum decretum ad confessiones sæcularium. Voluit enim relinquere Religiosos suis statutis, confidens per hæc satis eorum saluti hac in re esse cautum. Quare hi poterunt iam confiteri iis omnibus, quibus priùs per sua statuta confiteri poterant.

49 Patet Secundò, obtinentes legitimè Beneficium, cui annexa est cura animarum, non indigere hac approbatione. Nam Concilium expressè eos ab hac necessitate obtinendi approbationem excipit. Et ratio est, quia censentur approbari hoc ipso quo iudicantur idonei, qui tale Beneficium administrent, quoque illud iis de facto conferatur.

Patet Tertiò, in omnibus aliis sacerdotibus tam sæcularibus quàm regularibus ad audiendum confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, hanc approbationem esse necessariam: quæ nihil aliud est quàm authenticum testimonium, quo approbatus declaratur idoneus, cui hoc munus committatur. Censetur autem Episcopus aliquem approbare, hoc ipso quo sciens & volens ei præcipit vt confessiones audiat.

Approbatio non dat iurisdictionem, hæc tamen sine illa inualidè confertur.

Patet Quartò, per hanc approbationem non conferri vllum ius ad audiendum confessiones, nec vllam iurisdictionem, sed personam solùm iudicari idoneam cui illa conferantur, sine qua approbatione inualidè ei hoc munus committeretur. Nam Concilium dicit sine ea *nullum posse confessiones audire*: quibus verbis significatur non approbatos inualidè confessiones audire. vt cum communi Iurisfarum sententia fusè docet P. Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 38. num. 20. Et hoc etiam expressè declarauit congregatio Cardinalium.

Sanchez.

Episcopus requisitus tenetur idoneum approbare.

Patet Quintò, cùm hoc testimonium non sit gratuitum munus, sed potius actus iustitiæ, quem Episcopus suis subditis ex officio debet; hunc requisitum teneri idoneum approbare, quoties non subest iusta causa negandi.

50 His positis quæritur Primò, A quo Episcopo debeat confessarius approbari? Quidam putant eum debere approbari ab Episcopo pœnitentis, quia huius est prospicere vt oues suæ non confitcantur nisi idoneis.

Alij tamen probabilius docent, hanc approbationem debere fieri ab Episcopo ipsius confessarij. Ita Suarez disp. 28. sect. 6. n. 10. Et expressè ex ore Pontificis bis declararunt Cardinales. Prior declaratio ita se habet: *S. D. N. audita consultatione congregationis, declarauit Episcopum vigore privilegij, de quo in c. finali de pœnit. & rem. non posse sibi eligere sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam huius decreti admissus, seu approbatus ad audiendas confessiones.* Ex quo apertè patet, neminem posse approbare sibi non subditum. quia aliàs talis Episcopus posset talem sacerdotem statim approbare, atque ita eligere confessarium. Imò hoc ipso quo non eligeret approbaret. Et ratio est, quia approbatio est actus iurisdictionis; quare non potest exerceri nisi in subditum. Vt igitur Episcopus possit approbare sacerdotem sibi non subditum, necesse est vt conferendo ei Beneficium, aut alia ratione faciat eum priùs sibi subditum.

Suarez.

Approbatio non potest exerceri circa non subditum.

51 Vbi Nota Primò, ersi Religiosi mendicantes non sint propriè subditi Episcopis, quoad hanc rem, tamen eos censeri subditos iis, in quorum diœcesi commorantur.

Nota Secundò, Episcopum posse hanc approbationem dare vel per se, vel per alium virum idoneum cuius prudentiæ eam committat: vt patet ex vsu.

Secunda declaratio Cardinalium est hæc: *S. D. N. declarauit tempore Iubilei posse omnes Regulares confiteri peccata sua sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones, in bulla enim non fit mentio nisi de Ordinario eorum qui audiunt confessiones: non autem de Ordinario pœnitentium.* Vbi Notanda sunt illa vltima verba, *In bulla enim*, &c. quibus apertè declaratur in hac approbatione danda non respici quis sit Ordinarius pœnitentis, sed quis sit Ordinarius confessarij. quia hic solus hanc approbationem dare potest. Vnde sequitur, Mechlinienſem, v. c. qui habeat facultatem eligendi confessarium approbatum quemcunque voluerit, posse in diœcesi Antuerpiensi confiteri cuicunque in illa diœcesi approbato.

Secunda difficultas est, Vtrùm approbatus in diœcesi v. c. Mechlinienſi, si transferat se in diœcesim Antuerpiensem, possit ibi à Parocho assumi vt eum iuuet in audiendis confessionibus sine noua approbatione? 52

Prior sententia hoc negat. Primò, quia refertur quædam responsio Cardinalium, in qua dicitur, *Approbatum ab alio quàm a Valentino Episcopo, in diœcesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario.* Secundò, quia Gregorius XIII. concessit Religiosis Societatis priuilegium, vt semel approbati & à Superioribus exposti. quando iter faciunt per alias diœceses, possint ibi audire confessiones fidelium: ergo sine eo priuilegio hoc non poterant. Tertiò, quia quisque debet approbari à suo Ordinario: atqui approbatus à Mechlinienſi si eat habitatum Antuerpiæ, iam habet pro suo Ordinario Antuerpiensem Episcopum: ergo nisi ab hoc approbetur, non censetur approbatus à suo Ordinario.

Secunda sententia docet, non egere noua approbatione. Ita P. Henriquez l. 7. de Sacramentis, sive de Indulg. c. 12. num. 4. vbi dicit eam plurimorum esse sententiam. Probatur Primò, quia Concilium non requirit nisi vnam approbationem: atqui talis est verè semel approbatus: ergo, &c. Nec obest quòd Concilium dicat sacerdotes debere approbari ab Episcopis. quia hoc non est ita intelligendum, quasi singuli deberent à pluribus approbari. hoc enim falsum est: sed quia diuersi debent à diuersis approbari, quisque scilicet à suo. Secundò, quia si tali esset opus secundò approbari, hoc esset, quia deberet approbari ab Episcopo pœnitentis: atqui hoc non est necessarium: vt patet ex dictis n. 50. & 51. ergo nec illud est necessarium. Tertiò, quia hæc approbatio non dat vllam iurisdictionem approbato, sed tantùm est authenticum testimonium, quo declaratur idoneus, vt ei hoc munus committatur. Sicut Licentia aut Doctoratus est testimonium doctrinæ. Sicut igitur hoc testimonium semel datum vbique valet, ita etiam illud debet vbique valere. 53

Henriquez.

Ad Primum argumentum primæ sententiæ hi DD. respondent, de ea resolutione Cardinalium minùs certò constare, cùm non reperiatur inter eas quæ diuersis locis à diuersis collectæ asseruantur. Quare duæ aliæ responsiones allatæ num. 50. & 51. quæ omnino certæ sunt, & huic sententiæ faueant, videntur præponendæ; aut saltem illa videtur ita explicanda vt his non repugnet. quod facilè fieri potest, si dicamus in ea esse sermonem de eo qui erat subiectus Episcopo Valentino dum ab alio approbaretur. quo casu approbatio fuisset inualida. 54

Ad Secundum respondent, per similia priuilegia nihil probari, cùm sæpè dentur non tam quòd sint necessaria, quàm vt satisfiat aliquibus nimis scrupulosis, qui de rebus etiam claris dubitant: vt benè notat etiam 55

Priuilegia sæpè concedantur non tam quia

necessaria sunt, quàm vt cuiétur scrupuli. *Sanchez.*

etiam Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 37. Nam eodem priuilegio Societati concessum est, vt scrupulis agitati securè possint acquiescere iudicio sui confessarij. Item vt quando aliqui ingrediuntur Societatem qui habent bona aliena incerta, quorum dominum etiam facta diligenti inquisitione reperire non possunt; possint ea prudentum iudicio in causas pias distribuere, quæ sunt aperti iuris naturæ.

Ad Tertium respondent, quemque debere approbari ab eo, non qui est eius Ordinarius, quando audit confessiones (quia aliàs quoties aliquis Episcopus moreretur, omnes ab eo approbati, deberent à successore iterum approbari, quod falsum est) sed qui erat eius Ordinarius dum approbabatur. Vnde patet negandam esse conseq.

56 Pro resolutione Nota, aliquem dupliciter posse ab Episcopo approbari. Primò, solùm quoad certas personas aut locum, in quo non requiritur magna scientia aut prudentia: ita vt Episcopus expressè dicat eum esse idoneum, qui possit assumi vt in tali loco audiat confessiones, non autem alibi. Et de hoc est certum, eum non esse sufficienter approbatum vt alibi audiat. Secundò, potest quis absolutè iudicari idoneus vt vbique confessiones audiat: qua ratione datur approbatio quando absolutè datur. Et de hoc est tota difficultas.

57 Epiſcopus potest prohibere nequis sacerdos in sua dioc. cesi cõfessiones audiat nisi ab eo sit approbatus. *Pius V.*

Qua in re saluo meliore iudicio credo dicendum Primò, quantumcunque aliquis sit in vna diœcesi approbatus, si transeat ad aliam, satis esse probabile huius Episcopum habere ius cum iterum examinandi, vt videat an idoneus sit. Quare potest prohibere ne vllus confessarius in sua diœcesi assumatur; aut exponatur vt confessiones sæcularium audiat, nisi à se approbatus sit. Probatur, quia Pius V. in extrauag. *Romani Pontifices.* edita 8. Idus Augusti anno 1571. dicit Religiosos mendicantes semel approbatos, mortuo Episcopo, non quidem debere, posse tamen ab eius successore, si ei placuerit, secundò per examen approbari, pro maiore quiete ipsius conscientiæ. Vnde etiam sequitur, eos posse similiter examinari, quando ad aliam diœcesim transeunt.

Secundò, quamdiu tamen Episcopus non prohibet suis Parochis, aut Superioribus Religiosorum, ne sacerdotes alibi approbatos ad audiendas confessiones in sua diœcesi exponant, hi validè ad hoc assumuntur & exponuntur: quia habent conditionem à Conc. Trident. requisitam; quòd scilicet à suis Ordinariis sint approbati. Henriq. l. 4. c. 6. n. 7. dicens esse communem recentiorum. Et confirm. ex decisione Pij V. Nam sicut in hac re se habent duo Episcopi in eodem episcopatu sibi succedentes: ita videntur se habere duo existentes in diuersis episcoparibus, quibus idem succedit subiicitur: ergo sicut illi ersi absolutè possint, non tamen debent secundò eundem approbare; ita nec hi. Et secundùm hæc potest etiam optimè explicari responsio Cardinalium citata n. 52. pro priore sententia: vt scilicet talis dicatur in diœcesi Valentina non esse approbatus ab Ordinario: quia nimirum Episcopus retinet idem ius eum examinandi & approbandi, ac si non esset alibi approbatus.

Trident. Henriq.

58 Tertia difficultas est, Vtrùm is cui iniustè negatur approbatio, hoc ipso censeatur approbatus? Quidam enim hoc asserunt. quia consensus apertè iniustè negatus, reputatur esse datus, vt colligitur ex cap. *Licet.* de regularibus.

Trident. Validè negatur approbatio etiam iniustè.

Sed contrarium dicendum est Primò, quia Trid. absolutè requirit approbationem non obstantibus quibuscunque priuilegiis: quibus verbis videtur derogare Clementinæ *Dudum.* de priuilegiis, quatenus hac in re Mendicantibus fauere videbatur. Secundò, quia Pius V. in bulla quæ incipit, *Romani Pontifices,* *Pius V.*

absolutè requirit obtentam approbationem. Tertiò, quia, vt suprà ostendi, Trident. requirit hanc approbationem tanquam quoddam authenticum testimonium, quod non potest dari nisi à persona publica; & omnino conueniebat vt sacerdos admittendus ad publicum officium, publicâ auctoritate probaretur idoneus. quia de rebus ad publicum spectantibus non possunt authenticè priuati iudicare.

Nec refert quòd hinc possint aliqua sequi incommoda, quia fortè ex contraria maiora sequerentur. Ad rationem primæ sententiæ nego assumptum. Hoc enim solùm verum est in casibus iure expressis, qualis est ferè singularis in d. c. *Licet.*

Nota tamen Primò, Episcopum grauiter peccare, qui sine iusta causa approbationem negat. 59

Nota Secundò, approbationem semel datam non posse validè reuocari sine iusta causa. quia hæc approbatio non est gratia, vt possit pendere à voluntate concedentis, sed tantùm authenticum instrumentum de sufficientia talis personæ. Testimonium autem semel datum non potest reuocari; nisi ad hoc nouæ aliquæ rationes emergant. Sicut tamen alia similia testimonia possent reuocari, si postea deprehenderentur continere apertum errorem qui antè latebat: ita etiam illud in simili casu posset reuocari. quod maximè verum est respectu successoris illius Episcopi, qui priorem approbationem dedit. Nam hic, vt patet ex dictis num. 57. potest approbatum à suo decessore, secundò examinare, quando hoc iudicat expedire: quod frustra esset, si non posset approbationem reuocare. Vide Suarez disp. 28. sect. vlt. *Suarez.*

Approbatio semel data sine iusta causa reuocari nequit.

DVBIVM VIII.

Quinam de iure aut consuetudine possint sibi confessarium eligere?

60 CONCLVS. I. Iure communi Episcopi, & his superiores ac inferiores etiam Prælati exempti possunt sibi eligere quemuis confessarium approbatum. Ita expressè habetur c. fin. de pœnitent. Talis autem nulla ratione censetur fœmina. quia hæc cùm non possit habere vllam iurisdictionem spiritalem, non potest intelligi nomine Prælati. Ita Henriquez *Henriquez.* l. 6. c. 13. Religiosi tamen tenentur tales eligere quales iis statuta permittunt.

CONCLVSIO II. Idem dicendum de iis omnibus quibus id per particulare aliquod priuilegium permittitur, quale communiter habent Reges & Principes, itque quibus dantur bullæ cruciatæ.

Vbi Nota, omnes eos, qui habent iurisdictionem ordinariam in hoc foro, posse hanc facultatem concedere iis in quos eam habent, v. c. Papa omnibus fidelibus, Episcopus iis qui in sua diœcesi habitant, Parochus suis Parochianis.

61 CONCLVS. III. Eandem facultatem à Superioribus tacitè approbatam habent omnes Parochi, quibus numquam videmus Episcopos certum confessarium præscribere. Ita Sà v. *Confessor.* num. 1. Imò P. Suarez disput. 27. sect. 3. nu. 2. & 4. idem docet de omnibus sacerdotibus. Quia, cùm sacerdotes sæpissimè diuersis locis celebrent, nec possint semper habere proprium sacerdotem præsentem, ne deberent sæpè etiam conscij sibi peccati mortalis sine confessione celebrare, decuit hanc facultatem iis concedi: sicut ob eandem rationem c. fin. de pœnitent. ea conceditur Prælatis. Quòd autem hæc facultas de facto sit concessa sacerdotibus, consuetudo docet. Item ij qui non habent vlla peccata mortalia, quæ non sunt semel confessi, vt dixi num. 17. possunt confessarium eligere.

Omnes Parochi, imò & sæculares sacerdotes tacito Superiorum cõsensu possunt sibi confessarium eligere. *Suarez.*

Simili tacita confessione videtur inductum vt pe- Peregrinãtes possunt

confiteri Parochis loci in quo sunt.

peregrinantes possint confiteri iis Parochis, eorumque vicariis, in quorum parochiis pro tempore commorantur, præsertim quando ibi non sunt alij priuilegiati, quibus possint confiteri. Et ratio huius concessionis est, ne diu debeant abstinere à confessione ac Sacramentorum perceptione. Ita Siluester. v. *Confessor.* 1. q. 11. limitat tamen ad eos qui habent licentiam peregrinandi. Soto d.18.q.4.a.2.ad 1. obiectionem. Imò Caiet. v. *Absolutio ex parte absoluentis*, §. *Licentia dupliciter.* dicit hoc ab Eugenio IV. etiam pro confessione, & communione annua stantum esse. Hæc tamen sunt intelligenda de iis qui non suscipiunt peregrinationem in fraudem legis, ea solùm de causa vt possint aliis confiteri.

Siluest.

Soto. Caiet.

62 Quidam verò dicunt vagos nullum habere proprium sacerdotem, atque ita posse confiteri cui voluerint. quia putant iure diuino quemuis cuiuis sacerdoti approbato posse confiteri: & quòd iam de facto hoc nequeant facere. fieri ratione prohibitionis Ecclesiæ, quæ prohibet ne quis alteri quàm suo Parocho confitearur. quod ius cessat in iis qui Parochum non habent. Ita Palud.d.17.q.3.concl. 3.D.Antonin. t.17.c.4.Nauar. in c. *Placuit.* de pœnitentia, d.6.n.80. Caiet. v. *Absolutio ex parte absoluentis.* Sed hæc non sunt vera, nec vllo firmo fundamento probari possunt. Imò nituntur falso fundamento, vt patet ex dictis num. 7. 11. & 20. vbi ostendi iurisdictionem dari iure humano. Quare cùm nullibi talis iurisdictio aut licentia possit in Iure ostendi concessa; signum est nullam esse: præsertim cùm talis concessio non videatur rationabilis, cùm nulla illius sit necessitas, & possit parere turbationem, si vagabundus decumbens in vna parochia, alterius parochiæ Parochum vocet ad suam confessionem audiendam.

Palud. D. Anton. Nauarr. Caietan.

Vagi habent pro Parocho eum, in cuius parochia pro tempore morantur.

Dicendum igitur est, tales habere pro proprio sacerdote eum in cuius parochia pro tempore versantur, cuius est ipsis Sacramenta administrare, qui eos absoluere potest ab iis omnibus à quibus proprios parochianos absoluere potest.

63 Addunt multi, eum cuius proprius Pastor est omnino ignorans, posse cuiuis alteri confiteri. Probant, quia hoc videtur dici in c. *Placuit* de pœnitent. d. 6. Ita Nauar. in illud c. num. 146. & plurimi Canonistæ. Item Magister in 4.d.21.in fine, quem sequuntur Gabriel d.17.q.2.a.3.dub.4.Richard.a.3.q.7.Palud.q.3. concl.1.D. Antoninus 3.p.tit.37.c.4.casu 1. Adrianus q. 5. de confessione, & Medina de pœnitentia tract. 2.q.30. §. *Si autem.* Quorum multi hoc extendunt ad varios alios casus, in quibus aliquis sine graui periculo non potest proprio sacerdoti confiteri: quos fusè citat Henriquez l.6.c. 13.

Nauarr. Magister. Gabriel. Richard. Paludan. D. Anton. Adrianus. Medina.

Henriq.

Aiunt tamen multi, Primò, hoc tantùm habere locum quando non est alius sacerdos Parochi coadiutor qui ad hoc munus obeundum sit idoneus, & cui pœnitens sine incommodo possit confiteri. Secundò, vt subditus priùs teneatur petere à Parocho veniam alteri confitendi: quam si non concesserit, tunc à Iure aiunt eam concedi. Tertiò, vt non possit adiri Episcopus, vt ab eo petatur licentia alteri confitendi. Quartò, vt quantum fieri potest semper eligatur aliquis confessarius in eadem diœcesi ab Episcopo ad audiendas confessiones expositus. quia Episcopus hoc censetur magis velle.

64 Quæ sententia sic saltem limitata non est improbabilis ob DD. auctoritatem; nullo tamen fundamento nititur. Nam cap. *Placuit.* citatum, omnino aliud decernit, vt ostendi num. 14. in fine. Et confir. quia si decreuisset quod auctores illi volunt, dedisset summam occasionem subditis calumniandi suos Pastores tanquam ignorantes, & hos omnium suorum subditorum quantumcunque ignorantium iudicio & calumniis subiecisset. quod est omnino incredibile. Vnde etiam hæc sententia nullo modo videtur vsu recepta: nisi forte in eo quòd quando quis non potest sine graui incommodo confiteri proprio sacerdoti, ne quidem partialiter aliqua peccata reticendo, nec potest habere veniam alteri confitendi: aut quando proprius sacerdos abest, nec est alius qui in pœnitentem habeat iurisdictionem; tunc, si adsit grauis valdè necessitas confitendi, posset fortè sustineri, pœnitentem posse alicui alteri confiteri simul mortalia & venialia, in quæ hic saltem habet iurisdictionem, cum onere tamen mortalia postea secundò alicui alteri confitendi. Vide dicta n. 41. & dispur. 7. num. 77. & dicenda infrà n. 105. & 107.

DVBIVM IX.

Vtrùm confitentes Religiosis priuilegiatis aut alicui alteri ratione particularis priuilegij, satisfaciant præcepto de annua confessione.

Q Vidam olim Ioannes de Poliaco, & quidam alij dixerunt, illos qui eiusmodi Religiosis confitentur, nihilominus teneri semel in anno omnia sua peccata suo Parocho confiteri. Probant Primò, quia in cap. *Omnis vtriusque.* dicitur, omnes fideles teneri omnia sua peccata proprio sacerdoti confiteri, aut alicui alteri de eius licentia: atqui proprius sacerdos est solus Parochus: ergo huic vel alicui alteri de eius licentia tenentur omnes fideles sua peccata confiteri. Confirm. quia Extrauag. *Vices.* de treuga & pace, Sixtus IV. præcipit Mendicantibus vt desistant prædicare: *quod parœciani non sunt obligati saltem in paschate proprio confiteri sacerdoti. quia de iure tenetur parœcianus saltem in paschate proprio sacerdoti confiteri.* 65

Ioannes de Poliaco.

Sixtus IV.

Conclvs. Confessi Religiosis priuilegiatis etiam sine licentia proprij Parochi satisfaciunt præcepto de confessione annua. Ita expressè definiuit Benedictus II. Extrauag. de priuileg. & Ioan. 22. Extrau. *Vas electionis.* de hæreticis, vbi sententiam Ioannis de Poliaco vt erroneam damnauit. & tandem cùm hæc difficultas iterum à Pastoribus moueretur, illam conclusionem definiuit Clemens VIII. in bulla data anno 1592. 22. Decemb. 66

Bened. 11. Ioan. 22.

Clem. VIII.

Probatur, quia, vt docet Trident. sess. 14. c. 5. Ecclesia in c. *Omnis vtriusque*, nihil noui præcipit circa materiam aut ministrum confessionis; sed tantùm præscribit certum tempus, quo teneamur diuinum præceptum implere: ergo per eam confessionem qua satisfacimus præcepto diuino, per eandem etiam satisfacimus præcepto Ecclesiastico, si singulis annis eam faciamus. Vnde vlteriùs subsumo: atqui qui confitetur in fine anni omnia sua peccata mortalia alicui ex dictis Religiosis, satisfacit præcepto diuino (quia hoc nos solùm obligat vt omnia peccata mortalia confiteamur ei qui potest nos directè ab iis absoluere, quod talis facit.) ergo etiam satisfacit præcepto Ecclesiastico. Confirm. quia cap. *Omnis vtriusque.* dicitur, ideo nos debere confiteri proprio sacerdori, aut alteri cum eius licentia: quia sine hac alter non potest nos absoluere. Vnde sequitur secundùm mentem illius Iuris, omnem eum confiteri aut proprio sacerdoti, aut alteri cum eius licentia, qui confitetur ei à quo potest directè ab omnibus peccatis absolui.

Tridenti.

Quare etsi propriè per proprium sacerdotem significetur Parochus, tamen per eum ibi Concilium potiore iure intelligit etiam Episcopum ac Pontificem: quia aliàs qui his in paschate confiteretur, non satisfaceret præcepto Ecclesiæ. quod est absurdissimum. Ex quo patet solutio ad argumentum contrarium.

Ad

67 Ad confirm. Resp. vel Pontificem ibi solùm docere, fideles in paschate teneri suis Parochis confiteri, quatenus hoc est necessarium; vt possint tunc in parochia sua communicare, ad quod tenentur, & consequenter etiam ad confitendum, si sint sibi adhuc conscij alicuius peccati mortalis. Vel planiùs Resp. Pontificem dicere spectato Iure communi, & secluſis priuilegiis, omnes fideles conscios sibi peccati mortalis, teneri confiteri suis Parochis. Et quamuis ratione priuilegiorum possint multi, qui confitentur dictis Religiosis, iis non confiteri; noluit tamen Pontifex hos Religiosos hoc tunc publicè concionari ad seruandam pacem. Vnde statim subiungit, dictos Religiosos per hoc non impediri, quò minùs secundùm sua priuilegia confessiones audiant.

DVBIVM X.

Vtrùm facultas alicui data vt audiat confessiones, aut vt confessarium eligat, exspiret morte concedentis.

68 *Sanchez.* NOta Primò, hanc quæstionem controuerti de quauis facultate alicui delegata. Et sic eam fusissimè & doctissimè disputat P. Sanchius lib. 8. de matrim. disp. 28. & nos eam hîc breuiter pro instituto explicabimus.

Potestas iustitiæ exspirat morte delegantis, si res adhuc integra sit.

Nota Secundò, duplicem facultatem solere alicui delegari. Prima, quæ sit iustitiæ, & spectet forum contentiosum: & hanc certum est exspirare statim ac is, qui eam concessit, moritur, aut defungitur officio, si res adhuc integra sit, siue si delegatus nondum cœperit vti iurisdictione: secùs si ea iam cœperit vti. ita expressè habetur c. *Relatum* 19. c. *Gratum.* 20. & c. *Licet.* 30. de officio & potestate iudicis delegati. Cuius rei causa est: quia, vt dicitur cap. *Quamuis.* eod. titul. in 6. iurisdictio delegata non transit efficaciter in delegatum antequam ipse ea vtatur. quod non ita intelligendum est quasi hoc ita sit ex natura rei, & necessarium in omni delegatione iurisdictionis (nam sic idem deberet fieri in iurisdictione gratiosa) sed quòd Ius hoc particulatim in hac iurisdictione statuat.

69 Facultas gratiosa alia continet gratiã factam.

Altera verò facultas est gratiosa. quæ iterum duplex est. Prima continet gratiam factam, quando nimirum alicui conceditur aliqua potestas in ipsius fauorem: vt quando generatim alicui conceditur potestas dispensandi in certis votis, aut matrimonij impedimentis. hæc enim cùm non respiciant certas personas quibuscum dispensetur, & sit aliquid fauorabile & honorificum ei, cui conceditur; censetur huic per eam concessionem fieri gratia.

Aliã faciẽdam.

Secunda continet gratiam faciendam: quæ scilicet alicui conceditur in gratiam alicuius certij. Vt si Petro detur potestas dispensandi cum Paulo in votis aut impedimentis matrimonij. Tunc enim Paulo, non autem Petro fauor aliquis censetur fieri. Et hæc si res adhuc sit integra, morte concedentis exspirat. Secùs autem est de prima, vt habetur expressè c. *Si cui.* 36. de præbendis, in 6.

Secunda exspirat morte concedentis, secùs est de priore.

Nota Tertiò, facultatem aliquam posse alicui tripliciter delegari. Primò, ad certum aliquod tempus, v. c. ad tres menses, & tunc hoc elapso exspirat, vt per se patet. Secundò, ad tempus aliquod indeterminatum, v. c. si Pontifex det alicui facultatem audiendi confessiones, donec eam reuocauerit, aut ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, & tunc non exspirat morte concedentis, sed opus est vt ab eo, vel successore reuocetur. Secus est, si eam concedat ad beneplacitum suum, vel quamdiu ei placuerit. quia cùm mortuus non possit ampliùs habere beneplacitum, gratia concessa per eius mortem exspirat, idemque esset si concedens ab officio amoueretur: secùs esset si solùm excommunicaretur, vt fusè docet P. Sanchius l. 8. de matrim. disp. 28. num. 49. & sequent. Tertiò hæc facultas conceditur absolutè, & sine vlla limitatione: & tunc si sit gratia facta & concedatur à Pontifice, certum est eam non exspirare morte concedentis. Hoc enim habetur expressè c. *Si super gratia.* 9. de officio delegati. in 6. & cap. *Si cui.* 36. de præbendis in 6. *Sanchez.*

70 Facultas concessa donec reuocetur, aut ad beneplacitũ Sedis Apost. non exspirat morte cõcedentis.

Sed difficultas est, quando hæc facultas ita delegatur à Prælatis inferioribus. Quidam enim putant eam exspirare morte concedentis. Ita Palud. in 4. d. 17. q. 4. a. 3. concl. 7. D. Antonin. t. 17. c. 9. in fine. Angelus v. *Indulgentia.* vers. 7. & Siluest. v. *Indulgentia.* n. 18. Hi tamen duo hoc limitant, nisi ea concedatur causa cognita, & cum consensu Capituli. Ratio eorum est, quia Episcopus non potest committere suas oues alicui post mortem suam, aut pro tunc huic dare iurisdictionem. quod maximè vrget, quando alicui datur facultas eligendi confessorem: quia huic non datur actu iurisdictio antequam de facto eligatur. Secundò, quia contrarium cederet in præiudicium successoris. 71 *Palud. D. Antonin. Angelus. Siluester.*

Verius tamen existimo gratiam ita concessam etiam per inferiores Prælatos non exspirare morte concedentis. Ita Henriquez l. 7. de Sacramentis c. 21. *n.* 6. Sà v. *Gratia.* n. 4. Nauar. c. *Placuit.* de pœnitentia, d. 6. n. 16 2. P. Suarez disp. 26. sect. 3. num. 7. Sanchius l. 8. disp. 8. n. 75. Probatur, quia omnia Iura quæ dicunt potestatem delegatam exspirare morte concedentis, solùm loquuntur de causis contentiosis, secundùm quas gratiæ non sunt regulandæ, quæ absolutè dicuntur non exspirasse morte concedentis in Iuribus citatis n. 70. in fine. Et quamuis hæc loquantur de gratiis concessis à Pontifice, hoc tamen non faciunt causa restringendi, sed exempli gratia. Quare cùm eadem sit ratio in concessione facta à Papa, & ab aliis Prælatis, scilicet quòd decet fauores ampliari, & gratiam semel concessam permanere, eodem etiam modo vtrorumque concessio perdurabit. Secundò, quia aliàs grauissima orirentur incommoda, v. c. Si Episcopus delegasset alicui facultatem audiendi confessiones in aliqua ciuitate remota ab ea in qua moratur, & ipse circa pascha subitò moreretur; idque delegatus ignoraret, ac plurimas confessiones audiret, hæ essent inualidæ. Tertiò, quia vsus pro hac sententia facit: nam videmus Pœnitentiarios ab Episcopis constitutos, imò Sacellanos à Pastoribus ad confessiones audiendas assumptos, iis mortuis pergere suo officio fungi, donec à successoribus amoueantur. 72 Idem dicendum de gratia concessa per inferiores Prælatos. *Henriquez. Sà. Nauarr. Suarez. Sanchez.*

Ad Primum argumentum contrarium Resp. Episcopum non dare hanc potestatem post mortem, sed dum viuit, quæ post mortem eius durat. quod Iure ei suffragante facere potest. Et hoc clarum est, quando alicui confessario datur immediata potestas audiendi confessiones, aut dispensandi in votis. Vnde in hoc casu hæc res est certior: sed proportionaliter potest etiam concedi, quando alicui datur facultas eligendi confessarium, qui ea vtitur post mortem concedentis. Quia, etsi tunc confessor propriè non accipiat iurisdictionẽ, nisi cùm actu eligitur quod fit post mortem concedentis; tamen ipsa priùs quasi in radice ei data est in ipsa gratia, quæ pœnitenti priùs fuit concessa. Hoc autem modo posse Prælatum alicui dare iurisdictionem, quæ solùm post mortem dantis ei applicetur, patet. quia aliàs etiam Pontifex eam irritè daret: nam hic post mortem non plus potest quàm alij Prælati. Quod maximè verum est posita dispositione Iuris, quæ hac in re defectum, si quis esset, supplet. Ad Secũdum, nego hoc cedere in præiudiciũ successoris. quia potest hanc facultatẽ quãdo volnerit reuocare. 73

Nota demum, dupliciter posse alicui personæ in dignitate aut officio aliquo posito eiusmodi facultã- 74 Gratia cõcessa per-

sonæ cum ipsius vita exspirat.

tem concedi. Primò, ita vt concedatur immediatè ipsi personæ, siue in gratiam ipsius: & tunc dicitur concessio personalis, & exspirat mortuo eo cui delegata est, durátque quamdiu viuit, etiamsi officio defungatur. Secundò, ita vt concedatur quodammodò ipsi officio, siue ipsi personæ præcisè, prout tali officio fungitur; & dicitur concessio realis: & tunc hæc persona tamdiu habet eam facultatem, quamdiu eo officio fungitur, ea defuncta siue vita, siue officio, is qui ei succedit in officio eandem etiam habet. quia habet officium, cui illa facultas immediatè annexa est. Est communis DD. sed tota difficultas est, quando censeatur hæc concessio realis, quando personalis. quod ex variis signis potest colligi, quæ fusè prosequitur P. Sanch. l. 8. de matr. disp. 27. quem consulas.

Gratia concessa officio transit in successores.

Sanchez.

DVBIVM XI.

Qua ratione sit in Ecclesia potestas reseruandi aliqua peccata, ita vt inferior non possit ab iis absoluere?

75 HAnc potestatem nostri hæretici negant, sed ex falso fundamento, eò quòd negent in Ecclesia esse veram potestatem remittendi peccata. Catholici autem omnes hanc potestatem admittunt: sed inter eos sunt aliquot difficultates circa rationem ea vtendi.

Prima est, Vtrùm Superior possit inferiori præsertim habenti potestatem ordinariam, sine vlla causa adimere potestatem à quibusdam peccatis absoluendi? Qua in re certum est hoc illicitè facturum, quia hoc modo subditos contra omnem rationem grauaret; & talis reseruatio cederet magis in destructionem, quàm in ædificationem, cùm tamen ob hanc solam hæc potestas Ecclesiæ data sit, vt docet Trid. sess. 14. c. 7. Sed difficultas est, Vtrùm hoc validè faceret? Quidam id absolutè negant. quia hoc videtur repugnare intentioni Christi concedentis hanc facultatem; ac consequenter inualidè fieri. Alij docent Pontificem hoc validè facturum: secùs autem esse de Prælatis inferioribus.

Trident.

76 Secunda difficultas est, Vtrùm Prælati possint sibi reseruare peccata merè interna. Quidam id negant. quia ipsi hæc non possunt vetare aut punire: ergo nec reseruare. Sed hoc argumentum nihil probat. nam reseruare peccata non est ea punire aut prohibere.

Tertia difficultas est, Vtrùm Superiores possint sibi reseruare aliqua peccata venialia? Qua in re certum est, hæc non posse ita reseruari, vt pœnitens obligetur ea alicui certæ personæ confiteri, vt fit in mortalibus. Nam cùm non obligetur ea confiteri, non potest obligari vt ea confiteatur certæ personæ. Sed difficultas est, Vtrum possit Superior efficere vt inferior non possit ab iis sacramentaliter absoluere?

77 CONCLVS. Non solùm validè, sed etiam licitè ac laudabiliter Superiores reseruant sibi aliqua grauiora crimina, vt inferiores ab iis nequeant absoluere. Ita Trid. sess. 14. c. 7. & patet ex vsu Ecclesiæ. Quòd hoc validè fiat, patet ex dictis n. 7. 11. & 20. vbi ostendi solum Pontificem habere iure diuino iurisdictionem necessariam ad absoluendum à peccatis. quare reliqui omnes eam habent iure Ecclesiastico, & consequenter ab aliquo Superiore. quare sicut hic potest iis nullam iurisdictionem dare: ita potest dare limitatam: & consequenter inferiores nullam habebunt iurisdictionem in eas personas, cáve peccata, in quæ ipse iis eam non concederet, atque ita inualidè ab iis absoluent.

Licitè aliqua peccata reseruantur.

Quòd autem hoc etiam licitè fiat, probatur. Quia hoc sæpè ad salutem animarum potest expedire: tum vt pœnitentes meliùs à Superioribus dirigantur; tum etiam, vt diligentiùs eiusmodi peccata vitent, à quibus vident se tam difficulter absolui. Debet tamen hæc reseruatio (vt docet Trident. suprà) prudenter fieri, vt cedat in ædificationem, & non in destructionem.

Trident.

Hinc patet Primò, etiamsi hæc reseruatio illicitè fiat sine iusta causa, validè tamen fieri. quia cùm inferiores habeant suam iurisdictionem à Superioribus hoc ipso quo illi eam non dant, hi eam habere non possunt. Nec refert quòd Superiores in eo faciant contra voluntatem Christi: quia inde solùm sequitur eos peccare, non autem inualidè eos hoc facere. Possunt autem Superiores ita quædam peccata reseruare, non solùm dum inferioribus iurisdictionem conferunt (quod per se clarum est) sed etiam postea. quia, cùm potestas inferiorum in suo vsu sit semper subordinata Superiori, ab hoc continuò ac necessariò pendent, & consequenter prò ipsius voluntate restringitur. Quæ etiam vera sunt in Pastoribus respectu suorum Episcoporum, quibus non minùs sunt subiecti, quàm Episcopi sint subiecti Pontifici. Quare etsi hic possit illis prohibere ne sine graui causa suis Pastoribus iurisdictionem in aliqua peccata denegent; quamdiu tamen hoc non facit, ipsi hoc validè faciunt.

78 Reseruatio etiam illicitè facta est valida.

Potestas inferioris continuò pendet à Superiore.

Sequitur Secundò, Superiores posse validè reseruare sibi peccata merè interna. Quia non minùs est necessaria iurisdictio ad absoluendum à peccatis internis, quàm ab externis: & inferiores vtramque æqualiter à Superioribus accipiunt: ergo æqualiter est in Superiorum potestate vtramuis iurisdictionem vel in totum, vel ex parte non dare. De facto tamen nulla eiusmodi peccata reseruata sunt; & fortè non expedit ea reseruari. quia hoc ad Ecclesiæ gubernationem, quæ maximè externa spectat, non est necessarium: vt notat P. Suarez disp. 29. sect. 3. n. 3.

79 Peccata interna possunt reseruari.

Suarez.

Sequitur Tertiò, Superiorem posse etiam inferiorem priuare potestate necessaria ad absoluendum sacramentaliter ab aliquibus peccatis venialibus. quod saltem verum est de Pontifice. quia, vt ostendi n. 17. quòd omnes sacerdotes ab his possint absoluere; prouenit ex concessione Ecclesiæ, siue Pontificis, qui absolutè posset efficere, vt aliquis sacerdos à nullo omnino peccato posset absoluere. Quare etiam poterit efficere, vt non possit absoluere ab aliquibus. De reliquis verò Prælatis res est satis dubia. Nam cùm quiuis sacerdos nulla censura impeditus ex generali concessione Ecclesiæ habeat iurisdictionem in omnia peccata venialia; videtur hæc potestas non posse restringi à particularibus Prælatis, qui communem Ecclesiæ concessionem limitare non possunt.

80 Posset Pontifex alicui auferre potestatem absoluendi ab aliquibus venialibus: secùs est de aliis Prælatis.

Nota Primò, Clementem VIII. in quadam Bulla in hac re restrinxisse potestatem Prælatorum Religiosorum, vt sine matura discussione Capituli generalis, aut prouincialis non possint sibi illa peccata suorum Religiosorum reseruare, præter ea quæ ibi enumerat. hæc autem sunt. Primò, veneficia, incantationes & sortilegia. Secundò, apostasia à Religione sine habitu dimisso, sine recento, quando eò peruenit vt extra septa monasterij siue conuentus fiat. Tertiò, nocturna ac furtiua è monasterio seu conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta. Quartò, proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. Quintò, iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo. Sextò, procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum etiam effectu non secuto. Septimò, falsificatio manus seu sigilli officialium monasterij, aut conuentus. Octauò, furtum de rebus monasterij aut conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. Nonò, lapsus carnis voluntarius opere consummatus. Decimò, occisio aut vulneratio, seu

81 *Clem. VIII.*

Quæ peccata possint Superiores in religione reseruare.

seu grauis percussio cuiuscunque personæ. Vndecimò, malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores missarum. Quos casus Pontifex non præcipit omnes reseruari, sed permittit vt Superior possit vel omnes, vel eorum aliquos reseruare.

82 *Caietan. Nauarrus. Henriquez.* Peccata nõ reseruantur Papæ nisi habeãt annexam excommunicationem. *Henriquez.*

Nota Secundò, cum Caiet. v. *Casus.* Nauarro c. 27. n. 261. Henriq. l. 6. c. 14. n. 1. & plurimis aliis quos hic citat, nullum casum reseruari Papæ qui non habeat annexam excommunicationem: atque ita hac sublata reseruationem desinere. Vnde etiam quando peccata Papæ reseruata ita committuntur, vt ratione ignorantiæ ea committens non incurrat censuram, ea etiam non sunt reseruata: vt docet Henriquez suprà cum aliis. Hæc tamen intelligenda sunt secundùm communem & ordinarium cursum. Nam absolutè datur exceptio in iis qui simoniacè promouent, vel promouentur ad Ordines, quos Sixtus V. in bulla data anno 1589. non excommunicat, sed tantùm suspendit, & tamen ipsum peccatum Sedi Apostolicæ absolutè reseruat. Addunt alij secundam exceptionem ex Extrauag. *Inter cunctas.* de priuilegiis: vbi monetur Parochus ne mendaciter aut in fraudem dicat suum parochianum confitentem Mendicantibus fuisse excommunicatum, aut publicum peccatorem. & subditur: *Quia si hoc egerit, à delicto tali nisi planè satisfecerit, præterquam in morte absolui nequeat, nec de illo ad pœnitentiam aliter admittatur.* Vbi videtur Pontifex hoc peccatum sibi reseruare. Sed hoc non est verum; quia ibi nulla ponitur reseruatio, sed solùm præcipitur vt extra mortis periculum talis non absoluatur, quantumcumque proponat pro calumnia eam reuocando satisfacere, nisi hoc actu fecerit. Sicut c. vlt. de vsuris, in 6. præcipitur ne quis manifestum vsurarium absoluat antequam actu restituerit, aut cautionem de restituendo dederit.

Vnus casus extipitur.

Manifestus vsurarius nequit absolui nisi actu satisfecerit, aut cautionem dederit.

83 *Papa non solùm censuras, sed ipsa etiam peccata reseruat.*

Ex dictis aliqui inferunt, Pontificem non reseruare sibi immediatè vlla peccata, sed solam excommunicationem eis annexam, & solùm cõsequenter impedire absolutionem à peccatis, quatenus aliquis non potest ab his absolui, nisi priùs absoluatur à censuris. Sed alij communiter melius docent contrarium, quia aliàs sequeretur, eum qui multis innexus censuris Papæ reseruatis confiteretur bona fide alicui, quem falsò putaret habere potestatem se absoluendi, directè absoluendum ab omnibus peccatis, & solùm restare censuras, à quibus extra forum pœnitentiale posset absolui. quod videtur repugnare Tridentino sess. 14. c. 7. in fine: vbi insinuat talem non absolui à peccatis illis reseruatis. Atque etiam videtur repugnare praxi Ecclesiæ. quia prudentes omnes solent talibus præcipere vt secundò confiteantur.

Trident.

DVBIVM XII.

Quis possit directè absoluere à casibus reseruatis?

84 *Nemo potest sibi aut suo Superiori iurisdictionem auferre.*

CONCLVSIO I. Certum hac in re est Primò, eum hoc posse, qui sibi eos reseruauit, eiusque absolutè Superiorem in officio, aut successorem. quia nemo per reseruationem intendit, aut etiam potest vel sibi, vel suo absoluto Superiori iurisdictionem aut potestatem absoluendi adimere.

Secundò, idem dicendum de eo cui tales suam potestatem hac in re delegarunt. quia sicut possunt aliis adimere hanc potestatem: ita possunt iis eam rursum concedere.

Priuilegiati non tollunt reseruationem nisi in cõcessione fac. gratiæ, excepto casu excõmunicationis.

Nota, eum qui habet potestatem ordinariam absoluendi à reseruatis, posse tollere reseruationem etiam sine sacramentali confessione, quia potest suam potestatem alteri delegare. Secùs est de eo qui habet hanc potestatem solùm ex priuilegio, qui non potest tollere reseruationem, nisi intendendo sacramentaliter absoluere: nisi peccatum esset solùm reseruatum propter excõmunicationem. Nam vt suo loco dicam, talis potest absoluere à censuris non conferendo Sacramentũ.

85 *Concessa potestas absoluendi à peccatis non includit casus reseruatos. Nauarrus.*

Solùm hîc Nota Primò, quando Episcopus concedit alicui facultatem eligendi confessorem; aut audiendi confessiones, non censeri ei concedere facultatem vt possit absolui, vel absoluere à casibus Episcopo reseruatis, vt dicitur c. 2. de pœnitentiis, in 6. Vbi ratio dicitur: *quia in generali concessione illa non veniunt, quæ non esset quis verosimiliter in specie concessurus.* Vnde etiam infert Nauarr. c. 27. n. 261. Episcopum concedentem alicui potestatem absoluendi à casibus sibi reseruatis, censeri excipere eos qui annexam habent censuram, quia in his est particularis difficultas. Hæc tamen intellige, nisi ex circumstantiis aliud constet.

86 *Electus à peregrino aut alio habente facultatem, in confessarium, potest hunc eodem modo absoluere ac alios sibi subditos. Henriquez. Sayrus. Angles. Suarez.*

Nota Secundò, quando Episcopus aut Pastor alicui peregrinanti dat facultatem vt possit eligere confessarium, electum eum posse absoluere ab omnibus casibus, à quibus suos subditos potest absoluere, etiãsi aliqui in pœnitentis diœcesi reseruati sint. Henriq. l. 4. c. 8. n. 5. Siluest. v. *Confessor.* 1. n. 9. Angles in 4. de confess. a. penult. dubio *Poterunt ne Guardiani.* concl. 12. Suarez d. 30. sect. 1. n. 4. Et similiter si aliquis casus sint reseruati in diœcesi sacerdotis, ita vt hic non possit alios ab iis absoluere, nec hunc pœnitentem poterit ab iis absoluere, etiamsi in eius diœcesi non sint reseruati. Quia qui dedit pœnitenti eam facultatem, per eam non auxit nec minuit potestatem ipsius confessarij circa peccata remittenda; sed solùm pœnitentem ipsius iurisdictioni subiecit, vt pro potestate quam in eo foro habet, eum absolueret.

Idemque dicendum est de peregrinantibus etiam sine tali speciali licentia, quia, vt ostendi n. 61. ex communi Pastorum consensu possunt confiteri confessariis loci, in quo pro tempore subsistunt. Vide Caiet. v. *Absolutio.* 2. *Caietan.*

87 *Trident. Qua ratione Episcopi possint absoluere à casibus occultis?*

Nota Tertiò, Trident. sess. 24. c. 6. de reform. concedere Episcopis facultatem absoluendi suos subditos ab omnibus casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, per se, vel Vicarium ad hoc deputandum, præterquam ab hæresi, à qua solùm per se possint absoluere. Qua in re multum dubitatur, vtrùm huic priuilegio derogatum sit per bullam Cœnæ quoad casus in ea contentos. Multi id affirmant, & hæc sententia habet magnum fundamentum in verbis bullæ. Quidam tamen id negant. Congregatio autem Cardinalium, quam nos hic habemus, & quam plures citant, aliquando respondit ei derogatum esse quoad absolutionem ab hæresi. Vnde videtur Episcopis concedere absolutionem ab aliis casibus, & hoc satis est probabile, sed de hoc iterum agam in materia de censuris, d. 14. n. 243.

88 *Episcopi possunt varias personas absoluere à casibus Papæ reseruatis.*

Nota Quartò, c. *Mulieres.* 6. c. *Ea noscitur.* 13. & cap. *Quamuis.* 58. de sententia excommunic. concedi Episcopis vt varias personas impeditas adire Sedem Apostolicam, quæ inciderunt in excõmunicationem cap. *Si quis suadente.* possint cum certis conditionibus ab ea excommunicatione absoluere ad euitanda pericula animarum, in quæ incurrerent si absolutio deberet diu differri. Quæ ratio cùm militet etiam in aliis casibus Pontifici reseruatis, auctores communiter etiã ad hos eandem facultatem extendunt. Sed hac de re pluribus agemus in materia de censuris d. 14. dub. 16. n. 234.

Addunt alij, idem dicendum esse de Pastore respectu casuum Episcopo reseruatorum, quando hic non posset adire; sed non satis probant: & vix potest talis contingere necessitas, cùm facilè ab Episcopo possit obtineri facultas ab iis absoluendi: nisi fortè in necessitate aliqua subita, in qua quid agendum sit, dicemus dubio sequenti.

89 Nota Quintò, varios Religiosos habere varia in hacre priuilegia; sed de his nobis hìc tractandum non est, quia singulorum est dispicere quid hac in re ipsis concessum sit. Solùm hìc disputari posset, cùm hæc priuilegia dentur solùm pro foro interno, quid valeat pro externo. Sed commodiùs hac de re agemus disp. 14. n. 246.

90 *Trident. Quid obseruandum in iis qui instante morte absoluuntur casu Papæ reseruato.*

Conclvsio II. In articulo mortis quiuis sacerdos potest directè absoluere à quibuslibet peccatis & censuris, quia tunc nulla est casuum reseruatio, vt docet Trident. sess. 14. c. 7. Quando tamen aliqui hac occasione ita absoluuntur ab excommunicatione Pontifici reseruata, debet priùs ab ijs exigi iuramentum, quòd, si conualescant, præsentabunt se ei, à quo extra tale periculum poterant absolui: vt expressè habetur cap. *Ea noscitur* 13. de sententia excommunicationis.

In articulo mortis quando adsunt, qui aliàs possunt pœnitentem à reseruatis absoluere, alij id facere nequeunt.

Nota, cùm tunc ijs, qui aliàs non possunt absoluere à casibus reseruatis, hæc potestas solùm detur ob necessitatem moribundi, tales non posse ab his absoluere, quoties potest aliquis haberi, qui ordinaria potestate ab ijs absoluere potest: vt communiter DD. tenentur, quia tunc cessat omnis necessitas, & pœnitens de iure hic tenetur confiteri. Quare credo idem dicendum esse, quando adest aliquis qui ex priuilegio potest à reseruatis absoluere, quia tunc videtur esse eadem ratio, scilicet cessatio necessitatis. Alij tamen contrarium dicunt, quia est priuilegium quòd pœnitens huic possit confiteri, quo non tenetur vti. Sed non videtur satisfacere, quia; etsi confessarij priuilegium non obliget pœnitentem vt eo vtatur; tamen absolutè efficit vt tollatur necessitas confitendi ei, qui solùm habet potestatem absoluendi à reseruatis ratione præsentis necessitatis, & consequenter hac sublata, eam non videtur habere.

91 *Absoluens inualidè cõfitentem liberat eum à reseruatione casuum. Caietan. Siluester. Henriquez. Suarez.*

Conclvsio III. Confitens integrè casus reseruatos ei, qui habet potestatem ab omnibus absoluendi; si ab eo absoluatur, etsi inualidè quoad remissionem peccati ob suam indispositionem, tamen liberatur à reseruatione: ita vt postea à quouis habente potestatem in eius peccata mortalia possit absolui. Ita Caiet. v. *Casus*. Siluester v. *Confessio*. 1. q. 19. Henriquez l. 6. c. 16. n. 5. qui plurimos alios citat. Suarez d. 31. sect. 4. n. 9. Probatur, quia ita absoluens intendit ab illis peccatis absoluere quantum potest secundùm præsentem pœnitentis dispositionem: atqui potest efficere vt absolutio valeat ad tollendam reseruationem: ergo hoc facit. Confirm. Primò, quia ita confitens satisfacit fini quem Superior intendit per reseruationem casuum, qui solùm erat vt se suo Superiori præsentaret, à quo posset melius in via salutis dirigi, ac salutarem pœnitentiam accipere, quod ipse iam præstitit: ergo omnino verisimile est Superiorem saltem velle tollere reseruationem. Confirm. Secundò, quia, si talis extra Sacramentum sua peccata exposuisset Superiori petens pro ijs pœnitentiam; hic eam iniungendo debuisset censeri tollere eorum reseruationem: ergo etiam eam sustulit per talem absolutionem, quia ea confessio saltem tali narrationi æquiualet.

92 *Idem dicendum de eo qui solùm ex priuilegio à reseruatis absoluit.*

Et hæ rationes satis hanc conclusionem probant, quando cõfessio fit ei qui habet potestatem ordinariã. Maior tamen est difficultas quando confessarius hat solùm delegatam, quia solum videtur posse tollere reseruationem per absolutionem sacramentalem. Hæc autem absolutio non est sacramentalis. Sed auctores citati etiam de hoc idem asserunt, quia quamuis ille per se non possit tollere talem reseruationem sine absolutione sacramentali; tamen videtur Superior hac in re eius defectum supplere: tum quia, vt dixi, talis pœnitens satisfecit fini reseruationis: tum etiam quia, cùm hoc tam multi auctores asserant, & Superiores hoc sciant nec contradicant, censentur in eo consentire. Et hoc omnino certum est, quando peccatum est solùm reseruatum propter annexam censuram, quid talis confessarius ab hac potest absoluere, etiam extra collationem Sacramenti, vt suo loco dicam.

93 *Extendunt hoc Doctores ad casus inculpabiliter omissos. Siluester. Adrianus. Gabriel. Nauarrus. Angelus. Sà. Rosella. Henriquez.*

Nota, Doctores ferè communiter asserere, si quis confiteatur habenti potestatem ipsum absoluendi ab omnibus suis casibus reseruatis, si fortè aliquos ex oblitione inculpabiliter omittat; in his tolli omnem reseruationem. Ita Siluester v. *Confessio*. 1. quæst. 4. Adrianus q. 4. de confessione. §. *si petas circa dicta*. Gabriel in 4. disp. 17. quæst. 1. art. 3. d. 2. sub finem, Nauarrus c. 26. num. 13. Angelus *Confessio*. 1. n. 11. Emanuel Sà ibidem, n. 7. Rosella *Confessio*. 2. n. 9. Henriquez l. 6. c. 16. n. 5. vbi plurimos citat. Addunt multi id esse verum si confessarius hoc intendat, quia certum est non tolli reseruationem, si confessarius hoc nullo modo intendat.

94 Qua in re certum est, si confessarius habeat potestatem ordinariam absoluendi à reseruatis, omnem reseruationem per talem absolutionem tolli si ipse hoc intendat: quia potest eam tollere etiam extra confessionem.

Sed difficultas est Primò in confessario habente solùm potestatem delegatam per priuilegia, quia hic non videtur posse tollere reseruationem, nisi absoluendo directè à peccatis. Auctores tamen citati absolutè loquuntur de quouis confessario, quare ego credo hoc generaliter posse asseri. Nam cùm Pontifices sciant sua priuilegia à Doctoribus sic intelligi, vt tales possint etiam tollere reseruationem peccati bona fide in confessione omissi; valdè probabile est ipsos ea hac intentione dare, quod certum est, quando peccatum est solùm reseruatum ob annexam excommunicationem.

95 Secundò, est difficultas, vnde possimus colligere confessarios semper intendere omnium peccatorum quæ in confessione bona fide omittuntur, reseruationem tollere? Quidam docent, quando pœnitens confessario significat se ad eum venire, vt absoluatur à reseruatis; hunc talem absoluendo semper censeri velle tollere omnem reseruationem etiam peccatorum quæ alter oblitus est. Quia cùm pœnitens eo casu hoc satis apertè petat, confessarius omnino hoc ei per absolutionem censetur velle concedere. Secùs autem esse, quando nihil simile intuendo solùm communi modo confitetur, quia tunc nullum est indicium, vnde talis confessarij voluntas possit colligi. Et priorem quidem partem huius doctrinæ credo etiam esse veram: in secunda autem est aliqua difficultas.

96 *Cõfessarius debet pœnitentem priùs absoluere ab omni excommunicatione, quam à peccatis.*

Sit igitur IV. Conclvs. Quando pœnitens bona fide omittit aliquod peccatum, quod solùm est reseruatum ob annexam excommunicationem, vt fit in casibus Papalibus; semper confessarius ante absolutionem sacramentalem tenetur tollere omnem reseruationem peccatorum, quam hìc & nunc licitè potest tollere. quia, cùm sine graui necessitate non possit licitè dare absolutionem sacramentalem excommunicato; necessariò debet eum absoluere quantum licitè potest, ab omni excommunicatione priusquam absoluat sacramentaliter. Ita P. Vasquez hìc q. 91. art. 3. dub. 5. n. 11. Sublata autem excommunicatione tollitur etiam reseruatio in eiusmodi casibus.

Vasquez.

97 Respondent aliqui, confessarium tunc talem non absoluere absolutè ab excommunicatione, sed solùm ad reincidentiam ad hunc effectum obtinendum: ita vt pœnitens statim post absolutionem sacramentalem reincidat iterum in excommunicationem.

Confessarius debet pœnitentem absolutè ab excommunicatione absoluere.

Sed contrà facit Primò, quòd non sit vlla ratio cur dicamus confessarium tunc solùm velle pœnitentem hoc modo absoluere. imò debet censeri velle eum absolutè absoluere: quia cẽsetur velle prodesse pœnitẽti, quantum hìc & nunc licitè potest, & cum reddere ha-

bilem ad Sacramentorum perceptionem, & administrationem si sit sacerdos, quem aliàs contingeret læpiùs in excommunicatione talia facere: quæ confessarius, quantum commodè potest, tenetur euitare. Secundò, quia, vt dicam disp. 13. dub. 6. nemo extra casus iure expressos potest hoc modo absoluere ad reincidentiam, ita vt absolutus sine noua culpa in censuram reincidat, nisi solus summus Pontifex.

Dixi, *quam hic & nunc licitè potest tollere*, quia quando quis est excommunicatus ob damnum alteri illatum, præsertim ad partis instantiam, sine iniustitia non potest absolui priusquam parti satisfaciat, nisi necessitas aliud suadeat: vt dicam disp. 14. nu. 205. Ob eandem causam nunquam censetur confessarius velle absoluere pœnitentem ab excommunicatione, quam sponte sine iusta causa reticet.

98 CONCL. V. Etsi satis sit probabile eum qui non significat confessario se eum accedere vt absoluatur à casibus reseruatis, non liberari à reseruatione oblitorum, qui per se sine censura reseruati sunt. Atque ita tali suadendum sit, vt cùm eorum postea recordatur, ea confiteatur habenti potestatem absoluendi à reseruatis: tamen contrarium est etiam probabile. Primò, quia auctores citati nu. 93. absolutè asserunt in confitente talia peccata confessario habenti potestatem ab omnibus absoluendi, tolli omnem reseruationem eorum, quæ bona fide omisit. Secundò, quia, etsi talis pœnitens hoc explicitè non petat, censetur tamen interpretatiuè petere, quia venit ad confessionem, vt, quantum fieri potest, à peccatis omnibus liberetur, &, si ei occurreret se habere aliqua peccata reseruata, omnino peteret reseruationem tolli, quare confessarius qui ei cupit omnino prospectum, etiam censetur hîc & nunc velle eum liberare à peccatis, quantum licitè potest: & consequenter tollere reseruationem. Item cùm tam licitè possit in tali tollere omnem reseruationem, atque in eo qui hoc explicitè petit, cur non dicamus ipsum eam in vtroque æqualiter velle aut nolle tollere?

DVBIVM XIII.

Vtrùm is qui non habet potestatem absoluendi à reseruatis, possit extra periculum mortis ab aliis peccatis absoluere eum, qui tales casus habet?

99 PRima sententia absolutè negat id vnquam fieri posse. Citantur pro ea Durand. in 4. d. 17. q. 15. & Richard. ibid. art. 2. q. 8. ad 2. Sed hoc ipsi non dicunt; imò Richardus satis expressè docet contrarium. Huic autem sententiæ videtur fauere Trident. sess. 14. c. 7. vbi ait, *Extra quem articulum sacerdotes cùm nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad Superiores & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.* Vbi insinuat tales sacerdotes non esse legitimos iudices talium pœnitentium: & consequenter nullo modo posse eos absolnere. Confirmatur, quia talis pœnitens vel absolueretur à peccatis reseruatis directè; & hoc videtur apertè repugnare Tridentino, quia confessarius sic esset absolutè legitimus iudex eorum peccatorum: vel solùm indirectè; & hoc dici nequit, quia sic solùm absoluimur à peccatis legitimè in confessione omissis.

Durand. Richard. Trident.

Secunda sententia omnino contraria absolutè docet id fieri posse. Ita D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. a. 4. quæstiunc. 2. ad 4. Paludan. ibidem q. 5. ar. 1. circa medium. Gabriel ibidem q. 1. ar. 3. dub. 2. casu 1. D. Antonin. tit. 14. c. 19. §. 6. Siluest. *Confessio.* 1. q. 19. Qui auctores omnes absolutè id asserunt. Verosimile tamen est eos requirere aliquam necessitatem, vt licitè fiat, etsi hoc non exprimant.

D. Thom. Paludan. Gabriel. D. Antonin. Siluester.

Tertia sententia docet, in casu necessitatis id fieri posse, si pœnitens non habeat excommunicationem reseruatam: si autem habeat, negat fieri posse, quia nec confessarius potest eam excommunicationem tollere, nec ea non sublata validè pœnitentem absoluere. Ita Soto in 4. d. 18. qu. 2. art. 5. propos. 2. ad 1. *Soto.*

Quarta sententia docet, vrgente necessitate etiam talem posse sacramentaliter absolui, modò confiteatur aliqua peccata non reseruata. Ita P. Henriquez l. 6. c. 15. num. 1. citans alios, & P. Suarez disp. 31. sect. 3. n. 2. *Henriquez. Suarez.*

CONCLVSIO I. Qui non habet potestatem absoluendi à peccatis reseruatis, nullo modo potest directè ab iis absoluere, quia deest illi necessaria ad hoc iurisdictio, quæ per reseruationem ei subtrahitur: vt apertè insinuat Trident. sess. 14. c. 7. Vnde docet, talem in hæc peccata nihil posse, scilicet directè & per se ea remittendo. Vnde sequitur, eum qui tali confiteatur sola peccata reseruata, inualidè omnino ab eo absolui, quia nullam ei materiam suggerit, in quam tamquam legitimus iudex possit ferre sententiam. 100 *Trident.* Qui non habet potestatem in reseruata, inualidè absoluit eum, qui hæc sola confitetur:

CONCLVS. II. Quando pœnitens tali confessario bona fide confitetur simul cum reseruatis aliqua peccata non reseruata, validè ab eo absoluitur; directè quidem à non reseruatis, à reseruatis verò indirectè, & cum onere ea iterum confitendi. 101 validè tamen absoluit eum, qui simul alia confitetur.

Probatur, quia hîc ponitur vera materia Sacramenti, scilicet attritio & confessio peccatorum non reseruatorum legitimo iudici facta, quia horum ille sacerdos est legitimus iudex. Ponitur etiam legitima forma cum necessaria intentione: ergo ponitur verum Sacramentum, quia ad hoc præter dicta nihil requiritur. Confirmatur Primò, quia reseruans aliqua peccata, eum qui ea cõmittit non subtrahit Pastoris sui iurisdictioni, sed relinquit ipsum ei subditum, & solùm ipsi Pastori subtrahit iurisdictionem circa ea peccata reseruata. Vnde Trident. non dicit talem confessarium nihil posse circa ipsum pœnitentem, sed circa peccata reseruata, nec esse horum legitimum iudicem: ergo ipse retinet veram iurisdictionem circa personam & alia peccata confitentis, & consequenter horum est legitimus iudex, & potest ab iis directè absoluere. *Trident.*

Confirmatur Secundò, quia aliàs sequeretur, eum, qui haberet aliquod peccatum reseruatum cuius esset omnino oblitus, numquam à suo Parocho validè absolni; quia hic in personam pœnitentis, atque alia ipsius peccata nullam haberet iurisdictionem.

Dices, talem tunc validè absolui, quia ipse illud peccatum non confitetur: secùs autem esse quando illud confiteretur, quia in priore casu pœnitens potest saltem indirectè absolui à peccato reseruato: secùs est in secundo casu, quia indirecta absolutio non potest dari nisi respectu peccatorum quæ in confessione legitimè omissa sunt: cuius ratio est, quia pœnitentem directè ab aliquibus peccatis absolui nihil est aliud quã eum absolui à peccatis quæ expressè confitetur sacerdoti, quare qui casus reseruatos confiteretur, non poterit indirectè ab iis absolui; nec etiam directè, quia sunt confessario reseruati; atque ita non poterit etiam absolui ab aliis. Et confirmatur, quia etsi confessio peccatorum ob aliquam necessitatem possit diuidi, iudicium tamen ac absolutio peccatorum nullo modo potest diuidi. 102

Sed ego non possum videre quo fundamẽto hæc nitãtur. Ad obiectionem igitur, nego vllã inter vtrumq; casum esse differentiam, quare, modò sit necessitas ita confitendi, poterit eodem modo in vtroque casu absolui indirectè ab omissis aut reseruatis, ab aliis directè.

Ad probationem, nego assumptum: nam ad directam absolutionem non sufficit qualiscunque peccati cõfessio, sed necessariũ est vt fiat legitimo iudici, qualis

non est talis sacerdos respectu casus reseruati: quare ille ab hoc non aliter absoluit, quàm ab oblitis, vnde etiam talis peccati confessio non est hîc & nunc necessaria per se, sed solùm quatenus est necessaria vt possit de reliquis peccatis, ac toto statu pœnitentis legitimum iudicium ferri, quantum hîc & nunc ferri potest; vt dixi sup. d. 7. n. 85. & 86.

Quomodo absolutio possit dimidi.

Confirmatio verò si intelligatur de absolutione directa, quasi pœnitens nequeat directè absolui ab vno peccato, nisi directè absoluatur ab omnibus, est apertè falsa. nam qui inculpabiliter aliqua peccata mortalia omittit, ab aliis directè absoluitur, nō tamen ab his. Quòd si solùm ita intelligatur, quòd necessariò pœnitens absoluatur ab omnibus mortalibus, saltem indirectè, est vera; sed nihil facit ad rem: quia fatemur talem indirectè absolui ab omnibus. Quòd si verò intelligatur, quòd absolutio directa necessariò integrè detur respectu omnium mortalium quæ pœnitens confitetur; sumitur apertè principium iam refutatum: nisi intelligatur de peccatis quæ pœnitens iam confitetur legitimo iudici, quæ nos etiam fatemur semper vel omnia directè remitti, vel nulla: sed hoc nihil contra nos facit, quia agimus hîc de casu in quo confessarius non est legitimus iudex respectu omnium mortalium, quæ pœnitens confitetur, & dicimus eum tunc existente legitima causa posse hunc absoluere ab aliquibus directè, & ab aliis indirectè.

Confirmantur hæc omnia: quia ex contraria sententia sequitur Primò, eum qui scit se habere casus reseruatos, nec habet præsentem qui ab iis possit absoluere, & tamen sine scandalo & infamia non potest omittere confessionem & communionem, debere necessariò in confessione tacere peccata reseruata, quia aliàs redderet se incapacem absolutionis, atque ita perfectior confessio impediret absolutionem, quæ tamen ad eam obtinendam à Christo est instituta.

Respondent aliqui, talem non posse tunc confiteri, sed debere communicare ac si non haberet confessarium.

Sed contrà Primò. Quid si talis per aliquot menses non posset habere legitimum confessarium, & tamen teneatur quotidie celebrare? aut si quantumcumque conetur excitare contritionem, tamen omnino sibi videatur tantùm esse attritus, numquid sine confessione poterit communicare? Dura hæc valdè sunt. Secundò, si talis haberet aliquam legitimam causam omittendi in confessione casum reseruatum, secundùm dicta d. 7. dub. 9. posset eum omittendo legitimè absolui, quia esset eadem ratio huius atque illius qui talis casus esset omnino oblitus: atqui secundùm illam sententiam in dictis casibus pœnitens haberet legitimam causam omittendi casus reseruatos, quia non posset eos hîc & nunc confiteri sine graui suo nocumento spirituali, reddendo se incapacem absolutionis, & cum anxietate communicando: ergo poterit eos omittere, quia illa incommoda, præsertim quando diu durant, non sunt minora multis aliis, ob quæ secundùm omnes licet non integrè confiteri.

Sequitur Secundò, eos qui memores quidem sunt suorum peccatorum, sed nesciunt suum Parochum ab aliquibus non posse absoluere, inualidè ei confiteri, atque ita grauissimè decipi, ac sine sua culpa (nam ad id non tenentur scire à quibus peccatis Parochus non possit absoluere) & priuari fructu Sacramenti, & manere obligatos posteà omnes suas confessiones repetere. Quæ omnia & absurda sunt, & cum graui periculo animarum coniuncta. Vnde talis reseruatio magis cederet in destructionem, quàm in ædificationem; contrà quàm Trident. suprà eam docet debere fieri. Et ad disciplinam Ecclesiasticam seruandam sufficit, quòd talis Parochus non possit ab his peccatis directè absoluere, sed solùm indirectè, sicut ab oblitis: ita vt subditus posteà rei veritatem cognoscens, teneatur ea iterum confiteri.

Trident.

Conclvs. III. Confessarius tamen extra casum necessitatis, talem illicitè absoluit, quia vtitur hoc Sacramento aliquo modo contra ipsius institutionem: nam solùm est institutum ad directam peccatorum remissionem, non autem ad indirectam, vt ostendi d. 7. num. 2. Secundò, quia, quòd in hoc Sacramento requiratur necessariò integra peccatorum mortalium confessio, non tam est propter integritatem confessionis, quàm propter integritatem absolutionis, quam nullo modo decet dimidiari, sine graui necessitate, sicut peccatorum dimidiata remissio numquam fieri potest: in tali autem casu dimidiatur directa absolutio. 103 Talis sine necessitate illicitè absoluitur.

Tertiò, quia tunc non sola absolutio, sed etiam confessio dimidiatur, nam cùm talis confessarius non sit legitimus iudex peccatorum reseruatorum, eo casu non fit integra confessio iudici competenti: quod tamen ad integritatem confessionis est necessarium.

Ex quo sequitur, eum qui sine necessitate peccata reseruata tali scienter confiteretur, grauiter peccaturum, & consequenter inualidè id facturum, quia non esset dispositus ad susceptionem Sacramenti. Quòd tamen sacerdos in absoluendo peccet, vel non peccet, nihil facit ad valorem Sacramenti, si pœnitens sit legitimè dispositus, quia ministri malitia non minuit valorem Sacramenti. Quòd si sacerdos peccet non minuit valorem Sacramenti.

Conclvsio IV. Idem dicendum de eo qui est excommunicatus excommunicatione reseruata. Si enim hic bona fide confiteatur aliqua peccata non reseruata simul cum reseruatis, validè absoluitur: nam nullo modo est de essentia huius Sacramenti vt pœnitens priùs absoluatur ab excommunicatione, quàm à peccatis; vt cum aliis bene notat Nauarr. c. 9. n. 4. quia aliàs qui incidisset in talem excommunicationem & esset omnino eius oblitus, non posset tota vita à suo Parocho validè absolui, atque ita ex contraria sententia grauia sequerentur incommoda. 104 Non est de essentia Sacramenti vt pœnitens priùs absoluatur ab excommunicatione. Nauarrus.

Concl. V. Vrgente aliqua necessitate quæ sufficeret ad non integrè confitendum (de qua dixi disp. 7. nu. 77.) aut ad communicandum sine confessione (de qua egi tom. 1. q. 80. art. 3. dub. 2.) habens casus reseruatos licitè etiam scienter confitetur ei qui solùm habet potestatem in peccata mortalia non reseruata, liciteque ab eo absoluitur, cum onere tamen peccata reseruata secundò confitendi habenti directam in ea potestatem; quia ab his tantùm indirectè absoluitur. Ita omnes auctores primæ & quartæ sententiæ. Probatur, quia si id non liceret, tota eius ratio esset, quia hac ratione dimidiantur confessio & absolutio: atqui non minùs, imò aliquo modo magis dimidiantur, quando confessio fit non integrè, vt per se patet: ergo causæ quæ ad hoc sufficiunt, etiam ad illud sufficiunt. 105 Posita necessitate talis cōfessio est licita.

Ad Primum argumentum pro prima sententia allatum Respondeo, Trident. solùm ibi dicere, talem confessarium non esse legitimum iudicem talium peccatorum reseruatorū: atque ita in iis nihil posse quoad directam absolutionem; sed debere talem pro hac obtinenda mittere ad Superiorem. Cum hoc tamen consistit quòd sit legitimus iudex talis personæ respectu aliorum peccatorum, & quòd vrgente necessitate possit eum ab his absoluere. Ad Secundum Respondeo, talem tàm̄ indirectè ab iis absolui, quia ea non confitetur legitimo iudici, quod tamen necessarium est ad directam absolutionem, tenetur tamen ea omnia integrè confiteri, vt ostendi d. 7. n. 86. Trident.

Hinc pater Primò, præstare hoc modo confiteri & absolui, quàm communicare sine confessione. Primò, quia, cùm sit probabile iure diuino requiri vt cōstet sibi peccati mortalis ante communionem confitentur: 106 Præstat ita confiteri, quàm sine confessione

communi-cant.

maior videtur indecentia hunc ordinem inuertere, quàm minuere integritatem confessionis, cùm illud Sacramentum longè maiore reuerentia sit tractandum quàm hoc. Secundò, quia, cùm non ita facilè habeatur contritio, communiter incerti sumus an eam habeamus, etiam cùm nos maximè credimus esse contritos, quare qui conscius sibi peccati mortalis communicat, ferè exponit se alicui periculo communicandi in statu peccati mortalis: quod summopere vitandum est, quoad fieri potest. Vnde vlteriùs sequitur, eum qui præter peccata reseruata non habet nisi venialia, longè meliùs facere etiam tali confessario omnia sua peccata confitendo, quàm communicando sine confessione. imò, nisi omnino crederet se esse contritum, *ad hoc teneretur.*

107 Dicta etiã locum habent in excommunicato.

Patet Secundò, hanc conclusionem etiam extendendam ad casum in quo pœnitens esset excommunicatus excommunicatione reseruata. Ad hoc tamen requireretur aliqua maior necessitas, quàm si non esset excommunicatus: quæcunque tamen sufficeret, vt posset ante absolutionem communicare, sufficeret vt posset ita confiteri, quia, vt dixi, minorem indecentiam continet talis confessio, quàm talis communio, quare quæ necessitas permittit ita communicare, permittit etiam confiteri.

Quid faciendum in casu, quo liceret deses habere solum sacrilegium in venialia? *Suarez.*

Dices tandem, ex dictis sequi habentem casus reseruatos, aut saltem alia mortalia, in simili necessitate licitè confiteri etiam ei qui solùm habet potestatem absoluendi à peccatis venialibus, modò simul confiteatur aliqua venialia.

Respondeo, cum P. Suarez d. 31. sect. 3. nu. 10. sequelam videri satis probabilem. sed, *quia hic* deest Doctorum auctoritas & vsus Ecclesiæ, quæ in hac re *maximi facienda sunt*; consequens non esse facilè admittendum, nisi fortè in grauissima necessitate: vt si quis aliàs multis annis deberet carere confessione, vel simili casu. Vnde etiam ratio diuersitatis petenda est: quia scilicet illud est secundùm vsum Ecclesiæ, & Doctorum auctoritatem, & consequenter licitum: alterum verò iis repugnat, ideoque videtur illicitum.

DVBIVM XIV.

Vtrùm Superior inferiori petenti facultatem, vt possit alicui alteri confiteri casus reseruatos, & ab eo absolui, id teneatur concedere?

108 Superior quandoque ex iustitia tenetur subdito dare facultatem alteri confitendi.

HAc in re certum est, quando inferior habet aliquas iustas causas extrinsecas confessioni, ob quas meritò recusat confiteri suo Superiori, vt quia probabiliter timet reuelationẽ sigilli, aut ne Superior graue odium circa se concipiat, aut ne scientia ex confessione habita abutatur in ordine ad regimen cum damno inferioris, &c. tunc Superiorem, cùm iniuriosè sit alteri causa cur auertetur ei confiteri, teneri ex iustitia ei dare facultatem alteri confitendi, vt omnes fatentur, nam faceret ei grauem iniuriam cogendo eum sibi in iis circumstantiis confiteri. *Sed* hæc difficultas præcipua est, quando inferior solùm ex aliqua verecundia, aut simili passione refugit confiteri Superiori. In quo casu quidam videntur generatim negare, Superiorem eam facultatem teneri concedere. Contrà verò Soto in 4. d. 18. quæst. 2. art. 5. §. *Circa tertium.* Siluester *Confessor.* 1. n. 13. & alij docent, Superiorem teneri inferiori petenti veniam alteri confitendi præbere se facilem; nisi meritò præsumat, hunc hoc petere vt habeat occasionem persistendi in peccato. Quibus consentit D. Thomas in 4. d. 17. q. 3. a. 3. quæstiunc. 4. ad 6. vbi addit, *Vnde illi qui sunt nimis solliciti, vt conscientias subditorum per confessiones sciant, multis laqueum damnationis iniciunt, & per consequens sibipsis.*

Soto. Siluester.

209 CONCL. I. Superior ex charitate atque adeò ex officio tenetur inferiori talem facultatem petenti cõcedere, quoties credit grauiter ei obfuturum si negetur; vt quòd vel non fit confessurus, vel non integrè; etiamsi hoc solùm proueniat ex inordinata verecundia, aut alia apprehensione inferioris. Ratio est, quia, sicut confessio, ita reseruatio casuum maximè inducta est in vtilitatem pœnitentium, vt possint ita meliùs in via spirituali dirigi: quare ipsa non debet ita obseruari vt cedat in eorum detrimentum & destructionem: vt docet Trident. sess. 14. cap. 7. Hoc tamen intellige, nisi constaret Superiori peccatum subditi vergere in scandalum aut detrimentum aliorum, quod non posset aliter impediri, *nisi Superior illud sibi reseruaret*, & hoc modo speraret se posse omnino illud impedire *sine vlla sigilli violatione. Item nisi crederet* eiusmodi concessionem cessuram in aliorum perniciem, qui inde sumerent occasionem faciliùs peccandi, exspe similis facultatis obtinendæ. Tunc enim Superior magis teneretur prospicere multorum saluti quàm vnius. Sed talia non sunt facilè præsumenda. Nam cùm eiusmodi concessiones sint omnino secretæ, rarò ex iis talia solent contingere. *Et is cui ea negatur*, sæpè vi seueritatis actus in desperationem, in aliorum peruersionem incumbit, qui aliàs fortè fuisset omnino emendatus.

Quãdoque ex charitate ad hoc tenetur.

Trident. Excipe aliquot casus.

110 Illa facultas concedenda est quoties creditur futura vtilis, aliàs non.

CONCLVS. II. Similiter hæc facultas concedenda est, quoties ex concessione maior vtilitas pœnitentis speratur, quàm ex negatione, *nisi aliunde* grauiora timeantur incommoda. Quia, vt dixi, hæc reseruatio præcipuè est instituta pro salute pœnitentium, *quare* ei debet deseruire. Secùs est quando non speratur illa vtilitas ex concessione, quia tunc nulla est causa cur Superior teneatur iure suo cedere, etsi hoc facere possit. Quòd si verò ex concessione timeantur graviora mala, aut etiam notabiliter minor fructus, quàm ex negatione; tunc Superior tenetur eam non concedere, quia ipsius est procurare maiorem fructum suorum subditorum.

111 Conuenit vt Superior in hac re sit facilis. *D. Thom.*

CONCLVS. III. Quando Superior non habet *iustas* rationes in contrarium, debet se satis facilem præbere in hac concessione: quia communiter grauius malum oritur ex negatione quàm ex concessione: vt patet ex D. Thom. *n.* 108. *in fine* citato.

Nisi habeat graues rationes in contrarium.

Nota, quando inferior hanc facultatem (vt ferè ordinariè fit) petit per suum confessarium, expedire omnino vt Superior hac in re sit iudicio ipsius confessarij, an expediat hîc & nunc dare eam facultatem nec ne. Quia cùm hic semper personam, & sæpè casum pro quo facultas petitur cognoscat, potest faciliùs scire quid expediat, quàm ipse Superior, qui ea omnino ignorat. Excipe tamen *casum* quo haberet graues rationes in contrarium: vt si (maximè in Religione) videret valdè frequenter eiusmodi licentiam à se exigi, & interim disciplinam religiosam laxari; ita vt meritò sibi posset persuadere suam facilitatem cedere in communis disciplinæ detrimentum, & aliis esse occasionem faciliùs peccandi.

Confessarius cautè debet hanc veniam petere.

Nota Secundò, quando confessarius hanc veniam petit, ita cautè hoc debere facere, vt Superior nullo modo possit aut personam, aut casum ob quem ea petitur, coniicere. Nam aliàs esset periculum frangendi sigilli, si confessarius ea ex confessione nouisset; aut secreti naturalis, si extra confessionem ea nouisset.

112 Superior potest petenti eam facultatem certum cõfessarium præscribere, &c.

CONCLVSIO IV. Non tamen semper tenetur Superior dare pœnitenti facultatem vt eligat confessarium quem voluerit, sed potest ei certum aliquem aut certos aliquos è quibus vnum eligat præscribere: quamuis etiam hac in re non expediat eum communiter esse validè difficilem, præsertim quando scit personam quam pœnitens eligit, esse idoneam. Item potest eam facultatem concedere cum certa conditione, vt confessarius certam pœnitentiam iniungat: quam &

hic tenebitur deinde imponere, & pœnitens acceptare. Paret ex legibus pœnitentialibus, quæ olim pro diuersis peccatis diuersas pœnitentias præscribebant. Communiter tamen consultius fuerit, hac etiam in re multum prudentiæ confessarij fidere: qui ex circumstantiis melius dispicier quid expediat.

DVBIVM XV.

Vtrùm Superior possit supradictam facultatem concedere cum onere vt pœnitens eadem peccata teneatur sibi postea confiteri?

113 NOta Primò, nos hìc non agere de absolutione à censuris, quia constat ex multis Iuribus facultatem ab his absoluendi in plurimis casibus dari cum onere vt reus nihilominus teneatur comparere coram Superiore, & explicato ei suo casu se exhibere paratum, vt eius mandatis pareat; sed loquimur de absolutione à peccatis reseruatis non habentibus censuram annexam.

Nota Secundò, quod ad praxim attinet, non agi hìc propriè de peccatis præteritis. Nam qui petunt facultatem, vt possint ab his ab alio absolui, id ideo faciunt, vt non teneantur Superiori ea confiteri, quare frustra omnino eis daretur ea facultas cum isto onere, quia numquam vellent ea vti; nam repugnaret omnino fini, ob quem eam facultatem petunt. Agimus igitur de casu quo ea facultas petitur pro peccatis futuris, quod sæpè potest accidere quando debet aliquis peregrinari in iis locis, vbi nemo eum poterit à talibus casibus absoluere, ideoque petit, vt Superior det ei facultatem, vt si in eos casus incidat, possit ab aliis sacerdotibus ad confessiones audiendas expositis ab iis absolui, quæ sæpè, præsertim in Religionibus, soler concedi cum onere eadem peccata postea Superiori confitendi. Et quæritur, Vtrùm talis postea sub peccato mortali ad hoc teneatur?

114 Quidam id negant, quia confessio iure diuino ita instituta est, vt quicumque in ea ab aliquo peccato directè absoluitur, liberetur ab omni onere illud postea iterum confitendi, quam institutionem Prælati mutare non possunt. Vnde, vt docet Nauar. *c. 9. nu. 1.* communiter Theologi asserunt, Ecclesiam non posse præcipere, vt peccatum à quo semel directè fuit absolutus, secundò confitear, nisi in hoc consentiam. *Nauarrus.*

Ex quo patet, aliam esse rationem absolutionis ab excommunicatione, quia cùm tam huius institutio, quàm absolutio pendeat à iure humano, hoc vtrumque potest suo arbitrio ex iustis causis modificare, aliquasque conditiones ei apponere.

Communiter tamen Theologi asserunt ita absolutum obligari sub peccato mortali, vt secundò suum peccatum vel in confessione, vel extra eam Superiori exponat. Ita Adrianus q. 5. de confess. §. *Ideo pro resolutione.* Angelus v. *Confessio.* 5. n. 9. Medina de pœnitentia tract. 2. q. 29. Paludan. d. 17. q. 5. ar. 1. nu. 6. Nauar. *c. Iacuit.* de pœnitentia, d. 6. n. 12. Henriq. lib. 6. de Sacramentis cap. 15. n. 2. P. Suarez disp. 30. sect. 5. nu. 8. Multùm tamen hi auctores variant qua ratione id fieri possit. *Adrianus, Angelus, Medina, Paludan, Nauarrus, Henriquez, Suarez.*

Potest dicta facultas concedi cum onere secundò eadem peccata confitendi.

Prima sententia docet hoc fieri, quia tunc datur tantùm potestas absoluendi directè à non reseruatis, & à reseruatis solùm indirectè. Sed hoc est improbabile. Quia hæc facultas ab homine extra eos casus, quibus iuxta dicta n. 105. iure diuino naturali ita nobis licet confiteri & absolui, nullo modo concedi potest, nam apertè repugnat reuerentiæ ipsius Sacramenti, cùm per eiusmodi confessionem & absolutio & confessio dimidientur: ad quod faciendum nulla hìc occurrit necessitas.

115 Superior non potest dare facultatem absoluendi solùm indirectè à reseruatis.

Secunda sententia docet, eo casu dari potestatem directè absoluendi à peccatis reseruatis, non tamen ab onere ea legitimo iudici confitendi. Sed hæc petit principium. Nam vt initio ostendi, hoc est quod quæritur, Quomodo fieri potest vt directè ab aliquo peccato absolutus non liberetur ab omni onere id amplius confitendi? Item videtur supponere, talem priùs non fuisse confessum peccata reseruata legitimo iudici, & tamen directè fuisse ab iis absolutum, quæ sunt contradictoria. Nam secundùm præsentem Sacramẽti institutionem, nemo potest directè ab aliquo peccato absoluere, nisi sit legitimus eiusdem iudex.

Tertia sententia in admiistratione huius Sacramenti tria distinguit. Primò remissionem peccati; Secundò, impositionem pœnitentiæ in peccati punitionem; Tertiò, curationem eiusdem peccati quoad obligationem illud in posterum cauendi. Deinde docet, Superiorem non posse alicui quoad primum dare restrictam potestatem respectu eiusdem peccati, sed debere vel nullam dare potestatem, vel potestatem absolutè illud remittendi, constituendo eum legitimum ipsius iudicem. Ratio est, quia sacerdos numquam peccatum remittit auctoritate sui Superioris, sicut quando delegatus absoluit aliquem ab excommunicatione, sed immediatè auctoritate Dei. Quare si Superior hanc potestatem det, non potest eam dare restrictam. Secùs ait esse de potestate iniungendi pœnitentiam, quia sicut potest confessarium obligare vt certam pœnitentiam iniungat pro certis peccatis: ita similiter videtur posse restringere ipsius potestatem, vt non possit integram pœnitentiam iniungere, sed tantùm ex parte, & ita vt pœnitens ex præcepto confessionis maneat obligatus præsentare se suo Superiori, & ei peccatum suum explicare, vt ipsi conuenientem pœnitentiam imponat, ac prouideat de peccatis in posterum cauendis. 116 Confessarius absoluit à peccatis immediatè nomine Dei.

Sed in hac sententia difficile intelligitur Primò, quomodo hìc distinguatur potestas iniungendi pœnitentiam, & prouidendi pœnitenti, vt viter peccata futura. Nam si loquamur de prouidentia quæ fit per cõsilium, ad hoc non est opus iurisdictione. Si verò loquamur de ea quæ fit per alicuius obligationis impositionem, hæc non fit aliter à ministro huius Sacramenti quàm per impositionem pœnitentiæ, qua simul & præterita puniuntur, & pœnitens ne iterum peccet deterretur, & etiam ad resistendum tentationibus fortior redditur. 117

Secundò, difficile est videre qua ratione Superior possit ita restringere in confessario potestatem iniungendi pœnitentiam, vt alter maneat obligatus reliquam partem petere à Superiore. Primò enim pero quo iure talis tenebitur secundò confiteri? Non enim tenebitur diuino, quia hoc iure solùm tenemur confiteri ea peccata, à quibus non sumus directè absolutihic autem ab omnibus est directè absolutus. Nec etiam humano; quia secundùm cõmunem sententiam Ecclesia hoc non potest præcipere. Secundò, quia potestas iniungendi pœnitentiam in hoc Sacramento est potestas clauium: & sicut impletio pœnitentiæ est pars Sacramenti pœnitentiæ (vt docet Trident. sess. 14. cap. 3. & 8.) ita eiusdem impositio est partialis administratio ipsius Sacramenti; & sit immediatè auctoritate ipsius Christi, non minùs quàm ipsa absolutio. Quare Superior non aliter illam potestatem, quàm hanc potest restringere. *Trident.* Iniunctio pœnitentiæ fit immediatè auctoritate Christi, nec potest à Superiore restringi.

Nec refert, quòd Superior possit confessario præcipere vt certam pœnitentiam iniungat. quia inde solùm sequitur, quòd confessarius teneatur ei legitima imperanti obedire, non autem quòd pœnitentiam iniungat auctoritate sui Superioris: aut quòd Superior possit efficere, vt ipse inualidè aliam pœnitentiam iniungat: aut vt illa quam iniungit sit tantùm dimidiata,

cuius defectum Superior postea suppleat. Sicut igitur Superior potest quidem suo subdito imperare vt pro certo aliquo sacrificium offerat, nullo tamen modo potest aut totum ipsius sacrificium, aut eius partem per se alicui applicare: aut efficere vt inferior non possit totum integrè alteri applicare: ita non potest efficere vt pœnitentia quam confessarius imponit non sit sacramentalis, aut vt sit tantùm dimidiata, ita vt cum ea quam Superior postea iniunget, vnam integram sacramentalem efficiat. Nam nemo sacramentalem pœnitentiam potest iniungere, nisi qui integer ipsius Sacramenti est minister, aliàs darentur duo ministri partiales huius Sacramenti, quod est apertè absurdum.

118 Quarta sententia docet, non dari tunc sacerdoti absolutam potestatem absoluendi à peccatis, sed sub hac conditione, si pœnitenti imponat tale onus, & hic illud acceptet: ita vt aliàs non habeat iurisdictionem in ea peccata: posito autem eo pacto, scilicet iniunctione confessarij, & pœnitentis acceptatione, tenetur pœnitens ea peccata secundò confiteri suo Superiori: sicut teneretur si hoc vouisset: idque sub peccato mortali, cùm sit res grauis, & multùm pertinens ad seruandum rigorem Ecclesiasticæ disciplinæ. Et nullum est dubium quin hic modus sit possibilis: nec est vlla ratio cur sit absolutè illicitus. Multis tamen videtur nimis durus, ideóque centent Prælatos eo non vti, quia si confessarius ex obliuione aut ignorantia hoc pactum non exigeret à pœnitente, confessio esset nulla. Sed hoc non videtur tanti momenti. Primò, quia iste casus est omnino per accidens, atque ita non venit in considerationem. Secundò, quia vix contingit vt confitens non confiteatur aliqua peccata non reseruata, & tunc validum erit Sacramentum, quia confessarius habebit saltem in hæc iurisdictionem, vt dixi n. 101. Adde, Prælatos posse tantùm exigere hanc conditionem, quando confessarius eius est memor; & tantùm ei negare iurisdictionem, quando eam cum peccato mortali omittit.

Potest pœnitens ex pacto obligari vt secundò confiteatur.

119 Quinta sententia docet, hanc iurisdictionem dari confessario cum obligatione quidem vt ipse tale onus à pœnitente exigat, & hic illud suscipiat, ita vt aliàs illicitè absoluat, validè tamen si pœnitens sit legitimè dispositus, siue confessarius peccet, siue non. Et hæc videtur ferè mens eorum Doctorum, quos citaui nu. 114. paucis exceptis.

Hinc inferunt Primò, si pœnitens inscius huius conditionis bona fide confiteatur & absoluatur, non teneri onus illud postea suscipere, quia iam sine eo directè est absolutus. Secundò, si ante confessionem hoc ei proponatur, illúdque recuset, confessarium non posse eius confessionem audire. Si tamen eum recusantem nihilominus audiat ac absoluat; tunc manere omnino liberum si bona fide processerit, credens confessarium posse se hoc modo absoluere. Quòd si tamen sciret confessarium se non posse ita absoluere sine peccato mortali, tunc exigendo talem absolutionem peccaret mortaliter, & consequenter inualidè absolueretur. Tertiò, si hæc conditio ei proponatur facta iam confessione, sed tamen ante absolutionem, eum non teneri eam conditionem acceptare, quia iam habet ius ad absolutionem, quæ cum iniuria ei negatur, cùm bona fide sit confessus, nec voluisset eam conditionem acceptare, si priùs ei fuisset proposita; nec possit cogi vt cùm tali conditione confiteatur: atque ita aiunt confessarium peccasse quidem initio ei talem conditionem non proponendo, iam tamen teneri eum absoluere, ne ei faciat iniuriam. Alij tamen hæc omnia, & præsertim vltima tanquam absurda negant.

120 Nota, hanc facultatem posse dupliciter concedi. Primò, vt fiat subdito immediatè potestas cum eo onere alteri confitendi, sicut in quibusdam Religionibus conceditur Religiosis peregrinantibus, vt si contingat eos labi in peccata reseruata, possint confiteri in locis vbi degunt ei sacerdoti, cui aliàs possent alia peccata mortalia confiteri. Siue autem hæc facultas ijs fiat per aliquam constitutionem aut regulam, siue per verbalem Superioris concessionem; hoc ipso quo secundùm eam alteri peccata reseruata confitentur, cententur in tale onus contentire, eamque obligationem suscipere, etsi tunc illius non meminerint: atque ita peccarent mortaliter si sine voluntate secundò confitendi scienter talia peccata confiterentur, & consequenter inualidè absoluerentur.

Quando hæc facultas cum eo onere datur immediatè pœnitenti, hic viendo facultate necessariò consentit in onus.

Nec refert, quòd noluissent fortè tunc confiteri, si ijs tunc illa obligatio occurrisset, sed potiùs confessionem distulissent, quia hoc debent sibi ac suæ inconsiderantiæ imputare. Quare in his non potest habere locum illa distinctio an sacerdos ijs hanc conditionem ante confessionem proposuerit nec ne, quia non est confessarij hanc ijs proponere, sed ipsorum eam scire, & hoc modo communiter hæc potestas solet concedi.

121 Secundò, potest hæc facultas immediatè concedi alicui sacerdoti vt in absentia Superioris possit à similibus calibus cum ea conditione absoluere. Et ad confessarium spectat eos, quos suspicatur tales casus confessuros, admonere se non posse nisi cum dicta conditione absoluere. Siue tamen hoc faciat siue non, si pœnitens sciat eum non posse aliter absoluere, peccat mortaliter ei confitendo reseruata sine voluntate illud onus suscipiendi, quia scienter petit absolutionem à confessario eo modo, quo nouit ipsum eam dare non posse. Quòd si verò pœnitens illud ignoret, non tenetur illud onus acceptare post acceptam absolutionem, quia iam absolutè à peccatis liber est; quod tpectat ad onus confitendi.

Quando hæc facultas conceditur confessario, ad quid teneatur?

Ad quid teneatur pœnitens?

122 Quòd si verò confessarius hoc onus proponat post auditam confessionem, sed ante datam absolutionem, credo distinguendum esse. Si enim sacerdos ipsum eius admonuit statim atque potuit vllo modo suspicari eum habere casus reseruatos, tenebitur illud onus suscipere, aut non poterit absolui, fieri autem potest, vt hoc accidat solùm in fine totius confessionis, vt si pœnitens priùs confiteatur multa peccata non reseruata, & tandem in fine vnum reseruatum: ita vt sacerdos ante illius expressionem nullam habuerit occasionem suspicandi eum habere casus reseruatos (nec enim de omnibus hoc tenetur suspicari) & tunc puto illum teneri hoc onus suscipere, si velit sacramentaliter absolui, nam nullum habet ius aliter absolutionem obtinendi. Nec in hoc fit ei vlla iniuria: sicut nec quiuis alius sacerdos facit iniuriam confitenti sibi casus à quibus nequit absoluere, si eum remittat sine absolutione ad Superiorem, modò statim atque aduertit eum tales casus habere, eum admoneat se non posse ab ijs absoluere. Quare pœnitens sibi debet imputare quòd eadem peccata secundò teneatur confiteri. Ipse enim sibi huius oneris causa est, tum talia peccata committendo: tum ea alicui confitendo antequam sciat an habeat potestatem ab ijs absoluendi.

Aliquando pœnitens nequit absolui nisi accepter illud onus.

123 Secùs dicendum esse credo, quando pœnitens statim initio innuit sacerdoti se habere casus reseruatos. Si enim ille tunc pergat nihilominus totam confessionem audire, & solùm in fine significet se eum non posse absoluere, nisi cum dicto onere; puto pœnitentem tunc non teneri illud onus suscipere, quia sacerdos fecit ei grauem iniuriam hoc modo ipsius confessionem audiendo; & cùm ipse bona fide confessus sit ei, quem prudenter credebat habere potestatem ab illis absoluendi (nam hoc ipso quo sacerdos sciens eum tales casus habere, permexit sine vlla monitione audire eius confessionem, tacitè significauit

Aliquando debet absolui, etsi non accepter.

se habere absoluram potestatem ab iis absoluendi, cui pœnitens potuit prudenter credere.) acquisiuit absolutum ius ad absolutionem: nec hæc ei potest sine iniuria negari, etiamsi nolit eadem secundò confiteri, quia ad hoc cogi nequit. Quare etsi sacerdos grauiter peccarit eum priùs non admonendo, tamen licitè eum nolentem illud onus suscipere absoluit, quia magis eum obligat ius pœnitentis quod sine graui iniuria ei negare nequit, quàm Superioris siue pactum siue præceptum, quo sine tali conditione prohibetur à talibus peccatis absoluere.

124 Ex dictis sequitur Primò, tam quartam quàm quintam sententiam posse probabiliter defendi & practicari: quinta tamen videtur commodior, & magis in vsu, & apud DD. receptior.

Talis conditio accepta obligat sub peccato mortali. Sequitur Secundò, quando in aliqua Religione Religiosis peregrinantibus extra sua monasteria per generale statutum talis facultas cum eo onere concederetur, etsi eorum regulæ communiter non obligarent sub peccato mortali; eos tamen qui ea facultate vterentur, teneri sub peccato mortali postea peccata reseruata secundò suo Superiori confiteri, quia hoc statutum non obligat per modum præcepti (nam hoc modo nemo potest obligari, vt secundò eadem peccata confiteatur.) sed per modum pacti onerosi inter ipsos & Superiores initi, qui eam facultatem non nisi cùm tali onere concedunt.

DVBIVM XVI.

Qualis bonitas aut scientia in confessario requiratur?

Siluester. Nauarr. Suarez. HAc de re multa disputant Siluester v. *Confessor.* 3. num. 1. 2. 3. 4. & Nauarr. c. 4. n. 8. 9. &c. Suarez disp. 28. sect. 1. & 2. *ex quibus* breuiter rem ipsam explicabo.

125 Bonitas sacerdotis nõ requiritur ad valorem Sacramenti: requiritur tamen vt licitè id conferat. CONCLVSIO I. Vt sacerdos validè hoc Sacramentum administret, nulla requiritur in eo bonitas, modò ipse habeat legitimam intentionem, & nulla censura necessario iurisdictionis vsu sit priuatus: nisi fortè cõtingat pœnitentem peccare talem confessarium eligendo. Vt tamen licitè illud Sacramentum administret necesse est vt bona fide credat se esse in statu gratiæ, nisi eum fortè subita necessitas excuset. Quæ omnia satis fusè agens de Sacramentis in genere explicui to. 1. q. 64. art. 5. 6. 8. 9.

Quæ scientia requiratur. CONCLVS. II. Vt sacerdos licitè hoc Sacramentum administret, necesse est vt habeat saltem tantam scientiam, vt in ijs peccatis quæ communiter occurrunt, possit discernere quæ sint venialia, & quæ mortalia: quænam habeant excommunicationem annexam, quæ non: & quæ circumstantiæ mutent speciem. Item qui casus sint reseruati, à quibus nequit absoluere. Item quando pœnitens obligetur ad restitutionem, quando non. Patet, quia sine tali scientia non potest prudenter de statu pœnitentis iudicare, aut eum in via salutis dirigere, quod tamen ad ipsius officium est necessarium. Et aliàs metuendum est ei illud Christi *Matth. 15.* Matth. 15. *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.*

126 Non debet posse inter omnia peccata discernere, Diuersa loca requirit diuersam scientiam. Nota tamen Primò, non requiri vt possit hæc in omnibus peccatis quæ credit se auditurum, discernere, quia hoc vix doctissimi possunt facere. Sufficit igitur vt hoc possit in iis peccatis, quæ communiter solent committere ij, quorum confessiones audit. Vnde sequitur, pro diuersis locis, diuersoque genere hominum diuersam scientiam requiri. Nam alij aliis difficiliores & grauiores casus habere solent. Quare quisque videre debet, vtrùm sit idoneus, vt audiat eorum confessiones pro quibus exponitur, siue qui eo loco vbi audit confessiones solent accedere.

Non debet omnia posse ex tempore resoluere. Nota Secundò, non esse omninò necessarium, vt in omnibus casibus occurrentibus possit ex tempore omnia dubia resoluere, sed sufficit quòd in communiter occurrentibus id possit: & de difficilioribus possit dubitare, ac pœnitentem in aliud tempus remittere, quo ei resolutionem det, ac interim per se studendo aut alios consulendo veritatem exquirere. Hæc tamen ita cautè facere debet, vt ex eius dictis aut factis nullus possit suspicionem vllam malam de pœnitente concipere, aliàs grauiter peccaret contra secretum sigilli. Ita Suarez sup. sect. 2. & alij initio citati qui in *Suarez.* dicta consentiunt.

127 Qua ratione Episcopi obligentur ne Pastores inidoneos admittant. Hinc sequitur, eos quibus incumbit populo de bonis Pastoribus prouidere, grauiter obligari ne vllos inidoneos ad hoc munus promoueant, nisi fortè graui necessitate ad hoc adigantur. Nam in defectu aliorum præstaret ignorantem confessiones audire, quàm totum populum longo tempore hoc Sacramento destitui; aut aliquem mortis periculum sine confessione subire, quia hæc grauissima animarum pericula, atque adeò perniciem procrearent. Quare cùm talis ministri qualitas non requiratur ad substantiam Sacramenti, sed tantùm ad conuenientem ipsius administrationem; tanta necessitas facilè totum excusabit, si quid hac in re contra decentiam, aut aliàs conuenientem Sacramenti vsum admittatur. Sicut etiam ob necessitatem excusantur, qui ea occurrente, Sacramenta in materia dubia conferunt.

Talis tamen confessarius tenetur etiam eo casu pro suo captu studendo, & alios consulendo quantam potest dare operam, vt se suo muneri idoneum præstet: & Prælati tenentur suos Pastores, quantum commodè possunt, ad hoc compellere. Qua in re si quantam moraliter possunt operam adhibeant, ipsi excusantur, si ex Parochorum defectu errores contingant, quando meliores habere non possunt.

DVBIVM XVII.

Quæ sint obligationes ministri huius Sacramenti?

128 VAriæ hîc occurrunt difficultates, quas breuitatis causa hoc dubio complectar.

Prima est, An Parochus teneatur toties audire confessionem pœnitentis, quoties ipse cupit confiteri?

Secunda, qua ratione confessarius teneatur procurare vt pœnitens integrè confiteatur?

Tertia, an, vt licitè pœnitentem absoluat, debeat scire eum benè esse dispositum?

Quarta, quid faciet confessarius, quando pœnitens est in propinquo periculo peccandi, quod ægrè potest vitare?

Quinta, an teneatur absoluere eum qui non vult desistere ab aliqua actione, quam ex probabili sententia putat esse licitam, quam tamen confessarius omnino putat esse illicitam?

Sexta, qua ratione teneatur admonere pœnitentem quem ex ignorantia aduertit sæpè aliquod peccatum committere?

Septima, quid faciet confessarius, qui malè absoluit pœnitentem?

Has quæstiones vel omnes, vel ex parte fusè tractarunt Silnester v. *Confessor.* 3. numer. 13. & sequent. Nauarrus cap. 26. initio, per multos numeros, P. Henriquez lib. 6. c. 27. & sequent. P. Suarez tota disp. 32. *Siluester. Nauarr. Henriquez Suarez.*

P. San-

Sanchius. P. Sanchius lib. 2. de matrim. disp. 38. & alij, qui de diuersis diuersissimè sentiunt: quorum opiniones si quis scire velit, loca citata consulat. Iis enim breuitatis causa omissis, quas credo esse probatissimas ex optimis auctoribus breuiter explicabo.

129 Pastor tenetur subditi confessiones audire quoties hic hoc rationabiliter petit. *Suarez.*

Conclvsio I. Parochus tenetur, vel per se, vel alium ad hoc idoneum sui subditi confessiones audire, non solùm quando alter tenetur confiteri, sed etiam aliàs quoties id rationabiliter petit, siue ratione festi occurrentis, aut indulgentiarum propositarum: siue quia tunc temporis (v. c. singulis mensibus, aut decimo quarto die) solet confiteri: aut quia habet aliqua peccata, quæ ipsius conscientiam grauant: aut aliam similem ob causam. Ita Suarez suprà sect. 1. Ratio est, quia ex officio tenetur suo subdito administrare Sacramenta secundùm eam rationem qua Christus ea instituit, & nos cupit ijs uti: atqui Christus confessionem instituit, non solùm vt ea vteremur quando est præcepta, sed toties quoties hoc secundùm prudens iudicium vniuscuiusque saluti pro sua conditione notabiliter conducit: ergo Pastor ex officio toties tenetur eam subdito petenti administrare: & consequenter in dictis omnibus & similibus casibus, quia hoc ipsius saluti expedit. Confirmatur, quia Parochus facit suis subditis iniuriam, si eos sine iusta causa priuet medijs à Christo ijs concessis multùm eorum saluti conducentibus: atqui hoc faceret si nollet in ijs casibus petentium confessiones audire: ergo faceret ijs iniuriam.

130 Confessarius tenetur laborare, vt pœnitens legitimè cõfiteatur.

Conclvs. II. Quisquis audiens alterius confessionem, tenetur dare operam, quantam pro ratione temporis commodè potest, vt hic sibi integrè, & cum sufficienti dolore confiteatur, quia hoc est necessarium ad perfectionem Sacramenti, quam sacerdos, vt sit fidelis dispensator mysteriorum Dei, quantum fieri potest, debet procurare, & omnino cauere ne illud inualidè conferat.

Qua ratione teneatur hunc examinare?

Quare quando aduertit hac in re aliquem defectum (quod sæpè in rudioribus potest contingere) tenetur eum emendare, pœnitentem examinando circa ea peccata, quæ ipsum probabiliter credit commisisse: quæ prudens ex pœnitentis statu & lapsu temporis, ex quo vltimò confessus est, ex negotijs quæ interim gessit, & ex ijs quæ per se confiteretur, sæpè probabiliter poterit conijcere.

131 Examen debet prudenter fieri.

Hoc tamen examen prudenter fieri debet, ne pœnitens meritò offendatur, si ab eo aliqua petantur de quibus nulla potest esse probabilis suspicio. Hinc pœnitentes honesti & bene instituti, & maximè literati non facilè sunt examinandi circa ea quæ confessarius ex eorum confessione non potest coniicere eos commisisse. Cautissimè autem hoc examen faciendum est circa res inhonestas, in quibus sine necessitate non est descendendum ad particulares aliquos modos, aut circumstantias & maximè cauendum est ne confessarius nimiùm interrogando doceat pœnitentem aliqua peccata, quæ antè ignorabat, & ita sit ei occasio ea committendi: aut ne huic aut etiam sibi sit causa alicuius turpis tentationis, aut in eam consensus: aut ne det pœnitenti aliquam occasionem scandali, aut suspicandi ipsum delectari eiusmodi rerum cognitione, quod maximè iuuenes confessarij cauere debent. Quare quoties subesset huiusmodi aliquod periculum, leuiter transeundum est. Nam præstat pœnitentem non ita perfectè confiteri (modò bona fide procedat) quàm aliquod ex dictis incommodis accidere.

132 Confessarius debet scire absolnendum esse benè dispositũ.

Conc. III. Vt confessarius licitè pœnitentem absoluat, debet priùs scire eum esse legitimè dispositum, siue habere sufficientem dolorem de peccatis præteritis, & verum propositum ea in posterum vitandi. Quale autem hoc propositum esse debeat patet ex dictis disp. 1. num. 59. Quare quando hac de re ex aliqua occasione (vt ferè contingit in rudioribus) dubitat, tenetur pœnitentem proponendo ei peccati turpitudinem, pœnas quas meretur, quantumcumque Deo displiceat, & alia similia, excitare vt detestationem concipiat: & in hoc sæpè maximè laborandum est, unde etiam pœnitens interrogandus est an ea verè habeat. Affirmanti verò est credendum, nisi aliquod obstet: vt si non vellet peccati occasiones deserere; de quo statim agam.

133 Quid faciendum quando pœnitens hæret in periculo peccandi?

Conclvs. IV. Quando sacerdos aduertit pœnitentem continuò esse in proxima aliqua occasione peccandi mortaliter, nullo modo debet eum absoluere, nisi promittat eam omnino deserere. Quia, cùm sub peccato mortali ad hoc teneatur, non potest habere sufficiens propositum vitandi in posterum peccata, nisi firmiter hoc proponat. Hinc si confessarius haberet graues rationes suspicandi ipsum eam occasionem postea non desertum (vt si bis vel ter hac in re fefellisset fidem) deberet eum non absoluere donec de facto eam deseruisset; nisi necessitas aliud facere cogeret, quia aliàs pœnitens perpetuò in peccatis hærebit. Hinc eos qui viuunt in concubinatu, nullo modò extra casum grauis necessitatis, expedit absoluere antequam de facto separentur, etiamsi parati sint iurare se in posterum caste victuros, quale iuramentum sacerdos nec exigere nec admittere debet, sed iubere eos ante absolutionem separari, quia aliàs fidem etiam iuratam fallent, patet ex c. 3. de cohabitatione clericorum & mulierum. Quid agendum cum concubinarijs?

134 Quid agendum quando pœnitens vitari negligent.

Præcipua autem hic est difficultas, quando pœnitens sine grauissimis incommodis non potest eiusmodi occasionem deserere: vt fit quando aliqua habitat in aliqua domo in qua ab aliquo ex domesticis continuò sollicitatur ad turpia, & cum eo sæpè peccat, nec sine grauissimo incommodo potest inde discedere. Tali igitur Primò iniungenda omnia media, quæ possint eam ab eo peccato auertere, & firmiter præcipiendum vt caueat vnquam tali inueni sine necessitate loqui, præsertim in loco solitario: & vt quoties in eo peccauerit, certam aliquam pœnitentiam subeat. Deinde vt & ante absolutionem, & postea etiam sæpiùs per diem coram crucifixo proponat omnino tale peccatum vitare. Item vt frequentiùs & semper eidem sacerdoti confiteatur. Et si promittat omnia hæc se facturam, poterit semel aut etiam secundò si reincidat absolui: si tamen sæpiùs reincidere, aliquoties differenda erit absolutio donec aduertatur aliqua emendatio. Vide Nauarrum cap. 3. num. 21. & P. Suarez disput. 32. sect. 2. num. 4. Nauarrus. Suarez.

135 Confessarius debet absoluere à se probabiliter dissentiẽtem.

Conclvs. V. Quando pœnitens sequens probabilem Doctorum opinionem credit aliquid sibi licere quod confessarius putat omnino esse illicitum; hic eum aliàs ritè dispositum tenetur absoluere, etiãsi illud nollit omittere, quia cùm in hoc non peccet, confessarius non potest ideò ei negare absolutionem. Nam omni ritè disposito sibi confesso tenetur eam impendere, si modò habeat potestatem eum absoluendi.

Distinguunt hic aliqui DD. inter eum qui ex officio tenetur pœnitentis confessionem audire, vt est Parochus: & eum qui solùm ex caritate eam audit sine vlla obligatione: & priorem aiunt teneri talem absoluere, non autem secundum, quia pœnitens non habet vllum ius vt ab hoc absoluatur. Sed hoc falsum est. Nam postquam hic illi legitimè confessus est, ille tenetur eum ex iustitia absoluere, si ritè dispositus sit. Posset tamen ei denuntiare (si hoc iudicauerit expedire, vt quando illud factum cederet in damnum tertij) se eius confessionem amplius non auditurum,

nisi velit ab ea sententia discedere. Cùm enim non teneatur eius confessionem audire, in eo nullam ei facit iniuriam. Secùs est de Parocho, qui tenetur eius confessionem audire.

136 Qùomodo debeat monere ignorantem?

Conclvsio VI. Quando confessarius aduertit pœnitentem ex aliqua ignorantia crassa versari continuò in aliquo peccato mortali; tenetur eum docere veritatem, etiamsi non speret vllam emendationem, quia talis pœnitens est omnino indispositus ad absolutionem donec proponat se in eo emendare: & consequenter sacerdos eum priùs nulla ratione potest absoluere.

Quòd si verò videat pœnitentem ex ignorantia inculpabili sæpiùs facere aliquod materiale peccatum quod putat sibi esse licitum (vt si intelligat aliquos cum impedimento dirimente ignoranter contraxisse, & bona fide matrimonio vti.) tenetur eum admonere, si speret eum in posterum illud peccatum emendaturum, & id sine graui incommodo fieri possit: vt fieret in dicto casu, si sacerdos facilè posset obtinere dispensationem, vt coniuges clàm iterum contraherent, & hoc ijs sine vllo incommodo persuadere posset, quia ex officio tenetur pœnitentem, quantum commodè fieri potest, instruere in omnibus quæ necessaria sunt vt possit etiam peccata materialia vitare.

137 Contrà verò, si videat eam monitionem non profuturam, eò quòd pœnitens sine grauissimo incommodo non possit ab eo facto abstinere: vt si in casu prædicto putatitij coniuges haberent liberos, nec posset obtineri dispensatio, vt secundò contraherent, aut, si impedimentum ijs aperiretur, esset periculum ne cum grauissimis turbarionibus vellent separari; tunc, inquam, omnino tacendum esset, & essent relinquendi in bona fide: vt expressè in simili casu docet Innoc. III. c. *Quia circa* 6. de consanguinitate. Et ratio est, quia correptio fraterna tantùm debet adhiberi, quando creditur profutura: hæc autem esset obfutura, nam qui iam ob bonam fidem solùm peccant materialiter, tunc peccarent formaliter cum magno salutis dispendio. Vide Sanchium suprà.

Innoc. III.

Correptio fraterna solùm adhibenda cùm creditur profutura. *Sanchius.*

Ex quibus patet, aliquos hìc malè distinguere inter eos qui ex ignorantia peccant contra ius diuinum aut naturale, & eos qui solùm peccant contra ius humanum: & priores quidem aiunt semper corripiendos esse, quia putant eos numquam posse laborare ignorantia inuincibili; secùs autem esse de secundis. Sed prior pars apertè repugnat exemplo à nobis dato & definitioni Innocentij. Nam talis copula est apertè contra ius naturæ: & fundamentum etiam apertè falsum est. Nam cùm multi viri doctissimi disputent, vtrùm quædam sint iure naturæ licita, nec possint alterutram partem certò definire: ita vt aliqui omnino credant esse licitum, quod fortè à parte rei est illicitum: quomodo homines rudes non possint inuincibiliter ignorare talia esse illicita?

Possunt multi inuincibiliter ignorare ius diuinum aut naturæ.

138 Dices; cap. *Qui scandali fuerit.* 3. de regulis iuris, dicitur, *Vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas taceatur.* Hinc Apostolus Actor. 20. Ephesijs ait, *Mundus sum à sanguine omnium: non enim subterfugi quo minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Quem locum citans D. Gregor. libr. 1. epist. 33. ad Venantium ait: *Mundus ergo à sanguine eorum non esset, si eis Dei consilium annuntiare noluisset: quia cùm increpare delinquentes noluerit, eos procul dubio tacendo pastor occidit.* Et D. Ambros. serm. 83. ait, *Ego interdum parcens vobis tacere vellem, sed malo vos contumacia causas reddere, quàm negligentiæ sustinere iudicium.*

Actor. 20.

D. Gregor.

D. Ambros.

Concionator debet liberè veritatem necessariam annuntiare, neglecta aliquorum turbatione.

Respondeo, in his omnibus locis agi de publico concionatore, qui doctrinam saluti populi necessariam liberè annuntiare debet, etsi videat aliquos inde ex malitia scandalizandos, quia commune commodum debet priuato præferri. In nostro autem casu agitur solùm de priuato errore corrigendo, qui nulli nocet nisi aliquantulùm ipsi ignoranti, idque ita vt cognitio veritatis adhuc magis noceret. Quòd si verò esset talis error qui communitati noceret: vt in nostro casu si esset publica fama de nullitate matrimonij, atque ita pœnitens cum scandalo in eo permaneret: aut si pœnitens falsò se crederet esse sacerdotem, & ageret alicubi Pastorem; necessariò veritas esset aperienda, quantumcumque ipse inde turbaretur, & acciperet occasionem grauiùs peccandi, quia bonum commune præponendum est priuato.

Quando hoc publicum bonum exigit pœnitens semper debet de veritate instrui.

Maxima autem hìc est difficultas, quando pœnitens quæ inuincibiliter ignorat suum matrimonium esse inualidum, ex alio capite non vult reddere debitum; vel quia mariti consuetudinem auersatur; vel quia fecit votum castitatis, ideoque credit sibi esse illicitum reddere.

139 Quid agendum quando pœnitens negat debitum ei quæ putat suum esse maritum?

Conclvs. VII. Quando talis pœnitens dicit se non audere reddere debitum propter votum castitatis; potest illi sacerdos dicere hoc nullo modo impedire, quin & possit & teneatur reddere debitum. Imò si absolutè nolit reddere debitum, quia maritum auersatur; tenetur ei negare absolutionem nisi promittat se redditurum petenti, quia posita illa ignorantia inuincibili verè ad hoc obligatur, & nequit validè absolui, quamdiu habet propositum non reddendi, quia in eo mortaliter peccat. Ita Sanchius l. 2. de matrim. d. 38. n. 8. *Sanchius.*

Dices, Sicut numquam licet facere mala vt eueniant bona; ita nec licet ea præcipere: atqui talis redditio est peccatum saltem materiale contra castitatem: ergo non licet eam præcipere.

Respondeo Primò, Etsi non liceat vnquam aliquem incitare ad malum secundùm se consideratum siue absolutè sumptum; licet tamen alicui suadere vt faciat minus relicto maiore, quando vtrumque nequit impedire, vt cum alijs docet Lessius l. 2. de Iustit. c. 13. dub. 3. & l. 4. c. 3. dub. 4. quantò magis hoc licet quando alter nequit vtrumque euitare? sicut enim tunc tenetur eligere minus, ita licitè hoc ei præcipitur: vt accidit in nostro casu. *Lessius.*

Respondeo Secundò, negando minorem. Nam vt aliquis actus sit etiam peccatum materiale contra aliquam virtutem, debet posse vitari, hoc autem casu hic actus vitari nequit. Quare sicut illa quæ vi contra voluntatem defloratur, nullo modo ne quidem materialiter peccat contra castitatem: ita nec talis coniux reddendo debitum, quando hoc sine peccato negare nequit. Quia sicut illa, physica quadam necessitate illum actum magis patitur, quàm agat; ita hæc quadam morali necessitate. Confirmatur, quia si aliquis per impossibile esset in ea necessitate constitutus, vt omnino esset ei impossibile euitare, quin aut fornicaretur, aut mœcharetur; tunc eligendo fornicari nullo modo peccaret, quia eligeret minus malum, vt euitaret maius. Secùs est de eo qui petit debitum, quia hoc omnino liberè facit, atque ita peccat saltem materialiter contra castitatem, quare etsi hoc in eo possit dissimulari, non potest tamen ad hoc incitari.

Vt aliquid sit peccatum etiam materiale, debet posse vitari.

140 Conclvs. VIII. Quòd si pœnitens incipiat dubitare de validitate matrimonij, & de ea confessarium consulat, hic nullo modo potest dicere esse validum, si nouerit esse inualidum: sed tenetur aperire veritatem quidquid demum inde sequatur. Tum quia aliàs mentiretur dicendo matrimonium esse validum: tùm quia inciteret sic coniuges etiam ad petendum debitum, quod nullo modo facere potest, quia petens saltem materialiter peccat contra castitatem, vide Sanchium suprà. *Sanchius.*

141 Conclvs. IX. Si confessarius pœnitentem ob defe-

defectum potestatis inualidè à censuris absoluerit, siue id cum peccato, aut sine peccato fecerit; tenetur; si possit; procurare sibi potestatem eum ab eis absoluendi; & sic absoluere absentem, quia hæc absolutio nec requirit præsentiam rei, nec vllam in eo attritionem aut statum gratiæ.

Absens potest absolui ab excommunicatione.

Affirmant aliqui, quos citaui disp. 4. nu. 68. idem dicendum de eo qui ob defectum potestatis alium absoluit à peccato reseruato, hunc scilicet obtenta facultate eum absoluendi, posse absentem absoluere (saltem sub hac conditione, si legitimè sit dispositus) quando nullo modo eum potest habere præsentem. Sed hoc falsum est Primò, quia absolutio sacramentalis non potest dari absenti, vt ostendi disp. 4. nu. 69. Secundò, quia, etsi quis posset validè absentem absoluere; tamen hoc casu inualidè id faceret, quia ad absolutionem necessaria est sacramentalis confessio, quę hîc respectu illius peccati nulla fuit. Nam confessarius non erat illius legitimus iudex dum pœnitens id ei confiteretur, & consequenter confessio illius non fuit sacramentalis, quare tunc necessariò iteranda est illius peccati confessio. Vide in vtroque casu Suarez disp. 32. sect. 6. n. 3. & 4.

Secùs est de absolutione à peccato.

Suarez.

142 Quid agat sacerdos quando obliuiscitur absoluere pœnitentem.

Secùs esset quando confessarius fuisset omnium peccatorum pœnitentis legitimus iudex, sed cum ex obliuione dimisisset sine absolutione. Tunc enim si statim postea eius recordaretur, posset eum coram se flectentem absoluere, etiamsi hic quia putat se absolutũ, amplius de absolutione non cogitet, quia retinet adhuc habitualẽ voluntatẽ percipiẽdi absolutionem, quam semel habitam non deponit donec vel actualiter absoluatur, vel sciens se non esse absolutũ, habeat positiuum actum contrarium. Vide Nauar. c. 26. n. 14.

Nauarr.

143 Quòd si sacerdos non recordaretur huius defectus nisi post aliquot dies, tunc non posset etiam præsentem pœnitentem nullo modo præmonitum absoluere, quia nescit an interim non peccauerit mortaliter. Quare tunc si commodè fieri potest, tenetur sacerdos inducere pœnitentem, vt iterum sibi confiteatur peccata, quæ ab vltima confessione fecit, & tunc eum simul ab omnibus absoluere. Nec enim opus est præcedentem confessionem, vtpote validè factam iterare. Quòd si respectu alicuius peccati reseruati facta esset inualidè, obtenta facultate absoluendi; hoc secundò esset confitendum, vt dixi suprà, quod in secunda confessione posset fieri sine aduertentia pœnitentis, vt si confessarius ab eo peteret, an doleat etiam de peccatis præcedente confessione dictis, & cupiat si quâ ratione necesse sit; etiam ab ijs absolui: & pœnitens respondeat quòd sic. Nam hoc ipso eadem iterum clauibus subijcit, iuxta dicta disp. 4. num. 45. Quòd si pœnitens non posset sine graui offensione induci vt secundò confiteatur, sibi relinquendus est, quia postea per alias confessiones saltem indirectè ab eo peccato absoluetur, & sic ei præcedens defectus non ita grauiter nocebit. Vide Suarez dispur. 32. sect. 6. num. 6.

Suarez.

CONCLVS. X. Si confessarius oblitus fuerit monere pœnitentem eum teneri ad restitutionem, siue id ex eius culpa, siue sine ea acciderit; tenetur postea in sequenti confessione; aut quacumque alia ratione commodè poterit, eum monere quòd tenetur restituere, non tamen tenetur per se restituere. Ratio est, quia non obligatur ad hanc monitionem in commodum creditoris, sed in bonum ipsius pœnitentis, quem in ijs quæ ad ipsius salutem spectant circa peccata confessa tenetur dirigere. 144

Non monens pœnitentem de restitutione non tenetur per se restituere, nisi dixisset eum ad hoc non teneri.

Secùs esset, si ex lata culpa dixisset pœnitentem non teneri restituere, tunc enim si postea eum non moneret, retineretur per se restituere, quia ex lata culpa dedisset veram causam damni, quod creditor incurrit. Quòd si tamen in ea resolutione, quia bona fide putabat se bene dicere, non peccarit mortaliter, si non possit pœnitentem admonere, non tenebitur per se restituere. Quia non tenemur ad reparationem damni, nisi ex culpa lata. Vide P. Suarez d. 32. sect. 6. n. 9. & P. Lessium de Iustitia c. 9. dub. 13. & c. 13. dub. 10. n. 77. & c. 7. dub. 7. n. 32.

Suarez. Lessius.

Nota demum, quando confessarius ob aliquam causam debet pœnitentem extra confessionem alioqui de rebus in confessione auditis, teneri prius petere ab eo veniam vt possit hoc facere, quia est contra reuerentiam ipsius Sacramenti, & debitum sigilli pœnitentiæ, sine eius consensu extra confessionem de eiusmodi rebus loqui: vt communiter DD. asserunt.

DISPVTATIO IX.

DE

SIGILLO

CONFESSIONIS.

DVBIVM I.

Qua ratione confessarius obligetur sigillo?

1 Sigillum quid significet?

NOTA Primò, sigillum per metaphoram translatum esse ad significandam obligationem, qua quis tenetur rem aliquã seruare secretam, quia autem hæc obligatio maxima est circa audita in confessione, ideo per antonomasiam dicitur sigillum.

2 Nota Secundò, eiusmodi obligationem in confessario oriri ex triplici capite. Primò, quatenus tenetur non reuelare peccata aliena, ne eum infamet. Secundò, quatenus ex fidelitate & tacita promissione tenetur seruare secreta, quæ ei sub ea conditione secretò committuntur. Ex his capitibus teneretur etiam seruare secretum, etsi peccata extra confessionem audiuisset. Tertiò, ex propria obligatione ipsius Sacramenti, siue sacramentalis confessionis. Et de hac hic potissimùm tractamus; nam reliquarum obligatio propriè spectat ad tractatum de Iustitia.

Nota Tertiò, ttia hic posse quæri. Primò, ex qua confessione talis obligatio oriatur? Quidam enim putant eam etiam oriri ex confessione scienter facta laico. Ita Nauar. c. 8. n. 7. Candel. aureum de sigillo q. 10. Adrian. q. vlt. de confessione. §. *Secunda pars patet.* Palu. in 4. d. 21. nu. 11. putat esse verum quando intercessit pactum. 3

Nauarr. Candel. aureum. Adrian. Paludan.

Secundò, quænam cadant sub sigillum? Qua in re quidam aiunt confessarium nõ peccare contra sigillũ,

qui aperit peccatum pœnitentis, quod nondum patrauit, sed in confessione dixit se omnino illud perpetraturum, nec potuit ab illo proposito auerti. Ita Siluester v. *Confessio.* 3. q. 5. & alij. Sed hoc ita generatim dictum nullo modo est verum.

Silvester.

Tertiò, quanta sit ista obligatio, & vtrùm in omni casu obliget.

4 Quænam in hoc casu dicatur confessio sacramentalis.

CONCLVSIO I. Ex omni & sola sacramentali confessione hæc obligatio oritur. Sacramentalem autem voco eam solam ac omnem, quam pœnitens facit ei, quem bona fide credit esse sacerdotem in ordine ad absolutionem percipiendam, etiamsi hanc non percipiat eò quòd sit indispositus, aut quòd sacerdos non possit eum absoluere, aut ob alias causas. Ita ex communi sententia Henriquez lib. 6. cap. 19. & P. Suarez hîc disp. 33. sect. 2.

Henriq. Suarez.

Prior pars probatur, quia hæc obligatio est omnino propria tali confessioni, & in eius gratiam à Christo introducta, quia, cùm ipse hoc Sacramentum ita instituerit, vt nos voluerit omnia peccata nostra mortalia etiam secretissima in eo aperire: fuisset hoc onus grauissimum, nisi confessarius fuisset tam strictè obligatus ea habere secreta. Et rursum cùm non teneamur peccata nostra alicui homini confiteri nisi sacramentaliter, nulla fuit causa alias qualcunque confessiones eo sigillo muniendi: sed sufficiebat eas relinquere iuri naturæ, quod audientem ex primo & secundo capite ex dictis n. 2. obligat.

5 Secunda pars probatur, quia omnis talis confessio est saltem imperfectè & ex intentione confitentis sacramentalis; & nisi inducerer obligationem sigilli, cederet in præiudicium confessionis sacramentalis, quæ aliàs valdè onerosa & inuidiosa redderetur, & facilè pateret calumniis. Nam maxima ex parte pœnitentes, præsertim qui haberent crimina grauiora, quæ cedunt in præiudicium tertij, possent sibi meritò timere ne sacerdos ea postea propalaret: siue quòd ipsi reuera non essent satis dispositi ad accipiendam absolutionem; siue quòd sacerdos ex ignorantia aut malitia hoc iis imponeret, siue quòd ipse non haberet potestatem ab iis absoluendi. Qua ratione omnes plurimùm à confessione detererentur.

6 Confessio facta scienter laico nunquam obligat sub sigillo.

Hinc sequitur Primò, quando quis defectu sacerdotis sciens confitetur laico, quantumcunque dicat se ea, quæ dicit, dicere sub sigillo, & alter promittat se ea ita accipere, per talem confessionem non induci obligationem sigilli, quia talis confessio nullo modo est sacramentalis, nec fit vllo modo ei cui Christus nobis præcepit vt confiteamur: atque ita nullo modo à Christo aut præcepta aut instituta est. Cùm itaque obligatio sigilli sit solùm annexa confessioni à Christo institutæ, aut ei quæ cum hac ita connexa est, vt sine ipsius iniuria non possit illius secretum violari, nullo modo annexa est confessioni, quæ ita fit laico, quia hæc nullo modo à Christo est instituta: & quòd eius secretum violetur, nullo modo cedit in iniuriam confessionis verè sacramentalis. Nam ex eo quòd talis laicus non obligetur sigillo, nemo vnquam meritò poterit dererreri quo minùs confidenter confiteatur sacerdoti, vide Suarez suprà.

Suarez.

Nec refert quòd confitens putet hanc confessionem esse sacramentalem, & à Christo in eo casu exceptam. Nam hoc sibi imputare debet: nam iste error nullo modo causatur ex institutione huius Sacramenti, quod nullo modo institutum est vt confessio fiat laico.

7 *Soto. Nauar.*

Sequitur Secundò, idem dicendum esse de confessione, quam quis facit sacerdoti à quo scit se nullo modo posse absolui, aut quam facit sine vllo animo accipiendi absolutionem, sed solùm consilij petendi causa: vt benè cum aliis docet Soto in 4. d. 18. q. 4. a. 5. concl. 5. & Nauarr. c. 8. n. 18. Quia talis confessio nullo modo est sacramentalis; nec cedit in præiudicium confessionis à Christo institutæ, si non obliget sub sigillo. Multò autem potiore iure idem dicendum est, de confessione, quam quis facit solùm eo animo, vt alium ad scelus aliquod pertrahat, vt omnes fatentur, vnde confessarius crimen ita auditum teneretur aperire, quando hoc esset necessarium ad graue malum innocentis, & præsertim Reipub. auertendum, etiamsi iurasset secretum, quia iuramentum est irritum quod fouet crimina. Ita auctores citati.

Secùs est de eo, qui confitetur ferè desperans se acceptum absolutionem ob indispositionem, quam in se sentit: credens tamen fortè futurum vt prudentia confessarij ita dirigatur vt absolutionē accipiat: quia hic aliquo modo absolutionem intendit: vt benè notauit P. Suarez d. 33. sect. 2. n. 9.

Suarez.

8 Fingens se sacerdotē tenetur sigillo. *Suarez.*

Sequitur Tertiò, confessionem factam ei, quem pœnitens bona fide, licet falsò credebat sacerdotem, & habere potestatem se absoluendi, inducere sigillum: vt docet Suarez suprà, §. *Maius dubium.* Probatur, quia hæc confessio est sacramentalis saltē ex opinione pœnitentis falsa quidem, attamen fundata in præcepto Christi. Nam posito errore facti quo credit talem esse sacerdotem, & habere potestatem absoluendi, directè per institutionem Sacramenti, & præceptum Christi, inclinatur ad ei confitendum: & in articulo necessitatis ad hoc præcepto Christi verè obligatur, quia est verum præceptum tunc confitendi sacerdoti, & hic in apprehensione pœnitentis est sacerdos. Et quamuis pœnitens in hoc erret, tamen obligatio hîc & nunc confitendi non nascitur ex hoc errore, sed ex præcepto Christi præcipientis confessionem. Error autem est solùm conditio sine qua ille hîc & nunc non obligaretur confiteri. Vnde crederet in iniuriam confessionis sacramentalis, si talis confessio non obligaret ad sigillum. Quia, cùm multis casibus non possimus esse certi an ij quibus confitemur sint verè sacerdotes, possemus fæpè esse anxij, an tenebuntur ad sigillum. Confirm. quia aliàs sequeretur, eum qui bona fide credens se esse sacerdotem fuisset factus Pastor, & multas audisset confessiones, si postea intelligeret se inualidè fuisse ordinatum, non teneri ad sigillum, quod omnino videtur absurdum. Secùs autem hæc omnia se habent in eo qui confitetur ei quem scit esse laicum: vt ostendi n. 6.

9 Cognita tam in confessione quàm extra eam reuelari possunt.

CONCLVS. II. Nihil cadit sub sigillum nisi cognitum ex sacramentali confessione, & quatenus ita cognitum est. Patet ex prima conclusione.

Hinc sequitur, eum qui peccata audita in confessione etiam alia via cognouit, posse ea eodem modo reuelare, ac si ea in confessione non cognouisset. Cauendum tamen omni modo ei est, ne vlla ratione aliquid amplius aut certius affirmet, quàm extra confessionem cognouerit. Nam aliàs sigillum frangeret. Hinc nullo modo potest dicere talem sibi ea peccata esse confessum, quia sic aliquid certitudinis rei narratæ adderet. Vide Nauar. c. 8. n. 10. & 15.

Nauarr.

10 Frangit sigillum qui reuelat peccatum mortale in genere: aut veniale in specie.

CONCLVS. III. Ex iis quæ in confessione audita sunt, cadunt sub sigillum Primò, omnia peccata mortalia etiam in genere. Vnde non solùm is sigillum violat, qui ex confessione dicit Petrum commisisse furtum, sed etiam qui dicit eum peccasse mortaliter aut aliquid aliud, vnde hoc possit colligi. Ita omnes DD. & per se patet: quia in hoc gratis fit pœnitēti iniuria. Secundò, omnia peccata venialia in specie, non tamen in genere. Hinc sigillum violat qui dicit Petrū sibi confessum esse vnum verbum otiosum, quia verè aperit aliquid ex confessione cognitum, quod aliis per se non patebat. Nam videns aliquem confitentem non potest inde colligere eum verbum otiosum, aut determinatè aliquod aliud peccatum veniale in specie confessum esse. Secùs est, si dicat eum sibi confessum

esse

esse peccata venialia, quia ex ipsa confessione per se patet illum aliqua peccata confiteri, quæ necessariò sunt vel venialia, vel mortalia. Quare dum sacerdos dicit eum confessum esse venialia, non tam reuelat aliqua ipsius peccata, quàm arcet suspicionem, quam aliqui possent concipere eum confessum esse mortalia. Ita communiter DD.

11 Periculosum est vnum pœnitentem præ aliis laudare.

Notant tamen hoc quandoque posse esse periculosum: vt quando is, qui duorum vel trium recenter confessionem audiuit, de vno determinatè dicit eum solùm confessum esse peccata venialia, quia indirectè de aliis videtur contrarium significare. Et quamuis hoc non sit etiam generaliter verum (potest enim esse particularis ratio hoc potius dicendi de vno quàm de alio;) tamen est sæpè periculosum, ideóque non nisi cum magna cautione vsurpandum.

Nauarrus. Ex dictis Nauarrus c. 8. n. 12. infert, eum non frangere sigillum, qui dicit Petrum solere sibi obtundere caput minutissima peccata confitendo. Sed etsi talis directè non frangat sigillum, malè tamen & periculosè hoc dicit. Nam videtur innuere talem esse scrupulosum: aut saltem facilè posset audientibus talem ingerere opinionem: atque ita indirectè sigillum frangere, vt patebit ex mox dicendis.

12 Peccata publica cadũt sub sigillũ.

Tertiò, cadunt sub sigillum peccata etiam publica si sacerdos ea ex sola confessione norit, aut dicat alterum sibi hoc vel illud in particulari esse confessum, v. c. furtum, ob quod suspendendus est. Ratio est, quia aliàs sæpè per imprudentiam confessarius aliqua narraret, quæ fortè non essent ita publica, aut quæ essent incerta magis confirmaret. quod cederet in grauem iniuriam Sacramenti: ideóque generatim oportuit hoc esse prohibitum, vt omnis talis occasio præscindatur.

13 *Soto. Adrianus. Paludan. Sà. Nauarrus.*

Quartò, omnes circumstantiæ peccatorum & peccata sociorum, ac naturales defectus pœnitentis, aliáque id genus, quatenus à pœnitente narrantur vt peccati sui circumstantiæ, ad eius explicationem aliquo modo pertinentia, etiamsi verè à parte rei nullo modo sint materia Sacramenti. Soto in 4. d. 18. q. 4. ar. 5. conc. 2. & 3. Adrian. de confess. dubio 10. §. *Quod secundum*, Paludan. in 4. d. 21. q. 3. art. 2. Sà v. *Confessor.* num. 19. Nauarr. c. 8. n. 2. quia cùm horum explicatio vel sit, vel saltem credatur à pœnitentibus necessaria ad perfectam confessionem faciendam; si sacerdos non teneretur ea seruare sub sigillo, valdè onerosa redderetur confessio, cùm pœnitentes sæpè mallent diuulgari sua peccata quàm illa: & non possint confidenter confiteri nisi ea explicent, & consequenter nisi sciant ea contineri sub sigillo. Secùs est de iis quæ narrantur tanquam nullo modo spectantia ad confessionem, sed solùm ex occasione aliqua incidente.

14 *Caietan.* Frangit sigillum qui dicit se pœnitentem non absoluisse. *Adrian.*

Hinc sequitur Primò contra Caiet. v. *Confessori necessaria.* §. *Quintum.* eum frangere sigillum, qui dicit Petrum sibi esse confessum, seque eum non absoluisse. Adrianus de confess. dub. 10. concl. 1. Quia etsi hoc ob varias causas etiam sine culpa Petri potuerit contingere; tamen, quia communiter hoc non fit nisi vel quia confitens non vult deserere peccata, vel quia commisit casum reseruatum, ita illud generatim asserens dat vt minimum auditoribus aliquam occasionem suspicandi Petrum vel esse impœnitentem, vel aliquid graue commisisse. quod sit cum graui iniuria Sacramenti & sigilli, quo confessarius obligatur non solùm non dicere apertè Petrum sibi tale quid esse confessum: sed etiam non dare aliis occasionem id suspicandi. Hinc si Petrus clàm aliquem occidisset, & hoc Ioanni confiteretur, hic frangeret sigillum, si diceret Petrum circa illud tempus quo alter fuit occisus, huic adfuisse. Quia etsi inde clarè non sequeretur, Petrum esse auctorem cædis, alij tamen possent hoc inde suspicari. Hinc etiam quando aliqui v. c. studiosi, aut famuli alicuius Principis tenentur ferre testimonium suæ confessionis, confessarius debet hoc dare etiam iis quos propter indispositionem aut similem causam non absoluit; ne negando testimonium hoc aliquo modo prodat. Nec dando testimonium mentitur. quia tantùm testatur eos esse confessos, quod verum est.

Testimonium confessionis debet aliquando dari non absolutis.

Sequitur Secundò, eos violare sigillum qui peccata audita in confessione ita referunt, vt audientes possint aliqua ratione coniicere quinam ea commiserint. Secùs est de iis qui ea ita narrant, vt audientes ne vel leuiter possint vnquam suspicari, quis ea fecerit: vt ex communi sententia benè notauit Nauarrus c. 8. nu. 15. & Siluester v. *Confessio.* 3. q. 5. Ratio est, quia per hoc nulla omnino fit iniuria pœnitenti, nec in vllum ipsius grauamen cedit, quòd aliqui sciant talia peccata in mundo fieri, modò nulla ratione possint vnquam suspicari quis ea fecerit.

15 Quando frangat sigillum narrans peccata tacito auctore? *Nauarr. Siluester.*

Notant tamen bene DD. non facilè etiam hoc modo de auditis in confessione loquendum esse, nisi subsit grauis aliqua causa, præsertim coram multis, & cum expressione aliquarum circumstantiarum. Tum quia rudes ea ratione facilè scandalizantur, putantes etiam hoc modo lædi sigillum: tum etiam quia quandoque est periculum ne lædatur. quia potest facilè contingere vt ex quibusdam circumstantiis aliqui coniiciant facti auctorem. Qua in re facilè grauiter peccant, qui dicunt in aliquo certo loco, vbi paulò antè confessiones audierunt, grauia peccata perpetrari, præsertim quando communitas illius loci non est valdè ampla. Primò, quia hoc cedit in præiudicium ipsius communitatis, quæ hoc modo infamatur: & consequenter etiam ipsorum pœnitentium. quia infamia totius communitatis etiam singula membra aliquo modo afficit. Secundò, quia fortè aliqui qui priùs habebant sinistram opinionem de quibusdam in particulari, magis in ea confirmabuntur, & ita indirectè reuelabitur sigillum. Et hæc maximè vrgent quando similia dicerentur de aliquo loco religioso. quo casu omnino credo violari sigillum, vt argumenta dicta probant. Vide D. Antonin. 3. p. tit. 17. c. 22. §. 3.

16 Non facilè de auditis in confessione loquendum.

Qua ratione fit contra sigillum dicere certo loco fieri grauia peccata.

D. Anton.

Infertur Tertiò, eum frangere sigillum qui ex Petro v. c. in confessione audiuit ipsum deliberasse alium occidere, nec posse eam mentem deponere, idque alteri narrat, modò confitens hoc dixerit ex vero animo sese sacramentaliter accusandi, siue verè confitendi. Ita Richard. in 4. dist. 21. ar. 4. quæst. 2. ad 1. Scotus in 4. d. 21. q. 2. a. 2. ad 2. Durand. ibidem q. 4. ad 3. Gabriel quæst. 1. articul. 3. ad 1. Medina de confess. tract. 2. quæst. 47. Henriquez lib. 6. c. 19. num. 8. & alij communiter. Quia talis confessio verè obligat confessarium ad sigillum: vt ostendi num. 4. 5. & 7. in fine. Et qui periclitanti dicit, ipsi à Petro tale periculum imminere, verè frangit sigillum. Nam huic reuelat peccatum Petri in confessione cognitum, scilicet illud malum propositum Petri, quod ex sola confessione nouit.

17 *Richard. Scotus. Durand. Gabriel. Medina. Henriquez.*

Idem dicendum est de eo, cui aliquis confessus est se conspirasse cum aliis de prodenda ciuitate, nec posse iam socios ab ea mente deducere: qui inuito pœnitente nullo modo potest hoc Magistratui aperire, cum periculo ne conspiratores deregantur, etiamsi pœnitenti nullum inde immineat periculum, nisi quòd ipsius crimen ab aliis cognoscetur. Quia verè reuelaret sigillum.

Quid faciendum ei qui ex confessione cognouit imminere proditionem aliquam?

Aiunt tamen aliqui, confessarium tunc debere monere Magistratum vt ciuitati prospiciat, eò quòd graue periculum ei immineat. Idemque aiunt respectu priuati qui periclitatur ne occidatur. Sed

18

hæc valdè periculosa sunt. Nam hac ratione posset sacerdos facilè esse causa cur rei deprehenderentur quod fieret cum violatione sigilli. Quare si quando iudicatur expedire simile quid facere, cum maxima cautione id faciendum est, ne aliis vlla detur occasio suspicandi, qui sint conspirationis auctores; nisi fortè hoc fieret cum venia ipsius pœnitentis, qui tam omnino tenetur dare.

19 Ob nullum periculum licet facere sigillum. *Henriquez.*

CONCLVSIO IV. Hoc sigillum tam strictè obligat, vt ob nullam omnino quantumcumque magnum incommodum euitandum vllo vnquam casu inuito pœnitente liceat aliquæ, quæ sub sigillum cadunt, reuelare: etiamsi aliàs integrum regnum deberet perire. Est communis DD. vt fusè ostendit Henriquez lib. 6. cap. 19. & patet ex c. *Sacerdos.* de pœnitentia, dist. 6. Huius autem rationem reddemus dub. 2.

20 *Couarr.*

Quidam tamen aliquos casus excipiunt. Primus est, quando pœnitens iam est mortuus, & reuelatio confessionis est necessaria ad impediendum graue malum. Ita quidem Canonistæ apud Couarr. in 4. decretal. 2. p. c. 8. §. 12. nu. 9. Sed hoc falsum est, & ab aliis omnibus negatur. quia, cùm possit quis etiam post mortem infamari, & homines sint solliciti vt etiam defuncti benè audiant, hoc fieret cum aperta violatione sigilli.

21 *Soto. Gabriel. Soto.*

Secundus casus est, quando quis aliàs non posset integrè confiteri, vt si quis sine legitima potestate absoluisset aliquem simoniacum, nec posset hoc confiteri nisi ei, qui statim simoniacum coniiceret. Ita Soto in 4. d. 18. q. 4. art. 5. §. *Occurrit hic.* Citatur etiam pro hac opinione Gabriel in 4. d. 21. art. 3. dub. 1. ad 5. Sed ibi contrarium docet, & meritò. nam illa opinio est contra communem aliorum sententiam, vt etiam Soto fatetur, & est apertè falsa. Nam sine comparatione grauiùs obligat obseruatio sigilli (quod etsi deberem millies mori, non licet mihi violare) quàm integritas confessionis, quàm vt notabile aliquod damnum euitem possim non integram facere: vt ex communi sententia ostendi disput. 7. dub. 8.

22 *Ex sola venia pœnitentis licitè reuelatur confessio.*

Silvester. Alios varios casus adfert Siluester v. *Confessio.* 3. quæst. 5. Sed excepto primo quem numero 22. referam, & tertio quem refutaui num. 17. reliqui nihil faciunt ad rem, quia in iis nihil reuelatur quod ad sigillum pertinet.

Vnico ergo casu qui ferè ab omnibus admittitur licet reuelare audita in confessione, quando pœnitens id expressè concedit. Quia, cùm sigillum sit inductum in gratiam ipsius pœnitentis, ne confessio ei sit onerosa, non aliter obligat, quàm quatenus pœnitens illud vult obligare. Sicut iuramentum promissorium non aliter obligat, quàm quatenus id vult obligare is in cuius gratiam factum est. Quare longè alia est ratio huius obligationis & priuilegij clericorum, quod non est concessum in gratiam priuatorum, sed in gratiam totius Ordinis, cui fit iniuria si clericus etiam consentiens ad tribunalia sæcularia trahatur. quia hoc modo dignitas clericalis multum imminuitur. Contrà verò, quando confessarius ex consensu pœnitentis eius peccata reuelat, nulli fit vlla iniuria, nec hoc aliis pœnitentibus onerosum est.

23

Nota Primò, vt sacerdos audita in confessione c venia pœnitentis possit reuelare, quosdam requirere vt pœnitens eadem extra confessionem narrat. Primò, quia sacerdos audita in confessione non scit nisi vt Deus: ergo non potest ea vt homo reuelare. Secundò, quia aliàs si iudex suspecto de aliquo crimine præciperet, vt daret confessario veniam confessionem reuelandi, ipse incurreret graue periculum. Nam si daret eam veniam, tunc confessarius posset cogi illud reuelare: quòd si non daret, alij statim crederent eum illud commisisse. Ad Primum, nego antecedens. Nam etsi confessarius sustineat personam Dei, tamen hoc non impedit quo minùs hic homo verè illud peccatum sciat. Ad Secundum, nego confessarium habita tali venia posse quidquam ex confessione reuelare, quia cùm talis concessio per iniuriam extorqueatur, nullum confessario datius ea vtendi. quare confessarius tunc teneretur dicere se nihil tale ex pœnitente audiuisse, vt dicam n. 25. Venia inuitè extorta non sufficit.

Altisiodorensis. Non sufficit venia præsumpta.

Nota Secundò, falsum esse quod docet Altisiodorensis l. 4. tract. 6. c. 3. quæst. 7. scilicet vt sacerdos possit reuelare audita in confessione, sufficere quòd credat non fore ingratum pœnitenti: vt v. c. quando talis reuelatio est vtilis pœnitenti, & nullo modo nociua. Quod communiter alij omnes DD. reprehendunt, & meritò, quia sic redderetur pœnitentibus onerosissima confessio. quia sæpissimè plurimi confessarij ex imprudentia crederent eiusmodi reuelationem hic & nunc fore pœnitenti gratam, cùm ei esset ingratissima: & sic meritò pœnitentes timerent, ne confessarij aliquo casu ex simili præsumptione sua peccata reuelarent. Quare omnino tenendum est, talem reuelationem nunquam esse licitam, nisi quando adest expressa venia pœnitentis, nec aliter quàm quatenus hic eam expressè concessit. Quare peccat sacerdos, si aut plura peccata, aut pluribus eadem aperit, quàm pœnitens concesserit.

Nota Tertiò, cauendum omnino esse sacerdoti ne iniuriosè aut fraudulenter eiusmodi veniam extorqueat, falsò persuadendo pœnitenti, eum teneri eam hîc & nunc dare, aut quid simile. Quando tamen pœnitens sub peccato mortali tenetur aut per se aut per confessarium verè hîc & nunc sum peccatum alicui directè aut indirectè aperire (vt quando hoc potest fieri sine graui incommodo pœnitentis, & est necessarium ad graue damnum innocentis euitandum;) non solùm confessarius potest, sed etiam tenetur ei negare absolutionem, nisi illud velit aut per se, aut per confessarium aperire. quia aliàs est incapax absolutionis. Inuito tamen pœnitente sacerdos id nullo modo reuelare potest. 24

Nota Quartò, semper esse peccatum mortale sine venia pœnitentis aliquid quod cadit sub sigillum, etsi sit leuissimum peccatum veniale, reuelare. Ita cum communi sententia docent Henriquez l. 6. c. 19. n. 3. P. Suarez disp. 33. sect. 3. Soto in 4. d. 18. q. 4. ar. 5. concl. 1. in fine. qui malè à quibusdam pro contraria sententia citatur. Frangere sigilli semper est peccatum mortale. *Henriquez. Suarez. Soto.*

Hinc sequitur, confessarium interrogatum, an Petrus v. c. tale peccatum ei confessus sit, posse etiam cum iuramento negare se quidquam scire, subintelligendo, ita vt possim tibi dicere. Nec hac in re est vllum mendacium, aut vlla fictio, vt communiter omnes Doctores docent. Hac in re tamen quando interrogantes aut sciunt, aut saltem dicunt se scire pœnitentem tale peccatum commisisse, sed timere ne in confessione id ex pudore omiserit, confessario valdè cautè agendum est. Nam si dicat, pœnitentem hoc non esse confessum dabit aliis fortè causam suspicandi eum malè confessum esse: nec tamen vlla ratione potest dicere, eum hoc esse confessum etsi peccatum omnino esset publicum, vt dixi num. 12. Quare consultissimum est vt confessarius nihil respondendo graniter interrogantes obiurget, quòd talia petant aut præsumant, doceatque quàm graniter ea in re peccent. 25 Quomodo sit respondendum interrogantibus aliquid circa audita in confessione.

DVBIVM II.

Quo iure inducta sit tam stricta sigilli obligatio?

NOta, certum esse, confessarium obligari iure naturæ non reuelare audita in confessione ex 26

primo & secundo capite ex dictis nu. 2. atque etiam aliqua ratione ex reuerentia Sacramenti, quæ postulat, vt illi tribunali secretò commissa, secreta etiam habeantur: sicut reuerentia loci sacri postulat vt quæ in eo tanquam in asylo deposita sunt, nullo modo iniuriosè auferantur. Sed hæ omnes obligationes non sunt tam strictæ, quin sæpè cessent. Nam quando id bonum publicum exigit, possum alterius etiam mihi secretò commissum, etiam cum ipsius infamia publicare: atque in extrema necessitate aliena bona ex asylo loci sacri abripere. Necessitas enim facit vt multa quæ aliàs repugnant reuerentiæ loco sacro debitæ, eidem repugnare desinant: vt ostendi tom. 1. q. 83. n. 231. de coniugibus, qui diu obsessi in loco sacro licitè vtuntur coniugio. Et patet in iis, qui in graui necessitate vtuntur materia dubia in conferendis Sacramentis sine vlla horum irreuerentia. Et simili modo, quando hoc exigeret magna Reipublicæ necessitas, si nihil aliud obstaret, possemus sine vlla Sacramenti irreuerentia confessionem reuelare.

27 Quæritur igitur, vnde naticatur strictissima illa sigilli obligatio, vt nulla omnino ex causa liceat illud inuito pœnitente reuelare? Multi volunt hoc oriri ex iure naturæ & intrinseca ratione confessionis, cuius varij varias rationes reddunt.

Quidam aiunt hoc ideo fieri, quia hoc præceptum est negatiuum, ideóque semper & quocumque casu obligare: sicut, quia præceptum non occidendi propria auctoritate est negatiuum, nullo casu ita licet occidere. Ita Soto in 4. d. 18. q. 4. art. 5. §. *Quod si contra.* Sed hoc non satisfacit. Nam simili modo præceptum non reuelandi aliena peccata extra confessionem cognita, est etiam negatiuum, & tamen licitè ea reuelantur, quando ad tuendam vitam est necessarium, imò ad defensionem vitæ propriæ licitum est priuata auctoritate occidere inuasorem. quare igitur non erit licitum detegere confessionem eius qui vult prodere Rempublicam?

28 Secunda ratio est D. Thomæ d. 21. q. 3. art. 1. ad 1. quia scilicet hoc Sacramentum significat Deum perpetuò peccata condonare, atque ita ea quasi obliuisci. quare cùm sacerdos ea cognoscat vt sustinens personam Dei, si ea reuelaret, significaret Deum eorum adhuc recordari. quod esset contra significationem huius Sacramenti. Sed nec hoc satisfacit. quia dum sacerdos peccata audita reuelat, non facit hoc in persona Dei, sed vt hic homo, & consequenter non significat Deum eorum esse memorem. Et confirm. quia aliàs non liceret ea reuelare contentiente pœnitente: quia eadem maner significatio Sacramenti. Quòd si dicas sacerdotem tunc ea posse reuelare: quia tunc scit ea vt homo, præterquam quòd hoc videatur gratis dici, sequeretur eum sine reuelatione sigilli tunc posse ea pluribus dicere quàm sit concessum. quod falsum est.

29 Tertiò igitur D. Bonauentur. d. 21. p. 2. art. 2. qu. 1. & Alensis 4. p. q. 78. memb. 2. a. 1. ad 2. aiunt id fieri, quia nunquam licet mentiri. Sacerdos autem reuelans audita in confessione significat se ea scire vt hominem, quod est mendacium. quia non scit ea nisi vt Deus. Sed hoc multò minùs satisfacit. quia verè hic homo scit illud peccatum, nec sacerdos illud reuelando aliud significat. Imò dum dicit se id scire ex confessione, verissimè dicit & rem ipsam, & modum quo eam cognouit.

30 Quartò, alij aiunt id fieri, quia si in aliquo casu liceret reuelare audita in confessione, redderetur confessio nimis odiosa, præsertim cùm multi ex prudentia sæpè ea licentia abuterentur: atque ita homines deterrerentur à confessione, ipsáque tota periret; quod esset maius malum, quàm aliquod aliud quod posset ex eo quòd peccata non reuelentur accidere. Ita Soto supra §. *ius autem diuinum.* vbi loquitur de iure diuino naturali, quod sequitur ipsius Sacramenti institutionem. Et confirmatur. quia si esset facultas aliquo casu inuito pœnitente reuelandi confessionem ea esset omnino inutilis, imò & pernicioſa. Nam nemo vellet tales casus confiteri, & sic nunquam per confessionem eiusmodi mala possent impediri: quæ tamen iam sæpè impediuntur, dum pœnitentes inducuntur vt à malo proposito desistant, aut etiam vt rem permittant reuelari.

Sed etsi hæc ratio probet hoc tam strictum secretum debuisse iure positiuo præcipi, non tamen probat ex solo iure naturæ oriri. Nam ex eo quòd sacerdos possit reuelare audita in confessione in eo casu quo hoc esset necessarium ad eximendam Rempublicam præsentissimo periculo, aut in aliis similibus casibus, præsertim quando hoc fieret sine alio damno pœnitentis; per se loquendo, non posset reddi confessio odiosa. Nam pœnitens eo casu ad nihil obligaretur, ad quod iam non est obligatus. Nam iam etiam tenetur tale peccatum confiteri, & vel per se monere periclitantes, vt sibi caueant, vel permittere vt confessarius hoc faciat, quatenus hoc est necessarium vt periculum euitetur: nec aliud incommodum ex dicto casu fuisset secutum. Quare si qui à confessione per eam licentiam fuissent deterriti, immeritò fuissent deterriti. 31

Nec refert quòd quidam per imprudentiam ea licentia fuissent abusi. quia hoc est per accidens, nec reddit rem malam in se: sicut ex eo quòd ex matrimoniis clandestinis nata sint sequi multa mala ob hominum peruersitatem, non sequitur ea iure naturæ esse inualida, aut etiam illicita, sed meritò prohiberi atque irritari. Quòd ex aliqua re sint nata sequi mala per hominũ imprudentiam, non reddit illam generatim malam.

Quintò, alij hoc probant, quia Christus hoc Sacramentum ita instituit, vt omnia peccata mortalia teneamur integrè confiteri, nisi ex alicuius confessione mihi timeam aliquod graue malum contra Sacramenti institutionem. Item ita vt nullum peccatum tenear confiteri quod timeam à confessario me inuito quacumque ratione reuelandum: quæ inter se pugnarent si sacerdos teneretur, aut etiam posset me inuito in aliquo casu aliquod peccatum reuelare. quia ex priore parte sequeretur, me teneri illud peccatum confiteri, quia ex eius confessione non timerem vllum malum mihi inferendum contra Sacramenti institutionem. qui ea reuelatio esset secundùm Sacramenti institutionem: & rursum sequeretur, me non teneri illud confiteri, quia meritò timerem illud me inuito reuelandum. 32

Sed nec hoc satisfacit. quia id quod secundo loco in argumento sumitur, non videtur vniuersaliter verum. Cur enim is qui suum peccatum etiam cum vitæ periculo tenetur reuelare, quando id est omnino necessarium ne integra Respub. euertatur, non teneatur id confiteri ei qui hoc est reuelaturus cum exiguo, aut etiam nullo ipsius damno? Confirm. Primò, quia qui tenetur ita confiteri vt permittat, vel etiam ad hoc iuuet vt suum peccatum per confessarium, vel alio modo periclitantibus reueletur, non potest ideo à confessione abstinere ne reueletur: ar- qui talis eo casu ad illud tenetur, posito, quòd illud per se nolit reuelare: ergo non potest eo casu ab eius confessione abstinere ne reueletur. Confirmatur Secundò, quia aliàs sequeretur, neminem teneri talia peccata confiteri. quia nemo tenetur confiteri sua peccata ei à quo scit se nullo modo absoluendum. Nam confessio nec præcepta, nec institura est, nisi in ordine ad absolutionem. Item secundùm illam sententiam nemo tenetur confiteri ei à quo scit suum peccatum reuelandum: atqui talis non potest confiteri nisi vel ita vt eius peccatum reueletur, si id 33 Potest fieri vt quis teneatur aliquod peccatum confiteri quod sit reuelandum.

permittat; aut vt non absoluatur, si id non permittat: ergo non tenebitur illud confiteri: hoc autem est apertè falsum: ergo & illud. Quare quod communiter dicitur, me non teneri confiteri mea peccata ei quem scio ea alicui reuelaturum, intelligendum videtur in eo casu in quo non obligor apertè permittere, vt confessarius ea illi reueler, aliàs non videtur verum.

34 CONCLVSIO. Arctissima illa sigilli obligatio est inducta iure positiuo, non quidem Ecclesiastico (vt quidam putant, quia ea obligatio est antiquior omni iure Ecclesiastico: nec videtur tam grauis per humanam potestatem posse induci;) sed diuino, quod ex traditione & praxi Ecclesiæ colligimus. Ita P. Vasquez, Henriquez hîc q. 93. art. 4. dub. 1. num. 10. & cum aliis Henriquez lib. 6. c. 19. nu. 3. Et patet ex refutatione aliarum sententiarum. Ratio autem & conuenientia eam inducendi fuit ea, quam attuli num. 30. quia nimirum aliàs multi indiscretè confessionem reuelando redderent eam odiosam.

DVBIVM III.

Quinam teneantur obligatione sigilli?

35 HAc in re certum est Primò, ea teneri ipsum confessarium, vt omnes fatentur, & per se patet. quod verum est, etiamsi ipse verè non sit sacerdos, modò talis à pœnitente bona fide credatur, vt ostendi num. 8.

Secundò, certum est similiter ea teneri eos omnes qui siue casu, siue ex malitia, siue ex necessitate (vt fit quando pœnitens non potest confiteri nisi aliqui ipsum audiant, aut quando necessariò adhibet interpretem,) confitentem sua peccata audiunt, quamuis de interprete contrarium teneat Caietan. v. *Confessio.* condit. 11. & pro eadem opinione citetur etiam Soto lect. 11. de confess. §. *Primum ad secretum.* Sed ipse cum communi sententia docet eum teneri. Et probatur, quia omnis istorum cognitio prouenit ex sacramentali confessione quâ talis est. Quia pœnitens nullo modo hîc & nunc intendit pandere sua peccata, nisi cum directo ordine ad absolutionem sacramentalem, & quatenus illud ad hoc est necessarium: arqui omnis cognitio peccati eo modo habita ex confessione sacramentali; quâ talis est, clauditur sub sigillo: ergo omnes illi tenentur ad sigillum. Minor probatur, quia Christus annectens priuilegium sigilli ipsi confessioni, voluit ei absolutè cautum ab omni periculo reuelationis, quatenus hoc est necessarium vt pœnitens omnino securè posset sua peccata confiteri: arqui illud fieri non potuit nisi omnis illa cognitio claudereтur sub sigillo: ergo, &c. Confirmatur, quia aliàs sæpè onerosissima redderetur confessio, cùm in multis casibus fieri nequeat sine periculo ne alij aliquid ex ea audiant: vt in omni magno concursu pœnitentium solet accidere.

36 Tertiò, idem secundùm communem sententiam dicendum de eo, cui confessarius pœnitentis confessionem sine huius venia reuelauit. Quia & tota hæc cognitio ex ipsa confessione saltem mediatè prouenit; & aliàs onerosa sæpè ac pœnitenti periculosa redderetur confessio. Nam si sacerdos per malitiam, aut imprudentiam aliquod pœnitentis peccatum contra Principem aut Rempublicam commissum aliis reuelarer; hi possent rem ad Magistratum deferre, ac dare ei occasionem in reum inquirendi: præsertim quando ij qui rem intellexissent, crederent eius reuelationem cedere in bonum publicum. Quæ omnia fierent cum maximo granamine confitentium ac Sacramenti iniuria.

37 Addunt aliqui, etiam ipsum pœnitentem teneri seruare sub eodem sigillo ea quæ confessarius ei in confessione dixit. Ita Nauar. in cap. *Sacerdos*, de pœnitentia, d. 6. nu. 115. Et pro eadem opinione citatur Paludanus in 4. d. 11. qu. 3. circa finem. Sed ipse ibidem cum communi sententia contrarium insinuat, scilicet pœnitentem solùm teneri iure naturali celare dicta sibi à confessario, quando eorum reuelatio posset sacerdoti grauiter nocere. Et meritò. quia nulla est causa cur dicamus pœnitentem strictiùs obligari, nisi fortè ex quadam decentia. quia ex vi confessionis sacerdos nullum secretum reuelat siue committit pœnitenti, sed pœnitens sua secreta peccata tanquam in sacro asylo deponit coram sacerdote. quare huic soli per obligationem sigilli prospiciendum est, non autem sacerdoti.

Nauarrus. Paludan. Pœnitens non tenetur sub sigillo.

Præcipuum autem hîc dubium est, Vtrùm is cui confessarius ex venia pœnitentis audita in confessione legitimè reuelauit, teneatur etiam sub sigillo? 38

Prima sententia id affirmat. Ita Siluester v. *Confessio.* 3. qu. 1. Nauarr. c. 8. n. 4. Soto lect. 11. de confess. Citantur & alij multi, sed qui tantùm dicunt, omnes qui mediatè vel immediatè, licitè vel illicitè dicta in confessione audierunt, teneri ea seruare sub secreto, aut etiam sub sigillo: cùm tamen aliqui eorum magis contrariæ sententiæ faueant. quia negant talem habere eam cognitionem ex confessione sacramentali. Dicta autem sententia probatur Primò, quia talis cognitio prouenit ex sola confessione sacramentali: ergo clauditur sub sigillo. Secundò, quia communiter eiusmodi reuelatio fit alicui homini docto, vt confessarius circa dubia in confessione audita instruatur: atque ita ille consultus tenet se ex parte confessarij vtendo claue scientiæ, & supplendo defectum confessarij: ergo eodem modo tenetur ad sigillum sicut ipse confessarius. Tertiò, quia pœnitens non dat confessario veniam tali reuelandi sua peccata, nisi ea conditione vt alter obligetur sigillo: ergo ipse obligatur. Quartò, quia aliàs sacerdos, postquam tali narrasset peccata confitentis, non teneretur sub sigillo. quia eodem modo ea sciret, atque ipse consultus. Quintò, quia res transit cum suo onere: arqui sacerdos eam cognitionem habebat cum obligatione sigilli: ergo similiter eam communicat alteri. Sextò, quia aliàs sæpè redderetur confessio valdè onerosa. Nam sæpè ad eius perfectionem ob confessarij ignorantiam aut impotentiam absoluendi à casibus reseruatis, necessarium est peccata alicui alteri reuelare.

Silueſter. Nauarr. Soto.

Hinc quidam inferunt Primò, Superiorem à quo petitur facultas absoluendi certam personam à casibus reseruatis, siue id fiat per pœnitentem, siue per confessarium ex venia pœnitentis, teneri ad sigillum. 39

Secundò, similiter teneri eum quem pœnitens sponte adhibet vt se sacerdoti confitentem audiat, vt hoc modo magis confundatur, vel ob aliam similem causam. Probant. quia omnis hæc cognitio vel prouenit ex confessione sacramentali, vel ad eam dirigitur.

Secunda sententia docet hos non teneri sigillo. Hanc à fortiore tenet Medina de pœnitentia tract. 2. qu. 46. Vbi ait, ne quidem eum teneri ad sigillum, cui confessarius inuito pœnitente confessionem reuelauit. Et satis ei fauet Caietanus, dũ negat interpretem teneri sigillo, qui hîc videtur fortiùs obligari quàm illi. Insinuat eandem Palud. in 4. d. 21. quæst. 3. ad 3. vbi ait pœnitentem dando confessario veniam, vt alicui audita in confessione reueler efficere vt ipse ea sciat alio modo in ordine ad eam reuelationem, ita vt ipsa reuelatio non procedat ex cognitione quatenus est clausa sub sigillo: apertè insinuans cognitionem audientis non claudi sub sigillo. Eandem etiam docent apertè Henriquez l. 6. c. 2. n. 3. & P. Vasquez hîc q. 93. a. 4. dub. 2. num. 13. 40

Medina. Caiet. Palud. Henriquez, Vasquez.

Sanchez. Lex non obligat in casu in quem se non extendit.

Probatur Primò, quia, vt cum aliis docet P. Sanchius l. 2. de matrim. disput. 37. nu. 3. lex numquam se extendit ad eum casum, ad quem ratio legis se non extendit: atque ratio legis imponentis obligationem sigilli non extendit se ad dictos casus: ergo nec ipsa lex.

41 Aliud est legem se ad aliquem casum non extendere, aliud ipsius rationem in eo cessare.

Pro cuius explicatione Nota Primò cum Sanchio suprà, aliud esse rationem legis in aliquo casu particulari cessare: aliud verò eam se non extendere ad eum casum. v. c. prohibitum sit diebus festis à prandio edere spectacula ante horam tertiam ne populus à Vesperis auocetur; postro casu quòd Vesperæ fiant quidem inter secundam & tertiam, certum tamen sit neminem qui aliàs ad Vesperas esset iturus per spectacula ab iis auocandum; ratio legis in eo casu cessabit: lex tamen etiam eum casum comprehendet, & ad non edenda spectacula obligabit. Secùs esset quando Vesperæ essent factæ ante prandium, & postea nullum aliud diuinum officium fieret. Hunc enim casum lex non comprehenderet: & consequenter nec vetaret tunc edere spectacula. Ratio diuersitatis est, quia in priore casu posset saltem esse periculum ne quis à Vesperis auocetur, quod legislator vult omni modo vitari: in secundo nihil tale esse potest.

42 Nota Secundò, aliud esse pœnitentem teneri ex præcepto confessionis hic & nunc aliquod peccatum confessario explicare: aliud verò hanc explicationem esse necessariam vt possit directè ab eo peccato absolui. Nam quoties non potest suum peccatum confiteri nisi tertius aliquis illud audiat, non tenetur id confiteri; eius tamen confessio est necessaria vt possit directè ab eo absolui. Christus autem imponens obligationem sigilli voluit pœnitenti caurum esse vt sine vllo periculo vlterioris reuelationis posset suum peccatum confiteri, non solùm eo casu & modo, quo ex præcepto tenetur confiteri; sed omni eo qui necessarius est vt possit hic & nunc directè à peccato absolui. Hinc etsi nemo teneatur confiteri per interpretem, aut quando hoc non potest facere, nisi tertius eius peccata intelligat; tamen quia hoc quandoque necessarium est vt peccator possit directè à peccatis absolui, tales etiam obligantur ad sigillum, vt dixi n. 35. Et hæc est tota ratio impositionis sigilli. Nam per hanc Christus solùm prospectum voluit ei peccatorum narrationi, quam tanquam partem huius Sacramenti instituit, siue quæ ad plenam integritatem confessionis exigitur, quæ est ea sola, quæ est necessaria ad directam peccatorum absolutionem. Gratis enim omnino dicitur, Christum alicui alteri reuelationi voluisse ita singulariter cautum, quàm ei quam vnà cum hoc Sacramento singulariter instituit.

43 Probatur igitur minor dicti syllogismi. Quia Christus imponens eam obligationem solùm voluit prospicere ei peccatorum narrationi, quæ necessaria est ad obtinendam sacramentalem absolutionem: atqui nunquam ad illam præcisè est necessarium vt confessarius audita in confessione alteri reueler, præsertim ita vt persona confitentis cognoscatur: ergo Christus inducendo sigillum noluit tali narrationi prospicere: & consequenter tario legis ad eam non extenditur. Minor probatur, quia quòd necessarium sit aliquando audita in confessione consilij vel auxilij petendi causa alteri explicare, fit, vel quia confessarius dubitat an pœnitens teneatur aliquid restituere, vel an possit in posterum sine peccato in tali aut tali statu perseuerare, aut talem contractum exercere, vti liberè matrimonio, aut simile quid facere: vel demum quia ratione casus reseruati non potest eum absoluere, nisi ad hoc facultatem obtineat.

44 Qualiscumque autem ex omnibus eiusmodi casibus possit oriri necessitas aperiendi alteri audita in confessione; hæc in solo postremo casu oritur aliquo modo ex vi ac institutione ipsius confessionis, siue vt pœnitens possit directè absolui à peccatis. In reliquis autem omnibus nullo modo inde oritur (nam pœnitens sine vlla tali reuelatione potest statim absolui; modò promittat se postea per se) quod in confessione facere potest (vel per confessarium, vel alios consultorum viros doctos, & eorum iudicio staturum;) sed oritur ex eo quòd pœnitens in posterum teneatur vitare omnia peccata, & proxima peccandi pericula. Vnde teneretur per se vel per alios eodem modo suum statum aperire, etsi confessio nunquam esset instituta. Quare quòd is cui extra confessionem talia reuelantur per confessarium, non obligetur sigillo, nullo modo reddit odiosam confessionem. Adde, hanc reuelationem communiter posse sufficienter fieri, ita vt non possit colligi persona pœnitentis, & consequenter sine vllo eius grauamine.

In postremo autem casu nunquam videtur occurrere necessitas vllo modo reuelandi confessionem. Nam si velit pœnitens potest semper per se Superiorem adire, eique confiteri, vel committere priori confessario, vt ita petat facultatem absoluendi à casu reseruato, vt nullo modo persona confitentis possit colligi.

Ex quibus patet, nullo modo reddi onerosam confessionem per hoc, quòd ità consultus non teneatur ad sigillum. quare cùm sigillum solùm sit impositum ne confessio reddatur onerosa, ratio legis ad eum casum nullo modo se extendit.

45 Probatur conclusio Secundò, quia, vt DD. communiter fatentur, sola illa cognitio clauditur sub sigillo, quæ saltem mediatè habetur ex confessione sacramentali, qua talis est: atqui cognitio, quam habet ita consultus, non est talis: ergo non clauditur sub sigillo. Minor probatur. Quia cùm talis consultatio tota fiat in gratiam pœnitentis vt ei consulatur, confessarius ex ipsius concessione alium consulens, agit planè partes pœnitentis, & hic per illum tanquam per suum instrumentum alium consulit. quare sicut si pœnitens per se extra confessionem viro docto casus suos aperiret, cognitio quam hic acciperet non posset dici venire ex confessione sacramentali: ita nec potest dici ex confessione prouenire, quando pœnitens consulit eum per confessarium. Quare quamuis confessarius in hac explicatione vtatur aliquo modo cognitione habita ex confessione; cognitio tamen quam alteri dat non oritur propriè ex cognitione sacramentali, sed ex commissione pœnitentis, cuius ipse est instrumentum: & cognitio sacramentalis solùm se habet tanquam conditio requisita, vt confessarius possit alteri casum explicare. Sicut si pœnitens quo liberiùs posset à confessario dirigi & in omnibus iuuari, extra confessionem ei diceret, Fateor me ea omnia fecisse, quæ tibi iam antè inter confitendum narraui: hoc ipso moraliter, siue in ordine ad actus humanos dirigendos daret confessario cognitionem suorum peccatorum distinctam à sacramentali, etsi omnino ab hac dependentem & physicè eandem cum ea. Et contrà qui extra Sacramentum narrasset sacerdoti omnia sua peccata, postea in confessione dicendo, Fateor me fecisse ea omnia, quæ iam antè narraui, daret ei sufficientem cognitionem sacramentalem. Sicut igitur in hoc casu confessarius verè accipit cognitionem sacramentalem: sic in priore verè potest dici cognoscere peccata pœnitentis etiam extra confessionem: & eodem omnino modo ita consultus accipit à pœnitente cognitionem nullo modo sacramentalem, licèt dependenter ab opera confessarij, & cognitione sacramentali.

Is cui ex venia pœnitentis reuelatur peccatum auditum in confessione non accipit cognitionem sacramentalem.

Ex quibus infertur Primò, quando aliquis sponte sine vlla necessitate adhibet aliquos præter confessarium, quibus audientibus confitetur; hos non obligari sigillo. Tum quia, cùm hoc nullo modo sit necessarium ad integritatem confessionis, ratio legis eum casum nullo modo complectitur: tum etiam quia ea peccatorum narratio sicut ad diuersos diuersa intentione dirigitur; ita est virtute duplex, & sacramentalis quatenus dirigitur ad confessarium; non autem quatenus dirigitur ad alios: atque ita hi non habent suam cognitionem ex confessione qua sacramentalis est. Quare etsi cum venia pœnitentis consultus à confessario teneretur ad sigillum, crederem tamen probabilius hos non teneri. Secùs est de iis, qui ex necessitate, aut casu aliquo præter intentionem pœnitentis confessionem audiunt. quia cùm tunc pœnitens suam confessionem ex sua intentione solùm dirigat ad confessarium, ipsa solùm habet rationem confessionis sacramentalis.

Testes ad confessionem audiendam à pœnitente ipso adhibiti non tenentur sigillo.

47 Infertur Secundò, idem dicendum esse de Superiore, à quo extra Sacramentum petitur venia absoluendi à casu reseruato, quando aut pœnitens hanc per se petit, vt possit ab eo absolui: aut quando ipse confessario extra confessionem dixit vt eam facultatem peteret. Ratio est, quia in neutro casu est vllo modo confessio sacramentalis, ex qua tamen sola sigillum oritur. Nec enim ex eo quòd talis petitio ordinetur ad confessionem postea futuram, vllo modo (vt aliqui volunt) sequitur, eam esse confessionem inchoatam. Nam eodem modo quando quis bona fide alicui amico suo narrat aliqua sua peccata, vt ab eo discat, qua ratione ea postea debeat confiteri; ea narratio ordinatur ad confessionem, & tamen non habet rationem confessionis sacramentalis. Et confirmatur, quia vtraque narratio potest æqualiter fieri non sacerdoti ac sacerdoti.

Nec etiam Superior rogatus vt det veniam absoluendi à casu reseruato.

Quòd si hæc petitio facultatis absoluendi cum explicatione personæ pœnitentis fieret ex huius venia per confessarium qui ex sola confessione sacramentali haberet casus cognitionem; eadem esset obligatio illius Superioris, & eius qui à confessario cum venia pœnitentis consulitur.

48 Infertur Tertiò, quando confessarius ex malitia, imprudentia, aut alio casu, consilij vel facultatis petendæ causa, casum ex sola confessione cognitum, sine pœnitentis venia ita alicui explicat, vt possit persona pœnitentis aliquo modo cognosci, & frangi sigillum, & audientem teneri audita seruare sub sigillo. Idemque dicendum, quando pluribus quàm concessum est aperitur. Quia tunc confessarius non agit vt instrumentum pœnitentis: & consequenter cognitionem quam alij accipiunt, ex sacramentali confessione accipiunt.

49 Ad rationes pro priore sententia allatas videtur ex dictis facilè posse responderi. Ad Primam enim negandum est antecedens. quia iam ostendi ita consultum non accipere suam cognitionem ex confessione sacramentali, qua talis est.

Ad Secundam, negandum est ita consultum tenere se vllo modo ex parte confessarij vtendo potestate clauium ad hoc Sacramentum pertinente: ita vt narratio ei facta habeat vllo modo rationem confessionis sacramentalis.

Ad Tertiam, nego consequ. quia talis obligatio non potest oriri ex sola voluntate pœnitentis, aut aliquo humano pacto. Nam aliàs qui laïco narraret sua peccata dicendo se ea dicere sub secreto sigilli; & non aliter, imponeret huic obligationem sigilli. quod falsum est.

Ad Quartam, nego assumptum eiúsque probationem. Nam sacerdos per illam narrationem non accipit nouam cognitionem, quam antea non habebat neque physicè, vt per se patet: neque etiam moraliter. quia cùm in enatratione illorum casuum non possit aliter agere quàm vt instrumentum pœnitentis; non potest in agendo excedere intentionem pœnitentis, & consequenter nec vlli dare nouam earum rerum cognitionem, quàm quatenus hoc pœnitens concessit, qui nullo modo intendit sacerdoti dare nouam cognitionem.

Ad Quintam, nego consequentiam. quia dicta cognitio non habebat obligationem sigilli nisi quatenus directè proueniebat ex confessione sacramentali: consultus autem, vt suprà ostendi, non accipit propriè suam cognitionem ex confessione sacramentali, sed ab ipso pœnitente, qui non obligabatur sigillo. Ad Sextam, negandum est assumptum, vt patet ex dictis.

Quænam autem ex his duabus sententiis sit verior, satis est difficile dicere. Nam secunda sententia videtur niti firmioribus rationibus: prior tamen est magis recepta, & propter reuerentiam Sacramenti videtur in praxi communiter seruanda. ob quam rationem etiam auctores qui secundam tuentur, fatentur eos omnes, qui quouis ex dictis modis aliquid ad confessionem pertinens secretò cognouerint, teneri strictiùs illud secretum seruare, quàm qui illud quacunque alia via secreta nouissent, aut etiam se secretum seruaturos promisissent. Vnde etiam communiter asserunt, nulla vnquam ratione licitum esse aliqua ex dictis cognitionibus vti in ordine ad accusationem & punitionem pœnitentis. quia hoc fieret cum aliqua irreuerentia Sacramenti. Idémque dicendum de cognitione quam quis acciperet ex charta, in qua pœnitens confessurus memoriæ causa, sua peccata scripsisset. Vide Henriquez l. 6. de Sacramentis c. 20. num. 2. Quisquis autem talem chartam reperit, siue ab alio perditam, siue casu alicubi relictam, cauere omnino debet, ne postquam qualis sit cognouerit, quidquam ex ea legat. Nam hoc fieret cum iniuria pœnitentis. 50

Henriquez.

DVBIVM IV.

Vtrùm liceat sacerdoti extra confessionem vti scientia in ea comparata?

HAc in re certum est Primò, non licere vnquam ita ea scientia vti, vt alij possint ex eius vsu conijcere pœnitentem peccatum aliquod mortale etiam in genere, aut certum aliquod peccatum veniale in specie fecisse. quia hoc modo apertè reuelaretur confessio. quod semper est illicitum: nec vllo modo refert siue id fiat facto, siue dicto. Hinc ferè communiter DD. & meritò asserunt, quando Superior ex sola confessione nouit aliquem omnino ineptum esse ad officium quo fungitur, illúdque in perniciem animæ suæ retinere; etsi hic aliàs possit ad nutum amoueri, illum tamen hoc nullo modo posse facere, quando alij suspicarentur id fieri ob aliquod secretum amoti crimen: quia sic confessio reuelaretur. Eadémque est ratio habentis potestatem eligendi aliquem ad aliquod officium, qui propter cognita ex sola confessione nullo modo potest ei suum suffragium negare, si id nequeat facere nisi alij suspicentur id propter aliquod secretum alterius crimen fieri: vt facilè accideret, quando suffragia publicè dantur, & talis pœnitens haberetur publicè dignissimus illo officio, nec posset coniici alia causa, cur confessarius ei suffragium negaret. 51

Nunquam licet ita vti scientia in confessione habita vt hæc aliquo modo reueletur.

Inferunt hinc alij Secundò, quando aliqui in alicuius sacerdotis necem conspirassent, vt noctu dormientem occiderent, aut venenum in vino quo inter celebrandum vti deberet, imposuissent, idque ipse 52

ex visus eorum confessione cognouisset; cum non posse inde fugere, aut recusare vti illo vino inter celebrandum, si id nequeat facere, nisi alij coniurationis conscij suspicentur eum hoc facere, quia talis hoc ei confessus est, idque etiam eo casu quo nulli alij præter conscios coniurationis id coniicere possint. Ratio eorum est, quia sacerdos eo facto reuelaret aliis pœnitentis confessionem, quod nullo casu licet.

Nec refert quòd solis iis eam reuelaret, qui antè pœnitentis peccatum nossent. quia, vt ostendi suprà num. 12. frangit sigillum etiam is, qui iis quibus Ioannis v. c. furta notissima sunt, diceret eum sibi talia furta confessum esse. Ita Soto d. 18. q. 4. a. 5. §. *Hoc adrò.* Richardus d. 21. a. 4. q. 2. ad 5. Nauar. c. *Sacerdos.* de pœnitentia, d. 6. num. 135. & alij.

Soto. Richard. Nauar.

53 Sed dicta ratio nullo modo videtur sufficienter probare intentum, & semper mihi visa est sumere fallum, scilicet tali facto eo casu reuelari confessionem. Pro quo Nota, longè esse diuersa dicere etiam iis qui certa Ioannis furta nouerunt, *Ioannes mihi sua furta confessus est.* quod nunquam sine eius venia licet. & dicere aut facere aliquid vnde conscij illorum furtorum colligant ipsum mihi ea confessum esse. quod sæpe non modò licitè, sed etiam necessariò fit. Nam de latrone ob publica latrocinia suspenso licitè dico, eum mihi cum magna contritione confessum esse, & me omnino credere eum bene esse mortuum. Ex quibus verbis omnes ipsius criminum conscij colligunt ipsum mihi ea confessum esse. Nam aliàs nec cum contritione potuisset mihi confiteri, nec possem sperare eum esse bene mortuum. quia sacrilegè fuisset confessus præsertim quando constat eum non esse alteri confessum. Imò hoc ipso quo coram aliis talis confessionem audio, eique absolutionem impendo, ac postea Ven. Sacramentum distribuo (quæ tamen facere teneor;) significo eum mihi sua scelera titè confessum esse, & adstantes hoc ex meo facto debent coniicere; nisi constet iis de contrario. quia sine graui causa non possunt suspicari eum sacrilegè aut confiteri, aut communionem suscipere.

Sæpe licet mihi facere aut dicere aliqua, ex quibus alij colligant pœnitentem mihi esse confessum peccata quæ ipsi norunt eum fecisse.

54 Ratio diuersitatis est, quia qui dicit Ioannem talia aut talia peccata siue occulta, siue publica confessum esse non frangit sigillum præcisè per hoc, quia dicit Ioannem ea confessum esse, sed quia simul significat ipsum ea fecisse. Nam qui hoc antè non sciebant, aut non ita certò sciebant, ex illo dicto sacerdotis certissimè intelligunt Ioannem ea fecisse. quod apertè repugnat sigillo. Nec obstat quòd omnes præsentes illud tam certò sciant, vt per dictum sacerdotis nullo modo fiant certiores. quia hoc est per accidens, & dictum sacerdotis tale est, vt natum sit audientes reddere certiores Ioannem ea scelera patrasse, & consequenter est contra legem sigilli, quæ non respicit quid hic & nunc per accidens non fiat, sed quid natum sit fieri: siue quod idem est, inde tantùm sequitur, rationem legis cessare in particulari, non autem in generali: atque ita nec obligatio legis cessat. Secùs est in altero casu. Nam talis sacerdos nullo modo significat pœnitentem hoc vel illud peccatum fecisse (suppono enim neminem rei ignarum hoc ex eius facto posse colligere, & aliàs concederem eum sacrilegè sigillum frangere;) sed solùm dat iis, qui pœnitentis peccatum nouerunt, occasionem aliquam suspicandi eum hoc esse confessum. quod non est contra sigillum, vt patet vt ex exemplis allatis. Quare multi DD. tenent talem sacerdotem eo casu licitè fugere, aut à sacrificio abstinere. Ita Scotus d. 21. q. 2. ar. 2. ad 3. Gabriel ibidem qu. 1. a. 3. dub. 1. ad 4. Siluester *Confessio.* 3. q. 19. Henriquez l. 6. c. 24. n. 5. citans Maiorem, Palacium, Paludan. & alios plurimos.

Cur potiùs frangat sigillum qui dicit Ioannem sibi peccata publica esse confessum, quam qui aliquid facit, vnde hoc colligatur?

Scotus. Gabriel. Siluester. Henriquez. Maior. Palacius. Paludan.

55 Et hanc sententiam credo esse veriorem, saltem quando ex eo facto sacerdotis nullum aliud notabile incommodum nascitur, nisi quòd socij colligent pœnitentem hoc peccatum esse confessum. Imò probabile videtur, sacerdotem eo casu non modò posse, sed etiam teneri fugere mortem, præsertim quando agitur de consecrando & sumendo vino infecto veneno. quia & hoc fieret cum magna irreuerentia Sacramenti, & sacerdos potiùs se occideret. quod illicitum est, quoties cuirari potest.

Quid faciendum sacerdoti qui ex confessione nouit sibi parari mortem.

Dices, Hinc sequetur eum teneri recusare tale vinum, etsi hoc ob certas circumstantias facere non posset, nisi dando etiam rei ignaris occasionem suspicandi pœnitentem miscuisse venenum: quia nunquam licet seipsum occidere.

Respondent aliqui, non dici tunc seipsum occidere. quia non tenetur credere pœnitenti dicenti venenum positum esse in calice. Sed hoc non satis capio. Primò, quia non video quomodo sine vllo probabili motiuo sibi persuadere possit pœnitentem mentiri, & nullum esse venenum in calice. Secundò, quia confessarius, nisi euidenter ei de contrario constet, tenetur pœnitenti credere tam contra se, quàm pro se dicenti. quomodo ergo sine vllo probabili argumento poterit credere eum falsò confiteri se fecisse illud peccatum, siue cum aliis venenum vino miscuisse? Respondeo igitur, cum eo casu sit ei moraliter impossibile abstinere ab eo potu, cum bibendo non censeri moraliter cooperari suæ neci, sed ob iustam causam ad bonum finem facere aliquid ex quo mors eius sequitur, sicut facit is qui suffodit hostilem turrim, cuius casu scit se obruendum.

Hauriens venenum, cùm hoc nequit euitare, non censetur se occidere.

56 Maior hæc in re est difficultas, quando ex ea fuga sacerdotis, pœnitenti ab aliis sociis mors aut simile graue periculum immineret, quod nullo modo euitare posset. qui casus etsi potiùs sit metaphysicus, quàm moralis, tamen vt tota res meliùs intelligatur, iudicaui cum aliis esse explicandum. Videtur enim sacerdos tunc nullo modo posse fugere. quia hoc cederet in graue damnum pœnitentis, & redderet confessionem odiosam, & auerteret pœnitentes ne tali casu confiterentur.

Quid si ex fuga sacerdotis, pœnitenti immineat mors.

Respondeo igitur Primò, valdè laudabile fore tali casu potiùs fortiter sustinere mortem, quàm pœnitentem iis periculis exponere. Respondeo Secundò, absolutè tamen loquendo probabilius videri sacerdotem ad hoc non teneri. quia etsi laudabile sit vitâ suam pro aliis exponere, tamen ad hoc non tenemur, nisi quando proximi æterna salus est in extremo periculo: aut quando quis ratione officij aut pacti singulariter ad illud obligatur: qualis hic nulla obligatio occurrit. Quare cùm sacerdos ita fugiendo non reuelet sigillum, vt ostendi, non video quare absolutè obligetur non fugere.

57 Quòd autem per illam licentiam possint tales sicarij auerti ne in talibus circumstantiis suum factum confiteantur, cùm hic casus, vt dixi, sit ferè metaphysicus, non sufficit vt ideò possit dici confessio reddi onerosa: aut vt sacerdos ideo debeat subire mortem. Sicut si quidam ex famulis heri hæretici sacerdoti inscio domino confiteretur, & postea dominus suspicans aliquem ex famulis suis ei confessum esse, nesciens tamen quis esset, minaretur sacerdoti mortem, nisi eum aperiret; absolutè loquendo posset sacerdos, si aliter non posset euadere mortem, nominare eum qui sibi esset confessus, etiamsi sciret eum postea à domino occidendum, & alios aliquando auertendos ne in tali occasione confiterentur. Nam per hæc non redditur confessio odiosa secundùm se (quod cauet lex sigilli) sed solùm prout facta in talibus circumstantiis: atque ita homines per ea non auertuntur simpliciter à confessione, sed ne in talibus circumstantiis confiteantur. quæ longè diuersa sunt.

58 Qualis vsus scientiæ ex confessione habitæ sit licitus?

Secundò, hæc in re certum est, cum vsum scientiæ in confessione habitæ esse licitum, qui nec vllo modo potest alicui esse occasio suspicandi, quid hi vel illi pœnitentes sint confessi, nec alio quouis modo potest esse pœnitenti incommodus: vt communiter Doctores fatentur. Sic ob audita in confessione possum moueri vt pro pœnitente orem. Secundò, vt diligentiùs studeam, aut etiam consulam aliquos doctos, aut in confessionibus expertos quid faciendum esset, si tales aut tales casus occurrerent: modò hoc ita fiat vt nemo vllo modo possit quidquam circa certos pœnitentes suspicari. Tertiò, possum diuersos casus audiendo, eósque inter se conferendo, paulatim fieri doctior & prudentior in aliorum conscientiis tractandis, iisque inter confitendum examinandis, aut dirigendis. Quartò, spectatis aliorum periculis possum fieri cautior in euitando damno tam corporali, quàm spirituali: atque etiam alios in similibus rebus instruere, modò hæc omnia ita fiant, vt nullum sit periculum ne quis vllo modo suspicetur certas aliquas personas hoc vel illud fecisse, quia eiusmodi vsus nullo modo potest reddere confessionem odiosam.

59 Restat igitur difficultas, Vtrùm liceat vti dicta scientia exercendo quosdam actus circa ipsum pœnitentem, præsertim ei ingratos, qui ita men fiant, vt nemo præter ipsum possit aduertere ea fieri propter aliqua audita in confessione?

Nota Primò, has actiones posse esse quadruplices. Primi generis sunt, quæ spectant aliqua ratione ad iustitiam vindicatiuam, quales sunt aliquem punire in corpore, aut priuare beneficio vel officio ad quod iam habet *ius* acquisitum, & similes. Et eodem etiam spectaret si Superior sciens ex confessione subditum certo loco solitum committere peccatum, ei per se, vel alios struere insidias, vtrum in peccato deprehenderet.

Secundi generis sunt quæ spectant ad distributionem officiorum, v.c. negatio suffragij in electione ad aliquod officium aut beneficium, nolle aliquod beneficium alicui conferre, amouere aliquem à beneficio iam adepto, aut à certo loco in quo quis habitat, quando Superior pro libitu potest ea facere.

Tertiæ consistunt in negatione Sacramentorum, v.c. Eucharistiæ, Confirmationis, Ordinis, assistentiæ matrimonij, &c.

Quartæ consistunt in obiectione alicuius impedimenti, quo quis sine alio suo incommodo impeditur ab aliquo peccato committendo.

60 Nota Secundò, hanc difficultatem maximè habere locum in tribus posterioribus actionibus. Nam satis certum est primi generis actiones ex tali scientia iniustè vsurpari, & cum iniuria Sacramenti: quia sine legitima probatione facta in foro externo iniustè exercentur. Item aduertendum, hanc quæstionem solùm habere locum quando dicta fiunt sine consensu pœnitentis. Nam ex eius consensu certum est ea fieri posse. Tertiò, eam solùm procedere in casibus iure positiuo non prohibitis.

61 Nota igitur Tertiò, Clementem VIII. in motu proprio, quem anno 1594. 26. Maij edidit pro Regularibus circa casus reseruatos, præcipere vt *tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarij, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.* Quod sine dubio in Religionibus est obseruandum. Quare dictæ quæstiones in his magna ex parte cessant, præsertim circa actiones secundi generis. Agitur igitur hic præcipuè, quid dicendum sit secluso omni iure positiuo humano.

62 Duplex est sententia. Prima absolutè docet eiusmodi actiones licitas esse, quoties solus pœnitens poterit suspicari cur fiant. Ita Halensis 4. p. q. 78. ar. 1. memb. 2. ad 8. D. Thom. in 4. d. 21. q. 3. a. 1. quæstiunc. 1. ad 3. D. Bonauent. ibidem in 2. p. a. 21. q. 1. ad 3. Scotus quæst. 2. art. 2. lit. I. Palud. quæst. 3. art. 3. §. *Si ergo.* Gabriel quæst. vnica art. 3. dub. 1. ad 2. & alij plurimi: Probatur Primò, quia sacerdos solùm obligatur ex confessione ne reuelet aliqua in ea cognita: atqui per tales actus hoc non fit: ergo ille non obligatur ad illos omittendos. Secundò, quia sacerdos per auditionem confessionis nullo suo iure priuatur: atqui, si non audiuisset *illius hominis confessionem*, potuisset illum licitè amouere ab officio, negare ei suffragium, &c. ergo etiam id potest audita confessione. Tertiò, quia ideo Prælati reseruant sibi aliquos casus, vt melius in supradictis rebus possint sibi subditos gubernare: ergo in iis exercendis possunt vti scientia habita in confessione. *Halensis. D. Thom. D. Bonau. Scotus. Palud. Gabriel.*

Vbi Nota *quosdam* ex dictis Doctoribus asserere, 63 talem confessarium non solùm posse, sed etiam teneri quem ex confessione indignum nouit, amouere ab officio, aut negare ei suffragium, aut Sacramentum, &c. quando id sine reuelatione sigilli facere potest. Quia quantum potest, tenetur non promouere indignos ad officia, iisque Sacramenta negare: ergo cùm hic possit, tenetur. Ita D. Thom. in 4. d. 9. ar. 5. qu. 1. in corpore. Palud. d. 21. qu. 3. art. 3. Soto relect. de secreto, memb. 3. q. 4. concl. 5. dub. 1. Siluest. *Eucharistia.* 3. qu. 5. dicto 1. Nauar. c. *Sacerdos.* de pœnitentia, d. 6. n. 147. & alij. *D. Thom. Paludan. Soto. Siluest. Nauarr.*

Alij tamen negant eum ad hoc teneri. Quia nimis durum & periculosum est confessorem cogere vt in exterioribus actibus vtatur ea scientia, quam in confessione accepit: vt benè docent P. Sanchius lib. 3. de matrim. disp. 16. n. 7. citans pro se alios, & Suarez hic disp. 33. sect. 7. n. 12. *Sanchez. Suarez.*

Secunda sententia absolutè negat in eiusmodi actibus licere vti scientia ex confessione habita, præsertim in actibus secundi & tertij generis, de quibus expressiùs loquitur. Ita Armilla v. *Confessor.* num. 7. & Bañes 2. 2. q. 33. a. 8. sub finem. & P. Sanchez l. 3. disp. 16. num. 3. & 4. Probatur Primò, quia non solùm non licet aliis reuelare audita in confessione, sed ne quidem licet cum pœnitente extra confessionem, sine eius venia de iis loqui, multóque minùs licet ea ipsi obiicere: vt communiter DD. fatentur: atqui qui ob ea negat alicui quantumuis secretò administrationem Sacramenti, aut suffragium ad aliquod officium, eúmve ab eo amouet, ipso facto ei obiicit, & quasi exprobat audita in confessione: ergo hoc non licet. Secundò, quia, cùm obligatio sigilli inducta sit, ne confessio pœnitentibus reddatur onerosa, debet prohibere ea omnia, per quæ illa redditur, præsertim notabiliter onerosa, quæque nata sunt homines valdè ab illa auertere: atqui hæc maximè fiunt per eiusmodi vsum talis scientiæ: ergo hic est prohibitus. Minor probatur, quia; cùm homines ardentissimo amore quærant beneficia, officia & dignitates, nihil ferè tanto odio auersantur atque ea quæ ipsos ab his possunt impedire. Quare si homines semel animo concipiant, se propter dicta in confessione posse à similibus consequendis impediri; cùm omnes qui ad res magnas aspirant omnia ferè habeant suspecta, quibus ab illis assequendis possint aliqua ratione impediri, præsertim quando sibi malè conscij sunt: fieri vt quisquis graue aliquod peccatum occultè commiserit, hoc nulli vnquam audeat confiteri, quem vel leuiter suspicabitur habere, aut aliquando habiturum potestatem per electionem, denominationem, aut alia ratione suam promotionem, aut procurandi, aut impediendi. 64 Vsum talis scientiæ esse illicitum in gubernatione. *Armilla. Bannes. Sanchez.* Quæ incommoda ex eo sequantur.

Tertiò, quia posita illa sententia reseruatio casuum, 65 qui Superioribus reseruantur, esset omnino intolerabilis humanæ fragilitati. Quomodo enim Clericus, qui

qui graue aliquod peccatum commisit, ob quod meretur impediri ne ad aliqua officia promoueatur, confitebitur suo Episcopo, si sciat hunc posse ea scientia vti ad impediendam ipsius promotionem? Esset etiam omnino vtilis. Nam quiuis confitens ei qui posset aliquando ipsius promotionem aut procurare, aut impedire, posset reticere omnia ea peccata, ob quorum confessionem timeret alterum permouendum ad ipsius promotionem impediendam. Nam secundùm communem sententiam pœnitens inter confitendum licitè reticet omnia ea peccata, quæ non potest confiteri sine periculo notabilis damni incurrendi, quod sit extrinsecum ipsi confessioni. Tale autem sine dubio est impeditio ab aliquo officio consequendo. Confirm. quia si licitè in confessione tàceam aliquod peccatum, quod timeo confessarium vel vni reuelaturum, aut propter quod me graui odio prosequetur: quomodo non tacebo licitè illud, ob cuius confessionē meritò timeo ne impediat à consequendo optimo aliquo officio; cùm communiter homines peccati sui euulgationem, aut aliorum odia maximè timere ac vitare soleant propter periculum eiusmodi impedimenti? Vnde sequitur, quòd omnes præsertim Ecclesiastici, qui constituti sunt in aliqua dignitate constitutis, poterunt omnia peccata reseruata reticere. quia communiter ex horum confessione tale periculum erit timendum: aut etsi fortasse hic & nunc tale periculum non subsit, pœnitens tamen facilè sibi persuadebit subesse.

66 Ex his patet, difficile esse inter has sententias ferre iudicium. Nam cùm prior nitatur tot ac tantorum DD. auctoritate, difficile est dicere eam esse improbabilem. Secunda tamen præsertim quoad actiones secundi atque etiam tertij generis ex recensitis nu. 59. nititur valdè firmis argumentis, ex quibus etiam facilè respondetur argumentis prioris sententiæ.

Ad Primum neganda est maior, vt patet ex argumentis secundo & tertio pro secunda sententia allatis. Ad Secundum concedo totum, si consequens intelligatur ad sensum antecedentis. Nam confessarius eodem modo, siue ob easdem rationes potest pœnitentem amouere ab officio, siue suffragium negare post confessionem sicut antè poterat. Tamen inde non sequitur, quòd ad illa facienda possit moueri ex auditis in confessione. quod & nos negamus, & illud argumentum nullo modo probat. Ad Tertium nego antecedens. Nam sic casuum reseruatio esset intolerabilis & inutilis, vt probaui: sed reseruatio sit tantùm vt subditi videntes tam difficulter talis peccati absolutionem obtineri, magis apprehendant eius grauitatem, illúdque fugiant. Tum etiam vt Superiores, qui communiter sunt prudentiores, & magis experti, pœnitentem in foro conscientiæ melius dirigant, quàm ab aliis dirigeretur.

Ob quem finem fiat casuum reseruatio.

67 Respondeo igitur Primò, secundam sententiam videri multò probabiliorem, quoad actiones secundi generis, præsertim ob argumentum secundum & tertium.

Respondeo Secundò, idem (quamuis non ita certò) videri dicendum de actionibus tertij generis. Nam hoc etiam dicta argumenta præsertim primum probant. Et confirmatur. quia cùm nunquam alicui Sacramenta conferantur, aut negentur, quin aliquis saltem minister sacerdotis sit præsens, vix fieri potest vt petenti negentur, nisi aliquis hoc aduertat. Quare sæpissime erit aliquod periculum, ne alij suspicentur ea negari ob aliquam occultam petentis indignitatem, & consequenter erit periculum fractionis sigilli. Quare etsi posito casu quòd hic & nunc nullum huius sit periculum, esset prima sententia speculatiuè probabilior; tamen nihilominus in praxi esset difficilis & periculosa: cùm & ille casus rarissimus sit, & vix certò nobis constare possit hic & nunc verè nullum tale periculum subesse. Quare etsi confessarius tam *in ipsa confessione*, quàm etiam extra eam, quando commodè potest, petita priùs venia, teneatur talem pœnitentem graviter monere, ne Sacramenta quibus indignus est, petat; tamen si nihilominùs pergat petere, credo alterum teneri ea administrare: & consequenter assistere illius matrimonio, quem ex confessione nouit habere occultum impedimentum, præsertim cùm vix fieri possit vt confessarius hoc sine aliqua pœnitentis nota impediat, cùm non possit effugere ne vel ipse, vel alius eidem assistat, nisi aliquod probabile impedimentum eidem obiiciat: & sic exponeretur periculo fractionis sigilli.

Vsus illius scientiæ in negatione Sacramentorum est periculosus.

& verius est esse illicitum.

Respondeo Tertiò, Si loquamur de actionibus quarti generis, quando ex possunt fieri sine vllo periculo reuelationis sigilli, aut alio pœnitentis grauamine, licitè fiunt ex scientia ex confessione sumpta, v.c. Superior in aliqua Religione ex confessione intelligit suos subditos noctu per aliquem locum egredi è monasterio ad nequitias aliquas perpetrandas, quod sine vlla aliorum suspicione facilè possit impedire, ibi quæsito alio colore aliquid ædificando, aut struem lignorum erigendo, aut simili modo. Certè videtur valdè durum negare eum hoc posse facere, cùm nullum inde pœnitenti grauamen accidat, ob quod confessio possit reddi odiosa. Nam nec vllum notabile commodum, quod sit à peccato distinctum, pœnitenti adimitur, vt fit quando impeditur à consequendo aliquo officio: nec peccatum aliquo facto vel signo ei exprobratur, vt fit quando petenti negatur Sacramentum. quare videntur cessare omnes rationes, ob quas probaui vsum huius scientiæ in prioribus actionibus esse illicitum. Nec credo auctores secundæ sententiæ hanc conclusionem negaturos. quia P. Sanchius suprà num. 4. expressè docet illos auctores solùm velle eum vsum illius scientiæ esse illicitum, quo pœnitentis honori aut commodis aliqua ratione præiudicatur.

68 *In quibusdam actionibus ille vsus est licitus.*

Sanchez, Ille solus vsus illius scientiæ est illicitus, qui pœnitentis cōmodo aut honori officit.

Dices, pœnitentem reputaturum pro grauamine, quòd tam ipse quàm alij non poterunt ampliùs noctu egredi, atque ita detertendum ne similia Superiori confiteatur.

69 Respondeo, hoc non sufficere vt ea actio sit illicita. quia *talis vanissimè hoc reputat pro grauamine*, quòd impeditur à peccando, cùm à nullo bono impediatur quod sit à peccato distinctum. Vnde etiam ob eiusmodi metum nemo potest à confitendo retrahi qui habeat aliquo modo animum se emendandi. Tales autem discursores non solent vnquam suo Superiori talia confiteri quamdiu volunt actu in iis persistere.

Adde, parum esse curandum si aliqui auertantur ne cum tali voluntate perseuerandi in suo scelere confiteantur. Consultum tamen est etiam in hoc casu priùs petere pœnitentis consensum in talem aut talem vsum illius scientiæ, vt omne periculum euitetur, quem ille sine dubio, vt possit absolui, tenetur dare. quòd si nolit, potest Superior vti iure suo. Nec est hic timenda prohibitio Clementis: quia hæc solùm loquitur de actibus spectantibus ad gubernationem, quales sunt actus secundi, aut vt summum etiam tertij generis ex recensitis n. 59. Hi autem actus nullo modo spectant ad gubernationem personarum, cùm circa illas nihil decernatur: & fieri possent etiam ab illis qui ad personarum gubernationem nullum ius habent: verbi causa, ab œconomo aut similibus.

Notandum demum, sacerdoti qui sigillum iniuriosè fregit, nullam à Iure imponi pœnam, quam de facto incurrat: sed cap. *Omnis vtrius/que.* de pœnitentia, dicitur debere deponi à sacerdotali officio, & ad agendam pœnitentiam in arctum monasterium detrudi. Sed hæc requirunt sententiam iudicis.

DISPVTATIO X.

DE

SATISFACTIONE.

DVBIVM PRIMVM.

Quid hic nomine satisfactionis intelligamus.

1 NOTA Primò, quòd, ſicut damnum fortunarum aut famæ reparatur per reſtitutionem eorum quæ ablata ſunt: ita etiam læſa alterius auctoritas reparatur per nouam ſubiectionem & humiliationem eius qui læſit, & læſa amicitia reparatur per actus amicitiæ, ipſi offenſioni contrarios. Quamuis autem ſatisfactio poſſit vtramque hanc reparationem ſignificare; communiter tamen accipitur pro ſola reparatione auctoritatis aut amicitiæ læſæ, prout diſtinguitur à reſtitutione quæ priorem reparationem ſignificat.

2 Nota Secundò, quando agitur de reparatione amicitiæ, cùm hæc debeat fieri per actus amicitiæ, neceſſariò requiri actum liberum eius qui offendit, quo ſponteè amico offenſo ad ipſius placitum ſatisfacit. Soli enim hi actus nati ſunt offenſum amici animum, ei qui offendit reconciliare, & ad priſtinum amorem reuocare. Contrà verò reparatio læſæ auctoritatis eſt actus cuiuſdam iuſtitiæ, vt dixi diſp. 1. dub. 4. poteſtque dupliciter fieri. Primò, per liberum aliquē actum ipſius qui læſit, ſiue per voluntariam pœnæ alicuius ſuſceptionem, & dicitur ſatisfactio, & pertinet ad iuſtitiam commutatiuam. Vel etiam ſine vllo actu eius qui offendit. Hoc enim ipſo quo ei qui offendit etiam inuito condigna pœna à iudice infligitur, læſa offenſi auctoritas reparatur, & hæc reparatio pertinet ad iuſtitiam vindicatiuam: & tunc reus non dicitur ſatisfacere (quia hoc neceſſariò connotat ſatisfactionem ab eo liberè & humano modo procedere, ſaltem per voluntariam ipſius pœnæ acceptationem, qua ratione ipſam punitionem quodammodo ſuam efficit;) ſed ſolùm poteſt dici ſatiſpati, ad quod ſufficit eum tantum pati quantum meretur, iuxta illud Deuter. 2. *Iuxta menſuram peccati, erit & plagarum modus.*

Quomodo reparetur læſa amicitia.

Quomodo reparetur læſa auctoritas Superioris.

Deuter. 2.

3 Nota Tertiò, cum Card. Bellarm. lib. 4. de pœnitentia c. 1. 6. *Rurſus animaduertendum.* & ſequenti; etſi ferè eodem actu & auctoritas præſertim Superioris, & amicitia lædantur; tamen poſſe fieri vt ſatisfiat auctoritati læſæ ſine reparatione amicitiæ: vt quando reus inuitus ſuſtinet condignā pœnam pro peccato. Contrà verò poteſt quis quandoque ſatisfacere aliquo actu amicitiæ læſæ, ita vt non ſatisfaciat iuſtitiæ ſiue auctoritati læſæ: vt contingit animæ decedenti in ſolo peccato veniali, quæ primo inſtanti per actum caritatis & auerſionis à ſuo peccato abſolutè ſatisfacit amicitiæ; non tamen iuſtitiæ: quia poſtea debet adhuc ſatiſpati.

Card. Bellar. Reparatio læſæ auctoritatis & amicitiæ ſeparari poſſunt.

4 Nota Quartò, agendo de ſatisfactione quam peccator Deo debet, quatuor eſſe pro quibus debet ſatisfacere. Primum, eſt culpa mortalis; Secundum, pœna æterna, quæ illi debetur; Tertium, culpa venialis: Quartum, pœna temporalis, quæ culpa remiſſa reſtat perſoluenda. Hic autem propriè agimus de quarto, quatenus vel omnino ſponte, vel ex præcepto ſacerdotis poſſumus pro eo ſatisfacere. Obiter tamen etiam agemus de reliquis.

DVBIVM II.

Vtrùm poſſimus ſatisfacere pro culpa mortali, vel veniali, aut pœna æterna?

HÆc res fusè tractari ſolet in materia de incarnatione, iam breuiter eam attingam.

5 CONCLVS. 1. Nullo modo poſſumus de condigno ſatisfacere pro culpa mortali. Eſt paucis exceptis communis Scholaſticorum, & omnium Patrum, qui communiter docent ideo opus fuiſſe vt Chriſtus incarnaretur. quia nulla pura creatura poterat de condigno pro peccatis hominum ſatisfacere, vt fusè docet Suarez in 3. p.

Suarez. Malitia peccati mortalis eſt infinita.

Probatur, quia malitia peccati mortalis eſt verè infinita, & omne noſtrum meritum, omniſque ſatisfactio ſunt abſolutè finita: ergo per hæc non poteſt pro illa ſatisfieri. Antecedens à priore vtcumque probaui diſp. 2. nu. 21. iam priorem eius partem in qua eſt tota difficultas, probabo à poſteriore. Quia ſcilicet malitia quæ abſolutè meretur pœnam infinitam, verè eſt infinita: atqui omne peccatum mortale meretur de condigno pœnam abſolutè infinitam: ergo eius malitia eſt verè infinita. Maior eſt clara, quia aliàs inter pœnam & meritum non eſſet proportio. Minor, in qua eſt tota difficultas, probatur Primò, quia peccatum de condigno meretur pœnam æternam, quæ eſt abſolutè infinita.

Peccatum mortale meretur pœnam abſolutè infinitam.

6 Reſpondent aliqui, ſolùm eſſe infinitam extenſiuè. Sed hoc non ſatisfacit, quia reuera eſt infinita in genere pœnæ. Nam ſecundùm veritatē & communem hominum æſtimationem pœna durans per duas horas cæteris paribus ſimpliciter in ratione pœnæ eſt duplo grauior ea quæ ſolùm durat per vnam horam: ergo quæ durat per infinitas horas, erit infinities grauior ea, quæ ſolùm durat per vnam horam, ſi cætera paria ſint.

Reſpondent aliqui, numquam peccato mortali infligi infinitam pœnam. quia quæcumq; tota æternitate quouis tempore fuerit inflicta, erit finita. Sed inde ſolùm ſequitur, quòd peccatum mortale in æternum numquam fuerit de condigno punitum: quod potiùs probat quod intendimus, ſcilicet ipſum mereri eam pœnam, quæ nullo tempore finito poſſit tota infligi, quod nequit dici de vlla pœna finita. Vt igitur peccatum aliquod dicatur mereri pœnam infinitam, non eſt opus vt aliquando talis pœna fuerit tota inflicta (nam potiùs contrarium ex eo ſequitur) ſed vt is qui illud committit, ſtatim contrahat debitum infinitam pœnam patiendi.

7 Prob. Secundò, quia culpa quæ nulla pœna abſolutè finita poteſt de condigno puniri, meretur abſolutè pœnam infinitam: atqui peccatum mortale eſt tale: ergo meretur pœnam infinitam. Minor probatur, quia aliàs damnari poſſent finito tempore ſufficienter pro peccatis ſuis puniri: & conſequenter iuſtitia non exigeret vt punirentur pœna æterna. quod tamen falſum eſt.

Reſpon-

Damnati non puniuntur ob peccata quæ in inferno committunt.

Respondent aliqui, ideò puniri pœna æterna, quia semper retinent voluntatem peccandi. Sed hoc dici nequit, quia nullo modo puniuntur pro peccatis quæ committunt in inferno (aliàs enim quo plura committerent, eò grauiùs deberent puniri: quod falsum est.) sed præcisè pro peccatis quæ in via commiserunt. Et confirmatur. quia aliàs, si qui desinerent habere peruersam voluntatem, & quantum possent dolerent se peccasse, deberent tandem desinere puniri. quod etiam falsum est.

Dices, ideo perpetuò puniri, quia numquam possunt culpam lethalem semel commissam sufficienter retractare. Sed nec hoc satisfacit. quia nemo potest puniri eo quòd omittat id quod facere nequit. quare omissio sufficientis retractationis culpæ præteritæ in damnatis non punitur, sed præcisè ipsa culpa non habitualis, sed actualis iam olim commissa, cui præcisè tota pœna æterna respondet, quæque nulla pœna finita de condigno puniri potest.

8 Probatur Tertiò, quia, si quis per impossibile commisisset actu infinita peccata venialia, quorum singula mererentur pœnam vnius horæ intentam vt vnum; ille vt vna hora posset condignè puniri, deberet pati pœnam infinitè intentam. quia quacumque data minore, infra condignum puniretur, quia quæcumque pœna finita posset ex condigno respondere peccatis finitis, & consequenter esset minor ea, quàm merentur peccata infinita, atqui vnum peccatum mortale non est minoris malitiæ, neque minorem pœnam meretur quàm infinita venialia: vt communiter omnes Theologi admittunt: ergo continet simpliciter malitiam infinitam, & meretur pœnam infinitam.

9. Respondent aliqui, hinc non sequi eius malitiam esse infinitam, sed altioris ordinis quàm sint aut peccata venialia, aut vlla pœna, ideóque nulla pœna finita posse de condigno puniri: sicut homo est melior infinitis brutis, nec eius vita potest compensari infinitis vitis brutorum; & tamen simpliciter est bonitatis finitæ.

Sed nec hæc satisfaciunt. Primò, quia inde sequeretur quòd quæuis culpa meretur infinitam pœnam, quia est alterius ordinis quàm sit ipsa pœna. illud tamen est omnino falsum. quia etsi in ratione malitiæ, aut rei detestabilis omnis culpa sit superioris ordinis quàm pœna, nec inter ea vt sic spectata sit vlla proportio, ideóque secundùm rectam rationem potiùs eligendum est quamuis pœnam pati, quàm committere vel minimum peccatum veniale; tamen si illa spectentur in ratione meriti & pœnæ, sunt eiusdem ordinis, & omnis pœna à iudice inflicta habet aliquam proportionem cum quauis culpa modò hæc sit finita. Secundò, quia nulla potest adferri ratio, cur omnia peccata mortalia sint superioris ordinis respectu venialium, cùm multa sint eiusdem generis, v.c. furtum paruum, & magnum. Tertiò, quia quod adfertur de homine qui dignior est infinitis brutis, nihil facit ad rem. quia infinita bruta non sunt digniora, quàm sit vnum solum. Vt autem ex eo quòd aliquid sit melius infinitis aliis possit illius infinitudo colligi, debet horum bonitas pro multitudine crescere.

Culpa in ratione malitiæ est superioris ordinis quàm sit pœna, tamen in ratione punitionis & meriti sunt eiusdem ordinis.

10 Explicabo clariùs exemplo, si conferamus vnum aureum cum infinitis argenteis in bonitate materiæ, ille his omnibus erit melior. quia infiniti argentei præcisè sic spectati, non sunt meliores vno. Secùs est si vtrosque consideremus in ratione pretij. quia, sicut duo argentei sunt maioris pretij, quàm vnus: ita infiniti argentei sunt absolutè pretij infiniti; & consequenter nullus aureus finiti pretij dari potest, qui in ratione pretij æquivaleat infinitis argenteis. Et. sic etiam fit in comparatione peccatorum, v.c. mendacium leuiter perniciosum si conferatur cum infinitis mendaciis purè officiosis, in malitia physica, vel etiam præcisè secundùm specificam malitiam moralem, prout secundùm rationem specificam constituunt tantam vel tantam malitiam: illud hæc omnia in malitia superabit. quia hæc omnia simul secundùm dictam rationem non conficiunt maiorem malitiam, quàm vnum solum. Si verò vtrorumque malitia consideretur ex eo quòd habeant vim offendendi Deum, & merendi certam pœnam, sicut hæc ratione infinita peccata eiusdem rationis infinities Deum magis offendunt, & maiorem pœnam merentur quàm vnum: ita hæc mendacia in ratione offensæ & demeriti infinities illud superabunt. Possent hæc facilè pluribus probari, sed non est huius loci. quare solùm ponam solutionem duarum obiectionum.

Dices igitur Primò, ex dictis sequi, omnia peccara mortalia esse æqualis malitiæ. quia vnum infinitum non potest esse altero maius. 11

Respondeo, negando assumptum. Quia, etsi vnum infinitum non possit esse altero maius, quà infinitum est; quando tamen non est omni modo infinitum, potest illud superare quà finitum est. v. c. dentur duo corpora absolutè infinitè longa, quorum alterum sit duplo latius, & duplo spissius alio; tunc vtrumque quidem erit æquè longum, illud tamen erit quadruplo maius hoc: sic omnia peccata mortalia in hoc sunt paria, quòd per ea bonum infinitum postponatur finito, atque ita Deus eiúsque amicitia contemnatur, in quo eorum infinitas consistit; in hoc tamen sunt vere disparia, quòd vnum magis repugnet naturæ rationali legique æternæ quàm aliud, atque ita duplo vel triplo sit grauius. Quo ratione vnum infinitum possit esse altero maius.

Dices Secundò, Sicut peccatum mortale meretur pœnam æternam: ita opus bonum iusti meretur præmium æternum: ergo sicut illud est infinitæ malitiæ; ita hoc erit infinitæ bonitatis ac meriti. 12

Respondeo, negando antecedens. Maxima enim est inter vtrumque meritum differentia. Primò, quia, quòd iustus per bona opera mereatur aliqua ratione de condigno æternam beatitudinem, non prouenit proprie ex natura ipsorum operum secundùm se consideratorum: sed tantùm quia ipsa fiunt à filio Dei, quem non decet à patre accipere aliud suorum operum præmium, quàm hæreditatem, quæ ex natura sua requirit quamdam æternitatem: vt scilicet filio numquam auferatur, quamdiu ipse manet filius, quod in Beatis perpetuum est. Tum etiam quia fiunt à membro Christi, ex cuius meritis omnem suam dignitatem & vim merendi præcipuè participant. Hinc si eadem opera fierent ab eo qui nec esset filius Dei, nec membrum Christi nullo modo eam beatitudinem mererentur. Secùs est de peccato mortali, quod per se ex intrinseca malitia mereretur æternam pœnam. Secundò, peccatum mortale ita meretur pœnam æternam, vt nullo modo possit pœna finita de condigno puniri. Secùs est de nostris bonis operibus. quia secluta omni sua promissione Deus temporali visione beatifica verè de condigno nostra bona opera præmiare posset. Vnde pulchrè D. Basilius in psalm. 114. cùm docuisset quòd legitimè certantibus parata sit requies, subdit: ὃ κατὰ ὀφείλημα τῶν ἔργων ἀποδιδόμενον, ἀλλὰ κατὰ χάριν τῆς μεγαλοδωρεᾶς θεοῦ: id est, *non secundùm debitum operum reddita, sed secundùm gratiam munifici Dei.* quibus verbis apertè significat, quòd nostra opera tam immensum præmium mereantur, magis prouenire ex Dei munificentia, quàm ex eorum dignitate. Dicuntur igitur mereri de condigno vitam æternam, quia omnino dignum est opera filij æterna hæreditate remunerari: nec alia merces propriè esset digna filio. Sicut filius Regis diligenter patri obsequendo, meretur ab eo hæres institui. Sed hæc pluribus disputare pertinet ad materiam de merito. Aliter peccatú mortale meretur pœnam, æternam, & aliter bonũ opus meretur vitam æternam. D. Basil.

13 *Pro pœna æterna solum possumus de congruo satisfacere.*

Conclvsio II. Nullo modo possumus de condigno satisfacere pro pœna æterna peccato mortali debita. Patet ex dictis, quia, cùm hæc pœna sit infinita, requirit satisfactionem infinitam, qualem exhibere non possumus. Possumus tamen de congruo per contritionem tam pro culpa lethali, quàm pro pœna ei debita satisfacere, exhibendo talem satisfactionem, qualem possumus optimam exhibere, & qualem decet diuinam bonitatem à nobis exigere, quáque de facto contenta est. Confirm. quia hac ratione secundùm communem sententiam possumus eorum remissionem de congruo mereri. Eadem autem ex hac parte est ratio satisfactionis & meriti.

Conclvsio III. Potest iustus de condigno satisfacere pro culpa veniali, eiúsque remissionem mereri. Vide dicta disp. 2. dub. 14.

DVBIVM III.

Vtrùm possimus satisfacere pro pœnis peccato remisso adhuc restantibus?

14 *Hæretici nostri.* *Bellarm.*

Hæretici nostri etsi variè inter se sentiant qua ratione per opera pœnalia possimus diuinam iram placare; tamen omnes negant nos posse pro eiusmodi pœnis satisfacere, vt ex iis fusè docet Card. Bellarm. lib. 4. de pœnitentia, c. 3. Commune eorum fundamentum est, quia asserunt, vnà cum culpa semper omnem pœnam remitti, aiúntque esse hypocrisim & superstitionem, opera pœnitentiæ, vt per ea pro illis pœnis satisfaciamus, exercere. Sed in hoc damnant laudatissimos quosque Sanctos tam veteris quàm noui Testamenti, quos constat tam in sacra Scriptura, quàm apud alios scriptores eiusmodi opera in eum finem assumpsisse. Illorum autem fundamentum satis refutaui suprà disputat. 2. dub. 12. vbi clarè ostendi communiter remissa culpa restare adhuc quamdam pœnam temporalem persoluendam.

15 *Iusti possunt satisfacere pro pœna temporali.* *Trident.* *Suarez.* *Valentia.* *Bellarm.*

Conclvs. I. Fide tenendum est iustos per opera pœnitentiæ vel sponte assumpta, vel etiam iis præcepta, posse satisfacere pro pœnis ex peccatis remissis restantibus; ita vt omnem eorum reatum deleant. Ita Trident. sess. 14. c. 8. & 9. & can. 13. & communiter omnes Catholici. Hanc concluf. fusè probant Suarez hic disp. 37. sect. 1. P. Valentia disp. 7. q. 14. puncto 2. Card. Bellarm. l. 4. de pœnitentia cap. 3. & seqq. aliíq; qui contra hæreticos scripserunt. Nos eam pro instituto breuiter confirmabimus.

Ierem. 18.

Probatur igitur Primò, quia Deus Ierem. 18. v. 8. promittit se pœnitentiam agentibus remissurum debitas pœnas, quas pro eorum peccatis, iis erat minaturus: cùm igitur Deus in sua promissione non fallat, apertè sequitur, nos per eiusmodi opera posse efficere, vt Deus nobis eiusmodi pœnas remittat, siue, quod idem est, satisfacere Deo à nobis pro peccato pœnas exigenti. Secundò, quia Daniel c. 4. suadet Regi, cui imminebat diuina punitio vt peccata sua eleemosynis redimat; quod nihil aliud est, quàm Deo pro iis aliquas pœnas minanti satisfacere.

Daniel. 4.

Respondet Caluinus, Danielem nihil aliud Regi suadere quàm vt aliena bona restituat. Sed hoc ridiculum est. Primò, quia redimere à Deo sua peccata, siue pœnas pro iis impendentes, non significat vllo modo restituere iniustè acquisita. Secundò, quia Prophera non dicit, *Restitue iniustè ablata*, sed, *eleemosynis peccata tua redime.* quæ longè diuersa sunt. Tertiò, quia illæ pœnæ erant præcipuè denunciatæ propter superbiam, qua contra Deum superbiebat; vt patet ex v. 14. & 22. vbi dicitur puniendus donec sciat quòd dominetur in excelsis Dominus. quia scilicet, vt patet ex c. 3. volebat instar Dei alicuius haberi. Vnde etiam ver. 27. dum in seipso gloriaretur super potentia sua iubitò decreta pœna ei inflicta est. Confirm. quia Tob. 12. v. 9. expresè dicitur eleemosynam liberare à morte, & purgare peccata. *Tob. 12.*

Tertiò, quia 3. Regum 21. Deus differt supplicium Achab ob pœnitentiam ab eo factam. Et 2. Paralip. 33. Manasse agens pœnitentiam impetrauit relaxationem à captiuitate, aliísque grauissimis pœnis, quibus ob peccata sua affligebatur. 16 *3. Reg. 21.* *2. Paral. 33.*

Quartò, quia 1. ad Corinth. 11. dicitur, non iudicandos à Domino qui seipsos iudicant. Vbi *iudicare seipsum* non significat nudam conscientiæ discussionem (vt vult Kemnitius.) hæc enim, si aliud nihil sequatur, vana est, nec vllam vtilitatem adferre potest: sed significat eam discussionem, qua nosipsos nobis reos constituimus, ac peccata nostra detestamur, eáque dolore cordis aliísque pœnis punimus, ac cum Ezechia Isaiæ 38. recogitamus omnes annos nostros (siue peccata quæ singulis annis fecimus) in amaritudine animæ nostræ. Similiter 2. ad Corinth. 7. dicitur tristitiam secundùm Deum operari pœnitentiam in salutem & vindictam, scilicet peccatorum à nobis admissorum. Et ita hæc loca communiter interpretantur Patres. Hinc Chrysost. homil. 42. in Matth. sub finem. *Audi*, inquit, *Paulum dicentem, Quoniam si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* Et infrà: *Et quoniam modo, inquies, à meipso rationes viuendi & supplicium exigam? largos lachrymarum effunde fluuios, ingentes compunctionis gemitus redde: humillimus sis, laboribus ac vigiliis teipsum afflige*, &c. *1. Cor. 11.* *Kemnitius.* *Isaiæ 38.* *2. Cor. 7.* *Chrysost.*

Quintò, quia vbicumque in Scriptura nobis describitur qua ratione perfecta pœnitentia agenda sit, ferè præscribuntur dolores, labores, afflictiones. Ierem. 31. v. 21. *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines; dirige cor tuum in viam rectam.* Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & in fletu & in planctu, & scindite corda vestra*, &c. Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Similia habentur aliis locis plurimis. Hinc omnes quorum pœnitentia in Scripturis laudatur, se afflixerunt operibus laboriosis. Iob c. vlt. seipsum reprehendit, & agit pœnitentiam in fauilla & cinere. Dauid psal. 37. de se ait, *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* & psalm. 101. *Quia cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* & psalm. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Similia exempla passim in Scripturis occurrunt, quæ frustra & à Scriptura nobis suaderentur, & à Sanctis fierent, nisi pro pœnis nobis ob peccata nostra imminentibus Deo ita satisfacere possemus. 17 *Ierem. 31.* *Ioël. 2.* *Matth. 11.* *Iob. vlt.* *Psal. 37.* *Psal. 101.* *Psal. 6.*

Sextò demum, quia hic fuit perpetuus semper Ecclesiæ sensus: vt fusè ostendit Card. Bellarm. lib. 4. de pœnitentia cap. 9. Quare eidem adhærendum est, nisi velimus Ecclesiam errasse, portásque inferi contra eam præualuisse. *Card. Bellar.*

Obiiciunt hæretici Primò, nomen satisfactionis esse recens inuentum, nec in Scripturis reperiri. Secundò, quòd Christus pro nobis satisfecit, ideo aiunt nos ei facere iniuriam, si pro pœnis peccatis nostris debitis volumus satisfacere. Tertiò, quòd Christus dum Magdalenæ, paralytico & latroni remisit peccata, nullam satisfactionem iniunxerit. 18

Ad Primum Respondeo, quòd nomen *satisfactio*, præcisè non reperiatur in Scriptura, nihil facere ad rem. Nec enim contendimus de nomine, sed de re. Nam simili modo non reperitur *Trinitas* in Scriptura: quis tamen eam negare audeat? Sufficit igitur quòd res ipsa reperiatur in Scriptura, & nomina ei æquiualentia. Nam Daniel. 4. dicuntur peccata eleemosynis posse redimi. Tobiæ 12. dicitur eleemosyna purgare peccata. Prouerb. 16. dicitur: *Misericordia & veritate* *Daniel. 4.* *Tob. 12.* *Prouerb. 16.*

redi-

redimitur iniquitas. Quid autem est majus nos redimere nostras iniquitates, aut pro iis satisfacere?

Nomen autem satisfactionis esse recens inuentum omnino falsum est. Nam ab initio Ecclesiæ fuit in ea vsitatissimum. quod legenti scripta Patrum facilè patebit. Citabo hîc breuiter aliquot loca. D. Cyprian. serm. de lapsis in fine: *Quis* inquit, *sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti plus & virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exanditus & adiutus à Domino, quam contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiam: nec tam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.* Et D. Pacianus in paræneſi ad pœnitentiam extrema tom. 3. Biblioth. SS. Patrum. *Ecce,* inquit, *promitto, polliceor, si ad Patrem Verum vera satisfactione redeatis.* &c. D. Aug. in Ezech. cap. 70. *Nemini enim,* inquit, *dedit laxamentum peccandi, quamuis misericordia deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.* Similia habent passim alij.

Ad Secundum satis respondi tom. 1. q. 83. dub. 3. ad 2. obiectionem: scilicet *Christum sufficientissimè* pro nobis satisfecisse, eius tamen satisfactionem nemini prodesse, nisi ei modis à Deo constitutis applicetur: qui non vult nos solis meritis Christi, sine vlla nostra cooperatione saluari. Similiter ad Tertium sufficienter respondi disp. 2. n. 112.

19 CONCLVSIO II. Possumus pro huiusmodi pœnis satisfacere de congruo. Ita D. Thom. in 4. d. 15. q. 1. art. 2. quæstiunc. 1. Richard. ibid. a. 1. q. 2. Durand. q. 1. art. 2. D. Antonin. 3. p. tit. 14. c. 20. initio.

Probatur Primò, ex Trident. sess. 14. c. 13. vbi absolutè definit nos posse pro iis pœnis satisfacere. quod intelligendum est de satisfactione de congruo. Nam si ageret solùm de satisfactione de congruo possemus etiam dici satisfacere pro peccato mortali & æterna pœna, vt ostendi nu. 13. cùm tamen neget nos pro his satisfacere. Et meritò, quia satisfactio de congruo non potest absolutè dici satisfactio, sed tantùm secundùm quid. Quare hoc nomen absolutè sumptum solùm conuenit satisfactioni de condigno.

Prob. Secundò, quia, cùm bona nostra opera possint habere sufficientem proportionem vt mereantur de condigno vitam æternam; multò magis possunt habere sufficientem proportionem vt ita mereantur remissionem pœnæ temporalis.

20 Nota tamen cum Medina de pœnitentia tract. 2. q. 46. & Suarez disp. 37. sect. 9. hæc præcipuè intelligenda esse de pœnis persoluendis in Purgatorio. quia Deus sæpe statuit aliquas pœnas pro peccatis infligere in hac vita, ita vt nullam aliam satisfactionem pro iis velit acceptare: quod tamen, vt ostendam num. 35. est necessarium ad satisfactionem de condigno. Illud autem ex pœnis quibus Deus in 2. libro Regum puniuit adulterium Dauidis, & numerationem populi, quas Dauid nulla alia satisfactione potuit auertere. Rationem diuersitatis reddit Medina suprà. quia Deus pœnas Purgatorij semper infligit, aut remittit ex iustitia: secùs est de pœnis huius vitæ. Sed si hæc intelligantur de pœnis quibus Deus hîc peccata punit, dici non potest. quia omnis iusta punitio necessariò est actus iustitiæ vindicatiuæ: Deus autem peccata etiam in hac vita verissimè ac iustissimè punit. Ratio igitur diuersitatis est. quia, etsi Deus quoties hîc peccata punit, id faciat ex vera iustitia; tamen sæpe hoc facit non tam vt iustitiæ satisfaciat, quàm vt suam in peccatis puniendis seueritatem nobis manifestet, atque ita à peccatis nos deterreat; ideóque nullam aliam satisfactionem pro iis admittit. quia hoc aut eorum qui puniuntur, aut saltem aliorum saluti expedit, quæ in ea punitione præcipuè intenditur. Secus est in pœnis Purgatorij, in quibus nō spectatur ampliùs aliorū correctio, sed solùm vt iustitiæ vindicatiuæ satisfiat. quare omnis alia iusta satisfactio pro iis à Deo acceptatur.

Nota Secundò, nostram satisfactionem numquam ita esse de condigno, quin semper ei admisceatur multum misericordiæ. Primò, quia Deus gratis dat nobis vires quibus possimus opera satisfactoria facere. Secundò, quia, quòd opera nostra habeant tantam vim satisfaciendi pro illis pœnis, maximè habent ex meritis Christi, vt docet Trident. sess. 14. cap. 8. & can. 13. Tertiò, quia Deus gratis nostra opera ad talem satisfactionem acceptat, cùm sepositâ promissione posset nolle ea ita acceptare, vt ostendam clariùs n. 35. hoc tamen non impedit, quo minùs nostra satisfactio sit verè de condigno: sicut nec similes conditiones in nostris meritis impediunt, quo minùs de condigno per ea vitam æternam mereamur. 21 Omnis nostra satisfactioni aliquid gratiæ misceatur.

DVBIVM IV.

Quænam requirantur ad condignam satisfactionem pro pœnis peccato debitis?

NOta Primò, multos hac de re satis confusè & obscurè loqui; quia non satis distinguunt inter satisfactionem & satispassionem: quæ sicut valdè inter se differunt, ita valdè distinctas conditiones requirūt: ideóque separatim omnino de iis disputandum est. nam ob earum confusionem accidit vt varij varia & inter se repugnantia sentiant, qui fortasse facilè inter se consentirent, si illa duo benè distinguerent. Quare omissis variis sententiis rem ipsam explicabimus. 22 Multum differunt satisfactio & satispassio, vt dictum est n. *.

Nota Secundò, conditiones ad condignam satisfactionem requisitas esse triplicis generis. Primò enim quædam requiruntur ex parte satisfacientis. Secundò, ex parte operis quo satisfit. Tertiò, ex parte personæ cui satisfit.

CONCL. I. Ex parte personæ satisfacientis requiritur Primò, vt sit in gratia. Ita D. Thom. in 4. d. 14. a. 3. q. 2. D. Bonau. a. 1. q. 3. Richard. a. 1. q. 5. D. Anton. 3. p. t. 14. c. 20. §. 2. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 6. q. 2. Soto relect. vltim. de satisfact. Dominicus Soto d. 19. q. 1. art. 4. Et credo esse communem Theologorum. Nam quòd quidam quos citabo num. 41. videantur contrarium dicere, credo magis dissentire in modo loquendi. (quòd accipiant satisfactionem pro satispassione) quàm in re ipsa. 23 Soli iusti possunt satisfacere. *D. Th. D. Bonau. Richard. D. Anton. Caietan. Soto. Dominic. Soto. Trident.*

Probatur conclusio apertè ex Trident. sess. 14. c. 8. vbi cùm dixisset omnem nostram satisfactionem esse per Christum, subdit: *Nam quis nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo Vnde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfaciamus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent.* Quibus verbis apertè significat ideo nostra opera habere tantam vim satisfaciendi pro pœnis peccato debitis: quia dum ea facimus, *in Christo viuimus & meremur.* Quare cùm soli iusti viuant in Christo, hi soli pro peccatis possunt satisfacere. Vnde non videtur contrarium iam posse dici.

Et ratio est, quia nostra satisfactio tendit ad perfectam reconciliationem, & nititur gratuita Dei promissione, & dignitate satisfacientis, & operantur suum effectum aliquo modo per modum meriti, vt patebit ex dicendis. 24

Vnde sequitur requiri Secundò, vt satisfaciens sit adhuc viator. Nam sicut post hanc vitam nullus est locus merito: ita nec satisfactioni. Et confirmatur. quia aliàs, cùm animæ existentes in Purgatorio eliciant feruentissimos & frequentissimos actus charitatis & contritionis, statim pro maximis pœnis satisfacerent. Post mortem nullus potest satisfacere.

Nota tamen, Deum ex misericordia sæpè acceptare pœnitentiam peccatoris seipsum humiliantis ac

afflígentis ad auertendum damnum aliquod temporale, quod alias ei fuisset inmiluctus in hac vita, vt patet in Achab, 3. Regum 21.

3. Reg. 21.

25 Satisfactio debet esse voluntaria.

CONCL. II. Ex parte operis, secundum communem sententiam auctorum, quos citaui n. 23. requiritur Primò, vt satisfacienti sit voluntarium, vel per modum actus eliciti, vel saltem per modum obiecti voliti. Nam satisfacere significat id quo satisfit, aliquo modo humano procedere à satisfaciente. Nam in hoc distinguitur satisfactio à satispassione. Hinc fit vt pœnæ extrinsecus nobis inflictæ, vel casu nobis accidentes non habeant rationem satisfactionis, nisi eas voluntariè in eum finem, siue propter Deum acceptando ac patienter tolerando, earum inflictionem quodammodo nostram faciamus; ita vt possimus quodammodo dici ea ratione peccata nostra punire, atq; ita per eas verè Deo pro his satisfacimus: vt docet Trident. sess. 14. c. 8.

Trident.

26 Etiam per opus externum satisfacimus.

Ex quo apertè sequitur Primò, nos non solùm satisfacere præcisè per actum internum (in quo tota moralis bonitas operis formaliter consistit:) sed etiam per ipsum opus externum. Nam Concilium apertè docet, nos satisfacere non solùm per internam patientiam, sed etiam per ipsa flagella inflicta & patienter tolerata.

Magnitudo afflictionis auget satisfactionem.

Sequitur Secundò, vim satisfactionis crescere partim ex perfectione actus interni, partim ex difficultate actionis vel passionis externæ: quia, cùm pœnalitates quà tales patienter toleratæ habeant vim satisfaciendi, quò maiores sunt, eò maiorem vim habebunt.

27 Satisfactio requirit opus bonū.

Secundò, requiritur vt sit opus bonum, saltem ratione intentionis, qua assumitur, aut aliunde impositum toleratur: vt est tolerantia pœnarum vel sponte assumptarum, vel aliunde illatarum: quia, sicut opus nullo modo bonum non potest Deo placere: ita nec potest habere vim nos Deo reconciliandi.

& procedēs à gratia.

Tertiò, requiritur vt proficiscatur aliquo modo ex gratia ratione interni affectus, quo illud assumimus vel toleramus. quia, vt patet ex Trident. citato n. 23. nostra satisfactio debet habere vim à Christo, ideóque fieri à nobis vt viuentibus & motis in Christo. quod solis operibus aliquo modo à gratia prouenientibus potest conuenire. quia per solam gratiam in eo viuimus & mouemur.

Trident.

Quartò, probabiliter requiritur vt satisfactio fiat ab ipso reo, vt explicabo dubio 7.

28 An debeat esse pœnosa.

Quintò, addunt plurimi opus debere esse afflictiuum, siue pœnosum. quod quidem optimum ac decentissimum est atque etiam necessarium vt satisfactio habeat aliquam rationem punitionis, ideóque ad huiusmodi opera nos vbique Scriptura, & Patres hortantur: & verus Dei amor, animúsque verè pœnitens ad hæc inclinant: ita vt vix aut charitas, aut pœnitentia possit esse perfecta, quæ ad talia suscipienda non permouet eum qui sibi credit adhuc aliquas pœnas persoluendas restare. quia, sicut charitas necessariò inclinat ad peccati detestationem: ita etiam, etsi non tam necessariò & efficaciter, inclinat ad eiusdem punitionem, quatenus est necessaria ad omnem inæqualitatem inter offensum & offendentem delendam: idque eo magis, quòd soleamus moueri vt affligamus ea quæ detestamur. Et sicut charitas nos mouet ad detestandum peccata: ita etiam ad detestandum nosipsos quatenus sumus illorum auctores.

29 Scotus, Gabriel.

Absolutè tamen loquendo videtur solùm requiri talis actus qui offendentem absolutè subiciat potestati offensi, à qua peccando se subtraxerat, quia omnis talis actus est aliquo modo natus reparare auctoritatem offensi, quæ per subtractionem fuerat læsa. Ita Scotus in 4. d. 15. quæst. 1. §. *De tertio dico*, & Gabriel d. 16. q. 2. art. 1. notab. 1. Et confirmatur, quia per actū amoris etiam summa cum delectatione elicitum potest quis satisfacere pro pœnis debitis. quod omnes alij etiam communiter concedunt. Sed dicunt hunc actum, etsi huic personæ hîc & nunc sit omnino iucundus, & delectabilis ratione præsentis ipsius constitutionis; esse tamen humanæ naturæ iam corruptæ laboriosum, quæ difficillimè se à rebus terrenis perfectè ad Deum conuertit: atque ita etiam hunc actum vocant pœnalem. Ex quibus patet, has sententias potiùs differre in modo loquendi, quàm in re, in qua videntur omnino conuenire.

Hinc infertur Primò, omne opus meritorium esse etiam satisfactorium. quia, cùm cedat in obsequium & honorem Dei, est etiam conciliatiuum amicitiæ diuinæ, & aliqua ratione vtile ad restaurandam læsam ipsius auctoritatem. Quare cùm omne tale opus habeat sufficiétem proportionem vt mereatur augmentum gratiæ; nulla est ratio cur negemus mereri remissionem alicuius pœnæ. 30 Omne meritorium est satisfactorium.

Infertur Secundò, etsi cæteris paribus quo opus est magis pœnale, eo magis sit satisfactorium, vt patet ex dictis; tamen vt decernatur quam vim satisfaciendi habeat hîc & nunc hoc opus, non semper spectandum esse, quàm hîc & nunc sit difficile huic personæ. Nam sæpe fieri potest vt quidam qui magno spiritus feruore feruntur in Deum, & heroicis actibus iam passiones suas habent edomitas, opera laboriosissima magna promptitudine & facilitate obeant; nullo modo tamen dicendum est ideò eos per ea minùs mereri, aut satisfacere, quàm alios tepidos, qui eadem cum magna difficultate faciunt. quia aliàs eorum virtus ipsis ex parte obesset. Quare si vtrique ex eadem virtute, ac actu æquè intenso operentur, æqualiter satisfaciūt. Secùs fortè esset, quando ea facilitas non proueniret ex eorum virtute, sed ex corporis naturali constitutione, aut alio accidenti. Nam sicut tunc alij in talibus difficultatibus superandis maiorem exercent virtutem, ita etiam plus satisfaciunt. Quando difficultas operis auget satisfactionem.

Sextò, addunt aliqui, vt opus sit satisfactorium, debere esse opus supererogationis, siue tale, ad quod satisfaciens aliàs non obligetur. quia non possumus vno opere duplici obligationi satisfacere. Sed hoc alij melius negant, nec videtur vlla ratione posse dici. quia inde sequeretur etiam nos per opera præcepta nihil mereri. quod falsissimum est. Sicut igitur per hæc possumus mereri: ita etiam satisfacere. quod vel maximè patet ex eo, quòd multa in hunc finem nobis præcipiantur: vt sunt omnia opera pœnitentiæ. Pender quidem tota hæc res à Dei voluntate, qui cùm sit omnium absolutus Dominus, sine dubio posset nobis multa opera ita præcipere, vt illis nihil omnino possemus mereri, nec vlla ratione pro peccatis satisfacere: tamen id non facit. Et ratio est, quia ea ipsa quæ nobis præcipit; non tam præcipit in suam vtilitatem, quippe qui nostris rebus non indiget, quàm in nostram, (sicut quando pater præcipit filio vt diligenter studeat) ideóque omnem fructum nostrorum operum nobis integrum relinquit. Ex quo facilè patet, qua ratione per eadem opera possumus satisfacere & præcepto, & pro peccatis. quia hi duo tituli nulla ratione repugnant. 31 Satisfacimus per opera aliàs debita. Deus nobis opera bona præcipit non sua causa sed nostra.

Dices, hinc saltem sequi eum qui per opus bonum satisfacit pro peccatis, non tantum gloriæ mereri, quantum alter per simile opus meretur, qui non satisfacit pro peccatis, quod tamen illi damnosum esset. quia illa diminutio gloriæ videtur maius damnum, quàm sit bonum satisfactionis pro peccatis. Secundò, nos per quoduis opus meritorium gloriæ posse satisfacere pro maximis pœnis debitis. quia plus videtur esse mereri augmentum gloriæ, quàm remissionem illius pœnæ. 32

Opus bonū alia ratione est meritorium, alia satisfactorium.

Respondeo, negando vtramque consequentiam, quia hæc diuersa ratione, siue diuersis titulis, qui sibi mutuo non repugnant, ipsi operi respondent atque ita nec se mutuo impediunt nec debent æquali omninò proportione se mutuo sequi. Nam opus bonum propriè est meritorium gloriæ, quatenus est opus filij in honorem & obsequium munificentissimi patris factum. Contrà verò est satisfactorium pro peccatis, quatenus per hoc homo se sub Deo humiliat, & iterum se eius voluntati & auctoritati subiicit, à quo se peccando subtraxerat: atque ita est restauratium diuinæ auctoritatis per peccatum læsæ, & hac ratione ei & promissa est, & respondet remissio pœnæ.

33 CONCLVSIO III. Vt possimus pro dictis pœnis satisfacere, ex parte Dei, requiritur promissio remissionis illius pœnæ sub conditione operis. Ita cum aliis P. Suarez disp. 37. sect. 7. Prob. quia, vt ostendi disp. 2. nu. 121. hoc ipso quo alicuius Superioris præceptum iniustè transgredimur, ipse acquirit ius infligendi certam pœnam peccato correspondentem, quam secluſa omni promissione nulla ratione tenetur remittere, quantumcumque ei æquiualentem satisfactionem offeramus: sicut etiam in merito & emptione accidit. Nam secluso omni pacto, quantumcumque mea sponte hortum tuum colam, aut iustum pretium pro mercibus offeram, numquam tamen ex iustitia teneris mihi aut mercedem operis reddere, aut merces pro pretio tradere. Secùs est quando præcessit promissio sub conditione operis, aut pretij dandi. Vnde patet propriè loquendo ad condignitatem meriti aut satisfactionis non ideo præcisè (vt aliqui putant) ex parte præmiantis, aut eius cui satisfit, requiri promissionem præmiandi laborem, aut acceptandi satisfactionem, vt opus aliàs indignum tali præmio reddatur dignum (nam promissio non reddit opus propriè dignius quàm in se sit) sed quia aliàs à parte non necessariò in talem finem illud acceptaretur. quod tamen ad meritum aut satisfactionem de condigno est necessarium.

Suarez. Quare requiratur promissio ad satisfactionem.

34 Hinc demum patet Primò, qui fiat vt hîc paruo labore sæpe satisfaciamus pro magnis pœnis persoluendis in Purgatorio. quia scilicet opus tum ratione status operantis, qui adhuc est in via & meteri potest: tum etiam ratione liberæ subiectionis, qua ille se Deo sua sponte subiicit, sine comparatione magis est satisfactorium, quàm in Purgatorio, vbi neque locus est merito, neque satisfactioni, sed solùm satispassioni: in qua non respicitur dignitas patientis, sed solùm æqualitas pœnæ cum debito.

Quomodo hic leui opere pro magnis pœnis faciamus satis.

Patet Secundò, longè vtilius esse hîc pro peccatis satisfacere, tum quia faciliùs, tum quia cum magno merito fit; quàm in Purgatorio satispati, quod & difficilius est, & sine merito fit.

DVBIVM V.

Vtrùm existens in peccato mortali præsertim damnatus, possit satispati pro pœna temporali peccato remisso restante?

35 QVidam hoc negant, atque inde inferunt, damnatos pro peccatis ipsis in hac vita remissis, pro quibus nondum plenè satisfecerant, in æternum puniri.

Probatur Primò, quia omnis remissio pœnæ aut culpæ est actus gratiæ omnino indebitæ ei qui in peccato perseuerat, & quæ nullo modo confertur damnatis. Secundò, quia apud Deum nulla pœna valet ad expiandum delictum aut reatum eius, nisi voluntariè acceptetur. Cuius ratio est, quia Deus non tam punit peccatorem ad terrorem aliorum, quàm vt ipsum compellat ad se à peccatis conuerti. Quare quamdiu peccator ad Deum non conuertitur, per nullam pœnarum sustinentiam ipsius reatus minuitur. Tertiò, quia aliàs pœnæ huius vitæ etiam cum summa impatientia toleratæ valerēt ad minuendum reatum pœnæ temporalis. quod videtur absurdum. Citantur pro hac sent. D. Thom. in 4. d. 15. q. 1. art. 3. q. 2. Richard. ibid. art. 1. q. 5. Durand. q. 2. D. Antonin. 3. p. t. 14. c. 20. §. 2. & quidam alij. sed ipsi tantùm loquuntur de satisfactione, quam nos etiam suprà diximus debere fieri in gratia: & quidam eorum de satispassione contrarium sentiunt, vt patebit n. 41.

D. Thomas, Richard. Durand. D. Antonin.

Dictæ autem rationes non videntur satis probare. Prima enim solùm probat perseueranti in peccato nullam vmquam pœnam remitti. quod alij etiam concedunt: sed inde non sequitur eum non posse pro ea, si finita sit finito tempore satispati. Nam satispatiendi nulla pœna remittitur, sed omnes ad vltimam persoluit. Quis enim dicat ei qui præcisè meritus centum plagas, tot acceptis dimittitur liber, quidquam pœnarum remissum esse?

36 Ad rationē satispassionis nec vlla remissio.

Ad Secundam, negandum est assumptum, si loquamur de reatu pœnæ præcisè. Nec enim vlla ratione probari potest vt per supplicium rei satisfiat iustitiæ vindicatiuæ, requiri vt reus illud voluntariè accepret; cùm iustitia vindicatiua propriè respiciat inflictionem condignè pœnæ, de cuius ratione nullo modo est, vt sit eo voluntaria, sed potiùs vt ei inuito infligatur. Adde, etsi concedamus id quod assumitur, nihil facere ad rem. Nam hîc propriè non quæritur, Vtrùm, vt quis pro pœna temporali satispatiatur, debeat eam patienter ferre; sed, vtrùm debeat esse in statu gratiæ? Nam ponamus existentem in peccato mortali siue in hac vita, siue in alia patienter acceptare pœnas sibi à Deo inflictas pro peccatis secundùm culpam remissis; tunc quæro, Vtrùm satispatietur pro pœna temporali restante, nec ne? si dicatur quòd sic, habemus intentum: si dicatur quòd non, tunc huius rei erit reddenda ratio.

Nec vlla voluntaria pœnæ sufferentia requiritur.

Ad probationem Resp. in ea sumi rem planè difficillimam. Quis enim credat Deum ideo punire damnatos, vt eos ad se conuertat, quibus iam omnino impossibile est ad Deum conuerti: item cur Deus puniat animas in Purgatorio vt eas ad se conuertat, cùm iam perfectissimè ad eum conuersæ sint? Quare omnino videtur dicendum, Deum in altera vita ideo præcisè peccata punire, vt iustitiæ vindicatiuæ fiat satis: vt etiam benè notauit P. Suarez in tom. 4. disp. 48. sect. 2. n. 15. In hac verò vita, eadem punit quidem etiam ob eumdem finem, vt patet in morte quam omnes patimur ob peccatum originale, sed tamen præcipuè vt peccatorem ad se conuertat: aut etiam ad aliorum terrorem, vt hominibus suam iustitiam manifestet, præsertim quando aliquem subita morte punit. Nec enim potest tunc dici eum punire vt ipsum ad se conuertat, vt ex communi Catholicorum sententia contra hæreticos ostendi disp. 2. n. 108.

37 Cur Deus puniat peccata.

Suarez.

Ad Tertiam Resp. si Deus eiusmodi pœnas infligat directè ad puniendum aliquod peccatum secundùm culpam iam remissum, concedendo tunc per eas reatum temporalis pœnæ minui, saltem si patiens non peccet de nouo mortaliter per suam impatientiam. Nec in hoc est vllum absurdum. Quòd si tamen sua impatientia peccet mortaliter, satis probabile est tunc illum reatum non minui. Primò, quia, cùm Deus in hac vita ferè puniat peccata, vt nos ab iis deterreat, cùm videt nos per illa longiùs à se recedere, punitionem suam magis continuat, vt frangat nostram rebellionem, quàm vt satispatiamur pro peccatis præteritis; præsertim cùm hîc & possimus & teneamur talia flagella patienter ferre, & per ea nos ad

38

Deum conuertere. Secundò, quia talis per suam impatientiam meretur de nouo infinities maiores pœnas, quam sint eæ quas patitur. Quare non est ita mirum, si non minuatur reatus præcedens. Secus esset si manens quidem in peccato mortali eas pœnas pateretur ferret. Et similiter secus hæc omnia se habent in damnatis; qui neque se possunt ad Deum conuertere, ideoque nullo modo in hunc finem puniuntur: neque per suam impatientiam nouam pœnam merentur.

39 Secunda sententia docet, existentem in peccato mortali, siue hîc, siue in inferno posse satisfacere pro reatu pœnæ temporalis ex culpa remissa restante, per eas pœnas, quas Deus ad hanc punitionem directè infligit. Ita D. Thom. in 4. d. 22. qu. 1. art. 1. ad 5. Scotus d. 15. q. 1. art. 4. Gabriel d. 16. qu. 2. art. 1. notab. 1. Medina tract. 3. de pœnitentia qu. 2. §. *Corollarie sequitur.* Nauarr. in c. 1. de pœnitentia, d. 6. n. 46.

D. Thom. Scotus. Gabriel. Medina. Nauarr.

Probatur Primò, quia iustitia vindicatiua nihil aliud exigit, quàm vt reus tantam pœnam à iudice sibi inflictam patiatur, quantus est ipsius reatus, siue quantæ pœnæ ipse adhuc reus est. Sit igitur adhuc pro illo peccato reus pœnæ vt sex, poterit Deus directè ad puniendum illud peccatum infligere ei pœnam vt sex (sicut de facto damnatis infligit:) ergo poterit pro illo peccato tantum pati, quantum iustitia exigebat eum pati, & consequenter satisfacti.

40 Probatur Secundò, quia aliàs sequeretur, aut peccata semel remissa secundùm omnem suum reatum per subsequens peccatum mortale redire, ita vt homo fieret reus tantæ pœnæ, quantæ fuisset reus, si illud peccatum ei numquam fuisset remissum: aut Deum damnatos punire vltra condignum: vtrumque autem est absurdum: ergo & illud vnde sequitur. Maior probatur, quia talis pro peccato remisso præcisè eodem modo pateretur pœnas æternas ac si numquam ei esset remissum. Quare vel dicendum est eum præter pœnam quam de nouo meretur propter nouum peccatum mortale, rursum fieri reum pœnæ æternæ, quam per peccatum remissum priùs fuerat meritus: vel eum vltra condignum puniri. Quod argumentum magis vrgebit, si ponamus aliquem priùs post baptismum solùm peccasse sæpius venialiter, & remissis omnibus culpis ei solùm restare aliquas pœnas persoluendas, ac deinde peccare mortaliter, & sic mori. Talis enim non videtur posse pro iis peccatis præcisè puniri pœna æterna, nisi puniatur vltra condignum.

41 Ob hæc & similia argumenta credo hanc sententiam esse veriorem, maximè quia prior nullo modo distinguit inter satisfactionem & satispassionem; quæ tamen multùm inter se differunt. Hoc tamen notandum est, vt quis possit pro aliquo reatu satisfacti, debere pati pœnam à iudice in punitionem illius peccati inflictam. Quare si pœna aut aliunde ipsi accidat, aut à Deo in alium finem infligatur, non poterit per eam satisfacti. quia satisfactio supponit peccati punitionem, vt patet ex dictis num. 35. Talis autem pœna non habebit rationem punitionis nisi à Deo in hunc finem infligatur.

DVBIVM VI.

Vtrùm quis possit satisfacti pro pœna debita peccato veniali, antequam peccatum sit remissum?

42 COmmuniter ferè DD. hoc negant, quia culpæ tam diu meretur puniri, quamdiu est. hinc etiam apud homines subditi iustissimè tam diu puniuntur donec promittant emendationem. Angles in 4. de Sacram. pœnit. q. 1. ar. 4. diff. vlt. concl. vlt. D. Thom. 1. 2. q. 87. a. 5. ad 1. Soto in 4. d. 15. q. 2. art. 4. & alij. Sed si hæc ratio intelligatur de culpa actuali, nihil facit ad rem; quia quæstio supponit culpam actualem fuisse, & solùm habitualiter manere. Quòd si intelligatur de culpa habituali, vel itque eam perpetuò posse puniri quamdiu manet, videtur valdè difficilis. Primò, quia culpa habitualis præcisè nullam meretur pœnam, sed sola actualis. Nam sicut illa non habet vllam distinctam malitiam ab hac, ita non meretur vllo modo distinctam pœnam: & aliàs sequeretur, quòd quò quis hîc diutiùs maneret in peccato habituali, eò grauiùs deberet puniri, etsi nullo modo de nouo peccaret per illam mansionem. Sicut quò quis diutiùs manet in peccato actuali, eò maiorem meretur pœnam.

Angles. D. Thom.

Soto.

Culpa habitualis non meretur pœnam.

Quod autem adfertur, subditos tam diu legitimè 43
puniri quamdiu nolunt se emendare, vt verum sit, est intelligendum in casu, quo & possunt & tenentur se emendare, ita vt continuò peccent non emendando se: quia vel pergunt continuare eadem peccata, aut pro commissis nolunt satisfacere prout tenentur, reparando læsionem famæ vel honoris alterius, aut se coram Superioribus humiliando, &c. Secùs est quando non possunt emendare peccatum commissum. Nam is qui furando bona Reipub. meritus est flagellari per medium quadrantem, si esset impotens restituere ablata, iniustè puniretur donec ea restitueret, cùm tamen tam diu maneat iniurius in Reipub. & quasi in culpa habituali erga illã. Et eadè videtur esse ratio damnatorum, qui nullo modo possunt satisfacere pro vlla culpa, atque ideo necessariò in ea permanent.

Dices, eos ideo iustè perpetuò puniri, quia semper 44
pergunt peccare, tum complacendo sibi in peccatis præteritis, tum etiam impatienter ferendo pœnas.

Sed hoc non satisfacit. Primò, quia non puniuntur propter peccata, quæ committunt in inferno: aliàs deberent eorum pœnæ perpetuò in immensum crescere, cùm continuò ferè grauissimè peccent. Secundò, quia, etsi patientissimè ferrent pœnas inflictas, & ampliùs nullo modo delectarentur de peccatis præteritis, imò etsi de iis prout possunt dolerent; tamen secundùm illam sententiam nihilominus perpetuò etiam pro peccatis venialibus nondum remissis punirentur: quia culpa habitualis etiam eo casu perpetuò maneret.

Damnati non puniuntur ob peccata quæ in inferno committunt.

Secundò, quia, sicut Deus potest remittere totam 45
culpam remanente reatu pœnæ, vt patet in animabus iustis, quibus remittit culpas veniales post discessum à corpore: ita posset remittere totum reatum pœnæ, manente reatu culpæ, præsertim quando homo esset in eo statu, in quo nullo modo potest pro ipsa culpa satisfacere per sufficientem ad Deum conuersionem. Nulla enim hîc potest ostendi implicantia. Cùm enim homo has pœnas debeat soli Deo soluere, quare non poterit Deus hoc debitum ei remittere, sicut & reliqua omnia? Quòd si verò hoc debitum possit tolli per Dei remissionem manente culpa habituali; sequitur hominem non necessariò manere reum pœnæ, ita vt iustitia exigat eum puniri quamdiu manet ipsa habitualis culpa: nec vlla erit ratio, cur pro illo debito, cùm omnino finitum sit, non poterit etiam satisfacti.

Deus potest remittere pœnam manente culpa.

Tertiò, quia aliàs si quis commisisset centum 46
venialia peccata, quorum singula meretentur per vnam horam puniri pœna intensa vt vnum; & simul vnum peccatum mortale, quod meteretur in æternum puniri pœna intensa vt quinquaginta, sequeretur eum perpetuo duplo plus puniri pro peccatis venialibus, quàm pro mortali. quod tamen est omnino absurdum. Quia peccatum mortale meretur infinities maiorem pœnam, quàm illa venialia.

Respondent aliqui, non esse absurdũ minus pecca- 47

tum quandoque puniri grauiore pœna. Sed hoc est Primò, contra commune omnium iudicium. Secundò, contra omnem rationem & æquitatem. Cùm enim peccatum ideo præcisè mereatur pœnam, quia violat legem & auctoritatem legislatoris; sicut omne maius peccatum eam magis violat, ita maiorem meretur pœnam, & iustitia exigit vt magis puniatur. Ideóque Deut. 25. præcipitur vt pro mensura peccati, sit & plagarum modus. Et Apocal. 18. dicitur meretrix tantum passura tormentum, quantum se glorificauit, scilicet peccando. Tertiò, quia, si semel concedamus in inferno in infligenda tanta vel tanta pœna non respici præcisè magnitudinem culpæ, & maius peccatum sæpe minùs puniri quàm aliud leuius; eadem ratione poterimus dicere, ibi omnia peccata siue grauia, siue leuia, siue mortalia, siue venialia; siue pauca, siue multa eadem pœna punirinec erit cur hoc negemus, quod tamen absurdissimum & falsissimum est.

Peccatum minus iniustè grauiùs punitur.

Deuter. 25.

Apocal. 18.

48 Nec refert quòd homines quandoque leuius peccatum grauiùs puniant. v. c. magni momenti furtum puniunt morte, & blasphemiam, quæ longè grauius est peccatum, minore pœna. Hoc enim fit, quia leges humanæ in prohibendis & puniendis peccatis communiter non tam respiciunt quàm grauia sint in se, sed quàm sint nata grauiter perturbare Rempub. Et quæ hanc grauiùs perturbant, ea ferè magis puniunt. Vnde multa peccata in se grauissima nullo modo puniunt. Secùs est de Deo, qui in prohibendo & puniendo peccato solam eius malitiam ac grauitatem spectat. Et confirm. quia omnis æquus legislator grauiùs illud peccatum punit, quod magis prohibet: atqui certum est Deum eò magis quandoque prohibere, quò est grauius: ergo etiam illud magis punit.

Aliud in puniendis peccatis respiciunt homines, aliud verò Deus.

49 Respondent alij Secundò, quòd peccata venialia, præsertim graniora, in Purgatorio puniantur quædam tempotali pœna eiusdem ferè rationis cum pœna sensus, qua mortalia peccata puniuntur in inferno: eadem tamen in inferno puniri quidem pœna æterna sed leuissima, quæ secundùm moralem quamdam æstimationem sic quasi infinities lenior ea, qua puniuntur mortalia; vt quantum accedit durationi ipsius pœnæ, tantum grauitati detrahatur. Quòd si contendas nihilominus pœnam æternam semper forè grauiorem quauis temporali; dic peccatum mortale præter pœnam, qua in se punitur, etiam mereri vt venialia ei coniuncta tanto grauiùs puniantur.

Quæ responsio est probabilis, & acceptanda, posito quòd venialia in inferno perpetuò puniantur: sed quia hoc non potest euidenter probari, ideo Scotus & Gabriel citati suprà nu. 40. item Medina de pœnitentia tract. 3. qu. 2. §. *Corollariè sequitur.* iunctis iis quæ dicit ibidem q. 5. in fine; dicunt ea in inferno pœna temporali puniri. Sed hi mouentur malo fundamento, quòd scilicet ex peccato veniali transacto actu nihil remaneat, nisi reatus pœnæ, pro quo secundùm dicta dub. 5. potest quis in inferno satispati. Sed, vt dixi, credo illud fundamentum esse falsum. Quare cùm culpa venialis transacto actu relinquat veram maculam habitualem; dicendum est aut ipsam in inferno perpetuò puniri, aut aliquem posse perseuerante habituali culpa veniali, pro eius pœna satispati. Quod etiam apertè insinuat Cardin. Bellarm. lib. 4. de pœnitentia c. 1. §. *Rursus aduertendum.*

Scotus. Gabriel. Medina.

Bellarm.

Et probatur, quia potest quis apud homines satispati pro pœna quam peccando meruit, etsi offenso pro culpa non satisfecerit, nec ei remissa sit. Vt si quis Principi intulisset iniuriam per quam fuisset certam pœnam meritus, postquam eam etiam inuitus fuisset passus, non posset ampliùs puniri; & tamen offensa Principis adhuc in eo maneret, donec petendo veniam, vel alia ratione eius remissionem, ac in pristinam gratiam admissionem impetraret. Quare idem non posset fieri apud Deum; præsertim quando reo esset omnino impossibile remissionem culpæ obtinere?

Hac in re est difficile ferre iudicium. Nam rationes allatæ videntur omnino probare secundam sententiam. Quia tamen prior sententia est ferè communis DD. non videtur facilè ab ea recedendum, præsertim cùm secundùm responsionem secundam allatam num. 49. possit probabiliter defendi. Et si loquamur de viatoribus, qui possunt & tenentur reatum culpæ tollere, omnino credibile est, Deum per nullam eorum afflictionem reatum pœnæ tollere, donec culpa ei sit remissa. Ex quo nullum sequitur absurdum, cùm tales pœnæ hîc iis à Deo possint ob diuersissimos fines infligi, vt ostendi num. 39. Secùs est in inferno, vbi eæ præcisè infliguntur ex iustitia vindicatiua ad punienda peccata. 50

DVBIVM VII.

Qua ratione aliquis possit pro alio satisfacere pro pœnis temporalibus peccato remisso restantibus?

NOta, nos hîc non agere de satisfactione quæ fit per applicationem sacrificij, de qua sufficienter suo loco egimus; sed solùm de ea quæ fit à priuatis personis; per propria opera pro aliis oblata. 51

Tres autem sunt hac de re opiniones. Primò enim quidam sentiunt neminem posse pro alio satisfacere, sed satisfactionem esse opus omnino personale, sicut implerionem voti. Victoria de Sacram. num. 206. Probant Primò, quia nemo potest per alium contrahere reatum talis pœnæ: ergo nemo etiam potest per alium pro ea satisfacere. Secundò, quia nemo potest satisfacere pro aliena culpa; ergo nec pro pœna ei debita. Tertiò, quia nemo potest alteri mereri augmentum gratiæ: ergo nec pro eo satisfacere. Quartò, quia ad Galatas 6. dicitur: *Vnusquisque enim onus suum portabit:* ergo vnus pro altero non potest satisfacere. quia sic alienum portaret.

Victoria.

Galat. 6.

Addunt tamen iidem, nos per nostra opera satisfactoria, quando ea in illum finem Deo offerimus, posse aliis per modum impetrationis aut meriti de congruo aliquando obtinere remissionem talium pœnarum ex liberali Dei condonatione: & nihilominùs per eadem opera pro nobis eodem modo satisfacere, ac si ea pro aliis non offerremus: sicut quando aliis per nostra opera meremur de congruo aliquas gratias præuenientes, ideo nihilominus nobis meremur augmenti gloriæ. 52

Sed repugnant communi sententiæ Theologorum, vt infrà ostendam: nec rationes multùm concludunt. Ad Primum, nego consequent. Quia si propriè loquamur, omnis reatus pœnæ immediatè nascitur ex sola culpa ipsius rei, nec potest per vllam promissionem contrahi: satisfactio autem magna ex parte fundatur in voluntate & promissione eius cui satisfit: vt ostendi num. 35. Quare in huius potestate est eius conditiones variare. Ad Secundum, nego etiam consequentiam. Quia cùm culpa intrinsecè hominum maculet ac deordinet, vt conuenienter deleatur, requiritur intrinsecus aliquis ipsius actus illi deordinationi contrarius; secùs est de reatu pœnæ. Ad Tertium, nego etiam consequentiam. quia augmentum gratiæ & gloriæ cùm sit præmium virtutis, significat aliquam virtutem & dignitatem inesse ei cui confertur: virtus autem ac dignitas per proprios actus acquiritur. Secùs est de remissione pœnæ, quæ conuenientissimè fit ex sola liberalitate remittentis. 53

54 Per absolutam Dei potentiam fieri potest vt vnius pro alio mereatur, aut demereatur.

Addes, si loquamur de absoluta Dei potentia, in tribus dictis argumentis negandum esse antecedens: Nam per eam fieri potest vt vnus per alienum actum constituatur reus, quia peccatum Adami facit nos omnes reos, quatenus in eo omnes peccauimus. Et Christus pro omnium nostrum peccatis Patri satisfecit, ac æternam gloriam nobis promeruit: & ipsius satisfactio ac merita tàm ad remissionem peccati, quàm ad augmentum gratiæ nobis per Sacramenta ex opere operato applicantur: idque etiam quandoque sine nostra cooperatione, vt patet in infantibus baptizatis: & si Deus voluisset, potuissent simili modo omnibus applicari.

Ad Quartum Resp. Apostolum ibi solùm loqui de sententia, quam quisque vel in fine vitæ, vel in extremo iudicio accipiet, in quo nemo propter aliena opera præmium aut damnationem accipiet. Quòd autem possimus nos mutuò iuuare in mutuis oneribus subleuandis expressè ibidem Apostolus docet.

55 Secunda sententia docet, vnum pro altero absolutè de condigno satisfacere pro dictis pœnis, sicut pro seipso quisque satisfacere potest. Hæc sententia solet tribui Auctoribus quos citabo in concluſ. Quia absolutè dicunt vnum pro altero posse satisfacere: quod propriè conuenit satisfactioni de condigno. Pro qua

Quòd possimus pro reatu pœnæ satisfacere, prouenit ex parte ex Dei liberalitate.

Notandũ est, quòd (vt dixi n. 35.) per peccatum Deus acquirit propriè ius nos puniendi, ita vt quòd possimus per nostra opera satisfacere pro pœnis peccatis nostris debitis, non tam proueniat ex natura rei, quàm ex liberali Dei promissione atque acceptatione. Sicut igitur statuit vt possimus pro nobis satisfacere: ita potuit absolutè statuisse vt possemus etiam satisfacere pro aliis: & quòd ita statuerit, videtur esse communis fidelium sensus. Nam omnes credunt vnius satisfactionem alteri posse prodesse: quod sine tali Dei ordinatione fieri non posset.

Et confirm. Primò, quia Catholici communiter censent communionem Sanctorum in eo consistere, quòd vnius satisfactio pro altero oblata ei prosit: quia nimirum cùm simus omnes membra vnius corpotis, vnius actiones censentur quodammodo alterius. Confir. Secundò, quia possum pro alio restituere, ergo etiam satisfacere. Vnde dicti auctores inferunt, quòd aliquis pro altero satisfacit, ipsum per eam quidem actionem sibi mereri, non tamen pro se satisfacere. quia omnem satisfactionem, quam actio illa habet, alteri donat, & à se alienat: sicut is qui pro alio restituit.

56 Tertia autem sententia quasi media docet, nos verè pro aliis satisfacere, ita vt nostram satisfactionem absolutè pro altero Deo demus tanquam pretium pro pœnis quas ille Deo debet; atque ita eam à nobis alienemus: negat tamen eam esse perfectè de condigno ob defectum promissionis diuinæ, aitque solùm niti liberali Dei acceptatione: atque ita non habere pro altero effectum omnino infallibilem, quamuis semper vel illi, vel nobis prosit, modò adsint reliquæ conditiones requisitæ dub. 4. Ita cum aliis Medina de pœnitentia tract. 3. q. 2. & 3. Ratio est, quia ex nullo fundamento potest nobis satis constare Deum promisisse se ejusmodi satisfactionem pro alio acceptatum: Nam nec vllibi talis promissio exstat (sicut de satisfactione, qua quis pro se satisfacit, exstat in multis Scripturæ locis) & rationes allatæ solùm probant Deum ex sua liberalitate communiter tales satisfactiones pro aliis acceptare. Nam eodem modo sicut pro aliis conamur satisfacere, ita etiam pro iis oramus, cùm tamen preces nostræ pro aliis fusæ non habeant infallibilem effectum. Et per hæc facilè satisfabit argumento contrario & primæ confirmationi. Ad secundam autem, nego consequentiam. Quia per donationem possum efficere, vt mea pecunia sit alterius, atque ita ex iustitia pro eo restituere, non tamen possum efficere, vt mea actio sit alterius.

Medina.

Quare magis possim satisfacere pro aliis debitis quàm pro pœnis.

57 Possent hæc confirmari Primò, quia altera sententia videtur valdè fouere alienam negligentiam in satisfaciendo. Nam qui habent amicos bonos & pios facilè satisfactionem negligent, cùm sciant alios pro se satisfacere, & hoc sibi æqualiter prodesse, ac si ipsi satisfacerent: quod videtur esse inconueniens. Quare etiamsi Deus ex sua liberalitate sæpe alienas satisfactiones accepret, etiam pro viuentibus; tamen maximè videtur acceptare eas pro defunctis, qui pro se satisfacere non possunt. quod etiam videntur fideles sentire dum communiter pro his, & rariùs pro viuentibus nituntur satisfacere. Confirm. Secundò, quia, cùm, vt dixi n. 34. nostra opera per hoc propriè sint apta, vt pro dictis pœnis per ea satisfiat, quatenus per ea nos iterum diuinæ auctoritati subiicimus, à quo nos peccando subtraxeramus, atque ita hanc per peccatum læsam quodammodo reparamus. Item cùm per opera nostra bona nos solos subiiciamus auctoritati diuinæ; videntur ea ex natura sua solùm esse satisfactoria pro nobis, non autem pro aliis quos non subiicimus.

Nostra opera non habent ex natura sua eandem vim satisfaciendi pro aliis, ac pro nobis.

58 Dices, Dum Prælati nobis conferunt Indulgentias, non solùm nobis applicant satisfactiones Christi, sed etiam Sanctorum, idque lege omnino infallibili: ergo possumus etiam nostras satisfactiones alteri lege infallibili applicare.

Quare Ecclesia certùs nobis applicet satisfactiones Sanctorum, quàm nostras applicemus aliis.

Respondeo negando sequ. Primò, quia Indulgentiæ nituntur præcipuè meritis Christi. Secundò, quia conferuntur nobis potestate clauium, quam constat Ecclesiæ esse datam ad illas satisfactiones applicandas: nulli autem illa data est ad applicandam propriam satisfactionem alteri.

59 Conclvsio. Nostra satisfactio pro alio oblata potest ei ad remissionem pœnæ temporalis prodesse, si huius sit capax, atque ita verè possumus dici pro alio satisfacere. Ita D. Thom. in 4. d. 20. q. 1. a. 2. quæstiunc. 3. Bonauent. d. 20. p. 2. a. 1. q. 1. Richardus a. 1. q. 3. Paludan. qu. 4. concl. 3. Soto dist. 19. q. 2. art. 4. concl. 1. Gabriel d. 16. q. 2. ar. 3. dubio 8. & alij communiter. Et est communis Ecclesiæ sensus, quæ omnes fideles hortatur, vt pro defentis in Purgatorio satisfaciant: vt disp. 11. ostendemus.

D. Thomas. Bonauent. Richard. Paludan. Soto. Gabriel.

Vtrùm autem hæc satisfactio pro aliis valeat de condigno, & lege infallibili, vt docet secunda sententia, non ita certum est. Nam quamuis Deus hoc potuerit constituere: non constat tamen eum ita instituisse: & tertia sententia nititur valdè probabilibus rationibus, quamuis non omnino conuincant. Sed quidquid hac de re sit, satis liquet ex secunda confirmatione tertiæ sententiæ, nostra opera ex se non esse ita apta, vt per ea satisfaciamus de condigno pro aliis, & ad hoc opus esse noua aliqua liberali Dei constitutione, qua statuerit ea acceptare eodem modo ac si essent ab iis facta.

DVBIVM VIII.

Qualem pœnitentiam teneatur confessarius iniungere?

60 HActenus egimus de satisfactione non sacramentali: iam verò agendum nobis est de sacramentali. Circa præsentem igitur difficultatem variæ sunt sententiæ.

Primò enim quidam docent, sacerdotem non semper teneri iniungere pœnitentiam per modum præcepti; sed posse eam saltem ex parte solùm imponere per modum consilij: ita vt pœnitenti sit licitum eam facere, aut nò facere. Quia, cùm pœnitentia debeat esse medicinalis, expedit sacerdotem in ea imponenda se

accommodare conditioni pœnitentis, cui quandoque magis expedit pœnitentiam hoc modo imponi. Ita D. Thom. quodl. 3. a. 28. Palud. d. 20. qu. 2. a. 2. Soto lect. 2. de satisfact. §. *Itaque in tribus.* Victoria in Summa n. 210. quamuis hoc non tam clarè dicat.

D. Thom. Paludan. Soto. Victoria.

61 Secundò quidam docent ob quoduis peccatum mortale debere iniungi pœnitentiam septem annorum. Ita glossa in cap. *Prædicandum.* 21. q. 1. v. *Quale.* & in cap. *Sunt plures.* de pœnitentia, d. 3. v. *Mille.*

Tertiò, quidam docent, sacerdotem posse iniungere pœnitentiam per alium implendam, ita vt alterius satisfactio sit verè sacramentalis. Ita Vivaldus de satisfact. n. 12. Silvester v. *Satisfactio.* nu. 3. Angelus v. *Satisfactio.* nu. 3. & alij.

Pivaldus. Silvester. Angelus.

Quartò, quidam docent, necessariò iniungendum esse opus aliquod externum: quia opus merè internum non potest esse pars Sacramenti. quia non est sensibile. Ita Alensis in 4. qu. 84. memb. 2. a. 1. & Almainus d. 15. q. 1.

Alensis. Almainus.

62 Conc. I. Sacerdos habet veram potestatem iniungendi confitenti certam pœnitentiam tam in punitionem peccatorum præteritorum, quàm in medelam pro futuris cauendis, atque adeò ad hoc faciendum communiter tenetur. Est communis DD. & habetur in Trident. sess. 14. cap. 8. & can. 15. Ratio est, quia cùm sacerdos immediatè in persona Dei hoc iudicium exerceat, debet eum in iudicando imitari, qui ita communiter remittit peccata, vt tamen simul aliquam satisfactionem exigat. Item cùm sacerdos teneatur quantum potest mederi animæ ipsius pœnitentis, & huic valdè salutare sit, cùm vt facilius pro peccatis satisfaciat, tum vt hac ratione à peccando in posterum deterreatur, & vt ei aliqua conueniens pœnitentia iniungatur; ille ad hoc tenetur.

Trident.

Confessarius ex duplici capite tenetur pœnitentiam iniungere.

63 Dixi, *communiter ad hoc teneri.* quia quando in articulo mortis pœnitens inter confitendum amittit omnem sensum, certum est nullam ei pœnitentiam debere iniungi. quia ipse eius incapax est. Et idem dicendum esset, quando sacerdoti constaret pœnitentem iam antè perfectè pro peccatis satisfeciisse. quia vbi nulla opus est satisfactione, ibi etiam nulla opus est pœnitentia. Sed illud vix vnquam sine reuelatione constare potest.

Sacerdos quandoque non tenetur iniungere pœnitentiam.

64 Conc. II. Confessarius debet pœnitentiam iniungere non per modum consilij, sed per modum præcepti: & aliter imposita non est sacramentalis. Hanc multi recentiores viri docti tenent. Vasquez hic q. 94. a. 2. dub. 1. n. 9. & 10.

Pœnitentia iniuncta solùm per modū consilij non est sacramentalis. *Vasquez, Trident.*

Prior pars prob. Primò, ex Trident. sess. 14. c. 8. vbi ait sacerdotem teneri iniungere pœnitentiam. quod verbum non significat consilium sed præceptum. Et confirm. quia Concilium illud probat ex eo quòd sacerdos habeat claues non solùm ad soluendum, sed etiam ad ligandum: apertè ostendens eum debere ita imponere pœnitentiam vt liget sine obliget ad eam implendam. Consilium autem quod homini omnino liberum relinquit vt aliquid faciat aut non faciat, nullo modo potest dici ligare. Secundò, quia vt docet Trident. suprà, sacerdos debet ita imponere pœnitentiam, vt puniat peccata præterita: atqui qui reum non obligat ad subeundam pœnam, sed solùm suadet vt eam subeat, nullo modo eum punit, sed solùm suadet vt seipsum puniat: ergo secundùm mentem Concilij suo muneri non satisfacit nisi obliget.

65 Dices, confessarium eo casu obligare pœnitentem ad certam pœnitentiam subeundam sub conditione, statuendo vt aliàs fructum sacramentalis satisfactionis non percipiat. Respondeo, hoc nullo modo posse fieri vt dicatur pœnitentem ligare aut punire. Primò, quia talis verè manet tam liber ad implendam illam pœnitentiam, quàm antè erat. Secundò, quia aliàs Pontifex qui proponit Indulgentias certum opus facientibus, posset verè dici omnibus mortalibus tale opus iniungere, eòsque ad illud implendum obligare, eorumque peccata per id punire: quia imponit illis necessitatem illius operis faciendi sub conditione si velint debitarum pœnarum indulgentiam consequi. Et simili modo diceretur omnibus aliquod opus iniungere; qui illud facientibus certum præmium pollicerentur. Illa autem sunt apertè absurda.

Secunda pars probatur, quia, vt patet ex dictis, & docet Trident. suprà; sacerdos vt imponat pœnitentiam sacramentalem, debet ligare: atqui qui non præcipit pœnitentiam, pœnitentem non ligat; vt patet ex dictis: ergo non imponit pœnitentiam sacramentalem. *Trident.*

Ex his patet, etsi probabilius sit Superiorem communiter posse rem grauem præcipere sub veniali, confessarium tamen non posse grauem pœnitentiam iniungere solùm sub veniali. quia, cùm non agat hìc nomine suo, sed ipsius Dei, non potest suam actionem pro suo arbitrio temperare, sed necessariò agit prout postulat institutio Sacramenti, quæ exigit vt pœnitens ligetur. quod absolutè sumptum strictam obligationem significat.

Confessarius non potest grauem pœnitentiam iniungere sub veniali.

Conclvs. III. Quando sacerdos iniungit confitenti aliquod opus per alium exercendum, v. c. vt curet aliquam peregrinationem per alium fieri; illud opus externum prout ab alio fit, non habet prorietationem pœnitentiæ sacramentalis, nec est pars Sacramenti: sed hoc conuenit soli illi actioni quàm exercet pœnitens, procurando per donationem eleemosynæ, aut alia ratione, vt alter illud opus faciat. Henriquez l. 4. c. 21. num. 4. dicens esse communem recentiorum. Sequitur ex dictis. Nam, vt ostendi illud solum opus habet rationem pœnitentiæ sacramentalis, quod ex præcepto & obligatione virtute clauium impositum sit: atqui sola procuratio illius operis sit hoc modo (nam alter nullo modo obligatur ad illud opus ex præcepto confessarij, sed ex pacto cum pœnitente inito, aut ratione liberalis promissionis: & ex huius vi & obligatione, non autem ex præcepto confessarij illud facit:) ergo illa sola habet rationem pœnitentiæ sacramentalis. 66

Opus per alium factum non est pars pœnitentiæ sacramentalis. *Henriquez.*

Conc. IV. Etsi, vt patet ex praxi Ecclesiæ, communiter expediat pro pœnitentia iniungere aliquod opus externum, quia hoc à rudibus præsertim hominibus certiùs potest impleri; tamen hoc non est absolutè necessarium. Ita cum aliis P. Suarez disp. 38. sect. 6. num. 2. 67 *Suarez.*

Probatur, quia etiam actio merè interna per se est apta ad satisfaciendum pro peccatis; & ratione præcepti confessarij illud iniungentis, & acceptationis ipsius pœnitentis potest sufficienter esse sensibilis vt sit pars Sacramenti; sicut contritio ratione confessionis, & corpus Christi ratione specierum & verborum consecrantis sufficienter sunt sensibilia, vt sint pars Sacramenti. Ac demum potest sæpè valdè expedire saluti pœnitentis, vt ei similia aliqua iniungantur, v. c. aliquoties per diem certo tempore cor suum ad Deum eleuet, breuiter cogitando eum vbique esse præsentem, & videre omnes nostras non modò actiones, verùm etiam cogitationes. Item quanta Christus pro peccatis nostris passus est: quàm seuerè ea postea vindicabit, & similia: & vt simul firmiter secum statuat peccata in posterum vitare.

Actio interna potest esse pars Sacramenti, ac pœnitentia sacramentalis.

Conclvs. V. Possunt etiam pro pœnitentia iniungi ea, ad quæ pœnitens aliàs præcepto diuino aut humano est obligatus, v. c. vt audiat singulis diebus festis Sacrum, vt sacerdos quotidie legat Horas canonicas, &c. Soto d. 19. qu. 2. art. 1. Angles de satisfact. in principio, & ferè communiter alij. Quia, vt ostendi suprà num. 39. etiam per eiusmodi opera pro peccatis nostris verè satisfacimus. Et quandoque potest 68

Possunt in pœnitentiam iniungi alia debita. *Soto. Angles.*

expedire vt ita fiat, quando pœnitens hac ratione creditur excitandus vt diligentiùs similia præcepta obseruet, (cùm eum pudeat non stare promissis) iniunctam pœnitentiam implendo. Tunc tamen ea opera omittendo duplex peccatum committeret.

Communiter expedit alia iniungi.

Communiter tamen (vt etiam ex vsu Ecclesiæ patet) expedit iniungere ei aliqua opera ad quæ alias non obligabatur, quia, sicut iniunctio aliorum operum vix adfert nouum grauamen: ita vix habet rationem punitionis: pœnitentia autem debet etiam iniungi in punitionem peccatorum præteritorum, vt docet Trident. sess. 14. c. 8.

Trident.

69 Confessarius censetur communiter opera alias indebita iniungere.

Quare quoties ex verbis confessarij contrarium non colligitur, ipse semper intelligendus est iniungere pro pœnitentia opera aliqua, ad quæ pœnitens alias non obligatur, v. c. si iniungat vt pœnitens audiat singulis septimanis vnum Sacrum; intelligendum est præter illa ad quæ ex præcepto aut voto obligatur. Secùs esset si diceret vt singulis diebus Dominicis aut festis audiret duo Sacra: quia, nisi aliud insinuet, ex modo iniungendi satis colligitur eum præter Sacrum obligatorium solùm vnum velle iniungere. Sic etiam cui iniunctum est vt det certam eleemosynam, satisfacti dando eam etiam extremè indigenti, vt cum aliis benè notat Vivaldus de satisfact. num. 10. Quia cùm obligatio hæc sit quasi ex casu & extraordinaria, confessarius non censetur eam eleemosynam velle excludere ab operibus iniunctis: quia, aliàs fortè pœnitens nimis grauaretur dando tot eleemosynas, idque præter intentionem sacerdotis, qui non potuit eum casum præuidere. Quando autem est dubia confessarij intentio, ipse quantum fieri potest, consulendus est: quando hoc fieri nequit, res ex æquo & bono prudenter diiudicanda est.

Vivaldus.

70 Qua ratione pœnitentiæ relinquantur iudicio cõfessarij.

CONCLVS. V. Nulla iam est lex diuina aut humana præscribens certam aliquam pœnitentiam, quam sacerdos pro his vel illis peccatis teneatur iniungere; sed hoc relinquitur ipsius arbitrio: non quidem ita vt pro libitu possit pro quibusuis peccatis grauem vel leuem pœnitentiam iniungere (hoc enim apertè & æquitati, & Trident. sess. 14. cap. 8. repugnat vbi docet eos fieri peccatorum participes, qui sine iusta causa pro grauibus peccatis leues pœnitentias iniungunt;) sed quia ipsius est iudicare quæ omnibus perspectis hîc & nunc pœnitentia sit iniungenda. Est communis Doctorum, & eam apertè docet Innocentius III. c. *Dem qui.* 8. de pœnitentiis. Imò etiam olim simili modo fuisse permissum sacerdoti, vt in hoc foro eam pœnitentiam iniungeret, quam crederet hîc & nunc maximè expedire iniungi, apertè colligitur ex c. *Mensuram.* 85. de pœnitentia. d. 1. Quare canones pœnitentiales, qui habentur in quibusdam Conciliis, aut solùm erant pro foro externo (quamuis etiam in hoc multùm permittebatur iudicio Episcopi,) vel non continebant præceptum, sed tantum quasdam regulas, quibus confessarij possent instrui, vt eas, quantum iudicabant commodè fieri posse, sequerentur.

Trident.

Innoc. III.

Quod autem quidam dicunt olim pro quouis peccato mortali debuisse iniungi pœnitentiam septem annorum; sine vlla probatione dicunt. Nam tales pœnitentiæ solùm pro enormibus peccatis iniungebantur, & maximè quando cum aliorum scandalo erant facta, alioquin magna pars hominum exiguo tempore meruisset maiores pœnitentias, quàm tota vita potuisset implere. Nec enim etiam tunc multi graues peccatores deerant, vt ex historiis patet.

71 *Trident.* In pœnitentia iniungenda præcipuè spectandus fructus spiritualis pœnitentis.

Nota, etsi, vt docet Trident. suprà, sacerdos quantum fieri potest, debeat habere rationem grauitatis peccatorum, vt pro iis condignam pœnitentiam iniungat, præcipuè tamen spectandus est fructus spiritualis pœnitentis. Quare grauitas pœnitentiæ ratione infirmitatis aut corporalis aut spiritualis ipsius pœnitentis (quia nimirum si grauior pœnitentia iniungatur, fiet pusillanimis, & concipiet horrorem confessionis, &c.) sæpissimè multùm moderanda est; vt communiter Doctores fatentur, & ex praxi Ecclesiæ ac Iuribus n. 70. citatis patet. Vnde pulchrè D. Nazianzenus orat. 26. de moderatione in disputationibus seruanda, sub finem: *Hanc*, inquit, *rationem tene, vt partim eum corrigas, idque leniter & humanè, non vt hostis, neque vt durus & rigidus medicus.* Ratio horum est Primò, quia hoc Sacramentum à Christo primò & per se institutum est in bonum & vtilitatem pœnitentis, vt animæ eius vulnera curentur. Secundò, quia, aliàs multi infirmiores à confessione deterrerentur, & ita fructus eius periret. Tertiò, quia si iniungas nimis leuem pœnitentiam, communiter & per se loquendo, tantùm est periculum ne pœnitens in Purgatorio grauiùs puniatur. Si iniungatur grauior quàm expediat eius infirmitati, periculum est ne eam non implendo peccet mortaliter, & alia grauiora peccata non confiteatur, aut tales confessarios quærat, qui sine vllo certo iudicio pro quibusuis peccatis leuissimam pœnitentiam iniungant. Nec iniungendo leuiorem pœnitentiam, præsertim quando subest aliqua rationabilis causa, fit vlla Sacramento irreuerentia, quia hoc ad sui integritatem non requirit, vt pœnitentia omnino condigna iniungatur: præsertim cùm sacerdos sine reuelatione scire nequeat, quanta hîc & nunc huic pœnitenti deberet iniungi, vt præcisè satisfaceret pro toto culpa restante. Nec etiam Deo fit iniuria; quia restat ei suum ius integrum in Purgatorio reliquam pœnam exigendi.

Quando est fructus spiritualis pœnitentis.

Nazianz.

72

Hinc sequitur Primò, sacerdotem numquam debere talem iniungere pœnitentiam, quam omnino credit pœnitentem ex aliqua imbecillitate non impleturum (vt docet P. Suarez disp. 38. sect. 7. nu. 4.) Quia, vt ostendi, exponeret eum grauibus periculis peccandi, cùm tamen ipsius sit maximè omnia ea pericula à pœnitente arcere.

73 In iniungenda pœnitentia duo extrema cauenda. *Suarez.*

Sequitur Secundò, cauendum etiam ei esse, ne, vt ait Trid. suprà, sine iusta causa pro grauibus peccatis leuissimas pœnitentias iniungendo iustitiam negligat, & alienis peccatis communicet: præsertim quia hoc modo facilè daret pœnitenti occasionem vt minùs æstimaret grauitatem peccatorum, eáque postea liberiùs perpetraret, à quibus se videt iam facilè absolui. Quare vt cum aliis monet Vivaldus de satisfact. num. 10. quando leuiores pœnitentias ex iusta causa iniungit, debet monere pœnitentem hoc fieri vt ipsius imbecillitati caueatur: alioquin ipsum grauem pœnitentiam mereri, & graues pœnas persoluturum in Purgatorio, nisi hic satisfaciat. Imò cum iis qui sæpè in eadem peccata incidunt, seueriùs omnino agendum est, vt hac ratione à peccatis deterreantur. Præstat enim eos exponere periculo ne pœnitentiam non expleant, quàm ne peccata contemnendo, ea sæpiùs perpetrent, & sine legitimo eorum dolore confiteantur. quod in talibus sæpè timendum est. Vide Suarez suprà.

Trident.

Vivald.

Cum iis qui sæpiùs in eadem relabuntur seueriùs agendum est.

Suarez.

Nota hîc etiam dispari, Vtrùm sacerdos possit imponere pœnitenti aliquam pœnitentiam, quam coram aliis faciat, quando ex ea possit colligi, eam ob graue aliquod peccatum ei esse impositam? Nauar. c. 8. n. 10. id negat; quia hoc esset reuelare sigillum.

74 *Nauar.*

CONCLVS. VI. Peccatis occultis numquam est iniungenda pœnitentia publica: quia sieret cum pœnitentis infamia, & aliorum quandoque scandalo. Pro peccatis tamen publicis, quando cum aliorum scandalo facta sunt, non modò licitè, sed aliquando etiam necessariò (vt quando scandalum aliàs non cessaret) pœnitentiæ publicæ confitentibus iniungun-

Quando pœnitentiæ publicæ sint iniungendæ.

tur,

D. Thom. Paludan. Durand. Medina.

guntur, vt ea ratione scandalum emendetur: Ita D. Thom. d. 17. qu. 3. a. 4. quæstiunc. 4. ad 4. Palud. d. 16. q. 6. concl. 3. Durand. ibid. qu. 4. ad 1. Medina tract. 2. de pœnitentia quæst. 40. §. *Alia est pœnitentia.* Vbi tamen addit, idem quandoque licèrè pro peccatis occultis. Sed hoc hèc communiter expedit, nec sine libero consensu pœnitentis fieri potest.

75 *Trident.* Colligitur apertè ex Trident. sess. 24. ca. 8. de reform. vbi expressè asserit pro ralibus peccatis, publicas pœnitentias esse iniungendas, & ex adiunctis apertè colligitur ipsum loqui etiam de foro pœnitentiali, quantumcumque Nauarrus hoc neget. Et ratio est, quia, vt licitè pœnitens absoluatur, debet ei iniungi omnis illa satisfactio ad quam iure naturæ tenetur; arqui ipse tenetur exhibere omnem eam satisfactionem quæ necessaria est, vt scandalum omne tollatur: ergo quoties ad hoc necessaria est publica pœnitentia, ea ipsi poterit iniungi. Nec hìc est periculum reuelationis sigilli: quia quidquid hìc fit, vnde alij possint colligere pœnitentem aliqua grauia peccata esse confessum, hoc fit non modò consentiente, sed etiam operante ipso pœnitente.

Nauar.

Nec refert quòd hoc faciat coactus præcepto confessarij. quia hìc tenetur id ei præcipere, & nolenti acceptare, negare absolutionem. Quòd si tamen ad sedandum scandalum, aut ob aliam causam non esset necessarium talem pœnitentiam iniungere, tunc confessarius si iudicaret hoc esse valdè expediens, posset quidem pœnitenti non reluctanti eiusmodi pœnitentiam iniungere; inconsultè tamen faceret si eam reluctanti iniungeret, negando ei aliàs absolutionem. quia tam duræ curationes cùm sint valdè periculosæ, numquam sunt adhibendæ, quando aliter salus obtineri potest.

Duræ curationes non sunt adhibendæ sine necessitate.

76 Nora demum; quosdam disputare, Vtrùm pœnitentia debeat imponi ante absolutionem datam, vel postea? Sed communiter DD. sentiunt vtrumque posse legitimè fieri, modò saltem statim post datam absolutionem imponatur antequam pœnitens discedat: quia idem iudicium adhuc durat. Consuetudo tamen habet vt detur communiter antè absolutionem, & consultus est ita facere. Vide Nauar. c. 1. de pœnitentia d. 6. nu. 35. & Siluest. v. *Confessor.* 4. nu. 1.

Nauar. Siluester.

DVBIVM IX.

Qua ratione pœnitens obligetur ad implendam pœnitentiam iniunctam?

PRima sententia docet, eum simpliciter ad hoc non teneri. quia non tenetur pro pœnis pro culpa remissa adhuc debitis in hac vita satisfacere: sed sufficit quòd sit paratus sustinere pœnam Purgatorij. Ita

Caietan. Caiet. to. 1. opusc. tract. 6. q. 2. ad 2.

Secunda sententia, ob idem fundamentum docet eum quidem non teneri acceptare pœnitentiam; si tamen eam acceptarit, teneri eam implere. Ita

Scotus, Gabriel. Medina. Nauarrus, Armilla. Scotus d. 18. quæst. 1. a. 1. Gabriel d. 16. art. 3. dub. 5. Medina tract. 2. de pœnitentia quæst. 45. Nauar. cap. 20. num. 20. Armilla v. *Confessio.* num. 29. Sed hi non loquuntur satis consequenter. Quia si confessarius non potest talem suo præcepto obligare vt acceptet pœnitentiam, non potèrit ipsum etiam eam acceptantem obligare. Quare talis vt summum obligabitur ratione cuiusdam tacitæ promissionis, quæ obligatio impertinens est ad rationem pœnitentiæ sacramentalis, quæ, vt ostendi num. 65. necessariò debet iniungi per præceptum confessarij.

77 Dices, Sacerdos non est necessarius iudex pœnitentis, nisi hic se illi subiiciat: ergo hic poterit se illi subiicere quoad absolutionem peccatorum, non autem quoad iniunctionem pœnitentiæ.

Respondeo Primò; negando antecedens. quia etsi sæpè pœnitenti liberum sit, huic vel illi sacerdoti confiteri; tamen diuino præcepto obligatur vt necessariò alicui confiteatur, hoc ipso quo peccauit mortaliter, & per Ecclesiam est subiectus omnibus iis à quibus potest absolui, quare, hunc vel illum in particulari accedendo non subiicit se illi, sed solùm subministrat ei materiam absolutionis: vt dixi disput. 8. num. 13.

Qua ratione sacerdos sit necessarius iudex pœnitentis.

Respondeo Secundò; negando consequentiam. Quia etsi is qui habet solùm peccata venialia non teneatur ea subiicere clauibus Ecclesiæ; tamen hoc ipso quo ea subiicit, tenetur parere iustæ sacerdotis sententiæ. Sicut hoc ipso quo aliqui suam causam deferrent ad arbitros publica Principis auctoritate constitutos, tenerentur eorum sententiæ parere quòd magis habet locum in tribunali pœnitentiæ, vbi etiam respectu venialium sacerdos à Christo est constitutus legitimus iudex cum vera potestate soluendi & ligandi, cui pœnitentes propriè se non subiiciunt, sed solùm materiam iudicij suggerunt.

Tertia sententia docet, eum qui solùm confitetur peccata venialia, aut mortalia, à quibus est semel directè absolutus, non teneri vnquam sub peccato mortali pœnitentiam iniunctam implere. ita tenent Vtualdus de satisfact. num. 26. Nauar. c. 21. num. 43. & multi alij. Ratio eorum est, quia cùm non teneatur ea peccata confiteri, non videmur posse grauiter obligari; vt pœnitentiam pro iis iniunctam impleamus. Et hæc sententia est satis probabilis ob grauium virorum auctoritatem. Ratio tamen non videtur conuincere. quia si aliquid probaret, probaret nos nullo modo ex vi præcepti ipsius confessarij teneri pœnitentiam implere: sicut ne quidem sub veniali tenemur talia peccata confiteri.

Vtualdus. Nauarrus.

CONCL. I. Tenetur pœnitens sub peccato mortali & acceptare & implere pœnitentiam à confessario pro peccato mortali legitimè iniunctam; si materia grauis sit, & velit absolutionem consequi. Ita Magister in 4. d. 18. D. Thom. ibid. q. 1. a. 3. quæstiunc. 3. Paludan. d. 20. q. 2. a. 3. Soto ibid. qu. 2. a. 2. Durand. d. 15. q. 3. ad 2. Petrus Soto lect. 2. de satisfact. §. *Impositio pœnitentiæ*: Victoria num. 209. qui putat eam esse de fide. Et Suarez disput. 38. sect. 7. n. 2. qui putat eam sine temeritate non posse negari. Et sanè ita clarè colligitur ex c. *Omnis vtriusque.* de pœnitentiis. vbi eodem planè tenore dicitur, vt omnis fidelis sua peccata singulis annis confiteatur; & pœnitentiam iniunctam studeat pro viribus adimplere. Et ex Trid. sess. 14. c. 8. vbi definitur sacerdotem habere veram potestatem per iniunctionem pœnitentiæ ligandi; vt contrarium defendi nequeat, nisi vis eorum verbis inferatur. Quod sic probo. Nam omne iustum & sanctum præceptum in materia graui obligat sub peccato mortali, vt omnes communiter fatentur, & per se patet: arqui, vt patet ex Trident. & dictis num. 65. & 66. confessarius tenetur pœnitentiam strictè præcipere pœnitenti, eumque ad eius implerionem obligare: ergo hic in materia grani tenetur sub peccato mortali eam implendo obedire. Quia hæc sunt apertè correlatiua; potestas imperandi in Superiore, & necessitas obediendi in inferiore; nec illa sine hac potest vllo modo consistere. Quare cùm Concilium definiat illam esse in confessario, hæc necessariò debebit esse in pœnitente. Nullo autem modo potest esse necessitas obediendi in pœnitente, si liberè possit detrectare imperium recusando pœnitentiam.

79

Magister. D. Thom. Paludan. Soto. Durand. Petr. Soto. Victoria. Suarez.

Trident.

Potestas imperandi in vno necessariò requirit in alio potestatem obediendi.

Dixi, *si materia sit grauis, & si velit absolui.* Quia si materia sit leuis (vt si solùm omittantur tres vel quatuor orationes Dominicæ, siue ex sint tota pœnitentia iniuncta, siue solùm aliqua eius pars) eius

80

omissio erit tantum veniale peccatum: vt communiter Doctores fatentur, quia in omni præcepto materia leuitas excusat à peccato mortali.

Et idem videtur dicendum, quando pœnitens ante acceptam absolutionem dicit sacerdoti, malle se ab eo non absolui, sed alteri (cui etiam licitè confiteri potest) confiteri, quàm tam grauem pœnitentiam accipere. Nam sicut ab initio non tenebatur illi sacerdoti præcisè confiteri; ita nec post inchoatam aut absolutam confessionem absolutè obligatur ab eo absolutionem accipere. quia nulla est ratio talis obligationis, modò sit paratus alteri legitimo iudici confiteri; nec etiam tenetur acceptare pœnitentiam, nisi velit accipere absolutionem. Esset tamen aliqua indecentia Sacramentum ita inchoatum abrumpere. *Suarez.* Vide Suarez disp. 38. sect. 7. num. 4. sacerdos autem eo casu bene faceret condescendendo infirmitati pœnitentis, nisi esset iusta causa faciendi contrarium. Vide dicta num. 73.

81 Conclvs. II. Probabilius est dictam conclusionem etiam esse veram, quando pœnitens confitetur sola venialia, aut mortalia, à quibus iam antè *Henriquez.* fuerat directè absolutus. Ita cum aliis Henriquez l. 5. de Sacramentis c. 20. num. 3. Quia etiam eo casu sacerdos habet veram potestatem iniungendi pœnitentiam sacramentalem: & consequenter obligandi pœnitentem ad eius impletionem, vt patet ex dictis nu. 65. & 66.

Posse autem occurrere rationabilem causam iniungendi grauem pœnitentiam pro similibus peccatis, quando quis valdè multa & grauia talia peccata confitetur: præsertim quando illud videtur necessarium esse, ne venialia peccata leuiter æstimet, & ea sine scrupulo frequenter, atque ita se periculo peccandi mortaliter exponat; non videtur posse esse dubium. præcipuè cùm, quando tales confitentur sine magna contritione, probabilissimum sit iis adhuc longè plura restare persoluenda in Purgatorio, quàm quibus delendis ea pœnitentia sufficiat. quare cùm sit infra condignitatem pœnæ ab iis meritæ, nulla apparet ratio cur eam sacerdos non possit iniungere. Non credo tamen sacerdotem vnquam teneri tam grauem pœnitentiam pro eiusmodi peccatis iniungere, nisi quando hoc credit necessarium vt pœnitentem à peccando conseruet.

82 Conclvs. III. Tenetur pœnitens quantum potest per se implere pœnitentiam sibi à confessario iniunctam, nisi hic aliud expresserit; quia est obligatio personalis. ita cum aliis Suarez disp. 38. sect. 9. *Suarez.* n. 1. Vide dicta nu. 66. Quare si non possit eam per se implere, non tenetur eam implere per alium; & si fecerit, non proderit ei ex opere operato: nec, si postea fiat potens eam per se implere, ab illius impletione erit liber.

Vinald. Contrarium cum quibusdam aliis tenet Vialdus de satisfact. num. 12. Sed quod dixi sequitur apertè ex dictis. Intelligendum tamen est, quando opus iniunctum non est tale, quod per alium exerceatur tamquam per merum instrumentum, & in quo reperitur eadem difficultas & bonitas, siue per alios, siue per te illud exerceas: vt fit in datione eleemosynæ. Qui iussus dare certam eleemosynam pauperibus, satisfacit eam dando per famulum. Secùs est de eo qui iubetur ieiunare, legere septem psalmos, aut quid simile facere.

83 Iussus pœnitentiam certo tempore implere, eo lapso non soluitur obligatione. Concl. IV. Quando sacerdos præscripsit certum tempus pœnitentiæ implendæ, hoc seruandum est, quantum fieri potest: quòd si tunc non fuerit impleta, siue hoc acciderit ex culpa pœnitentis, siue sine ea ob naturalem obliuionem, aut aliam impotentiam, ipse tenetur eam postea data commoditate implere. Quia præceptum cadit directè & per se in substantiam operis, in tempus verò tamquam in circumstantiam accidentalem. Cuius ratio est, quia pœnitentia non iniungitur ad celebrandum aut sanctiùs transigendum certum aliquod tempus, sicut instituuntur festa & ieiunia: sed vt pœnitens satisfaciat Deo pro pœnis ei debitis, & auertatur à peccatis futuris. quæ causæ transacto præscripto tempore adhuc perseuerant, ideóque in pœnitente manet eadem obligatio. Ex quo sequitur mutare illud tempus præscriptum, impletionem pœnitentiæ nonnihil differendo modò non sit nimia dilatio, non esse peccatum mortale, quia est materia leuis, vt docet P. Suar. disp. 38. sect. 7. n. 6. *Suarez.*

Quòd si sacerdos nullum certum tempus præscri- 84
bat, censendus est præcipere vt pœnitentia prima commoditate fiat. Quare eam diutiùs differre, erit aliquod peccatum maius vel minus prout diu differtur: atque adeò poterit esse mortale, si pœnitentia grauis sit, & valdè diu differatur. quia contra intentionem confessarij & finem Sacramenti grauiter peccatur. Suarez disp. 38. sect. 7. num. 6. Quanta au- *Suarez.*
tem dilatio requiratur ad peccatum mortale non facilè potest definiri; sed iudicio prudentis ex circumstantiis spectandum est.

Nota Primò, hæc quidem communiter esse vera; 85
fieri tamen posse vt sacerdos intendat impletionem pœnitentiæ absolutè certo tempori alligare; idque ob certas causas, præsertim quando diuturnæ sunt pœnitentiæ, & certis interualis implendæ, videtur aliquando expedire, ne fortè, si pœnitens siue ex culpa, siue ex impotentia aut obliuione aliquoties suo tempore statutam pœnitentiam non impleuerit, tam grauis ei fiat, vt desperet se eam posse implere. Quare sic videntur intelligendæ pœnitentiæ, quando sacerdos alicui iniungit, vt toto anno singulis diebus Dominicis audiat duo Sacra: aut vt singulis festis Christi aut B. Virginis confiteatur & communicet aut eorum profestis diebus, aut etiam singulis diebus Veneris ieiunet, &c.

Nota Secundò, quosdam putare pœnitentem qui 86
oblitus est pœnitentiæ sibi iniunctæ, teneri secundò eadem peccata confiteri, vt aliam pœnitentiam pro iis accipiat. Ita Richard. d. 17. a. 2. quæst. 8. ad 4. D. *Richard. D. Anton. Siluest.*
Antonin. 3. p. tit. 14. c. 19. §. 19. Siluest. v. *Confessio.* 6. quæst. 3.

Sed contrarium est verius. quia illa repetitio con- Oblitus fuę pœnitentię non tenetur secundò eadem confiteri.
fessionis, neque est necessaria ad remissionem peccatorum, quæ iam absolutè remissa sunt, neque ad remissionem pœnæ temporalis iis debitæ. quia hæc alia ratione etiam in hac vita obtineri potest, & pœnitens absolutè non tenetur pro ea in hac vita satisfacere: neque etiam ad implendum præceptum confessarij. quia ipse non præcepit iterate confessionem, sed aliud opus facere, quod pœnitenti iam est impossibile, ideóque ab eo excusatur. Quòd si tamen sua culpa, vt quia nimis diu pœnitentiam distulit, hoc acciderit tenetur hoc peccatum confiteri. Aut etiam, si fortè obliuio accidisset statim post datam pœnitentiam, & crederet sacerdotem adhuc eius esse memorem; teneretur, si posset ab eo petere quid iniunxisset, præsertim quando pœnitentia esset grauis. Ita Caiet. in *Caietan.* Summa v. *Confessio iteranda.* §. *Ex satisfactionis.* Soto d. *Soto.* 20. q. 2. a. 2. ad 3. Medina de pœnitentia tract. 2. qu. *Medina.* 44. §. *Sequitur ex dictis.* Navar. c. 9. n. 17. & alij. *Navar.*

DVBIVM X.

Vtrum impletio pœnitentiæ à confessario iniunctæ sit pars Sacramenti, & habeat effectum ex opere operato?

DVplex est difficultas. Quod ad priorem attinet, 87
Durand. in 4. d. 16. quæst. 1. absolutè negat *Durand.*

satisfactionem

satisfactionem propriè esse partem Sacramenti. Primò, quia neque est pars formalis, vt per se patet: neque etiam materialis: quia hæc est sola confessio. Secundò, quia totum non potest consistere sine suis partibus: sed hoc Sacramentum est perfectum ante satisfactionem: ergo non est eius pars. Sed hæc argumenta facilè solluntur. Ad Primum enim nego, solam confessionem esse partem materialem huius Sacramenti. Contrarium enim definiunt Florent. & Florent. Trident. Ad Secundum Resp. totum non posse consistere sine suis partibus essentialibus, posse tamen consistere sine integralibus, etsi minùs perfectè. Nam homo est essentialiter perfectus sine manu: satisfactio autem solùm est pars integralis.

Palud. Contrà Palud. d. 16. qu. 1. vult esse partem essentialem Sacramenti. Sed nec hoc vllo modo dici potest. quia aliàs per absolutionem non conferretur statim gratia, quia hæc non confertur antequam Sacramentum essentialiter sit perfectum. Illud autem apertè falsum est.

88 In secunda difficultate quidam absolutè negant impletionem pœnitentiæ habere aliquem effectum ex opere operato, sed aiunt solùm habere ex opere operantis maiorem effectum ratione obedientiæ, qua pœnitens se subiicit clauibus Ecclesiæ, & ex virtute earum agit. Ita Soto in 4.d.14. q. 1. a. 5. §. *Nihilominus.* Ratio eius est Primò, quia non est Sacramentum. Secundò, quia aliàs etsi quis eam impleret per peccatum veniale. v. c. eam implendo ob vanam gloriam, haberet nihilominus vim satisfaciendi, aut gratiam augendi: arqui videtur absurdum vt quis peccando venialiter, satisfaciat pro peccatis: ergo, &c. Sed hæc argumenta nihil probant.

Ad Primum Resp. Non solùm integrum Sacramentum, sed etiam singulæ eius partes possunt habere aliquem effectum ex opere operato, ad quem sunt singulariter institutæ. Ad Secundum, nego minorem. Nam non est magis absurdum vt per tale opus consequar remissionem pœnæ temporalis, quàm vt per ipsum consequar gratiam habitualem quod tamen fit, dum pecco venialiter suscipiendo Sacramentum. Ratio est, quia consequor vtrumque effectum non virtute operis, vt à me procedit, sed prout habet rationem Sacramenti vel integri, vel partialis: & hac ratione est quodammodo opus Christi, & ex eius meritis omnem suam vim habet.

Potest quis opere in quo peccat venialiter, ex opere operato gratiam aut remissionem pœnæ consequi.

89 Secunda sententia omnino opposita ait, impletionem pœnitentiæ non solùm habere vim ex opere operato remittendi pœnam temporalem, sed etiam producendi gratiam habitualem. Et hanc sententiam videtur tenere D. Thom. in 3.p.q.8.a.2. ad 2. & Caietan. in eumdem locum. Citatur pro eadem etiam Soto in 4.d.17.q.1.a.2.ad 2. obiect. vbi etiam videtur ei fauere: sed omnino contrarium tenet, vt patet ex loco suprà citato, ad quem etiam se remittit.

D. Thom. Caietan. Soto.

Probatur autè dicta sententia. Primò, quia omne Sacramentum habet vim conferendi gratiam ex opere operato: arqui illa satisfactio est pars Sacramenti: ergo confert ita gratiam. Secundò, quia, vt ostendi tomo 1. quæst. 74. art. 1. dub. 2. concl. 2. quando interim dum durat vsus Sacramenti melioratur dispositio suscipientis; ex opere operato confertur maior gratia: atqui quàm diu durat pœnitentiæ impletio, durat vsus Sacramenti, & melioratur dispositio suscipientis ratione bonorum actuum quos facit: ergo augetur etiam gratia sacramentalis. Tertiò, quia satisfactio non solùm est instituta ad puniendum peccata, sed etiam ad cauendum futura: atqui ad hoc opus est gratia: ergo ipsa hanc confert.

90 Tertia sententia media docet, satisfactionem à sacerdote iniunctam habere vim ex opere operato remittendi pœnas temporales. Ita P. Henriquez l. 5. c. 20. num. 7. Viuald. de satisfact. nu. 13. qui multos alios citant. Et sine dubio est sententia D. Thomæ, & communior Doctorum.

Henriquez. Viuald.

Addunt quidam, quamuis pœnitentiam quantumuis paruam quæ hîc & nunc ratione circumstantiarum; aut dispositionis pœnitentis prudenter à confessario iniungitur, semper tollere omnem pœnam pro peccatis remissis restantem. Ita quædam glossa in cap. *Mensuram.* 85. de pœnitentia, d. 1. v. *Sacerdotis.*

Pœnitentia iniuncta non remittit semper omnem pœnam debitam.

Sed hæc additio non est probabilis; ideòque communiter à Doctoribus reiicitur. Nam ex eo quòd pœnitentia ex opere operato remittat eas pœnas, nullo modo sequitur quòd semper omnes remittat, cùm effectus hic sit diuisibilis: sed remittit maiores vel minores pro sui magnitudine, & dispositione pœnitentis: sicut etiam secundùm dispositionem suscipientis, Sacramenta maiorem aut minorem gratiam conferunt.

Affinis huic sententiæ est ea quam tenet Soto d. 20. q. 2. art. 3. post medium. vbi ait sacerdotem posse efficere vt eadem pœnitentia plus vel minus pœnarum vsque ad certum gradum remittat. v. c. homicidio respondeat pœna vt decem. Tunc putat sacerdotem hoc sibi confitenti posse pro arbitrio plus minúsve de pœnis remittere vsque ad certos gradus, v. c. in casu proposito quinque. Atque ita sint quinque quibus singulis post confessionem restet pœna soluenda vt decem: tunc si imponat vni pœnitentiam ex se satisfactiuam vt quinque, alteri satisfactiuam vt sex, tertio vt septem; quarto vt octo, quinto vt nouem; tunc secundùm illum singuli æquali deuotione implendo totam pœnitentiam, æqualiter satisfacient pro tota pœna; nec vllus antequam totam pœnitentiam impleuerit. Nam quod vnius pœnitentiæ secundùm se deerit, hoc ei sacerdos virtute clauium remittet. Idem docet Gabr. d. 18. q. 1. a. 1. concl. 1.

Soto. Gabriel.

Conclvs. I. Certum omnino est impletionem pœnitentiæ à confessario iniunctæ esse veram partem Sacramenti, non quidem essentialem. quia aliàs sine ea Sacramentum essentialiter perfici non posset; quod tamen falsum est: sed integralem, sicut manus aut pes est pars hominis. Est communis DD. & videtur apertè definita cùm in Florentin. in literis Eugenij, tum maximè in Trident. sess. 14. c. 3. vbi dicitur satisfactionem eatenus esse partem materialem Sacramenti, quatenus ad eius integritatem, ac perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiritur.

91 Impletio pœnitentiæ est pars integralis Sacramenti.

Florentin. Trident.

Conclvs. II. Hæc satisfactio ex opere operato remittit pœnas, & confert suo tempore gratias aliquas præuenientes, quibus iuuetur pœnitens, vt in posterum fugiat peccata.

92 Confert gratias præuenientes, & remissionem pœnæ.

Prior pars est ferè communis Doctorum. Secundam tenet P. Suarez disp. 38. sect. 2. nu. 3. Prob. quia sicut ipsum Sacramentum, ita quæuis eius pars habet vim efficiendi ex opere operato id quod significat, & ad quod efficiendum directè est institutum. atqui hæc satisfactio, vt patet ex Trident. suprà, & communi Ecclesiæ sensu, est instituta cùm ad delendas pœnas temporales, tum vt faciliùs peccata in posterum caueantur: & consequenter cùm Sacramenta significent suum effectum, ipsa etiam hunc effectum significat: ergo habet etiam vim eum ex opere operato efficiendi. Facilitas autem illa vitandi in posterum peccata, datur per gratias præuenientes.

Suarez. Trident.

Conc. III. Eadem pœnitentia sacramentalis eâdem deuotione ac dispositione pœnitentis peracta, semper habet eandem vim delendi pœnas peccatis debitas: nec vllo modo est in potestate sacerdotis facere vt in vno maiorem pœnam deleat, quàm in alio. Probatur, quia sacerdos non potest ex opere

93 Minister Sacramẽti

non potest eius vim minuere aut augere.

operatò alicui aut conferre gratiam, aut remittere pœnas Purgatorij, nisi quatenus potest ei applicare Sacramentum, aut sacrificium, quibus certa ac determinata vis operandi suum effectum indita est, quam applicans nec augere potest, nec minuere. Quia eiusdem est augere aut diminuere vim actiuam Sacramentorum, cuius est hanc eis dare. Sicut igitur solus Christus ac Deus potest hanc dare; ita solus potest eam augere aut minuere. Et confirm. quia secundùm

Scotus. sententiam Soti eadem planè ratione possemus dicere, esse in potestate sacerdotis efficere vt idem Sacramentum æqualiter dispositis inæqualem gratiam conferat. quia ipse non aliter remittit pœnas temporales, quàm conferat gratiam, scilicet applicatione Sacramenti eiusve partis, siue iniunctione pœnitentiæ.

94 Conclvs. IV. Probabilius est hanc satisfactionem non conferre gratiam ex opere operato. Videtur communior sententia. Quia, cùm Doctores communiter hunc effectum ei non tribuant, videntur eum

D. Thom. non agnoscere. Et apertè eam supponit D. Thom. in 4.d.16.q.1.art.1. quæstiunc. 2. ad 3. Quare quamuis loco citato nu. 89. videatur contrarium indicare; credo tamen eum secundùm hunc locu... explicandum qui rationi longè conformior.

Probatur Primò, quia sicut nec integrum Sacramentum, ita nec aliqua eius pars confert vllum effectum quem non significat, siue ad quem conferendum non est instituta: atqui satisfactio non significat collationem gratiæ sanctificantis, nec ad hanc conferendam est instituta, sed ad punitionem & remissionem pœnæ temporalis, & ad facilitandam euitationem peccati futuri: quæ non fiunt per infusionem gratiæ habitualis. quia hæc nec remittit eas pœnas, vt per se patet, ne facilitat exercitium virtutis, aut fugam peccati; sed hoc debet fieri aut per habitus acquisitos, aut per gratias præuenientes, vt ostendi disp.2.n.175. ergo hæc non confert ex opere operato talem gratiam.

Secundò, quia aliàs sequeretur, eum qui ritè confessus & absolutus paulò pòst peccaret mortaliter, & attritus pœnitentiam iniunctam impleret, recepturam gratiam & remissionem peccati. quia, vt ostendi tom. 1.q.62.ar.1. dub.2. quidquid habet vim conferendi gratiam iustificantem ex opere operato, potest in attrito delere peccatum mortale: atqui illud est apertè falsum & contra communem sensum: ergo etiam id ex quo sequitur.

Dices, sequelam maioris esse falsam. Quia peccatum mortale impedit efficaciam ipsius pœnitentiæ in eo factæ. Sed etsi hoc de facto verum sit; tamen posita illa sententia esset falsum in attrito. quia cùm, vt ostendi, tunc illa satisfactio haberet vim remittendi peccatum mortale attrito, nullo modo per hoc à suo effectu posset impediri.

DVBIVM XI.

Ad quid valeat pœnitentia expleta in statu peccati mortalis?

95 Certum est eam valere vt satisfiat præcepto ipsius confessarij. Nam sicut aliis præceptis satisfacit, qui ea implet in peccato mortali, quia ponit ipsam substantiam operis præcepti: ita etiam satisfacit huic. quare non tenetur eam postea repetere. Vnde sequitur etiam sufficere ad integritatem ipsius Sacramenti. quia hæc nihil aliud exigit, quàm vt sat. fiat præcepto confessarij.

Difficultas autem est, Quem effectum habeat

Marsilius, Medina. pœnitentia in peccato mortali impleta? Marsilius in 4.q.11.a.3.concl.2. Medina de pœnitentia tract.2. q.42. §. *Exoigitur*. & alij putant eam etiam pro eo tempore habere suum effectum. Contrà Soto d.19.q. Soto. 1.art.5.concluſ.2. cum quibusdam aliis putat eam numquam habere aliquem effectum.

Communior verò Theologorum sententia est eam 96 non habere effectum, quamdiu is qui eam facit manet in peccato; incipere tamen eum habere statim ac resurgit à peccato. Ita Viuald. de satisfact. n. 12. in fi- Viualdus, ne. P. Suarez disp.38. sect. 8. Henriquez l.5. c.20.n.7. Suarez, Henriquez. qui plurimos alios citant. Prior pars probatur Primò, quia, cùm hic effectus sit secundarius ipsius Sacramenti, videtur pendere à perfistentia primarij effectus, scilicet gratiæ iustificantis, qua peccatum remissum fuit. Secundò, quia, cùm hic effectus debeat fieri per applicationem meritorum Christi, propter quæ pœnitenti remittitur pœna temporalis, quę est quidam affectus amicitiæ, non videtur vmquam concedi inimicis.

Secunda pars probatur. quia, cùm hæc satisfactio, quatenus est pars Sacramenti, sit aliquo modo opus Christi, non videtur omnino esse mortuum, sed tantùm mortificatum, atque ita recedente obice habere suum effectum.

Conclvs. Hæc tota res satis incerta est: quia tamen tertia sententia est ferè communis Theologorum, & habet rationes satis probabiles, videtur cæteris præponenda.

DVBIVM XII.

Quinam possint pœnitentiam semel iniunctam mutare?

97 Nota Primò, nos non agere hîc de casu in quo aut pœnitentia ab initio imprudenter est iniuncta, ita vt vel longè pœnas debitas peccatis quæ pœnitens confessus est, excedat; vel ei sit moraliter impossibilis: aut etsi initio fuerit prudenter iniuncta, postea mutatis circumstantiis est pœnitenti facta moraliter impossibilis, quia eam sine graui incommodo explere non potest. Tunc enim nulla potestate opus est, qua illa in aliam mutetur, sed solùm prudenti iudicio, quo causa cognita iudicetur hîc & nunc, vel ex toto, vel ex parte non obligare.

Similiter non loquimur hîc propriè de eo qui habet potestatem concedendi Indulgentias, de quo agemus commodiùs disp.12. vbi ostendam talem posse per concessionem Indulgentiarum relaxare pœnitentias iniunctas in puram vindictam peccatorum.

Agimus igitur in casu quo pœnitentia verè obligat pœnitentem, & quærimus à quo sine concessione Indulgentiarum commutari possit.

98 Nota Secundò, hunc casum posse esse quadruplicem. Nam potest quæri, an idem possit mutare pœnitentiam à se iniunctam. Secundò, vtrùm Superior possit mutare iniunctam ab inferiore. Tertiò, vtrùm par possit mutare iniunctam à pari. Quartò, an inferior possit mutare iniunctam à Superiore? Rursum quæritur, an vt quis muret pœnitentiam, necessarium sit pœnitentem secundò eadem peccata confiteri.

Prima sententia docet, solum Superiorem posse mutare pœnitentiam iniunctam, idque audita eorumdem peccatorum confessione, nisi pœnitens paulò post confessionem absolutam eumdem confessarium accedat, intra tempus quo secundùm moralem æstimationem possit videri adhuc idem iudicium durare, ita vt sententia non possit dici transisse in rem iudicatam: illud autem tempus definiunt esse vnius aut alterius diei. Ita Soto in 4.d.20.quæst.2.a.3.sub Soto. finem.

Secunda sententia omnino opposita docet, non soldm

solùm eumdem sacerdotem, aut eius Superiorem; verùm etiam inferiorem posse mutare pœnitentiam iniunctam, idque non repetita etiam eorumdem peccatorum confessione. Ita Vivaldus de satisfact. num. 31. Victoria num. 211. & fauet Nauar. c. 26. num. 22. quamuis posset fortè intelligi solùm loqui in casu posito n. 97.

Vivaldus. Victoria. Nauar.

Tertia sententia docet, quemuis posse mutare pœnitentiam iniunctam à pari aut inferiore, etiam non audita eorumdem peccatorum confessione, non tamen iniunctam à Superiore nisi ex præsumpto ipsius consensu, quando non potest facilè adiri.

99 Concl. I. In hac commutatione nihil facit ad rem, vtrùm commutaturus pœnitentiam sit superior, an inferior eo qui eam iniunxit, modò peccata ob quæ iniuncta est, non fuerint illi reseruata. Hanc tenet P. Suarez d. 38. sect. 10.

Probatur, quia, etsi ad absoluendum ac ligandum in hoc foro requiratur potestas iurisdictionis, qua vnus homo altero superior est, quæque ab Ecclesia confertur; tamen nec ipsa absolutio, nec ligatio fit propriè hac potestate, sed potestate Ordinis, quam sacerdos exercet immediatè in persona Christi, & in qua omnes sacerdotes pares sunt. Quare quiuis sacerdos respectu eorum in quos habet iurisdictionem, in hoc foro est supremus sub Christo iudex.

Nullus purus homo in hoc foro est confessario superior.

Ex quo patet falsum esse, quod aliqui asserunt, ideo Superiorem posse mutare pœnitentiam inferioris, quia potest in eius præceptis dispensare: quia nullus purus homo in hoc foro est confessario superior.

100 Conclvsio II. Audita confessione eorum peccatorum ob quæ fuit iniuncta pœnitentia, quiuis sacerdos, qui pœnitentem eadem numquam confessum potuisset ab iis absoluere, potest pœnitentiam commutare etiam in minorem, si iudicet expedire, ita Suarez suprà, & à fortiore tenent auctores secundæ sententiæ, & est ferè communis.

Suarez.

Probatur, quia pœnitens semel à peccatis absolutus habet integrum ius eadem rursus eidem tribunali subiiciendi, & nouum de iis iudicium postulandi, vt patet ex dictis disp. 4. n. 50. Et confessarius habet potestatem eum absoluendi à peccatis, & pœnitentiam ei iniungendi eodem modo ac si numquam fuisset absolutus: quo posito cùm hoc iudicium sit legitimum, poterit se reus ei conformare, quo facto per se quodammodo obligatio prioris sententiæ desinit: sicut etiam videmus in omnibus humanis iudiciis. Nam hoc ipso quo reus suam causam legitimè secundò deducit in iudicium, potest se conformare sententiæ secundi iudicis, & à priore recedere. v. c. sit vnus Episcopus, qui aliquem excommunicarit donec tale quid faciat: poterit hic illius successorem adire, & proposita rursum causa ab eo sententiam accipere, qua prior mutetur; præsertim quando nemo se opponit. Quod maximè locum habet in hoc iudicio sacramentali, in quo omnes legitimi iudices sunt supremi sub Christo, & est præcipuè institutum in vtilitatem pœnitentis.

Nec refert quòd c. *Placuit.* de pœnitentia, d. 6. prohibetur ne pœnitens qui se priùs vni sacerdoti commisit, se postea alteri committat, quia solùm intelligitur de pœnitentiis publicis, in quibus per eiusmodi mutationem politia externa valdè turbaretur. Secus est de hoc foro interno. Demum cùm hæc sit communis sententia DD. & confessariorum praxis, videtur etiam esse communis Ecclesiæ.

Dixi, *qui pœnitentem*, &c. Quia nullus potest mutare pœnitentiam iniunctam ob peccata, à quibus non potuisset priùs absoluere. Quia vt possit mutare pœnitentiam, debet circa illa peccata ferre iudicium eodem modo ac si pœnitens numquam fuisset ea confessus, vt communiter DD. fatentur.

Conclvs. III. Vt confessarius possit mutare pœnitentiam, necessarium est vt pœnitens secundò ei confiteatur peccata ob quæ illa fuit iniuncta. Ita Soto d. 20. q. 2. art. 3. in fine. Siluest. v. *Confessio.* 1. q. 27. P. Suarez d. 38. sect. 10. num. 8. & alij. Probatur, quia, vt patet ex dictis, hæc mutatio debet fieri per actum iudicialem in hoc foro pœnitentiali, qualem nemo potest exercere nisi administrando actu hoc Sacramentum. 101

Soto. Siluester. Suarez.

Dices, videri ad hoc sufficere vt pœnitens alia peccata confiteatur. Sed contra Primò, hoc iudicium necessariò debet versari circa peccata ob quæ iniuncta fuit pœnitentia: quod fieri nequit nisi in hoc iudicio proponantur, quia omnis actus iudicialis debet fieri cognita causa circa quam versatur. Secundò, quia sacerdos non potest pro libitu paruas vel magnas pœnitentias imponere, sed tenetur sequi causæ æquitatem, spectata grauitate peccatorum, aliisque circumstantiis quod fieri nequit sine iudiciali peccatorum cognitione, atque eorum confessione.

Hinc sequitur Primò, hanc conclusionem habere locum etiam tunc quando pœnitens eumdem confessarium accedit, vt pœnitentiam mutet. Quia ipse non potest secundò circa eandem causam ferre iudicium, nisi per confessionem eorumdem peccatorum secundò ad eum deferantur. Excipe tamen casum, quo pœnitens interim dum primum iudicium censetur adhuc moraliter durare, hanc mutationem petit; nimirum priusquam à confessario discesserit; aut saltem eodem die quo confessus est, vel secundùm Sotum & Vivaldum suprà, etiam duobus sequentibus diebus. Sed in hoc casu turius crederem, vt secundò eadem peccata confiteretur, quòd, quamdiu sacerdos meminit præcedentis confessionis, vnico verbo fieri potest, si pœnitens dicat se eadem peccata rursum confiteri, & petere absolutionem & pœnitentiam. 102

Soto. Vivaldus.

Infertur Secundò, vt aliquis sacerdos possit mutare pœnitentiam iniunctam à priore, omnino esse impertinens, quòd huius consensus præsumatur. Quia cùm hic non nisi audita confessione possit eam mutare, nullo modo potest validè consentire vt alter hoc faciat. 103

Infertur Tertiò, pœnitentem nullo modo satisfacere, si loco pœnitentiæ faciat quoduis aliud opus etiam apertissimè longè melius. Primò, quia, cùm non exequatur sententiam iudicis, non potest eius præcepto satisfacere. Sicut etiam nullo modo satisfacit præcepto Ecclesiæ, qui loco ieiunij ad quod obligatur, facit alia opera longè meliora. Secundò, quia secundum illud opus cùm non sit ei iniunctum virtute clauium, non potest habere rationem pœnitentiæ sacramentalis.

Non satisfit pro pœnitentia per opus melius.

Infertur Quartò, eum qui ratione obliuionis, aut aliter factus est impotens implere pœnitentiam, siue id factum sit cum peccato ipsius, siue sine eo, non teneri eius loco aliqua alia opera satisfactoria facere: & quamuis ea faceret, si postea fieret potens implere pœnitentiam, eodem modo teneretur eam implere, ac si illa non fecisset. Sicut qui eò quòd perdidisset suum breuiarium esset factus impotens legere Horas canonicas, non teneretur alias preces earum loco recitare: nec eas recitando tolleret obligationem legendi Horas, si fortè postea aliud breuiarium reperiret.

Obliti sæ pœnitentiæ non tenetur eius loco alia opera facere.

DISPVTATIO XI.

DE

PVRGATORIO.

HACTENVS disputauimus qua ratione possimus in hac vita obtinere remissionem peccatorum tam secundùm culpam, quàm secundùm pœnam: quia tamen sæpè contingit aliquos ex hac vita decedere antequam pro peccatis plenè satisfecerint, disputandum nobis est qua ratione post hanc vitam purgari possint. Qua in re tres sunt præcipuè difficultates, Prima est cum hæreticis, qui negant vllas animas iustorum post hanc vitam à peccatis purgari. Secunda versatur circa pœnas & statum earum animarum quæ in Purgatorio sunt. Tertia circa modum quo à nobis iuuari possunt.

DVBIVM I.

Vtrùm aliquæ animæ post hanc vitam in Purgatorio pœnis temporalibus expientur?

1 *Lutherus.* VAriè olim diuersi hæretici circa hanc quæstionem errarunt: sicut etiam Lutherus initio cum suis variè de ea sensit: tandem tamen tam ipse quàm alij omnes huius temporis hæretici in hoc conspirarunt, vt omnino negarent vllum esse Purgatorium, siue locum in quo illi qui moriuntur in gratia, antequam omnino pro peccatis satisfecerunt, temporalibus pœnis puniuntur & purgantur. Ad quod non tam certa aliqua ratione mouentur, quàm quadam anaritia, vt scilicet habeant occasionem euertendi omnia monasteria, & anniuersaria Sacra, quæ in subsidium istarum animarum fundata sunt.

Partem igitur affirmatiuam vniuersa semper ab initio tenuit Ecclesia, & tandem clarissimè definierunt Concil. Florent. sess. vlt. in decreto fidei. & Trident. *Florentin. Trident.* sess. 6. can. 30. eamque plurimi qui contra hæreticos scripserunt hoc nostro æuo doctissimè tam ex Scripturis quàm ex Patribus probarunt: & inter alios pulcherrimè Card. Bellarm. lib. de Purgatorio, P. Gregorius à Valentia, in 3. p. d. 11. q. 1. & P. Suarez disp. 45. *Bellarm. Valentia. Suarez.* sect. 1. Quare cùm ab his res tota luculentissimè sit discussa, eam tantùm breuiter percurram, vt qui hæc legunt possint habere aliqua fundamenta, ex quibus fidem catholicam contra hæreticos tueantur.

2 Probatur Primò, ex 2. Machab. cap. 12. vbi dicitur *2. Mach. 12.* Iudas Machabæus collegisse pecunias, & misisse duodecim millia drachmarum Hierosolymas vt offerretur sacrificium pro iis qui ceciderant in bello. & subditur: *Benè & religiosè de resurrectione cogitans.* (*Nisi enim eos qui ciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis.*) *Et quia considerabat quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur.* Vbi expresè dicitur, & exemplo non vnius Iudæ sed omnium tunc piorum Iudæorum (qui in hoc factum pecunias contulerant) probatur, hoc est & religiosè eos facere, qui pro defunctis orant vt à peccatis soluantur, quod omnino vanum esset, si nulli defuncti aliquibus peccatis, siue peccatorum pœnis persoluendis ligarentur, à quibus per nostras preces possent solui.

Contra hunc locum hæretici obiiciunt Primò, librum hunc non esse canonicum, quod probant Primò, quia eius auctor in fine petit sibi concedi veniam, si qua in re errarit, quod in scriptorem hagiographum non cadit. Secundò, quia in eo laudatur Rasias quòd seipsum occiderit. quod tamen impium est. Tertiò, quia in duobus illis libris sunt aliquot antilogiæ. Quartò, quia D. August. l. 1. cap. 31. contra Gaudentium, dicit eos libros sobriè legendos esse, quasi suspecti sint. Quintò, quia auctor videtur supponere animas simul cum corporibus mori, quia sentit iis non profuturas nostras orationes nisi esset resurrectio. Illud autem est omnino impium. 3 *D. August.*

Obiiciunt Secundò, quòd Iudas ibi dicatur orasse pro iis, qui erant mortui in peccato mortali. Erant enim occisi, quia acceperant sibi donaria idolorum, quod Deuteron. 7. v. vlt. erat prohibitum, quare illis preces prodesse non poterant. Tertiò, quod ex eo quòd illi orabant pro defunctis, non sequatur eos fuisse in Purgatorio. Nam poterant illi hoc solùm facere, vt ostenderent suum in eos affectum. Et sic etiam respondent, quando docemus Patres orasse pro defunctis. Quartò, quòd Machabæi exemplum non faciat legem, potuit enim in eo errasse. *Deuter. 7.*

Sed hæc planè ridicula sunt. Ad Primum Respondeo, hoc repugnare communi Ecclesiæ sensui. Nam Concilium Carthag. 3. can. 47. Innoc. I. epist. 3. ad Exuperium cap. vlt. D. August. lib. 18. de Ciuit. c. 36. & D. Hieronymus in prolog. horum librorum, hunc librum inter canonicos numerant. 4 *Concil. Carthag. 3. Innocent. I. D. August. D. Hieron.*

Ad Primam probationem Respondeo, falsum sumi. Nam auctor nullo modo petit veniam errorum, sed tantùm petit sibi condonari, si quid minùs concinnè & eleganter narrauerit. quod facilè in hagiographum cadit.

Ad Secundam Resp. non laudari ibi factum Rasiæ, sed tantùm narrari fortitudinem animi ipsius in contemnenda morte. Adde, omnino credibile esse eum oppetiisse mortem ex singulari Dei instinctu, qui potuit ei dare veniam seipsum occidendi, sicut de multis martyribus legimus: quæ tamen exempla admiranda magis sunt quàm imitanda: ideoque D. August. monet *D. August.* vt cautè ea legamus, ne putemus nobis similia licere, quæ nulli sine singulari Dei instinctu licent. Ex quo patet solutio quartæ probationis.

Ad Tertiam Respondeo, non esse veras, sed solùm apparentes antilogias, quod multis alijs Scripturæ locis vsu venit: vt patet vel ex sola oratione, quã Actor. 7. habuit B. Stephanus, in qua v. 2. 5. 6. 14. 16. septem vel octo dicuntur, quæ videntur repugnare ijs, quæ dicuntur Geneseos cap. 12. 23. 33. 50. & Exodi 1. & ad Galat. 3. Et ideo tamen docti non reijciunt hanc orationem à Scriptura canonica, sed studiosè laborant vt eas apparentes antilogias concilient. *Actor. 7. Genes. 12. 23. 33. 50. Exod. 1. Galat. 3.*

Ad Quintam, nego auctorem hoc vllo modo sentire, sed ex communi tunc Hebræorum sensu supponit idem esse, non esse resurrectionem mortuorum, & animas esse mortales. Et ex eo quòd anima sit immortalis, sequi esse resurrectionem mortuorum: sicut etiam idem eodem modo vbique Scriptura supponit: vt patet 1. ad Corinth. 15. v. 29. ac seqq. & sæpè alibi. *1. Cor. 15.*

5 Ad Secundam obiectionem Respondeo, Iudam piè ac probabiliter credidisse tales vel omnes, vel saltem ex parte, aut ratione ignorantiæ fuisse excusatos à graviore peccato: aut in ipsis mortis angustiis diuina gratia præuentos doluisse de peccato, & ita veniam obtinuisse. Ad hoc autem credendum valido argumento mouebatur, quòd illi omnes magno zelo legis ac honoris Dei permoti animas suas maximis periculis obiecissent. Quare non est credibile eos scienter voluisse contra legem peccare, pro cuius defensione ipsam mortem fortiter contemnebant. Aut si ex imbecillitate peccabant, omnino credibile est, diuinam bonitatem, quæ eos ad aliorum exemplum corporaliter puniebat, pro tam pio opere dedisse eis gratiam, qua à morte spirituali resurgerent, quod apertè indicant illa verba, *Et quia considerabat quòd hi*, &c.

Ad Tertiam Respondeo, eam apertè repugnare textui, in quo significatur eos orasse pro ijs vt soluerentur à peccatis; & hoc tamquam pium laudatur, & omnino vanum esset orare pro aliquo solùm vt ostendamus nostrum in eum affectum, quando credimus orationem ei nullo modo posse prodesse. Et quamuis ex eo quòd illi orabant pro mortuis, non sequatur hos verè fuisse in Purgatorio; benè tamen sequitur, illos putasse eas animas posse esse in tali statu, in quo adhuc peccatis ligatæ, nostris precationibus iuuari possent, quod nos solùm contendimus.

Ad Quartam Respondeo, illud factum non fuisse solius Machabæi, sed totius exercitus; & ex eo clarè probari quæ fuerit illo æuo Iudæorum hac de re opinio: quæ cùm à Scriptura laudetur, non potuit esse malè fundata.

6 Probatur Secundò, ex 1. ad Corinth. 3. vbi Apostolus ait: *Vnusquisque autem videat quomodo superædificet.* 1. Cor. 3. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: vniuscuiusque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet; si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Vbi Nota Primò, Apostolum hîc comparare fideles & præsertim concionatores (de his enim primò & per se loquitur, & rantùm consecutiuè de aliis) diuersis hominibus, qui in ciuitate benè fundata super firmam petram diuersas domos ædificant, aliqui ex pretioso marmore, auro, argento, & simili materia, quæ ab igne non læduntur: alij ex ligno, fœno, stipula, quam ciuitatem si contingat incendi, & lapides, aurum & argentum manent illæsa: lignum, fœnum, stipula consumuntur, & is qui intus est patitur detrimentum, & ambustus effugit.

7 Nota Secundò, quod dicitur hîc, *Dies enim Domini*, Græcè haberi, ἡ γὰρ ἡμέρα, id est *ipsa*, siue *illa dies*, scilicet Domini: per quam antonomasticè intelligitur 1. Tim. 4. dies extremi iudicij, iuxta illud 1. ad Timoth. 4. *Quam reddet mihi Dominus in illa die*, & alibi. Idemque dicitur dies Domini Sophoniæ 1. *Iuxtà est dies Domini* Sophon. 1. *magnus.* Et Ioëlis 2. *Venit dies Domini*, &c. Et hic pro- Ioël. 2. priè reuelabitur in igne iuxta illud Psalm. 96. *Ignis* Psalm. 96. *ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Et in illo, toto mundo qualia sunt omnium mortalium opera, clarissimè demonstrabitur. Quem diem secundùm textum Græcum dicit Apostolus reuelari in præsenti: quia Apostoli ex præcepto Dei diem iudicij vbique tamquam mox futurum, & quasi iam præsentem denuntiabant. Similiter per ignem primò & per se intelligit ignem quo orbis ante iudicium conflagrabit, qui simul expiabit peccata fidelium, si quæ adhuc expianda restent: secundariò tamen per *illum diem* intelligit etiam diem mortis, & iudicij particularis cuiusque fidelis. Quia quod ad rem attinet, vnum idemque iudicium exercetur, eademque sententia circa vnumquemque fertur hora mortis ipsius, quæ refertur in extremo iudicio. Quare hi dies hic ab Apostolo, & sæpè aliàs in Scriptura confunduntur, quasi vnus ac idem esset. Sic quia excidium & desolatio vrbis Hierosolymitanæ erat typus extremæ desolationis totius mundi; Christus Matth. 24. & Lucæ 21. vtraque confundit, & de ijs quasi eodem tempore futura effert, loquitur. Similiter sub igne quo purgabuntur fideles in fine mundi, subintelligit etiam ignem Purgatorij, quem tamquam satellitem Christo iudici astare facit paratum punire peccata in ipsum commissa, hic autem ignis probat singulorum opera; illos, qui aurum & lapides pretiosos ædificarunt, non attingendo. Sicut ignis immissus in ciuitatem diceretur probare illa ædificia, siue demonstrare esse ex materia incombustibili constructa, quæ nullo modo attingeret, cùm alia omnia depasceret. Item eos, qui lignum, fœnum, stipulas superædificarunt, comburendo & puniendo; & ita probabit eorum opera esse mala, ostendendo eos commisisse aliquid combustibile, siue propter quod digni erant, qui igne punirentur; atque ita salui erunt, *sed quasi per ignem*: quia illo igne non consumentur, sed purgabuntur, vt sublata omni coinquinatione, quæ in regnum cœleste intrare non potest (vt dicitur Apocal. 21. v. 27.) ipsi omnino puri æterna gloria perfruantur. Apoc. 21.

Iudicium particulare & voluntarie sæpè in Scriptura pro eodem accipitur. Matth. 24. Luc. 21.

8 Hæc huius loci explicatio videtur maximè genuina & consona textui. Alij varij varias adferunt, vt videre est apud Card. Bellarm. & P. Suarez citatos n. 1. Bellarm. Suarez. Ferè tamen omnes huius loci interpretes, atque etiam Patres ex eo probant Purgatorium, vt ex eorum scriptis & dictis auctoribus patet, & ex textu clarè colligitur. Nam certum est Primò, per diem Domini intelligi, aut diem iudicij extremi, aut particularis, quo quisque statim à morte iudicatur: vt patet ex Scriptura, quæ vbique tempus vitæ nostræ vocat *tempus nostrum*: quia nobis ad pœnitentiam datum est. Luc. 19. *Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi*: aut etiam quia Deus nos hîc permittit nostro arbitrio multa agere. Sic Lucæ 22. Christus ait Iudæis *Hæc est hora vestra.* Contrà dies iudicij dicitur dies Domini, vt patet ex locis suprà citatis; quia ipsa tunc suo arbitrio peccata punier, prout iustitia exigit.

Luc. 19. Hoc tempus dicitur nostrum, tempus iudicij, dies Domini. Luc. 22.

Secundò, apertè ex loco Apostoli constat, in illo die, siue post tempus huius vitæ nostra opera per ignem esse probanda, & futurum vt aliquorum opera ita ardeant, vt ipsi detrimentum patiantur, siue, vt in græco habetur, mulctentur ac puniantur: ita tamen vt ipsi deinde salui sint, quod (quidquid quidam Græci dicant) nullo modo potest intelligi de damnatis, qui nullibi in Scriptura dicuntur saluari, sed æternùm perire. Quare necessariò debet intelligi de illis, qui sunt futuri beati. Ex quo apertè concluditur, aliquorum iustorum peccata post hanc vitam temporali pœna puniri, quod hac disputatione contra hæreticos contendimus.

9 Probatur Tertiò, ex 1. ad Corinth. 15. vbi Paulus contra quosdam iudaizantes, & negantes resurrectionem mortuorum disputans, ait: *Alioquin quid facient,* 1. Cor. 15. *qui baptizantur pro mortuis; si omnino mortui non resurgunt? Vt quid & baptizantur pro illis?* Quasi dicat, Frustra & inaniter id faciunt: quia si mortui non resurgunt, sequitur (vt omnes communiter fatentur) animam simul cum corpore extingui, atque ita nullo modo suo baptismo possunt mortuis prodesse.

Vbi Nota Primò, Apostolum hîc disputare contra quosdam hæreticos iudaizantes & sequentes sectam Saducæorum, qui negabant animæ immortalitatem, ac corporum resurrectionem, illosque confutare ex

communi Iudæorum consuetudine, qui ex traditione à maioribus accepta, solebant baptizari pro mortuis.

10 Nota Secundò, baptismum hîc aut sumi metaphoricè pro lamentis, lacrymis, pœnitentiis, afflictionibus, operibusque pœnosis, quæ ipsi pro defunctis assumebant, quod in Scriptura frequentissimum est. Marci 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo; aut baptismo quo ego baptizor, baptizari?* Et Luc. 12. *Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur!* Vbi passionem suam vocat baptismum. Sic Psal. 123. dicitur: *Torrentem pertransiit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Vbi afflictiones vocat *aquam*, & pertransire aquam, siue in ea immergi ac baptizari, idem est quod affligi. Aut etiam potest dici accipi propriè pro ablutione qua Iudæi abluebantur ante sacrificia, & consequenter pro ipso sacrificio. Dicuntur igitur apud Apostolum *baptizari pro mortuis*, qui pro iis se affligebant, aut sacrificabant, vel potiùs vtrique. Nam Iudæos vtrumque facere solitos patet ex Gen. 50. vbi Ioseph cum suis per septem dies fletu magno fleuit pro patre suo. & ex 2. Reg. 3. vbi Dauid iussit populum accingi saccis, & cum eo ieiunans vsque ad vesperam fleuit pro Abner occiso. Et 1. 2. Mach. 12. vbi Iudas cum toto populo curauit pro occisis in bello offerri sacrificia. Apostolus igitur ex hac vniuersali & antiquissima Iudæorum consuetudine probat resurrectionem mortuorum, quia hæc scilicet vanissimè fierent, si mortui non resurgerent, siue, quod idem est, si anima simul cum corpore interiret. Quare eodem modo frustra hæc fierẽt, si omnes mortui statim à morte essent aut damnati, aut beati, nec vllis iustis restarent vllæ pœnæ, à quibus liberari possent, persoluendæ, quia illæ afflictiones ac sacrificia illis nullo modo possẽt prodesse. Quare vanissimi fuissent tam Ioseph, quàm Dauid, qui pro mortuis se afflixissent, ac fleuissent, si hæc illis prodesse non poterant.

Marc. 10. *Luc. 12.* *Psal. 123.* *Genes. 50.* *2. Reg. 3.* *2. Mach. 12.*

Vanè flemus pro mortuis si hoc iis non prosit.

11 Quod autem hæretici respondent, illos solùm ea fecisse luctus ostendendi causa, nimis frigidum est, & tantis viris indignum: qui tanta afflictione ac labore nihil aliud egissent, quàm vt mollitiem animi sui omnibus ostentarent, vt qui suorum mortem celso animo ferre non possent. Quod maximè confirmatur responso Dauidis, qui 2. Reg. 12. rogarus cur filio nato sibi ex Bethsabee, adhuc viuo ac ægrotante fleuisset ac ieiunasset; eo autem defuncto luctum omnem deponeret, ait: *Propter infantem dum adhuc viueret, ieiunani & fleui: dicebam enim, Quis scit si fortè donet eum mihi Dominus, & viuat infans? Nunc autem quia mortuus est, quare ieiunо? numquid potero reuocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum*, &c. Clarè docens vanissimum esse affligere se pro mortuis, quibus ea ratione prodesse non possumus: qualis erat ille infans, quem sciebat nullas habere pœnas temporales persoluendas, quia ipse nondum poterat peccare. Qui plura loca Scripturæ pro hac sententia velit videre, videat Card. Bellar. suprà libr. de Purgatorio. hæc enim nobis sufficiunt.

2. Reg. 12. *Bellarm.*

12 Probatur Quartò, ex vniuersali totius ab initio Ecclesiæ consensu, quæ semper curauit orari pro defunctis, vt patet Primò, ex antiquissimis liturgiis ac libris ritualibus; D. Iacobi, D. Marci, D. Basilij, Æthiopum, ac Romana, quæ creditur esse D. Petri, quæ habent initio to. 6. Bibliothecæ SS. Patrum, in quibus omnibus instituuntur certæ preces pro defunctis.

Secundò, ex consensu omnium Patrum, qui semper communiter senserunt orandum esse pro defunctis quod vanissimè fecissent, si hoc non potuisset iis prodesse: nec prodesse potuisset, si omnes statim à morte essent damnati aut beati, nec vlli pœnas aliquas temporales paterentur. Quare hæreticis contrà obgannientibus hîc iterum ingerendum illud D. Augustini epistola 118. ad Ianuarium, vbi ait: *Similiter etiam, si quid hoc in tota (scilicet Ecclesia) per orbem frequentatur; (scilicet tamquam rectè factum supponendum est.) Nam hoc quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Si quis autem velit consensum hac in re omnium Patrum videre, legat Cardin. Bellarm. ad P. Suarez citatos nu. 11. Nobis sufficiet vnius aut alterius auctoritatem attuliſſe.

Augustin. epist. 118.

13 D. Ambrosius l. 2. epistola 8. ad Faustinum agens de obitu sororis ait: *Itaque non tam deplorandam quàm prosequendam oratione reor, nec mœstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendandam arbitror.* & D. Chrys. homil. 41. in priorem ad Corinth. *Iuuetur*, scilicet mortuus, *non lachrymis, sed prece, supplicationibus, eleemosynis, oblationibus.* D. Aug. l. de cura pro mortuis, vbi totus ferè est in hac re suadenda c. 1. ait: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi usquam in Scripturis veteribus omnino legeretur; non parua tamen est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas: vbi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Vbi ex testimonio D. August. discimus, totius Ecclesiæ consuetudine & auctoritate probari, vt pro fidelibus defunctis orent: nec hoc fit ob alium finem nisi vt iuuentur, ac à pœnis suis liberentur. Quare aut hæretici damnent suam sententiam, aut totam Ecclesiam erroris arguant; & contra promissionem Christi Matth. 16. dicant portas inferi contra eam prævaluisse.

D. Ambros. *D. Chrysost.* *D. August.* *Matth. 16.*

Solùm hîc notanda est quorumdam hæreticorum impudentia, qui relictis multis clarissimorum Patrum testimoniis, quibus clarissimè asserũt fidelium animas sæpè adhuc temporalibus pœnis post hanc vitam purgari, & nostris precibus iuuari posse, adferunt quædam loca D. August. & aliorum, in quibus dubitanter disputant de modo, quo animæ illæ puniuntur, quasi ipsi de re ipsa dubitarent, quam tamen apertissimè & constantissimè asseruntur.

14 Probatur Quintò, quia, vt ostendi suprà d. 2. dub. 12. sæpissimè contingit vt post remissam culpam restet nobis aliqua pœna persoluenda: & consequenter sæpè contingit vt quis moriatur antequam pro omni tali pœna satisfecerit: ergo tunc debet alicubi satisfacere vel satisfacta post hanc vitam. Nulla enim est ratio cur dicamus Deum tunc relinquere ea peccata impunita, aut omnes eas pœnas remittere. Eadémque est ratio eorum qui subitò moriuntur cum solis peccatis venialibus, qui post hanc vitam purgari & puniri debent: ergo aliqui post hanc vitam temporalibus pœnis puniuntur: quod nos asserimus.

15 Obiiciunt hæretici Primò, nullibi exstare in Scripturis nomen Purgatorij, aut præceptum orandi pro defunctis. Sed hæc nugatoria sunt, nec contra nos faciunt. Nec enim de nomine, sed de re disputamus quã clarè ex Scriptura probauimus. Nec opus fuit vt Scriptura nobis præciperet, vt oraremus pro defunctis; sed debet nobis sufficere quòd proferat ac laudet facta eorum, qui illud fecerunt, vt nos ea etiam laudabiliter imitemur.

16 Obiiciunt Secundò, Ecclesiastæ 11. dicitur, *Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, ergo non datur locus in quo animæ purgandæ ad tempus permaneant. hinc Matth. 25. omnes mittuntur vel ad cœlum, vel ad infernum, nulli ad Purgatorium. Et Apocal. 14. dicitur, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodò iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis*, ergo non patiuntur amplius post hanc vitam. Confirmant hoc demum ex quibusdam locis Patrum, qui videntur tantùm duo receptacula mortuorum agnoscere.

Eccle. 11. *Matth. 25.* *Apocal. 14.*

Respondeo Primò, si hæc aliquid valerent, euerterent communem hæreticorum sententiam docentium secum pugnant. animas iustorum non admitti

in cælum, sed clausas teneri sub altari, quare vltra duo illa loca, tertium vsque ad diem iudicij coguntur admittere. Deinde Respondeo, Ecclesiastem solùm asserere statum gratiæ, vel peccati siue odij Dei, post hanc vitam esse immutabilem: & siue homo iustus ac amicus Dei, siue peccator & filius gehennæ moriatur, perpetuò talem futurum. Aliàs deberemus dicere, Patres perpetuò permansuros in limbo, in quo ante Christi aduentum detinebantur, nec vnquam fruituros visione beatifica.

Matth. 25. Christus autem Matth. 25. loquitur de statu animarum futuro post iudicium, qui solùm erit duplex, scilicet beatorum & damnatorum. Eodem modo D. Ioannes in Apocal. loquitur de statu futuro post hanc vitam, vt patet ex contextu. Similiter etiam Patres asserentes tantùm esse duo loca, quibus recipiantur animæ defunctorum, loquuntur de locis ac statibus in æternum permanentibus, quia disputant contra Pelagianos, qui etiam post diem iudicij comminiscebantur futurum tertium locum, in quo pueri mortui sine baptismo perpetua quadam beatitudine fruerentur, quod Patres impugnant & damnant. Aliàs quæ fuerit eorum mens de Purgatorio satis ex dictis constat.

Obiiciunt quædam alia, sed quæ non sunt vllius momenti; quæ vide, si lubet, apud Card. Bellarm. suprà.

DVBIVM II.

Quo loco sit Purgatorium?

17 NOta Theologos, præter cælum communiter, quatuor animarum receptacula constituere. Primò, infernum damnatorum; quem fide constat esse

Prouerb. 9. & 15. locum subterraneum circa centrum terræ. Nam Prouerb. 9. dicitur, *In profundis inferni conuiuæ eius.* Et 15. *Semita vitæ super eruditum, vt declinet de inferno nouissimo.* hinc vbique Scriptura opponit cælum inferno,

Iob. 11. tamquam loca remotissima sursum ac deorsum. Iob. 11. *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces?* Similia habes Psal. 138. Isaiæ 14. & alibi. Quare insulsus omnino Caluinus est, qui l. 2. Instit. c. 16. & l. 3. cap. vlt. negat infernum sub terra esse,

Psalm. 138. Isaiæ 14. Caluinus. vultque animas damnatas nullo certo loco concludi, nec aliud pati quàm quòd apprehendant Deum sibi iratum, quod apertissimè dictis Scripturæ locis, &

Matth. 25. Matth. 25. repugnat.

18 Secundus locus est limbus puerorum qui sine baptismo moriuntur, & solam pœnam damni æternùm patiuntur. Quem locum omnino coniunctum esse in-

Florentin. ferno, videtur insinuare Florent. sess. vlt. vbi dicit animas eorum qui in peccato mortali, aut solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen imparibus puniendas. Quare hic tam à Concilio, quàm à Patribus sub inferni nomine comprehenditur, quasi vnus locus.

Tertius locus est in quo ante Christi aduentum, iusti ab omni peccato purgati post mortem detinebantur, sinus Abrahæ in Euangelio dictus: quem fuisse subterraneum apertè colligimus ex Symbolo, vbi

Ephes. 4. dicitur Christus *descendisse ad inferos.* Et ad Ephes. 4. *in inferiores partes terræ*: nimirum ad Patres ex limbo liberandos: vt Catholici omnes docent.

Quartus locus est Purgatorium, in quo decedentes in gratia, persoluunt pœnas peccatorum, pro quibus hîc non satisfecerunt. Quamuis autem quidam putent eas animas non vno sed variis locis puniri; tamen communis Theologorum sententia est, eas certo loco subterraneo puniri, quod etiam videtur omnino conueniens. Nam cùm sint rei, conuenit vt in carcere detineantur, donec vltimum quadrantem soluerint: vt ex Euangelio etiam colligitur.

Conuenit præterea inter Theologos, infernum inter hæc loca esse profundissimum, & centrum mundi occupare: & omnino consonat Scripturis citatis. Qualis autem inter reliqua tria ordo sit, DD. inter se varia sentiunt, nec ex vllo fundamento potest aliquid certi probari. Quare non duxi hæc fusiùs disputanda. Qui plura videre desiderat, legat P. Suarez hic d. 45. sect. 2. *Suarez.*

DVBIVM III.

Quas pœnas anima in Purgatorio patiantur?

HAnc difficultatem varij variè explicant. D. Bonauent. in 4. d. 20. p. 1. art. 1. q. 2. & 3. Soto d. 19. q. 3. art. 2. Cardin. Bellarm. l. 2. de Purgatorio c. 10. 11. 12. 13. 14. P. Valentia in 3. p. disp. 11. q. 1. puncto 2. & fusissimè P. Suarez d. 46. sect. 1. & 2. Qui in quibusdam rebus varia inter se sentiunt; partim ob quasdam visiones, quæ apud Bedam aliosque leguntur; partim quia res hæ magna ex parte nobis obscuræ sunt, & in multis non sunt ita certa fundamenta, ex quibus hanc vel illam partem possimus clarè probare. Quare in iis solùm breuiter probabiliores Theologorum sententias proferam cum breui ratiuncula. Qui plura voler, dictos auctores consulat. 19 *D. Bonauent. Soto. Bellarm. Valentia. Suarez.*

Concl. I. Certum est omnes animas quandiu sunt in Purgatorio carere visione beatifica. Est communis DD. Primò, quia nemo videt Deum nisi plenè purgatus ab omni reatu peccatum consequente. Secundò, quia, sicut ipsæ merentur adhuc pœnis temporalibus puniri; ita etiam priuari visione Dei, cum qua nulla afflictio connaturaliter potest consistere. Adde etiam, omnino esse indecens, dignum puniri tanta beatitudine perfrui. Quare hæc temporalis beatitudinis priuatio habet verè rationem pœnæ. 20 *Cum visione Dei nulla afflictio connaturaliter consistere potest.*

Conclvs. II. Dilatio hæc beatitudinis eas etiam aliqua molestia afficit. Cùm enim iam perfectè cognoscant maximum esse bonum, Deum videre, fieri naturaliter nequit, quin hoc valdè desiderent. *Spes autem quæ differtur, affligit animam.* Prouerb. 13. Et in hanc conclusionem etiam communiter Doctores cósentiunt; disputant tamen vtrùm hic dolor vehemens sit? D. Thom. in 4. d. 21. q. 1. a. 1. quæstiunc. 3. Soto d. 13. a. 3. concl. 2. & quidam alij putant, hanc pœnam iis animis esse acerbiorem, quàm sint vllæ aliæ pœnæ, tam huius vitæ, quàm Purgatorij. Quia, cùm perfectè apprehendant beatitudinem esse summum bonum, vehementissimè eam desiderant, & consequenter vehementissimè dolent se ea priuari. 21 *Prouerb. 13. D. Thom. Soto.*

Contrà D. Bonauent. in 4. d. 20. p. 1. a. 1. q. 2. & Cardin. Bellarm. l. 2. de Purgatorio c. 14. cum aliis putant, hunc dolorem non esse tam vehementem. Primò, quia, etsi beatitudo perfectè ab iis cognita excitet in iis summum sui desiderium, ita vt mallet quiduis ferè pati, quàm ea diutiùs carere: atque ita eius dilatio sit nata excitare magnam tristitiam; hæc tamen in illis animabus multùm lenitur gaudio quod percipiunt ex certissima illius spe. Secundò, quia illæ animæ habent omnes suas passiones perfectè domitas, quare cùm possint facilè talem tristitiam vitare, nulla videtur ratio, cur eam sponte assumant: præsertim cùm hoc videatur non nihil repugnare summæ illi animi æquitati, qua se totaliter diuinæ voluntati conformant, & in eius dispositione conquiescunt. *D. Bonauent. Bellarmin.* Dilatio beatitudinis non ita grauiter affligit existentes in Purgatorio.

Confirm. quia etiam antiqui Patres in limbo non minùs intelligebant quantum esset bonum, videre Deum: & quamuis ex huius dilatione aliqualem susciperent molestiam: vt patet ex illis eorum ardentibus desideriis, quæ nobis exprimit Isaias c. 45. & 64. inducens eos his vocibus Christum inclamantes: *Rorate cæli desuper & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet saluatorem.* Item, *Vtinam dirumperes cælos* 22 *Sicut nec olim Patres in limbo.* *Isaiæ 45. & 64.*

& descenderes, &c. illam tamen fuisse omnino moderatam, & per se est omnino credibile; & patet ex illo Abrahæ de Lazaro Luc. 16. testimonio, *hic consolatur.* Quare igitur non dicamus idem de animabus existentibus in Purgatorio?

Luc. 16.

23 Dices, esse diuersam rationem; Primò, quia existentes in limbo sciebant se ibi hærere non ob propriam vllam culpam, à qua iam omnino erant purgati. Secundò, sciebant se non posse tali dolore accelerare suam beatitudinem. Contrà animæ in Purgatorio sciunt se ibi ob propriam culpam detineri, & ille dolor potest illis seruire pro purgatione peccati, & consequenter pro celeriore liberatione. Sed hæc non videntur satisfacere. Nam ex priore differentia tantùm sequitur, animas illas grauiter dolere se commisisse talia peccata, ob quæ merentur ad tempus priuari visione Dei; non autem eas propriè dolere, quia hæc visio differtur. Nam damnum quod patiuntur secundùm se præcisè in vtrisque est æquale. In secunda verò sumitur, has animas per illam tristitiam minuere debita sibi supplicia, quod non videtur verum. Quia neque per eam hæc minuunt per modum satisfactionis, quia, vt omnes fatentur, tempus satisfactionis cum hac vita finitur: neque per modum satisfactionis, quia, vt ostendi disp. 10. num. 2. & 35. ad hanc necessariò requiritur, vt pœna à iudice infligatur: illa autem pœna non potest dici à Deo infligi, aut propriè habere rationem pœnæ, cùm ab ipsis animabus sponte assumatur. Quare etsi credibile sit eas animas aliquam tristitiam accipere ob peccata à se commissa; non tamen credo eas ita vehementer se iam ideò affligere, quia frustra fieret: nisi fortè dicamus eas à Deo necessitari ad tam vehementem tristitiam: sicut necessitantur damnari, vt continuò vehementissimè doleant, se priuari beatitudine, atque ita tristitia haberet rationem pœnæ, & minueret debita supplicia, quod probabiliter quidem dicitur, sed certò probari non potest.

Animæ in Purgatorio per spontaneam tristitiam non possunt libertionem suam accelerare.

24 CONCLVSIO III. Certum etiam est eas animas pati præterea aliquam pœnam sensus: & quidem aliquas ex ijs grauissimas, quæque omnes pœnas huius vitæ longè superent. Ita communiter DD. & Patres. D. August. in Psalm. 3. explicans versum primum, *Quamos*, ait, *salui* (scilicet futuri sint) *per ignem: grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.* Idemque docet D. Gregorius eundem versum explicans. Item D. Anselm. in c. 3. prioris ad Corinth. *Secundum*, ait, *quòd grauior est ille ignis, quàm quidquid homo pati potest in hac vita.* Consentiunt etiam alij Patres, & Beda ac similes, qui apparitiones diuersarum animarum descripserunt. Ratio est, quia conuenit vt qui se iniustè peccatis obligarunt, & tempus misericordiæ huius vitæ, quo facilè potuissent pro iis satisfacere, neglexerunt, pro iis postea iustè puniantur, idque seueriissimè, cùm iam non sit ampliùs misericordiæ, sed iustitiæ tempus.

D. Aug. — D. Greg. — D. Anselm. — Beda.

25 CONCLVS. IV. Videtur etiam certum, saltem aliquas ibi torqueri vero & propriè dicto igne, hæc est etiam communis. Et colligitur apertè ex illo Apostoli 1. ad Cor. 3. *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Vbi eum loqui de vero igne quo ibi animæ puniuntur, ostendi n. 7. Illud autem, *quasi per ignem*, non significat tantùm quamdam similitudinem, sed more Hebræo veritatem. Sicut illud Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam, quasi vnigeniti à Patre.* Probatur, quia, vt patet ex dictis n. 24. est communis sententia Patrum atque etiam DD. Vnde in Concil. Florent. sess. vlt. hoc senserunt omnes Latini ibi congregati. Græci tamen etsi consenserint eas animas pati aliquas pœnas, negarunt tamen torqueri igne, nec tamen ideo fuerunt damnati. Quare hæc conclusio non est tam certa, quàm priores, quæ sine errore negari nequeunt.

1. Cor. 3. — Ioan. 1. — Concil. Florentin.

Verùm autem torqueantur etiam frigore & similibus aliis pœnis, non ita constat: probabilius tamen est quòd sic, quia hoc multæ reuelationes docent.

Dixi, *saltem aliquas tam grauia pati.* Quia multi negant omnes tam grauia pati, aut torqueri igne, quia potest sæpè contingere, vt aliqui morientes nihil habeant purgandum nisi leuissima aliqua peccata venialia; quos tam grauiter torqueri, videtur incredibile. Et his videntur suffragari quædam apparitiones apud Bedam & Carthusianum, in quibus innuitur aliquas animas exiguas valdè pœnas pati: & eas etiam quæ initio grauiores pœnas patiebantur, paulatim minores pati. Et hanc sententiam tenet D. Bonau. citat. nu. 19. Contrà verò alij volunt omnes igne grauissimo torqueri. Ita D. Thom. in 4. d. 21. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. Et inclinat Suarez d. 46. sect. 3. n. 7. 26

Beda. — Carthusian. — D. Bonauent. — D. Thomas. — Suarez.

Animabus Purgatorij melius est breuiter puniri grauiter, quàm diu leuiter.

Ratio est, quia hoc videtur magis expedire ipsis animabus, quibus melius est graui tortura breuiter purgari, quàm diu carere visione beatifica, cuius accelerationem omnibus tormentis comparare vellent. Quare quando iuuantur viuorum suffragiis, pœnæ earum non remittuntur, sed abbreuiantur, hoc enim iis videtur longè melius. Et huic sententiæ valdè fauent Patres citati n. 24. qui generatim docent eas grauissimo igne torqueri; multumque fauet Apostolus 1. 1. Cor. 3. ad Cor. 3. vbi etiam stipulam (qua leuissima peccata significantur) docet igne purgari.

Nec obstant visiones quæ à diuersis referuntur, quæ symbolicæ sunt, & allegoricè intelligendæ, quia status animarum vt in se est nobis in corpore constitutis ostendi non potest. Quòd igitur quædam animæ videbantur aliis leniùs puniri, & pœnæ earum paulatim mitigari; non significat pœnas in se esse leuiores in intensione, sed in extensione, easque paulatim extrinsecè mitigari ob certam spem propinquæ liberationis.

Præcipua autem hîc est difficultas, qua ratione ignis corporeus torqueat spiritus siue in Purgatorio, siue in inferno. Multi docent hoc fieri solùm, quia spiritus alligantur diuina virtute ipsi igni, aut certo loco; & quia hoc sibi apprehendunt planè inconueniens, valdè tristantur. Ita D. Thom. 1. p. q. 64. art. 4. Scotus in 4. d. 44. q. 2. art. 2. initio, & alij. Sed hoc non videtur sufficere: tum quia Patres & Scriptura videntur significare eos longè aliter torqueri ab igne: tum etiam quia hic dolor non videtur esse tantus, quantum nos fides in damnatis esse docet. Nam propriè loquendo cùm spiritus à nullo corpore, aut loco corporeo pendeant, aut benè vel malè afficiantur; parui momenti potest esse illa inconuenientia, quòd in hoc vel illo loco sint. Et esset omnino impertinens quòd igni alligarentur, potiùs quàm aëri, cùm ignis non videatur illis magis inconueniens, quàm aër. 27

D. Thom. — Scotus. — Spiritus non torquentur sola apprehensione ignis.

Secunda sententia docet, spiritum alligatum illi igni apprehendere se ab eo eodem modo torqueri, sicut anima in corpore cõstitura ab eo torqueretur. Citatur pro hac Sotus in 4. d. 50. art. 2. §. *Crediderim.* vbi dicit animas exutas corpore, similiter ab igne torqueri, sicut existentes in corpore. Sed posset fortè melius intelligi secundùm sententiam, quam infrà exponam. Hæc autem sententia sic explicata non satisfacit. Nam cùm spiritus certò sciant se ab igne non posse lædi, cur id apprehendant? Nec potest dici Deum eos necessitare ad talem apprehensionem, quia Deus nequit in nobis per se causare falsum iudicium. 28

Scotus.

Tertia sententia docet, ignem tamquam instrumentum à Deo eleuatum producere in spiritibus aliquam qualitatem iis disconuenientem, qua grauissimè torqueantur, eò quòd eam tamquam sibi valdè disconuenientem esse intelligant, ideóque affligantur. Sed hæc etiam sententia est valdè difficilis. Primò, quia, vt ostendi to. 1. q. 62. art. 4. probabilius est impli- 29

care, aliquam rem corporalem à Deo eleuari vt quid spirituale effectiuè producat. Secundò, quia, etsi talis qualitas possit ab igne in spiritu produci; tamen non videtur posse ita grauiter spiritum affligere, præcisè quia apprehendit eam sibi disconuenientem, siue sè per eam deturpari, vt dicta sententia insinuat. Nam minimo prauo habitu, aut habituali culpa veniali etiam leuissima deberet sine comparatione magis torqueri, quàm quamis alia qualitate, quam ignis possit in eo producere. Quia illa ipsum sine comparatione magis deturpant. Quare vt hæc sententia satisfaciat, vlteriùs dicendum est, spiritum ea qualitate torquèri simili aliquo modo, quo animæ torquentur dum sunt in corpore, cum dolore percipiendo qualitates contrarias in ipso productas eo modo quem infrà explicabo,

30 Quarta sententia docet, fatendum quidem esse, spiritus ab igne torqueri, nos tamen scire nullo modo posse quomodo hoc fiat. Ita Durand. in 4. d. 44. q. vlt. Car. Bellar. l. 2. de Purgat. c. 12. & videtur sent. D. Augustin. l. 21. de Ciuit. c. 10. vbi ait: *Cur enim non dicatur quamuis miris tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporali ignis affligi?* Sic etiam D. Gregor. lib. 4. dialog. c. 29. vocat hanc pœnam inuisibilem, quia à nobis cognosci nequit. Quæ etiam vera credo, si loquamur de perfecta huius difficultatis cognitione, quia nihil spirituale possumus perfectè & per proprios conceptus cognoscere.

Durand. Cardin. Bellarm. D. Augustin.

D. Greg.

31 Vt tamen ex rebus nobis notis etiam de hac quæstione aliquid colligamus. Nota Primò, etsi ignis in iis quos vrit, producat aliquam doloriferam qualitatem, non tamen propriè producere dolorem; sed hic est quidam actus potentiæ sensitiuæ, omnino distinctus à qualitate quam ignis producit, quæ solùm est illius obiectum. Hinc per operationem Dei, vel etiam angeli fieri potest, vt quis sine vllo dolore aduratur. Imò hoc potest etiam aliquo modo naturaliter accidere in ijs, qui organa tactus per lepram habent omnino corrupta, aut per vehementem apoplexiam impedita, præsertim quando vstulatio non esset valdè vehemens.

Dolor vstulati non est qualitas ab igne producta, sed est actio ipsius animæ.

32 Nota Secundò, etsi anima existens in corpore nullam sensationem possit producere nisi dependenter ab organo corporeo; tamen in se habet veram potentiam eam producendi saltem inchoatam, & quæ per organum corporeum compleri debeat. Imò valdè videtur verosimile eam ad similes actus non pendere à corpore, nisi quàm diu ipsum informat. Nam sicut habet esse omnino independens à corpore in existendo, ita videtur habere independens in operando. Nam operari sequitur esse. Sicut igitur, etsi quamdiu est in corpore ab eo pendeat in intelligendo, ita vt ob huius indispositionem quandoque nihil possit intelligere; tamen extra corpus existens multò meliùs intelligit, quàm dum hoc informat. Sic videtur dicendum, quòd extra corpus possit corporeas qualitates etiã percipere non modò per nudam intellectualem cognitionem, sed per quandam cognitionem experimentalem, aliquo modo similem ei sensationi, quam circa easdem, dum est in corpore, elicit. Nec enim est vlla ratio quæ nos hoc cogat negare. Et quamuis ob defectum experientiæ non possimus id clarè probare; si tamen ex ijs quæ certò scimus, velimus ratiocinari, videtur rationabiliter posse cõcludi. Et quamuis hoc aliquis velit omnino negare; tamen ei fatendum erit, Deũ posse singulari concursu ita supplere defectum organi corporei, vt anima simili modo percipiat calorem, & similes qualitates extra corpus, quo eas percipiebat in corpore: siue hæc actio vocetur sensatio, siue non; nec enim hîc de nomine disputamus.

Anima separata potest producere aliquas actiones similes sensationi.

33 Nota Tertiò, sicut anima informans corpus propter mutuam sympathiam, necessariò cum dolore quodam percipit qualitates, quæ corpus male afficiũt: ita Deum supernaturaliter posse eam separatam alicui corpori alligare, quod à se nullo modo separare possit, & quocum Deo singulariter concurrente similem aliquam sympathiam habeat, sicut habebat priùs cum eo quod informabat (nulla enim hîc apparet implicãtia, vel ratio id negandi.) Vnde fiet vt eodem modo percipiat qualitates impressas huic corpori, sicut priùs percipiebat productas in corpore, quod informabat. Quare si Deus eam ita alliget alicui corpori, in quod ignis agat, eodem modo eius acrimonia torquebitur, ac si esset in proprio corpore. Et hoc est quod ait D. Gregor. l. 4. dialog. c. 29. *Colligere ex dictis Euangelicis possumus quia incendium anima non solùm videndo sed etiam experiendò patiatur.* Nec ad hoc opus est, vt qualitas ab igne producta in illo corpore, possit illud corrumpere: quia damnatos post diem iudicij eodem modo torquebit, quo torqueret in hac vita; & tamen nullo modo eorum corpora corrumpet.

Modus quo spiritus torquentur ab igne.

D. Gregor.

Ex quo vlteriùs videtur sequi, diuina virtute fieri posse, vt ignis simili modo torqueat ipsam animam immediatè sine tali connexione cum alio corpore, si nimirum Deus eam igni alliget, & per se immediatè necessitet ad acrimoniam ignis per se immediatè cum dolore percipiendam. Si enim hoc possit facere mediante alio corpore, cur immediatè per se facere non possit? 34

Sequitur demum, valdè probabiliter idem fieri posse in angelo. Nam etsi hîc cùm non sit forma corporis, non habeat potentias sensitiuas, quales ipsa anima habet; omninò tamen credibile est eum habere aliquã potentiam ei correspondentem, qua non modò abstractiuè, sed etiam experimentaliter possit qualitates corporeas percipere, siue hæc potentia in eo distinguatur ab intellectu, siue non, quod ad præsentem difficultatem non pertinet. Quare videtur posse à Deo necessitari vt simili aliquo modo acrimoniam ignis percipiat, non solùm nuda aliqua cognitione, sicut cùm eam intuetur, sed, vt ait D. Gregorius suprà, cum dolore eam experiendo, sicut anima nostra eam percipit, quando corpus aduritur. Et hanc rationem explicandi modum quo spiritus ab igne cruciantur, cum viris doctissimis contuli, ijsque placet, eumque tam de angelis quàm animabus apertè docet Henriquez quod l. 8. q. 34. in fine. Vbi apertè docet spiritus eodẽ modo in inferno ab igne torqueri sine corpore, sicut anima hîc torquetur in corpore; Deo efficiente, vt cum dolore vim ignis pertipiant. Similiter Sotus in 4. d. 50. art. 2. concl. 2. §. *Credideritis.* docet spiritus in inferno eodem modo torqueri ab igne quo anima torquetur in corpore quod aduritur. Videtur tamen dissentire nonnihil in modo quo anima tam hîc quàm ibi vim ignis percipit. Et sententiam Soti quoad animas sequitur Vasquez 1. p. d. 243. cap. 6. n. 25. Et quod ad me attinet, videtur mihi & Scripturæ & dictis Patrum satis congruere, nec video quomodo à nobis aut alius probabilior reperiri, aut hic refutari possit. Cæterùm fatendum est Deo multos modos esse possibiles, quos nos non possumus concipere, de quibus faciliùs possumus incerta diuinare, quàm aliquid certi dicere.

Angeli possunt qualitates corporeas etiã experimentaliter percipere.

Henriquez.

Soto.

Vasquez.

Nota Quartò, longè grauiùs spiritus torqueri, quã quis hîc torqueri possit. Tum quia ille ignis virtute agendi longè nostrum superat; tum etiam quia ex eo quòd organa corporis doloris vehementia obstupescant, & spiritus vitales impediantur, multò minùs hîc dolores sentimus in Purgatorio amẽ ac inferno, nihil horũ fit, ideoq; quiuis dolor perfectissimè percipitur. 35

Probabile est animas non torqueri à dæmonibus.

Nota Quintò, DD. hîc etiam disputare, Vtrùm animæ in Purgatorio torqueantur à dæmonibus? Quidã id affirmant ob quasdã visiones, quibus hoc videtur significari. Sed, vt suprà dixi, cùm hæ visiones fere sint

vtæ symbolicæ, non possumus ex iis aliquid certi circa modum, quo animæ ibi puniantur, colligere. Quare communiter Theologi cum D. Thoma in 4. d. 21. q. 1. a. 1. quæstiunc. 5. *id negant.* Quia videtur minùs decere Deum dæmonibus tamquam ordinariis ministris vti, vt amicos suos puniat: præsertim cùm illi id numquam sunt facturi, nisi pessima voluntate. Item videtur minùs conuenire, vt qui finaliter dæmonem vicerunt, ei in altera vita in punitione subiiciantur. Hæ rationes satis probabiles sunt, non tamen absolutè conuincunt.

DVBIVM IV.

Quanto tempore animæ in Purgatorio detineantur?

36 HAc in re certum est, nullam ex eo omnino liberari, donec sit plenè purgata, vel per propriam satisspassionem, vel per aliorum preces ac suffragia, quia coniectæ semel in carcerem, inde non liberantur donec soluerint vltimum quadrantem. Vt clarè nobis *Matth. 5.* insinuat Christus, Matth. 5. v. 26. vbi nobis suadet, vt dum sumus adhuc in hac vita, aduersa[rio] siue creditori nostro, scilicet Deo, cui debemus pœnas pro peccatis, faciamus satis, dum est locus misericordiæ; quia aliàs post hanc vitam totum debitum rigorosissimè exigetur.

Secundò, certum est, plenè purgatas, statim inde liberatas admitti ad visionem Dei, quia nihil amplius restat, quod eas possit ab hac retardare. Vtraque assertio insinuatur à Trident. sess. 6. can. 30. & definitur in *Trident.* Florent. sess. vlt.

Tertiò, certum est, nullam ibi detineri vltra diem 37 iudicij generalis. Quia Matth. 25. tantùm statuuntur *Matth. 25.* duo ordines iudicandorum; & omnes mittuntur vel in cælum, vel in infernum. Et omnes Patres consentiunt, post diem iudicij omnes fore aut damnatos, aut beatos.

Quartò, certum est, multas liberandas ante diem iudicij. Quia multæ habent parum purgandum, & consequenter breui tempore purgari possunt, vel per aliorum suffragia liberari. Et in hactenus dictis communiter Doctores consentiunt.

Quàto autem tempore vnaquæque anima pro singulis peccatis siue mortalibus remissis, siue venialibus puniatur, nobis omnino incognitum est. Probabile tamen est multas ob grania peccata plurimis annis puniri, quod aliquo modo nobis videtur insinuare Ecclesia, dum pro iisdem defunctis per multos annos curat anniuersaria Sacra celebrari, ostendens fieri posse, vt tamdiu iis indigeant.

38 Quare quod ait Soto in 4. d. 19. q. 3. a. 2. in fine, nul- *Soto.* lam animam in Purgatorio puniri vltra decennium; & Ecclesiæ sensui videtur repugnare, & sine fundamento dicit. Nam omnes rationes quas pro se adfert, tam probant nullam manere vltra annum, quàm vltrà decennium.

Ex his demum sequitur, in fine mundi aliquas, quæ multa adhuc habebunt persoluenda, intensissimis pœnis mulctandas, quia breuissimo tempore debebunt eas persoluere.

DVBIVM V.

Qua ratione animæ egressæ corporibus iudicentur, & ad loca destinata deferantur?

39 QVadruplex est difficultas. Prima, quando hoc iudicium particulare fiat. Secunda, à quo fiat. Tertia, vbi fiat. Quarta, qua ratione ad locum sibi destinatum deducantur. Quidam enim putant hoc fieri à dæmonibus, & hoc esset satis probabile, si vera esset sententia dicentium eas in Purgatorio à dæmonibus torqueri. Par enim omnino esset, vt si dæmones eas coram Deo accusent, & iudicatas torqueant, etiam ad locum supplicij deducant. Addunt alij, eas necessariò vel ab angelis, vel à dæmonibus debere eò deportari, quia per se localiter seipsas mouere nequeunt. Sed hoc non habet vllam probabilitatem, quia hoc nimiam earum imperfectionem argueret.

CONCLVS. I. Statim à morte hominis anima ipsius 40 iudicatur. Ita Car. Bellarm. l. 2. de Purgatorio c. 4. & cõ- *Card. Bellar.* muniter Theologi cum D. Thom. in 3. p. q. 59. a. 5. ad *D. Thom.* 1. Probatur Primò, ex Eccl. 11. vbi dicitur: *Facile est co-* *Eccl. 11.* *ram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas.* Vbi non solùm significatur Deum hoc posse facere (quod non poterat esse dubium) sed etiam ipsum hoc facere, ad quod necessaria est sententia iudicialis. Vnde ibidem paulò infrà dicitur: *In fine hominis de-* *nudatio operum ipsius,* scilicet per diuinum iudicium, quo quid ipse meritus vel demeritus sit ostenditur, & meritis præmiis vel suppliciis addicitur. Confirm. quia Lucæ 16. dicitur Epulo mortuus statim sepultus in in- *Luc. 16.* ferno. Et c. 23. latroni dicitur, *Hodie mecum eris in para-* *& 23.* *diso.* Vnde, vt omnes Catholici fatentur, pater, damnãdos statim à morte detrudi in infernũ, & omnino puros ab omni peccato mox deduci in cælũ. Vtrũq; autẽ semper præcedit sentẽtia iudicis, quia illi pœnis addicantur; his gloria decernatur: ergo idem dicendum est de iis, qui ad Purgatorium mittendi sunt. Confirm. Secundò, quia nulla est ratio cur hoc iudicium differatur, cùm in instanti fieri possit per locutionem spiritualem, qua animæ ostendatur quid sit merita, & ob quas causas.

CONCLVS. II. Verius est hoc iudicium à Christo 41 homine fieri. Valent. tom. 4. d. 11. q. 1. puncto 2. §. *Pro-* *Valentia.* *fertur.* Suarez tom. 2. in 3. p. d. 52. sect. 2. Quia Matth. *Suarez.* vlt. Christus dicit sibi datam omnem potestatem in *Matth. vlt.* cælo & in terra, quod etiam de iudiciaria hac potestate intelligendũ est. Vnde idem Ioan. 5. ait: *Neque enim* *Ioan. 5.* *Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.*

CONCLVS. III. Probabilius est animas iudican- 42 das Christum videre in humana forma sibi apparentem. Innoc. III. l. 2. de contemptu mundi c. 43. Quia *Innoc. III.* videtur omnino conuenire, tum ad maiorem bonarũ consolationem; tum etiam ad maiorem malarum terrorem, vt suum iudicem videant. Et hoc facilè fieri potest, cùm Christus per diuinam potentiam, etiam in maxima distantia possit animabus apparere. Et confirmatur, quia ob dictas rationes Christus in vltimo iudicio palàm ab omnibus videbitur: ergo verosimile est, idem in iudicio particulari fieri.

CONCLVS. IV. Credibile est animas iudicari in 43 ipso loco, in quo è corporibus discedunt. Valentia *Valentia.* sup. §. *Porro ex eo.* D. Bonauent. in 4. d. 20. p. 1. q. 5. sub *D. Bonau.* finem. Soto in 4. d. 45. q. 1. a. 3. concl. 2. Quia, vt patet *Soto.* ex dictis, hoc facilè fieri potest, & est conueniens. Primò, quia aliàs deberet aliqua mora inter mortem & iudicium interiici, si deberent aliò deduci, quia hoc in instanti fieri non posset. Secundò, quia non conuenit animas siue damnandas, siue purgandas primò deduci ad cælum iudicandas, & inde reduci ad locum supplicij.

CONCLVS. V. Probabilius est dæmones non de- 44 ducere animas ad Purgatorium, quia, vt dixi dubio tertio, Deus in his puniẽdis non vtitur illis ministris. Nec id opus est, cùm ipsæ per se facilè se submittant diuino iudicio ac voluntati, & sponte locum sibi destinatum adeant. Probabilius creditur angelos sanctos eas consolationis causa eò comitari, sicut in Euangelio legimus, eos deduxisse animam Lazari in sinum Abrahæ. Valentia supr. §. *Et similiter.* Soto supr. §. *De* *Valentia.* *illis verò.* D. Bonauent. supr. *Soto.* *D. Bonau.*

DVBIVM

DVBIVM VI.

Vtrùm animæ in Purgatorio sint omnino certæ de suâ salute: aut mereri, aut demereri in eo possint: aut ante plenam purgationem ex eo aliquando egredi?

45 D. Thom. QVidam olim (vt refert D. Thom. in 4. d. 21. qu. 1. art. 1. quæstiunc. 4.) putarunt eas de salute suâ omnino esse incertas, ideoque summa anxietate torqueri. Sed hæc sententia nullo modo est probabilis.

Animæ in Purgatorio sunt certæ de suâ salute. CONCLVS. I. Animæ in Purgatorio sunt omnino certæ de suâ salute. Est iam communis Theologorum, & apertè sequitur ex concl. 1. dub. 5. vbi ostendi eas statim à suo è corpore egressu iudicari, suamque finalem sententiam accipere, quàm sciunt omnino esse immutabilem. Confirm. quia ipsæ facilè vel experimento discunt se non esse in inferno, siue æternùm damnatas. Nam experiuntur se Deum non blasphemare, aut odisse, sed amare: quod nullo modo conuenit damnatis. Vnde clarè colligunt se solùm esse in Purgatorio, cuius pœnas ex fide sciunt non esse æternas. Quare quod in quibusdam reuelationibus dicitur quasdam ibi animas esse incertas an aliquando saluabuntur, aut absolutè negandum est, aut commodè explicandum: vt scilicet ignorent an liberabuntur ex illis pœnis ante diem iudicij, quod fortè de quibusdam dici posset, quæ grauissimas pœnas persoluendas habent; idque tanto tempore, vt dubitent an mundus diutiùs stabit. Nullo autem modo potest dici de omnibus.

46 Nec peccare, nec mereri possunt. CONCLVS. II. Animæ in Purgatorio nec mereri possunt, nec demereri. Est communis sententia. Et probatur, quia aliàs sententiam qua iis certum supplicium, certaque gloria pro peccatis, & meritis præteritis decreta sunt, immutare possent, & maius vel præmium, vel supplicium accipere, quod apertè falsum est, & contra illud 2. ad Corinth. 5. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Vbi clarè significatur, nos non aliud accepturos præmium, præsertim essentiale, aut etiam supplicium, quàm quod meriti sumus in corpore. Hinc Ioan. 9. v. 4. dicitur: *Venit nox* (id est, mors) *quando nemo potest operari*: scilicet aliquid merendo. Et Lucæ 16. dicitur villico: *Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.* Et Eccl. 14. *Ante obitum tuum operare iustitiam: quoniam non est apud inferos inuenire cibum.* quia scilicet ibi non possumus ampliùs aliquid mereri.

2. Cor. 5. Ioan. 9. Luc. 16. Eccl. 14.

47 Cur animæ in Purgatorio nec mereri, nec demereri possint? Nota, illas animas ideo non posse demereri, quia Deus singulari suâ prouidentia ita eas conseruat, vt in nullum peccatum possint incidere. Contrà verò nullo modo ibi possunt mereri, aut pro peccatis propriè satisfacere, quia omne tempus merendi, aut satisfaciendi, vnà cum hac vita finitur, Deo ita statuente: vt patet ex testimoniis citatis. Vnde quod, vt dixi disp. 2. dub. 17. decedentibus in gratia cum peccato veniali, hoc iis contritis post hanc vitam dimittitur; non ita fit, quasi per eam contritionem hoc mereantur: sed solùm quia ad hoc legitimè se disponunt. Sicut in hac vita contritis gratis remittitur peccatum mortale ex Dei misericordia.

48 Dices Primò, Illæ animæ nondum habent perfectam caritatem: ergo possunt eam augere.

Respondeo eas hanc habere quidem aliquo modo imperfectam; quia nondum per eam Deum ita amant, sicut eum amabunt in patria: atque ita per accessionem visionis beatificæ ipsa aliquando perficienda est. Hac tamen ratione possunt dici habere cõsummatam, quatenus secundùm præsentem Dei constitutionem, ipsa numquam in æternum in iis aut augeri, aut amitti potest: non quidem ob intrinsecam aliquam earum dispositionem (hoc enim solis Beatis conuenit) sed ob singularem Dei assistentiam, quæ non permittit eas peccare, vt dixi n. 47.

Cur animæ in Purgatorio non possint amittere caritatem.

Dices Secundò, Illæ animæ possunt iuuari nostris precibus: ergo ibi aliquid recipere, quod hic non sunt meritæ. Respondeo negando consequentiam. Quia hoc ipsum, vt scilicet à nobis iuuari possint, sunt hic meritæ, per eadem opera quibus gratiam & Sanctorum communionem saltem de congruo meruerunt. Vnde patet, has animas partim esse in termino, quatenus ampliùs nec mereri, nec demereri possunt: partim verò in via, quatenus adhuc in fide ambulant, & ad beatitudinem tendunt.

Sunt partim in termino, partim in via.

CONCL. III. Probabilius est eas animas ordinariè ante pœnas omnino persolutas non posse è loco in quo detinentur, egredi, quia ibi sunt quasi in carcere. Ex multis tamen apparitionibus apertè colligitur eas aliquando ex singulari Dei permissione egredi, ac aliquibus apparere, vt eorum suffragia postulent, aut ob alias aliquas causas. Valentia suprà. §. *Quarò certum est.* D. Greg. l. 4. dialog. c. 40. & 55. Eiusmodi tamen apparitionibus, nec facilè, nec sine magna circumspectione fides habenda est, quia dæmon sæpè, vt simpliciores decipiat, eas fingit. Quare tales nunquam nisi ex prudentiorum consilio iis debent fidere. 49

Valentia. D. Gregor.

DVBIVM VII.

Qua ratione animæ quæ sunt in Purgatorio, nostris suffragijs iuuari possint?

NOta Primò, suffragium hic dici omne opus quo vnus alteri suffragatur, siue eum adiuuat, ei obtinendo remissionem pœnæ, aut aliquod spirituale commodum. 50 Suffragiũ quid sit?

Nota Secundò, c. *Animæ* 13. q. 1. numerari quatuor genera suffragiorum. Scilicet Primò, oblationes siue sacrificia sacerdotum. Secundò, preces Sanctorum, siue ij in cælo, siue in terra sint. Tertiò, eleemosynas, quibus animæ iuuantur non tantùm quatenus sunt opus aliquod in se satisfactorium; sed etiam quatenus eas recipientes per eas excitantur, vt pro defunctis orent. Quartò, ieiunia, per quæ intelliguntur alia opera pœnitentiæ. Suffragia sunt quadruplicia.

Duplex autem est difficultas. Prima est cum hæreticis, qui sicut negant Purgatorium; ita etiam negant nos defunctis vlla ratione posse prodesse. Secunda est inter Catholicos, qua ratione nostra opera possint prodesse defunctis. Quidam enim negant ea posse iis prodesse aliter quàm per modum impetrationis. Caietan. tract. 2. de Indulg. q. 5. Alij contrà volunt iis solùm prodesse per modum satisfactionis. Alij demum volunt, nos vtroque modo iis prodesse posse. ita Nauarr. & Durand. apud Suarez d. 48. sect. 5. Caietan. Nauarr. Durand. Suarez.

CONCL. I. Fide tenendum est, nos nostris suffragiis posse prodesse animabus in Purgatorio existentibus. Patet ex dictis dub. 1. Vbi ex Scripturis veteris & noui Testamenti, & totius ab initio Ecclesiæ consensu probaui, semper ab omnibus orthodoxis fuisse habitum laudabile pro defunctis suffragia Deo offerre, vt à pœnis liberarentur, quod frustrà fuisset factum, si iis non possemus prodesse. 51

CONCLVSIO II. Inter omnia suffragia, quibus possumus defunctis prodesse, præstantissimum est sacrificium Missæ, quod pro iis oblatum ex opere operato iis prodest. Vide dicta to. 1. dub. 9. concl. 4. Ratio vtriusque conclusionis est: quia inter eos & nos est communio Sanctorum, quia scilicet, cùm ipsi nobiscum sint vnius corporis membra, possumus nobis mutuo in necessitatibus prodesse, & alter alterius onera portare, vt monet Apostolus Galatas 6. 52 Galat. 6.

53 CONCLVS. III. Possumus eis verè prodesse per opera satisfactoria, pro iis satisfaciendo. Est ferè communis Doctorum. Et probatur Primò, quia, cùm simus vnius corporis membra, inter nos & eos est aliqua bonorum communicatio, quæ etiam in eo consistit, vt iuxta Apostolũ ad Galatas 6. alter alterius onus portet, eius necessitatibus succurrẽdo: illæ autem animæ in maxima necessitate sunt, quã pro iis satisfaciendo subleuamus. Secundò, quia hic videtur esse totius Ecclesiæ sensus, quæ post Missæ sacrificium ea opera iudicat maximè defunctis prodesse, quæ sunt maximè satisfactoria: cuius non potest alia esse ratio, quàm quia possumus pro iis satisfacere. Tertiò, quia, vt ostendi d. 10. dub. 7. vnus pro altero potest satisfacere. Nulla autem est ratio cur magis possimus satisfacere pro viuis, quàm pro defunctis, cùm eodem modo simus omnes eiusdem corporis membra. Verùm autem hæc satisfactio sit de condigno, & habeat infallibilem effectum, vide quæ dixi dub. citato.

54 *Caietan. Durand. Bellarm.* CONCLVS. IV. Probabilius est nos non tantùm per modum satisfactionis, sed etiam per modum impetrationis posse iis animabus obtinere remissionem pœnarum, quas impetramus iis propter satisfactiones ac merita Christi remitti. Ita Caiet. t. 1. opusc. tract. 16. q. 5. Durand. in 4. d. 45. q. 1. Card. Bellarm. lib. 2. de Purgator. c. 16. & alij. Probatur Primò, quia possumus ab homine pro nobis vel aliis obtinere remissionem alicuius pœnæ, quam iustè posset infligere: quare non possimus idem obtinere à Deo, cùm talis concessio possit esse honesta, & nihil contineat absurdi? Probatur Secundò, quia hic videtur esse sensus Ecclesiæ, quæ docet nos orare Deum, vt animabus illis propter merita Christi, ac piorum supplicationes debitas pœnas remittat: vt patet in oratione *Fidelium Deus omnium*, &c. in Officio defunctorum, & aliis similibus precibus: atqui hoc frustra faceremus, nisi speraremus aliquid à Deo impetrare.

55 Frustra oraremus pro animabus Purgatorij si nihil possemus iis impetrare. Dices, nos ideo pro iis orare, quia oratio nostra est etiam satisfactoria. Sed hoc non satisfacit. Primò, quia si non speraremus suprà satisfactionem immediatè illis aliquam remissionem impetrare; frustra oraremus pro illis rogando Deum vt iis pœnas remitteret: sed deberemus pro nobis orare, & illis applicare solam satisfactionem nostræ orationis, quia sic eodem modo illis prodessemus, & præterea nobis aliquid à Deo impetraremus; quem fructum secundùm illam sententiam omnino perdimus, dum pro illis oramus, quod tamen est contra communem Ecclesiæ sensum. Confirm. Primò, quia communis fidelium sensus est, orationes publicas quas nomine Ecclesiæ eius publici ministri etiam mali pro defunctis fundunt, his prodesse quod non potest fieri per modum satisfactionis: quia Ecclesiæ secundùm se sumpta non potest satisfacere: neque etiam tales ministri possunt satisfacere, quia ad hoc necessarium est vt sint *in gratia*, vt ex communi sententia probaui d. 10. dub. 23. *ergo* debent iis prodesse per modum impetrationis, quatenus eorum preces propter dignitatem Ecclesiæ, quæ per eos censetur orare, habent magnam vim impetrandi à Deo ea quæ ipsi ex institutione Ecclesiæ petunt: vt ostendi in materia de sacrificio dub. 7.

Ministri Ecclesiæ mali in publico officio orantes pro defunctis per modum impetrationis iis prosunt.

56 Sancti orant pro defunctis. Confirm. Secundò, quia Sancti etiam suis orationibus prosunt defunctis: atqui cùm non sint in statu satisfaciendi non possunt iis prodesse aliter quàm impetrando iis remissionem pœnarũ propter merita Christi; ergo ita iis prosunt. Maior etiam conceditur ab aduersariis. Et patet Primò, ex Lucæ 16. vbi iubemur facere amicos ex mammona iniquitatis, scilicet dando sanctis pauperibus eleëmosynas, vt cùm defecerimus, scilicet per mortem, recipiant nos in æterna tabernacula. Quod aliter facere nequeunt, nisi suis precibus nos liberando à pœnis Purgatorij. Secundò, clarè probatur auctoritate Ecclesiæ, quæ in vltima oratione quæ recitatur post Litanias, docet nos rogare Deum, vt intercedente B. Virgine ac omnibus Sanctis defunctos à pœnis absoluat.

Luc. 16.

57 Respondent aliqui, tam Sanctos quàm ministros Ecclesiæ non impetrare defunctis immediatè remissionem pœnæ, sed vt Deus excitet aliquos, vt pro iis satisfaciãt; aut vt aliorũ satisfactiones pro iis accepter. Sed contrà Primò, quia hoc apertè pugnat cum verbis orationũ quas Ecclesia in hunc finem instituit, quibus expressè petimus, vt Deus per merita Christi remittat illis animabus dictas pœnas, easque à peccatis absoluat. quæ nullo modo dictum sensum nisi contortè, & per duros tropos admittunt. Secundò, si Ecclesia solùm id quod illi aiunt, intendat petere, quare id non exprimit propriis verbis, cùm hoc sit facillimum? aut cur id voluit petere iis verbis, quæ aliud significant? Tertiò, quia aliàs non deberemus rogare Sanctos vt orarent pro defunctis; sed vt orarent pro nobis vt Deus excitaret in nobis ingentem feruorem, quo pro defunctis satisfaceremus.

58 Respondent Secundò, Sanctos posse prodesse defunctis applicando iis aliquas ex suis satisfactionibus, quæ iis fuerunt superfluæ. Sed nec hoc dici potest. Quia nullo modo est in hominis priuati siue viui, siue defuncti potestate, satisfactiones, quas aliquando habuit superfluas, postea vel sibi vel alteri applicare. Nã aliàs quando nullius pœnæ temporalis obligationem habeo, possem satisfacere pro peccatis meis futuris, & postea statim ac peccassem, eas satisfactiones postquã de culpa doluissem, mihi applicare, quod absurdum est: vt benè docet P. Suarez d. 48. sect. 7. n. 7. Eiusmodi igitur omnes satisfactiones, hoc ipso quo nec ipse operant iis indiget, nec dum operatur eas alicui indigenti applicat, reponuntur in thesauro Ecclesiæ, quem extra collationem Sacramenti nemo potest dispensare, nisi qui potest conferre Indulgentias.

Sancti non possunt defunctis applicare satisfactiones præteritas. *Suarez.*

59 Dices Primò, Inconuenienter homo petit à Deo sibi aut alteri remitti pœnam pro qua potest satisfacere. Secundò, Si Sancti possent suis precibus impetrare remissionem pœnarum, cùm illæ sint feruentissimæ, & Deo gratissimæ, statim euacuarent totum Purgatorium. Tertiò, In Purgatorio non est locus gratiæ, sed rigidæ iustitiæ: ergo ibi nihil remittitur.

Ad Primum, nego assumptum. Nam aliàs inconuenienter darentur indulgentiæ, per quas ob satisfactionem Christi gratis nobis eæ pœnæ remittuntur.

Ad Secundum, nego etiam assumptum. Nam simili modo possemus concludere Sanctos pro nobis etiam non orare. Quia, cùm ipsorum & maximè B. Virginis preces sint dignissimæ quæ quidquis à Deo impetrent, cúmque ipsi ardentissimè omnium hominum salutem exoptent; ex illo modo argumentandi sequeretur, eos, si pro nobis orarent, debere impetrare vt omnibus darentur eæ gratiæ quibus de facto saluarentur. Quare dicendum est, quòd, sicut merita Christi non applicantur nobis secundùm omnem suum valorem, sed secundùm moderationem diuinæ misericordiæ simul & iustitiæ: ita & Sanctorum preces secundùm modum diuinæ prouidentiæ tam nobis quàm illis animabus prosint, quibus ita aliquarum pœnarum relaxationem impetrant, vt tamen etiam iustitiæ suus locus relinquatur.

Cur quæuis Sanctorum preces non sufficiant quidquis impetrare.

Ad Tertium Respondeo, antecedens tantùm in eo sensu esse verum, quòd ibi nulla propriè fiat gratia illis animabus propter earum respectum, aut preces, ita vt sibi possint aliquid impetrare: hoc tamen nullo modo obstat, quin possit iis aliquid remitti in gratiam aliorum, qui pro iis orant. Nam aliàs non possent iis applicari Indulgentiæ, per quas verè ob merita Christi sine alia satisfactione debitæ pœnæ remittuntur.

Quatenus nihil fiat gratiæ animabus Purgatorij.

DVBIVM

DVBIVM VIII.

Quibus defunctis nostra suffragia prodesse possint?

60 FVerunt aliquando aliqui, qui ob apocryphas quasdam historias putarunt ea posse prodesse etiam damnatis, saltem ad aliquam pœnarum diminutionẽ. Sed hæc opinio nullo modo potest defendi, vt benè ostendit Cardinalis Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 18. *Bellar.*

Quomodo sacrificia in honorẽ Sanctorum offerantur.

CONCL. I. Nostra suffragia non possunt propriè prodesse Beatis, ita vt aliquid ipsis impetremus, quia nullo nostro auxilio indigent. Quare quod aliqui Patres aliquando dixerunt nos pro iis offerre sacrificia; hoc intelligendum est ita fieri, non vt iis aliquid impetremus, sed vt gratias pro eorum gloria agamus. Similiter quòd petimus vt nostra sacrificia illis prosint ad honorem, intelligendum est de honore extrinseco, quem talia officia piè obeuntes iis impendimus.

61 CONCLVS. II. Nullo etiam modo prosunt damnatis. Est iam omnino certa & communis Catholicorum. Ratio est, quia damnati sunt omnino alieni ab omni misericordia, & communione fidelium, & per immutabilem sententiam æternis pœnis addicti. *D. Augus.* Vtramque conclusionem docet D. Augustinus libr. de cura pro mortuis cap. 1. vbi loquens de suffragiis quæ pro defunctis offerimus ait: *Sunt quos nihil omnino adiuuant ista, siue pro iis fiant, quorum tam mala sunt merita, vt neque talibus digni sint adiuuari: siue pro iis, quorum tam bona, vt talibus non indigeant adiumentis.* Omnes autem damnati vtpote obdurati omnino in sua malitia, & perpetuo Dei odio, sunt ita mali, vt nulla miseratione digni sint: Beati verò omnes tantis bonis affluunt, vt nullius ope indigeant.

Quare quod idem in Enchiridio c. 110. dicit quibusdam ea suffragia prodesse, vt tolerabilior iis sit ipsa damnatio; intelligendum est de damnatis ad Purgatorium, quorum pœnæ non semper statim nostris suffragiis tolluntur, sed aliquando tantùm minuuntur, per temporis abbreuiationem.

Item quod cap. *Cùm Marthæ.* de celebr. Missarum, Innocent. III. ait, ea suffragia prodesse & mediocriter bonis, & mediocriter malis; per vtrosque intelligendi sunt diuersi status existentium in Purgatorio: vel illa distinctio non est probanda, sicut nec Pontifex eam probat, sed considerandam proponit. *Innoc. III.*

Hinc patet, historias de Traiano ex inferno D. Gregorij precibus liberato, & de Machario orante pro infidelibus damnatis commentitias esse. Sicut etiam oratio pro defunctis, in qua illa referuntur, videtur falsò D. Damasceno adscripta, vt etiam insinuat Bellarmin. lib. de scriptorib. Ecclesiasticis in Damasceno. quia præter has fabulas multa alia continet tanto auctore indigna, & satis pueriliter partim prosa, partim carmine omnino temerè conscripta est, & in Græco omnino alio titulo quàm alia eius opera inscripta est. Vnde vel ex eo solo suppositicium partum arguas. *Bellarm.*

CONCLVSIO III. Suffragia nostra possunt prodesse omnibus existentibus in Purgatorio, quia omnes sunt in eo statu, vt auxilio nostro indigeant, & iuuari possint. Quare Ecclesia etiam pro omnibus indifferenter orat. Priuata tamen suffragia ijs solis prosunt, quibus ab offerente applicantur, in cuius solius potestate est, ea cui voluerit applicare; vt in simili latiùs ostendi in materia de sacrificio, dub. 9. concluf. 7. 8. 9. 11. & 12. 62

DISPVTATIO XII.

DE

INDVLGENTIIS.

1 DE his hoc nostro tempore plurimi qui controuersias contra hæreticos tractant, pulcherrimè scripserunt, & inter cæteros Cardin. Bellarmin. in tertio suo tomo duobus libris. Et inter Scholasticos Soto in 4. d. 21. Valentia tom. 4. dispur. 7. q. 20. Nauarr. in particulari opere, & doctissimè P. Suarez tom. 4. in fine, & alij plurimi, quorum libri passim habentur in manibus. Nec vlla potest hìc occurrere difficultas, quam illi, & præsertim Suarez non luculentissimè explicarit. Quare potuisset hic tractatus facilè omitti: ne tamen lector hìc aliquid, quod alij hoc loco tractare solent, desideret, breuiter hìc quæ Cardin. Bellarm. P. Suarez & P. Valentia fusissimè disputant, quasi eorum compendium ponam. Vt autem tota res sit clarior, primò ipsum nomen explicandum est. Pro quo Nota, Indulgentias generatim posse significare quamuis remissionem proprij iuris in alterius fauorem factam. Hic tamen ex communi Ecclesiæ & Theologorum vsu eas accipimus pro pœnæ temporalis, quæ remissa culpa adhuc persoluenda restat, remissione per dispensationem Ecclesiastici thesauri facta. *Bellarm. Soto, Valentia, Nauarr. Suarez.* *Indulgentiæ quid sint?*

DVBIVM I.

Vtrùm in Ecclesia sit aliquis Spiritualis thesaurus, constans ex satisfactionibus Christi & Sanctorum, quem Prælati per Indulgentias dispensare possint?

NEgant hoc omnes hæretici nostri temporis, & negauit ex Catholicis olim Maronius apud Suarez d. 51. sect. 1. quia putauit Christi & Sanctorum merita accepisse sufficiens præmium: illa per exaltationem nominis ipsius, hæc per singulorum beatitudinem, & consequenter nihil iis superfuisse, quod in Ecclesiæ thesauro reponeretur. Sed in primis id apertè falsum est de meritis Christi, quæ propter suam absolutã infinitatem nullum præmium creatum condignum potuerunt recipere; sed quouis dato, infinities maius meruerunt: vt communiter DD. docent in tractatu de Incarnatione. Et ratio est, quia, cũ valor meritorũ crescat ob dignitatẽ personæ merentis, Christi merita debuerũt necessariò esse omninò infinita, quia procedebant à persona omni ratione absolutè infinita. Deindè etiam consequentia nulla est, quia, etsi merita Christi, quà merita sunt, recepissent condignum præmium; possent tamen quà satisfactoria, habere *Maronius.*

aliquid superfluum, quod nobis possit impendi, cùm Christus nulla satisfactione pro se egucrit. Nam, vt dixi disp. 10. num. 32. in eodem opere multùm differunt ratio meriti, cui respondet præmium; & ratio satisfactionis, cui respondet deletio pœnæ. Hinc etsi omnes Beati receperint abundantissimè condignum præmium suorum meritorum, ita vt non habeant merita in ratione meriti sibi superflua; multi tamen, qui parum aut nihil peccarunt, possunt habere superfluam satisfactionem, vt mox ostendam, quæ aliis possit prodesse.

Etsi Sancti non habeãt superflua merita, possunt tamen habere superfluas satisfactiones.

2 Conclvs. I. Extat in Ecclesia thesaurus constans satisfactionibus Christi & Sanctorum, qui omnino infinitus est. Videtur de fide vt patet in Extrauag. *Vnigenitus.* de pœnitent. & remiss.

Probatur, quia Christi meritum & satisfactio ratione infinitatis personæ sunt valoris omnino infiniti: atqui ipsa absolutè fuerunt data Ecclesiæ: ergo adhuc in ea extant, cùm absumi non potuerint. Minor patet, quia Christus vbique in Scripturis dicitur nobis datus, pro nobis passus, &c. Isaiæ 9. v. 6. Ioan. 3. v. 16. ad Galar. 1. v. 4. ad Titum 2. v. 14. Rom. 8. v. 32. 1. Petri 2. v. 11. &c.

Isaiæ 9. Ioan. 3. Galat. 1. Titum 2. Rom. 8. 1. Petri 2.

Similiter probatur de Sanctis. quia plurimi, v. c. B. Virgo, Ioannes Baptista, Apostoli, aliique Martyres grauissima passi sunt, cùm tamen habuerint vel nulla, vel exigua peccata pro quibus debuerint satisfacere: ergo quamuis eorum opera vt habent rationem meriti, fuerint abundanter remunerata, tamen vt habent rationem satisfactionis, multa iis supererant, quæ neque ex eorum voluntate (cùm de eo sæpè non cogitarint) neque etiam ex alia certa lege fuerunt aliquibus certis applicata. Vnde sequitur, hæc mansisse in bonis communibus Ecclesiæ; sicut bona ciuium decedentium sine vllis certis hæredibus aut legatariis, iure gentium ad ipsam Rempubl. pertinent. Non est autem minor communicatio bonorum inter fideles, quàm inter ciues vnius Reipublicæ.

Superfluæ Sanctorum satisfactiones pertinent ad thesaurum Ecclesiæ.

3 Conclvsio II. Possunt Prælati Ecclesiæ hunc thesaurum dispensare applicando ex iusta causa certis fidelibus aliquam eius partem, qua Deo pro pœnis ab iis debitis satisfiat. Est certa & communis Theologorum, sequiturque ex prima conclusione. Quia frustra omnino esset ille thesaurus in Ecclesia, si ipsa non posset eo vti, nec vllis in particulari eum applicare. Deinde quia in omni Repub. est potestas bona communia ex iusta causa distribuendi. Confirm. quia, si priuatus possit suas satisfactiones alteri applicare, vt patet ex disputatione 10. dubio 7. cur communitas non poterit communes satisfactiones alicui applicare?

Potest ea Ecclesia aliis applicare.

1. Corinth. 4. Probatur ex Scripturis. Quia Paulus 1. ad Corinth. 4. dicit Apostolos siue Prælatos Ecclesiæ esse dispensatores mysteriorum Dei: hæc autem sunt præcipuè merita & satisfactiones. quæ cùm, vt ostendi suprà, hominibus in communi data sint, iis sigillatim communicari & dispensari debent.

Nec hîc satisfacit responsio hæreticorum, hanc dispensationem fieri per solam prædicationem. Primò, quia ipsa peruertit sensum Euangelij, & tollit priuilegia à Christo Petro & Apostolis collata. Matth. 16. & 18. & Ioan. 20. & 21. vt ostendi in tract. de Sacramentis in genere, & de Pœnitentia. Secundò, quia Paulus hîc tantopere requiri fidelitatem in hoc ministro, quæ maximè cernitur in eo, vt quis in hac distributione exactè seruet iustitiam distributiuam, nec prodigè, nec indignis bona Domini distribuendo. Concio autem omnibus exhibenda est tam indignis, quàm dignis.

Matth. 16. & 18. Ioan. 20. & 21.

4 Conclvs. III. Potest hæc distributio fieri etiam extra sacrificium vel Sacramentum per Indulgentias. Est de fide ex Concil. Constant. sess. 8. & Trident. sess. vlt. sub finem.

Concil. Constantiense. Trident. 2. Cor. 12.

Probatur Primò, quia Paulus 2. ad Corinth. 2. absens Corinthio incestuoso partem pœnarum quas debebat persoluere remisit, idque sine Sacramento aut sacrificio, vt satis patet ex textu. Idem sæpè initio nascentis Ecclesiæ fuisse vsitatum vt ad preces Martyrum, vel aliàs, quando hoc Episcopi iudicabant expedire, remitteretur lapsis aliqua pars pœnitentiæ, patet ex Tertull. l. ad martyres post initium. Cyprianо l. 3. epist. 15. Concilio Niceno cap. 11. aliàs 12. Ancyrano c. 5. Laodiceno can. 2. quæ fusiùs citat Bellarm. lib. 1. de Indulg. cap. 3.

Tertull. Cyprian. Conc. Nicen. Laodicenum. Ancyranum. Bellarm.

Respondent hæretici, hæc tantùm intelligenda esse de pœnitentiis, quæ ab Ecclesia disciplinæ causa imponebantur, non autem de pœnis Deo debitis. Sed contrà Primò, quia Paulus dicit se id quod donauit illi Corinthio, donasse in persona Christi: ergo remiserat ei pœnas debitas Christo, quia alias pœnas sibi soli, siue Ecclesiæ debitas, ex persona sua aut Ecclesiæ, non autem ex persona Christi donasset. Neque enim possum aliquid alicui condonare ex persona Principis aut Dei, siue tamquam rerum ipsorum dispensator, nisi hoc ipsis sit debitum.

D. Paulum Corinthio incestuoso verè remisisse pœnas Deo debitas.

Secundò, quia Tertullianus l. de pudicitia c. 22. cùm iam factus hæreticus incepisset eiusmodi remissiones & Indulgentias oppugnare; negauit ad preces Martyris posse remitti lapsis partem pœnitentiæ, causamque addidit: quia Martyri nullæ satisfactiones supersunt, quas possit alteri communicare. Quæ ratio frinola fuisset, nisi sciuisset Ecclesiam Catholicam sentire, dum lapsis eiusmodi pœnitentiæ remittuntur, iis simul aliquas Martyrum satisfactiones applicari, siue communicari, quod negat posse fieri, eò quòd credat nullas satisfactiones Martyribus supereſſe, quibus ipsi non indigeant.

Tertullianus.

Tertiò, quia aliàs non fuisset facta gratia iis quibus fuissent remissæ pœnæ, qui debuissent grauiores luere in Purgatorio.

5 Probatur Secundò, quia Gregorius I. circa annum 600. Leo III. circa annum 800. Sergius II. circa annum 844. & alij deinde sequentes Pontifices apertè Indulgentias concesserunt, vt pluribus docet Card. Bellarm. lib. 1. de Indulg. c. 3. Ex quibus clarè ostenditur eam consuetudinem fuisse in Ecclesia antiquissimam: tum quia illi Pontifices clarè insinuant se in eo facto sequi antiquum Ecclesiæ morem: tum etiam, quia omnino incredibile est, tantos viros in tanta re aliquid fecisse, quod à maioribus non acceperint. Ex quibus patet, etsi ob maiorem rigorem Ecclesiæ, & feruorem Christianorum in peragendis pœnitentiis fuerit olim parcior vsus Indulgentiarum; aliquem tamen semper fuisse, & consequenter esse doctrinam Apostolicam, talem porestatem in Ecclesia esse, donec hæretici contrarium probent.

Gregor. I. Leo III. Sergius II. Consuetudinem dandi Indulgentias esse antiquam. Card. Bellar.

Obiiciunt hæretici, remissa culpa nullas restare pœnas luendas. Sed hoc suprà satis refutaui disput. 2. dub. 12.

6

Secundò, Christum pro omnibus peccatis satisfeciſſe. Respondeo, eius satisfactionem ac merita nemini tamen prodesse, nisi ei applicentur: aliàs omnes homines de facto salui fierent. quia omnibus gratiam & remissionem peccati meruit; inter cæteros autem modos eam applicandi, vnus sit per Indulgentias.

Obiiciunt Tertiò, Christus pro omnium peccatis sufficientissimè satisfecit: ergo superfluæ sunt satisfactiones Sanctorum. Respondeo, negando consequentiam. Quia, etsi hæ per se necessariæ non sint, quia illæ omnino infinitæ & inexhaustæ sunt; tamen voluit Christus etiam has in eodem thesauro reponi, & Ecclesiæ membris applicari. Primò, quia hoc pertinet mul-

Cur per Indulgentias etiam merita Sanctorum nobis applicentur?

multum ad gloriam Sanctorum, quos Christus etiam hoc modo honorare voluit. Secundò, quia, etsi valor satisfactionum Christi, vtpote *infinitus*, atque thesaurus prout ex iis solis constat intrinsecè & secundùm se nullo modo augeri possit; extrinsecè tamen ratione effectus producendi, per satisfactiones Sanctorum augeri potest. quia Christus suas satisfactiones ita Patri obtulit, vt in singulis applicationibus determinatum haberent effectum, qui augeri potest. Sicut igitur quò plures in Ecclesia sunt Sancti, maioráque eorum merita, eò ipsa Deo est gratior, & maiora ab eo obtinet beneficia, & sæpè obtinemus aliquid per merita & preces alicuius Sancti, quod sine iis non obtineremus: ita etiam non videtur incredibile Deum largiorem effectum Indulgentiis concedere ob Sanctorum satisfactiones, quàm aliàs faceret.

7 Obiiciunt Quartò, Omnes Scripturæ clamant solum Christum nos redemisse & saluasse: atqui secundùm hanc sententiam Sancti dicerentur nos redemisse: ergo ea non est asserenda.

Respondeo negando minorem. Primò, quia secundùm Scripturas ille propriè dicitur nos redimere qui à peccato & pœnis æternis nos liberat. quod soli Christo conuenit. Secundò, quia etsi liberans nos à pœna temporali posset secundùm quid dici nos redemisse: tamen id propriè etiam soli Christo conuenit. quia eius solius satisfactiones per se ad id & valent, & oblatæ sunt: satisfactiones verò Sanctorum nec ad id per se oblatæ sunt, nec per se ad id valent; sed omnem hanc vim habent ex meritis Christi, & per potestatem à Christo ipsius Vicario concessam nobis applicantur. Quare calumniantur apertè hæretici, dum nos dicunt per Indulgentias derogare meritis Christi, & constituere eum vnum è grege Sanctorum. quia maximè extollit & eminere facit merita Christi, quæ Sanctorum satisfactionibus hanc vim tribuunt. Sic potestatem Regis & magnetis illustrant, quòd possint eam ex parte aliis communicare, v. c. Rex suis subditis: magnes verò ferro quod ei adfricatur, quod deinde aliud ferrum ad se trahit.

Vbi sit thesaurus Ecclesiæ.

Quærò, perunt hæretici, vbi sit ille thesaurus, vel quomodo possit Bullis includi. Respondeo, non indigere loco corporali, sed manere *in* acceptatione Dei: qui ad hunc effectum illas satisfactiones acceptauit, vt propter eas remittat pœnas *iis, quibus* applicantur. Bullæ autem tantùm sunt instrumenta quibus voluntas Pontificis illas applicantis aliis innotescit.

8 Conclvs. IV. Potestas concedendi Indulgentias est primariò *in* summo Pontifice, & per ipsum in alios deriuatur. Ita Suarez disputat. 49. section. 1. numero 13. *Suarez.*

Probatur, quia potestas distribuendi bona publica per se tantùm conuenit summo Principi, aliis verò Magistratibus tantùm quatenus ab illo potestatem acceperunt; præsertim quando illa distributio non est absolutè necessaria ad eorum munus ritè obeundum: atqui in Ecclesia solus summus Pontifex est summus Ecclesiæ Princeps, & potestas illa nulli inferiori Prælato est absolutè necessaria ad munus suum ritè obeundum: ergo est per se immediatè in solo summo Pontifice. Confirm. quia Pontifex in aliis hanc potestatem absolutè augere, minuere, aut etiam tollere potest, atque ita efficere vt Episcopi ne validè quidem possint eas conferre. quod non esset verum, si illam ab eo non acciperent. Potest tamen dici, etiam Episcopos ex sua ordinatione ac officio eam aliqua ratione habere; quatenus eorum status saltem ex decentia exigit, vt ipsa iis à Pontifice communicetur. Atque ita intelligendi sunt auctores, qui dicunt Episcopos eam habere iure diuino.

Ex his patet solum Pontificem posse suo iure concedere plenariam Indulgentiam: reliquos verò tantas, quantas iis ille concesserit. Innocentius autem III. *in* Concilio Lateranensi concessit Episcopis, vt in ipsa dedicatione Ecclesiæ possint concedere Indulgentias vnius anni: in die verò anniuersario, vel aliàs, tantùm possint concedere Indulgentias 40. dierum: nec aliis quàm suis subditis. Patet ex cap. *Quod autem.* de pœnitent. & remiss. cap. tamen *A nostro.* eod. tit. docet Pontifex Archiepiscopum posse concedere Indulgentias per totam suam prouinciam. Nullus verò Episcopo inferior ordinario iure potest Indulgentias concedere. *Innoc. III.* Quantas Indulgentias possint Episcopi conferre.

DVBIVM II.

Cuius potestatis actus sit concessio Indulgentiarum: & quomodo operentur effectum, an per modum absolutionis, an verò per modum simplicis solutionis?

9 QVatuor possunt hîc esse sententiæ. Primò enim Durandus d. 20. quæst. 5. tenet vt probabile esse actum Ordinis. Sed hoc dici non potest. Primò, quia potestas Ordinis conceditur immediatè à Deo, nec potest per Pontificem augeri vel minui. Secùs est de potestate concedendi Indulgentias, vt patet ex dub. 1. Secundò, quia, si esset actus alicuius Ordinis, esset Ordinis sacerdotalis. quia reliqui non ordinantur ad remittenda aliis peccata: atqui hoc dici nequit. quia potest Pontifex concedere facultatem dandi Indulgentias non sacerdotibus: vt patet in quibusdam Cardinalibus: ergo non est actus Ordinis. *Durand.*

Secunda sententia dicit generatim omnem concessionem Indulgentiarum esse actum iudicialem, & fieri per absolutionem à pœna. Ita Caietan. tom. 1. opusc. tract. 15. c. 2. initio. Soto d. 21. q. 1. art. 2. concl. 2. Angelus v. *Indulgentia.* n. 1. in fine & alij. quatenus hi omnes generatim dicunt, concessionem Indulgentiarum esse absolutionem à pœnis, siue earumdem remissionem. Sed hoc non videtur posse dici respectu defunctorum. quia potestas soluendi non extendit se ad non subditos, vt patet ex c. *Quod autem.* de pœnitentiis: atqui defuncti non sunt subditi Pontificis: ergo, &c. Secundò, quia Pontifex nullo modo potest ligare defunctos: ergo nec potest soluere. quia æquè laxè patet vtraque potestas. Nec refert quòd Ecclesia soleat excommunicare defunctos, eósque ab excommunicatione absoluere. quia hoc improprie dicitur facere: quatenus declarat viuos incurrisse, aut non incurrisse excommunicationem; aut quatenus viuentibus permittit, aut interdicit communionem cum defuncto, vt dicam in materia de excommunicatione. Tertiò, quia potestas soluendi promissa Petro, Matt. 16. est ei data Ioan. 21. dum dicitur ei: *Pasce oues meas.* atqui potestas Papæ pascendi, non extendit se ad defunctos, ergo nec potestas soluendi. *Caietan.* *Soto.* *Angelus.* Ecclesia non potest soluere aut ligare mortuos nisi impropriè. *Matth. 16.* *Ioan. 21.*

Tertia sententia generatim dicit, Indulgentias non continere vllam absolutionem, aut actum iurisdictionis, sed meram dispensationem thesauri Ecclesiastici, ex eo soluendo pretium pro pœnis, quas peccator debet: sicut cùm vnus pro altero ex proprio satisfacit. Ita tenent Durandus in 4. dist. 20. quæst. 3. art. 2. Siluester v. *Indulgentia.* num. 3. *Durand.* *Siluester.*

Quarta sententia tenet, respectu viuorum eas continere & solutionem pretij, & veram absolutionem: respectu mortuorum meram solutionem pretij. Ita Bellarm. lib. 1. de Indulg. c. 5. quem ferè etiam sequitur Suarez disp. 49. sect. 3. & 4. *Bellarm.* *Suarez.*

Concl. I. Concessio Indulgentiarum continet veram absolutionem respectu viuorum: non tamen

respectu mortuorum. Secunda pars patet ex relatione secundæ sententiæ. Prima probatur Primò,
Matth. 16. quia Christus Matth. 16. absolutè promisit Petro claues cœlorum, quibus generatim omne vinculum impediens ingressum regni cœlorum solueret, quod sine inconuenienti solui posset: atqui talis est pœna, quæ restat remissa culpa: obligat enim hominem ad sui solutionem, & ita impedit ingressum cœli: & sæpè expedit eam homini condonari (nam aliàs Indulgentiæ essent illicitæ) nec repugnat fieri per veram absolutionem: ergo cùm verba Christi generalia sint, ad hoc vinculum etiam extendenda sunt.

Probatur Secundò, quia vbique in Iure dans Indulgentias dicitur alios à peccatis, seu pœnis iis debitis absoluere: Iurá autem videntur loqui de vera absolutione, quod patet Primò, ex cap. *Quod autem*. de pœnitentijs. Vbi dicitur dantem Indulgentiam debere esse iudicem accipientis, quia nemo potest ligari aut solui, nisi à proprio iudice, quod inaniter diceretur, si non ageretur de vera absolutione. Secundò, quia Ius vbique distinguit Indulgentias datas vinis à datis defunctis; quòd illæ dentur per modum absolutionis, hæ per modum suffragij.

11 Obiicies Primò, Actus iudicij requirit causæ cognitionem: atqui Indulgentiæ dantur sine causæ cognitione: ergo non sunt actus iudicij. Respondeo, negando minorem: quia eas concedens debet cognoscere, vtrùm hæc vel illa causa sit sufficiens ad tales Indulgentias concedendas. Quòd autem non debeat cognoscere in particulari statum cuiusque qui eas luceratur, commune est omnibus sententiis, quæ generatim & sub conditione feruntur. Sic Prælatus excommunicat omnes, qui certas res furantur: & postea excommunicatos potest absoluere, si intra tale tempus restituant, etsi nesciat in particulari qui sint.

Sententiæ generales non requirunt particularem cognitionem.

Obiicies Secundò, Iurisdictio exercetur in inuitum: Indulgentiæ autem non possunt concedi inuitis: ergo non sunt actus iurisdictionis. Respondeo, negando maiorem vniuersaliter esse veram, vt patet in absolutione sacramentali & dispensatione votorum. Fallit enim communiter quoties requiritur certa dispositio in absoluendo.

Non omnis absolutio potest inuito concedi.

Obiicies Tertiò, hinc sequi Papam non posse lucrari Indulgentias. Respondeo, negando sequelam. Primò enim poterit saltem eas sibi applicare, soluendo pro se pretium, sicut applicat eas defunctis. Secundò, quia probabilius est Prælatum, & maximè summum Pontificem, posse aliquem actum iurisdictionis voluntariæ immediatè nomine Dei in seipsum exercere, & ratione diuersi status duplicem personam subire, vt dixi disp. 8. n. 15.

Potest Prælatus aliquam iurisdictionem in se exercere.

Obiicies Quartò, Papa non habet iurisdictionem in pœnas Purgatorij: ergo non potest nos ab iis absoluere. Respondeo, negando assumptum. Nam quamdiu illius pœnæ debitores sunt subiecti Papæ, hic potest eos ab ea absoluere, præsertim cùm non teneantur eam absolutè soluere in Purgatorio; sed vel hîc, vel ibi.

12 Conclvsio II. Hæc tamen absolutio non fit sine solutione sufficientis pretij ex thesauro Ecclesiæ. Patet ex Extrauag. *Vnigenitus*. de pœnitentijs & remissionibus. Probatur, quia Deus semper ita exercet misericordiam, vt etiam admisceat aliquid iustitiæ. Hinc nunquam aliquod peccatum, pœnámve ei debitam etiam per Sacramentum aut sacrificium nobis remittit sine interuentu meritorum aut satisfactionis Christi vel nostræ.

Dices, Si interuenit sufficiens pretij solutio, non erit opus iudiciaria remissione vel absolutione, vt patet in debito pecuniario, quod vnus pro alio soluit. Respondeo negando assumptum. Nam fallit in debitis personalibus, quale est omne debitum pœnæ luendæ, in quo ex naturâ rei creditor non tenetur satisfactionem vnius pro altero acceptare: vt patet ex dictis disp. 10. nu. 57. Quare nihil alteri valet nisi iudex siue creditor eam acceptando, alterutrum pœnis absoluat. quod in nostro casu respectu defunctorum facit immediatè Deus: respectu verò viuorum Prælatus nomine ipsius Dei.

Conclvsio III. Omnis concessio Indulgentiarum est actus potestatis clauium. Patet, quia procedit à potestate publica aperiendi regnum Dei per sublationem impedimenti, quod eius ingressum retardabat, promissa beato Petro, Matth. 16. 13 *Matth. 16.*

Ex dictis patet Primo, potestatem clauium patere latiùs quàm iurisdictionem Ecclesiasticam. Quia concessio Indulgentiarum quæ fit defunctis, non potest propriè dici actus iurisdictionis: quia per eam nec exercetur iurisdictio in defunctos, cùm non sint subiecti Pontifici: nec in thesaurum Ecclesiæ, cùm iurisdictio necessariò respiciat personam subditam, non autem rem inanimatam. Potestas clauium patet latiùs iurisdictione Ecclesiastica.

Patet Secundò, concessionem Indulgentiarum etiam respectu defunctorum differre à satisfactione, qua vnus pro altero satisfacit. Primò, quia illa fit publica auctoritate: hæc priuata. Secundò, illa fit per dispensationem boni communis, vnde requirit aliquam iustam causam: hæc per applicationem boni priuati, ad quam sufficit voluntas applicantis. Tertiò, quòd illa legitimè facta habeat certiorem effectum, quia magis certa & expressa promissione nititur, magisque continet satisfactionem de congruo; quatenus continet satisfactionem Christi. Concessio Indulgentiarum differt à priuata satisfactione.

Patet Tertiò, quod dicitur in c. *Quod autem*. de pœnitentijs. Indulgentias solis subditis posse concedi, intelligendum esse de iis, quæ conceduntur per modum absolutionis; qua sola ratione eas possunt concedere Prælati inferiores. Pontifex autem qui non habet astrictam potestatem, potest eas etiam concedere per meram solutionem pretij, & consequenter etiam non subditis, v. c. defunctis.

Patet Quartò, Indulgentias in genere posse definiri, liberalem concessionem qua liberamur à reatu aliquo pœnæ, extra Sacramentum & sacrificium virtute clauium factam. Definitio Indulgentiarum.

DVBIVM III.

Quem effectum habeant Indulgentiæ?

Certum est hîc Primò, non valere ad remissionem peccati mortalis, quia post baptismum iustificatio impij non fit sine contritione aut attritione coniuncta cum actuali susceptione Sacramenti: vt docet Trident. sess. 14. c. 4. Statim autem atque aliquis est contritus, aut attritus suscipit Sacramentum pœnitentiæ, ei peccata sine vllis Indulgentiis remittuntur: vt Concilium ibidem docet. quare hic effectus non potest fieri per Indulgentias. 14 Per Indulgentias non remittitur peccatum mortale. *Trident.*

Secundò, satis etiam certum est eas non remittere per se peccatum veniale, quia hoc numquam in hac vita remittitur sine infusione gratiæ, vt ostendi disp. 2. dub. 16. Sola autem Sacramenta & martyrium ex opere operato gratiam infundunt. Deinde quia per concessionem Indulgentiarum applicantur etiam satisfactiones Sanctorum. Vnius autem hominis satisfactio nullo modo potest alteri applicari ad remissionem culpæ, quia hæc numquam fit sine interna pœnitentia, & hominis renouatione. Nec etiam veniale.

Tertiò, certum est, non valere ad remissionem pœnæ debitæ in foro externo Ecclesiastico vel ciuili. Quantumcumque enim quis lucratus sit Indulgentias, potest nihilominus à suo iudice in vtroque foro puniri, quia aliàs omnis disciplina euerteretur.

Quartò, certum est eas non tollere etiam pœnitentias in confessione in medicinam iniunctas, quatenus necessariæ sunt ad peccata in posterum vitanda. quia aliàs cederent in perniciem pœnitentis.

15 Tota autem difficultas est de pœnitentijs præcisè in punitionem peccatorum, & de pœnis luendis in Purgatorio, qua ratione has remittat?

Prima sententia docet, eas numquam remittere vllas pœnas, nisi quæ respondent pœnitentiæ iniunctæ nondum expletæ. *Caiet.* Caiet. tract. de Indulg. c. 2. & 7. & Petr. Soto lect. 2. de Indulg. Ratio huius est, quia Indulgentiæ videntur primò & per se institutæ ad mitigandas, aut omnino tollendas pœnitentias iniunctas in confessione: vt patet ex vsu primitiuæ Ecclesiæ. Addunt quidam hanc remissionem pœnæ iniunctæ fieri per hoc quòd Pontifex tamquam summus iudex dispenset in præcepto sacerdotis, qui pœnitentiam imposuit. *Petri Soto.*

Secunda putat hoc saltem verum esse, quando dicitur Indulgentias concedi de pœnitentijs iniunctis. quia concessio tunc videtur limitata ad solam remissionem illius pœnitentiæ, & pœnarum ei respondentium.

Tertia generatim dicit, per eas semper remitti pœnas Purgatorij, siue is qui eas lucratur habeat pœnitentiam explendam, siue non; & aliquid etiam ex ipsa pœnitentia, si quæ adhuc implenda restet. Valentia tom. 4. d. 7. q. 20. p. 3. §. *Quando autem.* Soto in 4. d. 21. q. 2. art. 1. concl. 3. Siluest. v. *Indulgentia.* q. 2. in fine. *Valentia. Soto. Siluester.*

Quarta docet, semper per eas remitti pœnas aliquas Purgatorij, non tamen semper pœnitentias iniunctas. Fundamentum huius sententiæ est, quia per se semper remittunt pœnas peccato debitas, pœnitentias autem iniunctas tantùm ex consequenti, subtrahendo nimirum materiam obligationis. Cùm enim ideò pœnitentia iniungatur, vt satisfiat Deo pro pœnis remissa culpa restantibus, posito quòd nulla pœna restet persoluenda, sequitur tolli totam rationem ob quam pœnitentia erat iniuncta, & consequenter eius obligationem.

16 Nemo in præcepto confessarij pœnitentiã iniungẽtis dispensare potest. CONCLVS. I. Extra Sacramentum pœnitentiæ nemo potest aliquem directè liberare à pœnitentijs iniunctis, dispensando in præcepto confessarij, vel illud abrogando. quia confessarius est hîc iudex supremus sub Deo, nec ab ipsius iudicio est vlla ad aliud forum appellatio: vt patet ex dictis disp. 10. n. 99.

17 *Siluester.* CONCL. II. Habens potestatem concedendi Indulgentias immediatè nomine Dei, ex iustâ causa potest remittere pœnitentias iniunctas. Siluester v. *Indulgentia.* num. 23. & alij. Quod fieri posse sine retractatione sententiæ à confessario latæ, patet in eo, qui remittit alteri satisfactionem ex sententia iudicis sibi ob illatam iniuriam faciendam: qui nullo modo dicitur iudicis sententiam retractare, aut in ea dispensare, cùm sæpè sit priuatus, nec vllam habeat iurisdictionem in eum qui tenetur satisfacere.

Probatur autem conclusio Primò, quia Perro generatim data est potestas soluendi vincula post peccatum relicta: ergo etiam soluendi hoc. quia nulla in eo apparet incongruitas.

Probatur Secundò, quia Pontifices sæpè concedunt Indulgentias aliquot dierum de pœnitentijs iniunctis, quæ valdè dubium semper haberent effectum quoad liberationem à pœnitentia iniuncta, si Pontifex hanc non posset directè remittere, sed tantùm indirectè, remittendo reo pœnas quas Deo debet, & consequenter subtrahendo rationem formalem ob quam pœnitentia fuit iniuncta; vt volunt auctores quartæ sententiæ. Nam sæpissimè contingit eum qui lucratur tales Indulgentias, supra ipsam pœnitentiam ad quam obligatur, debere adhuc tantas pœnas persoluere quantis per Indulgentias liberatur, aut etiam decuplo plures; & tunc illæ habebunt respectu harum finum effectum manente integro debito pœnitentiæ.

Dices, Pontificem remittere tunc præcisè illas pœnas, quæ respondent peccatis pro quibus pœnitentia iniuncta est. Sed contrà Primò. Vnde constat, Pontificem solo suo arbitrio posse ita remittere pœnas respondentes huic peccato potiùs quàm illi, præsertim quando illæ pœnæ obligant duplici titulo, quorum alterum ipse non potest per se directè & immediatè soluere, vt illi auctores supponunt. Adde, cùm illis peccatis iam certò illa pœna decreta sit per sententiam definitiuam, credibile omnino esse Deum nullam aliam pro iis satisfactionem acceptare quamdiu reo aliæ pœnæ persoluendæ restant. Secundò, quia sæpè fieri potest, vt reus pro iisdem peccatis duplo maiores pœnas debeat, quàm pœnitentiæ respondeant: atque ita huc effectus erit semper dubius, & consequenter nullus. quia dubia solutio non satisfacit certo debito. Quare aut dicendum est, nos per eiusmodi Indulgentias numquam liberari à pœnitentijs iniunctis. quod tamen verbis quibus conceduntur apertè repugnat. nam in iis Bullis sæpè expressè dicitur Indulgentias concedi de pœnitentijs iniunctis. Aut fatendum est, Pontificem, aliúmve habentem potestatem concedendi Indulgentias posse immediatè & directè illas pœnitentias, nomine Dei remittere: non dispensando in præcepto confessarij, sed eodem modo sicuti is cui ob illatam ei iniuriam debetur aliqua satisfactio, potest hanc remittere etiam ei qui per sententiam iudicis ad eam exhibendam est condemnatus.

18 CONCLVSIO III. Per Indulgentias non solùm quis liberatur à pœnitentijs ipsi iniunctis, sed etiam à pœnis quæ in Purgatorio soluendæ iis respondent. Est certa inter Catholicos. Et probatur. quia, vt patet ex dictis, Ecclesia habet potestatem has pœnas remittendi, & hoc per Indulgentias facere intendit. quia aliàs per eas potiùs obesset lucranti, quàm prodesset. quia liberando eum à pœnitentia, priuaret eum fructu, quem ex opere operato haberet, si eam impleret, & ita efficeret, vt grauissimas pœnas lucret in Purgatorio. sed hæc patebunt magis ex dicendis.

19 CONCL. IV. Non solùm per Indulgentias remittuntur pœnæ respondentes pœnitentiæ iniunctæ, sed quæuis aliæ debitæ ex peccatis remissis pro magnitudine Indulgentiarum.

Est ferè communis Doctorum excepto Caietano, qui tom. 1. opusc. tract. 15. c. 7. cum paucis aliis contrarium tenet. Fundatur præcipuè in ratione allata n. 15. pro prima sententia. Sed ex ea solùm probatur, Prælatos per Indulgentias posse eas pœnitentias vnà cum pœnis iis respondentibus relaxare: non autem eos non posse etiam alias pœnas remittere. Quia potestas Petro Matth. 16. promissa, est absoluta, soluendi omne vinculum impediens ingressum cœlorum. Tale autem vinculum sunt omnes pœnæ persoluendæ in Purgatorio. *Caietanus.* *Matth. 16.*

Probatur igitur conclusio Primò, quia facilius est remittere has pœnas, quàm illas quæ duplici titulo debitæ sunt, vt patet ex dictis: ergo nulla est ratio, cur hæ minùs remittantur quàm istæ. Secundò, quia sæpè conceduntur Indulgentiæ multorum millium annorum. Certum autem est nulli vmquam talem pœnitentiam imponi. Deinde quia aliàs, iam omnes maiores Indulgentiæ essent ferè inutiles, cùm paruæ pœnitentiæ imponantur, & ferè expleantur antequam Indulgentias lucremur.

20 CONCLVS. V. Etiamsi in Bulla dicatur Indulgentias concedi de pœnitentijs iniunctis; tamen eas lucrantes liberantur à pœnis Purgatorij, etsi omnes

Suarez. pœnitentias sibi iniunctas impleuerint. Ita Suarez disp. 50. sect. 3. assert. 3.

Probatur Primò quia, cùm, vt patet ex dictis, magis sit liberare aliquem à pœnitentijs iniunctis quàm ab aliis pœnis; illa particula *de pœnitentijs iniunctis*, non apponitur vt restringat beneficium, sed vt illud ampliet, & idem valet ac si diceretur, Etiam de pœnitentijs iniunctis: cùm nulla sit ratio illud restringendi ad illas pœnas, sed potiùs contrà. Quia qui expleuit pœnitentiam iniunctam dignior est hoc beneficio, quàm qui non impleuit. Item remittere pœnitentias iniunctas valdè odiosum est, quia laxat disciplinam Ecclesiasticam. Secùs est de remissione aliarum pœnarum, quæ ferè solum fauorem continet, qui ampliandus est.

Remissio pœnitentiæ iniunctæ est odiosa.

Probatur Secundò, quia aliàs iam ferè inutiles essent tales Indulgentiæ, vt patet ex conclusionis quartæ probatione secunda.

Caietan. Ex his patet falsum esse, quod dicit Caietan. c. *Quòd autem*. de pœnitentijs. restringi potestatem Episcoporum ad dandum tantùm Indulgentias de pœnitentijs iniunctis. contrarium enim potiùs ex textu colligitur.

21 Conclvsio VI. Qui præcisè lucratur Indulgentiam plenariam omnium pœnarum quas debet, liberatur ab omnibus omnino pœnis Purgatorij, & pœnitentijs iniunctis in puram punitionem peccati. Valentia tom. 4. d. 7. q. 20. p. 3. §. *Atque hactenus*. Soto in 4. d. 21. q. 2. art. 1. Palud. d. 20. qu. vlt. *in fine*. D. Antoninus 1. p. tit. 10. c. 3. §. 3. Patet ex dictis, quia est in Pontifice potestas ex iusta causa ab vtrisque pœnis liberandi; idque vt patet ex verbis, intendit, magisque infrà explicabitur.

Valentia. Soto. Paludan. D. Antonin.

Nota tamen, consultissimum semper esse totam pœnitentiam implere. Primò, quia sæpè iniuncta est per modum medicinæ, maximè iis qui sæpè in eadem peccata labuntur, & tunc Indulgentiæ ab ea non liberant, iuxta dicta initio dubij. Secundò, quia sæpè incertum est an Indulgentias luerati sumus: vel saltem an eas ita lucrati sumus, vt ab omnibus pœnis liberemur, vt dicemus infrà. Tertiò, quia tantum beneficium Dei exigit vt etiam ostendamus nos liberales erga eum aliquam satisfactionem exhibendo. Hinc vsus obtinuit, vt etiam in Indulgentijs plenarijs, ac Iubilæis aliquæ pœnitentiæ licèt minores iniungantur: idque quandóque in Bullis requiritur. Quando tamen pœnitentiæ essent valdè graues & difficiles, nec esset periculum morale recidendi in peccata, posset quis rationabiliter vti Indulgentijs, vt ab illis liberetur.

DVBIVM IV.

Vtrùm Indulgentiæ requirant certam formulam, & vtrùm hæc latè an strictè interpretanda?

22 Conclvsio I. Requirunt verba externa, vel signa æquiualentia, quibus sufficienter eorum concessio, quantitas, & conditiones ad eas lucrandas requisitæ exprimantur. Quia aliàs ab hominibus intelligi, acceptari, aut percipi non possunt, quæuis tamen signa prædicta sufficienter exprimentia fiunt: quia nec diuino, nec humano iure alia forma requiritur.

23 Conclvsio II. Quando verba, quibus eæ conceduntur, sunt omnino clara, sunt accipienda vt sonant, secundùm omnes DD. quando verò sunt dubia, aliqui latè ea putant interpretanda, quia sunt fauor Principis: alij verò strictè, eò quòd sint dispensatio quædam in communi lege, & eneruent rigorem disciplinæ Ecclesiasticæ, laxando iniunctas pœnitentias. Suarez verò disputat. 56. section. 2. vult potestatem concedendi Indulgentias strictè interpretandam: quia est aliquo modo odiosa, quatenus illam habens posset ea per imprudentiam facilè abuti, & ita eneruare disciplinam Ecclesiasticam. Ipsam verò Indulgentiarum concessionem ait esse largè interpretandam tamquam fauorem. Prior autem pars videtur intelligenda, vt hæc potestas eatenus debeat restringi, quatenus exerceri non potest sine iusta causa, & quatenus hæc hoc exigit. Nam aliàs eam latè debere intelligi, apertè colligitur ex iis quæ dicam disputat. 33. dub. 2. Secunda verò pars videtur verior respectu Indulgentiarum, quæ tantùm liberant à pœnis Purgatorij: quia vt sic non continent vllam relaxationem alicuius disciplinæ, sed sunt quædam liberalis donatio Principis, ac pœnarum remissio. Secùs quatenus tollunt pœnitentias iniunctas: quia vt sic eneruant disciplinam Ecclesiasticam.

Suarez.

DVBIVM V.

Quomodo diuersæ formulæ Indulgentiarum intelligendæ sint?

24 NOta Primò, Indulgentias diuidi in totales siue plenarias, quibus eas lucrantibus absolutè conceditur remissio omnium pœnarum, quæ ipsis ex remissis culpis persoluendæ restant: & partiales, quibus solùm certa aliqua portio restantium pœnarum remittitur: quamuis contingere possit, vt aliquibus hæc remissio sit plenaria, eò quòd plures pœnæ non debeantur.

Portio autem hæc aliquando est quasi indeterminata, vt quando lucranti remittitur quarta, tertia, vel media pars pœnarum debitarum: & tunc ei qui habet plures pœnas persoluendas, si perfectè Indulgentias lucretur, plures pœnæ per accidens remittuntur, quàm alteri habenti pauciores. quia vtrique tertia vel quarta pars remittitur. Aliquando verò & communiùs est determinata. quia scilicet remittitur pœna quadraginta, centum, vel mille dierum aut annorum, vel etiam aliquot carenarum in antiquioribus Indulgentijs.

25 Pro quo Nota Secundò, olim pro grauioribus peccatis, v. c. adulterio, & similibus, solere iniungi pœnitentias septem annorum, & pro grauissimis quibusque criminibus longiores: vt patet ex cap. *Hoc ipsum*. 33. quæstione 2. iuncta glossa Gratiani. Vnde patet, illos qui multa fortè millia grauium peccatorum patrarant, secundùm illos canones debuisse multis annorum millibus pœnitere, si fieri potuisset. Illas autem agentes, non solebant continuò, sed semel atque iterum per hebdomadam ieiunare, aut similem afflictionem subire; quamuis communiter aliquibus recreationibus continuò carere deberent: vt docet Cardin. Bellarminus lib. 1. de Indulgentijs, cap. 9. Et colligitur ex cap. *Accusasti*. 8. de accusationibus. vbi ei qui falsa accusatione alteri causa mortis fuerat, præcipitur, vt *quadraginta dies cum pane & aqua (quod carena vocatur) cum septem sequentibus annis pœniteat*. Vbi satis insinuatur, septem annorum pœnitentiam fuisse alterius generis quàm fuerit prior quadraginta dierum, & hac multò leuiorem. Tamen propter multitudinem & grauitatem peccatorum, eiusdem sæpè augebatur acerbitas; vt patet ex Iuribus citatis: & quia aliàs grauissimis peccatoribus non potuisset condigna pœnitentia iniungi.

Hoc ipsum. c. Bellarm. *Accusasti*. c. Carena quid sit?

26 Nota Tertiò, etsi cæteris paribus pro iisdem peccatis per breuiorem sine comparatione pœnam possimus hîc satisfacere, quàm in Purgatorio: eò quòd voluntaria pœnæ sufferentia hîc habeat rationem

Leuioribus pœnis hîc satisfacimus quàm in Purgatorio.

satisfactionis, ibi verò tantùm rationem meræ satisfactionis rigorosæ iustitiæ; tamen pœnæ Purgatorij ob continuitatem, & incredibilem acerbitatem longè breuiori tempore expurgant hominem, quàm pœnæ quæ olim secundùm canones iniungebantur. quia exigua parte anni afflictionem afferebant, vt quæ toto somni tempore pluribúsque per hebdomadam diebus, quibus non agebantur; imò & ipsis diebus quibus agebantur, ex variis causis & distractionibus ita interrumpebantur, vt planè nihil sentirentur: cum contra acerbitas pœnæ Purgatorij omnino continua sit. Hæc tamen intelligenda sunt, si spectemus ipsam externam satisfactionem secundùm se, & vt communiter à pœnitentibus exhiberur. Nam fieri potest, vt per opus parum pœnale ob magnam caritatem, ex qua procedit breui tempore pro diuturnis Purgatorij pœnis satisfiat. Sed hoc ipsi externæ pœnitentiæ est per accidens. Quare canones in præscribendis pœnis quæ pro peccatis iniunguntur (in quo propriè punitionem ipsius peccati spectant) præcipuè respiciunt gratitudem ipsius pœnæ. quia vt sic habet rationem punitionis: ideóque tantas támque diuturnas pœnas præscribebant, quantas aliquo modo credebant posse ad punitionem peccati sufficere, abstrahendo ab eo quòd pœnitens eas cum magna vel parua contritione susciperet. quia hæc circumstantia in singulis variatur: ipsi autem regulas generales præscribebant. Quia tamen sciebant ratione illius multùm crescere valorem satisfactionis; ideo volebant vt confessarij pro magnitudine feruoris, quo pœnitentia susciebatur vel agebatur, eiusdem acerbitatem moderarentur: vt patet ex can. 11. Concilij Niceni & aliis.

Per accidens fieri potest vt in Purgatorio citius quis purgetur, quàm per pœnitentias canonum purgaretur.

Cur canones tam diuturnas pœnitentias præscribat.

Concil. Nicæn.

27 His positis Respondeo, per eiusmodi Indulgentias verb. caus. 100. annorum, remitti tantas pœnas Purgatorij, quantæ delerentur per pœnitentiam 100. annorum secundùm canones exactam, quatenus hæc intelliguntur vt mera punitio ab Ecclesia iniuncta, abstrahendo à dispositione vel feruore susciepientis.

Quid intelligatur per Indulgentiã 100. annorum.

Vnde patet ex dictis Indulgentiis non posse colligi aliquos multis annorum millibus mansuros in Purgatorio (quia fortè mundus tam diu non stabit & pœnarum acerbitate diuturnitas compensari potest) sed multos esse debitores tantæ pœnæ in Purgatorio luendæ, quanta responderet tantæ pœnitentiæ canonicæ exactæ modo iam explicato.

28 Nota Quartò, multos conari distinguere inter Indulgentiam plenioremi & plenissimam. D. Antonin. 1. p. tit. 1. c. 3. §. 6. Sed verius est quod docet Cardin. Bellarm. lib. 1. de Indulgentiis c. 9. has non distinguit sed Pontifices his vti formulis, vt ostendant se absolutè dare quantas possunt maximas. Similiter inter Indulgentiam plenariam & Iubileum in ratione Indulgentiæ non est vlla distinctio, nisi quædam accidentalis ratione adiunctorum, quia in Iubileo solet concedi maior potestas absoluendi à casibus vel censuris reseruatis, & dispensandi in quibusdam votis. Sed hæc sunt ei accidentaria vt habet rationem Indulgentiæ.

D. Anton. Bellarm.

Inter Iubileum & Indulgẽtiam plenariam quid interfit.

DVBIVM VI.

Qualis causa requiratur vt Indulgentiæ sint validæ?

29 NOta, omnes quidem requirere aliquam causam pertinentem ad honorem Dei vt validè per Indulgentias remittantur pœnæ Purgatorij: aliqui tamen apud Henriquez l. 7. c. 14. num. 2. putant nullam esse necessariam vt remittantur præcisè pœnitentiæ iniunctæ. Alij putant quamuis causam ad quantumuis magnas Indulgentias sufficere: aiunt tamen Pontificem peccare concedendo magnas Indulgentias sine iusta causa. Durand. in 4. d. 20. qu. 4. Paludan. d. 20. q. 4. D. Antonin. 1. p. t. 10. c. 3. §. 1. Siluester v. *Indulgentia*, q. 3.

Henriquez.

Durand. Paludan. D. Anton. Siluester.

CONCLVSIO I. Ad quasuis Indulgentias requiritur aliqua causa. Henriquez lib. 7. cap. 14. num. 1. Valentia tom. 4. d. 7. quæst. 20. p. 4. initio. Soto in 4. d. 21. quæst. 1. art. 2. conclus. 1. Probatur; quia nullæ Indulgentiæ conceduntur sine dispensatione thesauri Ecclesiastici: vt patet Extranag. *Vnigenitus*. & dictis suprà: atqui dispensatio facta sine causa ab eo qui non est dominus, sed merus dispensator (qualis est Pontifex respectu illius thesauri) est inualida: ergo concessio Indulgentiarum sit inualidè si absit iusta causa. 30

Henriquez, Valentia, Soto.

Probatur Secundò, de directa remissione pœnitentiæ iniunctæ. quia hæc est difficilior quàm remissio aliarum pœnarum, vt patet ex dictis dub. 3. concl. 4. ergo illius remissio non minorem causam requirit quàm harum.

Tertiò, quia ideo remissio pœnæ Purgatorij sine causa est irrita, quia dispensator, quando abest iusta causa, inualidè remittit debita sui domini: atqui eadem ratio valet in remissione pœnitentiæ: ergo æqualiter est iniusta.

Quartò, quia vel talis remissio simul tolleret pœnas Purgatorij, & tunc clarum est non minorem requirere causam, quàm requireretur ad has solas remittendas: vel eas non remitteret. Et tunc est Primò, contra iustitiam vindicatiuam, quæ exigit vt iusta sententia iudicialis sine causa non mutetur. Secundò, contra disciplinam Ecclesiasticam, quæ eneruatur per indiscretas relaxationes pœnitentiarum. Tertiò, contra bonum ipsius pœnitentis; qui ea ratione cogeretur maiores pœnas vel hic, vel in Purgatorio subire, cùm per alias pœnitentias nihil ex opere operato acquireret.

CONCL. II. Quæuis causa non sufficit ad quasuis Indulgentias concedendas, sed requiritur proportionata. Petrus Soto lect. 2. de Indulgent. Soto suprà concl. 2. Caietan. de Indulgent. cap. 8. & est iam ferè communis. Probatur Primò, quia dispensatio in voto, vel cuiusuis legis Superioris, non solùm est inualida, quando sine vlla omnino causa fit, sed etiam quando fit sine iusta causa. quia respectu talis effectus censetur nulla: ergo similiter remissio pœnæ Deo debitæ sine iusta causa erit irrita. quia eadem est ratio. Probatur Secundò, quia Indulgentiæ sine vlla causa inualidè dantur: atqui quando causa tantùm est proportionata Indulgentiis vnius anni, si conferantur Indulgentiæ sex annorum; Indulgentiæ quinque annorum nullam habent causam sibi respondentem: ergo inualidè secundùm hanc partem dabuntur; valebunt tamen pro vno anno, quia diuisibiles sunt, & vt sic habent causam proportionatam, ac vtiles sunt. Vtile autem per inutile non debet vitiari, vt habet regula Iuris 37. in 6. 31

Petr. Soto. Soto. Caietan.

CONCL. III. Proportio sine iusta causa, ob quam Indulgentiæ conceduntur, spectanda est Primò, ex fine ob quem conceduntur: qualis est promotio cultus Dei vel Sanctorum, propagatio fidei, hostium Ecclesiæ subactio vel conuersio, maior Ecclesiæ Apostolicæ reuerentia, & aliæ quæuis huiusmodi causæ piæ. quia ad honorem & quoddam externum Dei bonum spectat, si ipsius siue Ecclesiæ thesaurus ad res huiusmodi promouendas expendatur. Secundò, ex proportione & vtilitate quam concessio Indulgentiarum, opúsve ad illas lucrandas requisitum habent ad dictos fines consequendos. Si enim neutrum horum hic & nunc sit vtile ad talem finem efficaciter consequendum, parui æstimandum est quòd finis sit bonus, eritque concessio inualida. Sicut 32

Iustitia causæ spectatur ex fine, & proportione operis iniuncti.

inualidè dispensaret Pontifex in voto castitatis alicuius plebeij imponendo ei vt semel orationem Dominicam legeret, nulla alia existente ratione, quàm vt ita omnes Turcas conuerteret: quia ad hunc finem talis dispensatio esset inutilis.

Quòd si tamen concessio Indulgentiarum sub tali vel tali conditione hîc & nunc sit quidem aliquo modo vtilis ad finem consequendum, non tamen prout exigit earum magnitudo, saltem secundùm partem aliquam valebunt, iuxta concl. 2.

33 Quale proportionem debeat opus habere cum fine

Vbi Nota quando concedantur Indulgentiæ quas magna communitas, vel omnes fideles possint lucrari, vtilitatem operis requiri non esse spectandam ex efficacia particularis cuiusque operis secundùm se, sed prout est coniunctum cum operibus omnium aliorum. v. c. Conceditur Indulgentia plenaria habenti imaginem aut rosarium benedictum, quoties talia vel talia opera facit, idque vt homines ad fidem, reuerentiam Sedis Apostolicæ, frequentationem Sacramentorum, aliaque pietatis opera excitentur: ad quæ consequenda, etsi meum opus per se parum videatur efficax, omnia tamen opera quæ hac occasione fiunt, sunt valdè efficacia: vt ego tamen eam lucrer, omnino necessarium est vt meum opus quod ad eam lucrandam exerceo, habeat aliquam efficaciam, vt saltem aliis coniunctum, dictum finem promoueat: Quia Pontifex non requirit opus inutile, sed vtile ad finem. Vnde etiam pro magnitudine pœnarum quæ mihi in particulari remittuntur, videtur in meo opere requiri maior proportio ad finem. Sicut enim vt aliquam Indulgentiam consequar, requiritur in meo opere in particulari aliqua vtilitas & efficacia ad finem promouendum: ita pro magnitudine pœnarum, quæ mihi remittuntur, videtur omnino maior ac maior vtilitas in eodem requiri.

34 Ex dictis sequitur Primò, non requiri vt opus iniunctum sit per se sufficiens pro pœnis remittendis. 35 quia sic nulla esset liberalis remissio, quam supponimus esse, sed sufficit vt sit iusta occasio ob talem finem remittendi tantas pœnas.

Secundò, posse Pontificem aliquando concedere alicui Indulgentias absolutè nullum ab eo opus requirendo. Ita Suarez disp. 52. sect. 4. num. 3. Pater, quia fieri potest, vt habeat in eo optimum finem, & concessio ipsa Indulgentiæ sit per se sufficiens medium ad eum promouendum. Vt si oriundè de Ecclesia merito eas concedat, vt alios ad similia merita excitet.

Suarez.

Nō omnes qui faciunt opus præscriptum lucrantur plenarias Indulgentias. Bruiser.

Sequitur Tertiò, non omnes semper lucrari plenarias Indulgentias etiam legitimè concessas, qui faciunt etiam in statu gratiæ opus præscriptum. Bruleser in 4. d. 20. q. 9. in fine. quia fieri potest vt habeant tot pœnas persoluendas, & opus tam exigua cum deuotione faciant, vt huius vtilitas ad illarum finem promouendum non sit tanta, quanta requiritur pro tot pœnis remittendis.

Dices, Sufficit quòd opera omnium simul sint proportionata præsertim cùm non semper requiratur aliquod opus in eo cui conceduntur Indulgentiæ.

Respondeo, illa sufficere vt in genere tales Indulgentiæ concedantur: non autem vt singulis in particulari integræ applicentur. Quia aliàs lucrarentur etiam eas, qui opus ita faceret, vt nullam haberet vtilitatem ad finem. Nec enim in hoc casu talis concessio Indulgentiarum vt huic vel illi applicata habet vtilitatem ad finem intentum promouendum, sed potiùs obesset, si per leue opus quantumuis repidè peractum, quantumuis magnas pœnas remitteret. Quia esset occasio cur homines repidè ea opera obirent, cùm scirent æqualiter se Indulgentias lucraturos, siue repidè siue feruenter ea obirent.

Confirmatur ex Extrauag. *Antiquorum*. 1. de pœnitentijs, vbi Bonifacius VIII. cùm concessisset plenissimas in anno Iubilæi Indulgentias, tandem subiungit: *Vnusquisque tamen plus meretur, & Indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas amplius & deuotius frequentabit.* Quæ verba, quantumcumque aliqui conentur ea aliter interpretari, non videntur posse admittere commodum sensum, nisi dicamus fieri posse, vt repidè frequentantes basilicas, non lucrentur plenarias omnino Indulgentias: aliàs has deuotiùs frequentantes non possent illa efficaciùs lucrari.

Bonif. VIII.

Vnde patet, plenarias Indulgentias ita intelligi 35 concedi, vt illi qui pro magnitudine pœnarum quas debent, feruenter etiam opera præscripta obeunt, omnium pœnarum, quas debent, remissionem consequantur: alij verò proportionaliter aut omnium, aut partis debitarum remissionem percipiant, secundùm proportionem pœnarum quas debent, & deuotionis qua opus præscriptum obeunt: respectu quorum dicuntur etiam plenariæ, quia tantas lucrantur, quantas ex plena potestate Pontifex spectata hac causa & circumstantijs operis, iis potest concedere. Idémque proportionaliter de aliis multorum annorum Indulgentijs dicendum est. Nullus tamen tantus potest esse peccator in quo non possint habere integrum effectum, si cum debita dispositione, & proportionata deuotione opera iniuncta faciat.

Qua ratione intelligendæ sint plenariæ Indulgentiæ.

Sequitur Quartò, temerè satis eos facere, qui In- 36 dulgentias Pontificum parui pendunt, aut facilè tamquam indiscreras damnant. Quia Pontifex potest iustissimas habere causas eas concedendi quas ignoramus, nec necessarium est illas examinare & facilè possunt habere respectu diuersorum hominum, respectu quorum videntur esse nimiæ, commodam explicationem, iuxta dicta.

Temerè Indulgentiæ cōdemnantur, aut iudicantur indiscretæ.

Sequitur Quintò, intelligendas esse Indulgentias vt sonant, siue conferre omnem remissionem quam exprimunt, si modò sit legitima potestas in conferente, causa proportionata etiam respectu eius, cui in particulari applicantur, & legitima dispositio in recipiente, de qua infrà.

Quomodo intelligēdæ vt sonant.

DVBIVM VII.

Qualis requiratur dispositio in eo qui lucratur Indulgentias?

37 RESP. Secundùm omnes requiritur Primò, vt sit baptizatus: quia dispensatio thesauri Ecclesiastici non potest fieri nisi in filios Ecclesiæ, quales sunt soli baptizati.

Secundò, vt sit in statu gratiæ, saltem in illo instanti quo ponitur vltima conditio requisita ad Indulgentiam, siue in quo actu debet fieri remissio pœnæ. quia eiusmodi beneficia non præstantur perseuerantibus in Dei inimicitia.

Putant aliqui eum qui in statu peccati posuit omnes conditiones ad Indulgentias lucrandas in Bullis requisitas, postea resurgentem à peccato percipere earum fructum. Palud. in 4. d. 20. q. 4. Siluester v. *Indulgentia*. num. 32. Sed contrarium longè est probabilius. Sà v. *Indulgentia*. nu. 2. Primò, quia sic inimico 38 valdè liberalis fieret remissio, saltem sub conditione quod videtur absurdum. Secundò, quia ita reuiuiscere est proprium omnino Sacramentorum, quæ efficaciùs multò applicant merita Christi, quàm Indulgentiæ. Tertiò, quia ne quidem Sacramenta reuiuiscunt ei, qui ea recipiens posuit aliquod impedimentum essentiæ eorum repugnans, vt patet in pœnitentia: atqui perseuerantia in statu peccati repugnat essentiæ Indulgentiarum, quia hæc tota consistit in remissione pœnæ.

Palud. Siluester.

Dices, Posset Ecclesia concedere Indulgentias omnibus ter ieiunantibus, ita vt existentibus in peccato tunc inciperent valere, quocunque instanti à peccato resurgerent: ergo tunc Indulgentiæ reuiuiscerent.

Resp. negando consequentiam. Quia respectu horum vltima conditio requisita ad Indulgentias esset resurgentia à peccato, & consequenter ipsa eodem instanti poneretur, quo homo esset in gratia.

Tertiò, vt habeat aliquas pœnas persoluendas pro culpis iam remissis. quia nec pœnæ remittuntur vnquam ante culpam; nec ei possunt vllæ remitti, qui non habet soluendas: nec etiam potest quis acquirere ius vt gratis ei remittantur pœnæ quas per futura peccata merebitur.

38 Quartò, vt integrè faciat opus à concedente Indulgentias præscriptum. Aliqui tamen putant facientem mediam partem operis lucrari mediam partem Indulgentiæ. sed hoc est improbabile, nisi id in Bulla exprimatur. quia Indulgentiæ intelligendæ sunt vt sonant. Henriquez lib. 7. cap. 10. n. 3. Paludan. in 4. d. 20. q. 4. art. 1. §. *Quantum ad Tertium.* Durand. ibid. q. 4. Sà v. *Indulgentia.* in fine.

Henriquez. Paludan. Durand. Sà.

Nota, quando in iis requiritur confessio, secundùm Suarez disp. 52. sect. 2. & communem sententiam id intelligendum esse de iis, qui habent conscientiam peccati mortalis. quia confessio non solet requiri nisi ad huius expiationem.

Suarez.

Dubitant etiam auctores, vtrùm quando conceditur Indulgentia contritis & confessis, conscio sibi peccati mortalis necessaria sit actualis confessio: Contritionem enim sufficere multi probabile putant. Angelus v. *Indulgentia.* n. 17. Siluester ibid. n. 20. Palud. suprà art. 3. initio. D. Antonin. 1. p. tit. 10. c. 3. §. 5. Sed contrarium est longè securius. Quando autem dicitur, qui præmissa confessione communicaret, constat inter omnes confessionem actualem requiri in eo qui habet peccatum mortale.

Angelus. Siluester. Palud. D. Antonin.

39 Quintò, aliqui requirunt vt opus requisitum fiat totum in statu gratiæ, sed cõtrarium longè est verius. Patet Primò, ex vsu totius Ecclesiæ. In Iubileis enim communiter requisita ieiunia ac visitationes Ecclesiæ solent præmitti ante confessionem, antequam certum est plurimos non iustificari, qui omnes effectu Indulgentiarum fraudarentur. Secundò, quia illud opus non debet in se esse satisfactorium, aut applicare ipsas Indulgentias, sed tantùm requiritur vt conditio, qua posita Pontifex applicat Indulgentias ex vi primæ suæ concessionis. Tertiò, quia tale opus etiam factum à peccatore potest esse sufficienter vtile ad finem ob quem Indulgentiæ conceduntur. quia potest valere ad excitandam pietatem & deuotionem populi, ad diligentiorem præparationem, ad confessionem & communionem; imò etiam ad impetrandum à Deo finem intentum. quia peccatores iam volentes se conuertere Deus sæpe exaudit: aliàs enim non deberent petere à Deo gratiam qua possent conuerti: ergo etiam erit vtile ad lucrandas Indulgentias. Hinc quando conceditur in Bullis, vt vnus pro alio lucretur Indulgentias (quod fieri posse patet ex Indulgentiis, quas lucramur pro defunctis: idémque inter viuos fieri posse videtur satis clarum, cùm nulla sit ratio in contrarium;) etsi necessariò requiratur vt sit in gratia is cui applicantur: non est tamen necesse vt is qui facit opus præscriptum sit in gratia, nisi Sacramentum aliquod suscipiendum sit. Patet ex dictis, & tenet Suarez disp. 53. sect. 4. n. 6.

Opus factũ in peccato mortali potest esse vtile ad finem Indulgentiarum.

Suarez.

40 Nota tamen, valdè consultum esse totum opus explere in gratia, quia sic certiùs & efficaciùs qui lucrabitur Indulgentias. Nam fieri posset vt opus in statu peccati mortalis factum, cùm sit minùs efficax ad finem consequendum, non sufficiat ad Indulgentias integrè lucrandas, iuxta dicta dub. 5. concl. 3.

Sextò, requirunt aliqui, vt qui lucratur Indulgentias sit solicitus vt pro pœnis per ipsas remissis piis operibus satisfaciat. Sed hoc est eneruare omnem earum vim. Cùm enim illæ nobis applicent satisfactiones Christi ad remissionem pœnarum debitarum, non est opus pro his alia satisfactione. Fateor tamen nos propter illas non debere omnino alias satisfactiones omittere, quia nescimus an eas sumus ita lucrati, vt nulla nobis debita supersint, vt patet ex dictis num. 34. & 35.

DVBIVM VIII.

Vtrùm opus præscriptum debeat esse honestum.

CONCLVSIO affirmatiua. Quia aliàs communiter esset ineptum ad finem intentum consequendum. quia ad pietatem aut cultum Dei referri non posset: vel etsi quandoque posset esse aliquo modo aptum; vt quando tantùm petitur eleemosyna ad pauperum, vel Ecclesiæ necessitatem subleuandam, & hæc datur merè ob vanam gloriam; hoc tamen est per accidens, & præter naturam operis, quod per se in gloriam Dei non cedit, & est ineptum vt ob id alicui Christi merita applicentur. Hinc qui ita faceret totum opus vt nullam haberet rationem virtutis, Indulgentias non lucraretur: vt si faceret illud ob prauum aliquem finem. Quòd si tamen hic finis esset tantùm venialis, & ipse simul faceret illud opus ob finem honestum; cùm valdè probabile sit opus externum factum ob duplicem finem, posse simul esse bonum & malum: probabile etiam esset, talem lucraturum Indulgentias. Quod multò verius est de illo, qui simpliciter facit opus ob finem bonum, sed interim alia occasione peccat venialiter. quia hoc non impedit quin opus absolutè sit bonum. 41

Faciẽs opus requisitum ob malum finem non lucratur Indulgentias.

DVBIVM IX.

Vtrùm quis eodem tempore possit lucrari diuersas Indulgentias?

VErbi causa, habet quis sex diuersi generis imagines sacras, quarum singulas habenti ac legenti *Pater, & Aue*, confertur Indulgentia vnius anni, Vtrùm is legendo semel *Pater & Aue*, lucretur Indulgentiam sex annorum. Quidam id putant, quia talis verè facit opus præscriptum. Sed contrarium communiter tenendum est cum Suarez disput. 52. sect. 8. num. 10. Quia hæc opera ita præscribuntur vt singula pro singulis Indulgentiis requirantur; aliàs non essent proportionata Indulgentiis, iuxta dicta dub. 5. concl. 3. 42

Suarez.

Quòd si tamen opus esset tale, vt non posset multiplicari, verbi causa, si esset concessæ communicanti in festo Natiuitatis; tunc non est omnino improbabile aliquem posse diuersas Indulgentias lucrari, si tanta deuotione illud opus obeat, vt sit illis omnibus proportionatum. ita cum aliis Suarez suprà n. 12.

Idem.

DVBIVM X.

Vtrùm defunctis possint conferri Indulgentiæ, & quibus.

NEgant id nostri hæretici, quia negant Purgatorium & omnes Indulgentias. Idem negarunt aliqui olim Catholici, eò quòd B. Petro solùm sit data potestas soluendi eos qui sunt super terram, siue viuentes. Ita Gabriel lect. 57. in canonem. Alij dixe- 43

Gabriel.

rum defunctis tantum mediatè non verò directè conferri indulgentias, ita vt directè conferantur viuis, qui eas defuncto applicent.

Leo X. CONCLVS. I. Possunt Indulgentiæ conferri etiam defunctis. Est certum, & contrarium est erroneum, & videtur damnatum in epistola Leonis X. qua damnat errores Lutheri. Et patet ex praxi totius Ecclesiæ, quæ errare non potest. Et probatur, quia, vt dixi supra sect. 11. dub. 77. potest primus tuas satisfactiones applicare defunctis; quare Ecclesia non potest defunctis applicare satisfactiones Christi, cùm omnia hic possint reperiri, quæ ad iustam Ecclesiæ dici thesauri dispensationem requiruntur?

44 Palentinus. CONCLVSIO II. Possunt Indulgentiæ directè conferri defunctis. Vide Valentiam tom. 4. d. 7. q. 20. p. 1. vbi plurimos citat. Probatur, quia, si Pontifex potest eas conferre alicui priuato, vt eas applicet defunctis; nulla videtur ratio, cur Pontifex id immediatè non possit. Imò communiter eas ita applicat eis, pro quibus eas alij intendunt lucrari. Nam videtur conuenientius, vt ipse per se dispenset thesaurum Ecclesiæ, quàm vt dispensandum quodammodo alteri tradat.

45 CONCL. III. Non potest Pontifex eas conferre defunctis per modum absolutionis, vt patet ex dictis dub. 2. concl. 1. sed tantùm per modum suffragij. quia præter hos duos modos, non est alius.

Petes, Quomodo hi modi differunt?

Omissis variis sententijs quas adfert Suarez disp. 53. sect. 3. Resp. cum eodem hoc solo differre, quòd priore modo Pontifex directè remittat pœnam debitam ei cui dat Indulgentias, iuridicè eum ab illa absoluendo. Secundo modo tantùm offert Deo satisfactionem Christi & Sanctorum, quasi pretium quo alterum à pœnis persoluendis redimat, quas Deus huic immediatè remittit, illud pretium ex pacto cum Christo inito acceptando. Vnde patet has Indulgentias & infallibiliter, & ex condigno valere propter merita Christi, & promissionem ei factam.

46 CONCLVS. IV. Non possunt prodesse Beatis, quia illis non indigent; nec etiam damnatis, quia non sunt in statu gratiæ: sed solis illis qui sunt in Purgatorio.

CONCLVS. V. Probabilius est eas solis baptizatis prodesse. Primò, quia, vt dixi in materia de sacrificio, verosimilius est etiam hoc ex opere operato solis baptizatis prodesse. Secundò, quia non videtur Papa posse defunctos hoc modo à pœna redimere, quos viuos non poterat ab ea absoluere: nullos autem non baptizatos potest ab ea absoluere. Tertiò, quia thesaurus Ecclesiasticus (sicut & aliqua Sacramenta præter baptismum) est à Christo relictus Ecclesiæ dispensandus iis, qui intra Christi Ecclesiam sunt, tamquam eius filij, quales in lege gratiæ propriè illi soli reputantur, qui baptizati sunt, vt docet Trident. sess. 14. cap. 2. Trident.

DVBIVM XI.

Quæ requirantur vt Indulgentiæ defunctis prosint.

RESP. Præter potestatem in conferente, quæ ex vsu Ecclesiæ est in solo Pontifice, & causam iustam, de qua dixi supra, requiritur 47

Primò, vt ita concedantur vt possint defunctis applicari. Nisi enim id expressè concedatur, nemo potest Indulgentias aliis quàm sibi lucrari. ita D. Thomas in 4. d. 45. q. 2. a. 3. D. Thom.

Secundò, vt opus requisitum fiat ea intentione ab operante, vt defunctis Indulgentias lucretur: quia nemo aut sibi aut aliis lucratur Indulgentias, nisi volens, saltem implicitè intendens saltem implicitè.

Tertiò, vt animæ ipsæ eas acceptent. Sed ad hoc sufficit generalis voluntas, qua omnes cupiunt à pœnis per suffragia nostra liberari. Quamuis etiam probabile sit iis nuntiari per angelos Custodes, quinam pro iis Indulgentias lucrentur; eásque particulatim has acceptare.

Quartò, aliqui absolutè requirunt vt Pontifex aliquod opus à viuis exigat, vt possit defunctis concedere Indulgentias: sed absolutè non videtur necessarium, si alias iusta causa subsit, iuxta dicta dub. 5. quamuis rarò possit esse talis iusta causa, & vix fieri expediat, ideóque numquam fiat. 48

Quintò, aliqui requirunt vt faciens opus, eius satisfactionem offerat pro defuncto; sed hoc non est verũ: quia opus non requiritur vt satisfactorium, sed vt vtile ad finem intentum promouendum. Vnde etiam non requiritur vt operans sit in statu gratiæ, iuxta dicta dub. 6.

Sextò, requirunt aliqui, vt dum viuerent meriti sint vt possint iis postea Indulgentiæ applicari: sed generatim omnes hoc sufficienter merentur hoc ipso quo decedunt in gratia.

DVBIVM XII.

Quomodo desinant valere Indulgentiæ?

CONCL. I. Quando tacitè vel expressè conceduntur pro certò tempore, simul cum eo exspirant. per se patet. quia non valent vltra intentionem concedentis. 49

CONCLVS. II. Quando absolutè in perpetuum conceduntur, non tolluntur morte concedentis. Quia sunt gratia Principis, quæ eius morte non exspirat. Tolluntur tamen per reuocationem concedentis, aut eiusdem Superioris, aut in idem officium successoris. quia sicut in concedi, sic in conseruari ab horum voluntate perpetuò pendent.

CONCL. III. Idem dicendum est de Indulgentijs concessis indefinitè sine vlla expressa vel tacita temporis limitatione. Talis enim concessio æquiualet perpetuæ, cùm nulla sit causa cur potiùs ad vnum tempus, quàm ad aliud debeat restringi. Ita Suarez disp. 57. sect. 1. Suarez

DE

DE CENSVRIS ECCLESIASTICIS.

CVM ratione Sacramenti Pœnitentiæ multa nobis tractanda fuerint de potestate Clauium, vt tota hæc res perfectè explicetur, necessarium est vt aliqua etiam dicamus de censuris, quod quàm potero breuissimè faciam.

Soto. Nauarrus. Henriquez, Suarez, Auila. *Scripserunt autem de his admodum varij, vt Soto in 4. dist. 22. Alij verò Scholastici communiter d. 18. Summistæ verò v.* Excommunicatio, *v.* Interdictum, *& v.* Suspensio. *Nauarr. cap. 27. Henriq. lib. 13. de Sacramentis, & alij. Inter alios autem fusissimè & doctissimè P. Suarez tom. 5. & post illum breuius quidem, sed admodum doctè ac commodè P. Stephanus ab Auila. Nos nostro more breuitatem sectantes, sex disputationibus rem omnem concludemus. Primò, agemus de censuris in communi. Secundò, de excommunicatione. Tertiò, de Suspensione. Quartò, de Depositione, & degradatione. Quintò, de Interdicto & cessatione à diuinis. Sextò, de Irregularitate.*

DISPVTATIO XIII.

DE CENSVRIS IN GENERE.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit censura & quotuplex?

1 PRIMVM hîc videndum generatim quid nomine censuræ significetur. Deinde quæ pœnæ Ecclesiasticæ nomine censuræ soleant comprehendi, vt his perspectis facilius ipsam possimus definire.

2 Censura variè sumitur. Censura igitur, si vim nominis spectemus, potest sumi pro quouis de re aliqua iudicio, præsertim quo ea quæ in ipsa vel laudanda, vel reprehendanda sunt notantur. Quia autem olim apud Romanos Censores constituti fuerunt, vt mores populi corrigerent; hinc sæpiùs censura sumitur pro sententia qua reprehenduntur ea, quæ in moribus vitiosa sunt: aut etiam pro pœna, quæ tali sententia imponitur.

Quare secundùm communem vsum censura Ecclesiastica significat aliquam pœnam eius generis, vt sola potestate Ecclesiastica ferri possit: quæ ad mores corrigendos iniungitur. Vnde sequitur Primò, hanc pœnam debere versari primò & per se circa rem spiritalem, & circa temporalem, non aliter, quàm quatenus dirigitur ad res spiritales. quia pœnas merè temporales possunt etiam iudices ciuiles iniungere. Sequitur Secundò, hanc pœnam debere esse priuatiuam; quia in rebus spiritualibus non possumus puniri per earum collationem. quia hæc nequit esse pœnalis; sed solùm per earum priuationem.

Requisita ad censuram Ecclesiasticam.

3 Soto. Quia autem hæ pœnæ possunt adhuc esse variæ, non conuenit inter DD. quænam præcisè nomine censuræ Ecclesiasticæ comprehendantur. Soto in 4. d. 22. q. 3. a. 1. enumerat quinque, scilicet Excommunicationem, Suspensionem, Irregularitatem (non quidem omnem, sed eam quæ ob aliquod delictum in pœnam infligitur) Interdictum, & Cessationem à diuinis: sed hæc aut non distinguitur ab Interdicto, aut non habet propriè rationem pœnæ; vt dicam disputat. 17. Alij verò his etiam addunt Depositionem & Degradationem; atque ita septem censuras recensent.

4 Vt autem hanc rem definiamus, Notandum est aliud esse censuram hoc vel illud ex vi nominis significare (qua ratione dictæ omnes pœnæ possent fortè dici censuræ.) aliud verò ipsam pro talibus aut talibus pœnis communiter in Iure, aut Bullis Pontificum sumi. Hic autem cùm praxim ipsam, aut Iuris intelligentiam spectemus; quærimus quid censura in Iure Pontificio significet.

5 Censuræ sunt solùm tres. Nauar. Resp. igitur, tres solùm propriè esse censuras, scilicet Excommunicationem, Suspensionem & Interdictum. Ita Nauar. c. 27. n. 1. & ferè communiter DD. Probatur Primò, quia, quoties Iura iubent alicui aliquam censuram infligi, aut ab ea absoluendi dant potestatem, intelligunt solùm tres dictas species: ergo in Iure hæ solæ per illas significantur.

Antecedens prob. tum ex c. 1. ac cap. *Statutum.* de sent. excommunic. in 6. vbi hæ solæ numerantur; nec vllibi recensentur plures: tum maximè ex cap. *Quæ renti.* de significat. verborum: vbi Innocentius III. ait *Quærenti quid per censuram Ecclesiasticam debet intelligi, cùm eiusmodi clausulam in literis nostris apponimus, respondemus quòd per eam, non solùm interdicti, sed Suspensionis, & excommunicationis sententia valeat intelligi.* Vbi cùm Pontifex generatim interrogatus, quid per nomen Censuræ positum in scriptis Pontificum intelligatur, dogmaticè respondeat intelligi illas tres censuras, necessariò dicendum est, eum ibi omnes censuras enumerare. quia aliàs nec satisfeciset generali interrogationi, qua petebatur enumeratio omnium censurarum: nec seruasset leges responsionis dogmaticæ, quæ vitiosa est, quando proponens enumerare species alicuius generis, aliquas omittit. Sicut si Pontifex interrogatus, quæ sint Sacramenta nouæ legis, responderet, esse Baptismum, Confirmationem

c. 1. de sent. excom. Statutum. Quærenti. Lateran. III.

& Eucharistiam; malè responderet, quia innueret non esse alia Sacramenta. Confirmatur Primò, quia, si Ius agnosceret plures censuras, credibile est quòd alicubi id innueret; atqui nullibi enumerat plures, sed contrà constanter vbique data occasione, solùm eas tres: ergo signum est eas solas esse.

6 Dices, dictis omnibus locis ideo solas eas censuras enumerari, quia in iis tantùm erat quæstio de censuris quæ solent ab homine infligi: irregularitas autem infligitur à solo Iure.

Sed contrà Primò. Hinc saltem sequitur cessationem à diuinis, degradationem, & depositionem non esse censuras, quia imponuntur ab homine, & tamen inillis locis non recensentur. Secundò, quia vox *Censura* sæpissimè ponitur in Bullis, in quibus non agitur de pœna ab homine infligenda: sed de absolutione à pœnis, & quidem præcipuè à Iure inflictis: ergo cùm Innocentius suprà generatim respondeat per *Censuram*, quando ponitur in scriptis Pontificum, solùm intelligi illas tres, simpliciter dicendum est eas solas à Iure haberi pro censuris.

7 Censuræ præcipuè feruntur vt peccans emendetur, c. 1. *de sent. excom.* Sunt vinculum ex sua institutione solubile. Secùs est in aliis pœnis, quæ habilitate tollunt. c. 1. *de sent. excom.* Confirmatur Secundò, quia secundùm vsum Ecclesiæ censuræ non tam feruntur, vt peccans ad aliorum terrorem puniatur, quàm vt ipse corrigatur, vt patet ex cap. 1. de sent. excommun. in 6. vbi dicitur eiusmodi pœnas debere esse medicinales: & ob eandem etiam causam infliguntur per modum vinculi, ex natura & institutione sua facilè solubilis, posita emendatione rei. Quare non tollunt propriè vllam potestatem spiritalem, sed eam quodammodo ligant. Secùs autem est de irregularitate, depositione, & degradatione, quæ tollunt, quantum in se est, ipsam potestatem spiritalem, idque in perpetuum, sine spe recuperationis. Vnde etiam priores pœnæ tolluntur per absolutionem rei: posteriores verò per solam dispensationem, siue relaxationem legis, quæ ex vi sua exigit, vt tales pœnæ perpetuæ sint. Quæ omnia patent, tum ex cap. 1. de sentent. excommun. in 6. tum ex Bullis Pontificum, quibus eiusmodi facultates conceduntur.

Vnde etiam Confirm. Tertiò, quia in pluribus facultatibus, seu Ordinum priuilegiis, & quandoque etiam in Bullis Pontificum Primò conceditur generatim potestas absoluendi ab omnibus censuris, & deinde potestas dispensandi in irregularitate contracta ex delicto. Vbi clarè innuitur hanc non esse censuram, & aliter tolli quàm illas.

8 Censura quid sit. Hinc patet, censuram, prout sumitur communiter in Iure, & Bullis Pontificis, esse pœnam medicinalem priuantem immediatè vsu spiritalium bonorum, per potestatem Ecclesiasticam ità impositam, vt ex se non sit perpetua, sed posita rei emendatione debeat tolli. Sequitur ex dictis.

Dixi *esse pœnam*, vt excludatur cessatio à diuinis, quæ vt distinguitur ab Interdicto, non est propriè pœna, vt ostendam disp. 17.

Dixi *esse medicinalem priuationem immediatè*, &c. Quia per eam non tam quæritur punitio peccati quàm emendatio peccatoris: ideóque tolli debet eo emendato, vt patet ex cap. 1. de sent. excommunic. in 6. & cap. *Ex literis*, de constitutionibus. Et hinc excluditur irregularitas, quæ incurritur ob crimina, depositio, degradatio, quia non sunt propriè medicinales, nec priuant immediatè vsu spiritalium bonorum, sed habilitate vtendi iis bonis, atque ideo quantum est ex earum institutione, sunt perpetuæ. c. 1. *de sent. excom.* 8. *Ex literis.*

Dices, Hinc sequitur, censuras non posse ferri in eos qui sciuntur per eas non emendandi; sicut medicina præsertim valdè amara nullo modo danda est iis, quibus scitur non profutura.

Duplex censuræ finis. Resp. negando sequelam. quia censura ex sui institutione ita habet rationem medicinæ vt etiam sit pœna. atque ita vtilis est tum ad puniendum delictum, tum etiam ad alios à similibus peccatis metu pœnæ auertendos. Ac Tertiò, sæpe necessarium est per excommunicationem aliquos à reliquorum consortio arcere, ne sanos inficiant. Quare quandoque censuræ ferendæ sunt etiam in eos qui per eas peiores futuri sunt, quando id bonum publicum postulat, quod priuato præferendum est. Secùs est de iis medicinis, quæ solùm habent rationem medicinæ, quæ præter, aut etiam contra rationem darentur iis, quibus non sunt profuturæ, aut etiam obfuturæ. Ob dictam tamen causam, non facilè vtendum est censuris, quando non creduntur peccanti profuturæ, nisi quando bonum publicum id apertè postulat. Merito fertur etiã in eos qui emẽdandi non sunt.

Dixi, priuare vsu bonorum spiritualium. quia non priuant bonis temporalibus, nisi in ordine ad spiritalia. Hinc excommunicatio maior priuat quidem reum communi hominum conuictu, non tamen omnium, sed tantùm Christianorum: idque ne reus sua familiaritate aliis noceat, & vt ita confusus suam turpitudinem agnoscat, eámque detestetur. 10

DVBIVM II.

Quomodo diuidantur singulæ censuræ, & qua forma ferri debeant?

11 Censuræ diuisio. CONCLVSIO I. Censura alia est à Iure, sic dicta quia per statutum, siue legem aliquam fertur. Alia est ab homine, quæ per hominis sententiam fertur. Quæ rursum diuiditur in particularem, quæ versatur circa factum aliquod singulare, aut determinatas personas: vt si Prælatus excommunicet omnes qui tale damnum intulerunt, nisi ante mensem satisfaciant: aut excommunicet Petrum existentem sibi hîc & nunc contumacem. Et in generalem, quæ eiusmodi limitibus non continetur: vt si Episcopus per sententiam excommunicet omnes qui furabuntur in templo.

12 Lex manet mortuo auctore, nõ tamen sententia aut præceptũ. Circa quæ Quæritur Primò, quomodo hæ censuræ differant? Varij varias differentias adferunt, sed duæ sunt præcipuæ. Prior est, quòd statutum, siue lex ferens censuram, (quod ei cum aliis legibus commune est) perpetuò durer, nisi cõtraria lege vel cõsuetudine abrogetur. Contrà verò virtus sententiæ, quia pendet continuò à iurisdictione eius, qui eam tulit, vnà cum ea aut perit, aut suspenditur quoad censuram nondum contractam. v.c. Episcopus excommunicat omnes qui furantur, & paulò post moritur, aut desinit eo loco esse Episcopus; si postea aliqui furentur, non excommunicantur: si tamen antè furati sunt, manent excommunicati donec absoluantur. Quòd si Episcopi iurisdictio per aliquam censuram suspendatur, suspenditur etiam sententia, & qui interim furantur, non excommunicantur. Item Episcopus ob furtum commissum excommunicauit Petrum nisi intra mensem restituat: interim ipse moritur; tunc Petrus etsi non restituat, non excommunicatur. quia sententia suam vim amisit. Ita communiter omnes Doctores.

13 Cur præceptum vnà cũ auctore finiatur, & lex perpetuò maneat. Ratio differentiæ est, quia sententia fertur à iudice tamquam à persona publica quidem, sed particulari. Sicut igitur quando desinit habere iurisdictionem, nihil amplius potest præcipere: ita etiam ea quæ antè præcepit, desinunt obligare. Quare quòd censuræ ab eo de facto alicui inflictæ, pergant postea ligare, non habent proptiè ex ipsius præscripto, sed ex Iure communi, quod statuit vt nemo liberetur à censura quam semel actu incurrit, sine absolutione. Secùs est in lege siue statuto, quod legislator condit immediatè in persona eius, à quo potestatem condendi leges

leges accepit, qui est vel Deus, vel communitas, quæ non moritur. Vnde etiam leges perpetuò obligant donec abrogentur, nisi fortè communitas, cuius auctoritate latæ sunt, tota pereat.

14 Secunda differentia est, quòd quando censura fertur per legem, aut generalem sententiam, semper feratur sub conditione peccati omnino futuri, vt impediatur, v.c. Quicumque clericum percusserit, sit excommunicatus. Per sententiam autem particularem fertur ad emendandum peccatum præteritum, à quo aliquis non vult respicere, & quidem quandoque omnino absolutè, quandoque verò sub conditione futura, v.c. nisi intra tale tempus parti lætæ satisfiat.

Addunt aliqui tertiam differentiam, quòd censura lata per legem siue statutum comprehendat omnes, qui sunt in territorio ferentis etiam peregrinos; nullo autem modo existentes extra illud. Lata verò per sententiam comprehendit omnes incolas illius territorij vbiuis terrarum existentes: nullo autem modo peregrinos. Sed hæc sententia patitur graues difficultates, vt ostendam dub. 7. num. 51. Quare

Silvester. alij eam negant. Vnde Siluester v. *Excommunicatio.* 2. num. 10. sub fin. quod ad præsentem rem spectat, æquiparat sententiam, quæ respicit peccatum futurum, statuto.

15 Quæritur Secundò, Vtrùm Episcopi licitè possint ferre excommunicationem ob culpas futuras, v.c. excommunicando omnes qui furantur in locis sacris?

c. Romana. Quidam enim hoc negant ob cap. *Romana.* de sententia excom. in 6. vbi dicitur: *Cauent etiam ne tales sententias excommunicationis, siue specialiter, siue generaliter in aliquos pro culpis futuris, &c. proferre præsumant.* Sed hoc Ius non continet præceptum, sed tantùm

Suarez. admonitionem: vt benè notat Suarez disputat. 3. sect. 4. num. 7. Et patet tum ex verbo *Cauent.* quod magis admonet, quàm præcipiat: tum quia Pontifex dicit id non esse faciendum, nisi rationabilis causa subsit, quam iubet etiam in sententia exprimi. Quare vt plurimum vetat hoc fieri leuiter sine vlla rationabili causa.

16 Quæritur Tertiò, Vtrùm possit ferri censura sub conditione ad causam non pertinente? Hac in re certum est Primò, eam posse ferri sub conditione ad causam pertinente: vt si quis excommunicet furem si non restituat intra mensem. Patet ex dictis, & communi vsu. Sed difficultas est, quando conditio ad causam non pertinet: vt si Episcopus excommunicet Petrum sibi existentem contumacem, si post trés dies pluat.

17 Constat Secundò, eiusmodi modum ferendi censuras esse illicitum, quia in re grauissima committitur quædam rugatio, quæ cedit in contemptum disciplinæ Ecclesiasticæ. Suarez tom. 5. disp. 3. sect. 7. n. 1. & 2. Sed difficultas est, vtrùm validè feratur?

Illicitè fertur censura sub conditione ad rē non pertinente.

Suarez. Quidam putant eam validè ferri sub conditione præterita vel præsenti, v. c. dicendo, Excommunico furantem nolentem restituere, si heri pluerit, aut iam pluat Parisiis. Secùs esse si feratur sub conditione

Hogilinus. contingenti futura. ita Hogilinus apud Suarez suprà. Probant Primò, quia Sacramenta validè administrantur sub tali conditione præterita, aut præsenti, non tamen sub futura contingenti: ergo idem dicendum de censuris. Secunda pars probatur Secundò. quia censura continens intolerabilem errorem fertur invalidè, vt patet c. *Per tuas.* de sent. excomm. & c. *Solet.*

c. Per tuas. c. Solet. cod. tit. in 6. atqui in tali latione censuræ committitur error intolerabilis: est enim abusus quidam potestatis Ecclesiasticæ: ergo fertur invalidè.

Sed hæc argumenta respectu secundæ partis illius propositionis, apertè nihil probant. Nam si primum aliquid probaret, probaret etiam contra apertā veritatem censuram invalidè ferri sub conditione de futuro contingenti pertinente ad causam. nam (vt omnes fatentur) Sacramenta hoc modo invalidè conferuntur, excepto saltem matrimonio: quare neganda est consequentia.

Similiter, si secundum aliquid probaret, sequeretur etiam censuram invalidè ferri sub conditione de præterito aut præsenti ad rem non pertinente: quod tamen etiam ij, contra quos disputamus, negant. Sequela probatur. Nam non minùs abutitur potestate Ecclesiastica qui sub vna conditione fert censuram, quàm qui sub altera. Quare neganda est minor, quia in eo casu non est abusus potestatis Ecclesiasticæ contra iustitiam, sine qua fiat aperta iniuria reo: vel qua ferat quis censuram, quam hic & nunc in talem ferre non possit, ob appellationem interpositam, aut similem causam. Et simili errore solùm loquuntur citata Iura, & necessariò sic intelligenda est maior vt sit vera; vt benè notat Suarez disp. 4. sect. 7. num. 31. Quare dicendum est, etsi illicitè, validè tamen censuram ita ferri, si reliqua omnia ad eius valorem requisita adsint.

Suarez. Validè tamen ita fertur.

18 Nota Primò, quando fertur censura sub conditione, eam non incurri, donec hæc sit impleta. Hinc si is in quem fertur, desinat priùs esse subditus ei, qui eam fert, (eo quòd hic per mortem, aut aliam causam iurisdictionem amittat: aut quia reus domicilium mutat) ipse ea non ligatur. Postquam tamen eam semel incurrit, semper ea ligatur, donec absoluatur, vt omnes fatentur, & patet ex praxi.

19 Nota Secundò, quando censura ita fertur ob aliquam causam, quæ iam est cœpta trahi in iudicium; etsi reus mutet domicilium ante conditionē impletam, nihilominus hac impleta illam incurrit. quia ratione iudicij iam inchoati manet subditus eidem iudici: vt patet ex c. *Proposuisti.* de foro competenti. Addit tamen Suarez disp. 3. sect. 5. numer. 6. hoc solum esse verum, quando mutatio domicilij fit in fraudem ad effugiendum iudicium: cùmque qui ob publicum bonum, aut similem necessitatem post inchoatum iudicium domicilium mutaret, non mansurum subditum illi iudici, citátque Bartolum in l. primam π. de pœnis.

c. Proposuisti. Suarez.

Bartolus.

20 Conclvsio II. Censura alia est sententiæ latæ, quam iudex per legem aut sententiam actu infligit. Alia est sententiæ ferendæ, quam iudex minatur se inflicturum, aut iubet infligi.

Censura alia est sententiæ latæ, alia ferendæ.

Disputatur autem hic, quando lex vel sententia contineat censuram latæ sententiæ; & quando solùm ferendæ? Qua in re dicendum est Primò, quando in Iure vel sententia dicitur, *Quicunque hoc fecerit, sit ipso facto*, vel *ipso iure excommunicatus, suspensus, &c.* esse censuram latæ sententiæ. quia verba hoc clarè exprimunt.

Quando feratur sententia latæ.

Secundò, idem dicendum, quando dicitur, *Eum qui hoc fecerit excommunicamus.* Iudex enim tunc apertè significat se velle censuram actu incurri per tale factum.

Tertiò, idem dicendum quoties Ius significat se velle, reum censuram incurrere, nec tamen vllo modo dirigit verba ad aliquem iudicem, per quem censura infligatur: siue quoties verba non iubent aliquid fieri, sed significant fieri, aut futurum esse posita tali conditione. Auila 2. p. cap. 2. disp. 1. dub. 2. citans Tabienam. Tunc enim apertè tribuitur ipsi legi vis actu inferendi censuram, nisi ex adiunctis clarè intelligatur contrarium. Talia verba sunt: *Quisquis hoc fecerit, sit excommunicatus*: aut, *excommunicatum se esse agnoscat*: aut, *excommunicatus maneat*: aut, *excommunicationem incurrat, &c.*

Auila. Tabiena.

Idem dicendum (etsi aliqui dubitent) de his formulis: *Qui tale quid fecerit, nouerit se excommunicationem incurrisse*: aut, *eris excommunicatus*: aut, *excommu-*

nicationem incurret. Quia talia verba non significant talem debere per iudicem excommunicari: sed significant ius habere vim sententiæ. Quare verba futuri temporis, erit, incurret, &c. non significant censuram post factum commissum adhuc esse ferendam ab alio, sed ab ipso iure infligendam esse hoc ipso quo tale factum committetur.

Navarrus. Contra dicta sentit Navarr. cap. 27. n. 12. putátque hanc formulam, *Sit excommunicatus*: non esse sententiæ latæ, quia d. 30. in multis canonibus dicitur, *Qui hoc vel illud fecerit, anathema sit*: qui tamen videntur intelligendi de sententia ferenda.

Sed Resp. Primò, in antiquis canonibus *anathema* sæpe sumi non pro excommunicatione, sed pro execratione. Resp. Secundò, verius esse ibi ferri vbique excommunicationem latæ sententiæ, vel potiùs declarari ac definiri tales esse hæreticos & ab Ecclesia alienos, ac excommunicatos. Nec enim ibi dicitur anathema iis qui certa quædam faciunt simpliciter; sed qui ea faciunt ex superstitione hæretica: vt patet tum ex iis canonibus, tum ex Concilio Gangrensi, ex quo desumpti sunt.

Conc. Gangrense.

21 Secùs est, quando verba non significant aliquid futurum, sed iubent fieri. tunc enim simpliciter diriguntur ad iudicem: vt quando dicitur, *Qui hoc fecerit, iubemus*, aut *Volumus eum excommunicari, excommunicetur*, vel *statim excommunicetur*. nisi fortè ex adiunctis contrarium intelligatur, vt si dicatur: *Qui hoc fecerit, ipso iure*, aut *facto excommunicetur*. Et in his Doctores

Comitolus. fere conueniunt, latéque ea probat P. Comitolus l. 6. responsorum moralium q. 24.

22 Dubitant tamen quidam de hac forma, *Prohibemus hoc fieri sub interminatione excommunicationis*. Sed ex c.

c. Clerici, c. Relatum. *Clerici*, ne clerici vel monachi. & cap. *Relatum*. §. *Ad hoc*. de iure patronatus. clarè patet esse tantùm sententiæ ferendæ. Nam ibi committentes aliquid sub interminatione anathematis prohibitum, iubentur post factam admonitionem excommunicari.

Dices, in cap. 1. de eo qui furtiuè ordines suscepit; factum prohibitum sub excommunicatione latæ sententiæ, dicitur prohibitum sub interminatione anathematis: ergo hæc idem significant.

Resp. Primò, non esse ita clarum ibi agi de excommunicatione sententiæ latæ. Secundò, negando consequentiam. quia ibi non proponitur forma, qua fuit lata excommunicatio, sed rátùm proponitur id quod fortè factum fuit, & quod in simili casu solet fieri, scilicet Episcopum prohibuisse sub excommunicatione de facto incurrenda, ne quis furtiuè Ordines susciperet: atque ita illa verba non per se, sed solùm ratione circumstantiarum & materiæ de qua agunt, significant excommunicationem sententiæ latæ. Idem

Siluester. docet Siluester v. *Excommunicatio*. 1. n. 21. de hac forma, *Sub pœna excommunicationis hoc prohibemus*. quia videtur eadem ratio, idémque modus loquendi in vtraque forma: quamquam hic sit magis dubius, & posse etiam significare censuram sententiæ latæ; hoc ipso tamen quo dubius est, cùm odia sint restringenda, in mitiorem partem interpretandus est.

Similiter posset dubitari de hac forma, *Prohibeo tibi hoc sub interpositione excommunicationis*. qua vsus

D. Gregor. c. Salonit. est D. Gregorius, vt habetur c. *Salonitana*. d. 63. vb i-detur significare excommunicationem de facto ferri. Et sanè hoc verba magis propriè significant, quàm ferendam.

23 Ex his demum satis constat nullam certam formam verborum requiri, vt censura validè feratur, sed ea verba sufficere, ac etiam esse necessaria, quæ sufficienter exprimant talem aut talem censuram hîc & nunc infligi, vt cum communi sententia docet Auila

Auila. p. 2. c. 2. dub. 1.

Disputant autem hic Auctores de diuersis formis verborum, an sufficiant ad ferendam censuram, sed quæ vix in praxi possunt habere locum. quare eas omitto. qui autem volet eas cognoscere, videat Suarez disp. 3. sect. 2.

Suarez

DVBIVM III.

Vtrùm in Ecclesia sit potestas ferendi censuras?

24 REfert Prateolus de vitiis hæreticorum, Albanenses olim negasse hanc potestatem: quibus postea satis fauerunt Ioannes Vviclef, & Hus, vt patet ex Concilio Constantiensi sess. 8. errore 30. & sess. 15. errore 19. & similiter Erasmus in colloquiis de fide, vbi ait excommunicationem territare pueros, non autem viros fortes.

Prateolus, Albanenses, Vvicleff. Hus. Conc. Constantiense. Erasmus.

Conc. I. Est de fide in Ecclesia esse potestatem ferendi censuras. Ita omnes Catholici, vt patet ex Concilio Constantiensi suprà citato, & perpetuo Ecclesiæ vsu.

Probatur Primò, ex Matth. 16. & 18. vbi Christus generatim promittit Apostolis potestatem ligandi atque soluendi, ita vt quidquid ligauerint vel soluerint in terris, sit futurum ligatum aut solutum in cælis. Ex quibus Patres semper intellexerunt, inter alias, Apostolis ac eorum successoribus promissam esse potestatem priuandi fideles ob sua delicta aliorum communione, & participatione bonorum spiritalium. Et patet clarè ex ipso contextu Matth. 18. vbi Christus dicit, eum qui Ecclesiam, siue Prælatos Ecclesiæ non audierit, habendum esse vt ethnicum & publicanum, vt ita scilicet alienus sit ac exclusus ab omni communione cum Christianis spiritali & ciuili, sicut illi erant alieni à communione Iudæorum. Quod vt ostendat qui fieri possit, subiungit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Vbi Christus clarè ostendit se daturum suis Apostolis, ipsíque Ecclesiæ potestatem ita ligandi facultatem, quam habent fideles cum aliis fidelibus communicandi in bonis spiritalibus ac externa conuersatione, vt non magis cum iis in his possint participare, quàm Ethnici cum Iudæis in iis tunc participare poterant.

Matth. 16. & 18.

Probatur Secundò, quia Apostoli hac potestate sæpe vsi sunt. Nam vt testatur canon 30. Apostolorum, Act. 8. B. Petrus Simonem Magum excommunicauit, dum ait, *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto*. Item 1. ad Corinth. 5. Apostolus ait se tradidisse Satanæ quendam incestuosum. Quòd autem per huiusmodi pœnam intelligat excommunicationem, testantur communiter Patres, & Scripturæ interpretes. Vide Chrysostomum, Theodoretum, & Theophylactum in hunc locum. Ex patet ex v. 9. vbi ait: *Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis*. Similiter 2. ad Thessal. 3. præcipit Christianis ne commisceantur siue conuersentur cum fidelibus non obedientibus verbis ipsius.

Act. 8. Apostoli sæpe excommunicarunt. 1. Cor. 5. Chrysost. Theodoret. Theophyl. 2. Thessal. 3.

Probatur Tertiò, ex vsu totius ab initio Ecclesiæ, in qua semper ab ipsis Apostolorum temporibus fuit vsus ferendi censuras, & præsertim excommunicationem in diuersos peccatores, & præsertim in hæreticos, vt patet ex Canonibus Apostolorum, & omnibus generalibus Conciliis, & plurimis Pontificum scriptis. Quare hanc potestatem negare nihil est aliud quàm totam ab initio Ecclesiam damnare.

Frequens ab initio fuit vsus censurarii in Ecclesia.

Nota, hæreticos nostri temporis (vt ex eorum 25 scriptis docet P. Valentia in 3. partem disp. 7. quæst. 17. puncto 1.) hanc potestatem in Ecclesia agnoscere, variè tamen circa eam errare. Nam Lutherus asserit Primò, Ecclesiam per excommunicationem non posse subditos

Valentia. Lutherus.

subditos priuare aliquo bono spiritali interno, sed solùm externa fidelium consuetudine. Probat Primò, quia Ecclesia non est domina bonorum spiritalium. Secundò, quia bonis spiritalibus internis nemo potest priuari nisi à se. Tertiò, quia, cùm hæc bona sint necessaria ad salutem, iis priuare fideles esset crudele, & contra eorum salutem, & consequenter contra rationem censuræ quæ debet esse medicinalis. Ex quo docet Secundò, excommunicationem non esse fugiendam, sed expetendam instar medicinæ. Tertiò, Confessio Augustana negat, Ecclesiam posse vi humana subditos compellere vt feruent censuras.

Confessio Augustana.

26 Bona spiritualia duplicia.

Sed hi errores sunt contra vsum & sensum totius Ecclesiæ, & contra apertas rationes. Pro quo Nota Secundò, duplicia esse bona spiritalia etiam interna. Quædam enim sunt omnino priuata & propria singulis: qualia sunt omnia dona gratiæ, fides, spes, caritas, aliæque virtutes, ac donum scientiæ, & similia: quibus nos solus Deus, atque ipsi nosipsos spoliare possumus.

Quibus Ecclesia nos spoliare possit.

Alia sunt publica, & toti Ecclesiæ communia, qualis est communicatio in precibus & satisfactionibus totius Ecclesiæ, item potestas iurisdictionis spiritualis, & conferendi Sacramenta, concionandi, & similia faciendi. quæ potestates etsi vnicuique infint propriæ; quia tamen datæ sunt in publicam Ecclesiæ vtilitatem, nec possidentur à nobis vt priuatis sed vt publicis personis, non sunt propriè bonum priuatum, sed publicum totius Ecclesiæ: sicut potestas Consulis, aut Prætoris in repub. ciuili.

His positis sic argumentor. Omnis Resp. benè constituta, eiúsve supremus Princeps habet potestatem priuandi subditos bonis communibus, quando ipsi hoc merentur, aut publicum bonum hoc exigit. Hoc enim & per se notum est, & ad bonam gubernationem maximè est necessarium: atqui Ecclesia est spiritalis Respub. à Christo optimè constituta, eiúsque supremus in terris Princeps est summus Pontifex: ergo ipse habet potestatem priuandi suos subditos id merentes bonis illis spiritualibus etiam internis, quæ iam ostendimus esse publica.

27 Et hinc patet Primò solutio argumentorum Lutheri. Ad Primum igitur Resp. etsi Ecclesia non sit absoluta istorum omnium bonorum domina, habet tamen absolutam potestatem, ea, prout communi bono expedit, dispensandi, & consequenter aliquos iis priuandi.

Ad Secundum Resp. hoc tantùm esse verum de bonis omnino priuatis; non autem de iis quæ sunt etiam publica, vt patet ex dictis.

Cur Ecclesia possit aliquem priuare bonis spiritualibus.

Ad Tertium Resp. plurima ex dictis bonis non spectare ad salutem habentis, sed aliorum: vt sunt dictæ illæ potestates spirituales. Alia verò etsi sint vtilia ad salutem, non tamen necessaria; & expedit quandoque aliquos iis priuari, vt suam miseriam ac fœditatem agnoscentes erubescant ac horreant, & ita ad pœnitentiam adducantur. Adde, vt dixi dub. 1. in his pœnis spectari non solùm bonum ipsius rei, sed etiam bonum publicum, & punitionem peccati.

28 Patet Secundò, etsi excommunicatio sit medicina, valdè tamen extimescendam; quia est simul grauissima pœna. Sicut membri putridi abscissio ac vstio est medicinalis: iis tamen qui aliter sanari possunt, omnibus modis est fugienda.

Patet Tertiò, Ecclesiam posse etiam externa vi adhibita compellere subditos ad obseruationem censurarum. Quia hoc sæpè est necessarium vt finem suum obtineat. Nam aliàs pessimi quique, quia non curant bona spiritualia, eius potestatem contemnerent, omniáque eius iura peruerterent, & suo exemplo alios ad idem malum secum pertraherent. Quare cùm Christus voluerit eam vtiliter habere potestatem ferendi censuras, debuit etiam ei concedere eam potestatem, quæ ad illius finem obtinendum est omnino necessaria. Confirm. quia, sicut homo constat anima & corpore, & potentiis partim spiritualibus, partim corporalibus: ita Ecclesia constat statu Ecclesiastico & ciuili, potestate spirituali, & externa ac ciuili. & sicut in homine corporalia inseruiunt spiritualibus: ita in Ecclesia potestas externa ac ciuilis debet inseruire spirituali, quatenus hoc est necessarium ad illius finem obtinendum.

Potestas ciuilis inseruit spirituali, vt corpus animæ.

29 CONCL. II. Potestas hæc fuit promissa B. Petro ac aliis Apostolis, totique Ecclesiæ Matth. 16. & 18. vt patet ex verbis suprà citatis. Data verò fuit omnibus Apostolis Ioan. 20. vbi Christus iis ait: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, id est, sicut misit me Pater cum amplissima potestate gubernandi Ecclesiam, omniáque ligandi & soluendi: ita proportionaliter cum simili potestate, quatenus ad cuiusque munus est necessaria, vos etiam mitto. Singulariter autem data fuit D. Petro Ioan. 21. his verbis: *Pasce oues meas.* Vbi D. Petrus, eiúsq; successores Romani Pontifices constituuntur absoluti Pastores totius Ecclesiæ, cum absoluta potestate ad id munus necessaria: qualis est potestas arcendi oues morbidas per censuras Ecclesiasticas aliáque opportuna remedia, à cõmunibus pabulis ac caulis aliarum ouium, ne has inficiant: ptiandique illas potestate, quam in cæteras habebant.

Matth. 16. & 18.

Ioan. 20.

Ioan. 21.

30 Posset hic disputari, quomodo Ecclesiasticæ censuræ possint reum obligare in conscientia, vt eas obseruet, cùm hoc modo constituatur executor pœnæ, ad quam damnatur. quod videtur absurdum. Cui difficultati varij variè respondent. Sed Resp. reum posse præcepto iudicis obligari, vt cooperetur ad executionem sententiæ in se latæ, quando nec hoc est tam graue, vt superet communiter humanam virtutem: nec pœna potest aliter executioni mandari, & tamen eius impositio est ad commune bonum necessaria, vt fit in censuris. Ita colligo ex P. Lessio de Iustitia cap. 31. num. 39.

Quando possit reus obligari vt pœnã in se latam exequatur.

Lessius.

DVBIVM IV.

Quinam possint ferre censuras?

31 NOta, duplici modo posse alicui hanc potestatem competere. Primò, ex iure ordinario; Secundò, ex delegatione.

CONCLVSIO I. Potestate ordinaria illi omnes & soli possunt ferre censuras, qui habent iurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo.

Probatur, quia hæc potestas est Ecclesiastica & coërcitiua in foro externo, & consequenter includit iurisdictionem. Vnde sequitur, tales non posse in quoslibet ferre censuras, sed solùm in sibi subditos.

Talis autem est Primò, summus Pontifex respectu omnium fidelium. Secundò, Episcopus respectu omnium eorum, qui in eius diœcesi commorantur. Vbi Nota, Archiepiscopum non posse ferre censuras in subditos suorum Suffraganeorum, eósve ab illis absoluere: nisi quando eos visitat, aut causa ad eum est deuoluta per appellationem, aut simili modo. Colligitur ex c. *Venerabilibus.* de sent. excommun. in 6. Vide Sanchium lib. 3. disp. 28. concl. 2. & Henriquez de Sacramentis lib. 10. c. 30. num. 3. Tertiò, Vicarij Episcoporum. quia habent vnum tribunal cum Episcopo: vt dicitur c. 2. de consuetudine, in 6. Quartò, Capitulum Cathedrale sede vacante, eiúsque Vicarius: quia illud succedit in locum Episcopi defuncti; vt cum aliis notat Abbas c. *Cùm olim.* de maioritate. ex quo cap. hoc etiam colligitur, & multò apertiùs ex c. vnico, eodem tit. in 6. Ita Sanchez l. 3. de matrim. disput. 28. concl. 31. Quintò, Nuntij Pontificis à latere in tóta prouincia ad quam legati sunt. quia in ea habent iurisdictionem

In quos Archiepiscop. possit ferre censuras.

c. Venerabilibus. Sanchez. Henriquez.

c. 2. de consuet. lib. 6.

Abbas. c. cùm olim.

Sanchez.

c. 2. de offic. leg. ordinariam, cap. 2. de officio legati, in 6. Sextò, Abbates exempti habentes iurisdictionem episcopalem respectu eorum in quos eam habent. Vide Sanchez lib. 3. de matrim. disput. 28. num. 6. Septimò, quidam Archidiaconi, ac Archipresbyteri ex consuetudine eam potestatem habent, vt patet ex cap. *Veniens.* de eo qui furtiuè ordines suscepit. & c. *Dudum.* 54. de electione, verb. *Sed cùm in iure.* Octauò, eam habent Cardinales in Ecclesia sui tituli. Nonò, Concilia generalia per orbem vniuersum; & prouincialia in sua prouincia. Decimò, ex priuilegio eam habent Genetales & Prouinciales Ordinum, respectu suorum subditorum.

Sanchez.

c. Veniens.

c. Dudum.

32 CONCLVSIO II. Eandem potestatem ex delegatione habent ij, quibus supradicti eam commiserunt.

Vbi Nota Primò, hanc posse committi cuiuis Clerico gaudenti clericalibus priuilegiis: quia hic est capax iurisdictionis spiritualis; nec ad hanc potestatem requiritur vllo modo potestas Ordinis.

Laicus, & clericus coniugatus incapaces sunt iurisdictionis Ecclesiasticæ.

Nota Secundò, eam non posse iure ordinario committi purè laico, vt omnes Doctores fatentur, & apertè colligitur ex cap. *In nona.* 16. qu. 7. Idémque dicendum de Clerico coniugato præsertim cum vidua, quia hic reputatur quasi laicus præsertim in hac materia. Vide Auilam p. 1. d. 6. Papa tamen ex plenitudine potestatis, quia hoc totum est iuris humani, posset illis hanc potestatem dare: secùs de inferioribus.

c. In nona. Auila.

33 Nota Tertiò, nullo modo posse committi fœminæ, quia hæc est incapax omnis iurisdictionis exercendæ per claues. Quod omnes fatentur verum esse respectu inferiorum Papæ: aliqui tamen dubitant an Pontifex hâc potestatem possit fœminæ committere. Sed, vt docet Auila suprà, dicendum est non posse: quia hæc potestas clauium iure diuino (in quo Papa nequit dispensare) tantùm data est Apostolis, atque eorum aliqua ratione successoribus: fœminæ autem nullo modo possunt Apostolis succedere. Et confirm. ex eo quòd neque Christus, neque Ecclesia vnquam talem potestatem vlli fœminæ commiserunt: vt benè notat Innoc. III. c. *Nouit.* de pœnitentiis & remiss.

Fœminæ quidem non Pontifex hanc potestatem post committere. Auila.

Innoc. III. c. Nouit.

Nec his obstat c. *Dilecta.* de maioritate. vbi Pontifex iubet obseruari Suspensionem, qua quædam Abbatissa sibi subiectos ab officio suspenderat. Quia Suspensio ibi latè sumitur; non pro censura, sed pro præcepto quo illa sibi subditis ob inobedientiam interdixerat administrationem officij & Beneficij. Vnde Pontifex ibi præcipit cuidam Abbati, vt per censuras compellat tales subditos Abbatissæ obedire: clarè ostendens Abbatissam censuras ferre non posse.

c. Dilecta.

34 Nota Quartò, omnes eos, qui habent hanc potestatem ordinariam; posse eam delegare aliis: vt patet ex cap. *Cùm Episcopus.* de officio Ordinarij, in 6. Qui verò tantùm habet potestatem delegatam, non potest eam subdelegare, nisi sit legatus summi Principis, qui in re Ecclesiastica est solus summus Pontifex. Patet ex cap. *Cùm causam.* de appellationibus. Vide dicta disp. 8. dub. 4.

Quinam possint delegare.

c. Cùm Episcopus.

c. Cùm causam.

DVBIVM V.

Quæ conditiones requirantur in ferente censuras, vt validè eas ferat?

35 RESP. requiri Primò, vt habeat legitimam potestatem. per se patet. Secundò, vt eius potestas non sit impedita, quia hæc ita se habet, ac si non esset. Impeditur autem per iustam appellationem, aut notoriam excommunicationem iudicis: vt dicemus in materia de excommunicatione. Tertiò, vt ferens censuram agat liberè, siue non necessariò. Nam clarum est, amentem, siue omnino vsu rationis destitutum; aut hîc & nunc nullo modo aduertentem quid agat, nihil validè agere. quia non agit humano more. & in hoc omnes DD. consentiunt.

Dubitant tamen, vtrùm necessaria sit libertas à coactione, siue vtrùm censura metu extorta sit inualida? Quidam id affirmant; probántque ex c. vnico, de iis quæ vi metúsve causa fiunt, in 6. Vbi dicitur absolutionem à censura metu extortam esse inualidam: quare maiore ratione (vt aiunt) erit inualida ipsa latio censuræ metu extortæ, cùm hæc sit odiosa: absolutio autem est fauorabilis. Cùm igitur fauores sint ampliandi, & odia restringenda; facilius erit irrita latio censuræ, quàm absolutio.

c. vnico de iis, &c.

Sed hæc ratio nullius est momenti. quia in iure positiuo argumentum à pari non probat: tum etiam quia est magna inter hæc disparitas. Primò, quia hîc non est spectandus fauor eius in quem fertur censura, qui eo indignus est: sed fauor potestatis Ecclesiæ per quam fertur censura, quæ multùm læditur si iudex metu cogatur aliquem absoluere. quia disciplina Ecclesiastica hoc modo planè illiditur; si ea absolutio sit valida. Quòd autem latio censuræ metu extorta sit valida (quando aliàs est omnino iusta) magis firmat disciplinam Ecclesiasticam, quàm eam eneruet. Nam etsi ipsa coactio sit iniuriosa potestati Ecclesiasticæ; quòd tamen ipsa latio sit valida, nullo modo potestati aut disciplinæ Ecclesiasticæ repugnat. Secundò, quia, cùm sæpissimè accidat, vt potentes cogant iudicem vt aliquem absoluat à censura: & contrà vix vnquam contingat, vt cogant eam ferre; Ecclesia meritò statuit talem absolutionem esse inualidam; non autem talem lationem. quia leges respiciunt ea, quæ crebrò, non autem ea, quæ rarissimè fieri solent. 36

Cur potiùs valeat latio censuræ metu extortæ, quàm absolutio.

Dices, cap. *Verbum Dei.* de pœnitentia, d. 1. dicitur, eum qui non habet potestatem absoluendi, non habere potestatem ligandi: ergo sicut metu coactus inualidè absoluit; ita etiam inualidè fert censuram. 37

c. Verbum Dei.

Resp. negando conseq. Quia ex eo quòd potestas soluendi sit semper coniuncta cum potestate ligandi, non sequitur aliquem in omni casu posse absoluere, in quo potest ligare: vt patet in incendiario, ab Ordinario nominatim excommunicato, qui à solo Papa potest absolui, vt habetur c. *Tuæ nos.* de sententia excommun. c. Tuæ nos.

Alij igitur docent, talem censuram validè ferri. Ita Abbas in cap. 2. de iis quæ vi, &c. n. 11. & alij. Probatur, quia generatim loquendo (vt benè docet P. Leonardus de Iustitia c. 17. dub. 6.) tam iure naturæ, quàm positiuo ex metu gesta sunt valida, nisi in aliquo casu contrarium sit iure statutum: atqui nullo iure statutum est, vt talis latio censuræ sit inualida, vt patet ex dictis: ergo est valida. 38

Abbas. Leffius.

Quartò, requiritur vt si ferens censuram sit extra locum suæ iurisdictionis, obtineat consensum eius in cuius iurisdictione est. Hinc Episcopus existens extra suam diœcesim inualidè fert censuras etiam in suos subditos, non obtento tali consensu: excepto eo casu quo Episcopus à suis expulsus est à sua diœcesi. Tunc enim petita, etsi non obtenta venia Ordinarij illius loci in quo est, potest suos excommunicare. Vtrumq; patet ex Clem. vnica, de foro competenti. 39

Episcopus extra suam diœcesim sine licentia nequit ferre censuras. Clem. 1. de foro compet.

DVBIVM VI.

Quinam possint ligari censuris?

CONCL. Omnes & soli præcepti capaces, qui habent in Ecclesia militante Superiorem in rebus spiritualibus, possunt ligari censuris. Est communis Doctorum. Et ratio est clara, quia latio censuræ est actus iurisdictionis spiritualis, siue Ecclesiasticæ; & 40

consequenter exerceri debet à iudice Ecclesiastico circa suum subditum.

41 Mortui nequeunt ligari censuris.

Hinc patet Primò, mortuos non posse ligari censuris, quia nulli homini in terris ampliùs subiecti sunt. Quis enim hominum viuentium potest mortuo aliquid præcipere, eúmve sententia sua ad aliquid obligare? Omnis autem censura obligat eum, in quem fertur, vt à certis rebus abstineat.

Quomodo dicatur excommunicari,

Vnde vlteriùs sequitur, Iura quædam quibus dicuntur mortui anathematizari, & excommunicari, non esse ita intelligenda, quasi propriè tunc in eos aliqua censura feratur: sed dicuntur excommunicari, vel quia tunc publicè declarantur in vita fuisse alieni à communione Ecclesiæ, & in excommunicatione mortui. Et ita in multis Conciliis dicitur anathema hæreticis iam defunctis. Quamuis alia ratione possit ibi accipi anarhema pro execratione & detestatione: quo sensu accipitur, dum quibusdam sententiis hæreticis dicitur anathema. Vel etiam Secundò, aliqui post mortem dicuntur excommunicari impropriè: quia prohibetur aliis, ne cum iis communicent, eos

vel absolui.

sacro loco sepeliendo, aut publicè pro iis orando. Et simili modo post mortem dicuntur aliqui absolui ab excommunicatione, quatenus permittitur vt sepeliantur loco sacro, & pro iis diuina officia fiant. Sic

c. Nobis. in cap. *Nobis.* 28. de sententia excommun. dicitur aliquando Ecclesia ligasse ac absoluisse defunctos, scilicet concedendo aut prohibendo aliis cum iis communicare.

42 Excommunicatio directè ligat reum alios indirectè. *Suarez.*

Vnde Nota, quando in aliquem fertur vera excommunicatio, hunc solùm directè ac immediatè hac ligari, ac arceri à communione fidelium: aliis verò solùm indirectè, & consequenter prohiberi ne cum eo communicent; vt cum aliis docet Suarez disp. 5. sect. 1 num. 11. Secùs est quando mortui excommunicantur. quia tunc sententia iudicis directè ligat vinos, eósque arcet à communione defuncti, & hunc tantùm consequenter ab aliorum communione passiua arcet.

43 Impropriè fertur excommunicatio ob crimen in morte cõpletum.

Patet Secundò, quando fertur excommunicatio ob aliquod crimen, quod non potest nisi in morte completi, vt si feratur excommunicatio in eos qui moriuntur in lupanari, non esse propriè dictam censuram (quia non potest incurri ante mortem, & post mortem nemo potest propriè excommunicari;) sed esse tantùm prohibitionem directè obligantem fideles ne cum tali communicent. & hac ratione dicitur anathema mortuis Episcopis instituentibus hæredes extraneos aut hæreticos, cap. *Si quis Episcopus.* 5. de hæreticis.

c. Si quis Episcopus.

44

Patet Tertiò, si lata sit excommunicatio in homicidas, cum qui vulnerauit aliquem lethaliter, si moriatur ante læsum, non incurrere excommunicationem. quia neque ante mortem eam incurrit: nam tunc nondùm crimen est completum. neque etiam post mortem; quia tunc est incapax excommunicationis. Quare cùm alij fideles vi illius excommunicationis non aliter prohibeantur communicare cum eo, quàm quatenus ipse ligatus est excommunicatione, quæ hic nulla est; poterunt cum eo, si pœnitens moriatur, sine vlla absolutione communicare. Vide Suarez de censuris disp. 5. sect. 1. n. 15. Quòd si moreretur impœnitens deberet per Prælatos Ecclesiastica communione priuari. quia ea omnino indignus est.

Suarez.

Patet Quartò, mortuos in excommunicatione, cùm non possint vlteriùs vllis præceptis Ecclesiæ obligari; non manere ampliùs propriè excommunicatos, sed tantùm impropriè modo iam dicto.

Patet Quintò, non baptizatos non posse ligari censuris. quia, vt dicitur 1. ad Corinth. 5. & c. *Gaudemus.* de diuortiis, & in Trident. sess. 14. c. 2. non sunt subiecti iurisdictioni Ecclesiæ. Secùs est de omnibus

1 Corinth. 5. c. Gaudemus. Trident.

baptizatis, quantumcumque fiant hæretici, vel apostatæ. Nam semper manent subiecti Ecclesiæ.

Patet Sextò, Papam non posse ligari censuris. quia nullum in terris habet Superiorem.

Patet Septimò, neminem seipsum posse ligare censuris. quia nemo sibi est Superior.

Patet Octauò, pueros ante vsum rationis, ac perpetuò amentes non posse ligari censuris. quia non sunt capaces vllius præcepti, cùm non sint liberi, ideóque nec possunt vllo modo contra Ecclesiam esse contumaces.

Dubium tamen hìc est Primò, Vtrùm pueri viventes quidem ratione, sed adhuc impuberes possint ligari censuris? Qua in re ex c. 1. & vlt. de sent. excommun. apertè constat eos posse excommunicari à Iure. Quidam tamen negant eos posse excommunicari per sententiam. sed hoc non sufficienter probant. Nec enim est vlla clara ratio, cur vno modo potiùs quàm alio excommunicari possint. Quare alij meliùs dicunt id absolutè fieri posse: quamuis communiter minùs conueniat. Quia tales potiùs virgis, quàm censuris Ecclesiasticis coërcendi sunt. Vide Suarez disp. 5. sect. 1. n. 17.

45 Vtrùm impuberes ligentur censuris. *c. 1. & alij de sent.* *Suarez.*

Secundò, Suarez suprà n. 20. disputat, Vtrùm incidens in amentiam possit excommunicari ob contumaciam ante amentiam commissam. Et respondet Primò, talem absolutè validè excommunicari, etsi amentia sit perpetua. Vnde infert, mandantem famulo vt percutiat clericum, si statim incidat in amentiam etiam perpetuam, si postea famulus clericum percutiat, incurrere excommunicationem. Secundò respondet, decere omnino talem absolui ab excommunicatione, etsi ante amentiam non ostenderit signa pœnitentiæ. Quia, cùm censura debeat esse medicinalis, non conuenit eam continuari circa hominem adhuc viatorem, qui se iam non potest emendare. Vnde etiam infert, nullo modo decere talem excommunicari per sententiam.

46 An amens aliquando possit incurrere excommunicationem. *Suarez.*

Sed hæc habent aliquam difficultatem, quia, vt ipse Suarez suprà n. 11. etiam docet, excommunicatio immediatè per modum sententiæ ac prohibitionis obligat ipsum excommunicatum: perpetuò autem amens omnis præcepti & obligationis est incapax. Quare talis ferè simili modo videtur dici excommunicatus, quo mortui dicuntur excommunicati, quatenus scilicet alij prohibentur cum eo communicare: cum aliqua tamen differentia. Quia, cùm talis amens maneat verè subiectus Ecclesiæ, potest ab ea directè puniri, ac quadam ratione effici inhabilis ad legitimè participandum de bonis spiritualibus Ecclesiæ. Secùs est de mortuo, qui Ecclesiæ subiectus non est. Nec credo Suarez aliud velle. Alia autem est ratio eius qui incidit in temporaneam amentiam per suam ebrietatem, aut aliam causam temporariam, ita vt habeat saltem sæpe lucida intertualla. quia talis absolutè est capax præcepti & obligationis; quamuis durante amentia ab eius impletione excusetur. Ratio est, quia, sicut talis retinet habitualiter vsum rationis, licèt pro tempore impeditum: ita etiam est capax obligationis præcepti. Secùs verò est in perpetuò amente, qui sicut vsum rationis omnino amisit: ita omnino est incapax obligationis.

47 Amens perpetuò omnino est incapax præcepti, secùs de amente temporaliter. *Suarez.*

Hinc patet Nonò, multò potiore ratione omnes bestias esse incapaces propriè dictæ censuræ: quia non modò omnis præcepti, sed etiam omnis pœnæ spiritualis incapaces sunt. Quare quando locustæ, aut similia nocua animalia dicuntur excommunicari, excommunicatio accipitur pro imprecatione, qua à Deo precamur illis interitum, vt nobis nocere desinant.

Bestiæ impropriè excommunicantur.

Nota demum, sicut dubio tertio dixi quasdam congregationes hominum posse ferre censuras: ita

48

Communitas suspendi aut interdici potest, non tamen excommunicari. c. Romana.

ealdem posse ligati censuris. potest enim integrum Capitulum suspendi, aut interdici, non tamen potest immediatè & per se excommunicari. quia sic posset contingere innocentes excommunicari. quod Iura absurdum reputant: quamuis omnes & singulæ personæ si nocentes sint, possint per se excommunicari. Ita habetur cap. *Romana.* de sentent. excommun. in 6.

DVBIVM VII.

Vtrùm iudex possit ferre censuras in suum subditum existentem in alieno territorio, aut in alienum existentem in suo territorio?

49 NOta Primò, hanc quæstionem non habere locum respectu summi Pontificis, cui omnes Christiani, vbicumque existant, absolutè sunt subditi, sed solùm respectu aliorum Prælatorum, qui limitatam iurisdictionem habent.

Nota Secundò ex dictis dub. 2. censuram posse ferri, vel per statutum, siue legem: vel per sententiam generalem aut particularem.

Nota Tertiò, duplicem hic esse difficultatem. Prima est, Vtrùm Episcopus, v. c. Antuerpiensis, possit excõmunicare ciuem Gãdensem existentem Antuerpiæ per aliquot dies? Circa quam variæ sunt sentẽtiæ.

50 Prima docet, censuram latam per modum sententiæ etiam generalis, non ligare peregrinos; latam verò per modum statuti eosdem ligare. Ita Abbas cap. *A nobis.* 1. de sent. excommun. n. 7. & ex parte Siluester v. *Excommunicatio.* 2. n. 5. Abbas, Siluester. Huius autem rei varij varias reddunt rationes. Præcipua autem ac communior est: quia sententia respicit solùm personas subiectas Episcopo; statutum verò locum, & ligat omnes in eo existentes quando æqualiter in omnes larum est: & consequenter omnes in eo existentes illo obligantur, sicut aliis legibus loci.

51 Sed hæc ratio paritur graues difficultates. Primò, quia, vt ostendi tom. 1. q. 74. art. 4. d. 3. satis probabile est peregrinos non teneri legibus particularibus loci in quo peregrinantur. quare totum hoc fundamentum incertum est. Confirm. quia potestas ligandi, non est nisi Superioris respectu subditi: atqui peregrini transeuntes per alienam diœcesim, non sunt illi Episcopo subditi: ergo non possunt eius statutis ligari.

5. *A nobis.* Minor probatur ex c. *A nobis.* 21. de sent. excommun. vbi quæritur, quando Prælatus dicit, *Quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit*: vtrùm etiam ij comprehendantur, qui non sunt de eius iurisdictione (per quos auctores communiter intelligunt peregrinos, nec videntur alij posse intelligi.) Respondetur autem, *quòd hac sententia nonnisi subditi obligantur, nisi fortè plus contulerit maior & largior auctoritas delegantis.* Vbi insinuatur Primò, peregrinos sicut non sunt de eius iurisdictione: ita nec esse ei subditos, ideóque eos illa sententia non obligari. Secundò, ideo eos illa sententia non obligari, non quia sententia non respicit territorium, sed personas subditas (vt alij dicunt) sed, quia deest illi Episcopo potestas tales obligandi, nisi aliunde ei fuerit collata. quæ ratio æqualiter militat in statuto, & in sententia.

52 Secunda sententia est Glossæ in dict. cap. *A nobis.* vbi docet per sententiam qua Episcopus excõmunicat omnes furantes in sua diœcesi comprehendi etiam peregrinos ibidem furantes: dicíque eos fieri subditos ratione delicti, iuxta cap. vlt. de foro competenti. atque ita per non subditos in illo capite intelligit peccantes in aliena diœcesi.

5. *A nobis.* c. vlt. de foro compet.

Sed hoc dici nequit. Quia nemo potest incurrere excommunicationem, nisi peccauerit contra præceptum ferentis excommunicationem (vt omnes fatentur:) priùs autem est aliquem alteri esse subditum, quàm eius præcepto obligari, aut contra ipsum peccare: atqui talis peregrinus dum furatur, nondum alteri est subiectus, sed per peccatum fit subditus: ergo non peccat contra eius præceptum, sed solùm contra Ius naturæ, aut commune: nec potest vllo modo ob talem actum dici contumax contra præceptum Episcopi: & consequenter per tale peccatum non incurrit excommunicationem à tali iudice latam. Priùs debet aliquis alteri esse subditus quam contra eius legem peccet.

Adde, vt benè notat Suarez disp. 5. sect. 5. n. 10. & 13. peccantem in alieno territorio per hoc non ita fieri subditum illi iudici; vt instar indigenarum teneatur illius particularibus præceptis: sed tantùm in ordine ad punitionem illius criminis, quatenus hoc est contra ius commune, aut naturæ. Suarez. Qua ratione fiat quis alteri subditus ratione delicti.

Tertia sententia est Suarez suprà, vbi etsi initio videatur assentiri primæ sententiæ, tamen num. 14. eam limitat. Ait enim statuto particulari Episcopi, quo certum crimen committentes excommunicantur, ligari *peregrinos, qui in illo* (scilicet territorio) *versantur per aliquod tempus*, scilicet notabile: insinuans breui tempore per modum transeuntis ibi hærentes, illo statuto non teneri, sed solùm illos qui magna parte anni ibidem morantur, quos tom. 1. quæst. 74. art. 4. dub. 3. cum eodem dixi teneri legibus loci, in quo commorantur. 53

Quarta sententia docet, excommunicationem latam per sententiam solùm ligare eos, qui tunc sunt subditi, quando fertur: non autem eos qui postea futuri sunt subditi. Ita Siluester v. *Excommunicatio.* 2. n. 10. & Auila de censuris p. 2. c. 3. d. 2. dub. 3. concluf. 3. Siluester. Auila. Subditos autem vocant etiam eos qui subditi sunt ratione criminis commissi. Ratio eorum est, quia sententia statim exercet omnes suas vires, ideoque solùm comprehendit tunc subditos.

Quinta sententia docet, talem sententiam etiam comprehendere eos qui postea futuri sunt subditi: quia comprehendit subditos tam in re quàm in spe. Ita Vgolinus apud Suarez d. 5. sect. 5. n. 8. Vgolinus.

Secunda difficultas est, Vtrùm Episcopus possit excommunicare suum subditum peccantem extra suam diœcesim? 54

Prima sententia docet, quando excommunicatio fertur per statutum, subditum peccantem extra diœcesim ea non ligari. Suarez tom. 5. disp. 5. sect. 5. num. 15. Quod apertè dicitur in c. 2. de constitutionibus, in 6. Secùs verò esse si excommunicatio feratur per sententiam. Tunc enim aiunt talem ligari, probántq; ex c. *A nobis* 21. de sent. excommu. Vbi dicitur, tali sententia non nisi subditos ligari: talis autem est subditus. Sed hoc caput nihil probat. quia ibi non dicitur, omnes quacumque ratione tali Episcopo subditos ea sententia ligari, sed tantùm non ligari, nisi subditos. Suarez. c. 2. de const. fit. c. *A nobis.*

Secunda sententia negat, talem dum est extra diœcesim posse ab Episcopo suo, siue per statutum, siue per sententiam, excommunicari. Ita Henriquez l. 13. c. 26. & Auila de censuris p. 2. c. 3. disp. 2. dub. 2. Henriquez. Auila.

Pro resolutione Nota Primò, tantam hanc sententiarum differentiam inde prouenire, quòd multi putent cap. *A nobis.* citatum, & c. 2. de constit. in 6. continere aliquam apparentem antilogiam, quæ aliter euitari nequeat, nisi dicamus, hoc loqui de excommunicatione lata per statutum: illud verò de lata per sententiam, atque ita inter statutum & sententiam distinguamus modo relato nu. 50. Sed ego inter dicta Iura nullam video vel apparentem antilogiam, etiamsi vtrumque ageret vel de statuto, vel de sententia. Hæ enim duo, *Statuto Episcopi non ligantur nisi subditi: &, Statuto Episcopi non ligantur subditi existentes extra diœcesim*; non magis sibi repugnant, quàm hæ, *Nihil est homo nisi animal: &, non omne animal est homo.* quatum 55 c. *A nobis.* c. 2. de const. fit.

vtraque verissima est. quare vtrumque Ius optimè concordat, & vnum alterum supplet. Nam in priore dicitur, excommunicatione Episcopi non ligari nisi subditos. An autem omnes quacumque ratione ei subditi illa ligentur, tacetur. quia peritum non erat. In secundo verò dicitur ea non ligari subditum delinquentem extra diœcesim; an autem ea ligentur peregrini existentes intra diœcesim, non dicitur, sed supponitur decisum in d. cap. *A nobis*. Quare credo hæc Iura nullam facere distinctionem ex hac parte inter statutum & sententiam: sed casu facere vno loco mentionem vnius, & alterius in altero. Moueor, quia vtriusque decisionis eadem redditur ratio; scilicet, quia Episcopus suis censuris ligare nullo modo potest aut non subditum delinquentem in sua diœcesi, aut subditum delinquentem extra suam diœcesim; idque ob defectum potestatis: vt clarè colligitur ex illis verbis cap. *A nobis. Nisi forte plus contulerit maior aut largior auctoritas delegantis.* Quæ ratio æqualiter conuenit sententiæ & statuto. Ita Siluester v. *Excommunicatio.* 2. n. 10. in fine. *Siluester.*

Potest vno loco existens alibi delinquere.

Nota Secundò, aliquem posse esse extra prouinciam suam, & tamen in ea delinquere. Vt fit quando absentes clerici non residunt quando tenentur. Tunc enim externum peccatum omissionis fit in loco vbi tenentur residere.

56 Quâ ratione possit Episcopus punire externum in sua diœcesi delinquentem, *c. vlt. de foro compet.*

Conclvsio I. Potest Episcopus peregrinum qui delinquit in sua diœcesi compellere ad satisfaciendum parti læsæ, & nolentem excommunicare, quamdiu in sua diœcesi est. Est communis, & patet expressè ex cap. vlt. de foro competenti. Ratio est, quia talis ratione delicti fit subditus tali Episcopo in ordine ad illius peccati correctionem.

57 Concl. II. Idem dicendum est de eo, qui post delictum egressus est ex illa diœcesi, modò ante egressionem fuerit legitimè citatus. Quia ratione iudicij iam inchoati ille Episcopus semper in talem retinet iurisdictionem; eo quòd ipse ratione legitimæ citationis, continuò teneatur comparere coram illo Episcopo. Quòd si ante citationem egressus sit ex illa diœcesi, non poterit ab illo Episcopo citari, & consequenter nec poterit excommunicari. Quia delictum non facit aliquem absolutè subditum iudici loci in quo deliquit, sed tantùm quamdiu ibi est: aut saltem quando legitimè ab eo citatus est. Poterit tamen Episcopus curare illum citari à proprio Episcopo, & nolentem comparere, excommunicare. Ita ferè communiter DD. quamuis hæc ex parte magis eorum sententia & praxi, quàm certo iure nitantur. Vide Auilam suprà dub. 3. *Auila.*

58 Excommunicatio Episcopi non ligat peregrinos. *c. A nobis.*

Concl. III. Excommunicatio lata per sententiam in committentes aliquod crimen, non ligat peregrinos hoc committentes, qui in eo territorio exiguo tempore morantur. Patet ex c. *A nobis.* 21. de sent. excommun. Vtrùm autem tales ligentur excommunicatione lata per statutum, pendet ab illa quæstione: Vtrùm tales obligentur particularibus legibus patriæ per quam transeunt: de quo vide dicta qu. 74. art. 4. dub. 3. vbi num. 114. ostendi satis esse probabile saltem consuetudine inductum esse vt peregrini teneantur legibus loci in quo sunt quoad viam directiuam, ita vt peccent contrà faciendo. eo tamen concesso probabilius adhuc credo eos non incurrere censuras eiusmodi peccatis statutas: tum quia hoc expressè dicto c. *A nobis.* decernitur: tum quia hoc nulla consuetudine potest videri inductum: nec videtur ratio inducendi. quia non ita conducit ad vitandum scandalum sicut prius:

Nisi magna parte anni ibi commorentur.

Dixi, *Qui exiguo tempore ibi morantur.* Quia si morentur ibidem maxima parte anni, cùm tunc aliqua ratione acquirant ibi quasi domicilium, videntur etiam aliqua ratione fieri subditi iudicis illius loci, ideòque ipsius sententia teneri, sicut quæstione citata dixi eos omnino teneri legibus talis loci. Ita Auila 2. p. cap. 3. disp. 2. dub. 3. in fin. Suarez citatus n. 53. *Auila. Suarez.*

59 Sententia generali ligantur etiam qui postea fiunt subditi.

Conclvsio IV. Quando censura fertur per sententiam generalem ob peccata futura, vt si dicatur, *Quicumque furati fuerint, sint excommunicati;* ligat etiam eos qui postea fiunt subditi, interim dum vis illius sententiæ durat, siue antequam fuerit abrogata. quia ex latoris intentione æqualiter omnes illos respicit. Nam cùm lator velit eam toto vitæ suæ tempore, vel saltem donec reuocetur, habere suam vim; nulla est ratio cur post vnum annum, v. c. quando diuersi venerint in diœcesi habitatum, ea potiùs ligentur antiqui subditi, quàm noui: cùm ius postulet, vt omnium sit æqua conditio, nisi fortè particularis esset ratio, cur aliqui deberent excipi.

60 Secus est de sententia particulari.

Concl. V. Quando censura fertur per sententiam particularem, siue quæ factum aliquod particulare respicit; probabile est solùm comprehendere eos, qui sunt subditi, dum fertur. v. c. aliqui furati sunt magni pretij sacram supellectilem, & omnino ignorantur; præcipit Episcopus sub pœna excommunicationis, vt quicumque fures nouit, eos deferat: dico hanc sententiam non comprehendere eos, qui aliquot diebus post latam sententiam veniunt habitatum in ea diœcesi, eósque non excommunicari, etsi scientes furem, eum non reuelent. Ratio est, quia, cùm talis sententia feratur per modum præcepti transeuntis, simul & semel omnem vim suam exercet: & sicut respicit determinatum factum, ita etiam determinatas personas: & consequenter solùm ligat eos, qui tunc eius capaces sunt. Et si benè ligantur, hoc solùm volunt auctores suprà citati pro quarta sententia in prima difficultate. Quare credo eos non contradicere quartæ conclusioni. imò Siluester eam satis apertè asserit. *Siluester.*

61 Episcopus non potest excommunicare non peccantem in sua diœcesi.

Conclvsio VI. Episcopus non potest excommunicare, siue per statutum, siue per sententiam suum subditum existentem extra suam diœcesim, nisi in ea aliqua ratione delinquat, quantumcumque extra eam delinquat. Patet apertè ex c. 2. de constitut. in 6. Vbi eùm Pontifex dixisset, statuto Episcopi excommunicantis fures non ligari eos qui extra diœcesim furantur; non reddit rationem, quia statutum non respicit personas sed territorium: sed quia *extra territorium ius dicenti, non paretur impunè.* Quibus verbis clarè ostendit, Episcopum nihil posse validè præcipere, aut vetare existenti extra suam diœcesim, circa actus ibidem ita committendos aut omittendos, vt non simul committantur, vel omittantur aliqua ratione in diœcesi: eiusque rationem reddit, cò quòd Episcopi iurisdictio non extendat se vltra diœcesim, quæ ratio æqualiter valet; siue censura feratur per sententiam, siue per statutum. Hinc patet non esse verum quod quidam dicunt, Episcopum posse præcipere suis clericis, Episcopus nequit præcipere ne exilléces diœcesim celebrent. ne dicant Sacrum extra suam diœcesim. hoc enim inualidè faceret: nisi fortè quatenus ob iustam causam posset ijs præcipere ne diœcesim egrederentur, quamuis tunc non peccarent propriè dicendo alibi Sacrum, sed egrediendo diœcesim. Nam Episcopus prohibens, ne ille ibi existens dicat Sacrum, dicit ius extra suum territorium. quare impunè ei non paretur. Excipe casum quo talis clericus fungeretur aliqua legatione nomine sui Episcopi aut Capituli. Tunc enim ratione illius muneris, ipsius persona esset Episcopo subiecta, & eius actiones singulariter cederent in honorem aut dedecus ipsius Episcopi aut Capituli. Quare posset Episcopus ei singulari ratione multa præcipere: vt dicam concl. 7. & 9.

62

Conclvs. VII. Quando subditus existens extra diœcesim intra eam peccat, potest à suo Episcopo etiam per statutum excómunicari. v. c. fit statutum in diœcesi, vt omnes Pastores, qui per duos menses sine

Potest alibi existens puniri vbi peccat.

iusta causa non resident, sunt excommunicati; excommunicabitur Pastor per duos menses existens sine iusta causa extra suam diœcesim: quia peccatum committitur in diœcesi. Est communis Doctorum. Et ratio est, quia hoc omnino necessarium est ad bonum regimen: aliàs nemo posset suos subditos coërcere.

Adde, etsi tales corporaliter sint extra diœcesim, ratione tamen delicti quod in ea committunt, in ordine ad coërcitionem censentur in ea esse. quare excommunicans censetur dicere ius in suo territorio. Vnde etiam cap. 2. de constit. citatum signanter dicit, subditum delinquentem extra territorium, non posse in eo excommunicari, vt insinuet secùs esse de eo qui in eo delinquit.

c. 2. de constit.

Hinc infertur, eum qui in suâ diœcesi commisit aliquod peccatum quod tractum habet, vt sit quando aliquis alius læsus est, etsi fugiat statim extra prouinciam, posse tamen à suo Episcopo compelli vt parti læsæ satisfaciat; & nolentem excommunicari. quæ talis pergit continuò in diœcesi peccare.

63 An delinquens in loco exempto ligetur sententia sui Episcopi.

CONCLVSIO VIII. Eadem est ratio subditi existentis extra diœcesim, ac existentis in loco omnino exempto, ibique delinquentis, etsi intra diœcesim sit. Quia Episcopus ibi habet non maius [illegible], quàm haberet extra diœcesim.

Suarez.

Nota cum Suarez disp. 5. sect. 4. n. 6. loca exempta quo ad hunc effectum dici parochias aliquas, aut oppida, quæ à iurisdictione Episcopi omnino exempta sunt: non autem monasteria Mendicantium, aut similia loca, quæ non sunt per se exempta, sed tantùm ratione personarum inhabitantium. Quia cùm Superiores istorum locorum non possint externos in suis locis delinquentes corrigere; si Episcopi hoc etiam non possent facere, tales manerent planè impuniti, nec vlli foro essent subiecti.

64 Religiosus vbicumque existat eodem modo suo Superiori subditur.

CONCL. IX. Superior Religionis habens potestatem ferendi censuras in suos, potest iis ligare suum Religiosum vbiuis terrarum delinquentem: sicut vbiuis existenti potest eodem modo præcipere, ac si domi esset. Ratio diuersitatis inter hunc & Episcopum est, quia Episcopus habet immediatè iurisdictionem in territorium, & ratione huius in personas. quare personæ non sunt ei subiectæ immediatè per se: sed tantum ratione domicilij, Beneficij, aut officij, quod in eius diœcesi habent. Quod vel inde patet. quia ipsi possunt hæc etiam inuito Episcopo relinquere, & transferre se ad aliam diœcesim, statimque atque ipsi hoc fecerint, desinent subiici illi Episcopo. Quare existentibus extra suam diœcesim Episcopus nihil potest præcipere, nisi quod spectat aliqua ratione ad officium, quod ipsis ratione Beneficij aut domicilij, aut similem ob causam, quæ eos Episcopo subiicit, obeundum est. Secùs est de Prælatis Religiosis, qui immediatè habent iurisdictionem in personas Religiosorum. Ideóque etiam Episcopi iurisdictio finitur certis locorum limitibus: illorum autem iurisdictio nullis finitur locis, sed certis personis. quæ vbicumque sint, eodem modo iis subiectæ sunt, & eodem modo ab iis coërceri ac puniri possunt: sicut etiam filij à parentibus, & vxor à marito.

Episcopo immediatè subiicitur locus, & personæ ratione huius.

Prælatis Religiosorum personæ immediatè subduntur.

65 CONCL. X. Qui vno loco legitimè aliqua censura ligatus fuit, eodem modo ligatus manet, quocumque terrarum eat, donec legitimè absoluatur, idque ratione iuris communis, quod censuris hanc vim tribuit; vt omnes auctores docent, & Ecclesiæ vsus confirmat.

DVBIVM VIII.

Ob quæ peccata possit ferri censura?

66 HAc in re certum omnino est, cùm censura sit pœna, eam non posse ferri nisi ob aliquod peccatum. quia pœna necessariò respicit peccatum; quamuis non sit necessarium vt omnes qui ligantur censura, sint nocentes; vt patet in Interdicto, quod de etiam particulare est, vt suo loco videbimus.

Sed difficultas est Primò, Vtrùm possit ferri propter peccatum veniale? Secundò, Vtrùm possit ferri ob peccatum merè internum? Adrianus enim quodl. 8. q. 1. lit. G. cum quibusdam aliis ad affirmat. Tertiò, Vtrùm possit ferri censura propter peccatum commissum cótra solum ius diuinum, aut naturale? Caiet. 2. 2. q. 69. art. 2. §. *Ad secundum.* cum quibusdam aliis id affirmat. Ratio est, quia tale peccatum potest ab Ecclesia puniri: ergo potest propter illud ferri censura. Quartò, Vtrùm quando fertur censura ob aliquod peccatum; hoc sit intelligendum de peccato in suo genere completo?

Adrianus. Caietan.

67 Excommunicatio minor incurritur ob peccatum veniale.

CONCL. I. Excommunicatio minor potest ferri ob peccatum veniale. Est communis Doctorum: & patet ex praxi Ecclesiæ. quia hæc incurritur ob conuersationem cum nominatim excommunicato, etiam leuem in rebus ciuilibus, quæ non potest esse nisi peccatum veniale.

Secùs est de aliis censuris.

CONCL. II. Nec excommunicatio maior nec aliæ censuræ prout communiter feruntur, possunt ferri propter peccatum veniale. De excommunicatione est ferè communis Doctorum. Vnde etiam Trident. sess. 25. can. 3. de reform. non vult eam ferri, nisi pro grauissimis causis. Et ratio est, quia cùm sit grauissima pœna, esset contra omnem æquitatem eam ferri ob leuem culpam, qualis in suo genere est peccatum veniale. Quod etsi in ratione mali sit quid grauius quàm pœna: tamen in ratione culpæ est quid leue, atque ita non meretur grauem pœnam.

Trident.

68 Caietan.

Quidam tamen volunt Suspensionem & Interdictum posse ferri etiam ob peccatum veniale. Ita Caietan. v. *Præcepti transgressio.* §. *Pœna præceptorum.* & Nauarr. c. 27. nu. 165. de Suspensione. Quod verum esset posset, si ferrentur hæ censuræ, ita vt possent conferri pœna leuis: vt si quis suspenderetur ab aliquo officio parui momenti. Aliàs vt communiter feruntur, sunt pœnæ graues, nec possunt ferri nisi ob peccatum graue, vt benè docet Suarez d. 4. sect. 4. n. 7.

Nauarr. Suarez.

69 Can. Si quis.

Dices, In quibusdam Canonibus fertur excommunicatio ob culpas leues. Nam can. *Si quis.* d. 23. excommunicatur clericus qui comam nutrierit. Ob huiusmodi leges quidam apud Auilam de censuris p. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 3. putant Ecclesiam rem etiam leuem posse præcipere sub peccato mortali, si eam sub pœna excommunicationis præcipiat. & videtur fauere huic sententiæ Sotus in 4. d. 22. q. 1. art. 2. concl. 1. corollario 1. Sed obscurè loquitur, & alium sensum habere potest. Alij verò hoc dicunt esse verum, quando præceptum est latum sub pœna excommunicationis, & peccans monitus non desistit: cui fauet Caietan. v. *Præcepti transgressio.* §. *Siste tamen.* Sed hæc difficulter possunt intelligi. Nam, vt communiter docent Doctores, homo nullo modo potest rem absolutè leuem præcipere sub peccato mortali, & videtur per se clarum, quia ius naturæ fortiùs obligat, quàm humanum; & tamen in re absolutè leui nunquam ligat sub mortali. Quòd si suo præcepto Superior non possit me obligari sub mortali, nec etiam sua monitione & comminatione pœnæ id poterit, quia hæc nec faciunt materiam grauem, nec augent potestatem præcipientis. Et sanè quis non diceret, & præceptum & excommunicationem esse inualida, si quis mihi præciperet sub pœna excommunicationis, ne loquerer verbum otiosum, & monitum ac non desistentem excommunicaret? Vnde P. Suarez disput. 4. sect. 6. numer. 9. absolutè ait legem prohibentem materiam leuem sub graui pœna, ex hac parte esse iniustam ac nullam.

Auila. Sotus. Caietan.

Nemo potest rem leuem præcipere sub peccato mortali.

Suarez.

70 Nisi ratione circumstantiarum fiat grauis.

Dixi, *non posse ita præcipi rem absolutè leuem.* Quia res per se leuis ratione circumstantiarum fit aliquando grauis, ratione scandali, aut perturbationis, quæ inde sequitur. Et sic tempore Apostolorum comestio sanguinis & suffocatorum, & alia multa fuerunt grauiter prohibita; quæ iam videntur aut leuia, aut nullà peccata, nec iusta materia grauis præcepti. quia desierunt illæ circumstantiæ, ob quas tunc erant materia grauis prohibitionis. Et secundùm hæc intellige quosdam canones, qui ob rem leuem videntur ferre excommunicationem. quia nimirum illa res tunc ob certas circumstantias erat materia grauis: etsi per se considerata extra illas circumstantias sit leuis. Sed hæc pluribus tractare spectat potiùs ad materiam de legibus. Hoc solùm hic notandum, multos Doctores qui contrarium videntur docere, verè à nobis non dissentire, nisi in modo loquendi. Vocant enim rem leuem non eam quæ absolutè sit parui momenti, sed quæ seclusò præcepto aut leuiter aut nullo modo obligaret.

71 Interior actus ab Ecclesia puniri nequit. Nec exterior sola denominatione extrinseca malus. *Suarez*

CONCLVSIO III. Non potest ferri censura ob peccatum internum. Quia Ecclesia actum internum nec vetare, nec punire potest; vt pluribus ostendi tom. 1. q. 83. a. 6. num. 292.

c. fin. de simon.

CONCLVS. IV. Non potest etiam Ecclesia ferre censuram ob actum externum, qui secundùm se, ac omnes externas circumstantias hic & nunc licitè fieri potest, etsi procedat ex intentione quæ sit peccatum mortale: vt si audiam Sacrum omnino decenter quoad actum externum, animo tamen hæretico irridendi sacrificium. Ita Suarez disp. 4. sect. 2. num. 20. Et clarè patet ex cap. fin. de simonia. Vbi dicitur dationem procedentem ex animo simoniaco, si hic non prodatur exteriùs, ab Ecclesia non puniri. Et ratio est, quia nullus ibi est actus in se malus, nisi internus, qui ab Ecclesia puniri non potest. Nam externus solùm est malus denominatione extrinseca.

72 *Clem. Multorum.* Interior est sæpè conditio requisita vt exterior puniatur.

CONCLVSIO V. Potest tamen ferri censura ob actum externum in se malum, quando coniunctus est cum actu interno malo: ita vt sine hoc censura non incurratur. Sic in Clement. *Multorum.* de hæreticis, excommunicantur inquisitores, qui ex odio quædam ibi dicta faciunt, aut omittunt. Et sæpè excommunicantur qui aliquid faciunt ex præsumptione, aut certa scientia. Quibus iuribus interior actus non punitur, sed tantùm requiritur tanquam conditio necessaria, vt ob actum exteriorem in se etiam prohibitum hîc & nunc talis pœna incurratur. Quod vel inde patet. Nam certum est Iura quæ excommunicant eum, qui aliquid scienter facit, non punire vllo modo ipsam scientiam, sed tantùm hanc requirere in delinquente, vt propter actum prohibitum excommunicationem incurrat.

73 Censura non fertur nisi in peccantem cõtra præceptũ Ecclesiasticum. *Soto. Nauarrus. Auila. Suarez.*

CONCLVS. VI. Nunquam potest propriè dicta censura ferri propter peccatum, quod sit solùm contra ius naturæ, aut diuinum; sed necessarium semper est, vt reus peccet etiam aliquo modo contra Ecclesiam, eius præceptum aut monitionem spernendo. Ita Soto in 4. d. 22. q. 1. a. 2. conc. 4. Nau. c. 27. n. 9. Auila p. 2. c. 5. disp. 1. dub. 10. & alij plurimi. Et quamuis hi Doctores ferè loquantur de excommunicatione, tamen eadem est ratio aliarum censurarum, vt habeant propriam rationem censuræ: vt rectè notat Suarez disp. 4. sect. 5. num. 6. & seqq.

Censura instituta ad frangendam contumaciam. *Matt. 16.*

Probatur Primò, quia censura non est instituta, nisi ad frangendam alicuius contumaciam, siue inobedientiam erga Ecclesiam: atqui nemo potest dici inobediens Ecclesiæ, qui non peccat contra eius præceptum: ergo nec potest plecti aliqua censura. Maior patet Matth. 16. vbi ad excommunicationem requiritur vt excommunicandus noluerit Ecclesiam audire. Item c. *Ex parte.* de signific. verb. vbi Pontifex recensens causas ob quas ferri possit excommunicatio aut Interdictum; tantùm duas numerat, scilicet, aut quia reus citatus noluit parere iudici, aut à commisso facinore iussus se emendare noluit; expressè significans, ante hanc iussionem non posse ligari censura. Tertiò, quia c. *Quæ fronte.* de appellat. dicitur, ligatum excommunicatione aut Interdicto, statim ac omnino paratus est parere iudici, & sufficientem dat cautionem, debere absolui. Idémque dicitur de excommunicato c. *Ex litteris.* de constitutionib. Vnde sequitur, eum, qui non est contumax antequam ligetur, non posse censura ligari.

c. Quæ fronte.

c. Ex litteris.

74 *c. 1. de sent. excom.*

Quartò, quia; vt dixi dub. 1. & patet ex cap. 1. de sententia excommunic. in 6. censura debet esse medicinalis, nec ferri debet nisi intentione medendi. Sicut igitur contra rationem esset dare alicui medicinam valdè asperam, quando aliter posset à morbo curari: ita esset contra rationem ferre censuram (quæ est medicina valdè aspera) in eum, qui aliter posset emendari: qualis præsumitur quiuis, donec Ecclesiæ monitiones spernat. Et confirm. quia si censura posset ferri in eum, qui nullo modo esset contumax Ecclesiæ, in solam punitionem præteriti peccati; non esset magis medicinalis quàm aliæ pœnæ: atqui hoc est apertè contra Iura citata: ergo non potest ita ferri.

Et hinc patet solutio ad argumentum contrariæ sententiæ. Quia etsi censura sit pœna; non est tamen pura pœna, sed simul est medicina.

75 Censura requirit peccatum cõmunitatis. *Auila. Suarez. Nauarr. Sanchez.*

CONCLVS. VII. Quando in Iure fertur aliqua censura propter aliquod peccatum, nisi aliud exprimatur; intelligendum est de peccato in genere suo completo. Ita Auila p. 2. c. 5. disp. 3. dub. 5. Suar. disp. 4. sect. 3. num. 4. Nauarr. libr. 5. consiliorum de sententia excommunicationis, consil. 37. nu. 2. Sanchez l. 3. de matr. disp. 2. nu. 5. sub. finem. & alij. Et colligitur apertè ex c. *Perpetuo sanctionis.* de electione, in 6. Vbi dicitur, scienter indignum eligentes non incurrere Iuris pœnas, *nisi adeò in eo perstiterint, quòd ex totis eorum communis electio subsequatur.* Vbi apertè significatur, pœnam non incurri ob peccatum, quod non est omnino completum in suo genere, eò quòd caruit effectu. Et ratio est, quia cùm odia sint restringenda, lex imponens pœnam, strictè interpretanda est.

c. Perpetuo.

76 *Greg. XIII.*

Hinc conatus verberare clericum, si verè non verberarit, eò quòd erraverit, aut impedirus fuerit, non incurrit excommunicationem. Item vulnerans aliquem etiam letaliter, non incurrit censuram latam in homicidam, donec ille moriatur; & sic etiam per miraculum mors impediatur, eam nunquam incurret. quia non erit verè homicida. Item Religiosus mittens literas ad Religiosam sui Ordinis contra prohibitionem Gregorij XIII. si ad eam non perueniant, non incurrit excommunicationem ab illo latam. Item qui vt placeat hæreticis, committit actum externum hæreseos, sine vllo interno affectu erga hæresim, non incurrit excommunicationem. quia non est verè hæreticus.

c. 1. de homicidio.

Dixi, *nisi aliud exprimatur.* quia mandans aliquem occidi per assassinos, est excommunicatus, etsi effectus non sequatur, c. 1. de homicidio, in 6. Et secundùm communem sententiam Religiosus ex ordine Mendicantium, qui in concionibus aliqua dicit ad reuocandum populum à solutione decimarum est excommunicatus, etsi effectus non sequatur, Clementina de pœnis, c. 1. Vbi expressè fertur excommunicatio in talia dicentem, sine respectu ad effectum. Et meritò; quia an hic sequatur nec ne, communiter scire nequit.

Clem. de pœnis, c. 1.

DVBIVM IX.

Vtrùm in ferenda censura necessariò adhibenda sit monitio, vel alia solemnitas?

77 HOc dubium propriè non habet locum in censuris quæ feruntur à Iure, aut per sententiam generalem, pro peccatis futuris. Quia hæ nullam aliam monitionem aut solemnitatem requirunt, quàm necessariam promulgationem, qualem omnes aliæ leges requirunt. quia statuta talia per se continuò omnes mouent, vt metu pœnæ caueant peccata ita prohibita.

Est igitur solùm quæstio de censura per particularem sententiam ferenda in certas personas ob peccatum iam commissum.

Præcipua autem difficultas est, Vtrùm validè possit ferri censura nulla monitione præmissa. v. c. constet publicè Petrum furatum esse, vtrùm possit sine vlla monitione excommunicari? Caiet. 2.2.q. 69.a.2. §. *Ad secundam dicitur.* id videtur affirmare. Et videtur posse probari. Primò, quia Apostolus 1. ad Corint. 5. sine vlla monitione excommuni.. : incestuosum. Secundò, quia in multis canonibus refertur, quomodo diuersi diuersos excommunicauerint, nec tamen fit mentio, quòd eos antè monuerint; vt patet c. *Guilisiarius.* & c. *Inter querelas.* 23. q. 4. c. *Imprimis.* 2.q.1. Item c. 1. & 2. 36. q.2. Tertiò, quia D. Gregor. c. *Quidam.* 5. qu. 1. quendam auctorem occultum libelli famosi excommunicat, nisi se reuelet, ad quod tamen non tenebatur. Quartò, quia c. *Duo sunt.* 96. distin. refertur Innocentium excommunicasse Arcadium, & Ambrosium excommunicasse Theodosium ob factum absolutè præteritum. Quintò, c. vlt. 7. q. 1. Nicolaus Papa duos Episcopos sine vlla præmonitione excommunicat, eò quòd Lotharium in suis sceleribus fauerant.

Caietan. 1. Cor. 5. c. Guilisiarius. c. Inter querelas. c. Imprimis. c. Quidam. c. Duo sunt. Gratia. 7. q. 6.

78 Sed hæc Iura nihil probant. Nam nulla ratione probatur Apostolum non monuisse priùs secretò ipsum incestuosum, quàm excommunicasse. Imò hoc omnino videtur dicendum. Nam cùm Apostolus, vt ibidem dicitur, per illam excommunicationem maximè quæsierit salutem ipsius incestuosi; incredibile est ipsum non fuisse priùs minatum tantam pœnam, quàm inflixisse. Similiter in exemplis secundo & quarto loco enumeratis, sumitur argumentum à sola auctoritate negata, ideoque inualidum. Iuraque quæ illis locis supponunt censuras illas fuisse validè latas, aut ferendas (quod addo, quia c. 1. & 2. 36. q. 2. agitur de censuris ferendis) etiam supponunt in iis fuisse seruatum, aut seruandum id quod ad earum essentiam requiritur. c. 1. & 2. 36. q. 2.

Nec est verum, Innocentium excommunicasse Arcadium ob factum omnino præteritum. quia eum excommunicauit, eò quòd D. Chrysostomum iniustè ejectum in exilium nollet reuocare. Similiter D. Ambrosius fortè excommunicauit Theodosium eò quòd nollet agere condignam pœnitentiam ob tantum scelus commissum: nam statim atque hanc peregit, eum communioni restituit. Cùm autem tunc temporis Pontifices Romani, atque omnes boni Episcopi fuerint maxima obseruantia erga Imperatores; incredibile omnino est. eos iam graues pœnas iis inflixisse, antequam eos sui officij monerent. Imò de S. Ambrosio historiæ apertissimè narrant, eum sæpiùs monuisse Theodosium ne eam cædem designaret. Adde, ipsum non tam videri excommunicasse Imperatorem, quàm donec ageret pœnitentiam, aditu templi prohibuisse.

Ad c. *Quidam* Respondeo, D. Gregorium istum non excommunicasse, sed (vt patet expressè ex textu) sub pœna excommunicationis interdixisse ei vsum sanctissimi Sacramenti, donec se offerret ad factum suum probandum aut reuocandum: ad quod (cùm aliter non posset occurri grauissimo damno, quod infamato imminebat) iure naturæ tenebatur, cùm sine vitæ periculo id facere posset, de quo ei sufficienter poterat caueri. Ad c. final. 2.q. 1. Respondeo, eos Episcopos ibi propriè non excommunicari, sed deponi de officio sacerdotali. Sit igitur. c. Quidam. c. fin. 2.q.1.

Conclvs. I. Vt censuræ licitè ferantur, necessariò præmittenda est canonica monitio. Ita communiter omnes Doctores, & patet ex c. *Reprehensibilis.* de appellationibus. 79 Censura præ requirit monitionem. c. Reprehensibilis.

Nota (vt patet ex c. *Romana.* & c. *Constitutionem.* de sent. excommun. in 6.) canonicam monitionem debere esse trinam; qua reus nominatim exprimatur: Item debere fieri aut tribus diuersis vicibus, aut vna vice pro tribus cum competenti interuallo v. c. dicendo, Moneo te semel pro tribus vicibus, vt intra tres hebdomadas, aut dies hoc vel illud facias, concedendo tibi dies singulos pro singulis monitionibus, aut totum illud tempus pro tribus monitionibus. Quantum autem interuallum debeat singulis monitionibus, aut simul omnibus tribus deputari, ex circumstantiis, prudenti iudicis iudicio spectandum est. c. Romana. c. Constitutionem. Quomodo monitio fieri debeat.

Secundò, hæc monitio debet fieri nomine iudicis, & immediatè ipsi reo, si fieri potest: aut, si hoc fieri nequit, in eius domo: aut, si hoc etiam fieri nequit, in publico loco, vnde præsumitur ad eius notitiam facillimè deferenda, v.c. in præcipuo templo vrbis in qua habitat, aut simili loco, quàm fieri poterit illius habitationi maximè vicino: vt fusè docet Suarez disp. 3. sect. 11. Suarez.

Tertiò, debet fieri coram idoneis testibus, per quos probari possit: vt habetur c. *Sacro.* de sent. excomm. 80 c. Sacro.

Nota, iudici, qui fert excommunicationem non præmissa canonica admonitione, per mensem ecclesiæ ingressum interdici: vt habetur c. *Sacro.* citato. Hæc tamen pœna non comprehendit Episcopos, vt patet ex c. *Quia periculosum.* de sent. excom. in 6. c. Sacro. c. Quia periculosum.

Quartò, debet hæc monitio fieri sub comminatione censuræ, vt apertè ex dictis Iuribus colligitur. & ratio est, quia reus non censetur contumax, nisi post talem comminationem nolit obedire. Et quia, vt patet ex dictis, & Trid. sess. 25. c. 3. & c. *Nemo Episcoporum* 11. q. 3. censuræ non sunt ferendæ, nisi cùm patet remedia mitiora non iuuare ad peccantis emendationem: atqui hoc patere non potest, antequam talis comminatio sit facta. quia sæpè fit, vt qui simplici monitione non mouentur, moueantur audita tali comminatione: ergo hæc priùs adhibenda est. Et confirm. quia, vt videmus dub. 10. plurimi Doctores asserunt, eum qui violat legem, quam scit quidem esse latam, nescit tamen ei annexam esse censuram, hanc non incurrere. cuius non potest esse alia ratio, quàm quia, vt aliquis censuram aliquam incurrat, necessariò requiritur, vt antè sub intimatione talis pœnæ sit monitus, vt tale peccatum vitet. Trident. c. Nunc.

Concl. II. Canonica admonitio non est necessaria, vt censura validè feratur. Ita Nau. c. 27. n. 8. & communiter alij, qui hoc colligũt ex c. *Romana.* de sent. excom. in 6. Vbi excommunicatio lata sine tali monitione dicitur iniusta, non tamen inualida. Excipe tamen censuram quam fert Episcopus contra eos qui communicant cum eo quem ipse excommunicauit, quæ sine tali monitione præmissa, inualida est. Patet ex c. *Constitutionem.* & c. *Statutum.* de sent. excommun. in 6. 81 Nauarr. c. Romana. Quæ monitio requiratur ad valorẽ censuræ. c. Constitutionem. c. Statutum.

Conclvs. III. Vt censura propriè dicta validè ferri possit, necessariò debet præcedere aliqua monitio sub comminatione censuræ. Ita Soto in 4. d. 22. q. 1. a. 2. concl. 4. vbi dicit, excepto Caietano neminem contrarium 82 Soto. Caietan. Aquila.

Auila. contrarium dixisse. & Auila p. 2. c. 5. disp. 1. dub. 10. Et quamuis hi auctores, & alij communiter tantùm agant de excommunicatione; tamen est eadem ratio de reliquis censuris, prout habent rationem propriæ censuræ: vt cum Suarez ostendi dub. 8. conc. 6. & satis patet etiam ex dictis. Et ideo generatim de omnibus censuris hoc docet Sanchius l. 9. de matr. disput. 32. nn. 13. & 21. Huius ratio est, quia censuræ ex sua institutione requirunt, vt solùm ferantur propter contumaciam, quæ aliter corrigi nequit, vt probant dicta tum hîc immediatè ante secundam conclusionem (nam rationes ibi allatæ hanc conclusionem conuincunt) tum etiam dub. 8. concl. 6.

Suarez.

Sanchez.

83 Nequit ferri ob peccatum omnino præteritū.

Ex his patet, censuram non posse ferri ob peccatum etiam commissum contra legem Ecclesiasticam omnino præteritum, siue quod iam aut nullo modò, aut solùm habitualiter durat: quale est, quando quis non audiuit Sacrum, aut non seruauit ieiunium præceptum, sed necessarium est vt reus post monitionem adhuc perseueret peccare, v. c. detinendo rem alienam; aut iudici iustam pœnitentiam, aut aliquid aliud iustè præcipienti non parendo. quia aliàs non posset dici contumax. quia ad hoc requiritur, vt quis monitus non desistat peccare, vt patet ex dictis.

Dixi, *vt censura propriè dicta*, &c. quia quandoque Suspensio, atque etiam quædam Interdicta (quæ tamen magis habent rationem Suspensionis) feruntur purè per modum pœnæ in punitionem præteriti peccari, vt suis locis fusiùs dicemus; sed tunc non habent rationem censuræ, quæ debet esse medicinalis, & solùm est instituta ad frangendam contumaciam, vt satis ostendi.

84 Excommunicatio nisi quam potest habere rationem pœnæ pœnæ. *Matth. 18.* Similiter nec sententia.

Vbi Nota excommunicationem numquam habere rationem pœnæ pœnæ, quia, cùm priuet reum multis bonis spiritualibus ad salutem animæ multùm necessariis nullo modo conuenit eam ferri in non contumacem: atque ideo, vt patet Matth. 18. tantùm est instituta contra contumaces. Idémque omnino dicendum de Interdicto propriè dicto, præsertim generali, ac quouis locali. Quia, cùm per hoc multi etiam innocentes priuentur vsu bonorum spiritualium, non videtur posse ferri, nisi quatenus est necessarium vt frangatur aliquorum contumacia.

85 Solemnitas ad censurā particularem requisita.

Conclvs. V. Vt censuræ per particularem sententiam licitè ferantur, requiritur certa solemnitas, scilicet vt scripto ferantur, quo causa ob quam feruntur exprimatur, quod iudex requisitus intra mensem teneatur tradere reo: super ipsa autem requisitione debet fieri authenticum instrumentum: & contrà faciens (nisi sit Episcopus, qui ab hac pœna per c. *Quia periculosum.* de sent. excommun. in 6. excipitur) per mensem ab ingressu ecclesiæ, & diuinis officiis suspenditur: vt habetur c. 1. de sent. excom. in 6.

c. Quia periculosum. 1. de sent. excom.

DVBIVM X.

Vtrum ignorantia excuset à censura incurrenda?

86 NOtat ignorantiam qua hoc spectat, posse versari circa triplex obiectum. Nam potest quis Primò omnino ignorare id quod facit, esse peccatum. Secundò, potest fieri vt sciat quidem esse contra ius naturæ, vel diuinum; ignoret tamen esse aliquo iure Ecclesiastico prohibitum. Tertiò, potest fieri vt quis sciat suum factum esse prohibitum iure Ecclesiastico; nesciat tamen esse prohibitum sub aliqua censura. Et quidem non est dubium, quin prima ignorantia excuset ab omni censura, cùm excuset ab omni culpa. Sed dubium est de secunda & tertia.

87 Circa hanc difficultatem variæ sunt sententiæ. Prima generatim docet eum qui scit se peccare, non excusari à censura propter ignorantiam iuris humani. Ita Scotus in 4. d. 6. q. 8. initio, & alij. Probant Primò, quia regula 13. de regulis Iuris in 6. dicitur: *Ignorantia facti excusat, non Iuris.* Secundò, quia c. *Cùm illorum.* de sent. excommun. dicitur; eos, qui Iuris ignari, clericos percusserint, indigere dispensatione.

Scotus. Regula Iuris 13. c. Cùm illorum.

Sed hæ rationes nihil probant. Non Prima, quia illa regula Iuris procedit secundùm præsumptionem fori externi, in quo communiter præsumitur ignorantiam Iuris esse crassam: Nec etiam secunda, quia illud caput agit de illis, qui excommunicari Ordines susceperunt, & docet esse irregulares, etsi ignorantes id fecerint, agitque de ignorantia crassa. quia æqualiter agit de ignorantia facti ac Iuris; cùm tamen constet ignorantiam inuincibilem facti, sicut excusat ab omni culpa, ita excusare ab omni pœna.

Secunda sententia docet, talem ignorantiam excusare à censura lata per iudices ordinarios, siue particulares: non tamen à lata per ius Pontificium. Ita Rotella v. *Ignorantia.* n. 13. & alij. Prob. quia c. 21. de constit. in 6. dicitur, *Vt animarum periculis obuietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prælatis ligari nolumus ignorantes.* Vbi hoc statuitur tàmquam aliquid singulare de statutis Ordinariorum: ergo secùs dicendum de statutis Pontificis, qui non est ordinarius, sed vniuersalis iudex. Confirm. quia Pontifex dicit se nolle ignorantes iis statutis ligari, ostendens hoc de nouo ibi statui: ergo secluso illo iure secùs esset dicendum: & consequenter cùm Pontifex eo non comprehendatur, eius statuta ligabunt etiam ignorantes. 88

Rotella. c. 21. de constit. in 6.

Tertia sententia docet Primò, omnes verè ignorantes suum factum iure Ecclesiastico esse prohibitum, non incurrere censuram. Secundò, scientes suum factum esse prohibitum iure Ecclesiastico, incurrere censuram, etsi ignorent hanc esse tali facto statutam. Ratio prioris partis est, quia, vt ostendi dub. 8. vt quis incurrat censuram, necessarium est, vt peccet contra ius Ecclesiasticum, ac sit inobediens Ecclesiæ. Qui autem ignorat se facere contra præceptum Ecclesiæ, non est ei inobediens. Secunda probatur, quia talis est verè inobediens Ecclesiæ, & consequenter dignus censura: ergo hanc incurrit. quia obligatio ad pœnam sequitur culpam, etiamsi illa ignoretur: vt patet Primò, quia omnes infideles ignorant peccato mortali esse statutam pœnam æternam, & tamen eam incurrunt. Secundò, quia aliàs soli viri docti incurrerent censuras: quia alij ferè eas ignorant. Tertiò, quia cap. vlt. de sent. excommun. significatur impuberes posse incurrere excommunicationem, quam tamen credibile est eos ignorare. Ita Conarr. c. *Alma mater.* p. 1. §. 10. n. 9. Medina 12. q. 76. a. 3. in fine. 89

Conarr. c. Alma. Medina.

Quarta docet, ignorantiam etiam solius censuræ excusare ab ea incurrenda. quam sententiam plurimi tenent de excommunicatione. Quia, cùm hæc sit grauissima pœna, non debet ferri nisi in perfectè contumaces. Vt autem ostendi dub. 9. n. 69. & 70. non potest aliquis perfectè dici contumax, qui non peccat contra præceptum, cui scit censuram esse annexam. Secus tamen putant dicendum de aliis censuris. Ita Soto in 4. d. 22. q. 1. a. 2. concl. 4. in fine. Multi tamen generatim eam tenent de omnibus censuris. Ita Nau. c. 27. n. 274. Sanchius lib. 9. disp. 32. n. 21. Suar. disp. 4. sect. 9. n. 19. qui plures alios citant. 90

Soto. Nauarrus. Sanchez. Suarez.

Conclvs. I. Etsi tertia sententia non sit improbabilis, quarta tamen est probabilior. Probatur Primò, quia, vt ostendi suprà n. 73. & 80. censura est pœna medicinalis, & quidem valdè dura; ideòque non debet ferri, nisi quando est necessaria ad flectendam alicuius contumaciam. Item qui non mouetur ab Ecclesia, vt peccatum aliquod viret sub pœna alicuius censuræ, non est absolutè contumax, vt ibid. ostendi: 91 Ignorantia etiam pœnæ excusat à censura.

arqui qui ignorat præcepto annexam esse censuram, non potest dici monitus sub pœna censuræ, vt peccatum vitet: ergo eam non incurrit. Secundò, quia c. 2. de const. generatim dicitur, ignorantes non teneri sententiis per statuta Ordinariorum prolatis. quare omnino videtur proportionaliter generatim intelligendum, tam de ignorantibus statuta, vt his nullo modo obligentur, quàm de ignorantibus solas sententias, siue censura latas per statuta, vt bi eas non incurrant. Et confir. quia, cùm hæc decisio sit animabus fauorabilis, vt euitentur earum pericula (vt ibid. dicitur) latè extendenda est, quantum verborum proprietas patitur (quia fauores ampliandi sunt, vt habetur regula 15. de regulis Iuris, in 6.) atqui hanc ampliationem verborum proprietas non tantùm optimè patitur, sed etiam videtur requirere: ergo sic intelligenda.

c. 2. de const.

Regula Iuris.

92 CONCL. II. Hæc sententia intelligenda est non solùm de censuris latis per Ordinarios, sed etiam per Pontificē: quia rationes allatæ eam generatim probāt.

Ad argumentum secundæ sententiæ Respondeo, Etsi verba illius textus propriè tantùm loquantur de statutis Ordinariorum; tamen decisio etiam intelligenda est de statutis Pontificiis. quia ratio ibi allata etiam in his valet. Nam cùm huius statura faciliùs ignorentur, quàm statura propria loci in quo habitamus; maius esset periculum si illis ligarentur ignorantes, quàm si his ligentur. Ad confirmationem Resp. verbum *nolumus* non semper significare omnino nouum ius condi in re quæ antè non obligabat, sed aliquid prohiberi, siue aliàs licitum sit, siue non, quod ex natura rei exquirendum est: hîc autem ostendi illud competere censuræ ex sua institutione.

Ad Primum argumentum pro secunda parte tertiæ sententiæ Respondeo, talem non esse perfectè inobedientem Ecclesiæ, prout censura requirit, ideóque nec hac esse dignum. quæ in hoc differt ab aliis pœnis, quòd non incurratur, nisi ob perfectam contumaciam.

Sanchez. Ad Secundum Respondeo cum Sanchio suprà nu. 19. concedendo ob hanc causam plurimos indoctos excusari à censuris; non tamen omnes. quia multi variās norunt.

Ad Tertium Respondeo, impuberes ob hanc causam communiter excusari à censuris, non tamen semper. quia sæpè ingenioſi & benè instructi norunt verberantes clericos esse excommunicatos, de qua excommunicatione in eo textu agitur.

DVBIVM XI.

Qualis ignorantia excuset à censura incurrenda?

93 Ignorantia quadruplex. NOta, quadruplicem posse esse alicuius facti aut Iuris ignorantiam. Prima est omnino inuincibilis: vt quando numquam de aliqua re dubitatur: cui æquiualet ea quæ nititur probabili opinione, quam quis tutò potest sequi. Eadémque est ratio omnimodæ inaduertentiæ, vt quando quis habitualiter scit hoc esse prohibitum, tamen ex aliqua inconsideratione hîc & nunc omnino apprehendit vt licitum, nec vl occurrit ratio dubitandi. Hæc enim omnia excusant omnino à peccato.

Secunda est aliquo modo vincibilis, vt quando quis aliquam negligentiam commisit in veritate inquirenda, quæ tamen leuis sit, ita vt non peccarit mortaliter.

Tertia est absolutè vincibilis, & quæ facilè posset superari, si quis adhiberet diligentiam quam hîc & nunc tenetur adhibere. qualis est omnis quæ non excusat à peccato mortali.

Quarta est affectata, vt quando aliquis studio omittit veritatem inquirere, vt possit liberiùs peccare: cui, quod ad rem præsentem attinet, communiter DD. æquiparant eam quæ ita crassa ac supina est, vt ea laborans possit quodammodo dici rem scire. vt si quis ignoret ea, quæ hîc & nunc apparent omnino clara, siue quando homini occurrunt tales rationes cur debeat credere rem esse prohibitam; vt quamuis hîc & nunc eum non omnino conuincant, tamen omnino sit temerarium contra eas facere.

Addunt aliqui quintam mediam inter tertiam & quartam, vt quando negligentia commissa non est quidem omnino supina, est tamen maior ea quæ præcisè sufficiat ad peccandum mortaliter.

Nota Secundò, censuram aliquando simpliciter ferri in eos qui hoc vel illud fecerint: aliquando verò solùm in eos qui scienter, aut temerario ausu aliquid fecerint, aut qui facere præsumpserint. hæc enim omnia DD. pro eodem reputant.

Nota Tertiò, quando secundo illo modo fertur censura, satis constare quamuis ignorantiam Iuris aut factis ab ea excusare, præter quartam. Quia laborans vna ex aliis ignorantiis, non potest dici scienter, aut temerario ausu præceptum transgredi. Vide Sanchez *Sanchez.* lib. 9. disp. 28. n. 35. Secundò, satis etiam constat primam & secundam ignorantiam cùm excusent à peccato mortali, semper etiam excusare à censura. quia qui iis laborat, dicitur rem ignorare.

Tota igitur difficultas est, Vtrùm quando primo 94
illo modo censura fertur, sufficiat tertia ignorantia, vt ipsa incurratur?

Prima sententia id absolutè negat, atque necessariam esse quintam ignorantiam. Hanc fusè probat P. Sanchez l. 9. disp. 32. num. 31. quia, vt patet ex c. 2. de *Sanchez. c. 2. de const. 6.* const. in 6. omnes ignorantes excusantur à censura incurrenda, *dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina*: atqui non omnis ignorantia quæ non excusat à mortali, potest dici crassa aut supina (quia in Iure hæc æquiparatur dolo, vt ipse ibidem latè docet:) ergo non omnis illa sufficit ad incurrendam censuram.

Secunda sententia docet, omnem ignorantiam, quæ non est supina, excusare à censuris latis per Ordinarios: secùs autem de censuris latis per Pontificem. Ita *Soto.* Soto in 4. d. 28. q. 1. ar. 2. §. *Ex his primùm*. Ratio eius *c. 2. de const. 6.* est, quia c. 2. de const. in 6. dicitur ignorantiam non supinam excusare à censuris Ordinariorum, non tamen à censuris Pontificis. Sed in hac distinctione So- *Soto.* to apertè sibi contradicit. Nam d. 22. q. 1. a. 2. §. *Quare distinctio*. in fine, eam distinctionem omnino reiicit.

Tertia sententia docet, nullam ignorantiam excusare à censura, quæ non esset sufficiens vt excusaret à peccato mortali, si eâ absolutè ignoraretur rem esse illicitam. Ita Suarez disp. 4. sect. 10. n. 10. Ratio ipsius *Suarez.* est, quia omnis ignorantia quæ non sufficit ad excusandum à peccato mortali, in Iure dicitur crassa, aut supina, aut affectata.

CONCL. Etsi prima sententia speculatiuè loquendo sit satis probabilis, credo tamen tertiam esse probabiliorem, & in praxi seruandam: tum quia aliàs in praxi vix vnquam possumus distinguere quæ ignorantia sit media inter tertiam & quartam, tum etiam, quia videtur incredibile Ecclesiam numquam velle punire eam negligentiam, quæ committitur in censuris cognoscendis, quæ præcisè sufficit ad peccatum mortale, cùm in inferno pœna æterna puniatur à Deo. 95

DVBIVM XII.

Quæ metus excuset à censura incurrenda?

NOta, metum esse duplicem; alium leuem, quo le- 96
ue aliquod malum timemus; alium grauem,

quo graue malum timemus, v.c. mortem, mutilationem, infamiam, aut amissionem notabilis partis bonorum, &c. Et de hoc præcipuè est quæstio.

Triplex autem est sententia. Prima docet metum nunquam excusare à censura incurrenda. quia nunquam excusat ab obseruatione præcepti. Fundatur

c. Sacris præcipuè in c. *Sacris*. de iis quæ vi. Vbi de iis qui metu inducuntur vt communicent cum excommunicatis dicitur: *Quia licet metus attenuet culpam: quia tamen eam non prorsus excludit (cum pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurrere) excommunicationis labe credimus inquinari.* Ita Durandus in 4. d. 18. q. 5. ad 3. & Caiet. 1. 2. q. 96. a. 4.

Durand. Caiet.

97 Sed illud principium ita generatim intellectum nequit defendi. Nimis enim certum est metum notabilis incommodi sæpè excusare ab obseruatione præcepti Ecclesiastici. Nam aliàs qui die Dominico non iret ad templum, eò quòd meritò timeret, ne se absente fures totam domum spoliarent, peccaret mortaliter. quod absurdum est. Quare maneat illud certum, quod communiter in materia de legibus docetur: metum grauem communiter excusare ab obseruatione præcepti humani: imò sæpè etiam ab obseruatione præcepti positiui diuini. Quia secundùm communem sententiam non teneor integrè confiteri, quando non possum id facere sine periculo notabilis damni; cùm tamen integritas confessionis sit præcepta iure diuino.

Metus cõmuniter ab obseruatione præcepti humani excusat.

c. Sacris Ad cap. *Sacris*. Respondeo, ibi non dici, nunquam metum excusare à censura incurrenda: sed solùm tunc non excusare, quando non excusat à peccato: vt apertè patet ex ratione, quam Pontifex adducit.

Secunda igitur sententia docet, tunc metum excusare à censura, quando prorsus excusat ab omni peccato: secùs esse quando non excusat ab omni peccato. vt si quis ex graui metu committat incestum prohibitum sub pœna excommunicationis; quem certum est peccare, vnde ait eum etiam excommunicari.

98 Tertia sententia docet semper metum excusare à censura, quoties efficit ne factum sit contra præceptum Ecclesiasticum, etsi pergat esse contra præceptum naturæ.

Vbi Nota, quando Ecclesia prohibet aliquid, quod est contra ius naturæ, posse fieri vt quis peccet contra ius naturæ, non tamen contra præceptum Ecclesiæ: vt si quis hoc inuincibiliter ignoret. Idémque aiunt illi, fieri posse ratione metus. v. c. prohibitus sit incestus sub pœna excommunicationis: quædam metu mortis eum committit: peccabit hæc contra castitatem, non tamen contra præceptum Ecclesiasticum. quia hoc in tanto periculo non obligat: atque ita non excommunicabitur. Ita Nau. c. 27. n. 63. §. *Septimum*. Henriquez l. 13. c. 21. n. 3. in fine. Auila 7. p. disput. 2. dub. 7. concl. 5. Suarez disp. 5. sect. 3. n. 14.

Nauarr. Henriquez, Auila, Suarez.

99 Conclvs. I. Metus aliquando efficit, vt peccans contra ius naturæ, non peccet contra præceptum Ecclesiæ, quo res aliàs est prohibita. Auila p. 2. c. 6. disp. 8. dub. 5. §. *Tertiò sequitur*. Nauarr. in manuali c. 27. num. 63. in fine. & in c. *Ita quorundam*. de Iudæis. not. 11. num. 18.

Metus aliquando excusat ab obseruatione præcepti Ecclesiæ, etiam peccantem contra ius naturæ. *Auila, Nauarrus.*

Probatur, quia, cùm certum sit, talem metum communiter excusare ab obseruatione præcepti Ecclesiastici; nulla est ratio, cur etiam in hoc casu non possit excusare, ita vt actio etsi sit contra ius naturæ, non sit tamen contra Ecclesiasticum. Secundò, quia potest fieri vt metus tollat absolutè omnem rationem legis ob quam res etiam in se mala, ab Ecclesia prohibita sit. v. c. iure Ecclesiastico prohibita est fornicatio in loco sacro propter reuerentiam loci: aliqua metu mortis inducta ibi fornicatur; hæc peccat contra castitatem, non tamen contra reuerentiam loci. quia non tenetur hanc reuerentiam cum tanto suo periculo euitare: & consequenter nec peccat contra prohibitionem Ecclesiæ. quia Ecclesia non aliter intendit hunc actum prohibere, quàm quatenus est contra reuerentiam loci.

Dixi *aliquando efficit*. quia non semper. Nam potest fieri vt ratio præcepti Ecclesiastici sit tam grauis, vt nullus metus à præcepti obseruatione excuset. Vt cùm factum cedit in grauissimam Ecclesiæ iniuriam: vt sit quando quis in contemptum Ecclesiæ cogit aliquem violare eius præceptum. Tunc huic potiùs moriendum est, quàm præceptum violandum, siue factum aliàs sit contra ius naturæ, siue non. Item quando aliquis iuberetur à laico violentas manus iniicere in Episcopos, Cardinales, aut similes. quia hoc cum grauissima Ecclesiæ iniuria fieret. ita auctores tertiæ sententiæ. 100 Non tamen semper.

Conclvs. II. Quoties metus efficit, vt factum aliquod non sit peccatum contra præceptum Ecclesiasticum, excusat etiam à censura, etsi aliàs sit contra ius naturæ. Quia, vt dixi n. 73. censura numquam incurritur, nisi quis peccauerit cõtra præceptũ Ecclesiæ. 101

Conclvs. III. Quoties metus non excusat à peccato contra præceptum Ecclesiæ, aut quia ille leuis est, aut quia hoc obligat, etiam in graui periculo; non excusat à censura. Et hoc apertè probat cap. *Sacris* citatum, nec ampliùs. Agit enim apertè de actu qui est peccatum contra prohibitionem Ecclesiæ, scilicet de communicatione cum excommunicatis, hîc & nunc illicita, & peccaminosa, quæ solo iure Ecclesiastico prohibita est. Dicit itaque Pontifex metũ non excusare à pœna, quia non excusat à culpa. Non quòd nunquam vllo casu excuset (hoc enim dici nequit) sed quia quandoque non excusat. Quare illa verba idem valent, ac si diceret: Tunc non excusat à pœna quando non excusat ab obseruatione præcepti, siue à culpa contra præceptum commissa. Quod accidit quoties excommunicati cogunt aliquem secum communicare in contemptum præcepti Ecclesiastici, iuxta dicta n. 100. 102 *c. Sacris*

Hinc infertur, eum qui incurrit censuram communiter posse facere aliquid quod per censuram aliàs ei prohibitum est, quoties hoc nequit sine graui suo incommodo omittere. Quia præcepta Ecclesiæ communiter cum tam graui incommodo non obligant. Hinc qui secrerò eam incurrit, si aliàs sit in statu gratiæ, & non negligens in petenda absolutione, potest exercere actus Ordinis, quoties hoc est necessarium ne cum eius infamia alij coniiciant eum aliquam censuram incurrisse. Nec tunc sit irregularis: quia nullo modo peccat; nec hæc irregularitas sine culpa incurritur. Vide Suarez disp. 6. sect. 3. nu. 7. & 14. & Auilam 7. p. disp. 2. dub. 7. 103 *Suarez, Auila.*

Excipe primò casum, quo Ecclesiæ præceptum, quo præcipit seruari censuram, obligat, hîc & nunc etiam cum graui periculo iuxta dicta numero 100. & 102. 104

Secundò, quando Ecclesia sua prohibitione reddit aliquem inhabilem ad aliquem actum, ita vt eum nequeat validè facere. Tunc enim etsi fortè metus possit excusare ab obseruatione Ecclesiastici præcepti; numquam tamen efficit vt talis eiusmodi actum validè faciat. Quare quando illum actum inualidè facere est contra ius naturæ ob nullum metum licebit eum facere. v. c. publicè excommunicatus amittit omnem iurisdictionem: quo casu ob nullum metum poterit aliquem sacramentaliter velle absoluere. quia hoc non potest validè facere (nisi pœnitens sit in periculo mortis) & est intrinsecè malum, scienter aliquem inualidè absoluere: atque ita certum est quòd talis peccabit peccato sacrilegij contra ius naturæ & reuerentiam Sacramenti. An autem etiam Metus non facit vt quis aliquid valide faciat.

peccabit directè contra præceptum Ecclesiæ, non est ita certum: quia videtur ob grauitatem periculi ab eo excusari: sicut dixi n. 98. de ea quæ vt euitet mortem committit incestum sub excommunicatione prohibitum. Sed verius credo eum etiam peccare contra præceptum Ecclesiæ, & fieri irregularem. quia, cùm hæc res sit grauissima, nec possit à rali fieri sine graui potestatis Ecclesiasticæ (quam ipse sibi iniquè vsurpat) iniuria; videtur Ecclesiæ prohibitio etiam cum periculo vitæ obligare. Vide Suar. disp. 6. sect. 3. n. 3.

Suarez

DVBIVM XIII.

Vtrùm censura possit ferri in innocentem, qui secundùm allegata iuridicè probata est nocens?

105 QVadruplex hîc est difficultas. Prima est, Vtrùm talis censura validè feratur, ita vt alterum verè liget in conscientia? Quidam hoc absolutè affirmant. Quia, cùm iudex tunc iustè præcipiat, condemnatus tenetur obedire. Et huic sententiæ fauet valdè D. Thom. in 4. d. 18. q. 2. a. 1. quæstiunc. 4. quem quidam ipsius discipuli sequuntur.

D. Thom.

Alij verò aiunt, talem sententiam ad nihil obligare in foro conscientiæ, nisi ad vitandum exterius scandalum. Ita cum aliis Cajet. 2. 2. q. 70. a. 4. ad 2. Ratio est; quia talis sententia est absolutè iniusta, & solùm iusta quoad præsumptionem: ergo absolutè est nulla. quia repugnat valido actui iustitiæ vt sit iniustus.

Cajetan.

Secunda difficultas est, Posito quòd talis sententia in aliquibus obliget, vtrùm is qui actum Ordinis sibi iustè per eam prohibitum exercet, fiat irregularis?

106 Tertia, Vtrùm iudex qui priuatim nouit talem esse innocentem, possit contra eum ferre censuram: Multi id absolutè asserunt, moti illo generali principio, quòd iudex iustè quemuis reum condemnet, qui legitimè secundùm allegata probatus est nocens, etiamsi sciat eum esse innocentem. Quam sententiam communiter amplectuntur Thomistæ, secuti D. Thomam 2. 2. q. 67. a. 2.

D. Thom.

Sed hæc sententia ita generatim intellecta patitur graues difficultates, eámque ac eius rationes benè refutat P. Lessius de Iustitia c. 29. dub. 10. Et vel inde refellitur, quod ex ea sequitur, omnes iudices in Anglia, qui Catholicos ad grauissima supplicia condemnant, communiter hoc sine culpa, atque adeò iustè facere. Nam communiter per falsos testes, tales in iudicio secundùm omnia allegata probantur conspirasse in perniciem Regis aut patriæ, nec vllus audet pro illis contrarius testis stare. Quare cùm illi iudices sola priuata scientia norint eos esse omnino innocentes, & testes contra conscientiam mentiri, secundùm illam sententiam iustè eos condemnabunt. Quod nullus Catholicus, vt opinior, facilè admittet. Sed hac de re vide Lessium sup. & dicenda disp. 34. n. 98.

Lessius

107 Quarta difficultas est, Vtrùm qui secretò nouit ita excommunicati innocentiam, teneatur iussus à Superiore eum denuntiare excommunicatum? Multi Iuristæ hoc absolutè asserunt, ob c. *Pastoralis.* de offic. iud. deleg. §. *Quia verò*, vbi hoc videtur expressè definiri his verbis, *Attendentes itaque quòd non cognitio, sed executio tantùm demandetur eidem, respondemus quòd cùm Ordinarius obsequi teneatur delegato* (scilicet Pontificis) *etsi sciat sententiam illam iniustam, exequi nihilominus teneatur eandem.* Sed hæc definitio non potest hanc sententiam ita generatim probare, vt infrà ostendam.

c. Pastoralis.

108 Pro resolutione Nota Primò, nos posse videre quodammodo triplicia bona Primò, quædam ita possidemus, vt tamen magis sint Reipublicæ quàm nostra: vt sunt publica officia, vel beneficia, quæ magis instituta sunt ob bonum publicum, quàm ob priuatum. Secundò, quædam ita sunt nostra, vt Respublica nullum omninò in ea habeat dominium: talia sunt vita, membra, &c. fortè etiam fama. Tertiò, quædam sunt quasi media. Nam sunt bona absolutè quidem priuata: ita tamen vt Respublica habeat in ea etiam aliquod dominium; talia sunt bona fortunæ, & ius quod habemus conuersandi cum alijs, & similia. Vnde sequitur; inter hæc bona, quod ad rem præsentem attinet, hanc esse differentiam. Quia, cùm bonorum primi & tertij generis Respublica sit etiam aliquo modo domina; quando ingens ipsius bonum hoc postulat, potest possessorem etiam sine vlla ipsius culpa illis spoliare, faciliùs tamen primis, quàm tertijs. Quia tamen rursum sunt etiam priuata, non aliter potest nos iis spoliare, quàm quatenus est necessarium ad illud bonum assequendum. Secundis numquam potest aliquem positiuè & directè spoliare sine sua culpa: quia eorum non est domina.

Triplicia bona possidemus.

Quibus bonis possit nos Respub. sine nostra culpa priuare.

Declaratur exemplo. Ioannes habeat domum iuxta mœnia, & necessarium sit ad fortificandam ciuitatem, vt possit esse tuta contra hostiles insultus, vt ipsa deiiciatur; potest hoc ciuitas etiam inuito Ioanne facere, pretium tamen tenetur ei refundere, quia hoc sine periculo potest facere. Item sit potentissimus tyrannus infensus aliquibus ciuibus, præcipiátque ciuitati, vt eos publicis omnibus officiis spoliet, minando ni faciat exitium: licitè ciuitas hoc faciet. Si verò præcipiat, vt prinet eos vita aut membris numquam licitè hoc faciet, etsi tota deberet perire. Potest quidem Respublica vt se tueatur exponere aliquem innocentem euidentissimo mortis periculo, atque etiam aliquid facere, ex quo per accidens illius mors necessariò hîc & nunc sequatur, v. c. euertere hostium turrim in qua sunt innocentes eius casu necessariò obruendi; sicut etiam ipse ciuis, vt seruet Rempublicam, potest se euidenti periculo exponere, ac hostilis turris fundamenta eruere, etsi sciat se eius lapsu obruendum. Sicut tamen hic non potest seipsum directè occidere, quantumcumque possit inde bonum Reipublicæ euenire: ita nec potest positiuè ac directè à Republica occidi.

109

Nemo potest innocentem directè occidere, benè tamen indirectè.

Vnde sequitur Primò, quando aliquis legitimè probatur in iudicio nocens, quem iudex priuatim nouit innocentem, posse quòd ipsius innocentiam nullo modo possit probare; eum posse quidem talem spoliare bonis fortunæ. quia hoc tunc necessarium, vt publicus iudiciorum ordo seruetur, quem seruari omnino Reipublicæ expedit. nullo tamen modo posse eum occidere, aut mutilare. Quia talis quantumcumque probetur nocens, semper tamen manet innocens: vt autem ostendi, numquam innocens ob vllum Reipublicæ bonum potest directè occidi.

110

Innocens probatus nocens potest priuari fortunis, non vita.

Sequitur Secundò, talem spoliatum bonis suis priuatis, propriè solùm spoliari possessione, non autem dominio, sed hoc occultè adhuc retinere. quia nullo modo est necessarium ad bonum publicum, vt verè à parte rei eo spolietur: quare poterit sibi occultè eadem bona recuperare, quantum sine scandalo poterit. Si verò priuetur officiis, iis omnino priuabitur. tum quia hoc necessarium est ad bonum publicum, vt possint ea alteri validè conferri: tum etiam, quia, vt dixi, hæc bona sunt magis Reipublicæ quàm ipsius possidentis. quare ipsa longè faciliùs, quando ei expedit, potest nos iis priuare. Vide P. Lessium de Iustitia c. 29. n. 84.

111

Retinet tale dominium sui bonorum.

Lessius

Sequitur Tertiò, cùm Superiores sine Ecclesiastici, sine ciuiles nec sint propriè domini suorum subditorum, nec acceperint officium suum in suum proprium commodum, sed vt consulant commodis subditorum; eos non posse his quiduis pro libitu præcipere, sed solùm ea quorum obseruatio conducit aut publicum, aut saltem priuatum bonum eorum, quibus hoc præcipiunt.

112

Quatenus possint Superiores præcipere.

Nota

113 Ratione circumstantiarum fit aliquid de nouo materia præcepti.

Nota Secundò, ex dictis dub. 8. num. 73. censuram semper ferri ob contumaciam, quia scilicet subditus non vult obedire iudici præcipienti. Potest autem fieri vt quandoque præcipiat aliquid quod per se loquendo, non posset subdito præcipere, positis tamen certis circumstantiis possit id præcipere, v. c. iudex per se loquendo non potest mihi præcipere, vt Ioanni dem centum, quando ea ipsi non debeo; posito tamen quòd iuridicè probetur me ea ipsi debere, poterit mihi præcipere vt ea dem, & tenebor obedire: non tamen poterit prohibere ne occulta vtar compensatione. Ratio differentiæ est, quia illud ad publicam disciplinam est necessarium, hoc autem non, quare si vtrumque præcipiat; tenebor ei in priore obedire, non autem in secundo.

114 Rursum fieri potest vt iudex alicui aliquid præcipiat, quod hic nullo modo potest facere, quia sine peccato fieri nequit: vt si præcipiat alicui vxum matrimonij cum non sua, quæ tamen publicè probatur ipsius esse vxor. Quo casu præceptum est omnino inualidum, & in se à parte rei illicitum. Quia res illicita non potest verè à parte rei licitè, aut etiam validè præcipi; etsi ob allegata & probata in iudicio videatur legitimè præcipi.

115 Tertiò, potest etiam contingere vt quis possit quidem licitè obedire, & tamen non teneatur, eò quòd præcipiatur res nimis grauis: vt si quis vir honestus contraxerit cum aliqua sponsalia, quam postea cognoscit laborare secreta lepra, qua se aut filios inficiédos meritò timet: aut alibi publicè propter crimina fuisse flagellatam, ita vt meritò timeat, ne hoc in eo loco diuulgetur, aut ne ibi similia committat, atque ita suam familiam diffamet. Hæc enim adeò grauia sunt & infirmitati humanæ intolerabilia, vt talis non videatur teneri iudici præcipienti matrimonium obedire; etsi eò quòd non possit ea probare, oriturum sit aliquod scandalum, quia hoc magis erit acceptum quàm datum. Nec enim omne publicum bonum sufficit, vt alicui quiduis quantumuis graue validè præcipiatur.

116 Ad quid obliget censura lata in innocentem.

Conclvsio I. Censura lata contra innocentem legitimè probatum nocentem, nec priuat eum suffragijs Ecclesiæ, nec potestate occultè, aut coram ijs solis, qui aut ignorant censuram esse latam, aut sciunt eum esse innocentem, exercendi ea omnia, quæ tali censuræ verè ligatis prohibentur. Sequitur ex dictis, quia, cùm non sit necessarium ad obseruantiam disciplinæ Ecclesiasticæ, aut bonum commune eum his priuari, non potest sine culpa ijs priuari. Hinc sequitur, talem posse etiam publicè ea omnia facere in ijs locis, in quibus ipsius censura omnino ignoratur. Et ex hac parte vera est sententia Caietani nu. 105. allata. *Caietan.*

117 *D. Thom.* *D. Greg.*

Concl. II. Talis ex vi censuræ tenetur publicè in locis in quibus illa nota est, atque etiam priuatim coram illis quibus nota est censura & ignota innocentia, abstinere iis rebus, quæ per huiusmodi censuras prohibentur. v. c. si excommunicatus sit, tenebitur abstinere ab aliorum communione, præsertim in sacris: idque non solùm vt viter scandalum, aut ne videatur contemnere censuras; sed etiam quia præcepto iudicis ad hoc tenetur. Ratio est, quia, etsi iudex non possit eiusmodi abstinentiam ei præcipere, nisi quatenus est necessaria ad euitandum eiusmodi apparentem contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ; posita tamen hac necessitate verè hanc ei ac validè præcipit; ideoque eius præcepto obligatur. Et ex hac parte vera est sententia D. Thom. nu. 75. allata. Nec credo auctores vtriusque sententiæ aliud velle, sed magis dissentire verbis quàm re. Ex quo etiam patet esse verum illud D. Greg. homil. 26. in Euang. relatum c. 1. 11. q. 3. *Sententia pastoris siue iusta siue iniusta timenda est.* Quia scilicet talis sententia etiam aliquo modo ligat, quando publicè putatur iusta.

118

Conclvsio III. Ita excommunicatus non redditur inhabilis ad Beneficia, quia hoc non est necessarium ad conseruationem publicæ disciplinæ. Si tamen collatio decernatur irrita, ac Beneficium alteri conferatur, validè huic secundò confertur, atque alter eo omnino priuabitur. Ita Suarez dispu. 4. sect. 7. num. 27. & 29. & apertè sequitur ex dictis nu. 108. & 111. *Suarez.*

119 Talis faciendo contra censuram non fit irregularis.

Conclvsio IV. Eiusmodi censurâ ligatus, etsi exerceat actum Ordinis eo loco, vbi per censuram tenebatur ab eo abstinere, non fit irregularis. Quia, cùm talis censura non habeat propriè rationem censuræ, qui contra eam facit, non potest propriè dici violare censuram, quod tamen necessarium est ad incurrendam irregularitatem: cùm pœnæ sint strictè interpretandæ. Ita Suarez suprà n. 20. *Suarez.*

120

Contra has conclusiones posset obiici, quòd, cùm iudex positis talibus probationibus legitimè reo etsi aliàs innocenti quandoque præcipiat, vt talem pecuniam, v. c. Petro reddat, vt patet ex dictis n. 81. sequetur, quòd eo casu verè excommunicabitur, si non reddat, quia, cùm teneatur iudici obedire, erit contumax non obediendo, & propter hanc contumaciam validè excommunicabitur.

Respondeo Primò, etsi totum concederetur, nihil fore contra nostras conclusiones, quæ possunt intelligi de casu in quo reus non tenetur obedire iudici: aut quia non potest sine peccato obedire: aut quia etsi possit, tamen quia res nimis grauis præcipitur, non tenetur, vt patet ex casibus numero 113. allatis.

Respondeo Secundò, etiam in casu quo talis teneretur iudici obedire aliquid præcipienti, etsi non obediendo possit fieri contumax; tamen probabilius est eum non incurrere propriè dictam censuram. Quia iudex non intendit punire tanta pœna eam contumaciam, nisi quatenus supponit crimen, cuius ille accusatur, esse verè commissum. Tunc enim contumacia est longè grauior: quando verò ipse est innocens, quia satis durum est tunc parere iudici, contumacia est longè leuior, & ex parte excusabilis, ac digna clementia: & consequenter non est putandum iudicem velle eam puniri æquali pœna, qua aliam puniret. Et hæc videtur mens omnium DD. qui dicunt censuram latam in innocentem probatum nocentem, non habere veram rationem censuræ. Ferè enim loquuntur in dicto casu.

121 Quid teneatur iudex facere circa eum quem nouit innocentem.

Concl. V. Quando iudex priuatim nouit innocentem, qui publicè probatur reus, & à parte vrgetur, vt eum excommunicet, tenetur quantum potest efficere, vt veritas eluceſcat; atque etiam aliis modis efficere, vt sine vllius iusta offensione possit ab excommunicatione abstinere. Ratio est, quia saltem caritas eum obligat, vt quantum fieri potest, cuitet ne proximo innocenti sit causa tanti mali, quod etiam ex tali excommunicatione in foro externo præsumpta sequitur, quod sine dubio non est leue. Sà v. *De Iudice & arbit.* n. 13. Angelus v. *Iudicare.* nu. 7. Rosella v. *Iudex.* n. 18. *Sà.* *Angelus.* *Rosella.*

122

Conclvsio VI. Quando iudex non potest vllo modo efficere, vt veritas eluceſcat, aut iudicium declinare, in casu quo potest validè præcipere, vt reus accusatus parti satisfaciat, ita vt teneatur parêre, potest in nolentem ferre sententiam excommunicationis. Quia nec reus per eam priuatur vllis bonis, quibus Ecclesia ob bonum commune non potest etiam omnino innocentem priuare, simpliciter iubendo, vt eum nullo in sacris, aut ciuilibus rebus communicaret, nec punitur innoxius, cùm peccet non parendo, ita auctores citati n. 121.

CONCLVSIO VII. Probabile est idem dicendum esse in casu quo reus potest quidem iudici parere, non tamen tenetur, eò quòd nimis grauis res præcipiatur. Nam hoc videtur probare prior pars argumenti allati pro sexta conclusione.

Dices, Videntur hæ sententiæ continere mendacium, atque adeò esse absolutè iniquæ. Primò, quia iudex per sententiam declarat reum commisisse tale crimen, quod scit eum non commisisse. Secundò, quia dicit se eum excommunicare, cùm tamen reuera non excommunicet, talis enim propriè non est excommunicatus.

123 Respondeo, non esse opus vt iudex dicat absolutè talem commisisse hoc crimen: sed sufficienter probatum esse eum commisisse, quod verum est. Similiter non dicit se reum absolutè omnino propriè ac validè excommunicare: sed se eum excommunicare, posito quòd vera sint ea, quæ probata sunt, quæ conditio semper subintelligitur. Nam aliàs esset iniusta sententia ita absolutè intellecta, vt iudex intenderet excommunicare reum, etiam eo casu quo allegata essent falsa. Quia tamen publicè supponuntur esse vera, illa cõditio communiter omittitur: Sicut quando sacerdos absoluit pœnitentem, absolutè dicit, *Ego te absoluo*; semper tamen subintelligit, *si dispositus sis*. Nam velle aliquem absoluere siue dispositus sit, siue non esset sacrilegium.

Omnis sententia iudicis includit tacitam conditionem, si allegata vera sint.

Adde, iudicem posse expressè talem conditionem apponere, dicendo, *Excommunico te, si vera sint quæ allegata sunt*. Et validè probabile est eum ad hoc teneri, tum quia sic ipsius sententia magis propriè est vera: tum maximè quia ita minùs efficaciter cooperatur damno, quod reo inde sequitur, cùm ostendat se quasi coactum ac renitentem sententiam ferre, nec credere esse vera, quæ allegata sunt: atque ita efficit vt non cooperetur tam efficaciter infamiæ, quæ reo ex tali iudicio accidit: cùm non possit magis probari reus ex ipsa sententia, quàm ex dictis testium. Deberet inquam ita ferre sententiam, quando pars ea esset contenta: quòd si tamen instaret vt absolutè sententiam ferret, ad hoc teneretur posita sufficienti probatione, quia pars tunc habet ius vt publicè supponantur esse vera quæ ita probata sunt: atque ita communiter potest eam absolutè ferre.

124 CONCLVSIO VIII. In casu quo reus sine peccato non potest facere, quæ pars ab eo exigit (vt si petat, vt ducat eam, quam nullo modo potest ducere ob occultum impedimentum) si iudex huius priuatim sit conscius, nullo modo potest præcipere, vt hoc faciat, quãtumcumque publicè probetur eum ad hoc teneri. Et consequenter multò minùs potest nolentem hoc facere excommunicare. Quia antequam possit eum excommunicare, debet ei priùs illud sub pœna excommunicationis præcipere: vt patet ex dictis dub. 9. Quòd autem hoc facere non possit, probatur, quia nemo potest me incitare, multoque minùs mihi præcipere, ac tam graui addita pœna me compellere, vt faciam hoc quod scit mihi hîc & nunc esse omnino illicitum. Hoc enim modo, quantum posset, me directè compelleret ad peccandum, quod apertè est illicitum.

Iudex non potest excommunicare eum quem scit sibi non posse obsequi.

125 Dices Primò, Talis iudex non præcipit absolutè vt reus hoc faciat, sed posito, quòd illicitè possit.

Respondeo, Etsi præceptum possit hanc interpretationem admittere; tamen metus qui incutitur absolutè me compellit ad delictum, cùm nullo modo possim euadere sententiam (quæ etsi non sit omnino valida, graue tamen malum adfert) nisi ipsum delictum perpetrem.

Dices Secundò, Inde sequitur, nunquam posse aliquem qui allegat matrimonium suum esse inualidum, compelli per censuram vt reddat debitum, quia quantumcumque probetur validum, fortè est inualidum.

Respondeo, negando sequelam. Quia, quando iudex non scit contrarium, potest absolutè supponere iuridicè allegata & probata esse vera, & consequenter tanquam in re certa procedere. Quia in rebus humanis non possumus habere aliam certitudinem. Secùs est quando certò scit esse falsa, tunc enim certò scit esse malum id quod præcipit.

Dices Tertiò, Cùm iudex sit persona publica non potest operari nisi ex scientia publica. Illius autem innocentiam non nouit, nisi scientia priuata.

Respondeo, Etsi iudex non potest ferendo sententiam operari nisi ex scientia publica, non tamen tenetur semper ex ea operari, præsertim quando nouit eam esse falsam, quia tunc non potest dici scientia, sed error. Vide plura apud P. Lessium de Iustitia cap. 29. dub. 10. *Lessius.*

CONCL. IX. Is cui delegatur vt sententiam, qua in aliquem quem nouit innocentem, censura lata est, publicè denuntiet, si nullo modo possit mandatum excutere; tunc licitè potest parere, quando iudex cum tali scientia eam potuit ferre: vt in casu 6. & 7. concl. Quia nulla est ratio cur cæteris paribus non liceat mihi ex præcepto iudicis sententiam denuntiare, quam ipse potuit ferre. In casu autem quo alter cum tali scientia non potuisset ferre sententiam, nec hic poterit eam denuntiare. Quia hac ratione etiam aliquo modo compelleret reum ad peccandum, quia grauiùs vrget eum sententia denuntiata, quàm non denuntiata. 126

Ad c. *Pastoralis* §. *Quia verò*. Respondeo, eam decisionem non esse ita generatim intelligendam, quasi quacumque ratione sententia sit iniusta, is cui præcipitur, vt eam exequatur, ad hoc teneatur. Nam inde sequeretur, quòd deberet eam exequi etsi contineret apertam iniustitiam. Quare non est intelligenda de sententia iniusta contra iustitiam commutatiuam, qua reo vera fit iniuria; sed de iniusta iniustitia legali solum, quæ scilicet est commissa eò quòd in processu non sit seruatus ordo Iuris accidentalis, ob quem defectum sæpè sententiæ aliàs validæ dicuntur iniustæ, vt patet c. *Romana*. de sent. excommun. in 6. Quod patet, quia illa decisio non videtur latiùs extendenda, quàm possit extendi ratio quam Pontifex ad eam probandam adfert: atqui illa ratio benè probat quemuis iussum à Superiore exequi sententiam, in qua talis solummodo iniustitia commissa est, licitè eam exequi; nec amplius probat: ergo decisio non est latiùs extenda. Minor probatur. Nam quòd cognitio causæ non sit demandata executori, benè probat eum non debere curare, vtrùm in cognitione causæ benè processum sit; non tamen probat eum non debere curare an executio sit hîc & nunc licita, an illicita: quia, antequam hanc possit suscipere, debet scire vtrùm sit licita, probamus autem in dicto casu eam esse illicitam. 127 *c. Pastoralis* *c. Romana.*

Notandum tamen, quòd si reus consentiret, vt iudex in tali casu ferret talem sententiam: aut alter latam iussus denuntiaret, & nullo modo per hoc esset incitandus ad peccandum, eos posse hoc facere, quia tunc cessaret ratio, cur esset illicitum.

DISPVTATIO XIV.

DE

EXCOMMVNICATIONE.

DVBIVM I.

Quid & quotuplex sit excommunicatio?

1 Sotus, Navarrus, Suarez, Avila.

VARII varias definitiones excogitarunt; vt patet apud Sotum in 4. d. 22. q. 1. ar. 1. §. *Igitur.* Navar. c. 27. n. 1. Suarez disput. 8. sect. 1. numer. 1. Avilam p. 2. disput. 1. dub. 1. & alios, quæ ferè in hunc sensum conueniunt: *Excommunicatio est censura Ecclesiastica, quæ priuat directè communione fidelium, vel absolutè omni, vt maior, vel sola passiua, quæ consistit in perceptione Sacramentorum.* Atque ita differt à reliquis pœnis quæ aut non sunt censuræ, aut non priuant communione fidelium nisi inditectè. Num Suspensio priuat quidem vsu Beneficij & exercitio officij, quà talia sunt; item Interdictum priuat participatione diuinorum officiorum quà talia sunt; non tamen directè ijs priuant quatenus habent rationem communionis fidelium, sed tantùm consequenter.

Quid sit excommunicatio.

Quomodo differat ab aliis censuris.

2 Excommunicatio duplex.

Definitio maioris. c. penult. de sent. excom.

Definitio minoris.

Hinc patet, duplicem esse excommunicationem, scilicet maiorem & minorem, vt expressè etiam dicitur c. penult. de sent. excommun. vbi maior dicitur esse ea, *quæ à communione fidelium separat*, scilicet absolutè: quia ita excommunicatis omnis cum fidelibus communicatio interdicitur. Minor verò, *quæ à perceptione Sacramentorum separat.*

c. Nemo.

Dices, Anathema maiore communione priuat quâ excommunicatio, ergo hæc non priuat omni communione. Antecedens probatur, quia c. *Nemo Episcoporum.* 11. q. 3. permittitur Episcopis vt ex iusta causa priuent suos communione Ecclesiastica, non tamen sub anathemate sine conscientia Archiepiscopi, aut Coëpiscoporum: quia hoc non nisi pro mortali debet imponi crimine ijs, qui aliter nequeunt corrigi. Item ex cap. *Cùm non ab homine*, de iudiciis, dicitur clericum criminosum debere primò deponi, & nisi corrigatur excommunicari, & demum persistentem in scelere anathematis mucrone feriri.

c. Cùm non ab homine.

An excommunicatio distinguatur ab anathemate.

Respondeo, negando antecedens. Ad illa capitula Respondeo, illis non significari maiorem priuationem communionis adferri per anathema, quàm per excommunicationem maiorem: sed eandem cum maiore solemnitate, & terrore, ac ignominia inferri; scilicet duodecim presbyteris Episcopum circumstantibus, qui teneant lucernas ardentes in manibus, easque in detestationem anathematizati in terram proiiciant, ac pedibus conculcent, vt habetur cap. *Debent.* 11. quæstio. 3. Adde cap. *Nemo.* citatum, videri loqui de excommunicatione minore, quia insinuat illam posse ferri ob peccatum veniale.

c. Debent. c. Nemo.

3 Anathema dupliciter accipitur.

S. Hieron.

Nota, etsi ἀνάθεμα (anathêma) quod significat votiuum aliquod donarium, quod ob beneficium à Deo obtentum in templo solet suspendi, satis frequens sit apud profanos auctores; ἀνάθεμα tamen (anathema penultima breui) ferè solùm reperitur apud Scriptores sacros, vt notat D. Hieron. in cap. 1. ad Galatas, & in Scripturis significat idem quod Hebræum חרמה *herema*, siue חרם *herem*, id est, occisio, vel excisio & separatio, siue res occisa & separata, à verbo חרם occido, excido, separo. Accipitur autem vtrumque nomen tam in bonam partem pro re quæ Deo oblata ac consecrata est, ideoque à rebus profanis separata, vt patet in Græco & Hebræo textu Num. 18. v. 14. quàm etiam in malam partem pro re execrabili, ideoque exscindenda, vt Num. 21. v. 3. Sicut etiam apud Latinos *sacrum* significat & rem Deo consecratam, atque etiam execrandam, iuxta illud, *Auri sacra fames.* hinc homo sacer dicitur qui omnino execrandus, & quasi quoddam piaculum diris deuotus est, & sic Apostolus ad Rom. 9. optabat anathema, id est, separatus & excisus, esse à Christo: & 1. ad Cor. 16. dicit anathema ei qui non amat Christum: & ad Galat. 1. de eo qui hæretica docet, dicit, *anathema sit.* Quem modum loquendi postea omnia Concilia in hæresibus damnandis imitata sunt, dicendo, Qui talia vel alia docet aut credit, *anathema sit.*

Num. 18. Num. 21. Rom. 9. 1. Corint. 16. Galat. 1. Cõcilia in modo dãnandi hæreses imitatur Apostolum.

Quibus verbis non significant se cum excommunicare (vt quidam putant) sicut nec Apostolus ibi angelum, si fortè docuisset hæresim, voluit excommunicare: sed tantùm intendunt talem doctrinâ damnare, vt hæreticam, non statuendo, sed definiendo, eum qui eam tenet esse omnino execrabilem, ac à Deo alienum, & diris deuotum. Hinc vlteriùs *anathema* sæpè etiam sumitur pro excommunicatione, vt quoties dicuntur aliqui feriri anathemate, quia nimirum tales à corpore Christi & communione fidelium excidunt, & traduntur quodammodo diabolo, vt dicitur 1. ad Corinth. 5. Quandoque tamen (vt paret ex dictis) ab excommunicatione tanquam aliquid grauius distinguitur, quatenus superaddit quasdam cæremonias; quæ ad terrorem faciunt, qua ratione aliquando, vt in c. *Guillisarius.* 23. q. 4. etiam excommunicationi additur *maranatha*, id est, *Dominus venit*, ad exemplum Apostoli 1. ad Corinth. 16. qua phrasi index reo minatur aduentum Domini ad iudicium. Excommunicatus itaque aliquando postea adhuc feritur anathemate, vt magis terreatur, & expressiùs significetur omnimoda eius ab Ecclesia præcisio, aut etiam eum de hæresi, aut schismate esse suspectum: vt in Trident. sess. 25. cap. 3. de reformatione, dicitur de ijs, qui per annum in excommunicatione sordescunt. Et sic intelligi cap. *Cùm non ab homine.* de iudiciis.

4 Quid communiter in Concilijs significent hæc verba, anathema sit.

c. Guillisarius. Excommunicationi quandoque additur maranatha. 1. Cor. 16. Trident. c. Cùm non.

Difficultas autem hîc oritur, Vtrùm quando in Iure ponitur absolutè excommunicatio, intelligendum sit de excommunicatione maiore, an verò de minore: nam in variis canonibus videtur accipi pro minore, & anathema pro maiore, vt in c. *Nemo Episcoporum.* 11. q. 3. & alibi.

5

c. Nemo.

Respondeo, in Iure antiquo hoc nomen excommunicatio satis variè sumi, nam aliquando significat solam prohibitionem communionis, vt c. *De presbyterorum.* 17. q. 4. aliquando excommunicationem, quam iam minorem vocamus, vt in c. 24. Concilij IV. Carthag. nunc tamen quando absolutè in Iure ponitur, significat excommunicationem maiorem, vt apertè habetur c. penult. de sent. excommunic. Atque etiam in antiquioribus Iuribus vix vnquam aliter accipitur, nisi in quibusdam locis, vbi ex circumstantiis satis ad aliud significandum determinatur.

Excommunicatio variè sumitur. c. De presbyteratum. Conc. Carthag. 4. c. penult. de sent. excom.

6 Dices, In c. de exceptionibus, in 6. dicitur eum, qui in iudicio alicui obiicit, quòd sit excommunicatus, debere dicere speciem excommunicationis, quam ei obiicit: vbi glossa per species excommunicationis, putat intelligi maiorem & minorem. Sed dicendum est per species excommunicationis, intelligi solùm diuersas excommunicationes maiores, v.c. contractas ob hæresim, aut percussionem clerici, &c. Patet clarè ex contextu. quia ibidem etiam dicitur obiicientem etiam debere designare illum à quo lata sit excommunicatio; quod de minore nequit intelligi. quia hæc non solet ferri ab homine. Decernit igitur ibi Pontifex, talem debere omnes circumstantias excommunicationis quam obiicit exprimere, vt ostendat se rem liquidam, sibique perspectam adferre. Qua ratione autem Ecclesia possit ferre excommunicationem, vide dicta disp. 13. dub. 2. & 3.

c. 1. de exceptionibus. Quomodo in iure significetur esse varias species excommunicationis.

DVBIVM II.

Quinam excommunicati iam sint euitandi, & quo iure?

QVoniam natura excommunicationis præcipuè consistit in eo quòd neque ipsi cum aliis fidelibus, neque alij cum iis conuersari, siue communicare in suis actionibus possint, ex quo multiplices effectus infrà explicandi exsurgunt; hîc primùm nobis explicandum est, qua ratione hæc negatio communionis obliget. Duplex autem est difficultas.

7 Prima est, Vtrùm hæc mutua communicatio cum excommunicatis sit prohibita iure diuino. Ita quidam apud Suarez disp. 2. sect. 1. num. 7. probant. Quia D. Paulus ad Titum 3. ait, *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita.* & similiter D. Ioannes epist. 2. de hæretico ait, *Nolite eum domo recipere, nec Aue ei dixeritis.* Sed hæc argumenta vt summum possunt probare, esse prohibitum iure Apostolico, cum hæreticis conuersari. Quamuis nec hoc probent; nam illis locis propriè nullum datur præceptum, sed solùm docemur Primò, conuersationem cum hæreticis magis esse periculosam quàm fructuosam, ideoque post vnam atque alteram admonitionem ab ea abstinendum esse. Secundò omnino conuenire nos ita ab iis abhorrere, vt nullam cum iis habeamus communionem, indignosque iudicemus, quos salutemus, vt hoc modo confusi erubescant.

Suarez. Excommunicatos iure diuino vitãdos esse quidam asserunt. *Tit. 3. Ioan. ep. 2.*

Cõtrarium verius. Quare communis sententia docet, hanc communicationem solo iure humano esse prohibitam. Probatur, quia quæ iure diuino prohibita sunt, nullo iure humano, vel consuetudine mutari possunt: hæc autem prohibitio iure humano ac consuetudine multùm immutata est, vt patet ex c. *Quoniam multos.* 11. q. 3. & mox dicendis.

c. Quoniam.

8 Secunda difficultas est, quinam excommunicati iam sint vitandi.

Nota olim omnes omnino excommunicatos fuisse vitandos, ita vt qui publicè noscerentur esse excommunicati, publicè vitarentur; priuatim verò qui priuatim noscerentur excommunicati. Iam verò Concilium Constantiense in Extrau. *Insuper ad euitandum.* quam ex D. Antonino refert Soto in 4. d. qu. 1. art. 5. & dicitur confirmata à Martino V. & Basileense in Extran. *Ad vitanda.* & Leo X. cum Concilio Lateranensi in concordatis Gallorum, huic prohibitioni aliquam moderationem adhibuerunt; cum aliqua tamen differentia inter se. Nam Constantiense statuit ne quis in posterum in perceptione vel administratione Sacramentorum, aut in diuinis officiis, aut etiam extra ea teneatur ligatos excommunicatione, aut alia censura vitare, nisi censura sit nominatim contra eos à iudice publicata, vel denuntiata exceptis clericorum percussoribus ita notoriis, vt factum nulla tergiuersatione possit celari, aut excusari: Basileense verò excipit ab hac moderatione omnes omnino planè notoriè excommunicatos.

Conc. Constantinens. Extrauag. Insuper. D. Anton. Soto. Martin. V. Basilienses. Leo X. Conc. Later.

Dubium itaque est, cuius Concilij statutum sit seruandum. Quidam aiunt statutum Basileense seruandum. Primò, quia hoc exstat, alterum non, sed solius D. Antonini auctoritate de eo constat. Secundò, quia hoc fuit posterius, & consequenter prius abrogauit. Alij verò negant Concilium Basileense potuisse abrogare Constantiense, quia in hac parte non fuit à Pontifice confirmatum, & decretum Leonis decimi, quo videtur confirmari, solùm fuit pro Gallis.

Cõstitutio Constantiẽsis communiter recepta.

Sed quidquid hac de re sit, certum est iam statutum Constantiense vim suam obtinere. Quia praxis totius Ecclesiæ hoc approbat. nam videmus per totam Germaniam, Galliam ac Belgium Catholicos sine vllo scrupulo aut Prælatorum reprehensione cum notoriis hæreticis conuersari: & sanè vix aliter in multis locis fieri potest. quare vsus hoc decretum absolutè iam confirmauit. Ita Soto suprà. Victoria de excommunicatione num. 10. Caiet. *v. Excommunicatio minor.* Henriq. l. 13. c. 5. n. 1. Nau. c. 27. n. 36. in fine. vbi mutat sententiam, quam antè tenuerat. Suarez disp. 9. sect. 2. num. 5. Auila p. 2. c. 6. disp. 2. dub. 1. qui multos alios citant. Ita vt iam hæc sententia sit communis.

Soto. Victoria. Caietan. Henriquez. Nauarr. Suarez. Auila.

10 Nota Secundò, aliquos dubitare, vtrùm nominatim excommunicati debeant vitari antequam denuntientur? Ratio dubitandi est, quia hi non videntur comprehendi illo statuto, quod loquitur solùm de excommunicatis per ius aut sententiam generalem. Sed communior sententia docet talem non esse vitandum, etiam post latam sententiam, nisi ea sit publicata, siue per scedulas loco publico affixas, aut denuntiationem publicè factam. Ita cum multis aliis Auila p. 2. c. 6. d. 3. Vnde infert, eum cui est data in scripto sententia excommunicationis vt eam denuntiet, non teneri vitare reum ante denuntiationem.

Nominatim excõmunicati nõ sunt vitandi ante denuntiationem. *Auila.*

11 Nota Tertiò, quosdam variè disputare, quando percussio clerici sit ita publica, vt percussor debeat vitari. Sed hac in re dicendum est, tunc *dici* absolutè talem, quando plurimis in ciuitate nota est, ita vt negari non possit, neque vlla ratione probabiliter defendi iure facta, & tunc per totam ciuitatem publicè debet vitari. Couarr. c. *Alma.* p. 1. §. 2. n. 9. in fin. Suar. tom. 3. disp. 67. sect. 5. & tom. 5. disp. 9. sect. 2. nu. 11. Auila p. 2. c. 6. disp. 2. dub. 4. & disp. 11. dub. 11. concl. 3. Respectiuè verò dicitur publica quando nota est maiori parti collegij in quo habitat, modò saltem decem ibi sint: & tunc in illo collegio debet vitari, non tamen publicè, donec factum publicè innotescat. Suarez & Auila suprà.

Quandò percussio clerici sit dicenda notoria. *Couarr. Suarez. Auila.*

Nota Quartò, eos excommunicatos, quos hîc diximus vitandos, communiter dici non toleratos, alios verò toleratos.

Nota Quintò, excommunicatis propriè per illa decreta nihil fauoris concedi, vt expressè habetur in Concilio Basileensi, quantum ad hanc partem communiter recepto. Quare ipsi ex parte sua eodem modo tenentur alias vitare, atque ante illud Concilium tenebantur, quamuis per accidens & consequenter aliquid commodi eis accedat, vt mox dicemus.

Cõstitutio Constantiensis non fuerit excommunicatis.

DVBIVM III.

Vtrùm iam cum excommunicatis toleratis eodem modo nobis liceat communicare ac si non essent excommunicati?

RAtio dubitandi est, quia ex vna parte conceditur 12 nobis absoluta facultas cum iis communicandi

ab altera verò parte, cùm ipsis prohibitum sit nobiscum communicare, videmur non posse cùm ijs communicare, cooperaremur enim eorum peccato, quod committerent communicando nobiscum. Hac in re variæ sunt sententiæ.

Prima docet, nullo modo vnquam licere cum ijs communicare; sed auctores qui pro hac citantur, id ita non dicunt: & hæc sententia absolutè falsa est.

Secunda planè contraria dicit eodem modo licere cum ijs communicare, ac si non essent excommunicati, quia Concilium Constantiense hoc absolutè videtur concedere, citatur pro hac Ledesma 1. p. 4. q. 5. art. 6. dub. 12. & vt probabilem citat Victoria de excommunicatione n. 10.

Conc. Constant. Ledesma. Victoria.

13 Tertia docet, quando excommunicatus est Pastor, subditos posse ab eo absolutè petere Sacramenta, nec videtur ad hoc requirere vllam aliam causam: quando verò non est Pastor, ait hoc non licere extra extremam necessitatem. Ratio diuersitatis est, quia prior rogatus tenetur Sacramenta administrare; & consequenter si conteratur, potest id facere sine peccato; quando verò non est Pastor, non tenetur, & consequenter nec sine peccato id facere potest, quare nec possumus hoc ab eo petere. Ita Soto in 4. d. 1. q. 5. a. 6. concluſ. 6. & 7.

Soto.

Quarta sententia absolutè docet, in rebus ciuilibus licere cum talibus communicare, nec requirit vllam causam, in sacris item absolutè docet licere cum iis communicare, quando se ad hoc paratos offerunt, secùs esse quando se non offerunt, nisi sint Pastores. Ita cum alijs Candelabrum aureum, de excommun. n. 78. & 79.

Candelab. aurem.

14 In rebus ciuilibus communicatio cum excommunicatis est absolutè licita. *Candelab. aurem.*

Conc. I. In rebus ciuilibus possumus communiter eodem modo cum talibus communicare, ac si non essent excommunicati. Ita Candel. aur. suprà, & credo alios auctores ab hac sententia communiter non dissentire, imò satis apertè eam locis citatis asserunt. Probatur, quia, si ad hoc requireretur grauis aliqua causa, nullum priuilegium esset nobis concessum, quia existente notabili causa possumus etiam cum non toleratis in ijs rebus communicare. Secundò, quia Concilium aliàs suo decreto non satisfeciſſet timoratis conſcientiis (quod tamen intendit,) quia, cùm eiusmodi communicationes frequentissimè possint occurrere, semper fuissemus anxij an hic & nunc subesset sufficiens causa cum ijs communicandi.

Per accidēs quandoque tenemur eos vitare.

Dixi, *id communiter licere.* Quia quandoque per accidens ratione scandali, aut quando mea familiaritate tali possim esse causa contemnendi excommunicationem, aut quando omnino crederem eum se emendaturum, si videret quòd ego eum vitarem; ex caritate ad hoc tenerer, vt per se patet.

15 Communicare in sacris cum excommunicatis quæ ratione liceat.

Conc. II. Idem dicendum est de communicatione in sacris, quando hanc ita habeo, vt nullo modo alterum inducam ad rem aliquam sacram operandam: ita auctores quartæ sententiæ, quia tunc nec pecco contra prohibitionem Ecclesiæ, cùm nullo modo mihi ab ea prohibeatur talis communicatio, vt patet ex Constantiensi; neque etiam pecco inducendo alterum ad peccatum, quia, vt supponò, non induco eum ad vllam communionem: & vix credo iam vllos ab hac re dissentire. Hinc sequitur, nos modò liberè posse audire Sacrum sacerdotis excommunicati, ac interesse officio diuino quod excommunicati celebrant; item permittere vt tales officio aut Sacro quod celebramus intersint, imò vt simul nobiscum officium canant in choro, aut etiam priuatim legant, modò eos ad hoc non inducamus.

Non licet communiter ab iis accipere Sacramenta.

Hinc aliqui inferunt, me similiter posse recipere Sacramenta ab excommunicato, qui publicè ad hoc se offert, Sed hoc non satis intelligo, quia, cùm non possim accipere Sacramenta à tali, nisi me ei offerendo, & hoc faciendo virtualiter ea ab ipso petam; non video quomodo possim ea ab ipso accipere, & tamen cum nullo modo indūcēre vt ea det.

Conclvsio III. Existente rationabili causa possum tales etiam inducere vt mihi Sacramenta ministrent, etsi non sint Pastores, modò aliàs habeant potestatem ea conferendi. Hanc conclusionem latè explicui & probaui to. 1. q. 64. art. 6. dub. 2. quare non est opus hic plura addere. 16 Ex iusta tamen causa id licet.

Concl. IV. Existente graui causa possum talem etiam inducere vt faciat Sacrum: hæc tamen causa videtur debere esse grauior, quàm quæ sufficiat ad petendam administrationem Sacramenti, quia per se, nisi grauis aliqua necessitas excusēt, videtur grauis indecentia talem celebrare, atque ita agere mediatorem inter Deum & homines, ac pro ipsa Ecclesia, à qua præcisus est, legatione fungi apud Deum. Talis autem causa esset, si aliàs aliquis deberet mori sine viatico. Ita cum aliis Auila 2. p. c. 6. d. 8. dub. 2. ad 2. Item quando aliàs integra parochia deberet die Dominico carere Sacro, posset inducere Pastorem, vt celebraret; quia ad hoc habet tunc notabile ius, quo non debet priuari. Ita Suarez d. 11. sect. 4. n. 15. 17 Quādo eos licet inducere vt celebrent. *Auila. Suarez.*

Concl. V. Quoties licitè induco excommunicatum, vt mecum in sacris aut profanis cōmunicet, ipse non peccat mecum communicando, aut sacras actiones obeundo, modò hæ conditiones adsint. Primò, vt ipse nullo modo se ingerat, aut actiones sacras obeat, nisi quatenus hìc & nunc est necesse vt mihi satisfaciat, quare si possit mihi per alium satisfacere, necessariò debet se excusare. Secundò, vt quando Sacramenta conferenda sunt, priùs conteratur, & quoties siue hìc, siue aliàs actus Ordinis obeundus est, priùs absoluatur si possit. Hanc conclusionem omnes auctores admittunt, qui admittunt nos aliquo casu tales ad huiusmodi communicationem posse inducere; & hoc necessariò ijs dicendum est: quia aliàs non possemus eos licitè ad hoc inducere, quia non possum aliquem inducere ad hoc, quod non potest licitè facere, etiam quacunque vrgente necessitate, quia, sicut non licet facere, ita nec licet suadere mala, vt eueniant bona, vide Auilam & Suarez suprà. 18 Excommunicati in aliorum gratiam quandoque licitè cum iis etiam in sacris communicant. Nullā licitè induco ad id quod sine peccato nequit facere. *Auila. Suarez.*

Hinc sequitur, tales obeuntes eo casu actus Ordinis, non fieri irregulares, quod verum est, etsi peccent mortaliter proper defectum contritionis; modò per eos non stet quominùs priùs absoluantur. Soto in 4. d. 1. q. 5. a. 6. concl. 6. & 7. quia, etsi tunc peccent contra ius naturale diuinum, non tamen contra Ecclesiasticum, nec exercent actum hìc & nunc sibi prohibitum per censuram; quod tamen necessarium est ad illam pœnam incurrendam, vt dicam suo loco. 19 Excommunicati quādoque sine periculo irregularitatis actus Ordinum obeunt. *Soto.*

Nec his obstat quòd Concilia non intendant suo decreto subleuare in aliquo excommunicatos, quia hoc intelligendum est de subleuatione directa, nam indirectè & ex consequente, hoc ipso quo concedunt alijs facultatem cum ijs communicandi, debent his vicissim aliquam concedere: quia aliàs nec alij possent cum ijs communicare. Decretum Constantiense indirectè subleuat excommunicatos.

Concl. VI. Etsi contingat non excommunicatum peccare, eò quòd inducat excommunicatum sine vlla causa vt secum communicet in casibus, in quibus hoc non licèt, nō incurrit tamē excōmunicationē minorē, aliámve vllā pœnam, quia non peccat propriè cum eo communicando, sed solùm inducendo eum ad actum ei prohibitum. Ita Auila p. 2. c. 6. d. 6. dub. 1. concl. 4. 20 Communicās cum excommunicato tolerato nunquam incurrit excōmunicationem minorem.

Conclvs. VII. In administratione Sacramentorum erga huiusmodi excommunicatos idem obseruandum est, quod diximus obseruandum circa existentes in peccato mortali, to. 1. q. 80. art. 6. hoc excepto, quòd non liceat tales sacramentaliter absoluere quālibuncunque societè, nisi priùs absoluantur ab Qua ratione liceat nobis iis dare Sacramenta.

excommunicatione, attàd illud nos cogat notabilis necessitas. Vide d. 8. n. 107.

DVBIVM IV.

In quibus teneamur vitare excommunicatos non toleratos?

21 Omnis cõmunicatio cum non toleratis nobis est prohibita. *c. Excommunicatos, Calixtus Papa.*

REspondeo breuiter, in omnibus actionibus quæ continent aliquam communicationem tam in sacris, quàm profanis; quia generatim nobis omnis cum ijs communio interdicitur, vt patet ex cap. penult. de sent. excommun. vbi hæc dicitur separare à communione fidelium, & cap. *Excommunicatos.* 11. q. 3. vbi Calixtus Papa expresè præcipit ne quis excommunicatos suscipiat, aut cum ijs in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, aut Aue ijs dicat. Vnde auctores actiones in quibus non licet cum excommunicatis communicare, hoc versu comprehendunt.

Os, orare, Vale, communio, mensa negatur.

Per *os* prohibetur omnis collocutio etiam literis facta, item oscula & similia signa amicitiæ. Per *orare* prohibetur communicatio in sacris. Per *Vale* prohibetur omnis salutatio etiam gestu facta. Licet tamen priùs salutantem resalutare, quia est quodammodo debiti solutio, ita cum aliis Henriquez lib. 13. c. 7. numer. 3. *Henriquez.* Per *communio* prohibetur omnis societas in negotiis. Per *mensa* omnis societas in humano conuictu. Hinc varij oriuntur excommunicationis effectus, quos sigillatim sequentibus dubiis explicabimus. Qui quidem per se loquendo omnes excommunicatos, siue toleratos, siue non toleratos æqualiter afficiunt, quia ipsi ex parte sua æqualiter tenentur nos vitare; quia tamen nos non tenemur vitare toleratos, inde sequitur vt per accidens inæqualiter eos afficiant; vt magis patebit ex dicendis.

DVBIVM V.

De primo effectu excommunicationis.

22 PRimus effectus excommunicationis est quòd priuet excommunicatum potestate suscipiendi, aut conferendi Sacramenta, c. *Cùm illorum.* c. *Si quem.* de sent. excommun. cap. vlt. de clerico excommunicato, &c. in quo occurrunt tres difficultates. Prima est, Vtrùm excommunicatus validè suscipiat Sacramenta; quæ difficultas æqualiter habet locum siue sit toleratus, siue non; quia vterque æqualiter prohibetur Sacramenta suscipere. Qua in re omnes fatentur eum validè suscipere reliqua Sacramenta, solumque est dubium de Sacramento confessionis, non quidem vtrùm possit confiteri ante absolutionem ab excommunicatione (certum enim est hoc fieri posse, imò ordinariè necessariò faciendum esse, quando excommunicatio est secreta, quia aliàs deberet extra confessionem sua peccata aperire.) sed dubium est vtrùm priùs possit absolui à peccatis quàm ab excommunicatione? qua in re variæ sunt sententiæ.

c. Cùm illorum. c. Si quem. c. vlt. de clerico.

Secretò excommunicatus potest confiteri ante absolutionem.

23 Prima docet, excommunicatum inualidè absolui à peccatis. Ita Siluester v. *Confessio.* num. 6. §. *Quintò.* Probatur, quia tali inualidè conferuntur Beneficia: ergo etiam Sacramenta, sed hæc ratio nullius est momenti, quia in pœnis iure positiuo inflictis non licet argumentari ab vna ad aliam. Eandem tenet Gabriel in 4. d. 17. q. 1. art. 3. dub. 2. quia putat omnem existentem in peccato mortali esse excommunicatum, & absolutionem sacramentalem nihil esse aliud, quàm absolutionem ab excommunicatione. Sed hoc fundamentum absolutè falsum est.

Siluester.

Gabriel.

Siluester suprà idem etiam affirmat de excommunicato minore excommunicatione, quia c. vlt. de clerico excommunicato, &c. dicitur talem peccare conferendo Sacramenta; sed ab eo collata virtutis non carere effectu, quia non à collatione, sed à susceptione Sacramentorum est remotus: *vbi insinuatur* eum hæc inualidè suscipere. Sed in illo capite vt summum insinuatur, eum qui scienter ita Sacramenta suscipit, ea sine fructu suscipere; quia mortaliter peccat. *c. vlt. de cler. excom.*

24 Secunda sententia docet, excommunicatum inualidè suscipere hoc Sacramentum, quando scit se esse excommunicatum: secùs esse si hoc inuincibiliter ignoret, hanc vt probabiliorem tenet Soto in 4. d. 2. q. 1. art. 2. sub finem. Mouetur Primò, rationibus Siluestri iam refutatis. Secundò, quia Ecclesia potest talem reddere incapacem huius Sacramenti, sicut reddit aliquos incapaces matrimonij: ergo verosimile est eam hoc fecisse. Sed si hoc argumentum aliquid probaret, probaret etiam ignorantem suam excommunicationem inualidè absolui, quia etsi ignorantia excuset à peccato; non tamen reddit ablatam habilitatem. Hinc ignorantes se habere impedimentum irritans matrimonium inualidè hoc contrahunt. *Soto.* Ignorantia nunquam efficit habiles aliàs inhabiles.

25 Tertia sententia docet, nunquam excommunicationem directè reddere absolutionem inualidam; quamuis indirectè possit eam efficere inualidam, quatenus efficit, aut vt peccatum sit reseruatum, præcipuè quando quis hoc solùm confitetur, aut vt confitens mortaliter peccet recipiendo absolutionem à peccatis ante absolutionem à censura. Ita Angelus v. *Confessio.* 5. n. 10. Caiet. v. *Absolutionis impedimenta.* Victoria de excommunicatione n. 3. Nauar. c. 9. n. 4. Auila 2. p. c. 6. d. 3. dub. 4. Addunt aliqui hoc etiam verum esse quando confitens peccat mortaliter suscipiendo ita absolutionem, modò confessio sit integra: quia putant posse dari confessionem informem; quod sup. d. 4. dub. 11. satis refutani. *Angelus. Caietan. Victoria. Nauarr. Auila.*

26 CONCL. I. Etsi excommunicatio possit quandoque indirectè impedire valorem absolutionis iuxta dicta in tertia sententia, nunquam tamen eam formaliter & directè impedit. ita auctores tertiæ sententiæ, & est iam ferè communis. Excommunicatio nisi quis directè reddit absolutionem sacram & talem irritã.

Vbi Nota, duobus modis posse concipi talem inualidè absolui. Primò, quia Ecclesia reddit eum in se incapacem absolutionis, sicut reddit aliquos incapaces matrimonij. Secundò, quatenus Pontifex omnibus subtrahit iurisdictionem respectu excommunicati. Primum fieri nullo modo potest ab Ecclesia: sicut enim Ecclesia non potest aliquem in se immediatè reddere incapacem Ordinis, Confirmationis aut Extremæ vnctionis, ita nec Pœnitentiæ, nam est eadem horum omnium ratio; quia nimirum Ecclesia non potest immediatè aliquid mutare aut constituere circa ea, quæ spectant ad essentiam Sacramenti, vt docet Trident. sess. 22. cap. 2. quæ ratio in omnibus Sacramentis æqualiter militat. quod etiam in matrimonio propriè loquendo verum est, nam Ecclesia statuendo impedimenta dirimentia non reddit aliquos immediatè incapaces Sacramenti, sed tantùm mediatè quatenus reddit eos incapaces ad ineundum huiusmodi contractum (qui secundùm se, sicut alij contractus ciuiles, dispositioni humanæ subiacet) & consequenter ad suscipiendum matrimonij Sacramentum, quod essentialiter est contractus. Ecclesia non potest aliquem reddere incapacem absolutionis nisi subtrahendo confessario iurisdictionem. *Trident.* Qua ratione Ecclesia reddat aliquos incapaces matrimonij.

27 Qua etiam ratione secundo modo ex supradictis posset Pontifex aliquem reddere incapacem absolutionis sacramentalis respectu omnium se inferiorum, auferendo nimirum omnibus iurisdictionem in talem hominem. Sed non est probabile eum hoc fecisse. Primò, quia nullo iure probatur; & cùm omnis lex pœnalis sit odiosa & consequenter restringenda, Posset Pontifex aliquem reddere incapacem absolutionis respectu omnium inferiorum.

Lex pœnalis non est inducenda sine certo Iure.

nunquam debet induci sine certo Iure. Secundò, quia alias sequeretur, eum, qui omnino oblitus esset se incurrisse excommunicationem præsertim Pontifici reseruatam, nunquam nisi fortè in articulo mortis à Pastore suo validè absolui, quia hic non potest eum à tali censura absoluere, nec ignorantia, quantumuis excuset confitentem à peccato, dat alteri iurisdictionem, aliàs qui bona fide ob ignorantiam confiteretur alicui vnicum peccatum ipsi reseruatum, validè ab eo absolueretur, quod falsum est.

Bona fides confitentis non dat confessario iurisdictionem.

28 Potest quis validè absolui à peccatis manens excommunicatus.

Hinc sequitur, excommunicatum aliàs legitimè dispositum ac bona fide confitentem ei, qui habet legitimam iurisdictionem saltem in aliqua peccata quæ confitetur, semper ab his validè absolui, atque etiam gratiam recipere, etsi alter eum ab excommunicatione non absoluat, siue id fiat ob defectum potestatis, quia scilicet excommunicatio est reseruata; siue ex obliuione, aut etiam malitia, quia nimirum obliuiscitur eum absoluere ab excommunicatione, aut sponte hoc omittit. Quia, cùm hîc adsit legitimus, minister habens (vt suppono) veram intentionem absoluendi à peccatis, & legitima forma ac materia Sacramenti, & suscipiens, cùm sit attritus, nullum ponat obicem gratiæ; necessariò etiam ponitur ipsum Sacramentum, eiúsque effectus, quem excommunicatio nullo modo impedit, vt patet in eo qui conteritur ante absolutionem ab excommunicatione.

29 Quòd si tamen suscipiens Sacramentum quacumque ratione peccet mortaliter suscipiendo absolutionem sacramentalem ante absolutionem ab excommunicatione, Sacramentum erit inualidum; non præcisè ratione excommunicationis, sed ob defectum dispositionis in suscipiente.

Qui sola reseruata confitetur, inualidè absoluitur, secùs de eo, qui simul alia bona fide confitetur.

Similiter si quis confiteatur solùm ea peccata, quæ habent annexam excommunicationem reseruatam confessario (siue in eo peccet siue non) absolutio erit inualida: quia nulla erit materia in quam confessarius habeat iurisdictionem. Secùs esset si confiteretur simul aliqua peccata non reseruata; quia tunc si bona fide ageret, ab his absolueretur directè, & ab alijs indirectè, vt dixi d. 8. dub. 13.

30 Communiter illicitè priùs quis absoluitur à peccatis quam ab excommunicatione.

Conclvsio II. Extra casum necessitatis, nisi ignorantia excuset, est peccatum mortale dare alicui excommunicato absolutionem sacramentalem antequam absoluatur à censura: aut eam ita sponte accipere, ita communiter DD. & ratio est clara, quia tunc sine vlla necessitate communicatur in re sacra ac grauissima cum excommunicato contra prohibitionem Ecclesiæ.

Dices hoc quidem esse verum quando excommunicatus non est toleratus, aut quando mala fide procedit: quia tunc est indispositus ad suscipiendum Sacramentum, atque ita hoc confertur inualidè. Secùs tamen esse quando ipse est toleratus, & bona fide procedit: quia tunc confessarius eum non tenetur vitare.

Sed dicendum est etiam in hoc casu esse peccatum mortale, quia vel excommunicatio illa est reseruata confessario, & tunc non potest eum vllo modo licitè sine graui peccato absoluere; vel non est reseruata, & tunc peccat grauiter contra reuerentiam Sacramenti conferendo illud sine vlla necessitate alieno ab Ecclesia, & cui ram grauiter Sacramentorum susceptio interdicta est.

31 Licitè quandoque aliquis priùs absoluitur à peccatis quàm excommunicatione, &c.

Excusat tamen Primò, inuincibilis ignorantia, aut inaduertentia Iuris, vel facti, vt per se patet. Secundò, necessitas, quia, vt dixi d. 13. n. 103. hæc quando grauis est excusat ab obseruatione censurarum. Soto tamen in 4. d. 22. quæst. 1. art. 1. putat, hoc solùm habere locum quando alicui ita imminet mors, vt non possit priùs absolui ab excommunicatione, quàm à peccatis, vbi etiam benè aduertit, tunc simul ijsdémque verbis debere ab vtroque absolui dicendo, *Ego te absoluo:* quia si adsit sufficiens intentio, hæc verba ad vtramque absolutionem sufficiunt, quamquam consultum sit addere; *A censuris & peccatis*: quia hoc nihil potest nocere, quare hic casus non potest hîc habere locum: in alijs tamen casibus potest hæc necessitas esse frequens, vt quando aliquis incurrit excommunicationem reseruatam, & occurrit grauis necessitas communicandi ad euitandam grauem infamiam aut scandalum; tunc enim potest alicui confiteri habenti iurisdictionem in alia peccata mortalia, & ab his absolui manente excommunicatione, à qua confessarius non potest absoluere, vt dixi disput. 8. num. 107.

Iisdem verbis potest quis absolui à censuris & peccatis.

Secunda difficultas est, Vtrùm excommunicati suscipiendo Sacramenta, aut alij ijs hæc conferendo incurrant aliquam pœnam? 32

Quia in re certum eos nullam incurrere, quando non peccant suscipiendo aut conferendo; quia pœna supponit peccatum. Sed difficultas est quando hæc cum peccato faciunt.

Excõmunicato suscipienti Sacramẽta nulla imponitur pœna, nisi exerceat actum Ordinis.

Sed dicendum est Primò, excommunicatum suscipiendo Sacramenta nullam pœnam ipso Iure incurrere, nisi suscipiat Ordines: tunc enim certis casibus suspenditur, vt dicemus in materia de Suspensione. Quia nulla alia pœna Iure imposita est huic peccato, nec sine certo Iure debet statui.

Dico Secundò, conferens Sacramenta toleratis, nullam incurrit pœnam, quia non peccat propriè in ius humanum, etsi fortè peccet contra ius naturæ, vide dicta dub. 3. n. 20.

33 Quas pœnas incurrant communicãtes in diuinis cum non toleratis. c. *Episcopum.* c. *Significasti.*

Dico Tertiò, qui præsumpserint dare Sacramenta excommunicatis non toleratis, sunt interdicti ab ingressu ecclesiæ, cap. *Episcoporum*, de priuilegijs, in 6.

Dico Quartò, clericus scienter & sponte admittens excommunicatos à Papa ad diuina (officia scilicet vel Sacramenta) in his cum ijs communicando, est excommunicatus excommunicatione Papæ reseruata, c. *Significauit.* de sent. excomm. Ad quod requiritur Primò, vt sit clericus. Secundò, vt participet cum illis in diuinis, non quacumque ratione, sed eos ad hæc admittendo. Tertiò, vt hoc scienter faciat. Quartò, vt sponte. Quintò, vt illi sint excommunicati à Papa, vt apertè patet ex textu. Sextò, vt non sint tolerati, quare requiritur vt sint nominatim excommunicati ab homine, vel saltem denuntiati. Quod non solùm videtur verum ratione Concilij Constantiensis; sed etiam quia vsus sic interpretatus est ipsum textum cum rationabili causa in ipso etiam textu fundata; qui de simili excommunicatione videtur loqui, vt docet Caietanus v. *Excommunicatio.* cap. 58. Vnde ad hanc pœnam incurrendam non videtur sufficere admittere ad diuina publicum clerici percussorem nisi sit denuntiatus. *Caietan.*

34 Nõ toleratus in duplici casu licitè confert Sacramenta.

Tertia difficultas est, qua ratione excommunicatus prohibeatur conferre Sacramenta. Sed breuiter dico Primò, non toleratum vix vnquam posse licitè vllum conferre, nisi Baptismum ac Pœnitentiam in articulo mortis, & quandoque Extremam vnctionem: & fortè quandoque Venet. Sacramentum: sed hoc vix potest contingere. Vide dicta tom. 1. q. 64. a. 6. dub. 2.

Dixi, *vix vnquam*, &c. quia fieri posset vt ipsi incumberet aliqua grauis necessitas conferendi Sacramenta, vt si aliquis minaretur ei mortem nisi alicui conferret aliquod Sacramentum, quod validè ei conferre potest, quo casu hoc ei liceret, quia censuræ non obligant cum tanto periculo, vt dixi disput. 13. num. 103.

Ad vitandam autem infamiam vel scandalum vix potest contingere, vt non toleratus possit conferre

Sacramenta, cùm ipsius excommunicatio sit necessariò publicè nota, nisi fortè iuisset ad locum vbi ignoratur.

35 Quando toleratus ea licitè conferat.

Dico Secundò, toleratum licitè conferre Sacramenta, quoties aut ipsius grauis necessitas, iuxta dicta dispur. 13. numer. 103. aut notabilis proximi vtilitas id exigit, iuxta dicta hîc dub. 3. numer. 16. 17. & 18. & tom. 1. q. 64. art. 6. dub. 2. Vbi hæc satis explicaui.

Excommunicatus illicitè conferens Sacramenta fit irregularis.

Dico Tertiò, excommunicatus illicitè conferens aliquod Sacramentum, excepto baptismo non solemni, fit irregularis, quia omnis excommunicatus exercens actum sacri Ordinis fit irregularis, vt communiter auctores docent, & dicemus latiùs in materia de irregularitate.

Validè offert sacrificium, eiusque fructum cui voluerit, applicat.

Dico Quartò, excommunicatus etiam non toleratus validè offert sacrificium si sacerdos sit, eiúsque fructum qui ex opere operato habetur, validè cui voluerit, applicat, modò hic eius sit capax. Patet ex dictis tom. 1. q. 83. art. 1. dub. 6. concl. 2. & dub. 9. concl. 8. & 11. Quia has actiones facit immediatè in persona Christi & potestate ab eo accepta, nec in ijs pendet ab Ecclesia.

Disputant autem hîc aliqui, vtrùm Pastor excommunicatus non toleratus validè assistat matrimonio, sed hoc meliùs dispurabo in materia matrimonij disp. 27. n. 24.

DVBIVM VI.

De secundo effectu excommunicationis?

36 Excommunicati priuantur Ecclesiæ suffragijs.

SEcundus effectus excommunicationis est quòd excommunicati priuentur Ecclesiæ suffragijs, siue omni fructu qui fidelibus ex publicis ministrorum Ecclesiæ sacrificijs & orationibus per modum impetrationis aut satisfactionis prouenit. hinc Ecclesia prohibet pro talibus publicas orationes aut sacrificia offerri. Vt patet c. *Sacris.* 38. & c. *A nobis.* 28. de sent. excommun.

c. Sacris. c. A nobis.

Sacrificans triplicem personam sustinet.

Nota Primò, sacerdotem triplicem personam posse sustinere. Primò, immediatè ipsius Christi, vt sit dum ipse sacrificat, & fructum ex opere operato alicui applicat. Secundò, ipsius Ecclesiæ, in cuius etiam persona tanquam eius legatus ad Deum sacrificium offert, & publica officia celebrat, & in vtroque casu personam publicam agit. Tertiò, omnino priuatam, quod non modò verum est in priuatis orationibus, sed etiam suo modo in publico officio, atque etiam sacrificio, quatenus hæc habent rationem operis operantis, & vt sic sunt satisfactoria, meritoria, aut etiam impetratoria: qua ratione potest etiam sacrificium suum offerre simili ratione qua alij astantes aut cooperantes, iuxta dicta to. 1. q. 83. a. 1. dub. 9.

37 Possumus vt priuati etiam inter celebrandũ pro excõmunicatis orare. *Nauar.*

Nota Secundò, nos posse priuatim orare pro excommunicatis etiam non toleratis, quia Ecclesia solùm priuat eos communibus suffragijs, siue ijs, quæ à personis publicis vt tales sunt conferantur, vt cum communi sententia notat Nauar. c. 27. n. 36. Vnde sacerdos potest offerre pro excommunicatis actionem sacrificandi, & recitãdi officium publicum, prout sunt opus operantis, & vt sic habent vim vel satisfaciendi vel etiam per modum meriti de congruo impetrandi, quia vt sic operatur vt persona priuata.

etiam in ipso Memento.

Item potest pro excommunicatis orare in suo Memento, vt persona priuata, & simili modo offerre pro eis sacrificium, ea ratione qua cæteri circumstantes id facere possunt, hæc enim omnia potest facere, vt persona priuata, vt ferè communiter Doctores fatentur. Silvester v. *Excommunicatio.* num. 2. & v. *Missa.* 1. q. 8. vers. *Quartum.* Nauarr. tractatu de oratione c. 19. concl. 6. nu. 72. Couarr. c. *Alma.* p. 1. §. 6. nu. 4. concl. 7.

Silvester. Nauar. Couarr.

Aliqui tamen hac de re dubitant, quia, cùm ipsum Memento sit pars officij publici, videtur sacerdos in eo agere vt persona publica: præsertim cùm nunc Deo futurum sacrificium offerat. Ledesma, Cano, & Medina apud Suarez to. 5. d. 9. sect. 5. n. 4. Sed hæc nihil obstant, quia facilè stat ipsum sacerdotem talem cæremoniam vt personam publicam perficere, & futurum sacrificium ex persona Ecclesiæ Deo offerre; & tamen simul vt priuatum illud ipsum offerre, Deumque per ipsum pro aliquo deprecari, vt satis ostendi in materia de sacrificio.

Ledesma. Cano. Medina. Suarez.

38 Quando peccet mortaliter celebrans pro excommunicato.

Nota Tertiò, secundùm omnes, sacerdotes peccare mortaliter, si prout sustinent personam Christi vel Ecclesiæ, orent pro excommunicatis non toleratis; quia hoc directè ijs prohibetur, & materia est grauis. Imò quatenus sustinent personam Ecclesiæ, inualidè pro illis orationes aut sacrificium offerunt: quatenus tamen sustinent personam Christi, fructum sacrificij validè ijsdem applicant. vtrumque satis probaui to. 1. q. 83. a. 1. dub. 9. concl. 8. & 11.

39 *Soto. Conc. Const.*

His positis difficultas est Primò, Vtrùm iam liceat offerre publica sacrificia pro excommunicatis toleratis, præsertim quando excommunicatio est publica. Soto in 4. d. 22. q. 1. a. 4. concl. 2. vers. *Hoc supposito.* cũ quibusdam aliis id negat. Primò, quia Concilium Constantiense tantùm videtur nobis concedere, vt in externis actionibus sacris & profanis possimus cum talibus communicare: talis autem applicatio Suffragiorum non est propriè communicatio (orare enim pro aliquo non est communicare cum eo: nam aliàs non possemus priuatim orare pro non toleratis) aut saltem non est externa communicatio, quia fit per internam mentis operationem. Secundò, quia Concil. expresè dicit se per suam concessionem nolle subleuare excommunicatos: atqui si hoc modo liceret pro iis orare, multùm eos subleuaret, imò maxima ex parte eorum pœnam tolleret. Tertiò, quia tantùm concedit eam communicationem, quatenus est necessaria ad vitanda scandala & pericula, ac ad subueniendum timoratis conscientijs, atqui cùm illa applicatio fiat per actum internum, non potest esse necessaria ad vitandum scãdalum, aut similia, imò si nominatim actu externo offerretur sacrificium pro publicè excommunicato, esset potiùs scandalum.

40 Licet iam celebrare pro toleratis. *Nauarr. Henriquez. Constans.*

Sed probabilius credo non esse iam prohibitum hoc modo pro talibus orare. ita Nauar. c. 27. nu. 36. & Henriq. l. 13. c. 11. n. 2. cum alijs.

Probatur, quia Concilium Constantiense absolutè concedit vt possimus cum talibus communicare in omnibus officijs diuinis: atqui sub hac communicatione comprehendit etiam illam applicationem suffragiorum: ergo hanc concedit. Minor probatur Primò, quia, cùm talis concessio sit fauorabilis, extendenda est; quantum verba patiuntur; hanc autem secundùm communem loquendi modum facilè patiuntur: nam ob hanc applicationem & participationem dicitur in Ecclesia esse communio Sanctorum. hinc Ecclesia semper hæc duo pro eodem accepit, *nos cum aliquo communicare*; &, *orationes publicas pro eo facere.* vt patet ex c. *Sacris.* 38. & c. *A nobis.* 28. de sent. excommun.

c. Sacris. c. A nobis.

41 Licitè pro eo celebramus quoties possumus communicare eiúsve oblationes suscipere.

Secundò, quia, vt ex ijsdem capitibus patet, æqualiter hæc duo ab Ecclesia permittuntur aut prohibentur, scilicet *pro aliquo publicè orare*, &, *recipere oblationes ab eo, vel pro eo factas.* Nam hoc ipso quo Ecclesia hos recipit, significat se eum facere participem suorũ suffragiorum, quod nullo modo conuenit eam fictè facere: atqui talis receptio est aperta quædam communicatio in officijs diuinis: ergo cùm generatim omnis talis communicatio concedatur, etiam illa receptio conceditur, & consequenter vt oretur pro talibus excommunicatis.

Tertiò,

Tertiò, quia aliqui ex aduersariis concedunt tales posse sepeliri in loco sacro: atqui hoc fieri nequit secundùm Ecclesiæ consuetudinem, nisi simul pro iis celebrentur officia diuina: ergo hæc licitè pro iis celebrantur.

Quartò, quia eadem est necessitas concedendi hanc communicationem, ac quamuis aliam in officiis diuinis: nam tam facilè potero effugere ne cum aliquo tali officium diuinum celebrem, atque ne eius oblationes recipiam, aut pro eo celebrem quando vel ipse vel eius amici id rogant, præsertim quando potentes sunt: ergo æqualiter hæc ab Ecclesia conceduntur, præsertim cùm verba quibus hanc communicationem concedit, generalia sint.

42 Dices Potero, me in his officiis ita gerere, vt exteriùs nihil distinguam inter excommunicatos, & alios, & actu interno omnem fructum aliis applicare, & sic euitabitur omnis turbatio. Sed hoc nullo modo dici potest. nam sic deberem admittere talium oblationes tam communes quàm priuatas: quo facto explicitè iis promitto participationem fructus ipsius istius officij, vel etiam me iis hunc applicaturum, si aliquod offerant vt pro iis celebrem. quare illa ratione fictionem ac fraudem admitterem à simplicitate Ecclesiæ omnino alienam, & sacris personis indignam, si pro iis non orarem.

Recipiens oblationes implicitè promittit orationes.

43 Quintò, quia Ecclesia non videtur excõmunicatos primò & per se priuare suis suffragiis (hoc enim pugnaret cum primario fine ipsius excommunicationis, quæ tanquam medicina ad excõmunicati conuersionem instituta est;) sed tantùm secundariò, quatenus hoc est necessariũ, vt excommunicati communionem perfectè vitemus: ergò non est verosimile eam nobis concedere, vt cum aliquibus communicemus, & tamen prohibere ne pro iis offeramus illa suffragia.

Excommunicati tantum secundariò priuantur suffragiis Ecclesiæ.

44 Atque hinc patet solutio cuiusdam argumenti, quod quibusdam magnas difficultates ingerit. Quomodo Ecclesia tam pia mater suos filios per excommunicationem, qua intendit eos sanare, velit priuare suis suffragiis; quæ tamen iis valdè vtilia & quasi necessaria sunt ad sanitatem recuperandam, ita vt illa priuatio videatur huic fini repugnare. Dicendum igitur est eam hoc facere, quia est necessarium vt ipsi omnino præcidantur à communione fidelium, præsertim in rebus sacris, atque hoc modo confusi grauitatem sui delicti videant atque exhorrescant. qua ratione hæc priuatio multùm valet ad eorum contumaciam frangendam, atque ita communiter plus prodest quàm obsit.

Cur Ecclesia excommunicatos priuet suffragiis.

45 Ad Primum argumentum in contrarium Respondeo, etsi priuatim orare pro excommunicato non sit propriè cum eo communicare; secùs tamen esse de oratione publica, vt patet ex dictis: quæ etsi vt ritè fiat requirat actum internum, non tamen in eo solo cõsistit. nam est oblatio diuini officij, vel sacrificij, quę in actu externo consistunt, & in quibus censetur omnes communicare, qui iis quacumq; ratione cooperantur, iuxta dicta to. 1. q. 83. a. 1. dub. 6. concl. 4.

Publica oratio habet rationẽ communicationis.

Ad Secundum Respondeo, Concilium non velle directè iis aliquem fauorem concedere, indirectè tamen in commodum aliorum necessariò hoc concedere, vt ostendi dub. 3. concl. 5.

Nota tamen, tales semper peccare petendo talia suffragia, aut offerendo oblationes ad altare: qui hoc iis prohibitum est.

Excommunicati peccant offerendo oblationes.

Ad Tertium neganda est minor, vt patet ex quinto argumento nostro. Adde, etsi Concilium ob illos fines hãc communionem concedat, nullo tamẽ modo velle eam negare in casibus, in quibus fortè ea incommoda cessant: nam generatim eam concedit, & fauores ampliandi sunt, & aliàs non satisfecisset timoratis consciẽtiis, quæ semper fuissent sollicitæ, an fortè in hoc vel illo casu talia incommoda per se cessarent, atque ita communicatio esset illicita.

Quod autem additur fore scandalosum, si publicè pro ita excommunicato nominatim sacrificium offeratur; generatim non est verum, maximè si eius conuersio petatur. hoc enim non magis potest scandalizare, quàm si admittantur eius oblationes. Imò sæpe posset contingere, vt magna sequeretur turbatio, si non oraretur pro talibus nominatim: vt in iis locis in quibus nominatim in sacrificio solet orari pro Principe & Episcopo, si ipsi publicè fecissent aliquid prohibitum sub excommunicatione, & statim omnes in sacrificio eorum nomen omitterent, magna posset oriri turbatio. 46

Dixi, *non esse iam prohibitum pro talibus orare*; non autẽm id absolutè semper licere. quia possunt varij casus accidere in quibus hoc esset malum; vt quando inde oriretur scandalum. quod facilè posset accidere, quando tales essent publicè hæretici, aut quando tales crederentur foueri in sua malitia videndo pro se adhuc offerri diuina officia, aut crederentur omnino conuertendi, si viderent pro se non orari. tunc enim hæc ex charitate teneremur omittere, sicut etiam teneremur reijcere eorum oblationes, atque etiam omnem communionem præsertim in sacris. qui tamen contrà faceret, etsi peccaret, nullam incurreret pœnam statutam in eos qui communicant cum excommunicatis, vt in simili dixi dub. 3. numero 20. 47 Illicitè quandoque pro talibus celebratur.

Secunda difficultas est, Vtrùm non tolerati, si per contritionem iustificentur, ante obtentam absolutionem fiant participes suffragiorum Ecclesiæ. Nauarr. c. 27. n. 36. cum quibusdam aliis id affirmat. quia videtur hoc decere pietatem Ecclesiæ, vt eos qui iam sunt viua membra Christi, nec vllo modo ampliùs rebellant, desinat priuare suis suffragiis. 48 *Nauarr.*

CONCLVS. Longè probabilius est tales non fieri participes suffragiorum Ecclesiæ ante absolutionem: ita Soto d. 22. quæst. 1. artic. 1. §. *Attamen dubium.* & Suarez disp. 9. sect. 3. n. 2. Probatur, quia c. *A nobis.* 28. & c. *Sacris.* 38. de sent. excomm. prohibetur expressè ne pro talibus fiant oblationes aut orationes. Respondent aliqui, hoc ita intelligendum esse, quòd non liceat publicè nominatim pro iis orare. Sed hoc est contra vim verborum. nam in dictis capitulis eodem modo prohibetur pro iis orari post contritionem sicut ante. Respondent alij, non licere quidem pro iis offerre sacrificium, aut orare in officio diuino, inde tamen non sequi eos priuari Ecclesiæ suffragiis. Sed hæc implicant. nam aliquem esse participem suffragiorum Ecclesiæ, nihil est aliud quàm sacrificium aut preces Ecclesiæ pro eo offerri: Ecclesia autem, vt ipsi concedunt, expressè prohibet hæc pro iis offerri. Et ratio est, quia, cùm talis legitima auctoritate illa pœna sit illigatus, non conuenit eum aliter quàm per legitimam auctoritatem ea solui. Confirmatur, quia excommunicatum priuari suffragiis Ecclesiæ non aliter scimus quàm quia Iura prohibent pro eo fieri oblationes ac orationes: ergo secundùm sensum Ecclesiæ idẽ est, non licere hæc pro aliquo offerre, & eum priuari suffragiis Ecclesiæ, aliàs malè vnum ex alio colligeremus. 49 Non tolerati nunquam fiunt participes suffragiorum Ecclesiæ ante absolutionem. *Soto. Suarez. c. A nobis. c. Sacris.* Malè dicitur esse participes suffragiorum Ecclesiæ is, pro quo non licet diuina offerre.

DVBIVM VII.

De tertio effectu excommunicationis.

TErtius effectus excommunicationis est, quòd excommunicatus prohibeatur celebrare diuina officia, aut iisdem interesse. quare si non sit toleratus, alij non possunt hæc corã eo celebrare; vt patet c. *Alma mater*, de sent excomm. in 6. vbi etiam illis diebus 50 Excommunicati prohibentur interesse diuinis. 5. *Aliqua.*

quibus tempore Interdicti licet publicè celebrare divina officia, iubentur excommunicati excludi. Est communis Doctorum. Quare cùm materia grauis sit, peccant mortaliter omnes excommunicati, audientes notabilem partem diuini officij, nisi ignorantia, aut aliqua necessitas eos excuset. Similiter grauiter peccant qui coram non toleratis diuina officia celebrant, vt patet c. *Is qui.* de sent. excommunic. in 6. Imò cap. *Episcoporum.* de priuilegijs, in 6. ijs qui tales ad diuina officia præsumunt admittere, interdicitur ingressus ecclesiæ.

Peccant mortaliter audientes.

Item is, qui coram non toleratis ea celebrat. c. *Is qui.* c. *Episcoporum.*

51 Hinc si, dum celebrantur diuina officia, ingrediantur excommunicati non tolerati, monendi sunt vt exeant, & si moniti parêre noluerint, nouam excommunicationem Papæ reseruatam incurrunt, vt habetur Clementina 2. de sent. excommunic. &, si commodè fieri potest, vt expellendi sunt, quia ibi manendo quandam vim ecclesiæ inferunt. Quòd si expelli non possint officium diuinum omittendum est, etiamsi ipsum Missæ sacrificium inceptum sit, vt exeadem Clementina apertè colligitur, & communiter omnes DD. docent, modò in sacrificio canon nondum sit inchoatus. Quòd si hic inchoatus sit, consecratio tamen nondum sit incepta, vtrùm tunc sacerdos teneatur desistere, an verò possit prosequi, variant auctores, quos fusè citant Nauarr. & Auila infrà citandi & vtrimque sunt probabiles coniecturæ. Quare vtrumque licitè fieri potest, vt apertè etiã colligitur ex D. Thom. in 3. p. q. 62. a. 2. ad 2. vbi dicit tutius esse, celebrantem qui ante consecrationem recordatur se esse excommunicatum, ab inceptis desistere, insinuans non esse necessarium: ergo minùs erit necessarium eum desistere ob ingressum excommunicati, quia minùs indecens est excommunicatum audire Sacrum, quàm celebrare, vide Suarez tomo 5. disput. 12. sectio. 1. num. 12.

Clement. 2. de sent.

Etiam vi à diuinis excludendi sunt, aut hæc omittenda. Quid faciendum si dum celebratur non toleratus ingrediatur. *Nauarr. Auila. D. Thom.*

Suarez.

Quòd si consecratio sit inchoata, omnino debet sacrificium perfici, saltem vsque ad communionem Implecam, quia, cùm tunc sit substantialiter inchoatum, nullo modo debet relinqui imperfectum, alij tamen omnes tenentur è templo discedere relicto solo ministro cum sacerdote. Nauar. de oratione c. 6. n. 59. & 60. Auila p. 2. c. 6. d. 9. dub. 8. Addunt tamen communiter Doctores, post peractam communionem sacerdotem debere discedere ab altari, & reliqua in sacristia secretò perficere, vide Auilam & Suarez suprà.

Nauarrus. Auila.

Auila. Suarez.

52 Similiter ex eodem capite prohiberur omnibus alijs, ne cum non tolerato simul orent, v. c. simul recitando alternatim Horas canonicas, siue publicè, siue priuatim, aut simul audiendo Sacrum: vt communiter auctores fatentur, & patet ex c. *Excommunicatos.* 11. q. 3. & c. *Nuper.* de sent. excomm. vbi inter communicationes prohibitas numeratur oratio facta cum excommunicato. Et ratio est, quia omnis communicatio cum excommunicato est prohibita: qui autem legit cum aliquo Horas, cum eo communicat, vt per se patet; & similiter qui cum eo audit idem Sacrum, quia omnes audientes idem Sacrum aut officium diuinum censentur per modum vnius illud Deo offerre; ac preces ad eum communes fundere, atque ita inter se communicare.

Non possunt cùm non tolerati simul orare. c. *Excommunicatos.* c. *Nuper.*

53 Nota Primò, cum Soto in 4. d. 22. q. 1. a. 4. §. *Sed.* & alijs communiter, vt sacerdos debeat desistere ab officio, aut alij templo exire, non sufficere quòd non toleratus sit in ecclesia, nisi ita sit vt eandem Missam idémve officium diuinum possit dici audire; quia aliàs non poterit dici cum iis in oratione communicare. Quare nihil obèrit si in alia templi parte aliis rebus intendat, aut etiam ita oret, vt secundùm communem hominum sensum non possit dici interesse illi Sacro, vt si audiret ibi concionem, aut aliud Sacrum, aut eo loco oraret ex quo vix eminus posset videre audientes Sacrum, nec vllam cæremoniam cum *ijs* communem in surgendo aut stando exerceret.

Soto. Qualis præsentia excõmunicati requiratur vt teneamur ideò diuinum officium omittere.

Nota Secundò, excommunicatum qui ratione Ordinis aut Beneficij tenebatur Horas legere, etiam teneri eas priuatim legere sicut priùs etiamsi ratione excommunicationis fructibus Beneficij fortè priuetur, quãdiu non priuatur ipso Beneficio: quia sua culpa iis priuatur; & sibi debet imputare quòd eos nõ recipiat.

Excommunicatus tenetur legere Horas.

Notant plurimi Tertiò, eum inter recitandum non posse dicere *Dominus vobiscum.* quia esset quædam cõmunicatio cum ..is; sed eius loco debere dicere, *Domine exaudi orationem meam.* Addunt aliqui, sacerdotem aut diaconum excommunicatum dicentem inter legendum Horas, *Dominus vobiscum*, fieri irregularem: quia est actus Ordinis. Nauar. de orat. c. 7. nu. 16. Sed etsi hoc sit probabile quando ille hoc facit solemniter in officio publico; si tamen hoc faciat dum solus priuatim Horas legit, non videtur esse verũ. Primò, quia, etsi soli sacerdotes & diaconi soleant ea oratione vti; tamẽ ea vti priuatim non videtur propriè actus Ordinis, nam aliàs subdiaconus dicendo priuatim *Dominus vobiscum*, fieret irregularis, quod nimis durum est. Secundò, irregularitas statuta in pœnam non incurritur, nisi ob peccatum mortale: talis autem materia est leuior quàm vt sufficiat pro peccato mortali, vt cũ aliis benè notat Auila 2. p. c. 6. d. 4. dub. 6. concl. 3. imò ibidem addit talem ea verba ita recitando non peccare, & dicit multos viros doctos ita sentire. Et videtur posse probari, quia, cùm hæc cõmunicatio valdè leuis sit & remota, non videtur esse tanti momenti, vt propter eam præscriptus ab Ecclesia modus dicẽdi Horas debeat inuerti, nam non minor videtur communicatio quando quis dicit, *Venite adoremus*, &c. aut, *Iube Domine benedicere*, & respondet, *Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus*, & similia: & tamen hæc licitè ab excommunicato dicuntur. Sed hæc argumenta non conuincunt, quare sequenda est communior opinio, scilicet talem peccare venialiter dicendo *Dominus vobiscum.*

54

An excommunicatus possit dicere, *Dominus vobiscum.* *Nauarrus.* *Auila.*

Nota Quartò, Nauar. c. 27. n. 36. §. *Ad quintum.* putare excommunicatum non peccare legendo Horas canonicas, aut alias preces priuatim cum aliquo alio; sed repugnat Iuribus n. 43. citatis, & cõmuni sentẽtiæ. Melius Suarez d. 12. sect. 2. n. 18. citans Couar. & Henriq. l. 13. c. 7. n. 2. dicunt eum peccare, venialiter tamen: quia in ratione communicationis est materia leuis.

55 Excommunicatus etiã alio legente priuatim horas peccat venialiter. *Nauarrus.* *Suarez.* *Couar.* *Henriquez.*

Nota Quintò, cum Nauar. c. 21. n. 3. Auila 2. p. c. 6. disput. 4. dub. 7. Suarez tom. 3. d. 88. sect. 6. excommunicatum non peccare non audiendo Missam, etiãsi negligens sit in petenda absolutione, & hac ratione fortè contra charitatem sui & obedientiam Ecclesiæ debitam peccet (quæ per censuras intendit eum ad subiectionem & reconciliationem compellere.) Ratio est, quia quamdiu est excommunicatus, Missam audire non potest, nec illud præceptum tanti momẽti est, vt ipsum obliget vt tam remotè se disponat vt fiat capax audiendi Sacrum, sicut incarceratus propter debita etsi peccet contra iustitiam non soluendo creditoribus cùm facilè posset, non tamen peccat non audiendo Sacrum, nec tenetur ideò citiùs soluere vt possit audire Sacrum.

56 Nõ peccat non audiẽdo Sacrum. *Nauar.* *Auila.* *Suarez.*

Secùs est de omissione confessionis & communionis annuæ, nam si excommunicatus possit obtinere absolutionem, ad hoc singulariter tenetur vt illa possit suscipere, tum quia hoc præceptum est magni momenti, nec admittit tam faciles excusationes; tum maximè quia præceptum confessionis directè obligat peccatorem, vt procuret sibi solutionem omnis vinculi quod eum diuidit ab vnione Dei vel Ecclesiæ, & consequenter vt procuret absolutionem ab excommunicatione si ea ligatus sit. Idemque etiam conuenit præcepto communionis, quæ, cùm instituta sit vt per-

57 Peccat etiam omittendo confessionem aut cõmunionem.

perfectiùs Christo eiúsque corpori vniamur, obligat nos vt collamus ea omnia, quæ hanc vnionem impediunt.

58 Licitè interest concioni, c. *Responso.*

Nota Sextò, excommunicatum licitè interesse concioni, vt apertè habetur cap. *Responso.* de sent. excommun. Ratio est, quia licitè possumus ei suadere ea quæ ad ipsius conuersionem faciunt, atque ipse licitè ea audire potest; hoc autem fit in concione. Similiter (vt cum alijs notat Soto in 4. d. 22. quæst. 1. art. 4.) docens lectionem publicam non tenetur eam omittere, nec discipuli tenentur discedere eò quòd ingrediatur excommunicatus, quia hæc communicatio non est tanti momenti vt cum tanto onere alij debeant eam vitare: peccat tamen excommunicatus se ingerendo aut docendo. Addit tamen Soto suprà, tolleratum non peccare hæc faciendo, sed hoc non videtur verum, nisi notabilis aliorum necessitas eum excuset, quia tolerati eodem modo quantum est ex parte sua, tenentur alios vitare, atque non tolerati.

Soto. Peccat audiendo publicam lectionem, hæc tamen nō est ideò omittenda. Soto. Quando tolleratus peccet publicè docendo.

Nota Septimò, quosdam putare excommunicatum non posse vnquam etiam priuatim orare in templo; sed verius esse eum hoc licitè facere quando ibi nullum fit officium diuinum, quia nullibi est prohibitum, ita cum communiore sententia Henriquez lib. 13. c. 7. nu. 2.

Licitè priuatim in templo orat. Henriquez.

DVBIVM VIII.

De quarto effectu excommunicationis.

59 Priuatur Ecclesiastica sepultura.

QVærò, excommunicatus si moriatur ante absolutionem, priuatur sepultura Ecclesiastica, ita vt nec possit sepeliri in loco sacro, nec à clero solenniter ad sepulchrum deduci, nec Ecclesiastica officia pro eo celebrari possint, quia hæc reputatur ab Ecclesia quædam cum eo communicatio: quibus autem non communicamus viuis, nec mortuis communicare possumus, ita communiter DD. & patet ex c. *Sacris.* de sepulturis. Sunt hæc autem vera etiam quando excommunicatus omnino creditur pœnitens decessisse, & quantum potuit absolutionem procurasse, modò verè non fuerit absolutus, vt patet ex c. *Sacris.* 38. & c. *A nobis.* 28. de sent. excommunic. debet tamen talis post mortem absolui, & ita frui Ecclesiastica sepultura, vt ibidem dicitur.

c. Sacris.

c. A nobis. Si pœnituerit post mortem absoluendum.

Nota Primò, eos qui temeraria audacia excommunicatos sepeliunt in loco sacro, incurrere excommunicationem, à qua nequeunt absolui antequam parti ex arbitrio Episcopi satisfecerint, vt habetur Clementina 1. de sepulturis. Locus verò tali sepultura pollutur & debet reconciliari, ac corpus debet extrahi & in locum profanum proiici, nisi fortè eius ossa ita fuerint permista fidelium reliquiis vt discerni nequeant: tunc enim ne cum zizaniis eradicetur etiam triticum, debent ibi relinqui, vt dicitur c. *Sacris.* de sepulturis.

60 Excommunicati loco sacro sepelientes excommunicantur.

c. Sacris.

Nota Secundò, ad hanc pœnam incurrendam requiri Primò, vt temeraria audacia prohibitio violetur, quare ab ea excusat omnis facti vel iuris ignorantia, quæ non sit affectata vel ei æquiualens, iuxta dicta d. 13. dub. 11. nu. 93. Secundò, vt sepeliatur in cœmeterio siue loco fidelium sepulturæ deputato, sub quo etiam comprehenditur templum: hoc enim apertè dicitur in ipso capitulo. Quare sine iusta causa aliqui dicunt, eos hanc pœnam incurrere, qui excommunicatos cum solenni pompa sepeliunt loco omnino profano, hoc enim nullo Iure probant. Qui verò ita sepeliunt hæreticos condemnatos eorúmve fautores, non debent absolui, nisi eorum ossa propriis manibus exhumata abiecerint; & locus perpetua debet carere sepultura, vt habetur c. *Quicunque.* de hæreticis, in 6. Vnde patet, talem locum non posse reconciliari. Hoc tamen, vt notat Suarez d. 12. sect. 4. nu. 13. intelligendum est de loco adæquato in quo hæreticus fuit sepultus, quia verba in rigore non amplius exigunt; non autem de toto templo aut cœmeterio: hoc enim esset nimis graue, nec videtur vsu receptum.

61 Quinam dictam pœnam incurrant.

Pœnæ sepelientium hæreticos.

c. Quicunq.

Suarez.

Est autem hîc difficultas Primò, Vtrùm hac prohibitione comprehendantur etiam excommunicati tolerati? Prima sententia absolutè docet, omnes publicè excommunicatos ea comprehendi, ita Caietanus verbo *Excommunicatio.* cap. 46. & quidam alij.

62 Caietan.

Secunda absolutè negat tolleratos ea comprehendi. ita Suarez dispu. 12. sect. 4. numer. 5. Nauarr. cap. 27. num. 137. Henriquez lib. 13. c. 7. n. 2. & c. 11. n. 3. Ratio est, quia prohibitio sepulturæ immediatè dirigitur non ad mortuum, qui eius est incapax, sed ad viuos, qui iam non prohibentur communicare cum tolleratis.

Suarez. Nauarr. Henriquez.

Tertia sententia est media, docetque nos iam prohiberi tales sepelire loco sacro, quia hoc directè cederet in eorum fauorem; tamen contrà facientes non incurrere cēsuram, quia iam licet nobis cum iis communicare: nisi fortè sepeliantur hæretici, quos absolutè sine respectu ad excommunicationem c. *Quicunque.* citato, prohibemur sepelire loco sacro. Ita Auila 2. p. cap. 6. d. 9. dub. 6. 8. *Ad primum.* versu, *Per hæc patet.* iuncta disput. 10. dub. 1. concl. 3. sub finem, & dub. 6. concl. 3.

c. Quicunq. Auila.

63 Sepeliens excommunicatum toleratum dictas pœnas non incurrit. Constantiens. c. Sacris.

CONCL. I. Vt quis dictas pœnas incurrat, non sufficit eum sepelire excommunicatum toleratum. Quia Conc. Constantiense concedit nobis absolutè cum tali communicare in sacris & profanis, nec sepultura vllibi excipitur. Et confirmatur, quia possumus communicare mortuis quibus potuimus communicare viuis, vt apertè colligitur ex c. *Sacris.* de sepulturis: atqui talibus potuimus communicare viuis: ergo etiam mortuis.

64 Quod verū est etsi sepeliatur hæreticus.

CONCL. II. Hoc verum est etsi sepeliatur hæreticus. Primò, quia Constantiense absolutè & generatim concedit vt non teneamur alicuius communionem vitare ratione cuiuscumque sententiæ, aut censuræ, quare etsi prohiberemur sepelire hæreticos, præcisè quia hæretici sunt præscindendo ab omni censura? nihilominus non prohiberemur iam sepelire non denuntiatos. Secundò, quia nulla ratione probatur Ius prohibere sepulturam hæreticorum, præscindendo ab omni excommunicatione. Tertiò, quia c. *Quicunque.* citatum, loquitur satis apertè de hæreticis damnatis per sententiam, qui etiam modò non sunt tolerati, vt notat Suarez d. 12. sect. 4. n. 13.

c. Quicunq. Suarez.

65 Talis tamē peccat cōtra ius naturæ.

CONCLVS. III. Sepelieus loco sacro excommunicatum etiam toleratum, quem publicè constat mortuum impœnitentem, peccat contra reuerentiam loci & finem ad quem institutus est. Ratio est, quia omnino indecens est eum quem moraliter & publicè constat esse damnatum, inferre in terram sacram, & fidelium reliquiis eius cadauer inserere; & significatur illo actu eum dignum esse Ecclesiasticis suffragiis, eisque posse iuuari, qui iis omnino indignus & incapax est, quare Pastores, nisi grauiora incommoda timeantur, tenentur tales Ecclesiastica sepultura prohibere.

66 Nisi excōmunicatus pœnituerit decesserit.

CONCLVS. IV. Quando constat excommunicatum toleratum dedisse signa pœnitentiæ ante mortem, etsi non fuerit absolutus, licitè sepelitur in loco sacro, quia nullo iure positiuo vel naturali hoc prohibetur, & licitè suffragia Ecclesiæ ei applicamus, vt dixi dub. 6. num. 40. & sic intellige citatos pro secunda sententia.

CONCLVS. V. Idem dicendum est quoties dubitatur vtrùm talis pœnitens decesserit: quia melior pars præsumenda est. Imò quories publicè non constat eum impœnitentem decessisse, potest sepeliri: quia

aliàs eius prohibitio cederet in grauem infamiam amicorum, quam iure naturæ tenemur vitare.

Secunda difficultas est, quinam ad hanc pœnam incurrendam dicantur sepelire excommunicatum? Multi volunt eos solos hanc pœnam incurrere, qui propriis manibus cadauer fossæ imponunt, quia hi soli propriè dicuntur sepelire, & verba pœnam importantia, in rigoroso sensu sunt accipienda, ita Caietan. v. *Excommunicatio*. c. 46. Nauar. c. 27. nu. 137. & multi alij viri doctissimi: ob quorum auctoritatem hæc sententia videtur non esse improbabilis, & verba legis in rigore possent ita accipi. Sed difficile est credere eam fuisse mentem legislatoris, quia sic lex fuisset planè frustra, & ferè nugatoria, nam cùm ij qui ita sepeliùt, sint semper homines viles, & ignari omnium Iurium, & quia putant se licitè agere quidquid iis alij præcipiunt; posita illa sententia sepelientes excommunicatum vix vnquam censuram incurrent, nam neque procurantes sepulturam eam incurrent, neque etiam manibus suis eam exequentes, quia hi propter ignorantiam excusabuntur; & quicunque cupient suum mortuum, quantumcumque excommunicatum sepelire, facillimè reperient qui illud officium sint parati subire, & ipsi sine vlla pœna id procùr[a]nt.

Non est improbabile eos qui tales per alios sepeliunt non incurrere dictas pœnas. *Caietan. Nauarr.*

68 *Suarez.* Contrarij probabilius.

Quare Suarez d. 12. sect. 4. n. 10. cum aliis viris doctis docet eos etiam hîc dici sepelire, qui sepulturam procurant. Quia *in hos* propriè conuenit, tale quid temeraria audacia facere, & in contemptum clauium. quia hi possunt apprehendere hoc in contemptum clauium fieri, non autem rudes illi homines, quare hæc sententia videtur probabilior. Alij quidam, quos citat Siluest. v. *Excommunicatio*. 9. n. 70. volunt comprehendi omnes eos qui funus comitantur ad sepulchrum, aut hoc sepeliri permittunt, cùm tenerentur impedire. Sed alij meliùs hoc negant, quia verè non sepeliunt. sicut nec illi qui tumbam conficiunt, aut fossam faciunt, aut etiam cadauer vsque ad cœmeterium ferunt; sed illi qui cadauer in fossam immittunt, aut id fieri curant, vt docet Suarez suprà.

Silvest.

Suarez.

DVBIVM IX.

De quinto effectu excommunicationis.

69 Excommunicato inualidè conferuntur Beneficia. *c. Postulastis.*

QVintus effectus est, quòd efficiat excommunicatum inhabilem ad acquirenda Beneficia Ecclesiastica, hinc collatio Beneficij ei facta, eiúsve ad ipsum electio aut præsentatio inualida sunt, vt communiter auctores docent ex c. *Postulastis*. 7. de clerico excommunicato, vbi dicitur talibus non posse conferri Beneficia, eosque sine dispensatione non posse retinere ea quæ tunc fuerint adepti, quibus verbis clarè significatur eos tunc inualidè ea acquirere, quod communiter Doctores de omnibus omnino Beneficiis intelligunt. quia Ius generatim loquitur, & eius ratio generatim valet: quia scilicet eliguntur ad officium, cui tunc nequeunt deseruire, vt dicitur c. vlt. eodem titulo.

70 etiam si toleratus sit. *Conarr.* aut suam excommunicationē ignoret. *Nauarr.*

Nota, hæc vera esse etiamsi excommunicatus sit toleratus, nam etsi Concilium Constantiense permittat nobis cum talibus cómunicare; non tamen reddit eos habiles ad Beneficia acquirenda, quia sic immediatè iis magnum fauorem præstaret. Itè etiamsi ipse suam excommunicationem ignoret, vt quia oblitus est se eam incurrisse, aut falsò putat se validè absolutum esse, quia, etsi ignorantia excuset aliquem à peccato, nō tamen reddit eum habilem ad aliquem actum, ad quē aliàs inhabilis est, ita communiter DD. contra Naua. in cap. *Fratres*. de pœnitentia, dist. 5. n. 45. qui putat secundam hanc collationem validam esse.

71 *Suarez.*

Notat tamen Suarez dis. 13. sect. 1. nu. 3. excommunicatum qui bona fide Beneficium accepit in excommunicatione, eique deseruiuit, etsi postea re cognita teneatur illud relinquere; posse tamen retinere fructus interim perceptos, qui respondent congruæ ipsius sustentationi, quia hi ei pro seruitio impenso debentur. Qui tamē huic sustentationi superflui sunt, restituendi sunt, quia ipse non habet ius nisi ad congruam sustentationem, nisi fortè bona fide eos ita expendisset, vt ex iis non esset factus ditior: tunc enim nec tenetur ad restitutionem ratione rei acceptæ, quia hæc nullo modo exstat, nec ratione iniustæ acceptionis; quia bona fide fructus recepit ac consumpsit. Secùs est de eo qui nouit suam inhabilitatem, quia hæc omnia iniustè facit. Notat tamen Henriq. l. 13. c. 3. nu. 3. si talis postea illud Beneficium legitimè obtineat, posse eos fructus retinere: quia hoc Beneficium eousque vacauit, & fructus Beneficij vacantis debentur successori. Sed vt hoc sit probabile, necessarium est vt ipse interim per se vel alium curarit fieri omne officium illi Beneficio debitum: nam aliàs melioris esset conditionis qui inualidè quàm qui validè Beneficium obtinuisset.

Qua ratiōe possit retinere fructus Beneficij quod bona fide possedit.

Henriquez.

Nota Secundò, ea, quæ hîc dicta sunt de excommunicato, communiter ferè auctores extendere ad suspensum & interdictum. Aliqui tamen putant, collationem his factam non esse irritam, sed irritandam, vide P. Lessium de Iustitia c. 34. dub. 22. n. 116.

Lessius.

7[3] Quidam cēsent eam collationē per excommunicati absolutionem cōualescere.

Est autem hîc difficultas Primò, vtrùm, quando alicui excommunicato collatum est Beneficium, hæc collatio postea per absolutionem reualideretur, ita vt tunc sine noua collatione possit validè acceptari?

Prima sententia id absolutè affirmat. Primò, quia talis collatio (idemque est de electione & præsentatione) quantum est ex parte conferentis valuit (quia in eo nullum fuit vitium) & tantùm est inualida, ratione incapacitatis ipsius collatarij: ergo hac sublata illa absolutè obtinet vim suam. Secundò, quia conferens alicui Beneficium censetur in ea voluntate permanere donec eam reuocet: ergo si eam non reuocauit ante alterius absolutionem, censebitur adhuc tunc velle ei conferre Beneficium: quæ voluntas erit efficax, cùm nullum tunc sit impedimentum, hanc sententiam videntur tenere plurimi quos citat Sanchez l. 8. de matrimonio disput. 7. numer. 12. dum dicunt collationem aut electionem inualidam ob electi impedimentum, hoc per dispensationem sublato conualescere.

Sanchez.

73 Dicta sententia triplicitèr limitatur.

Quam sententiam, etsi contrariam putet probabiliorem, ipse dicit non esse improbabilem ob Doctorum auctoritatem, adhibita triplici limitatione. Prima est, vt hoc impedimentum sit occultum, atque ita collatio saltem *in foro externo* sit valida. Secundò, vt illa reualidatio non cedat in præiudicium tertij, qui fortè simul cum eo electus fuerit. Tertiò, vt collatarius aut electus non acceperit possessionem Beneficij ante absolutionem, quia sic fieret intrusus, & incapax Beneficij.

Panorm.

Secunda sententia est Panorm. apud Sanchez suprà, qui docet primam sententiam tunc esse veram, quando collator nouit vitium collatarij: quia tunc non potest suam collationem inualidare, vt patet ex c. *Nulli*. 8. de electione, in 6.

c. Nulli. Contraria sententia est verior, *Nauarr.*

Tertia sententia docet, eo casu opus esse post absolutionem noua collatione. Ita Nauarr. c. 27. nu. 194. & ferè communiter DD. & hæc est verior.

Probatur Primò, quia Iura absolutè irritant talem collationem: actus autem irritus est ac si non esset.

Secundò, quia, quando alicuius consensus essentialiter requiritur ad alicuius rei valorem, si ille detur eo tempore quo obiectum est incapax, est ita nullus, vt postea non conualescat: atqui hic consensus fertur circa obiectum incapax, (excommunicatus enim est incapax Beneficij acquirendi,) ergo collatio ei facta

facta numquam conualescit. Et confirmatur, quia, vt dicemus infrà, matrimonium inualidum ob aliquod impedimentum dirimens numquam conualescit sine nouo consensu. Quæ argumenta etiam militant contra secundam sententiam. quia, cùm talis sit incapax illius Beneficij acquirendi, collatio ei facta sine scienter sine ignoranter est absolutè inualida.

74 Ad Primum argumentum primæ sententiæ, nego consequentiam. quia, etsi illa collatio fuerit solùm inualida ratione incapacitatis collatarij; tamen fuit absolutè inualida; & consequenter numquam conualescit, vt patet ex dictis.

Actus internus nihil operatur nisi exteriùs exprimatur.

Ad Secundum Resp. quantumcũque talis in priore voluntate perseueret post absolutionem, imò etsi cognita illius absolutione habeat actualem voluntatem conferendi ei Beneficium; nihil tamen efficit, nisi post absolutionem hanc voluntatem collatario externo aliquo signo indicet. quia in omnibus promissionibus, donationibus, aliisque pactis humanis interior voluntas nihil operatur nisi exteriùs explicetur, vt

Lessius. docet P. Lessius de Iustitia c. 18. dub. 5. quamuis autem hîc præcesserit exterior collatio, hæc tamen nihil facit ad rem. quia illa solùm processit ex præcedente illa voluntate, quæ fuit inualida, nec vllo modo potest esse index voluntatis, quæ sequitur ipsam absolutionem: quia illa eodem modo se habet siue hæc sit, siue non sit.

75 Hinc sequitur Primò, neminem cum tali posse post absolutionem dispensare vt Beneficium retineat, nisi habeat aliqua ratione potestatem hoc Beneficium ei conferendi, qualis est Pontifex, & omnis is ad quem pertinet illius Beneficij collatio. Lessius de Iust. l. 2. c. 34. dub. 22. nu. 110. Anila p. 2. cap. 6.

Lessius. Anila.

Panorm. & Innocent. disp. 5. dub. 4. Panorm. c. *Innotuit.* de electione, nu. 11. post medium. Ratio est, quia talis dispensario nihil est aliud, quàm virtualis quædam ipsius Beneficij secunda collatio. Communiter autem obtenta absolutione is poterit tali hoc Beneficium secundò conferre qui primò contulit, nisi ipse iure conferendi priuatus sit, aut collatio ad alium sit deuoluta, aut collatarius se in Beneficij possessionem intruserit.

76 Sequitur Secundò, esse graue peccatum talibus conferre Beneficium, eósve ad hoc eligere, aut præsentare (eadem enim est horum omnium ratio) non solum quia est communicatio quædam cum excommunicatis (quæ ratio non habet locum in collatione facta tolerato) verùm etiam quia singulariter prohibitum est talibus vt pote indignis Beneficia conferre; vt patet ex c. 1. de postulatione Prælatorum, sub finem. hinc c. *Postulastis.* 7. de clerico excommun. dicitur eos qui scienter talibus Beneficia conferunt, tamdiu debere à collatione Beneficiorum suspendi, donec veniam mereantur. Est tamen hæc suspensio non lata, sed ferenda, & videtur solùm habere locum in iis qui conferunt non toleratis Beneficia quia hi soli iam violant censuram, cuius violationis intuitu videtur hoc capitulum hos velle puniri. Conferens tamen Beneficium habens curam animarum, aut ad illum eligens excommunicatum, pro illa vice potestate eligendi aut conferendi priuatur, vt patet ex c. *Cùm in cunctis.* 7. §. *Clerici.* de electione. vbi tali pœna plectuntur indignum eligentes, siue beneficia conferentes. patet autem excommunicatum indignum esse Beneficio.

Quomodo peccent & qua pœna puniantur qui Beneficia conferunt excõmunicatis. c. 1. de post. Prælat. c. Postulastis.

c. Cùm in cunctis.

77 Secunda difficultas est, Vtrùm is, cui ante excommunicationem fuit collatum Beneficium, postea excommunicatus validè illud acceptet? Plurimi quos refert Couarr. l. 3. variarum resolut. c. 16. num. 4. id affirmant. Ratio est, quia totum ius ad Beneficium acquiratur per collationem, quæ valida fuit, & acceptatio tantùm requiritur tanquam conditio sine qua non. Sed hæc ratio non est vera. nam, vt patet ex c. *Si tibi absenti.* 17. de præbendis in 6. per collationem solùm acquiritur ius ad rem, per acceptationem autem ius in re. quare hoc non potest acquiri ab eo qui incapax est iuris acquirendi.

c. Si tibi absenti.

Per solam collationẽ Beneficij tantùm acquiritur ius ad rem: per acceptationem ius in re. Couarr.

Alij ob dictam rationem docent eam acceptationem absolutè esse inualidam. ita quidam Iuristæ apud Couar. suprà.

Tertiò, alij docent per talem acceptationem non acquiri quidem vllum nouum ius in Beneficium durante excommunicatione, ac hac ratione esse inualidam: valere tamen ad hoc vt acceptans sufficienter declaret suum consensum, atque ita postea absolutus ab excom unicatione acquirat ius in re in ipsum Beneficium, virtute prioris acceptationis quæ censetur adhuc permanere. Vnde infertur; quòd si collator alteri præfixerit certum tempus ad acceptandum Beneficium, & hic toto illo tempore manserit excommunicatus, collatorem eo lapso posse illud cui voluerit conferre. quia acceptatio in excommunicatione facta acceptanti non tribuit maius ius, quàm si non fuisset facta.

Qua in re etsi tertia sententia sit satis probabilis, 78
credo tamen secundam probabiliorem. Ratio est, quia, vt patet ex cap. *Si tibi absenti.* 17. de præbendis, in 6. non minùs quis acquirit ius in Beneficium per validam collationis acceptationem, quàm per ipsam collationem: atqui ipsa collatio facta excommunicato est omnino inualida; quia hic est incapax ad acquirendum ius in Beneficium: ergo similiter acceptatio ab eodem facta erit inualida.

c. Si tibi absenti.

Excommunicatus omnino inualidè acceptat collationem beneficij.

Nec refert quòd talis acceptatio sufficiat ad declarandum consensum acceptantis, & quòd censeatur in eo permanere donec absolutus sit, quia etiam collatio facta excommunicato sufficit, vt declaret collatorem habuisse verè voluntatem conferendi tali Beneficium, & potest in ea permanere donec tollatur excommunicatio; & tamen vt alter validè Beneficium acquirat, debet secundò conferri.

Dices, esse diuersam rationem. quia collatio confert verum ius alteri, acceptatio verò nullo modo; sed tantùm est conditio requisita vt collatio suum effectum operetur. Respondeo negando assumptum. nam vt res aliqua fiat mea, non minùs dependet à meo eam acceptantis consensu, quàm ab alterius eandem dantis: atque ideo vtriusque consensus prout componit integrum pactum, est simpliciter causa acquisitionis dominij.

Tertia difficultas est, Vtrùm excommunicatus pos- 79
sit recipere fructus sui Beneficij, quod iam antè obtinuerat, quo per excommunicationem non priuatur, vt cum communi sententia suppono.

Prima sententia id absolutè negat. Fundatur præ- *c. Pastoralis.*
cipuè in c. *Pastoralis.* 53. §. *Verum.* de appellationibus. vbi Pontifex interrogatus, vtrùm quando iam excommunicatus appellat à sententia, possit nihilominus eum iudex denunciare, & ad tempus Beneficiis spoliare? Respondet talem licitè denuntiari. quia, cùm excommunicatio secum trahat executionem, per denuntiationem non magis ligatur. Et addit, *Et illi prouentus Ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur.* Quibus verbis Pontifex significat tali subtrahi fructus per ipsam excommunicationem præcisè. Quod probatur Primò, quia comparat subtractionem fructuum cum negatione communionis: atqui hæc de facto negatur omni excommunicato: ergo etiam fructus eidem subtrahuntur. Secundò, quia Pontifex dicit excommunicatum ideò post appellationem posse denuntiari, quia per hoc amplius non ligatur; insinuans quòd hoc non posset fieri, si per hoc amplius ligaretur: atqui si non esset de facto priuatus fructibus, per eorum subtractionem

si

ampliùs ligaretur: ergo hæc post appellationem fieri non posset. quod falsum est. Tertiò, quia verbum *subtrahuntur* cùm non dirigatur ad iudicem, videtur significare sententiam latam, non autem ferendam, iuxta disp. 13. n. 20. Quartò, quia, cùm fructus detur propter officium, excommunicatus qui non potest facere officium, non videtur posse recipere fructus. & hanc sententiam tenet Couarr. l. 3. variar. resol. c. 13. num. 8. v. *Duodecimò hinc etiam.* & multi alij. *Couarr.*

80 Secunda sententia docet, hoc solum esse verum in excommunicato qui perseuerat contumax negligendo absolutionem. ita cum aliis Nauar. c. 25. num. 124. *Nauarrus.* Addunt tamen aliqui talem nihilominus posse percipere fructus suo seruitio respondentes, si Beneficio inseruiat. Addit Siluester verb. *Clericus.* 4. num. 17. *Siluest.* clericum pauperem posse suscipere fructus necessarios suæ sustentationi.

Tertia sententia absolutè docet, talem licitè omnes fructus percipere modò Beneficio per se vel alium inseruiat: quòd si non inseruiat, teneri ad restitutionem, sicut alius teneretur. Ita Nauarrus de rest. l. 2. c. 2. nu. 238. Auila p. 2. c. 6. disp. 6. dub. 1. concl. 2. & alij. *Nauarr.* *Auila.* Et eandem videtur tenere cum multis aliis Sanchius l. 3. de matrimonio disp. 51. num. 12. vbi docet suspensum ab officio, si nihilominus per se vel alium Beneficio inseruiat, licitè percipere eius fructus; &, vt patet ex num. 10. circa medium, ipse videtur in hac re æquiparare suspensum ab officio excommunicato. *Sanchez.*

Probatur Primò, quia tam grauis pœna non est statuenda sine certo textu: atqui nullus certus textus pro ea potest *adferri*, quia nullus alius adfertur quàm d. cap. *Pastoralis*, quod eam non probat, sed potiùs *contrarium*, vt patebit ex solutione argumentorum: ergo talis pœna non est statuenda. Secundò, quia, vt loco citato fusè docet Sanchius, suspensus ab officio non est suspensus à Beneficio; atqui excommunicatus non aliter videtur priuatus fructibus quàm quatenus est suspensus ab officio: ergo non est iis simpliciter priuatus. *Minor* probatur. quia excommunicatio per se & immediatè solùm priuat communione fidelium, reliquis autem rebus (nisi aliud in Iure expressè habeatur) tantùm priuat quatenus haberi non possunt sine communione prohibita: atqui excommunicatus potest retinere ius ad fructus illos percipiendos, imò etiam eos percipere non vsurpando vllam communicationem sibi prohibitam; sicut potest percipere fructus suorum agrorum, aut alio titulo sibi debita, vt docet P. Lessius de Iustitia c. 16. nu. 79. ergo spectata præcisè excommunicatio non verat fructus percipere. *§. Pastoralis.* *Sanchius.* *Lessius.*

81 CONCL. I. Excommunicatus post denuntiationem licitè potest priuari omnibus fructibus sui Beneficij. ita expressè habetur in dicto cap. *Pastoralis.* nec vllus negat. *Excommunicatus potest priuari fructibus Beneficij.*

CONCLVSIO II. Et prima & secunda sententia non sunt improbabiles ob auctoritatem multorum Doctorum; tertia tamen videtur probabilior ob rationes ibi allatas. & magis patebit ex solutione argumentorum. *Non est tamen ipso iure priuatus.*

82 Ad c. *Pastoralis.* Respondeo, hoc videri apertè loqui de spoliatione facienda per iudicem. Primò, quia qui consuluerat Pontificem, apertè supponebat excommunicatum non esse hoc ipso priuatum Beneficiis siue reditibus Ecclesiasticis, sed solùm priuandum. nam aliàs non debuisset rogare an posset iis priuari non obstante appellatione, sed an deberet manere priuatus: præsertim cùm hîc non agatur de priuatione rei iam perceptæ, sed de priuatione iuris percipiendi fructus futuros, quo non priuamur per externam aliquam executionem ipsi sententiæ iudicis superadditam, sicut priuamur pecunia aut simili re; sed immediatè per ipsum ius, aut iudicis sententiam, quare *§. Pastoralis.*

si sententia excommunicationis priuaret aliquem de facto iure percipiendi fructus Beneficij hic non posset vlteriùs eo iure priuari. Cùm igitur Pontifex ait tali meritò prouentus subtrahi (nisi velimus eum non respondisse ad quæstionem propositam) debemus eum intelligere de subtractione facienda per iudicem & pœna superaddita ipsi præcisè excommunicationi. Secundò, quia Pontifex ibi apertè distinguit subtractionem horum fructuum à denegatione communionis Ecclesiasticæ, in qua consistit ratio excommunicationis. nam dicit hanc esse causam cur illi meritò subtrahuntur; quasi diceret, qui sua culpa factus est inhabilis vt fungatur officio Ecclesiastico, meritò etiam priuatur fructibus, qui propter officium dantur: ergo apertè insinuat vnam pœnam in altera non inuolui, vnde patet hoc caput potiùs pro nobis facere.

Ad Primam probationem Respondeo, illa non 83
comparari vt necessariò connexa, sed quatenus vnum est semper sufficiens causa cur alterum possit infligi non obstante vlla appellatione. Ad Secundam, nego consequentiam. est enim diuersa vtriusque ratio, vt apertè etiam ex textu illo patet. nam si denuntiatio ampliùs ligaret excommunicatum, hoc fieret quia magis priuaret eum iure communicandi cum aliis, atque ita ligaret in eo, quod reus appellando vult ostendere iniustum esse, atque ita potestas denuntiandi per appellationem necessariò suspenderetur. Secùs est de priuatione fructuum. nam posita validitate excommunicationis, clari iuris est talem posse priuari fructibus, ideóque ab hac præcisè priuatione nulla ratione appellari potest, nec ipsa vlla appellatione potest retardari, vt hîc Pontifex definit. Vnde etiam non ait appellationem non impedire hanc priuationem fructuum, quia excommunicatio secum trahit executionem, sicut dixerat de denuntiatione: sed quia *illi meritò prouentus Ecclesiastici subtrahuntur, cui Ecclesia communio denegatur.* apertè ostendens diuersam esse vtriusque causam; & consequenter hanc pœnam non includi præcisè in ipsa excommunicatione, quæ executionem secum defert. quia aliàs non debuisset illius reddi distincta ratio; vnde etiam hinc patet hoc caput à nobis facere. Ad Tertiam Respondeo, cùm hoc capite iudex instruatur quid in tali casu facere debeat, verbum *subtrahuntur* apertè ad eum dirigi, atque ita etiam hac parte hoc Ius nobis fauere. Ad Quartam Respondeo Primò, impedimur ab officio præstando etiam sua culpa, non statim priuari eius fructibus, vt patet in eo qui sua culpa in morbum incidit, aut à solo officio suspenditur. Respondeo Secundò, excommunicatum non ita impediri ab officio clericali, quin totum validè possit implere, etsi hoc faciendo fortè peccet, quod sufficit vt possit lucrari fructus: vt benè docent Auila & Sanchez suprà citati. Et patet, nam aliàs Pastor celebrando ac Sacramenta administrando in peccato mortali non faceret fructus suos. quod falsum est. imò etiam potest illud implere licitè, vel totum, vel magna ex parte. nam potest legere priuatim Horas, ad quod quandoque solùm obligatur, & per alium potest curare dici Sacra, & obire munia pastoralia, quando ad hæc obligatur. *Impedimus à præstando officio non semper priuatur fructibus.* *Auila.* *Sanchez.*

Quarta difficultas est, Vtrùm pensio validè con- 84
feratur excommunicato?

Nota, triplicem posse esse pensionem. Primò, omnino spiritualem, quæ datur coadiutori senis Episcopi vt eum adiuuet. Secundò, merè temporalem, quæ datur alicui ob merita ipsius, aut parentis ipsius in Ecclesiam, quam armis aut alia ratione defendit. Tertia est media, quia fundatur in aliquo titulo spirituali, non tamen datur propter officium spirituale. *Pensionum triplicis generis.*

exercendum: talis est quæ datur Pastori seni, quando Beneficium, cui amplius nequit inservire, alteri confertur. item ea quæ datur aliquando resignanti Beneficium.

Prima sententia negat absolutè, vllam pensionem excommunicato validè conferri. quia hoc videtur supponere stylus curiæ: nam Pontifex conferens aut confirmans alicui pensionem, solet in literis ponere absolutionem ab excommunicatione ad cautelam, ad illum effectum consequendum: ergo censet sine illa absolutione excommunicatum fore incapacem illius pensionis acquirendæ. Inclinat in hanc sententiam Couarr. cap. *Alma*, 1. part. §. 7. num. 2. Sed hoc argumentum non convincit. quia dici potest illam absolutionem solùm poni Primò, quia rescriptum Pontificis aliàs per excommunicationem redderetur invalidum, vt dicemus dubio sequenti. Secundò, ne in iudicio talis repellatur à petitione pensionis tanquam ea indignus, vt qui Ecclesiæ contumax est: & ob hanc causam quandoque etiam additur absolutio ab aliis censuris. Couarr.

85 Secunda sententia planè contraria absolutè docet excommunicato validè conferri pensionem. Ita quidam apud Suarez disp. 13. sect. 1. nu. 2. Et Auila 2. p. cap. 6. disp. 5. dub. 5. concl. 2. ait non esse improbabilem. Ratio est, quia Ius solùm reddit excommunicatum incapacem Beneficij: pensio autem non est Beneficium. Suarez, Auila,

Tertia docet, pensionem primi generis invalidè conferri excommunicato, secundi generis validè, de tertio verò genere esse dubium. ita quidam apud Suarez suprà. Suarez.

Quarta sententia docet, omnes pensiones primi & tertij generis invalidè conferri excommunicato, quia post Pium V. dantur titulo Ecclesiastico. Ita Henriquez lib. 13. c. 13. num. 2. Henriquez.

86 Quinta docet, probabilius esse pensiones primi generis invalidè conferri excommunicato: quia dantur propter officium Ecclesiasticum, à quo suspensus est. Secundi verò & tertij generis validè conferri: quia hæ nullo modo habent rationem Beneficij Ecclesiastici, nec conferuntur propter diuinum officium exercendum, sed alio titulo. Nec refert, quòd ij qui habent pensiones tertij generis, teneãtur legere Officium beatæ Virginis, quia ab eo munere non suspenduntur per excommunicationem, nec pensio datur vt hoc legant; sed hæc lectio tamquam onus imponitur ei qui aliud Officium non legit. Ita Auila 2. part. c. 6. disp. 5. dub. 5. Auila.

CONCLVSIO. Tres vltimæ sententiæ sunt satis probables. quia & probabilibus argumentis & auctoritate Doctorum nituntur: quæ autem sit vera est difficile dicere.

DVBIVM X.

De sexto & septimo effectu excommunicationis?

87 SExtò igitur excommunicatio reddit irrita rescripta Apostolica ab excommunicato impetrata, vt patet c. 1. de rescriptis, in 6. Hinc in Pontificiis rescriptis solet communiter inseri absolutio ad cautelam, ad illum effectum obtinendum. Quare hic effectus iam vix vllum habet vsum, quia per eiusmodi clausulam eliditur. Excommunicatio reddit irrita rescripta Apostolica. c. 1. de rescript.

Septimò, ptiuat omni iurisdictione Ecclesiastica. Patet ex cap. *Is cui.* 12. de officio delegati, in 6. vbi dicitur delegatum carere iurisdictione quando delegans est excommunicatus. & est communis Doctorum. Quare omnes actus iurisdictionis à talibus exerciti sunt nulli, vt patet ex c. *Audiuimus*, 24. quæst. 1. Priuat iurisdictione Ecclesiastica. c. Is cui. c. Audiuimus.

Quod etiam communiter DD. fatentur; disputant tamen an hæc pœna pertineat ad omnes omnino excommunicatos. Qua in re variæ sunt sententiæ, quæ ferè inde oriuntur, quia DD. antiqui & etiam aliqui noui variant, quinam iam excommunicati sint vitandi, de quo satis egi dub. 2.

Dico igitur Primò, omnes actus iurisdictionis Ecclesiasticæ invalidè fiunt ab excommunicato non tolerato. hæc conclusio per se patet, quia, si vllius excommunicati actus sunt irriti, maximè tales erunt irriti. nec vllus eam negat. Excipe tamen casum quo talis excommunicatus iret ad aliquem locũ, vbi ipsius excommunicatio esset occulta: ibi enim ipsius actus valerent; Ecclesia ob bonum publicum illius defectum supplente, conferendo illi ad singulos actus actualem iurisdictionem. vt communiter ex l. *Barbarius.* π. de officio Prætoris, DD. docent. 88 Actus iurisdictionis non tolerati sunt invalidi. l. Barbarius.

Dico Secundò, actus iurisdictionis excommunicati tolerari sunt validi in vtroque foro, quamdiu non repellitur. ita communiter DD. qui circa enitationem excommunicatorum probant constitutionem Concilij Constant. Vide P. Lessium de Iustitia cap. 29. dub. 7. num. 57. Et patet. quia, cùm Concilium nobis concedat, vt cum talibus possimus in eiusmodi actibus communicare, necessariò debet concedere, vt eorum actus sint validi: aliàs magna sequeretur confusio. Nota tamen; tales semper peccare, quoties eiusmodi actus sponte exercent. quia hoc iis est prohibitum; secùs est quando hoc faciunt ob bonum aliorum, & quasi coacti; iuxta dicta dub. 3. n. 18. Dixi, *quamdiu non repellitur.* quia, etsi nobis Ecclesia concedat vt cum talibus communicemus, non tamen cogit. quare citatus coram iudice excommunicato possum contra eum excipere; teneor tamen speciem & auctorem excommunicationis exprimere, & intra octo dies eam euidenter probare, vt habetur c. 1. de exceptionibus, in 6. 89 Tolerati verò sunt validi. Lessius. Sponte tamen eos actus exercens peccat. Nullus retinetur excõmunicati iurisdictionem admittere. c. 1. de except.

Hinc nascitur Secunda difficultas, Vtrùm excommunicatus toleratus possit validè alterum excommunicare? Videtur enim quòd sic: quia, quamdiu non excipitur contra illum, illius actus validi sunt: ergo quamdiu reus contra eum non excipit, validè eum excommunicat, sicuti validè alias sententias in eum ferret. Contrà verò videtur facere, quòd, cùm tali non tenear obedire, non possum esse verè contumax non obediendo, & consequenter nec possum ligari vlla censura, quia hæc contumaciam requirit, ob hanc causam aliqui absolutè negant talem validè posse excommunicare. Gloss. c. *Infames.* 3. q. 7. verb. *Dum c. Infamis putaretur.* 90

Sed probabilius est eum validè excommunicare, quamdiu contra eum non excipitur. Vasquez de excommunicat. dub. 17. num. 4. & 5. Auila p. 2. c. 6. disp. 5. dub. 2. Primò, quia, cùm talis, quamdiu publicè agnoscitur verus iudex, Ecclesia ipsius defectum propter bonum commune supplente, validè exerceat actus iurisdictionis, validè etiam reo præcipit, vt instæ sententiæ pareat. nam hæc præceptio est actus talis iurisdictionis, & consequenter ille est contumax nolendo obedire: atqui quamdiu contra eum non excipitur, publicè agnoscitur verus ac legitimus iudex: ergo reus est contumax ei non obediendo. Secundò, quia eodem modo quoad exercitium actuum iudicialium iam se habet excommunicatus quicumque toleratus, sicut olim se habebat excommunicatus occultus. quia eodem planè modo vterque verè à parte rei habet impeditam iurisdictionem, & tamen eius actus validè exercet, Ecclesia eius defectum supplente: atqui tali iudici olim reus tenebatur obedire, nisi contra eum legitimè excideret, vt patet ex cap. 1. de exceptionibus, in 6. & cap. *Exceptionem.* 12. de exceptionibus. ergo simili modo 91 Vasquez. Auila. Tolleratus validè excõmunicat donec contra eum excipiatur. c. 1. de except.

c. Excipitur.

tenetur etiam modò obedire tolerato, etiam publicè excommunicato. Ex quibus patet solutio ad argumenta contraria.

92 Tertia difficultas est, qua ratione electio ab excommunicatis facta valeat? Hanc & sequentem difficultatem multi fusè disputant, & varias adferunt sententias, quæ sæpè non tam reipsa differunt, quàm modo loquendi. his igitur omissis.

Electio facta à non toleratis est irrita, *c. Cùm inter.*

Dico Primò, electio facta à non toleratis est simpliciter irrita. Ita communiter DD. ex *c. Cùm inter Reinerum.* 16. de electione. vbi iudicatur inualida electio facta à suspensis: omnis autem excommunicatus est suspensus ab officio. Ratio est, quia electio est actus iurisdictionis, quæ in tali excommunicato est omnino impedita. Excipe electionem summi Pontificis, quæ valida est, etsi fiat à Cardinalibus excommunicatis: vt patet Clementina, *Ne Romani.* §. *Cæterùm.* de electione, in 6.

Excipe electionem summi Pontificis.

93 Quo ratione valeat electio cui aliqui excommunicati interfuerunt.

Dico Secundò, quando plures ad eandem electionem conueniunt, si inter eos sint aliqui tales excommunicati, horum suffragia nullam habent vim: vt patet ex prima conclusione. quare horum non alia habenda est ratio, quàm si non interfuissent. & consequenter aliorum suffragia eandem habebunt vim, quam habuissent, si sine excommunicatis soli legitimè elegissent. quia *vile non debet per inutile vitiari*, vt dicitur regula 37. Iuris, in 6.

c. ultim. de procur.

Vasquez, Couarr. c. Alma, Abbas. c. Ille. Navarr.

Addunt multi, talem electionem esse irritam, si non excommunicati excommunicatos non toleratos sponte admiserint ad electionem. quia cap. vlt. de procuratoribus, dicitur repellendus procurator, quem constituit communitas vnà cum suis rectoribus quos sciebat esse excommunicatos. Vasquez de excommunicat. dub. 5. n. 1. Couarr. in c. *Alma*, p. 1. §. 7. nu. 9. Abbas c. *Ille.* de electione n. 7. Navar. l. 1. tit. de electione consil. 11. Quæ opinio satis probabilis est ob Doctorum auctoritatem. illud tamen caput solùm conuincit talem electionem esse irritandam, siue posse reiici à confirmatore: nam illo capite tantùm dicitur talem procuratorem debere repelli. vnde non sequitur eum inualidè admitti, siue eius acta esse inualida si admittatur.

Electio à toleratis facta valet, sed irritari potest.

Vasquez, Auila.

Dico Tertiò, si excommunicati tolerati ad electionem admittantur, validè eligunt; possunt tamen ab ea reiici, & is, ad quem pertinet electionem confirmare, potest eorum electionem non acceptare, eámque reputare ac si non esset facta, quia nemo tenetur cum iis communicare. Patet ex dictis num. 89. & 91. Vasquez de excommunic. dub. 5. n. 6. Auila p. 2. ca. 6. disp. 5. dub. 1.

Quarta difficultas est, Vtrùm excommunicati validè aliquos ad Beneficia præsentent?

94 Clericus à se præsentato confert aliquod ius; secus est de laico.

c. Cùm autem. Couarr. Vasquez.

Nota, quando præsentatio pertinet ad clericum ratione sui Beneficij, per eam præsentato conferri aliquod ius ad Beneficium: quare talis præsentatio est vsus iurisdictionis Ecclesiasticæ: secùs est quando præsentatio spectat ad laicum. quia laicus non potest conferre alicui ius ad aliquod Beneficium. Ita communiter colligunt Doctores ex *c. Cùm autem.* 24. de iure patronatus. Couarr. in c. *Alma*, p. 1. §. 7. num. 9. Vasquez de excom. dub. 5. n. 2. & 3.

Collator inuito patrono inualidè alicui confert Beneficij. *Lessius.*

Nota Secundò, eum qui habet ius præsentandi habere etiam ius vt Beneficium conferatur præsentato, quando dignus est. quare collator inualidè illud alicui non præsentato conferret, quia hoc fieret cum iniuria patroni. Si tamen patronus consentiat, poterit illud cuicunque digno conferre: quia cessabit omnis iniuria. Lessius de Iust. l. 2. c. 34. dub. 7. in fine. his positis.

Præsentatio non reiecti nullum effert ius.

Dico Primò, præsentatio facta à non tolerato, siue hic clericus sit, siue laicus, nullum præsentato tribuit ius. quia talis inualidè exercet actum iurisdictionis, sine quo non potest alicui ius ad Beneficium conferri. Et hac ratione ille actus est inualidus.

95 Collator tamen validè ei Beneficium confert. *Suarez.*

Dico Secundò, si Episcopus nihilominus tali præsentato hoc Beneficium conferat, validè hoc facit. Ita Suarez disp. 14. sect. 2. num. 31. Ratio est, quia nullo Iure talis collatio irritatur. & quamuis illa præsentatio non possit tribuere vllum ius præsentato, tamen valet ad hoc vt collatio fiat consentiente patrono, atque ita non fit ei iniuriosa, & consequenter sit iusta. Peccat tamen Episcopus sciens acceptando talem præsentationem, quia communicat cum excommunicato. Suarez tamen suprà ait tantùm esse veniale. *Suarez.* Imò credo posse fieri sine vllo peccato, quando aliàs Beneficium cum notabili aliquo Ecclesiæ detrimento deberet diutiùs vacare. quia necessitas excusat. Addunt aliqui, si Episcopus conferat tali Beneficium, putans præsentationem esse legitimam, eò quòd ignoret vitium præsentantis, collationem esse nullam. quia est inuoluntaria, ratione ignorantiæ. Sed contrarium credo verius, si absolutè conferat sine vlla conditione, etsi cognita veritate non esset collaturus. quiâ, vt benè docet P. Lessius de Iustitia ca. 17. dub. 5. contractus & pacta quibus error causam dedit (modò hic non sit circa rei substantiam, sicut in præsenti negotio non est) non sunt propriè irrita, sed solùm irritabilia ab eo qui deceptus est; valida autem, quamdiù non irritantur. quare vt summum talis collatio poterit ab Episcopo cognita veritate irritari.

Etiàm præsentantis vitiũ ignoret. *Lessius.* Quis error irritet pacta.

98 Tolerati acceptandi collator accepta potest, non tamen tenetur.

Dico Tertiò, quando præsentans est toleratus, non solùm validè, sed etiam licitè Episcopus præsentato confert Beneficium; potest tamen, si velit, eam præsentationem reiicere. quia etsi possumus, non tamen cogimur, cum ita excommunicatis communicare. Si talis præsentatio fiat à clerico ratione Beneficij, tribuit in hoc ius præsentato, vt præsentans non possit mutare præsentationem. quia actus talis excommunicati valent in quantum in aliorum commodum acceptantur; non tamen tribuit ei ius vt possit collatorem compellere, vt sibi Beneficium conferat, antequam præsentans iam absolutus eum secundò præsentet.

97 Excommunicatus inualidè acquirit nouam iurisdictionem Ecclesiasticam.

Nota, ex hoc effectu DD. communiter inferre excommunicatum esse inhabilem ad acquirendam nouam aliquam iurisdictionem Ecclesiasticam; quale esset munus eligendi, conferendi Beneficia, &c. quia sicut quis illicitè assumitur ad officium, quod non potest licitè exercere, eiúsque assumptio est irritanda, vt patet ex cap. vltim. de clerico excommun. ita etiam inualidè assumitur ad id, quod non potest validè exercere. Sed hoc argumentum nihil probat. quia pœnæ non debent introduci per argumentum à simili. hæc tamen sententia tenenda est, quia est communis Doctorum.

98 *Silvester.*

Quinta difficultas est, Vtrùm excommunicatus non toleratus, si Episcopus sit, possit approbare confessarios ac concionatores, dare alicui facultatem audiendi confessiones, dare literas dimissorias; aut si sit Pastor, an possit dare alicui veniam conferendi suis subditis Sacramentum Baptismi, Extremæ vnctionis, Eucharistiæ, &c. Quidam id generatim affirmant. ita Silvester verbo *Vnctio*, numero 4. & alij. quia putant hanc concessionem non esse actum iurisdictionis.

Secunda sententia docet, talem saltem validè dare aliis licentiam administrandi Baptismum, Eucharistiam, Confirmationem, & Extremam vnctionem. quia hi actus non requirunt iurisdictionem.

Tertia sententia absolutè negat, quicquam ex dictis validè ab excommunicato fieri. Ita Suarez disp. 14. sect. 1. num. 7. *Suarez.*

99 Conclvsio I. Prima sententia non est proba-

Nō tolerati inualidè dat alteri veniam audiendi confessiones, concionandi, &c.

bilis, quia dare alicui veniam audiendi confessiones, est dare illi iurisdictionem. atque ita est apertè actus iurisdictionis. Idémque dicendum de approbatione confessarij ac concionatoris, de concessione dimissoriarum, & similium. cùm enim hæc fieri possint ab Episcopo confirmato nondum tamen consecrato, imò nondum sacerdote; clarum est non esse actus Ordinis: cùm igitur sint actus alicuius potestatis, necessariò sunt actus iurisdictionis.

100 Idem dic de facultate baptizandi, &c.

Conclvs. II. Longè verius est facultatem conferendi Confirmationem, Baptismum, Eucharistiam, aut Extremam vnctionem inualidè concedi à non tolerato. quia, etsi collatio horum Sacramentorum non sit necessariò actus iurisdictionis; concedere tamen facultatem ea conferendi est necessariò actus iurisdictionis, cùm non possit esse alterius facultatis.

Disputatur hîc etiam ab aliquibus. Vtrùm Pastor excommunicatus validè assistat matrimonio suorum subditorum, aut aliis facultatem assistendi concedat. Sed hoc meliùs disputabimus in materia de matrimonio, disputatione 27. dub. 2. Iam breuiter Respondeo, talem validè assistere, inualidè tamen dare facultatem assistendi.

DVBIVM XI.

Qua ratione priuet communicatione forensi?

101 Excommunicatus nequit esse iudex, procurator, &c.
c. Ad probandum.
c. Decernimus.

Octauus effectus excommunicationis est, quòd impediat excommunicatum ne sit iudex, procurator, actor, aut testis etiam in causis ciuilibus. vt patet ex c. *Ad probandum.* 24. de sententia & re iudicata. c. *Decernimus.* 8. de sent. excom. in 6.

Iudex tenetur non toleratum ab agendo, testando, &c. repellere.
c. 1. de except.
c. Decernimus.

Nota Primò, si aliquis ex his sit non toleratus, iudicem ex officio teneri eum repellere, etsi pars contra cum non excipiat. vt patet ex c. 1. de exceptionibus, in 6. & cap. *Decernimus.* citato. quòd si sit toleratus iudex potest eum repellere, si de eius excommunicatione publicè constet; non tamen tenetur, nisi pars contra eum excipiat. potest autem pars hoc facere in quacumque iudicij parte: tenetur tamen tunc exprimere quali excommunicatione, siue ob quod crimen, & à quo talis sit excommunicatus. Quod secundum intelligendum est quando obijcitur excommunicatio lata ab homine, debérque hæc intrà octo dies probare. quòd si defecerit in probatione, tenetur ad sumptus ab altera parte ea occasione factos: nec in eodem iudicio potest sæpiùs quàm bis talem exceptionem eidem opponere, nisi aliquis nouam excommunicationem incurreret, aut nouæ innotescerent claræ & omnino promptæ probationes, quæ omnia expressè habentur c. 1. de exceptionibus, in 6.

Toleratus licitè admittitur donec pars contra eum excipiat. Qua ratione liceat excipere contra excommunicatos.
c. 1. de except.

Nota Secundò, etsi excommunicatus repellatur ne petat debitum in iudicio, potest tamen priuatim illud petere, & alter tenetur ei soluere. quia excommunicatus non priuatur rerum suarum dominio. & quamuis hîc necessaria sit aliqua communicatio, eam tamen excusat necessitas. vide P. Lessium de Iustitia c. 16. num. 79.

Excommunicatus potest priuatim petere debita.
Lessius.

102 Acta iudicis Ecclesiastici non tolerati sunt irrita.

Quæritur autem Primò, Vtrùm iudex excommunicatus non solùm illicitè, sed etiam inualidè exerceat actus iudicij? qua in re certum est Primò, toleratum validè hos actus exercere, vt patet ex dictis dubio 10. Secundò, certum est acta per iudicem Ecclesiasticum non toleratum esse inualida: quia hic omni vsu iurisdictionis priuatus est, vt ex ibidem dictis patet. Sed difficultas est de iudice sæculari non tolerato.

Prima sententia docet, tales non priuari de facto vsu suæ iurisdictionis, actusque eorum esse validos, nisi per annum in excommunicatione sorduerint. Ita Victoria de excommunicatione n. 16. aliàs 346. Probatur Primò, quia nullo Iure hæc pœna habetur expressa. nam Iura quæ adferri solent, aut loquuntur solùm de iudice Ecclesiastico vt c. *Ad probandum.* iam citatum, & c. *Audiuimus.* 24. q. 1. & c. *Tanta.* 18. de excessibus Prælatorum. quod etiam alia ratione ad rem non facit. Aut tantùm generaliter ostendunt tales posse aut debere repelli à iudicando, vt c. *Decernimus.* citatum, & c. *Exceptionem.* 12. de exceptionibus, & c. 1. de exceptionibus, in 6. Secundò, quia c. *Excommunicamus.* 13. de hæreticis, §. *Credentes.* excommunicantur fautores hæreticorum, & iniunguntur variæ pœnæ iis qui per annum excommunicati permanserint, & inter cæteras vt iudicis acta inualida sint: ergo supponitur priùs acta fuisse valida.

Victoria.
c. *Ad probandum.*
c. *Audiuimus.*
c. *Tanta.*
c. *Decernimus.*
c. *Exceptionem.*
c. 1. *de except.*
c. *Excommunicamus.*

Secunda sententia docet, acta iudicialia non tolerati esse inualida. est ferè communis Doctorum, qui communiter adferunt pro hac sententia Iura iam citata: sed hæc eam non probant; viderunt tamen posse colligi ex c. *Nos sanctorum.* 15. q. 6. vbi Pontifex liberat subditos à fidelitate dominorum excommunicatorum, & præcipit ne iis obediant. quod fieri nequiret si possent ab iis validè citari in iudicium. Ad c. *Excommunicamus.* citatum pro prima sententia Respondeo, ibi multas pœnas poni quas excommunicatus statim incurrit (vt quòd non debeat admitti ad publica officia, quòd debeat repelli ad aduocando, &c.) cum aliis particularibus, quas tantùm incurrit cùm post annum in excommunicatione sorduerit. Vide plura apud P. Lessium de Iustitia cap. 29. dub. 7.

103 Idem dic de actis iudicis sæcularis.
c. Nos sanctorum.
c. Excommunicamus.
Lessius.

Quæritur Secundò, Vtrùm excommunicato validè conferatur officium sæculare vel dignitas habens annexam iurisdictionem?

104 Etiam toleratò illicitè confertur iurisdictio.

Qua in re patet hæc illicitè conferri non solùm non tolerato, quod clarum est; sed etiam tolerato. Primò, quia iis indignus est. Secundò, quia omnino indecens est alienum à fidelium communione constitui caput aliorum. Tertiò, quia talis est minùs habilis ad tale officium obeundum, cùm nemo ei teneatur obedire. Quartò, quia hoc modo redditur potentior, & fouetur quodammodo in sua pertinacia contra Ecclesiam. Quare hoc peccatum videtur graue, nisi aliqua necessitas, aut magna vtilitas reipublicæ talis promotionem exigeret, aut omnino crederetur iam cum pœnitere sui delicti, & velle statim Ecclesiæ reconciliari. Difficultas igitur est, vtrùm talibus validè eiusmodi officia conferantur.

105 Validè confertur officium ei, qui eo pro aliquo tempore nequit fungi.
c. *Venerabilem.*

Prima sententia id negat, quam multi canonistæ tenent. Probatur Primò, ex c. *Venerabilem.* 34. de electione. Sed hoc cap. non facit ad rem: tantùm enim ibi dicitur, quia ad Pontificem spectat consecrare & coronare Imperatorem, spectare etiam ad eum electi Imperatoris personam examinare, & si excommunicatus aut hæreticus sit, eum repellere, ac electionem irritare. Probatur Secundò, quia inualidè alicui conferetur iurisdictio quam non potest validè exercere. Sed hoc non est verum, quando illud impedimentum est temporale, & facilè amouibile. quia aliàs inualidè tale munus conferretur ei, qui ex morbo laboraret aliqua phrenesi. Adde, etsi verum esset, nihil probaret contra toleratos, quia hi validè tales actus exercent.

106 Toleratis validè confertur iurisdictio sæcularis.
Suarez.

Secunda sententia tenet, talibus validè eiusmodi officia aut dignitates conferri. quia tam graues pœnæ sine certo iure non sunt statuendæ, hîc autem nullum adfertur. & hanc vt probabilem tenet Suarez disp. 16. sect. 2. num. 3.

Conc. Videtur mihi certum tales dignitates validè conferri toleratis: quia nulla est ratio hoc negandi, & vsus omnino euincit. nam videmus quotidie, multis locis dari talia officia iis qui satis noscun-

tur intidisse in aliquas excommunicationes; nec videmus eorum actus rescindi: idemque probabiliter potest dici de non toleratis ob argumentum secundæ sententiæ.

107 Tertiò quæritur; Vtrùm acta publica ab actore, procuratore, aduocato, tabellione, teste, &c. excommunicatis sint valida?

Hac in re præcipua difficultas est de actis à tabellione. multi enim absolutè dicunt eius acta esse inualida. Glossa in c. *Decernimus*. de sent. excom. in 6. verbo *Testificando*. Silvester v. *Excommunicatio*. 3. nu. 2. Probant Primò, iis iuribus, quæ suprà nu. 102. allata sunt, ad probandum acta iudicis sæcularis excommunicati esse inualida. ex quibus aliqui nituntur probare omne officium publicum gestum ab excommunicato esse inualidum. Sed, vt patet ex ibidem dictis, hoc argumentum valdè infirmum est. Probant Secundò ex c. *Nullus*. 3. q. 4. vbi præcipitur ne vllus anathematizatus suscipiatur, eiúsque dictis aut scriptis credatur. Sed hoc caput nihil probat: nam tantùm decernit, ne talium accusationes contra fideles suscipiantur, aut iis fides habeatur, vt patet ex epistola 2. Stephani Papæ §. 3. ex qua illud c. desumptum est, & generatim loquitur de quouis excommunicato accusante aut testante contra fideles. Quare Rebuffus in concordia, tit. de excommunicatis vitandis, v. 6. ait illius acta esse valida.

Glossa. Silvester. c. Nullus. Stephanus Papa. Rebuffus.

108 Pro resolutione Nota Primò, duplici tempore posse contingere testem aut tabellionem esse excommunicatum. Primò, quando coram eo tes aliqua fit, de qua postea debeat testari, aut instrumentum conficere, siue casu, siue expresse rogatus rei gerendæ interfuit. Secundò, vt sit excommunicatus quando instrumentum conficit, aut testimonium in iudicio dicit.

Præsentia tabellionis tripliciter necessaria.

Nota Secundò, tripliciter posse requiri præsentiam tabellionis ad aliquem actum. Primò solùm, vt per eum possit postea de actu publicè constare; ita vt sine eius præsentia ille validè fieret. Secundò, quia illo absente ille inualidè fieret. Tertiò, vt non solùm ad valorem actus requiratur præsentia tabellionis, sed etiam authenticum eius scriptum.

109 Quàdo excommunicati præsentia suf. ficiat.

Conclvsio I. Quando tabellio aut testis tantùm adhibentur primò ex dictis tribus modis rei alicui gerendæ, etsi quando sunt excommunicati non tolerati hoc illicitè fiat; sit tamen validè, & postea absoluti ab excommunicatione, non solùm validè, sed etiam licitè adhibentur ad dicendum testimonium in iudicio, vel ad conficiendum de re à se visa instrumentum. Probatur, quia, vt possit quis de re aliqua testari non requiritur vt fuerit probus & dignus fide dum rem ipsam vidit fieri, sed sufficit quòd tunc fuerit perfecto iudicio, vt sufficienter rem potuerit cognoscere, ad quod probitas & illa dignitas sunt impertinentia; sed hæc tantùm requiruntur tunc; quando debet testimonium dicere. quia quantumcumque fuerit quis aliquando indignus fide; modò iam sit verè dignus fide, debet ei fides haberi: absolutus autem ab excommunicatione eodem modo est dignus, vt habeatur ei fides circa rem quam vidit excommunicatus ac si non fuisset excommunicatus. nec enim in Iure prohibentur produci testes, qui fuerint excommunicati, sed qui actu sunt excommunicati.

Probitas non requiritur in teste cùm res fit, sed cùm testatur.

110 Actor, testis, aduocatus, &c. etiam non tolerati validè agunt quamdiu non repelluntur. c. 1. de except.

Conclvsio II. Etsi actu excommunicati siue tolerati, siue non tolerati possint, aut etiam debeant à dicendo testimonio, ab agendo, aduocando, & similibus repelli; si tamen non repellantur, nec pars contra eos excipiat, acta ex eorum testimonio, aut iis agentibus valent. patet expresse ex c. 1. de exceptionibus, in 6. vbi de actore excommunicato definitur, & eadem est ratio aliorum.

111 Instrumentum excõmunicati qua ratione sit inualidum.

Conclvsio III. Instrumentum factum à tabellione excommunicato potest hac ratione dici inualidum, quatenus is contra quem hoc profertur in iudicio, potest contra ipsum excipere tamquam contra testificationem excommunicati, si tamen contra hoc non exceperit, sententia ex vi illius lata valet. Ratio est, quia testimonium excommunicati potest à parte reiici in iudicio. Si tamen non reiiciatur, ex vi illius acta valent, vt patet ex conclusione secunda: tale autem instrumentum nihil est aliud quàm testificatio facta ab excommunicato, etsi ratione officij ipsius habeat plus ponderis quàm testimonium alterius.

Solùm spectãdo qualis fuerit tabellio dum instrumentum confecit.

Nec refert, quòd tabellio sit absolutus quando instrumentum profertur in iudicium. quia non debet considerari status, in quo iam est, (nam aliàs si confecisset illud ante excommunicationem, & dum esset excommunicatus proferretur in iudicium, posset reiici. quod est falsum.) sed status in quo erat dum hoc confecit, quia tunc testificatus est, non autem postea.

112 In foro cõscientiæ non semper licitè excipitur contra testem excommunicatum.

Nota, quando eiusmodi instrumentum profertur ad probandum contractum aliquem fuisse factum, aut aliquid deberi; etsi, vt dixi, possit reiici in foro externo, in foro tamen conscientiæ, nisi sit iusta suspicio fraudis, debet ei haberi fides: sicut etiam deberet haberi testibus excommunicatis, quando non esset ratio suspicandi eos mentiri. quare ij quibus rei veritas perspecta est, non possunt in petitione debitorum contra eiusmodi testimonia excipere. quia hoc fieret cum iniuria actoris, cui etiam sine vlla probatione tenentur exigenti debitum agnoscere, atque etiam soluere, nisi fortè haberent iustam causam non soluendi, v. c. eò quòd alter ipsis etiam aliquid debeat, quod ipsi non possint tam facilè probare. tunc enim sicut sine iniustitia possunt illud debitum negare, ita possunt probationes refellere, quacunque ratione aliàs licita. Quando tamen agitur de vitanda aliqua pœna, communiter licitè excipitur contra testem excommunicatum.

113 Quãdo testis inualidè adhibetur tabellio excommunicatus.

Conclvsio IV. Si ad valorem alicuius actus requireretur non solùm præsentia tabellionis, sed etiam authenticum eiusdem instrumentum; inualidè adhiberetur excommunicatus. Ratio est, quia illius præsentia ac instrumentum tunc ideò requireretur, vt actus posset irrefragabiliter in iure probari: atqui tali instrumentum ad hoc non sufficit, cùm per exceptionem posset omnis eius vis elidi: *ergo* est omnino inutile ad finem legis, & consequenter ad valorem actus.

Excipiendus tamen est casus, quo illius excommunicatio non esset probabilis in iudicio: quia tunc illius instrumentum in iudicio suam vim obtineret.

114 Conclvsio V. Secùs est dicendum, quando ad valorem contractus requireretur sola illius præsentia. quia postea absolutus potest de illo actu authenticum instrumentum conficere, eumque eodem modo probare in iudicio, ac si non fuisset excommunicatus: quare eius præsentia eodem modo ad finem legis obtinendum valet, & consequenter reddit actum validum. Quamquam hæ duæ conclusiones rarò habeant locum in praxi; volui tamen eas hîc ponere, quia iuuabunt ad explicandum, qua ratione Pastor excommunicatus validè assistat matrimonio, vt suo loco videbimus.

Dubitatur Quartò, qua ratione excommunicatus possit comparere in iudicio vt reus?

Certum hac in re est, eum citatum debere comparere, quia aliàs ex sua malitia referret lucrum. certum etiam est eum posse se defendere, & ad hoc vti Iuris remediis, etiam excipiendo contra actorem aut iudicem: vt patet ex c. *Dilecti filij* 8. & c. vlt. de

c. Dilecti. c. vlt. de except.

exceptionibus: dubitatur tamen vtrùm possit per se comparere.

Multi hoc negant, aiúntque debere comparere per alium. quia cap. *Intelleximus.* 7. de iudiciis dicitur: *debet per alium respondere.* ita Felinus in d. c. n. 3. & Decius n. 7. & alij. Excipiunt tamen casum quo non potest sine incommodo per alium comparere. quia necessitas non habet legem.

c. Intelleximus. Felinus. Decius.

116 Panorm.

Alij absolutè docent, eum posse per se comparere. Ita glossa in d. cap. *Intelleximus.* & Panorm. ibidem, n. 5. Primò, quia, cùm sæpe occurrat casus, vt sine graui incommodo per alium comparere non possit, nimis videtur durum & coniunctum multis incommodis talem constringere, vt compareat per alium quoties id facere potest. quia sic semper erit anxius an poterit per se comparere, & antequam poterit admitti, vt seipsum defendat: debebit priùs probare, se non posse per alium comparere. quia nisi de hoc constet, iudex eum non poterit admittere. Quod ei sæpe erit difficile, & inutiles moras iudiciis adferet. Probatur Secundò, quia alia Iura expressè ei permittunt, vt possit se in iudiciis defendere sine vlla restrictione, vt patet ex c. 8. & vlt. de exceptionibus, citatis.

117 *Intelleximus.* Decet excommunicatum se per alium in iudicio defendere, ad hoc tamen absolutè non tenetur.

Ad cap. *Intelleximus.* citatum Respondent, illud verbum *debet* solùm cadere super *respondere.* quia Pontifex solùm erat interrogatus vtrùm talis in iudicio deberet respondere, respondéreque debere. Addit verò *per alium*, non vt hunc modum præcipiat, sed vt eum tanquam conuenientissimum indicet; & sine dubio, quantum commodè fieri potest, decet eum seruare. quia hoc modo minima habetur cum excommunicato communicatio. Probabile tamen est eum ad hoc non esse adstringendum ob argumenta iam dicta. nam cùm necessariò sit aliqua hoc casu cum eo habendâ communicatio, non est tanti momenti, vtrùm sit paulò maior aut minor, vt ideò ad tam duras conditiones reus videatur astringendus.

DVBIVM XII.

De pœna effectu excommunicationis.

118 NOnus effectus excommunicationis est, quòd priuet excommunicatum omni communicatione cum fidelibus; in omni ciuili ac humana conuersatione, & tàm ipsum cum aliis, quàm alios cum ipso conuersari prohibeat, iuxta dicta dub. 4.

119 Excommunicati validè contractus ineunt. c. vlt. de pœn. c. Cùm illorum. c. Significasti. c. Inter dilectos.

Nota Primò, excommunicatos etsi illicitè, validè tamen cum aliis contractus inire, vt patet ex cap. vlt. §. *Cùm autem.* v. *Verum.* de pœnis, in 6. vbi absolutis ab excommunicatione conceditur facultas repetendi debita quæ alij tempore excommunicationis erga eos contraxerant. & c. *Cùm illorum.* 32. de sent. excommun. vbi supponitur validam esse professionem factam ab excommunicato. & cap. *Significasti.* 6. de eo qui duxit, &c. dicitur legitimum esse matrimonium ab excommunicato contractum, & c. *Inter dilectos.* 8. de donationibus, dicitur tales validè donare.

120 Licitam faciunt communicationem cum excommunicato ignorantia & necessitas. c. Significasti.

Nota Secundò, variis casibus nos posse licitè cum excommunicatis etiam non toleratis communicare, quæ duobus capitibus possunt comprehendi.

Excusat igitur Primò, ignorantia siue facti, quando nimirum ignoramus alterius excommunicationem; siue etiam iuris, quando aliquis omninò ignorat esse illicitum versari cum excommunicatis.

Secundò excusat necessitas, quando scilicet aliquis vel nullo modo, vel sine notabili incommodo, non potest vitare alterius communicationem. Quo autem hæc communicatio est grauior & in rebus magis prohibitis, v. c. in sacris, eò necessitas debet esse maior; in leuioribus autem sufficit minor.

c. Significasti. Hinc Gregorius VII. cap. *Quoniam multis.* 11. q. 3. variis personis concedit vt possint cum excommunicatis communicare, scilicet vxori, filiis, seruis ancillis seu mancipiis, rusticis, id est, villicis, seruientibus, *id est*, famulis & aliis ministris, qui non sunt adeò curiales vt eorum consilio scelera perpetrentur, qui scilicet suo auxilio aut consilio non fouent in suis sceleribus; aut pertinacia excommunicatum. Item iis, qui ignorant excommunicationem alterius; demum peregrinantibus per terram excommunicatorum; vt necessitate exigente possint ab his necessaria emere, aut in eleemosynam petere, eáve petentibus vendere, aut dare. Quas personas auctores communiter hoc versu comprehendunt:

Quibus liceat cum excommunicatis cõmunicare.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

121 Possumus excommunicato vtilia suadere, eáve ab eo accipere. c. Responso. c. Cùm voluntate.

Per *vtile* conceditur Primò, omnis communicatio cum excommunicato, siue per concionem, siue per priuatam exhortationem, siue dando consilium literis, aut verbo, quæ ad eius conuersionem creditur profutura, vt habetur c. *Responso.* 43. & c. *Cùm voluntate.* 54. de sent. excommun. Et simili ratione possumus ab excommunicato petere consilium saluti nostræ necessarium, aut instructionem in rebus ad conscientiam pertinentibus, quando non habemus alios à quibus possimus hæc commodè petere, atque adeò in defectu aliorum possumus illius concionem audire cessante scandalo. Secùs est quando non desunt alij per quos possumus sufficienter instrui. Ita Auila p. 2. c. 1. disp. 11. dub. 3. concl. 5. Auila.

122 Sotus.

Nota, Sotum in 4. disp. 22. q. 1. a. 4. col. 10. eodem modo loqui de lectione theologica; vbi docet excommunicatum hanc posse audire, & super ea Doctorem consulere: sed alij hoc probabiliùs negant. quia hæc lectio per se non ita instituitur ad conuersionem, sicut concio, nec est ita necessaria saluti.

Secundò, idem conceditur propter notabilem vtilitatem temporalem, siue nostram, siue excommunicati. Ita Nauarr. c. 27. n. 26. Siluester v. *Excommunicatio.* n. 4. Auila suprà dub. 4. concl. 1. & 2. Hinc possunt petere ab excommunicato debitum, aut consilium pro rebus temporalibus, quando hoc mihi potest vtilius dare quàm alij, & eadem possum ei dare. Nauarr. Siluester. Auila.

Per *lex* intelliguntur coniuges quos lex matrimonij inter se sociat.

123 Qua ratione communicatio coniugis cum excommunicato sit licita. Hostiens. c. Rursùm.

Nota, aliquos Doctores putare maritum non posse communicare cum vxore nominatim excommunicata. Hostiensis de sent. excom. 8. §. *Et quæ sit pœna.* v. *Lex excusat.* Primò, quia cap. *Quoniam multos.* 11. q. 3. tantùm loquitur de vxore. Secundò, quia, cùm maritus sit caput vxoris, tenetur eam corripere, & consequenter abstinere ab eius communicatione; vt ita corrigatur. Sed hæc nihil probant.

Ad Primum Respondeo, ibi per vxorem intelligi etiam eius correlatiuum scilicet maritum; quia est eadem vtriusque ratio. conceditur enim hæc communicatio ad euitanda pericula animarum, aliáque incommoda, vt ibidem dicitur, quæ similiter sequerentur, si vir non posset communicare vxori excommunicatæ. Primò, quia, cùm ob legem matrimonij non possit eam domo expellere aut negare ei debitum coniugale; vt etiam ipsi fatentur, esset ei difficillimum ab eius communicatione in aliis rebus abstinere. Secundò, quia aliàs vir excommunicatus, tùm possit frui obsequio vxoris, esset melioris conditionis quàm non excommunicatus habens vxorem excommunicatam, qui huius obsequio frui non posset.

Ad Secundum Resp. virum quidem teneri quantum commodè potest, vxorem corrigere, non tamen ea ratione & cum tanto suo incommodo, cùm alia media non desint. quare meritò alij contrarium tenent. Couar. in c. *Alma*, p. 1. §. 1. n. 8. Angel. v. *Excommunicatio.* 8. q. 8. Vasquez de excomm. dub. 9. n. 3. Couarr. c. Alma. Angelus. Vasquez.

Vbi Nota, eandem etiam esse rationem parentis

respectu liberorum excommunicatorũ, & domini respectu famulorum, quibuscum possunt liberè communicare, quamuis teneantur aliis modis prout possunt eorum conuersionem procurare.

Per *humile* intelliguntur subiecti, vt liberi, mancipia, famuli, villici, &c. qui cum dominis excommunicatis possunt communicare in rebus ad officium suum pertinentibus.

124 Subiecti cũ Superioribus excommunicatis cõmunicare possunt.

Per *res ignorata* intelligitur quæuis probabilis ignorantia aut inculpabilis inaduertentia iuris vel facti: quæ eodem modo excusat ab obseruatione huius prohibitionis, sicut excusat ab obseruatione cuiusuis alterius præcepti. Vbi hoc solùm notandum, sæpè contingere, ignorantiam, eo quòd aliquo modo culpabilis sit, non excusare omnino à peccato, excusare tamen ne incurratur pœna statuta iis qui cum excommunicatis communicant, iuxta dicta disp. 13. dub. 11.

Necessitas quos excusat.

Per *necesse* excusantur omnes illi qui ratione alicuius contractus obligantur communicare eum excommunicato, aut qui sine graui suo aut excommunicati incommodo non possunt eius communionem vitare. Vt colligitur ex c. *Inter alia.* 31. & c. *Si verò.* 34. de sent. excommun. nam in primo dicitur tios teneri eadem obligatione excommunicato quam ante eius excommunicationem contraxeramus. & in secundo dicitur quendam posse vehi cum excommunicatis in eorum naui ne naulum, quod ex parte soluerat, perdat.

c. Inter alia. c. Si verò.

125 Quæ requirantur, vt subditi possint cõmunicare Superiori excommunicato, c. Quoniam.

Quæritur autem Primò, vtrùm vt vxor aut famuli possint patrifamilias excommunicato communicare, necesse sit eos ante ipsius excommunicationem, eius vxorem aut famulos exstitisse? Prima sententia id absolutè negat, atque etsi fœmina peccet nubendo excommunicato, & famuli peccent elocando ei suam operam, posse tamen ei postea communicare. quia, cùm Pontifex cap. *Quoniam multos.* 11. q. 3. generatim vxori & famulis concedat hanc communicationem, nos non debemus eam concessionẽ restringere. Hanc sententiam tenent quidam apud Suarez disp. 15. sect. 5. n. 12. & videtur eam tenere Sanchez l. 9. de matrim. disp. 14. n. 3. nam etsi tantùm loquatur de vxore, ratio tamen eius generatim probat.

Suarez, Sanchez.

126 Angelus, c. Inter alia.

Secunda sententia planè contraria generatim dicit, necessarium esse tales iniisse contractum ante excommunicationem vt possint excommunicato licitè communicare. Ita Angelus v. *Excommunicatio.* 8. n. 11. quia c. *Inter alia.* 31. de sent. excommun. dicitur ideo tales personas teneri ad familiare obsequium excommunicati, quia ante excommunicationem ad id tenebantur; quod debitum post excommunicationem adhuc durat. quæ ratio cùm deficiat in iis, qui alteri non obligabantur ante excommunicationem, ipsi non videntur illi posse communicare.

Tertia sententia tenet primam quoad vxorem, quoad famulos verò & similes personas tenet secundam. quia Innocent. in d. c. *Inter alia.* tantùm videtur loqui de famulis. Ita Nauarr. c. 27. n. 27. & Siluester v. *Excommunicatio.* 5. §. *Tertiò*, cum aliqua tamen limitatione quam quarta sententia adhibet.

Innocent. c. Inter alia. Nauarr. Siluester.

127 Quarta sententia tenet secundam cum hac limitatione, quòd eæ personæ quæ post excommunicationem sine vllo peccato contractum ineunt cum excommunicato, possint eodem modo manere in eius obsequio, sicut ij, qui priùs cum eo contraxerunt. v. c. aliqua nupsit excommunicato, aut aliquis suum famulatum ei elocauit nesciens esse excommunicatum, aut necessitate coactus, quia alibi victum lucrari non poterat, aut quia talis multùm eius famulatu indigebat, quo casu ratione necessitatis poterat se ei elocare. aiunt itaque hos posse tali communicare eodem modo ac si excommunicatio supernenisset contractui.

Hinc filij nati post excommunicationem patris, & mancipia excommunicato vendita eodem modo poterunt tali communicare ac si hæc contigissent ante excommunicationem. quia vtrique sine peccato inceperunt esse ei subditi. Et eandem limitationem respectu famulorum admittit Siluester suprà. & sententia hæc probabilis ac rationabilis est. Siluester.

Addiderim tamen, idem dicendum de iis qui cum peccato quidem & violatione censuræ inceperunt subiici excommunicato: tamen postea sine graui suo aut ipsius excommunicati damno non possunt eius consortium deserere. nam sicut necessitas facit vt possimus licitè incipere cum tali communicare, ita etiam facit vt possimus licitè hoc continuare. & colligitur apertè ex c. *Si verò.* 34. de sent. excommun. vbi agitur de contractu inito inter duos excommunicatos, & dicitur eum qui iam erat reconciliatus Ecclesiæ, posse contractum cum alio initum perficere, eo quòd non posset sine suo damno resilire. c. Si verò.

Ex quo patet hanc sententiam sic explicatam quoad praxim parũ differre à prima. quia, cùm cõtractus initi cum excommunicato sint validi, vt ostendi n. 87. rarò contigit vt aut vxor aut vir aut famuli à domini excommunicati consortio sine graui suo incommodo possint recedere, cùm nec illa alteri nubere, nec hi aliis suam operam elocare toto illo tempore, quo eam excommunicatus conduxit, eo inuito possint. nam statim ac hic absoluetur, tenebuntur ad eius famulatum redire, atque ita nulli alteri diu poterunt se interea firmiter obligare. 128

His adde, Primam sententiam esse etiam per se valdè probabilem, & fortè veriorem: nam magnum habet fundamentum in Iure. 129

Primò, quia, cùm cap. *Quoniam multos.* generatim tales personas excipiat, & fautores non sint restringendi, sed ampliandi generatim intelligendum est de omnibus, qui tales propriè dicuntur. Præsertim cùm pro omnibus ratio illius textus militet, scilicet periculum animarum, quod sequeretur si talibus eiusmodi communicatio prohiberetur. c. Quoniam.

Secundò, quia Innocentius III. c. *Si verò.* citato, ait quendam post reconciliationem posse seruare contractum, quem excommunicatus cum excommunicato inierat, & quantum ad hoc necesse est cum excommunicato communicare: reddítque rationem. Primò, quia non poterat sine incommodo à contractu recedere. Secundò, quia illa communicatio erat futura similis ei, quam habet familia cum domino excommunicato, quæ secundùm Iura est licita. quæ ratio nihil in præsenti casu probaret, si illi qui post excommunicationem incepissent esse de familia excommunicati, non possent cum eo communicare. Innoc. III. c. Si verò.

Nec his obstat c. *Inter alia.* citatum. quia non dicitur ibi (vt aliqui putant) præcisam rationem, cur tales teneantur excommunicato communicare, esse, quòd contraxerint talem obligationem ante excommunicationem (nam aliàs qui sine vlla sua culpa fuissent facti de eius familia post excommunicationem contractam non possent cum eo communicare. quod tamen quarta sententia negat:) sed quòd simpliciter contraxerint talem obligationem, & quòd hæc per excommunicationem Iure id concedente non elidatur; quæ obligatio cùm immediatè sequatur conditionem vxoris, famuli, &c. nisi Ius eam elidat necessariò reperietur in omni vxore, famulo, & similibus. Cùm igitur etiam post excõmunicationem tales fiant verè famuli aut vxores; reperietur in illis talis obligatio, & consequenter tenebuntur ad familiare obsequiũ, cùm nullum Ius illã elidat. nullũ enim tale adferri potest, & si vellet eam elidere, omnino credibile est quòd irritaret tales contractus, præsertim famulorũ. quia hoc promptissimum & commodissimũ esset. communiter autem DD. fatẽtur eiusmodi contractus esse validos. 130 c. Inter alia.

Facit

Facit autem Pontifex ibi mentionem eorum qui ante excommunicationem talem obligationem contraxerunt, non vt ad hos suam rationem aut decisionem restringat, sed vt proferat exemplum in re magis clara, & quæ communiùs solet accidere: sicut Gregorius in cap. *Quoniam multos.* facit mentionem solius vxoris, non autem viri.

c. Quoniam.

Et confirmatur. nam aliàs idem Innocentius ibid. paulò post in cap. *Si verò.* citato, videretur sibi apertè contradicere, vt patet ex dictis.

c. Si verò.

131 Dices, Nemo potest obligari ad peccandum: atqui cõmunicare cum excommunicato est peccatum: ergo famulus non potest ita suam operam ei locare, vt ad hoc obligetur.

Confirmatur, quia, si quis vellet se excommunicato obligare directè & præcisè ad communicandum cum illo, inualidè hoc faceret: ergo etiam inualidè id faciet, indirectè elocando se ei in famulum. Sed si hæc aliquid probarent, etiam probarent famulum non teneri communicare domino suo qui post contractum initum excommunicatur, quia inualidè obligarem me alicui præcisè & directè vt ei communicarem postquam fieret excommunicatus.

Respondeo igitur, minorem esse falsam in personis dicto versiculo contentis. Ad confirmationem nego consequentiam. quia per contractum positum in casu antecedentis talis non subiret conditionem quæ redderet ei communicationem licitam, secùs est de casu consequentis.

132 Secundò quæritur, Vtrùm dictæ personæ possint generatim in omnibus communicare cum dictis excommunicatis?

In quibus possint subiecti communicare cum excõmunicatis.

Sanchez. Henriquez.

Quidam putant eos non posse communicare in omnibus rebus aliàs licitis, præsertim in sacris. Sed alij verius aiunt eos posse. quia, cùm Ius generatim ijs communicationem concedat, non debemus hanc restringere. Ita Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 14. n. 4. & 45. Emmanuel Sà v. *Excommunicatio.* nu. 45. Henriquez lib. 13. cap. 22. n. 2. in comment. lit. L. & alij, quos citant.

Hinc famulus potest dominum excommunicatum, euntem ad Sacrum comitari; sicut etiam eius vxor, aut liberi. item sacellanus poterit cum suo Episcopo legere Horas, aut famulus domino celebranti inseruire. quia eiusmodi obsequia & communicatio à talibus ex officio ijs debita sunt ante excommunicationem, nec per hanc ea obligatio eliditur, vt patet ex c. *Inter alia.* 31. de sent. excommunic.

c. Inter alia.

Hæc tamen minimè sunt intelligenda de villicis aut similibus personis, ad quorum officium nulla ratione spectat vt dominum comitentur ad Sacrum, neque hoc vllam cum eorum officio habet connexionem. Idémque crederem dicendum de filijs emancipatis.

133 Ex dictis sequitur, si feratur excommunicatio in eos qui participant cum excommunicato, hac non ligari dictas personas communicantes cum patrefamilias excommunicato. quia illa pœna tantùm incurritur ab illis, qui illicitè cum excommunicatis communicant: dictæ autem personæ id licitè faciunt, nec iudex particularis potest hoc ijs contra generalem Iuris concessionem prohibere.

Incurrerent tamen excommunicationem, si participarent cum eo in scelere ob quod est excommunicatus. quia in hoc nullum ijs priuilegium concedi-

c. Inter alia.

tur, vt patet ex cap. *Inter alia,* citato, in fine.

Vnde vlteriùs sequitur si aliquis sit excommunicatus, eo quòd contraxerit matrimonium cum probabili impedimento irritante, vxorem incurrere excommunicationem si ei debitum reddat: quia participat ei in scelere, ob quod ille est excommunicatus. Imò talis nullo modo potest cum illo communicare, quia est dubium vtrùm sit eius vxor. Iurà autem concedunt illud priuilegium solùm illi quam constat esse vxorem, & quæ aliàs licitè viro cohabitaret. hæc autem etiam secluſa excommunicatione omnino illicitè tali cohabitabit.

Nota tamen, quòd, etsi paterfamilias possit cum vxore, filio, aut seruo excommunicato etiam in sacris communicare, ita vt non teneatur egredi è templo, ne vnà cum iis Sacrum cui illi intersunt audiat, non potest tamen eos secum ad templum ducere, aut quacumque ratione inducere vt vllis diuinis officiis intersint. quia hoc nullo modo licet, præsertim quando non sunt tolerati: quia tunc deberent omnia diuina officia cessare, vt dictum est suprà n. 51.

134 Qua ratione possit quis cum subiectis excommunicatis in sacris communicare.

Vnde vlteriùs sequitur, cùm ipsius sit suos domesticos corrigere, ipsum quantum commodè potest teneri impedire ne diuinis officiis intersint. Quando tamen tales sunt tolerati, dominus potest habere rationabilem causam ducendi eos secum ad officia diuina, vt quando aliàs contra consuetudinem teneretur incomitatus in publicum prodire; quia minus est incommodum, si tales diuinis officiis intersint. Quæ intelligenda sunt de officiis publicis. nam si loquamur de priuato, sicut famulus excommunicati Ecclesiastici potest cum domino Horas priuatim legere: ita etiam dominus potest idem facere cum famulo excommunicato, quando priùs solebat ita legere. quia hæc lectio non est aliter inter priuatos prohibita, quàm quatenus est quædam mutua communicatio: hæc autem inter dominum & famulum absolutè concessa est.

Quæritur Tertiò, Vtrùm excommunicatus possit condere testamentum, aut hæres institui? 135

Excommunicatus validè hæres instituitur, aliùmve instituit.

c. vlt. de pœnis.

c. Excommunicamus.

Respondeo Primò, vtrumque validè fieri, quia nullo iure talia facta irritantur. Et confirmatur. quia quidam excommunicati ob grauissima crimina particulatim hac pœna puniuntur, quòd sint intestabiles; vt patet de percussoribus Cardinalium; cap. vltimo; de pœnis, in 6. & de hæreticis, eorúmque fautoribus; cap. *Excommunicamus.* 13. §. *Credentes.* de hæreticis; vbi tales etiam prohibentur hæreditatem capessere.

Excipe percussores Cardinalium ac hæreticos. An licitè testentur? Auila.

Dico Secundò, excommunicati illicitè testamentum condunt, quia prohibita est iis communicatio cum aliis. Excipe casum quo talis cuperet absolui, & non posset ob defectum sacerdotis, nec posset vlteriùs differre conditionem testamenti; tunc enim si haberet rationabilem causam testandi, licitè id faceret: quia necessitas eum excusaret. Ita Auila 2. part. cap. 6. dispur. 6. dub. 9.

DVBIVM XIII.

De decimo & vndecimo effectu.

DEcimus effectus excommunicationis est, quòd contra eum qui per annum in ea obduratus permanserit, nec monitus voluerit resipiscere, tanquam contra suspectum de hæresi procedi possit. patet ex Trident. sess. 25. c. 3. de reformat. 136

Trident.

Vndecimus effectus est, quòd is, qui cum excõmunicato non tolerato extra casus permissos dubio præcedente explicatos communicat, incurrat excommunicationem minorem, imò in tribus casibus etiam maiorem. Primò, quando communicat excommunicato in crimine propter quod ipse iam antè excõmunicatus est, illud ipsum cum eo perpetrando, aut in eo perpetrando ipsi consilium; auxilium aut fauorem impendendo. v. c. sit aliqua nominatim excommunicata propter adulterium; quicunq; postea cum ea adulteratur, aut eam iuuat consilio aut fauore, vt cum aliis possit mœchari, eandem cum ipsa excommunicationem incurrit; vt habetur c. *Nuper.* 29. & c. *Si concubinæ.* 55. de sent. excommunic. 137

Communicans cum non tolerato incurrit excommunicationẽ minore, & quandoque maiorem.

c. Nuper. c. Si concubinæ.

Secundò, clericus qui scienter & sponte admittit ad divina excommunicatum à Papa, ac denunciatum, incurrit similem excommunicationem Papæ reservatam, vt patet cap. *Significasti.* 18. de sent. excommunic. vide dicta dub. 5. n. 33.

c. *Significasti.*

Tertiò, incurrit excommunicationem maiorem qui communicat cum nominatim excommunicato post particularem prohibitionem sub pœna excommunicationis legitimè factam. iuxta c. *Constitutionem.* 9. de sent. excommun. in 6.

c. *Constitutionem.*

DVBIVM XIV.

Quale peccatum sit communicare cum excommunicatis in casibus prohibitis.

EXplicatis effectibus excommunicationis, in quibus ostendi diversos esse casus, in quibus illicitè communicamus cum excommunicatis, & illi nobiscum; iam videndum est quale peccatum talis communicatio contineat.

138 Communicatio cū excommunicato potest tripliciter esse peccaminosa.

Nota, excommunicatum tripliciter posse peccare communicando cum alio, & similiter alium communicando cum eo. Primò, præcisè in ratione communicationis prohibitæ, abstrahendo ab eo, quòd aliud peccatum ei communicationi sit coniunctum, nec ne. Secundò, peccato aliquo, quod illi communicationi per se coniunctum est, vt quando hoc peccatum oritur in tali genere actionis ratione excommunicationis, ita vt hæc actio secluſa excommunicatione esset licita. Tertiò, peccato per accidens illi communicationi coniuncto: vt quando quis cum excommunicato furatur aut se inebriat, &c. quæ actiones essent peccata etsi abesset excommunicatio, ideóque ad hanc quæstionem sunt omnino impertinentes: agimus autem hîc præcipuè de primo genere peccandi, mox acturi de secundo.

139 Caiet.

Caiet. verbo *Excommunicatio.* sub finem, §. *Vbi scito.* v. *Discerni autem.* distinguit triplicem communicationem. Prima est communicatio in sacris, quæ est propria Christianis vt Christiani sunt. Secunda in actibus Ecclesiasticis, qualis est collatio aut acceptatio Beneficij, electio, præsentatio, &c. Tertia est merè humana quæ Christiano cum Ethnicis potest esse communis. Et primam ait esse peccatum mortale ex genere suo; tertiam ait apertè esse solùm peccatum veniale ratione communicationis prohibitæ, nisi ratione circumstantiarum fiat mortalis, vt si in ea peccetur contra iustitiam, aut fiat ex contemptu clauium Ecclesiæ. Idémque ait probabiliter dici de secunda.

Ratio eius est, quia prima prohibita est directè & primariò, aliæ verò duæ tantùm secundariò. Idem sentiunt Sotus in 4. d. 2. quæst. 1. art. 4. col. 10. §. *Quomodo ergo.* Nauarr. cap. 24. n. 28. & 29. Silvester verb. *Excommunicatio.* 5. n. 6. §. *Quartò,* & multi alij. Concedunt autem dicti auctores, in communicatione secundi generis, sicut etiam in iudiciis ciuilibus, sæpe per accidens committi peccatum mortale præsertim quādo iudex est excommunicatus non toleratus, ratione iniustitiæ quæ committitur: cùm enim hic carent actuali iurisdictione, acta ipsius communiter sunt inualida.

Sotus. Nauarr. Silvester.

140 Secundariò præcepta etiam grauiter obligant.

Sed quidquid sit de hac sententia, certè ratio ipsius infirma est. nam ex ea sequeretur laborare die festo tantùm esse peccatum veniale. quia huius prohibitio tantùm pertinet secundariò ad præceptum colendi festa, quo per se & directè præcipitur vt vacemus rebus sacris, & ex consequenti vt cessemus à laboribus; quia nimirum hoc ad illud aliquo modo iudicatur necessarium.

Adde, etsi prima communicatio magis per se prohibeatur quàm aliæ; tamen hæ etiam verè secundùm se & directè prohibentur. quia talis prohibitio etiam per se & directè iuuat ad finem excommunicationis obtinendum, quatenus per priuationem talis communicationis directè & punitur peccatum excommunicati, & ipse stimulatur ad procurandam reconciliationem, & sæpe magis priuatione huius communicationis, quàm primæ, quam aliqui parum curant. Cùm igitur secunda & tertia communicatio verè etiam prohibeantur, si in iis sit materia grauis, possunt etiam esse peccatum mortale.

Omnis cōmunicatio cum excōmunicato directè prohibetur.

141 Raimund. Silvester. Aribidiac.

Alij igitur ih omnibus his communicationibus ponunt semper peccatum mortale. Ita Raimundus apud Siluestrum suprà. Quod Archidiaconus ibidem ait esse verum, quando communicatio fit contra prohibitionem hominis, vt fit quando quis ab homine est excommunicatus: quia cap. *Sacris.* 5. de his quæ vi, &c. videtur generatim dici talem communicationem esse peccatum mortale. Item cap. *Exceptionem.* de exceptionibus, dicitur nos posse in quauis parte iudicij excipere contra excommunicatos ne iis cogamur communicare in periculum animæ nostræ: ergo supponitur hanc communicationem, etiam in rebus sæcularibus esse peccatum mortale. Tertiò, quia ob quamuis talem communicationem illicitam incurritur excommunicatio minor: quæ est grauis pœna, & consequenter non videtur posse imponi ob peccatum veniale. Quartò, quia potest Episcopus aliquibus omnem eiusmodi communicationem prohibere sub pœna excommunicationis maioris, quæ non incurritur nisi per peccatum mortale.

c. *Sacris.*

c. *Exceptionē.*

142 Non omnis cōmunicatio cū excommunicato est mortalis.

Sed hæc sententia est nimis tigotosa, ideóque communiter ab aliis reiicitur. nimis enim durum est dicere, aliquem peccasse mortaliter, quia aliquamdiu loquitur cum excommunicato.

Ad c. *Sacris.* Respondeo, hoc ibi non dici, sed tantùm neminem propter vllum metum debere peccare mortaliter. quis autem sit illius capitis sensus, satis dixi disp. 13. n. 97. & 102.

Ad Secundum, nego conseq. quia peccatum veniale est etiam periculosum animæ. Ad Tertium Respondeo, excommunicationem minorem, quia facilè possumus ab ea liberari, non existimari pœnam grauem. Ad Quartum Respondeo, iudicem non posse pro libitu prohibere sub pœna excommunicationis maioris, ne quis cum excommunicato communicet; sed tunc tantùm quando hîc & nunc talis communicatio cedit in grauem iniuriam Ecclesiasticæ disciplinæ. quia scilicet per eam fouetur excommunicatus in pertinacia, aut ob similes causas.

143

Alij igitur aiunt, hanc communicationem tunc semper esse peccatum mortale, quando materia est grauis in ratione communicationis: secùs autem esse quando est leuis in eo genere. Vbi etiam benè aduertunt, fieri posse vt actio aliqua sit materia grauis in alio genere; leuis tamen in ratione communicationis, v. c. legere priuatim Vesperas aut Maturinum, in ordine ad præceptum legendi Horas est materia grauis, peccarétque mortaliter sacerdos illa omittens: *in ratione* tamen communicationis est materia leuis, vt docet Auila p. 2. cap. 6. disp. 8. dub. 3. & plurimi alij.

Eadē actio potest esse materia grauis in vno genere, & in alio leuis.

Auila.

Et hanc sententiam puto esse verissimam. quia omne strictum præceptum obligat sub peccato mortali in materia graui, & sub veniali in materia leui, vt cōmuniter docetur in materia de legibus: est autem strictum præceptum prohibens communicationem cum excommunicatis, vt patet ex dictis nu. 141. & multis iuribus: ergo vbi est materia grauis, obligat sub peccato mortali. Tota autem difficultas est, quando sit materia grauis, quando non: qua in re varij varia dicunt.

Præceptum non communicandi cum excōmunicatis pro materiæ grauitate magis minúsve obligat.

Vt

144 Vnde spectanda sit materiæ gravitas in aliquo præcepto.

Vt autem rem faciliùs discernamus, Nota Primò, vtrùm res aliqua sit materia gravis alicuius præcepti; præcipuè spectandum esse ex convenientia aut repugnantia, quam habet cum fine talis præcepti, idque ex se & natura rei, spectata solùm communi hominum conditione, & abstrahendo à particulari conditione huius vel illius personæ quæ circa talem materiam hîc & nunc operatur. v.c. prohibet Ecclesia ne quis legat libros hæreticos; finis est vt vitetur periculum perversionis. duo itaque eundem librum hæreticum æquali tempore legunt, vnus sine periculo perversionis, alter cum notabili periculo. dico vtrumque æqualiter peccare præcisè contra præceptum Ecclesiæ: quia vtriusque actio ex se est æquè periculosa in ordine ad perversionem; etsi per accidens secundi actio sit hîc & nunc ipsi in particulari periculosior. imò prioris actio propriè hîc & nunc non est periculosa, ideóque secundus gravius peccat contra charitatem sui & virtutem fidei, ratione circumstantiæ sibi particularis & propriæ; non tamen gravius peccat; vt dixi, contra præceptum Ecclesiæ, quæ in ferendis suis legibus non respicit conditiones particulares vniuscuiusque personæ (alioqui deberet ferre particulares leges pro singulis personis, & vbi cessaret omnino legis ratio in particulari, cessaret etiam obligatio legis: quæ absurda sunt) sed solùm respicit conditionem communem hominum, & quid communiter ex tali actione natum sit sequi.

Legislator non respicit conditiones particulares sed generales.

145 Triplici ex causa prohibetur dicta communicatio.

Nota Secundò, triplicem esse rationem cur dicta communicatio prohibeatur. Prima est, vt hac ratione frangatur contumacia excommunicati, & eius conversio procuretur, quam latores censurarum præcipuè intendunt, vt patet ex dictis disp. 13. n. 7. Secunda, vt tali magni faciant potestatem & auctoritatem Ecclesiæ, ob cuius contemptum vident excommunicatum ita abijci, & tanquam indignum à filiorum Dei consortio arceri. quare his duabus rationibus maximè repugnat illa communicatio, qua excommunicati potentia & dignitas augentur, & maximè qua ipse supra ceteros attollitur. quia hac ratione fit vt nec ipse suam, nec alij ipsius abiectionem & miseriam apprehendát, & minoris excommunicationem faciant, cùm videant excommunicatum honorari. Tertia, quia indecens est eum, qui tanquam membrum putridum ab Ecclesia præcisus est, inter membra sana conversari. Quibus addi potest Quarta, quia sæpe est periculum ne ouis morbida cæteras inficiat: sed hæc non ita habet locum nisi in quibusdam criminibus, v.c. in hæresi: aut in iis actionibus quæ habent aliquam connexionem cum crimine ob quod alter est excommunicatus. Ideóque participatio in his etiam singulariter prohibetur. Adde, hanc aliquo modo contineri sub secunda ratione.

146 Communicatio in sacris maximè repugnat præcepto.

Hinc sequitur Primò, dictæ Ecclesiæ prohibitioni maximè repugnare communicationem in sacris, quándo excommunicatus Sacramenta aut suscipit aut confert, aut quando diuina officia celebrat, aut Sacro aliisque publicis officiis interest. quia hæc communicatio continet magnã indecentiam contra dignitatem rerũ sacrarum, & minuit apprehensionem censuræ, cùm talis tanquam filius Ecclesiæ ad ea quæ filiorum propria sunt admittatur. Hinc omnes concedunt, hanc participationẽ cum excommunicato ex vtraque parte esse mortalem: nisi excuserur ex aliquibus causis allatis dub. 2. 3. & 13.

Excipe casum, quo hæc communicatio esset valdè exigua, vt quando excommunicatus transeundo per templum ibi attentus hęreret, donec vnus brevis psalmus caneretur, vt notat Auila p. 2. c. 6. disp. 8. dub. 3. concl. 1. idémq; addit dicendum de communicatione qua aliqui simul legunt aliquoties officium diuinum priuatim: quia hæc non continet illam repugnantiam cũ fine legis, quã continet ea quę fit in officiis publicis.

Auila.

Sequitur Secundò, peccare mortaliter contra hanc prohibitionem, qui non tolerato Beneficium Ecclesiasticum confert, aut eum ad illud eligit, aut præsentat, quia hæc communicatio est honorifica excommunicato, augétque ipsius potẽtiam supra cæteros, ideóque repugnat tribus primis rationibus huius prohibitionis. Vnde valdè probabiliter sequitur; eum qui supradicta facit, peccare duplici peccato mortali. Primò, ratione communicationis prohibitæ. Secundò, quia indignum & incapacem ad Beneficia promouet quod peccatum committeret etsi primum abesset, vt quando confertur Beneficium tolerato: idémque dicendum est de excommunicato, qui talem collationem, electionem, aut præsentationem acceptat. Primò quia non minùs est huic prohibitum communicare aliis, quàm aliis sit prohibitum communicare ipsi. Secundò, quia per eam acceptationem conatur sibi appropriare ius ad Beneficium, ipsúmque Beneficium cuius est omnino incapax; atque ita conatur contra iustitiam rem non suam accipere.

147 Conferens Beneficium non tolerato eúmve præsentans peccat mortaliter. Idque duplicitèr. Peccat mortaliter etiã tolerato Beneficium procurans sicut & hic illud accepiendo.

Sequitur Tertiò, excommunicatum etiam tolerátum peccare mortaliter contra hanc prohibitionem, si extra casus quibus ob aliorum commodum ac instãtiam, aliásque rationes ad hoc necessitatur, Beneficia Ecclesiastica conferat, aut eligat ad ea, aut iudicium Ecclesiasticum, aut etiam sæculare vt iudex exerceat. quia hi actus sunt valdè honorifici excommunicato; eúmque supra cæteros fideles, à quibus vt putridum membrum præcisus est, extollunt; ideóque magnam indecentiam continent, & rationibus huius prohibitionis multùm repugnant. Quare in his actionibus non videtur facilè posse dari materia patua: quia eorum repugnantia non tam cõsistit in duratione actionis quàm in dignitate, quæ statui excommunicati repugnat, quæ necessariò inest omnibus istis actibus. Secùs est de actibus aliis iudicialibus, v. c. aduocati, procuratoris, actoris, testis, & similibus. quia hi non continent illam dignitatem, nec repugnantiam ita grauem cum fine illius prohibitionis: quare de iis ferè iudicandum est, sicut de humana conuersatione.

148 Peccat mortaliter etiã tolerátus conferens Beneficia, aut ad ea eligens, aut iudicium exercens.

Actio aduocati, testis, &c. minùs graviter prohibita.

Sequitur Quartò, communicationem cum excommunicato in humana & ciuili conuersatione communiter tantùm esse peccatum veniale, quia communiter parum repugnat dictis rationibus. quòd si tamen esset valdè diuturna & familiaris, maximè quando viri graues cum excommunicato communicarent, posset esse peccatum mortale. quia talis conuersatio est nata addere animos excommunicato in sua pertinacia, cùm videat viros graues ita familiariter secum agere: ex quo colligit se magni ab iis fieri; & consequenter illa etiam nata est minuere apprehensionem excommunicationis in ipsius ac aliorum animo; atque ita graviter repugnat fini excommunicationis. quæ rationes fortiùs militant, quando excommunicatus vt actor, aduocatus, aut procurator admittitur ad multas actiones iudiciales: quia hæc admissio conciliat illi aliquam auctoritatem. Qua in re Suarez disputat. 15. sect. 2. num. 11. notat, vt hæc communicatio sit peccatum mortale, non sufficere quòd aliquis intra longum tempus sæpiùs, verbi causa, per aliquot etiam menses penè quotidie cum excommunicato communicet, quando illæ communicationes sunt omnino inter se distinctæ & independentes: nã sic constituunt solùm multa peccata venialia, non autem materiam grauem vnius peccati. ad hoc enim necessarium est vt inter se sint connexæ saltem per modum vnius obiecti voliti, vt fit quando quis expresè statuit longo tempore sæpiùs cum tali communicare, aut iniit cum eo aliquod pactum quod necessariò trahit secum frequentem ac diuturnam communicationem, vt si suscipiat eum in suam familiam, aut de ipsius familia fiat.

149 Humana & ciuilis communicatio cum non tolerato communiter est peccatum veniale, est tamen aliquando mortale.

Suarez.

Ab hac vltima regula plurimi Doctores excipiunt 150

varios casus. Primò, quandò quis excommunicato communicat in aliquo scelere, verbi causa, furando cum eo. Secundò, quando communicat cum expresso contemptu clauium Ecclesiæ. Tertiò, quando videt suam communicationem quantumcumque breuem, fore alteri causam perseuerandi in contumacia, aut aliis occasionem scandali. Quartò, quando talis communicatio alicui particulatim prohibita est sub pœna excommunicationis maioris. Quæ vera quidem sunt, sed nihil faciunt ad rem præsentem, quia, vt ostendi n. 144. tales propriè non peccant mortaliter, contra generalem prohibitionē Ecclesiæ, qua prohibet communicationem cum excommunicatis, de quo peccato hîc solùm agimus; sed solùm aut contra alia præcepta, aut contra particularem Ecclesiæ prohibitionem.

151 Excommunicatus licitè exercens iudicium non vsurpat alienam iurisdictionem.

Alia hîc difficultas est, Vtrùm excommunicatus exercens actus iurisdictionis semper peccet vsurpatione iurisdictionis alienæ. Qua in re certum est eum hoc modo non peccare, quoties ratione occurrentis necessitatis licitè eiusmodi actus exercet, saltem ita vt non peccet contra prohibitionem Ecclesiæ, etiamsi fortè contra aliam virtutem peccet, iuxta dicta suprà n. 14. 15. & 28. Sed tota difficultas est, quando vsurpat hos actus contra Ecclesiæ prohibitionem, vt quando hoc facit sponte sua sine necessitate.

Quidam videntur asserere, eum tunc tantùm peccare vsurpatione alienæ iurisdictionis, quando tales actus inualidè facit ob defectum iurisdictionis: vnde inferunt toleratos tales actus exercendo non vsurpare alienam iurisdictionem, quia validè eos faciunt.

Sed hoc dici nequit, quia inde sequeretur, eum qui occultè scit se tantùm habere titulum coloratum, conferendo Beneficia, aut exercendo actus iudicis in foro externo, non peccare, quantumcumq; hoc sine vlla necessitate faciat. quia secundùm illam sententiam non peccabit vsurpatione alienæ iurisdictionis, quia validè tales actus faciet; nec est aliud præceptum contra quod necessariò peccet.

152 Dupliciter potest quis aliquid validè facere.

Pro resolutione Nota, dupliciter posse contingere, vt quis actum aliquem validè exerceat. Primò per se, vt quando ex se habet hîc & nunc expeditam vim agendi, vt habet omnis legitimus iudex non habens impeditam iurisdictionem. Secundò per accidens, vt quando quis ex se non habet hîc & nunc sufficientem vim agendi; actus tamen ipsius fit validè propter concursum alterius causæ defectum ipsius supplentis: sicut si aliquis simularet se esse Petri œconomum, & ita aliqua ipsius bona distribueret, & Petrus hoc sciens ne accipientes contristaret, ostenderet se consentire; donatio alterius per se siue quantum est ex parte sua, esset inualida, & dans vsurparet alienam potestatem, per accidens tamen esset valida ratione consensus Petri.

153 Excommunicatus illicitè iudicans vsurpat alienam iurisdictionem.

Respondeo itaque, omnem excommunicatū etiam toleratum, quoties contra prohibitionem Ecclesiæ exercet actus iurisdictionis (vt fit quando eos exercet ex proprio motu, siue non coactus ad hoc aliorum instantia) peccare vsurpatione alienæ iurisdictionis.

Probatur, quia talis, etsi habeat iurisdictionem habitualem, habet tamen eam impeditam, & quantum est ex parte sua impotentē exire in actum, ita vt actus eius esset inualidus, nisi Ecclesia ob aliorum bonum suppleret eius defectum, atque ita caret actuali iurisdictione; & consequenter dum tales actus facit, eam necessariò vsurpat contra prohibitionem actus Ecclesiæ aut superioris iudicis: quos inuitos cogit, vt defectum ipsius suppleant ne communitas patiatur, simili modo ac suprà dictus fictus œconomus vsurpat alienam potestatem, & Petrum cogit vt ratam habeat suam donationem.

154 Ex quibus sequitur, excommunicatum quoties illicitè contra Ecclesiæ prohibitionem eiusmodi actus exercet, peccare duplici peccato. Primò, illicita communicatione; Secundò, vsurpatione alienæ iurisdictionis; & Tertiò, si cōferat Sacramenta, etiam peccat contra reuerentiam Sacramenti; & Quartò, si actus eius sint inualidi, grauem facit iniuriam iis quibus Sacramenta ita confert aut ius dicit, si hi eius defectum ignorent: & tenetur ad refusionem sumptuum, si quos hac ratione inutiles fecerint. Excommunicatus illicitè exercens iurisdictionem dupliciter peccat.

DVBIVM XV.

Qua ratione excommunicationem incurrat, qui clericum aut monachum percutit?

155 POst explicatam naturam effectúsque excommunicationis, locus requirebat vt explicarem omnes excommunicationes in particulari quas Iura ob diuersa crimina statuunt: sed, quoniam hoc plurimi sufficienter fecerunt, vt Suarez disp. 21. & seqq. Nauarr. cap. 27. & communiter Summistæ verbo *Excommunicatio*. ex quibus hæc facilè possunt peti, breuitatis causa duxi hoc omittendum. Quare vnicam solùm explicabo, quæ & frequentiùs solet accidere, & plures habet difficultates: quæ statuitur cap. *Si quis suadente*. 17. quæst. 4. vbi Innocentius secundus excommunicat omnes qui violentas manus in clericum vel monachum iniiciunt, qui à solo Papa sine singulari priuilegio extra articulum mortis possunt absolui. Circa quam legem. Suarez. Nauarr. c. *Si quis*. Iuuen. 11.

156 Quæritur Primò, quis intelligatur nomine percutientis, siue quænam personæ possint hanc censuram incurrere?

Quisquis excommunicari potest hanc excommunicationē potest incurrere.

Respondeo breuiter, per verba *si quis*, cùm generalia sint intelligi illos omnes qui excommunicari possunt, de quibus egi disp. 13. dub. 6. qui hanc excommunicationem incurrunt, si contra dicta legem sufficienter peccauerint. & in hanc conclusionem omnes consentiunt.

157 Quæritur Secundò, qui hîc intelligantur nomine *clerici*?

Quinam gaudeant priuilegio canonis. c. 1. de cler. coniug.

Respondeo omnes eos intelligi qui saltem prima tonsura initiati sunt, etiamsi coniugati sint, vt habetur cap. vnico, de clericis coniugatis, in 6. modò canonis priuilegio non sint priuati.

Quinam eo priuentur. c. 1. de bigamis.

Priuantur autem Primò bigami, vt c. vnico, de bigamis, in 6. vbi tales omni priuilegio clericali priuantur: malè tamen hinc inferas, omnes irregulares hoc priuilegio priuari. quia hoc nullibi expressum est: primò ille textus videtur intelligendus de clericis in minoribus constitutis, qui veram bigamiam possunt contrahere. nam videtur parum credibile, sacerdotem, qui similitudinariam bigamiam contraxit, hoc priuilegio omnino priuari. Et confirmatur. quia talibus bigamis in illo capite prohibetur sub pœna excommunicationis ne habitum clericalem deferant: nullo autem modo videtur prohiberi talis sacerdos, præsertim post actam pœnitentiam, habitum clericalem ferre.

Sacerdos ob bigamiā eo non priuatur.

158 c. vnic. de cleric. coniug. Tolet.

Secundò, eodem priuantur clerici coniugati quamdiu non gerunt tonsuram ac habitum clericalem; vt habetur cap. vn. de clericis coniugatis, in 6. initio, & in fine. Imò post Trident. sess. 22. c. 6. omnes coniugati, nisi alicuius Ecclesiæ seruitio ab Episcopo deputati eidem deseruiant.

Tertiò, idem dicendum de clericis qui abiecto habitu clericali negotiis sæcularibus se immiscent, & ter à suo Prælato moniti nolunt se emendare. quia c. *Contingit*. 45. de sent. excommunic. dicuntur illius immunitatis effici exsortes, quæ pro clericorum tutela contra violentiam laicorum noscitur instituta. Imò, si clerici abiecto habitu tyrannidi ac enormitatibus se immiscean[t],

c. *Contingit*.

misceant; etiam ante omnem monitionem hoc priuilegio priuantur, vt habetur c. *Perpendimus.* 23. & clariùs c. *Cùm non ab homine.* 14. de sent. excommunicat.

c. Perpendimus. c. Cùm non.

159 Addit Nauar. c. 27. n. 79. idem dicendum esse de quouis clerico incorrigibili, probátque ex c. *Cùm non ab homine.* 10. de iudiciis: sed ibi tantùm dicitur clericum deprehensum in furto, homicidio, periurio, aut simili crimine, deponéndum esse, & si incorrigibilis sit excommunicandum, & crescente contumacia anathematizandum, & si hæc contempserit, per sæcularem potestatem corrigendum. Ex quo non sequitur, quemuis incorrigibilem, sed eos solos qui post illos omnes actus incorrigibiles persistunt, per sæcularem potestatem comprimendos esse. Imò etiam tunc videtur requiri sententia iudicis Ecclesiastici, qui tales brachio sæculari tradat, vt colligitur ex c. *Vt famæ.* 35. de sent. excomm.

Nauarr. c. Cùm non. b. Vt famæ.

160 Vt horum capitulorum sensum clariùs intelligamus, quæ videntur inter se pugnare.

Nota cum Suarez disp. 22. sect. 1. n. 8. & seq. c. *Cùm non ab homine.* de iudiciis, non decerni quæ requirantur, vt clericus amittat præcisè priuilegium canonis, ita vt violentas manus ei iniiciens non incurrat excommunicationem; sed quæ requirantur vt amittat priuilegium fori, siue vt iudex sæcularis possit eum licitè punire, vt patet ex contextu; contrà in Iuribus citatis n. 158. agitur præcisè de amissione priuilegij canonis; ad quod duo requirunt, scilicet vt clericus abiiciat habitum clericalem, & tyrannidi, siue seditioni & enormitatibus inuerecundè se immisceat. quo casu etsi eum ob talia facta occidentes non excommunicentur, peccant tamen contra immunitatem clericalem, vt apertè in iisdem Iuribus insinuatur. Nã c. *Cùm non ab homine.* de sent. excommunic. dicitur talibus maior iniungenda pœnitentia quàm si laïcum occidissent & c. *Perpendimus.* narratur quendam Comitem curasse suspendi presbyterum, qui abiecto habitu seditionem fecerat, dicitúrque illius interfectores non mittẽdos quidem pro absolutione ad Pontificem (quia scilicet non erant excommunicati;) iniungẽdam tamen iis esse pœnitentiam, quia scilicet peccauerant vsurpando iurisdictionem in non subiectum: si autem talis sacerdos amississet priuilegium fori, fuisset subiectus illi Comiti, & meritò suspensus, atque ita eius interfectores non peccassent.

Suarez. c. Cùm non. Non omnis qui perdit priuilegium canonis, perdit priuilegium fori. g. Cùm non. i. Perpendimus.

161 Quartò, Clement. 1. de vita & honest. cleticorum, clerici agentes publicè lanionem aut cauponem, si ter moniti non desistant, aut si postquam moniti desiterunt, idem officium resumant; si sint coniugati, aut non deferant habitum clericalem, priuantur omni priuilegio clericali, & consequenter etiam canonis: quòd si non sint coniugati, & habitum clericalem ferant; tantùm immittunt priuilegium clericale quoad res suas, non autem quoad personas; atque ita retinent priuilegium canonis.

Clement. 1. de vita. Clerici lanionem aut cauponem agentes quando perdant hoc priuilegium.

Quidam putant cap. vlt. de vita & honestate cleric. idem statui de clericis immiscentibus se negotiis sæcularibus: sed falluntur. nam hic tantùm agitur de amissione priuilegij quoad res clericorum, non autem quoad personas.

i. vlt. de vita.

162 Quintò, cap. vnico, de vita & honest. cleric. in 6. dicitur, *Clerici qui se ioculatores seu goliardos faciunt, aut bufones* (id est, qui ludionem, seu mimum, ac parasitum agunt) *si per annum artem illam ignominiosam exercuerint, ipso iure; si autem tempore breuiori, & tertio moniti non resipiscant, careant omni priuilegio clericali,* & consequenter priuilegio canonis.

c. vnic. de vita. Clerici ludiones aut parasiti amittunt hoc priuilegium. Per realem degradationem nõ tamen vllam censuram hoc priuilegiũ amittimr. e. de panis. Nauarrus.

Sextò, hoc omnique alio clericali priuilegio priuantur, qui realiter degradantur, vt patet ex cap. 2. de pœnis, in 6. Secus est de suspenso, excommunicato irregulari, aut etiam verbaliter deposito, vt cum communi sententiam docet Nauar. c. 27. n. 79.

Septimò, Bañez 2. 2. q. 12. art. 1. diffic. 3. dicto vlt. & Suarez disp. 22. sect. 1. n. 11. docent hoc priuilegio priuari clericum in minoribus constitutum, qui omnino deserit habitum clericalem nec vllum Beneficium Ecclesiasticum habet, nec alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deseruit, nec in aliqua schola, aut Vniuersitati ex licentia Episcopi; in ordine ad maiores Ordines suscipiendos versatur.

163 Bañez. Suarez. Clerici in minoribus constituti.

Quia Trident. sess. 23. c. 6. de reformatione, priuatalem priuilegio fori, quod, vt docet Panormitan. c. 1. de apostatis n. 6. & patet ex dictis n. 160. difficiliùs amittitur quàm priuilegium canonis, imò hoc videtur in illo vt pars in toto includi. quare ex amissione illius benè infertur amissio huius.

Trident. Panorm. c. 1. de apostat.

Alij tamen id negant, quia à Iure antiquo non reditur nisi quatenus hoc in nouo exprimitur: atqui olim verberans talem clericum erat excommunicatus, nec hoc per Trident. est expressè reuocatum: ergo etiam modò est excommunicatus.

Sed credo priorem sententiam esse veriorem tum ob rationes ibi allatas, tum etiam quia Concilium ibidem in priuilegio fori apertè includit priuilegium canonis: quia citat cap. de clericis coniugatis, in 6. vbi apertè agitur de priuilegio canonis.

In priuilegio fori includitur priuilegium canonis. c. de clericis coniug.

Quæritur Tertiò, quinam Religiosi hoc priuilegio canonis gaudeant?

164 Respondeo, eo gaudere omnes omnino Religiosos ac Religiosas, eorúmque Conuersos ac Conuersas, atque etiam nouitios. patet ex c. *Monachi.* c. *Non dubium.* 5. c. *De monialibus.* 33. de sent. excommunic. & c. *Religioso.* eod. tit. in 6. Idem dicendum de iis qui sunt ex tertio Ordine diui Francisci, aut Dominici, quia hi saltem lato modo Religiosi dici possunt, sicut nouitij. est contra Caietan. v. *Excommunicatio.* c. 10. § *Nota septimò:* sed alij ferè communiter hoc asserunt. Vide Nauar. c. 27. n. 79.

Omnes personæ religiosæ gaudent hoc priuilegio. c. Monachi. c. Non dubium. c. De monialib. c. Religioso. Caietan. Nauarr. An Eremitæ eo gaudeant.

Vtrùm verò Eremitæ hoc priuilegio gaudeant, non est ita certum: multi asserunt, alij verò negant. Vide Siluestr. v. *Eremita.* n. 2. Valdè probabile est eos solos eo gaudere qui alicui Religioni per vota obstricti sunt, aut saltem alicui Prælato Ecclesiastico ratione voti, aut muneris, quo alicui Ecclesiæ deputati deseruiunt, sunt subiecti. Suarez disp. 22. sect. 1. n. 21. Auila p. 2. c. 5. disp. 2. dub. 11. cum aliis.

Siluest. Suarez. Auila.

165 Quæritur Quartò, quinam in eo capite dicantur iniicere manus violentas.

Respondeo Primò, illos omnes qui dictis personis iniuriosè violentiam aliquam inferunt eos verberando, pulsando, detinendo, aut trahendo siue manu, siue pede, aut alia corporis parte, siue immediatè corpus earum attingant, siue tantùm mediatè aliquo instrumẽto, v. c. baculo, gladio, lapide, sagitta, &c. Item sputum aut puluerem in faciem proijciendo, aut frenum equitantium detinendo, aut cingulum ephippij incidendo, aut rem aliquam iis vi eripiendo, & similibus modis vim inferendo, vt cum communi sententia docet Nauar. c. 27. n. 77.

Qui dicantur manus iniicere. Nauarr.

Debet autem aliqua vis actu iniuriosè inferri ipsorum corpori mediatè vel immediatè, ratione rei conjunctæ corpori, qualis est res quam manu tenent, equus cui insident, vestis qua operiuntur, &c.

Hinc non sufficit illos iniuriari per verba, aut vim minari, aut conari eam actu inferre; nisi de facto inferas; vt si proiiciens in clericum lapidem, aut sagittam, erret. patet ex dictis disp. 13. n. 75.

Idem dicendũ de eo qui clericũ inclusum detinet vt egredi nõ possit, etsi eũ non tangat; vt dicitur c. *Nuper.* 29. de sent. excom. quia sic verè infert ei vim: non tamẽ sufficeret aliquẽ solo meru mortis proposito, prohibere egredi, si aliàs nulla ratione cõcluderetur: quia nulla infertur ei vis. ita cũ aliis Sua. disp. 22. sect. 1. n. 31.

c. Nuper. Metu cleticum prohibens egredi. Suarez.

Ob eandem causam non incurrit hanc excom-

aut dolo res ei auferens non iniicit manus,

munication em qui clerico sine vi res suas dolo subtrahit.

166 Furans clerico vestes an excommunicetur. D. Anton. Archidiac.

Difficultas verò est vtrùm tam incurreret qui clerico dormienti omnes vestes surriperet, atque ita esset causa cur egredi non posset, & quasi captiuus detineretur. D. Antonin. 3. p. tit. 24. c. 1. §. 1. v. *Furantem.* citans Archidiaconum id affirmat, quia hoc modo moraliter infertur clerico vis. Sed hoc videtur difficile, quia hac ratione, qui clerico in itinere constituto nocturnè furaretur equum aut pecunias, atque ita esset causa cur non posset vlteriùs progredi, posset dici inferri illi vim, & incurrere hanc censuram. quod non videtur probabile. Quare Innocent. apud D. Anton. suprà absolutè negat talem incurrere excommunicationem: cui videtur fauere Caietan. v. *Excommunicatio.* c. 10. §. *Nota secundò.* & alij, qui absolutè dicunt furantem res clerici hanc censuram non incurrere. Ratio est, quia per talem actionem nulla infertur clerico vis; quòd autem contingat eum necessitari, vt domi se contineat, est per accidens illi actioni.

Innocent. D. Antonin. Caietan.

167 Lessius.

Aliqui tamen aiunt, talem tunc incurrere excommunicationem quando ea intentione vestes clerici furatur, vt domi egredi non possit. Sed hæc sententia habet etiam difficultatem. quia, etsi illa intentio augeat peccatum, tamen non facit vt actio externa sit violenta: sicut actio externa, quæ per se non est iniusta, non fit iniusta ratione malæ intentionis qua fit, vt benè docet Lessius de Iustitia cap. 9. n. 113. Quare vt hæc sententia sit vera, requiritur, vt ipsa sublatio vestium ita exteriùs fiat, vt ex ea appareat eam ista intentione fieri: vt si fur non auferat vestes secum, sed tantùm eas alicubi abscondat, vel eas in aquas demergat, aut alia ratione corrumpat, ita vt appareat ipsum eas ea intentione accepisse. quo casu illa sententia est satis probabilis. quamuis etiam sententia Innocentij valdè probabilis sit. quia etiam in dicto casu, talis non videtur magis vim inferre, quàm is qui minatur clerico mortem, si domo egrediatur; quem tamen communiter dicunt non excommunicari.

Innocent.

168 Hæc iniectio debet esse mortaliter iniusta. Caietan. c. Contingit.

Respondeo Secundò, hæc actio debet esse peccatum mortale in ratione iniuriæ exteriùs illatæ. ita Caiet. v. *Excommunicatio.* c. 10. §. *Nota sextò.* v. *Quartus est.* quia, vt patet c. *Contingit.* 36. de sent. excommunic. ipsa debet esse iniuriosa, & nisi sit peccatum mortale, non potest esse sufficiens ad incurrendam excommunicationem maiorem.

Quando autem talis iniectio sit peccatum mortale in ratione iniuriæ, prudenti iudicio spectatis circumstantiis actionis & personarum, decernendum est.

Suffecit quòd sit iniuriosa Ordini clericali. c. Contingit.

Nota tamen Primò, hanc actionem non debere esse necessariò violentā, aut iniuriosam illi cui infertur, sed sufficit quòd sit iniuriosa Ordini clericali vt patet ex c. *Contingit.* citato: vbi dicitur esse excommunicatum eum qui verberat clericum cui offensus est, etiamsi hic in hoc consentiat, vt sic offenso satisfaciat: clericus autem qui sponte se tali verberationi subiiceret dicitur ibidem excommunicandus. Vnde videtur non esse de facto excommunicatus. Debet tamen hæc percussio fieri ad vindicandam iniuriam acceptam siue per modum punitionis, quia textus de tali solùm loquitur. Quare si clericus vt faceret pœnitentiam, ac corpus suum castigaret, peteret ab altero vt ipse flagellaret, simili modo quo solemus nos ipsos in hūc finem flagellare; hic illi obsequendo nullam pœnam incurreret, quia non peccaret, nec talis actio esset vlli homini aut statui iniuriosa.

Causa pœnitentiæ alij flagellās nullam pœnam incurrit.

170 Nauarr.

Notat etiam Nauar. c. 15. n. 12. & c. 27. n. 78. posse fieri vt clericus sibi ipsi violentiam inferendo hanc excōmunicationem incurrat, v. g. si se ipsum occidat, aut mutilet sine iusta necessitate, aut ita verberet, vt inde notabile periculum incurrat: quia verè violentiam clerico infert cum iniuria naturæ & Ordinis clericalis. & eodem modo incurreret excommunicationem qui consentienti clerico ista faceret. quæ maximè vera sunt quando hæc fiunt per modum alicuius vindictæ humanæ.

Quæritur Quintò, qua ratione hanc excommunicationem incurrant, qui sunt aliqua ratione causa talis iniectionis manuum.

171 Mandāres hanc iniectionem excommunicantur. c. *Mulieres.* item eam ratam habentes. c. *Cùm quis.*

Concl. I. Vt aliquis incurrat hanc excommunicationem sufficit eum talem iniectionem manuum mandare aut alium precibus, aut promissis ad eam incitare, si de facto sequatur effectus: vt patet c. *Mulieres.* 6. §. *Illi.* de sent. excomm. aut nomine suo factam postea habere ratam, vt patet c. *Cùm quis.* 23. de sent. excom. in 6. necesse est autem vt eius nomine illa percussio facta sit (quod fit quando alter percutit, quia putat ei gratum fore, & est quasi rem eius gerens) vt possit ipse eam ratam habere, vt ibidem dicitur.

172 item consentientes. c. *Quanta.*

Concl. II. Eandem excommunicationem incurrunt qui consentiunt iis, qui manus violentas iniiciunt in rectores Ecclesiæ, quales sunt Parochi, & Superiores. patet c. *Quanta.* 47. de sent. excommunic. Ex quo benè inferunt communiter DD. idem dicendum de consulentibus tale factum, aut violentiam inferenti aliquo modo auxilium præbentibus. quia sine dubio hi consentiunt. Idémque dicit Nauarr. cap. 27. n. 78. de eo qui coram famulis diceret se expetere vindictam de tali clerico, etsi non iubeat eum verberari, credens tamen hoc futurum. quod videtur etiam ex dicto cap. posse colligi, quia talis est moraliter causa talis percussionis, & implicitè in eam consentit. Quamuis autem hoc caput tantùm loquatur de iis qui consentiunt percutientibus rectores Ecclesiæ; communiter tamen DD. id extendunt ad omnes qui consentiunt percutientibus quosuis clericos. Additur in dicto c. *Eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cùm possint manifesto facinori desinunt obuiare.*

Nauarr.

Vbi Nota, secundùm omnes hoc intelligendum esse de iis qui hìc & nunc tenentur tale factum impedire, & hoc non faciunt. quia aliàs non peccarent omittendo, & consequenter non incurrent excommunicationem. Hinc communiter excusantur qui ob metum notabilis incommodi desinunt impedire.

173 Hostiensis. Ioan. de Lignano. Siluester. Caietan. Non impedies clerici percussionē tunc solùm excōmunicatur, quādo ad illud ex officio tenebatur. Nauarr. Henriquez. Auila.

Difficultas autem est, Vtrùm ad hanc pœnam incurrēdam sufficiat aliquem non impedire tale factum quando ad hoc ex sola charitate tenetur. Hostiensis, & Ioan. de Lignano apud Siluest. v. *Excommunicatio 10.* 6. n. 5. v. 5. id affirmant, quia textus generatim loquitur. Siluester verò ibidem, & Caietan. v. *Excommunicatio.* c. 10. §. *Primò.* dicunt hoc solùm esse verum, quando talis dolosè, siue ea intentione, vt clericus malè tractetur, defensionem omittit.

Tertia verò sententia docet, ad hunc effectum requiri, vt is, qui omittit defensionem, ad eam teneatur ex officio. Ita Nauar. c. 27. n. 78. Henriq. l. 14. c. 12. n. 7. littera H. Auila 2. p. c. 3. disp. 3. dub. 8.

Hæc autem sententia videtur probabilior. Primò, quia plures Doctores eam tenent. Secundò, quia satis durum videtur hominem peregrinum sub pœna excommunicationis obligari, vt clericum quem coram se videt percuti, defendat quoties sine damno potest; quod tamen secundùm aliam sententiam dicendum esset. Tertiò, quia Pontifex, vt patet ex textu, tantùm punit eos qui illi violentiæ consentiunt, aut fauent saltem interpretatiuè: quod necessariò intelligendum est de fauore exteriùs per actum aut omissionem expresso (nam actus merè internos Ecclesia non punit) item de fauore statui clericali iniurioso. quia vt patet ex c. *Contingit.* 36. de sent. excom. ideò Ecclesia eiusmodi actus ita punit, quia statui clericali iniurioso sunt: atqui talis omissio solùm est iniuriosa clericis in eo, qui ex officio læsū tenebatur defendere: ergo in eo solo punietur excōmunicatione. & quātis

174 c. *Contingit.*

textus videatur generatim loqui, tamen secundùm subiectam materiam, & alia Iura intelligendus est.

Nauarr. Addit Nauarr. suprà, eum, qui solùm ex charitate teneretur tale factum impedire, si hoc omitteret cùm apertè facillimè posset impedire; in foro externo iudicandum excommunicatum. quia creditur velle ferre opem inferenti violentiam, & sic intelligit verba canonis, *eos fauere interpretamur*, &c. Sed hæc explicatio non videtur habere fundamentum in textu. nam si dicamus verbum *Interpretamur* significare solam præsumptionem fori externi; generatim dicēdum erit etiam de iis, qui ex officio talem vim tenebantur impedire, quòd solùm præsumantur incurrere excommunicationem. quia in Iure nulla est ratio, cur dicta verba aliter intelligamus de his quàm de aliis.

175 *Silues. Richard.* Inefficaciter suadens aut mandans percussionem non excōmunicatur. *Nauarr.* Nota demum Siluestrum v. *Excommunicatio* 8. nu. 12. vbi citat etiam glossam & Richardum, docere, consulentem percussionem clerici non excommunicari, quando consilium fuit inefficax, eo quòd vel alter non percussit, vel saltē ad hoc nullo modo fuit motus illius cōsilio, sed eodem omnino modo id fecisset, etsi alter non suasisset: quod tam de hoc quàm de mandante etiam docet Nauar. cap. 27. n. 51. ante vlt. §. qui etiam alios citat. Quæ credo esse certa, quando percussio non sequitur; & satis etiam probabilia, quando percussio nullo modo sequitur ex illo mandato, aut consilio. Primò, quia, vt dixi disp. 13. n. 75. quando excommunicatio fertur ob aliquam actionem, intelligendum est de actione quæ habuit suum effectum, quem Iura volunt euitari: cùm autem in hoc casu percussio nullo modo sit secuta ex illo mandato aut consilio, hæc non possunt dici habuisse suum effectum. Secundò, quia c. *Mulieres. 6.* de sententia excommunic. dicitur mandantem talem percussionem excommunicari, *quia id committit verè, cuius auctoritate vel mandato delictum commissi probatur.* Vbi ostenditur, ideo talem excommunicari quia est aliquo modo causa talis percussionis: atqui in dicto casu mandans aut consulens non potest dici causa talis percussionis: ergo non excommunicatur. Nota tamen, nisi de contrario constet, semper præsumendū esse percutientem fuisse alterius præsertim mandantis, auctoritate aliqua ratione motum: quia hoc communiter, imò ferè semper fit.

c. Mulieres.

Præsumitur communiter contra mandantem.

Hinc tamen puto excipiendum casum, quo mandans aut consulens tenebatur ex officio talem violentiam impedire. quia tunc omnino peccaret contra c. *Quanto.* citatum, nisi postea quantum posset conaretur vim omnem impedire.

c. Quanto.

Quæritur Sextò, Vtrùm mandans alteri vel consulens vt vim clerico inferat, si ante factum, mandatum aut consilium reuocet, sit excommunicatus, si alter nihilominus vim inferat.

176 Nota Primò, sub mandante comprehendi etiam eum, qui alterum rogat, aut minis aut promissis inducit, vt clerico vim inferat. nam in his omnibus casibus vim inferens ad hoc mouetur, vt placeat alteri, eiúsque nomine agit.

Reuocatio mandati nunquam excusat nisi tempestiuè innotescat.

Nota Secundò, eiusmodi reuocationem secundùm omnes nullo modo excusare, quando alteri non innotuit ante factum commissum: quia hic tunc eodem modo agit à mandante vel suadente motus ac si reuocatio non fuisset. quare hîc agimus solùm de casu quo reuocatio alteri ante factum innotuit.

Nota Tertiò, communiter DD. eodem modo dicere, eiusmodi reuocationem aut non sufficere ad impediendam irregularitatem, aut obligationem restituendi, quando secuta fuit mutilatio, aut damnum temporale contra iustitiam: sicut aiunt sufficere aut non sufficere ad euadendam excommunicationem.

177 *Suar.* Quatuor sunt sententiæ. Prima absolutè docet, nō sufficere ad has pœnas euadēdas talē reuocationē si effectus sequatur. Ita quidā apud Suar. disp. 44. sect. 3. n. 7.

Secunda docet, talem reuocationem sufficere in mandante, non tamen in consulente. Ita Nauarr. cap. 27. n. 233. sub finem; etsi initio videatur contrarium dicere, ideóque ab aliquibus pro tertia sententia citetur. *Nauarrus.*

Tertia sententia docet eiusmodi reuocationem tam mandantem quàm consulentem excusare ab iis pœnis; ita tamen vt si consulens credat suam reuocationem non fuisse efficacem, teneatur monere verberandum de periculo quod illi imminet; aliàs incursurum has pœnas: secùs tamen esse de mandante. Ita Siluester v. *Homicidium.* n. 11. §. *Tertium.* Suarez verò sup. n. 8. ait etiam mandantem in eo casu teneri ex iustitia eum monere cui periculum imminet. *Siluester. Suarez.*

Quarta docet, mandantem absolutè per eiusmodi reuocationem excusari, nec teneri ex iustitia periclitantem admonere; consulentem tamen non excusari. ita cum aliis Lessius de Iustitia. c. 13. dub. 9. n. 17. & 18. Faretur tamen ob auctoritatem Doctorum quos citat tertiam sententiam esse probabilem. *Lessius.*

Nota Quartò, me dupliciter posse reuocare consilium alteri datum. Primò, ostendendo fuisse omnino falsum, v. c. dixi aliquid esse licitum, posse sine periculo fieri, fore tali magnari valdè gratum, &c. quæ omnia postea dico esse falsa, & quantum possum rationibus ostendo. Secundò, non ostendendo me dixisse falsum, sed aliis rationibus dissuadendo, quod primò suasi. v. c. suasi alicui vt alterū occidat, quia grauem ab eo iniuriam accepit, vel quia hoc vtile est ad aliquod commodum consequendum; aut ostendi viam qua id facilè fieri posset: & postea conor dissuadere ostendendo peccati grauitatem, periculum quod inde animæ ac corpori imminet, &c. 178 Consilium dupliciter reuocari potest.

Nota Quintò, tripliciter posse contingere vt post talem reuocationem alter pergat in facinore semel concepto peragendo. Primò, quia non credit alterum seriò & ex animo sua dicta reuocare, sed tantùm hoc exteriùs simulare, ne pœnam aliquam incurrat; & tūc reuocatio est inefficax: quia alter eodem modo mouetur priore mandato aut consilio, ac si illa non fuisset. Secundò, quia, etsi credat eum seriò & ex animo agere, tamen pergit moueri rationibus ab illo allatis ad facinus perpetrandū, quod vt vtile, aut factu facile fierat propositum. Et hic casus non potest habere locum in mandante nisi simul admiscuisset consilium: nec etiam respectu eius, qui primo modo reuocat consilium, quando alter fuit sola ipsius auctoritate motus, vt crederet factum esse licitum aut vtile. secus verò est quando fuit persuasus rationibus à suadente allatis, quas posteà nō videt satis clarè refutari, ideoq; pergit ipsis moueri, atque ita etiam hoc casu reuocatio est inefficax. Tertiò, potest fieri vt post reuocationem alter desinat quidem omnino moueri aut mandato aut consilio alterius; quia tamen semel facinus perpetrandum suscepit, vult illud perficere, aut etiam quia aliæ rationes eum ad hoc permouent. & tunc reuocatio est efficax, saltem respectu proximi sui finis, ita nimirum vt reuocans non possit dici vlteriùs suo mandato aut consilio in facinus influere. 179 Reuocatio consilij tripliciter inefficax.

Conclvsio I. Quando reuocatio consilij aut mandati est secundùm rectum modum ex iam dictis efficax; etsi alter facinus nihilominùs perpetret, tam consulens quàm mandans excusantur à supradictis pœnis: quia tunc verè non sunt causa operis, sed solùm quædam occasio, quod non sufficit vt dictas pœnas incurrant. Ratio est, quia facinus tunc non procedit ex illa voluntate, cuius cōsulens aut mandans fuit causa; sed ex alia omnino distincta, vt quæ habeat obiectum formale omnino distinctum. 180 Qui efficaciter reuocat mandatum aut consilium, non incurrit pœnas.

Conclvsio II. Quando mandanti aut consulenti certò constaret reuocationem dicto modo fuisse efficacem, etsi quando crederent alterum nihilominus 181

Ex sola charitate tenentur monere periclitantem.

progressurum in facinore, si sine notabili incommodo possent, tenerentur ex charitate periclitantem monere vt sibi caueret; non tamen ad hoc tenerentur ex iustitia. Probatur, quia si ex aliquo capite tenerentur, esset ne aliàs ipsi ratione sui mandati aut consilij essent iniusta causa iniuriæ secururæ: atqui, cùm (vt ostendi) non sint futuri causa huius iniuriæ, non possunt dici fore causa iniusta: ergo ex hoc capite ad eam monitionem non tenentur.

Dixi, *Quando certò constaret*, Quia quando haberent rationabilem causam dubitandi an alter adhuc eorum mandato aut consilio moueatur ad facinus perpetrandum, tenerentur ex iustitia monere periclitantem: quia tenentur quantum possunt, impedire ne suo mandato aut consilio ei sint causa iniuriæ accipiendæ.

182 Mandans tenetur aliquando inire se seriò reuocare mandatum.

Hinc sequitur, quando reuocans mandatum suum, putat alterum non credere ipsum seriò & ex animo reuocare, ipsum teneri etiam iuramento adhibito testari se hoc seriò facere, & loco promissæ gratiæ suæ aut munerum minari alterum omnino amissurum omnem suam gratiam, si facinus perpetret. Paret. quia tenetur quantum potest tollere omnem causam iniuriæ, quam ante posuerat, ad quod tunc tale medium est necessarium.

Idem quàdoque est in consulente.

Idem etiam dicendum est de eo, qui reuocat suum consilium dicendo illud falsum esse: tenetur enim omnibus allatis rationibus ac mediis quantum fieri potest alteri persuadere suum consilium fuisse falsum. quia hoc necessarium est, vt causam iniquæ actionis à se positam tollat: vtrique tamen cauendum est ne falsum iuret, quia hoc intrinsecè malum est: nec mala sunt facienda, vt eueniant bona.

183 Inefficaciter reuocat mandatum aut consilium in quirit pernas.

CONCL. III. Quando etiam post omnem huiusmodi diligentiam adhibitam nihilominus constaret alterum adhuc verè fuisse permotum siue mandantis, siue consulentis auctoritate, aut rationibus ad facinus perpetrandum, eo quod non crederet mandantem ex animo reuocasse suum mandatum (quod facilè posset accidere si mandatarius sciret mandantem sæpe præ se ferre aliud, quàm in animo cogitat, aut implicabili odio in inimicum suum ferri, & solo metu pœnæ à vindicta abstinere;) eo inquam casu ille verè incurreret pœnas statutas tale opus mandantibus aut consulentibus.

Probatur, quia tales pœnæ generatim statutæ sunt iis qui tale facinus cum effectu secuto mandant aut consulunt: atqui tales hoc casu verè hoc ita fecissent: ergo eas pœnas incurrerent. Nec refert quòd mandantem iam verè pœniteat hoc mandasse, aut quòd per contritionem aut confessionem sit in statu gratiæ, aut etiam quòd mandatarius malitiosè, & sine iusta ratione pergat alterius auctoritate moueri, modò verè moueatur. quia his omnibus non obstantibus, sicut eo casu erit verè causa iniuriæ, ita eas pœnas incurret: sicut qui mandasset clericum alibi existétem mutilari, & postea facti pœnitens, & contritus, ac confessus tempestiuè mitteret etiam viginti nuntios, qui mandatum reuocarent, & facinus quacunque ratione impedirent; quantamcumque etiam ad hoc diligentiam adhiberet, si tamen illi etiam ex pura malitia ac dolo desinerent mandatum mandatario intimare, effectu secuto mandans excommunicationem, irregularitatem, ac obligationem restituendi damnũ, quod clericus pateretur, incurreret, vt omnes fatentur. Item qui in alium incitasset canem, vt eum grauiter læderet, quantumcumq; postea facti pœnitens conaretur eum reuocare, si id facere non posset, teneretur ad resarciendum omne damnum quod inde sequeretur.

Dices, Hoc ipso quo mandans reuocauit suum mandatum, alter non potest ampliùs eo moueri ad facinus perpetrandum: ergo mouetur sola sua malitia.

Respondeo negando assumptum, quia hoc aperte pugnat cum suppositione à nobis posita: quam etiam esse possibilem, ex dictis satis paret.

184 Facilè præsumitur mandati reuocationem fuisse efficacem.

CONCL. IV. Quando mandans debitè ac tempestiuè suum mandatum reuocauit, ita vt mandatarius secundùm prudens iudicium non videatur habere vllam rationem dubitandi, quin alter seriò & ex animo illud reuocarit, etsi ipse postea nihilominus facinus perpetret; in vtroque foro (nisi de contrario aliquo modo constet) præsumendum erit eum non fuisse ad hoc vlteriùs motum mandantis auctoritate, sed sola sua malitia, & consequenter mandans erit iudicandus nullas pœnas incurrisse.

Hanc conclusionem necessariò tenent omnes auctores quartæ sententiæ; & fortè aliud non volunt dicere. quia rationes eorum nihil aliud probant; & Lessius à me consultus respondit se loco citato nihil aliud intendere, suámque doctrinam benè intellectam cum præcedenti conclusione consistere. *Lessius.*

Probatur, quia, cùm talis alterum non aliter mouerit quàm suo mandato, hoc ipso, quo prudenter iudicatur abstulisse totum suum mandatum, etiam similiter iudicatur vlteriùs alterum non mouere, atque ita nec esse causa facinoris secuti, & consequenter nec pœnas incurrisse.

185 Quomodò possit colligi reuocationē fuisse inefficacem.

CONCL. V. Idem probabiliter videtur dicendum de consulente, qui tempestiuè reuocauit suum consilium ostendendo totum fuisse falsum, ita vt possit quis prudenter iudicare alterum nullas alterius habere vel apparentes rationes, quibus moueatur vt prius consilium sequatur. Quia tunc, nisi de contrario aliquo modo constet, omnino credendum est executorem non fuisse ampliùs motum illius consilio, sed aliis rationibus, aut sola propria malitia.

Dixi in vtraque conclusione, *nisi de contrario constet*: quia si satis probabiliter constaret executorem fuisse verè motum mandato, aut consilio alterius ad facinus perpetrandum, imprudenter contrarium præsumeretur. Potest autem hoc constare Primò, si executor id constanter asserat; nec sint rationes suspicandi eum mentiri. Secundò, si ipse ex se non fuerit proclivis ad tale facinus patrãdum, nec vllas ex parte sua habuerit rationes, quibus ad hoc potuisset permoueri præter solam auctoritatem mandantis, aut consulentis.

186 Præsumitur sæpe contra consulentem.

CONCLVSIO VI. Quando quis dedit verum consilium, v.c. ostendendo commoda, quæ ex tali facinore possent sequi, aut modum quo posset perpetrari, &c. quantumcumq; postea conetur facinus dissuadere ostendendo incommoda quæ ex eo sequentur; si alter nihilominus illud exequatur, nisi de contrario cõstet in vtroq; foro præsumitur fuisse motus alterius consilio. Ratio est, quia priores rationes non tolluntur per posteriores. optimè enim hæc duo consistunt, ex se tale facinus posse hoc modo facilè perpetrari, & ex eo talia secutura commoda, v. g. ex occisione fratris hæreditatem; & simul illud esse graue peccatum, & coniunctum cum periculo animæ & corporis. quare cùm illa natura sua nata sint homines ad tale facinus permouere, posito quòd alter hoc fecerit, prudenter iudicatur consulentis rationibus ad hoc fuisse permotus. quod enim ex aliqua causa omnino natum est fieri, si ea præsente fiat prudenter iudicatur ab ea factum nisi contrarium constet. Quòd si tamen aliunde constaret executorem non fuisse motum alterius consilio, vt si ipse cõstanter hoc diceret, nec esset causa suspicandi eum mentiri; vel si consultor solùm docuisset modum facilè perpetrandi facinus, & alter modò planè distincto, & ab illo independente fuisset vsus, consulens iudicandus esset non incurrisse pœnas. iuxta dicta n. 175. quia eius consilium probaretur non fuisse efficax. Quando præsumatur reuocatio consilij fuisse efficax.

Quæritur Septimò, vtrùm quoties imponitur aliqua 187

censura facienti aliquod opus, eandem etiam incurrat mandans.

Silvest. v. Significavit.

Prima sententia id generatim affirmat. ita Silvest. v. *Excommunicatio.* 10. n. 5. Abbas cap. *Significavit.* de Iudæis. n. 2.

c. Quanto.

Probatur Primò. nam cap. *Quanto.* 47. de sent. excommunic. dicitur facientes & consentientes pari pœna plecti. Secundò, cap. *Mulieres.* 6. eod. tit. dicitur mandantes verberari clericum excommunicari, *quia si committit verè, cuius auctoritate aut mandato delictum committi probatur.* Tertiò, quia id verè dicimur facere quod per alios facimus.

c. Mulieres.

Secunda sententia docet, primam sententiam veram esse, quando is, qui aliquid mandat fieri secundùm communem modum loquendi potest dici illud facere, vt solet fieri in iis actionibus quas domini per famulos, aut magistratus per subditos solent facere; quales sunt occidere, aut verberare hominem, ædificare domum, sepelire mortuum, &c. secùs ait esse de actionibus quas non solemus per alios facere, v.g. comedere, dormire, &c. qui enim alteri præcipit vt illa faciat, non potest dici ea facere, & consequenter si excommunicetur illa faciens, non comprehenditur mandans. pro hac multos citat Auila mox citandus.

Auila.

188 Tertia sententia absolutè docet, censuram latam in facientem aliquid non ligare mandantem, nisi hoc exprimatur, saltem implicitè: vt si excommunicetur committens homicidium, aut quacunque ratione eiusdem causa existens. certum enim est tunc non solùm mandantem, sed etiam consulentem comprehendi. Ita Auila 2.p.c.5.disp.3.dub.2.& Sanchius l.3. de matrimonio disp.49. n. 2.cum plurimis aliis, quos fusè citant.

Mandans non incurrit pœnas alicui facto statutas nisi hoc exprimatur. *Auila, Sanchez.*

Probatur autem Primò, qui est communior Doctorum, vt patet ex jis quos P. Sanchius citat. Secundò quia, cùm lex pœnalis sit odiosa, eius verba strictè accipienda sunt, secundùm propriam & rigorosam significationem: atqui qui mandat aliquid fieri, propriè & in rigore non potest dici illud facere, quia mandare & facere sunt actiones distinctæ: ergo non incurrit censuram latam in facientem, nisi exprimatur. Tertiò, quia quando Pontifices volunt suis censuris comprehendere etiam mandantes, expressis & distinctis verbis illud declarant, vt patet ex cap. vlt. de pœnis in 6. & Clementina 1. eod. tit. & pluribus aliis locis. quod non facerent si mandantes semper comprehenderentur sub facientibus. Quare hanc sententiam credo esse veriorem.

c. vlt. de pœnis & c. clem. 2. eod. tit.

Vnus casus excipitur.

Excipe tamen casum quo aliàs lex nullius esset efficaciæ, eo quòd facillimè eludi posset, vt ostendi suprà dub. 8. num. 67. de pœnis latis in sepelientes excommunicatum, & videtur apertè probari ex cap. *Si ciuitas.* 17. de sententia excommunic. in 6. vbi dicitur, verba legis etiam pœnalis non esse ita strictè interpretranda, quando aliàs lex posset facilè contemni, & frustrari.

c. Si ciuitas.

189 Ad Primum argumentum primæ sententiæ Respondeo, c. *Quanto.* intelligendum esse solùm, quòd consentientes possint simili aliqua pœna plecti cum facientibus, non autem quòd actu semper eadem pœna plectantur, nisi id exprimatur. nam aliàs qui permitteret excommunicato, vt in suo sacello, aut cum suis paramentis celebraret, fieret irregularis, sicut talis celebrans sit irregularis: quia consentit vt celebret; illud autem est apertè falsum.

c. Quanto.

Aliud est aliquem verè dici aliquid facere; aliud illud propriè dici.

Ad Secundum Respondent multi, illo cap. non dici talem verè committere delictum, sed *verè committere*, scilicet in legem, siue peccare: sed hæc interpretatio est omnino aliena à sensu illius capitis. Quare Respondeo, aliud esse aliquem secundùm communem loquendi modum verè aliquid facere, v.g. committere homicidium, aliud verò ipsum hoc facere in proprio & rigoroso sensu. prius in illo capite asseritur, non autem secundo, Sic Ioan. 15. v. 1. Christus ait, *Ego sum Vitis vera*; cùm tamen non sit vitis propriè dicta. Vt autem quis incurrat aliquam censuram latam, in eum qui aliquid facit, non sufficit vt quacumq; ratione possit dici eum hoc fecisse; sed opus est vt in proprio sensu possit dici hoc fecisse: quia lex pœnalis strictè intelligenda est, & hinc patet responsio ad tertium.

Ioan. 15.

Quæritur Octauò, quinam percussores clericorum excusentur ab hac excommunicatione? 190

Respondeo, generatim eos omnes excusari, qui aut percutiunt eos clericos, qui non gaudent beneficio canonis, iuxta dicta n. 157. & seqq. aut qui percutiendo non peccant mortaliter, iuxta dicta n. 108.

Qui excusantur ab hac excommunicatione.

Hinc excusantur Primò, qui ioco inter ludendum, siue illa iniuria clericum percutiunt, vt habetur c. 1. de sent. excommunic. Secundò, qui ex subita cholera clericum percutiunt, antequam sufficienter aduertant quid faciant, ita vt non peccent mortaliter. Hinc Soto in 4.d.22.q.1.art. 2.§. *Iam verò.* ait pueros clericos, rixantes & mutuò percutientes, etsi sanguinem è naribus aut capite etiam in templo eliciant, non esse excommunicatos: quia inter eos hæc iniuria leuis est. quod tamen non est semper verum, vt patet ex c. vlt. de sent. excommunic.

c. 1. de sent. excom.

Soto.

c. vlt. de sent. excommun.

Tertiò Prælatus, qui causa correctionis clericum legitimè in vincula coniicit, aut verberat, vt habetur c. *Vniuersitatis.* 24. de sent. excommun. vbi dicitur Prælatum religiosum debere suos Religiosos per se verberare, si potest; aut si non potest, per aliquem clericum, aut monachum (sub quo comprehenduntur omnes verè Religiosi etiam quos vocant Conuersos, vt contra aliquos alios benè notat Suarez disp. 22. sect. 1. n. 42.) Quare si hoc faciat per laicum (nisi fortè gratuis necessitas factum excuset, vt docet Suarez sup. n. 43.) tam verberans quàm mandans erit excommunicatus, vt in illo capit. dicitur. Quod etsi loquatur de solis Prælatis religiosis, communiter tamen DD. hoc extendunt ad omnes Prælatos Ecclesiasticos, quoad hanc partem, quòd non possint suos clericos verberare per laicos. Quamuis non deceat etiam Episcopos suos clericos per se verberare, vt colligitur ex c. *Non licet Episcopo.* dist. 86. quare debent eos per alios clericos castigare. Multi autem DD. volunt, inferiores Prælatos etiam sæculares non posse suos clericos per alios verberare, quando id per se facere possunt; sed hoc non satis probant, & contrarium consuetudo obtinuit, vt notat Suarez sup. n. 48.

c. Vniuersitatis.

Qua ratione Prælati possint punire clericos sibi subditos. *Suarez.*

c. Non licet.

Suarez.

Nota, Fratres Minores & eorum priuilegiis gaudentes ex concessione Leonis X. & Alexandri. VI. posse suos subditos castigare per quoslibet ex suis Religiosis. 191

Leo. X. Alexan. VI.

Nota Secundò, Prælatum posse iubere suum clericum capi etiam per laicos, vt patet c. *Vt fama.* 35. de sent. excommun. & c. *Si clericos.* 15. eod. tit. in 6.

c. Vt fama. c. Si clericos.

Addunt communiter Doctores, ministrum iustitiæ sæcularis posse capere clericum repertum in flagranti delicto, vt præsentet eum suo superiori. Vide Auilam 2.p.c.5.disp.3. dub. 13. casu 13. Ratio est, quia præsumitur esse tacitus consensus Superioris, & videtur quodammodo necessarium ad commune Reipublicæ bonum euendum. Cauendum tamen est ne clerico maior vis inferatur quàm sit necesse.

Auila.

Prælatus clerici causa exigente licitè torquet per sæcularem. *Suarez.*

Difficultas autem hîc est, Vtrùm, quando ratio exigit vt clericus torqueatur, Prælatus Ecclesiasticus id facere possit per laicum. Aliqui id negant, sed alij melius affirmant: quia illa actio decet clericos, & quia consuetudo hoc iam approbat. Vide Suarez disp. 22. sect. 7. n. 44.

Quartò, excusatur ludimagister, qui discipulum etiam existentem in sacris rationabiliter pro meritis castigando verberat, cap. 1. & c. *Ex tenore.* 20. de sent. 192

Ludimagister punies discipulos

clericos ob excommunic. c. 1. de sent. excom. in 6.

Ex reuma.

clericum excommunicatum, vbi quidam absoluendus ab excommunicatione iubetur iurare se non ampliùs verberaturum clericum, nisi super eum prælationis ministerium, aut magisterium habeat; vbi comparatur hac in re magister Prælato, & insinuatur illum etiam subdiaconum castigationis causa licitè verberare.

Suarez. Nauarr. Auila. Tabiena. Idem dic de patre respectu filij.

Addunt Suarez disp. 22. sect. 1. n. 49. citans Nauarrum, & Auila p. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 13. citans Tabienam, idem esse dicendum de patre respectu filij etiam in sacris constituti, quia non videtur pater habere minorem potestatem in filium, quàm magister in discipulum. Sed in hac re ratio suader vt hæc castigationes maxima circumspectione fiant, vt quantum fieri potest, dignitati personæ consulatur.

Ab vtrôque tamen quâ fieri potest, dignitati clericali consulendum.

Quintò, excusantur ij, qui ratione officij, quod in Ecclesia obtinent, atque alij clerici seniores, qui zelo deuotionis in minoribus constitutos turbantes diuinum officium leuiter percutiunt: item patresfamilias, qui clericos existentes de sua familia, aut sibi propinquos causa correctionis leuiter percutiunt, quando scilicet eorum curæ commissi sunt, c. *Cum voluntate.* 54. de sententia excommunicationis.

Excusantur etiam quidam clerici seniores, ac patresfamilias. c. Cum voluntate.

Sextò, excusatur ostiarius, aut alius officialis, qui dum arcet turbam irruentem, clericum fortuito casu lædit. quòd si tamen id faceret animo maligno, ex proposito scilicet intendens clericum verberare sine sufficiente necessitate; videtur incurrere excommunicationem, sed soli Episcopo reseruatam, à quo dicitur absoluendus, nisi clericum grauiter vulnerauerit, c. *Si verò.* 3. de sent. excommunicationis.

193 Item ostiarius:

c. Si verò.

Septimò, excusatur, qui vt se suâue defendat, clericum vim sibi inferentem percurit, modò hoc fiat cum moderatione inculpatæ tutelæ, ita vt non percutiat aliter quàm iudicat hic & nunc esse necessarium ad suam & rerum suarum defensionem: quia vim vi repellere licet, c. *Si verò.* citato.

Item sui defendens:

c. Si verò.

Idem dicendum de eo, qui percutit clericum ob necessariam defensionem innocentis. nam quinis licitè repellit vim innocenti illatam. Qua autem ratione & quousque sit licitum alterum verberare pro sua aut alterius innocentis defensione, vide Lessium de Iustitia c. 9. dub. 8. 9. 11. 12. 13.

Item defendens innocentem.

Lessius.

194 Licitè vi clerico arma eripio vt vitam tueat.

Dubitant hîc aliqui, vtrùm, si fugiens inimicum occurrat clerico habenti equum vel arma, possit ea nolenti sponte dare vi eripere, quando hoc necessarium est vt periculum euadat. Sed sine dubio respondendum est affirmatiuè, nisi forte clericus ea ratione constitueretur in eodem periculo: aliàs enim extrema mea necessitas dat mihi ius ea clerico eripiendi, & consequenter sine vlla ipsius iniuria id facio; imò ipse resistendo potiùs mihi vim infert, quàm ego illi ea eripiendo: sicut dum res meas auferenti eas eripio vim potiùs repello quàm inferam. ita Suarez tom. 5. disp. 22. sect. 1. n. 38.

Suarez.

Octauò, mulier, quæ percutit clericum facto aliquo suam pudicitiam tentantem: quia hoc ad iustam defensionem necessarium est; secùs si solo verbo eam tentaret. quia tunc solis verbis repellendus esset, nisi fortè esset nimis molestus, ita vt verbis repelli non posset. tunc enim fœmina licitè eum pugnis arcet, & tale genus hominum hoc omnino meretur. vide Auilam p. 2. c. 5. disp. 3. dub. 13. in fine, & Suarez disp. 22. sect. 1. n. 33.

Item mulier percutiens tentantem suam pudicitiam:

Auila. Suarez.

195 Item percutiens repertū turpiter agentem cum vxore, &c. c. Si verò.

Nonò, excusatur ab hac censura, etsi non à peccato, qui percutit clericum quem reperit turpiter agentem cum sua matre, vxore, filia, vel sorore: secùs esset si reperiret turpiter agentem cum personis non ita coniunctis. ita expresse dicitur c. *Si verò.* 3. de sent. excommunic. Ius autem hoc concedit, quia valdè difficile est iusto dolori imperare, & ab eiusmodi clerico in eo casu manus abstinere: quare debet hæc percussio fieri subitò, & quasi in ipsa repertione. quare sicut quando differtur facilius est ab ea temperare; ita propter eam postea factam censura incurritur.

Nota Primò, hîc per matrem non intelligi alias personas ascendentes, nec per filiam neptem, aut filiam adoptiuam. quia cùm hæc constitutio discedat à iure communi, strictè intelligenda est. 196

Per vxorem autem intelligitur etiam sponsa de præsenti, siue vxor nondum cognita: secùs est de sponsa de futuro, vt docet Sanchius lib. 1. de matrimonio disp. 1. Sanchez.

Nota Secundò, hîc dici turpiter agere etiam eum, qui amplexatur dictas personas, aut similes actus cum iis exercet; imò vt verberans excusetur sufficit, quòd reperiat solum cum sola, loco & tempore meritò suspectis, vt cum aliis docet Nauarr. cap. 27. n. 84. quæ vera sunt, etsi maritus sciens venturum clericum clàm se domi abscondat, vt ita repertum verberet, modò absit dolus; qualis esset si curasset eum ad dictas personas clàm adeundas inuitari. Addit cum aliis Nauarrus, maritum etiam excusari qui post trinam prohibitionem reperiret domi etiam honesto loco cum vxore solum loquentem, si eum per vigiuti quatuor horas captiuum detineat vt tradat suo Prælato; docet tamen incursurum excommunicationem si talem verberaret; sed non satis consequenter. quia cap. *Si verò.* citato, non magis conceditur detentio quàm verberatio. Quare Siluester verb. *Excommunicatio.* 6. num. 6. §. *Decimò*, concedit etiam excusari eum qui talem clericum verberat. quia l. *Si quis ei.* C. ad legem Iuliam, de adulteriis, conceditur marito ita repertum perimere, eo quòd præsumatur turpia tractare: in cap. autem c. *Si verò.* videntur omnes illi dici turpiter agere, qui in similibus casibus in Iure ciuili permittuntur occidi. quare hanc sententiam non improbabilem putat Suarez disp. 22. sect. 1. num. 37. Quis dicatur turpiter agere. Nauarrus. Idem. l. Si quis ei. c. Si verò. Siluester. c. Si verò. Suarez.

Decimò excusatur, qui nesciens aliquem percutit, aut eum quem nescit esse clericum, cap. *Si verò.* 4. de sententia excommunic. qualis autem ignorantia ad hanc excusationem requiratur, vide dicta disp. 13. dub. 11. 197 c. Si verò.

Hinc, vt benè notat Suarez disp. 22. sect. 1. n. 54. si quis intendens ferire sagitta Petrum, etiam notum sibi clericum, præter omnem intentionem tangeret Paulum clericum, qui casu transiens sagittam excipere; modò hæc percussio percutienti esset omnino inuoluntaria & inculpata respectu personæ læsæ, talis non incurreret excommunicationem, quia nullum clericum voluntariè percussisset; non Petrum, quia illum non tetigit; nec etiam Paulum, quia huius percussio esset ei omnino inuoluntaria. Item excusatur inuoluntariè percutiens clericum cùm alium percutere vellet.

DVBIVM XVI.

Qua ratione tollatur excommunicatio?

IN hac re certum est Primò, eam non tolli per hoc solùm quòd excommunicatus desinat esse sub potestate eius à quo fuit excommunicatus, vt fit quando hic moritur, aut alia ratione perdit suam iurisdictionem, aut quando excommunicatus it habitatum in loco excommunicanti non subiecto. Ita communiter DD. Et ratio est, quia, etsi inflictio pœnæ pendeat à iurisdictione infligentis; semel tamen inflictæ perseuerantia ab ea nullo modo pendet: sed Iure sic statuente durat donec legitimè tollatur, vt paret etiam in exilio & aliis pœnis similibus, quæ non exspirant per mortem infligentis. 198 Pœna semel inflicta perseuerat mortuo infligente.

Secundò certum est, eam non tolli præcisè per emendationem excommunicati, etiamsi parti, ob cuius læsionem fuit excommunicatus, integrè satisfecerit, aut hæc ei omnem iniuriam remiserit, & cupiat omnem pœnam iam esse sublatam. vt patet ex 199

c. Cùm desideres.

cap. *Cùm desideres.* 15. de sententia excommunicationis. nam sicut ad infligendam excommunicationem non sufficit solum peccatum, aut voluntas partis læsæ, sed opus est auctoritate iudicis, aut Iuris infligentis illam: ita eadem opus est vt ipsa tollitur. Consensus tamen partis quandoque valet, vt quis non incurrat excommunicationem; vt si feratur in Ioannem excommunicatio, nisi intra mensem Paulo, quem læsit, satisfecerit: si hic illi satisfactionem remiserit, aut consenserit vt eam differat; ipse eam non incurret, etiamsi statuto tempore non satisfecerit. quia non peccabit non satisfaciendo.

Tertiò certum est, eam tolli per legitimam absolutionem. quia in Ecclesia non est minor potestas absoluendi, quàm ligandi. à quo autem debeat dari hæc absolutio, dicemus infrà n. 228. & 254.

200 Absolutio ad reincidentium. Absolutio ad cautelam.

Nota, absolutionem aliam esse absolutam; aliam sub conditione de præterito, præsenti, aut futuro: aliam ad reincidentiam, qua aliquis absolvitur pro certo tantùm tempore, aut cum aliqua conditione, quam si non impleuerit rursum incidit in excommunicationem: aliam demum esse ad cautelam, quæ datur ei, qui non scitur esse excommunicatus, vt si fortè sit, ab excommunicatione liberetur: idque vel absolutè, & sic solet communiter præmitti ante absolutionem sacramentalem: vel ad certum tantùm effectum, & sic solet Pontifex absoluere eos, quibus aliquam gratiam confert, ne, si fortè sint excommunicati, collatio sit irrita: quæ absolutio non valet iis nisi pro illo effectu præcisè.

Absolutio ad certum effectum.

201

His positis quæritur Primò, Vtrùm excommunicatio definat per mortem excommunicati?

Quidam hoc affirmant, præsertim quando excommunicatus verè contritus decessit è vita, ita vt non steterit per eum quo minùs fuerit absolutus. Sed omnino certum est, excommunicationem per mortem excommunicati, quantumcumque contritus decedat, non omnino desinere. quia nec pro eo potest offerri sacrificium, nec corpus eius potest in loco sacro sepeliri ante eius absolutionem, vt patet ex cap. *Nobis.* 28. de sententia excommunic.

Vis excommunicationis non extinguitur morte excommunicati.

Nobis.

Vtrùm autem propriè maneat ligatus excommunicatione, est quæstio de nomine, de qua satis dixi disp. 13. dub. 6.

202

Quæritur Secundò, Qua forma vtendum sit in absolutione ab excommunicatione?

Respondeo Primò, Vt validè detur absolutio, non sufficiet sola interior voluntas absoluendi. quia, cùm hæc absolutio necessariò ad homines dirigatur, idque per modum cuiusdam concessionis, qua concedatur reo facultas iam cum aliis communicandi; necesse est vt externis quibusdam signis fiat, quæ internam voluntatem sufficienter exprimant. nam sine his nec interior voluntas ab aliis cognosci, nec ad alios humano modo ita dirigi potest; nulla tamen certa forma opus est: sed sufficiunt quæuis verba, vel etiam signa quibus mens absoluentis satis exprimatur: quia hæc sufficiunt spectato solo iure naturæ, nec iure positiuo vlla certa forma vt essentialis præscribitur; vsus tamen Ecclesiæ habet vt hæc absolutio fiat verbis: quod obseruandum est, præsertim inter præsentes.

Sola interior voluntas nō sufficit pro absolutione.

Nulla certa verba ad eam requiruntur.

203

Respondeo Secundò, Vt hæc absolutio licitè detur in foro externo, obseruandæ sunt cæremoniæ, quę in loco vbi datur, consuetæ sunt obseruari, de quibus vide Auilam part. 2. cap. 7. disputat. 3. dub. 2. quando tamen absolutio fit secretò, & in solo foro conscientiæ, præsertim in confessione, sufficit dicere, *Ego te absolvo à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter tale factum, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ*; vt cum aliis docet Auila supr. dub. 3. quamuis, quando est commoditas, consultum sit pluribus cæremoniis vti vt absoluendus grauitatē sui vinculi magis apprehendat.

Auila.

Forma absolutionis in foro cōscientiæ vsitata.

Auila.

Nota tamen, quando excommunicatio fuit contracta propter enorme aliquod crimen, verbi gratia, propter incendium, aut crimen falsi, aut grauem percussionem clerici, aut propter ea crimina quæ continentur in bulla Cœnæ, tunc ab absoluendo exigendum esse iuramentum, quòd ampliùs tale crimen non committet; vt colligitur ex cap. *Ex tenore.* 10. de sententia excommunic. & communiter Doctores docent. 204

Ab excommunicatio propter enorme crimen ante absolutionem exigendum est iuramentum.

c. Ex tenore.

Aliqui tamen volunt hoc in quauis absolutione faciendum esse: sed alij melius aiunt solum faciendum esse in criminibus atrocioribus. ita Henriquez l. 13. cap. 28. nu. 4. Caietanus v. *Absolutio.* §. antepenultitio. Siluester *Absolutio.* 3. n. 3. & Auila sup.

Henriquez. Caietan. Siluester. Auila.

Quæritur Tertiò quæ obseruanda sint quando quis absoluendus est ab excommunicatione, quam incurrit propter iniuriam alteri illatam? 205

Conclvsio I. Quando parti læsæ iam satisfactum est, aut ipsa iniuriam remisit, nihil peculiare est obseruandum. per se patet.

Conclvsio II. Quando absoluendus adhuc apertè tenetur ad aliquam satisfactionem, non est absoluendus, antequam actu satisfecerit, aut totaliter si possit, aut ex parte, si hoc solùm possit. Ita Nauarrus cap. 27. num. 273. & colligitur apertè ex cap. 2. de sententia excommunic. in 6. & c. *Ex parte.* 23. de verborum significatione. vbi tales dicuntur non absoluendi nisi sufficientem præstent emendam. & ratio est, quia aliàs parti fieret iniuria, quæ difficiliùs postea obtineret satisfactionem. Quòd si tamen obligatio ad satisfaciendum esset dubia, sufficeret dare cautionem, vt ex iisdem Iuribus colligitur. & rario suadet; quia nemo cogendus est realiter alicui satisfacere antequam constet eum debere.

Excommunicatus nō est absoluendus ante satisfactionem.

Nauarr. c. 2. de sent. c. Ex parte.

Hinc sequitur, eum qui aliter absoluit, teneri parti ad restitutionem omnis damni quod ei inde sequitur: sicut iudex qui sine necessitate dimitteret captiuum debitorem potentem soluere, teneretur creditori restituere omne damnum quod inde sequeretur.

Malè absoluēs parti satisfaciat.

Conclvs. III. Quando excommunicatus est omnino impotens ad satisfaciendum, vt licitè absoluatur debet præstare cautionem, aut pignoratoriam, aut fideiussoriam; aut si nihil horum possit, saltem iuret quòd statim ac poterit satisfacier. quo facto poterit in vtroque foro absolui, etiam inuita parte. imò ad hoc potest iudex compelli, vt cum aliis docet Henriquez lib. 13. c. 28. num. 1. quia contra mentem Ecclesiæ, & rationem censuræ est, vt reus cessante iam omni contumacia, paratus ad omnem satisfactionem, quam exhibere potest, non absoluatur; vt patet ex c. *Quæ fronte.* 23. de appellationibus, & dictis suprà disput. 13. dub. 1. nu. 7. Quæ sunt etiam vera quando absolutio petitur pro foro conscientiæ ab eo, qui non potest eam dare, nisi virtute priuilegij Bullæ cruciatæ, aut Iubilei, etsi in ipsa Bulla dicatur, *vt detur absolutio satisfacta parte.* quia intelligitur quando id fieri potest, vt Henriquez suprà, & Auila 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 8. 206

Impotens satisfacere præstet cautionem ante absolutionem.

Henriquez.

c. Quæ fronte.

Henriquez. Auila.

Nota Primò, quando quis nominatim est excommunicatus, aut causa est deducta ad forum contentiosum, reum communiter non esse absoluendum pro foro conscientiæ ab eo, qui per talia priuilegia id facere potest. quia hoc perturbaret ordinem iuris, nisi reus esset in loco distanti, vbi esset omnino ignota eius excommunicatio, aut nisi pars omnino consentiret in eius absolutionem, aut hìc & nunc incumberet notabilis aliqua necessitas ità absoluendi; vt notat Henriquez lib. 13. c. 28. num. 2. 207

Causa deducta ad forum contentiosum reus non est absoluendus pro solo foro conscientię.

Henriquez.

Nota Secundò, quando absolutio petitur pro solo foro conscientiæ, credendum esse reo dicenti se impotentem esse ad soluendum: in foro verò externo id necessariò debet probare.

208 Quis sit impotens satisfacere.

Nota Tertiò, dici impotentem ad satisfactionem qui sine notabili iactura suæ famæ, aut bonorum quæ deberet notabiliter minoris vendere quàm valeant, non potest tam citò soluere; quem sufficit dare cautionem quòd prima commoditate satisfaciet: tenetur tamen dare securissimam quam sine iactura famæ hîc & nunc dare potest. Excipe tamen casum quo pars esset in pari necessitate. qua de re vide Lessium de Iustitia c. 16. dub. 1. vbi disputat quænam impotentia excuset à restitutione: eadem enim hîc excusat à reali satisfactione.

c. Lessius.

Idem dicendum est de eo, qui habet quidem alibi sufficientes pecunias vt satisfaciat, sed in loco distanti, ita vt non possit eas vllo modo ante longum tempus habere præsentes. quia est contra mentem Ecclesiæ iam perfectè pœnitentem tam diu illo vinculo ligari; secùs esset, si posset eas breui habere, mutuas saltem. vide Auilam dub. 5. & Henriquez l. 13. cap. 28. n. 2.

Auila. Henriquez.

209 Quæritur Quartò, Vtrùm absolutio sit valida quæ datur antequam parti satisfactum sit, ei qui facilè posset priùs satisfacere.

Hac in re inter omnes conuenit Primò, talem illicitè absolui, vt iam probaui. Secundò, eum validè absolui ab eo qui habet ordinariam potestatem absoluendi: quia nullibi talis absolutio irritatur. item ab eo cui absolutè concessa est potestas absoluendi sine vlla conditione addita: quia cùm talis potestas non sit limitata, ex hac parte æquiualet ordinariæ. Tertiò, eum qui solùm habet potestatem delegatam absoluendi, inualidè talem absoluere ante satisfactionem, si hoc expressè dicatur in delegatione potestatis; vt si dicatur, *alias absolutio sit nulla*, aut, *non valeat*: aut, *non possit absoluere*: secùs est si tantùm dicitur, *aliter non absoluat*, vel *nullatenus absoluat*. quia etsi iis verbis prohibeatur absolutio, non tamen irritatur.

210 Dubium igitur est, Vtrùm talis absolutio valeat quando in delegatione dicitur: *Damus tibi potestatem absoluendi satisfacta parte*, vel, *si satisfactum sit*.

Prima sententia docet, eam esse irritam. quia, cùm potestas absoluendi alicui delegatur cum aliqua conditione, ea non seruata factum est irritum, vt patet ex c. *Cùm dilecta*. 22. de rescriptis, & c. *Venerabili*. 37. de officio delegati. vbi processus quidam à iudicibus delegatis contra tenorem præcepti facti dicuntur irriti. ita Suarez disput. 7. sect. 5. num. 41. Caietanus v. *Absolutio*. ante vlt. §. Henriquez lib. 7. cap. 13. n. 2. & alij multi quos citat Sanchez lib. 3. disp. 33. n. 1. vbi dicit esse communem.

c. Cùm dilecta. c. Venerabili. Suarez. Caietan. Henriquez. Sanchez.

Secunda sententia docet, absolutionem esse validam. Probatur, quia, quando alicui delegatur aliqua potestas cum aliqua conditione, quæ iure communi inest, per eius expressionem non restringitur data potestas, sed delegatus tantùm admonetur ad quid iure communi obligatur: atqui talis conditio iure communi annexa est omni potestate absoluendi: ergo quando exprimitur in delegatione potestatis, hanc non restringit. Confirmatur, quia, quando alicui pacto aut concessioni de iure communi aliqua conditio inest, non plus operatur quando exprimitur, quàm quando non exprimitur: atqui concessioni talis potestatis de iure inest conditio, vt reus non absoluatur nisi parti sit satisfactum; & tamen quando hæc conditio non exprimitur, absolutio ea non seruata validè datur: quia, etsi potestas detur cum tali conditione, ita vt illicitè sine ea exerceatur, non tamen datur sub ea conditione, ita vt aliàs actus non valeat (vt etiam auctores contrarij fatentur.) ergo idem dicendum est quando exprimitur.

211 Inualidè absoluitur reus non

Sed credo priorem sententiam esse veriorem. quia certum omnino est si delegans non intendat tali dare potestatem absoluendi nisi seruata illa conditione, ipsum ea non seruata inualidè absoluere: atqui nisi satisfacta aliunde de contrario constet, ille nullo modo censendus est huic aliter velle dare eam potestatem: ergo hic ea conditione non seruata communiter inualidè absoluit. Minor probatur, quia, cùm delegatus non possit sine iniustitia, ac graui partis iniuria talem ita absoluere; delegans non potest sine peccato velle ei dare potestatem ita absoluendi, cùm ad hoc nullam habeat rationalem causam, & melius sit talem absolutionem esse inualidam, quàm validam: ergo nullo modo censendus est eam dare. quia nemo debet præsumi velle peccare, nisi proberur: in vtroque autem argumento contrario neganda est maior vniuersaliter sumpta, vt clariùs ostendam disp. 27. dubium 3. n. 33. 34. 35. parte, quando hoc in delegatione exigitur.

Quæritur Quintò, qua ratione possit absolutio dari sub conditione.

Hac in re fatentur omnes, absolutionem validè dari sub conditione de præsenti, imò etiam sæpè licitè, verbi gratia, *absoluo te si iam actu satisfeceris*. Patet quia quotidie ad cautelam absoluimus pœnitentes sub hac conditione *si indigeant*: 212 Absolutio validè datur sub conditione.

Nota tamen, hanc conditionem debere esse talem, vt possit de ea humano modo constare an impleta sit nec ne, quia aliàs nullum esset externum signum, quo posset sufficienter cognosci an iudex habuerit absolutam voluntatem absoluendi, nec ne; quod tamen ad valorem absolutionis est necessarium, vt dixi n. 202. Hinc si quis dicat: *Ego te absoluo, si Deus iam nouerit te restituturum*; etsi conditio sit de præsenti, & iam sit posita, absolutio tamen nihil operabitur antequam restitutio de facto fiat: quia antè non possumus cognoscere an conditio sit posita.

Sed dubium est, Vtrùm possit dari absolutio sub conditione de futuro contingenti, verbi causa, *Absoluo te si intra mensem satisfeceris*. Silueſter

Silueſter verbo *Absolutio* 3. initio, id negat; quem aliqui alij sequuntur. Primò, quia absolutio sacramentalis hoc modo inualidè datur; ergo etiam absolutio à censura. Secundò, quia, vt habetur regula 50. iuris, in 6. *Actus legitimi conditionem non recipiunt*. Regula Iuris.

Secunda opinio docet; talem absolutionem validè quidem dari, sed illicitè. hanc insinuat Nauarrus cap. 25. num. 12. Nauar.

Conclvsio I. Validè datur absolutio ab excommunicatione sub conditione de futuro contingenti, & hac posita illa habet suum effectum. Probatur, quia, vt patet ex dictis num. 202. ad valorem absolutionis solùm requiritur voluntas habentis potestatem absoluendi exteriùs expressa: atqui hoc casu ponitur talis voluntas, quæ posita conditione transit in absolutam, & sufficienter exteriùs exprimitur: ergo sufficit ad valorem absolutionis. 213 Validè absoluis sub conditione futura contingenti.

Ad Primum argumentum contrarium, nego consequentiam. Quia valor Sacramentorum non pendet immediatè à voluntate conferentis, sed tantùm quodammodo mediatè, quatenus ab ea pendet vt hîc & nunc ponantur vera forma & materia Sacramenti, cum intentione faciendi quod Christus instituit. quibus positis nullo modo est in potestate conferentis eorum vim modificare, aut suspendere, vt fusè ostendi tomo 1. q. 64. art. 8. dub. 2. concl. 3. Secùs est de valore absolutionis ab excommunicatione, quæ immediatè pendet à voluntate absoluentis: sicut valor cuiuscumque concessionis aut contractus pendet à voluntate concedentis, aut contrahentis. Differentia inter hanc absolutionem & sacramentalem.

Ad Secundum Respondeo, illam maximam non esse intelligendam de quibusuis actibus legitimis, sed solùm de certis quibusdam quæ enumerantur l. *Actus legitimi*. 1. de regulis iuris. ex qua illa desumpta est. l. Actus legitimi.

Conclvs.

214 Concl. II. Nullo modo conuenit ordinariè ita absoluere à censuris : tum quia est contra vsum communem Ecclesiæ : tum etiam quia hoc modo relinquitur iudicio rei, an postea satisfecerit sufficienter vt possit dici absolutus, nec ne. quod inconueniens est, cùm non ipsius, sed iudicis sit hoc decernere.

Dixi, *hoc non conuenire ordinariè.* quia, cùm talis modus absoluendi nec sit intrinsecè omnino malus, nec in Iure prohibitus; posset accidere casus extraordinarius in quo expediret eum ita dari : vt si reus non posset nisi post aliquot dies satisfacere parti læsæ, idque necessariò secretò, ne seipsum infamaret, & tamen deberet statim ire ad exteram regionem vbi esset satisfacturus. atque ita nisi statim hoc modo daretur absolutio, deberet diu differri cum grani rei damno: tunc enim nulla videtur inconuenientia, si hoc modo detur; & consequenter cùm sit reo valdè necessaria, charitas suadet vt ita detur. Vide Suarez disp. 7. sect. 8. num. 10. & 11.

Suarez.

Quæritur Sextò, Vtrùm vt is, qui absolutus est ad reincidentiam, iterum in excommunicationem incidat, requiratur noua culpa.

215 Nota Primò, hanc absolutionem posse dari dupliciter. Primò, tantùm ad certos aliquos effectus, verbi causa, vt excommunicatus possit admitti ad testandum, aut validè Beneficij collationem acceptare, &c. vt colligitur ex cap. *Veniens.* 38. de restibus; & de hoc casu non agitur. quia hìc non est propria absolutio, sed potiùs quædam dispensatio, per quam non obstante excommunicatione conceditur, vt talis possit eiusmodi actum facere. talis enim verè manet excommunicatus : nec vllo modo soluitur ad vllum alium effectum, nisi ad illum particularem. quare nec propriè in excommunicationem illo perfecto reincidit, quia nullam nouam obligationem contrahit.

1. Veniens. Absolutio ad certum effectũ non est propriè absolutio.

Secundò, potest quis absolutè absolui ab excommunicatione, cum certa tamen conditione, quam nisi postea impleat, iterum in excommunicationem incidat. Quod iterum dupliciter fieri potest. Primò, his verbis, *Ego te absoluo ab excommunicatione, ita tamen vt in eam reincidas, nisi statim ac commodè poteris, hoc vel illud facias.* & sic tacitè vel expressè absoluuntur ij qui vrgente necessitate absoluuntur ab iis, qui eos aliàs absoluere non poterant. nam nisi statim ac commodè possunt se suo iudici præsentent, iterum in excommunicationem incidunt; vt habetur cap. *Eos qui.* 22. de sent. excommun. in 6. & de hoc casu communiter omnes fatentur requiri nouum peccatum contra illud præceptum, vt absolutus reincidat; quia verba hoc satis indicant.

2. Eos qui.

Secundò, potest his verbis dari, *Ego te absoluo ab excommunicatione, ita tamen vt nisi intrà mensem satisfeceris, in eam reincidas.* Quo casu aliqui putant non requiri nouam culpam; eúmque qui ex pura impotentia non satisfacit reincidere, quia verba absolutè dicunt talem reincidere, si non soluat. aiunt autem talem reincidere vi prioris sententiæ, qua fuit excommunicatus.

216 Concl. Longè verius est ad talem reincidentiam requiri nouum peccatum. Ita Nauarr. c. 27. nu. 277. Auila 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 14. & Henriquez l. 13. cap. 29. num. 2.

Ad reincidentiam semper requiritur nouum peccatum. Nauarrus, Auila, Henriquez.

Probatur, quia, vt ostendi disp. 13. n. 65. & 83. nemo potest de nouo ligari aliqua excommunicatione sine nouo peccato : atqui cùm talis fuerit verè absolutus ab excommunicatione, non potest in eam reincidere nisi de nouo ea ligetur : ergo opus est nouo peccato.

Dices, maiorem solùm esse veram quando noua excommunicatio infligitur; secùs autem esse quando prior redit, quæ non fuit absolutè ablata, sed solùm pro certo tempore, & pro reliquo tempore sub conditione, qua non posita, eadem excommunicatio propter idem peccatum redit.

Sed contrà, vel medio illo tempore excommunicatio fuit solùm suspensa, ita vt secundùm se, & quasi in actu primò verè manserit, ita tamen vt nullum habuerit effectum, sicut solet Interdictum suspendi. & hoc dici nequit, quia secundùm Ius ordinarium & communem sententiam excommunicatio non potest ita suspendi, nisi in quibusdam casibus ad certum aliquem effectum. vel est absolutè sublata, & tunc impossibile est vt redeat nisi de nouo producatur. quod nihil est aliud quàm absolutum de nouo iterum excommunicari. quia intelligi nequit quomodo id quod semel verè destructum est, redeat, nisi de nouo producatur, ea ratione qua produci potest : parum autem facit ad rem siue dicatur esse eadem numero excommunicatio, siue diuersa (de quo nolo iam disputare) quia siue hoc, siue illud dicas, æquè grauiter alter punitur, & propter eandem culpam bis puniri nequit.

Vnde sequitur Primò; neminem posse reincidere 217
in excommunicationem ita verè sublatam, vt præcisè prioris sententiæ qua primò fuit excommunicatus: quia prior sententia non habuit vim nisi puniendi prius peccatum. Hìc autem necessariò punitur distinctum peccatum, vt ostendi; quare opus est noua sententia, quæ simul cum absolutione fertur, quáque absolutus rursus sub conditione excommunicatur nisi intra tale tempus hoc vel illud fecerit (vt bene etiam aduertit Nauarr. c. 27. nu. 277.) quod fit quandoque auctoritate Iuris, vt in casu c. *Eos qui.* 22. de sententia excomm. in 6. aliquando verò auctoritate absoluentis: qua ratione nemo potest absoluere, qui non potest excommunicare.

Nauarr. c. Eos qui.

Sequitur Secundò, summum Pontificem de absoluta potestate posse aliquem ita liberare ab excommunicatione, vt nisi intra mensem satisfecerit iterum incipiat ea ligari sine vllo nouo suo peccato : quia ipse potest suspendere excommunicationem; quamuis (vt dixi) non erit propria absolutio, sed suspensio excommunicationis. Quare cùm inferiores iudices non possint suspendere excommunicationem, non possunt ita absoluere. nec ita absolutus propriè reincideret in excommunicationem, qua numquam fuit omnino liber, sed ea quæ medio tempore eum non ligabat, nisi quasi in actu primo, inciperet iterum ligare in actu secundo.

Quæritur Septimò, si quis hoc modo ferat excom- 218
municationem, *Ioannes ab tale furtum sit excommunicatus donec restituat*; Vtrùm hoc ipso quo restituit desinat esse excommunicatus?

Glossa in Clement. 2. de decimis. v. *Donec.* id ne- *Nauarrus.*
gat, quam cum aliis sequitur Nauar. c. 27. num. 165. Ratio eorum est, quia excommunicatio non tollitur sine absolutione.

Secunda sententia docet, si talis excommunicatio sit lata à Pontifice, eam sine alia absolutione tolli per satisfactionem. quia Papa potest excommunicare ad tempus determinatum; secùs autem esse de Episcopis.

Tertia sententia absolutè docet, talem hoc ipso quo satisfacit desinere esse excommunicatum. Ita Couarr. *Couarr. Alma. Auila.*
in cap. *Alma mater.* p. 1. §. 11. num. 5. Auila p. 2. c. 7. disp. 2. dub. 6.

Concl. vs. I. Hæc tertia sententia videtur mihi 219
verior. Probatur, quia, cùm pœnæ sint restringendæ, sententia pœnalis non ampliùs ligat quàm verba in proprio & rigoroso sensu significant : atqui in tali sententia verba in proprio sensu solùm significant reum ligari vsque ad satisfactionem : ergo non ampliùs ligatur. Confirmatur, quia Interdictum & suspensio hoc modo lata tantùm ligant vsque ad

satisfactionem: ergo etiam excommunicatio, quia est eadem ratio.

220 CONCLVSIO II. Talis excommunicatio non tollitur sine absolutione; sed hæc implicitè simul fertur cum ipsa excommunicatione, sub conditione tamen futuræ satisfactionis. talis enim sententia idem valet, ac si diceret, *Ego te excommunico propter furtum, & rursum te absoluo statim atque satisfeceris.* Posse autem hoc modo dari validè absolutionem etiam ab Episcopo, satis ostendi n. 213. Ex quibus patet solutio pro argumentis contrariis.

CONCLVS. III. Si feratur excommunicatio hoc modo, *Petrus sit excommunicatus propter furtum, nec liberetur donec satisfaciat*; opus erit absolutione post satisfactionem. quia, cùm hæc verba dirigantur ad iudicem, non significant absolutionem dari statim ac reus satisfacit, sed tunc, & nullo modo antè dandam esse.

221 Quæritur Octauò, qua ratione possit quis absolui qui pluribus excommunicationibus simul est ligatus?

CONCLVSIO I. Qui ligatus est pluribus excommunicationibus, potest vel ab omnibus simul absolui vnica absolutione, vt si is qui habet sufficientem potestatem ex sufficienti intentione dicat, *Absoluo te ab omnibus tuis excommunicationibus.* Vel solùm ab aliquibus, vt si absoluens hoc solùm intendat; aut non habeat potestatem ab omnibus absoluendi; quia absolutio ab vna censura nulla ratione pendet ab absolutione alterius.

Potest quis à pluribus excommunicationibus, vel simul, vel diuerso tempore absolui.

222 Quæritur Nonò, qua ratione requiratur cognitio excommunicationis, aut libertas, tam in absoluente, quàm in absoluendo?

CONCL. I. Vt quis alium validè absoluat non requiritur vt alteruter sciat reum esse excommunicatum, sed sufficit quòd iudex habeat legitimam potestatem. & veram voluntatem eum absoluendi casu quo esset excommunicatus. Patet ex praxi Ecclesiæ; nam quotidie hoc modo ad cautelam absoluimus.

Ad absolutionem nō requiritur necessariò cognitio censuræ.

CONCLVS. II. Requiritur in absoluente vera libertas non solùm à necessitate, sine qua actus non esset humanus, sed etiam à coactione per metum. nam absolutio vi, vel metu extorta est omnino nulla, imò etiam ita eam extorquens nouam excommunicationem incurrit, vt patet ex c. vnico, de iis quæ vi metúve causa fiunt, in 6.

Absolutio metu extorta est nulla, eamque extorquens de nouo excōmunicatur. c. vn. de iis qua vi.

Nota Primò, hanc extorsionem debere esse iniuriosam, vt patet ex textu, qui eam vt contra iustitiam factam punit. Hinc qui obtineret absolutionem minando alteri pœnam quam iustè posset inferre, aut subtractionem beneficij, quod non tenetur præstare, validè absolueretur.

223 Nota Secundò, metum aut vim debere saltem indirectè incuti in ordine ad absolutionem extorquendam: quia aliàs illa non tam sunt causa absolutionis, quàm occasio, & per consequens hæc non potest dici per illa extorqueri. Vnde si quis pressus à suis inimicis excommunicatum absolueret, vt eum hac ratione inuitaret ad sui liberationem, validè eum absolueret, modò illi nullo modo premerent iudicem vt absolutionem extorqueret.

224 CONCL. III. Reus potest omnino ignorans, aut etiam inuitus validè absolui. quia, etsi hæc absolutio vt licitè fiat, communiter requirat vt reus desinat à contumacia, quia propter hanc frangendam fuit lata; non tamen hoc necessariò requiritur vt validè fiat. Quia, sicut hæc pœna per solam extrinsecam iudicis voluntatem infligitur, ita etiam per eandem auferetur: & sicut iudex eam non necessariò infert peccanti, ita nec necessariò eam continuat reo perseuerante in peccato. Ita cum communi Theologorum sent. D. Tho. in 4. d. 18. art. 5. quæstiunc. 2. vbi etiam addit fieri quandoque posse vt hoc licitè fieret; vt si iudicaretur hîc & nunc expedire ad salutem rei, vt etiam ante emendationem absolueretur, & nullum aliud inde sequeretur incommodum. b. 7. ad 4.

Nota tamen, quando excommunicatio esset inflicta propter aliquod peccatum in quo reus quasi continuo actu perseueraret, vt fit in retentione bonorum naufragantium; tum antequam à peccato omnino desistat desinendo iniquè dicta bona possidere, eum non posse absolui ab eo qui non potest legem excommunicantem tollere: quia quamdiu illa in suo vigore durat, talia bona ita detinenti illam pœnam perpetuò infligit.

225 Ex dictis sequitur Primò, excommunicatum variis excommunicationibus etiam Papæ reseruatis, confitentem ei, qui habet potestatem eum ab omnibus absoluendi, ratione generalis absolutionis ab excommunicatione, quæ absolutioni sacramentali præmittitur; absolui ab omnibus excommunicationibus quas bona fide per obliuionem, aut ignorantiam omisit explicare: quare postea ab ipsis peccatis poterit absolui à suo Parocho, nisi habeat aliqua peccata immediatè Episcopo reseruata, tunc enim ab eo deberet absolui. nam Pontifici nulla peccata reseruantur nisi ratione censuræ iis annexæ, qua sublata desinunt reseruari. vide dicta disp. 8. n. 93. & 96.

Confessarius per generalem absolutionem, quam solet præmittere sacramentali, pœnitentem absoluit à cēsuris obliti quātum potest.

Excipe tamen casum quo absoluens non posset hîc & nunc licitè talem ab aliqua excommunicatione absoluere, vt quia talis absolutio cederet in grauamen alicuius tertij: vt quando excommunicatio est lata ob læsionem alterius; quo casu illicitè datur absolutio ante realem satisfactionem aut sufficientem cautionem, iuxta dicta nu. 205.

226 Hinc in eiusmodi absolutionibus, etiam quando licitè fiunt, censentur semper apponi eæ conditiones, quas absoluens teneretur apponere si scienter ab iis absolueret: v.c. vt data prima commoditate reus parti satisfaciat, aut suo iudici se præsentet, quando ad hæc teneretur; vt si absolueretur in subito periculo mortis ab eo, qui aliàs vel non posset eum absoluere, aut saltem sine sufficiente satisfactione, aut cautione eum absolueret illicitè. Similiter talis non censetur communiter velle absoluere ab excommunicatione quæ vel nominatim in reum lata est, vel deducta ad forum contentiosum, iuxta dicta num. 207. vel etiam ab ea, quam reus sponte reticuit. quia indecenter ac illicitè eum ab hac absolueret, quia hoc modo ipsius fraudem foueret.

227 Quæritur Decimò, qua ratione absolutio data pro solo foro conscientiæ prosit in foro externo?

Henriquez, Auila.

Respondeo cum Henriquez l. 13. c. 27. n. 5. & Auila 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 12. Primò, non obstante hac absolutione iudicem posse contra reum procedere, ac si non esset absolutus. Patet, quia aliàs illa absolutio non valeret tantum in foro conscientiæ, sed etiam in externo.

Iudex non tenetur curare absolutionem datam in foro conscientiæ: potest tamen eam accepare.

Secundò, posse tamen iudicem eiusmodi absolutionem acceptare. quia in hoc nullum est incommodum; nisi fortè cederet in graue partis detrimentum, cui reus nollet satisfacere, cùm facilè posset. tunc enim huic fieret iniuria.

Tertiò, quando excommunicatio est omnino secreta, reum posse se in vtroque foro gerere vt absolutum. quia, cùm tunc nec sit periculum scandali, nec iudex habeat vllam potestatem contra eum agendi quamdiu delictum manet occultum, nulla est ratio cur non possit se gerere in vtroque foro vt non ligatum.

228 Quæritur Vndecimò, quis possit absoluere ab excommunicatione lata per canonem?

Ab excōmunicatione

CONCLVSIO I. Si ea non sit reseruata, potest ab

ea

ea absoluere Episcopus, vt communiter omnes DD. colligunt ex c. *Nuper.* 29. de sententia excommunicationis vbi dicitur excommunicatum excommunicatione minore posse absolui à suo proprio sacerdote. Et redditur ratio, quia, cùm conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso cōcessisse videtur aliis facultatem relaxandi. vbi, etsi propriè tantùm fiat mentio excommunicationis minoris; tamen ratio allata etiam in maiorem excommunicationem æqualiter conuenit, & consequenter etiam de ea intelligenda est. Confirmatur, quia frustra Pontifices qualdam à se latas excommunicationes sibi specialiter reseruarent, si omnes eis essent reseruatæ.

229 Nota Primò, *Episcopum* hîc intelligi quemuis qui habet aliqua ratione episcopalem potestatem siue iurisdictionem in foro externo, ita vt excommunicare possit: quiuis enim potest absoluere ab eiusmodi excommunicatione eos, quos posset excommunicare. Qui autem hanc potestatem habeant, vide dicta suprà disp. 13. dub. 4.

Excommunicatus ob participationem criminis censetur nominatim excommunicatus.

Nota Secundò, etsi excommunicatio quam incurrunt ij, qui cùm nominatim excommunicato communicant in crimine ob quod excommunicatus sit, propriè sit inflicta à Iure; quia tamen illa communicatio redundat in iniuriam eius qui alterum excommunicauit, ita excommunicatus in ordine ad absolutionem obtinendam censetur nominatim excommunicatus ab eo qui excommunicauit illum, cum quo ita communicauit, vt habetur d. c. *Nuper.* Et in hac conclusione communiter Doctores consentiunt.

Difficultas tamen est, Vtrùm idem sit dicendum de proprio sacerdote siue Pastore excommunicati? quidam enim hoc negant. quia hic non habet iurisdictionem in foro externo quæ necessaria est ad absolutionem à censura. Ita cum aliis Couarr. l. 3. variar. resolut. cap. vltim. numero 5. vbi ait ita seruari in praxi.

Couarr.

230 Parochus potest absoluere à non reseruata. *c. Omnis. Nauarr. Syluester.*

CONCLVSIO II. Quiuis Pastor siue proprius sacerdos (per quem, vt colligitur ex c. *Omnis vtriusque* 12. de pœnitentiis & remissionibus. intelligitur omnis is, qui potest absoluere à peccatis mortalibus) potest sibi subiectos absoluere ab excommunicatione non reseruata. ita cum multis aliis Nauarrus c. 27. num. 39. & Syluester v. *Absolutio.* 1. num. 4. qui dicunt eam esse communem sententiam Theologorum, & apertè colligitur ex d. c. *Nuper.* vbi Episcopus & proprius sacerdos in hac parte æquiparantur.

c. Nuper.

231 Nota tamen, in hac re esse aliquam differentiam inter Episcopum & Pastorem. Nam cùm Episcopus habeat iurisdictionem in foro externo (idem est de aliis similem iurisdictionem habentibus) hoc ipso quo talis potestas eius officio per Ius commune annectitur, ipse censetur eam habere ordinariam, ideoque eam alteri etiam non sacerdoti immediatè delegare potest: secùs videtur dicendum de simplici sacerdote, qui cùm non habeat ex officio iurisdictionem in foro externo, videtur hanc potestatem solùm habere delegatam, vnde etiam non potest eam alteri delegare; hoc ipso tamen quo alicui sacerdoti legitimè dat facultatem audiendi suorum subditorum confessiones, eosque à peccatis mortalibus absoluendi, efficit vt Ius eidem deleget talem potestatem.

232 Ex quibus patet solutio ad argumentum contrarium, quia, etsi tales non habeant ex officio iurisdictionem in foro externo; habent tamen quoad hunc effectum delegatam à Iure, quod delegat eam omnibus, quibus ex officio competit confessiones audire, & à peccatis mortalibus absoluere: quia ea ad hoc ferè necessaria est. Quod autem Couar. dicit Ecclesiæ praxim esse contrariam. non satis probat, imò experientia contrarium docet.

Couarr.

Videtur autem dictis repugnare Extrauag. 1. de priuilegiis, in qua explicanda multi laborant: sed iam nihil opus est, cùm sit reuocata per Clementinam 2. de sepulturis.

CONCLVSIO III. Ab excommunicatione reseruata per se loquendo solus is potest absoluere, cui reseruata est eiusve in officio successor, aut absolutè Superior, aut ab his ad hoc delegatus. Per se pater. quia per reseruationem aliis aufertur potestas absoluendi. 233

Dixi; *per se loquendo.* quia ratione concessionis à Iure factæ multi alij diuersis casibus ab ea possunt absoluere.

Primò enim in articulo mortis quiuis sacerdos etiam excommunicatus non toleratur, potest absoluere ab omni omnino censura tam ab homine quàm à Iure lata. Vt patet ex Trident. sess. 14. cap. 7. & dictis disp. 8. dub. 12. num. 90. 234 Quiuis sacerdos à quauis censura in hora mortis absoluit. *Trident.*

Nota Primò, hæreticos aut excommunicatos præsertim non toleratos, non esse ad hanc absolutionem dandam admittendos, quando adest sacerdos non excommunicatus; similiter nec eum qui extra talem articulum non poterat absoluere quando adest alius qui id etiam aliàs facere poterat: præsertim quando alter non est proprius Pastor, vt latiùs dixi in materia de pœnitentia, disp. 8. n. 90.

Nota Secundò, quando aliquis alium absoluit à censura reseruata, vel lata ab homine, à qua eum extra eum casum non poterat absoluere; eum teneri ab absoluendo priùs exigere iuramentum, quòd data proxima cōmoditate præsentabit se ei, qui eum aliàs poterat absoluere; vt eius mandatis pareat: quòd si se postea non præsentet, in eandem excommunicationem incidet. Quod obseruandum est quoties aliquis alium, qui ob temporale impedimentum legitimum iudicem adire non potest, à censura reseruata absoluit; vt dicitur c. *Ea noscitur.* 13. c. *Quamuis.* 58. de sententia excommunicationis, & c. *Eos qui.* 22. eod. tit. in 6. 235 Qui extra eum articulum non poterat absoluere debet exigere priùs iuramentum. c. *Ea noscitur.* c. *Quamuis.* c. *Eos qui.*

Addunt aliqui, quemuis clericum etiam primæ tonsuræ in articulo mortis absentibus aliis posse legitimè dispositum ab excommunicatione absoluere. Quia, cùm talis sit huius potestatis capax videtur pia mater Ecclesia, quæ, quantum est ex se, non vult aliquem pœnitentem in excommunicatione decedere, hanc ei potestatem in eo articulo concedere. 236

Sed contraria sententia, sicut est multò communior, ita etiam est verior: quia frustra eiusmodi potestas sine vllo Iure contra Ius commune & Ecclesiæ consuetudinem asseritur. Quòd si ratio pro contraria sententia allata quicquam probaret, probaret etiam purè laicum posse in eo casu absentibus clericis à censuris absoluere: quia Ecclesia etiam huic potest hanc potestatem committere. Imò probaret hoc ipso quo conteritur, ab Ecclesia absolui ab excommunicatione, quia ipsa hoc posset statuere: illud tamen apertè repugnat c. *Sacris.* 38. de sentent. excommunic. Sicut igitur Ecclesia non obstante dicta ratione, non iudicauit tales sine beneficio absolutionis debere ab excommunicatione liberari, ne vis censurarum eneruaretur: ita ob eandem rationem non iudicauit eam potestatem aliis concedendam, quàm quibus in Iure conceditur: præsertim cùm non sit tanta necessitas talis absolutionis, cùm non contrito prodesse nequeat, & contritus sine ea peccati veniam consequi, & post mortem absolui possit. Simplex clericus nō potest tunc à censuris absoluere. c. *Sacris.*

Dices, D. Augustinus relatus c. *Sanctum est.* 36. de consecrat. dist. 4. refert quendam publicè pœnitentem à laico quem recenter baptizauerat petiisse, vt ab eo reconciliaretur: quod etiam factum est, & ab Augustino laudatur. 237 D. Aug. c. *Sanctum est.*

Respondeo, D. Augustinum ibi non loqui de absolutione à censura, nec dicere istum laicum potuisse eo casu illum pœnitentem absoluere; sed solùm in eo laudare internum dolorem peccatorum, & desiderium absolutionis, siue reconciliationis, per externam illam submissionem testatum, ratione quorum ipse dignus fuit qui veniam à Deo sine humana absolutione impetraret: sicut in simili idem Augustinus citatus in cap. *Quem pœnitet.* 88. de pœnitentia, d.1. ait in absentia sacerdotis confirentem laico, non quidem absolui à peccato, à Deo tamen propter suam humiliratem contritioni coniunctam veniam mereri.

c. Quem pœnitet.

238 Mulieres ac impuberes ab Episcopo absoluuntur.

c. Mulieres. c. Quamuis. c. vlt. de sent. c. Si verò.

Secundò, mulieres ac ij, qui ante pubertatem inciderunt in excommunicationem ob percussum clericum, etiam post pubertatem possunt ab Episcopo absolui: sicut etiam ostiarius qui arcendo turbas, violentas manus in clericum iniecit, nisi eum grauiter læserit. c. *Mulieres.* 6. c. *Quamuis.* 58. cap. vltim. & cap. *Si verò.* 3. de sententia excommunicationis.

239 Qua ratione Religiosi absolui. c. Monachi. c. Cùm illorum.

Tertiò, Religiosi, qui se mutuo quacumque ratione percutiunt, possunt à suis Prælatis absolui adhibito consilio Episcopi, si enormis excessus fuerit, cap. *Monachi.* 2. & c. *Cùm illorum.* 32. de sentent. excommunic. vbi hoc extenditur etiam ad eos qui ante ingressum in Religionem excommunicationem incurrerunt. nisi eorum excessus fuerit enormis; vt si aliquem mutilarint, aut multum sanguinis effuderint in ea scilicet parte ex qua leui percussione non solet multus effundi; aut nisi Episcopum aut Abbatem percusserint. tunc enim cessante alio priuilegio ad Pontificem recurrendum est, vt ibidem dicitur. Quod verum est etiam quando ejusmodi percussio facta est ab iis qui iam actu erant Religiosi. c. *Canonica.* 50. eodem titul. Deinde in cap. *Cùm illorum.* additur, monachum qui alterius monasterij Religiosum percusserit, per proprium simul ac percussi Abbatem esse absoluendum; percutientem verò clericum sæcularem debere mitti ad Sedem Apostolicam.

c. Canonica. c. Cùm illorum.

240 Impotentes ire Romam, aut ad Nuntium Apostolicum, ab Episcopo absoluuntur. c. Ea noscitur. c. Quamuis.

Quartò, qui ob *legitimum impedimentum non* possunt Sedem Apostolicam eiusve legatum adire, possunt ab Episcopo absolui, c. *Ea noscitur.* 13. & cap. *Quamuis.* 58. de sentent. excommunicat. Tales autem ibidem dicuntur esse valetudinarij, membrorum destitutionibus impediti, qui ab inimicis graue, si in viam se dent, periculum timent, qui laborant inopia, (vt si qui aliàs non soliti erant mendicare, non possent nisi mendicando iter conficere) aut qui sunt puerili, vel senili ætate, aut qui alia corporis impotentia, aut quolibet legitimo impedimento retrahuntur; vt si paterfamilias aut aliquis Superior non posset sine grani familiæ aut subditorum damno illud iter suscipere. & *idem intellige de quouis* impedimento quod iudicio prudentis hic & nunc sufficiens iudicatur. Vide Nauarrum c. 27. num. 88. & 90.

Nauar.

241 c. Si quis.

Nota Primò, etsi in dictis Iuribus tantùm agatur de absolutione ab excommunicatione canonis, *si quis suaserit.* eandem tamen esse rationem in aliis excommunicationibus reseruatis, vt cum communi sententia docet Nauarrus cap. 27. numero 81. §. *d primum.*

Nauarrus.

Nota Secundò, cum, qui ob aliquod ex dictis impedimentis non potest adire Pontificem eiusve legatum, non teneri alium ad eos mittere; quia Iura hoc non exigunt, sed absolutè concedunt vt ab Episcopo absoluatur. Vide Henriquez l. 12. de Sacramentis cap. 3. num. 1.

Henriquez.

Nota Tertiò, quando impedimentum est temporaneum, excepto impedimento puerilis ætatis absoluens debet reo sub iuramento iniungere, vt eo cessante præsenter se ei qui eum aliàs poterat absoluere, eius mandatis pariturus. c. *Quamuis.* 58. de sentent. excommunic. quòd si postea omittat, iterum in excommunicationem incidet. c. *Eos qui.* 22. eodem tit. *in 6.*

c. Quamuis. c. Eos qui.

Nota Quartò, Nauarrum c. 27. nu. 89. §. *Ad quartum.* dicere ita impeditum non posse ab Episcopo absolui, quando potest vel legatum Pontificis, vel alium habentem priuilegium absoluendi adire. Contrà verò quidam apud Auilam p. 2. c. 7. disp. 1. dub. 6. aiunt etiam iis casibus Episcopum posse absoluere. Qua in re credo sententiam Nauarri probabiliorem quando legatus adiri potest. quia c. *Quamuis.* 58. de sent. excommun. apertè requiritur vt legatus adeatur quando fieri potest; secùs est quando nec Pontifex, nec eius legatus adiri possunt: quia tunc Iura absolutè concedunt Episcopo potestatem absoluendi, nec requirunt vt adeatur alius habens priuilegium quamuis hoc suadendum sit, quando impedimentum est rantùm temporaneum, ne reus postea teneatur se præsentare habenti absolutam potestatem absoluendi.

242 Nauarrus. Auila. c. Quamuis.

Quintò, Trident. sess. 24. c. 6. de reform. concedit Episcopis, vt possint suos subditos in foro conscientiæ per se vel per vicarium ad id specialiter deputandum absoluere ab omnibus censuris occultis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, excepta hæresi, à qua per se tantùm possint absoluere. Item vt possint dispensare in irregularitate ex simili delicto prouenienti, excepto homicidio voluntario. Dicitur autem hic delictum occultum, quod non est publicum, nec ad forum contentiosum deductum, aut à quo reus ob defectum probationis fuit absolutus.

243 Trident. Potestas Episcoporum absoluendi à reseruatis in casibus secretis.

Nota, dubium esse inter DD. vtrùm huic concessioni sit derogatum per Bullam cœnæ, quoad casus in ea contentos. Henriquez l. 6. de Sacramentis c. 14. num. 7. negat esse derogatum. cui fauent Auila 2. p. c. 7. disp. 1. dub. 6. & Nauarrus cap. 27. nu. 275. & alij quos citat Henriquez. Congregatio autem Cardinalium dicitur respondisse ei esse derogatum quoad absolutionem ab hæresi: & ita videtur habere praxis Ecclesiæ Romanæ. quare non videtur ei derogatum quoad alios casus. Vide Suarez disp. 21. sect. 3. Henriquez tamen lib. 13. cap. 27. numero 6. lit. Q. in fine commentarij, ait illam declarationem tantùm esse factam pro locis Romæ vicinis.

Henriquez. Auila. Nauarrus. Suarez. Henriquez.

Sextò, sæpè per Bullas cruciatas aut priuilegia conceditur, vt aliqui possint per inferiores absolui à casibus Papæ reseruatis; & similiter multis Religiosis, aliisque etiam personis conceditur vt ab iis possint absoluere. in quibus priuilegiis diligenter inspicienda sunt verba, quibus ea facultas conceditur: nec enim quicquam operantur vltra apertam verborum significationem.

244

In quibus etiam notandum est, quando solùm generalibus verbis conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus Pontifici reseruatis, non comprehendi casus contentos in Bulla cœnæ, vt communiter DD. affirmant: quia hi specialiter sunt reseruati, & consequenter per generalem concessionem non censetur eorum reseruatio tolli. *quia concessione generali non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus*, vt dicitur regula 81. in 6. Vnde etiam Pontifex quando vult alicui concedere facultatem absoluendi à casibus reseruatis in Bulla cœnæ, solet hoc speciatim exprimere. Similiter quando alicui conceditur potestas absoluendi à casibus Bullæ cœnæ, multi volunt non concedi facultatem absoluendi ad hæresi, quia hæc specialiter reseruatur. ita Nauarrus c. 27. nu. 275. Alij tamen contrarium asserunt esse verum, quando eiusmodi facultas generatim alicui Ordini, vel per generale Iubileum conceditur: quia tunc est gratia Principis, quæ amplè interpretanda

245 Sub generali concessione absoluendi à reseruatis nō comprehēduntur casus Bullæ cœnæ. Nauarr.

Henriquez Suarez

pretanda est. Ita P. Henriquez l. 13. c. 27. n. 5. in fine, quam sententiam etiam putat probabilem P. Suarez de censuris d. 7. sect. 5. n. 12. in fine. Credo, omnino eam esse veram in locis multùm hæresi infectis, aut iis vicinis, in quibus aliàs eiusmodi priuilegia essent magna ex parte inutilia.

Quando tamen Pontifex concedit alicui vt possit absoluere à casibus sibi reseruatis, censetur etiam concedere absolutionem à reseruatis Episcopo, quia hæc concessio est facilior quàm illa. Vide Suarez suprà num. 13. Suarez.

Quæritur Duodecimò, Vtrùm absolutio data ratione priuilegij, aut Iubilei valeat etiam in foro externo?

246 Nota, hanc dubitationem posse intelligi tam de absolutione ab excommunicatione lata per canonem, quàm lata ab homine, & per sententiam particularem, quando in Bullis datur potestas ab ea absoluendi, vt dicam n. 255.

Hac autem in re certum est, quando in priuilegio expressè datur facultas absoluendi pro vtroque foro, absolutionem valere pro vtroque foro; & contrà eam solùm valere pro foro conscientiæ, quando facultas ad hoc restringitur. Sed difficultas est quando facultas datur absolutè sine vlla additione.

Prima sententia docet, tunc absolutionem valere pro vtroque foro. Primò, quia Pius V. in Iubileo dato anno 1568. dicit eiusmodi absolutiones non valere pro foro externo, nisi satisfacta parte: ergo si huic satisfactum sit, valent etiam pro eo foro. Ita Suarez d. 7. sect. 5. n. 20. Pius V. Suarez.

Secunda opinio negat, valere in foro externo, quia, cùm talis concessio sit odiosa & contra rigorem Iuris, ac iurisdictionem Ordinariorum, quam imminuit, & aliqua ratione turbat; non videtur vllo modo concedi per verba generalia, nisi speciatim exprimatur; iuxta regulam Iuris 81. in 6. citatam suprà n. 245. ita cum aliis multis, quos citat Auila 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 12. vbi etiam ad Bullam Pij V. respondet, Pontificem in ea nihil aliud velle, quàm quando parti satisfactum est, talem absolutionem ad hoc valere in foro externo, vt ita absolutus durante Iubileo non possit à iudice impediri à susceptione Sacramentorum, aliisque quæ necessaria sunt ad Iubileum lucrandum; sicut posset impediri si parti non satisfeciisset, transacto autem Iubileo ait eum teneri se iudici præsentare, eique satisfacere, & ad hoc posse cogi. Auila.

Henriquez. Henriquez verò l. 7. c. 14. n. 2. ait secundam sententiam esse veram de rigore Iuris; videtur tamen aliquàtò plus tribuere in foro externo absolutioni, datæ virtute Iubilei Pij V. & similium.

247 Talis absolutio non valet in foro externo antequam parti satisfactum sit.

Concl. I. Quando virtute similium priuilegiorum datur absolutio, antequam parti satisfactum sit, sine ipsius consensu etiam in casibus in quibus hoc licitè fit; iuxta dicta suprà n. 206. nullo modo valet pro foro externo. Hoc clarè colligitur ex Iubileo Pij V. suprà citato, & apertè probatur ratione pro secunda sententia allata. Et confirmatur, quia, vt talis possit legitimè in foro externo absolui, non sufficit eum esse imporentem satisfacere parti, nisi hoc iuridicè constet: quod fieri nequit nisi intercedente auctoritate iudicis fori externi.

248 nec etiam quàdo pars negat sibi satisfactum esse.

Conclvsio II. Idem dicendum quando reus satisfecit quidem verè à parte rei ipsi parti quantum ad hoc tenetur, hæc tamen hoc negat, nec consentit vt absoluatur: tunc enim in foro externo absolui nequit, nisi iuridicè de satisfactione constet.

Concl. III. Idem dicendum quando reus incurrit excommunicationem ob crimen quod religioni Christianæ, aut generali statui hominum iniuriosum est, vt sunt hæresis publica, clerici percussio, &c. Quia, cùm tales ligati sint ob læsionem publici status; omnino conuenit eos in foro externo non nisi per publicum iudicium absolui.

Concl. IV. Quando excommunicatio solùm est lata præcisè in commodum partis læsæ, v. c. propter debita non soluta, aut furtum commissum; tunc si pars fateatur sibi omnino satisfactum esse, aut in omnimodam rei absolutionem consentiat, valdè probabile est absolutionem datam virtute eiusmodi Bullarum valere in vtroque foro: quia hoc videtur innuere Bulla Pij V. citata, atque etiam aliæ quas citat Henriquez suprà, & ipse eas ita videtur intellexisse. Et credo omnes tres sententias hoc modo posse conciliari, si Doctorum mens magis spectetur, quàm rigorosus verborum sensus. 249 Valet quàdo pars absolutè fatetur sibi satisfactum esse. Henriq.

Quæritur Decimotertiò, Vtrùm is qui potest alium absoluere ab excommunicatione ratione istiusmodi Bullarum, aut priuilegiorum, possit eum absoluere etiam extra Sacramentum pœnitentiæ.

Prima sententia absolutè negat, id communiter fieri posse. Primò, quia eiusmodi facultas tantùm pro foro conscientiæ solet concedi. Secundò, quia datur in ordine ad absolutionem sacramentalem: vnde in eiusmodi priuilegiis sæpè additur, vt cõfessarij possint absoluere audita confessione; aut per Bullas datur facultas eligendi confessarium approbatum qui possit absoluere, quare vbi hæc non adduntur, videntur subintelligi. Ita Nauarr. c. 26. n. 3. 250 Nauarr.

Secunda sententia omnino contraria docet, absolutè tales validè absoluere à censuris extra confessionem sacramentalem, & sæpè expedire vt ita fiat, vt si reus non sit paratus vt statim confitearur, & adsint causæ ob quas expediat eum statim absolui, idemque dici posset, quando ei, qui habet potestatem absoluendi à censuris reseruatis, non vacaret audire integram confessionem: tunc enim posset audire solos casus qui habent annexam excommunicationem, & tunc ab hac absoluere, & pœnitentem mittere ad alium, qui audita confessione absolueret à peccatis. Ita cum aliis Auila 2. p. c. 7. d. 3. dub. 13. 251 Habẽ priuilegiũ absoluendi à cẽsuris possunt id facere extra cõfessionem. Auila.

Ratio est, quia absolutio ab excommunicatione nulla ratione pendet à Sacramento pœnitentiæ, &, vt iam ostendi, expedit eam aliquando dari extra Sacramentum.

Ad Primum argumentum contrarium Respondetur, longè aliud esse hanc potestatem solùm dari pro solo foro conscientiæ (quia hoc nihil aliud significat quàm eam non valere pro foro externo,) aliud verò eam non posse exerceri nisi in foro sacramentali, nulla enim est inter hæc consequentia. Ad Secundum Respondetur, ex eo quòd facultas hæc sæpè detur vt reus possit absolui à peccatis; non sequi vtramque absolutionem simul, aut ab eodem debere dari: similiter ex eo quòd dicitur hanc absolutionem debere fieri à confessario approbato, non sequitur quòd debeat fieri in confessione sacramentali; sed solùm cauetur ne alia persona quæ fortè esset inepta, eligatur. Itẽ quod quãdoque in Bulla additur, *audita confessione*; respectiuè est intelligendũ respectu potestatis absoluendi ab omnibus peccatis, quæ simul cũ alia facultate solet concedi. 252 Non omnis forum cõscientiæ est sacramentale.

Tertia sententia docet, tunc secundam esse veram, quando in concessione facultatis non additur *audita confessione*: tunc enim videtur requiri, vt ea absolutio fiat in foro sacramentali, ita Henriquez l. 7. cap. 13. n. 12. vbi etiam multos recentiores citat, additque etiam eam conditionem iam communiter in Bulla omitti. 253 Henriquez.

Conclvsio. Tam secunda quàm tertia sententia satis est probabilis, & tuta in praxi: & res est multò certior quando eiusmodi facultas conceditur nulla facta mentione confessarij aut confessionis.

Quæritur Decimoquartò, quis possit absoluere

ab excommunicatione lata ab homine per sententiam particularem.

254 A censura lata per sententiam particularem absoluit latos, &c.

CONCLVSIO. Ordinariè is solus potest eam tollere, qui tulit, aut eius absolutè Superior, aut successor, aut cui ipse hoc commisit. Ita communiter Doctores.

Dixi *ordinariè*, quia quandoque contingit, vt alius possit ab ea absoluere, nam Primò, in articulo mortis quiuis sacerdos absente legitimo iudice potest absoluere ab omni excommunicatione, iuxta dicta sup. n. 234. Secundò, Archiepiscopus in duobus casibus potest absoluere excommunicatos à suis Suffraganeis, etsi non sit absolutus horum Superior. Primò, quando ad eum est appellatum, c. *Venerabilibus.* 7. de sentent. excommun. in 6. Secundò, quando iure suo diœcesim sui Suffraganei visitat: tunc enim in eius subditos habet iurisdictionem, vt patet ex c. *Cùm ex officij.* 16. de præscriptionibus, vide Henriq. l. 10. c. 3. nu. 3. & Siluest. v. *Archiepiscopus.* nu. 2. vbi etiam plures casus enumerat, in quibus Archiepiscopus habet iurisdictionem in subditos Suffraganeorum: sed hi præcipui & maximè certi sunt.

Archiepiscopus in duobus casibus.
c. Venerabilibus.
c. Cùm ex officij.
Henriquez. Silueſter.

255 Tertiò, quandoque ratione priuilegij possunt aliqui pro foro conscientiæ absoluere ab aliis per sententiam particularem excommunicatos, quando in priuilegio conceditur potestas absoluendi ab omni excommunicatione siue à Iure, siue ab homine lata, vt docet Henriq. l. 13. c. 28. n. 2. & cum aliis multis Anila 2. p. c. 7. d. 3. dub. 10. quod maximè locum habet quando excommunicatio est lata propter aliquod factum particulare, cuius auctor est occultus: hac tamen in re cautè se debet gerere is qui ita absoluit ne aut iudici, aut parti læsæ faciat iniuriam, iuxta dicta sup. n. 205. & 207.

Henriquez. Anila.

256 Quibus casibus nequit absoluere is qui excommunicauit. *Angelus.*

Rursum quandoque accidit vt is qui excommunicauit absoluere nequeat, idque variis casibus. Angelus enim v. *Absolutio* 2. numerat sex.

Primus est, quando delegatus à Papa ad certam causam terminandam excommunicat eum qui sententiæ definitiuæ non vult parere, hunc enim post annum à sententia lata solus Papa absoluere potest: quia tunc excommunicantis iurisdictio omnino desinit, c. *Quærenti.* 26. de officio iudicis delegati. Ante annum verò elapsum, aut quando delegatus tulit excommunicationem ante sententiam definitiuam, potest reum absoluere quamdiu sententia definitiua non est data, quia tamdiu durat eius iurisdictio.

c. Quærenti.

Secundus casus est, quando excommunicans ratione excommunicationis, quam incurrit, aut quacunque alia ratione perdit suam iurisdictionem. per se patet.

Tertius est, quando incendiarij sunt nominatim excommunicati & denuntiati: tunc enim à solo Papa possunt absolui. c. *Tua nos.* 19. de sent. excommunicat.

c. Tua nos.

Quartus est, quando aliquis nominatim aliquem excommunicauit, & Papa ex perfecta cognitione causæ & certa scientia sententiam confirmauit; tunc enim ipse censetur talem nominatim excommunicasse, & consequenter solus potest eum absoluere: secùs esset quando solùm esset lata generalis aliqua excommunicatio, v. c. in omnes adulteros, & à Papa confirmata, tunc enim ab ea, nisi esset reseruata, possent absoluere omnes illi qui possent absoluere ab excommunicatione Iuris non reseruata.

Quintus est, quando excommunicans non est sacerdos; tunc enim Angelus putat eum non posse absoluere pro foro conscientiæ. Sed hoc falsum est: nam absolutio à censura pro vtroque foro non magis est actus Ordinis, quàm eiusdem latio.

Sextus est, quando Pontifex (idemque est de quocumque legitimo iudice) habens sufficientem causæ cognitionem mandaret alicui vt alium excommunicaret nullo modo de causa cognoscendo: quia hic tunc esset merus executor, nec posset plus facere quàm esset ei mandatum. Secùs esset si simul ei mandaretur vt causam priùs cognosceret, & sic censuram ferret; quia tunc posset etiam pœnitentem absoluere.

Quæritur Decimoquintò, quis possit absoluere ab excommunicatione lata ab homine per sententiam generalem? 257

Quidam putant eandem esse rationem huius censuræ, & latæ per sententiam particularem; sed malè. Eadē ratio in ordine ad absolutionem censuræ latæ per Ius, & latæ per sententiam generalem. *Nauarrus. Henriquez.*

CONCL. Qui possunt absoluere ab excommunicatione lata à iure, possunt etiam absoluere ab excommunicatione lata per sententiam generalem, siue lata sit à Papa, siue ab inferiore, ita Nauar. c. 27. n. 44. Henriq. c. 28. n. 5. & iam ferè communiter DD. Ratio est, quia quoad hanc rem eadem planè est ratio censuræ latæ per sententiam generalem & latæ per Ius; nec vlla potest reperiri ratio distinctionis: secùs est de censura lata per sententiam particularem qua aliqui nominatim excommunicantur. Quia, cùm ad hoc opus sit vt tales ante excommunicationem citentur à iudice, eorum causa necessariò debuit ad ipsius tribunal deduci, quare si alius eos absolueret; necessariò illius iudicium aliquo modo interturbaret: secus est de excommunicatione lata per sententiam generalem.

Ex dictis sequitur, Antuerpiensem v. g. qui maximæ anni parte habitans in diœcesi Mechlinienſi, ibi contraxit excommunicationem latam per Ius, aut sententiam generalem, redeuntem domum posse ab ea absolui per eum, qui habet potestatem ab eiusmodi excommunicatione absoluendi; eodem modo ac si eam contraxisset Antuerpiæ, quia, cùm eiusmodi excommunicationes non sint particulatim reseruatæ ei à quo latæ sunt; nihil refert à quo latæ, vel vbi contractæ sint: quia ideo aliis non sunt minùs vel magis reseruatæ. 258 Potest confessarius vnius diœcesis absoluere ab excommunicatione alibi contracta.

Imò etsi excommunicatio, quam talis incurrisset in diœcesi Mechlinienſi, esset reseruata Episcopo; si non esset reseruata in diœcesi Antuerpienſi, posset talis domum reuersus à suo Pastore absolui, quia Mechlinienſis per hoc quòd aliquas censuras reseruet in sua diœcesi, non potest impedire Antuerpienses ne ab ijs absoluant. etiam si loco, in quo contracta fuit, sit reseruata Episcopo.

Quòd si autem Antuerpiensis contraxisset in diœcesi Mechlinienſi censuram latam per sententiam particularem; deberet absolui à iudice qui eam tulisset, quia hæc huic est singulariter reseruata. Excipe latam per *sententiam* particularem.

Notandum hîc demum, Episcopum vel Pastorem posse suum subditum absoluere etiamsi vterque existat in aliena diœcesi, quia iudex existens extra suum territorium potest exercere iurisdictionem voluntariam siue gratiosam, quæ fit sine strepitu iudiciali, vt ex communi sententia docet Couarr. l. 3. Variar. c. 20. num. 8. 259 Potest quis suū subditum absoluere in aliena diœcesi. *Couarr.*

DVBIVM XVII.

De excommunicatione minore?

NOta, olim videri fuisse varias excōmunicationes minores, quæ etiam ab homine solerent infligi, vt insinuatur in variis capitulis 11. q. 3. & notant Silvester v. *Excommunicatio.* 1. n. 1. & Victoria in Summa, de excommunicatione, n. 1. iam verò solùm est in vsu ea, quæ à Iure infligitur propter communicationem illicitam cum excommunicato. 260 Olim variæ fuerunt excōmunicationes minores. *Silueſt. Victoria.* Iam verò est vnica.

Quæritur Primò, qui sint effectus huius excommunicationis? 261

CONCL. I. Excommunicatio minor directè solùm priuat passiua participatione Sacramentorum. patet ex c. 2. de exceptionibus, vbi dicitur ita excommunicatum tātùm esse remotum à participatione Priuat perceptione Sacramentorum. *c. 2. de exceptionibus.*

c. vlt. de cler. excom.

Sacramentorum. Et c. vlt. de clerico excommunicato, dicitur hanc participationem consistere in sola perceptione Sacramentorum. Ex quo patet; talem percipiendo Sacramenta peccare mortaliter, quia materia grauis est, & in dicto cap. dicitur grauiter peccare.

Idque sub peccato mortali.

262 Ita ligatus illicitè eligitur ad Beneficium, validè tamen, donec electio irritetur. c. vlt. de cler. excom.

Concl. II. Indirectè tamen & quasi consequenter Iure id statuente ita excommunicatus sit aliquo modo ineptus vt eligatur ad aliquod Beneficium Ecclesiasticum, eiusque electio irritanda est. *Quia ad eorum susceptionem eligitur à quorum perceptione à sanctis Patribus est priuatus.* vt dicitur in d. c. vlt. de clerico excommunicato: quia scilicet omne Beneficium Ecclesiasticum est aliquo modo saltem remotè institutum ad susceptionem Sacramentorum, quatenus aliquo modo dirigitur ad celebrandum, aut ad Ordines suscipiendos.

Vbi Nota Primò, etsi Ius hîc solùm loquatur de electione ad Beneficium; multi tamen dicunt idem dicendum esse de præsentatione ad Beneficium, aut eiusdem collatione: tum quia in his omnibus quædam persona ex aliis ad Beneficium obtinendum eligitur, atque ita aliquo modo possunt dici electio; tum etiam, quia ratio in Iure allata in omnibus æqualiter militat. ita Couar. in cap. *Alma mater.* p. 1. §. 7. num. 1. Henriquez l. 13. cap. 3. num. 3. Suarez disp. 24. sect. 2. num. 22.

Couar. Henriquez. Suarez.

263 Nota Secundò, quosdam docere talem electionem esse iure ipso irritam, & in dicto capite dici irritandam esse, id est, irritam declarandam: sed verius est solùm esse irritandam, quia ius hoc expressè dicit; & cùm sit pœnale, benigniore modo explicandum est. Quare cùm altera explicatio sit impropria, non est admittenda, cùm nulla necessitas ad hoc cogat.

Nota Tertiò, in d. cap. dici talis electionem esse irritandam; *si scienter electus sit.* Vnde quidam apud Anilam p. 2. cap. 6. disp. 12. dub. 4. concl. 4. ainnt talis electionem cum ignoratione censuræ factam non esse irritandam, quia verba legis pœnalis rigorosè interpretanda sunt, & Ius eam scientiam videtur requirere. Alij tamen communiter docent contrarium; quare hoc videtur in praxi sequendum: atque illud *scienter*, positum dicunt pro eo ac si diceretur, *etsi scienter electus sit.*

Anilam

Nota Quartò, videri difficile quia ratione in dicto cap. dicitur ita excommunicatum peccare conferendo Sacramenta, cùm tamen hæc collatio non sit ei prohibita; atque ita nullo modo videtur peccare, si sit in gratia. 264

Multi dicunt Ius solùm loqui de collatione Sacramenti, quæ simul habet adiunctam Sacramenti susceptionem, vt fit in conferente Ordines qui simul debet celebrare. Sed hæc explicatio satis dura est, quare alij verius aiunt talem peccare venialiter conferendo Sacramenta sine necessitate; non quòd hoc ei directè sit prohibitum, sed quia indecens est aliquem conferre aliquod Sacramentum, à cuius susceptione tanquam indignus est prohibitus.

Talis peccat venialiter contra decentiam si conferat aliquod Sacramentum,

Quæritur Secundò, quis possit absoluere ab hac excommunicatione? 265

Quidam putant omnem sacerdotem posse ab ea absoluere quando contracta est per peccatum veniale; quia quiuis potest à tali peccato absoluere.

Qui potest absoluere à peccatis mortalibus potest absoluere ab hac excommunicatione. c. Nuper.

Conclvsio I. Quiuis qui potest absoluere à peccatis mortalibus, potest absoluere à tali excommunicatione, quia c. *Nuper.* 29. de sentent. excommunic. dicitur, quòd quiuis propriùs sacerdos possit ab hac excommunicatione absoluere: talis autem hac in re dicitur quisquis potest absoluere à peccatis mortalibus, vt ostendi suprà num. 230. Est communis Doctorum.

Non tamen quiuis sacerdos;

Concl. II. Verius est eum qui solùm potest absoluere à venialibus, non posse vmquam absoluere ab eiusmodi excommunicatione. Est ferè communis, & probatur, quia, sicut hæc absolutio est distincta à sacramentali, ita ad eam requiritur distincta iurisdictio, quæ nullibi generatim omnibus sacerdotibus conceditur.

DISPVTATIO XV.

DE

SVSPENSIONE.

DVBIVM I.

De natura & diuisione Suspensionis?

1 Scia.

Nauarr. Suarez. Anila. Angelus. Siluest. Suspensio quid sit.

VÆRITVR Primò, quid sit Suspensio? Omissis variis acceptionibus, quibus hoc nomen accipi potest; solùm agemus de Suspensione Ecclesiastica. Hanc autem varij variè definiunt, vt videre est apud Sotum in 4. d. 22. q. 3. art. 1. §. *Differunt autem.* Nauarr. c. 27. nu. 151. Suarez d. 25. sect. 1. n. 2. Anilam 3. p. disp. 1. dub. 1. Angelum, Siluestrum & alios Summistas v. *Suspensio*, initio. Quorum definitiones ferè cum hac coincidunt, *Suspensio est censura Ecclesiastica; qua clericus priuatur vsu potestatis, quæ illi ratione officij clericalis, aut Beneficij competit.* Addunt multi: *Ita tamen vt non priuetur tota potestate in perpetuum*, quia tunc esset potiùs depositio aut degradatio, quàm Suspensio, sed hoc absolutè loquendo non est necessarium, vt ostendam disp. 16. n. 3.

2 Differt ab excommunicatione & Interdicto;

Hinc patet, differre ab excommunicatione & Interdicto; non solùm quia illa priuant quibusdam bonis quibus non priuat Suspensio, sed etiàm quia sub diuersa formalitate priuant. Nam excommunicatio priuat bonis spiritualibus, quatenus habent rationem cõmunionis cum fidelibus; Interdictum verò, quatenus sunt quædam participatio diuinorum officiorum, aut Sacramentorum; Suspensio verò, quatenus habet rationem potestatis clericalis. Vnde hæc censura in solos clericos ferri potest, aliæ duæ in omnes fideles.

excommunicatione & Interdicto:

in solos clericos ferun.

Quæritur Secundò, qua ratione diuidatur Suspensio? Angelus v. *Suspensio.* 3. & Siluester *Suspensio.* 1. & alij Summistæ, varias adferunt diuisiones Suspensionis, quæ non faciunt ad rem, nec vllo modo propriè Suspensioni conueniunt: nam vocant suspensum etiam qui est in peccato mortali, & eum cui ex iusta causa confessarius præcepit aliquamdiu abstinere à celebratione, aut Sacramentorũ susceptione, qui nonnisi impropriissimè possunt dici suspensi, nec vlla omnino censura ligari sunt. Quare his omissis Suspensio diuiditur Primò, in eam quæ est à Iure, & eam quæ est ab homine. De qua vide dicta disp. 13. dub. 2. circa censuras in genere.

3 Angelus; Siluest.

Variè diuiditur.

Secundò, diuiditur in omnino totalem, quia quis suspenditur simul ab officio, & Beneficio; & in eam, qua quis solùm suspenditur ab officio, vel solùm à Beneficio. Vbi rursus Suspensio ab officio in multas partiales diuiditur, vt ex dicendis patebit.

Tertiò, quædam Suspensio est perpetua, quædam ad certum tempus, quædam ad tempus incertum. Pro quorum intelligentia Nota, Suspensionem solere variis modis ferri siue à lure, siue ab homine.

4 Primò enim quandoque aliqui generatim suspenduntur sine vlla determinatione. Talis Suspensio fertur Extrauag. *Diuina.* de priuilegiis, & Clement. 1. cod. tit. Item in Trident. sess. 25. c. 14. de reform. vt videbimus infrà n. 52. Ita autem suspensi censentur absolutè suspensi tam ab officio, quàm à Beneficio, quia nulla est ratio cur Suspensio magis intelligatur de vno quàm de alio: præsertim in Suspensione lata à Tridentino, in qua nulla est circumstantia, ex qua colligas vllam determinationem ad certam materiam. Aliàs verò expressè fertur Suspensio ab officio & Beneficio, c. *Tuarum.* 11. de priuilegiis, & Clementina 1. de decimis.

Extrauag. Diuina, Clem. 1. de priuileg. Trident.

c. Tuarum. Clem. 1. de decimis.

Secundò, quidam suspenduntur generatim & absolutè ab officio; Tertiò, ab aliquo officio determinato, v. g. sacerdotali, &c. Quartò, & à Beneficio; Quintò, à iurisdictione; Sextò, ab ingressu ecclesiæ.

DVBIVM II.

Quos effectus habeat Suspensio?

5 Suspensis ab officio quid prohibeatur.

CONCL. I. Absolutè suspensus ab officio prohibetur exercere omnes illas actiones quæ clericis omnino propriæ sunt. Quales sunt omnes actiones iurisdictionis Ecclesiasticæ, & omne exercitium Ordinis, aut officij, quod à solis clericis fieri potest. Est communis, & per se patet. Secùs est de exercitio quod non requirit clericatum; quale est omne exercitium Ordinum minorum factum eo modo, quo à laïcis communiter fieri solet. Item canere cum aliis in choro, modò suspensus non canat quasi ex officio orationes aut capitula; quia hoc ex vsu Ecclesiæ solis clericis competit. Ita Nauarr. l. 5. consil. tit. de sentent. excommunicat. consil. 64. P. Auila p. 3. d. 2. dub. 1. concl. 6. §. *Hinc sequitur.*

Nauarr. Auila.

6 Suspensus ab officio non semper est suspensus à Beneficio. *c. Inter. Nauarr. Auila. Sanchez.*

CONCL. II. Ita suspensus ab officio non est necessariò suspensus à Beneficio; quia hæ pœnæ diuersæ sunt. Quare poterit omnes fructus sui Beneficij percipere, modò ei per se, vel per alios inferiat. Patet ex c. *Inter.* 10. de purgatione canonica. Ita Nauar. c. 27. n. 6. Auila suprà, & cum aliis Sanchius l. 3. de matrim. d. 51. n. 12. Limitat hanc conclusionem Nauarrus: nisi Suspensio sit tam diuturna, vt tacitè vel expressè habeat vim priuationis. Sed Sanchius sup. cum aliis absolutè docet etiam perpetuò suspensum ab officio, non esse suspensum à Beneficio; addit tamen nu. 13. si crimen graue sit, Beneficio priuandum esse.

7 Tali illicitè confertur Beneficiū. *c. vlt. de cleric.* Collatio tamen est valida. *Suarez. c. Cùm dilectus. c. Quia diuersitatem.*

CONCL. III. Absolutè suspenso ab officio illicitè confertur Beneficium, quia, cùm Beneficium detur propter officium, illicitè datur ei, qui ab officio clericali arcetur, vt patet ex c. vlt. de cleric. excommunicato.

Addunt multi collationem esse irritam, sed non probant: nam ex d. cap. apertè colligitur solùm esse irritandam. Ita Suarez d. 26. sect. 3. n. 8. nec aliud probat c. *Cùm dilectus.* 8. quod alij pro se solent citare. Solent etiam citare c. *Quia diuersitatem.* 5. de concess. præb. sed nihil facit ad rem præsentem.

8 CONCLVSIO IV. Suspenso ab aliquo officio determinato præcisè prohibentur actus illius officij, aut illi qui cum illis necessariam habent connexionem; quia pœnæ non sunt extendendæ vltra significationem verborum legis pœnalis. Hinc suspensus à iurisdictione nullos actus iurisdictionis exercere potest; potest tamen exercere omnes actus Ordinis, aliosque clericales, qui non includunt iurisdictionem.

An suspensus ab Ordine inferiore posse vti superiore.

Hinc etiam plurimi inferunt suspensum ab actu Ordinis inferioris, etiam suspendi à susceptione atque actu Ordinis superioris; non tamen contrà. Ratio eorum est; quia Ordo inferior supponitur à superiore tamquam fundamentum: quare eo sublato hic necessariò ruit.

9 Sed hæc ratio non conuincit. Nam etsi tam susceptio quàm exercitium actus Ordinis superioris pendeat ab Ordine inferiore, ita vt illum nemo licitè possit suscipere aut exercere, qui hunc non habeat; tamen vsus superioris non semper pendet ab vsu inferioris Ordinis: nam sacerdos omnino cœcus aut carens altera manu, potest audire confessiones, non tamen fungi officio diaconi; quia talis nullo modo potest decenter ministrare celebranti.

Suarez.

Quare aliqui apud Suarez d. 26. sect. 4. nu. 8. aiunt illud tunc solùm esse verum, quando actus Ordinis superioris nequit fieri sine exercitio actus inferioris Ordinis. Hinc dicunt sacerdotem suspensum ab exercitio diaconatus posse audire confessiones, solemniter baptizare, &c. non tamen celebrare; quia tunc deberet legere Euangelium, quod est actus diaconatus: quam sententiam docet Suarez esse probabilem; contrariam tamen esse probabiliorem & securiorem ob DD. auctoritatem.

Suarez.

10 Qua in re credo omnino esse indecens, vt suspensus ab exercitio Ordinis inferioris superiorem aut suscipiat aut exerceat; ideoque ab his omnino arcendum esse. Credo tamen cum aliis viris doctis esse probabile, talem superiorem Ordinem exercendo aut suscipiendo non fieri irregularem, modò nullo modo exerceat actus Ordinis, à quo suspensus est. Quia talis non facit aliquid directè sibi per censuram prohibitum, sed solùm per quandam consecutionem propter indecentiam. Addunt præterea aliqui Episcopum suspensum à collatione subdiaconatus non posse conferre superiores Ordines, sed non probant. Quare Suarez sup. n. 11. & 14. meritò contrarium docet.

Suspensus à collatione Ordinis inferioris licitè confert superiorem.

11 Suspenso à Beneficio quæ prohibeantur.

CONCLVSIO V. Suspensus à Beneficio arcetur ab administratione omni temporali sui Beneficij, eiusque fructibus suscipiendis; non tamen ab actibus iurisdictionis, Ordinis, aut officij clericalis. Est communis.

Addunt tamen aliqui talem non posse conferre vlla Beneficia, aut ad ea eligere, si ius conferendi aut eligendi ei conueniat ratione Beneficij à quo suspensus est, quia ipse est priuatus fructibus sui Beneficij: talis autem collatio est fructus Beneficij. Hanc sentent. insinuat Nauar. c. 27. n. 160.

Nauarr.

Sed contrarium est dicendum; quia c. *Cùm Vintonienſis.* 25. de electione, expressè dicitur suspensos à Beneficio posse eligere. Et ratio est; quia electio aut collatio Beneficij, est propriè actus iurisdictionis ac officij clericalis, à quo talis non est suspensus; & non nisi impropriè potest dici fructus Beneficij, ita glossa d. c. *Cùm Vintonienſis.* verbo *Amiserant.* & ibidem Abbas. Siluester v. *Suspensio.* q. 5. Auila p. 3. d. 2. dub. 1. concl. 4. & alij communiter.

c. Cùm Vintonienſis.

Abbas. Siluester. Auila.

12 Tenetur fungi suo officio. An aliquid possit percipere ex Beneficio.

CONCL. VI. Ita suspensus non modò potest, sed etiam tenetur præstare officium, ad quod aliàs ex Beneficio obligatur: quia Suspensio eum pœna afficit, nulla autem obligatione liberat. Nec refert quòd non fruatur fructibus ipsius Beneficij; quia hoc sibi imputare debet.

Addunt tamen hîc aliqui, talem posse recipere fructus sui Beneficij correspondentes labori quem in seruiendo impendit; siue quantū arbitrio boni viri daretur sustentationis causa deseruitori, qui alieno nomine eā

Aquil. Manarr. labores subiret. Ita Aquila p. 2. disp. 2. dub. 1. concl. 6. circa finem, & Petr. Nauarr. l. 2. de restit. c. 2. nu. 237. Immò hic laxiùs loquitur: nam videtur omnes fructus ei concedere, donec per iudicem iis priuetur. Non loquitur tamen particulatim de suspenso à Beneficio, sed generatim de suspenso aut excommunicato.

13 Alij verò volunt, hoc solùm esse verum, quando ita suspensus non habet alia bona quibus se sustentet, ita vt aliàs ei esset necesse mendicare in dedecus Nauarr. status clericalis. Citatur pro hac sententia Nauarr. c. 25. numer. 124. sed ipse potiùs tertiam sententiam tenet.

Tertiò, alij dicunt secundam sententiam esse veram, quando quis est suspensus in puram pœnam, ita vt non sit in eius potestate Suspensionem tollere. Secùs esse quando est suspensus ob contumaciam; ita vt in eius potestate sit ab ea, cùm voluerit, liberari: hunc enim volunt nullo modo debere ali fructibus sui Beneficij donec resipiscat. Ita Nauarr. sup. & Suarez d. Nauarr. Suarez. Couarr. 27. sect. 2. n. 5. & Couar. l. 3. variar. c. 13. n. 8. §. *Duodecimo hic.*

Quartò, alij volunt primam sententiam esse veram respectu quotidianarum distributionum, quas dicunt ita suspensum lucrari si diuinis officiis interfit. Hæc sententia videtur posse colligi ex Couarruuia suprà initio capitis, vbi fusè docet distributiones quotidianas non recenseri inter fructus Beneficij, & dari quasi in mercedem laboris. Vnde sequitur, cùm suspensi à Beneficio non priuentur mercede laboris, sed fructibus Beneficij; eos posse eas recipere, si officio interfint.

14 Ex his sententiis credo tertiam in rigore iuris esse veram, præsertim respectu fructuum, qui à distributionibus distinguuntur, quia sicut Suspensio ab officio priuat omni omnino exercitio officij: ita Suspensio à Beneficio, omni emolumento quod ex eo prouenire posset. Prima tamen & quarta sententia sunt æquitati valdè consonæ in ijs, qui in puram pœnam præteriti peccati, per certum ac notabile tempus suspensi sunt. Durum enim est aliquem cogere per aliquot annos perpetuò clericali officio fungi, & negare ei omne emolumentum, quod inde ei posset euenire, nam hoc ferè æquè graue foret ac si Beneficio priuaretur: cùm tamen iudex voluerit eum longè mitiore pœna punire, quàm sit priuatio Beneficij. Secùs est de suspenso ob contumaciam; quia non meretur misericordiam, cùm in eius potestate sit, cùm voluerit, omnem pœnam effugere.

Addunt præterea aliqui, absolutè suspensum à Beneficio inualidè aliquod de nouo acquirere; sed Iura, quæ adferunt, vt summum probant talem acquisitionem esse irritandam, non autem esse irritam; vt notat Suarez disput. 27. sect. 1. numer. 26. vide dicta suprà Suarez num. 7.

15 Suspensus ab ingressu ecclesiæ prohibetur intrà ecclesiam celebrare diuina officia, càue audire; non Siluester. tamen extra. Ita Siluest. v. *Suspensio.* q. 5. vers. *si verò.* & communiter alij. Ex quibus patet hanc censuram magis habere rationem Interdicti, quàm Suspensionis, vnde etiam in Iure modò hoc modò illo nomine vocatur. Quare commodiùs de ea agemus disput. 17. n. 57.

16 Nota Secundò, dictas Suspensiones aliquando ferri cum hac clausula, *in perpetuum*, aut *sine spe relaxationis*, & tunc, si sit totalis Suspensio ab officio, Ordine aut Beneficio, habet rationem depositionis, irregularitatis, aut priuationis Beneficij, quia videtur omnem capacitatem ad dicta recuperanda tollere. Secùs esset, si tantùm esset partialis Suspensio ab officio, Ordine, &c.

Aliàs verò fertur vsque ad certum tempus; verbi causa, ad triennium; quo transacto per se desinit. Et hæ Suspensiones non habent propriè rationem censuræ, quæ, vt notaui d. 13. initio, debet esse medicinalis, & sublata contumacia tolli; sed sunt puræ pœnæ.

Tertiò, feruntur donec quis satisfecerit, quo posito per se cessant.

Quartò, ad beneplacitum iudicis, & tunc eo mortuo, aut ab officio depositio cessant; quia ipsæ ab eius voluntate vlteriùs pendere non possunt. Secùs si ferantur ad beneplacitum Sedis, quæ non moritur; aut donec reus misericordiam mereatur: tunc enim indiget absolutione.

Quintò, fertur sæpè Suspensio sine determinatione temporis; & tunc censetur ferri donec reus resipiscat; quo posito debetur absolutio.

Nota Secundò, exercentem aliquem actum sibi 17
per Suspensionem prohibitum, nisi materia leuis sit (vt si suspensus ab ingressu ecclesiæ aliquot versus in ea cantari audiat) peccare mortaliter; & fieri irregularem si eam violet per actum Ordinis, vt omnes fatentur.

Nota Tertiò, non esse nobis directè præceptum vt Non tenemur vllos suspensos vlla in re vitemus, sed tantùm ne eos ad exercendum actum ipsis prohibitum inducamus, aut in eo ipsis cooperemur. Vnde quod in Extrauag. *Ad euitanda*, conceditur nobis, ne teneamur toleratos vitare; ita intellige, quòd possimus eos ex iusta causa inducere vt exerceant aliquos actus aliàs sibi prohibitos: quo casu ob nostrum bonum eos licitè exercent. Vide dicta disput. 14. dub. 2. in simili de excommunicatis.

suspensos in vita vitare: Extrauag. *Ad euitand.*

DVBIVM III.

Quinam, & quas ob causas suspendi possint?

EX dictis d. 13. dub. 4. 5. & 6. cõstat Primò, quinam 18
possint ferre Suspensiones, videlicet omnes ij, qui possunt ferre censuras.

Constat Secundò, nec defunctos, nec non baptizatos, nec Pontificem posse ligari hac censura, quia illi omnes nullis censuris propriè ligari possunt.

Tertiò, DD. communiter fatentur, solos clericos posse hac censura ligari: quia est quædam priuatio vsus potestatis Ecclesiasticæ, cuius hi soli capaces sunt. Quibus positis:

Quæritur Primò, qualis culpa requiratur, vt possit 19
ferri Suspensio?

Prima sententia docet, posse aliquem suspendi ob culpam alienam. Primò, quia cap. *Vel non est compos.* c. Vel non est. 14. de tempor. ordin. Pontifex puerum qui anno 13. ætatis fuerat ordinatus diaconus, *in iniuriam ordinantis*, suspendit ab officio diaconi, vsque ad legitimam ætatem. Secundò, quia c. 1. de ordinatis ab Episcopo c. 1. de ordin. qui renuntiantur episcoparui, qui ignoranter & sine nat. &c. culpa à tali ordinatus est, ab executione Ordinum suspenditur. Tertiò, quia integra communitas potest suspendi: arguit tunc sæpè aliqui innocentes suspenduntur ob alienam culpam: ergo, &c. Ita Siluester ver- Siluester. bo *Suspensio.* n. 4. fauetque D. Thom. in 4. d. 18. q. 2. a. 3. D. Thom. quæstiunc. 2. ad 2.

Secunda requirit quidem propriam culpam in sus- 20
pendendo, vult tamen sufficere venialem. Ita Caietan. Caietan. v. *Suspensio.* Et fauet Nauarr. c. 27. num. 161. & alij. Se- Nauarr. cundam partem probant: quia excommunicatio minor, cùm priuet perceptione Sacramentorum, grauior est pœnam, quàm Suspensio, & tamen incurritur ob peccatum veniale: ergo etiam Suspensio ita poterit incurri.

Tertia sententia requirit culpam mortalem; quia, cùm hæc pœna sit grauis; non videtur posse ferri ob

Arriaga. Nauarrus. leuem culpam. Ita Arriaga apud Nauar. sup. & plurimi recentiores.

21 Pro solutione Nota, nos dupliciter posse loqui de Suspensione.

Suspensio sæpè in Iure impropriè sumitur. c. Dilecta. Primò, largo modo: qua ratione sæpè in Iure dicuntur aliqui ab eo exercitio suspendi, quod iis quacunque ratione prohibetur, sic c. *Dilecta*. de maioritate, &c. dicitur quædam Abbatissa quosdam clericos sibi subiectos suspendisse, cùm tamen fœmina talis potestatis sit incapax. Sic qui etiam sine vllo peccato ante legitimam ætatem Ordines sacros recipit, dicitur abijs suspensus, quia prohibetur ijs fungi. Sed hæ Suspensiones sunt omnino impropriæ; vnde eas violans non fit irregularis; vt docent Panorm. in c. *Vel non est compos*. citato n. 4. Couar. Clement. *Si furiosus*, p. 1. §. 1. n. 4. & cum aliis P. Suarez d. 28. sect. 4. n. 4.

Panorm. Couarr. Suarez.

22 Non ferunt in innocentem. c. 2. de constit. Innocentes puniri nequeunt. c. 2. de his quæ à maiore parte. Conc. I. Nemo vnquam propriè suspenditur nisi ob propriam culpam, quia, cùm Suspensio sit vera pœna, iniquè iniungeretur non culpabili; vt patet ex c. 2. de constitutionibus, vbi dicitur: *Rem quæ culpa caret, in damnum vocare non conuenit*. Et ex c. 2. de his quæ à maiore parte, &c. vbi dicitur: nec pœna est vltrò extendenda, quàm delictum fuerit in excedente repertum.

23 Ad Primum & Secundum argumentum positum n. 19. Respondeo, ibi non agi de Suspensione propriè dicta; sed in priore de inhabilitate quadam, quam quibus habet ad suscipiendum aliquem Ordinem, aut suscepto vtendum, antequam habeat annos à Iure præscriptos. In secundo verò solùm significatur talem non posse vti Ordine sic suscepto, antequam à legitimo Episcopo veniam obtinuerit: quia sicut non conuenit enim sine illius conscientia Ordinem sacrum suscipere, ita nec eo vti. Ad Tertium neganda est minor, vt ostendam n. 26.

24 Conc. II. Vt quis incurrat eas Suspensiones, quæ in Ecclesia communiter sunt in vsu, requiritur culpa mortalis; quia grauem pœnam continent: vt vel inde pateat, quòd non nisi ob graues culpas soleant ferri. Posset tamen leuis aliqua Suspensio ob culpam venialem ferri; vt si quis vno die à leui alicuius Ordinis functione suspenderetur.

Ad argumentum contrarium positum nu. 20. nego maiorem: quia eum quinis à minore excommunicatione facilè possit liberari, non reputatur grauis pœna.

25 Communitas tripliciter suspenditur. Quæritur Secundò, qua ratione communitas possit suspendi? Nota, hoc tripliciter fieri posse. Primò, vt immediatè omnes qui sunt de ea communitate ob proprium peccatum suspendantur. Et hic modus non habet difficultatem; nam sic etiam communitas posset excommunicari: quamuis impropriè tunc dicatur ipsa communitas suspendi aut excommunicari.

Secundò, ita vt communitas secundùm se immediatè suspendatur ab aliquibus functionibus, quæ ipsi immediatè cõueniunt, v. c. à collatione alicuius Beneficij, alióve actu iurisdictionis; ita tamen vt nulli particulares sint secundùm se suspensi ab aliquo exercitio, quod ipsis particulatim conuenit. Et certum est hoc modo aliquam communitatem posse suspendi: vt patet clarè ex cap. 1. ne sede vacante.

c. 1. ne sede vacan.

Tertiò, potest communitas ita secundùm se suspendi, vt simul etiam particulares personæ à propriis functionibus suspendantur. Vt c. *Quia sæpè*. 40. de electione, in 6.

c. Quia sæpè.

Præcipua igitur hîc est difficultas, an Prælatus possit aliquam communitatem ita suspendere, vt etiam innocentes immediatè secundùm se sint suspensi ab exercitio sibi proprio? Quidam id affirmant, quia Interdictum potest ita ferri; ergo & Suspensio.

26 Conclvsio III. Quando communitas suspenditur, etsi innocẽtes eatenus etiam ligentur, quatenus sunt pars communitatis, ita vt non possint exercere actus, qui immediatè per communitatem, eiúsve nomine exerceri debent, quia hac ratione nulli innoxij; sed ipsa communitas, quæ verè noxia est, punitur; nunquam tamen suspenduntur ab exercitio sibi proprio: quia aliàs iure, quod iam legitimè possident, propter alienam culpam priuarentur, quod absurdum est, & contra principia Iuris citata numer. 22. Confirmatur ex c. *Quia sæpè*. 40. de electione, in 6. vbi Pontifex à Beneficiis ac officio suspendit Capitula, ac particulares personas, quæ bona Prælati defuncti sibi vsurpant: & tamen expressè restringit hanc pœnam ad eas solas personas, quæ aliquid ex illis bonis perceperunt; apertè insinuans innoxios non debere ob aliorum culpam puniri. Suspensa communitate innocentes solùm ligantur quatenus illius sunt pars.

c. Quia sæpè.

Quod autem aliqui dicunt hoc verum esse, quando ipsa communitas peccauit; secùs autem esse, quando caput communitatis peccauit, tunc enim omnes partes communitatis posse secundùm se suspendi; sine vlla causa dicunt, quia absurdius est communitatem in particularibus personis innocentibus puniri, quando solùm ipsius caput peccauit, quàm si ipsa peccasset. Et in vtroque casu potest interdici ei faciliùs; quando ipsa peccauit, quàm quando solùm caput peccauit.

Ad argumentum positum in fine n. 25. nego conseq. Est enim valdè diuersa ratio, nam per Interdictum innocentes propriè non puniuntur, sicut nec per cessationem à diuinis, sed Ecclesia solùm ex iusta causa certa sua officia iis subtrahit, ac clericis præcipit ne ea ipsis impendant. Secùs est in Suspensione ac excommunicatione, per quas ij, qui illis ligantur, priuantur bonis quæ iam possident: quod pœnale est. Sed hæc pluribus ostendam disput. 17. num. 7. 27

DVBIVM IV.

Qua ratione Suspensio impediri vel tolli possit?

28 Conclvsio I. Omnis Suspensio impeditur per iustam appellationem præcedentem ipsam sententiam; quia impeditur potestas eam ferentis, nisi fortè iudici sit concessum, vt non obstante appellatione in causa procedat. Per se patet, & est communis.

29 Qualiter Suspensio per appellationem suspenda-tur. Siluest. Angelus. Nauarr. Henriquez. Anila. c. Is cui. Conc. II. Suspensio ab officio, aut ingressu Ecclesiæ non suspenditur per appellationem subsequentem; quia secum exercitionem defert: secùs est de Suspensione à Beneficio. Ita Siluest. v. *Suspensio*. q. 3. Angelus *Suspensio*. 2. numer. 1. Nauarr. l. 1. consil. tit. de elect. consil. 8. n. 2. Henriq. l. 13. c. 34. n. 4. Anila p. 3. disp. 3. dub. 4. Prior pars apertè habetur, c. *Is cui*. 20. de sentent. excommunic. in 6. Secundam partem auctores vnà cum glossa ex eodem cap. colligunt. Nam cùm ibidem singulariter dicatur; Suspensionem ab officio & ingressu Ecclesiæ non suspendi per appellationem subsequentem, contrarium innuitur de aliis Suspensionibus. Quidam tamen ex DD. citatis distinguunt inter Suspensionem à Beneficio, & fructibus Beneficij, aiuntque secundam suspendi per appellationem subsequentem, non tamen priorem; sed non video, in quo iure fundentur. Quare meliùs Nauarr. sup. ait, omnem Suspensionem per appellationem subsequentem suspendi, præter Suspensionem ab officio, & ingressu Ecclesiæ. Et sanè vel hoc, vel nihil quod ad rem præsentem faciat, ex dicto Iure colligitur. Nauarr.

30 Conc. III. Suspensio lata per modum censuræ tollitur per absolutionem eodem modo, quo

aliæ censuræ. Quæ verò lata est per modum pœnæ non tollitur, antequam tempus, ad quod lata est, exspirarit, nisi per dispensationem factam ab habente potestatem. Tempore verò lapso per se tollitur. Vide dicta n. 16.

DVBIVM V.

In quibus casibus sit Suspensio à Iure lata?

SVspensiones variæ in diuersis Iuribus feruntur, quas recensent Summistæ verbo *Suspensio*. Nauar. cap. 27. num. 154. & seq. Et fusè D. Antonin. 3. p. t. 27. cap. 2. 3. & 4. Auila p. 3. disput. 5. & fusissimè P. Suarez disput. 31. Nos autem hîc eas in certas classes maioris lucis ac facilioris memoriæ causa distributas, quanta poterimus breuitate recensebimus.

Nauar. D. Antonin. Auila. Suarez.

I. *Suspensio ob vitium ordinantis.*

31 Ordinatus ab Episcopo hæretico, schismatico, excommunicato, interdicto, non toleratis, aut à simoniaco per sententiam declarato (hos enim solos etiam in sacris iam tenemur vitare, & toleratorum actus in gratiam & vtilitatem aliorum validi sunt, post Extrauag. *Ad euitanda*. Vide dicta disput. 14. numer. 16. 18. 19. 20.) item suscipiens Ordinem sacrum ab Episcopo, qui episcopatui absolutè renuntiauit; hi, inquam, omnes suspenduntur ab Ordine sic suscepto; c. 1. & 2. de schismaticis, & c. 1. de ordinatis ab Episc. qui episcopatui renuntiauit.

Extrauag. Ad euitanda.

c. 1. & 2. de schism. c. 1. de ordinat.

32 Difficultas autem est: an hæc Suspensio incurratur ab iis, qui omnino ignoranter à talibus ordinantur. Multi id affirmant. Primò, quia in varijs Iuribus ita ordinati absolutè dicuntur non habere Ordinis executionem. Secundò, quia c. 1. de ordinatis ab Episc. qui episcopatui renuntiauit, significatur, ignoranter à tali ordinatum indigere dispensatione: ergo erat suspensus. Tertiò, quia nemo potest dare quod non habet: tales non habent executionem Ordinum: ergo eam non possunt dare. Sed hæc argumenta non conuincunt.

Ad Primum facile respondebitur, illa Iura intelligenda de iis, qui peccarunt suscipiendo à talibus Ordines, ne iniustè puniant inculpatos. Ad Secundum Respondeo, dispensationem ibi largè accipi pro permissione & declaratione ipsius Episcopi, qui cognita caussa declarat eum non incurrisse Suspensionem, sed posse liberè fungi Ordine suscepto. Ad Tertium nego maiorem. Nam non baptizatus validè baptizat. Adde Episcopum non aliter ordinato dare executionem Ordinis, quàm ipsum ordinando: hoc ipso autem quò validè Ordinem confert, confert etiam executionem, nisi ordinatus ea per Ius priuetur: nullum autem Ius talem executione Ordinis priuat.

33 Quare Abbas in c. *Veritatis*. de dolo & contumacia, num. 46. & Innoc. in c. 1. de schismaticis, negant tales suspendi. Primò, quia hoc nullo Iure probatur. Secundò, quia nemo debet sine culpa puniri. Tertiò, quia c. *Si quis à simoniacis*. 1. q. 1. & c. *Ordinationes*. 9. q. 1. & c. *Per tuas*. 35. de simonia. expressè dicitur tales posse vti Ordine suscepto. Nec obest quod c. *Si quis à simoniacis* dicitur, talium ordinationes misericorditer sustineri; quia per hoc solum innuitur talibus concedi executionem Ordinum ex misericordia erga ipsos, quia videlicet durum esset innocentes punire. Et in alijs capitulis absolutè dicitur eos securè posse in Ordine suscepto ministrare.

Abbas. Innocent.

c. Si quis. 9. Ordinationes. c. Per tuas. c. Si quis.

34 Respondent aliqui, ea capitula solùm velle, ordinatos ignoranter à simoniacis, præcisè quà tales sunt, non incurrere Suspensionem, incurrere tamen eam, quatenus simul ordinantur ab excommunicatis, quales iam omnes simoniaci sunt. Sed hæc responsio nullo modo satisfacit. Primò, quia tales præcisiones metaphysicæ ad praxin, quàm Iura dirigunt, non spectant. Secundò, quia simoniaci olim habebantur palàm pro hæreticis, & ordinatio ab iis facta habebatur minùs rata, quàm facta ab excommunicatis, vt patet c. *Ab excommunicatis*. 9. q. 1. Tertiò, quia c. *Ordinationes*. 9. q. 1. apertè dicitur, eorum ordinationem, qui ignoranter ab hæresiarchis, nominatim excommunicatis, ordinati sunt, haberi ratas.

c. Ab excommunicatis. c. Ordinationes.

Quare omnino credo dicendum, tales non incurrere veram Suspensionem, sed vt summum aliquam inhabilitatem, quæ eos præsertim in foro externo ab executione Ordinum impediat, donec ad ministrandum à legitimo iudice facultatem accipiant; quod non est improbabile, cum ob c. 1. de ordinatis ab Episc. qui episcopatui renunt. tum ob multorum DD. auctoritatem. Contrà tamen facientes non fiunt irregulares, vt benè notat Auila 3. p. d. 5. dub. 8. §. *Ad argum.* & Suarez d. 31. sect. 1. n. 62.

Ignoranter ordinati ab hæretico, &c. non suspenduntur.

Auila. Suarez.

II. *Suspensio ob defectum ordinationis.*

35 Sine licentia sui Episcopi Ordinem sacrum suscipiens ab Episcopo alieno, est suspensus ab Ordine sic suscepto ad beneplacitum proprij Episcopi, nisi per triennium fuerit cum ordinante commoratus, & hic Beneficium illi de facto conferat. Trid. sess. 22. c. 8. & 9. de reform. Excipe casum ignorantiæ. Episcopus verò alienum scienter ordinans sine licentia proprij Episcopi, per annum suspenditur à collatione Ordinū. Et si hæc Suspensio sit manifesta, Ius cōcedit eius subditis licentiam, vt possint à quouis vicino Episcopo ordinari, c. *Eos qui*. de temporibus ordinandorum, in 6. Similiter. Trid. sess. 14. c. 2. Episcopos titulares, conferentes sine licentia Ordines aut primam tonsuram, suspendit per annum à pontificalibus. Et sess. 7. c. 10. de reform. ad beneplacitum futuri Episcopi suspendit ad Ordinibus eum, qui non coactus ratione Beneficij suscepti aut suscipiendi dimissoriis intra primum annū sedis vacātis à Capitulo impetratis ordinatur in sacris. Itē sess. 6. c. 5. ordinantē sine licētia in aliena diœcesi à pontificalibus, & ordinatum ab Ordinibus suspendit.

Trident.

c. Eos qui. Trident.

Vbi Nota, quoad hos effectus proprium alicuius Episcopum dici eum, in cuius diœcesi ipse domicilium aut Beneficiū habet, aut natus est ex parentibus, qui tunc ibi domicilium habebāt. Vide dicēda d. 20. n. 93.

Quis dicatur proprius Episcopus ad ordinandum.

III. *Suspensio ob ordinationem intempestiuam.*

36 Qui ante legitimam ætatem aut extra tempora sacros Ordines suscipere præsumpserint; suspenduntur ab Ordinibus sic susceptis per Extrau. Pij V. Qua in re excusat ignorantia quæ non sit affectata, sicut & ab irregularitate eum, qui in illa Suspensione peracta pœnitentia celebraret, putans id licitum. Vide Auilam p. 3. d. 5. dub. 5.

Pius V.

Auila.

Nota, sacerdotem sua ordinatione incurrentem hanc Suspensionem non fieri irregularem consecrando simul cum ordinante, quia tunc nondum eius ordinatio perfecta est, & consequenter nec Suspensio perfectè incurritur: secùs autem est secundùm aliquos de diacono canente Euangelium in eodem Sacro. quia hæc est actio Ordinis sequens perfectam ordinationem. Probabiliùs tamen Suarez d. 31. sect. 1. n. 17. etiam de hoc id negat. quia hi actus, moraliter loquendo, non fiunt post ordinationem, quæ censetur durare, quamdiu durat officium.

Suarez.

IV. *Suspensio ob simoniam.*

37 c. pen. de simon. qui ordinat aliquem accepta ab eo promissione, aut iuramento quòd non peteret ab eo Beneficiū aut alimenta, item cum tali promissione eum præsentans ad Ordinem, suspenduntur per triennium; ille à collatione, hic ab executione Ordinum: ordinarius verò ab Ordine sic suscepto, donec à Papa absoluatur. Quod c. *Per tuas nobis*. 37. eodem tit. extenditur ad eum, qui nesciebat id esse illicitum. Sed hoc intelligendum quoad forum externum in

c. pen. de simonia.

c. Per tuas.

Suarez quo præsumitur deliquisse, vt Suarez disp. 31. sect. 1. n. 34.

38 Ordinans sine titulo non est suspensus. c. Cùm secundùm. Auila. Nota, Episcopum ordinantem aliquem sine vllo titulo, teneri eum alere donec de Beneficio sit ei prouisum; nec hic vlla ratione est suspensus, c. *Cùm secundùm.* de præbend. nec etiam peccat, nisi dolo, v.c. confícto titulo talem ordinationem obtineat. Talem autem hoc casu Suspensionem incurrere multi asserunt: P. Auila tamen 3. p. d. 5. dub. 5. probabiliùs id negat; quia nullo Iure est expressum, cùm canones antiqui absolutè reuocati sint per c. *Cùm secundùm.* de præben. Vtrum autem litteræ dimissoriæ tali dolo obtentæ sint inualidæ, & earum vi ordinatus incurrat Suspensionem latam in eos, qui sine his ordinantur ab alieno Episcopo, dubium est. Quidam negant, Suarez verò suprà probabiliùs affirmat, quia concessa facultas non extenditur vltra mentem concedentis; nec videtur Episcopus velle vlla ratione consentire in illius ordinationem, & consequenter nec his litteris velle dare facultatem.

c. Cùm secundùm. Suarez.

39 Sixtus V. Clem. VIII. Item conferens Ordinem simoniacè, per Bullam Sixti V. & Clementis VIII. suspenditur à collatione omnium Ordinum, etiam primæ tonsuræ, & ab executione munerum pontificalium, & interdicitur ab ingressu Ecclesiæ; &, si spretis censuris ' s, temerè se vetitis ingesserit, à regimine ecclesiæ aut monasterij, ac perceptione fructuum eiusdem, ac quorumcumque Beneficiorum Suspensionem ipso iure incurrit. Ordinatus verò suspenditur ab Ordinibus susceptis sine vlla spe altiùs ascendendi; & si in iis præsumpserit ministrare non modò irregularitatem, sed omnium etiam dignitatum, officiorum, Beneficiorum, etiam cuiuscuis ordinis aut militiæ regularium, & vocis activæ & passiuæ, si irregularis sit, priuationem de facto incurrit cum perpetua inhabilitate ad eadem vel alia obtinenda: & eorundem sic vacantium dispositio, ac harum pœnarum relaxatio soli Papæ reseruatur. Nec alius vllus per vlla omnino priuilegia ab his censuris, etiam occultis, absoluere, siue in iis dispensare potest.

Multi addunt, committentes simoniam in Beneficijs esse suspensos; sed non probant, nisi quatenus omnes simoniaci sunt excommunicati, per Extrauagantem 2. de simonia.

Extrau. 2. de simonia.

V. *Suspensio impromotum per saltum.*

40 Promotus per saltum suspenditur ab Ordine sic suscepto & alio suscipiendo etiam omisso; potest tamen cum eo dispensare Episcopus, si priùs non ministrarit. Colligitur ex Triden. sess. 23. c. 14.

Trident.

VI. *Suspensio.*

Qui Ordines sacros extra casus Iure permissos suscipit post contractum matrimonium etiam non consummatum, prohibetur vti Ordine ita suscepto, aut alios suscipere, nec potest ad Beneficium promoueri: potest tamen Episcopus cum eo dispensare si Religionem ingrediatur. Ita Ioan. 22. Extrau. *Antiquæ.* & ita D. Antoninus 3. p. t. 27. c. 4. ait eum ab his suspendi. Alij volunt hunc fieri irregularem, & fortè meliùs. Auila p. 7. disp. 9. sect. 1. dub. 5. Suar. t. 5. disp. 31. sect. 1. n. 54.

Ioan. 22. D. Anton. Auila. Suarez.

VII. *Suspensio.*

41 Qui excommunicatus ob percussionem clerici Ordines suscipit, manet à susceptis suspensus, cum quo solus Papa dispensat: cum Religioso tamen, qui id aliquo modo ignoranter fecit, dispensat Prælatus. c. *Cùm illorum.* de sent. excommunic. Suarez disp. 31. sect. 1. nu. 19.

c. Cùm illorum. Suarez.

VIII. *Suspensio.*

c. *Quia in omnibus*, de vsuris, suspenditur ab officio ad arbitrium Episcopi clericus qui à publico vsurario oblationes acceperit, aut ita mortuum Ecclesiasticæ sepulturæ tradiderit. Post Extrauagantem tamen *Ad euitanda.* hoc intelligendum est de vsurario per sententiam publicè de vsuris condemnato. Oblationes autem hic dicuntur, quæ dantur gratis Ecclesiæ, aut eius ministris, quà tales sunt.

c. Quia in omnibus. Extrau. Ad euitanda.

IX. *Suspensio.*

Clement. 2. de vita & honestate clericorum, clerici beneficiati vtentes publicè sine iusta causa vestibus varijs coloribus contextis, suspenduntur sex mensibus à Beneficio, non beneficiati in sacris constituti eodem tempore ad Beneficia reddúntur inhabiles: sacerdotes verò aut dignitatem obtinentes duplam pœnam incurrunt. Vbi Nota cum Suarez d. 31. sect. 3. hanc pœnam non incurrere eum, qui ex occasione extraordinaria aliquoties his vtitur, aut iis circumstantiis, vt non peccet mortaliter: in quo multùm potest consuetudo loci.

42 Clem. 2. de vita, &c. Suarez.

X. *Suspensio.*

Qui Ecclesiam sibi commissam præsumunt alienis debitis grauare, aut litteras aut sigilla alicui concedere, quibus possit obligari, suspenduntur ab administratione temporalium & spiritualium. c. 2. de solutionibus.

43 c. 2. de solut.

XI. *Suspensio.*

Qui vacante sede cathedralis, regularis, aut collegiatæ Ecclesiæ, bona Prælati defuncti, aut ipsius sedis occupant; suspenduntur ab officio & Beneficiis, donec plenè restituant, c. *Quia sæpè.* de electione, in 6. Similis Suspensio fertur c. *Præsenti.* de officio Ordinarij, in 6. P. in clericos Episcopo inferiores, iniustè sibi vsurpantes bona Ecclesiarum vacantium sibi subiectarum, aut ad suam dispositionem pertinentium. Episcopi id agentes ab ingressu Ecclesiæ suspenduntur, vel potiùs interdicuntur.

c. Quia sæp. c. Præsenti.

XII. *Suspensio.*

Compromissarius eligens indignum in Episcopum aut superiorem dignitatem, suspenditur per triennium à Beneficijs, quæ in eadem Ecclesia obtinet, c. *Si compromissarius.* de elect. in 6. Eadem pœna c. *Cùm in cunctis.* de elect. statuitur in eos, qui aliquem eligunt in Episcopum, qui aut 30. annorum, aut ex legitimo toro, aut vita & scientia commendabilis non sit, aut qui eligunt ad Beneficium curam animarum habens eum, qui aut 25. annum non attigerit, aut moribus & scientia non sit commendandus. Similis pœna fertur Extrau. vnica, de postulatione Prælatorum, in eos, qui aut in Episcopum eum qui 27. ætatis annum non attigerit, aut Religiosum mendicantem ad Ecclesiasticam dignitatem cathedrali inferiorem postulant. Similis item pœna fertur c. 1. *Si compromissarius.* de elect. in 6. in eos, qui in personam electi ad personatum canonicum aut dignitatem, aliquid obiiciunt quod probare non possunt.

44 c. Si compromissarius. c. Cùm in cunctis. c. Si compromissarius.

XIII. *Suspensio.*

c. *Exigit.* de censibus, in 6. visitatores Ecclesiarum, & eorum familiares, qui occasione visitationis munera aut procurationes in pecunia etiam à sponte offerentibus recipiunt; aut etiam in victualibus ab iis, quibus visitationis officium non impendunt, nisi intra mensem duplum restituant, suspenduntur ab officio & Beneficio donec restituant; Episcopus verò ingressu Ecclesiæ interdicitur.

45 c. Exigit.

XIV. *Suspensio.*

Extrauag. 3. de priuilegijs; suspenduntur absolutè, qui conferunt aut recipiunt Beneficia eorum, qui ob sua negotia ad Romanam curiam proficiscuntur, aut in ea officia aliqua exercent.

Extrau. 3. de priuil.

XV. *Suspensio.*

c. 1. de sententia & re iudicata, in 6. iudex Ecclesiasticus ordinarius, aut delegatus, qui ob gratiam

46 c. 1. de sent. & re.

vel

vel anatitiam grauat alterutram partem, suspenditur absolutè per annum ab officio.

XVI. *Suspensio.*

Trident. Trid. sess. 24. c. 1. de reform. matrimonij, sacerdotem, qui etiam prætextu cuiusuis priuilegij aut consuetudinis sponsis benedicit, aut matrimonio coniungit, sine proprij ipsorum Parochi licentia, tamdiu suspendit; donec ab Episcopo Parochi cuius officium vsurpauit, absoluatur. Videtur autem sacerdos hic formaliter suspendi, scilicet ab omni officio sacerdotali, vt Suarez disput. 31. sectio. 3. numer. 18. Alij verò volunt absolutè ab officio & Beneficio suspensum esse.

Suarez.

XVII. *Suspensio.*

c. 1. de schismaticis. c. 1. de schismaticis, qui sponte de tenendo schismate iuramentum præstiterunt, suspenduntur ab Ordinibus & dignitatibus.

XVIII. *Suspensio.*

47 *c. Nullus.* c. *Nullus.* de tempor. ordinandorum, in 6. conferens primam tonsuram alieno sine licentia, aut infanti non ingredienti Religionem, aut illiterato (qui scilicet legere, & scribere, aut rudimenta fidei nesciat; vt Trident. sess. 23. can. 4.) aut coniugato non parato ingredi Religionem, aut sacros Ordines legitimè suscipere, per annum à collatione primæ tonsuræ suspenditur.

Trident.

Multi autem DD. asserunt conferentem quemuis Ordinem aliquo ex dictis modis illicitè, manere ab eius collatione per annum suspensum. Sed excepto casu in secunda Suspensione allato, id nullo iure probant.

XIX. *Suspensio.*

c. Prouida. c. *Prouida.* de elect. in 6. iudices inferiores Papa, qui post appellationem contra formam ibi præscriptam immiscent se cognitioni electionis Episcoporum eos confirmando & consecrando, per annum ab Episcoporum confirmatione & consecratione suspenduntur.

XX. *Suspensio.*

48 *c. 2. de rebus Eccles.* c. 2. de rebus Ecclesiæ non alien. Prælati contra formam ibi præscriptam subijcientes bona Ecclesiæ laicis, ab officio & administratione: clerici verò qui sciêtes talia præsumi id Superiori non aperuerint (cùm scilicet id fine damno suo in iudicio probare possent) à Beneficijs, quæ in tali Ecclesia obtinent, per triennij suspenduntur. Prælati autem hîc tam Episcopi, quàm inferiores intelliguntur.

XXI. *Suspensio.*

49 *Paulus II.* Paulus II. in 2. Extrau. Episcopos; quibus commissa est à Pontifice examinatio causlæ, ob quam petita est facultas alienandi rem Ecclesiæ, si sua potestate per gratiam, auaritiam, aut timorem in damnum Ecclesiæ abutantur, per annum ab officio suspendit: quo tempore si damnabiliter diuinis se ingerant, irregularitatem reseruatam Papæ incurrunt; illis verò inferiores excommunicantur.

XXII. *Suspensio.*

c. 1. de vsuris. c. 1. de vsuris, in 6. Episcopi & Superiores qui domos suas locant alienigenis volentibus publicè in iis vsuram exercere, aut qui in suis terris tales permittunt habitare, absolutè suspenduntur, scilicet ab officio Beneficio; inferiores verò personæ excommunicantur, & communitates interdicuntur.

XXIII. *Suspensio.*

50 *Clem. 1. de hæret.* Clement. 1. de hæreticis, Inquisitores, qui odij, gratiæ, vel lucri caussa omittunt contra iustitiam & conscientiam suam contra hæreticos procedere vti debent; aut ex simili affectu alicui hæresin aut officij inquisitionis impedimentum imponendo præsumunt eum vexare, si Episcopi aut Superiores sint, triennium ab officio suspenduntur; alij excommunicantur.

XXIV. *Suspensio.*

Clem. 1. de pœnis. Clement. 2. de pœnis, Prælati qui curant clericos à dominis sæcularibus capi, vt ita cogant eos suis Beneficijs renuntiare; item qui tam se ipsos, quàm alios clericos ab iisdem capi curant, ne citati sedem Apostolicam adeant, per triennium à Beneficio suspenduntur. Comprehenduntur autem hîc etiam Episcopi, quia hi primariò per Prælatos intelliguntur. Inferiores verò clerici omnibus Beneficijs eo ipso sunt priuati. Incurritur autem hæc Suspensio statim ac captus Beneficium resignauit, aut statu tempore coram Sede Apostolica non comparuit.

XXV. *Suspensio.*

Extrau. 2. Ioan. 22. de elect. percipientes fructus anni primi & secundi Beneficij alicuius defuncti, ita vt non relinquant successori ibi staturam portionem. Episcopi à pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ suspenduntur, & communitates interdicuntur donec restituant; alij excommunicantur. 51 *Ioan. 22.*

XXVI. *Suspensio.*

Extrau. 2. de elect. Prælati à Papa promoti aut confirmari, absque eiusdem authenticis litteris suarum Ecclesiarum administrationem recipientes, ab hac & earundem fructuum perceptione; & Capitula, quæ eos recipiunt, à suis Beneficijs suspenduntur. *Extrau. 2. de elect.*

XXVII. *Suspensio.*

Trident. sess. 25. c. 14. Episcopum concubinarium qui à Synodo prouinciali monitus se non emendat, absolutè suspendit. 52 *Trident.*

XXVIII. *Suspensio.*

c. vlt. de apostatis, Religiosum in apostasia recipientem Ordinem sacrum, ab eo suspendit. *c. vlt. de apostatis.*

XXIX. *Suspensio.*

c. *Non solùm.* & c. *Constitutionem.* de regularibus, in 6. Religiosi mendicantes admittentes aliquem ad professionem intra annum probationis, suspenduntur à receptione ad professionem. *c. Non solùm. Constit.*

XXX. *Suspensio.*

Clem. 1. de rebus Eccles. non alien. Religiosus alicui monasterio, prioratui, Ecclesiæ seu administrationi cuiuis præsidens, extra casum cõductionis aut venditionis fructuum ad breue tempus, iura aut possessiones eiusdem loci alicui ad vitam, aut certum tempus concedens, sine necessitate aut magna vtilitate, aut non habito conuentus aut Superioris consensu, suspenditur ab officio. 53 *Clem. 1. de rebus.*

XXXI. *Suspensio.*

Clement. 1. de decimis, Religiosi præsumentes inique vsurpare, aut sibi appropriare decimas, aut modis ibi dictis Ecclesias ijs priuare, nisi requisiti intra mensem destiterint, & intra duos menses damnificatis satisfecerint, suspenduntur ab officij & Beneficij administratione, donec restituant; aut si hæc non habeant, excommunicantur. *Clem. 1. de decimis.*

XXXII. *Suspensio.*

Clement. 1. de statu Monachorum, §. *Si quis autem.* Religiosus Benedictinus præsumens non vti habitu ibi præscripto, si sit Abbas, aut Prior Abbatem nõ habens, à collatione Beneficiorum, & inferior ab administratione sua per annum suspenduntur; aut si nullam habet, ad hanc aliudque Beneficium per annum redditur inhabilis: quam pœnam singuli dicta ratione, per biennium incurrunt, si venationi, aut aucupationi clamosæ, aut alteri, cum canibus aut auibus ex proposito interfuerunt. 54 *Clem. 1. de statu.*

XXXIII. *Suspensio.*

Clement. 1. de priuilegijs, absolutè suspenduntur Prælati Religionum, qui requisiti intra mensem, non satisfaciunt ijs, quos eorum Religiosi aliquo ex his modis læserint: scilicet Prælatis in concionibus detrahendo; laicos ab eorum Ecclesijs abstrahendo; indiscretas Indulgentias promulgando: testatores, ne 55 *Clem. 1. de priuil.*

matricibus Ecclesijs aliquid legent, retrahendo; legata vel debita incerta in aliorum præiudicium curando sibi suisque erogari; à casibus Papæ aut Ordinarijs reseruatis sine priuilegio absoluendo; aut personas Ecclesiasticas suam iustitiam prosequentes, præsertim coram iudicibus à Papa delegatis indebitè vexare, aut ad loca plura, præsertim multum remota conuenire præsumendo, læserint.

XXXIV. *Suspensio.*

Clement. Cupientes. Clement. *Cupientes*, de pœnis Religiosi qui requisiti à rectoribus Ecclesiarum, scienter omittunt sibi confitentibus mouere scrupulum ob non solutas decimas suspenduntur à munere concionandi, donec id fecerint, si possint, & priùs concionantes excommunicantur.

56 Et hæ sunt præcipuè Suspensiones iure latæ. Adferunt alij aliàs, verbi caussa de publicis peccatoribus, maximè concubinario; sed non probant, imò hunc, quidquid de iure antiquo fuerit, iam non esse suspensum apertissimè colligitur ex Trident. sess. 25. cap. 14. *Tridentin.* de reform. vbi talis monitione præmissa iubetur primò puniri subtractione tertiæ partis fructuum: post secundam monitionem iubetur priuari omnibus fructibus, & à Beneficiorum administratione suspendi.

Imò nec in Sodomitas etiam aliqua Suspensio latæ est: Pius V. tamen in sua constit. 70. tam dirum nefas exercentes omni Beneficio, officio, dignitate, & priuilegio clericali auctoritate dicti canonis priuat. Sed hæc lex requirit exercitium siue frequentiam talis actus, nec reum præsertim occultum obligat ante sententiam. Ita Suarez d. 31. sect. 4. n. 22. *Pius V.* *Suarez.*

DISPVTATIO XVI.

DE DEPOSITIONE ET DEGRADATIONE.

QVIA hæ duæ pœnæ valdè similes sunt Suspensioni, breuiter etiam de his aliquid iudicauj dicendum.

Dubitatur Primò, Quid sint depositio vel degradatio?

1 Nota Primò, duplicem esse degradationem, aliam verbalem, aliam realem, vt habetur cap. 2. de pœnis, in 6.

Degradatio alia verbalis, alia realis. c. 2. de pœnis.

CONCL. Depositio siue degradatio verbalis est, pœna Ecclesiastica qua clericus in perpetuum priuatur omni officio, ac Beneficio clericali, retento solo priuilegio canonis acfori. Realis verò degradatio est, quando clericus primò verbaliter degradatus certa solennitate spoliatur omnibus vestibus ac signis clericalibus, omnique priuilegio clericali, patet hæc ex c. 2. de pœnis, in 6. *c. 2. de pœnis.*

2 Nota Secundò, aliquos distinguere duplicem depositionem siue degradationem verbalem: vnum quâ iudex facit in ordine ad degradationem realem, & cum intentione ad hanc procedendi: & hanc volunt proprièdici degradationem: aliam verò quæ fit sine intentione vlteriùs procedendi, & hanc volunt proprièdici depositionem, alij verò volunt hæc duo nomina pro eodem sumi, nam Ius ea ita sumit; vt patet cap. 2. de pœnis, in 6. Sed quidquid sit de nominibus, quæ Ius sæpè confundit, certum est duplicem esse depositionem iam dictam, vt omnes fatentur, & patet ex c. 2. citato, vbi describitur prior, & ex c. *Cùm non ab homine*, 10. de iudicijs, c. *Si Episcopus*, d. 50. c. *Si quis clericus*, d. 81. c. *Tua.* 6. de pœnis, & c. 1. de homicidio, in 6. in quibus agitur de secunda, & quamuis Iura hæc nomina sæpè confundant, sæpiùs tamen hanc secundam videntur vocare depositionem, & priorem degradationem.

Degradatio verbalis duplex.

c. 2. de pœnis.

c. Cùm non. c. Si Episcopus. c. Si quis clericus. c. Tua. c. 1. de homicidio.

3 Hinc infertur Primò, depositionem conuenire cum Suspensione, quòd vtraque sit pœna quæ priuet bonis solis clericis proprijs, ideóque his solis infertur.

Depositio conuenit cum Suspensione. Differt ab eadem.

Infertur Secundò, eas differre Primò, quòd Suspensio non priuet propriè ipso officio aut Beneficio, sed solùm eorum vsum impedit; vt patet vel ex ipsa voce: contrà verò depositio vtroque priuat.

Secundò, Suspensio ex natura sua non exigit, vt sit perpetua, sed potiùs vt sit temporalis, quamuis perpetuitas ei absolutè non repugnet: contrà depositio exigit, vt sit perpetua, vnde sequitur tertia differentia, quòd in Suspensione longè, facilius dispensetur quàm in depositione.

Addunt plurimi quartam differentiam, quòd depositus totaliter semper priuetur omni Beneficio & officio clericali; Suspensio verò semper solùm partialiter etiam eorum vsu priuet, hinc aiunt, si quis in perpetuum suspenderetur ab omni officio ac Beneficio, quantumcumque iudex vteretur voce Suspensionis, fore tamen potiùs depositionem quàm Suspensionem. Vide P. Auilam 3. p. disput. 1. dub. 2. & Nauar. cap. 27. num. 151. 4 *Auilà. Nauarr.*

Alij verò hæc non admittunt, volúntque Primò aliquem posse verè suspendi in perpetuum ab officio & Beneficio, & tamen hunc non fore depositum; quia non priuaretur ipso officio aut Beneficio. Secundò, posse etiam aliquem partialiter deponi, verbi causa à solo Beneficio, aut exercitio Ordinis, aut à iurisdictione, &c. & tunc priuaretur in perpetuum, aut solo vsu Ordinis, aut sola iurisdictione, aut solo Beneficio cum inhabilitate ad simile recipiendum.

Quæ quidem vera sunt, si loquamur de eo quòd absolutè fieri possit; non credo tamen vllam similem esse praxin, siue in Iure, siue in iudicijs, & capita quæ ab illis citantur pro partialibus illis depositionibus, de absoluta & totali depositione loquuntur; vt patet cap. *Cùm non ab homine*. 10. de iudicijs, c. *Si Episcopus*. d. 50. c. *Si quis Episcopus*. c. *Si quis clericus*, d. 81. In quibus vltimis etsi aliqui expressè solùm iubeantur deponi ab honore & officio; tamen dum addirur solam laicam communionem ijs permittendam, expressè significatur etiam depositio ab Ordine & Beneficio: præsertim cùm actus Ordinis etiam sub officio contineatur; & Beneficium sub honore. 5 *In Iure non fit mentio partialis depositionis. c. Cùm non. c. Si Episcopus. c. Si quis Episcopus. c. Si quis clericus.*

Dubitatur Secundò, qua solennitate debeat fieri degradatio?

Hac de re c. 2. de pœnis, in 6. ita dicitur, *Verbalis degradatio, siue depositio ab Ordinibus, vel gradibus Ecclesiasticis est à proprio* (scilicet rei) *Episcopo, sibi assistente in* 6 *c. 2. de pœnis.*

degra-

degradatione clericorum in sacris constitutorum Ordinibus, certo Episcoporum numero definito canonibus faciendæ: quanquam proprij Episcopi sententia sine aliorum Episcoporum præsentia, sufficiat in degradatione eorum qui minores dumtaxat Ordines receperunt. Et infrà dicitur; in reali degradatione degradandum debere sisti suo Episcopo cum omnibus vestibus ac insignibus ad suum officium spectantibus, iisque per Episcopum eodem ordine spoliari, quo in ordinatione ei fuerant tradita; retrogradè tamen, ita vt vltimò traditum primò auferatur, caput eius debet abradi, aut ita tonderi; vt nullum coronæ vestigium appareat, & in ablatione singulorum insignium dicit Episcopus se ei eam dignitatem auferre, & in ablatione vltimę vestis dicit: *Auctoritate omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ac nostra tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, & eximus te omni Ordine, Beneficio, & priuilegio clericali.*

7 Quinam in singulorũ clericorũ degradatione debeant esse præsentes.

Vbi Nota Primò, auctores communiter docere; verbalem degradationem Episcopi debere fieri per Metropolitanum; assistentibus ei duodecim alijs Episcopis; degradationem verò inferiorum clericorum debere fieri à proprio Episcopo, assistentibus ei in degradatione presbyteri sex alijs Episcopis: in diaconi verò vel subdiaconi, tribus: pro alijs verò non est opus assistentia Episcoporum, sed sufficit si Episcopo assistant aliqui de Capitulo, colligunt hoc communiter ex *c. Si quis. c. Felix.* & *c. Si autem presbyteri*, 15. *qu.* 7.

a. Si quis. b. Felix. c. Si autem.

8 Nota Secundò, hos assistentes Episcopos requiri, vt simul cum proprio Episcopo iudicent de causa rei, vt patet ex *c. Si autem presbyteri.* citato. Idque solùm in degradatione verbali in qua fertur ipsa sententia, quæ matura deliberatione, prudentique iudicio priùs examinari debet: hac autem lata realis degradatio à solo proprio Episcopo fit, vt apertè colligitur ex *c.* 2. de pœnis, in 6.

c.2. de pœnit. in 6.

Suarez disp. 30. sect. 1. n. 18. citans alios grauissimos auctores, addit eam assistentiam Episcoporum solùm requiri quando verbalis degradatio fit in ordine ad

Suarez.

realem degradationem; secùs autem esse de depositione, quæ eò non spectat: quia hæc non est ita grauis, quod credo consuetudine ita potuisse induci, & huic sententiæ multum fauet Trident. sess. 13. cap. 4. de reform. vbi hoc satis apertè innuit Iura tamen citata loquuntur generatim de omni iudicio criminali talium personarum.

Tridēt.

Nota Tertiò, hanc solemnitatem iam magnam accepisse moderationem. Primò, per c. 1. de hæreticis, in 6. Secundò, per Trident. sess. 13. cap. 4. de reform. vbi decernit Episcopum per se, aut suum vicarium posse procedere ad verbalem degradationem presbyteri, aut inferioris clerici cum sola assistentia totidem Abbatum mitratorum, loco Episcoporum; aut si hi commodè non possint conuenire, assistentibus alijs personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graues, ac Iuris scientia commendabiles sint.

9 *c.1. de hæreticis in 6. Tridēt.*

Nota Quartò, in degradatione Episcopi requiri etiam modò duodecim Episcoporum assistentiam: quia Iura moderantia antiquos canones de horum degradatione non agunt. In qua etiam hoc obseruandum est, eos Episcopos solùm posse de causa rei Episcopi cognoscere, non tamen ferre definitiuam sententiam, nisi rem priùs ad Pontificem detulerint, cuius est causas omnes grauiores definire, hæc autem omnino grauissima est.

10 In degradatione Episcopi solus Papa fert definitiuam sententiam.

Nota Quintò, verbalem degradationem posse fieri ab Episcopo iam à Pontifice confirmato, etsi nondum consecrato, quia est actus puræ iurisdictionis. Realis tamen necessariò fit ab Episcopo consecrato, quia ex Ecclesiæ instituto est actus Ordinis. Colligitur apertè ex Trid. sess. 13. c. 4. vbi decernit Episcopum posse verbalem degradationem facere per suum vicarium, realem autem debere per se facere.

11 Realis degradatio fit necessariò ab Episcopo consecrato, secùs est de verbali. *Trident.*

Hinc patet, verbalem degradationē à reali differre. Primò, in solennitate. Secundò, quòd illa sit actus meræ iurisdictionis, hæc autem Ordinis & iurisdictionis simul. Tertiò, quòd illa sit latio sententiæ, hæc eiusdem executio.

12

DISPVTATIO XVII.

DE

INTERDICTO

ET CESSATIONE A DIVINIS.

DVBIVM I.

Quid sit Interdictum & quotuplex?

1 CONCLVS. I. Interdictum est censura Ecclesiastica qua prohibentur diuina officia, administratio eorum Sacramentorum, & Ecclesiastica sepultura, quatenus illa rerum spiritualium quandam participationem continent. Quod addo. Primò, vt clariùs appareat formalis ratio qua Interdictum distinguitur à Suspensione, iuxta dicta disputation. 15. numero 2. Secundò, quia infrà hinc reddam rationem, cur Interdictum liget etiam innocentes. Alij alias definitiones adferunt: sed multæ aut in aliquo deficiunt, aut Interdicti naturam minùs explicant.

Interdictũ aliud locale, aliud personale, aliud mistum.

2 CONCLVSIO II. Interdictum aliud est locale, quod immediatè afficit ipsum locum, prohibendo ne in eo supradicta fiant. Aliud personale, quod personas immediatè afficit, interdicendo ijs participatione dictorum vbiuis locorum. Aliud verò mistum, quod vtrumque continet, vt quando & populus alicuius ciuitatis, & ipsa ciuitas immediatè interdicuntur. Quamuis alij velint hoc non esse tertium membrum, nec vnicum Interdictum, sed duo distincta, quod satis probabile est. Interdictum autem tam locale, quam personale rursum subdiuiditur in generale, & particulare, siue speciale: cui Angelus v. *Interdictum.* n. 1. 7. & 11. addit tertium membrum, scilicet interdictum singulare; sed malè, nam & Iura solùm duplicis Interdicti meminerunt: & quod ipse vocat particulare, est verè generale; licèt sit minùs generale, quàm id quod ipse generale vocat.

Item aliud est generale, aliud partiale. *Angelus.*

3 Nota Natarr. c. 27. num. 116. cum quibusdam alijs definire Interdictum generale locale, quo integrum

Natarr.

regnum, prouincia, ciuitas, villa, siue pagus vel parochia interdicitur. Quod etsi verum sit, ea tamen definitio non explicat formalem rationem Interdicti vniuersalis, sed solùm quædam exempla profert. Minùs bona est definitio Angeli v. *Interdictum.* 2. initio, qua definit Interdictum generale locale esse id quo integrum regnum, aut prouincia interdicitur: particulare, quo aliquod oppidum, castrum, aut villa interdicitur: singulare, quo certa Ecclesia interdicitur, quia quod vocat particulare est verè generale.

Angelus.

4 CONCLVS. III. Interdictum generale personale est quod fertur directè in aliquam communitatem quatenus aliquod corpus constituit; v. c. in populum vel vniuersitatem Duacensem: quo Interdicto comprehenduntur omnes, qui sunt ex illo populo, siue vniuersitate, præcisè quatenus sunt pars illius populi, aut vniuersitatis. Interdictum verò personale particulare est, quod fertur in vnam pluresve personas particulares quà tales sunt, tale autem est non modò quando aliqui nominatim interdicuntur, sed etiam quo interdicuntur omnes ij, qui tale furtum fecerunt; etsi mille sint, & secundùm se omnino ignoti, etsi enim tali Interdicto plures subgenerali nomine comprehendantur; non tamen interdicuntur quatenus sunt pars alicuius communitatis, sed singuli immediatè per se ob proprium crimen, eadem planè ratione ac si singuli soli id fecissent; vnde ibi propriè sunt plura particularia Interdicta vna sententia comprehensa.

5 Causam dantes Interdicto generali particulariter interdicuntur. *c. Si sententia.*

Nota Primò, in quouis Interdicto generali, aut etiam particulari locali eos censeri speciatim interdictos qui Interdicto causam dederunt; vt Doctores communiter colligunt ex c. *Si sententia.* 16. de sentent. excommunic. in 6. Vbi dicitur habitantes in loco interdicto posse alibi diuinis interesse, modò non sint culpabiles, vbi clarè insinuatur eos, qui culpabiles sunt, siue ob quorum culpam Interdictum latum est, non posse alibi diuinis interesse, atque ita secundùm personas suas interdictos esse.

6 Aliter suspenditur communitas, aliter interdicitur.

Nota Secundò, etsi Suspensio lata in communitatem cum Interdicto generali personali in hoc conueniat, quòd vtrumque immediatè feratur in communitatem, nec liget innocentes, nisi quatenus sunt pars illius communitatis; tamen omnino contrarios habere effectus, nam in tali Suspensione singulæ personæ præsertim innocentes solùm impediuntur ab actionibus quæ per communitatem immediatè siue nomine ipsius exercentur, vt dixi d. 15. nu. 26. Secùs est in Interdicto: nam singulæ personæ, quamdiu illius communitatis membra sunt, quantumuis innocentes, secundùm se interdicuntur, & prohibentur vllibi diuinis interesse, aut Sacramenta suscipere; vt habetur c. *Si sententia.* citato. Et ratio redditur, quia aliàs Interdictum esset frustra: quia per Interdictum quo populus præsertim interdicitur nihil prohibetur quod per communitatem soleat exerceri; sed ea quæ singulis personis immediatè competunt.

c. Si sententia.

7 Quomodo in Interdicto generali innocentes non puniantur.

Dices. Hinc sequetur innocentes posse puniri, quod tamen d. 15. num. 22. reputauimus absurdum esse. Respondeo negando consequentiam.

Pro quo Nota Tertiò, Ecclesiam suo Interdicto nõ spoliare propriè alios aliquo iure, siue re quam sibi habent, sed subtrahere iis suum ministerium, siue ea quæ ipsi dispensanda commissa sunt, nolendo iis administrare Sacramenta, diuina officia aut Ecclesiasticam sepulturam, à quibus omnes interdictos arcet, eorum participationem iis negando ac prohibẽdo, quatenus hoc necessarium est, vt se indemnem seruet, ac ius suum tueatur. Quæ subtractio etsi habeat rationem pœnæ respectu eorum ob quorum culpam fertur, quia in eorum ignominiam & confusionem cedit; tamen respectu innocentium non habet rationem pœnæ, sed necessariæ defensionis, sicut si vna ciuitas deberet omnia sua victualia ab alia recipere, & cum ea iniisset pactum vt ea suis ciuibus certo pretio venderet, ac deinde huius Magistratus illius ciues offenderet: posset ciuitas offensa meritò nolle vlla victualia vendere ciuibus alterius ciuitatis, donec sibi esset satisfactum: quæ subtractio etsi esset valdè incommoda multis innocentibus, non haberet tamen respectu eorum rationem pœnæ.

8 Clerus non comprehenditur nomine populi, nec contrà. *c. Si sententia.*

Nota Quartò, etsi populus v. c. Louaniensis in propria significatione comprehendat etiam clerum; tamen *si populus interdicatur*, non censetur clerus interdici, nisi exprimatur; nec interdicto clero interdicitur populus, Iure id ita decidente, *c. Si sententia. 16.* de sent. excom. in 6.

Similiter DD. communiter consentiunt interdicto populo non interdici vllas personas religiosas etiam laicas. Sed difficultas est vtrùm interdicto clero Religiosi interdicantur? Couar. in cap. *Alma*, p. 2. §. 1. n. 8. id affirmat dicens esse communem, ratio est, quia in d. c. *Si sententia.* tota ciuitas diuiditur solùm in duas partes, scilicet in populum, & clerum: ergo Religiosi sub alterutra continentur: non sub populo: ergo sub clero.

Couar. c. Alma. c. Si sententia.

9 *Siluester. Armilla. Auila. Henriquez.* In pœnis Religiosi non veniũt nomine cleri.

Oppositum sentiunt Siluest. v. *Interdictum.* 2. n. 17. Armilla v. *Interdictum.* n. 10. Auila p. 5. disp. 1. dub. 4. conc. 7. & P. Henriquez l. 13. c. 42. n. 3. licèt dubius sit. Probant, quia in odiosis Religiosi non veniunt nomine cleri. Et hanc sententiam credo probabiliorem, tum ob rationem iam dictam; tum maximè, quia, etsi clerus aliquando significet omnes clericos, etiam Religiosos tonsura initiatos, non tamen eos tunc significat quatenus constituunt aliquod vnum corpus, sed solùm sub vaga aliqua & communi ratione, nam Religiosi non constituunt communiter vnum aliquod corpus cum clericis externis, quod nomine cleri significetur; cùm habeant planè distinctos fines, ac modos se ipsos regendi, nec communibus cum iis consilijs aut legibus regantur. Quare, cùm Interdictum generale personale debeat ferri in communitatem, quatenus aliquo modo vnum corpus constituit, vt ostendi num. 4. nomine cleri in sententia Interdicti soli illi possunt comprehendi, qui quatenus clericali officio funguntur, omnes vnum corpus inter se efficiunt: quales sunt soli sacerdotes sæculares illius ciuitatis, cuius clerus interdicitur. Et hanc etiam credo rationem, cur clerus non veniat nomine populi, quia nimirum sunt quodammodo duo distincta corpora, quorum vnum non debet in hac re alterius nomine venire.

Ad argumentum contrarium, nego consequentiã, quia Pontifex non intendit ibi ciuitatem in omnes suas partes diuidere, sed solùm significare nomine populi non venire clerum, nec contrà, an autem clerus significet Religiosos, non dicit.

10 Sacerdos nõ Beneficiatus in Interdicto non venit nomine cleri. Veniunt tamen Religiosi habentes Beneficium sæculare.

Vnde etiam infertur Primò sacerdotem, etiam sæcularem, qui in tali ciuitate haberet quidem domicilium; nullum tamen haberet Beneficium vel officium, non comprehendendum tali Interdicto: quia non constitueret vnum corpus cum reliquo clero.

Infertur Secundò, in sententia talis Interdicti sub nomine cleri venire Religiosos habentes pastorarum, aut similia Beneficia: quia cum sæculari clero vnum corpus efficiunt.

Infertur Tertiò, si feratur Interdictum in aliquam communitatem, quæ laicos, & clericos, atque etiam Religiosos continet, sub eo nomine quo hi omnes, prout vnum corpus efficiunt, significantur, omnes Interdicto ligari: sic quando interdicitur vniuersitas, omnes qui sunt ipsius propriè membra, etiam Religiosi, interdicuntur. Vide Auilam 5. p. d. 1. dub. 4. concl. 9.

Auila.

Henriq.

Henriquez, Suarez. Henriq. l. 13. c. 42. n. 3. Suar. hic disp. 32. sect. 2. n. 14.

11 Quando interdicitur collegium, est Interdictum generale. Nauarr. Henriquez.

Infertur Quartò, quando aliqua vniuersitas, facultas artium, aut collegium interdicitur; esse Interdictum generale. Ita Nauarr. c. 27. nu. 166. P. Henriquez l. 13. c. 41. n. 3. & alij. Ratio est, quia sententia tunc fertur immediatè in aliquam communitatem, quatenus vnum corpus efficit, & comprehendit etiam innocentes: quæ non cadunt in Interdictum particulare. Et confirmatur. quia excommunicatio ea ratione lata esset irrita; quod tamen esset falsum si sententia immediatè ferretur in personas.

Idem omnino credo dicendum de interdicto lato in familiam alicuius magnatis, quia eædem rationes militant.

Dices, Talis communitas est pars alicuius oppidi, ergo Interdictum est particulare. Respondeo negando consequentiam. quia simili modo oppidum est pars prouinciæ, & prouincia est pars regni, & regnum totius mundi; & tamen Interdicta in ea lata sunt generalia.

12 Interdicto populo soli ciues comprehenduntur. Auila. Innocens desinens esse pars communitatis interdictæ, desinit interdici.

Infertur Quintò; quando populus alicuius ciuitatis interdicitur, non comprehendi eos qui non sunt illius ciues, etsi studiorum aut negotiorum causa ibi diutiùs commorentur. Auila p. 5. disp. 1. dub. 4. concl. 10. cum aliis.

Infertur Sextò, statim atque innocens desinit esse pars illius communitatis quæ immediatè interdicta est, eum desinere esse sub Interdicto. quia cùm sit interdictus præcisè quatenus est pars illius communitatis, hoc ipso, quo desinit esse illius pars, ratio formalis Interdicti in eo desinit, & consequenter ipsum Interdictum. Excipe casum quo per mortem desinat esse illius pars: quia cùm tunc viuo fuerit negata participatio rerum spiritualium, etiam mortuo negatur nisi absoluatur. Qui verò dederunt causam Interdicti, manent interdicti quantumcumque desinant esse pars illius communitatis.

Incipiens esse pars communitatis interdictæ fit interdictus.

Contrà verò non interdicti, hoc ipso quo fiunt pars alicuius communitatis interdictæ, sunt etiam interdicti. quia Interdictum ligat omnia membra illius communitatis: tales autem verè sunt ipsius membra: contrahunt autem tales hanc censuram vi prioris sententiæ, quæ donec tollatur ligat omnia illius cómunitatis membra. vide auctores citatos n. 11.

13 Interdictū locale.

Concl. IV. Interdictum generale locale est, quo aliquis locus interdicitur, in quo vel actu sunt, vel esse possunt plura omnino distincta loca in quibus diuina celebrentur. Vel meliùs, tale Interdictum est, quo locus aliquis, qui à communitate distinctis omnino habitationibus occupatur, sub generali ratione, qua à communitate tanquam ab vno corpore occupatur, interdicitur.

Interdictū locale generale, & particulare quomodo differunt.

Particulare verò est, quo locus aliquis sacer, verbi causa hæc ecclesia, siue aliquod distinctum sacellum particulariter interdicitur. E quibus facilè intelligitur ratio formalis & diuersitas vtriusque Interdicti. Prima, quia generale semper fertur in locum sub generali ratione qua communitas eam habitationem occupat, v. c. ciuitas sub nomine ciuitatis inhabitatur à suis ciuibus tanquam vnum corpus constituentibus, & similiter regnum sub nomine regni, pagus sub nomine pagi, respicit suos incolas. Contrà verò per particulare locus aliquis sacer sub nomine speciali interdicitur. Hæc est præcipua & maximè essentialis differentia inter vtrumque Interdictum.

14 Generale comprehendit loca nō sacra, secus est de particulari.

Secunda differentia est, quòd in Interdicto generali comprehendantur etiam loca multa non sacra. nam dum ciuitas aut pagus interdicitur, non solùm loca Deo consecrata aut dicata, sed omnes ciuium domus, locáque quæ in iis continentur, interdicuntur; hinc in nullo eorum licet diuina celebrare: secùs est in particulari, quo sola loca sacra in eo expressa interdicuntur, v.c. sit in oppido vnicus locus sacer, & ille interdicatur, ex vi illius Interdicti nemo non interdictus prohibetur in aliis vllis illius oppidi locis diuina officia celebrare, aut Sacramenta administrare, quæ ibidem priùs ex iure communi, aut priuilegio celebrare aut administrare poterat. Supradictam autem definitionem quoad suum sensum partim colligo ex Suarez disp. 32. sect. 2. n. 4. partim infero ex definitione & distinctione suprà assignata inter Interdictum generale & particulare personale: debet enim inter hæc & illa esse aliqua analogia. Alij multi varias afferunt descriptiones, sed quæ non explicent in quo consistat formalis ratio, ac differentia vtriusque Interdicti. Suarez.

Ex his infertur Primò, quando aliquod magnum templum interdicitur, in quo sunt multa altaria, aut etiam sacella in quibus diuina officia celebrari solent, esse Interdictum particulare: tum quia illa non constituunt diuersa loca sacra distincta, sed multas partes vnius integri loci sacri; tum maximè, quia ille locus non interdicitur sub nomine quo à communitate tamquam vno corpore habitatur. Idem dicendum est, quando interdicuntur omnes ecclesiæ, vel etiam omnia loca sacra talis ciuitatis. sunt enim solùm multa Interdicta particularia, quibus plura loca sacra sub aliquo communi nomine interdicuntur: & illi sententiæ planè per accidens est quòd ibi sint plura talia loca, vel vnicus solus: sicut in simili dixi sup. n. 4. quando interdicuntur omnes ij, qui aliquod furtum fecerunt. 15

16 Ecclesia erecta in ciuitate interdicta, est interdicti secùs, si solùm omnia loca sacra illius ciuitatis priùs essent interdicta, Nauarr.

Infertur Secundò, casu quo omnia loca Deo dicata in aliqua ciuitate essent interdicta, si aliqua nouа in ea erigerentur, hæc non fore interdicta. quia nullo modo sub priore Interdicto comprehenderentur, & erigerentur in loco nullo modo interdicto: secùs esset, si ciuitas esset interdicta. quia tunc omnis locus sacer qui erigeretur in illa ciuitate, necessariò erigeretur in loco interdicto.

Infertur Tertiò, quando in aliqua ciuitate etiam vbi plures sunt parochiæ, aliqua interdicitur; esse Interdictum generale. quia tota ratio Interdicti generalis ei conuenit, quia parochia tam respicit integrum aliquod corpus communitatis eam inhabitantis, quàm ciuitas. Ita cum aliis Nauar. c. 27. n. 166.

Dices, Parochia est pars ciuitatis, ergo eius Interdictum est particulare. Respondeo negando consequentiam, quia similiter ciuitas est pars prouinciæ, & prouincia regni.

17 Interdicta ciuitate interdicuntur loca vicina. c. *Si ciuitas.*

Nota Primò, quando aliqua ciuitas, aut castrum, siue oppidulum, aut villa interdicitur, eorum suburbia, ac continentia ædificia censeri hoc ipso interdicta, vt habetur c. *Si ciuitas.* 17. de sentent. excommun. in 6. Vbi ratio redditur, quia aliàs incolæ Interdictum parui facerent, si in locis vicinis possent diuina officia audire, ac Sacramenta suscipere.

Aiunt autem DD. communiter hoc verum esse, & non subietsi dicta suburbia, aut loca continentia non sint in diœcesi ac iurisdictione eius, qui Interdictum tulit: quia ne Interdictum frustretur, Ius ei tali casu iurisdictionem ad hunc effectum confert. iecta interdicenti.

18 Suarez, Auila.

Quæ autem loca siue ædificia ad hunc effectum debeant dici continentia ciuitati siue villæ interdictæ, variant auctores. optimè Suarez disp. 32. sect. 2. n. 23. & P. Auila p. 5. disp. 1. dub. 3. aiunt talem esse, qui ita parum ab vrbe distat, ac commodè à ciuibus adiri potest; vt posito quòd ibi possent diuina officia audire, non multùm curarent Interdictum, qualis autem hîc & nunc talis locus sit, ex circumstantiis prudenti iudicio spectandum, aut etiam à iudice decernendum esse.

19

Ex eodem fundamento DD. communiter inferunt, interdicta aliqua ciuitate interdici etiam ecclesiam exemptam in ea existentem. nam etsi nullor in-

terdicti non possit eam per se immediatè interdicere, potest tamen id concomitanter facere: sicut dictum est de loco vicino, qui non est sub eius iurisdictione. est enim eadem, vel maior ratio: quia aliàs vis Interdicti tota eneruaretur. Vnde etiam Tridentin. sess. 25. cap. 12. præcipit vt Religiosi quantumcumque exempti, seruent in suis ecclesiis interdicta Episcoporum lata in loca in quibus eorum ecclesiæ sunt.

Trident.

Nota Secundò, ecclesia aliqua interdicta censeri etiam interdictum cœmeterium, & capellam ei contiguam; secus verò si ei non sint contigua. vt habetur *c. Si ciuitas* citato. Similiter, etsi duæ ecclesiæ omnino sibi contiguæ sint, modò sint verè distinctæ ecclesiæ, nec vna sit alteri annexa; vna interdicta, altera non est interdicta. vide Suarez disp. 32. sect. 2. nu. 27.

c. Si ciuitas.

Suarez.

20 Nota Tertiò, omne Interdictum locale comprehendere personale particulare respectu eorum qui ei causam dederunt, qui particulatim censentur interdicti; secùs autem est respectu innocentium qui nullo modo sunt interdicti, vnde possunt audire diuina officia in quouis loco non interdicto. Patet apertè ex c. *Si sententia.* 16. de sent. excommun. in 6. Similiter certum est, Interdictum personale particulare non comprehendere vllum locale.

Omne locale comprehendit aliquod personale, non tamen contrà. *c. Si sententia.*

Sed difficultas est, Vtrùm quando totus populus vnius ciuitatis est generatim interdictus, censeatur etiam locus interdictus. Aliqui id affirmant. quia aliàs clerus posset ibi celebrare diuina officia apertis templi ianuis, & pulsatis campanis sicut priùs.

Nauarrus, Angelus, Soto, Auila.

Sed cum Nauarro c. 27. n. 167. Angelo v. *Interdictum.* 1. n. 1. Soto in 4. d. 22. q. 3. art. 1. post 1. concluſ. Auila p. 5. disp. 1. dub. 2. contrarium est asserendum: quia hæc Interdicta sunt omnino distincta. Ad rationem contrariam concedo id fieri posse per se loquendo. nec enim in eo est vllum absurdum: per accidens tamen si aliàs clerus non posset excludere interdictos ne diuina officia audirent, cùm ad hoc teneatur, teneretur consequenter diuina officia ea moderatione celebrare, qualis esset necessaria, vt ab iis audiendis interdicti arcerentur.

21 Nota Quartò, quando generatim terræ alicuius domini, aut Principis ponuntur sub Interdicto, ea sententia comprehendi omnes quas vt suas etiam in emphyteusim, aut dotem vxoris acceptas possider, vt docent Siluester v. *Interdictum.* 2. n. 3. D. Antonin. 3. p. t. 26. cap. 3. P. Henriquez lib. 13. c. 42. num. 2. P. Auila p. 5. disp. 1. dub. 3. Idemque cum Geminiano apud Siluestrum suprà, crediderim dicendum de terris quarum solùm habet vsumfructum. quia, cùm habeat earum dominium vtile, possunt dici ipsius, & ipse propriè punitur per earum Interdictum: secùs autem aiunt esse de terris quas habet solùm in pignus, quia non sunt ipsius. Similiter non credo ea sententia ligari terras, quarum habet solùm dominium directum, quasque aliis in emphyteusim, aut feudum dedit, quia per harum afflictionem non tam ipse puniretur, quàm is qui habet dominium vtile.

Siluester. D. Antonin. Henriquez, Auila. Geminian.

22 Addit Siluester, si talis post Interdictum acquirat nouam terram, eam non fore interdictam: contrà verò si aliquam terram vendat, hanc manere interdictam donec relaxetur, quia transit cum suo onere. Sed hæc ratio nihil hîc probat; quia Interdictum non est onus aliquod annexum illi terræ, sed pœna ipsius domini.

Siluester.

Quare hac in re credo esse distinguendum: nam vel illæ terræ sunt interdictæ ob solum peccatum ipsius domini, in quo incolæ non sunt participes; vel ipsi incolæ siue eorum Magistratus simul cum domino dederunt causam Interdicto. & in hoc casu credo veram esse sententiam Siluestri; in priore verò casu, credo pro vtraque parte contrarium esse probabilius.

Ratio est, quia in priore casu tota ratio finalis sententiæ est, vt ille dominus puniatur ac corrigatur: & formalis ratio sub qua illæ terræ interdicuntur, est, eas esse terras illius domini. hoc ipso autem quo desinunt esse ipsius; vtraque ratio deficit: nam nec iam ampliùs sunt terræ ipsius; vt per se patet; nec ipse earum Interdicto vlteriùs magis punitur, quàm si numquam fuissent ipsius. quare consequenter desinit etiam omnis illius sententiæ vis circa illas terras, præsertim cùm iam inutiliter omnino & noxiè continuaretur. 23

Similiter hoc ipso quo talis nouam terram acquirit, hæc fit membrum illius totius, quod Interdicto ligatur, idque sub formali ratione qua ligatur, scilicet esse terram illius domini; quare etiam eidem Interdicto subiacet. Sicut cum communi sententia in simili dixi suprà nu. 12. de eo qui aut incipit, aut desinit esse pars *communitatis interdictæ*. est enim in vtroque exemplo hîc eadem ratio; & diuersitas, quam aliqui conantur adferre, sine fundamento adferrur: secùs hæc se habent in secundo casu. nam tunc illud Interdictum fertur, non solùm vt dominus terræ, sed etiam vt incolæ puniantur & corrigantur: & consequenter terra saltem implicitè & ex iudicis intentione interdicitur, non solùm quatenus est terra talis domini, sed etiam quatenus à tali communitate inhabitatur, & in huius punitionem. Quare ratio tam formalis quàm finalis illius sententiæ non reperitur nisi omnino imperfectè in terra quam ille de nouo acquirit. quare nec sententia in ea habet locum: & contra vtraque sufficienter manet in terra, quæ post Interdictum desinit esse ipsius, quia manet in terra illius communitatis quæ Interdicto causam dedit.

Nota Quintò, quoties Interdictum absolutè fertur, habere omnes suos effectus in definitione positos, quos dubio secundo magis explicabimus, & cùm grauis sit pœna, nunquam ferri potest, nisi ob grauem culpam: quando est locale, vel generale personale, nequit ferri, nisi ob culpam communitatis, quam per se vel suum caput commisit, in quo ipsa licèt in se innocens sit, potest aliquo modo dici peccasse. Ratio illius est, quia, cùm Interdictum grauia incommoda ipsi communitati adferat; remedium tam acerbum imprudenter atque iniustè illi communitati adhiberetur, quæ eo nullo modo indigeret. 24

Locale generale non potest ferri nisi ob culpam communitatis, aut capitis.

Contingit tamen quandoque Interdictum personale particulare ferri non absolutè, sed cum restrictione circa certos actus; vt quando alicui interdicitur ingressu Ecclesiæ: & tunc materia prohibita posset esse tam parua, vt illud posset meritò ob leuem culpam ferri.

Nota demum Sextò, etsi Episcopus aliúsque similis iudex non possit seipsum interdicere; eum tamen teneri seruare Interdictum à se latum, nec posse à se interdictos ad sacra admittere, nec in loco à se interdicto celebrare, nisi priùs Interdictum tollat, aut saltem suspendat: quia illud ex Iure communi prohibitum est, & contrà faciens statutas à Iure pœnas incurrit. 25

DVBIVM II.

Qui sint effectus Interdicti, siue quænam per ipsum prohibeantur.

CONCLVSIO I. Prohibentur Primò celebratio & auditio diuini officij. patet ex cap. *Si sententia.* 16. de sentent. excomm. in 6. & omnes fatentur. 26

c. Si sententia.

Sed difficultas est Primò, quid hîc nomine diuini officij intelligatur, qua de re DD. variè scribunt,

ita tamen vt magis in modo loquendi aut rei definitione, quàm in re ipsa differant. Respondeo igitur, hîc nomine diuini officij intelligi confectionem sacramentalium, aliarúmque precum Ecclesiasticarum recitationem solennem, siue ritu ad clericos propriè spectante factam. Qualia sunt celebratio Missæ, Horarum canonicarum, aliarúmque Ecclesiasticarum precum decantatio, benedictio ac solennis aspersio aquæ lustralis; item benedictio populi, quando eo modo ac solennitate fiunt qua in officio Ecclesiastico fieri communiter solent: secùs est si fierent modo planè priuato, quo etiam à laïcis sine vllo respectu ad ritum Ecclesiasticis proprium fieri solent. Vide hac de re plura apud Siluestrum v. *Interdictum.* 5. n. 5. Nauarrum c. 27. nu. 171. & seqq. Auilam p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 1. Suarez disp. 34. sect. 3. n. 1. qui hæc particulariùs enumerant: sed ex dictis & communi vsu omnia facilè colligi possunt.

Quid intelligatur nomine diuini officij

Siluester. Nauarr. Auila. Suarez.

27 Infantes non arcentur à diuinis officiis.

Nota Primò, hac prohibitione non contineri infantes aliósque carentes vsu rationis, qui licitè possunt diuinis interesse. quia Ecclesia tempore Interdicti eos solos arcet à diuinis officiis, qui modo humano iis interesse possunt, quales non sunt ij, qui non vtuntur ratione.

Nota Secundò, hanc prohibitionem olim fuisse longè strictiorem quàm modò sit. nam eius rigorem diuersa Iura moderata sunt, & præcipuè c. *Alma.* de sent. excommunic. in 6.

c. Alma.

28 In dicto igitur cap. conceditur Primò, vt omnes clerici non interdicti tempore Interdicti localis generalis, quotidie possint in ecclesiis & monasteriis celebrare Missas, & alia diuina officia sicut prius, ianuis tamen clausis, & excommunicatis ac interdictis exclusis, & sine pulsu campanarum, ac voce submissa, ita vt exteriùs audiri non possint. Addúntque Pontifex, clericos beneficiatos non solùm posse, sed etiam teneri diuinis officiis interesse, alioqui priuandos quotidianis distributionibus.

Addunt aliqui, similiter laïcos, qui ex priuilegio possunt interesse diuinis, diebus festis teneri audire Sacrum: Auila tamen p. 5. disp. 4. sect. 6. dub. 6. cum aliis id probabilius negat. quia nemo tenetur vti suo priuilegio, nec talibus præcipitur, sed permittitur interesse diuinis. quare possunt generali Ecclesiæ prohibitioni & communitati, cuius sunt pars, se accommodare. nec refert quòd vinctus si die Dominico dimittatur liber, teneatur audire Sacrum. quia respectu huius præceptum audiendi Sacrum pergit ligare, & solùm ab eius impletione per impotentiam excusatur. quare hac sublata, nihil eum ab auditione excusat. Secùs est de tempore Interdicti, in quo per contrariam Ecclesiæ prohibitionem respectu illius communitatis præceptum audiendi Sacrum omnino suspenditur, ita vt ea ciúsque partes desinat pro eo tempore obligare. Alia est ratio clericorum: quia, cùm Interdictum, quod arcet ab officio diuino, sit respectu eorum quasi sublatum, præceptum, quo ad diuina celebranda obligantur, in eos omnem suam vim obtinet. Eadémque est ratio omnium laïcorum tempore Paschatis, Pentecostes, &c. nam cùm tunc vis Interdicti ex hac parte sit omnino suspensa, præceptum audiendi Sacrum obligat sicut priùs.

Auila.

Laïci priuilegiati tempore Interdicti non tenentur audire Sacrum.

Vindicti die festo tenentur audire Sacrum si possint.

Sicut etiã clerici tempore Interdicti.

29 Pro explicatione igitur supradictæ concessionis octo hîc sunt notanda.

Primò, hoc priuilegium tantùm concedi pro tempore Interdicti localis generalis, vt satis patet ex fine & decursu ipsius textus; atque vsu & communi Doctorum sententia. quare per hoc caput nihil innouatur circa Interdicta localia particularia.

Secundò requiri, vt diuina officia celebrentur in ecclesiis, aut monasteriis. Per ecclesias autem videtur omnino intelligi omnia loca sacra in quibus ex Episcopi institutione sæculares clerici solent diuina officia celebrare. quia, vt patet ex initio, intentio Pontificis hæc concedentis est vt hæc loca non destituantur obsequio diuino in iis celebrari solito. Auila p. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 3. concl. 3. circa medium.

Auila.

Tertiò, tam Missas quàm alia diuina officia in iis *locis posse quotidie celebrari*, vt priùs. quare licitum est ibidem celebrare omnia diuina officia distincta à Sacramentis, quæ priùs celebrari poterant.

Quartò, hoc priuilegium concedi propriè clericis, quo nomine comprehenduntur omnes personæ religiosæ etiam fœminæ: vt vel inde patet, quòd Pontifex velit ea officia celebrari in omnibus monasteriis. Item omnes initiati prima tonsura, modò sint cœlibes, & non bigami, ac vestem ac tonsuram clericalem gerentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiant, aut in ordine ad maiores Ordines suscipiendos studiis dent operam, iuxta decretum Trid. sess. 23. cap. 6. de reformat. Communiter autem DD. aiunt, clericos coniugatos, etiam cum vnica & virgine, & gestantes habitum clericalem non gaudere hoc priuilegio: quia c. vnico, de clericis coniugatis, dicitur tales non gaudere vllis priuilegiis clericorum nisi canonis & fori. Couarr. c. *Alma.* p. 2. §. 4. nu. 4. illatione 10. Henriqu. l. 13. c. 49. n. 1. P. Auila tamen p. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 4. concluf. 4. cum Soto & Emanuele Rodrigez probabiliter putat tales clericos gaudere hoc priuilegio, si iuxta decretum Tridentini suprà ex mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inseruiant. Hoc ipso enim quo tales clerici ita Ecclesiæ seruitio deputati sunt, videntur in hoc æquales aliis clericis computari. Et confirmatur, quia vel illi tunc non inseruiendo Ecclesiæ reciperent sua stipendia, & sic essent meliore conditione quàm alij clerici, qui non accipiunt stipendia nisi inseruiant, & Ecclesia damnum acciperet, quæ & eorum seruitio & suis stipendiis priuaretur, vel ipsi iisdem stipendiis priuarentur: & hoc esset valdè durum, cùm ea ratione in grauissimas necessitates, & clericali statu indignas sine sua culpa conijcerentur.

Trident. c. vn. de clerc. coniug.

An clerici coniugati possint interesse diuinis tempore interdicti.

Couarr. Henriquez. Auila. Soto. Rodriguez.

Quintò, hæc officia debere celebrari ianuis clausis: debent itaque omnes ecclesiæ ianuæ ita claudi, vt nemo forinsecus possit diuina officia celebrantes audire vel videre, vt patet ex Clement. 1. de sent. excommunic. vbi iudicantur violare Interdictum Religiosi quidam, qui ianuas ecclesiæ perforabant, vt personæ interdictæ per foramina possent videre celebrantes diuina.

Clem. 1. de sent. excom.

Sextò, debere excludi omnes excommunicatos ac interdictos. Per hos autem non solùm intelliguntur ij qui verè interdicti sunt, sed etiam omnes laïci etiam innocentes, ac peregrini qui in terris interdictis existunt, & priuilegium diuina audiendi non habent: qui largo aliquo modo hîc dicuntur interdicti. quia iis interdictum est tali loco diuina audire, etiamsi alibi ea audire possint, atque ita non sint propriè interdicti. Et in hanc sententiam omnes consentiunt, & patet ex praxi: multi tamen laborant, vt eam probent. nam cùm rextus expressè solùm jubeat excludi excommunicatos & interdictos, & supradicti verè & propriè non sint interdicti; videtur difficile quomodo sub nomine interdictorum debeant comprehendi; præsertim cùm pœnæ sint restringendæ, & fauores ampliandi: multi varia Iura pro hac sententia adferunt, sed quæ eam non satis probant, vt benè ostendit P. Suarez disp. 34. sect. 1. n. 22. & seq.

In cap. *Alma.* interdicti dicuntur etiam innocentes.

Suarez.

Sed dicendum est, eum sensum expressè probari ex eodem capite; vbi Pontifex immediatè ante ea verba, quibus eam concessionem facit; expressè docet se circa personas quæ causam interdicto dederunt quantùmuis pœnitentes & paratas satisfacere, vel

circa alias quæ circa hoc minimè deliquerunt, dum tantis adhuc Interdicti nullam concedere nouam relaxationem, nisi quòd iis etiam sanis licitè conferatur Sacramentum pœnitentiæ: hoc autem esset falsum, si ipsi possent omnibus diuinis officiis interesse: nam sic Interdictum circa ipsos ferè totaliter relaxaretur. Quare vt textus sibi constet, necessariò dicendum est, nomen *Interdicti* ibi largè sumi, iuxta suprà explicata. Et confirmatur, quia Pontifex ibidem inferiùs generatim vocat interdictos, etiam eos, qui non dederunt causam Interdicto, dum hos permittit certis diebus accedere ad altare; eis autem qui causam ei dederunt hoc omnino prohibet.

33 Septimò, non posse pulsari campanas, scilicet eo modo quo populus ad diuina audienda solet conuocari, vt patet ex textu.

Couarr. in c. Alma. Quare, vt cum aliis bene notat Couarr. in c. *Alma*, p. 2. §. 4. nu. 5. non prohibentur campanæ ad alios fines consueto modo pulsari, verbi causa ad significandas horas quibus portæ aperiendæ aut claudendæ sunt, aut opifices ad opera accedunt, aut ab iis recedunt, aut salutatio angelica manè, meridie & vesperi recitari solet, &c. Ex quo etiam communiter DD. inferunt, non licere tunc tempore eleuationis in sacrificio solito more tintinnabulum pulsare: quia per hoc etiam externis signum daretur, Christum in Missa adorandum offerri. quod illicitum est.

Octauò, officia hæc diuina debere fieri voce ita submissa ac moderata, vt possint quidem audiri ab iis qui intus sunt, non tamen ab iis qui foris sunt: quia hi omnino ab eorum participatione excludi debent.

34 In eodem c. *Alma* circa idem punctum conceditur Secundò, vt in festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis beatæ Virginis (quibus Martinus V. adiunxit totam octauam Venerabilis Sacramenti) pulsaris campanis, apertisque ianuis, alta voce diuina officia solenniter celebrentur, excommunicatis protsus exclusis, sed interdictis (quales hîc apertè vocat etiam eos, qui propriè interdicti non sunt, sed in loco interdicto habitant) admissis, quibus illis diebus conceditur participatio diuinorum. ita tamen vt illi, ob quorum culpam Interdictum latum est, altari nullatenus appropinquent. Cùm autem ibi generatim permittantur solenniter diuina officia celebrari, sequitur generatim ea omnia permitti quæ contra Sacramenta distinguuntur.

c. Alma. *Martin. V.*

35 Occurrit autem hîc difficultas Primò circa vltima verba concessionis, quibus illi qui causam dederunt Interdicto, prohibentur ad altare accedere. Volunt enim aliqui illis præcipi, vt tales longiùs ab altari absistant: sed hæc explicatio videtur mihi frigida, & minùs commoda. Nam legem omnino dubiam & obscuram difficilimam reddit; cùm nec lex definiatur, nec definiri possit quantum tales debeant ab altari remoueri. Si enim dicas remouendos ad 10. vel 12. passus; tales in magnis templis proximi ferè (præsertim inter laicos) ad altare poterunt accedere: si longiùs velis abesse, in multis minoribus sacellis omnino excludendi erunt, contra apertam concessionem capitis *Alma*. Adde, eadem ratione, qua eos remouebis ad 10. vel 20. passus, alius remouebit ad 40. vel centum, nec vlla poterit statui certa regula: præsertim si pro loci capacitate maius spacium decernendum sit. atque ita omnia erunt incerta, ac multis locis indoctorum hominum arbitrio finienda. quæ absurda sunt.

Quid sit accedere ad altare.

Quare cum aliis credo per ea verba tales arceri à sacra communione, & oblationibus: nam communi modo loquendi oblaturi dona tempore sacrificij, & præsertim communicaturi dicuntur ad altare accedere. quæ duo etiam infamibus ac rebellibus hominibus Ius singulariter prohibet; vt patet ex c. *Quia in omnibus*. 3. de vsuris. Vide P. Suarez disp. 34. sect. 1. numero 33. *c. Quia in omnibus.* *Suarez.*

Secundò, est difficultas, Vtrùm alij interdicti, siue laici qui non dederunt causam Interdicto, possint illis diebus communicare? Archidiaconus & Ioannes Andreas, quos citat & sequitur Siluester v. *Interdictum*. 5. n. 3. dicto 3. id negant: quia communio talibus tempore Interdicti est prohibita, nec vllibi illis diebus conceditur. 36 *Archidiac. Io. Andreas. Siluester.*

Sed cum P. Suarez disp. 33. sect. 1. n. 35. credo id licere, & apertè colligitur ex cap. *Alma*, citato, vbi iis omnibus absolutè permittitur *participatio diuinorum*, quibus verbis propriè significatur communio. Confirmatur, quia ibidem immediatè pòst iis qui causam Interdicto dederunt, singulariter communio prohibetur, vt ostendi n. 35. ergo aliis permittitur; aliàs non esset inter eos discrimen, & frustra his particularim prohiberetur. *Suarez.* Innocentes tempore Interdicti locales licitè in Paschate communicant.

Addit Suarez suprà n. 39. similiter aliis diebus licere clericis communicare tempore Sacri cui tempore Interdicti licitè interfunt. quia hæc communio est quasi pars *officij diuini*, quod ipsis absolutè permittitur. *Suarez.* Sicut & clerici quoties Sacro interfunt.

Tertia difficultas est, Vtrùm supradicta festa Natiuitatis, Paschæ & Pentecostes contineant solùm vnum diem, an plures? Item quando singuli dies incipiant ac finiantur, quantum ad præsentem casum attinet? Circa Primum ferè communior sententia docet, hæc festa solùm complecti vnum diem. quia in rigore festum Natiuitatis solùm vnum diem complectitur, cùm sequenti die sit festum sancti Stephani: ergo idem dicendum est de festo Paschatis, & hanc sententiam cum aliis quos citat supponere videtur Siluester v. *Interdictum*. 5. n. 3. eámque vt communiorem sequitur P. Suarez disp. 34. sect. 1. n. 39. 37 *Siluester. Suarez. Soto. Auila.*

Soto tamen in 4. d. 22. q. 3. ar. 1. concl. 4. & P. Auila p. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 9. cum quibusdam aliis, quos citant, volunt singula festa plures dies complecti, nimirum tres, vel quatuor: quia scilicet hæc festa singula per tres vel quatuor dies festos celebrantur, qui omnes vocantur festiuitas Paschæ, Pentecostes, &c. & c. *Alma*, absolutè dicitur in dictis festiuitatibus diuina officia solenniter celebranda. *c. Alma.*

Quod ad Secundum attinet; multi DD. asserunt hæc festa incipere à primis Vesperis, & durare vsque ad secundas. 38

Soto tamen & Siluester suprà cum aliis volunt ea durare vsque ad Completorium: quod credo verum esse, quia hoc absolutè ad officium diei pertinet. *Soto. Siluester.*

Item Auila suprà, cum Soto & multis Doctoribus Salmanticensibus, quos citat, tenet festum Paschæ & Pentecostes incipere à Sacro ipsius Vigiliæ, quia hoc per anticipationem fit de ipso festo. Et hæc sententia potest confirmari ex c. 2. de feriis, vbi dicitur celebrationi festorum non posse certam horam præscribi, sed pro locorum consuetudine, & eorum celebritate, eam citiùs aut seriùs debere incipere ac finiri. Cùm igitur Ecclesia in ipsis vigiliis dicta festa à Sacro celebrare incipiat, videtur dicendum dicta festa tunc incipere. Quæ rationes non sunt improbabiles. Sed dicendum est in vtraque parte huius difficultatis cuiusque loci legitimam consuetudinem sequendam esse, nec facilè nouam introducendam. nam consuetudo optimè leges interpretatur. *Auila. Soto.* *c. 2. de feriis.*

Nota tandem, quando alicui particulari personæ ex priuilegio conceditur, vt tempore interdicti possit interesse diuinis, familiares ipsius, siue qui eum comitari sunt soliti, posse simul cum eo sacris interesse, non tamen sine eo. Secùs de familiaribus alicuius communitatis, cui tale priuilegium concessum est: si enim familiares singularum personarum, siue qui singulas tanquam famuli solent comitari, possint

tum illis sacris interesse; hoc tamen non possunt familiares ipsius communitatis secundùm se. ita haberur c. pen. de priuil. in 6. Vide Auilam 5. p. disp. 4. sect. 2. dub. 7.

c. penult. de priuil. Auila.

39 CONCL. II. Tempore Interdicti prohibetur secundò administratio ac susceptio Sacramentorum; quibusdam tamen exceptis. patet ex c. *Alma.* citato.

c. Alma.

40 Excipiuntur autem Primò, Baptismus & Confirmatio. c. *Quoniam.* 19. de sent. excommun. in 6: Ex quo etiam apertè colligitur hæc conferri posse cum omni solennitate; quia ibi dicitur in tali baptismo vtendum esse chrismate, ideóque hoc posse etiam tempore Interdicti confici. cùm igitur vnctio chrismatis numquam adhibeatur in baptismo non solenni, bene sequitur ibi solennem baptismum concedi. Vnde P. Suarez disp. 33. sect. 1. n. 3. infert baptismum posse conferri etiam in loco particularim interdicto. quia ad solennitatem ipsius pertinet, vt conferatur in templo, nec pueri debent extra suam parochiam baptizandi differri.

c. Quoniam. Confirmatio & baptismus tempore Interdicti solenniter conferuntur.

Suarez ac baptismus etiam in loco specialim interdicto.

Excipitur Secundò, Sacramentum pœnitentiæ, quod tempore Interdicti non solùm in articulo mortis, vt olim, sed etiam sanis quocumque tempore conferri potest, vt patet ex c. *Alma.* cum duplici tamen moderatione. Prima est, vt excommunicati ad ipsum non admittantur, nisi in articulo mortis. quæ limitatio tripliciter intelligitur. Primò enim aliqui volunt ibi absolutè prohiberi ne excommunicati tempore Interdicti absoluantur: quia in absolutione excommunicationis vsurpantur quædam cæremoniæ, quæ spectant ad officium Ecclesiasticum. Sed hæc ratio solùm potest habere locum in absolutione solenni. Quare communiter alij DD. cum Abbate c. vlt. de excessibus Prælatorum, n. 5. concedunt excommunicatum tempore Interdicti sine solennitate, prout fit in foro conscientiæ, posse absolui. quia ea absolutio est solùm actus iurisdictionis: cuius exercitium non est prohibitum tempore Interdicti.

Pœnitentia cum duplici moderatione permittitur.

Abbas.

41 Secundò, Siluest. v. *Interdictum.* 5. n. 9. & Armilla v. *Interdictum.* n. 45. volunt illud caput loqui de illis solis qui excommunicati sunt, quia causam Interdicto peculiariter dederunt. nam cùm hoc cap. agatur solùm de modo obseruandi Interdictum, non videtur Pontifex ibi velle aliquid præscribere circa alios, quàm circa eos qui ratione Interdicti à sacris excludendi sunt.

Siluester. Armilla.

Suarez. Tertiò, P. Suarez disp. 33. sect. 1. n. 16. vult Pontificem ibi nihil velle constituere circa absolutionem excommunicatorum, sed eam relinquere iuri antiquo, solúmque velle ostendere se per eam concessionem circa interdictos nullam velle nouam facultatem concedere absoluendi eos ab excommunicatione: atque ita dum dicit excommunicatos non esse absoluendos nisi in hora mortis, loqui de iis, quos ordinarij Episcopi, vel confessarij aliàs extra articulum mortis absoluere non possunt. Et hæc explicatio videtur maximè probabilis, quamuis secunda non sit omnino reiicienda.

42 Secunda limitatio est, vt ij qui aliqua ratione culpabili causam Interdicto dederunt, non absoluantur, nisi priùs, quantum in eorum potestate est, de delicto satisfecerint, aut de satisfaciendo sufficientem cautionem dederint; aut si neutrum facere possint, saltem iurarint, se quàm primùm poturos satisfacturos, & vt Ecclesiæ plenè satisfiat, se ope & consilio per se vel alios prout poterunt laboraturos.

43 Viaticum tunc etiam permittitur.

Tertiò, excipitur communio, quæ per modum viatici danda est constitutis in articulo mortis: c. *Quod in te.* de pœnitent. & remiss. Dicitur autem in articulo mortis constituras cuicumque probabile mortis periculum quacumque ex causa imminet, iuxta dicta suprà disp. 8. n. 16.

c. Quod in te.

Nota Primò, vt hoc Sacramentum possit pro morientibus debitè consecrari ac renouari, cap. *Permittimus.* 57. de sent. excommunic. concedi, vt tempore Interdicti semel per hebdomadam celebretur cum moderatione ex c. *Alma.* suprà explicata. Quod Nauar. c. 27. n. 173. cum aliis intelligit etiam de loco specialiter interdicto, in quo Venerabilis Euchariſtia pro infirmis asseruari solet. nam inconueniens esset si Pastor ex aliena parochia deberet hoc Sacramentum suis subditis morientibus petere.

c. Permittimus. Etiã in loco specialiter interdicto potest semel per hebdomadam celebrari renouãdi Sacramẽti causa, *Nauarr.*

Nota Secundò, ex communi sententia hoc Sacramentum tempore Interdicti cum omni solennitate ad ægrotos esse deferendum, etiam pulsata campanula. quia hoc nullibi prohibetur: & cùm omnes possint tunc Venerabile Sacramentum dum pertransit adorare, illudque si velint honoris causa comitari; nulla est ratio cur eo signo ad hoc faciendum excitari non possint. Vide Suarez disput. 33. sect. 1. num. 28.

44 Communio tunc etiam solemniter ad ægros ferenda.

Suarez.

Nota Tertiò, etsi c. *Quod in te.* citatum, videatur loqui de Interdicto locali, tamen idem dicendum esse de Interdicto personali, vt patet ex eius ratione. nam generatim dicit, iis morientibus, quibus conceditur pœnitentia, non negari communionem: nulli autem quacumque censura ligato verè pœnitenti, & parato satisfacere pœnitentia denegatur. Ab iis tamen qui ob suam culpam specialiter interdicti sunt, priùs exigenda satisfactio, iuxta dicta n. 42.

c. Quod in te.

Disputant autem hîc aliqui, an personaliter interdicti possint morienti dare communionem? Quia in re dicendum est Primò, eos qui tantùm generaliter interdicti sunt, nec Interdicto causam dederunt, posse hoc Sacramentum morientibus administrare. quia eadem omnino est ratio in hoc casu, & in Interdicto locali.

45 An personaliter interdicti possint aliis dare viaticum.

Dico Secundò, speciatim interdicti, quales sunt omnes qui Interdicti causam dederunt, non possunt Sacramentum administrare. quando sunt alij, qui hoc facere possunt. quia hæc administratio cùm sit quædam sacri officij participatio, iis est prohibita: possunt tamen aliis suas vices delegare. quia actus iurisdictionis non est iis prohibitus: & ad hoc tenentur, quia tenentur suis subditis viaticum per se vel alios administrare.

Dico Tertiò, quando non sunt alij per quos hoc Sacramentum administrare possint, si sint tolerati, possunt hoc per se administrare. Secùs tamen (excepto fortè vno casu) crediderim quando non sunt tolerati: vide dicta tomo 1. q. 64. a. 6. dub. 2. concl. 2. & 3. in simili an liceat petere Sacramenta ab excommunicato. Crediderim tamen faciliùs admittendum esse, vt nominatim interdictus aliquod Sacramentum conferat, quàm nominatim excommunicatus. quia hæc res huic magis prohibetur, maiorémque omnino in eo indecentiam habet, vt per se patet. cùm excommunicatus longè magis ab omni pace & communione Ecclesiæ ac fidelium alienus sit quàm vllus interdictus.

46

Difficultas autem hîc præcipua est circa matrimonium, vtrùm sine solenni benedictione (quam omnes concedunt per Interdictum prohiberi) tempore Interdicti, siue ab interdictis licitè contrahatur. Quidam id negant, quia cap. *Si sententia.* 16. de sent. excommun. in 6. generatim dicitur interdictos non posse, exceptis casibus in Iure concessis, vbi Ecclesiastica recipere Sacramenta, matrimonium autem est Sacramentum, & nullibi excipitur. Secundò, quia excommunicatus peccat suscipiendo Sacramentum matrimonij: ergo etiam interdictus.

47 *c. Si sententia.*

48 Tẽpore interdicti licitè cõtrahitur matrimoniũ.

Communis tamen sententia asserit, hoc interdictis non prohiberi, atque ita eos licitè illud contrahere, si modò sint in statu gratiæ. Ita Nauar. c. 27. n.

Silueſt. Panorm. c. Non eſt vobis.

179. Silueſt. v. *Interdictum*. 5. n. 9. & Panorm. in c. *Non eſt vobis*. de ſponſalibus; dicit eſſe communem. Probatur Primò, quia per Interdictum non prohibentur contractus: matrimonium autem primò & per ſe habet rationem contractus: ratio autem Sacramenti etſi in eo ſit dignior, tamen ſi tam ipſius inſtitutionem, quàm vium, ac contrahentium intentionem ſpectemus, primò & per ſe habet rationem contractus; rationem autem Sacramenti acceſſoriè ac per accidens. quia & priùs tempore & intenſione eſt inſtitutum vt ſit contractus, & poſtea eleuatum ad eſſe Sacramenti. Item eſſentialiter & ex natura ſua habet rationem contractus, rationem verò Sacramenti aliunde, & per accidens, cùm ſine ea eſſe poſſit. Similiter omnis communiter illud contrahens, primò & per ſe intendit ipſum contractum, Sacramentum verò ſolùm per accidens quatenus illi coniunctum eſt; vnde eodem modo contraheret etſi hoc abeſſet. Cùm igitur acceſſorium & per accidens ſequatur id quod eſt principale & per ſe; matrimonium magis debet ſequi permiſſionem contractus, quàm prohibitionem generalem Sacramentorum.

49 Dices, hinc ſequi cognitionem cauſarum matrimonialium ſpectare ad forum ciuile, quia matrimonium principaliter eſt contractus ciuilis.

Reſpondeo negando conſequentiam. quia Eccleſia cauſas matrimoniales ſpeciatim & expreſsè ſibi reſeruauit; per Interdictum autem nullibi expreſsè aut ſpeciatim prohibuit matrimonium contrahi. Sicut igitur non obſtante generali regula, qua ex inſtitutione poteſtatis Eccleſiaſticæ omnium rerum ſacrarum ordinatio ad Eccleſiam quaſi naturaliter ſpectat, nihilominus ſecluſa illa ſpeciali Eccleſiæ reſeruatione cauſæ matrimoniales etiam ad forum ciuile ſpectarent, vt ex communi ſententia oſtendam infrà diſp. 30. dub. 1. ſic etiam in præſenti non obſtante generali prohibitione, qua interdicti arcentur à receptione Sacramentorum, licitum iis erit ſuſcipere matrimonium, per ſe, quatenus eſt contractus, iis licitus; & per accidens, quatenus eſt Sacramentum, vt in tertia probatione magis patebit.

50 Probatur Secundò, quia aliàs in generali alicuius prouinciæ, aut populi Interdicto, infiniti propè homines etiam innocentes cogerentur fortè etiam per aliquot annos nullum matrimonium contrahere; ex quo grauiſſima ſequerentur incommoda, ac innumeræ fornicationes.

Tertiò, & præcipuè, quia, vt oſtendi num. 7. Eccleſia per Interdictum ſolùm aliis ſubtrahit ea, quæ ipſi à Chriſto diſpenſanda commiſſa ſunt, qualia ſunt omnia diuina officia, & ea Sacramenta quæ per ſuos *miniſtros diſpenſat: tale autem nullo modo eſt matrimonium.* nam huius diſpenſatio non eſt commiſſa Eccleſiæ, ſed ipſis contrahentibus: quare ea per Interdictum ſpoliari non poſſunt. nam aliàs in re omnino ſibi propria plurimi omnino innocentes grauiſſimè læderentur ac punirentur; quod tamen abſurdum eſſe ex principiis naturæ & Iuris oſtendi ſup. diſp. 15. n. 16. Quare ſicut hæc ſententia eſt communior, ita etiam verior.

Ad Primum argumentum poſitum n. 47. Reſpondeo, eam prohibitionem intelligendam eſſe de Sacramentis quæ Eccleſiæ diſpenſationi commiſſa ſunt, vt patet ex dictis. Ad Secundum, nego conſequentiam. quia hoc excommunicato aperte prohibetur, non autem interdicto; nec vlla ex parte eſt eadem ratio.

51 Sacra ſepultura interdicitur. c. *Quod in te.*

CONCL. III. Tertiò, per Interdictum prohibetur, ne quis loco interdicto ſepeliatur Eccleſiaſtica ſepultura, loco ſcilicet ſacro, aut cum officio Eccleſiaſtico. Patet cap. *Quod in te.* de pœnitentiis & remiſſ. loco autem non ſacro quantumuis interdicto quiuis ſepeliri poteſt: & quamuis clerus non poſſit funus ſolenni ritu comitari, poteſt tamen in eccleſia pro defuncto ſeruata moderatione cap. *Alma.* diuina officia celebrare. hoc enim nullibi prohibetur. c. *Alma.*

Nota Primò, c. *Quod in te*, citato, permitti, vt in Interdicto locali generali clerici, qui ei cauſam non dederunt, & id ſeruauerunt, poſſint loco ſacro ſine campanarum pulſu cum ſilentio ſepeliri: iam verò poteſt etiam circa funus diuinum officium celebrari, aliæque ſolennitates adhiberi cum moderatione præſcripta in c. *Alma.* vt omnes fatentur. Quòd ſi contingat clericum ſepeliri in illis feſtiuitatibus quibus licet ſolenniter diuinum officium celebrare, poterit cum omni ſolennitate ſepeliri. Nomine autem clericorum hîc veniunt omnes ij, quos recenſui ſuprà numero 30. exceptis fortè coniugatis, etiam iis, quos ibi dixi poſſe diuinis intereſſe: quia rationes quas ibi pro hac re attuli, non militant pro ſepultura. 52 c. *Quod in te.* c. *Alma.*

Addunt Silueſt. v. *Interdictum*. 5. n. 10. v. *Quintum*, citans Panormitanum & alios. item Couarr. c. *Alma* p. 2. §. 2. n. 7. & multi alij, idem dicendum eſſe de loco ſpecialiter interdicto. quod non eſt improbabile propter Doctorum auctoritatem; ſed nullum habet fundamentum in Iure. Faciliùs hoc concedi poſſet quando in ciuitate eſſet vnicus locus ſacer, iſque ſpecialiter interdictus, ita vt clericus alio loco ſacro ſepeliri non poſſet: tunc enim facilìus permitteretur in eo ſepeliri, ne aliàs deberet ſepeliri loco profano. 53 *Silueſter. Panorm. Couarr.* An clericus poſſit ſepeliri loco ſpecialiter interdicto.

Addunt aliqui Secundò, laicum qui ex priuilegio tempore Interdicti poteſt intereſſe diuinis, aut quemuis alium in feſtis Paſchatis, Pentecoſtes, &c. poſſe ſepeliri loco ſacro; quia, vt aiunt, cui in ſacris communicamus viuo, communicamus etiam mortuo. Ita Silueſter ſup. v. *Sextum*. Soto in 4. d. 22. q. 3. art. 1. poſt 4. concl. & alij. Sed illud axioma nihil facit ad rem præſentem, quia vt verum ſit, intelligendum eſt de eadem cõmunicatione, ſiue circa eandem rem; intereſſe autem diuino officio, & poſſe loco ſacro ſepeliri, ſunt res omnino diſtinctæ, & tamquam diſtinctæ per Interdictum prohibitæ, nec vno conceſſo alterum cenſetur concedi. Adde, hîc non quæri, vtrùm tali mortuo poſſimus in ſepultura communicare: patet enim hoc licere in loco non interdicto. ſed vtrùm liceat eum tali loco ſepelire: quæ valdè diſtincta ſunt. Quare P. Suarez diſp. 38. ſect. 1. n. 13. cum aliis meritò docet contrarium. 54 An laicus priuilegiatus tunc poſſit ſepeliri. *Silueſter. Soto.* 55 *Suarez.*

Nota Primò, certum eſſe perſonas nominatim interdictas, etſi clerici ſint, non poſſe ſepeliri in loco ſacro, vt patet ex Clementina 1. de ſepult. Sed difficultas eſt, Vtrùm perſona generaliter ſolùm interdicta, quæ Interdicto cauſam non dedit, poſſit ſepeliri loco ſacro non interdicto. Quam quæſtionem fuſè diſputat P. Suarez diſp. 35. ſect. 3. n. 2. & concludit ſaltem poſt Concilium Conſtantienſe licere tales ſepelire. quod verum eſt, modò illa communitas cuius eſt pars, non ſit denuntiata; vt dicam n. 62. 56 *Clem. 1. de ſepultur.* An generatim ſolùm interdictus poſſit ſepeliri loco ſacro. *Suarez.*

His poſitis duplex hîc reſtat difficultas. Prima eſt, quid prohibeatur ei cui interdictum eſt ingreſſu eccleſiæ? Qua in re certum eſt Primò, eum non poſſe in eccleſia diuina officia vel celebrare, vel audire, nec frui Eccleſiaſtica ſepultura ſi impœnitens moriatur; ſecùs verò ſi moriatur pœnitens. Ita omnes apertè colligunt ex c. *Is cui.* 20. de ſent. excommunicat. *in 6.* Secundò, ex eodem capite communiter colligunt, talem extra eccleſiam poſſe diuina officia audire & celebrare, ſi aliàs nullum impedimentum habeat. Sed difficultas eſt, vtrùm poſſit intra eccleſiam orare, aut Sacramenta ſuſcipere, dum in ea diuinum officium non celebratur? Tres ſunt ſententiæ. 57 c. *Is cui.*

Prima vtrumque negat. Ita Monaldus & Verneccius apud Silueſtrum v. *Interdictum*. 5. n. 8. & videtur ipſe eidem fauere. Fundatur hæc ſententia Primò, 58 *Monaldus. Verneccius. Silueſter.*

quia verba Interdicti propriè significant talem nullo modo posse ecclesiam ingredi. Secundò, quia c. *Latorem.* 33. q. 2. cuidam matricidæ præcipitur, ne per annum ecclesiam ingrediatur, sed ad ipsius fores deprecetur; vbi omnino videtur agi de oratione priuata: Sed hæc argumenta non conuincunt. Quia, vt etiam contrariæ sententiæ auctores fatentur, per eam censuram non omnis ingressus ecclesiæ prohibetur: nam ita interdictus nullo modo prohibetur ecclesiam ingredi ob alia negotia, quando in ea non fit diuinum officium. quia sic solùm ingreditur ecclesiam quasi materialiter sumptam; sed solùm prohibetur eam formaliter sumptam ingredi, scilicet ad eum effectum ad quem instituta est. Vnde non immeritò quis colligat eum solùm prohiberi eam ingredi ad audienda vel celebranda diuina officia, aut Sacramenta percipienda, vel administranda: quia ecclesia ad hæc propriè institura est, non autem ad priuatas orationes fundendas, nisi per accidens & consecutiuè. Vnde patet solutio ad Primum. Ad Secundum Respondeo, in dicto capite non ferri vllam censuram, sed publicam pœnitentiam præscribi, vt patet ex textu. & tali solùm prohiberi in ecclesia orare dum diuina officia in ea fiunt. nam sicut ibi præcipitur primo anno orare ante fores ecclesiæ, ita iubetur sequentibus duobus stare, siue orare inter audientes; quod clarè patet debere intelligi de tempore quo diuina officia fiebant.

c. Latorem.

Interdictus ingressu ecclesiæ, tantùm prohibetur eam ingredi quasi formaliter sumpta.

59 Secunda sententia talibus vtrumque concedit. Fundatur præcipuè, quia illis solùm in ecclesia prohibentur diuina officia, ergo non Sacramenta. huic sententiæ fauet Nauar. c. 27. n. 170. in fine. Sed hæc sententia sumit, quod probandum est, nec enim vllum Ius pro se adfert.

Nauarr.

Licitè in ea orat extra tempus diuini officij, sed illicitè Sacramenta suscipit.

Tertia sententia est media, vultque talem licitè orare in ecclesia, dum in ea non celebratur diuinum officium; illicitè tamen in ea suscipere Sacramenta. Ita Siluester v. *Suspensio.* n. 5. sub finem, & Angelus v. *Suspensio.* 3. n. 4. Et hanc sententiam credo probabilem, tum ob rationem allatam contra fundamentum primæ sententiæ, quæ videtur vtramque huius sententiæ partem probare: tum etiam quia absonum videtur aliquem iudicari indignum qui alijs diuinis officijs intersit, & tamen ei permittere, vt cum alijs in ecclesia Sacramenta percipiat.

Siluester. Angelus.

60 Secunda difficultas est, qua ratione teneamur vitare interdictos? pro quo

Quibus nulla in ecclesia administratio incumbit, in nullo tenentur vitare interdictos.

Dico Primò, illos qui diuina nec celebrant, nec administrant, quibusque non incumbit cura ea tali loco administrandi, in nullo teneri vitare vllum interdictum; vnde possunt cum interdictis diuina officia audire in locis non interdictis, aut etiam in loco interdicto, si ad hoc aliàs priuilegium habeant. item possunt sacerdotis nominatim interdicti Sacrum audire: modò neminem prohibitum sacro loco sepeliant, aut ad violandum Interdictum inducant. quia illa priora nullibi sunt prohibita, vt bene docet P. Suar. disp. 34. sect. 2. n. 3. & in simili docui d. 15. n. 17.

Suarez.

61 Dico Secundò, rectores ecclesiarum, aliósque quibus eorum locorum cura incumbit, aut etiam alios, qui in illis diuina officia celebrant, teneri interdictos nominatim denuntiatos expellere, sicut etiam quosuis alios non priuilegiatos, si in loco interdicto iuxta priuilegia cap. *Alma.* & cap. *Permittimus.* de sent. excommunic. celebrent. quia hoc ibidem ijs expressè præcipitur, & ad eos propriè spectat diuinorum officiorum ac Sacramentorū dispensatio. quare ab ijs debent excludere vos quibus illorum participatio interdicta est, secùs est de ijs ad quos illorum dispensatio non spectat.

Secùs est de ijs quibus aliqua administratio incumbit.

c. Alma. c. Permittimus.

62 Nota, post Extrauagantem *Ad euitanda.* neminem non interdictum teneri obseruare Interdictum locale, nisi nominatim denuntiatum; nec etiam vitare siue sacris excludere, aut non sepelire vllum interdictum nisi particulatim denuntiatum. talis autem censetur omnis is quem apertè constat esse membrum alicuius communitatis quæ denuntiata est interdicta: quia aliàs omne Interdictum generale personale ex hac parte fruſtraretur omni ferè effectu, quia est ferè impossibile singula ipsius membra nominatim denuntiare. vide P. Suarez disp. 37. sect. 2. n. 3.

Extrauag. Ad euitanda.

Non tenemur obseruare interdictum locale ante denuntiationem.

Quæuis pars cōmunitatis denuntiata censetur denuntiata.

Suarez.

Addit idem disp. 34. sect. 3. n. 9. & 10. si, dum sacerdos loco non interdicto celebrat, ingrediatur denuntiatus interdictus, dandam quidem operam vt pollit expelli; si tamen hoc fieri nequeat, sacerdotem non teneri desistere, quia nullibi præcipitur. Quòd si iuxta priuilegium c. *Alma.* celebret in loco interdicto, necessariò ei desistendum est nisi inchoarit canonem, eodem modo ac si ingrederetur excommunicatus. quia non permittitur ei ibidem celebrare nisi interdictis exclusis: vnde pergendo celebrare fieret irregularis, quia per actum Ordinis violaret Interdictum.

63

c. Alma.

DVBIVM III.

Quale sit peccatum violare Interdictum?

64 CAiet. v. *Interdicti violatio.* singularem hac in re tenet sententiam; docetque Primò, solos clericos peccare violando Interdictum, idque tunc solùm cùm exercent actum Ordinis. Qua in re mox ipse sibi contradicit, dum docet moniales contra prohibitionem Interdicti canendo diuina officia peccare, quæ tamen non possunt exercere vllum actum Ordinis. Docet Secundò, ex pœnis irregularitatis & similibus, quæ clericis violantibus Interdictum imponuntur, non satis colligi eos peccare mortaliter. Tertiò, laicum specialiter interdictum peccare audiendo diuina officia; secùs autem esse de eo qui tantùm generaliter est interdictus, aut qui non interdictus audit diuina officia loco interdicto. Quæ omnia nec satis sibi cohærent, nec vllum habent fundamentum, & communi Doctorum sententiæ, atque adeò ipsi Iuri & rationi satis apertè repugnant. Nam cùm Ius violantes Interdictum grauissimè, vt infrà videbimus, puniat, iniquè id faceret nisi illi grauiter peccarent: nam pœna non debet excedere delictum. nec refert quòd irregularitas quandoque incurratur sine vllo delicto: quia tunc ea, non incurritur per modum pœnæ, sed vel ob naturalem inhabilitatem, vt quando aliquis manum amittit, aut ob defectum significationis, aut aliam indecentiam: violantibus autem Interdictum aliquæ per modum pœnæ infliguntur.

Caietan.

Ex grauitate pœnæ meritò colligitur grauitas delicti.

Dices. Excommunicatio minor est grauis pœna, & tamen incurritur ob peccatum veniale.

Cur excōmunicatio minor sit leuis pœna.

Respondeo negando assumptum. nam etsi priuet magno bono; quia tamen facilimè tollitur, censetur pœna leuis: sicut priuari mille aureis per quadrantem est leuior pœna quàm priuari vno in perpetuum.

Inter alios verò DD. ferè conuenit Primò, clericos (quorum nomine comprehenduntur omnes recensiti suprà n. 30.) violando Interdictum peccare mortaliter. quia ipsis propriè & per se præcipitur obseruatio Interdicti, nisi fortè excusentur inaduertentia (vt si ex leui negligentia admittant ad officia diuina aliquem excludendum) aut materiæ paruitate (vt si solùm vnum psalmum contra Interdicti præscriptum canant:) in functionibus tamen sacro Ordini deputatis etiam paruis, quales sunt Sacramentorū administratio, solennis aquæ benedictio, vel aspersio, solennis Euangelij, Epistolæ, vel etiam orationis præmisso *Dominus vobiscum*, tempore diuini officij decantatio, DD. communiter propter actionum earum etsi breuium dignitatem, materiam grauem constituunt.

65 Clerici violando Interdictū peccant mortaliter.

Actus Ordinis sacri semper cōtinet materiam grauem.

Vide Suarez hîc disp. 34. sect. 4. n. 9. & 10.

66 Idè die de laicis in sex casibus.

Secundò, idem dicendum esse de laicis in sex casibus. Primò, quando personaliter interdicti sunt, etiam interdicto generali: tunc enim secundùm communem sententiam peccant ex genere suo mortaliter ingerendo se diuinis; quia hoc ipsis directè prohiberur. Secundò, quando cum scandalo violant Interdictum. Tertiò, quando violenter se ingerunt diuinis officijs, quæ secundùm c. *Alma.* in loco interdicto celebrantur. quia inferunt clericis grauem iniuriam, ijs vim inferendo. Quartò, quando mendacio obtinent facultatem vt possint interesse diuinis in loco interdicto, mentiendo se esse clericos, aut habere priuilegium, tum quia faciunt iniuriam Ecclesiæ, eam inuitam compellendo, vt eos ad diuina admittat; tum etiam quia mendacio inducunt clericos vt faciant rem illicitam, eos ad diuina admittendo: sicut peccaret mortaliter, qui mentiendo non esse ieiunium, alium induceret vt carnes comederet. Quintò, quando clericos inducunt vt loco interdicto illicitè diuina coram se celebrent: quia inducunt illos ad peccandum mortaliter. Sextò, quando ipsi loco interdicto diuina officia ita celebrant, qualiter si clerici ea celebrarent Interdictum violarent: quia hoc magnam indecentiam continet, & ...ultum repugnat Ecclesiæ voluntati. vide Nauar. c. 27. n. 187. Auilam p. 5. disp. 5. dub. 2. §. *Supponendum.* Henriquez l. 13. c. 46. nu. 3. qui tamen in quarto casu magis in contrariam partem inclinat.

Nauar. Auila. Henriquez.

67 Præcipua difficultas hîc est, Vtrùm laicus non interdictus sine vlla vi, fraude, aut scandalo audiens Sacrum in loco interdicto peccet.

Prima sententia docet, eum nullo modo peccare. Ita Caiet. & Nauar. citati n. 64. & 66. probant, quia ijs non est prohibitum interesse diuinis, sed solùm clericis præceptum est vt eos excludant.

Caietan. Nauarrus.

Secunda docet, talem peccare venialiter, quia facit aliquo modo contra intentionem Ecclesiæ. Ita Soto in 4. d. 22. q. 3. a. 1. concl. 6. Siluest. v. *Interdictum.* 6. n. 7. Angel. *Interdictum.* 7. n. 9. & cum aliis Auila & Henriquez sup.

Soto. Siluester. Angelus. Auila. Henriquez.

Tertia sententia docet, talem ita audiendo diuina officia ex genere suo peccare mortaliter: quia Ius satis clarè ostendit hoc ei esse illicitum. nam c. *Si sententia.* 16. de sent. excommunic. in 6. dicit talem licitè audire diuina officia in loco non interdicto: ergo supponit eum ea illicitè audire loco interdicto, & consequenter hoc ei esse prohibitum. quare quando materia erit grauis, peccabit mortaliter. Ita Innocentius & Archidiaconus apud Siluestrum suprà, & P. Suarez disp. 34. sect. 4. n. 9. vbi tamen addit talem assistendo aliis officijs diuinis excepto sacrificio Missæ, facilè posse excusari à peccato mortali ob materiæ leuitatem: quia etsi nonnihil longo officio assistat, parum tamen hoc videtur repugnare Ecclesiæ voluntati, quæ talibus non ita grauiter prohibet dictis officijs interesse. Secùs autem esse de sacrificio Missæ, quod assistentes cum sacerdote suo modo etiam offerunt.

68 *c. Si sententia.*

Innoc. Archidiac. Siluester. Suarez.

69 Peccant laici mortaliter tunc suscipiendo Sacramenta.

Conclvs. Omnino credo tales peccare mortaliter suscipiendo Sacramenta sibi prohibita loco interdicto: quia hæc sacrorum participatio valdè grauis est, & grauiter Ecclesiæ intentioni repugnat. Addè cùm Sacramenta non conferantur nisi se ad ea percipienda saltem offerentibus, atque ita expresè, vel implicitè ea petentibus, vel vt minimum collationi cooperantibus; ita ea recipiens clericum ad eorum collationem ipsi grauiter prohibitam *inducit*, aut saltem eidem cooperatur, atque ita grauiter peccat. nec credò auctores secundæ sententiæ hanc negaturos. in alijs verò diuinis officijs secunda & tertia sententiæ probabiles sunt, saltem ob Doctorum auctoritatem.

DVBIVM IV.

Quas pœnas incurrant violantes Interdictum?

Conclvsio I. Clericus violans Interdictum locale, aut personale per actum Ordinis, fit irregularis, vt patet ex c. *Is qui* 18. §. *Is verò.* & c. *Is cui.* 20. de sent. excomm. in 6. Item tam ille quàm qui alia ratione Interdictum violat, fit actiuè & passiuè inteligibilis ac impostulabilis ad dignitates Ecclesiasticas. Ita communiter Doctores colligunt ex c. *Is qui.* citato & c. 1. de postulationibus. vide Sotum in 4. d. 22. q. 3. a. 1. concl. 5. Siluest. *Interdictum.* 6. q. 2. Henriquez l. 13. c. 46. nu. 3. Auilam p. 5. disp. 5. d. 4. concl. 3. Suar. d. 34. sect. 4. assert. 2. 70

c. Is qui. c. Is cui. *c. Is qui. c. 1. de postul. Sotus. Siluester. Henriquez. Auila. Suarez.*

Addunt plurimi Doctores clericum violantem Interdictum suspendi ab omni iurisdictione: quia cap. vltim. de excessibus Prælatorum iudicantur irritæ omnes collationes Beneficiorum, omnesque censuræ latæ ab Episcopo qui violauerat Interdictum. Sed quamuis ob Doctorum auctoritatem hoc probabile sit, tamen non satis probatur ex dicto cap. nam ibi agitur de Episcopo qui plurimos, eò quòd Interdictum nollent violare, censuris subiecerat, ac suis Beneficijs spoliarat, eáque aliis contulerat. quæ iure naturæ patet esse inualidè facta; & hæc ipsius acta ibi solùm dicuntur irrita, vt patet ex iis verbis, *Sententias in quoscunque hac occasione prolatas, &c. decernimus irritas & inanes.* vbi à contrario sensu potiùs insinuatur sententias à tali alia occasione latas valuisse, & consequenter eum non fuisse à iurisdictione suspensum. 71

c. vlt. de excess. Prælat.

Conclvsio II. Clericus siue sæcularis, siue regularis præsumens illicitè celebrare diuina in locis interdictis, aut coram excommunicatis aut interdictis non toleratis, suspenditur ab ingressu ecclesiæ, donec satisfecerit ei cuius sententiam violauit, c. *Episcoporum.* de priuilegiis, in 6. 72

c. Episcoporum.

Conclvsio III. Religiosi etiam exempti qui non seruant Interdictum quod vident Ecclesiam cathedralem matricem, aut parochialem loci in quo sunt, seruare, incurrunt excommunicationem, clementino 1. de sententia excommun.

Clem. 1. de sent. excom.

Conclvs. IV. Sepelientes interdictum denuntiatum loco sacro, aut alios contra Iuris permissionem loco interdicto excommunicantur, clement. 1. de sepulturis. 73

Clem. 1. de sepult.

Conclvsio V. Dominus alicuius loci compellens clericum publicè & solenniter celebrare diuina loco interdicto; item pulsu campanæ aut sonitu tubæ præsumens plebem conuocare ad audienda tali loco officia diuina; aut impediens ne excommunicati aut interdicti nominatim iussi egrediantur templo; item excommunicatus, aut interdictus nominatim iussus nolens egredi templo tempore officij diuini, excommunicantur excommunicatione reseruata Papæ, clement. 2. de sent. excommun.

Clem. 1. de sent.

DVBIVM V.

Quæ Interdicta iure lata sint?

INterdicuntur ingressu ecclesiæ Primò, qui præsumunt ferre censuram non seruata solennitate præscripta, c. 1. de sent. excommun. in 6. aut excommunicare non præmissa monitione, c. *Sacro.* eod. tit. idque per mensem. Secundò, Episcopi aut Superiores vsurpantes sibi bona Ecclesiarum, aut Beneficiorum, donec restituant, c. *Præsenti*, de officio Ordinarij, in 6. Tertiò, omnes quantumcumque exempti qui scienter celebrant, aut celebrare faciunt diuina officia in loco interdicto; aut excommunicatos aut interdictos non toleratos, ad diuina officia, Sacramenta, aut Ecclesiasticam sepulturam admittunt, donec satisfaciant 74

c. 1. de sent. excom. c. Sacro. *c. Præsenti.*

c. Episcoporum. faciant ei cuius sententiam violarunt, c. *Episcoporum.* de priuilegijs, in 6. Quartò, Episcopi, qui quod inter visitandum contra constitutionem c. *Romana.* de censibus, in 6. acceperunt, intra mensem in duplum

c. Romana. non restituunt, donec id faciant. c. *Exigit.* eodem tit.

c. Exigit. Quintò, laici conferentes episcopatum, aut abbatiam, & ab ijs recipientes donec ea deserant, c. *Si quis deinceps.* 16. q. 7.

c. Si quis. 75 Interdicuntur absolutè Primò, vniuersitates aut collegia concedentia locum vsurarijs externis, c. 1. de vsuris, in 6.

c. 1. de vsuris. Secundò, vniuersitates concedentes contra bona, aut personas Ecclesiasticas repræsalia, nisi intra mensem reuocauerint, c. vnico, de iniurijs in 6.

c. vnic. de iniurijs. Tertiò, vniuersitates & capitula quæ à sententia Papæ ad Concilium vniuersale appellant, in Bulla cœnæ.

Quartò, quæuis communitas exigens tributum ab Ecclesiis, scilicet sine legitima venia Pontificis, c. *Quamquam.* de censibus, in 6.

c. Quamquam. Quintò, Capitula quæ sede vacante intra annum concedunt dimissorias ad Ordines suscipiendos ei, qui ratione Beneficij ad id non coarctatur, Trident. sess. 7. c. 10. de reform.

Trident. Nota, Episcopos eiusmodi Interdicta non incurrere nisi de iis specialis fiat mentio, c. *Quia periculosum,* de sent. excommun. in 6.

c. Quia. Feruntur præterea in Iure quædam Interdicta localia, sed illa post Constantiense non obligant ante denuntiationem, vt Suarez disp. 37. in fine.

Suarez.

DVBIVM VI.

Quomodo possit Interdictum relaxari?

76 CONCLVSIO I. Interdictum latum ad certum tempus eo finito per se desinit, antea verò à solo ferente, aut Superiore potest relaxari, sicut etiam omne Interdictum reseruatum. Idemque dicendum de Interdicto lato donec hoc vel illud fiat. hac enim conditione posita per se tollitur. vide Auilam p. 5. disp. 6. dub. 1. & dicta suprà disp. 14. numero 219.

Auila.

Interdictū locale aut generale nequit relaxari nisi ab habente episcopalē iurisdictionem. c. *Nuper.*

CONCL. II. Interdictum locale aut generale personale non reseruatum potest per Episcopum aut alium habentem in dictum locum, aut communitatem episcopalem iurisdictionem relaxari, cap. *Nuper.* de sentent. excommunic. Non tamen per inferiorem: quia hoc debet fieri per actum iurisdictionis fori externi. est communis.

77 Secùs de personali particulari. Suarez. c. Præsenti. CONCLVS. III. Interdictum personale particulare absolutè latum sine reseruatione potest tolli per confessarium habentem potestatem absoluendi à peccato mortali. Suarez disp. 38. sect. 2. n. 9.

CONCL. IV. Interdictum locale generale non potest tolli ad cautelam. c. *Præsenti.* de sent. excommun. in 6. secùs de particulari & quouis personali, Anila 5. p. disp. 6. dub. 5.

Auila. 78 CONCL. V. Potest Interdictum suspendi, vel in totum vel secundùm partem: sed quando tantùm ex parte suspenditur, non potest vlteriùs per appellationem suspendi; secùs quando in totum suspenditur: vt colligitur ex c. *Dilectus.* 55. de appellat. vide Siluestrum v. *Interdictum.* 3. q. 8. & Auilam p. 5. disp. 6. d. 4.

c. Dilectis. Siluester. Auila. CONCLVS. VI. Interdictum latum in communitatem, si hæc omnino dissoluatur, desinit esse respectu innocentium: quia non ligantur diutiùs quàm sint pars illius communitatis; pergit tamen ligare eos, qui causam ei dederunt, qui censentur particulatim interdicti & nomine suo, & non solùm nomine communitatis.

DVBIVM VII.

Quid sit cessatio à diuinis, & quos effectus habeat?

NAuar. c. 27. n. 188. eam ita definit, *Cessatio à diuinis est quædam desistentia à diuinis officijs, & administratione Sacramentorum.* Sed vt hæc definitio sit legitima, debet intelligi de desistentia quæ sub præcepto obliget. 79 Nauarr.

Nota Primò, hanc cessationem esse valdè similem Interdicto locali, quia in vtroque ferè similia prohibentur. Differt tamen Primò, quia non est censura, imò nec habet propriè rationem pœnæ, nec fertur directè ad aliquod peccatum puniendum, quia c. *Quamuis.* 8. de officio Ordinarij, in 6. significatur Capitula aliquando posse hanc cessationem indicere contra suum Episcopum, quem tamen non possunt punire. Sed solùm assumitur in signum grauissimi doloris quem Ecclesia aliqua concipit ob enormē iniuriā sibi aut diuino honori illatam, & per modum iustæ defensionis, vt lædentem cogat ab iniuria inferenda desistere: vt aperte insinuatur clement. 1. de sent. excommun. sub finem, vbi dicitur, *Quia ipsos hoc vnico lumine* (scilicet potestate ponendi cessationem) *ad repellendas iniurias ipsis factas priuare nolumus nec debemus.* 80 Cessatio à diuinis cū interdicto locali ferè conuenit in aliquo tamē differt. Nec est censura, nec propria pœna. c. Quamuis. Clem. 1. de sent. excom.

Differt Secundò, quia cessatio nullas vnquam personas secundùm se afficit, sed solùm prohibet certo loco diuina celebrari; quare per ipsam præcisè nullus prohibetur in aliis locis diuina celebrare. 81 Nunquam afficit personas.

Tertiò, quia per nullam violationem cessationis vlla irregularitas incurritur. vide Suarez disp. 39. sect. 1. Violata nō inducit irregularitatem. Suarez.

Nota Secundò, circa illius effectus conuenire inter DD. tempore cessationis non licere celebrare vlla diuina officia, excepto vnico per hebdomadam Sacro. Item non posse administrari Sacramenta Ordinis, Extremæ vnctionis, & Ven. Eucharistiæ, nisi per modum viatici, vt patet ex c. *Non est vobis.* 11. de sponsalib. Item omnes consentiunt tunc licere Baptismum ac Confirmationē, & Pœnitentiam, ac communionem in periculo mortis, idque cum omni solemnitate administrare. Item confiteri chrisma feria quinta in hebdomade maiore (quia hoc est necessariū vt possit conferri Confirmatio.) Item in singulis ecclesiis, in quibus pro moribundis asseruatur Venerabile Sacramentum, eius renouandi causa vnum per hebdomadam Sacrum dicere. quia hæc permittuntur tempore Interdicti, vt ostendi suprà n. 39. & 43. quod DD. extendunt ad cessationem. Nam cùm in cap. *Non est vobis.* citato, concedantur Baptismus, & Pœnitentia pro morientibus; sub illis censetur concedi Confirmatio & viaticum, argumento c. *Responso.* 43. de sent. excommun. & c. *Quoa in te.* 11. de pœnitentijs. idemque dicendum de matrimonio iuxta dicta n. 48. Similiter plurimi DD. asserunt, tempore cessationis, Sacramentum Pœnitentiæ licitè suscipi posse extra periculum mortis. Ita Couar. in cap. *Alma.* p. 2. §. 4. n. 7. Henriquez c. 53. n. 4. Auila p. 6. disp. 1. dub. 9. citans Medinam, & resolutionē plurimorum Doctorū Salmanticensium. Quod propter eorum auctoritatem probabile est, quamuis ex Iure probari nequeat. 82 Quæ per eam prohibeantur. c. Non est vobis. c. Non est vobis. c. Responsū. c. Quoad in te. Couarr. Henriquez. Auila. Medina.

Difficultas autem est Primò, Vtrum tempore cessationis liceat aliquos sine vllo sacro officio (quod constat esse prohibitum) in loco sacro sepelire? Plurimi id negant. totum autem eorum fundamentum est, quia quidquid est prohibitum tempore Interdicti, etiam est prohibitum tempore cessationis; & consequenter etiam Ecclesiastica sepultura. Vnde multi ex illis volunt clericos tempore cessationis posse loco sacro sepeliri, iuxta dicta suprà n. 52. de tempore Interdicti. Ita Angelus v. *Interdictum.* 5. n. 32. Armilla ibidem n. 48. & alij: quidam tamen hoc 83 An prohibeat sepulturam. Angelus. Armilla.

permittunt solis presbyteris. Ita DD. Salmanticenses apud Auilam p. 6. disp. 1. dub. 10. concl. 1.

Auila.

84 Sed hæc nullo Iure probantur, sed tantùm argumento à simili ex Iuribus, quæ de Interdicto agunt, ab illis deducuntur: quod pœnalibus aut priuilegijs parum aut nihil probat; præsertim cùm, vt patet ex dictis, latum sit discrimen inter cessationem, & Interdictum. nullum autem reperitur Ius, quod tempore cessationis aliquem prohibeat sepeliri loco sacro: & c. *Non est vobis.* 11. de sponsalibus. ex quo ferè vnico possumus effectus cessationis colligere, expressè solùm prohibentur diuinorum officiorum celebratio, & quorundam Sacramentorum administratio; nullibi autem insinuatur prohibitam esse sacram sepulturam. Quare P. Suarez disp. 39. sect. 2. n. 34. docet sacram sepulturam tempore cessationis nullo Iure esse prohibitam, quamuis fortè Doctorum auctoritas, ac consuetudo videatur multis locis eam prohibitionem induxisse.

c. Non est vobis.

Suarez.

85 Secundò, est difficultas, Vtrùm moderatio, quæ in c. *Alma mater.* est adhibita Interdicto, vt liceat clericis ianuis clausis celebrare diuina, habeat etiam locum in cessatione? Paludan. in 4. d. 18. q. 8. art. 3. cum quibusdam aliis id affirmat. Sed communior & verior sententia est contraria. Ita Couar. in c. *Alma.* p. 2. §. 7. n. 7. Henriquez l. 13. c. 53. n. 2. Auila 6. p. disp. 1. dub. 3. & alij. Probatur, quia, cùm cessatio intrinsecè includat desistentiam ab omnibus officijs diuinis; ipsa penè totaliter tolleretur, si liceret ea intra celebrare. Secundò quia, vt ostendi suprà, cùm sit omnino diuersa ratio cessationis & Interdicti, malè ab vno ad aliud argumentamur.

c. Alma.

Paludan. Moderatio c. Alma, non habet locum.

Couar. Henriquez. Auila.

Malè ab Interdicto argumentamur ad cessationē.

86 Addunt tamen aliqui, saltem priuilegium concessum festis Paschæ, Pentecostes, &c. vt tempore Interdicti liceat tunc palàm celebrare diuina, habere etiam locum tempore cessationis. sed hoc in Iure nullum habet fundamentum: quare in rigore contrarium est verius, nisi fortè consuetudo alicubi aliud obtineat. vide P. Suarez disp. 39. sect. 2. numero 13.

Suarez.

87 Nota Tertiò, vt cessatio indici possit, requiri varias conditiones; præsertim quando fertur à Capitulo, aut simili conuentu. Prima est, vt in indicente sit legitima potestas. Secunda, vt causa sit euidenter iusta & proportionata. Tertia, vt euidenter constet esse datam talem causam. ratio vtriusque est, quia, cùm cessatio secum adferat valdè grauia incommoda, vt rationabiliter indicatur, requirit causam grauissimam, & quam euidenter constet esse positam, quæque alia ratione emendari non possit. ideoque nullam quam potest ferri nisi ad frangendam alicuius contumaciam. hinc Iura volunt eam statim ac pars est parata satisfacere, relaxari.

Conditiones ad eam requisitæ.

Quarta est, vt prius causa cessandi exprimatur aliquo instrumento, & publico sigillo munito. Quinta, vt hoc tradatur parti, contra quam ferenda est. Sexta, vt pars ita monita rogetur vt velit satisfacere. Septima, vt posita cessatione, nisi qui læsit intra mensem sit paratus satisfacere, vtraque pars per se vel per procuratorem Pontificem accedat, vt coram eo causa discepteretur. Quòd si tamen etiam mense transacto pars sit parata satisfacere, relaxàda est cessatio. Quòd si pars, quæ tulit cessationem, elapso mense Romam non iuerit, cessatio ipso iure relaxatur. 88

Octaua est, vt quando Capitula aut conuentus cessationem indicunt, omnes qui habent vocem, etiam absentes, priùs conuocentur, sicut fieri soler in electionibus. Nona, vt conuocati de tota re deliberent. Decima, vt maior pars Capituli iudicet cessationem esse indicendam. Doctores colligunt apertè has conditiones ex c. *Si Canonici.* 2. & cap. *Quamuis.* 8. de officio Ordinarij, in 6. vbi etiam additur, quando pars indicens cessationem suprà dicta omnia non seruat, cessationem non esse obseruandam. ex quo patet iis non obseruatis inualidè cessationem indici. 89

c. Si Canonici.

c. Quamuis.

Quamuis autem dicta Iura solùm loquantur de casu quo Capitula aut conuentus cessationem indicunt; tamen multi Doctores requirunt septem priores conditiones etiam in prælato ferente cessationem: & quidem sex priores videntur quodammodo ex natura ipsius cessationis requiri. quia iis non obseruatis non potest satis constare de contumacia eius contra quem fertur cessatio, quamuis in Prælato non videatur ita necessarium, vt moneat partem per instrumentum publico sigillo munitum. Septima etiam conditio ex natura rei requiritur, nec vllo Iure Prælatis præcipitur. quare ad eam non tenentur, nisi fortè alicubi consuetudine inducta sit. 90

Nota. Quartò indicentes cessationem sine sufficiente causa priuari omnibus fructibus quos tempore cessationis deberent percipere, & teneri parti satisfacere de omni damno. quæ sunt iuris naturæ. Eum verò contra quem iustè lata est cessatio, teneri cessantibus plenè satisfacere de damno quod interim percipiunt: quia non possunt consueta officia peragere; & condemnandum ad certam summam dandam Ecclesijs quæ interim diuinis officijs fuerunt priuatæ. ita habetur c. *Canonici.* citato. 91

c. Si Canonici.

DISPVTATIO XVIII.

DE IRREGVLARITATE.

DVBIVM I.

Quid sit irregularitas, & quotuplex?

1 Irregularitatis definitio.

CONCLVS. I. Irregularitas est quædam inhabilitas Iure canonico introducta, directè, quantum est ex se, impediens susceptionem Ordinum, & indirectè vsum susceptorum. Ordinem hîc latè sumo, prout comprehendit etiam primam tonsuram, quam irregularis non potest suscipere.

Dixi, esse *inhabilitatem.* quia eam contrahens, quantum per ius humanum fieri potest, redditur incapax susceptionis ac vsus Ordinis. In quo differt à Suspensione aliisque censuris; quòd hæ immediatè ac directè solùm impediant vsum alicuius potestatis: irregularitas verò, quantum fieri potest, tollit ipsam potentiam suscipiendi Ordinem, eóve vtendi. *Differt à suspensione ac depositione.*

Similiter differt à depositione ac degradatione. Primò, quia hæ sunt essentialiter pœnæ: irregularitas autem abstrahit à ratione pœnæ. Secundò, quia irregularitas immediatè ac directè respicit ac impedit Ordinem suscipiendum, potestque contrahi à non clerico: illæ verò respiciunt per se ac directè Ordinem susceptum, ideóque in solos clericos cadunt.

Hinc sequitur Primò, neque fœminas, neque non baptizatos esse propriè irregulares. Quia eorum in- 2 Nec fœmi-

capa-

næ, nec nō baptizati eam cōtrahunt. Essentialiter repugnat Ordini iis conferri.

capacitas suscipiendi Ordines non est indicta à Iure, sed oritur immediatè ex ipsâ natura ac institutione Sacramenti Ordinis, cui essentiale est quod inualidè conferatur fœminis, aut non baptizatis. Possunt tamen viris nondum baptizatis quædam accidere, quæ postea baptizatos reddant irregulares, vt infrà videbimus, atque ita possunt contrahere quandàm quasi inchoatam irregularitatem.

3 Irregularis illicitè facit requirētia vsum Ordinis, reliqua licitè.

Sequitur Secundò, eum qui absolutè irregularis est, illicitè facere ea omnia, quæ requirunt vsum alicuius Ordinis; contrà verò (nisi impediatur) licitè ea omnia, quæ illum nullo modo requirunt. quia irregularitas non inhabilitat, nisi ad Ordinis susceptionem, vel vsum. Quare talis potest Primò, suscipere omnia alia Sacramenta, præter Ordinem. Secundò, exercere etiam solenniter actus minorum Ordinum, ac canere solenniter cum aliis clericis officium diuinum, exceptis iis, quæ ex vsu Ecclesiæ certo Ordini deputata sunt. qualis est oratio præmisso *Dominus vobiscum*, & quædam similia. quia alia omnia etiam puri laici facere possunt. Tertiò, exercere omnes actus iurisdictionis præter sacramentalem absolutionem, & realem degradationem. quia hæc includunt vsum Ordinis. Vide dicta disp. 16. n. 11. Secùs est de aliis qui exerceri possunt ab iis, qui sola prima tonsura initiati sunt.

4 Quidam actus supponunt Ordinē, cuius vsum non includunt.

Alij quidam dicunt, eum licitè exercere actus iurisdictionis fori externi: non tamen interni, sed minùs benè. Nam nec illos omnes exercere potest, vt iam ostendi in reali degradatione: & in foro interno multos exercere potest. quia potest dare subdito veniam alteri confitendi, dispensare in eius votis, concedere aliquas Indulgentias, & similia, quæ nullum vsum Ordinis includunt.

Nec his obstat quòd omnis iurisdictio Ecclesiastica supponit in exercente saltem primam tonsuram: tum quia hæc non est Ordo: tum quia aliud est aliquem actum supponere aliquem Ordinem; aliud verò est ipsum esse vsum illius Ordinis. quamuis autem actus iurisdictionis Ecclesiasticæ supponat primam tonsuram, non tamen includit ipsius vsum.

5 Irregularis non est priuandus Beneficio, sæpè tamen priuandus. c. *Si celebret.*

Sequitur Tertiò, irregularem non priuari ipso Beneficio iam antè adepto, eiúsve fructibus, modò præstet officium per se vel alium: si tamen ipsum Beneficium requirat actus ipsi prohibitos, eo priuandus est, iuxta cap. *Si celebret*, de clerico excommunicato, &c. Imò si non speraret breui posse se obtinere dispensationem, teneretur eo casu Beneficium resignare, præsertim si hoc requireret, vt beneficiarus per se officium faceret. quia cùm Beneficium sit propter officium, malè illud retinet qui ad hoc omnino ineptus est: ideóque etiam tali illicitè vllum Beneficium confertur sine dispensatione, vt communiter ex cap. *Si celebret*. citato auctores docent.

c. *Si celebret. Henriquez, Suarez, Auila.*

Et hæc quidem communiter apud DD. recepta sunt, vt videre est apud Henriquez lib. 14. c. 2. n. 4. Suarez disp. 40. sect. 2. Auilam p. 7. disp. 2. dub. 5.

6 Inualidè cōferri Beneficiū cōmuniter asserunt. *Nauarr. Couarr. Panorm. Henriquez, Auila.* c. *Cùm bona.* ex. *de cler. pugnantib.* & *Postulastis. eod. de cler. excom.*

Difficultas autem est Primò, Vtrùm irregulari validè aliquod Beneficium conferatur? Plurimi Doctores id negant. Ita Nauarr. cap. 27. n. 194. Couarr. in c. *Alma.* p. 1. §. 7. n. 1. Panorm. in cap. *Nisi cùm pridem.* de renuntiatione, n. 4. Henriquez libr. 14. cap. 2. n. 5. Auila p. 7. disp. 2. dub. 6. & alij. Citant pro hac sententia cap. *Cùm bona.* 8. de ætate & qualitate ordinandorum. cap. 2. de clericis pugnantibus in duello. cap. *postulastis.* 7. & cap. vltim. de clerico excommunicato, &c.

Sed hæc Iura nihil probant. Nam primum & tertium agunt de suspensis absolutè, & excommunicatis; à quibus præsertim in pœnalibus malè argumentamur ad irregulares; Secundum verò & quartum vt summum probant talibus sine dispensatione illicitè Beneficium conferri, & collationem esse irritandam. quod omnes fatentur. Quare Siluester verbo *Excommunicatio.* 4. num. 4. citans glossam Raimundi, & Nicolaus Plonius, ac Felinus apud P. Suarez disp. 40. sect. 2. num. 29. dicunt talem collationem esse validam. Ratio eorum est, quia nullo iure potest probari inualida. Et hanc sententiam credo in rigore iuris non esse improbabilem: prior tamen est in praxi securior, & communiter sequenda ob communem ferè Doctorum auctoritatem. Ita P. Suarez disp. 40. sect. 2. n. 35. & 36.

Ex Iure tamen probari nequit. *Siluester. Nicol. Plonius. Felinus. Suarez.*

Secunda difficultas est, Vtrùm Pastor, v. c. iam factus irregularis validè suos subditos in Sacramento Pœnitentiæ absoluat? Quidam aiunt, talem si denuntiatus sit irregularis, inualidè absoluere. Ratio eorum est, quia suspensus aut interdictus inualidè absoluit à peccatis; vt docet Nauar. cap. 9. num. 8. ergo etiam irregularis. Sed nec hæc consequentia bona est: nec antecedens verum. Nam tam interdictus quàm suspensus à solo Beneficio validè confessionem audiunt, quantumcumque denunciati sint, modò pœnitens sit aliàs benè dispositus. Et idem dicendum est de irregulari; quia nulli horum priuantur iurisdictione, eiúsve vsu. Quare nihil iis potest deesse quo minùs valide absoluant eos, in quos aliàs iurisdictionem habent. Suarez disp. 40. sect. 2. n. 45.

Nauarr.

Irregularis validè sacramentaliter absolnit. *Suarez.*

8 Irregularitas variè contrahitur.

Consectarium. Irregularitas alia contrahitur sine vllo proprio actu, ob aliquem corporis, aut natalium defectum. Alia verò contrahitur ob proprium aliquem actum. Quæ iterum subdiuiditur in eam quæ fertur ob aliquam culpam eam incurrentis; & in eam quæ incurritur sine vlla culpa, ob bigamiam, defectum ætatis, &c.

Alia totalis, alia partialis.

Rursum alia est totalis, quæ ab omni Ordine suscipiendo, aut exercendo perpetuò excludit: alia verò partialis, quia vel non impedit omne exercitium Ordinum (vt fit in sacerdote, qui sine sua culpa perdidit pollicē, qui excepta celebratione potest alia sacerdotalia munera obire) vel non impedit in perpetuum. Sic secundùm plurimos pueri sunt irregulares, donec habeant legitimam ætatem pro singulis Ordinibus requisitam. Quidam tamen negant hos esse propriè irregulares. Sed nihil hic disputandum est, quia est mera quæstio de nomine.

9

Alij præterea diuidunt irregularitatem in eam quæ est iuris diuini, & eam quæ est iuris humani. insinuat Abbas in c. *Sicut dignum.* de homicidio num. 12. Dari enim aliquam irregularitatem, quæ sit iuris diuini, probant Primò, ex quibusdam locis veteris Testamenti, in quibus quidam ob certos defectus prohibentur fungi sacerdotio. Sed hæ leges cùm cæremoniales sint nihil spectant ad nos. Probant Secundò, ex Apostolo 1. ad Timoth. 3. vbi dicit Episcopum debere esse vnius vxoris virum. Sed hinc solùm sequitur, ab ipsis Apostolis fuisse institutum, ne bigami ordinarentur. Ius autem Apostolicum non est diuinum, sed Ecclesiasticum. Quare nisi largo modo sumamus irregularitatem, dicamusque irregulares omnes qui Ordinis incapaces sunt, quales sunt fœminæ, ac non baptizati, atque adeò etiam dæmones; cum communi sententia dicendum est, omnem irregularitatem iure Ecclesiastico esse institutam. Conar. Clement. *Si furiosus.* de homicid. p. 1. §. 1. numero 1. & 2. Suarez disp. 40. sect. 4. num. 2. dicens esse communem.

Abbas.

1. *Timoth. 3.*

Nulla datur quæ sit iuris diuini. *Couarr. Suarez.*

DVBIVM II.

Quale peccatum requiratur vt incurratur irregularitas?

10

Hæc quæstio, vt per se patet, solùm procedit in ea irregularitate, quæ contrahitur propter cul-

pam: neque quærit ob quæ peccata in particulari lata sit irregularitas (hoc enim postea videbimus) sed in genere quale peccatum ad eam requiratur? Quadruplex autem est difficultas.

Prima est, Vtrùm irregularitas possit incurri ob actum merè internum? Glossa vlt. in c. *Perniciosè.* de pœnitentia, d. 1. cum quibusdam aliis id affirmat. Et probatur. quia Pontifices concesserunt aliquando quibusdam priuilegium dispensandi in irregularitate mentali: ergo censuerunt talem dari: quæ non potuit esse alia, quàm quæ nascitur ex actu purè interno. *Glossa, pernicios.*

11 Nulla incurritur ob actū internum. *c. vlt. de fœmin.* Requirit actum in suo genere consummatum.

Sed cum communi sententia dicendum est, nullam talem dari, quia nulli sunt canones, quibus feratur talis irregularitas, & probabilius est nō posse, quia Pontifex non potest punire actus merè internos, vt apertè colligitur ex c. vlt. de simonia. Vide dicta tom. 1. dub. vlt. in 2. difficultate. Adde, non sufficere quemlibet actum externum; sed, nisi in Iure aliud exprimatur (quod fortè hactenus non est factum) requiri actum in suo genere consummatum. Vide dicta disp. 13. num. 75.

Ad argumentum contrarium Resp. si talia priuilegia fuerunt data, Pontificem per irregularitatem mentalem intellexisse omnino occultam, & quæ hæreat quodammodo in sola mente, & cognitione contrahentis. aut si quid aliud voluerit, dedisse tale priuilegium ad sedandos aliquorum scrupulos, vt sæpè facit.

12 Secunda difficultas est, Vtrùm ad incurrendam irregularitatem sufficiat peccatum veniale? Partem affirmatiuam tenent Cajet. *Irregularitas.* §. *Sunt tamen.* Armilla ibidem num. 14. fauetque Siluester v. *Ebrietas.* n. 5. in fine. Ratio eorum est, quia excommunicatio minor incurritur ob peccatum veniale: ergo etiam irregularitas. Sed hoc iam est solutum suprà disp. 17. num. 64. in fine. Alij quidam concedunt quidem de facto nullam esse talem irregularitatem, quæ incurratur ob peccatum veniale; putant tamen Pontificem posse talem ferre. *Cajetan. Armilla. Siluester.*

13 Nulla incurritur ob peccatum veniale. *Soto. Navarr.* Nec incurri potest. *Suarez.*

Respondeo, De facto nulla irregularitas, quæ propter culpam ponitur, incurritur ob peccatum veniale. Ita Soto de Iustit. l. 5. q. 1. a. 9. Nauar. c. 27. n. 252. in fine, citàs alios. Ratio eorum est, quia, cùm sit grauissima pœna, non potest censeri imponi ob peccatum veniale. quia aliàs pœna non responderet delicto.

Ex quo vlteriùs sequitur, Pontificem non posse purè ob peccatum veniale ferre irregularitatem. Ita Suarez disp. 40. sect. 3. numero 17. & est ex mente dictorum auctorum, eorumque ratio hoc probat. quia aliàs pœna superaret delictum. quod iniquum est.

14 Dixi, *purè ob peccatum veniale, &c.* Quia pontifex posset ferre irregularitatem ob aliquod peccatum veniale, cuius actus materialiter sumptus etiam sine peccato factus contineret sufficientem indecentiam respectu status clericalis, vt ei posset annecti irregularitas. v. c. Pontifex statuere posset, vt per actum quo aliquis fit bigamus, tum solùm incurreretur irregularitas, quando apertè constaret in eo saltem venialiter esse peccatum. Per se patet. quamuis hoc fortè minùs expediret ob difficultates, quæ possent inde nasci. quia in foro saltem externo numquam posset sciri, quando quis eam incurrisset, nisi vt summum ex confessione rei.

15 Tertia difficultas est, Vtrùm incurratur pec peccatum externum omnino occultum? Glossa enim in c. vlt. de temporibus ordinandorum, quam citat & sequitur à Castro l. 1. de lege pœnali cap. vlt. concl. 3. docet, neminem præter homicidam fieri irregularem ob crimen ita occultum vt probari in foro externo non possit. quia c. citato dicitur periuros, adulteros, falsósque testes posse sacris Ordinibus initiari, iisque fungi, quamdiu crimen manet occultum. Idemq; cap. *Ex tenore.* 4. eodem tit. dicitur de clerico, qui crimen depositione dignum commiserat. *Glossa in c. vlt. de temp. A Castro.* *c. Ex tenore.*

Contrariam sententiam docet Nauar. c. 27. n. 194. alios citans; dicitque esse communem; vt verè est. Et probatur ex Tridentino sess. 24. c. 6. de reformat. vbi apertè supponit posse contrahi irregularitatem ex aliis criminibus omnino occultis, quia concedit Episcopis facultatem *in iis* dispensandi. Idem posset probari ex pluribus canonibus, qui certis criminibus absolutè imponunt irregularitatem, nulla facta mentione, quòd debeant esse probabilia in iudicio. *Navar.* *Tridenti*

16 Dupliciter crimini annectitur irregularitas; quæ aliquando requirit crimen publicum, aliquando non.

Pro resolutione Nota, dupliciter posse alicui crimini annecti irregularitatem. Primò per se, siue secundùm se spectato. Et hæc incurritur per tale crimen, quantumcumque sit occultum, vt probant rationes secundæ sententiæ. Secundò, potest ei annecti quasi per accidens ratione infamiæ, quam adfert, vt suo loco clariùs ostendemus. Et tunc licet non adfert infamiam, quamdiu occultum est, ita nec inducit irregularitatem; & hoc solùm probant Iura citata pro priore sententia, vt ipsa intuentibus clarè patebit.

17 Quarta difficultas est, Qua ratione obligetur, qui dubitat an irregularitatem contraxerit?

Rationem dubitandi adferunt textus qui inter se videntur contrarij. Nam cap. *Ad audientiam.* 12. & c. *Significasti.* 18. de homicidio, expresè dicitur, eum, qui aliquem percussit, & postea dubitat an alter ex suo vulnere obierit, debere se gerere pro irregulari. quia in dubiis tutior pars eligenda est. Contrà verò cū ex regula Iuris 11. in 6. & 68. n. de reg. Iuris, apertè constet in dubio reum esse absoluendum: *nemo in dubio debet iudicari irregularis*, sed contrà. Confirmatur Primò, quia c. *Apostolicæ.* 9. de clerico excommunicato, &c. iudicantur innoxij, qui probabiliter ignorantes se esse suspensos celebrarunt. talis autem probaliter ignorat se esse irregularem, Secundò, quia vt fusè ostendam infrà disp. 34. dub. 11. in dubio melior est conditio possidentis. Dubitans autem an sit irregularis, suam libertatem ab irregularitate adhuc possidet: ergo potest pergere eam possidere. *c. Ad audientiam.* *c. Significasti.* *Regula Iuris.* *c. Apostolicæ.*

Prima sententia docet, talem debere absolutè se gerere pro irregulari. Ita Burgasius apud Suarez disp. 40. sect. 5. n. 1. 18 *Burgasius. Suarez.*

Secunda sententia absolutè docet, talem debere iudicari non esse irregularem. Ita Innocentius in cap. *Ad audientiam.* citato. Cardinal. & Villadiego apud Suarez suprà. *Innoc. Cardin. Villadieg. Suarez.*

Tertia docet, priorem sententiam esse veram in foro conscientiæ, in quo agitur de peccato vitando. quia nemo potest facere id, de quo dubitat an sit peccatum: secundam verò esse veram in foro externo, in quo nemo punitur nisi probetur reus. Armilla v. *Irregularitas.* num. 8. & 9. & cum aliis Nauar. c. 27. n. 193. Sed hæc vltima sententia est difficilis. Nam quando forum externum non procedit ex præsumptione, non discrepat ab interno. Nec rationes etiam valent. Nam nec agitur hic de noua aliqua pœna infligenda, sed solùm vtrùm tali iudicandus sit contraxisse irregularitatem. Nec etiam quæritur, vtrùm liceat facere id de quo dubitamus an sit peccatum: sed, vtrùm talis non possit hîc & nunc meritò iudicare se non peccare celebrando, siue sibi licere celebrare. quæ multùm differunt, vt fusiùs ostendam disp. 34. dub. 11. vbi fundamenta huius difficultatis fusè explicabo. *Armilla. Navarr.*

Pro resolutione Nota, ex duplici capite posse dubitari an aliquis sit irregularis. Primò, quia dubitatur an in Iure tali facto sit statuta irregularitas. Secundò, quia dubitatur, an ipse tale quid fecerit, ob quod constat irregularitatem esse statutam. Prius est dubium Iuris, secundum facti. 19 Duplex dubium, facti & Iuris.

Con-

20 Dubitans tenetur veritatem inquirere priusquam agat. c. *Illud Dominus.*

CONCLVSIO I. Ex quocumque capite dubium oriatur, talis tenetur de veritate diligenter inquirere, quantum pro loco & tempore commodè potest, antequam quidquam agat quod irregulari sit prohibitum. Et hoc communiter omnes admittunt: & est apertus sensus cap. *Illud Dominus.* 5. de clerico excommun. vbi Episcopus, qui dubitans de sua excommunicatione, sine vlla inquisitione celebrarat, graviter reprehenditur. & per se patet: quia aliter operans temerè se exponit præsenti periculo peccandi.

21 In dubio Iuris post inquisitionē manens dubius iudicatur non irregularis. c. *Is qui.* Suarez. Aulas.

CONCL. II. Quando post diligentem inquisitionem manet dubium, an tali facto annexa sit irregularitas; qui id commisit, in vtroque foro debet iudicari non esse irregularis. Patet ex cap. *Is qui.* 18. de sentent. excommunicat. in 6. vbi dicitur pro nullo facto incurri irregularitatem, nisi sit Iure expressum. Quibus verbis significatur id clarè in Iure debere contineri: non potest autem dici in Iure clarè contineri, quod post diligentem Iuris inspectionem non potest certò ex eo colligi. Ita Suarez disput. 40. sect. 5. n. 4. & cum aliis Aulia p. 7. disp. 2. dub. 4.

Probatur Secundò, quia nemo bona fide suam libertatem aliámve quamcumque rem possidens tenetur se ea spoliare, nisi sufficienter constet ipsum eam perdidisse, sive esse alienam: atqui talis bona fide possider libertatem ab irregularitate, nec quamdiu dubitat, sufficienter ei constat se eam perdidisse; ergo tam diu non tenetur se ea spoliare.

22 Idem dicēdum in dubio facti.

CONCL. III. Idem est dicendum quando quis post diligentem inquisitionem adhuc dubitat an commiserit factum, cui annexa est irregularitas. Quia hoc etiam apertè probat secunda ratio conclus. præcedentis. Et confirmatur, quia, sicut iudex neminem potest condemnare nisi probetur reus: ita nemo tenetur seipsum condemnare, nisi sibi probetur reus. Sed hæc pluribus probabo disp. 34. dub. 11.

Excipe casum homicidij. c. *Ad audientiam.* c. *Significasti.* Aulas. Suarez. Navarr.

Multi tamen valdè probabiliter ab hac conclusione excipiunt casum homicidij, aiuntq; eum qui scit se aliquem verberasse, qui paulò pòst mortuus est, & manet dubius, an ex ipsius læsione sit mortuus, debere se gerere pro irregulari, quia c. *Ad audientiam.* & c. *Significasti.* suprà citatis, videtur hoc expressè definiri: idque tum in odium ipsius homicidij, à quo Ecclesiasticos remotissimè decet abesse: tum etiam, quia semper in eo casu est probabilis præsumptio illam percussionem fuisse aliqua ratione causam mortis alterius, & ad eam aliqua ratione inuisse. Sed hoc speciale est in hoc casu, vt docet Aulia p. 7. disp. 2. dub. 5. concl. 2. & Suarez disp. 40. sect. 6. nn. 9. vbi nu. 10. citans Nauarrum ait decisionem dictorum capitum maximè procedere in foro externo, fortè ob secundam rationem suprà allatam.

Suarez.

Nec refert, quòd ratio, quam ibi Pontifex pro sua decisione adfert, scilicet, *in dubiis tutiorem partem sequendam esse*, æqualiter videatur habere locum in aliis dubiis. Quia Pontifex eam non adfert tamquam generale axioma (quia certum est communiter sufficere nos sequi partem tutam) sed tamquam rationem præsentis suæ constitutionis, vt bene notat Suarez suprà.

DVBIVM III.

Quibus verbis soleat in Iure ferri irregularitas?

23 c. *Is qui.* Irregularitas nunquā incurritur nisi in casibus Iure expressis.

NOta, irregularitatem numquam ferri per sententiam, sed solùm à Iure, vt patet ex c. *Is qui.* 18. de sentent. excommunic. in 6. Vbi dicitur, numquam incurri irregularitatem, nisi id in Iure sit expressum: & consequenter nullo iure censetur ferri, cuius verba non magis significant irregularitatem, quàm aliam pœnam: quia non potest dici tali Iure irregularitatem esse expressam, sive expressè contineri.

Ex quibus patet nullam fore hîc difficultatem, si antiquis hoc verbum fuisset tam familiare, quàm est modò. Sed tota difficultas hîc est, quia antiqui numquam eo verbo vtuntur, sed aliis modis per circumlocutionem hanc pœnam exprimunt. ex quo fit vt multi laborent, vt discernant quando antiqua Iura hanc pœnam imponant, quando non. Doctissimè autem hanc quæstionem tractat P. Suar. disp. 40. sect. 8. Suarez. Vbi ex c. *Is qui.* citato, aliquot generales regulas colligit, quas hîc breviter ponam. c. *Is qui.*

Prima est, quoties Ius non imponit pœnam incurrendam ipso facto, sed per iudicem imponendam; non loquitur de irregularitate. quia hæc numquam per sententiam fertur, vt patet ex dictis. Quando autem Ius censeatur imponere pœnam sententiæ latæ, quæ ipso facto incurratur, quando verò per iudicem imponendam, satis ostendi disp. 13. num. 20. 24

Vbi tantùm notandum, etsi huiusmodi verba, *Nemo illum ordinet*, videantur ad iudices dirigi, & consequenter continere sententiam ferendam: propriè tamen continere sententiam latam, & solùm ad illos dirigi vt sciant sibi prohibitum contra eam facere: Sicut si lex diceret, *Nemo cum eo, qui hoc fecerit, communicet*: indicaret excommunicationem sententiæ latæ. Tales enim leges apertè significant, talia facientes ipso facto incurrere impedimentum, ob quod alij eos ordinare, aut cum iis communicare non possunt.

Regula secunda, idem dicendum quoties verba canonis directè solam executionem Ordinum prohibent, vt fit in c. 1. de ordinatis ab Episcopo, qui episcopatui renuntiauit. Tunc enim potiùs fertur Suspensio aut depositio, quàm irregularitas, quæ directè impedit susceptionem Ordinum, vt dixi nu. 1. 25 c. 1. *de ordinat. ab.*

Excipe casum, quo ex adiunctis clarè contrarium colligitur, v. c. ratione materiæ ipsius legis, vt si agat de casu ob quem per alia Iura statura sit irregularitas, & pateat quòd eandem pœnam velit confirmare.

Regula tertia, quando Ius statuit aliquod perpetuum impedimentum, quod ipso iure incurratur; directè impediens susceptionem status clericalis aut Ordinum, censetur ferre irregularitatem, quia hæc in tali impedimento directè consistit, vt ostendi num. 1. Exemplum sit, si lex dicat, *Quisquis hoc fecerit*, aut, *quisquis talem defectum habuerit: numquam ordinetur.* 26

Regula autem dicta tunc clarior est, quando illud impedimentum etiam in laïcos cadit (quod necessariò est dicendum de impedimento suscipiendi statum clericalem.) quia Suspensio aut depositio non cadunt in laïcos.

Idémque dicendum quoties illud impedimentum ita statuitur, vt possit sine vlla culpa incurri, quia Suspensio aut depositio non incurruntur sine culpa. Excepta fortè Suspensione eius qui ordinatus est ab Episcopo excommunicato, aut suspenso non tolerato, aut ab eo qui episcopatui renuntiauit: quam plurimi dicunt incurrere etiam eum qui sine vlla sua culpa ita ordinatus est. De quo vide dicta suprà disput. 15. num. 32.

DVBIVM IV.

Quænam excusent ab irregularitate, quæ in pœnam pœnam ob aliquam culpam imponitur?

Quæ excusant à p. m. etiā excusant ab irregularitate pœnali. 27

HAc in re satis certum est, ea omnia excusare quæ operantem excusant à culpa mortali, sive sit ignorantia iuris vel facti, sive iustus metus; de quo vide dicta in simili, disput. 13. dub. 10. 12. & 13. Ratio

est, quia, vt dixi supra n. 13. hæc irregularitas non incurritur nisi ob peccatú mortale. Aliqui ab hac regula excipiunt eum qui etiam sine sua culpa secundò baptizatur. quia c. *Qui bis.* de consecr. dist. 4. dicitur esse irregularis qui etiam ignoranter baptizatur secundò. & c. *Qui in qualibet.* 1. q. 7. idem dicitur de eo, qui in quacumque ætate aut bis, aut ab hæreticis baptizatur. Respondeo, priorem canonem esse solùm Theodori Cantuariensis, qui non potuit irregularitatem constituere. Secundum verò intelligendum de qualibet ætate eorum qui vtuntur ratione. Nam aliter apertè contradiceret c. *Placuit.* & c. *Qui apud.* 1. q. 4. vbi expressè dicitur eos, qui antè vsum rationis apud hæreticos baptizati sunt, non incurrere hanc irregularitatem.

c. *Qui bis.*

c. *Qui in qualibet.* Ignoranter secundò aut ab hæreticis baptizati non sunt irregulares. *Theod. Cantuariens.* c. *Placuit.* c. *Qui apud.*

Difficultas autem est, Vtrùm committens aliquid quod sit iure naturæ prohibitum, ignorat tamen esse prohibitum iure Ecclesiastico, aut saltem talem pœnam ei annexam esse, incurrat hanc irregularitatem?

28 Prima sententia docet, neutram ex his ignorantiis excusare. Primò, quia iudex potest punire peccata contra ius naturæ commissa. Secundò, quia aliàs sequeretur, eum qui aliquem culpabiliter occidit, nesciens id ab Ecclesia prohibitum, non incurrere aliam irregularitatem, quàm eam quam incurrit iudex reum iustè condemnando ad mortem. quod falsum est. Ita Sotus in 4. d. 22. qu. 1. art. 2. sub finem, & plurimi alij quos citat Sanchez l. 9. de matrim. disputat. 32. num. 16.

Sotus. *Sanchez.*

Secunda sententia omnino contraria docet, vtramque ignorantiam excusare. Ita Nauar. c. 27. num. 16. & 274. & probabiliorem putat Sanchez supra n. 21. citans alios. Ratio eorum est. quia qui nescit aliquid prohibitum esse sub tali pœna, non tam grauiter peccat contra legem prohibentem. & consequenter non meretur tam graui pœna puniri, præsertim quam in se exequi. Vt hæc enim alicui possit imponi, videtur ipsa ei debere esse aliquo modo voluntaria in sua causa. quod dici non potest de eo, qui eam omnino ignorat.

Nauarr. *Sanchez.*

29 Exciusat ignorantia legis prohibentis. *Sanchez.*

Conc. I. Probabilius est exercentem actum cui annexa est in puram pœnam irregularitas, hanc non incurrere, si inuincibiliter ignoret actum Iure Ecclesiastico prohibitum. Ita cum multis aliis Sanchez supra num. 17. vbi etiam iuncto nu. 9. fusè hoc probat.

Probatur igitur Primò, quia c. 2. de constitutionibus, in 6. (quæ constituio, vt ostendi disp. 13. nu. 62. etiam locum habet in Iure Pontificio) apertè dicitur non ligari constitutionibus Ordinariorum ignorantes. Vnde apertè sequitur, ignorantem aliquam legem, nec ea, nec eius pœnis teneri.

c. 2. *de constitut.*

c. *Proposuisti.* Secundò, quia cap. *Proposuisti.* d. 82. Pontifex dicit clericos qui impunè vixerant, si ignorabant constitutionem Siricij id sub pœna depositionis prohibentis, venia dignos esse, nec hac pœna plectendos; cùm tamen illi scirent vitam impuram lege naturæ ac diuina prohibitam. Nec refert quòd aliqua pœna illos plectit. Nam non negamus tales posse à iudice puniri, sed negamus eos incurrere pœnas lege statutas, præsertim ante omnem iudicis sententiam: ita vt eis planè indemnatus, imò nec accusatus teneatur eam in se exequi. quod valdè durum est, atque hac ratione hæc pœna est omnino extraordinaria.

30 Irregularitas pœnalis fertur ob contumaciam.

Probatur Tertiò, quia hæc pœna videtur omnino reperta, & ab Ecclesia imposita ad puniendam inobedientium contumaciam: atqui ignorantes Ecclesiæ prohibitionem, non possunt ei dici rebelles & contumaces, vt per se patet: ergo eam pœnam non incurrunt. Maior probatur Primò, quia in omnibus censuris requiritur contumacia, vt ostendi disput. 13. num. 73. & 80. ergo etiam pro irregularitate pœnali; quæ valdè similis est censuris, præsertim in eo, quòd reus eam in se teneatur exequi. Secundò, quia Ius sæpè eam infert, vt puniat violationem ac contemptum censurarum. Vnde ostendit hanc pœnam grauiorem esse, dignamque quæ ob crimina grauiora feratur: ideoque ad eam incurrendam sæpè in Iure requiritur, vt aliquid scienter & præsumptuosè fiat, quæ contumaciam significant. & in his casibus non videtur dubitandum, quin ignorantia legis prohibentis excuset.

Conclvsio II. Etsi sit satis probabile, *in sciente* se agere contra legem Ecclesiasticam, ipsius pœnæ ignorantiam non excusare; contrarium tamen etiam non est improbabile, tum ob Doctorum auctoritatem, tum etiam ob vltimas rationes conclusionis primæ, quæ hanc etiam probabilem reddunt: præsertim quando Ius ad hanc requirit, vt aliquid præsumptuosè & scienter fiat: quæ propriè non cadunt in eos qui ignorant se facere id quod tam grauiter, siue sub tanta pœna prohibitum est. 31 Probabile est etiam ignorantiam pœnæ excusare.

Ad Primum argumentum pro prima sententia, Respondeo, iudicem posse talia peccata punire, sed mitiore pœna, & quæ ipsius sententiam requirat. Ad Secundum, nego hoc sequi, quia prioris actus longè aliam indecentiam, ac quasi repugnantiam cum statu clericali includit, quàm actus iudicis. Nam prior & verum homicidium committit, & crudelitatem exercet: contrà verò etiamsi in iudice sit aliquis defectus lenitatis, ipse tamen nullam committit crudelitatem: cum potiùs esset quædam sæuitia homines ita reipub. noxios permittere viuere: & cùm necessitate legum cogatur tales ad mortem damnare, ille actus est ei maxima ex parte inuoluntarius; vnde respectu ipsius non dicitur propriè homicidium. Ex quo patet etiam præcisa ratione peccati Ius longè grauiorem irregularitatem vnius actioni annexuisse, quàm alterius, non tantùm in pœnam, sed etiam propter multò maiorem indecentiam. 32 Peccata contra solum ius naturæ iudex seruiis, & per sententiam punit. Legitima rei interfectio non dicitur homicidium.

DVBIVM V.

Qua ratione contrahatur irregularitas per illicitam susceptionem Sacramentorum?

33 Præcipua hic est difficultas circa rebaptizantes ac rebaptizatos, ac malè suscipientes aliquem Ordinem, in quo casu varias valdè irregularitates numerat Maiolus l. 4. per multa capita. Sed vix vllas probat, nisi ex aliquorum auctoritate, aut paritate rationis: sed hæc nullam irregularitatem possunt inducere. Adducit etiam aliqua Iura, sed quibus aut solùm ponitur nuda prohibitio, sine vlla pœna quæ de facto incurratur: aut summùm imponuntur aliquæ Suspensiones, de quibus egi disp. 14. dub. 5. in 1. 3. 4. 5. & 6. Suspensione. Si quis illa fusiùs velit videre tam citata quàm refutata, videat P. Suarez disp. 42. sect. 3.

Maiolus.

Suarez.

Conc. I. Qui voluntariè secundò baptizatur aut alium baptizat, aut rebaptizanti ministrat, fit irregularis. Est communis. De rebaptizato patet c. *Qui in qualibet.* 1. quæst. 7. Estque irregularis etiam quoad executionem Ordinis suscepti, vt patet ex textu. 34 Rebaptizatus aut rebaptizans est irregularis. c. *Qui in qualibet.*

Dices, Textus tantùm loquitur de rebaptizatis ab hæreticis. Respondeo, esse extendendum ad omnes eos qui hac in re hæreticos quacunque ratione imitantur rebaptizando. Patet tum ex ipso vsu sic interpretante hunc canonem: tum etiam ex mente Pontificum, vt patet can. *Eos quos.* de consec. d. 4. qui generatim omnibus rebaptizatis imponit hanc pœnam. Et quanquam hic secundùm alias pœnas desierit esse in vsu, non tamen secundùm hanc.

c. *Eos quos.*

c. Ex litteris.

De rebaptizante prob. c. *Ex litterarum.* de apostatis. hæc tamen irregularitas non est nisi quoad Ordines suscipiendos, vt patet ex textu.

35 Dices, Hic tantùm dicitur irregularis acolythus ministrans rebaptizanti, non autem rebaptizans: ergo hic non est irregularis. quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus Iure expressis. vt patet c. *Is qui.* 18. de sent. excommunic.

c. Is qui.

Respondeo, eo capite acolythum non dici irregularem propriè, quia ministrabat, sed quia cooperabatur rei nefandæ, scilicet rebaptizationi. vnde patet dici irregularem, quia aliquo modo rebaptizabat, scilicet per alium, sicut Paulus lapidabat Stephanũ. Vnde multò magis dicitur irregularis, qui per se propriè rebaptizabat. Sicuti canon qui statueret Petrum irregularem, qui ad occisionem Ioannis fuisset cooperatus dando occisori arma quibus occideret, multò magis diceret occisorem esse irregularem. Vnde patet hunc casum satis Iure esse expressum, nec hìc sumi argumentum à minori ad maius in diuersis casibus, sed in eodem omnino, ab eo qui imperfectè rem nefandam operatus est, ad eum qui perfectè. Adde, communem vsum optimum legum interpretem ita hunc canonem intelligere.

36 Vt minister hãc irregularitatem incurrat, crimen debere esse publicum. vt patet ex textu, & docet Siluest. v. *Irregularitas.* n. 6. & Suarez to. 3. disp. 31. sect. 6. dub. 3. Idemque docet de rebaptizante Panorm. in hoc caput notabili 2. Communior tamen sententia docet, rebaptizantem esse irregularem, etiam quando factum occultum est; quæ difficulter tamen potest probari; cùm nullus pro ea textus adferri possit, vt benè notat Suarez suprà. Sed in re morali non est satis tutum à communi sententia recedere, à qua lex suam interpretationem videtur suscipere. Hoc autem certum est, eo casu posse in hac irregularitate Episcopum dispensare, iuxta Trid. sess. 24. c. 6. Sicut etiam cum ministro, qui post hanc irregularitatem contractam ingreditur Religionem, vt patet ex cap. *Ex litterarum.* de apostatis.

Vt minister hãc irregularitatem incurrat, crimen debere esse publicum. Silues. Suarez. Panorm. Trident.

c. Ex litteris.

37 Sola exterior formæ ac materiæ applicatio hanc irregularitatẽ non inducit. Suarez.

Nota Secundò, vt incurratur hæc irregularitas, non sufficere vt iterentur cæremoniæ baptismi, sed necesse est etiam reiterari ipsum baptisma. Vnde patet non incurrere hanc pœnam, qui reiteraret solùm exteriorem formæ & materiæ applicationem, sine intentione baptizandi, vt docet Suarez to. 3. dispur. 31. sect. 6. dub. 4. quia talis nulla ratione rebaptizat, nisi secundùm externam quandam apparentiam. Confirm. Primò, quia Ecclesia induxit hanc irregularitatem in odium hæreticorum rebaptizantium, & in eos qui hos imitantur: atqui qui non habet intentionem rebaptizandi, verè non imitatur hæreticos: ergo non incurrit hanc irregularitatem. Confirm. Secundò, quia Ecclesia intendit punire crimen in suo genere perfectum, quale non est sola externa reiteratio sine voluntate rebaptizandi: vt patet in simili quando quis committit externum actum hæreseos sine animo hæretico: quo casu non incurrit excommunicationem. Secùs est de eo qui habet verè animum rebaptizandi: quia imitatur omnino hæreticos, & quantum in se est rebaptizat, etsi eius voluntas effectu frustretur, atque ita crimen perfectum committit.

38 Dices, Ecclesia solùm actum externum punit: ergo nihil refert quæ sit interior intentio, dum occulta manet.

Respondeo negando sequelam. Quia, etsi hanc non puniat, tamen requirit tanquam conditionem necessariam, vt externus actus habeat perfectam rationem criminis in tali genere, & statuta pœna puniatur.

Rebaptizans sub conditione eam non incurrit.

Ex his patet Secundò, non incurrere hanc irregularitatem eum qui rebaptizat sub conditione, *Si non es baptizatus*, etiam eum quem scit esse baptizatum, quia non habet animum verè rebaptizandi, sed potiùs nugandi, vel simulandi baptismum. In foro tamen externo talis puniri posset tanquam rebaptizator, quando constaret illum sciuisse hunc esse baptizatum: quia haberetur hæc conditio tanquam non apposita, & iudicaretur seriò voluisse rebaptizare, & conditionem ioco adiecisse; nisi aliunde contrarium appareret.

Potest tamen quandoque puniri.

39 Petes Primò, vtrùm verè esset irregularis, qui haberet verè animum rebaptizandi, exteriùs tamen adiiceret hãc conditionem, *Si non es baptizatus*, vt animum dissimularet. Respondeo; Si nulla ratione ex actu externo eiusque circunstantiis posset colligi eius intentio; probabile est non fore irregularem: sicut non esse excommunicatum eum qui animo hæretico facit aliquem actum externum, ex quo tamen nulla ratione possit eius hæresis colligi. secùs si ex actu externo posset eius intentio rebaptizandi colligi: ad quod videtur sufficere, si constet eum scire hunc esse baptizatum.

Vt pœna incurratur intentio interna debet ex actu externo posse colligi.

40 Petes Secundò, quid dicendum sit de eo, qui metu coactus aliquem rebaptizat? Respondeo, Si habeat intentionem rebaptizandi, fit irregularis. Tum quia hic actus tunc est intrinsecè malus, nec vllus metus eum à graui sacrilegio excusat: tum quia hic sponte habet talem intentionem, nec ad illam potest vlla ratione cogi. Secùs dicendum, si non habeat hanc intentionem, vt patet ex dictis.

An metus excuset.

41 Conclvsio II. Idem dicendum de baptizato ab hæretico, c. *Qui in qualibet.* 1. d. 7. Excusat tamen ignorantia c. *Placuit.* & c. *Qui apud.* 1. q. 4. Idemque dicendum de necessitate quæ à culpa excusat. quia propter culpam incurritur illa pœna. Et secundùm hæc intellige c. *Qui in qualibet.* citatum, de qualibet ætate discretione vtentium.

Baptizatus ab hæreticis est irregularis.

c. Qui in qualibet. c. Placuit. c. Qui apud.

42 Concl. III. Adulti baptizati in ægritudine ob periculum mortis non possunt ordinari presbyteri, nisi fidem & studium suum probarint, probitate scilicet vitæ: aut nisi sacerdotum sit inopia, c. 1. d. 57. Videtur autem tunc requiri dispensatio Episcopi, vt publico iudicio constet de dignitate ordinandi.

Item baptizatus in periculo mortis.

43 Concl. IV. Qui furtiuè ordinatur sit irregularis, saltem quoad ascensum ad altiores Ordines, c. 1. de eo qui Ordinem furtiuè suscipit. Potest tamen cum eo Episcopus dispensare, nisi fuerit sub pœna excommunicationis (vt iam fieri solet) prohibitus ita ad Ordines accedere: imò etiam eo casu post vitam aliquamdiu in Religione laudabiliter actam, vt habetur c. 1. citato.

Item furtiuè ordinatus. c. 1. de eo qui Ord.

Dicitur autem furtiuè ordinari, qui dolo obtrudit se Episcopo ordinati, persuadendo se esse alium quàm sit; aut qui priùs dum vocatur ad examen curat alium suo nomine examinari, postea euocatus obtrudit se pro eo qui fuit examinatus: aut quacumque alia ratione efficit, vt Episcopus eum ex errore personæ pro alio ordinet.

Quis dicatur furtiuè ordinari.

44 Conclvs. V. Qui post matrimonium contractum ratum etiam ante consumationem (nisi in Religione probata professus sit) inuita vxore sacros Ordines suscipit, fit irregularis, & suspenditur ab Ordine sic suscepto. Si tamen in Religione approbata profiteatur, poterit Episcopus cum eo dispensare. Quidam varias alias in casu huius dubij irregularitates adferunt, sed eas non satis probant, cùm nullum Ius in quo exprimantur adferant.

Item coniugatus illegitimè ordinatus.

DVBIVM VI.

Quando incurratur irregularitas ob malum vsum Ordinis.

45 Conclvs. I. Clericus exercens Ordinem quem non habet, fit irregularis quoad ascensum ad

Exercens Ordinem quem non

Habet, sit à irregularis. *c. 1. & 2. de cler. non ord. &c.*

Ordines superiores, c. 1. & 2. de cler. non ordinato, &c. Ita communiter DD. Manet etiam per biennium aut triennium iuxta arbitrium Episcopi suspensus ab Ordine dignissimo, quem habet, non autem ab aliis, vt apertè colligitur ex c. 2. citato, & docet Suarez disp. 40. sect. 4. num. 4.

Suarez.

Dubitant autem DD. vtrùm laïcus exercens actum Ordinis sacri hanc irregularitatem incurrat? Quidam id negant, citántque valdè multos, qui tamen ferè omnes contrarium dicunt. Probant autem, quia, cùm titulus præfixus his capitibus loquatur expressè de clericis vsurpantibus Ordinem quo carent; videtur textus ad hos restringendus. vide Silvestrum v. *Irregularitas.* q. 12. & Henriquez l. 14. c. 6. num. 1.

Silvester. Henriquez.

Communior tamen & verior sententia docet talem fieri irregularem. Ita Sotus in 4. d. 18. q. 4. art. 1. §. *In dubium præterea.* Nauar. c. 27. nu. 242. Auila p. 7. disp. 9. dub. 10. & plurimi alij. Et probatur, quia, cùm Ius citatum fuerit conscriptum ante ipsum titulum, non videtur per eum restringendum.

Sotus. Nauarrus, Auila.

46 Nota, ad hanc pœnam incurrendam Ordinem debere exerceri cum ea solemnitate & modo, quo non potest à laïcis exerceri. Hinc laïcus exercens actus minorum Ordinum, etiam cum omni solemnitate (quia, cùm iam vulgò fiat per laïcos, illi actus non censeantur amplius alicuius Ordinis proprij) aut canens Epistolam etiam cum dalmatica sine manipulo, aut baptizans sine solemnitate; non fit irregularis, quia hi non sunt actus Ordinis, dum sic fiunt. Couar. clement. de homic. p. 1. §. 1. init. & Suarez disput. 40. sect. 2. num. 11.

Excipe id faciente eo modo quo à laïcis licitè fit. Laïcus etiá solemniter licitè exercet actum minorum Ordinum. *Couarr. Suarez.*

Nota Secundò, debere hunc actum fieri non solùm cum peccato mortali, (sine quo hæc pœna non incurritur) sed etiam seriò. Qui enim ioco eum exhiberet, etsi peccaret; non tamen fieret irregularis: vt cum communiore sententia docet Auila p. 7. disp. 9. dub. 13.

Auila.

47 Nota Tertiò, aliquos dicere non sufficere aliquem actum Ordinis seriò & solemniter exteriùs exercere nisi intendat etiam solemniter eum facere. Sed hæc videntur implicare; quia intendere hæc facere solemniter, nihil est aliud, quàm velle hunc actum externum cum tali solemnitate seriò facere: quam voluntatem necessariò habet, qui sponte hæc facit.

48 Aliud est de rebaptizante sine intentione conferendi Sacramentum. quia ille reuera non habet voluntatem baptizandi. quia Sacramenta pendent ab intentione distincta à voluntate ponendi externum actum. Secùs est de officiis diuinis. Quare vt summum hæc sententia posset habere locum in absolutione sacramentali: sed nec ex hoc capite potest excludi irregularitas, quia hæc lex non punit propriè errorem aut sacrilegium, sicut in rebaptizatione, & hæresi; sed alieni officij vsurpationem, quod fit quando exterior actus seriò ponitur. Alij tamen excipiunt ab hac pœna absolutionem sacramentalem attentatam à non sacerdote: quia caput primum loquitur de officiis diuinis, qualis non est hæc absolutio, cùm nullum externum ritum requirat, sed nudam formæ pronuntiationem. Sed communior sententia est contraria. quia Sacramenta per diuina officia sæpè in Iure intelliguntur: c. *Is qui.* c. *Is cui.* de sent. excom. 6. & c. 1. de sent. & re iudicata. Vbi celebrantes diuina officia censura ligati dicuntur irregulares. quod de omnibus actibus Ordinum DD. omnes intelligunt.

Alia requiritur intentio ad Sacramenta quàm ad officia diuina. Sacramenta sæpè dicuntur officia diuina. *c. Is qui. c. Is cui. c. 1. de sent. & re iud.*

Nota Quartò, laïcum fingentem se Pastorem, & ita assistentem matrimonio, non esse irregularem: quia hic non est actus Ordinis, sed iurisdictionis, vel potiùs legitimi testis. Secùs si beneditceret nuptiis. Suarez disp. 40. sect. 4. num. 19.

Suarez.

49 Conclvsio II. Violans censuram aliquam exercendo actum Ordinis sacri, fit irregularis. Est communis omnium DD. & patet ex c. 1. de sent. & re iudicata, in 6. ex c. *Is qui.* & c. *Is cui.* de sent. excom. in 6. Per actus autem Ordinum minorum non incurritur, quia possunt à laïcis exerceri etiam cum omni solemnitate, atque ex consuetudine desierunt alicui Ordini esse proprij.

Violãs censuram per actum Ordinis sacri est irregularis. *c. 1. de sent. & re. c. Is qui. c. Is cui.*

Nota, exercentem actum Ordinis sibi prohibitum sub pœna excommunicationis, prima vice tantùm incurrere excommunicationem, non autem irregularitatem: quia non violat censuram per actum Ordinis, cùm hunc priùs natura ponat, quàm illam contrahat.

Multi varios alios casus adferunt, sed non probant, nisi vt summum pœnam depositionis, aut similem ferendam. Particulatim autem asserunt esse irregularem excommunicatum Ecclesiasticum, qui curat diuina officia coram se celebrari. Probant ex c. *Illud Dominus.* de clerico excomm. sed tantùm ibi dicitur tali pœnæ aliquam infligendam; ex quo non satis colligitur eum esse irregularem. Est tamen difficile à sententia fetè communi discedere.

c. Illud Dominus.

DVBIVM VII.

De irregularitate ob hæresim, simoniam, aliáve crimina, vel ob infamiam contracta.

50 Conc. I. Hæretici non possunt ad vllos Ordines promoueri etiam post pœnitentiam transactam. Est communis Doctorum, qui id communiter colligunt ex cap. *Saluberrimum.* 1. q. 7. vbi dicitur clericos ab hæresi reuertentes ad Ecclesiam debere pro magno beneficio habere, si sine vlla spe promotionis in suo Ordine permaneant. Item ex c. 2. §. *Hæretici.* de hæreticis, in 6. vbi dicitur hæreticos ad nulla Beneficia, aut publica officia posse admitti: Ordo autem publicum in Ecclesia officium est. Et sic hæc Iura communiter omnes intelligunt. Aliqui tamen volunt hæc solùm intelligenda esse de hæreticis publicis: secùs autem esse de occultis. Tamen c. 2. citatum absolutè loquitur, & alij absolutè illud intelligunt. Idem dicendum de apostatis. quia hi sunt hærerici & aliquid ampliùs.

Hæretici irregulares. *c. Saluberrimum.* *c. 2. de hæreticis.*

51 Conc. II. Idem dicendum de fautoribus & receptoribus hæreticorũ, eorumque filiis vsque ad secundam generationem. Ita habetur c. 2. §. *Hæretici.* citato. Hæc intellige de iis qui fauent hæreticis formaliter sumptis, siue quà tales sunt. Nam si quis hæreticum domi reciperet, quia pauper, aut frater ipsius est & ei faueret in re aliqua iusta nullo modo spectante ad hæresim, nullam pœnã incurreret; cùm in eo benè faceret. Hoc autem Ius per cap. *Statutum.* 15. eod. tit. limitatur Primò, vt illa constitutio circa descendentes per lineam fœmineam solùm habeat locum in prima generatione: in secunda verò solum respectu eorum, qui per lineam masculinam descendunt. Item vt non habeat locum respectu filiorum, quorum parentes hæretici ante mortem Ecclesiæ reconciliati, ac Catholici mortui sunt. Ab hac secunda exceptione aliqui eximunt eos, quorum parentes ob hæresim damnati, supplicio affecti sunt. Horum enim filios, quantumcumque illi catholicè mortui sint, volunt esse irregulares. Sed textus absolutè loquitur. quare alij sentiunt eos non esse irregulares. Quod credo verius quando filios nulla maneret infamia: vt facilè contingit in locis hæresi valdè infectis. Ita P. Henriquez lib. 14. c. 5. n. 4. citans Simanchas, Nauarr. & Roas. Addunt his aliqui schismaticos, sed loquendo de iis, qui non sunt simul hæretici, id non probant.

Item eosdem fautores ac filij. *c. 2. de hæreticis.* *c. Statutum.* *Henriquez, Simanchas, Nauarr. Roas.*

52 Difficultas autem hîc est Primò, an clerici conuersi ab hæresi sine vlla dispensatione possint in perceptis antè Ordinibus ministrare? Quidam id affirmant; alij verò volunt eos indigere dispensatione Episcopi in

Episcopus dispensat cũ clerico ab hæresi conuerso vt in

Ordine ministret. *Suarez.*

pi. Ita Suarez disp. 43. sect. 1. num. 6. quod credo verius, præsertim respectu eorum, qui publicè fuerunt hæretici. Nullo enim modo decet, hos sine vlla Episcopi approbatione ad suum officium admitti. Et latis colligitur ex c. *Saluberrimum.* citato, vbi dicitur, eos debere habere pro beneficio quòd possint in suo Ordine permanere: Vbi significatur eos ad hoc opus habere aliquo beneficio, siue dispensatione. Addit Suarez suprà, ne quidem Episcopum cum talibus dispensare posse, vt sacerdotio fungantur.

c. Saluberrimum.

Excipe sacerdotium.

53 Nati ante parentis hæresim non sunt irregulares. *A Castro. Conarr. Henriquez. Diaz. Gomez. Simanchas. Perez. Leßius. Sanchez.*

Secunda difficultas est, an filij nati ex parente Catholico, qui postea in hæresim incidit, & in ea mortuus est, sint irregulares? Quidam id affirmant, quia tales sunt verè filij hæreticorum. A Castro de lege pœnali l. 1. c. 7. cor. 1. Conar. l. 2. var. c. 8. nu. 5. cum aliis. Contrarium tenet P. Henriq. suprà citans Diaz, Gomez, Simanchas, Perez, & alios: quos etiam sequitur P. Leßius de Iustitia c. 34. nu. 121. & fusissimè Sanchez l. 2. de præcept. decal. c. 27. n. 10. & 24. Probatur Primò, quia secundùm omnes, vt fautores hæreticorum hanc pœnam incurrant, debent fauere hæreticis formaliter sumptis, vt notaui suprà: ergo similiter vt eorum filij eam incurrant, debent esse formaliter filij hæreticorum, siue nati ex iis dum essent hæretici.

In quibus possit puniri filius ob crimen paternum.

Probatur Secundò, quia filij innocentes nunquam solent puniri ob delictum paternum, nisi in bonis quæ tunc dependent à patre delinquente, & quasi per eum possident: non autem in iis, quæ dum pater delinquit vt sua, & omnino independenter à patre possidente.

54 Hinc quantumcumque pater ob grauissima crimina condemnetur, nunquam filius innocens potest iustè priuari bonis castrensibus, aut vllis aliis, quæ iam omnino habet propria, sed solùm iis quæ à patre post commissum crimen accepit, aut accepturus est. Quia pœna non potest comprehendere, nisi suos auctores: ideóque filius non potest puniri in patre, nisi quatenus secundùm se, aut aliqua sua bona adhuc in eo continetur. Cùm igitur filius iam natus ante hæresin patris, possideat ius ac habilitatem ad Ordines suscipiendos tanquam proprium bonum, & vt persona omnino distincta ac independens à patre; non potest iis priuari ob crimen patris subsequens.

Probatur Tertiò, quia aliàs filius quamdiu parentes viuerent penderet semper ab eorum voluntate ad hanc pœnam incurrendam: atque ita si subdiaconi parens laberetur in hæresim, in eáque moreretur, ille nunquam posset ad vllum Beneficium, aut vltériorem Ordinem admitti. quod sanè ei esset durissimum. Imò sequeretur iam factum presbyterum sine dispensatione non posse admitti ad celebrandum aliáve sacerdotalia officia obeunda; quia hæc officia publica sunt.

55 Suspecti hæreseos an sint irregulares.

Nota, quosdam hanc pœnam extendere ad eos, qui de hæresi suspecti sunt. Sed verius diceretur Prælatos prohiberi hos ordinare, donec sufficienter se purgarint, quatenus scilicet illi non possunt hos ordinare, donec ipsis satis constiterit, eos non esse indignos, & consequenter eos verè esse Catholicos; statim autem atque hoc sufficienter probatum est, sine vlla dispensatione ordinari possunt. Ex quo patet non fuisse verè irregulares. vide Suar. tom. 5. disputat. 43. sect. 3. num. 2.

Suarez.

Aut etiam neophyti.

Simili modo neophyti, siue recenter ad fidem conuersi dicuntur irregulares, donec post susceptum baptismum suam fidem ac morum probitatem sufficienter Ecclesiæ probarint: quando autem hoc fecerint, Episcopi est iudicare. Quare etiam hi improprié dicuntur irregulares.

56 Iure infames. Iuris infamia duplex.

Concl. III. Qui iure infames sunt, sunt etiam irregulares, c. *Infames.* 6. q. 1.

Nota, Iuris infamiam dupliciter incurri. Primò, per sententiam iudicis infamiam inurentis. Secundò, per commissionem criminis, cui à Iure infamia annexa est, quando illud publicum est. Huiusmodi autem crimina sunt, periurium in iudicio, simonia, sodomia, improbum fœnus in quo vsuræ vsurarum exiguntur, sacrilegium, duellum, hæresis, eiúsque fauor, crimen læsæ maiestatis, persecutio hostilis Cardinalium. Imò duo vltima committentium filij atque etiam nepotes, descendentes per lineam masculinam sunt infames, c. *Felicis.* de pœnis, in 6. & l. *Quisquis.* §. *Filiis.* C. ad legem Iuliam. Vide Siluest. v. *Infamia.* nu. 8. & 9. Permanet autem hæc infamia, & consequenter irregularitas, etiam peracta pœnitentia.

Quibus criminibus annexa.

c. Felicis. l. Quisquis.

Siluester.

Nota, hæc crimina debere esse publica, vt cum aliis docet Nauar. c. 27. n. 248. & habetur expressè c. vlt. de temporibus ordinandorum. Et ratio est, quia crimen occultum non parit infamiam.

Nauarr. c. vltim. de temporib.

Conclvs. IV. Verius est alia crimina, quæ Iuris infamiam non habent annexam, non inducere irregularitatem, etsi, quia publica sunt, suos auctores infament: sed tantùm inducunt aliquod impedimentum ob indecentiam, ob quam tales c. vlt. de tempor. ordinand. prohibentur ordinari, donec per pœnitentiam infamiam eluerint. quare hac posita omne impedimentum tollitur, vt ex c. citato patet, & fatetur Nauar. c. 27. nu. 204. quare hoc impedimentum improprié dicitur irregularitas.

57 Nō omnis infamia inducit irregularitatē. *c. vltim. de temp. ord.*

Nauarr.

DVBIVM VIII.

De irregularitate proueniente ex homicidio, aut mutilatione voluntaria.

58 Homicidium quadruplex.

NOta, homicidium posse esse quadruplex. Primò, voluntarium, quod tũc solùm tale dicitur, quando aliquis iniustè aliquid facit, aut cũ intentione alterum occidendi, aut quod clarè videt esse tale, ex quo moraliter certò alterius mors debeat sequi. Et hoc solùm propriè dicitur homicidium. Secundò, casuale, quando quis alteri præter intentionem est causa mortis. Tertiò, necessarium, vt quod fit causa defensionis sui ipsius, aut rerum suarum. Quartò, legitimum, quod fit seruato ordine Iuris. hoc autem dubio agemus de homicidio voluntario. Similiter quadruplex est mutilatio, pro qua

59 Occidens ante baptismum non est irregularis. *c. Si quis.*

Nota Secundò, quoad incurrendam irregularitatem, eandem planè esse rationem mutilationis & occisionis, nisi quòd in mutilatione voluntaria occulta Episcopus dispensare possit; non tamen in tali homicidio: vt patet ex Trident. sess. 24. c. 6. de refor.

Trident.

Nota Tertiò, vt quis per homicidium quocumque modo factum incurrat irregularitatem, debere id fieri post baptismum susceptum: vt communiter DD. apertè colligunt ex c. *Si quis viduam.* d. 50. Nihil autem refert an occisus fuerit baptizatus nec ne.

60 Nec qui solum conatur occidere.

Conclvsio I. Nullus conatus occidendi per se vel alium adhibitus sufficit ad inducendam irregularitatem, nisi mors aut mutilatio de facto sequatur. Patet, quia illa solùm est posita pro iis qui occidunt, aut mutilant. patet ex Iuribus: nullus autem quantumcumque conetur occidere, potest verè dici occidisse nisi mors sequatur. Idémque dicendum de mutilatione.

Hinc P. Auila hîc disput. 6. sect. 3. dub. 4. concluſ. 2. cum aliis infert non esse irregularem illum, qui alium lethaliter vulnerauit, si statim ex alio casu (v. c. tormento discerptus) ita subitò occidatur, vt ratione vulneris prioris nullo modo citiùs moriatur. Secùs autem esse si ideo citiùs moriatur, quia in hoc casu alter influit in ipsius occisionem; in priore verò non. Posset quis fortè ab hac conclusione excipere mandantem aliquem occidi per assassinos, quia talis incurrit ipso facto excommunicationis & depositionis

Auila.

sententiam etiamsi mors secuta non fuerit. Sed hæc pœna iam non potest habere locum, cùm nulli iam sint assassini.

61 CONCL. II. Voluntariè aliquem occidens aut mutilans est irregularis. Patet ex toto tit. de homicidio. Nota, ad hanc irregularitatem non sufficere grauem vulnerationem cum multa sanguinis effusione, aut deformitate secuta, nisi sequatur mors aut mutilatio, quæ significat membri alicuius abscissionem. Quare non sufficit aliquem ita vulnerare, vt aliquod membrum ei reddatur inutile, nisi abscindatur, aut saltem ita tractetur, vt planè moriatur, & abscindi debeat. Vide Nauar. c. 27. nu. 223. Soto l. 5. de Iustit. q. 2. a. 1. Suarez disp. 44. sect. 2. num. 6. Henriq. l. 14. c. 8. n. 4. Auilam p. 7. disp. 5. sect. 1. dub. 2.

Nauarr. Soto, Suarez, Henriquez, Auilla.

62 Difficultas autem est quid nomine membri hîc intelligatur. Soto suprà cum Caiet. 2. 2. q. 65. & quidam alij, docent hîc dici membrum omnem partem corporis quæ specialem aliquam habet cooperationem cum membro principali. Hinc quidam inferunt ad irregularitatem sufficere, vt quis alteri digitum, aut auriculam amputet. Ratio eorum est, quia membrum dicitur omnis illa pars hominis, ex qua corpus organicum ita constat, vt ea sublata non dicatur integrum.

Soto, Caietan.

63 CONCL. III. Probabilius est membrum solùm dici eam partem corporis, quæ per se habet aliquod distinctum officium in corpore, qualis est manus, pes, &c. atque ita digiti non sunt membra, sed partes membri, idemque de auribus, naso, &c. Ita Nau. c. 27. num. 206. Couar. clem. *Si furiosus.* de homicidio p. 3. §. 8. P. Auila p. 7. disp. 5. dub. 1. P. Henriquez l. 14. c. 8. n. 1. & communiter Canonistæ, vt docet P. Suarez disp. 44. sect. 2. n. 6.

Membrum quid sit.

Nauarr. Couar. Auila, Henriquez, Cano, Suarez.

Probatur Primò, quia 1. ad Corint. 12. de membris dicitur, *Omnia autem non eundem actum habent.* Vbi significatur membrum dici quod habet distinctum officium. Secundò, quia in Iure qui vnum alterúmve digitum amiserunt, non dicuntur mutili, sed debilitati, c. 2. de clerico ægrotante: vbi sacerdos cui abscissa erat media palma cum duobus digitis, dicitur debilitatus & habere membrum deformatum. Quibus certè innuitur digitos non esse propriè membra. aliàs non debuisset dici habere membrum deformatum; sed membra aliqua amisisse, & mutilatus esse, sicut se eo, qui manum amiserat, dicitur c. *Expoſuiſti.* 6. de corpore vitiatis. Tertiò, quia in altera sententia dificillimum est videre, quid dicatur membrum; quid non. Nam eius definitio tam conuenit parti vnius digiti, quàm integro; cùm tamen nemo dicat, eum esse irregularem, qui partem digiti alicui amputauit. Cùm igitur nostra sententia sit conformior modo loquendi ipsius Iuris, atque etiam mitior in re præsertim odiosa, amplectenda est.

1. Cor. 12.

c. 2. de cler. ægrotante.

c. Expoſuiſti.

64 CONCLVSIO IV. Qui sibi sponte notabilem partem digiti abscindit, aut seipsum castrat, aut castrari permittit, est irregularis. Secùs si ex necessitate vim patiens, aut morbi depellendi causa hæc patiatur. Habetur expressè c. 4. 5. 6. 7. 8. 9. d. 55. Ex quo patet aliquem faciliùs fieri irregularem seipsum lædendo, quàm si alium lædat.

Irregularis est sponte sibi partem digiti amputans, &c.

Procurans abortum.

CONCL. V. Procurans abortum post animationem fœtus, est irregularis: secùs est si id antè animationem fiat. quia tunc non committitur homicidium, c. *Sicut ex litterarum.* 20. de homicidio.

c. Sicut.

65 CONCLVSIO VI. Ponens causam ex qua videt alteri mortem secuturam, v. c. dando ei venenum, &c. fit irregularis; quantumcumque ante alterius mortem facti pœniteat, & conetur eam impedire, si mors de facto sequatur: quia verè est homicida, vt omnes fatentur.

Mandans, consulens, &c.

CONCLVSIO VII. Idem secundùm omnes dicendum de iis qui mandando, consulendo, incitando, animando occisorem, aut simili ratione sunt causa mutilationis aut homicidij, c. *Si quis viduam.* d. 50.

c. Si quis.

Vbi Nota Primò, eum omnium horum dici causam qui de facto in ea influit, animum percussoris aliquo ex dictis modis permouendo, vt scelus patret, aut etiam arma ei, aliúdue auxilium ad hoc præbendo: etiamsi aliàs nihilominus scelus esset patrandum. Vide Lessium de Iust. c. 13. dub. 2. n. 5.

Quis dicitur mortis causa.

Nota Secundò, Doctores hîc variè disputare, vtrùm mandans vel consulens occisionem, ea secuta sit irregularis, si mandatum aut consilium priùs reuocauit. Sed hæc in simili satis discussi disp. 14. dub. 15. n. 176. agens de mandante percussionem clerici, an reuocans mandatum ante factum ea secuta sit excommunicatus. Est enim eadem in vtroque ratio.

Quid de reuocante consilium.

Huius occasione disputant hîc DD. an mandans aut suadens Petro, v. c. vt alium occidat, sit irregularis, si ipse Petrus occidatur, aut mutiletur? Quidam quos tacito nomine citat Suarez disp. 44. sect. 3. num. 18. id absolutè negant. Siluester verò v. *Homicidium*, 1. q. 7. v. *Quintum.* Nauar. c. 27. num. 233. cum quibusdam aliis id absolutè affirmant, pro quo sit.

66

Suarez, Siluester, Nauarr.

CONCLVS. VIII. Certum est talem non incurrere irregularitatem statutam pro homicidio voluntario, nisi fortè hoc Petro suaderet ea intentione vt occideretur, sciens probabiliter hoc futurum. quia aliàs mors Petri non potest ei dici directè voluntaria, cùm omnino contra eius voluntatem accidat.

Quid si aggressor peccat.

67

CONCLVS. IX. Si mandans aut suasor poterat facilè cogitare ex illo facto Petro imminere periculum mortis, aut mutilationis (vt communiter fit quãdo homicidium aperta vi committendum est) his secutis ille contrahit irregularitatem ex homicidio casuali. Est ferè *communis.* Quia tunc mors Petri est alteri indirectè voluntaria in causa, ipseque ad eam cooperatur. Idémque dicendum de iis omnibus, qui alteri sunt causa cur cum peccato exponat se probabili periculo vitæ, si hic de facto in eo pereat. Quia sicut hic est verus sui homicida, hoc faciens; ita etiam illi qui hoc ei suadent. Secùs est de iis qui alicui suadent, vt exponat se periculo vitæ, quando hoc cum virtute facere potest pugnando fortiter in iusto bello, aut simili ratione, quia sicut hic tunc non est occisor sui, ita nec illi.

Suadentes alicui vt se periculo exponat ab sint irregulares.

68

CONCLVSIO X. Qui suadet alicui alium occidere eo modo iisque circumstantiis, quibus innasori nullum probabile imminet periculum, vt si suadeat hoc clàm ex loco tuto facere, aut dato veneno, ita vt nemo id scire possit, & alter habeat facultatem id faciliè ita faciendi: si hic casu occidatur, alter non fit irregularis: quia illius mors huic nullo modo potest dici voluntaria, cùm nullo modo potuerit eam præuidere. Nemo autem incurrit irregularitatem ob homicidium, nisi hoc ei sit aliqua ratione voluntarium. Ita cum Innocentio & Hostiensi Auila 7. p. disp. 6. sect. 2. dub. 5. concl. 4.

Innocent. Hoſtienſ. Auila.

69

CONCLVS. XI. Qui volenti occidere, cùm hoc aliter nequit impedire, suader vt potiùs mutiler, non est irregularis. quia nec peccat, nec deficit in lenitate, sed hanc potiùs exercet. Ita Suarez disput. 45. sect. 3. num. 2. Idem dicendum de eo qui reo lenta duráque morte plectendo, à iudice impetrat celeriorem ac faciliorem, v. c. vt potiùs plectatur capite, quàm agatur in rotam. quia hîc potiùs est abundantia, quàm defectus lenitatis.

Suarez.

Leniorem mortem alicui impetrans nõ est irregularis.

70

CONCLVSIO XII. Quando multi aut certo consilio, aut etiam subitò coorta rixa simul vnum aggrediuntur, si hic occidatur, omnes sunt irregulares, etsi ille vnico vulnere à certa persona inflicto occidatur. Quia hi omnes ad mortem ipsius verè sunt cooperati, partim sua ope animando occiso-

Multi vnũ occidentes sunt irregulares.

rem ; partim impediendo ne alter posset se defendere.

Secùs est de eo, qui alicui vulnus non lethale infligit, quæ alij postea superuenientes occidunt. Et hic est casus c. *Significasti*. 18. de homicidio. Quæ decisio vera est etiam quando prius vulnus fuit causa cur læsus fuerit ab aliis occisus, impediendo eum ne tam facilè posset fugere. Quia tunc prior percutiens non potest dici causa, sed solùm occasio mortis alterius, nisi dum hoc vulnus infligebat, potuit facilè præuidere læsum hac occasione occidendum.

c. *Significasti.*

Est irregularis quia alteri est causa cur citiùs moriatur.

Contrà verò qui lethaliter vulneratum adhuc paululum vulnerando ei est causa cur citiùs moriatur, est verè mortis ipsius causa, atque adeò irregularis. Idémque dicendum in priore casu, quando dubium est an prius vulnus fuerit lethale, vt patet ex c. *Significasti*. citato. excipe casum quo vltimi percussores læsum, ea ratione occidissent, vt certum sit prius vulnus nihil planè iuuisse ad mortem accelerandam. Vide dicta n. 60.

c. *Significasti.*

71 Non impediens occisionem quando sit irregularis.

Concl. XIII. Est satis probabile eum fieri irregularem, qui desinit impedire occisionem aut mutilationem eius, cui hîc & nunc ad hoc faciendum ex iustitia obligatur. Primò, quia est communis sententia DD. quæ hac in re magni facienda est. Secundò, quia talis est verè causa mortis alterius, quia subtraxit ei rem suam ipsi ad vitam tuendam hîc & nunc necessariam, scilicet auxilium suum ex iustitia ipsi debitum. Sicut si quis alicui subtraheret panem ad vitam sustentandam hîc & nunc omnino necessarium, esset ei vera causa mortis, ac homicida. Hoc tamen homicidium iudicandum est casuale ; nisi alter ideò opem suam subtraxit, vt ille occideretur. Imò si id fecerit ex iusto aliquo timore, facilè posset ab hac irregularitate excusari. Quinam autem teneantur ex iustitia alterum defendere, vide P. Lessium de Iustit. c. 9. dub. 13. n. 94.

Lessius.

72 Extendunt hæc aliqui ad eos qui desinunt homicidium impedire, quando ad hoc ex sola caritate tenentur, præsertim quando id videntes in hoc consentiunt. Sed nisi ipsi aliquo externo signo occisorem animando aliqua ratione in occisionem influant, contrariam absolutè dicendum est cum communiore sententia, quia hæc irregularitas solùm statuta est in eos qui in occisionem aliquo modo influunt. Habentur hæc expressè decisa cap. vlt. 23. q. 8. Idem ob eandem rationem dicendum de eo qui homicidium eo nullo modo cooperante ipsius causa factum, postea ratum habet. quia nullo modo potest dici ipsius voluntaria esse causa.

Quando ratihabitio retrotrahatur.

Dices, Ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur, vt dicitur regula 10. Iuris, in 6. Respondeo, hoc solùm verum esse in iis quæ pendent ab voluntate retrotrahentis, vt fit in contractibus, gratiæ concessionibus, & similibus : aut saltem in iis casibus, in quibus Ius hoc expressit, vt accidit in ratam habente percussionem clerici suo nomine factam, c. *Cùm quis.* 23. de sent. excomm. in 6. neutrum autem in hoc præsenti casu contingit. Nam homicidium iam commissum nullo modo pendet à ratihabitione, quæ postea ponitur ; nec vllum est Ius quod talem irregularitatem statuat.

c. *Cùm quis.*

DVBIVM IX.

Vtrùm aliquis fiat irregularis si alium casu præter intentionem, aut ob iustam iustitiæ defensionem occidat?

74 Quid sit homicidium casuale.

Nota Primò, homicidium casuale dici, quod ex aliquo facto præter operantis intentionem sequitur, vt si iaculans in feram casu occidat hominem.

Nota Secundò, hac in re constare Primò, eum qui etiam præter intentionem occidit hominem ex culpa lata, siue peccando mortaliter in negligentia cauendi eum casum, fieri irregularem, vt patet ex cap. vlt. de homicidio, in 6. & communiter omnes fatentur. Addunt aliqui sufficere culpam leuem, sed non probant. Cùm enim hæc irregularitas sit pœnalis (alioquin nullam culpam requireret) atque ideo sit pœna grauis, culpam mortalem requirit. Et videtur hoc expressè definitum c. *Quæsitum*. 7. de pœnitentiis. Vbi definitur, parentes secum dormientes infantes noctu inter dormiendum opprimentes, non esse irregulares, etsi hoc aliqua eorum incuria quæ pœnitentiam mereatur euenerit, nisi ea negligentia fuerit studiosa. quod verbum apertè significat eam negligentiam saltem debere esse latam, siue continere culpam mortalem.

Vt inducat irregularitatem requirit culpam mortalem. c. vlt. de homicid.

c. *Quæsitum.*

Secundò, eum qui dando operam rei licitæ omninò casu, aut saltem sine lata culpa aliquem occidit, non fieri irregularem; vt patet ex multis capitulis tit. de homicidio. Idémque dicendum secundùm omnes de eo, qui cum moderamine iustæ tutelæ aliquem occidit pro defensione suæ vitæ: vt patet ex clement. *Si furiosus.* de homicidio. Quis autem hanc moderationem aut seruare aut excedere dicendus sit, vide P. Lessium de Iustit. c. 9. dub. 8.

Clem. si furiosus. Lessius.

74 Addunt aliqui hoc esse verum, etiamsi occidens alteri dedisset occasionem se inuadendi, v. c. adulterando cum eius vxore, aut similem iniuriam ei inferendo, qua ipsum incitasset, vt se inuaderet : generatimque dicunt talem non fieri irregularem, modò postea inuasus nō potuerit aliter seruare vitam, quàm occidendo. Ita Soto l. 5. de Iustit. q. 1. art. 9. col. 5. Nauarr. l. 2. de restit. c. 3. p. 3. dub. 14. Siluester. v. *Homicidium*. 3. q. 4. & alij.

Soto. Nauarr. Siluester.

Contrà verò Nauarr. cap. 15. num. 7. & cap. 27. nu. 238. cum quibusdam aliis generatim dicit talem fieri irregularem.

Nauarr.

Sed media sententia tenenda est, scilicet talem fieri irregularem, quando potuit antè præuidisse ex tali occasione se futurum in mortali periculo aut occumbendi, aut occidendi. Secùs autem esse quando omnino sibi persuadebat nullum tale periculum hîc & nunc subesse. quia in priore casu homicidium fuit ei voluntarium in causa : secùs autem in secundo. Ita Suarez disp. 46. sect. 1. n. 12.

Quando fiat irregularis occidens inuasorem, cui prius iniuriā inuulit. Suarez.

75 His positis duæ hîc sunt præcipuæ difficultates. Prima est, Vtrùm dans operam rei illicitæ fiat irregularis, si casu omnino aliquem occidat, etiamsi omnem diligentiam adhibuerit ne hoc accidat?

Quidam id generatim affirmant. Ita Caietan. 2. 2. q. 64. a. 9. Siluester v. *Homicidium*. 2. n. 2. & alij. Præcipuum eorum fundamentum est, quia multa Iura dicunt ob huiusmodi casus non esse irregulares eos, qui dant operam rei licitæ : ergo sunt irregulares, si dent operam rei illicitæ.

Caietan. Siluester.

Sed hoc fundamentum nihil probat, vt infrà ostendam. Et hæc sententia inuoluit plurima absurda, v. c. eum fore irregularem, qui furandi causa murum conscendens, & ex eo decidens, alium casu transeuntem occideret. & multa alia similia, quæ absurda sunt, nec ab aliis auctoribus admitterentur.

76 Alij igitur hoc limitant, vt solùm habeat locum quando occisor dabat operam rei ipsi prohibitæ ob periculum occisionis, quod communiter tali operi coniunctum est. Ita Nauarr. c. 27. n. 237. cum multis aliis. Sed tam hic, quàm quidam alij, nec in suis principiis, nec in exemplis adferendis satis sibi constant, vt facilè patebit legenti. Fundamenta huius sententiæ infrà ostendemus.

Nauarr.

77 Secunda difficultas est, Vtrùm cum moderatione iustæ tutelæ ob defensionem sui honoris, aut bono-

rum magni momenti, aut vitæ proximi alium occidens, fiat irregularis? Nauar. cap. 27. n. 237. Silues. v. *Homicidium.* 1. n. 13. & quidam alij, aiunt talem esse irregularem. Probant id aliqui, quia talis occidendo peccat; cùm non liceat priuato alium occidere, nisi ob defensionem vitæ propriæ. Sed hoc falsum esse patet ex c. *Dilecto.* 6. de sent. excomm. in 6. Erpulchrè docet P. Lessius de Iustit. c. 9. dub. 11. 12. 13. Alij igitur id probant, quia lus generatim dicit esse irregulares, quicumque alium occidunt, solúmque excipit eum, qui id facit ob defensionem propriæ vitæ, clement. *Si furiosus.*

Nauarr. Syluester.

c. Dilecto. Lessius.

Clem. Si furiosus.

78 Sed hi fallunt quod probandum est. Nullum enim lus ita generatim statuit esse irregularem eum, qui quacumque ratione alium occidit: sed eum qui id facit aut cum peccato mortali, aut omnino voluntariè, vt accidit in iudice, eiúsque ministris, qui voluntariè ea officia obeunt, & cõsequenter voluntariè reos morti addicunt.

79 Nec clement. *Si furiosus.* facit aliquam exceptionem à priore regula; sed tantùm allatis aliquot exemplis ostendit Iura statuentia hanc irregularitatem, nõ esse intelligenda de quouis quacumq; ratione occidente, sed iuxta iam dicta, atque ostendit nos debere eos omnes casus excipere, in quibus similis ratio reperitur, quia aliàs omnino etiam *innocenter* ex inaduertentia inebriatus, ideóque omnino ratione destitutus, aut etiam alius omnino casu sine vlla sua culpa aliquem occidens, esset irregularis. quia hi in illa clement. non excipiuntur: illud autem apertè falsum est. Adferunt etiam quædã alia Iura, quæ n. 86. explicabo.

Clem. Si furiosus.

80 Omnino casu occidens dando operam rei illicitæ, non est irregularis.

CONCLVS. I. Etsi ob Doctorum auctoritatem non sit improbabile, dantem operam rei prohibitæ quia periculosa est, si omninò casu aliquem occidat, fieri irregularem; probabilius tamen credo, talem nũquam fieri irregularem, nisi ipsius actio hîc & nunc ita sit periculosa, vt grauiter peccet contra ius naturæ præcisè ratione periculi occidendi, cui hic & nunc ita operando se exponit. Ita Emmanuel Sà v. *Irregularitas ex deformitate.* Item Cano & Penna, ac quidam alij apud Salon tom. 1. de instit. q. 64. a. 8. tit. *An qui adhibuit,* &c. vbi etiam dicit hanc sententiam esse satis probabilem. Eandem tenent P. Henriq. lib. 14. cap. 15. n. 1. citans alios, multíque recentiores viri doctissimi, eámque pro foro conscientiæ etiam tenet P. Auila p. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 1. §. *Hinc sequitur.*

Sà. Cano. Penna. Salon.

Henriquez.

Auila.

c. Is qui.

Probatur Primò, quia vt habetur cap. *Is qui.* 18. de sent. excomm. in 6. irregularitas nunquam incurritur, nisi in casibus Iure expressis: atque nullo Iure est expressum talem fieri irregularem extra casum à nobis expressum: ergo non fit irregularis.

81 Dices illud satis colligi à contrario sensu, quia titulo de homicidio, multa Iura dicunt quosdam casu alium occidendo non fuisse irregulares, cùm dederint operam rei licitæ. Vt autem colligitur ex c. *Cùm Apostolica.* 7. de his quæ fiunt à Prælatis; vbi Pontifex à contrario sensu argumentatur, & ex l. 1. ff. de officio eius cui mandata est iurisdictio. & docet Nauarr. l. 3. cons. tit. de donat. cons. 5. n. 3. argumentum à contrario sensu in Iure est firmissimum, nisi contrarium sit alio Iure expressum.

c. Cùm Apostolica.

Nauarr.

Quando valeat argumentum à contrario sensu.

Sed contrà Primò, multi viri doctissimi negant argumentum à contrario sensu aliquid certò probare, nisi fortè ratione materiæ: vt quando per argumentum à contrario sensu pœna restringitur aut fauor infertur, qui ampliandus est. Aliàs si illud argumentum ratione formæ esset bonum, semper concluderet, atque adeò etiam in casu quo lex sal: m præcedens contrarium statueret, multáque absurda sequerentur. Nam vel in hac ipsa materia sequeretur, omnes quacumq; ratione dantes operam rei illicitæ, fieri irregulares, si casu alteri essent causa mortis. nam Iura citata non distinguunt inter dantem operam rei illicitæ ob hanc vel illam causam: sed simpliciter dicunt, non esse irregularem dantem operam rei licitæ, cui contrariatur quæuis res quauis ratione illicita.

Ad Iura citata, nego id ex iis colligi. nam illa non argumentantur à contrario sensu; quia lex citata solùm dicit ex eo quòd aliquid alicui speciatim concedatur, benè inferri tam hoc quàm alia similia sine tali concessione esse illicita; quia quæ per se licita sunt frustra speciatim conceduntur. Item Pontifex dicto c. solùm ex eo quòd Concilium Lateranense vetet ne Religiosi de manu laici decimas accipiant sine consensu Episcopi, dicit innui hoc iis cum consensu Episcopi licere: quia scilicet frustra aliquid prohiberetur fieri sine certa conditione, si ne quidem cum ea id liceret; præsertim cùm prohibitio, vt pote odiosa & naturalem libertatem restringens, non debeat vltra proprietatem verborum extendi.

82 Secundò, quia contrarium videtur satis Iure expressum. Primò, quia c. *Is qui.* citato, dicitur neminem incurrere irregularitatem, nisi in casu Iure expresso. Non potest autem dici in Iure expressum, quòd solùm à contrario sensu colligitur. Secundò, quia cap. *Quæsitum.* 7. de pœnit. decernitur parentes aliqua sua incuria inter dormiendum opprimentes suos infantes secum dormientes, non esse irregulares, nisi id graui eorum culpa (quæ ibi studiosa negligentia appellatur) accidat: cùm tamen supponatur eos hoc faciendo peccare, quia dicuntur incuriam pœnitentia mulctandam committere. atque ita patet illos dare operam rei illicitæ, simul cum infantibus dormiendo: idq; non alia ratione, quàm quia erat periculum occidendi infantes, vt sæpe contingit, & ibi de facto contingebat, idque frequenter, vt videtur ibi supponi. Ex quibus clarè concluditur, posse aliquem dando operam rei illicitæ, quia periculosæ, etiam secuta inde alterius morte, non esse irregularem.

c. Is qui.

c. Quæsitum.

Idem à contrario sensu (quod argumentum, vt ostendi, ad pœnas restringendas firmum est) apertè colligitur ex c. vlt. de homicidio, in 6. vbi dicitur, eum qui mandat aliquem verberari, expresè prohibens ne occidatur vel mutiletur, irregularem effici, si mandatarius occidat, vel mutilet, *cùm in culpa sit, & hoc posse euenire debuerit cogitare.* Vbi Pontifex rationem reddit irregularitatis, non quòd ille dabat operam rei illicitæ, sed quòd in culpa fuerit, non aduertendo hîc & nunc esse morale periculum, & quidem omnino proximum iniustæ occisionis: quia quantumcumque talis famulo mandabat, vt alterum verberaret citra occisionem; facilè tamen poterat aduertere, hoc non fore in eius potestate, nisi fortè reperisset verberandum ligatum ac impotentem se defendere. Nam hoc se defendente necessariò suberat præsens periculum ne alteruter occideretur, aut mutilaretur. Quare à contrario sensu si non potuisset aduertere hîc & nunc esse tale periculum, non fuisset irregularis. Ex quo patet hoc c. immeritò contra nos citari.

c. vlt. de homicid.

83 Ad Iura igitur, ex quibus à contrario sensu argumentantur, Respondeo, Pontificem in illis addere eiusmodi conditionem, vt relictis minus certis, quod omnino certum erat definiret: vt in simili docet Suarez disp. 46. sect. 2. n. 5. Nec enim quouis loco debet quæuis definire. Vtrùm autem tales fuissent irregulares, si dedissent operam rei illicitæ, reliquit Doctoribus colligendum, aut ex ratione ob quam fertur irregularitas; aut ex aliis Iuribus, vt ex cap. *Quæsitum.* citato, ex c. *Ad aures.* 7. de ætate & qualitate ordinandorum. Vbi Pontifex à medico, qui multis putans esse causa salutis, fuerat causa mortis, interrogatus an posset sacris initiari, respondet absolutè in hac re videndam esse, vtrùm conscientia ipsum remordeat, quòd scilicet

Suarez.

c. Quæsitum. c. Ad aures.

scilicet temerè dederit medicinas periculosas, quæ mortem causarint. nihil distinguendo an dederit operam rei licitæ necne. Imò cùm iste fuerit Canonicus videtur dedisse operam rei illicitæ passim fungendo opera medici cum aliquo, vt patet, periculo ægrotantium, quod clericis non licet; & tamen decernitur non esse irregularis, nisi eum conscientia remordeat, quòd scilicet alicui culpabiliter fuerit causa mortis.

84 Nemo fit irregularis ex homicidio ipsi nullo modo voluntario.

Probatur concl. Secundò, quia canones non statuunt hanc irregularitatem, nisi ob homicidium aliquo modo voluntarium (quia aliàs nulla esset ratio cur furiosi, dormientes, dantes operam rei licitæ, & casu aliquem occidentes, non sint irregulares, quàm quia hoc iis non est voluntarium.) atqui ei qui talem adhibet inter operandum, quantumcumque aliàs illicitè, diligentiam, vt hîc & nunc nullo modo possit suspicari subesse periculum occidendi, mors casu secuta non potest dici voluntaria: ergo nec ipse erit irregularis.

Dices, tali homicidium esse voluntarium, quia facit rem ex qua sæpe potest sequi alterius mors. Sed contrà, non sufficit quòd ex hac re in genere natum sit sequi homicidium; sed quòd hîc & nunc natum sit sequi spectatis omnibus circũstantiis, quæ humanitus spectari possunt. Quòd si his omnibus spectatis non appareat actio hîc & nunc periculosa, nullo modo potest sic operanti imputari mors casu secuta, aut dici voluntaria. Et hunc casum nos ponimus. Idémq; dicendum quando subest quidem periculum mortis sed nulla ratione iniuriosæ. Vt quando aliàs necessariò morituro adhibetur à perito medicina periculosa, cum probabili spe salutis, qua tamen de facto mors nonnihil accelleretur. Nec enim hæc occisio vlla ratione potest dici voluntaria ei, qui necessitate quadam adigitur, vt eius periculo se exponat: & aliàs omnes medici irregulares essent.

85 Dices Secundò, posse Ecclesiam tales actiones vel omnibus, vel quibusdam personis prohibere, idque adiuncta pœna irregularitatis, si mors quocumque casu sequatur. Respondeo, etsi talis irregularitas esset statuta, hanc non fore homicidij; quod aduersarij tamen asserunt: sed alterius criminis; cùm homicidium verè non committatur.

Dicunt aliqui dici homicidij, quia non imponitur nisi hoc secuto. Sed contrà, sic si statueretur irregularitas fornicanti in aliqua domo casu quo eodem die aliquis in ea ipso omnino inscio occideretur: qui hoc casu fornicaretur, contraheret irregularitatem homicidij, quod videtur ridiculum. Respondeo Secundò, non sufficere posse talem ferri irregularitatem, nisi de facto feratur. quod nullo Iure probatur: cùm potiùs contrarium ex Iure colligatur, vt iam satis ostendi.

86 *c. vlt. de homicidio.* *c. Tua nos.* Præter Iura quibus à contrario argumentantur solent duo alia capita adferri, scilicet vlt. de homicidio, in 6. quod iam ostendimus nobis apertè fauere; & c. *Tua nos.* 19. de homicidio. Vbi agitur de monacho, qui rumorem in gutture mulieris sanandi causa fecerat, quæ paulò post contra eius præceptum ad messem egressa, vi venti & laboris rupto vulnere, multo emisso sanguine mortua est: dicitque Pontifex, talem si peritus erat chirurgiæ, debitámque diligentiam adhibuit, non ita improbandum, quin peracta pœnitentia possit cum eo misericorditer agi, vt valeat diuina celebrare. Sed hoc caput pro illis nihil, pro nobis aliquid probat. Primò, quia, vt irregularitas dicatur Iure expressa (quod tamen requiritur vt ea incurratur) non sufficit, quòd ex eo possit obscurè colligi, vt *Suarez* Suarez sæpe testatur, & per se patet ex vi, & communi acceptione verbi *expressa*. Secundò, quia si hoc caput aliquid contra nos probaret, etiam probaret esse irregularem, qui alteri leuissimum vulnus inflixisset, si chirurgus tale apponeret emplastrum, quod alteri mortem aut mutilationem causaret; aut si læsus labore vel casu vulnus ita exasperaret, vt mors sequeretur. quod tamen nemo dixerit. Et videtur apertè repugnare c. *Exhibita.* 22. de homicidio. Sequela probatur; quia mulier nullum incurrisset periculum, nisi labore & vento vulnus perrupisset contra alterius monitionem. *c. Exhibita.*

Quòd autem hoc Ius pro nobis faciat; probatur; 87 quia Pontifex ait talem posse celebrare, si peritus omnem diligentiam adhibuerit, & culpa mulieris mors acciderit: alioqui si imperitus aut negligens fuerit ab altari amouendum. Clarè indicans fore irregularem, si qua ratione sua temeritate fuerit causa mortis: aliàs non. Quare Soto l. 5. de Iustit. q. 1. a. 9. ait illum monachum non fuisse irregularem. *Soto.*

Nec refert quòd dicatur in eo, misericorditer cum eo agi: quia per hoc aut significatur pœnitentiam, quæ ipsi ob vsurpatum officium prohibitum erat iniungenda, posse contrahi: aut de rigore posse diutiùs ob eam culpam ab altari arceri. Similiter c. 1. de corpore vitiatis, dicitur cum eo qui in duello partem digiti amiserat posse misericorditer agi, & peracta pœnitentia permitti ministrare; cùm tamen talis præsertim ante Trident. non fuerit irregularis; vt ibidem apertè significatur. Et c. 1. de clerico pugnante in duello apertè significatur tales non incurrere vllam irregularitatem, aut Suspensionem: sed solùm de rigore iuris mereri vt deponantur; ita tamen vt in potestate Episcopi sit in hac re dispensare iis dictam pœnam non infligendo. Item cap. vlt. de bigamis, dicitur Episcopum posse dispensare vt possit fungi suo officio sacerdos, qui habuit plures concubinas, sicut cum notato de simplici fornicatione; cùm tamen neuter sit irregularis, aut propriè dicta dispensatione indigeat. Ex quibus patet multos sine fundamento semper ex similibus inferre aliquem incurrisse irregularitatem. *c. 1. de corpore vitiat.* *Trident.* *c. 1. de clerico pugn.* *c. vlt. de bigamis.* Ex eo quòd in Iure dicatur cum aliquo misericorditer agi vt possit Ordinem exercere, non sequitur cum esse irregularem.

Conclvs. II. Debet hæc culpa esse mortalis præcisè ratione periculi, cui occidens voluntariè se exponit. Quia ob hanc præcisè incurritur hæc irregularitas: quæ quando ob culpam fertur, requirit mortalem, cùm sit grauis pœna. Secundò, quia aliàs actus in ratione homicidij esset nimis imperfectè voluntarius; & vix humanus ob imperfectam valdè aduertentiam, quæ ipsum veniale reddit. Colligitur apertè ex c. *Quæsitum.* cirato & explicato n. 82. 88 *c. Quæsitum.*

Conclvs. III. Non est irregularis, qui cum moderamine iustæ tutelæ occidit alterum in defensionem innocentis, præsertim sibi propinqui. Quia hæc occisio est omnino inculpata, & quodammodo necessaria, & consequenter inuoluntaria, vt benè probat P. Lessius cap. 9. de Iustit. dub. 13. quæ magis infrà probabuntur. Occidés vt proximũ. *Lessius.*

Conclvs. IV. Idem dicendum de occidente cum moderamine iustæ tutelæ conantem sibi pudicitiam, honorem, aut bona temporalia magni momenti eripere. Ita Suarez disp. 46. sect. 2. cum aliis. 89 aut proprias fortunas defendat, non est irregularis. *Suarez.* *Lessius.*

Probatur, quia id fit sine vlla culpa, vt docet P. Lessius c. 9. de Iustitia, dub. 11. & 12. Hæc autem irregularitas cùm sit pœnalis, non incurritur nisi ob culpam. Confirm. Primò, quia qui per iudicem ob aliqua sibi ablata repetit, non fit irregularis, etsi sciat illum ideo plectendum morte, vt patet ex c. *Postulasti.* 21. de homicidio, & cap. 2. de homicidio, in 6. atqui hic moraliter loquendo, non minùs est causa mortis quàm alter: ergo, &c. Ex quibus ita argumentor: Vel hæc irregularitas esset sic occidenti statuta propter culpam, & tunc nemo eam incurret, qui non peccat mortaliter; vt iam sæpe ostendi, vel ob defectum lenitatis, & tunc eam non minùs incurret is qui vt sua defenderet, furem accusando ei esset causa mortis (vt patet in iis qui aliam ob causam accusant) quàm qui cum per se cum iusta moderatione occiderit: atqui ille *c. Postulasti.* *c. 2. de homicid.*

non est irregularis vt iam ostendi: ergo nec hic. Confirm. Secundò, ex c. *Dilectio.* 6. de sent. excommunic. in 6. vbi approbatur factum Decani Aurelianensis, qui quendam Baliuum bona sua inuadentem armis repulerat, nec vlla fit mentio irregularitatis incursæ aut incurrendæ ratione homicidij probabiliter in illa pugna cõmissi: & redditur ratio, quia omnia iura permittunt vim vi repellere. vnde clarè patet defendentem sua bona vim vi repellere, & hoc etiam clericis permitti, & consequenter nulla irregularitate puniri.

c. Dilectio.

c. Suscepimus. c. Significasti.

Nec his obstat quòd cap. *Suscepimus.* 10. & cap. *Significasti.* 18. de homicidio, dicuntur quidam irregulares qui fures pro rebus suis seruandis occiderunt; quia excesserunt moderationem, cùm non fuerit vlla ratione necessaria occisio pro rebus seruandis, vt patet ex textu.

90 Hinc Patet, Primò, quod dicitur cap. 2. de homici-

c. de homicid.

dio, *Si te tuáque liberando eiusmodi diaboli membra interfecisti*; intelligendum disiunctiuè, *Te vel tua liberando.*

c. Verum.

Sicut quando c. *Verum.* de iureiurando, dicitur absolnendus à iuramento, qui id inuitus emisit pro vita & rebus seruandis. sufficit enim quòd id pro rebus seruandis emisit: & aliàs non liceret solam vitam defendere, nisi simul res impertentur.

Patet Secundò, quando aliquis inquè inuadit aliquem nobilem, aut alium qui sine notabili dedecore non potest fugere, si hic illum cum moderatione iustæ tutelæ occidat, non esse irregularem, etsi fugiendo possit certò mortem euadere. Quia, cùm ad hoc cum tanta sua ignominia non teneatur, non peccat alterum ita occidendo. Secùs autem est in viro Ecclesiastico. Cùm enim hic sine vllo dedecore possit fugere, si hoc modo omnino credat se posse periculum euadere, ad hoc tenetur, & consequenter occidendo, aut mutilando peccat, & fit irregularis. Vide Lessium de Iust. c. 9. dub. 12. & Suarez disp. 46. sect. 1. n. 5. qui ibid. n. 12. bene docet, eum qui per adulterium, aliámve grauem iniuriam alteri causam dedit se inuadendi, teneri fugere, si sine notabili vitæ periculo possit, quia sibi imputare debet, quòd in fugiendo aliquam ignominiam subeat, cui suo scelere iustam occasionem dedit.

Lessius. Suarez.

DVBIVM X.

De irregularitate ob defectum lenitatis, quæ à ministris iustitiæ aut militibus contrahitur.

91 Alium ad mortē condemnās est irregularis.

c. 1. d. 51. c. 2. ne clerici vel. c. 2. de homicid.

CONCLVSIO I. Quicumque aliquem ad mortem condemnat, hac secuta fit irregularis, c. 1. d. 51. c. 2. ne clerici vel monachi, in 6. c. 2. de homicidio, in 6. quibus locis hæc irregularitas non tam statuitur, quàm statuta supponitur.

Secùs de Principe qui alteri causæ cognitionem committit, aut leges capitales condit, aut qui tradit reum brachio sæculari.

Nota hanc irregularitatem non incurrere Principem ciuilem aut Ecclesiasticum qui statuit iudices, aut alicui in genere, aut etiam in facto particulari cõmittit cognitionem & iudicium criminis capitalis: secùs si committeret solam executionem sententiæ latæ, quia tunc directè iuberet occidi; nec etiam qui in genere iudices ad faciendam iustitiam hortatur, etiáſi sciat mortem reorum secuturam. Patet ex duobus capitibus citatis ex 6. Multóque minùs eam incurrit, qui fert leges quibus statuitur certis criminibus pœna mortis. Similiter eam non incurrunt iudices Ecclesiastici, qui degradatum, aut alium hæreseos condemnatum brachio sæculari tradunt; debent tamen pro eo intercedere, ne plectatur morte, non tam vt mortem impediant (quod sæpe sciunt licitè fieri non posse) quàm vt ostendant se ex parte sua eam non quærere,

c. Nouimus.

c. *Nouimus.* de verb. signific.

92 CONCLVS. II. Similiter morte secuta irregulares sunt, qui efficaciter in mortem rei directè influũt siue concurrendo ad sententiæ capitalis latione, vel eius executionem, c. 1. d. 51. tales sunt accusatores, testes, aduocati in causis criminalibus; item notarij sententiam dictantes, scribentes, recitantes, aut eidem subscribentes; secùs est de famulis, qui eam excipiunt, quia nullam auctoritatem ipsi addunt, & consequenter nec in eam influunt. Auila p. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 1.

Qui efficaciter in rei mortē influunt, sunt irregulares.

c. 1. disp. 15.

Auila.

Item tortores & lictores physicè ad mortem concurrentes, extruentes focum, quo viui comburendi sunt, & similes. Non tamen ij qui ligna, gladios, funes, &c. vendunt, quibus alios interficiendos sciunt, quia nimis remotè concurrunt, imò nec faber qui furcam erigit. Limitat hoc Auila sup. *nisi erigeret pro aliquo in particulari.* Putarem potiùs limitandum: nisi tanquam officialis iustiæ ex officio id faciat. nam communis faber nimis remotè concurrit, imò multò remotiùs quàm Princeps, qui committit iudici exactionem particularis causæ, quam scit esse capitalem: quem constat non esse irregularem. Idem dicendum de vendente tortori gladium, aut arma militi euntiad bellum; multóque ampliùs de eo, qui comburendo impetraret mortem leniorem & celeriorem. quia hîc est potiùs abundantia quàm defectus lenitatis.

Secùs de iis qui remotè ad eam cõcurrunt.

Auila.

Dixi, *qui directè sunt causa.* quia secùs est de iis, qui tantùm indirectè sunt causa mortis; qualis est Primò, qui accusat eum à quo iniuriam passus est, aut in persona & bonis propriis, aut eorum qui ipsi commissi sunt, aut ita propinqui sunt, vt eorum iniuria censeatur ad ipsum pertinere, quales sunt parentes, filij, fratres; modò id faciat vt ablata recuperet, aut iniuriam imminentem auertat, aut se suósque in posterum tutos præstet. Habetur expressè c. 2. de homicid. in 6. vbi præcipitur vt clerici protestentur se non petere iudicium sanguinis: quam protestationem etiam in laicis ita accusantibus requiri probabilius est. Nec refert quòd interiùs fortè desiderent vindictam. quia, etsi desiderium hoc possit esse peccatum, tamen est impertinens ad hunc effectum, quamdiu exteriùs non ostenditur; quia nulla ratione influit in mortem rei. Vide Suarez disp. 47. sect. 2. 4. 5.

93 Accusans vt sua defendat non est irregularis.

c. 2. de homicid. in 6.

Suarez.

94 Secundò, idem dicendum de quouis accusante, quatenus hoc est hîc & nunc necessarium ne innocens graue damnum incurrat. quia hîc est mera defensio innocentis cum moderatione iustæ tutelæ, ex qua non incurritur irregularitas, vt dixi dub. 9. concl. 2. Distinguit verò Suarez sup. num. 16. inter accusantem in causa propria & aliena: quòd ille non fiat irregularis, etsi aliter se posset præstare indemnem, & quamuis nullum in particulari immineat illi vlteriùs damnum, sed sufficit iniuriam esse illatam cum probabili præsumptione aliquando adhuc inferendam esse. Hic verò fiat, nisi accusatio sit omnino necessaria ad damnum particulare auertendum. quia hic non aliter excusatur, quàm quia ad innocentem defendendum quodammodo cogitur inuitus accusare, ideò mors secuta potest reputari ipsi omnino inuoluntaria; alteri verò singulari legis priuilegio hæc accusatio absolutè conceditur.

95 Terriò, idem esset dicendum de aduocato & teste necessariis vt vtraq; accusatio habeat debitum effectũ. tum quia in his eadem ratio; tum quia cui conceditur aliquid, censentur etiá concedi ea omnia, quæ ad hoc necessaria sunt, ne concessio sit inutilis. Vnde sequitur reum se licitè defendentem, eiúsque aduocatum & testes non esse irregulares, etsi accusans deficiès in probatione puniatur morte; imò etsi vt contra eum excipiant vera crimina ei obiiciãr, ob quæ plectatur morte, quando id ad iustam defensionem est omnino necessarium, & modò ipsi apertè ostendant se nullo modo petere alterius sanguinem: secùs esset si alia ratione possent periculum euadere. Suar. disp. 47. sect. 4. n. 8.

Suarez.

Dubium

96 An coactus dicere testimonium in causa sanguinis sit irregularis.

Dubium verò est inter DD. vtrùm qui obligatus præcepto iudicis agentis merè criminaliter contra reum, aut graui metu coactus fert testimonium ex quo sequitur alterius mors, fiat irregularis. Multi affirmant, sed non probant. Quare quidam viri docti putant contrarium esse verius, saltem quando testis apertè protestatur se hoc inuitum facere, nec alterius mortem petere. Primò, quia hic directè tantùm seipsum tuetur à damno corporis vel animæ, quo casu ne quidem fit irregularis alium occidens sua manu. Secundò, quia hæc irregularitas deberet incurri ob defectum lenitatis (gratis enim fingitur omnis alia indecentia.) atqui hic nullus est defectus lenitatis, quia hic solùm reperitur in voluntariè occidente: sicut faciunt ministri iustitiæ qui sponte talia officia retinēt, quæ eos quandoque ad occisionem obligant; hic autem omnino inuolùtariè ad alterius mortē concurrit.

Confirmatur, quia confessarius potest iudici nolenti condemnare reum, quando ad hoc manifestè sub peccato mortali tenetur, sine periculo irregularitatis dicere se eum non absoluturum nisi proponat facere id ad quod secundùm ius tenetur, etiamsi hoc modo sit futurus causa cur reus plectatur, vt cum aliis docet Auila par. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 6. concl. 4. Quia confessarius hoc faciendo per se solùm suæ ac pœnitentis conscientiæ prospicit, ad quod tenetur, ex quo per accidens sequitur alteri mors. Quod multò potiore ratione videtur dici de tali teste, qui per se solùm suæ indemnitati prospicit. Quid tamen hac in re dicendum sit ob multorum sententiam contrarium non ausim definire.

Auila.

97 Hortantes ad iustam pugnā non sunt irregulares. c. 7. 8. 9. 23. q. 8.

CONCLVS. III. Qui in bello iusto & offensiuo alios hortantur generatim ad pugnādum (quod etiam clericis licet, vt DD. communiter colligunt ex c. 7. 8. 9. 23. q. 8.) imò etsi hortentur in genere ad occidendum, modò non excitent ad occidendum aliquem in particulari: item qui in eo pugnant etsi clerici sint & percutiant, non fiunt irregulares, nisi aliquem occidant aut mutilent. tantùm enim tunc contrahunt irregularitatem ob defectum lenitatis. Patet ex c. *Petitio.* de homicidio. 24. & communi praxi & DD. sensu. vide Suarez disp. 47. sect. 5.

c. *Petitio.*

Suarez.

Dixi, *in bello offensiuo.* quia qui in bello merè defensiuo occidit, non fit irregularis, quando id est necessarium ad patriæ aut reipublicæ defensionem; tunc enim etiam clericis hæc licent, vt colligitur ex c. 2. de immunitate Ecclesiarum. Et patet ex dictis dub. 9. concl. 3. & 4. quia hîc est vera defensio innocentis.

l. 2. de immunit.

98 Ad pugnā iniustam hortantes, in eâve pugnantes sunt irregulares.

Dixi, *in bello iniusto.* quia communiter DD. dicunt, omnes adhortantes ad bellum iniustum, aut in eo pugnantes; imò custodientes pugnantium sarcinas contrahere irregularitatem homicidij; aut voluntarij, si aliqui ex parte hostium occidantur; aut casuales, si tantùm aliqui ex eorum parte occidantur. quia omnes sunt vna causa moralis, quia se mutuo excitant. Sed quamuis hoc inter ita paucos, vt se mutuo omnes videre vel audire possint sit communiter verum; quia omnes se mutuo animant: quando tamen sunt multa millia videtur valdè difficile intelligere, quomodo singuli quosuis occidentes aut mutilantes ad hoc animent, cùm multi sint qui eos nec videre nec audire possunt. & difficulter intelligitur quomodo quis hîc & nunc possit ad pugnam ab aliquo excitari, quem nullo sensu percipit, imò de quo nullo modo cogitat. Quare putarem hæc limitanda iuxta ea quæ docet P. Lessius de Iustit. c. 13. dub. 4. n. 35. &c. vt iidem dicantur irregulares facta occisione, qui ibi dicuntur debere restituere. paucos tamen hîc dixero etiam 50. vel etiam 100. quia possunt omnes se mutuo animare. Illi verò à quorum parte aliquis occiditur soli videntur esse irregulares, qui fuerunt occiso causa cur hîc & nunc pugnarit, quia illi soli sunt causa mortis. Vnde sequitur, ducem belli iniusti semper esse irregularem, quoties ab alterutra parte aliquis occiditur. In dubio autem vtrùm quis sit causa mortis, censetur irregularis, iuxta dicta supra dub. 2. n. 23.

Lessius.

DVBIVM XI.

De irregularitate proueniente ex bigamia.

99 *1. Timoth. 3.*

NOtā constare ex Apostolo 1. ad Timoth. 3. & titulo de bigamis, omnem bigamum esse irregularem non propter culpam quæ nulla est sed ob defectum significationis. quia eius matrimonium non potest significare matrimonium Christi cum Ecclesia, scilicet vnius cum vna.

Bigamia triplex.

Nota Secundò, bigamiam esse triplicem. Prima est vera, quando quis validè contraxit cum duabus & consumauit. Et de hac nulla est dubitatio. Secunda est interpretariua, quæ varia est. Primò, quando quis contraxit cum aliqua, quæ ab alio quàm ab ipso est cognita, c. *Curandum.* d. 34. Secundò, quando quis cognouit vxorem suam post commissum ab ea adulterium, c. *Si laici vxor.* & c. *Si cuius vxorem*, d. 34. Videtur tamen ibi requiri vt adulterium sit notorium, vel saltem in iudicio probabile: DD. tamen aiunt communiter sufficere etiam occultum. Tertiò, quando constitutus in sacris contrahit secundas nuptias, aut cum vidua, quantumuis inualidè, c. *Nuper.* & c. vlt. de bigamis.

c. *Curandum.*

c. *Si laici.* c. *Si cuius.*

c. *Nuper.* c. *vlt. de bigamis.*

110

Difficultas autem hîc est, vtrùm laicus bis contrahens, sed cum altera vel cum vtraque inualidè, aut inualidè contrahens cum vidua, fiat irregularis? Quidam hoc in omnibus his casibus affirmant: alij in quibusdam, in aliis negant. Sed nulli Ius aliquod adferunt, quo vllo ex his casibus irregularitatem contrahi clarè probetur. Nam capite *Nuper.* & cap. vltim. de bigamis, quæ communiter adferri solent, loquuntur expresè de constitutis in sacris in quibus est specialis turpitudo, & ex alio capite irregularitatem contrahunt. Nec refert quòd illi dicantur irregulares propter affectum intentionis, scilicet contrahendi cum opere subsequuto: quæ ratio etiam in laicis militat, quia est limitata ad personas de quibus fit mentio. Dices, Can. 18. Apostolorum dicitur non posse ordinari, qui electam (siue, vt alij Canones loquuntur, dimissam) duxerit, idémq; can. 19. dicitur de eo qui duas sorores duxerit; cùm tamen hæc matrimonia non possint esse valida. Sed nec hæc Iura quidquam probant. nam apertè statuunt has irregularitates, vel in pœnam talium criminum, vel ob infamiam quæ inde sequitur: nam idem statuunt de eo, qui anicillam aut filiam fratris duxit. Quare hac in re non alia inducenda est irregularitas, quàm quæ communi omnium Doctorum sententia recepta est, & quantum per eam licet restringenda.

c. *Nuper.* c. *vlt. de bigamis.*

101 *Auila.* Laicus cō trahens bis inualidè, non est irregularis, c. *Nuper.*

Hinc sequitur Primò, veriorem videri sententiam Auilæ p. 7. disp. 8. dub. 1. & 2. & aliorum non esse irregularem laicum qui contrahit duo matrimonia vel vnum cum vidua inualidè: tum quia nullo Iure expressum est; tum etiam, quia c. *Nuper.* citato, Pontifex tanquam absurdum affert, *esse bigamum qui nullam vere contrahit matrimonium*, etsi tentauerit contrahere: quod tamen ex contraria sententia sequitur.

Sequitur Secundò, probabilem esse sententiam Henri. l. 12. c. 6. n. 9. vbi alios citat, & Viualdi de irregularitate ex bigamia n. 8. vbi citat Grisaldum, scilicet fictè contrahētem secundum matrimonium, aut cum vidua, non esse irregularem, cùm propter rationes quas ibi adferunt; tum quia Pontifex c. *Nuper.* citato, ad hanc irregularitatem requirit, vt quantum in ipsis est contrahant validè, quod de tali dici non potest. nihil autem facit ad rem quòd grauissimè peccent.

Henriquez. Viuald. Grisald.

Fictè secundò contrahens nō est irregularis.

Laicum secundò invalidè contrahentem esse irregularem.

Sequitur Tertiò, non satis ex Iure probari, laicum contrahentem secundum matrimonium inualidè ob alium defectum, fieri irregularem; tamen quia communis est sententia non facilè ab ea recedendum.

102 Tertia est similitudinaria, quando quis post votum solemne castitatis contrahit matrimonium etsi inualidum & cū virgine, c. *Quotquot.* 27. q. 1. Quidam tamen aiunt hoc solùm habere locū in Religioso, volúntq; sæcularem initiarum sacris ita contrahentem solùm incurrere Suspensionem, quia c. *Quotquot.* citatum, videtur loqui de Religiosis; probabilius tamen est etiam talem clericum esse irregularem, & Episcopum posse cum eo dispensare, c. 1. Qui clerici vel vouentes. hoc tamen intellige, si sponte ad pœnitentiam redierit, & laudabiliter vixerit: nam si nonnisi coactus & compulsus à sacrilegis nuptiis destiterit, Episcopus non potest cum eo dispensare, nisi Religionem ingrediatur. Et sic cum Suarez disp. 49. sect. 6. n. 7. caput citatum cum secundo eodem titulo concilia. Vbi etiam cum Auila p. 7. disp. 8. dub. 4. & aliis à fortiore infert, Episcopum posse dispensare in bigamia similitudinaria à Religioso contracta, si ad Religionem redeat.

c. Quotquot.

c. 1. Qui clerici vel vouenti.

Suarez.

Auila.

Nota Tertiò, neminem per vilum matrimonium fieri bigamum, nisi consummatum perfecta copula sit. Nec eum qui duxit alteri priùs nuptam sed incognitam, c. *Debitum.* de bigamis.

c. Debitum.

Nota Quartò, hanc irregularitatem incurri à baptizato per matrimonia ante baptismum contracta, c. *Si quis viduam.* d. 24.

c. Si quis.

Nota Quintò, in petenda dispensatione sufficere dicere aliquem contraxisse bis, etsi contraxisset quarto. Auila suprà.

Auila.

DVBIVM XII.

De irregularitate ex defectu natalium?

103 Illegitimus est irregularis, c. 1. de filijs presbyt. Quinā sint illegitimi.

HAc in re certum est omnem illegitimum esse irregularem, nisi fiat Religiosus. tunc enim potest ad omnes Ordines promoueri; non tamen ad prælaturam, c. 1. de filiis presbyterorum. Dubium autem est quinam dicantur illegitimi ad hunc effectum.

CONCLVS. I. Illegitimi sunt nati à parentibus inter quos tunc nullum erat matrimonium.

Excipitur natus à parentibus qui publicè contraxerunt inualidè ob occultum impedimentum, si modò alteruter parens bona fide contraxerit: talis enim absolutè reputatur legitimus, c. *Cùm inter*, c. *Ex tenore.* qui filij sint legitimi. Secùs esset si clam contraxissent, aut vterque parens sciuisset impedimentum, c. *Cùm inhibitio.* §. *Si quis.* de clandestina desponsar.

c. Cùm inter.

c. Ex tenore.

c. Cùm inhibitio.

Clandestinum autem matrimonium dicitur ad hunc effectum, quod etiam coram Parocho & duobus testibus contrahitur, si fine dispensatione omittantur denuntiationes ab Ecclesia adhiberi solitæ ad impedimenta cognoscenda, quia Pontifex ibi §. sequenti vocat etiam clandestinum cui Parochus interest. Apertè id etiam insinuat Trident. sess. 24. cap. 5. de reform. matrim. & citatis aliis fusè probat Sanchez lib. 3. disp. 42. num. 6. quamuis quidam alij contrarium sentiant. Vide hac de re plura infrà disp. 2, dub. 9.

Trident. Sanchez.

104 CONCLVS. II. Proles suscepta ex valido matrimonio quantumcumque illegitimè contracto, etiamsi contra vorum simplex vtriusque parentis, aut post illegitimam alterius parentis ordinationem aut professionem suscepta sit, est legitima: quia nullo iure hæc probatur illegitima, v. c. si aliquis contracto validè matrimonio inuita vxore initietur sacris, aut post matrimonium consummatum in Religione profiteatur, non seruatis iis quæ Ius præscribit: quo casu professio nulla est, & in vtroque casu cogitur ad vxorem redire, & proles ex iis suscepta est legitima, vt omnes fatentur: secùs si suscipiatur post legitimam parentis ordinationem aut professionem, vt patet ex cap. *Literas.* de filiis presbyterorum, maximè si id integrum referatur, vt videre est apud Suarez disp. 50. sect. 2. n. 5. quanquam aliqui sentiant etiam hanc legitimam esse; at sententia nostra est multò communior & vera, vt fusè docet Suarez.

c. Literas.

Suarez.

CONCLVS. III. Proles nata illegitima per subsequens matrimonium inter parentes validè contractum fit absolutè legitima, nisi dum suscipiebatur, inter parentes impedimentum dirimens intercederet ea. *Tanta.* qui filij sint legitimi. quòd si tamen illud impedimentum ante natiuitatem fuerit sublatum; Sanchez lib. 8. disp. 7. num. 19. cum multis aliis putat prolem per subsequēs matrimonium legitimari. quod est probabile ob DD. auctoritatem, contrarium tamen de rigore est verius. vt Suarez disp. 50. sect. 1. n. 3. Si verò impedimentum superueniret post conceptionem ante natiuitatem, eo sublato per subsequens matrimonium proles legitimaretur.

105 Proles naturalis per subsequens matrimonium legitimatur.

c. Tanta.

Sanchez.

Suarez.

Nota, quando dubitatur an aliquis sit legitimus; talem esse reputandum, quia defectus non imputatur nisi probetur. Hinc expositiij possūt se reputare legitimos, cùm etiā propter paupertatem sæpe exponantur. Henriq. de irregul. c. 8. in glossa lit. K. ait Gregor. XIV. in quadam Bulla hoc statuisse.

Expositiij ordinari possunt.

Henriquez. Greg. XIV.

Nota Secundò eum, qui publicè præsumitur legitimè natus, non teneri credere matri dicenti esse illegitimum, nisi id aliæ circumstantiæ probant. Vide P. Lessium, de Iustitia cap. 10. n. 51. si tamen credat, non potest suscipere Ordines.

Lessius.

DVBIVM XIII.

De irregularitate ob defectum corporis vel animi.

CONCLVS. I. Quid ob aliquem defectum corporis vel animi non potest aut absolutè, aut non sine periculo, aut scandalo aliorum exercere functiones alicuius Ordinis, fit respectu illius irregularis, c. 2. de clerico ægrotante. Hinc amens aut omnino illiteratus ad omnes Ordines, & quisque ad eum respectu cuius non habet sufficientem scientiam, est inhabilis: de qua vide Trid. sess. 23. c. 4. 13. & 14. de ref. Item mutus, cœcus, carēs manu, pollice, altero oculo, naribus, &c. leprosus aut fœdo aliquo morbo laborās, ita mancus vt sine fulcris altari astare non possit, &c. sunt irregulares. Item ad sacerdotium inhabiles qui pollicem aut anteriores digitos ita habent inhabiles, vt sine periculo hostiam tenere aut frangere, aut calicem eleuare non possint. Si tamen defectus ordinato superueniant, tantùm prohibent eum Ordinis vsum, quem sine scandalo aut periculo exercere non potest. Hinc sacerdos cœcus poterit audire confessiones.

106 Quinam illiterati aut inūtili irregulares sint.

c. 2. de clerico ægr.

Trident.

CONCLVS. II. Qui semel arreptus fuit à demone, aut in furiam incidit ratione dispositionis organorum cerebri, nunquam ordinari potest, c. 3. 4. 5. d. 33. si tamen post ordinationem in furiam vel epilepsiam incidat, poterit ministrare postquam iudicio prudentium & præsertim Episcopi sufficienter censetur curatus, vt sine periculo ministrare possit. Phrenesis autem ex subita vi morbi orta statim ac transiit, nullam inducit irregularitem.

107 Arreptitius aut furiosus est irregularis.

CONCLVS. III. Defectus aut carentia membri non inducens magnam deformitatem aut impedimentum ad functiones Ordinum, nullam etiam inducit irregularitatem, c. 3. 5. 7. de corpore vitiatis: multi tamen putant talem fore irregularem, si hic defectus aliqua ipsius culpa acciderit, sed hoc non est vniuersaliter

108

c. 3. 5. 7. de corp. vit.

tersaliter verum, sed tantùm quando ille defectus ipsi in se vel in causa fuit voluntarius : ita vt moraliter loquendo possit dici se ipsum truncasse. Vide dicta n. 64. 65. 66. 74.

Carens ductibus. *Navarr. Henriquez, Avila.*

Vtrùm autem sit irregularis qui sine sua culpa aures perdidit, non conuenit inter DD. Nauar. cap. 27. n. 223. affirmat. at P. Henriq. l. 14. c. 8. n. 3. negat, quod cum P. Avila p. 7. disp. 3. dub. 1. puto probabile quando crinibus aut simili ratione ille defectus ita potest tegi, vt non appareat, quia cessat deformitas.

Conclvs. IV. Serui ordinari non possunt, nisi priùs à dominis manumittantur, quòd si domino sciente, nec contradicente seruus ordinetur, hoc ipso fit liber: si ipso inscio initietur sacris, fit liber, sed Episcopus si fraudis sit conscius, aut alius eum præsentans, tenetur domino duplum restituere, c. *Nulli*, c. *Seruus sciente*. c. *Si seruus absente*. d. 54.

a. Nulli. b. Si seruus sciente. c. Si seruus absente.

DVBIVM XIV.

Quomodo tollatur irregularitas?

109 Conclvsio I. Quæ posita est ob merum aliquem defectum conditionis requisitæ, v. c. ob defectum ætatis, scientiæ, libertatis, his acquisitis tollitur per se. quare aliqui volunt hîc non esse propriè dictam irregularitatem.

Conclvsio II. Nulla proprie tollitur per baptismum quia antè nulla contrahitur; quæ tamen fertur ob aliquod crimen, aut qualecumque homicidium, requirit vt ea sint facta post baptismum : secùs de ea quæ incurritur ob bigamiam, c. *Si quis viduam*, d. 34. & 50.

b. Si quis.

110 Conclvs. III. Professio Religionis approbatæ tollit irregularitatem ob defectum natalium, c. 1. de filiis presbyterorum. Soto verò d. 25. q. 1. a. 3. concl. 1. sub finem, cum quibusdam aliis ait consuetudinem obtinuisse, vt tollat etiam omnem irregularitatem, excepta ea, quæ contrahitur ex homicidio voluntario & bigamia: sed aliis hoc communiter improbatur, faciliorem tamen reddit dispensationem. ita ex c. 2. qui clerici vel vouentes, colligunt DD.

c. 1. de filiis. Soto.

c. 2. qui clerici.

Conclvs. IV. Potest Papa cum omni irregulari etiam bigamo dispensare. quia omnis irregularitas vt summum inducta est præcepto Apostolico. sæpe tamen nullo modo expedit : quia fieret cum graui scandalo aut indecentia, vt in fœdè leprosis, aut omnino illiteratis : communiter verò requiritur aliqua causa vt omnino licitè fiat.

Conclvs. V. Episcopus per Tridentin. sess. 24. c. 5. de reform. potest dispensare in omni irregularitate proueniente ex crimine occulto, etiam mutilatione voluntaria, vt declarauit congregario Cardinalium, teste Suarez disp. 44. sect. 2. n. 4. excepto homicidio voluntario. Avila p. 7. disp. 3. dub. 7. cum aliis hoc extendit ad eam quæ prouenit ex defectu natalium occulto : quia hæc prouenit ex delicto parentum occulto. quod non est improbabile, eo quòd potestas dispensandi in Episcopo sit fauorabilis & amplianda ; contrarium tamen de rigore videtur verius. talis enim irregularitas contrahitur purè ex defectu natalium, nam etsi parentes talem, v. c. in amentia concipiendo non peccassent, nihilominus fieret irregularis. 111 *Trident.* *Suarez, Avila.*

Potest etiam Episcopus dispensare in homicidio casuali occulto : quale etiam reputatur commissum in sui defensionem excedendo moderationem iustæ tutelæ, aut etiam ex subita ita commissum. tale aiunt multi etiam reputari commissum per legitimam potestatem, quoad hanc dispensationem attinet : sed quantum ad hoc, contrarium de rigore verius est. In his omnibus tantùm possunt dispensare, qui ex priuilegio possunt dispensare in omni irregularitate contracta ex homicidio voluntario aut bigamia.

Conclvs. VI. Potest Episcopus dispensare cum illegitimo ad Ordines minores & Beneficium simplex, cap. 1. de filiis presbyterorum, excepto canonicatu Ecclesiæ cathedralis, qui requirit Ordinem sacrum. Trident. sess. 24. cap. 12. Qua ratione autem Episcopus possit dispensare in bigamia similitudinaria, vide dicta n. 102. 112 *c. 1. de filiis. Trident.*

Conclvs. VII. Qui multa commisit delicta ob quæ incurrit irregularitatem, si sint eiusdem rationis, v. c. si excommunicatus sæpiùs celebrauit; in petenda dispensatione sufficit vnum exprimere : secùs si essent diuersæ rationis, v. c. si violasset censuram, & commisisset homicidium, aut multis censuris irretitus celebrasset : tunc enim totum narrandum esset. Avila p. 7. disput. 10. dub. 8. Nauar. in addition. ad cap. 27. n. 32. vbi allegat stylum curiæ. P. Henriquez l. 14. c. 7. num. 5. Sed hi tantùm in priore casu adferunt exemplum in eo qui sæpiùs celebrauit excommunicatus. quod certum esse credo. In homicidio tamen cum peccato perpetrato puto hanc conclusionem pati exceptionem. qui etiam plures homines occidit, videtur plures irregularitates contrahere, vt docet Suarez disp. 44. sect. 3. n. 28. *Avila. Nauarr. Henriquez. Suarez.*

DISPVTATIO XIX.

DE EXTREMA VNCTIONE.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm Extrema vnctio sit Sacramentum?

1 *Valdenses, Albigenses, Vuiclef. Hæretici.*

Negarvnt hoc Primò, Vvaldenses & Albigenses, deinde Vviclef, demùmque omnes nostri temporis hæretici.

Trident. Iacobi 5.

Concl. De fide est Extremam vnctionem esse propriè dictum legis nouæ Sacramentum, à Christo institutum, ac à D. Iacobo promulgatum. Ita Trid. sess. 14.

Probatur Primò, ex Scripturis. Iacobi 5. *Infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* Habemus hîc omnia ad essentiam Sacramenti requisita. Primò, ritum externum scilicet vnctionem olei cum deprecatione sacerdotis, quibus materia & forma Sacramenti describuntur. Secundò, habemus hunc ritum stabiliter institutum, quia Apostolus generatim dicit inducèdos presbyteros super ægrotantes. Loquitur enim Apostolus non tantùm tunc viuentibus, vt volunt hæretici, sed generatim omnibus Christianis: vt patet ex

antecedentibus & consequentibus; quæ tam ad nos spectant, quàm ad eos qui tunc viuebant. nec vllum est indicium, ex quo colligatur illa verba Apostoli ad præsentes restringi. Tertiò, est expressa promissio gratiæ his verbis, *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Vnde vlteriùs patet, hoc Sacramentum à Christo esse institutum: quia, sicut Apostoli non possunt per se conferre gratiam, ita non possunt eam certis ritibus annectere. Apostolus autem certò & absolutè promittit remissionem peccati hoc ritu legitimè vtenti: quod numquam fecisset, nisi ipsi illa fuisset à Christo annexa. Confirm. quia Apostolus iubet eos vngi *in nomine Domini*, quod idem est ac ritu à Domino instituto, vt patet ex Act. 10. & 19. vbi aliqui dicuntur baptizati *in nomine Domini*, hoc est, baptismo à Domino instituto. Supradicta autem ad essentiam Sacramenti sufficere etiam hæretici fatentur.

Hoc Sacramentum à Christo esse institutum.

Act. 10. & 19.

2 Obiiciunt hæretici Primò, Epistolam hanc non esse sacram Scripturam. Sed hoc est contra omnem antiquitatem: vt probat Card. Bellarm. lib. 1. de hoc Sacramento, cap. 3. quare nec ipsi vlteriùs iam audent huic responsioni adhærere.

Bellarm.

Obiiciunt Secundò, hunc ritum fuisse institutum ad solam curationem corporum per donum miraculorum, quod tunc in Ecclesia erat, & iam cessauit. vnde inferunt ipsam etiam vnctionem debere iam cessare.

Respondeo, negando assumptum. Primò, quia Apostolus absolutè ibi promittit sanitatem omnibus fidelibus vtentibus hoc ritu, & generatim omnes hortatur vt eo vtantur. quæ non possunt intelligi præcisè de sanitate corporali. quia numquam fuit in Ecclesia generatim pro omnibus fidelibus ægrotantibus institutum aliquod remedium, quo certò possent à morbis curari: quia sic vix vlli fuissent ex morbo mortui. nam omnes communiter fuissent hoc remedio vsi. Adde, nec expediuisse tale remedium generatim aut institui, aut expeti, cùm sæpe multis expediat magis mori quàm sanari. Hinc etsi sanitas corporis aliqua ratione hic promissa sit; non tamen absolutè, sed si saluti animæ valdè expediat.

Secundò, quia iubetur hæc vnctio conferri solis fidelibus, iisque ægrotantibus. Hoc enim significant illa verba, *Infirmatur quis in vobis*, scilicet fidelibus: atqui donum miraculorum erat magis pro infidelibus, quàm pro fidelibus. 1. ad Cor. 12. Et antiqui Christiani sæpiùs ferè sanabant infideles, quàm fideles. Item sanabant non solùm ægrotantes, sed etiam cœcos, claudos, mutos, & similes. κάμνειν verò & κάματος, quibus verbis Apostolus Græcè scribens vsus est, propriè de morbo laborantibus dicuntur, & quidem grauiter, ita vt omnino viribus destimantur: & ideo etiam iubet Apostolus induci sacerdotes; quia nimirum eos ægri accedere non poterant.

1. Cor. 12.

Tertiò, quia Apostolus iubet solos sacerdotes induci (hos enim secundùm phrasim noui Testamenti, & omnium antiquorum Christianorum significat vox *presbyter*.) donum autem miraculorum sæpe etiam laicis, iuuenibus, atque adeò etiam fœminis communicabatur. Quare secundùm explicationem hæreticorum non soli presbyteri, sed aliqui ex his qui habuissent donum miraculorum, debuissent induci.

Quartò, quia clarum est remissionem peccati pertinere ad solam animam, quæ tamen hic etiam promittitur. Sed hæc fusiùs disputabimus agentes de effectu huius Sacramenti.

3 Obiiciunt hæretici Tertiò, Apostolum requirere plures sacerdotes, nos verò solùm vnum. Quartò, nos tribuere saluationem infirmi vnctioni, Apostolum verò orationi. Quintò, Apostolum requirere fidem in eo qui inducitur super infirmum: nos verò sentire etiam hæreticos posse hoc Sacramentum validè conferre. Sextò; eandem hic præscribi vnctionem cum ea qua vsi sunt discipuli Marci 6. atqui hæc non erat Sacramentum: ergo nec illa.

Marci 6.

Ad Tertium Respondeo, Apostolum requirere plures sacerdotes pro omnibus, non autem pro singulis: aut ponere numerum pluralem pro singulari. Ad Quartum Respondeo, Apostolum tribuere effectum simul vnctioni & orationi, siue integro Sacramento, sicut & nos. Ad Quintum, nego assumptum. Nam oratio fidei ibi dicitur non ob fidem ministri, sed quia pro solis fidelibus instituta est, & sola fide intelligitur, magnúmque fidei mysterium continet. Ad Sextum, multi concessa maiore negant minorem. Sed cum aliis credo verius esse, vnctionem illam, qua vtebantur discipuli Marci 6. non fuisse sacramentalem, sed adumbrationem quandam & figuram Sacramenti, vt apertè insinuat etiam Trident. sess. 14. cap. 1. de Extrema vnct. Primò, quia hæc vnctio videtur fuisse passim collata ægris etiam non baptizatis. Nam ad hos præcipuè Apostoli ibi mittebantur, vt eos ad Christum pertraherent. Secundò, quia Apostoli tunc nondum erant sacerdotes, hoc autem Sacramentum à solis sacerdotibus, solísque baptizatis conferri potest.

Oratio fidei quæ dicatur.

Vnctio præcepta Marci 6. non fuit Sacramentum.

Trident.

Probatur concl. Secundò, ex Patribus. Primò, Innocent. I. qui floruit anno 402. epistola 1. ad Decent. c. 8. apertè docet hanc vnctionem esse Sacramentum. quod idem postea docuit Innocent. III. c. vnic. de sacra vnctione. Item Chrysost. lib. 3. de sacerdotio docet ex loco citato Iacobi, sacerdotes habere potestatem remittendi peccata. Item Augu. serm. 215. monet vt ægrotus Eucharistiam sumat, ac deinde Apostoli Iacobi præceptum seruet. Item auctor antiquissimi libri de Rectitudine fidei, qui inscribitur Augustino, docet infirmos post sumptam Eucharistiam debere oleo benedicto inungi, vt animæ, aut etiam corporis sanitatem recipiant. Idem ex plurimis antiquioribus Conciliis probat Card. Bellar. l. de Extrema vnctione c. 4. Sed vel vnum Concilium Florent. ad hanc probationem nobis debet sufficere; ex quo, cùm in eo tota Ecclesia tam Græca quàm Latina fuerit congregata, quis iam olim fuerit totius Ecclesiæ sensus, patenter possumus discere.

4

Innoc. 1.

Innoc. III.

D. Chrysost.

D. Augus.

Bellarm. Florent.

Probatur igitur Tertiò, ex doctrina vniuersalis Ecclesiæ, quæ, vt patet ex Concil. Florentino in litteris Eugenij tam apud Græcos, quàm Latinos, iam ab aliquot sæculis tota generatim credidit, hoc esse verum Sacramentum; vt etiam hæretici fatentur. Quare donec proferant aliquem antiquum auctorem, qui doceat quando hæc doctrina cœperit, patet eam ab Apostolis acceptam: præsertim cùm id suadeant testimonia antiquissima probatione secunda allata. Nec mirum quòd rariùs antiqui Patres huius Sacramenti faciant mentionem, quia non fuit data occasio, cùm hæc doctrina non impugnaretur.

Florent.

DVBIVM II.

Quæ sit materia huius Sacramenti?

5 CONCLVS. I. Materia remota huius Sacramenti est oleum oliuarum. Est de fide definitum apertè in Florentin. in litteris Eugenij: & satis colligitur ex Iacobi 5. vbi iubemur infirmos vngere oleo: propriè autem & absolutè id tantùm dicitur oleum, quod ex oliuis conficitur.

Florentin.

Iacobi 5.

6 CONCLVS. II. De essentia huius Sacramenti, est, vt illud oleum sit ab Episcopo benedictum. Est ferè communis DD. Quia Flor. & Trid. sess. 10. expressè dicunt materiam huius Sacramenti esse oleum oliuæ ab Episcopo benedictum. Et cum strictè & dogmaticè loquantur, nihil requirunt ad materiam quod non sit de essentia Sacramenti, hinc etsi aqua baptismi

Trident. Florentin.

ex præcepto Ecclesiæ necessariò debeat benedici; quia tamen hæc benedictio non est essentialis, Concilia non dicunt materiã baptismi esse aquam benedictam, sed aquam naturalem. Ratio à priore est institutio Christi. Congruentia est, quia conueniebat materias quæ ad effectus supernaturales debebant assumi, priùs ad hoc eleuari aut per contactum vsúmve Christi, vt aqua, panis & vinum; aut per Episcopi benedictionem, vt chrisma, & hoc oleum.

Caietan. Nota, Caiet. in 3. p. q. 72. a. 3. dubitare, Vtrùm hæc benedictio necessariò debeat fieri per Episcopum, putàrque esse probabile hoc non esse de essentia tam huius Sacramenti, quàm Confirmationis: quamuis non audeat hoc absolutè dicere. Sed hoc nullo modo est probabile, quia videtur apertè repugnare dictis Conciliis.

Docet verò ibidem tanquam certum, ex dispensatione Papæ posse sufficere benedictionem sacerdotis. *Soto.* Benedictio Episcopi est essentialis materiæ huius Sacramenti. Quod Soto in 4. d. 7. a. 3. sub finem, & d. 23. q. 1. a. 3. concl. 3. cum quibusdam aliis putat esse probabile. Sed communior sententia tenet contrarium, quia Concilia supradicta absolutè requirunt benedictionem Episcopi. Vide dicta in simili de Confirmatione, tom. 1. q. 72. a. 2. dub. 1. concl. 4. est enim vtrobique eadem ratio.

7 CONCL. III. Materia proxima est ipsa vnctio facta à sacerdote. Patet, quia hoc Sacramentum non consistit in re permanente, sed in actione transeunte: vt pluribus dixi in tractatu de Sacramentis in genere.

Nota, etsi satis conueniat vt hæc vnctio fiat per modum crucis, id tamen non est necessarium, quia nullibi id præcipitur. Quo ad quantitatem autem talis necessariò requiritur, à qua aliquis possit verè dici vnctus.

DVBIVM III.

Quot vnctiones in hoc Sacramento requirantur?

8 CONcil. Florent. requirit septem. Primam, in oculis propter visum. Secundam, in auribus propter auditum. Terciam, in naribus propter odoratum. Quartam, in ore propter gustum. Quintam, in manibus propter tactum. Sextam, in pedibus propter gressum. Septimam, in renibus propter delectationem ibi vigentem. Quamuis autem vtraque manus sit vngenda, tamen hæ duæ vnctiones pro vna accipiuntur. Et idem est de oculis, naribus, & pedibus. Septima tamen vnctio communiter ferè omittitur; quia vix honestè fieri potest, præsertim in fœminis: ob quam causam multæ etiam Ecclesiæ omittunt sextam, vt bene *Florent.* notat Suarez disp. 40. sect. 2. num. 6. docens has duas non esse necessarias, nisi fortè ratione consuetudinis particularium Ecclesiarum, vbi in vsu sunt. Vnctiones autem organorum quinque sensuum vbique adhibentur, & videntur omnino sufficere. Cuius ratio est, quia, cùm nihil sit in intellectu quod priùs non fuerit in sensu; hinc fit vt omnia peccata & tentationes originem aliquo modo trahant ex aliquo sensu: atque ita per sanationem & corroborationem omnium sensuum, satis significatur sanatio & corroboratio totius hominis.

Suarez.

Per sanationẽ sensuum significatur sanitas totius hominis.

9 CONCLVS. Quinque primæ vnctiones sunt saltem necessariæ necessitate præcepti. Pater Primò, ex vsu vniuersalis Ecclesiæ, quia omnes Ecclesiæ eas adhibent. Secundò, quia, si pauciores adhibeantur, redditur valor Sacramenti valdè dubius. quod sine vrgenti valdè necessitate, illicitum est facere. Et in hanc conclusionem omnes Doctores consentiunt.

An autem omnes sint de essentia Sacramenti, non ita inter omnes conuenit. Quidam enim putant essentiam Sacramenti perfici quauis vnctione quæ ex dictis prima adhibetur: reliquas verò esse tantum partes integrales integri Sacramenti; & vnius perfectæ vnctionis: sicut in Eucharistia vtraque species concurrit ad integritatem vnius Sacramenti: vel sicut septem Ordines complent vnum Sacramentum Ordinis omnino perfectum. Innuit hanc sententiam Scotus in 4. d. 23. in solutione 2. argumenti. Palud. d. 23. qu. 1. a. 3. concl. 2. & Ioan. Medina de confess. q. 11. §. *Secundò idem.* Et aliquo modo videtur fauere D. Th. in Supplemento qu. 29. art. 2. quatenus comparat hoc Sacramentum quòd ad vnitatem attinet, cum Eucharistia. Huius etiam sententiæ anno 1588. fuit tota Vniuersitas Louaniensis, quæ vnà cum Archiepiscopo probauit Pastorale Mechlinienſe, in quo can. 9. de Extrema vnctione dicitur, in morbis contagiosis sufficere vngere organum sensus magis obuium, dicendo; *Per istam sanctam vnctionem, & pissimam suam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum & gressum.*

Scotus. Paludan. Ioan. Med. D. Thom. Palud. Louan.

Probatur hæc sententia Primò, quia neque ex Scriptura, neq; ex vllis Conciliis possumus ostendere plures vnctiones esse de essentia Sacramenti. Secundò, quia Florentinum, quod exactissimè materias & formas Sacramentorum explicat, enumerat septem vnctiones, nullam omnino inter has faciens distinctionem: atqui constat aliquas non esse essentiales: ergo idem videtur dicendum de reliquis vnica excepta. Tertiò, quia singulæ vnctiones sunt per se integræ, & per eas verè totus homo vngitur: sicut lota vna parte totus baptizatur: ergo singulæ habent rationem Sacramenti. Nec refert quòd per formam videatur tantùm peti partialis effectus, scilicet remissio peccatorum per certum sensum commissorum. Quia tantùm hinc sequitur, per vnicam vnctionem non conferri perfectum omnino effectum huius Sacramenti; sed quasi partialem. 10 *Florent.*

Dices, Illicitum est petere à Deo vt remittat vnum peccatum mortale sine alio. Resp. in huius Sacramenti forma non peti primò & per se remissionem peccati mortalis. Nam hæc non est directus effectus huius Sacramenti, nec ipsum est per se ad eam institutum; sed primariò petitur & confertur gratia iustificans propria huic Sacramento, quæ scilicet ratione gratiarum præuenientium sibi annexarum habet vim corroborandi hominem in illa extrema lucta, & abstergendi reliquias peccatorum. Remissio autem peccatorum mortalium tantùm petitur sub conditione, si fortè adhuc aliqua remittenda restent: nec vllo modo petitur, vt, si plura fortè restent, vnum sine alio remittatur. Nam etsi expressè petatur remissio certorum peccatorum, id tamen fit sine exclusione aliorum peccatorum: sicut quando quis aliquod peccatum commisit, quod ipsum valdè angit, potest à Deo petere, vt hoc sibi remittat, nullam interim faciendo mentionem aliorum. Item potest de eo conferi non cogitando de aliis. Sicut autem tunc implicitè conteritur simul de omnibus mortalibus: ita etiam petit eorum remissionem. Et simili modo conferens hoc Sacramentum, per singulas partiales formas, videtur implicitè ægro petere remissionem omnium peccatorum mortalium, si fortè aliqua ei remittenda restent, quatenus petit ei gratiam habitualem huic Sacramento propriam. Nam omnis gratia habitualis habet vim delendi omnia peccata mortalia in eo cui confertur. Per singulas igitur vnctiones, & formas iis respondentes, vt summum potest dici, peti partiales effectus, si spectemus ablationem reliquiarum peccati, quæ possunt etiam per partes auferri. Et ita singulæ vnctiones vnà cum forma iis respondente, possent aliquo modo dici partiale

Sacramentum : sicut singulorum Ordinum collatio potest dici partiale Sacramentum, quatenus omnes simul ad vnum perfectum Ordinem sacerdotalem constituendum concurrunt. Confirm. quia singulæ vnctiones cum sua forma habent propriam significationem & completum sensum independenter ab aliis: ergo constituunt Sacramentum essentialiter completum. Consequentia patet. quia ad hoc nihil aliud requiri videtur: vt patet in Eucharistia & Ordine.

Antecedens prob. quia singulæ vnctiones cum suis formis possunt conferri à diuersis ministris, vt si vnus post vnam vnctionem deficiat: tunc alter perficit Sacramentum sine repetitione primæ vnctionis: atqui hoc esset falsum, si per se non haberent perfectam significationem: vt patet in collatione aliorum Sacramentorum, & dictis in tract. de Sacramentis in genere: ergo dicendum est eas habere completam significationem.

Confirm. Secundò, quia Sacramenta operantur id quod significant eodem instanti quo id perfectè significant: atqui partialis vnctio cum sua forma, significat perfectè aliquem effectum Sacramenti saltem partialem: ergo eum statim confert, & consequenter est partiale Sacramentum essentialiter completum.

Nec refert quòd singulæ vnctiones referantur ad vnam vnctionem totalem: quia etiam diuersæ ordinationes referuntur ad perfectam potestatem sacerdotalem constituendam.

11 Dices Primò, esse differentiam. quia singuli ordines habent distincta officia, possúntque sigillatim sine animo progrediendi vlteriùs suscipi: nunquam autem potest vna vnctio sola administrari.

Respondeo Primò, quosdam etiam asserere posse in necessitate dari vnicam vnctionem: vt patet ex Pastorali Mechlinienſi citato. Secundò, idem omnino esse in Ordine sacerdotali, qui duplici ordinatione partiali confertur: quarum prima habet effectum independenter ab alia, etsi nunquam liceat illam solam suscipere: nec hæ duæ ordinationes partiales videntur minorem habere inter se connexionem, quàm diuersorum sensuum vnctiones.

Dices Secundò, has formas cùm sint tantùm deprecatoriæ, non requirere, vt statim ac singulæ habent perfectum sensum, conferatur effectus: quia possunt verificari, etsi postea conferatur: secùs de aliis Sacramentis, quæ habent formas assertorias.

Respondeo, Si hoc quidquam probaret, probaret etiam non necessariò dari effectum, statim ac Sacramentum hoc integrè completur. quia ad eius veritatem hoc non necessariò requiritur.

12 *Soto. Bellarm. Valentia, Henriquez, Suarez.* Secunda verò sententia docet, quinque illas vnctiones esse de essentia Sacramenti. Ita Soto d. 23. q. 1. a. 3. concl. 2. Card. Bellarm. c. 10. de extr. vnct. P. Valentia hîc disp. 8. q. 2. puncto 2. P. Henri. l. 3. de Sacramentis c. 8. n. 2. Suarez disp. 40. sect. 2. n. 8. iuncta disp. 41. sect. 2. n. 13. Et ferè communiter DD. Prob. quia hæ omnes vnctiones ordinantur ad integram sanitatem animæ significandam & operandam: ergo non habent perfectam significationem, nisi quando omnes complentur. Quia sicut Christus dum erat in terris, conferebat ægris semper integram sanitatem nunquam verò ex parte tantùm: ita non instituit Sacramenta, nisi vt integrè sanent, secundùm omnem sanitatem ad quam conferendam instituta sunt. Secundò, nõ potest dici qui effectus respondeant potiùs vni vnctioni, quàm alteri, cùm nec dimidiata peccatorum venia peri soleat; nec æqualiter dispositis ad remissionem omnium per aliquod Sacrame. um dimidiata soleat concedi etiam respectu venialium: & gratia iustificans ac præueniens ei annexa non detur partialis ad singulas animi infirmitates curandas, cùm vna ad plures possit valere. Ex quo patet singulas vnctiones ac formas iis respondentes non habere perfectam significationem, donec vltima vnctio, eiúsque forma sit completa. Et quamuis singulæ videantur habere perfectam significationem partialem, hæc tamen non est sacramentalis, nisi prout illæ vnum integrum Sacramentum cum aliis constituunt; & consequenter nec priùs vllum effectum habent. Ex quibus patet responsio ad argumenta contraria.

Tertiò, quia videtur hæc esse sententia ipsius Ecclesiæ. Tum quia DD. eam communiùs asserunt: tum quia aliàs mirum esset non esse frequentiorem vsum sæpiùs conferendi Sacramentum sub vna vnctione, quando in morbis contagiosis, dum omnes vnctiones adhibentur, periculum est ne aut aliqui moriantur sine Extrema vnctione, aut ne sacerdos inficiatur. Quare cùm res tota pendeat non ex ratione, sed ex institutione Christi, quam per traditionem cognoscimus; hæc sententia videtur securior, & in praxi seruanda. quamuis contraria sententia non videatur damnanda, cùm ob rationes dictas, tum ob auctoritatem Pastoralis Mechlinienſis, quod tot insignes viros auctores habuit: præsertim quando hoc Sacramentum conferetur ea ratione, quam illud in necessitate præscribit, prout retuli n. 9. Securius tamen esset in dicto casu vngere celeriter quinque organa sensuum in capite, pronunciando formam modo ibi præscripto, quod videtur ferè æquè celeriter posse fieri; & tunc ipsæ vnctiones responderent ipsi formæ, qua videtur significari omnium sensuum organa inungi. Item tunc ponerentur omnes vnctiones, quas auctores dicunt esse necessarias, & forma planè æquivaleret ei, qua Ecclesia communiter vtitur. quamuis extra grauissimam necessitatem non sit facilè permittendum vt quis etiam hoc modo inungat.

In necessitate quid probabiliter fieri possit.

DVBIVM IV.

Quæ sit forma huius Sacramenti?

NOta, aliquos putasse formam posse esse affirmatiuam. Primò, quia in reliquis Sacram. est talis. Secundò, quia aliquæ Ecclesiæ videntur vsæ forma affirmatiua. Dicitur enim D. Ambr. Mediolan. hanc formam docuisse: *Vngo te oleo sanctificante in nomine Patris & Filij & Sp. sancti, vt more militis vncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates.* Ita Richard. d. 23. art. 1. q. 4. ad 2. Palud. q. 1. a. 2. Durand. q. 3. vbi videtur dubitare an forma deprecatoria sit valida. Et Palud. dist. 23. qu. 1. a. 2. concl. 1. dicit vtramque esse bonam, indicatiuam tamen esse conuenientiorem. 13 *D. Ambr.* *Richard. Palud. Durand.*

Contrà Flor. præscribit hanc formam: *Per istã sanctã vnctionem, & suam piissimã misericordiã indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum*, & sic de cæteris sensibus. *Florentin.*

CONCLVS. Forma hæc necessariò debet esse deprecatoria. Patet ex Iacobi 5. vbi dicitur: *Orent super eum*, &c. Et, *oratio fidei saluabit infirmum.* Item ex vsu vniuersalis Ecclesiæ, quæ, vt patet ex Florent. vtitur forma deprecatoria. Ratio à priore est institutio Christi, qui singulis Sacramentis præscripsit formã quam voluit. Quare non est hîc argumentandum à simili, sicut nec in aliis rebus merè positiuis. Congruëtia est, quia hoc Sacramentum confertur tantùm moribundis, qui iam quasi omnibus viribus destituti in sola Dei misericordia acquiescunt, quæ oratione imploranda est. 14 *Iacobi 5.* *Florent.* *Cur forma Extremæ vnctionis sit deprecatoria.*

Notandum tamen Primò, efficaciam Sacramenti nullo modo pendere ex vi orationis sacerdotis, vt est opus operantis, sed ex vi promissionis Christi. quare non minùs habet infallibilem effectum, quàm alia Sacramenta.

Ex his patet, si quæ Ecclesia fuerit vsa forma suprædicta, credibile esse non omisisse tamen simul adiungere formam deprecatoriam nostræ virtute æquivalentem. quod sufficit ad essentiam Sacramenti; vt

patet ex dictis de Sacramentis in genere. Quòd si aliqua hoc non fecerit; maior est auctoritas Ecclesiæ vniuersalis, quàm particularis, sine cuius insigni iniuria nemo dubitare potest, an forma deprecatoria valeat.

15 Nota Secundò, verba illa quæ communiter adduntur, *in nomine Patris*, &c. non esse essentialia secundùm omnes. Seruanda tamen hac in re cuiusque Ecclesiæ consuetudo.

Nota Tertiò, verba illa *per pijssimam suam misericordiam*, non posse sine grauissimo peccato omitti secundùm omnes; Vtrùm autem sint essentialia non satis constat. videntur enim satis intelligi sub verbo *indulgeat*, quod significat misericordiam.

Nota Quartò, saltem esse de necessitate præcepti ad singulas vnctiones repetere integram formam mutatis nominibus sensuum qui vnguntur. Verùm autem hoc sit de essentia Sacramenti, an verò sufficiat in necessitate dicere: Per has sacras vnctiones, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per visum, auditum, &c. vngendo interim omnium sensuum organa, non ita certum est, vt constat ex dub. 3.

DVBIVM V.

Qui sint effectus huius Sacramenti?

16 *Iacobi 5. Trident.* NOta, hoc Sacramentum posse habere varios effectus, vt clarè patet tum ex D. Iacobo; tum ex Trid. sess. 14. c. 2. de Extrem. vnctione. Et in hoc omnes consentiunt. Sed difficultas præcipua est, quis sit eius effectus primarius, ad quem primò & per se institutum est. Variæ sunt hac de re Theologorum sententiæ. Plurimi enim putant illud institutum esse ad remittenda peccata venialia, quia tam Iacobi 5. quàm in Trident. sess. 14. c. 2. de extr. vnct. atque etiam in ipsa forma significatur, huius Sacramenti effectum esse remissionem peccati: atqui non est institutum ad remittenda peccata mortalia, cùm ad hoc instituta sit pœnitentia: ergo ad remittenda venialia. Ita Durand. in 4. d. 23. q. 1. a. 3. Bonauent. a. 1. q. 1. Richard. a. 1. q. 5. Scotus q. 1. concl. 2. Nauar. c. 22. n. 12. dicens esse communem Interpretum, & alij. *Durand. D. Bonau. Richard. Scotus. Nauarrus.*

Sed si loquamur de primario eius effectu, hoc dici nequit. Primò, quia ad omnium peccatorum actualium siue mortalium siue venialium remissionem instituta est confessio. Secundò, quia aliàs non minùs deberet dari sanis quàm infirmis. Tertiò, quia loca quæ illa sententia pro se adfert; hoc nullo modo insinuant; quia loquuntur generatim de peccatis. quare tam comprehendunt mortalia quàm venialia; imò potiùs videntur loqui de mortalibus quàm de venialibus. Primò quia per nomen *peccatum* absolutè positum, & Scripturæ & Concilia, & alij etiam Scriptores ferè intelligunt peccatum mortale. Hinc aliquem *esse peccatorem* siue *in peccato*, & *esse in statu gratiæ*, accipiuntur tamquam opposita. Secundò, quia D. Iacobus non dicit absolutè iniuncto remittenda peccata, sed sub conditione, *si in peccatis sit*, ostendens hunc effectum non esse ordinarium, sed quasi præter intentionem, & communiter aliter fieri, & suscipientem debere conari, vt ante susceptionem Sacramenti non sit in peccato. quod de solo peccato mortali debet intelligi, quo fideles præsumuntur ordinariè carere: non autem de veniali, de quo dicitur 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Vnde patet hoc Sacramentum per se, siue primariò, non esse institutum ad eam remissionem peccati, de qua D. Iacobus loquitur. *Peccatum absolutè simptum significat mortale.* *1. Ioan. 1.*

17 *D. Thom.* Igitur D. Thomas ibid. q. 1. a. 2. quæstiunc. 1. quem communiter ipsius discipuli sequuntur, docet hoc Sacramentum primariò esse institutum ad tollendas reliquias peccati. Quæ autem hæ sint, inter se variant. Aliqui enim dicunt has significare peccata, quæ post alia Sacramenta suscepta restant remittenda: maximè quæ moribundus, eo quòd inuincibiliter ea ignoret, aut quia sensu destitutus est, per confessionē delere non potest. Probatur. quia, cùm, vt patet ex forma & locis citatis, hoc Sacramentum videtur institutū ad remissionem peccati, maximè videtur institutū ad hæc peccata delenda, & ideo tantùm moribundis conferrur. quia alij possunt semper per susceptionē aliorum Sacramentorum saltem indirectè illa peccata delere.

Alij tamen volunt, hæc peccata non vocari reliquias peccatorum; sed quædam alia quæ ex peccatis remissis relinquuntur; qualia sunt infirmitas quædam animi, & pœnæ temporales. Verius tamen est vtraque dici peccatorum reliquias, vt bene notat Card. Bellar. cap. 8. de Extr. vnct. Sed nec hæc sententia satis exprimit, quis sit omnino primarius huius Sacramenti effectus. Si enim hic esset expellere illas reliquias, deberet hoc Sacramentum conferri saltem iis omnibus, qui versantur in morali periculo mortis, vt sunt supplicio afficiendi, aut qui periculosam nauigationem, aut pugnam subituri sunt, quia hi omnes æqualiter hoc effectu videntur indigere. Peccati reliquiæ quæ dicantur. *Bellarm.*

CONCL. 1. Hoc Sacramentum est primariò institutum vt per gratiā habitualem quatenus habet adiunctas actuales huic effectui proprias, animum infirmi vi morbi infirmatum, ac torpore quodam depressum roboret, & excitet ad spem & feruorem spiritalem, & eum præparet ad fortiter sustinendos diaboli insultus qui nos tunc maximè impugnat. Ita Suarez disp. 41. sect. 1. n. 11. Et videtur expressè sententia Trid. sess. 14. in proœmio de Extr. vnctione. vbi docet; hoc Sacramentum in eum finem à Christo esse institutum vt per ipsum contra diaboli insultus in hoc extremo conflictu muniamur. Et cap. 2. de effectu huius Sacramenti ait: *Res etenim hæc est gratiæ Spiritus sancti, cuius vnctio delicta si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animum alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, quæ infirmus sublenatus & morbi incommoda ac labores leuius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit.* 18 Effectus primarius Sacramenti. *Suarez. Trident.*

Colligitur etiam expressè ex Iacobi 5. Vbi hic effectus & primò & absolutè huic Sacramento adscribitur his verbis: *Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus.* quæ Concilium suprà explicat. Deinde subiungitur non absolutè, sed sub conditione; *si in peccatis sit, remittentur ei.* vt ostendatur hunc effectum non absolutè & per se, sed quasi per accidens per hoc Sacramentum intendi, quatenus nimirum per alia iam remedia acquiri non potest. *Iacobi 5.*

Prob. ratione, quia hæc sola potest reddi ratio, cur hoc Sacramentum solis grani morbo laborantibus conferatur; quia scilicet primarius eius effectus in his solis locum habet.

CONCLVS. II. Secundarius effectus huius Sacramenti est Primò, delere in attrito peccata quæ per alia Sacramenta iam deleri non possunt. Patet ex dictis suprà. & hac ratione Trid. suprà vocat hoc Sacramentum *consummatum pœnitentiæ*: quia scilicet supplet & consummat id quod pœnitentiæ deest, delendo nimirum ea peccata, quæ aut propter oblivionem, aut aliam impotentiam iam homo per Sacramentum pœnitentiæ delere non potest. Secundò, delere pœnas peccato remisso restantes; non quidem semper omnes. quia sic vix vlli inuncti irent ad Purgatorium; sed aliquas, nimirū plures vel pauciores pro dispositione suscipientis. Prob. quia tam ex Scripturis, quàm Ecclesiæ vsu, harum remissio significatur per remissionem peccati. quia hoc sine illis perfectè non remittitur. 19 Secundarius effectus. *Trident.*

Tertiò, conferre sanitatem corporis non absolutè & semper, sed interdum & sub conditione, si saluti animæ secundùm diuinam prouidentiam expediat. Ita Trident. suprà.

Vbi Nota, inter hos tres effectus, duos priores, etsi non sint primarij, vt patet ex dictis, tamen eò valdè accedere, quia in Sacramenti institutione ita intenti sunt præcipuè primus, vt quandoque sufficiat; vt Sacramentum possit alicui conferri qui primarij effectus creditur incapax. qualis est phreneticus, qui omnino creditur numquam sanam mentem in vita recepturus, atque ita nec tentandus, aut ad spem & feruorem excitandus. In tali cùm primarius effectus nequeat sperari, primariò intenditur remissio peccati mortalis, si fortè adhuc aliquod ei remittendum restet. Quare etsi nemo vtens ratione possit hoc Sacramentum suscipere, qui non credit probabiliter se esse in gratia; possem tamen illud dare phrenetico, quem scio esse adhuc in peccato mortali, modò credam eum esse attritum: quod de quouis Catholico in tali statu præsumendum, nisi moraliter constet de contrario: vt si interè peccandum subitò quis destitueretur sensibus, antequam posset humanitus loquendo alteri. Vide Suarez disp. 42. sect. 1. n. 10.

Posse aliquando conferri ei qui putatur adhuc esse in peccato mortali.

20 Ex quibus patet, conferentem hc Sacramentum posse aliquando intendere conferre primam gratiam ei, quem probabiliter timet adhuc esse in peccato mortali, modò speret eum esse attritum, quando scilicet hic nullo modo potest confiteri. Contrà verò suscipientem non posse hoc ea intentione suscipere, quoties probabiliter credit se esse in peccato mortali. Ratio vtriusque est, quia, cùm hoc Sacramentum non sit institutum ad remittenda peccata mortalia, nisi eo casu quo aliter remitti non possunt; nemo vtens ratione potest illud suscipere nisi priùs credat se esse in gratia, vel per contritionem, vel etiam per confessionem eorum peccatorum quæ ei occurrunt, siue de quibus adhuc dubitat, an sit benè confessus. quod hîc ei facile est. Nam quicumque potest ei administrare Extremam vnctionem, potest etiam administrare Sacramentum pœnitentiæ. Secùs est de ministro, quem sæpe contingit reperire moribundum in ea dispositione, vt propter defectum sensuum non possit ei aliud Sacramentum administrare. qui casus cùm communiter solùm habeat locum in iis quorum vita periclitatur ex morbo; ideo etiam pro his solis hoc Sacramentum institutum est.

Et tunc minister intendit per ipsi conferre primam gratiam.

Credens se esse in peccato mortali non potest hoc suscipere.

Quare sit solùm institutum pro periclitantibus ex morbo.

DVBIVM VI.

Quando hoc Sacramentum conferat suum effectum?

21 Resolutio huius difficultatis facilis est suppositis iis quæ dixi dub. 3. Nam pender ex difficultate ibid. tractata, scilicet, Quot vnctiones sint de essentia huius Sacramenti. & prout quisq; de hac difficultate sentit, ita etiam sentit de illa. Quare omissis variis opinionibus, Respondeo, ipsum conferre effectum eodem instanti, quo essentialiter completur. Patet ex dictis de Sacramentis in genere: quia, cùm Sacramenta operentur necessariò & per modum causæ naturalis, nisi reperiant obicem, eodem instanti quo perfectè ponuntur, etiam suum effectum operantur.

Hinc sequitur secundùm communiorem ac veriorem sententiam, hoc Sacramentum conferre suum effectum statim ac quinta vnctio vnà cum forma est essentialiter completa. Secundùm alteram verò sententiam, quæ dicit singulas vnctiones esse partiale Sacramentum essentialiter completum; dicendum esset partialem effectum per singulas conferri statim vt essentialiter completæ sunt. Quòd si tamen sit obex in suscipiente, tunc conferetur effectus, quando hic tolletur, vt dixi in tract. de Sacramentis in genere.

Nota tamen, gratias præuenientes non omnes statim primo instanti actu conferri, sed tempore opportuno, vt Deus iudicat expedire. Et similiter sentiendum est de sanitate corporali quando confertur.

DVBIVM VII.

Quibus hoc Sacramentum sit conferendum?

Conclvsio I. Non potest conferri Primò, non baptizatis. quia nullus non baptizatus est capax alterius Sacramenti. Secundò, neque iis qui nunquam ratione vsi sunt: quia non sunt capaces vllius effectus, propter quem hoc Sacramentum sit propriè institutum, vt patet ex dub. 5. 22

Dices, esse capaces gratiæ habitualis & sanitatis corporalis.

Resp. hoc Sacramentum non esse institutum ad conferendam gratiam in genere, sed tantùm prout dirigitur ad dictos effectus. Nec etiam institutum est ad sanitatem absolutè conferendam, sed sub certis conditionibus, & valdè secundariò. quare ad hos solos effectus non potest adhiberi, quando alij nequeunt haberi.

Tertiò, neque iis potest dari, qui nullo modo ægrotant, etsi ab extrinseco illis periculum mortis immineat. Tum quia primarius effectus in iis non habet locum, imò vix secundarius, vt patet ex dictis. Quare crediderim inualidè iis conferri. tum ob dicta, tum etiam quia Scripturæ & Concilia requirunt infirmitatem in eo cui confertur.

Conclvsio II. Vt hoc Sacramentum possit alicui conferri, requiritur Primò, vt sit baptizatus. Secundò, vt aliquando vsus sit ratione, ita vt quantum est ex hac parte potuerit aliquando peccare. Tertiò, vt grauiter ægrotet. Sequitur ex dictis, & in his communiter DD. consentiunt. 23

Requirunt aliqui præterea Primò, vt de facto aliquando saltem venialiter peccarit. quia in forma rogatur vt ei peccata remittantur. Sed si hoc aliquid probaret, probaret etiam eum debere habere adhuc aliqua peccata secundùm pœnam saltem remittenda. Quare alij communiter contrarium docent. Secundò, requirunt vt vtatur ratione, dum ei Sacramentum conferur: sed contra communem Ecclesiæ praxin, quæ illud sæpe confert omni sensu destitutis. Vide Sotum d. 23. q. 2. art. 2. concl. 3. Nauar. c. 22. n. 13. & Summistas v. *Extrema vnctio.*

Non requiritur vt suscipiens aliquando peccarit.

Sotus.

Nauarrus.

Summistæ.

Conclvsio III. Hoc Sacramentum non debet conferri nisi ei qui ita ægrotat, vt de vita periclitetur. Est etiam communis, & expressè definitur in Florent. & eam apertè insinuat D. Iacobus dum ait, *Oratio fidei saluabit infirmum.* vbi græcè habetur κάμνοντα, quod significat fere iam deficientem præ morbo. Patet etiam ex dictis, quia primarij effectus his solis propriè conueniunt. 24

Florentin.

Iacobi 5.

Nota Primò, non semper exspectandum extremum omnino periculum vitæ, dum ægrotus iam iam est moriturus; sed præstat dari Sacramentum dum est adhuc integris sensibus, vt maiore cum deuotione & fructu hoc suscipiat. Quare sit aliqua irreuerentia Sacramento, si differatur eius collatio dum ægrotus sensibus destituitur. quia sine vlla pietate suscipitur. Et sic fortè interpretandi illi DD. qui dicunt non posse illud dari destitutis vsu rationis. Quamuis autem necessarium sit hos hoc antè petiisse, sufficienter tamen censetur quis hoc petere, hoc ipso quo in statu gratiæ est, aut attritus: quia talis virtualiter, vel saltem habitualiter petit sibi conferri omnia remedia saluti suæ conuenientia. Vide dicta tom. 1.

Extremum periculum non est exspectandum vt quis inungatur.

q.64.dub.5. concl. 4. Hinc sequitur eos qui peste laborant, aut venenum lethiferum hauserunt, aut vulnus lethale acceperunt, posse statim hoc Sacramentum suscipere, etsi adhuc omnino vegeti esse videantur, præsertim si postea difficulter hoc possint suscipere, quia verè cum periculo mortis ægrotant.

25 Sufficit vt æger bona fide credatur esse in periculo mortis, aut sine eo graviter ægrotet vt validè detur.

Nota Secundò, etsi, vt Sacramentum hoc licitè detur, requiratur vt suscipiens bona fide credatur esse in periculo mortis; non tamen videri invalidum, si detur grauiter quidem ægrotanti, tamen sine vero periculo mortis. Quia si requireretur ad essentiam Sacramenti vt subesset verum periculum mortis, non posset hoc Sacramentum conferri, nisi agenti iam omnino animam, quia aliàs communiter dubius esset valor Sacramenti; quia communiter ferè dubium est, an verè subsit periculum mortis.

Dices, sufficere vt bona fide credatur subesse.

Resp. Bonam fidem non supplere quæ sunt essentialia Sacramento, quare si non valeat Sacramentum, quando scitur ægrotum non esse in periculo mortis, neque valebit si credatur in eo esse, si re vera non sit. *Trident.* Et confirm. quia Trident. sess. 14. c. 3. de hoc Sacramento dicit, id infirmis conferendum, præsertim iis qui tam periculosè laborant, vt in exitu vitæ constituti videantur. Vbi videtur insinuare validè iis etiam conferri, qui non ita videntur esse in periculo mortis. *Florentin.* Vnde etiam Florentinum tantùm dicit ipsum non debere conferri nisi iis de quorum morte timetur; insinuans validè posse dari iis qui non laborant ita periculosè. *Suarez.* Vide P. Suarez disp. 42. sect. 2.

DVBIVM VIII.

Vtrùm hoc Sacramentum possit secundò ab eodem suscipi?

26 Poteſt aliquando ſæpiùs in eodem morbo conferri.

Conclvs. Absolutè loquendo potest sæpiùs ab eodem suscipi, quia non imprimit characterem; non tamen durante eodem morbi periculo, siue statu, quia pro toto illo tempore censetur sufficienter suum effectum operari. Est certa & communis DD. & patet ex praxi Ecclesiæ. Quòd si tamen morbi status mutaretur, ita vt ægrotus censeretur, etsi non omnino morbum, tamen mortis periculum euasisse, ac post notabile aliquod temporis interuallum rursum in mortis periculum incideret; posset secundò inungi, & sic deinceps, quoties post notabile interuallum talis mutatio, nouumque mortis periculum contingit. Ita Victoria in Summa num. 224. Silvest. v. *Vnctio extrema.* num. 8. Armilla nu. 9. Suarez disp. 41. in fine, & alij. *Victoria. Silvester. Armilla. Suarez.*

Ratio est, quia hoc Sacramentum non confertur simpliciter propter morbum, sed quatenus adest mortis periculum. qua ratione potest dici distinctus morbus, etiamsi sub ratione inualetudinis continuatione quadam sit idem. Quare interuallum illud debet esse tantum, vt vtrumque periculum non solùm secundùm apparentiam & effectus, sed in re ipsa possit dici distinctum: ita vt æger medio tempore prudenti iudicio possit dici fuisse extra periculum mortis, quod ad illum morbum attinet: quæ omnia prudenti iudicio spectanda sunt.

DVBIVM IX.

Quis sit minister huius Sacramenti?

27 Solus ſacerdos hoc confert. *Florent. Trident.*

Conclvsio I. Solus sacerdos potest esse minister huius Sacramenti. Patet ex Florentin. & Trident. session. 14. c. 3. de hoc Sacramento. quæ absolutè requirunt sacerdotem ministrum huius Sacramenti; cùm contrà in baptismo dicant in necessitate posse quemuis baptizare: quòd hic etiam dicerent si fieri posset, cùm absolutam doctrinam de essentia Sacramentorum nobis intendant tradere. Est communis & DD. & Ecclesiæ sensus, quæ numquam aliis hanc administrationem permisit. Et colligitur apertè ex D. Iacobo, qui solos presbyteros iubet induci, per quos in nouo Testamento sacerdotes intelliguntur, iuxta illud 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam; quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam* (id est, per sacram ordinationem) *cum impositione manuum presbyterij*, id est, cœtus sacerdotum. Confirmatur Primò, quia non senes, sed Pontifices & sacerdotes sunt constituti vt orent pro aliis: vt dicitur ad Hebræos 6. Secundò, quia aliàs non seniores, sed sanctiores fuissent introducendi, quia horum oratio plus apud Deum potest. *Iacobi 5. Presbyter. in nouo Testamento solus sacerdos dicitur. 1. Tim. 4. Hebr. 6.*

Dices, Innocentius I. epist. 1. ad Decentium ca. 8. dicit oleo sancto ab Episcopo confecto, non solùm sacerdotibus, sed omnibus Christianis licere vt in sua suorúmve necessitate. *Innoc. I.*

Respondeo, eum loqui de vsu passiuo: quia expressè dicit omnes eo posse inungi, scilicet per presbyteros, vt immediatè antè ex D. Iacobo probauerat. Vnde statim subiungit, Episcopum vel sacerdotem esse ministrum huius Sacramenti.

28 Omnis ſacerdos validè, nō tamen licitè hoc Sacramentum confert. Religiosus hoc sine licentia conferens excommunicatur. *Clem. 1. de priuilegiis.* Excipe casum necessitatis.

Nota, etsi quiuis sacerdos validè hoc Sacramentum conferat, cùm non sit actus iurisdictionis; extra necessitatem tamen solus Pastor, vel alius cum eius licentia id licitè confert, quia conferre Sacramenta est officium Pastoris. Vnde Religiosi qui sine venia proprij Pastoris laicis, aut clericis non Religiosis hoc Sacramentum conferunt, excommunicantur, clement. 1. de priuilegiis. Alij quidem sacerdotes grauiter peccant, non tamen excommunicantur, quia nullo iure id probatur.

In necessitate tamen quando aliàs ægrotus moriturus esset sine hoc Sacramento; quiuis sacerdos posset hoc Sacramentum ministrare, etsi sciret Parochum ægrè laturum. Quia nullo modo censendum est Ecclesiam velle ægrotum cum tanto suo damno obligare vt à nullo alio, quàm à suo Parocho sine huius licentia hoc Sacramentum suscipiat, cùm eius salus posset hoc modo periclitari. Vide Suarez dispu. 44. sect. 2. num. 3. *Suarez.*

29 Omnes vnctiones ab eodem administrandæ.

Conclvsio II. Singulæ vnctiones cum suis formulis debent integrè administrari ab eodem ministro. quia D. Iacobus dicit vngentes debere orare super ægrotum; & oratio vna à duobus partialiter ita prolata non potest habere perfectum sensum secundùm communem loquendi vsum, præsertim cùm partes orationis per se non faciant integrum sensum.

Cōtrarium validè fit & quandoque licitè.

Conclvs. III. Possunt diuersorum sensuum vnctiones à diuersis sacerdotibus ministrari, extra necessitatem quidem validè, sed illicitè, quia contra vsum Ecclesiæ: in necessitate verò, vt si prior post primam vnctionem deficiat, & tunc alter reliquas conferat, etiam licitè. Ita ex communi sententia Suarez disp. 43. sect. 2. *Suarez.*

Quæ sententia satis facilè defenditur, posito quòd singulæ vnctiones sint per se Sacramentum essentialiter completum. quia simile videmus in Eucharistia, & Ordine, iuxta dicta dub. 3. Iuxta alteram verò sententiam dicendum, id in hoc Sacramento esse omnino singulare; sicut quòd eius singulæ partes per se habeant aliquo modo sensum perfectum.

DVBIVM X.

Vtrùm sit aliqua obligatio suscipiendi vel administrandi hoc Sacramentum?

30 Eius susceptio non obligat sub mortali.

CONCLVS. I. Sine contemptu aut scandalo ex sola aliqua negligentia hoc Sacramentum non suscipere non est communiter peccatum mortale. Est ferè communis. quia nullo præcepto diuino vel humano ad id obligamur. Est tamen communiter quando nulla iusta causa id omittendi subest, peccatum veniale. quia est quædam prodigalitas rerum spiritualium, tanta remedia salutis negligere. Quòd si tamen iudicaretur hæc susceptio esse hîc & nunc necessarium medium salutis, esset peccatum mortale eam negligere. Sed hoc rarò, nisi ex conscientia fortè erronea, contingit.

Nisi fortè ratione scandali.

Quòd si cum contemptu vel scandalo omittatur, pro horum gravitate esset etiam graue peccatum. Quare qui oblatam hanc vnctionem sine vlla causa absolutè recusaret suscipere, videretur graviter peccaturus. quia moueret aliis suspicionem contemptus, & hæresis. Secùs si tantùm recusaret tam citò recipere, quòd putaret se necdum satis graviter laborare, aut ob similem causam. Vide Henriquez l. 3. c. 10. n. 3. *Henriquez.*

31 Pastor tenetur hoc administrare ex iustitia.

CONCLVSIO II. Habens curam animarum rogatus à subdito tenetur ei hoc Sacramentum per se vel alium administrare ex iustitia. quia ex officio tenetur subditis præsertim petentibus ministrare Sacramenta non solùm necessaria, sed etiam multùm conducentia eorum saluti; quale est hoc.

Alij quandoque ex charitate.

CONCLVS. III. Non habens curam animarum ex charitate teneretur id administrare grauiter eo indigenti, vt si aliàs sine vllo omnino Sacramento esset moriturus. Quia nisi tunc ei hoc Sacramentum administretur, exponitur eius salus probabili periculo æternæ damnationis, quod quinis à proximo sub peccato mortali tenetur auertere. Imò qui id sine graui incommodo facere potest, tenetur saltem sub veniali id administrare ei, qui aliàs sine eo esset necessariò moriturus, etsi extraordinariè eo non indigeat. Quia contra charitatem est proximo tantum bonum sine vlla iusta causa denegare. Vide plura apud Suarez disput. 44. sect. 2. & 3. vbi hæc omnia fusissimè disputat. *Suarez.*

DISPVTATIO XX.

DE ORDINE.

DVBIVM I.

Quid sit Ordo?

1 Ordo varia significat.

NOTA. Primò, *ordinem* variè accipi. Significat enim Primò, quemdam respectum quem res, quæ & aliquo modo differunt, & in aliquo etiam conueniunt, inter se habent. Vnde D. Augustin. lib. 9. de Ciuit. cap. 13. definiens ordinem: *Est*, inquit, *parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* *D. Augus.*

Hinc Secundò, significat quemuis statum siue ciuilem, siue Ecclesiasticum: sic dicimus aliquos esse in ordine senatorio, equestri, plebeio, laico, clericali, &c.

Tertiò, per antonomasiam, & quamdam appropriationem significat certum quemdam gradum, siue statum Clericorum, ad certa officia Ecclesiastica consecratorum.

Quartò demum, accipitur pro ipsa actione, qua tales consecrantur, quam distinctionis causa Ordinationem communiter vocabimus. Cùm enim in actione consistat, hoc modo magis proprie vocatur. Hîc autem solùm disputamus de duabus vltimis acceptionibus.

2 *Magister.* Variæ definitiones sacræ ordinationis. *Satus.*

Nota Secundò, DD. Ordinationem variè definire. Magister in 4. d. 24. lit. K. ait, *esse signaculum, id est, quoddam sacrum, quo spiritalis potestas traditur ordinato ad officium.* At verò apud Sotum ibidem, *Est Sacramentum quo potestas spiritualis significatur & traditur in ordine ad sacrosanctum corpus Christi consecrandum.* Alij distinctiùs eam sic definiunt; *Ordinatio est sacra quædam cæremonia, qua alicui peculiaris potestas traditur destinata aliquo modo ad mysterium Venerabilis Eucharistiæ rite peragendum.* Nam sacerdoti illud peragenti Diaconus & Subdiaconus inseruiunt: sicut etiam Acolythus ampullas subministrando, ac cereos deferendo. Exorcista verò dæmones ab obsessis expellendo, hos aptos reddit qui sacrificio interesse possint. Lector autem sacra lectione ad debitam tanto mysterio pietatem præsentium animos excitat. Ostiarius verò dignos admittit vt illius celebrationi intersint: indignos excludit.

Omnis Ordo aliquo modo dirigitur ad sacrificium.

3 Eiusdem definitio.

Ex quo patet, secundùm hos DD. dicendum Ordinem tertio modo acceptum *esse specialem quandam potestatem implendi aliquod officium in ordine ad consecrationem Venerabilis Eucharistiæ.* qua ratione communiter primam tonsuram à ratione Ordinis excludunt, quia per eam clerici non destinantur ad certum aliquod diuinum officium. Aliqui tamen hanc rationem reprehendunt, quia clerici per tonsuram destinantur ad laudes in Ecclesia peragendas. Sed posset quis facilè respondere, hoc non sufficere ad rationem Ordinis, eò quòd hic requiratur destinatio ad certum officium. P. Vasquez verò hîc disput. 136. num. 8. vult Ordinem esse *gradum aliquem in templo administrandum* (siue ad peragendum diuinum officium) *per quem ascenditur*, scilicet ad altiorem in eo ministerio statum. à qua definitione excludit primam tonsuram, eò quòd non sit gradus. Cùm enim sit omnibus clericis communis, non dat initiato aliquam inter eos eminentiam, quare habet se potiùs instar soli, siue pauimenti. Vtraque ratio est bona; & quod ad rem attinet eadem. *Quare prima tonsura non sit Ordo.* *Vasquez.*

4 Qualis potestas ad Ordinem requiratur.

Nota Tertiò, vt talis gradus sit verus Ordo, non sufficere vt talis potestas etiam specialis quacumque ratione alicui conferatur (nam absolutè loquendo per solam Pontificis deputationem posset alicui clerico confertri potestas cum omni solemnitate exercendi officium ostiarij, lectoris aut acoluthi, & tamen hic nullum haberet Ordinem.) sed requiritur vt ei conferatur omnino stabiliter per quandam consecrationem, ita vt quamdiu viuit, eam non possit penitus amittere, vt omnes Catholici fatentur contra nostros hæreticos, qui volunt eiusmodi potestatem non aliter conferri quàm per legitimam ad tale aut tale officium Ecclesiasticum deputationem, quæ etiam *Hæretici nostri.*

etiam per amotionem ab eiusmodi officio amittatur. Sed contra eos pro nobis stat vsus totius ab initio Ecclesiæ, vt constat ex Tertull. libro de præscript. vbi docet proprium esse hæreticorum habere eiusmodi deputationem ad ministeria Ecclesiastica mutabilem: ita vt qui hodie sunt diuini officij ministri, cras fiant laici. Cui suffragatur D. August. lib. de bono coniugali, c. 24. vbi de ministris Ecclesiasticis agens, ait: *Etsi aliqua culpa quispiam ab officio remoueatur, Sacramentò Domini semel impositò non carebit, quamuis ad iudicium permanente.*

Tertullian. Hæreticorum est habere ministros Ecclesiasticos mutabiles.

D. August.

DVBIVM II.

Quot sit Ordines Ecclesiastici, & quàm antiqui fuerint?

5 HAc in re prima disputatio est cum hæreticis nostris. Nam Caluinus & Kemnitius apud Card. Bellarm. libr. de Clericis c. 11. tantùm admittunt tres Ordines scilicet Episcoporum (quos ferè Pastores aut Superintendentes vocant) & Presbyterorum (quos Seniores, aut verbi Ministros vocant) & Diaconorum: reliqua verò Ordinum officia, excepto exorcistæ, admittunt quidem; negant tamen habere rationem Ordinis Ecclesiastici, aut certo numero posse definiri: aiúntque ea initio in Ecclesia fuisse vel plura vel pauciora, prout singulæ Ecclesiæ pluribus vel paucioribus ministris indigebant, quos Pastores singuli pro suo iudicio modò assumebant, modò dimittebant.

Caluinus. Kemnitius. Bellarm.

Præcipuum eorum fundamentum est, quia antiqui Patres eiusmodi officia modò plura, modò pauciora numerant, & aliqua recensent quæ iam inter Ordines non numerantur. Nam D. Dionysius c. 5. Ecclesiast. Hierarch. tantùm numerat tres Ordines scilicet Pontificum, Sacerdotum, & Ministrorum. Canon Apostolorum 34. (secundùm alios 42. & 43.) tantùm numerat Episcopos, presbyteros, diaconos, subdiaconos, lectores & cantores. D. Ignatius epistola ad Antiochen. cæteris adnumerat κοπιῶντας, id est, laborantes, quorum officium erat mortuos sepelire. Nos autem iam neque cantoris, neque laborantis officium inter Ordines numeramus. Confirmantur hæc Primò, quia omnia minorum Ordinum officia, excepto exorcistæ, iam laici obeunt, & ad ea per solam externam deputationem pro tempore assumuntur: ergo vel ex hac ipsa consuetudine probatur, numquam olim ad ea obeunda ministros fuisse consecratos, sed eodem modo pro tempore, & nata occasione assumptos. Secundò, quia etiam ipsi diaconi Actorum 6. fuerunt primò solùm ex occasione creati, vt ministrarent mensis viduarum. quod non est officium sacrum.

D. Dionys.

Can. Apost.

D. Ignat.

Actor. 6.

6 Catholici verò omnes admittunt septem Ordines scilicet, *sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum, acolythorum, exorcistarum, lectorum, ostiariorum.*

Quidam Catholici recensent nouem Ordines, *Canonistæ. Nauarr. Tilmann. Valentia.*

Sed quidam præter hos numerant *episcopatum*, & *primam tonsuram*, atque ita volunt esse nouem Ordines. Ita quidam Canonistæ apud Nauarr. capit. 22. num. 18. His verò liberalior Tilmannus apud P. Valentiam disp. 9. q. 1. puncto 2. sub finem, adiungit decimum Ordinem cantorum, siue psalmistarum: quia horum mentionem facit Concil. 4. Carthag. cap. 10. Tertiò, alij volunt saltem esse octo: quia septem dictis adnumerant episcoporum. Ita Caiet. to. 1. opusc. tract. 11. Michaël Medina lib. 1. de cœlibatu c. 16. Nauar. c. 22. n. 18. Soto lect. 1. & 4. de Sacramento Ordinis, & alij.

Carthag. 4. Caietan. Mich. Med. Nauarr. Silu.

7 Septem fuerunt in Ecclesia septem Ordines, *Trident.*

CONCLVS. I. Ab initio in Ecclesia fuerunt septem veri Ordines Ecclesiastici, quos num. 6. initio recensui. Est de fide ex Tridentin. session. 23. cap. 2. vbi id expressè docet. De presbyteratu, & diaconatu non potest esse dubium. quia Scriptura sæpissimè horum mentionem facit, & hæretici eos etiam admittunt.

De aliis probatur. quia eorum meminerunt antiquissimi Patres. Primò, Clemens epistola 1. ad fratrem Domini; Secundò, Cornelius Pontifex circa annum Domini 255. in epistol. ad Fabianum Antioch. apud Eusebium l. 6. c. 42. hos omnes Ordines vt rem antiquam enumerat, atque in Ecclesia Romana suo tempore fuisse presbyteros quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem, acoluthos quadraginta duos, exorcistas, lectores & ostiarios vniuersim quinquaginta duo. Eosdem numerat Caius Pontif. epist. ad Felicem, & Concil. Romanum sub Siluestro ca. 3. & Carthag. 4. c. 3. & sex seqq. cui etiam D. Augustinus subscripsit. Vbi etiam docet quomodo singuli per Episcopum conferendi sint. Canone verò 10. docet cantorem sine scientia Episcopi, sola presbyteri designatione posse constitui, ostendens apertam differentiam inter hoc officium & præcedentia: quæ quia veri Ordines sunt, sola Episcopi consecratione conferuntur. Vide hac de re plura apud Baronium anno Christi 44. sub finem. Ex quibus patet istorum Pontificum tempore dictos Ordines in Ecclesia fuisse non vt recèns institutos, sed vt maioribus acceptos. Quare iuxta regulam quam assignat D. August. l. 4. de baptism. c. 24. meritò dicimus ab initio in Ecclesia fuisse, donec hæretici contrarium ostendant.

Clemens. Cornel. Pontif. Eusebius.

Caius Pont. Concil. Roman. Carthag. 4. D. August.

Baronius.

D. August.

8 Ad argumentum hæreticorum Respond. illos Patres locis ibi citatis non habuisse propositum omnes Ordines, qui tunc in Ecclesia erant, recensere; sed solùm pro re nata cerrotum officiorum facere mentionem: vnde sicut quosdam Ordines non enumerant, ita nec eos in Ecclesia esse negant; nec quæ officia habeant rationem Ordinis, quæ autem non habeant, ibi disputant. Ad Primam confirm. nego sequelam. Contrarium enim apertè patet ex Concilio Cathag. citato. Quòd autem iam sæpè laici istorum Ordinum officia obeant, fit quia non reperiuntur sufficientes clerici, qui ea possint commodè obire.

Carthag. 4.

Necessitas viduarum non sunt causa, sed occasio creandi diaconos.

Ad Secundam Resp. illam necessitatem viduarum fuisse quidem aliquam occasionem creandi illos diaconos: eos tamen nullo modo fuisse ad illud solum officium creatos, sed ad alia officia diuina obeunda; qualia sunt in defectu sacerdotum baptizare, & concionari, vt Acta expressè docent D. Stephanum & D. Philippum fecisse. Quod vel inde patet, quia fuerunt creati per orationem, & per manus impositionem, vt patet Actor. 6. quæ cæremonia sacram ordinationem exprimit, vt infrà ostendam. Non fuerunt itaque propriè creati diaconi, vt mensis inseruirent, sed hæc necessitas solùm fuit occasio vt crearentur diaconi, atque ita cum maiore auctoritate illud officium obedirent.

Actor. 6.

9 CONCLVS. II. Propriè sunt tantùm illi septem Ordines, quos n. 6. initio recensui. Ita D. Thom. in supple. q. 32. a. 2. & est ferè communis sententia DD. Prob. Primò, ex Trident. sess. 23. c. 3. vbi solos dictos inter Ordines numerat; & eùm ibi dogmaticè loquatur, omnino videtur intendere omnes veros Ordines enumerare, quia aliàs daret doctrinam imminutam. quod eo loco maximè debuit vitare: præsertim cùm agat contra hæreticos qui aliquos Ordines admittebant, & aliquos negabant: contra quos intendebat docere, quot & quinam sint veri Ordines.

Ordines propriè sunt solùm septem. *D. Thom. Trident.*

Probatur Secundò, quia Ordines quos alij adiiciunt, aut non sunt veri Ordines, aut non sunt distincti à iam numeratis. De prima tonsura id probari numero 3. De officio cantoris probatur. quia, vt patet ex Concil. Carthagin. 4. c. 10. hoc non confertur stabiliter per aliquam consecrationem. quod tamen

Cantus, & Officium cantoris non est ordo. Soto.

ad rationem Ordinis est necessarium, vt ostendi num. 4. Episcopatum verò aliqui probant non esse Ordinem. quia non confertur ad peragendum mysterium Ven. Eucharistiæ; quod tamen aiunt esse necessarium ad rationem Ordinis. ita Soto in 4. d. 24. qu. 1. a. 3. Sed hoc nullo modo satisfacit. quia potestas consecrandi sacerdotis, quæ in ordinatione Episcopi confertur, longè directiùs & immediatiùs inseruit huic mysterio peragendo, quàm potestas exorcistæ aut lectoris, vt per se clarum est. Quare alij verius fatentur episcopatum esse verum Ordinem; non tamen constituere octauum Ordinem. quia non satis distinguitur à sacerdotio, quod intrinsecè in se excludit, atque ita vnum integrum ac perfectum Ordinem eum hoc constituit. Sicut virginitas non dicit distinctam virtutem à castitate, quam intrinsecè includit. ita Durand. in 4. d. 24. qu. 6. litt. I. Palud. ibid. quæst. 7. a. 3. Vasquez hîc, d. 240. cap. 5. Quamquam si velimus episcopatum incompletè concipere prout à sacerdotio distinguitur, possit dici distinctus Ordo, sed non omnino completus. Et ea ratione Anacletus & Damasus citandi num. 41. dicunt esse duos Ordines sacerdotum.

Episcopatus est verus Ordo, sed idem cum sacerdotio.

Durand. Palud. Vasquez.

Anacletus. Damasus.

DVBIVM III.

Quinam Ordines sint maiores, & qui minores. Item, quinam sint sacri, qui non: & quæ sint singulorum officia.

10 TRiplex, vt patet ex titulo, hîc est difficultas. Circa primam autem & secundam, constat tam ex Concil. Trident. sess. 23. c. 2. quàm ex communi sententia, presbyteratum, diaconatum, & subdiaconatum iam esse Ordines sacros, & maiores: reliquos verò dici minores, & non sacros. Olim tamen subdiaconatus non fuit Ordo sacer, vt ex c. *Nullus in Episcopum.* d. 60. expressè docet Innocentius III. c. *A multis.* 9. de ætate & qualitate ordin. Presbyteratus autem dictus est Ordo maior propter sui eminentiam: reliqui autem duo ita dicti sunt, eò quòd diaconus & subdiaconus in altari presbytero inseruiendo, de eius dignitate aliquid participent. Reliqui dicti sunt minores, quòd suos ministros in inferiore gradu constituant.

Trident. Tres sunt Ordines sacri ad maiores. Subdiaconatus olim non fuit Ordo sacer. c. Nullus. c. A multis, Innoc. III. Vnde maiores. Vnde minores dicti.

11 Cur autem tres priores dicti sint sacri, non ita inter auctores conuenit. Soto in 4. d. 24. quæst. 1. art. 4. conclus. 7. vult dici sacros, eò quòd eorum collatio sit verum Sacramentum: secùs autem esse de collatione minorum Ordinum. Sed hoc dici nullo modo potest. quia sic subdiaconatus aut debuisset ab initio esse Ordo sacer, aut iam esse non posset. quia si initio non fuit, non potuit postea incipere esse Sacramentum. Illud autem apertè repugnat cap. *A multis.* citato. Dicendum igitur est ita dici, quia habent annexum votum continentiæ, atque eos qui illis initiantur, omnino & in perpetuum ita Deo consecrant, vt non possint iterum fieri sæculares. Hinc eò quòd subdiaconatus non habuerit ab initio illud votum annexum, ideo non fuit ab initio Ordo sacer, vt docet Innoc. in c. *A multis.* cit. Reliqui verò suos ministros non ita Deo consecrant. Nam etsi Ordinem non possint amittere; possunt tamen ducendo viduam, omne eius officium deponere, & omne priuilegium amittere, & fieri quasi laici. ita Vasquez hîc disp. 238. num. 57.

Soto. c. A multis. Cur aliqui dicti sacri. Innocent. c. A multis. Vasquez.

12 Quæ autem sint singulorum officia fusè disputat P. Vasquez disputat. 236. cap. 2. & seqq. Nos ea hîc breuiter enumerabimus. Presbyteris in Pontificali Romano quinque officia assignantur. Scilicet Primò, *Offerre*, nimirum sacrificium Missæ. Secundò, *Benedicere*, scilicet tam populum, quàm alia, quæ ab ipso benedici possunt. Tertiò, *Præesse*, quia presbyterorum est, sub Episcopis Ecclesiam regere. Quartò, *Prædicare*. Quintò, *Baptizare*. Hoc enim est etiam proprium munus sacerdotis: vt ostendi in materia de baptismo: quibus adde, pœnitentes Deo reconciliare eos à peccatis absoluendo. Duplicem autem potestatem per suam ordinationem sacerdos præcipuè accipit, scilicet consecrandi corpus & sanguinem Christi, & absoluendi à peccatis, de qua satis egi disp. 4. dub. 2. & disp. 8. dub. 3.

Vasquez. Officium presbyteri. Duplex eiusdem potestas.

13 De diaconis dicitur in Pontificali; *Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare.* Hæc duo tamen tantùm facit ex commissione sacerdotis, aut in necessitate in eius absentia. Vide dicta tom. 1. quæst. 67. de ministro baptismi. Inter ministeria autem quæ facit ad altare, præcipua sunt; Primò, administrare populo calicem: quod tamen hodie non est in vsu: olim autem fuisse patet ex vita S. Laurentij, & plurimis historiis. Secundò, cantare solemniter Euangelium tempore sacrificij: quod etiam hodie in vsu est, multique putant hoc esse præcipuum munus ad quod ipse consecratur, & cuius exercendi potestatem directè ac immediatè accipit. Officium Diaconi.

14 Sed hoc aliis videtur valdè difficile. Primò, quia, cùm diaconi primò constituti ac ordinati sunt, nulla erant Euangelia conscripta: quomodo ergo tunc fuerunt directè ordinati ad id quod facere nullo modo poterant? Secundò, quia, cùm collatio diaconatus sit Sacramentum, id ad quod diaconi immediatè ac directè consecrantur, debet iis competere iure diuino: atqui cantare tempore sacrificij Euangelium, non potest esse tale: ergo non sunt ad hoc directè consecrati. Minor probatur, quia, quòd diaconus canat Euangelium in Sacro, nullo modo est institutum à Christo (qui ne quidem instituit vt Euangelium in Sacro ab vllo canatur aut legatur) sed est cæremonia Ecclesiastica: ergo Christus non potuit consecrationem diaconi in eum finem instituere vt ipse Euangelium caneret in Sacro. quia aliàs simul instituisset vt hoc saltem ab aliquo necessariò in Sacro caneretur, aut legeretur. Nam hoc in illo includitur. Nec enim potest concipi Christum instituisse vt certi ministri ad aliquod officium instruerentur, nisi simul institueret, vt hoc officium ab illis fieret.

15 Quare credo cum Bellarmin. cap. 9. de Ordine, in fine, & aliis, diaconos ex Christi institutione directè ordinari vt assistat & ministrent sacerdoti in sacrificio Missæ, aliisque officiis diuinis, ipsum adiuuando, ac præsertim ministrando populo calicem, & ex sacerdotis commissione, aut in ipsius absentia baptizando, & concionando: non quidem vt hæc necessariò debeant ei committi, sed vt per ordinationem fiat dignus, cui ea committantur. Quòd autem in Sacro hoc vel illo modo, v. c. canendo Euangelium, sacerdoti inseruiat, hoc prouenit ex determinatione Ecclesiæ, à qua eiusmodi ceremoniæ sunt institutæ. Bellarm. Ad quid diaconi à Christo sint instituti.

Olim etiam diu Diaconi habuerunt dispensationem bonorum Ecclesiæ, & curam distribuendi eleëmosynas pauperibus: vt patet ex vita B. Laurentij. Quod accidit ex eo quòd ab Apostolis iis fuit primò commissa cura distribuendi quotidianum victum viduis. Vnde etiam factum est, vt, cùm ob illarum rerum administrationem & dispensationem à multis honorarentur, ipsi sæpiùs contra presbyteros superbierint: vt patet ex D. Hieronymo epistola 85. ad Euagrium. D. Hieron.

16 De subdiaconis in Pontificali dicitur: *Subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium altaris præparare, diacono ministrare, pallas altaris & corporalia ablutere calicem, & patenã in vsum sacrificij eidem offerre.* Subdiaconi officia.

Deinde

Deinde subiungitur qua ratione debeat panem consecrandum pro populo in altari ponere, corporalia, & alia similia lauare. Ex quibus (sicut etiam ipsum nomen indicat) patet, subdiaconum ordinari, vt diacono in iis, quæ pertinent ad sacrificium Missæ subseruiat: in quo vnum etiam ex præcipuis ipsius ministeriis est vt Epistolam solemniter canat.

17 Officium acoluthi.

De acoluthis autem ibidem dicitur; *Acoluthum enim oportet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum & aquam ad Eucharistiam ministrare.* Dicitur autem ab ἀκολουθέω, id est, subsequor. vnde ἀκόλουθος significat subsequentem instar ministri aut pedissequi, ex eo quòd diacono & subdiacono circa altaris ministerium inseruiat. Vocatur autem communiter acolitus, siue acolytus, quod aliqui volunt deduci, à κωλύω, id est, prohibeo, ita vt acolytus sit idem quod non prohibitus: eò quòd non prohibeatur accedere ad altare. Sed verius est ita dici corruptè per mutationem aut subtractionem aliquarum litterarum. Dicitur etiam ceroferarius, eò quòd ipsius sit ferre candelabrum cum cereo, quem etiam ipse accendit.

Vnde dicatur.

18 Exorcistæ officium.

De exorcista ibidem dicitur *Exorcistam enim oportet abijcere dæmones, & dicere populo, vt qui non communicat, det locum* (scilicet alteri communicanti, vt possit ad altare accedere) *& aquam in ministerium* (scilicet baptismi) *fundere.* Sed hæc officia non sunt ea ratione in vsu saltem vt fiant per eos, qui solùm sunt exorcistæ.

Lectoris officium.

De lectore dicitur: *Lectorem siquidem oportet legere ea quæ prædicat, & lectiones cantare, & benedicere panes, & omnes fructus nouos.* Vbi videntur ei tribui officia, quæ partim subdiaconis, partim diaconis ac presbyteris conueniunt: vt est *prædicare*, & *fructus benedicere.* Sed dicendum hæc olim facta fuisse à lectore minore solemnitate, & extra officium Missæ. Quomodo autem fiebant variant auctores, & difficile est coniicere, quia iam diu non sunt in vsu.

Ostiarij officium.

De ostiario autem dicitur: *Ostiarium oportet percutere cymbalum* (scilicet tempore sacrificij) *& campanam, aperire Ecclesiam, & sacrarium, & librum aperire ei qui prædicat.*

DVBIVM IV.

Vtrùm iure diuino vnus Ordo sit altero superior?

19 Hac in re, exceptis quibusdam hæreticis, qui omnes omnino Ordines tollunt, satis constat Episcopos & presbyteros aliis inferioribus clericis esse iure diuino superiores. Hoc enim vbique Scripturæ loquuntur. Nam Paulus Actor. 20. vocatis presbyteris Ephesinis ait: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Vbi expressè docet illos fuisse positos à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei: qui autem regit, est maior eo qui regitur.

Actor. 20.

Difficultas autem præcipua est, An Episcopus iure diuino sit maior simplici presbytero? Olim Aërius, vt testatur D. August. l. de hæresibus. cap. 53. voluit presbyteros iure diuino absolutè esse æquales Episcopis: quem secuti sunt deinde Vviclef ac ferè omnes nostri temporis hæretici.

Aërius. D. August. Vviclef. Hæretici nostri.

Probant Primò, quia Apostolus tam loco citato, quàm c. 1. ad Titum & alibi eosdem omnino vocat modò presbyteros, modò Episcopos, quasi inter eos nulla sit distinctio. Secundò, quia ad Philippenses c. 1. Apostolus ait: *Paulus & Timotheus serui Iesu Christi omnibus sanctis, qui sunt Philippis cum Episcopis & diaconibus.* Vbi cùm solùm faciat mentionem Episcoporum & diaconorum, non videtur agnoscere presbyteros ab his distinctos. Tertiò, quia idem videntur sensisse antiqui Patres.

Tit. 5. Philip. 1.

Nam D. Ambrosius in c. 4. ad Ephesios, *Timotheum*, inquit, *Episcopum à se creatum, presbyterum vocat, quia primi presbyteri Episcopi appellabantur, vt recedente eo sequens ei succederet. Denique apud Egyptum presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus: sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Concilio, vt non ordo, sed meritum crearet Episcopum multorum sacerdotum iudicio constitutum.* Item Chrysost. in c. 3. 1. ad Timoth. homil. 11. initio, *Inter Episcopum* ait, *& presbyterum interest ferè nihil, quippe & presbyteris Ecclesiæ cura commissa est: & quæ de Episcopis dixit, ea etiam presbyteris congruunt. Sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantùm plus quàm presbyteri habere videntur.* Tertiò, D. Aug. 19. epistola ad Hier. circa finem, *Quamuis enim*, inquit, *secundùm honorum vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, episcopatus presbyterio maior sit; in multis tamen rebus Augustinus Hieronymo minor est.*

20 D. Ambros. Chrysost. D. Aug.

Omnium autem clarissimè eam opinionem videtur asserere D. Hieronymus in c. 1. epist. ad Titum, vbi ait: *Idem presbyter, qui Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & dicerentur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ; communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò vnusquisque eos, quos baptizauerat, suos putabat esse non Christi; in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris electus superponeretur cæteris ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Et infrà: *Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere: imitantes Moysen, qui cùm haberet in potestate solus præsse populo Israël, septuaginta elegit cum quibus populum iudicaret.* Similia habet epist. 85. ad Euagrium.

D. Hieron.

Propter loca citata Michaël Medina lib. 1. de sacror. hom. orig. & cont. c. 5. ait dictos Patres idem hac in re sensisse cum Aërio. hunc tamen quia aliàs etiam erat hæreticus, fuisse etiam ob eum errorem ab Ecclesia damnatum, qui in illis Patribus, quia aliàs erant Catholici, fuit dissimulatus. Sed insigni eorum Patrum iniuria dicitur eos errorem tunc ab Ecclesia damnatum defendisse, atque ita verè fuisse hæreticos. Nec enim damnationem Aërij poterant ignorare, præsertim cùm illi ipsi Aërium inter hæreticos numerent: &, vt infrà ostendam, sine vllo fundamento illud dicitur. Durandus verò in 4. d. 24. q. 5. & Soto qu. 2. a. 2. ante finem putant saltem D. Hieronymum fuisse in ea sententia, quòd iure diuino inter Episcopum & presbyterum nullum esset discrimen, sed solùm iure Ecclesiastico. Sed & hoc apertè falsum est, vt ostendam num. 30.

21 Michaël Medina. Aërius. Durand. Soto. D. Hieron.

Pro resolutione Nota Primò, Episcopum de facto tripliciter simplici sacerdote esse superiorem. Primò, potestate Ordinis; Secundò, dignitate; Tertiò, potestate iurisdictionis.

22 Episcopus triplici ratione maior presbytero.

Nota Secundò, iurisdictionem posse dupliciter alicui Ordini vel dignitati competere. Primò, ita vt quisquis eum Ordinem siue dignitatem suscipit, hoc ipso in actu secundo talem iurisdictionem necessariò acquirat, idque eadem planè actione, qua Ordo ipsi confertur. Secundò, solùm quasi in radice, quatenus illa iurisdictio omnino necessaria est, vt quis possit fungi munere, ad quod ille Ordo est institutus: ita vt Ecclesia ita ordinato, siue fungendi tali munere teneatur talem iurisdictionem in actu secundo concedere.

Iurisdictio dupliciter alicui Ordini potest annecti.

CONCLVSIO I. Sacerdos iure diuino potestate 23

Ordinis reliquos omnes inferiores clericos superat. Est de fide. quia, vt ostendi, dum egi de ministro Vener. Eucharistiæ & Confessionis, ipse in sua ordinatione accipit potestatem hæc duo Sacramenta conficiendi; quam nemo non sacerdos habet. Vnde sequitur ipsum dictos clericos etiam superare dignitate. Nam habere talem potestatem est maximæ dignitatis; vt pulcherrimè & fusissimè ostendit D. Chrysost. in libris de sacerdotio.

D. Chrysost.

24 CONCLVSIO II. Episcopus iure diuino simplices sacerdotes potestate Ordinis superat. Quia potest consecrare sacerdotes, & confirmare, quod simplex sacerdos non potest. Est definita in Trid. sess. 23. c. 7. his verbis: *Si quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi: aut vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem, &c. anathema sit.* Agit autem de superioritate quæ illis iure diuino competit, vt patet ex ca. 6. De potestate autem confirmandi id fusè probaui tom. 1. q. 72. a. 11. De ordinatione autem id pluribus probabo infrà dub. 9.

Trident.

25 CONCLVS. III. Episcopus iure diuino ex vi suæ ordinationis superat simplicem sacerdotem dignitate, quia habet omnem potestatem Ordinis, quam habet sacerdos, & præterea potestatem conferendi illa duo Sacramenta. quod magnæ dignitatis est: nam hac ratione est verè pater sacerdotum, quos consecrando generat: pater autem est maior filio: & teste Apostolo ad Hebr. 7. *Sine vlla contradictione quod minus est a meliore benedicitur.*

Hebr. 7.

Episcopi succedunt Apostolis

Confirm. Quia Episcopi succedunt in locum Apostolorum, & obtinent eum locum in Ecclesia, quem obtinebant Principes sacerdotum in synagoga. Presbyteri verò succedunt LXXII. discipulis, & obtinent in Ecclesia locum quem obtinebant simplices sacerdotes in Synagoga, vt docet Anacletus epistola 3. §. 1. Damasus epistola 3. D. Leo epistola 88. ad Episcopos Germaniæ. Conc. Neocæsar. can. 13. & Hispal. 2. can. 7. D. Hieronym. epist. 54. ad Marcellam, & 85. ad Euagrium. D. August. tract. in psalm. 44. super illud, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* & alij: atqui principes sacerdotum in Synagoga fuerunt digniores aliis sacerdotibus; sicut etiam Apostoli aliis discipulis; quia illi fuerunt principes Ecclesiæ, de quibus dicitur psalm. 44. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij* (Apostoli scilicet pro patriarchis;) *constitues eos principes super omnem terram*: ergo similiter Episcopi sint maiores & digniores presbyteris.

Sacerdotes LXXII. discipulis. *Anacletus. Damasus. D. Leo. Conc. Neocæsar. Hispal. 2. D. Hieron. D. August.* *Psal. 44.*

26 Dices, Patres quandoque dicunt etiam presbyteros succedere Apostolis, vt patet ex D. Ignatio epist. 7. ad Smyrnenses, circa medium.

D. Ignat.

Quæ ratione presbyteri quandoque dicantur succedere Apostolis.

Respondeo, Patres quandoque dicere presbyteros succedere Apostolis, non quia Apostoli sunt, sed quatenus eriam sunt presbyteri, siue quatenus habent potestatem consecrandi & absoluendi. Nam aliis locis manifestè asserunt solos Episcopos succedere Apostolis, prout erant principes Ecclesiæ.

Dices Secundò, Dignior est potestas consecrandi corpus & sanguinem Christi, quàm quæuis alia potestas homini concessa: sed illam habent presbyteri: ergo nulli eos dignitate superant.

Respondeo, negando conseq. Quia Episcopi & illam habent, & præterea potestatem ordinandi. Vtraque autem potestas simul est melior vna sola.

27 CONCLVS. IV. Episcopi iure diuino habent potestatem iurisdictionis maiorem quàm presbyteri quasi in radice, & actu primo, quatenus ratione dignitatis & muneris, ad quod ex Dei institutione ordinantur, maior iurisdictio iis debita est, quàm presbyteris. Quòd tamè de facto hi vel illi habeant in actu secundo maiorem prouenit ex iure positiuo, siue concessione Ecclesiæ siue Pontificis. Ex qua etiam fieri potest, vt simplex sacerdos habeat eiusmodi potestatem æqualem, aut etiam maiorē quàm illi. Quod patet ex praxi Ecclesiæ. Nam plurimi presbyteri habent iurisdictionem episcopalem, & possunt assumi vt sint legati à latere Pontificis, cum potestate longè maiore. Vtraque pars patet ex dictis disp. 8. n. 19. 20. & 21. vbi ostendi Pontificem, vt est caput Ecclesiæ, teneri quidem iure diuino constituere certis locis Episcopos cum iurisdictione eorum officio competente: quòd tamen singuli tantam vel tantam diœcesin aut iurisdictionem habeant, hoc prouenire ex concessione Ecclesiæ, quæ singulorum potestatem minuere vel augere potest.

Quæ ratione Episcopis iure diuino competat iurisdictio.

Prior etiam pars patet ex dictis nu. 25. vbi ostendi eos esse principes Ecclesiæ: vnde sequitur iis esse debitam iurisdictionem principalem, cóque inter suos presbyteros non esse tamquam consulem inter senatores (vt Caluinus somniat) sed tamquam Principem inter suos consiliarios. Patet ex praxi totius Ecclesiæ, nam etiam tempore Apostolorum semper Episcopi habuerunt per totum orbem eminentem potestatem supra presbyteros. Quia 1. ad Timoth. 5. Apostolus ei scribit, vt aduersus presbyteros non accipiat accusationem sine duobus aut tribus testibus. Et similiter ad Titum c. 1. vt ea quæ desunt corrigat, & constituat per ciuitates presbyteros. Vbi Apostolus apertè ostendit, Episcopos, quales Timoth. & Titus erant, esse iudices, correctores ac rectores presbyterorum. Quod etiam apertè docent Patres cit. n. 25. Nec vllo modo verosimile est hoc habuisse ortum ex solis schismatibus; quę in Corinthiis accusat Apostolus. Tum quia, vt ostēdi, status ipse episcopalis ex Christi institutione hoc exigebat: tum etiam quia priuata aliquorum schismata non fuerunt sufficiens causa, vt statim per totum orbem tanta in regimine Ecclesiæ mutatio induceretur.

28

Caluinus.

1. Timoth. 5.

Tit. 1.

Ad loca Scripturæ nu. 19. contra nos citata Resp. initio Ecclesiæ omnes presbyteros communiter participasse aliquo modo iurisdictionem & officium Episcopale. Tum quia tanquam eius cōsiliarij vnà cum Episcopo Ecclesias regebant in iis locis vbi erant Episcopi: tum etiam quia iis magna ex parte communicabatur iurisdictio Episcopalis; præsertim in locis vbi Episcopi non erant. Vnde omnes promiscuè vocabantur modò presbyteri, modò Episcopi. Episcopus enim significat eum qui alicui rei tanquam director præfectus est, siue cui incumbit aliorum regimini inuigilare. Vnde fit vt Apostolus sæpè nomine *presbyteri*, aut *Episcopi*, promiscuè tam Episcopos quàm presbyteros intelligat: quamuis etiam sæpè vtrorumque nomen distinguat, vt patet ex epistolis ad Timoth. & Titum suprà citatis. Crescente tamen postea tam fidelium, quàm etiam Episcoporum ac presbyterorum multitudine, vt vitaretur confusio, & fortè etiam ob aliquorum presbyterorum superbiam, sua potestate insolenter abutentium, & contra Episcopos superbientium, tam nomina, quàm gubernandi officia fuerunt magis distincta, & presbyterorum potestas restricta.

29

Quare presbyteri initio did sunt Episcopi.

Et hoc solùm, nec quidquam aliud voluit S. Hie. cit. n. 20. Tantùm enim vult spectato solo iure diuino Episcopos non habere necessario actu maiorem iurisdictionem, quàm presbyteros: siue illos nullam habere eiusmodi potestatem, quæ presbyteris communicari non possit, quæque initio non fuerit aliquo modo cōmunicata. Aliàs enim sensisse Episcopum & potestate Ordinis, & dignitate iure diuino esse superiorē presbyteris, patet ex eiusdem epist. 85. ad Euagrium: vbi vel maximè videtur contēdere presbyteros Episcopis iure diuino esse æquales; & tamen ibid. ait: *Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter non faciat?* Vbi apertè agnoscit potestatē ordinandi, siue cōsecrandi presbyteros ita conuenire Episcopo, vt non possit conuenire presbytero. Ex quo etiam sequitur,

30

D. Hieron.

illum

illum ex vi suæ ordinationis, & consequenter, ex Christi institutione hunc dignitate superare. Nam, vt ostendi numero 25. & pater filio, & consecrans cõsecrato est maior. Deinde in fine illius epistolæ ait: *Quod Aaron & filij eius atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi & presbyteri & diaconi vendicent in Ecclesia.* Vbi apertè docet, in lege noua eodem modo se habere Episcopos, sacerdotes, & diaconos, sicut in lege veteri se habebant Aaron, filij eius & Leuitæ: atque constat in veteri lege primò Aaronem, & deinde Eleazarum, ac alios summos sacerdotes fuisse & Leuitarum, & filiorum Aaron, siue sacerdotum principes, idque iure diuino, vt patet Num. 3. aliisque locis plurimis: ergo etiam teste D. Hieron. in Ecclesia eodem iure debent esse aliqui sacerdotum & diaconorum, atque adeò Ecclesiæ principes; qui non sunt alij quam Episcopi, quos etiam sine dubio omnino conuenit aliis potestate esse superiores: sicut principes synagogæ respectu aliorum sacerdotum sine dubio fuerunt superiores. Habemus igitur Hieronymum pro nobis, licèt ibidem oratorum modo dignitatem presbyterorum exaggerando quædam paulò dutiùs dicat.

Num. 3. *D. Hieron.*

31 Ad reliquos Patres iam facilior est responsio. Ad auctoritatem Ambrosij Resp. Primò cum Bellarm. l. 1. de clericis c. 15. ea commentaria non esse Ambrosij. Secundò, eum auctorem non velle maximum natu presbyterum sola successione aliquando factum fuisse Episcopum; hoc enim nullum habet fundamentum: sed eum olim initio solere semper eligi in Episcopum (quod tamen non credo vnquam generatim factum esse) & per consecrationem, siue per impositionem manuum presbyterij, id est, cœtus Episcoporum, fieri Episcopum: vt dicitur 1. ad Timoth. 4. Nam idem auctor ibidem expressè fatetur Episcopum esse principem sacerdotum. Chrysost. verò in verbis citatis apertè agnoscit Episcopum potestate Ordinis superiorem esse presbytero. Nec aliud vult quàm quod diximus D. Hieronymum velle, scilicet etiam sacerdotibus posse committi Ecclesiæ regimen, & hoc sæpè fieri, licèt non in eo gradu, quo Episcopis committitur.

D. Ambros. Bellarm. *1. Tim. 4.* *D. Chrysost.*

32 Diuus autem Augustinus loco citato nullo modo dicit solo humano vsu euenisse, vt Episcopus sit maior presbytero: sed quòd *secundùm honorum vocabula, quæ iam* (tempore scilicet noui Testamenti) *vsus obtinuit* (id est, quibus ex communi vsu solemus vtrorumque officium significare) *episcopatus presbyterio maior sit*, &c. Vbi nullo modo dicit vsum obtinuisse hunc vel illum honorem, sed obtinuisse *vocabula*, scilicet vt hoc vel illud officium per ea significemus, quæ omnino nihil contra nos, sed multùm pro nobis faciunt: præsertim cùm D. Augustin. tract. in Psal. 44. apertè doceat Apostolos esse principes Ecclesiæ, idque ex auctoritate ipsius Scripturæ. Vnde clarè patet ipsum sensisse eos esse tales ex institutione Christi.

D. Augustin. *D. Augustin.*

DVBIVM V.

Vtrùm Ordo, siue sacra ordinatio sit Sacramentum?

33 NOta, nos hic non agere, Vtrùm ordo, prout significat ipsam potestatem, seu statum quem Clerici in ordinatione accipiunt, sit Sacramentum (constat enim inter omnes non esse Sacramentum, sed Sacramenti effectum) sed quæstio est de ordinatione, qua talis potestas confertur. Similiter non quærimus hoc dubio, vtrùm omnes ordinationes sint Sacramentum, sed solùm vtrùm aliqua sit Sacramentum siue sit ordinatio Episcopi, siue presbyteri, siue aliorum. Quare nullam hic habemus controuersiam cum Catholicis, qui semper omnes credidernnt saltem aliquam ordinationem esse Sacramentum. Sed tota disputatio est cum modernis hæreticis. Nam etsi aliqui concedant ordinationem esse Sacramentum; plurimi tamen id negant. Præcipua ferè eorum ratio est, quia D. Augustin. tract. 80. in Ioan. requirit elementum ad rationem Sacramenti. Sed hæc omnino vana est. Nam D. Augustin. ibi solùm loquitur de Sacramento baptismi: alia autem Sacramenta non requirunt propriè aliquod elementum, sed signum externum sensibile, quod in ordinatione verè reperitur. Addunt præterea nec ex Scriptura, nec antiquis Patribus posse probari ipsam esse Sacramentum. Sed hoc ex dicendis patebit apertè esse falsum.

Hæretici nostri. *D. Augustin.*

CONCLVS. Fide tenendum est sacram ordinationem esse verum & propriè dictum Sacramentum. Ita omnes Catholici, & est apertè definitum in Florentino in litteris Eugenij, & in Trid. sess. 23. can. 3. Probatur Primò, quia continet ritum externum diuinitus institutum, qui vsu suo confert gratiam, quæ tria ad rationem Sacramenti propriè dicti sufficere etiam hæretici fatentur, quare solùm mihi probandum est, quod illa tria contineat.

34 Ordinatio est verum Sacramentum. *Florent.* *Trident.*

Primò igitur, quòd contineat ritum externum, vel ex ipsa experientia patet. Nam Ordo semper in Ecclesia fuit collatus per impositionem manuum, aut simile externum signum: vt patet ex omnibus tam Ritualibus, quàm quibusuis auctoribus, qui rationem qua Ordines vnquam fuerunt collati, descripserunt. Hinc hæc ordinatio apud Græcos χειροτονία, quasi χειροθεσία vocatur, id est, extensio, siue impositio manuum. Illa enim duo verba pro eodem apud Græcos scriptores Ecclesiasticos accipi patet ex D. Chrysost. hom. 10. in 1. ad Timoth.

D. Chrysost.

Secundò, hunc ritum diuinitus esse institutum apertè colligitur, tum ex eo quòd Apostoli semper eo in ordinatione diaconorum & sacerdotum vsi sunt: vt patet Actor. 6. & 1. ad Timoth. 4. qui non possunt vllo modo credi sine Christi auctoritate in re tanta aliquid ex suo capite finxisse. Tum etiam quia, vt statim ostendam, per illum confertur gratia, quod fieri non posset, nisi esset à Deo institutus, qui solus potest signa efficacia gratiæ instituere.

35 Apostoli semper ordinarunt per impositionem manuum. *Actor. 6.* *1. Timot. 4.*

Tertiò, per illum conferri gratiam, patet ex 1. ad Timoth. 4. cui Apostolus ita scribit: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij*, id est, cœtus presbyterorum, siue Episcoporum. Vbi Nota, aliquos putare, Apostolum per illa verba, *per prophetiam*, significare diuinam reuelationem, qua iussus est Timotheum ordinare Episcopum, vt colligitur ex c. 1. n. 18. Sed verius credo, eum significare ipsam formam Sacramenti, qua significatur gratia & potestas quæ per ordinationem traditur, quia per hanc coniunctam cum impositione manuum propriè data est Timotheo gratia. Secundùm aliam autem explicationem, verba debent nonnihil impropriè sumi. Dicitur autem illa forma prophetia phrasi Scripturæ, quæ non solùm prædictionem rei futuræ, sed omnem diuinitus traditum sermonem, aut diuinorum mysteriorum explicationem, imò omnem miraculosam operationem vocat prophetiã: vt patet 1. ad Corinth. 14. v. 3. 24. & 29. Vbi eos qui diuinas Scripturas explicant, aut de rebus diuinis appositè loquuntur, dicit prophetare. Et Eccli. 48. v. 14. vbi dicitur Elizei corpus mortuum prophetasse, quia scilicet corpus mortuum in eius sepulchrum proiectum suscitauit: vt habetur 4. Reg. 13. v. 21.

36 Per eam confertur gratia. *1. Timot. 4.* *1. Timot. 1.* Prophetia in Scriptura omnem sacrum sermonem significat. *1. Cor. 14.* *Eccli. 48.* *4. Reg. 13.*

Similiter Apostolus 2. ad Timoth. 1. ait: *Admoneo te vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Quibus locis expressè habemus per dictum ritum conferri gratiam. Nec obstat quòd pro *gratia* Græcè ponatur χάρισμα, id est, donum, quia gratia est præcipuum donum Dei. Agi autem ibi de gratia sanctificante patet Primò, quia Apostolus explicans

37 *2. Timot. 1.*

quale sit hoc donum, mox subiungit: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis*: quibus apertè gratia sanctificans significatur cum virtutibus quæ eam comitantur. Confirmatur, quia Christus Ioannis 20. cùm daret discipulis potestatem remittendi peccata (quæ est potestas Ordinis sacerdotalis, eiusque collatio est partialis ordinatio sacerdotis, vt infrà dicemus) insufflans in eos dixit: *Accipite Spiritum sanctum*, &c. ostendens in hac ordinatione Spiritum sanctum conferri. Vnde etiam tota semper Ecclesia in collatione huius Ordinis dictis verbis vsa est. Numquam autem dicitur alicui absolutè dari Spiritus sanctus, nisi quando ei confertur gratia sanctificans: vt patet ad Rom. 5. v. 5. vbi dicitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Ioan. 20.

Rom. 5.

38 Probatur conclusio Secundò, ex consensu totius ab initio Ecclesiæ. Nam omnes Patres & Concilia, quæ hac de re fecerunt mentionem, communi consensu docuerunt sacram ordinationem esse Sacramentum. Primò, D. Dionysius cap. 5. Hierarch. Eccles. apertè docet per hoc Sacramentum conferri gratiam. Secundò, Innocentius I. epistola 18. ad Alexandr. apertè confert sacram ordinationem cum baptismo: clarè ostendens eodem modo esse Sacramentum. Tertiò, Leo I. epist. 81. cap. 1. ordinationem apertè vocat Sacramentum, & epist. 87. c. 1. ad Episcopos Mauritaniæ de eadem loquens: *Quis*, inquit, *dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti perpetrarint iniuriam?* Anastasius II. Quartò, Anastasius II. in epist. ad Anastasium Imp. c. 7. *Nullum*, ait, *de his vel quos baptizauit Acacius, vel quos sacerdotes siue Leuitas secundùm canones ordinauit, vlla eos ex nomine Acacij portio læsionis attingit, quoforsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minùs firma videtur.* Quintò, D. Ambrosius lib. de dignit. sacerdot. c. 3. *Homo*, inquit, *imponit manum, Deus largitur gratiam.* Sextò, D. Augustinus lib. 2. contra Parmen. c. 13. *Ipse*, inquit, *explicent quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti; & Sacramentum ordinati possit amitti.* Et paulò pòst: *Si enim vtrumque Sacramentum (quod nemo dubitat) cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento iniuria facienda est.* Vnde habemus, teste D. Augustino, Primò, ordinationem esse verum Sacramentum, eodem modo ac Baptismum, nam vtrumque hac in parte æquat. Secundò, neminem Christianum suo tempore de eo dubitasse. Quare non est opus plures Patres citare, vt probem vniuersalem Ecclesiæ consensum: præsertim cùm his consentiant etiam Concilia.

D. Dionys.

Innoc. I.

Leo I.

Anastas. II.

D. Ambros.

D. Augus.

39 Nam Chalcedonense can. 2. dicit eos qui pecuniam pro ordinatione accipiunt, Spiritus sancti gratiâ vendere, quæ scilicet per ordinationem confertur. Nam aliàs illi eam vendere non possent. Idem communiter docent tam alia Concilia, quàm Patres, quoties huius rei mentionem faciunt. Tandem ordinationem esse propriè dictum Sacramentum, expressè docuit Concil. Florent. in litteris Eugenij, in quo tota omnino Ecclesia Christiana tam Græca quàm Latina conuenit. Ex quibus omnibus clarissimè ostenditur hanc esse doctrinam totius ab initio Ecclesiæ, atque adeò ab Apostolis esse traditam, donec hæretici ex antiquo aliquo auctore ostendant contrarium: præsertim cùm nemo antiquorum eam vnquam vel per vmbram negarit.

Chalcedon.

Florentin.

Probatur demum ratione. Quia per ordinationem confertur sacerdoti maxima ac omnino supernaturalis potestas remittendi peccata, & consecrandi corpus & sanguinem Christi, vt suis locis probaui. Nullo autem modo decuit hoc fieri nisi per aliquod Sacramentum, quo simul gratia tanto officio conueniens conferatur. Confirm. quia sacerdotium veteris legis conferebatur per aliquam cæremoniam, quæ sanctificabat legaliter: ergo in nouo Testamento debet conferri per cæremoniam, quæ verè sanctificet, vt veritas figuræ respondeat. Nam vt docet Apostolus ad Hebr. 10. sanctitas legalis illius legis significabat veram sanctitatem dandam in noua lege.

Hebr. 10.

DVBIVM VI.

Vtrùm singulorum Ordinum collatio sit Verum Sacramentum?

40 HAc in re inter omnes Catholicos constat saltem ordinationem sacerdotis esse verum Sacramentum. Et ratio est manifesta. Nam cùm in hac ordinatione tribuatur ordinaro potestas maximè supernaturalis, scilicet consecrandi corpus & sanguinem Christi, & remittendi peccata; si vlla ordinatio sit Sacramentum, illa maximè debet esse. De reliquis tamen omnibus ordinationibus est aliqua sententiarum varietas.

Constat ordinationem sacerdotis esse Sacramentum.

Primò enim multi putant ordinationem Episcopi non esse Sacramentum. Ita Richard. in 4. d. 24. art. 5. q. 2. Soto d. 24. q. 2. a. 3. Bonau. d. 24. p. 2. a. 2. q. 3. Scotus q. 1. §. *De tertio art.* & alij.

Richard. Soto. D. Bonau. Scotus.

Probatur, quia episcopatus non est Ordo: alioqui essent octo Ordines: ergo nec Episcopi ordinatio est Sacramentum. Secundò, quia, si esset Sacramentum, & characterem imprimeret, posset validè conferri non sacerdoti, & cùm esset Ordo superior sacerdotio, eminenter contineret potestatem sacerdotij: atqui illa sunt falsa: ergo non est Sacramentum. Tertiò, Sacramentum Ordinis confertur in sabbatho, episcopatus in Dominico: ergo non est Sacramentum. Quartò, quia nulla potest ipsius certa materia aut forma assignari.

41 Secundò, Durandus in 4. disput. 24. quæst. 2. art. 1. & Caietan. tom. 1. opusc. tract. 11. docent nullam ordinationem inferiorem presbyteratu esse verum Sacramentum. Primò, quia, sicut baptismus datur, vt homo fiat capax susceptionis reliquorum Sacramentorum; ita Ordo est institutus vt suscipiens habeat potestatem conficiendi Sacramenta: atqui per nullam ex his ordinationibus confertur talis potestas, nisi per ordinationem sacerdotis: ergo hæc sola est Sacramentum; reliquæ autem sunt solùm quædam sacramentalia, quibus suscipiens præparatur ad suscipiendum sacerdotium, sicut catechumenus diuersis cæremoniis præparatur ad baptismum. Secundò, quia character solùm imprimitur ad conferendam aliquam potestatem supernaturalem: atqui per solam ordinationem sacerdotis confertur talis potestas: ergo in reliquis non imprimitur character, & consequenter nec sunt Sacramenta. Tertiò, quia aliàs essent plura quàm septem Sacramenta. Quartò, quia Anacletus epist. 3. cap. 2. in fine, ait: *Amplius quàm isti duo* (scilicet episcopatus & sacerdotium) *Ordines sacerdotum nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.* Similiter Damasus epist. 4. ait: *Quia* (vt præfixum est) *Ordines sunt duo tantùm primi in Ecclesia, id est, Apostolorum & septuaginta discipulorum*, &c. ergo reliqui nec à Christo instituti, nec Sacramenta sunt. Quintò, quia in omnibus aliis Ordinibus, præsertim diaconatu & subdiaconatu, nulla videtur esse certa materia aut forma, à Christo tradita, quia non solùm auctores, sed etiam Concilia, quando de his loquuntur, inter se variant: ergo non sunt Sacramenta. Sextò, quia solus Episcopus potest conferre Sacramentum Ordinis: atqui variis simplicibus sacerdotibus sæpè fuit concessum alios Ordines conferre: vt videbimus dum agemus de ministro huius Sacramenti: ergo non sunt Sacramenta.

Durand. Caietan.

Anacletus.

Damasus.

42 *Magister.* *Gratian.* *Martin. de Ayala.*

Tertia sententia docet, saltem subdiaconatum ac inferiores Ordines non esse Sacramenta. Ita Magister in 4.d. 24. c. *Septimus est Ordo.* in fine. quocum sentire etiam videtur Gratianus in suo Decreto, d. 21. in fine primi §. Pro eadem etiam citatur Martinus de Ayala I. de tradit. Apostolicis p. 2. c. de Ordine. §. *Synodus. d. folu.* Ratio horum præter dictas est: quia, cùm in Scripturis solùm fiat mentio sacerdotum & diaconorum, reliqui Ordines videntur ab Ecclesia instituti.

Navarrus. Michaël Medina. Soto.

Quarta sententia docet, omnes maiores Ordines esse Sacramenta, non tamen minores. Ita Nauar. c. 22. n. 18. §. *Quare probabile.* Michaël Medina l. 1. de continentia, &c. c. 46. & fauet Soto in 4. d. 24. qu. 1. art. 4. concl. 6. Priorem partem pro subdiaconatu præcipuè probant auctoritate communi Theologorum. Secundam verò partem præter rationes iam allatas, quæ in his Ordinibus maximè vim habent, probant Primò, quia officia horum Ordinum non videntur requirere in ministro singularem aliquam sanctitatem. Nam cum omni solennitate, excepto exorcismo, vulgò à laicis exercentur. Secundò, quia videtur durũ, si dicamus eos peccare mortaliter, qui hos Ordines in peccato mortali suscipiunt. Tertiò, quia hi Ordines non videntur semper fuisse iidem in Ecclesia. Nam ab antiquis Patribus variè numerantur, vt ostendi num. 5.

43 Ordinatio Episcopi est Sacramentum. *Bellarm. Valentia. Petr. Soto. Michaël Medina. Pasquier.*

Conclvsio I. Omnino certum est ordinationem Episcopi esse verum, & propriè dictum Sacramentum. Ita Bellarm. l. de Ordine cap. 5. Valentia hic disp. 9. q. 1. puncto 4. §. *Altera sententia est.* Et est iam ferè cõmunis. Imò Petrus Soto lect. 4. de Sacramento Ordinis, dicit eam certa fide tenendam esse. Et Michaël Medina lib. 1. de sacr. homin. contin. dicit contrarium esse periculosum. P. Vasquez disput. 240. cap. 4. dicit contrarium sine graui nota non posse teneri.

Probatur Primò, quia omnia loca Scripturæ, quibus probamus ordinationem esse Sacramentum, ac per eam conferri gratiam, loquuntur de ordinatione Episcopi, quare si hæc non sit Sacramentum, non possumus ex Scripturis probare vllam ordinationem esse Sacramentum, quod sine errore dici nequit. Similiter Patres, ex quibus probauimus ordinationem esse Sacramentum, ferè loquuntur de ordinatione Episcopi.

44 *Trident.* *1. Timoth. 1.*

Secundò, quia Tridentin. sess. 23. c. 3. cùm docuisset sacram ordinationem esse Sacramentum, statim id probat ex cap. 1. 2. ad Timoth. vbi agitur de ordinatione Timothei in Episcopum. Et deinceps cùm can. 3. idem definiuisset, can. 4. ait: *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum, &c. anathema sit.* Vbi videtur docere illas ordinationes esse Sacramenta, in quibus ab Episcopo dicitur, *Accipe Spiritum sanctum:* præsertim cùm ibi expressè definiat Episcopum hoc non dicere frustrà, scilicet secundùm sensum hæreticorum, qui ideo dicunt eum hoc frustra dicere, eò quòd credant per illa verba non conferri Spiritum sanctum: ergo Concilium definit ordinantem per illa verba conferre gratiam; aliàs ea frustra, id est, sine vllo effectu diceret: atqui illa verba dicuntur in ordinatione Episcopi: ergo in hac confertur gratia, & consequenter est Sacramentum.

Tertiò, prob. ratione. quia in ea ordinatione confertur potestas confirmandi, & ordinandi, quæ est valdè supernaturalis: & ordinatus destinatur ad officium valdè difficile, arduum ac excellens in Ecclesia obeundum, ad quæ maxima gratia necessaria est, quare omnino incredibile est ei non esse annexam gratiam, cùm hæc annexa sit etiam ipsi matrimonio, vt coniuges faciliùs eum statum sustineant.

45 Similiter ordinatio diaconi: *Durand.* *Caietan.* *Act. 6.*

Conclvsio II. Videtur certum ordinationem diaconi esse verum Sacramentum. Probatur Primò, quia excepto Durando & Caietano, est communis Doctorum sententia, quorum auctoritas in hac re est magni facienda. Secundò, quia, vt patet ex Actor. 6. & Rituali Romano, diaconatus confertur per manus impositionem dicente Episcopo, *Accipe Spiritum sanctum,* &c. atqui tam Scripturæ 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1. & alibi, quàm etiam communiter Patres significant, per manus impositionem ab Episcopo factam conferri gratiam. Et Tridentin. suprà definit Episcopum non frustra, siue sine effectu inter ordinandum dicere, *Accipe Spiritum sanctum:* ergo per eam ordinationem confertur gratia, & consequenter est Sacramentum. Tertiò, quia Anastasius II. in epist. ad Anastasium citata suprà numer. 38. expressè docet per ordinationem presbyteri & diaconi conferri gratiam Sacramenti. Quartò, quia diaconus ordinatur ad officium valdè sacrum, nimirum vt sacerdoti inter celebrandum proximè assistat; & in necessitate, aut iusta causa vrgente ex commissione sacerdotis baptizet, concionetur, & Eucharistiam administret: imò olim ex officio ordinario, quando talis vsus in Ecclesia erat, laicis sanguinem Domini porrigebat, quæ officia valdè diuina sunt, & omnino requirunt in suo ministro particularem gratiam, vt benè fiant.

1. Timot. 4. *2. Timot. 1.* *Trident.* *Anastas. II.*

46 Idẽ probabilius de ordinatione subdiaconi.

Conclvs. III. Probabilius est ordinationem subdiaconi esse verum Sacramentum. Probatur, quia paucis exceptis quos citaui numero 41. & 42. alij omnes DD. id communiter docent, quorum auctoritas hac in re, quam ex sola traditione possumus certò cognoscere, magni facienda est. Secundò, quia, cùm sit probabile omnes ordinationes esse Sacramenta, id multò probabilius est de subdiaconatu, qui aliis est magis sacer. Tertiò, quia, cùm subdiaconus graue onus seruandi continentiam suscipiat, omnino videtur ad id singularis gratia in eius ordinatione conferre.

47 Probabile omnes ordinationes esse Sacramenta. *Valentia.* *Vasquez.*

Conclvsio IV. Probabile est etiam minores ordinationes esse Sacramenta. Primò, quia hæc sententia est multò communior inter Doctores scholasticos, vt etiam fatentur qui contrarium docent: præter eos enim quos citaui nu. 41. & 42. ferè omnes alij eam tenent: quos fusè citant P. Valentia disput. 9. quæst. 1. puncto 4. §. *Tertia opinio.* & P. Vasquez disp. 237. cap. 2. n. 3.

Probatur Secundò, quia eam videtur insinuare Florent. in literis Eugenij, vbi ait: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud per cuius traditionem conferitur Ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: diaconatus verò per libri Euangeliorum dationem: subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem, & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem.* Vbi etsi tantùm definiat ordinationem in genere esse Sacramentum, ad cuius veritatem de rigore sufficeret vnam aut alteram esse Sacramentum; tamen dum singulas deinde subiungit, videtur insinuare, ea quæ antè de ordinatione in genere dixerat, singulis conuenire. *Florent.*

48 *Trident.* Ex eo, quòd continuatio non potest

Idem insinuat Trident. sess. 23. vbi cùm c. 2. enumerasset omnes Ordines, statim c. 3. & postea can. 3. definit sacram ordinationem esse Sacramentum. Vocat autem ordinationem sacram non ea ratione qua soli maiores Ordines dicuntur sacri, sed quia Sacramentum est. Nam aliàs doceret subdiaconatum iam magis esse Sacramentum, quàm olim fuerit, quando non erat Ordo sacer. Probant hæc aliqui præterea ex eo, quòd nulli Ordines possint amitti aut repeti; vnde inferunt singulos imprimere characteres, & consequenter esse Sacramenta. Sed simili modo

repeti, non probatur conferre characterem;

probaretur consecrationem Abbatissæ esse Sacramentum, quia repeti non potest: quod omni consecrationi, qua res aliqua Deo dicatur, commune est, vt pater etiam in consecratione templi, calicis, & similium.

49 Ad Primam rationem primæ sententiæ allatam num. 40. nego antecedens. Episcopatus enim est verus Ordo, licèt non sit distinctus à presbyterio, vt ostendi n. 9. atque ita tantùm sunt septem Ordines.

Ad Secundam, nego antecedens. Nam sicut omnia Sacramenta præsupponunt in suscipiente characterem baptismi: ita episcopatus præsupponit in suscipiente characterem sacerdotij. Imò si episcopatus consideretur secundùm totam & completam suam rationem, ipsum sacerdotium intrinsecè includit, vt dixi num. 9. quare non potest dici eminenter continere sacerdotium. Nam si completè accipiatur, includit ipsum formaliter: si autem sumatur præcisè secundùm id quod sacerdotio superaddit, sic cõtinet minùs excellentem potestatem, quàm sacerdotium: quia nulla potestas potest homini dari excellentior potestate consecrandi corpus & sanguinem Christi.

Ad Tertiam, nego antecedens generaliter esse verum. Fallit enim in episcopatu; quem Ecclesia propter officij dignitatem voluit in Dominicam conferri.

Ad Quartam respondebo dubio sequenti numero 58.

50 Ad Primam rationem secundæ sententiæ, nego maiorem generaliter sumptam. Nam solum sacerdotium ac episcopatus talem potestatem conferunt; reliqui verò tantùm sunt instituti partim vt alias potestates conferant sacerdotio subseruientes, iuxta dicta dub. 3. partim etiam vt suscipientem paulatim præparent, vt cõgruè sacerdotium suscipiat. Nam susceptum gradum ita eminentem, omnino conuenit priùs variis modis sanctificari; idque non solùm per quædam sacramentalia, vt fit in baptismo, sed per vera Sacramenta, quæ & gratiam sanctificantem conferant, & suscipientem paulatim ad altiorem aliquem gradum promouant. Vnde longè diuersa est ratio cæremoniarum baptismum præcedentium, quæ circa baptizandum non alium finem, aut effectum habent, quàm vt eum ad Sacramenti susceptionem disponant. Singulæ autem ordinationes habent aliquem finem ac effectum per se experibilem ac intentum scilicet Ecclesiasticum gradum ac officium, quod suscipienti vnà cum potestate illud ritè obeundi conferunt.

51 Ad Secundam, nego maiorem, quia aliàs sequeretur, Confirmationem non imprimere characterem, cùm nullam potestatem simpliciter supernaturalem conferat. Nam etsi sæpè sit necessaria gratia, vt quis resistat omnibus tentationibus, quæ eum possent impedire à fide fortiter confitenda, & semper ea sit necessaria vt id meritoriè faciat; tamen simpliciter eam confiteri non est actus supernaturalis, & ad id etiam meritoriè faciendum non requiritur singularis aliqua potestas supernaturalis, aut gratia distincta ab ea quæ ad alios actus virtutum supernaturalium requiritur: quæ facienti quod in se est, numquam deest. Quare vt aliquod Sacramentum conferat characterem, sufficit quòd suscipientem constituat in gradu, seu statu aliquo immutabili, præsertim quando simul spiritualem aliquam potestatem tribuit, vt fit in singulis Ordinibus.

Ad Tertiam plurimi respondent, tantùm dici septem Sacramenta, quia omnes Ordines dicuntur tantùm vnum Sacramentum, eò quòd omnes dirigantur ad sacerdotium, quo tandem vltimo complentur. Sed hoc habet difficultatem. Nam sacerdotium non perficit aut complet propriè inferiores Ordines, sed ipsum ordinatum: sicut Cõfirmatio perficit baptizatum; sine qua Vrbanus Papa in epistola ad omnes Christianos c. 7. dicit baptizatum non esse perfectè Christianum; & tamen hoc non obstat quo minùs hæc sint distincta Sacramenta. *Vrbanus Papa.*

Adde, quòd eodem modo deberemus dicere tantùm esse vnum Ordinem. Quia, sicut ordinationes inferiorum clericorum destinantur ad ordinationem sacerdotis, & in ea aliquo modo complentur: ita omnes inferiores Ordines destinantur ad sacerdotium, & in eo complentur. Imò multò potiore iure omnes Ordines deberent dici vnus Ordo; cùm facilius sit pluribus ordinationibus compleri integrum Ordinem, quàm plures Ordines vna ordinatione conferri, vt ostendam n. 52.

Quare Respondeo cum Soto in 4. d. 24. q. vnica. §. *Sed tunc de quarto.* Maiore ibidem q. 1. §. *Ad tertium dicitur.* Almaino qu. vnica. §. *Consequenter quæritur.* & P. Vasquez d. 238. c. 3. n. 26. hoc Sacramentum non esse vnum specie vltima, sed genere. Dicuntur itaque septem solùm esse Sacramenta, sicut dicuntur quatuor virtutes cardinales, quarum aliquæ diuersas species sub se continent. *Soto. Maior. Almain. Vasquez.* Sacramentum Ordinis est solum vnum genere. Qua ratione dicantur solùm esse septem Sacramenta.

Dices, Hinc sequeretur, episcopatum & presbyteratum esse duos distinctos Ordines, quia sunt duo Sacramenta.

Respondeo, negando sequelam. Nam propriè loquendo episcopatus & sacerdotium non sunt Sacramenta, sed ordinatio Episcopi, ac presbyteri est verum Sacramentum. Ordinatio autem Episcopi prout præcisè dicit rationem perfecti Sacramenti, non includit ordinationem presbyteri, sed eam in suscipiente supponit. Quare vtraque est per se integrum Sacramentum; cùm sit integrum signum gratiæ sine respectu ad alterum. Episcopatus verò, cùm perfectum statum personæ significet, intrinsecè omnino includit presbyteratum, sine quo nequit concipi; atque ita meliùs dicitur vnus Ordo quàm duo: quamuis possint aliquo modo etiam dici duo, vt ostendi num. 9. 52 Sacerdotis & Episcopi vnicus est Ordo, vtriusque tamen ordinatio distinctum est Sacramentum.

Ad Quartam Respondeo, Anacletum non dicere absolutè Christum non instituisse nisi Ordinem episcopatus & presbyterij, sed solùm non instituisse alios Ordines sacerdotum, quod verissimum est. Et eodem omnino sensu Damasus loquitur. 53 *Anacletus.* *Damasus.*

Ad Quintam & Sextam respondebo dubio 7. & 9.

DVBIVM VII.

Quæ sit singularum ordinationum materia & forma?

HAc in re quatuor sunt præcipuæ difficultates. Prima est, Vtrùm impositio manuum sit de essentia ordinationis sacerdotalis: Qua in re Sotus in 4. d. 24. q. 1. art. 4. concl. 5. cum quibusdam aliis putat totam essentialem ordinationem sacerdotis consistere in traditione calicis cum vino, & patenæ cum pane, & illis verbis: *Accipe potestatem offerendi sacrificium,* &c. 54 *Sotus.*

Probat Primò, quia Florentinum in literis Eugenij hanc solam materiam & formam commemorat. Secundò, quia c. *Presbyter.* de Sacramentis non iterandis dicitur: *Presbyter & diaconus cùm ordinantur, manus impositionem, ritum ab Apostolis introducto recipiunt. quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi Ordines conferendos caute supplendum est, quod per errorem fuerat prætermissum. Impositio* (quædam exemplaria habent, *suspensio*) *autem manuum debet fieri, cùm oratio super caput effunditur ordinandi.* Vbi manus impositio dicitur ab Apostolis inducta, & propter eius *Florent.* *c. Presbyter.*

omissionem non esse iterandum Sacramentum: quorsi vtrumque esset falsum, si ipsa esset de essentia Sacramenti. Tertiò, quia aliàs si Episcopus inter ordinandum post traditum calicem, & verba supradicta pronuntiata, ante manus impositionem moreretur; sequeretur ordinatum non habere potestatem remittendi peccata: atqui hoc est falsum: ergo & id vnde sequitur. Sed minor hæc non solùm gratis à Soto asseritur, sed contra aperta verba ipsius ordinationis, quibus Episcopus dum manus consecrando imponit, distinctè asserit se ei tradere potestatem remittendi peccata: & consequenter infertur ipsum hanc potiùs non habuisse, quare hoc argumentum alia refutatione non indiget.

D. Bonav. Contrà verò D. Bonau. in 4. d. 24. p. 2. art. 1. q. 4. videtur totam essentiam huius ordinationis constituere in sola impositione manuum, & his verbis, *Accipe Spiritum sanctum*, &c. Ratio est, quia huius solius fit mentio in Concilio Carthag. 4. cap. 3.

Carthag. 4.

55 Secunda difficultas est, in quo essentialiter consistat ordinatio diaconi? Michaël Medina lib. 1. de continentia sacror. homin. putat eam essentialiter consistere in traditione stolæ, dalmaticæ, & libri Euangeliorum, ac verbis quæ Episcopus pronuntiat dum singula tradit. Sed hæc sententia non est probabilis: quia nec auctoritate, nec probabili ratione nititur.

Michaël Medina.

Durand. Durandus verò in 4. d. 24. q. 3. putat eam essentialiter consistere in sola manuum impositione ac verbis ei correspondentibus, idemque videtur sentire Hosius in confess. Polonica c. 52. quem alij tamen pro alia sententia citant. Primò, quia Concil. Carthag. 4. c. 4. huius solius facit mentionem. Secundò, quia olim in Ecclesia Anicien. in qua Durandus fuit Episcopus, non solebat ordinando tradi liber Euangeliorum. Tertiò, quia, cùm initio Ecclesiæ fuerunt ordinati diaconi, nondum erat scriptus liber Euangeliorum: ergo huius traditio non pertinet ad essentiam illius ordinationis.

Hosius. Carthag. 4.

Soto. Soto verò suprà cum quibusdam aliis putat eam essentialiter consistere in sola traditione libri Euangeliorum, & verbis ei correspondentibus. Primò, quia huius solius fit mentio in Florent. Secundò, quia c. *Presbyter*, citato numer. 54. dicitur manuum impositio introducta ab Apostolis. Tertiò, quia illud est solùm de essentia alicuius ordinationis, per quod traditur ordinato certum aliquod officium: atqui hoc in ordinatione diaconi fit per solam illam traditionem, & dicta verba: ergo hæc sola sunt de eius essentia.

Florent. c. Presbyter.

56 Tertia difficultas est, quæ sit forma & materia ordinationis subdiaconi? quia neque ex Pontificali, neque ex vllis Conciliis videtur certa forma posse colligi. Materiam verò tam Florētinum, quàm Carthag. 4. c. 5. assignat traditionem calicis vacui cum patena superposita. Sed hoc non videtur posse dici de materia essentiali, quia in initio Ecclesiæ subdiaconi non poterant tangere vasa sacra, vt multi colligunt ex Concilio Laodiceno canone 21. Quare Viguerius in summa Institut. Theologic. cap. 16. §. 6. vers. 1. & 2. putat [illegible] essistere in traditione libri Epistolarum, eiusque [illegible] verbis ei correspondentibus. Et probatur: quia eodem modo pertinet ad subdiaconum tempore sacrificij cantare Epistolam, sicut ad diaconum cantare Euangelium: atqui hic ordinatur per huius traditionem: ergo ille ordinabitur per epistolarum traditionem.

Florentin. Carthag. 4.

Laodicen. Viguerius.

57 Quarta difficultas est, qualis contactus materiæ requiratur in ordinando? Quidam apud D. Thomam in supplem. quæst. 34. art. 5. in 3. argum. putant non esse necessarium, vt ordinandus physicè contingat materiam; sed sufficere, vt extensione manuum ostendat se eam ab ordinante acceptare; quam sententiam in responsione admittit vt probabilem, licèt contrariam puter probabiliorem. Idemque docent Soto in 4. d. 24. q. 1. a. 2. §. *Vnum autem.* Victoria q. 230. Caiet. in Summa v. *Ordinandi.* Albertus & Ledesma apud P. Henriq. l. 10. c. 10. lit. D. & Vasquez d. 246. n. 19. & 20. Aliqui in alio extremo putant ordinandum sacerdotem non solùm debere tangere physicè ipsum calicem ac patenam, sed etiam ipsam hostiam.

D. Thom.

Soto. Victoria. Caietan. Albertus. Ledesma. Henriquez. Vasquez.

Alij demum volunt sufficere vt tangat ipsum calicem, etsi non tangat patenam. Ita Soto & Victoria suprà. Siluest. v. *Ordo.* 2. §. 5. vers. 4. & alij. Itò P. Vasquez suprà putat hanc esse communem sententiam eorum qui requirunt contactum materiæ, & eam debere sic intelligi, vt sit probabilis.

Soto. Victoria. Siluester. Vasquez.

Conclvsio I. In ordinatione Episcopi, materia Sacramenti est impositio manuum trium Episcoporum super caput ordinandi: forma verò sunt verba quæ tunc illi tres simul proferunt, scilicet, *Accipe Spiritum sanctum.* Ita Vasquez disp. 240. nu. 58. Et apertè omnino colligitur ex 1. ad Timoth. 4. vbi dicitur Timotheo datam fuisse gratiam, *per prophetiam cum impositione manuum presbyterij.* Vide dicta n. 36. Videtur etiam expressa sententia Concilij Triden. sess. 23. can. 4. vbi definit non frustra ab Episcopo ordinante dici, *Accipe Spiritum sanctum*: quia per ordinationem confertur gratia: clarè ostendens hanc conferri per dicta verba. Hęc enim verba non frustra dici, nihil est aliud, quàm ea habere effectum, quem significant: sicut contrà ea dici frustra, est ea non efficere id quod significant. Sicut frustra tibi dicerem, *Accipe hunc librum*, si non darem tibi librum quem posses accipere.

58 Materia & forma ordinationis Episcopi.

Vasquez. 1. Timot. 4.

Trident.

Dices, Episcopus pronuntians ea verba, non significat se per ea conferre Spiritum sanctum, sed solùm ostendit se firmiter credere ordinatum per ordinationem accepturum Spiritum sanctum: atque ita vt non frustra dicantur, sufficere vt ordinandus per alias cæremonias, in quibus essentia Sacramenti consistat, Spiritum sanctum accipiat.

Sed hoc dici nullo modo potest. Primò, quia est apertè contra mentem Concilij, quod intendit docere ideo ea verba non dici frustra, quia sunt efficacia gratiæ: aliàs enim ex illis nullo modo probaret per ordinationem dari Spiritum sanctum. Nam secundùm illam explicationem ad eorum veritatem sufficeret ordinatum tempore ordinationis suscipere gratiam; siue per proprios actus ex opere operantis, siue per communionem (quam semper suscipit) ex opere operato, etsi nullam gratiam acciperet per ordinationem; quod apertè repugnat menti ipsius Concilij. Secundò, quia illa explicatio apertè repugnat proprietati verborum. Eodem enim modo dicit Episcopus, *Accipe Spiritum sanctum*, in ordinatione Episcopi, sacerdotis & diaconi, sicut in ordinatione sacerdotis dicit, *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, &c. atqui sine manifesto errore contra veritatem huius formæ nemo potest negare, per eam tanquam per causam partialem, conferri dictam potestatem: ergo similiter nemo potest negare per ista alia verba conferri Spiritum sanctum. Vnde apertè sequitur ea esse partem Sacramenti.

59

Conclvsio II. Ad essentiam ordinationis sacerdotalis pertinent Primò, tamquam materia traditio calicis cum vino, & patenæ cum pane; & tamquam forma hæc verba, *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo*, &c. Quia per hæc ordinato traditur vera potestas consecrādi corpus & sanguinem Christi, vt patet tum ex ipsis verbis, tum etiam quia paulò pòst vnà cum Episcopo consecrat. Secundò, ad eam pertinent impositio manuum, quæ postea fit à solo Episcopo, vt materia, & tamquam forma hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata*, &c. Primò, quia per hæc verba verè accipit Spiritum sanctum, ac

60 Materia & forma ordinationis sacerdotis.

potestatem remittendi peccata; vt patet tum ex eorum proprietate, tum etiam ex dictis. Ita Card. Bellar. c. 9. de Ordine. P. Vasquez d. 239. c. 3. & alij. Secundò, quia hoc aperte videtur docere Carthag. 4. cap. 3. vbi ait: *Presbyter cùm ordinatur Episcopo cum benedicente, manum super caput eius tenente*, &c. Putant aliqui Concilium hîc tantùm loqui de cæremonia accidentali, quia dicit vnà cum Episcopo alios presbyteros debere simul manus imponere ordinando: quod, vt patet ex Pontificali Romano, fit ante essentialem sacerdotis consecrationem. Sed hoc dici nequit: quia, dum hæc impositio manuum fit, Episcopus nihil dicit. Concilium autem loquitur de impositione quæ fit dum Episcopus benedicit, siue consecrat sacerdotem; quæ essentialis est: non quidem quatenus fit à sacerdotibus, sed quatenus fit ab Episcopo. Quare mihi omnino persuadeo, tunc in Ecclesia Africana fuisse ritum aliquem accidentalem distinctum ab eo quo Ecclesia Romana vtitur: ita vt impositionem illam accidentalem quam hæc consecrationi præmittit, illa tunc simul cum essentiali cõiungeret. Confirmatur conclus. Primò, quia nisi per hanc impositionem manuum detur gratia sacramentalis, nec ex vllo Scripturæ loco, nec ex testimoniis Patrum poterimus probare eam per hoc Sacramentum conferri, quia Scripturæ, & antiquiora Concilia, ac Patres, qui dicunt per ordinationem conferri gratiam, communiter dicunt eam conferri per impositionem manuum. Secundò, quia omnes ferè antiqui Patres ordinationem vocant impositionem manuum. Dicere autem quòd semper loquantur de cæremonia aliqua accidentali, videtur incredibile: præsertim cùm, quoties hoc Sacramentum explicant, recenseant impositionem manuum tanquam aliquid quòd in ea ferè primarium locum obtineat, & alterius cæremoniæ vix meminerunt.

Bellarm. Vasquez. Carthag. 4.

61 Ordinatio sacerdotis continet duas partiales. Vtraque confert gratiam.

Hinc patet Primò, ordinationem sacerdotis constare duabus partialibus ad perfectam ipsius ordinationem essentialiter requisitis, & per vnamquamque conferri nouam potestatem supernaturalem. Quare etiam omnino credendum est, per vtramque conferri gratiam sacramentalem. Quod confirmatur, quia, vt ostendi, & patet ex verbis formæ, quando ordinato conceditur potestas absoluendi, simul ei datur Spiritus sanctus, siue gratia sacramentalis: atqui, cùm potestas consecrandi in eo sit longè excellentior, cumque hæc priùs perfectè tradatur, non est credibile simul non infundi gratiam, quæ suscipientem ad tantum munus dignè disponat.

Potestas absoluendi essentialiter pendet à potestate consecrandi: non tamen contra.

Patet Secundò, potestatem consecrandi perfectè conferri independenter à potestate remittendi peccata, quia non solùm priùs absolutè confertur ordinato, sed hic etiam ea vtitur consecrando cum Episcopo, priusquam illam accipiat. Contrà communiter DD. asserunt potestatem absoluendi inualidè conferri ei, qui potestatem consecrandi priùs non recepisset.

62 Quæ sint de essentia ordinationis diaconi. *Bellarm. Ledesma. Soto. Henriquez.*

Conclvs. III. Ad essentiam ordinationis diaconi & quidem præcipuè spectat impositio manuum, cum verbis ei respondentibus, quia per hæc clarissimè significatur collatio gratiæ. Ita Cardin. Bellar. c. 9. Ordine, citans Ledesmam. Petrus Soto lect. 5. de Ordine, §. *Circa ista igitur.* & cum aliis P. Henriquez l. 10. c. 8. n. 2. Probatur Primò argumentis, quibus suprà probaui hanc impositionem esse essentialem episcopatui, & sacerdotio, omnia enim etiam hanc conclusionem æqualiter probant. Secundò, quia D. Dionys. c. 5. Eccles. Hierarch. expressè docet, Episcopum, sacerdotem & diaconum consecrari per manus impositionem. Tertiò, quia apertè illud insinuat Carthag. 4. cap. 4. vbi docet, Episcopum dum ordinat diaconũ, ei manus imponere. Quòd autem non loquatur de cæremonia merè accidentali, sed de ea per quam diaconus verè ordinatur; patet ex can. 5. vbi docet subdiacono, dum ordinatur, ideo dari calicem, quia non accipit manus impositionem: vbi dum assignat differentiam inter ordinationem diaconi & subdiaconi, apertissimè insinuat eodem modo illum ordinari per impositionem manuum, sicut hic ordinatur per traditionem calicis & patenæ. Quod tamen non est ita intelligendum, quasi diaconus non etiam verè partialiter ordinaretur per traditionem Euangelij: hoc enim repugnat Florentino, nec Carthaginense hoc vult docere: sed solùm, illam impositionem manuum esse præcipuam in diaconi ordinatione, quæ omnia magis confirmabuntur ex solutione tertij argumenti Durandi.

D. Dionys. *Carthag. 4.* *Florent. Carthag. 4.* *Durand.*

Hinc patet solutio ad Primum argumentum Durandi positum n. 55. Ad Secundum Respondeo, auctoritatem illius particularis Ecclesiæ non esse tantam, vt nos multùm debeat mouere. 63

Ad Tertium quidam respondent, Christum initio dispensasse cum Apostolis, vt possent conferre hunc Ordinem sine traditione libri Euangeliorum. Sed hæc responsio habet graues difficultates. Primò, quia sine vlla sufficiente ratione talis dispensatio asseritur, solùm ad fugiendam vim argumenti. Secundò, quia per se parum videtur credibile Christum instituisse tale Sacramentum, cuius essentialis materia tunc nullibi in rerum natura erat: ita vt tunc nemo posset illud prout institutum erat, intra multos annos validè conferre. Tertiò, quia, si Christus traditionem Euangelij voluisset esse materiam essentialem huius Sacramenti, debuisset Apostolis præcipere, vt statim id conferrent, ne vera collatio diaconatus illis esset omnino impossibilis secundùm essentialem ritum, quo erat institura, arqui illud esse falsum patet, quia primum Euangelium fuit scriptum à D. Matthæo anno octauo post Christi ascensionem, vt docet Cardin. Baron. anno Christi 41. Item tam D. Matthæus, quàm alij Euangelistæ scripserunt sua Euangelia ex diuersis occasionibus, Deo quidem eos ad hoc instigante, sine vllo tamen Christi præcepto. Nullum enim huius exstat vllibi vestigium, sed ex Scripturis sacris, & Ecclesiasticis historijs potiùs contrarium colligitur. Adde, auctores illius responsionis velle diaconum directè & præcipuè ordinari ad canendum Euangelium tempore sacrificij, ideóque de essentia ipsius ordinationis esse traditionem libri Euangeliorum, quia per materiam & formam ipsius ordinationis necessariò debet significari munus ad quod directè ordinatur. Vnde apertè sequitur, ad eius ordinationem non sufficere traditionem cuiuscumque libri Euangeliorum, sed requiri Missale, vt etiam patet ex vsu Ecclesiæ, quia per traditionem alterius Euangelij non significaretur ipsius officium; neque etiam satis expressè significaretur per ipsam formam, quia in ea non exprimitur, quòd debeat legere Euangelium tempore sacrificij. Quartò, non solùm Apostoli, sed etiam plurimi alij initio Ecclesiæ plurimos ordinarunt sine traditione Euangelij, non solùm antequã Matthæus hoc scripsisset, sed etiã diu pòst. Nam fideles initio multis locis Euangelio caruerunt, quod vel inde patet, quia D. Lucas, & D. Marcus, qui non fuerunt Apostoli, non videntur aliàs scripturi fuisse ex aliorum relatione proprium Euangelium, si habuissent Euangelium scriptum ab Apostolo, qui præsens omnia fuit intuitus. Quintò, vel tunc Apostoli aliíque Episcopi ordinando diaconos contulissent effectum Sacramenti sine Sacramento, quod videtur incredibile, præsertim tam diu, & à tam variis fuisse factum, sine vlla necessitate; cùm Christus potuisset facilè statim initio præcipere Apostolis, vt Euangelia quauis lingua scriberent, & per

Traditio Euangelij non est in hac ordinatione directè à Christo præcepta, & diu in Ecclesia non fuit vsurpata. *Baronius.*

64 Requiritur iam traditio Missalis.

orbem dispergerent: imò ex ipsa Sacramenti institutione ipsi fuissent ad hoc obligati, ne talis dispensationis necessitas tam diu perseueraret. Vel contulissent verum Sacramentum, & hoc dici nequit. Primò, quia fuisset distinctum Sacramentum ab omni eo quod iam confertur, quia habuisset essentialem materiam & formam distinctam: quod maximè vrget in eorum sententia, qui in hac cæremonia constituunt totam essentiam Sacramenti. Secundò, quia verè non fuisset Sacramentum, cùm non fuisset cæremonia stabiliter instituta, sed tantùm pro aliquo tempore: illud autem est omnino necessarium ad essentiam propriè dicti Sacramenti, vt patet ex dictis initio de Sacramentis in genere.

65 *Bellarm.* Materia ordinationis diaconi.

Respondeo igitur cum Cardin. Bellarm. c. 9. de Ordine, in fine, Christum instituisse materiam huius Ordinis in impositione manuum Episcopi, & traditione alicuius rei, qua diaconi officium designaretur. Quænam autem res ei deberet tradi, hoc reliquisse determinationi Ecclesiæ: sicut instituit materiam Cõfirmationis chrisma ab Episcopo benedictum: verba autem quibus illud benedicitur, reliquit Ecclesiæ determinationi, vt docet P. Suarez tom. 3. disp. 33. sect. 2. Item Christus matrimonij materiam & formam instituit consensum contrahentium externis verbis aliisve signis expressum: hæc autem signa non determinauit in particulari, sed reliquit ea communi vsui, & voluntati contrahentium. Similiter externa confessio peccatorum est materia pœnitentiæ determinatè à Christo instituta: vtrùm autem hæc facienda sit verbis an scripto, an alijs signis, Christus non determinauit; vnde ex iusta causa; quouis ex his modis etiam licitè fit.

Suarez.

Item formam cuiusque Sacramenti instituit in genere verba, quæ actionem conferentis significant, v.c. talem hîc & nunc à baptizante ablui in nomine Patris, &c. ipsa autem verba in particulari, quibus hoc significaretur non instituit; sed hæc reliquit communi vsui cuiusque linguæ: quæ ideo etiam apud singulas nationes diuersa sunt. Nam ad illam actionem significandam alijs verbis vtitur Gallus, alijs Italus, alijs Flander, &c. dum vernaculè formam pronuntiant.

Qua ratione Christus instituerit pro singulis Sacramentis determinatam materiam & formam. *Bellarm.*

Sicut igitur Christus dicta signa in matrimonio, & verba in aliis omnibus formis Sacramentorum instituit quidem determinata secundùm rationem suam formalem, siue significationem, quatenus voluit determinatè esse talia, quæ rem certam determinatè significarent; indeterminata tamen secundùm esse materiale; ita instituit partialem hanc materiam diaconatus (idem docet Bellar. suprà de inferioribus Sacramentis) secundùm rationem formalem determinatam, qua scilicet determinatè significaretur hîc & nunc ordinato tribui certam potestatem Ecclesiasticam: indeterminatam tamen secundùm esse materiale, quatenus reliquit in potestate Ecclesiæ, per traditionem huius vel illius rei collationem huius potestatis significare. Sicut tamen non est in cuiusque potestate, per quodlibet verbum quilibet significare; sed hoc pendet à communi vsu: ita non est in potestate alicuius particularis Episcopi, per cuiuslibet rei traditionem illam collationem significare; sed hoc pendet à determinatione Ecclesiæ, quæ instituit vt hoc fieret in diaconatu per traditionem libri Euangeliorum, & verbis ei respondentibus; qua non significatur vel solum, vel præcipuum ipsius munus esse cantare Euangelium: sed quia instrumenta aliorum officiorum non poterant ei tam commodè tradi, per traditionem illius libri ex Ecclesiæ intentione significatur generatim ipsius officium esse, sacerdoti inseruire, præsertim in ijs quæ ad confectionem & administrationem Ven. Eucharistiæ pertinent: vt benè docet D. Thomas in Supplemento, quæstio. 37. art. 5. ad 5. Patent hæc omnia ex dictis suprà numero 14. 15. 63. 64.

Qua ratione determinatio materiæ & formæ pendeat ab vsu aut Ecclesiæ constitutione.

Quid significetur per traditionem Euangelij.

D. Thom.

Ad Primum argumentum contrà 2. conclus. positum num. 54. & contra 3. conclusionem positum n. 55. Respondeo, Florentinum non statuisse ibi condere aliquod rituale, aut omnia ad consecrationem necessaria describere; sed voluisse solùm aliquid exempli gratia narrare, & exactiùs singula cognoscere desiderantes remittere ad ritualia. Facit autem in ordinatione diaconi potissimum mentionem traditionis Euangelij, quia statuerat quantum fieri poterat, aliquam externam materiam pro singulis Sacramentis assignare. 66

Ad Secundum argumentum, contra 2. & 3. conclus. positum n. 54. & 55. respondent aliqui, Pontificem illo capite dicere eum ritum ab Apostolis introductum, quia ipsi primò eo leguntur vsi esse. Sed alijs videtur hæc expositio dura: quia simili modo posset quis dicere Apostolos introduxisse Confirmationem, & Extremam vnctionem: quia primi hæc Sacramenta contulerunt. Alij igitur aiunt Pontificem ibi non loqui de impositione manuum, qua sacerdoti datur potestas absoluendi à peccatis, sed de ea quæ fit initio ipsius ordinationis simul ab Episcopo & duobus sacerdotibus, quæ est tantùm cæremonialis, & de ea quæ fit in ordinatione diaconi, quam putant etiam tantùm esse cæremonialem. Sed secunda hæc pars à nobis 67 iam est refutata: & prior apertè repugnat vltimis verbis capituli, vbi dicitur: *Impositio* (alij legunt *suspensio*) *autem manuum debet fieri cùm oratio super caput effunditur ordinandi.* Hoc autem in ordinatione sacerdotis solùm fit cùm ei dicitur, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata*, &c. quam illi fatentur esse essentialem. In priore autem illa impositione Episcopus nihil dicit, quare aut prior responsio retinenda est, aut alia excogitanda.

Respondeo igitur, ea verba (*ritu ab Apostolis introducto*) non esse ipsius Pontificis, sed Episcopi Londoniensis, qui Pontifici proposuerat hanc quæstionem; *Vtrùm scilicet ordinatio presbyteri aut diaconi, in qua fuissent omissa manuum impositio* (quem ritum, prout putabat, asserebat ab Apostolis introductum) *deberet repeti.* Cui respondet Pontifex, ordinationem non debere repeti (quia scilicet multa in ea validè acta fuerant, quæ non debebant repeti) sed ea solùm esse statu tempore supplenda, quæ fuerant omissa. Vtrùm autem ille ritus sit introductus ab Apostolis, an à Christo; & an sit accidentalis an essentialis, Pontifex clarè non definit, quia hoc non petebatur: sed solùm docet nihil repetendum quod validè actum fuerat: & quod erat omissum (siue essentiale id fuerit, siue accidentale) cautè esse supplendum, idque tempore ad conferendos Ordines statuto. Quibus verbis videtur insinuare esse essentiale quod omissum erat; quia insinuat per eius suppletionem Ordinem aliquo modo conferri. Vide quæ in simili dixi tom. 1. quæstio. 72. art. 3. dub. 1. concluſ. 2. vbi explicui cap. 1. illius tituli. Vbi idem Innocentius ad similem quæstionem simili modo respondit, in qua tamen agebatur de materia essentiali, vt ibidem ostendi.

Priora autem verba huius c. *Presbyter.* non esse 68 ipsius Pontificis, sed eius qui quæstionem proposuit, patet ex aliis similibus capitulis, quæ ex decretalibus Pontificum collecta sunt: in quibus ferè semper initio capitis ponitur ipsa quæstio, prout fuerat ab iis, qui Pontificem consuluerant, proposita: quod hîc etiam factum esse, licèt hæc expresè non dicatur, omnino præsumendum est. *c. Presbyter.*

Ad Tertium argumentum positum nu. 55. contra tertiam conclusionem, nego minorem. Nam spiritalis potestas diacono propria, ei traditur tam per impositi-

tionem manuum, quàm per traditionem Euangelij, licèt per hanc apertiùs significetur.

69 Materia ordinationis subdiaconi. *Florent. Carthag. 4.*

CONCLVSIO IV. Propria materia ordinationis subdiaconi est traditio calicis vacui cum patena superposita. Ita apertè docent Concil. Florent. in litteris Eugenij, & Carthag. 4. can. 5. & est communis sententia, nec videtur de ea posse dubitari ob dicta Concilia. Forma verò sunt ea verba, quæ Episcopus postquàm singulis ordinandis tradidit materiam, omnibus simul dicit, scilicet, *Videte cuiusmodi ministerium vobis traditur.* Ita P. Vasquez disp. 238. c. 5. n. 51. Probatur, quia hæc verba proximè coniuncta sunt cum applicatione materiæ, & satis aptam cum ea connexionem habent, nec alia aptior forma hîc potest repetiri. Nec refert quòd eius prolatio non fiat omnino simul dum materia applicatur, quia sufficit hæc esse moraliter simul.

Eiusdem forma. *Vasquez.*

Ad rationem in contrarium positam n. 56. respondet P. Vasquez suprà c. 6. nn. 61. semper subdiacono licuisse tangere sacra vasa, & illo capitulo ei solùm prohiberi ne tangat vasa continentia Christi corpus, quod etiam expressè docuit D. Clem. l. 8. constit. c. 21. Vbi in oratione quam in subdiaconi ordinatione Episcopus ad Deum fundit, inter cætera ait: *Tribue ei spiritum sanctum, vt vasa administrandum . . ibi facta dignè tractet.*

Vasquez. Semper licuit subdiacono tangere vasa sacra. *D. Clem.*

70 Qualis cõtactus materię requiratur.

CONCLVSIO V. Certum est saltem de necessitate præcepti esse vt ordinandus physicè tangat materiam quæ ei in ordinatione traditur. Patet ex praxi Ecclesiæ: & quia aliàs ipse exponit se periculo ne invalidè ordinetur. Est etiam probabilius hoc esse necessarium vt validè ordinetur. Primò, quia est communior sententia. Secundò, quia aliàs materia ei non videtur sufficienter applicari. Nam cùm hæc cõsistat in re physica, videtur physicum contactum requirere. Et hoc cõfirmat solicitudo, quam omnes prudentes huius Sacramenti ministri adhibent vt ordinandus physicè materiam tangat.

Vasquez. P. Vasquez d. 246. n. 19. & 20. multa contra hanc conclusionem subtiliter disputat, & benè probat. Primò, non esse ideo necessarium vt ordinandus tangat materiam, vt possit dici eius oblationem acceptare: quia hæc acceptatio non est necessaria ad valorem Sacramenti, vt patet in infantibus, qui validè possunt ordinari, & tamen cùm non intelligant quid agatur, non possunt eam oblationem acceptare. Item benè probat eum contractum non esse necessarium in genere ad omnem traditionem, quia varia possunt alteri tradi sine vllo contactu: vt patet vel in contractu matrimoniali, in quo vera est mutua traditio corporum, & tamen nullus est necessarius contactus. Sed inde non sequitur, ad hanc traditionem in particulari eum contactum non esse necessarium. Nam ad varias traditiones quædam solennitates requiruntur, sine quibus inualidè fiunt, v. c. in contractu matrimonij præsentia Parochi & testium. Potuit igitur Christus similiter hanc traditionem ita instituere, vt sine tali contactu invalidè fierent. Ipsum autem eam ita instituisse etsi clarè demonstrari non possit; ex praxi tamen Ecclesiæ videtur colligi, ex qua magis quàm ex alijs speculationibus hæc res dijudicanda est.

71 Quæ sacerdos teneatur necessariò tangere dum ordinatur.

CONCLVS. VI. Ordinandus sacerdos tenetur tangere & calicem & patenam saltem ex necessitate præcepti, quia hoc expressè in Rituali Romano præscribitur, quia tamen is qui tangit calicem, secundùm communem vsum videtur tangere etiam patenam ei impositam; est satis probabile hunc contractum ad valorem Sacramenti sufficere, & immediatum contactum patenæ tantùm ad maiorem securitatem exigi: præsertim cùm plurimi DD. hoc tamquam certum doceant, vt patet ex P. Vasquez suprà. Quia tamen hoc non est omnino certum, & grauissimum esset incommodum si fortè hîc Ordo inualidè conferretur; omnino curandum est, vt tam calix, quàm patena immediatè tangantur, & graviter peccaret, qui hoc spõte omitteret. Optimè tamen docet P. Vasquez suprà, nullo modo esse necessarium vt ordinandus immediatè tangat ipsam hostiam; quia in Rituali, vbi quæ in hoc contactu necessaria sunt, exactissimè describuntur, illud nullo modo vel leuiter insinuatur: nec etiam Episcopus ordinãs, aliíve ministri sunt soliciti vt fiat. Imò cùm ordinandi habeant tunc manus linteo colligatas, difficillimè fieri potest vt ipsam hostiam simul cum calice tangant, præsertim quando habent digitos breuiores. Quare hoc nullo modo puto necessarium. Et confirmatur, quia eodem modo calix cum vino est materia illius traditionis sicut patena cum hostia: atqui nullo modo est necessarium, vt ordinandus tangat ipsum vinum: ergo non est etiam necessarium vt tangat hostiam.

Idem.

DVBIVM VIII.

Quis sit effectus huius Sacramenti?

72 IN hoc dubio secundùm diuersas sententias superioribus dubijs explicatas, etiam diuersimodè est respondendum. Nam qui tenent aliquas ordinationes non esse Sacramenta, consequenter etiam docent eas non conferre gratiam, nec imprimere characterem, quia vtrumque proprium est Sacramentis. Posita autem veritate sententiæ, quam dub. 6. secuti sumus, scilicet singulas ordinationes esse verum & propriè dictum Sacramentum, necessariò etiam dicendum est, per singulas conferri gratiam habitualem habentem annexas gratias præuenientes singulis ordinationibus proprias, iuxta dicta to. 1. q. 62. a. 2. Item singulas imprimere characterem illi Ordini respõdentem. Nam Florentin. in literis Eugenij expressè definit Sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato; & ea quæ non possunt repeti, imprimere characterem.

Effectus Ordinis quoad collationem gratiæ, & characteris.

Florentin.

73 *Mich. Med.*

Difficultas verò est, Vtrùm ordinatio Episcopi imprimat characterẽ distinctum à sacerdotali? Michael Medina lib. 1. de sacr. hom. continentia, id absolutè affirmat: quia putat characterem esse potentiam physicam operandi illum effectum ad quem confertur. Cùm igitur Episcopo conferatur diuersa potestas, debet ei imprimi diuersus character. Sed hoc argumentum & falsum sumit, vt patet ex dictis tom. 2. quæstion. 63. articul. 1. & 2. vbi ostendi characterem non esse physicam potentiam operandi, sed tantùm moralem; & eius consequentia nulla est, nam eadem potentia etiam physica potest ad diuersos actus sufficere, & modò esse expedita ad vnum, modò ad alium.

Vasquez. Vasquez d. 240. n. 54. putat characteri sacerdotali per ordinationem episcopalem nihil accedere, nisi relationẽ destinationis diuinæ, qua ad aliud officiũ destinatur. Ratio eius est, quia character nõ est potentia operatiua. Et eodem modo d. 239. n. 57. philosopharur de charactere sacerdotali, quatenus respicit in eo duplicem potestatem, & duplicem partialem ordinationem, vult enim totum integrè imprimi in priore ordinatione.

74 Probabile est sacerdotalem characterẽ physicè augeri in Episcopo. *Bellarm.*

Alij verò docent, characterem sacerdotalem tam quando datur ei potestas absoluendi, quàm quando postea ordinatur Episcopus, physicè augeri. Ita Cardin. Bellarm. de Ordine, c. 5. in fine, & alij. Probatur, quia, etsi character non sit potestas operandi physica, est tamen potestas moralis, quatenus est verum signũ potestatis, quæ in ordinatione traditur. Cùm igitur pote-

potestas per illas ordinationes verè augeatur, debet etiam character augeri: quia eadem res eodem modo se habens, semper idem significat.

Dices, sufficere quòd à Deo destinetur ad diuersa significanda. Sed hoc dici nequit: quia, si hoc sufficeret, sequeretur per collationem diuersorum Ordinum non debere imprimi distinctos characteres: quia eodem modo sufficiet primò impressum per subsequentem ordinationem à Deo extendi ad diuersam potestatem significandam. Illud autem nullo modo dici potest.

Quòd tamen per dictas ordinationes non imprimatur distinctus character, inde colligitur, quia non confertur distinctus Ordo, sed prior perficitur. quare non est opus distincto charactere, sed vt prior perficiatur. Quamuis autem sententia P. Vasquez facilè possit defendi, hæc tamen videtur probabilior. *Vasquez.*

DVBIVM IX.

Quis sit minister huius Sacramenti?

75 HAc in re inter omnes Catholicos conuenit, solum Episcopum esse ordinarium ministrum huius Sacramenti. Hoc enim apertè definierunt Concil. Florentin. in literis Eugenij, & Trident. sess. 23. can. 7. vbi damnat hæreticos dicentes, ministros Ecclesiæ debere constitui per populum & Magistratus laicos, in quo etiam nituntur hæretico fundamento, scilicet sacram ordinationem non esse verum Sacramentum, nec per eam conferri aliquam supernaturalem potestatem, quod satis refutaui num. 34. & apertè repugnat consensui totius ab initio Ecclesiæ, vt ostendi num. 24. quare non est opus hos pluribus hîc refutare. *Florent. Trident.*

76 Difficultas igitur est Primò, Vtrùm Episcopus excommunicatus, hereticus, aut degradatus possit validè Ordines conferre? Gratianus c. 9. q. 1. initio, & Palea siue Propalea ibidem c. 2. id negant. Primò, quia D. Gregorius lib. 3. epist. 20. ait, *Nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quia ab excommunicatis est hominibus celebrata.* Secundò, quia Innocent. I. epist. 18. ad Alexand. loquens de clericis Arianis ait: *Quoniam quibus solum baptisma ratum permissum (quod vtique in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti percipitur.)* Et infrà: *Nec dare eis* (scilicet Spiritus sancti) *plenitudinem possunt (quæ maximè in ordinationibus operatur) qui per impietatis suæ perfidiam fidem Domini perdiderunt.* Tertiò, quia Damasus epist. 4. ait per illicitam manus impositionem vulnerari caput suscipientis; & subdit: *Reiterari necesse est, quod legitimè actum aut collatum minimè probatur.* Quartò, quia D. Leo epist. 40. ad Anatolium c. 1. aliàs 2. ait: *Aliter enim in Ecclesia Dei, quæ corpus est Christi, nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verum nos Pontifex reconciliet, verus immaculati Agni sanguis emundet.* *Gratian. D. Gregor. Innoc. I. Damasus. D. Leo.*

77 Secunda difficultas est, Vtrùm ex commissione summi Pontificis simplex sacerdos possit Ordines conferre præsertim maiores? Nam minores posse ita conferre satis constat ex praxi Ecclesiæ, & Trident. sess. 23. c. 10. de reformat. Vbi apertè admittit Abbates quosdam ex summi Pontificis priuilegio posse suis Religiosis conferre primam tonsuram & minores Ordines. Nec hinc sequitur, horum collationem non esse verum Sacramentum: sicut ex eo quòd simplex sacerdos ex commissione Pontificis possit conferre Confirmationem, non sequitur hanc non esse Sacramentum. *Ex Pontificis commissione simplex sacerdos confert minores Ordines. Trident.*

78 In hac igitur difficultate prima sententia docet, simplicem sacerdotem ex commissione Pontificis posse conferre omnes Ordines excepto episcopatu: quem omnes, qui credunt Episcopum iure diuino esse maiorem presbytero, concedunt nullo modo posse à presbytero conferri: quia maior non potest benedici à minore. Ita Glossa in c. *Peruenit.* 95. dist. & Angelus in Summa v. *Ordo.* 2. num. 2. & quidam alij. Probant Primò, quia, posito quod Ordines minores sint Sacramentum, nulla videtur ratio cur summus Pontifex, qui horum collationem potest committere presbytero, non possit eidem committere collationem maiorum. Secundò, quia Florent. in literis Eugenij solùm dicit Episcopum esse ordinarium ministrum huius Sacramenti: ergo insinuat ex commissione Pontificis posse esse presbyterum. Tertiò, quia in Concil. Antioch. c. 10. dicitur: *Nec presbyterum verò, nec diaconum audeat* (scilicet Chorepiscopus) *ordinare, præter conscientiam* (siue consensum) *Episcopi, cuius ipse cum possessione subiectus est.* Vbi apertè innuitur Chorepiscopos ex cõsensu Episcopi posse etiam presbyteros ordinare: atqui Chorepiscopos non fuisse veros Episcopos apertè videtur docere Damasus epist. 4. *Glossa. Angelus. Florent. Concil. Antioch. Damasus.*

Secunda sententia docet, simplicem sacerdotem ex commissione summi Pontificis posse saltem diaconos & subdiaconos ordinare. Quia Innocent. VIII. anno 1489. concessit Abbati Cistercienſi, vt suis Ordinis monachos posset subdiaconos & diaconos ordinare. Cuius verba recitat Vasquez hìc disput. 243. num. 39. aitque hoc priuilegium inter cætera exstare in Collegio nostro Complutensi. Similiter Victoria dicit se vidisse Bullam, in qua Abbatibus Cistercienſibus concedebatur, vt possent suos Religiosos ordinare subdiaconos. Similis Bullæ meminit Nau. l. 5. consil. 13. 79 *Innoc. VIII. Vasquez. Victoria. Nauar.*

Tertia difficultas est, quinam possint consecrare Episcopum? 80

Quia in re communiter omnes docent, eum nullo modo posse consecrari ab eo, qui non est Episcopus: tum quia maior à minore nequit benedici: tum quia nullum exstat vestigium, vnde contrarium possemus colligere. Hostiensis tamen apud Siluestrum v. *Consecratio.* 1. numer. 1. docet ex commissione Pontificis eum posse consecrari à presbytero: sed sine vllo fundamento hoc dicit, ideoque ab alijs communiter negatur. *Hostiensis. Siluester.*

Secundò, omnino certum est saltem ex constitutione Ecclesiæ, requiri tres Episcopos, vt vnus consecretur. Difficultas tamen est an hoc sit ita essentiale, vt non possit validè consecrari ab vno? Palud. apud Siluest. suprà id negat, cui ipse videtur consentire. Primò, quia 1. can. Apostolorum dicitur, Episcopum debere à duobus vel tribus ordinari: ergo tres non sunt necessarij. Secundò, quia in Concil. Arausic. 1. can. 22. statuitur vt si duo aliquem inuirum ordinarint Episcopum, vterque deponatur, & ordinatus substituatur in locum vnius ordinantis, & aliquis alius ordinetur in locum alterius ordinantis. Vbi dum dicit ita ordinatum in locum alterius debere substitui, nullam faciendo mentionem ordinationis, videtur sentire eum priùs validè ordinatum esse. Tertiò, quia D. Gregorius, vt habetur in eius responsionibus ad Augustinum, huic concessit, vt in Anglia solus ordinaret vnum aut alterum Episcopum, donec essent plures, qui simul possent alios ordinare. Quartò, quia, vt docet Siluester suprà citans Hostiensem & Goffredum, vnus Episcopus totam consecrationem conficit; & alij sunt tantùm coadiutores, quod videtur etiam colligi ex Pontificali Romano, in quo vnus solus dicitur consecrator, reliqui verò assistentes. Vnde sequitur illum solùm esse de essentia, alios verò duos tantùm solemnitatis causa adhiberi. 81 *Palud. Siluester. can. Apost. Arausic. D. Gregor. Siluester. Hostiens. Goffredus.*

Contra hæc tamen facit Primò, quòd ab ipsis Apo- 82

stolorum temporibus, vt apertè colligitur ex 1. ad Timoth. 4. v. 14. & expresè docet Anacletus epist. 2. fuerint necessariò requisiti tres Episcopi ad vnius consecrationem. Vnde videtur omnino consequens, hoc à Christo fuisse institutum, & consequenter esse essentiale. Quod etiam apertè confirmat Anicetus Papa in sua epistola post initium: vbi cùm dixisset D. Iacobum à D. Petro, Iacobo & Ioanne fuisse ordinatum Hierosolymorum Episcopum, subdit: *Si autem non minùs quàm à tribus Apostolis tantus Vir fuit ordinatus Episcopus: patet profectò eos formam instituente Domino tradidisse, non minùs quàm à tribus Episcopis Episcopum ordinari debere.* Vbi expresè dicitur Apostolos hanc formam ordinandi Episcopos nobis tradidisse ex institutione Christi. Secundò, quia Damasus epist. 4. intendens probare Chorepiscopos non posse conferre Ordines eò quòd non essent Episcopi, ait: *Quid enim Episcopi non sint qui minùs quàm à tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet.* Vbi cùm ex eo quòd Chorepiscopi ordinentur ab vnico Episcopo, intendat probare eos nullo modo esse veros Episcopos, & consequenter nullum munus Episcopi posse validè obedire; videtur omnino velle docere, Episcopum nullo modo posse validè ab vnico Episcopo consecrari. Idem simili modo docet Ioannes 3. epistola ad Episcopos Germaniæ & Galliæ. Vnde Concilium Regiense ait, canones definire irritam esse ordinationem Episcopi, quam pauciores quàm tres Episcopi faciunt.

1. Tim. 4. A tempore Apostolorum fuerit requisiti tres Episcopi ad vnius consecrationē. Anacletus, Anicetus, Damasus. Ioan. 3. Concil. Regiense.

83 Bellarm. Vasquez

Ob has rationes Card. Bellarm. l. 4. de notis Ecclesiæ cap. 8. ante medium, & P. Vasquez hîc disput. 243. cap. 6. numer. 63. docent Primò, Episcopum ordinariè omnino inualidè ab vnico Episcopo consecrari. Secundò, ex dispensatione Pontificis id validè fieri posse, sicut presbyter ex eiusdem dispensatione validè confirmat.

Ad Primam autem rationem n. 81. contra priorem huius sententiæ partem allatam respondent, quod ibi dicitur Episcopum debere à duobus aut tribus ordinari, intelligendum esse, quòd debeat ordinari à duobus vel tribus, præter ipsum Metropolitanum, qui præsupponitur necessariò debere adesse; atque ita vt minimum ordinabitur à tribus. Quæ responsio videtur satis difficilis, nam nullum in verbis canonis habet fundamentum. Videtur tamen necessaria: quia responsio alia quæ satisfaciat, non videtur posse adferri, vt benè ostendit Vasquez suprà. Qui etiam ad Secundam bene respondet, Concilium Arausicanum nullo modo velle talem substitui in locum ordinantis sine noua ordinatione: sed supponere eum debere secundò ordinari. Tertia verò ratio & falso nititur fundamento, & solùm probat secundam partem illius sententiæ. Ad Quartam verò negandum est, totam consecrationem secundùm essentialia ab vno solo perfici. Quia Pontificale Romanum apertè docet, tres Episcopos debere simul imponere manus super caput consecrandi, & dicere, *Accipe Spiritum sanctum*: in quibus, vt ostendi num. 58. essentialis materia & forma huius consecrationis consistunt. Quare dum ibidem vnus solus vocatur consecrans, & reliqui duo dicuntur assistentes; id solùm ideo fit, quia ille vnus præcipuè est, & omnes cæremonias maxima ex parte per se solus facit.

Vasquez. Arausican.

84 Episcopus excommunicatus aut degradatus validè ordinat. D. Thom. Scotus.

Conclvs. I. Certum omnino est Episcopum excommunicatum, hæreticum, aut degradatum validè conferre Ordines. Ita D. Thom. in 4. d. 25. q. 1. a. 2. in corpore, Scotus ibidem q. 1. §. *De secundo articulo.* & cum ijs communiter Theologi: & apertè patet ex dictis tom. 1. q. 64. a. 9. Vbi cum D. Thoma ostendi hæreticos validè omnia Sacramenta administrare, modò habeant Ordinem ad id requisitum, & vrantur legitima materia & forma. Ratio est: quia efficacia Sacramenti non pendet à fide aut bonitate ministri, sed ex sola institutione, & meritis Christi. Et sicut character Sacramenti per nulla ordinari scelera, aut Ecclesiasticam potestatem potest vnquam deleri ita nec potestas per eum significata, quæque per Sacramentum diuinitus confertur, potest vlla ratione quàm diu ordinatus viuit, ab eo tolli. Cuius nulla est alia ratio, quàm voluntas Christi id ita instituentis ne, si hæc potestas penderet à fide vel meritis ipsius ministri, essemus semper dubij de valore Sacramentorum.

Nota cum Vasquez disput. 243. num. 21. etsi posito quòd minores Ordines sint solùm aliquid sacramentale, possit Ecclesia Episcopo excommunicato, aut degradato auferre potestatem eos conferendi; de facto tamen id non facere, ne fortè si (vt probabilius est) sint Sacramenta, irritè hanc potestatem ijs auferat. Vasquez.

85 D. Greg. Quà ratione Patres dicant hæreticos non consecrare ordinandos.

Ad Primam & Secundam rationem contra nos allatam numer. 76. Respondeo, tam Gregorium quàm alios Patres sæpè dicere, ordinatos ab hæreticis aut excommunicatis non consecrari, sed fœdari, aut nullam accipere potestatem: quia, etsi tales verum Sacramentum & potestatem Ordinis accipiant, per illud tamen magis inquinantur quàm sanctificentur, nec vnquam possunt legitimè sua potestate vti. In Iure autem sæpè dicitur quis id facere non posse, quod licitè facere nequit. Simili modo Innocentius dicit, clericis Arianis solum baptismum ratum esse permitti, quia nimirum post conuersionem permittitur illis vti potestate percipiendi alia Sacramenta omnibus Christianis communia, quæ in baptismo conferuntur: nullo autem modo permittitur ijs vti potestate Ordinis. Innocentij

Ad Tertiam Respondeo, hoc nihil facere ad rem, quia Damasus ibi solum agit de ordinatis à Chorepiscopis, quos negat esse vere Episcopos, aut habere potestatem ordinandi. Quare non est mirum si tales debeant secundò ordinari.

Similiter Quartum etiam nihil facit ad rem. Primò, quia non agitur ibi de ordinatis ab hæreticis, sed de ijs, qui post ordinationem erant lapsi in hæresim, quos Pontifex iubet priùs confiteri veram fidem, antequam pristino statui restituantur. Secundò, quia D. Leo verbis ibi citatis non docet (vt aliqui putant) apud hæreticos non esse rata sacerdotia, aut vera sacrificia: sed hæc neque apud ipsos, nec apud nos esse posse, si vt Eutychiani asserebant, Christus nec nostram naturam verè assumpserit, nec verum sanguinem pro nobis fuderit: quia scilicet ea ratione nec ipse Christus fuisset verus Pontifex (nam ad hoc necessarium est, vt sit verus homo, vt patet ad Hebræos 5.) nec esset vlla hostia, quæ aut in cruce fuisset oblata, aut in altari posset offerri, si Christus verâ carnem non habuisset. Hunc esse ipsius sensum, apertè ex verbis patet. D. Leo. Heb. 5.

86 Non facerdos nullus non Episcopus sacerdotem ordinare non potest etiam Pontifex dispensante.

Conclvs. II. Pontifex non potest dispensare, aut vt non sacerdos Sacramentum Ordinis conferat, aut non Episcopus ordiner sacerdotem. Prior pars est communis omnium DD. Nam etsi secundùm eorum sententiam, qui negant minores Ordines, aut etiam subdiaconatum esse Sacramentum, Pontifex sine dubio possit horum collationem committere non sacerdoti; tamen omnes negant eum posse committere tàlem dispensationem non sacerdoti vllam ordinationem, quæ sit verum Sacramentū. Secunda pars paucis exceptis est etiam cōmunis omnium Doctorum in 4. d. 25. Ita D. Thom. q. 1. a. 1. ad 3. Palud. a. 2. Richard. a. 1. qu. 1. Soto q. 1. a. 1. concl. 1. Durand. q. 1. art. 2. & alij communiter. Et qui contrarium sentiunt ferè nituntur erroneo fundamento, quòd scilicet Episcopus solo iure humano sit maior presbytero. D. Thom. Palud. Richard. Soto. Durand.

Pro

Probatur Primò, ex communi DD. auctoritate, quæ in re quæ pendet ex traditione maximi facienda est.

Secundò, quia nullum omnino exstat exemplum, quo vnquam fuerit aut non sacerdoti commissa collatio vllius Ordinis; aut non Episcopo collatio sacerdotij: vt patebit ex solutione contrariorum argumentorum, hoc autem est valdè magnum argumentum hanc potestatem in Ecclesia non esse.

87 Tertiò, secunda pars probatur, quia est maxima differentia inter sacerdotium & inferiores Ordines. Primò, quia in illo confertur potestas maximè supernaturalis, qua maior homini concedi nequit: & consequenter potestas conferendi hanc potestatem debet esse omnino supernaturalis & valdè excellens. Sicut igitur potestas sacerdoralis propter suam eminentium omnino exigit, vt conferatur per aliquod Sacramentum: ita etiam potestas consecrandi sacerdotem exigit ita conferri, nec vllo modo decet, vt alicui conferatur per nudam Pontificis commissionem. Secundò, quia sacerdotes consecrantur, vt cum Episcopo regant Ecclesiam, eique filios spirituales generent, ac peccatores Deo reconcilient, atque ita vt sint patres & duces fidelium: tales autem constituere ac generare non potest aptè conuenire, nisi principibus Ecclesiæ, qui in ea statum omnino perfectum obtinent; quales sunt Episcopi soli, quare videtur etiam omnino conueniens, vt hoc à Pontifice non possit alteri committi, præsertim cum Apostolus ad Hebr. 7. doceat minorem debere à maiore benedici. *Hebr. 7.*

88 Et hinc patet solutio ad Primum argumentum contrarium allatum nu. 78. Adde, hanc differentiam maximè pendere ex sola Christi institutione, quam ex traditione Ecclesiæ, & communi DD. sensu debemus colligere.

Suarez. Ad Secundum Respondeo cum Suarez to. 5. disp. 11. n. 8. Concilium ita loqui propter Ordines minores, quos probabile est esse Sacramentum: & tamen constat eos ex commissione Pontificis posse à non Episcopo conferri.

Ad Tertium Respondeo, illos Chorepiscopos, de quibus agit Concilium, fuisse verè ordinatos Episcopos de ijs enim ibi dicitur: *Quamuis manus impositionem Episcoporum perceperint, & vt Episcopi consecrati sint.* Vbi illud, *vt Episcopi*, &c. non significat eos non fuisse verè Episcopos consecratos, sed significat eos eodem modo fuisse consecratos, sicut consecrantur alij, qui absolutè dicuntur Episcopi. Quod clarè inde patet: quia dicuntur ordinati per impositionem manus Episcoporum, quod solis veris Episcopis conuenit. Vnde etiam Damasus epist. 4. ante medium, etsi neget Chorepiscopos communiter, quia ab vno ordinabantur, fuisse Episcopos veros; tamen hos de quibus Concilium hic agit, ex eo quod acciperent impositionem manuum Episcoporum, infert accepisse veram ordinationem episcopalem, licet omnino illicitè & contra canones, qui prohibent in vllis Episcopos ordinari, sicut illi ordinabantur: ideóque pluribus illum canonem Concilij Antiocheni ibidem reprehendit tanquam constitutionibus Ecclesiæ contrarium. *Damasus.* *Conc. Antioch.*

89 Conantur quidam dicto canoni conciliare auctoritatem ex can. 2. Concilij sexti generalis, vel potiùs quinto sexti, vbi Concilium Antiochenum cum aliis approbatur. Sed tam illud Concilium, quàm eius canones infirmiora sunt, quàm vt possint aliis robur addere. Quare sicut illud Concilium fuit contra omnem maiorum morem congregatum: ita in eo constituta numquam fuerunt ab Ecclesia recepta; præsertim cùm in ijs multa antiquis Ecclesiæ constitutionibus repugnent; præsertim quæ statuuntur can. 13. contra cœlibatum sacerdotum. Item can. 38. in quo statuitur, vt quando aliqua ciuitas maiorem à Rege accipit dignitatem, dignitas status Ecclesiastici sequatur dignitatem status ciuilis. Vbi illius auctores id vnum moliuntur stabilire, quod toties Romani Pontifices malè fundatum euerterunt; vt scilicet Episcopus vrbis in qua habitaret Imperator, esset primus post Romanum. *Conc. quinisextum. Canones Synodi sextæ dicti spurij.*

Nec his obstat, quòd quidam Pontifices aliquando aliquos ex his canonibus citarunt: quia id tantùm fecerunt, quando agebant contra Græcos, vt eos propriis armis confoderent. Quare eodem modo Pontifices citarunt eos canones, sicut Apostolus Act. 17. v. 28. & ad Titum 1. v. 12. citauit Aratum & Epimenidem. Sicut igitur Apostolus ideo non approbauit vt vera, omnia quæ dicti Poëtæ dixerunt; sic nec Pontifices probarunt vt bona, omnia quæ dicti canones continent, quos ne quidem aliæ sedes Patriarchales vnquam receperunt: docet Card. Baron. tom. 8. sub finem anni 692. vbi pluribus hos canones refutat. *Act. 17. Tit. 1.* *Baronius.*

Dices, Adrianus I. vt habetur c. *Sextam Synodum*, d. 16. sextam Synodum cum omnibus canonibus eius approbat; qui non possunt esse alij quàm hi. Respondeo, Gratianum non ponere ibi verba Adriani sed sua. In epistola quidem Adriani ad Therasium habentur hæc verba; *Quòd in sextæ Synodi diuinè & legaliter prædicatis canonibus recipitur pictura illa*, &c. Sed hæc verba non sunt Adriani. Nam ipse ibidem dicit se ea citare ex epistola quam Therasius ad ipsum scripserat: quæ quidem non refutat sed laudat, quia apertè errorem Græcorum, quem Adrianus impugnabat, conuincebant: nec tunc tempus erat illos canones refutandi. *Adrian. I. c. Sextam.* *Gratian.*

90 Conc. III. Omnino probabile est Pontificem posse concedere simplici sacerdoti vt ordinet subdiaconum. Id probant Primò allata n. 79. Secundò, apertè colligitur ex Concilio Meldensi can. 44. & ex Gelasio I. epistola 1. c. 8. vbi loquens de presbyteris ait: *Nec sibi meminerint vlla ratione concedi sine summo Pontifice subdiaconum aut acolythum ius habere ordinandi.* Vbi expresè indicat eos cum venia summi Pontificis posse dictos ordinare. *Dispensare Pontifice presbyter confert subdiaconatum.* *Conc. Meldense.* *Gelasius I.*

Conclvs. IV. Quòd si certò constaret priuilegiū citatum numer. 79. esse verè datum Cistercienſibus à Pontifice; non esse dubitandum, quin ipse possit concedere presbytero facultatem ordinandi diaconum: quia cum iniuria aliqua Sedis Apostolicæ diceretur Pontificem in re tam graui errasse. An autem certò credendum sit illud priuilegium verè à Pontifice datum esse, habet aliquam difficultatem. Quia si illis Abbatibus vnquam fuisset concessum tale priuilegiū, nullum debet esse dubium, quin eo semper, quamdiu potuissent, fuissent vsi: quod vix est credibile eos fecisse. Primò, quia, cùm ille vsus fuisset publicus, non potuisset ita vulgò omnes latere; cùm tamen satis appareat ex iis, qui de hac quæstione scripserunt, tam illud priuilegium, quàm eius vsum fuisse hactenus vulgò ignoratum. Secundò, quia nulla est causa, cur illi Abbates post Concilium Tridentinum desiissent illa facultate vti. Primò, quia in Francia, vbi Abbatiæ illæ designatæ sunt constitutæ, hactenus Tridentinum non fuit receptum, nisi in rebus pauciſſimis, idque satis recenter. Secundò, quia nullibi in toto Concilio tale priuilegium vllo modo reuocatur, imò nec sess. 23. c. 10. de reform. vbi priuilegia Abbatum in collatione minorum Ordinum restringuntur, nec vllibi alibi vlla fit mentio talis priuilegij, aut vsus ipsius. Quare videtur Concilium illud omnino ignorasse, quia aliàs vix videtur credibile quòd nullam ipsius vel leuiter saltem fecisset mentionē: cùm tamen dicto capite potuerit videri necessarium eius meminisse. Ex altera tamen parte durum est negare fidem dicti 91 *Tridenti.*

codicis Complutensis, in quo illud priuilegium habetur. Quare aliis quid hac in re sit dicendum, iudicium relinquo.

91 An vnus Episcopus possit alios consecrare.

CONCL. V. Non est improbabile ex commissione summi Pontificis fieri posse vt vnicus Episcopus validè alium consecret. Item probabile est sine eiusmodi commissione id inualidè fieri: sicut simplex sacerdos ex dispensatione Pontificis validè confirmat, sine ea verò inualidè id facit.

Secundam partem probant rationes allatæ nu. 82. Priorem verò partem omnino conuinceret factum D. Gregorij citatum n. 81. si esset verum. Fateor quidem illud apertè colligi ex responsione 8. D. Gregorij ad interrogationes D. Augustini Episcopi Cantuar. prout refertur in tom. 2. Conciliorum Surij: sed locus apertè est mendosus: vt patet tum ex contextu totius capitis, in quo multa sunt sine vllo sensu: tum ex eadem responsione, prout habetur in eius operibus in fine lib. 12. epistolarum Registri, vbi sic dicitur: *Et quidem etiam in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus in Episcopus inueniris, ordinare Episcopum non aliter nisi cum Episcopis potes. Nam quando de Gallijs Episcopi veniunt, illi in ordinationem Episcopi testes tibi astistant.* Quæ verba potiùs contrarium probant: nam D. Gregorius potuisset Augustino committere vt solus Episcopos consecraret; videtur id in tanta necessitate facturus fuisse, sicut cum sacerdotibus Sardiniæ dispensauit, vt confirmarent. Quare hæc saltem secundam partem conclusionis probant.

D. Gregor.

Surius.

Prior tamen pars potest probari ex l. 8. constitutionum D. Clementis cap. 27. aliàs 33. vbi dicitur: *Quòd si necessitas coëgerit ab vno ordinari* (scilicet Episcopum) *quòd propter persecutionem, aut aliam causam plures adesse non possunt, afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum.* Vbi apertè insinuatur posse vni Episcopo committi hanc ordinationem. Quare si illius libri esset omnino certa auctoritas, res esset indubitata.

D. Clemens.

93 Episcopus cuiuis validè Ordines conferet, so-li subdito licitè.

Notandum demum Primò, etsi quiuis Episcopus quemuis Ordinis capacem & consentientem validè ordinet; tamen solum subditum licitè ordinare. Hinc in Concilio Niceno can. 17. dicitur irritam esse ordinationem, qua quis ordinat sibi non subditum sine consensu proprij Episcopi. Dicitur autem *irrita*, non quia inualida est; sed quia ordinatus non potest vllo modo licitè vti Ordine susceptо. Hinc Concilium Trident. sess. 23. c. 8. de reform. ita ordinantem suspendit per annum à collatione Ordinum, & ordinatum ad beneplacitum proprij Episcopi, ab executione Ordinum susceptorum: clarè insinuans hos validè fuisse susceptos.

Conc. Nicen.

Trident.

In ordine ad ordinationem tripliciter quis alicui Episcopo subijcitur.

Nota Secundò, quoad susceptionem Ordinum triplici titulo aliquem posse alicui Episcopo subdi. Primò, ratione originis: quia in eius diœcesi natus est. Secundò, ratione domicilij, quod in eius diœcesi fixit, etsi alibi natus sit. Dicitur autem quis ibi habere domicilium, vbi animo perpetuò manendi habitat. Tertiò, ratione Beneficij quod in eius diœcesi obtinet, vt apertè habetur c. *Cùm nullus*, 3. de temporibus ordinationum, in 6. Quare si quis in vna diœcesi esset natus, & in alia habitaret, & in tertia haberet Beneficium, posset à quouis ex tribus illis Episcopis ordinari, & dimissorias petere, quia quiuis ex illis titulis ad hoc sufficit: vt ex capite citato apertè colligitur. Variæ etiam statutæ sunt pœnæ pro ijs qui contra canones Ordines conferunt, aut suscipiunt: sed de his egimus in tractatu de Censuris, d. 15.

c. *Cùm nullus.*

DVBIVM X.

Quæ requirantur in eo qui Ordines suscepturus est?

94 DVplex hîc est difficultas. Prima, quæ necessaria sint, vt quis validè Ordines suscipiat? Secunda, quæ requirantur in suscipiente, vt licitè eos suscipiat?

Fœmina diuino iure incapax est omnis Ordinis. *Pepuziani, Epiphanius.*

CONCLVSIO I. Ad essentiam huius Sacramenti necessarium est, vt suscipiens sit vir. Ita omnes Catholici, & est certa de fide. Imò vix vlli vnquam hæretici huic doctrinæ contradixerunt, exceptis impurissimis quibusdam ex Montani hæresi dictis Pepuzianis; qui, vt narrat Epiphanius hæresi 49. habebant mulieres sacerdotes, ideoque ab omnibus habiti sunt hæretici, & omnino infames. Quare non est nobis hîc laborandum, vt hanc conclusionem pluribus probemus.

Nota tamen Primò, esse hîc aliquam difficultatem in sententia eorum qui dicunt minores Ordines non esse Sacramenta: vtrùm ex dispensatione Pontificis fœmina possit ijs initiari. Affirmatiua enim videtur probari, nam cùm secundùm eam sententiam hi Ordines sint ex solius Ecclesiæ institutione; videtur etiam ex ipsius solius institutione esse, quòd fœmina non sit eorum capax. Quo argumento vtitur Paludanus in 4. d. 25. q. 3. a. 1. concl. 1. vt probet fœminam ex dispensatione Pontificis posse suscipere primam tonsuram. *Palud.*

95 Sed etsi Pontifex possit instituere aliqua sacramentalia, quibus fœminæ initientur simili aliqua ratione ac nos iam per dictos Ordines initiamur: vt patet in velatione virginum, aut consecratione Abbatissarum; tamen si Ordines spectentur secundùm præsentem institutionem, siue quatenus per eos quis constituitur in certo gradu Ecclesiastico, cum potestate ex officio obeundi certum aliquod munus Ecclesiasticum in ordine ad sacrificium, & præparatur ad sacerdotium suscipiendum (& eadem est proportionaliter ratio primæ tonsuræ) credo cum P. Vasquez disput. 245. n. 12. fœminam iure diuino eorum, etsi Sacramenta non essent, fore omnino incapacem, quia, cùm mulier iure naturali & diuino si viro subdita, vt dicitur Gen. 3. v. 16. ideoque turpe sit eam in Ecclesia loqui, nec hoc ei vllo modo permittatur, vt dicitur 1. ad Cor. 14. v. 34. & 35. eodem omnino iure indecens est, ideoque ei interdictum in Ecclesia ex officio ea munera obire, ad quæ obeunda per primam tonsuram, & dictos Ordines initiati destinantur. Quare etiam omnis eiusmodi potestatis ac Ordinis est omnino incapax.

Vasquez.

Genes.

1. Cor. 14.

96 Munus diaconissæ.

Nota Secundò, olim solere in Ecclesia instituì aliquas diaconissas, nullo tamen modo vt exercerent aliqua officia dictorum Ordinum, sed vt haberent curâ fœminarum, iisque in diuersis necessitatibus assisterent, & præsertim dum præparabantur ad baptismum, ne à viris deberent aliqua parte denudari, aut attingi. Vide Epiphanium hæresi 79. Similiter quædam dictæ sunt alia ratione Diaconissæ, Presbyteræ, aut etiam Episcopæ, non ab aliqua consecratione, aut officio, sed ex eo quòd earum viri, facta iam tori separatione, essent ordinati diaconi, presbyteri, aut Episcopi. Quibus de rebus vide plura apud Vasquez d. 245. c. 3. vbi hæc fusissimè tractat.

Epiphan.

Quæ dictæ sunt Presbyteræ aut Episcopæ. *Vasquez.*

CONCLVS. II. Nullus non baptizatus est capax vllius Ordinis. Est communis Catholicorum, quia omnis collatio alterius Sacramenti, necessariò supponit characterem baptismi in suscipiente. 97

Pueri validè sed illicitè ordinantur.

CONCLVSIO III. Validè, licèt cum grauissimo peccato, initiantur etiam sacerdotio pueri iam baptizati ante vsum rationis. Ita communiter DD. in 4. d. 25.

D. Tho.

D. Thom. Scotus. Paludan. Soto. Richard. D. Bonau. Durand. Petr. Soto.

D. Thom. q. 2. a. 1. quæstiun. 2. Scotus q. 2. §. *Hic breuiter.* concl. 3. Paludan. q. 3. post 3. concl. Soto q. 1. a. 2. concl. 3. Richard. a. 4. q. 2. Bonauent. a. 2. q. 2. & alij communiter, excepto Durando ibidem q. 2. litter. I. & Petro Soto de institt. sacerd. l. 5. de Sacram. Ordinis, §. *Secundò etiam.* & §. *Cæterum est nonnullum.* qui putant tales inualidè initiari maioribus Ordinibus. Primò, quia per se videtur absurdum, vt infans sit verus sacerdos. Secundò, quia nemo potest suscipere aliquod Sacramento, nisi in illud per se, vel per alios consentiat. Tertiò; quia, cùm conferens ordinando dicat, *Accipe Spiritum sanctum*, &c. videtur exigere vt ordinandus oblata acceperit: atqui paruulus nequit hoc facere: ergo nequit ordinari.

98 Sed hæc argumenta nobis non obstant. Nam Primum solùm probat esse valdè indecens, vt paruulus ordinetur: sicut etiam valdè indecens est, vt homo publicè infamis, possessus à dæmone, & lunaticus ordinetur. Non tamen inde sequitur hæc inualidè fieri.

In Secundo, maior manifestè est falsa. quia non solùm Baptismus, sed etiam Confirmatio atque Venerab. Eucharistia infantibus, etiam inuitis eorum parentibus, validè conferuntur: vt in propriis materiis ostendi.

Nec refert quòd Pœnitentia, Matrimonium, & Extrema vnctio non possint validè suscipi ab infantibus, vel perpetuò amentibus: quia in his est particularis ratio. Nam in Pœnitentia & Matrimonio liberi actus pœnitentis & contrahentium sunt pars essentialis ipsius Sacramenti: illos autem infantes habere non possunt. Extremæ verò vnctionis solus is est capax, qui aliquando potuit peccare, vt suo loco dixi. quod in infantem non conuenit. nihil autem horum reperitur in Sacramento Ordinis.

Ad Tertium, nego maiorem. Ordinans enim illis verbis solùm significat, quid conferat ordinato: idque non per modum donationis, aut pacti, ad quæ requiritur aliqua acceptatio, sed per modum efficacis operationis: sicut baptizans confert gratiam baptizato, ad quam non requiritur suscipientis acceptatio, aliàs quidum ordinatur, esset planè distractus, ita vt omnino non aduerteret, quid circa se ageretur, inualidè ordinaretur. quod falsum est.

99 Nostram igitur conclusionem aliqui probant, ex c. vnico de clerico per saltum promoto. Vbi narratur aliquem adhuc positum infra annos discretionis suscepisse omnes Ordines vsque ad subdiaconatum inclusiuè, & iudicatur validè factum fuisse, & apertè innuitur tunc potuisse validè suscipi etiam diaconatum, quia significatur eo casu futurum, vt non potuisset secundò ordinari diaconus, si tunc fuisset ordinatus. Vnde benè infertur etiam sacerdotium tali posse validè conferri, quia etsi id magis indecenter fieret, nulla tamen est ratio, cur minùs validè fieret.

c. vnic. de clerico.

Vbi hoc Notandum est, per Ordines inferiores, quos ille ibi dicitur suscepisse; non intelligi solos minores, sed omnes inferiores sacerdotio. quia aliàs debuisset ordinari subdiaconus, & satis ei constitisset se non fuisse ordinatum diaconum, cùm tamen hoc nonnisi ex aliorum relatione scirer. Et hæc ratio est quidem probabilis, sed non conuincit id quod intendit. quia ille cuius in illo capite fit mentio, non videtur omnino infans suscepisse Ordines (est enim per se incredibile hoc aliquando inter Christianos fuisse factum) sed circa quintum aut sextum ætatis annum antequam perfectum rationis vsum haberet, ita vt posset quidem aliquo modo consentire in Ordinum susceptionem, non tamen perfectè cognoscere quid susciperet, atque ideò dicitur positus fuisse infra annos discretionis. Sed quidquid hac de re sit, cùm talis non potuerit perfectè discernere quid susciperet, non potuit in id perfectè consentire. Vnde etiam colligitur, in suscipiente Ordines non necessariò requiri consensum. quia si requireretur, necessarius esset consensus perfectus & distinctus, vt patet in matrimonio. ad talem autem consensum requiritur perfecta & distincta cognitio.

Probatur conclusio Secundò, quia infans absolutè 100
est capax susceptionis omnium Sacramentorum, quæ non requirunt essentialiter aliquam conditionem ipsius statui repugnantem; vt patet, quia potest suscipere Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam: atqui Ordinis Sacramentum non includit vllam essentialem conditionem repugnantem statui infantis, vt patet ex refutatione argumentorum Durandi: ergo infans illius est capax. *Durand.*

Dices, repugnare statui infantis. quia per eius susceptionem ordinatus transfertur ad alium statum vitæ. quod fieri nequit sine eius libero consensu. Respondeo, negando assumptum. quia infans suscipiens baptismum multò magis transfertur in alium vitæ statum, cùm fiat Christianus, & suscipiat obligationem seruandi omnes leges Christianis proprias; quàm infans suscipiens Ordines, qui ad nullam nouam legem, siue continentiæ, siue aliam quamcumque obligatur: quia omnis noua obligatio susceptioni Ordinum annexa solùm ligat illos, qui eos voluntariè suscipiunt: vt ostendam dub. 13. Potest quis etiã inscius ad aliũ statũ vitæ transferri.

Nota tamen, eum qui aliquando vsus est ratione, in amentia inualidè ordinari, si id priùs nullo modo petierit. quia talis censetur habitualiter dissentire susceptioni Ordinum. Vide dicta tom. 1. q. 64. art. 8. dub. 5. concl. 2. & 3. Factus amens inualidè ordinatus, nisi id antè petierit.

CONCLVS. IV. Excepto episcopatu, qui, vt suprà dixi, essentialiter supponit, vel potiùs includit sacerdotium, validè confertur Ordo superior non habenti inferiorem; sed hoc illicitè fit, & ita ordinatus manet suspensus à suscepti executione: potest tamen Episcopus cum eo dispensare, vt omissum suscipiat, & ita in vtroque ministret, ac ad superiores ascendat, modò non exercuerit actus superioris Ordinis ante susceptum inferiorem. Paret ex c. vnico de promotis per saltum, & Tridentin. sess. 23. cap. 14. de reform. Sed hac de re egimus pluribus in materia de censuris. 101 Validè cõferitur Ordo superior sine inferiore, sed ita ordinatus manet suspensus. *c. vnico de promot. Trident.*

CONCLVSIO V. Vt quis licitè Ordines suscipiat; 102
requiritur Primò, vt sit confirmatus. Nam Trident. sess. 23. ca. 4. de refor. prohibet ne non confirmati initientur prima tonsura. Contrarium tamen facere non videtur peccatum mortale. Vide dicta tom. 1. quæst. 72. art. 8. Quæ requirantur vt quis licitè ordinetur. *Trident.*

Requiritur Secundò, pro certis Ordinibus certa ætas, quæ secundùm Ius antiquum variis temporibus fuit varia: vt patet ex Decreto dist. 77. c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & dist. 78. c. 1. & 3. in quibus ferè vigesimus quintus annus præscribitur pro diaconatu, & trigesimus pro presbyteratu. Clementina verò *Generalem.* 3. de ætate & qualit. ordinand. conceditur, vt subdiaconus possit ordinari anno ætatis decimo octauo, & diaconus vigesimo, & presbyter anno vigesimo quinto. Nouissimè verò Trident. sess. 23. c. 12. de reform. statuit, vt *nullus in posterum ad subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoueatur.* Quod intelligendum de annis inchoatis, vt communiter DD. explicant. Quare sufficit ad singulos Ordines vel per vnum medium diem præscriptos annos inchoasse. *Decretum dist. 77. & 78.* *Clem. Generalem.* *Trident.* Quæ ætati singuli Ordines suscipi possint.

Prominoribus Ordinibus nulla certa ætas præscribitur, sed solùm cap. 4. & 11. pro tonsura & minoribus Ordinibus exigitur certa scientia, quæ communiter saltem nouem vel decem annos ætatis requirit.

103 Requiritur Tertiò, vt nulla censura aut irregularitate sit irretitus, vt latiùs dixi in materia de censuris.

Requiritur Quartò, certa scientia, morum probitas, ac bona fama, & intentio seruiendi Ecclesiæ. Vnde Trident. sess. 23. c. 4. de reform. requirit, vt initiandus prima tonsura sciat rudimenta fidei, legere, & scribere: & vt sit *probabilis coniectura eum non seculariis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstet, hoc vitæ genus elegisse.* Cap. verò 11. requirit, vt suscepturi minores Ordines saltem Latinam linguam intelligant, & vt scientiæ spes eos maioribus Ordinibus dignos futuros ostendat. Cap. verò 13. requirit, vt suscepturi subdiaconatum & diaconatum habeant bonum testimonium, & sint in minoribus Ordinibus probati, & sint literis, ac iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent instructi, & qui sperent se seruaturos continentiam. Sed hi si sufficienter linguam Latinam intelligant, alia quæ ad eorum officium prout iam illud exercent spectant, vel ex ipsis rubricis Missalis ac Breuiarij possunt sufficienter discere.

Trident. Quæ scienda & intentio in ordinando requiratur.

Cap. verò 14. pro initiandis sacerdotio requirit Primò, vt habeant bonum testimoniu Secundò, vt possint populum docere quæ necessaria sunt ad salutem, & sciant necessaria ad Sacramenta ritè administranda. Præcisè tamen pro sacerdotio non est necessaria illa scientia, quæ requiritur in confessario: quia, vt quis ad hoc munus obeundum sit idoneus, noua Episcopi approbatio præmisso, si opus fuerit, examine necessaria est: vt dicitur c. 15.

104 Nota, propter ea quæ suprà retuli ex Trident. c. 4. & 11. Dominicum Bañes 2. 2. q. 12. ar. 1. in 2. difficult. concluf. vlt. & quosdam alios putare, eum qui suscipit primam tonsuram, aut minores Ordines cum animo nunquam suscipiendi maiores, sed ducendi postea vxorem, aut solùm vt declinet iudicium sæculare; & Episcopum scienter talem ordinantem peccare mortaliter. Primò, quia facit contra Trident. locis citatis. Secundò, quia si quis ingrediatur aliquam Religionem cum animo egrediendi antequam emittat vota, peccat mortaliter: quia in re graui Religionem decipit atque ita ordinatus similiter decipit Ecclesiam: ergo etiam peccat mortaliter.

Trident. Bannes.

105 Sed melius P. Sanchez lib. 7. de matrimo. disp. 31. num. 16. & 17. illud negat, tum quia nullo iure, aut fundamento nititur. Nam Trident. locis citatis solùm ostendit, quid ipsa decentia, & illius status reuerentia postulet, quidque fieri desideret. nullis enim vtitur verbis præceptiuis. Tum etiam quia ex parte Iuri repugnat. Nam c. 1. de filiis presbyterorum. in 6. dicitur: *Is qui defectum patitur natalium, ex dispensatione Episcopi licitè potest ad Ordines promoueri minores*: cùm tamen Episcopus sciat eum non posse promoueri ad maiores.

Sanchez. Suscipiens primâ tonsuram sine animo progrediendi vlteriùs, nõ peccat mortaliter. c. 1. de filiis.

Ex quo patet eum nullo modo peccare qui animo in iis ministrandi, Ordines minores suscipit, cum animo nunquam suscipiendi maiores, aut ducendi vxorem virginem. Si tamen eos susciperet sine vllo animo inseruiendi Ecclesiæ, sed solùm vt priuilegiis clericalibus gauderet, esset aliquod peccatum: quia illi intentio esset inordinata, & contra mentem Ecclesiæ, quæ tali nollet eos Ordines conferre, vt patet ex Trident. suprà. Sed hæc inordinatio solùm esset venialis; cùm nec vlli damnosa sit, nec notabilem illi statui irreuerentiam adferat; aliàs qui illis Ordinibus initiatus sine vlla iusta causa statum Ecclesiasticum omnino desereret, v. c. ducendo viduam, peccaret mortaliter: quod nemo dixerit. Alia autem est ratio ingredientis Religionem cum animo non perseuerandi. quia hic in re graui decipit Religiosos: tum quia mala fide tam diu eorum sumptibus alitur: tum etiam quia interim explorat omnia quæ in Religione fiunt, quæ sæpè non expedit cognosci ab iis, qui religiosum animum non habent. Vnde omnis Religio existimat sibi à talibus grauem iniuriam fieri.

Quando-que tamen peccat venialiter.

Trident.

Ingrediens Religionẽ cum animo eam postea deserendi grauiter peccat.

DVBIVM XI.

Qua lege sacris Ordinibus initiati prohibeantur ducere vxorem?

106 POstquam explicui ea quæ spectant ad essentiam, & decentem collationem huius Sacramenti; visum est expedire, aliquid breuiter subiicere de obligatione continentiæ, quam contrahunt qui sacris Ordinibus initiantur. De aliis enim qui solùm minoribus initiantur constat eos hanc obligationem non contrahere. Agimus autem hoc dubio solùm de iis qui cœlibes ordinantur; de aliis actum dub. 12.

Prima hîc difficultas est cum nostris hæreticis, qui secuti Vviclefum omnibus modis sacerdotum cœlibatum impugnant. Primò, quia Deus dedit omnibus ius contrahendi nuptias: ergo nemo potest eas alicui prohibere: vnde Apostolus 1. ad Timot. 4. docet esse proprium hæreticorum prohibere nuptias. Secundò, quia idem 1. ad Tim. 3. iubet Episcopum esse vnius vxoris virum. Tertiò, idem ad Hebræ. 13. dicit connubium esse honorabile in omnibus: ergo etiam in sacerdotibus. Quartò, quia omnes Apostoli habuerunt vxores: ergo non decet sacerdotes eas habere. Quintò, quia, cùm in Concilio Niceno Patres vellent prohibere sacerdotibus vsum vxorum, Paphnutius interceßit. & persuasit omnibus, vt iis vsum vxorum permitterent: vt narrant Sozomenus l. 1. historiæ c. 22. & Socrates l. 1. c. 8. Sextò, quia canon 6. Apostolorum præcipit ne Episcopus vxorem prætextu religionis abiiciat. Septimò, quia can. 4. Concilij Gangrensis dicitur: *Si quis discernit presbyterum coniugatum tanquam occasione nuptiarum quòd offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo abstinet, anathema sit.* Octauò, adferunt epistolam Vdalrici ad Nicolaum I. in qua narratur tempore D. Gregorij à piscatoribus in eius piscina fuisse reperta sex millia capitum infantium occisorum, quod cùm D. Gregorius intellexisset prouenisse ex occultis fornicationibus clericorum quibus connubia interdixerat; valdè se hoc feciße doluit, & legem reuocauit.

Hæretici nostri. Vviclef. 1. Timoth. 4. 1. Timot. 3. Hebr. 13. Nicenum. Paphnutius. Sozomenus. Socrates. Can. 6. Apost. Conc. Gangren. Vdalricus. D. Greg.

107 Secunda difficultas est, Vtrùm lege diuina sacerdotibus, diaconis, & subdiaconis prohibitum sit contrahere nuptias? Quidam id affirmant, quorum rationes fusè adfert & refutat P. Vasquez hîc disput. 249. cap. 1. quas hîc adferre omittimus, quia aut faciles sunt, aut solùm probant esse præceptum Apostolicum.

Vasquez.

Tertia difficultas est, Vtrùm istorum matrimonia ab initio fuerint irrita? quia, etsi ex multis Iuribus constet, à temporibus Apostolorum eiusmodi connubia esse prohibita; tamen nouem vel decem primis sæculis nullum ferè reperitur Ius ea apertè irritans.

108 *Ab initio sacerdotibus ac diaconis prohibiti fuit matrimonium. Can. 25. Apostol. Ancyran. Neocæsar. Bellarm. 1. Timoth. 5. Diaconissæ olim vocabant castè, tacem-*

CONCLVSIO I. Semper ab initio Ecclesiæ fuit omnibus sacerdotibus, ac diaconis prohibitum contrahere matrimonium. Patet Primò, ex can. 25. aliàs 27. Apostolorum. Secundò, ex can. 10. Concilij Ancyrani & 1. Neocæsariensis, quæ fuerunt celebrata ante Nicenum: & consensu omnium antiquorum Patrum, quem fusè probat Card. Bellarm. l. 1. de clericis c. 19. Apertè etiam colligitur ex Scripturis. Nam 1. ad Timoth. 5. v. 9. 12. & 13. apertè colligitur viduas, quæ tanquam diaconissæ Ecclesiæ inseruiebant, vt dixi num. 96. debuisse emittere votum continentiæ.

Nam Apostolus ibi vetans communiter eligi iuuenes in tale ministerium, ait: *Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo* (id est, cùm opibus Ecclesiæ lautiùs nutritæ lasciuire inceperint, vt patet ex Græco) *nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem* (promissionem scilicet continentiæ Deo factam) *irritam fecerunt.* Vbi clarè docet eas viduas debuisse emittere votum continentiæ, antequam ad illud officium assumerentur, quod volendo postea nubere faciebant irritum. Quòd si igitur nulla mulier ad tale ministerium poterat assumi sine voto continentiæ; quanto magis nulli poterant fieri sacerdotes, aut etiam diaconi, qui nollent vouere continentiam?

109 Nota tamen ex Innoc. III. c. *A multis.* de ætate & qualit. ordinandorum, apertè colligi subdiaconatui non semper ab initio Ecclesiæ annexam fuisse obligationem ad castitatem. Quando autem primò inceperint etiam subdiaconi ad omnimodam continentiam obligari, non ita constat. P. Vasquez hîc disput. 248. plurima hac de re eruditè disputat, putátque hanc legem in Hispania primùm incepisse in Concilio Illiberitano, aliàs Eliberino, vbi can. 33. etiam subdiaconis præcipitur talis continentia. Idem præcipitur in Synodo Rom. sub Sylvest. cap. 8. Sed hæc habent aliquam difficultatem ob can. 27. Apostolorum, in quo videtur omnibus maioribus Ordinibus initiatis continentia præcipi. Sed hic canon satis obscurè designat personas, quibus hoc onus imponitur, & fortasse subdiaconatum inter minores Ordines computauit, saltem quoad hanc rem. Aut dicendum est hanc legem in subdiaconis in Ecclesia initio fuisse vsu contrario abrogatam. quæ res satis obscura est.

Innoc. III. c. A multis. — Subdiaconatui non fuit initio annexa cõtinentia. — *Vasquez. Conc. Illiber.* — *Synod. Rom. can. 27. Apost.*

110 Ad Primum argumentum hæreticorum Resp. Primò, negando conseq. quia multa iure positiuo possunt nobis ex iustis causis prohiberi, quæ à Deo & natura nobis permittuntur: vt patet in pluribus legibus tam ciuilibus quàm Ecclesiasticis. Resp. Secundò, Ecclesiam nulli inuito legem continentiæ imponere sed solùm requirere tanquam conditionem necessariam ab iis qui volunt ordinari, vt eam suscipiant. Sicut autem ipsa nulli in particulari obligatur, vt eam ordinet: ita potest nolle vllum ordinare, nisi eam conditionem admittat.

Multa aliàs permissa legè humana prohibentur. — Ecclesia nulli omnino ad cõtinentiam cogit qui eam sponte non vouit.

Ad Apostolum autem Resp. eum ibi solùm notare hæreticos Manichæos & similes, qui nuptias absolutè damnabant tanquam malas. Etsi enim Manichæi in suis laicis nuptias tolerabant, id non faciebant, quia iudicabant eas esse licitas, sed quia eas impedire non poterant. Vnde etiam eos hortabantur, vt ita nuptiis vterentur, vt tamen prolis susceptionem impedirent, propter quam nuptiæ à Deo institutæ sunt: vt patet ex D. August. l. 30. contra Faustum c. 6.

D. August.

111 Ad Secundum Resp. Apostolum ibi non requirere, vt Episcopus actu habeat vxorem; sed vt nunquam habuerit nisi vnam: vt ostendat bigamos non esse ordinandos, sicut omnis semper antiquitas eum intellexit, & ex ipso contextu clarè patet. Quia eodem modo c. 5. vult viduam in diaconissam eligi, quæ fuerit vnius viri vxor. Certum autem est eum per hoc nec eas velle actu habere virum, cùm loquatur de vidua, nec eas solas velle ab hoc ministerio excludi, quæ plures habuissent viros simul, quia tales nullæ erant; sicut nec inter Christianos vlli reperiebantur, qui plures simul haberent vxores, cùm hoc legibus Euangelicis expressè vetetur. Solùm ergo ibi vetat ad ea officia admitti bigamos.

112 Ad Tertium Resp. ibi non dici, omnibus honestum esse contrahere matrimonium, eóve vti, siue vouerint continentiam, siue non (hoc enim apertè repugnat 1. ad Tim. 5. vt patet ex dictis) sed Apostolus ibi solùm hortatur Hebræos coniugatos, vt in omnibus, siue omni ratione honorabile suum matrimonium præstent, seruando torum omnino immaculatum, siue omnino vitando ea omnia, quæ illius honestati ac pudicitiæ aduersantur: quia fornicatores & adulteros Deus iudicabit, vt sequitur.

1. Tim. 5.

Ad Quartum Resp. Primò, falsum sumi. Quia ex testimonio totius antiquitatis constat D. Ioannem permansisse virginem. & idem de D. Paulo clarè colligitur ex 1. ad Corinth. 7. Quidquid sit de aliis Apostolis, de quibus antiqui variè senserunt. Resp. Secundò, nihil facere ad rem: tum quia illi suas vxores non duxerunt post apostolatum: & sacerdotium susceptum (quod hîc solùm contra hæreticos contendimus semper in Ecclesia fuisse illicitum) tum etiam quia, si constaret tam D. Paulum quàm alios Apostolos ante apostolatum duxisse vxores, vel inde nostra causa multum iuuaretur. Nam ex testimonio totius antiquitatis constat eos iam factos Apostolos omnino continenter sine vllo vsu matrimonij vixisse. & de D. Paulo id clarè constat ex 1. ad Corinth. 7. Et apertè etiam colligeretur ex cap. 4. ad Philip. v. 3. & 1. ad Cor. 9. v. 5. si ex iis locis probari posset Paulum habuisse vxorem, vt volunt hæretici. Nam ex iisdem clarè constaret Paulum seperatim planè ab vxore sua vixisse, & consequenter non fuisse vsum matrimonio. Quòd si Apostoli suo exemplo docuerunt sacerdotem non debere vti matrimonio iam antè contracto, quanto minùs permisissent ei illud de nouo contrahere?

1. Cor. 7. — Apostoli iam facti omnino continẽter vixerunt. — *1. Cor. 7.* — *Philipp. 4.* — *1. Cor. 9.*

113 Ad Quintum, Sextum, & Septimum, Resp. Primò, illa nihil facere ad rem præsentem. quia etsi ea concederemus, solùm probaretur aliquando in quibusdam locis licitum fuisse presbyteris vti coniugio iam antè contracto, sicut etiam Græcis iam hoc de facto licet. Hîc autem solùm contendo non licuisse vnquam sacerdotibus iam ordinatis contrahere matrimonium.

Resp. Secundò, Concilium Gangrense, ibi non agere de sacerdotibus adhuc vtentibus coniugio, sed de iis qui habuerant aliquando vxores: vt patet ex prima versione illius canonis apud Surium to. 1. concil. quæ est Dionysij Exigui viri eruditissimi, & inter omnes versiones antiquissima: & ex præfatione illius Concilij, vbi dicitur hæreticos, quot damnat, omnino damnasse nuptias tanquam malas. Quare eos qui aliquando nuptias contraxerant, quantumuis postea continenter viuerent, indignos omnino eo munere putabant: sicut iam homicidæ, quantumuis pœnitentes, in Ecclesia reputantur indigni sacerdotio.

Conc. Gangren. — *Surius.*

Similiter canon. 4. Apostolorum non præcipit, vt Episcopus adhuc vtatur vxore, quam antè duxerat (hoc enim tam apud Græcos quàm Latinos Episcopos semper fuit illicitum, vt dubio 12. videbimus) sed ne eam à sua cura abiiciat, denegando ei necessaria, iuxta illud 1. ad Tim. 4. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & infideli deterior est.*

Can. 4. Apost. — *1. Timot. 4.*

Historia autem illa Paphnutij mera fabula est, vt dub. 12. ostendam. Et similiter quæ octauo loco affertur epistola S. Vdalrici est conficta, & quidem ab imperito & stolido nugiuenda, qui & ignorauit Nicolaum I. aliquot annis fuisse mortuum antequam S. Vdalricus nasceretur: & tam portentosum finxit mendacium, quod vel leuissimi hominis fidem excedit, vt benè ostendit Cardin. Bellarm. lib. 1. de clericis cap. 22.

Historia Paphnutij & epistola S. Vdalrici conficta fuit. — *Nicolaus I.* — *Bellarm.*

114 Conclvsio II. Hoc præceptum vetans initiatos maioribus Ordinibus contrahere matrimonium, solùm est Ecclesiasticum, primò tamen latum ab ipsis Apostolis. Secunda pars patet ex conc. 1. Prior est ferè communis sententia Doctorum. Et de subdiaconis

Sacris initiati solo iure Ecclesiastico tenentur ad continentiam.

c. At multis. est clara. Nam cap. *At multis.* de ætate & qualit. ordin. Innocentius satis expresè docet subdiaconatum non semper habuisse annexam continentiam: & consequenter eam non habere ex præcepto diuino.

Ancyran. De diaconis autem multi eam probant ex Concilio Ancyrano can. 10. aliàs 9. vbi dicitur; *Diaconi quicumque cùm ordinantur* (aliàs, *quicumque diaconi constituti*) *si in ipsa ordinatione protestati sint; dicentes velle se habere vxores, nec posse se continere; hi postea si ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea quòd his Episcopus licentiam dederit. Quicumque sanè tacuerunt, & susceperunt manus impositionem professi continentiam, si postea ad nuptias venerint; à ministerio cessare debebunt.* Alia exemplaria addunt; *laicam tantùm recipientes communionem.* Quem canonem integrè recitaui, quia, ex eo varia colliguntur, vt infrà videbimus. Ex eo igitur probatur conclusio. Quia Concilium eum iis diaconis dispensauit, vt iam conseerati possent contrahere matrimonium: quod facere non potuisset, si hoc fuisset prohibitum iure diuino. Sed hæc ratio parum probat. Primò, quia, sicut illud Concilium non potuit dispensare in lege diuina: ita nec in generali constitutione totius Ecclesiæ. Secundò, quia Concilium non dicit se cum iis dispensare, aut [illegible]re iis veniam ducendi vxorem; sed Episcopum ordinantem iis hanc dedisse, qui nullo modo potuit dispensare in generali lege Ecclesiæ. Alia igitur est huius canonis ratio, vt videbimus num. 149.

115 Probatur igitur Primò, quia est ferè communis DD. sententia. Secundò, quia nullibi tale præceptum diuinum exstat. Quæ enim ex epistolis D. Pauli adferuntur, solùm probant esse præceptum Apostolicum, sicut etiam quòd bigamus non debeat ordinari.

Trident. Tertiò, quia Trident. sess. 24. can. 9. id videtur apertè insinuare his verbis: *Si quis dixerit clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractúmque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, &c. anathema sit.* Vbi dum, cur tales nec licitè, nec validè possint contrahere, solam reddit causam legem Ecclesiasticam, & votum; clarè satis insinuat nullam hîc esse legem diuinam, cuius primùm oportuisset meminisse ad confundendos hæreticos, qui Ecclesiasticas leges minùs curant. Quartò, quia, cùm iis clericis non prohibeatur contractus matrimonij præcisè propter se (quia secundùm se est res omnino sacra, ac Sacramenti celebratio, quæ nullam habet disconuenientiam cum officio clericali) sed solùm propter eius vsum, qui maximam habet disconuenientiam cum officio istorum clericorum; si Deus iis prohibuisset contrahere matrimonium, etiam prohibuisset iis vti iam antè contracto: atqui hoc falsum est: ergo & illud vnde sequitur. Minor probatur, quia aliàs nunquam Ecclesia potuisset permittere sacerdotibus Græcis vti matrimonio ante Ordines susceptos contracto. quod tamen falsum est: nam licitè eo vruntur, vt communiter omnes fatentur. Et apertè docet Clemens III. c. *Quæstum.* 7. de pœnit. & remiss. vbi ait: *Quæstum est vtrùm sacerdotibus Græcis, quibus legitimo matrimonio vti licet, &c.* Argumenta autem quæ contrà adferuntur, solùm probant eam obligationem constitutione Apostolica inductam esse.

Matrimonium solùm ratione sui vsus repugnat statui clericorum.

Sacerdotes Græci licitè vruntur matrimonio priùs contracto. *Clem. III. c. Quæstum.*

116 Initiati sacris inualidè matrimonium contrahũt. *c. vnic. de voto. c. 1. & 2. qui clerici. c. Presbyteris.*

CONCLVSIO III. Initiatos sacris Ordinibus iam inualidè contrahere nuptias, omnino certum est, vt patet ex c. vnico, de voto, in 6. & ca. 1. & 2. qui clerici vel vouentes. Quòd autem ab initio sicut prohibitum ita irritum fuerit tale matrimonium, difficulter posset probari. Iura enim antiqua quibus id quidam conantur probare, solùm docent tunc fuisse prohibitum. Adferunt tamen quidam c. *Presbyterii.* d. 27. vbi tales matrimonium contrahentes iubentur separari. Sed hic canon non est Calixti primi; vt ipsi putant; sed secundi, qui sedit anno 1120. Imò talia matrimonia olim non fuisse irrita; videtur probari ex cap. 10. Concilij Ancyrani citato suprà n. 114. vbi dicitur diaconos in sua ordinatione continentiam professos, si postea ad nuptias peruenerint; à suo ministerio cessare debere, & laïca communione contentos esse. Vbi tales sua priuatione officij puniuntur, nulla facta mentione separationis: & cùm iis communio laïca concedatur, significatur eos postea in matrimonio perseuerando non peccare, atque ita eorum coniugium esse validum. Idémque colligit P. Vasquez disp. 249. numero 34. ex can. 19. Concilij Rom. sub Silvestro, qui valdè obscurus est, &, vt ipse etiam eum explicat, videtur sacerdotem, qui post ordinationem ex crassa ignorantia contraxerit matrimonium, per duodecim annos priuare suo honore, siue officio: eum verò qui id scienter fecerit, in perpetuum. Sed pace ipsius dixerim, ego ex hoc canone potiùs colligo tale matrimonium tunc fuisse irritum: Nam apertè ibi supponitur contrahentes debere separari. Nam si deberent in coniugio permanere, id ex ignorantia contrahens, nullo modo post 12. annos deberet recipere honorem siue officium amissum; cùm apud Latinos permanentes in vsu coniugij nunquam potuerint fungi Ordine sacro.

Concil. Ancyran. Vasquez. Conc. Rom.

DVBIVM XII.

Qua ratione initiatis Ordinibus sacris prohibitum sit vti matrimonio priùs contracto?

117 TRiplex est difficultas: Prima est, Vtrùm initiati his Ordinibus iure diuino prohibeantur vti matrimonio priùs contracto? Quidam enim id asserunt, quorum rationes fusissimè adfert & refutat P. Vasquez tota disp. 247. Sed non videntur habere difficultatem: quare ea hîc prætermitto.

Vasquez.

Secunda est, An Ecclesia Romana benè faciat, non admittendo coniugatos ad sacros Ordines, nisi priùs voueant abstinere ab vxoribus. Omnes enim nostri hæretici hoc negant ob rationes allatas & refutatas dub. 11. Iisdem adstipulantur conditores canonum, qui dicuntur Trullani siue Synodi sextæ, vel potiùs quinisextæ: qui can. 6. prohibent ne sacerdotes, diaconi, aut subdiaconi iam ordinati matrimonium contrahant. Et can. 12. ne Episcopus cum vxore, quam ante ordinationem habuit, vllo modo commoretur. Can. tamen 13. permittunt sacerdotibus, diaconis & subdiaconis vti matrimonio ante Ordines contracto, ita tamen vt eo tempore, quo ministerio suo funguntur, ab vxoribus se contineant: citántque pro se canonem 2. Concil. 2. Carthagin. sed malè; nam ibi omnino contrarium dicitur. Probant autem suam sententiam. quia qui iubent coniugatos ordinandos vouere continentiam ab vxoribus, afficiunt nuptias iniuria, contrà clamante Christo, Matth. 19. *Quod Deus coniungit, homo non separet.* Et Apostolo ad Hebræor. 13. *Honorabile connubium in omnibus.* Et 1. ad Corinth. 7. *Alligatus es vxori? Noli quærere solutionem.*

Hæretici nostri. Trullani canones. Carthag. Matth. 19. Hebr. 13. 1. Cor. 7.

118 Sed hi canonum conditores hîc plurima absurda imperitè congerunt. Primò, quia damnant apertè Romanam Ecclesiam, quòd, dum à coniugatis ordinandis exigit continentiam, faciat contra præceptum Christi & Apostoli. Secundò, quia, cùm nullam ob causam dedeceat sacerdotes contractus matrimonij (qui in se est res omnino sacra, & veri Sacramenti celebratio, qua mundus nullo modo inficitur, aut à Deo abstrahitur, sed magis purificatur & in gratia crescit) nisi quia eos dedecet eo vti impertinentissimè iis prohibent id contrahere, quibus permittunt

Canones Synodi sextæ multa absurda continent.

jam contracto vtit Tertiò, quia ipsi se condemnant dum aiunt eos, qui obligant coniugatos ordinandos ad continentiam, contra præceptum Christi & Apostoli, matrimonium iniuria afficere; & tamen illud præceptum Episcopo coniugato imponunt. Sanè nec Christus, nec Apostolus in locis citatis loquuntur magis de matrimonio sacerdotum, quàm Episcoporum. Quare vel ex hoc canone deberent aduertere se decipi, qui credunt hoc conuenticulum, quòd tam apertè Ecclesiam Romanam totámque antiquitatem damnat, vnquam à Pontificibus fuisse approbatum. Argumenta autem quibus auctores illius canonis moti sunt, leuissima sunt. Nec enim Christus ibi prohibet vllo casu etiam ex mutuo consensu solutionem matrimonij quoad torum, sed solùm quoad vinculum. Apostolus autem non condit ibi præcepta (nam aliàs solutus ab vxore, eius præceptum violaret quærendo vxorem) sed suadet Corinthiis vt quisque sua sorte contentus sine solicitudine viuat. Illud autem Apostoli ad Hebr. 13. *Hebr. 13.* explicui suprà numero 112. Concilium autem Carthagin. 2. quod pro se citant, aut non intellexerunt, aut mala fide citarunt. Nam iste canon talibus absolutè prohibet vsum matrimonij. Vide etiam dicta suprà num. 89. *Carthag. 2.*

119 Tertia difficultas est, qua ratione in primitiua Ecclesia hæc lex fuerit lata ac obseruata? Qua in re omnes Catholici asserunt fuisse semper ab initio saltem pro sacerdotibus & diaconis obseruatam in Ecclesia Latina. Quidam tamen putant eam pro Orientalibus fuisse abrogatam in Concilio Niceno; probántque hoc ex historia illa Paphnutij citata suprà numero 106. Quam esse veram probant, Primò auctoritate Socratis & Sozomeni. Quòd si obiicias vtrumque multa apertè esse mentitum, vt de Socrate clarè probat Cardin. Bellarm. l. 1. de clericis cap. 20. vbi adfert eius apertissima etiam in rebus clarissimis mendacia: & de Sozomeno testatur D. Gregorius l. 6. epist. 31. vbi dicit eius historiam non recipi, quia multa mentitur; Respondent, ideo non sequi, eos in narratione huius historiæ esse mentitos. Probant Secundò, quia eam historiam citant Cassiodorus & Nicephorus. Tertiò, eandem probat S. Vdalricus in epistola ad Nicolaum I. Quartò, quia ea reperitur in actis Concilij Niceni Græcis, nuper repertis, & è Græco translatis, quæ à quodam auctore Græco tempore Basilisci Imperatoris fuerunt collecta ex membranis cuiusdam Dalmatij Episcopi Cyziceni. quare de illius historiæ veritate non videtur quisquam posse dubitare. Possent hæc confirmari ex can. 4. Concil. Gangrensis, sed suprà n. 113. ostendi eum nihil facere ad rem. *Nicenum. Paphnutius. Socrates. Sozomenus. Bellarm. D. Greg. Cassiodorus. Nicephorus. S. Vdalricus. Dalmatius. Conc. Gangrens.*

120 Conclvsio I. Ab initio in Ecclesia fuit statutum vt nemo coniugatus ordinaretur sacerdos, aut etiam diaconus, nisi promitteret omnimodam ab vsu matrimonij continentiam; idque ex consensu vxoris, quæ etiam castitatem vouebat. Hoc tamen statutum non esse diuinum, sed solùm Apostolicum, satis patet ex dictis num. 114.

Prior autem pars probatur Primò, ex epistol. 2. D. Clementis ad fratrem Domini Iacobum, vel potiùs Simeonem, vbi sacerdotibus loquens ait: *Quòd si post ordinationem ministro altaris contigerit proprium inuadere cubile vxoris, sacrarij non intret limina, nec sacrificij portitor fiat.* Et in fine testatur se hæc ab Apostolo Petro accepisse. Et quamuis non sit certum hanc epistolam esse Clementis, tamen antiqua est, & in hac parte vsu totius Ecclesiæ probata, vt ex testimoniis omnium ferè antiquorum Conciliorum ac Patrum docet Cardin. Bellarmin. lib. 1. de clericis cap. 29. Hinc Concilium Carthagin. 2. can. 2. præscribens sacerdotibus & diaconis omnimodam continentiam, asserit se id statuere, quod Apostoli docuere, & tota seruauit antiquitas. Et hoc antiquius Concilium Arelatense 2. capit. 3. priuat communione sacerdotem ac diaconum, qui vxorem suam conuersam secum habere præsumpserit. Conuersam autem vocat, quia in viri ordinatione continentiam vouerat. Hinc etiam Epiphanius hæresi 59. ait: *Reuera enim non suscipit sanctia Dei prædicatio post Christi aduentum eos, qui à nuptiis mortua eorum vxore, secundis nuptiis coniuncti sunt propter excellentem sacerdotij honorem ac dignitatem, & hac certè sancta Dei Ecclesia cum sinceritate obseruat: sed & adhuc viuentis, & liberos gignentem vnius vxoris virum non suscipit.* Vbi loquitur etiam de subdiaconis. & clarè docet post Christi aduentum nullum talem ab Ecclesia suscipi, qui velit vti matrimonio. Item D. Hieronymus contra Vigilantium post initium: *Quid facient*, ait; *Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt?* Vide plura testimonia apud Bellarminum suprà. *Arelatens. 2. Epiphan. D. Hieron. Bellarm.*

Conclvs. II. Iustissimè facit Ecclesia nolendo aliquem admittere ad sacros Ordines, qui non vouerat omnimodam continentiam à mulieribus. Probatur Primò, ex auctoritate totius Ecclesiæ, quæ, vt ostendi, iam ab initio hoc constituit, quæ in rebus tam grauibus errare nullo modo potuit. Secundò, quia à temporibus Apostolorum nullus repertus est laudatus sacerdos, qui post acceptos Ordines vxore sua vsus sit. Conantur quidem hæretici adferre exempla sacerdotum, qui genuerunt liberos, sed nullo indicio probare possunt, quòd hos genuerint post susceptos Ordines. Tertiò, quia hac in re Ecclesia nulli facit iniuriam. Nec enim quemquam cogit talem obligationem suscipere, sed solùm non vult vlli sacros Ordines conferre, qui sponte eam non suscipit: quod omnino decet ob tanti mysterij dignitatem, quod summam puritatem in suo ministro requirit. Quartò, probatur contra Græcos. quia, cùm nulla sit causa prohibendi sacerdotibus ne contrahant matrimonium, quàm quia non decet eos ipso vti; eadem planè ratione qua ipsi prohibent illis matrimonij contractum, deberent etiam prohibere eius vsum. Item cùm in ministris Ecclesiæ ideo maximè requiratur continentia propter puritatem sacrificij quod offerunt, vel offerenti proximè assistunt; eadem ratione qua ipsi prohibent Episcopis vsum matrimonij, deberent etiam eum prohibere sacerdotibus. 121 Meritò Ecclesia à sacris reiicit vtentes eô iugio.

Conclvsio III. Nullo modo est credibile hanc legem in Concilio Niceno fuisse abrogatam, aut historiam illam Paphnutij vnquam accidisse. 122 Historia Paphnutij refutatur. *Socrates. Sozomenus.*

Primò, quia nititur sola auctoritate Socratis & Sozomeni, quorum fidem meritò suspectam reddunt alia plurima apertissima mendacia: & quamuis hinc non sequarur eos in omnibus aliis mentitos esse; tamen benè sequitur eorum auctoritatem non sufficere vt aliquam rem ab ipsis primò scriptam vt certam credamus, præsertim quando vehementes sunt coniecturæ eos mentiri, vt in præsenti accidit. Secundò, quia, cùm multi illius temporis scriptores agentes de castitate, quam tunc tenebantur sacerdotes obseruare, habuerint summam occasionem faciendi mentionem istius facti; incredibile est quòd nullus vel leuem eius fecisset mentionem, si aliquid subfuisset. Etsi enim non omnes scribant omnia, tamen vix vnquam contingit omnes omnino scriptores res sui temporis tam notabiles omittere, præsertim quando propter ea quæ tractant, ferè incumbit necessitas earum meminisse: vt accidit iis omnibus qui circa illa tempora pro continentia sacerdotum, vel contra eam scripserunt. Tertiò, quia ex D. Clemente, Epiphanio, Hieronymo citatis nu. 120. item ex *D. Clement. Epiphan. Hieron.*

Origenes, Greg. Nyss. D. Chrys.

Origene hom. 23. in lib. Numer. Greg. Nysseno l. de virginitate, c. vlt. D. Chrysost. hom. 2. de patientia Iob, & aliis, constat apertè, tam ante Concilium Nicenum, quàm postea fuisse in Ecclesia tam Orientali, quàm Occidentali omnimodam sacerdotibus præscriptam continentiam. Quis igitur credat in Concilio Niceno contrarium fuisse statutum?

123 Respondent aliqui, fuisse quidem illam legem olim in vigore, sed paulò ante Concilium Nicenum incepisse in coniugatis sacerdotibus contrariam consuetudinem invalescere, & Concilium hanc sua sententia approbasse; eam tamen iterum paulò post contraria consuetudine abrogatam fuisse, atque ita tempore Epiphanij & Hieronymi etiam tales fuisse obligatos ad continentiam. Sed quis non videat, quàm hæc sint parum verosimilia; præsertim quando sine vllo teste dicuntur? Quomodo enim in re tanta tantillo tempore potuit bis in regulis ac moribus Ecclesiasticis induci tam grauis mutatio, idque ita vt nemo istorum temporum scriptorum id notarit? Quomodo si illa lex fuisset vnquam à tanto Concilio approbata, eam Iouinianus & Vigilantius non millies obiecissent D. Hieronymo, qua vel vna potuissent ei os omnino opprimere? Quomodo etiam Eusebius, qui illi Concilio interfuit, lib. 1. Demonst. euang. ca. 9. ita absolutè diceret initiatos sacris debere ab omni vxoris commercio se continere?

Iouinian. Vigilant. Eusebius.

Nicen. c. 3.

Adde, illam ex ipsius Concilij canone 3. clarè confutari. Vbi Concilium prohibet ne sacerdotes, aut diaconi habeant secum subintroductas mulieres; iisque præscribitur quales secum habere possint: inter quas sine dubio primo loco fuerat nominanda vxor, si cum ea potuissent cohabitare. Quidam tamen mirantur vllum virum doctum potuisse ex hoc canone argumentum pro hac sententia sumere, eò quòd ille canon idem præceptum extendat ad omnem clerum: cùm tamen certum sit minoribus initiatos potuisse habere vxores.

Sed hæc obiectio potiùs pro nobis facit. Nam Concilium ibi præcipit omnibus clericis, ne præter ibi nominatas vllam apud se mulierem habeant nulla facta mentione vxoris. quia, cùm communiter omnes clerici intendant paulatim ad sacros Ordines promoueri, ad quos tunc soli continentes admittebantur, communiter etiam omnes cœlibes viuebant, ne vxor promotioni obstaret. Quare ex illa obiectione solùm colligitur tunc, sicut etiam modò, omnes clericos vulgò vixisse cœlibes: cuius non est alia ratio, quàm quòd tunc sacris initiati ad hoc cogebantur. Dico itaque historiam Paphnutij esse meram fabulam.

124 Ad Primam autem probationem numero 219. pro ea allatam iam respondi, illos auctores sæpiùs apertè mentiendo, derogasse sibi in re inaudita, quæque tam probabiliter conuincitur falsa, omnem fidem.

Ad Secundam Respondeo, eos auctores citare dictam historiam, prout eam apud Sozomenum & Socratem repererunt: per hoc tamen nullam ei addere fidem, cùm aliunde eam non probent.

Ad Tertiam Respondeo, non esse mirum si epistola mendax, & ab imperitissimo impostore conficta, citet pro vera historia aliquam fabulam.

Ad Quartam Respondeo, si constaret illa acta esse omnino germana, neminem debere de illius historiæ veritate dubitare: sed cùm ab ignoto Græco compilata sint eo tempore, quo sub hæretico Imperatore totus propè Oriens aut schismaticus erat, aut hæreticus, quis præstabit ea ex omni parte esse sincera, nihilque illis additum, aut detractum? præsertim cùm eo tempore non solùm vnus aliquis è grege, sed integra Episcoporum conciliabula portentosa fingerent mendacia, prout suis rebus conducere cogitabant; vt fusè narrat Baronius circa annos 495. & 476. & sequentes.

Baron.

Adde, cùm iste compilator vixerit post Socratem potuisse bona fide quæ in eo reperiebat, Concilio Niceno addidisse. Nam etsi dicat se ea acta collegisse ex membranis Dalmatij, non tamen asserit, se nihil omnino aliunde accepisse.

DVBIVM XIII.

Vtrùm sacris Ordinibus initiati obligentur ad continentiam immediatè per præceptum Ecclesiæ, an verò solùm mediante voto continentiæ?

125 NOta Primò, nos hîc non agere de Græcis, qui hac in re singularibus legibus vtuntur, sed solùm de Latinis.

Nota Secundò, nos hîc agere de obligatione noua, superaddita ei, qua omnes iure naturæ obligantur extra vsum matrimonij abstinere ab omni voluptate venerea. Qua in re variæ sunt sententiæ.

Prima docet, tales solo præcepto Ecclesiastico teneri ad continentiam. Probant Primò, quia, cùm votum requirat essentialiter consensum vouentis: Ecclesia nullo suo statuto potest efficere, vt aliquo voto obliget; nisi ego verè voueam: ordinandi autem communiter nullum votum emittunt. Secundò, quia aliàs qui, dum ordinatur, omnino ignorat sacris Ordinibus annexum esse votum continentiæ, aut absolutè intendit non vouere, nullam nouam contraheret obligationem continendi, quia talis non potest dici vouere castitatem.

Ad canones autem quibus significatur illis Ordinibus annexum esse votum continentiæ, respondent id dici eò quòd iis initiati ob reuerentiam religionis eodem modo obligentur ad continentiam, ac si eam vouissent. Ita Scotus in 4. d. 37. §. *Dico igitur.* vbi docet tales ideo teneri ad continentiam, quia iure Ecclesiastico eorum matrimonia irritantur. Paludan. d. 18. quæst. 1. artic. 2. concluſ. 3. & plurimi alij quos citat P. Sanchez l. 7. de matrimon. disp. 27. num. 9.

Similiter Paludan. Sanchez.

126 Secunda sententia docet, eos immediatè obligari ad continentiam ratione voti: lege autem Ecclesiastica solum mediatè, quatenus per ipsam votum continentiæ iis Ordinibus annexum est: quod hoc ipso, quo quis sciens sacros Ordines suscipit censetur emittere: sicut quando multis proponitur aliquod iuramentum præstandum, & postea iubentur singuli dexteram eleuare, hoc ipso quo hanc eleuant censentur iurare. Probatur, quia, vt patet ex D. Gregorio epist. 42. in fine, & refertur c. 2. d. 28. Ecclesia præcipit nullum ordinari subdiaconum, nisi continentiam promittat. quod etiam Episcopi obseruant. Nam ordinandis proponunt hoc votum, qui hoc ipso quo postea Ordinem suscipiunt, censentur illud vouere: vt apertè testatur etiam Concilium Ancyranum ca. 10. in fine, citatum suprà nu. 114. Hinc etiam Iura vbique asserunt ordinatos emisisse votum: vt patet c. *Cùm olim* 6. de clericis coniugatis, & c. vnico, de voto, in 6. Verba autem Iuris tam aperta non sunt sine euidenti necessitate ad metaphoras detorquenda. Ita D. Thom. in 4. d. 37. qu. 1. art. 1. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 27. §. *Quo ad secundum.* & multi alij quos citat P. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 27. n. 10.

D. Greg. c. 2. dist. 28. Ancyran. c. Cùm olim c. vnic. de voto. D. Thom. Caietan. Sanchez.

127 Difficultas tamen est inter hos Auctores in casu quo quis ordinatur ignarus illius voti, aut omnino intendens non vouere. Nam P. Sanchez cum quibusdam aliis vult tales tunc obligari ad continentiam præcepto Ecclesiæ. Alij verò, quibus etiam fauet Caietan.

Sanchez. Caietan.

volunt ptforem non obligari ad continentiam, probantque ex epistola D. Gregorij 42. infrà citanda nu. 139. Addunt tamen, cum iam in Ecclesia Latina omnibus notum sit hoc votum sacris Ordinibus annexum esse, nullam posse id inuincibiliter ignorare. Sed de hoc agemus dub. 14. Secundum autem volunt omnino obligari voto, quia quantumcumque intendat non vouere; tamen hoc ipso quo suscipit Ordines, quibus scit inseparabiliter annexum esse votum, saltem exteriùs vouet. Quare postea incontinenter viuens contra votum peccat; sicut peccat periurio, qui sine animo iurandi exteriùs falsum iurat.

D. Greg.

128 Sed hæc habent difficultatem. quia, etsi talis sic simulando votum, peccet contra virtutem religionis, sicut is qui fictè sine necessitate falsum iurat; tamen illo voto, quod verè nullum est, postea non obligatur: sicut is qui gratis alicui aliquid addito iuramento fictè promisisset peccasset quidem ita iurando; postea tamen non teneretur promissa implere, nisi forte ratione scandali, ne videretur contemnere iuramenti religionem. Eadémque est ratio voti, vt benè docet P. Lessius de Iustitia c. 42. dub. 8. & c. 40. dub. 1.

Lessius.

129 Similiter aliorum sententia paritur aliquam difficultatem. Nam si semel dicamus sacerdotes communiter nulla lege Ecclesiastica immediatè obligari ad castitatē, non poterimus probare eos qui nolunt vouere, immediatè vlla lege ad eam obligari. Nam nulla lex particularis pro his lata est.

Dices, ideo hos obligari, quia qui suscipit aliquod officium necessariò etiam velit nolit simul suscipit onus ei inseparabiliter annexum. Sed hoc non satisfacit. Nam secundùm illos, onus immediatè annexum sacris Ordinibus, non est obligatio ad continentiam, sed ad votum continentiæ. Quare coniugatus cum tali intentione suscipiens Ordines, peccaret quidem non vouendo, non tamen peccaret vtendo coniuge. Sicut si duo coniuges mutuo consensu vouerent profiteri in Religione, peccarent quidem postea sine iusta causa differendo ingressum Religionis; non tamen peccarent interim vtendo matrimonio, modò per hoc non redderent se ineptos ad ingressum Religionis: vt cum aliis benè docet P. Sanchez libr. 9. disp. 37. num. 5.

Sanchez.

130 Sacris initiari & voto & lege Ecclesiastica ad continentiam obligantur.

CONCLVSIO. Etsi secunda sententia relata n. 126. sit probabilis ob plurimorum DD. auctoritatem: tamen credo probabilius esse, suscipientes sacros Ordines præter obligationem voti ibi explicatam, ex lege Ecclesiastica immediatè etiam obligari continentiam.

Sanchez.

Quando fornicatio eius cui nuptię prohibentur sit duplex peccatum.

Prob. Primò, ex incommodis quæ nu. 128. & 129. ostendi sequi ex contraria sententia. Secundò, quia, vt cum multis alijs optimè docet P. Sanchez l. 7. disp. 5. n. 7. quoties Ecclesia ex speciali motiuo alicuius virtutis reddit aliquas personas inhabiles, vt inter se contrahant, ijsdem etiam specialiter prohiber omnem actum venereum inter se, ita vt eum committentes duplici peccato peccent: vt patet in ijs qui cognoscunt sibi affinem in tertio vel quarto gradu, aut spiritualem cognatam, qui ideo præcisè peccant duplici peccato, quia inter eos intercedit tale impedimentum dirimens: atqui Ecclesia omnes sacris initiatos reddit immediatè inhabiles ad matrimonium cum quauis persona contrahendum, idque ob motiuum siue reuerentiam virtutis religionis, siue propter excellentiam ipsius status ita sacri quem tales suscipiunt: ergo specialiter his immediatè prohibet omnem actum venereum cum quauis fœmina.

131 Conditio Religiosi fornicantis in confessione explicanda est,

Vnde sequitur, Religiosum fornicantem committere distinctum specie peccatum ab eo quod committit fornicans, qui solùm vouit castitatem. Quia sicut prior habet specialem inhabilitatem ad matrimonium: ita habet specialem prohibitionem talis actus.

Sequitur Secundò, si fornicetur Religiosus sacris initiatus, vtramque circumstantiam esse exprimendam. Nam cùm vtraque contineat speciale impedimentum matrimonij, necessariò etiam inducit specialem obligationem ad castitatem. Discedo quidem hac in re à plurimorum sententia quos citat P. Sanchez l. 7. disput. 47. num. 22. & seq. sed argumentum iam allatum me cogit. quod si quis mihi soluerit, lubens alteram sententiam amplectar.

item sacerdotis.

Sanchez.

Dices, Quando duæ leges idem ob eandem rationem prohibent, non inducunt distinctas obligationes: atqui hoc hîc fit. nam statutum Ecclesiæ reddens professos, aut sacris initiatos inhabiles ad nuptias, facit hoc ob reuerētiam ipsius voti: ergo non inducit distinctam obligationem. Respondeo, quidquid sit de maiore (de qua satis egi disp. 7. nu. 45.) negando minorem. nam Ecclesia non reddit tales inhabiles propter votum castitatis, quod emittūt, sed propter eminentiam ipsius status quem suscipiunt, vt docet Sanchez l. 7. disp. 11. n. 4. Et patet Primò, quia aliàs deberet omnes emittentes votum castitatis reddere inhabiles ad nuptias. Secundò quia aliàs sequeretur, eum. qui suscipiens Ordines intendit nullo modo vouere castitatem, validè contrahere matrimonium, cùm nullum votum emittat: quod tamen falsum est.

Sanchez.

134 Nota demum, quosdam asserere Ordinem sacrum non quidem per se, sed ratione voti solemnis quod ei ab Ecclesia annexum est iure naturæ dirimere matrimonium. Probant, quia votum solemne Religionis iure naturæ dirimit matrimonium subsequens: atqui c. vnico, de voto, in 6. votū Ordinis & Religionis in hoc æquiparantur: ergo etiam votum annexum Ordini illud dirimet.

Sed dicendum est cum communi sententia hoc votū solo iure Ecclesiastico dirimere matrimonium. Quia hoc votum solo iure Ecclesiastico differt à voto simplici, vt apertè colligitur ex capitulo iam citato: vbi expresè dicitur solemnitatem istorum vororum esse solo iure Ecclesiastico inductam. Ad probationem P. Sanchez lib. 7. disp. 28. num. 14. negat minorem, aitque in illo Iure hæc vota solùm æquiparari quoad vim dirimendi matrimonij secuti: non autem quoad ius quo ipsum dirimunt. Et sine dubio apparet maior ratio in voto Religiosi cur debeat dirimere matrimonium, quàm in voto annexo Ordini. Credo tamen negandam etiam esse maiorem, vt ostendam disp. 31. dub. 1.

Sanchez.

DVBIVM XIV.

Vtrùm inualidè, infantes, ignorantes, aut inuiti ordinati obligentur ad continentiam?

133 QVadruplex hîc, vt patet ex titulo, est difficultas. Prima est, Vtrùm inualidè ordinati ob aliquem essentialem defectum ad dicta obligentur? Quidam apud Sanchium lib. 7. disput. 27. nu. 13. id affirmant. Quia cap. *Quidam.* 3. & cap. *Placet.* 12. de conuers. coniugatorum. dicitur eos qui inualidè profitentur in Religione, obligari voto castitatis, quantum pro eo tempore eam poterant vouere: ergo ita ordinatus cùm licitè tunc vouerit castitatem, suo voto tenebitur. Sed contraria sententia & communis & vera est. Quia talis non vouet per se & expresse castitatem, sed tantùm secundariò & implicitè, quatenus illud votum est annexum Ordini quem putat suscipere. sicut igitur principale non subsistit, ita nec secundarium, & per accidens ei annexum. Secùs est de professente, qui immediatè & explicitè vouet castitatem. Vide Sanchez suprà.

Sanchez, c. Quidam, c. Placet.

Secunda difficultas est, Vtrùm infantes ordinati 134

Palud. D. Anton. Richard.

obligentur postea ad castitatem? Palud. in 4. d. 37. q. 1. a. 1. D. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 8. concl. 2. id affirmant: quibus videtur fauere Richard. in 4. d. 25. a. 4. q. 2. ad 3. Probant, quia, vt dicitur Regula Iuris 42. in *6. Accessorium sequitur principale*: atqui principale hîc sunt character & potestas Ordinis: obligatio autem ad continentiam est accessorium: ergo cùm illa validè conferantur, hæc etiam valida erit.

Infans ordinatus non obligatur continere. Vinald. Soto. Sanchez. Vasquez.

Sed communis DD. sententia est contraria: vt patet ex Vinaldo de Sacram. Ordinis n. 25. Soto in 4. dist. 25. q. 1. a. 1. post 3. concl. v. *Si roges*. P. Sanchio l. 7. disp. 30. num. 3. P. Vasquez disp. 246. nu. 25. Probant autem plurimi, quia votum essentialiter requirit liberum consensum vouentis, cuius tales omnino sunt incapaces. Sed quamuis hæc ratio conuincat tales non posse obligari voto, non satis tamen probat eos statuto Ecclesiæ non reddi incapaces coniugij; & consequenter iis non prohiberi omnem vsum mulierum. Quare addendum est, quòd, sicut Christus voluit continentiam solùm esse consilij, & neminem sine omni suo consensu ad eam obligari; ita similiter Ecclesiam neminem velle alia ratione ad eam obligare, præsertim immeritum, cui fieret aliqua iniuria, si ei omnino inuito tantum onus imponeretur.

135 *Potest iam vtens ratione eligere statum quē voluerit, nisi Ordinem sacrū exercuerit.*

Hinc infertur, infantem ordinatum cùm ad annos discretionis peruenerit, posse eligere statum Ecclesiasticum, vel sæcularem, ac liberè vxorem ducere. Quòd si tamen iam adeptus sufficiens iudicium, & conscius suæ libertatis, semel liberè actum sacri Ordinis exercuerit, aut alia ratione suam ordinationem approbarit, statim suscipit obligationem sacris Ordinibus annexam, nec eam sententiam postea mutare potest.

Sanchez. c. Ad nostra. Trident.

Addunt multi, quos citat P. Sanchez lib. 7. disput. 30. num. 8. idem dicendum esse de ordinato ante pubertatem. Quia votum solemne Religionis priùs emissum est irritum, vt dicitur cap. *Ad nostram*. 8. de regularibus: ergo etiam votum annexum Ordini erit irritum. Imò cùm iam Trident. sess. 25. c. 15. de regul. irritet professionem factam ante annum decimumsextum completum, putant illi idem dicendum esse de voto continentiæ ordinati ante annum decimumsextum. Quia eadem hîc militat ratio: scilicet leuitas ingenij puerorum, qui facilè inducuntur vt aliquem statum amplectantur, cuius eos postea pœniteat.

Trident. c. Ad nostrā.

Addunt tamen aliqui, talem statim ac nactus erit pubertatem: vel iam secundùm statutum. Trid. statim atque annum 16. expleuerit, teneri intra triduum contradicere dictæ obligationi; aliàs censendum eam acceptare, atque ita non poterit postea resilire. Probant, quia, nisi Religiosi professionem ante legitimam ætatem emissam, statim hac adepta reuocent (statim autem dicitur fieri, quod intra triduum fit, vt habetur l. finali, C. de iudicijs) censentur eam approbare, vt colligitur ex c. *Ad nostram*. citato.

l. fin. c. Ad nostrā.

136 *Glossa. Vega. Soto. Impubes liberè ordinatus tenetur continere.*

Sed in his reperio quædam difficilia, vt mox ostendam. Quare cum Glossa in cap. *Pueri*. 1. q. 1. & Vega to. 2. Summæ c. 57. casu 7. & Soto lib. 7. de Iustit. q. 2. art. 5. ad vlt. & aliis, Respondeo Primò, impuberes si ordinentur cùm iam doli verè capaces sunt, & intelligant, quam obligationem suscipiant, verè contrahere obligationem Ordini annexam: quia spectato iure naturæ, tales possunt se valdè Deo & alicui statui obligare, & nullum est ius positiuum, quod talem obligationem irritet. Nam Iura quæ irritāt professionem quæ ante pubertatem, aut annum 16. expletum sit; nullam faciunt mentionem obligationis annexæ sacræ ordinationi. In particularibus autem iuris positiui constitutionibus argumentum à simili nihil probat. Aliàs probaremus sicut ieiunamus pridie Natiuitatis S. Ioannis, ita pridie Natiuitatis B. Virginis esse ieiunandū: quia hæc illo sanctior ac venerabilior est. Adde, diuersissimam esse vtriusque rationem. Primò, quia obligatio Religiosi multò grauior ac immutabilior est, quàm sacerdotis sæcularis, ideóque matutiore deliberatione indiget. Secundò, post irritationem professionis vouens manet omnino laicus. Contrà verò semel validè ordinatus necessariò retinet perpetuò Ordinem, quem vita laica parum decet. Tertiò, quia sepositā illa lege Ecclesiastica sæpissimè contingeret aliquos ante maturam ætatem profiteri in Religione: rarissimè autem hactenus contigit aliquem ante maturam ætatem ordinari. quæ autem rarissimè contingunt, lex non comprehendit, vt patet l. *Nam ad ea. ff.* de legibus.

137 Respondeo Secundò, infans ordinatus (idem secundùm sententiam nu. 136. citatum esset dicendum de impubere) postea peruenies ad annos discretionis, in foro conscientiæ semper manet liber, vt possit statum sæcularem amplecti, donec liberè, & conscius suæ libertatis, aut expressè obligationem ordinationi annexam acceptarit, aut aliquem actum Ordinis exercuerit. Quia, vt ostendi n. 134. nemini talis obligatio imponitur, nisi eam voluntariè acceptanti.

Sanchez.

Ad Iura n. 136. contra nos citata respondet P. Sanchez lib. 7. disp. 30. num. 10. in fine, ea procedere ex præsumptione, ideóque in solo foro externo obligare. Adde, illa nihil omnino contra præsentem conclusionem etiam in foro externo probare. Nam loquuntur solùm de casu in quo is qui irritè vouit, aliquid facit quo exteriùs apparet eum habere rarum suum votum, v. c. gestando habitum professorum; aut aliquid aliud faciendo, quod soli Religiosi solent facere. Nos autem hîc supponimus ita ordinatum nullum actum Ordini proprium exercere: & solùm affirmamus eum posse eligere statum sæcularem, quamdiu nec vllum talem actum exercuit, nec obligationem illam expressè acceptauit. quod etiam in foro externo verum est.

138 Tertia difficultas est, Vtrùm ordinati cum ignorantia talis obligationis teneantur seruare continentiam? Qua in re certum est Primò, eos, qui nunquam cupierunt ordinari, & ordinati sunt omnino nescientes quid circa se ageretur, non obligari. Quia vel non vtuntur ratione, vel inualidè ordinantur. Quare hîc agimus solùm de iis, qui voluntariè ordinantur, sed penitus ignorant talem obligationem sacro Ordini esse annexam. Secundò, certum est tales obligari, quando non omnino hanc obligationem ignorant, ita vt si vellent, facilè possent eam cognoscere.

139 In hac igitur difficultate quidam absolutè asserunt tales non obligari. Primò, quia hæc obligatio non suscipitur sine voto: nemo autem potest censeri vouere id quod omnino ignorat. Secundò, quia D. Greg. lib. 1. epist. 42. circa medium, scribit nimis durum esse, iis subdiaconis, qui in Sicilia erant ordinati, cùm ibi omnes subdiaconi more Græcorum vterentur vxoribus, velle harum vsum interdicere. quia nimirū cùm fuerint ordinati cum ignorantia talis obligationis, non potuerunt censeri eam accepisse.

D. Greg.

140 Contrà quidam apud P. Sanchium lib. 7. disp. 27. n. 11. absolutè dicunt talem teneri continere. Primò, qui lex semel iustè lata obligat etiam ignorantes. Secundò, quia qui sponte suscipit aliquod officium, necessariò acceptat omne onus ei annexum, etsi hoc ignoret. Tertiò, quia tales debent velle legitimè Ordines suscipere, & consequenter implicitè vouere continentiam; quia aliàs eos illegitimè susciperent.

Sanchez.

141 Nota, tales dupliciter posse inuincibiliter hanc obligationem ignorare. Primò, quia habuerunt probabiles omnino rationes, quibus meritò potuerunt sibi persuadere nullam talem obligationem subesse: vt si videant eos qui post coniugium ordinantur, publicè vti coniugio, Prælatis omnibus tamquam rem licitam id permittentibus, nec vnquam audierint id esse

Ordinatus cum probabili ignorantia legis continendi ea non tenetur.

Argumentum à simili in iure positiuo nihil probat.

esse prohibitum: quales fuerunt illi subdiaconi Siciliæ, de quibus agit D. Gregorius citatus num. 139. Et hos credo non obligari ad continentiam. Et hoc probat tam factum, quàm ratio Gregorij, qui talibus vsum coniugij permisit. quia durum erat & contra Ecclesiæ consuetudinem omnino immeritos, ac meritò inuitos ad continentiam cogere. Et hanc credo esse sententiam P. Vasquez disp. 247. nu. 98. vbi priorem sententiam videtur asserere. *Vasquez.*

Secùs de eam ignorante sine probabili ratione.

Secundò, posset quis illam obligationem ignorare sine vlla probabili ratione in contrarium, ex mera inscitia, ac ingenij stupiditate: & credo hunc obligandum eam seruare. Quia Ecclesia ratione Ordinis, quem illè sponte suscipit, habet ad hoc verum ius, à quo alter per talem ignorantiam excusari non potest. quia suæ stupiditati debet imputare, quòd Ordinem susceperit antequam sciret, quæ ei obligatio esset annexa. Quare respectu talis obligationis est immeritò inuitus. Talis tamen non obligaretur ex voto quia non possumus vouere, quod nullo modo scimus: sed ex lege Ecclesiæ. Credo tamen vtrumque hunc casum iam vix posse in Ecclesia Latina accidere.

142 Et hinc patet solutio ad argumenta proposita numero 139. Nam propriè solùm probant quod hîc asserimus.

Ad Primum argumentum propositum num. 140. Resp. hoc solùm esse verum in obligationibus, quæ omnino inuitis imponi possunt, qualis non est hæc obligatio ad continentiã, quæ requirit aliquam acceptationem obligati, vel saltem vt aliquid faciat, quod ipsum ad talem acceptationem obliget; vt accidit in secundo casu.

Ad Secundum, nego assumptum generaliter esse verum. Fallit enim quoties is qui officium suscipit, habet iustam causam sibi persuadendi tale onus non esse annexum illi officio. Vide P. Lessium de Iustitia c. 40. n. 8. §. *Sequitur secundò.* *Lessius.*

Ad Tertium, nego consequentiam. quia qui ob probabilem rationem sibi omnino persuadet, sacrum Ordinem sine voto continentiæ posse legitimè suscipi, potest eum velle legitimè suscipere sine tali voto. Quia, vt ostendi suprà, Ecclesia non exigit ab eo votum.

143 Quarta difficultas est, Vtrùm is qui metu compellitur sacros Ordines suscipere, obligetur ad continentiam?

Vbi Nota, nos hîc non agere de eo qui ex metu sine voluntate suscipiendi Sacramentum, solùm simulatè Ordines suscipit. quia talis inualidè ordinatur. Nec etiam de eo qui metu ex alia causa incusso ordinatur vt periculum euadat: vt si inimicus aut corriualis alicui machinetur mortem, & hic suscipiat sacros Ordines, vt alter horum reuerentia à cœptis desistat, quem certum est teneri ad continentiam: idémque dicendum de eo qui metu iustè incusso compellitur ordinari. Vide P. Lessium de Iustitia cap. 40. dub. 3. *Lessius.*

Agimus hîc igitur solùm de casu quo metus grauis ac cadens in virum constantem iniustè incutitur ad compellendum aliquem vt ordinetur.

144 Prior sententia docet, talem teneri continere. Primò, quia obligatio castitatis tanquam accessorium est annexa Ordini sacro: atqui tali ipsa ordinatio est satis voluntaria vt verè suscipiat Ordinem: ergo etiam vt suscipiat istam obligationem. quia accessorium sequitur principale. Secundò, quia qui metu compulsus baptizatur, tenetur legem Christianam obseruare: ergo qui ob metum ordinatur tenetur seruare leges ordinatorum. Tertiò, quia in Toletano 8. c. 7. dicitur inuitè ordinatos teneri permanere in statu Ecclesiastico. Quartò, quia tales hoc ipso quo suscipiunt Ordines vouent continentiam: atqui votum metu extortum iure naturæ est ratum, nec hoc votum vllo iure positiuo irritatur; ergo validum est. Ita Palud. in 4. d. 38. q. 3. art. 4. concl. 6. D. Antonin. 3. p. tit. 14. c. 16. in fine. Sotus l. 7. de iustitia q. 2. a. 5. ad vlt. Abbas in c. *Maiores.* de baptismo. §. vlt. n. 7. hic tamen cum quibusdam aliis excipit clericum coniugatum. quia nimis durum esset hunc etiam consentiente vxore obligare ad castitatem. Armilla tamen verb. *Ordo* nu. 14. vult etiam hunc obligari ex parte sua ad continentiam. *Toletan. 8.* *Paludan. D. Antonin. Sotus. Abbas. Armilla.*

Secunda sententia (quam magis probo negat talem teneri ad continentiam. Ita Rosella verb. *Ordo* 3. num. 6. Angelus ibidem in fine. Nauarr. lib. 1. consil. tit. de his quæ vi consil. 2. num. 4. & consil. 3. num. 2. aliàs consil. 4. num. 4. Sotus in 4. d. 25. qu. 1. artic. 2. ad 3. Azor. lib. 13. Institut. cap. 14. quæst. 5. & cum pluribus aliis P. Sanchez lib. 7. disp. 29. nu. 5. Vbi etiam docet decisiones Rotæ sequentes stylum curiæ hanc sententiam tenere. Præcipuum autem horum Doctorum fundamentum est, quia talis solùm potest obligari ex voto, quod dum initiatur emittit: atqui votum metu graui extortum est irritum, vt statuitur cap. 1. & 6. de his quæ vi, &c. ergo cùm illius ordinati votum sit irritum, ipse non obligabitur continere. 145 *Rosella. Angelus. Nauarr. Sotus. Azor. Sanchez.*

Respondent alij Primò, in illis Iuribus non statui vt tale votum sit irritum, sed aliquos hoc solùm à contrario sensu colligere. quod argumentum sæpè fallit; & sine dubio in illo iure non est firmum. Secundò, in illis Iuribus solùm agi de voto Religionis, ex quo non licet argumentari ad votum annexum Ordini, vt ostendi num. 137. Atque ita totum hoc fundamentum eliditur, si ponamus votum metu extortum solo Iure positiuo esse irritum. Adde, ordinatum etiam ex lege Ecclesiastica obligari ad continentiam; vt ostendi n. 130.

Dico igitur cum Soto lib. 7. de Iustitia quæst. 2. a. 1. Nauarr. cap. 12. num. 52. Glossa in *Abbas.* de his quæ vi, &c. D. Bonauent. in 3. d. 39. quæst. 2. & aliis, votum graui & iniurioso metu extortum, esse irritum iure naturæ. Prob. quia communiter ferè DD. asserunt tale votum esse irritum, & Iura superiùs citata videntur id supponere; & tamen nullum reperitur Ius illud irritans: ergo debet esse irritũ iure naturæ. Quod argumentum est satis probabile, etsi non omnino conuincat. Prob. Secundò meliùs. Quia Deus nullo modo potest censeri talia vota acceptare: atqui sine Dei acceptatione nullum votum obligat: ergo votum metu extortum non obligat. Consequentia & minor clara sunt. Maior probatur, quando votum est circa materiam liberam, vt in præsenti quæstione accidit. quia Deus vult obiectum talis voti esse omnino liberum: ita vt ex se nolit quemquam ad illud cogere aut obligare, præsertim cooperando alicui actioni iniurioso: atqui si tale votum acceptaret, per se vouentem cogeret ad talis voti obiectum perficiendum, idque cooperando actioni iniurioso: ergo id non acceptat. Maior patet, tum quia aliàs contrariaretur suæ voluntati qua statuit nos per se ad talem materiam non obligare: tum etiam quia videtur indignum Deo tali modo aliquem ad ea quæ vult omnibus esse libera, obligare, cùm aliis honestissimis modis possit eum ad hoc faciendum, aut etiam vouendum inducere; vt infrà magis declarabo. Minor probatur, quia actio extorquentis votum nullam haberet vim alterum mediante voti obligatione cogendi ad continentiam, nisi Deus illud votum acceptaret. quare illa obligatio inducitur partim per actum extorquentis votum, partim per acceptationem Dei illud acceptantis, tanquam à duabus causis partialibus. Vnde sequitur, Deum ex se esse causam partialem inducentem eam obligationem, & cooperari 146 *Soto. Nauarr. Glossa. Bonauent.* Votum metu extortũ iure naturæ est irritum.

alterius iniuriosæ actioni tanquam partialem concausam cum ea.

147 Nec refert quòd Deus per illam acceptationē non faciat iniuriam vouenti, quia inde non sequitur quòd non compellat eum votum exequi, idque cooperando alterius iniquæ actioni. quod solùm asserimus. Confirmatur & explicatur exemplo. Nam si Ioannes à suo seruo tantùm exigeret mediam partem operæ, quam iustè posset exigere; & Petrus metu mortis illum compelleret, vt adhibito iuramento hero promitteret integram illam operam quotidie præstare, Ioannes hanc promissionem acceptando, seruo propriè non faceret iniuriam; obligaret tamen ipsum ad præstandam illam operam, & cooperaretur alterius actioni iniuriosæ compellendo ipsius vim obligandi. Sicut igitur viro graui esset indignum talem promissionem acceptare, præsertim quando aliis iustissimis modis posset seruum ad illam operam præstandam compellere; ita etiam acceptatio talis voti esset indigna Deo & contra priorem voluntatem, qua statuit neminem inuitum ad continentiam obligare.

148 Dices Primò, Deus acceptat iuramentum promissorium iniuriosè extortum: ergo etiam votum.

Respondeo negando antecedens, si propriè loquamur. Nam cùm tali iuramento nihil Deo offeratur, nihil potest acceptare. Quòd si velis, Deum acceptare illud iuramentum, nihil aliud significare, quàm Deum velle illud impleri: nego tunc consequentiam. Est enim maxima differentia. Quia Deus per talem acceptationem non facit, vt iuramentum habeat vim obligandi (vt contingit in acceptatione voti) sed iuramentum habet hanc ex natura sua completam posita validitate promissionis quæ illud extorquenti fit. ita vt sicut Deus non potest efficere vt aduertenter iurans non obligetur iurare verum: ita immediatè non potest efficere vt iuramentum promissorium non obliget iurantem: sed solùm mediatè potest hoc facere, quatenus vt summus omnium Dominus potest efficere, vt promissio aut ab initio sit irrita, aut postea desinat obligare. quo posito per se tamquam accessoria desinit obligatio iuramenti. Et simili modo dum Prælati dicuntur dispensare in iuramento promissorio metu extorto, tollunt huius obligationem nomine Dei irritando promissionem. quod quiuis absolutus dominus promissarij facere posset. Quare cùm Deus nec velit omnes tales promissiones per se irritare, nec etiam expediat ipsum hoc facere, meritò vult iurantem implere iuramentum. quia sine peccato non potest illud non implere. Itaque votum obligat, quia Deus illud acceptat: iuramentum autem Deus vult seruari, quia obligat.

Cur Deus potiùs habeat ratum iuramentum metu extortum quàm votum.

Quomodo à Deo aut Prælato irritetur iuramentum.

149 Dices Secundò, Hinc sequetur vota etiam leui metu extorta esse irrita.

An leuis metus irritet votum.

Respondeo, concedendo totum in votis merè liberalibus, quando metus est vera causa voti: quod in foro externo communiter non præsumitur. Secùs tamen est in votis quæ comitantur pacta vtrimq; onerosa: vt fit in voto Religionis, quod prælatus acceptàs obligat simul Religionem ipsi vouenti: & in votis annexis Ordini sacro, quo confertur dignitas Ecclesiastica, in cuius iniuriam cedit voti violatio. Quare per se loquendo, qui sacrum Ordinem suscipit, aut Religionem profitetur, non solùm ex virtute veracitatis, ac Religionis, sed etiam ex iustitia tenetur seriò vouere: & fictè agendo Ordini Ecclesiastico, aut Religioni faceret veram iniuriam. à qua obligatione non liberat eum leuis metus, sed solùm grauis: præsertim in suscipiendo Ordine sacro, cuius reuerentiæ satis repugnat eo initiatum non continere. Quare Deus acceptando tale votum non censetur cooperari alterius iniuriosæ actioni, sed iustæ Ecclesiæ exactioni, quæ meritò exigit vt tale votum sit validum.

Hinc sequitur Primò, metu graui ordinatum nulla etiam Ecclesiæ lege ad continentiam obligari. quia Ecclesia hac lege neminem obligat, quem non potest obligare voto. talem autem, vt ostendi, non potest obligare voto. 150 *Metu graui ordinatus non tenetur ad continentiam. Aegyran.*

Sequitur Secundò, ratio decisionis Concilij Ancyrani citati n. 114. in quo decernitur, diaconos, qui in sua ordinatione protestari sunt, se non posse continere, ad hoc non teneri. Quia nimirum tales nec voto (quod non poterant vllo modo censeri emisisse) nec lege Ecclesiastica ad continentiam tenebantur: quia hæc non obligat eos, qui eam nec vllo modo acceptant, nec etiam acceptare tenentur; quales illi erant. Nam cùm protestarentur se nolle cum tali obligatione ordinari, nullam faciebant Ordini iniuriam, eam non acceptando: sed huic Episcopus eos ordinans potiùs faciebat iniuriam eos ita ordinando, vt ad continentiam obligari non possent. Qua ratione dicitur etiam iis dedisse veniam ineundi matrimonium: non quidem formaliter, aut dispensando in aliqua lege (quod facere non poterat) sed ipso facto, eos ordinando eo modo quo ad continentiam obligari non poterant: quos tamen Concilium permittit suo officio fungi ob necessitatem illius temporis.

Ad Primum argumentum num. 144. propositum, 151
Respondeo maiorem esse intelligendam, quando in vtroque est par ratio. Hic autem est valdè diuersa. Nam ponuntur omnia essentialia Ordinis: voto autem deest acceptatio Dei essentialiter ad eius valorem requisita.

Ad Secundum, nego consequentiam. Primò, quia obligatio illa baptizari non prouenit ex voto, sed immediatè ex vi Sacramenti, quo immediatè fit subditus Ecclesiæ. Secùs est de obligatione ordinati. Secundò, quia iure diuino omnes tenentur baptizari, quare ita compulsus ad nihil compellitur, ad quod saltem mediatè antè non tenebatur. Secùs est de eo qui compellitur suscipere Ordines.

Ad Tertium, Respondeo Concilium loqui de iis, qui aut solùm leui metu compulsi sunt ordinati, aut postea liberè aliquos actus Ordinis exercendo, hunc ratum habuerunt.

Ad Quartum, patet responsio ex dictis.

Demum hìc Nota, eandem hìc esse rationem obligationis ad continentiam, & ad legendas Horas, & simul vtramque aut suscipi, aut non suscipi.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Sanchez. *SEPTIMVM ac vltimum Sacramentum nobis explicandum restat: de quo inter multos alios, qui vnus pro omnibus posset sufficere, doctissimè scripsit P. Thomas Sanchius, & quidem ita, vt meritò omnibus adimat omnem cogitationem quidquam vlteriùs de eo scribendi: cùm omnes huius materiæ difficultates ita explicuerit, vt nulla videatur superesse, cui quis aliquam lucem adferre possit. Ne tamen inchoatum tractatum relinquam mutilum, breuiter etiam huius Sacramenti naturam conabor explicare; vt quibus non ita vacat longiora scripta perlegere, possint hinc breui compendio sibi necessaria excerpere. Qua in re (quia eam optimam iudico) ipsius Sanchij & methodum & sententias quoad potero sequar. Quia tamen non eadem omnium iudicia, sed variis varia placent, &*

Rom. 14. *iuxta Apostolum ad Rom. 14. Unusquisque in suo sensu abundat; statui ita eum sequi, vt tamen, si quid contrarium occurrat, id etiam exponam, ne alicui quantum fieri poterit, quod desiderare possit, sponte subtraham. Prosequar autem toto hoc tractatu præcipuè quæstiones Theologicas: Iuristicas autem quatenus cum illis aliquam connexionem habebunt, aut ad res conscientiæ explicandas vtiles videbuntur. Quæ autem purè ad forum externum præsertim ciuile pertinent, ne iusto longior sim,*

Sanchez. *rarius attingam. Hinc quæ P. Sanchius disputat lib. 6. de donationibus inter coniuges, & quædam etiam quæ disputat lib. 10. de expensis, quas facto diuortio quisque coniux debeat pendere, apud ipsum legenda magna ex parte hic omittam.*

Vnde matrimonium dicatur. cap. 2. de conuers. *Vt autem antequam rem ipsam explicemus, de nomine Matrimonij, eiusque ratione aliquid dicamus, Matrimonium ita dictum est, quòd ineatur vt vxor mater fiat: à qua potius quàm à marito nomen accepit: quia, vt dicitur cap. 2. de conuersione infidelium, in partu mulier maximos dolores ac labores perfert, atque ita quasi præcipuum, quod in generatione reperitur, onus sustinet. Dicitur etiam connubium, ac nuptiæ: quia mulier per illud sub viri potestate constituitur, eáque quasi velo obnubitur: quod etiam velum, quo honestiores in publicum prodeuntes caput tegunt, significat & insinuat*

1. Cor. 11. *Apostolus 1. ad Cor. 11. Dicitur etiam coniugium à duorum coniunctione. Priusquam autem Matrimonij essentiam ac conditiones exponam, natura Sponsalium, quæ illud præcedunt, explicanda est.*

DISPVTATIO XXI.

DE NATVRA ET ESSENTIA SPONSALIVM.

DVBIVM I.

Quid sint Sponsalia?

1 *Nostrates.* Definitio Sponsalium.



AP. *Nostrates* 30. q. 5. & l. 1. ff. de sponsalibus, sponsalia definiuntur, *Futurarum nuptiarum promissio*, scilicet mutua: quia vnius promissio nullo modo constituit sponsalia. Sic autem dicuntur, quia in iis vterque nuptias, & per eas vsum sui corporis spondet. vnde etiam sponsi, quasi promissi dicuntur. Vt autem valida sint, tam in ipsa promissione quàm in personis promittentibus, varias conditiones requirunt, quas sequentibus dubijs explicabimus.

2 *Tertio loco.* Sponsalia variè accipiuntur. Nota, Sponsalia Secundò quandoque significare matrimonium nondum consummatum, cap. *Tertio loco.* 13. de præsumptionibus. Quia nimirum in ijs implicitè vlteriùs promittitur vsus matrimonij, saltem communiter. Tertiò, licèt raro, significant etiam munera, quæ sponsæ à sponso dantur l. 1. C. Si nuptiæ ex rescripto petantur. vbi dicitur: *sponsalia, hoc est, arrharum data nomine, reddi sibi præcepto legum cum statuta pœna deposcunt.* & l. 1. Reg. c. 18. *Non habet Rex sponsalia necesse.* Similiter sponsi communiter quidem dicuntur, qui mutuò sibi matrimonium promiserunt; sæpe tamen etiam ita vocantur, qui matrimonium per verba de præsenti contraxerunt. vt patet ex titulo de sponsa duorum, & summarijs capitum; & vulgò sic etiam vocari solet.

l. 1. C. Si nuptiæ ex rescripto petantur.

1. Reg. 18.

3 Vxor tripliciter accipitur.

Item vxor siue coniux tripliciter accipitur. Primò, pro ea quæ matrimonium iam consummauit; & sic proprijssimè accipitur. Secundò, etiam propriè pro ea quæ matrimonium contraxit, nondum tamen consummauit: & sic accipitur c. 5. 6. 9. & alijs 27. quæst. 2.

c. Iuuenis. Tertiò, quandoq; etiam accipitur pro sponsa de futuro. Probant id aliqui ex c. *Iuuenis.* 3. de sponsalibus. Sed hoc caput satis est dubium: quia loquitur de puella nondum septenni; quam iuuenis duxerat, & tanquam vxorem dicebatur cognouisse, & ideo Pontifex dicit: *Quia ipsa coniux ipsius fuisse dicitur.* Sicut Cicero tom. 2. orat. 29. pro domo sua, circa medium Clodij sororem vocat eius coniugem, propter incestum inter eos commissum. Potest tamen id probabiliter colligi ex l. *Non sine.* 5. C. de bonis, quæ liberis, &c. Vbi expressè decernitur in fauorabilibus sponsam nomine vxoris comprehendi posse, ideóque legem statuentem, vt ea, quę vxor acquirit à marito, quo ad proprietatem, sibi non autem patri suo, acquirat; debere extendi ad ea, quæ acquisiuit sponsa à sponso.

l. Non sine.

4 Sanchez. In fauorabilibus vxor & sponsa latè accipiuntur. l. Non sine.

Ex his benè infert P. Sanchius l. 1. disp. 1. nu. 2. & 3. in rebus fauorabilibus, nomine sponsæ intelligi etiam eam quæ contraxit matrimonium per verba de præsenti, nondum tamen consummauit: & nomine coniugis tam hanc quàm sponsam de futuro. Patet ex l. *Non sine.* citata num. 3. Hoc tamen de sponsa de futuro non puto esse generale, sed solùm in iis in quibus est eadem fauoris ratio. Nam c. *Si verò.* 3. de sententia excõmunicat. etsi decisio sit fauorabilis, tamen nomine vxoris non venit sponsa: vt fatetur Sanchius suprà num. 6. In rebus autem odiosis nomine sponsæ intelligitur sola ea, quæ matrimonium futurum promisit; & nomine vxoris, quæ matrimonium consummauit: quia *odia restringi, & fauores conuenit ampliari.* Regula Iuris 15. in 6. In indifferentibus verò quæ contraxit matrimonium nondum consummatum, & sponsa & vxor dicitur. Patet ex Iuribus citatis n. 2. & 3.

c. Si verò. Sanchez. Reg. Iuris.

5 Quando aliqua constitutio sit censenda fauorabilis.

Nota demum cum eodem Sanchio suprà num. 4. tunc legem, constitutionem, rescriptum, testamẽtum, & similia dici continere fauorem, quando corũ conditor per ea intendit alicui fauere: idque in omni eo in quo fauere intendit, etsi illud idem alteri sit odiosum. Hinc etsi statutum cap. *Si verò.* de sent. excommunic. quo statuitur, vt non sit excommunicatus verberans clericum turpiter agentem cum matre, sorore, vxore, filia, videatur odiosum clericis; quia tamen Pontifex in eo intendit fauere iusto dolori percutientis, censetur materiæ fauorabilis.

c. Si verò.

DVBIVM II.

Qualis requiratur promissio ad constituenda sponsalia?

6 Sponsalia requirunt directam promissionem matrimonij.

VAriæ hîc sunt difficultates, quas per sequentes conclusiones suo ordine explicabimus.

CONCLVS. I. Ad sponsalia necessariò requiritur vera & directa matrimonij promissio. Patet ex definitione data n. 1. & explicatione singularum partium. Primò itaque requiritur vera promissio. quia sponsalia hanc includunt tamquam species suum genus. Nec sufficit quæuis promissio, vt per se patet, sed debet esse promissio matrimonij, & quidem directa, siue immediata. Nam si sufficeret indirecta, cùm ij qui inter se mutuo promittunt contrahere sponsalia, mediatè ac indirectè etiam promittãt contrahere matrimonium, promissio sponsalium esset vera sponsalia. quod patet esse falsum. nam promissio rei exhibendæ necessariò differt à re exhibita. Quare etiam per talem promissionem non contrahitur impedimentum publicæ honestatis. Ita cum alijs Couar. 4. decret. p. 1. c. 4. initio.

Couar.

7 Promissio essentialiter requirit animum se obligandi.

Hinc sequitur, non sufficere promissionem omnino fictam, nec eam quæ fit sine animo se obligandi. quia neutra est vera promissio. Nam hæc essentialiter requirit, vt fiat cum intentione se obligandi, vt benè docet P. Lessius de Iustitia cap. 8. dub. 1. n. 5. & c. 40. dub. 1. n. 6. Et ratio est, quia qui solùm proponit Ioanni dare librum, etsi hoc ei dicat, nihil ei verè promittit: idque ob eam solam causam; quia non intendit se ei obligare. Quare idem omnino est nolle se obligare, & nolle promittere. Vnde P. Sanchius l. 1. disp. 9. n. 2. infert, promittentem alteri matrimonium, si omnino credat eam promissionem non inducere vllam obligationem, non contrahere sponsalia. quia sicut non habet intentionem se obligandi, ita nec verè promittendi: nisi fortè esset actu ita affectus, vt vellet omnino more recepto promittere, & contrahere obligationem, si hoc ad vera sponsalia requiratur: tunc enim implicitè vellet se obligare.

Lessius. Sanchez.

8

Quidam hîc excipiunt casum, quo is qui aliquid promittit sine animo se obligandi, simul verè iurat se staturum promissis. Ita Caietan. 2. 2. qu. 89. art. 7. ad 4. Couar. de pactis 1. p. §. 5. num. 2. Sotus lib. 8. de Iustitia, q. 1. art. 7. ad 4. & alij, qui docent talem verè obligari promissario. Quia hoc ipso quo quis habet verum animum iurandi, ex vi ipsius iuramenti ob reuerentiam diuini numinis obligatur facere quod iurauit. Contrà alij volunt talem non obligari. Sed quidquid hac de re sit (quod latiùs explicabo disput. 22. num. 51.) quantumuis dicamus talem obligari ex vi iuramenti facere id quod finxit se promittere; certum tamen est, hîc non esse veram promissionem, quæ sine animo se obligandi stare nequit: atque ita nec sunt vera sponsalia, quia hæc essentialiter includunt promissionem.

Caietan. Couar. Sotus.

9 Sponsalia exigunt mutuam promissionem.

CONCLVS. II. Hæc promissio necessariò debet esse mutua, ita vt vtraque pars promittat alteri matrimonium. Patet ex l. 1. 2. de sponsalibus: vbi sponsalia dicuntur esse repromissio, id est, reciproca promissio. Ratio est, quia, cùm sint quædam inchoatio matrimonij, & hoc sit essentialiter contractus, qui intrinsecè mutuam obligationem includit; illa etiam necessariò participant ex hac parte naturam contractus, ac consequenter mutuam obligationem includunt.

10 Sponsalia nequeunt claudicare.

Hinc sequitur Primò, sponsalia hac ratione non posse vllo modo claudicare, ita scilicet vt ab vna solùm parte obligẽt, siue valida sint. quamuis possint ab vna, vel etiam ab vtraque parte quadam ratione imperfectè obligare: quatenus vel vna, vel etiam vtraque pars potest ea altera inuita reuocare: vt fit quando impubes cum pubere, vel duo impuberes inter se ea contrahunt. Qua de re dicemus disp. 23. dub. 2.

11 Fictè ea contrahens peccat mortaliter. Sanchez.

Sequitur Secundò, esse peccatum mortale fictè contrahere sponsalia. Ita Sanchius disp. 9. nu. 3. Quia in contractibus oneroſis tenemur ex iustitia seriò agere. quia aliàs altera pars grauiter decipertur, eique fieret grauis iniuria dum dolo inducereturr, vt in re tanti momenti, quantum est ex parte sua, & secundùm externam apparentiam, tam graniter se alteri obligaret: quod nullo modo facere vellet, si scirer partem fictè agere. Nec refert quòd verè à parte rei is qui seriò agit, non obligetur. quia quamdiu hoc nescit, tantum onus subit, & eodem modo cogi potest, vt stet promissis, ac si altera pars seriò promisisset.

Addit tamen P. Sanchius suprà tres limitationes. Prima est, quando deceptus facilè aduerteret alterum ioco agere, nec aliud inde damnum timeretur. Ad hoc tamen est necessarium vt decipiens non intendat alterum vlla ratione sibi obligare, eóque modo agat vt non possit partem in foro externo ad implenda promissa cogere. aliàs deceptus inuitus graue onus subiret. Secunda quando decipiens alteri gratuitò promitteret matrimonium sine repromissione: sed tunc non essent sponsalia. Tertia, quando decipiens graui metu ad id compelleretur.

12

Sequitur Tertiò, vera sponsalia necessariò obligare partes sub peccato mortali. quia sicut alij omnes contra

Necessariò obligant sub peccato mortali, contractus onerosi obligant ex vera iustitia, quæ obligatio necessariò stricta est, & consequenter in materia graui, qualis hæc est, obligat sub peccato mortali, quidam contrarium sentiunt, sed illud ex dictis clarè sequitur.

Dices, Liberalis promissio facta homini, aut etiam Deo potest in re graui solùm obligare sub peccato veniali, si promittens non intendat se grauiùs obligare: ergo etiam sponsalia.

Resp. quidquid sit de antecedente (de quo videbimus d. 22. dub. 6.) negando consequentiam. Quia, sicut obligatio promissionis omnino liberalis aliquo modo deficit à perfecta ratione iustitiæ: ita etiam posset consistere cum obligatione non ita stricta. Secùs est in promissione onerosa. Nam sicut hæc inducit obligationem perfectæ iustitiæ, ita etiam inducit omnino strictam, quia hæc est de essentia iustitiæ commutatiuæ. Confirmatur, quia si quis aliquid homini liberaliter promittat fictè & sine animo se obligandi, per se loquendo solùm peccat venialiter: secùs est in sponsalibus, vt ostendi nu. 11. quod tamen esset falsum, si possent solùm obligare sub veniali. Nam is qui fictè contrahit sponsalia, non peccat grauiùs, quàm is qui seriò contracta non implet: atqui in casu quo tantùm obligarent sub veniali, seriò contracta non implens tantùm peccaret venialiter: ergo similiter fictè ea contrahēs solùm peccaret venialiter.

13 Debent deliberatè fieri.

Conclvs. III. Hæc promissio debet deliberatè fieri, siue ita, vt promittens perfectè aduertat quid agat: quia aliàs non est actus perfectè humanus ac voluntarius: & consequenter non potest inducere perfectam obligationem, qualis, vt ostendi, est de essentia sponsalium. Ad hanc autem, sicut ad quamuis aliam promissionem, vt validè fiat, talis deliberatio requiritur atque etiam sufficit, qualis requiritur ad peccandum mortaliter; vt cum aliis benè docet P. Lessius de Iustitia c. 40. n. 2.

Lessius.

Et probatur, quia omnis inaduertentia quæ in re graui excusat à peccato mortali, efficit vt actus sit imperfectè humanus ac voluntarius. Contrà verò quæ sufficit ad peccandum mortaliter, cùm efficiat actum verè humanum ac liberum, & peccantem obliget subire æternas pœnas, etiam sufficiet ad veram promissionem, qua vnus se alteri perfectè obliget.

14 *2. Si quis. c. Diuortia. Reg. 48. de reg.*

Dices, c. *Si quis iratus.* 2. q. 3. & c. *Diuortium.* de pœnitentia, d. 1. & regula 48. π. de regulis Iuris, dicitur, id quod calore iracundiæ factum aut dictum est, non prius haberi rarum, quàm si perseuerantiâ apparuerit iudicium animi fuisse: atqui calor iracundiæ non semper tollit deliberationem sufficientem ad peccandum mortaliter: ergo minor ad hoc requiritur aduertentia, quàm ad contrahendum obligationem ex contractu.

Respondeo, illa Iura loqui de particularibus casibus, v. c. quando ex subita ira coniux quasi diuortium facturus à coniuge discessit: aut vnus alteri aliquod crimen obiecit, vt patet ex textu. Quando igitur tales paulò pòst facti pœniter, præsumunt Iura illos ea non tam fecisse seriò, & vera voluntate diuertendi, aut accusandi; quàm vt animi commotionem ac iram significarent: sicut sæpè irati coniuges sibi mutuò diras imprecantur, cùm tamen grauiter dolerent, si quid eorum, quæ alteri imprecantur, accideret. Quare ex illis Iuribus malè infertur, contractus factos cum vera voluntate contrahendi, semper esse irritos, quotics ex aliqua passione fiunt: nisi forè in quibusdam casibus, vbi id ob certas rationes Ius expresè statuit. vt sit in

l. Locatio.

l. *Locatio.* 9. π. de publicanis: vbi statuitur, vt locatio vectigalium, quam licitator nimio calore vltra modum auxit tum primùm rata sit, si postea paratus sit fideiussores dare. quod ideo statuitur, ne aliàs tales aduertentes postea se sua omnia perdituros cum publica pecunia aufugiant.

Nota, sponsalia cùm insufficiente deliberatione contracta, sicut nullo modo sunt sponsalia, ita ne quidem sub veniali obligare: vt in simili benè docet P. Lessius l. de Iustitia c. 40. num. 4. Et ratio est, quia hîc non potest esse alia obligatio quàm iustitiæ. quia, vt ostendi num. 12. obligatio orta ex promissione onerosa, est obligatio iustitiæ: atqui hæc in materia graui semper obligat sub mortali, vt ibidem ostendi: ergo cùm hîc sit materia grauis & promissio onerosa, si non sit grauis obligatio, nulla erit.

15 Indeliberatè facta non obligant. *Lessius.*

Conclvsio IV. Hæc promissio debet versari circa determinatam personam. Hinc si Petrus sex vel septem puellis simul promittat se vnam ex iis ducturum, & vicissim promittant se ipsi nuptúras; non sunt sponsalia. Quia nec Petrus hæc contrahit cum certa aliqua, quia nulli certæ fit specialis promissio: nec etiam cum omnibus, quia non promisit omnes ducere, sed vnicam. Ratio à priore est, quia promissio puellarú (eadem est ratio promissionis Petri respectu singularum) fit sub hac conditione, Si me ex aliis elegeris: quare non transit in absoluram, & consequenter nec sunt sponsalia, donec Petrus vnam elegerit, cum qua velit cõtrahere. Mox tamen atque vnã elegerit, erunt vera sponsalia, quia conditio ponetur. Vnde Siluest. v. *Matrimonium.* 2. n. 11. docet, quando talis aliquam ex dictis cognoscerent, si ipsæ essent sorores, censeri illam elegisse, & secundùm ius antiquum sponsalia transitura in matrimonium. Ratio eius est, quia tunc propter obortam affinitatem non posset alias sorores ducere, & consequenter cum illa sola posset implere promissum. Tamen num. 12. videtur contrarium dicere; quando puellæ istæ non essent cognatæ. quia posset tunc vnam aliam ex dictis ducere, & sic implere promissum. Sed verius est, idem dicendum etiam in hoc casu, atque in priore. quia, nisi de contrario constet, talis puella non potest iudicari aliter concedere vsum sui corporis, nisi sub spe futuri matrimonij: quare alter illum ab ea exigendo, videtur ei hanc spem facere, & suam electionem in ea determinare: quòd maximè verum est secundùm ius antiquum: quia, cùm talis possit hanc cognoscere affectu maritali, præsumitur id fecisse, iuxta c. *Is qui.* de sponsalibus.

16 Debet versari circa personas determinatas. *Siluest. Matrimonium.* 2. n. 11.

c. *Is qui.*

Conclvsio V. Hæc promissio debet exteriùs vtrimque sufficienter exprimi, ita vt possit à parte acceptari, quia promissio purè interior facta homini, nec est vera promissio, vt ostendam disp. 22. num. 34. nec potest vllo modo esse reciproca. Nam cùm pars eam nec intelligere nec acceptare possit, non potest etiam eius intuitu repromittere.

17 Promissio debet exteriùs exprimi.

Conclvsio VI. Externa hæc promissio debet esse coniuncta cum libera actuali, vel saltem virtuali intentione se obligandi ad matrimonium, & ab hac eam imperante procedere: quia aliàs non posset cum ea vnum integrum actum humanum componere. quod tamen est necessarium, vt externa promissio sit signum illius internæ voluntatis: & consequenter vt habeat veram rationem promissionis; vt in simili dixi disp. 4. num. 44.

18 & fieri cum intentione se obligandi.

Hinc si Petrus omnino credens futurum vt ebrius contrahat sponsalia cum Catharina, ea intentione se omnino inebriet, vt tunc verè contrahat, & de facto ebrius conetur cõtrahere, inualidè id facit. quia externa hæc promissio nõ procedit ex aliqua libera voluntate se obligandi ad matrimoniũ: nec in se est voluntaria per modum actus exerciti, sed solùm per modum obiecti voliti. quod non sufficit, vt sit verum signum alicuius liberæ voluntatis se obligandi ad matrimonium. Vide dicta in simili tom. 1. q. 64. a. 8. dub. 2.

Ebrius inualidè promittit.

Quòd si Petrus & Catharina sobrij sibi mutuò promitterent matrimonium, si ebrij sponsalia contraherent, & postea ea ebrij contraherent, essent vera sponsalia, sed ratione prioris pacti. Actio autem facta in

19

ebrietate solùm esset positio conditionis requisitæ, vt prius pactum condionatum transiret in absolutum.

Dixi in conclus. *vel virtuali*, quia sufficit virtualem intentionem se obligandi adesse dum externa promissio fit, quia similis intentio sufficit ad collationem Sacramenti: vt dixi tom. 1. quæst. 64. art. 8. dub. 2.

18 Sponsalia clandestina licita, *Sanchez. Henriquez. Silvester. Armilla. Cajetan.*

CONCLVS. VII. Sponsalia clandestina sine præsentia Parochi, aut vllius testis, non modo validè, sed etiam per se loquendo licitè contrahuntur. Ita cum aliis P. Sanchius l. 1. disp. 13. n. 2. fauèrque Henriquez lib. 11. c. 5. n. 8. lit. T. in scholiis. Et prior pars est communis DD. Secundam tamen negant Silvest. *Matrimonium.* 6. q. 7. dicto 5. & 6. Armilla v. *Sponsalia.* n. 14. Cajet. in Summa v. *Sponsalia.* & quidam alij. Ratio eorum præcipua est, quia quibus absolutæ nuptiæ prohibentur, iis etiam prohibentur sponsalia: vt patet l. *Oratio.* π. de sponsalibus, & l. *Si quis tutor.* 60. v. *Quamuis.* π. de ritu nuptiarum. atqui matrimonia clandestina prohibentur; ergo etiam clandestina sponsalia. Et confirm. Primò, quia re aliqua prohibita prohibentur etiam ea quibus ad eam peruenitur. Secundò, quia mala quæ sequuntur ex clandestinis nuptiis, etiam sequuntur ex clandestinis sponsalibus. Nam sæpe contingit sequi copulam, atque ita illa transire in matrimonium.

l. Oratio. l. Si quis.

21 Sed hæc non habent difficultatem. Ad argumentum itaque nego conseq. Quia quibus absolutè prohibitæ sunt nuptiæ, si conentur contrahere sponsalia, promittunt sibi aliquid illicitum, quare id non modò illicitè, sed etiam inualidè faciant. Contrahentes autem clandestina sponsalia, non promittunt clandestinas, aut aliàs prohibitas nuptias: sed simpliciter contrahere matrimonium eo modo quo id licitè facere poterunt. quod licitum est. Prior autem confirmatio nihil facit ad rem. quia, vt ostendi, clandestina sponsalia ex se non sunt via ad nuptias clandestinas, aut illicitas, sed ad licitas. Secundum nego assumptum. Quòd enim aliquando talia sponsalia sequatur copula, per accidens est ratione malitiæ hanc habentium. & potest etiam haberi ab iis, qui publicè contraxerunt. Adde, iam per illam copulam nullum omnino, ne quidem præsumptum contrahi matrimonium. Quare mala quæ Ecclesia prohibens matrimonia clandestina vult euitare, quæque recenset Trident. sess. 14. cap. 1. de reform. matrimonij, nullo modo sequuntur ex dictis sponsalibus. Ex quibus clarè probatur nostra conclusio. Quia, cùm ista sponsalia ex natura sua non sint illicita, nec possint ostendi vllo iure esse prohibita; nihil est cur dicamus absolutè esse illicita. Sunt tamen communiter omnino dissuadenda: quia sæpe minùs circumspectè contrahuntur, ita vt sponsos mox valdè pœniteat ea contraxisse.

Trident.

DVBIVM III.

Quæ verba vel signa requirantur ad contrahenda sponsalia, vel matrimonium?

22 *Soto. Navarr. Henriquez. Silvester. Sanchez.*

HAc de re varij variè scribunt, vt Sotus in 4. d. 27. q. 1. art. 3. Navar. c. 22. n. 79. P. Henriq. lib. 11. c. 11. n. 6. & valdè fusè Silvester v. *Matrimonium.* 2. n. 7. & sequentib. & alij; sed inter alios distinctissim. P. Sanchez lib. 1. disp. 18. & 19. Vt autem rem totam distinctiùs tractemus, primò hìc quædam ponemus, quæ videntur certa, & ferè communiter admittuntur. Quia verò eadem hìc omnino est difficultas circa matrimonium & circa sponsalia, ideo de vtrisque secuti aliorum exemplum simul tractabimus.

Primò igitur certum est, ad horum essentiam requiri aliqua externa signa, quæ internum consensum significent. patet ex dictis n. 17. Secundò, certum est non requiri aliqua verba, aut signa determinata; sed sufficere ea omnia, quæ sufficienter parti internum consensum exprimunt. Quia neque ex natura rei, vt per se patet; neque ex vllo iure positiuo alia verba requiruntur. Tertiò certum est, non sufficere quæuis verba, aut signa externa, sed requiri talia quæ hìc & nunc spectatis omnibus circumstantiis parti sufficienter alterius consensum exprimunt. aliàs nullo modo possent esse signa interioris conceptus.

Vbi tamen aduerte non esse necessarium, vt hæc 23
verba seu signa per se spectata habeant vim significandi internum consensum, aut etiam vt quiuis illius linguæ peritus possit intelligere per ea hìc & nunc significari talem consensum: sed sufficere vt ratione circumstantiarum ipsis contrahentibus sufficienter indicent præsentem consensum, etiam per se sumpta alia omnia significarent: siue id contingat ratione consuetudinis particularis alicuius loci, qua ratione quidam Indi validè contrahunt sponsalia per hæc verba; *Ego te sepeliam si superuixero*: aut vno dicente, *Ego te ducam*, & altera respondente, *Ego te fortè ducam*, quibus verbis ex consuetudine loci significant præsentem consensum in sponsalia. Siue etiam ratione circumstantiarum: sic patre præsente filiam alteri desponsante, huius taciturnitas est signum consensus; aut quia inter eos priùs conuenit, vt per talia verba aut signa consensum præsentem in sponsalia aut matrimonium intelligerent.

Signa externa sæpe à circumstantiis accipiunt vim significandi.

Ex his patet sensus c. *Tuæ fraternitati.* 25. de sponsalibus. vbi dicitur, *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum, sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia de præsenti.* Vbi Pontifex non negat signa externa expressiua præsentis consensus esse per se necessaria ad valorem matrimonij (contrarium enim ex sequentibus patet;) sed solùm negat expressa verba ad hoc in foro conscientiæ requiri, quia in eo sufficiunt quæuis signa, quæ parti sufficienter eum consensum indicent, etsi aliis ignota sint. & expressa verba aut signa solùm requiruntur, vt Ecclesiæ de contrahentium consensu constet. 24 *c. Tuæ frat.*

Simili modo intellige Siluestrum v. *Matrimonium:* 2. nn. 10. v. *Sextum*, &c. & Nauarr. cap. 22. n. 79. vbi aiunt, quando aliqui intendunt contrahere de præsenti, etsi vtantur verbis de futuro, esse verum matrimonium: hoc inquam, intelligendum est, quando vtrique parti constat ab altera parte verba in ea significatione hìc & nunc accipi: aliàs falsum est quod dicunt. quia non esset aliquod verum signum interni consensus. quia nihil potest alicui esse verum ac determinatum signum rei certæ, nisi ipse intelligat hanc per illud determinatè significari. *Silvest. Nauarr.*

Vbi Nota Primò, in locis vbi Concilium Trident. receptum est, iam pro matrimonio requiri talia signa, per quæ non modò contrahentes, sed etiam Parochus ac præsentes testes intelligant, hìc & nunc præsentem consensum in matrimonium significari, vt dicam disp. 27. num. 44. *Trident.* Quæ signa requirantur post Tridentinum.

Nota Secundò, per se loquendo & abstrahendo à circumstantiis iam dictis, verba numquam significare consensum in maiorem obligationem, quàm quæ hìc & nunc, vt propriè secundùm communem acceptationem vera sint, requiritur. Patet exemplis. Nam qui promisit alicui dare partem auream satisfacit dando minimam quæ reperitur. Item qui promisisset dare alicui triticum, aut oleum, satisfaceret dando granum tritici, aut gutram olei l. *Fideiussorem.* 52. π. mandati. l. *Cùm post.* 69. §. 4. π. de iure dotium. glossa l. *Si quis à filio.* §. *Si quis plures.* π. de legatis & fideicommiss. 1. & alij DD. ibi Item promittens aliquid dare intra triduum satisfacit dando in fine triduì. Item dicens, *Volo tibi dare istum equum*, nullo modo eum dat, imò ne eum quidem 25 *Verba in contrahibilia ita accipienda vt minimam obligationem inducant.* *l. Fideiussorem. l. Cùm post. l. Si quis.* *Volo dare.*

non significat promissionem, nisi ratione circumstantiarum.

promittit; quia illa verba non significant promissionem solùm propositum dandi: nisi fortè ratione circumstantiarum, vt si vnus stipuletur, *Vis mihi tantum pro illa re dare?* & alter respondeat, *Volo.* tunc enim ex communi sensu intelligitur promissio tantum dandi: quia cùm stipulans exigat promissionem, censetur alter eius intentioni respondere.

Quòd si quis dicat, *Volo tibi ex hoc nunc dare illum equum.* intelligitur præsens donatio, secundùm communem loquendi modum. Imò quando stipulanti absolutè, *Vis mihi dare hunc equum?* designando aliquem præsentem, responderem *Volo*, significaretur præsens donatio: quia alter per talem designationem videtur hanc petere. Et eadem in omnibus est ratio horum verborum, *Volo tecum contrahere*, aut *Volo te habere vxorem.*

26 Signa ambigua nihil operantur.

Ex dictis sequitur Primò, quando signa externa omnibus spectatis sunt verè ambigua, ita vt non magis assensum quàm dissensum significent, nihil omnino effici. quia deest externum signum, quo parti hîc & nunc alterius consensus vt præsens vèrè significari possit. quia ex tali signo non potest probabiliter iudicari eum verè adesse. Et confirm. quia externa promissio (vt patet ex dictis) tam essentialiter requiritur ad sponsalia, quàm interna voluntas obligandi. atqui nisi adsit determinata voluntas se obligandi, nihil planè efficitur, vt ostendi n. 6. ergo idem dicendum quando externa promissio non significat determinatè præsentem consensum.

27 Sequitur Secundò, quando externa signa non magis significãt consensum de præsenti, quàm de futuro, solùm contrahi sponsalia: quia, vt n. 25. ostendi, per eiusmodi verba non contrahitur vmquam maior obligatio, quàm quæ sit necessaria vt verba verificentur. ad hoc autem hîc sufficit obligatio sponsalium.

Vbi Nota, aliud esse verba contractus esse absolutè ambigua; in quo casu iam dicta procedunt, & certum est in primo casu ex dictis nullam, in secundo minimam obligationem contrahi: aliud verò esse ambiguum an verba sint sufficientia, vt hîc & nunc determinatum consensum exprimant: quo casu dubium est, an contractus valeat. Quid autem in tali dubio sit præsumendum dicam disp. 22. n. 41.

28 Donatio annuli non facit sponsalia, nisi ratione circumstantiarum.

Sequitur Tertiò, donationem aut receptionem annuli non esse per se sufficiens signum ad contrahenda sponsalia. quia potest multis aliis de causis fieri: nisi fortè ex circumstantiis determinetur ad significandum hîc & nunc consensum in sponsalia: vt si in aliquo populo communiter talem consensum significet: aut si vnus offerat, aut petat annulum in signum talis consensus, & altera acceptet, aut det; idémque esset si quodcumque aliud signum cum talibus circumstantiis poneretur, vt per se pater. Idem esset si, dum tractatur de sponsalibus, alter porrigat annulum vel manum, dicendo, *Accipe meam fidem.* & altera acceptet: vel si vnus ita petat manum aut annulum, & altera det. Vel si, dum tractatur inter parentes de sponsalibus, vnus mittat alteri munera solis sponsis mitti solita, & altera acceptet. quia in talibus circumstantiis hæc signa sufficienter consensum exprimunt. Vide P. Sanchez l. 1. disp. 22.

Sanchez.

29 Dicens *Nullam ducã præter te*, quid affirmet, & ad quid obligetur. Conarr. Nauarrus. Henriquez. Sanchez.

Sequitur Quartò, hæc verba, *Nunquam ducam aliam præter te*, vel *nisi te*, non sufficere ad sponsalia. Ita Conar. l. 4. decret. p. 2. c. 4. §. 1. n. 8. Nauar. l. 4. consil. tit. de sponsal. consil. 48. aliàs consil. 7. Henriq. l. 11. c. 12. n. 7. & cum multis aliis P. Sanchez disp. 19. nu. 5. licèt etiam multi alij contrarium sentiant. Sed quod dixi clarum est ex dictis. Nam dicta promissio æquivalet huic, *Vel ducam te vel nullam aliam.* Et absolutè verificatur si promittens nullam vmquam ducat.

30 Dices, Qui dicit, *Nemo currit præter Petrum*; innuit Petrum currere: ergo talis promittens innuit se istam ductum. Respondeo Primò, antecedens in rigore esse falsum. Respondeo Secundò; Etsi quando is, qui dicit, *Nemo currit præter Petrum*, manifestè scit an Petrus currat nec ne, secundùm communem loquendi modum ipse insinuet Petrum currere, quia aliàs frustrà & nugaciter illam exceptionem adderet: secùs tamen est quando agitur de re, quæ nobis adhuc incerta est; vt communiter contingit dum agimus de rebus futuris. Quare dicens, *Nullam ducam præter te*, solùm insinuat se adhuc dubitare, an velit illam ducere nec ne.

Addunt aliqui, talem nullam omnino incurrere obligationem. Sed verius est eum obligari aut dictam ducere, aut nullam aliam; quamdiu illa & potest, & vult ei nubere. Hoc enim apertè promittit, & alteri est commodum ipsum stare promissis. quia hac ratione indirectè facilè potest induci, vt eam ducat, si nimirum incipiat ei esse graue nullam ducere.

Sequitur Quintò, quando sponsi in conuiuio præbibunt sibi mutuò in nomine, vel in prosperum euentum sui matrimonij, non contrahere per hoc matrimonium. quia intelligitur de matrimonio contrahendo: vt notat Siluester v. *Matrimonium.* 2. nu. 14. Et similiter in conuiuio tractantes de sponsalibus præbibentes sibi mutuò in prosperum eorum euẽtum, non contrahunt sponsalia. quia intelligitur de contrahendis. 31 Siluester.

Sequitur Sextò, sicut hæc verba, *Contrabo tecum matrimonium: Accipio te in meam:* & similia sufficiunt vt contrahatur matrimonium: ita hæc, *Accipiam te in meam: Contrahã tecum matrimonium*, & similia sufficere pro sponsalibus. Item hæc verba, *Ex hoc nunc te habebo pro vxore mea*: sufficere ad matrimonium. quia non possunt verificari, nisi sit consensus in præsens matrimonium. Habetur expressè cap. *Ex parte.* 9. de sponsalib. Secus autem est de his, *Habebo te pro mea.* quia vt hæc in sua proprietate vera sint, sufficit vt postea inito matrimonio eam pro sua habeat. quia nullum tempus designatur, ex quo incipiat eam habere pro sua, vt in priore casu contingit; ideóque solùm significant sponsalia. 32 c. *Ex parte.*

Triplex præterea restat difficultas. Prima, Vtrùm hæc verba, *Accipio te in vxorem in crastinum*, constituant sponsalia, an matrimonium? Victoria in Summa n. 251. putat solùm constituere sponsalia. quia consensus videtur de futuro. Sed credo esse consensum de præsenti, sed suspensum, ita vt non habeat effectum suum ante diem crastinum. Sicut si dicerem Petro, *Do tibi hunc equum in crastinum*; hæc verba non significarent me hunc equum ei promittere, sed eum ipsi dare, ita tamen vt non esset ipsius ante diem crastinũ, & tunc sine vlla alia donatione ipsius esse inciperet. Item si Petrus diceret Catharinæ, *Ego contrabo tecum sponsalia in crastinum*; ille non polliceretur se sequenti die contracturum sponsalia, sed significaret se ea iam contrahere pro illo tempore. Et similiter dicentes, *Accipio in te meam, & in meum*; significant se iam habere præsentem voluntatem vt die crastino matrimonium incipiat esse ratum. Sic dicens, *Contrabo ex hoc nunc tecum, si pater consenserit*; significat se velle matrimonium esse ratum statim ac pater consenserit. Quare secundùm probabilem sententiam, quàm cum aliis sequitur P. Sanch. l. 5. disp. 8. n. 5. & infrà etiam sequentur, statim adueniente conditione aut tempore statuto, talia matrimonia aut sponsalia, sine vllo nouo consensu fiunt rata ac firma. 33 Victoria. *Accipio in vxorem in crastinum*, significat matrimonium. Sanchez.

Secunda difficultas est, Vtrùm quando aliqui pro aliis præsentibus & tacentibus contrahunt sponsalia, aut matrimonium, horum taciturnitas sit sufficiens signum interni consensus? 34

Qua in re certum est Primò, eam taciturnitatem sufficere quando illi ex horum mandato contrahunt.

Contrahentibus parentibus pro filiis præsentibus, hi tacendo consentiunt. c. vnico, de despons.

Sed agimus de casu quo sine eorum mandato contrahunt. Secundò, certum est, quando parentes ita contrahunt pro filiis, horum taciturnitatem esse sufficiens signum consensus. ita expressè deciditur cap. vnico, de desponsat. impuberum, §. vlt. in 6. vbi dicitur: *Porro ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filij, si expressè consenserint, vel tacitè vt si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur. Et est idem si filij tempore sponsalium absentes, & etiam ignorantes eadem sponsalia pòst scientes ratificauerunt tacitè vel expressè.* Vbi apertè dicitur tales sufficienter consensum exprimere, si præsentes taceant.

35 Difficultas autem est, quando ita contrahentes pro aliis non sunt horum parentes, Vtrùm hi tacendo sufficienter consensum exprimant?

Soto, Victoria. Prima sententia id affirmat. Imo Soto in 4. d. 27. q. 1. art. 3. vers. *Præsens autem.* & Victoria in Summa, n. 350. & alij. Probant Primò, quia in re fauorabili, qualis hæc est, tacens consentire videtur. Secundò, c. 2. de matrim. quia c. 2. de matrim. contracto contra interd. Eccles. iudicantur valida fuisse sponsalia quæ frater pro sorore præsente & tacente contraxerat. Sed hæc non conuincunt. Quia etsi contrahere trimonium bonum, videatur res expetibilis; non tamen quoduis matrimonium cuiuis est expetibile. Dicto autem cap. 1. ponderantur multa alia signa consensus ipsius puellæ.

36 Paludan. D. Antonin. Angelus. Secunda sententia id absolutè negat. Ita Paludan. in 4. d. 27. q. 1. art. 1. concl. 1. D. Antonin. p. 3. tit. 1. c. 1. immediatè ante §. 1. Angelus v. *Sponsalia.* n. 4. Et probant Primò, quia c. vnic. de desponsat. citato, tanquam singulare hoc de parentibus statuitur. Secundò, quia cum hac vel illa persona contrahere, potest contrahenti esse odiosum. quare tacendo non præsumitur in hoc consentire, nisi hoc ei à parentibus proponatur, qui non præsumuntur ei proponere nisi bonum, cùm ipsorum sit filiis bona matrimonia procurare.

37 Sed prior tario assumit quod difficulter posset probare. Nam quamuis in dicto cap. parentum exempli causa fiat mentio, nihil tamen est vnde possit colligi hoc de illis singulariter dici. Secunda verò eodem modo probat de tutoribus, curatoribus, aliisve qui loco parentum curam pupillorum, aut minorum gerunt. Quare puto idem de his esse dicendum: quia eodem modo ad hos atq; ad parentes spectat istorum bona procurare: & hoc censentur facere quamdiu de contrario non constat. Et confirmatur. quia cùm his omnibus singulariter incumbat procurare ac dirigere res omnes eorum, qui ipsorum curæ commissi sunt, censentur ea omnia quæ pro his agunt eorum nomine agere. Quare quando simile quid coram suis filiis, pupillis aut minoribus scientibus quid agatur, faciunt; hoc ipso quo hi non contradicunt, cùm facilè possent, censentur consentire; cùm ad alterutrum teneantur, ne videantur Superiorum suorum acta contemnere. Secùs est de iis quorum curæ illi non sunt ea ratione commissi.

Idem dic quando tutores ita cõtrahunt.

38 Tertia difficultas est, quando parentes, tutores, aut curatores, pro filiis, pupillis, aut minoribus absentibus contrahunt sponsalia, & hi postea id scientes non contradicunt; vtrùm censeantur consentire & sponsalia valeant?

Prima sententia id negat. quia c. vnico, citato nu. 34. dicitur in priore casu sufficere filiorum taciturnitatem: in secundo verò requiri vt hi iam certiores facti acta ratificent. Sed si capitulum illud attentè legatur, videtur vtrumque casum omnino æquiparare. Nam & in priore casu requirit, vt filij act. ratificent saltem tacitè: quod dicit eos facere, cùm scientes quid agatur, tacent. & subiungit: *Et est idem si filij, &c.* insinuans eandem esse in vtroque casu rationem: & vtraque acta ab iis similiter ratificari. Et ideo Sotus in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 2. ad 1. & Henriquez l. 11. cap. 13. nu. 5. cum aliis hoc affirmant: sed puto distinguendum esse.

Sotus.

Respondeo igitur Primò, quando hi id resciscunt per aliquem ad quem non pertinet rem gestam ad eos deferre, ipsos tacendo non censeri consentire. quia non tenentur huic vllo modo respondere. 39 Quid dicendum quãdo illi pro absentibus cõtrahunt.

Respondeo Secundò, quando id ipsis proponitur per ipsos parentes, aut curatores, si taceant, censeri consentire. quia vt ostendi suprà, tenentur his talia iis proponentibus mentem suam aperire, atque ita vel contradicere, vel consentire, quod censentur facere dum tacent. Quare si rem ipsis proponant coram parte, fient statim sponsalia: secùs est si eam hac absente iis proponant; tunc enim non erunt sponsalia, donec pars per ipsos minores, aut alium ab iis ad hoc destinatum cognoscat eorum consensum, eúmque acceptet. Nullus enim contractus onerosus inter absentes sine procuratoribus perfici potest, nisi vtraque pars suum consensum per literas aut certum nuntium alteri indicet, & hæc eum acceptet; vt benè docet P. Sanchez lib. 1. disput. 6. numero 28. & disp. 7. num. 35. Sanchez.

DVBIVM IV.

An matrimonium per verba de præsenti inualidè contractum habeat vim sponsalium?

40 NOn agimus hîc de casu quò contrahentes ob impedimentum dirimens sunt absolutè inhabiles vt inter se contrahant. Cùm enim talibus matrimonium sit absolutè illicitum, nullo modo possunt se obligare; vt illud inter se contrahant. Sed agimus de casu, quo contrahentes solùm impediuntur vel hoc tempore contrahere, v. c. dum impuberes sunt: vel hoc modo contrahere, v. c. clandestinè: vel quando deest illis legitimus consensus. Et petitur, vtrùm talis contractus habeat vim sponsalium? Vnde patet triplicem hic esse difficultatem.

41 Matrimonium impuberum habet vim sponsalium. c. fin. de desp. impub. c. vnic. eod. tit. in 6.

Circa primam communiter omnes fatentur, matrimonium initum inter impuberes habere vim sponsalium, & ex eo nasci impedimentum publicæ honestatis. Hoc enim apertè definitur c. finali, de desponsatione impuberum. & eodem tit. in 6. c. vnico, §. 2. Addunt tamen aliqui hæc sponsalia non contrahi ex natura rei, sed solùm ex præsumptione iuris, quod præsumit eos ea intentione contraxisse, vt vellent saltem contrahere sponsalia; si matrimonium contrahere non possent. Sicut in c. *Is qui*, 30. de sponsalibus. sponsi, qui habent inter se copulam, præsumuntur voluisse contrahere matrimonium. Addúntque dicti auctores eam præsumptionem in vtroque foro valere, atque adeò hos actus effici validos quoties non adfuit expressè contraria intentio. Ita Silu. v. *Matrimonium*, 5. q. 8. c. Is qui. Silvester.

42 Sed hoc apparet difficile. Nam cùm Ius nulla sua interpretatione aut præsumptione possit aut efficere vt habeam consensum, quem verè hîc & nunc non habeo: aut in his contractibus supplere defectum consensus contrahentium; difficile est videre quomodo possit efficere, vt contractus qui sine tali interpretatione non valeret, ea posita valeat. Quare credo sponsos etiam in locis vbi Trident. non est receptum, habentes copulam præsertim quando illam constitutionem cap. *Is qui.* omnino ignorant, per eam non magis contrahere matrimonium, quàm si à parte rei illa constitutio non esset; & vt verè contrahant matrimonium, necesse esse vt hoc expressè intendant. Quando tamen vterque illam constitutionem actu nouit, posset fortè illis esse occasio, cur talem voluntatem habeant: & ipsa copula posset faciliùs esse signum Trident. c. Is qui.

interni consensus. In impuberibus tamen conantibus contrahere matrimonium posset illa constitutio aliquid operari. Nam cùm ipsi communiter intendant suum contractum celebrare secundùm canones Ecclesiæ; videntur etiam velle interpretatiuè secundùm dictam Ecclesiæ constitutionem contrahere; & consequenter inire sponsalia.

43 Circa secundam difficultatem multi negant matrimonium clandestinum iam habere vim sponsalium. *Trident.* Primò, quia Trident. sess. 24. c. 1. de reform. matrim. eum contractum omnino irritat, redditque personas omnino inhabiles ad sic contrahendum: atqui si possent contrahere sponsalia, non essent omnino inhabiles, nec contractus esset omnino nullus: ergo, &c. Secundò, quia Tridentinum resistit huic contractui, quoties autem Ius resistit alicui contractui, ex eo nulla oritur obligatio. Tertiò, quia quando in aliquo actu est defectus non solùm ex parte causæ efficientis, sed etiam ex parte formæ, tunc nulla ex eo oritur obligatio: atqui hoc hîc contingit: ergo, &c. Ita cum aliis *Nauarr.* Nauarr. l. 4. consil. tit. de sponsal. consil. 1. n. 4. aliàs tit. de clandest. desponsat. consil. 3. n. 2. quamuis in Summa cap. 22. num. 57. in fine, videatur dicere cõtrarium. Nam generatim dicit ex matrimonio inualidè per verba de præsenti contracto, nasci impedimentum publicæ honestatis. Excipiunt tamen quidam matrimonium impuberum clandestinè initum: quia constitutio Concilij solùm agit de puberibus. Quare matrimonium impuberum reliquit in priore statu. Et hæc sententia non est improbabilis.

44 Addunt quidam ex dictis Doctoribus, idem dicendum esse etsi illud matrimonium firmetur iuramento. *Iuramentũ dupliciter potest alicui contractui apponi.* Quod verum est, si iuramentum cadat præcisè super ipsum contractum, vt si contrahentes dicant, *Iuro me te accipere in meam.* Quia tunc solùm iurant se verè ex animo contrahere. quare iuramentum tunc propriè non confirmat contractum, nec ad aliud obligat, quàm vt contrahentes bona fide agant: vt benè docet P. Lessius de Iustitia cap. 17. dub. 7. num. 57. Quare qui iurat se verè vendere equum, si eum postea non tradat, non est periurus. Si tamen contrahentes iurarent se eum contractum perpetuò habituros ratum, aut se habituros perpetuò pro coniugibus; omnino tenerentur postea contrahere, nisi sibi mutuo obligationem remittere nt.

45 Addunt Secundò, etsi iuuenis puellam, qua cum ita contraxit, defloravit, siue bona, siue mala fide id fecerit, cum non magis teneri eam ducere, quàm si sine vlla promissione volentem defloraſſet. quia ipse nihil ei promisit: & quòd sit decepta sibi imputare debet, quòd ius tam clarum ignorarit. Ita Nauar. l. 4. tit. de sponsal. cons. 1. n. 4. *Nauarr.*

Ledesma. Emmanuel. Vega. Sanchez. Sed cum Ledesma, Emanuele, Vega, quos citat P. Sanchius lib. 1. disp. 20. nu. 5. credo verius talem obligari eam ducere, si puella inuincibiliter credidit, illud matrimonium esse validum. Nam quòd ignoret ius clarum, etsi in foro externo possit facere suspicionem quòd sponte fuerit decepta; tamen in foro conscientiæ nihil facit ad rem, si verè bona fide processerit, & illud ius omnino ignorarit. Quod multò magis dicendum est si illa matrimonia habeant vim sponsalium, vt infrà dicam. Post tale matrimoniũ violans puellam tenetur eam ducere.

46 Matrimonia impuberũ habent ex natura sua vim sponsaliũ. *Sanchez. Henriquez.* Conclvsio I. Matrimonium ab impuberibus inualidè contractum, etiam secluſa omni Ecclesiæ constitutione, habet ex natura sua vim sponsalium nisi expressa contrahentium intentio sit contraria. Insinuat id apertè Sanchez l. 1. disp. 21. num. 2. vbi docet sponsalia virtute includi in contractu matrimonij, & Henriq. l. 11. cap. 13. Probatur, quia, etsi externa verba expressè solùm significent hîc & nunc contrahi matrimonium, & contrahentes hoc fortè expressè solùm intendant; tamen cùm ex vi contractus intendant sibi mutuò dare absolutum & perpetuum ius in mutua corpora ad vsum matrimonij, & perpetuam cohabitationem; etiam ex vi contractus intendunt id sibi mutuò dare, quantum & quale hîc & nunc possunt dare: & consequenter remotum, quale datur per sponsalia, si nequeant dare propinquum. quia illud in hoc continetur: præsertim cùm hic contractus sit bonæ fidei, à quo omnis dolus abesse debet: ideóque in eo non tam spectatur stricta verborum significatio, quàm quid conueniat contrahentes intendere significare. Conuenit autem eos omnino intendere se sibi mutuò quantum possunt obligare ad perpetuam coniugalem cohabitationem, cùm sciant matrimonium, quod intendunt contrahere, hoc primò & per se continere: præsertim cùm hoc sit necessarium, vt pars quàm minimum fieri potest decipiatur: quod in contractu bonæ fidei necessariò debet intendere. Confirmatur, quia, si his verbis contraherent, *Ego te ex hoc nunc habebo perpetuò pro legitima vxore*, aut pro *legitimo marito, ac perpetuò tibi cohabitabo*: expressè se obligarent ad postea contrahendum matrimonium, si quo casu illud tunc de facto non contraherent. Nam expressè promitterent ea quæ aliter implere nullo modo possent: atqui dum his verbis, *Ego te accipio in meam*, aut *in meum*, aut similibus contrahunt, idem implicitè promittunt: ergo eodem modo se obligant, vt postea contrahant matrimonium, si hoc tunc fortè non contraxerint: modò personæ tales sint, quæ non habeant impedimentum perpetuò dirimens.

Conclvs. II. Probabilius est in locis vbi Tridentinum est receptum, matrimonium clandestinè contractum etiam à pauperibus habere vim sponsalium, nisi contrahentes alium expressè intendant. Ita cum aliis P. Henriquez l. 11. c. 5. n. 4. dicítque congregationem Cardinalium declarasse: & fauet Nauarrus cap. 22. n. 57. in fine dicítque probabilem P. Sanchius lib. 1. disp. 20. n. 2. in fine. Probatur, quia, cùm hic contractus, vt patet ex dictis, virtute includat etiam vim sponsalium; si Tridentinum solùm irritasset illum quatenus habet vim sponsalium, eodem modo constitueret sponsalia sicut matrimonium impuberum; vt per se patet: atqui Tridentinum non intendit aliter eum irritare, quàm quatenus habet præcisè rationem matrimonij: ergo retinet adhuc vim sponsalium. Minor probatur Primò. Quia Concilium solùm intendit irritare talem contractum, quatenus in Ecclesia erat prohibitus, & quatenus ex eo erant nata sequi mala, quæ ibi enumerat: atqui quatenus habet solùm vim sponsalium, nec est prohibitus, nec ex eo dicta mala nata sunt sequi: ergo vt sit eum non irritauit. Probatur Secundò, ex verbis Concilij, sic enim ait: *Eos sancta Synodus ad sic* (scilicet clandestinè) *contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit.* Vbi apertè ostendit se eatenus, ac eodem modo eos contractus reddere irritos, sicut personas reddit inhabiles *ad sic*, scilicet clandestinè, contrahendum: atqui nullo modo tales personas reddit inhabiles vt clandestinè contrahant sponsalia; vt etiam ex sententia aliorum ostendi n. 21. ergo nec contractum reddit irritum, quatenus habet præcisè rationem sponsalium. Confirm. quia si hic contractus prout habet rationem sponsalium, redderetur irritus, id fieret vel ob inhabilitatem contrahentium, vel ob defectum formæ, vel quia Ius ei resistit. nec enim alia ratio reddi potest: atqui ob nullam ex his causis est irritus, prout habet præcisè rationem sponsalium. quia neque tales personæ sunt inhabiles ad contrahenda sponsalia: neque ad formam sponsalium vllo modo requiritur, vt fiant coram Parocho aut testibus: nec

47 Matrimonium clandestinum habet vim sponsaliũ. *Henriquez. Nauarr. Sanchez.* *Trident.*

vllum ius resistit clandestinis sponsalibus, vt ostendi num. 21. ergo huic contractui nihil deest, cur minùs habeat rationem sponsalium: Ex quibus patet solutio ad argumenta proposita n. 43. Nam iam ostendi, Concilium nec resistere huic actui, nec eum reddere irritum, quatenus habet præcisè rationem sponsalium: nec vt sic habere vllum defectum.

48 CONCLVS. III. Fiatè contrahentes hic matrimonium, nec sponsalia contrahunt: quia ad vtrumque deest necessarius consensus; sine quo nec matrimonium, nec sponsalia vlla ratione possunt contrahi. Vtrùm autem ex tali contractu oriatur aliqua obligatio, dicam disp. 22. n. 37. & 51.

DVBIVM V.

Quinam possint contrahere sponsalia?

CONCLVS. I. Vt aliqui possint validè contrahere sponsalia, requiritur in iis Primò, vt sufficienter vtantur ratione, vt possint peccare mortaliter. Patet ex dictis suprà num. 13.

49 Requiritur Secundò, vt nullum inter se habeant impedimentum perpetuum (siue quod sine dispensatione tolli nequeat) siue dirimens, siue etiam tantùm impediens matrimonium: quia nemo potest se obligare ad contrahendum matrimonium, quod licitè contrahere non potest. Quòd si impedimentum tantùm esset temporale, possent sibi promittere matrimonium contrahendum illo sublato, & consequenter contrahere sponsalia, vt accidit in impuberibus.

50 Dices, Habentes impedimentum perpetuum quod per dispensationem tolli potest, possunt sibi promittere matrimonium contrahendum obtenta dispensatione: ergo possunt contrahere sponsalia.

Resp. negando consequentiam. quia tantùm possunt sibi promittere matrimonium sub conditione, si obtineatur dispensatio: atque ita promissio non erit absoluta, nec habebit rationem sponsalium, donec obtineatur dispensatio.

Tertiò requiritur, vt expleuerint septimum annum ætatis, ante quem inualidè illa contrahunt. Vt habetur expressè *c. Litteras*, 4. & *c. Accessit*. 5. de desponsat. impuberum, & *c. Vnico* eodem tit. in 6.

c. Litteras, c. Accessit, 4. vnico.

51 Et circa hactenus dicta satis inter Doctores conuenit. Dubitant tamen Primò, An sufficiat moraliter complesse septimum annum: qua ratione potest dici eum complesse, cui tantùm desunt octo vel nouem dies. Candelabrum aureum p. 1. de sponsalibus n. 15. Victoria in Summa n. 284. Soto in 4. d. 27. q. 2. ar. 2. ad 3. id affirmant. Meliùs tamen P. Sanchius l. 1. disp. 16. n. 4. cùm aliis requirit vt absolutè septennium expleuerint. Quia sicut, quando Iura alicui rei præscribunt certum pretium, hoc consistit omnino in indiuisibili (vt benè docet P. Lessius de Iustitia cap. 21. n. 10.) ita etiam quando alicui actioni præscribunt certam ætatem agentis. Quia ideo certum pretium ac ætatem præscribunt, ne quisquam suo iudicio possit ea mutare. Addunt tamen iidem Doctores, sufficere inchoasse vltimum diem anni septimi. quia eodem modo requiritur ætas septem annorum ad sponsalia, sicut requiritur in maribus ætas quatuordecim annorum ad condendum testamentum: atqui in fauorem testamenti, ad hoc sufficit inchoasse vltimum diem anni decimiquarti, vt patet l. *A qua etate*. 5. π. de testamentis, & qui testamenta, &c. ergo idem sufficiet in sponsalibus quæ non sunt minùs fauorabilia.

Cand. Aur. Victoria. Soto. Sanchez.

Quando alicui actioni Iura præscribit certam ætatem, requiritur completa. *Lessius.*

l. A qua.

Secundò dubitatur, si qui præcoci ingenio ante annum septimum haberent apertè sufficiens iudicium ad ineunda spōsalia, an validè ea contraherent? Abbas *in c. Iuuenis*. 3. de sponsalibus, n. 4. Angel. *v. Sponsalia*. n. 5. & quidam alij id negant. Quia aliàs frustra Iura præscriberent eam ætatem; si pro maturitate aut tarditate iudicij quandoque minor sufficeret; aut maior requireretur. D. Thom. tamen in 4. d. 27. q. 2. a. 2. ad 7. Sotus ibid. ad 3. D. Anton. p. 3. tit. 1. c. 18. initio, P. Sanchius l. 1. disp. 16. n. 9. id affirmant. Quia, cùm sponsalia ordinentur ad matrimonium tamquam huius quædam inchoatio, debent huius leges sequi: atqui ad matrimonium ita requiritur certa ætas, vt tamen minor sufficiat, si malitia suppler ætatem: vt habetur *c. De illis*. 9. de desponsat. impub. ergo idem dicendum erit de sponsalibus. Et hæc pars est satis probabilis, quando certò constat de sufficientia iudicij. 52

Abbas. Angelus. Ingenij maturitas suppler ætatem. D. Thom. Sotus. D. Antonius. Sanchez.

c. De illis.

Ad argumentum contrarium Respondeo, ideo Iura præscribere illam ætatem, quia ante eam numquam pueri præsumuntur habere sufficiens iudicium: quare eorum sponsalia priùs contracta iudicantur inualida, nisi apertè probentur habere sufficiens iudicium: postea verò contracta iudicantur valida; nisi clarè probetur iis adhuc deesse iudicium.

CONCLVSIO II. Contrahentes inualidè sponsalia ob impedimentum perpetuò dirimens peccant mortaliter. quia conantur se obligare ad id quod sine peccato mortali facere non possunt, nisi fortè solùm ioco id faciant, aut excusentur ignorantia. & in hanc omnes consentiunt. 53

Contrahēs sponsalia cum impedimento dirimenti peccat mortaliter.

Maior difficultas est an peccent mortaliter, qui sponsalia contrahunt inualidè ob defectum ætatis, aut vsum rationis? Nauarr. c. 22. n. 13. Rosella *Matrimonium*. 2. nu. 6. Siluester *Matrimonium*. 5. n. 6. affirmant peccare mortaliter, nisi id fiat ob bonum pacis. quia c. 2. de desponsat. impub. id districtiùs inhibetur.

Nauarr. Rosella. Siluester. c. 2. de desp.

Sed Respondeo Primò, certum esse ita contrahentes non peccare, quando ipsi sufficienti rationis vsu carent. Quia tales nequeunt saltem grauiter peccare. 54

Secus est de iis qui ea ob alias causas inualidè contrahunt. Sanchez.

Respondeo Secundò, cum P. Sanchio l. 1. disp. 17. nu. 4. parentes qui nondum doli capaces inducunt vt contrahant sponsalia, aut grandiores qui hæc cum illis contrahunt, aut nullo modo, aut saltem leuiter peccare: nisi fortè per accidens aliquod inde graue malum timeretur. Quia, cùm sponsalia non sint Sacramentum; nec Sacramento, nec alicui alteri fit iniuria, cùm ex illis sponsalibus non oriatur obligatio, saltem respectu illius qui doli capax non est; nec aliquid illicitum promittitur.

Ad c. 2. citatum Respondeo, illud solùm vetare ne aliqui ante legitimam ætatem coniungantur, scilicet matrimonio: quia per sponsalia non fit coniunctio, sed promittitur. Addunt aliqui, etiam inter eos qui nondum legitimam ætatem expleuerunt, non prohiberi contractum matrimonij secundùm se (quia tantùm habet vim sponsalium, quæ talibus licita sunt) sed solùm vt habet coniunctum conatum consummandi. Sed verius credo, contrahentes per verba de præsenti antequam constet eos esse puberes, peccare mortaliter. quia, quantum est ex se, non conantur contrahere sponsalia, sed matrimonium, quod fit cum iniuria Sacramenti, quod inualidè suscipiunt. Quando tamen esset probabile eos esse capaces matrimonij, & bonum publicum id exigeret, licitè per verba de præsenti contraherent. quia necessitas excusaret irreuerentiam, quæ aliàs Sacramento fieret. & hic est verus sensus illius cap. 2.

Tentans contrahere matrimonium ante legitimam ætatem, peccat mortaliter.

DISPVTATIO XXII.

DE OBLIGATIONE AC EFFECTV SPONSALIVM.

DVBIVM PRIMVM.

Qua ratione sponsalia obligent?

IN hac quæstione quædam dubia sunt, quædam certa, quæ primò proponemus, vt deinde dubia faciliùs explicemus.

1 CONCLVSIO I. Sponsalia directè obligant ad contrahendum matrimonium: quia hoc in ijs directè promittitur, idque sub peccato mortali, quia est obligatio stricta, & in re graui. Sequitur ex dictis disp. 21. numero 6. & 12. Hinc c. *Alho.* 27. quæst. 2. iubetur sponsa sponso subtracta excommunicari, nisi ad eum redeat. Hæc tamen intelligenda sunt de sponsalibus puberum. nam in impuberibus est aliqua differentia: & nisi iusta subsit causa ea dissoluendi. de quibus agam disp. 23.

c. Alho.

2 CONCLVSIO II. Quando certus dies præfixus est matrimonio contrahendo, hic (nisi inter eos posteà aliter conueniat) omnino seruandus est. quia hoc expresè promissum est. Quando verò nullus certus dies præfigitur, intelliguntur nuptiæ contrahendæ data proxima commoditate: vt patet ex reg. 14. π. de regulis Iuris, vbi dicitur: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.* Ratio est, quia ea videtur intentio bona fide contrahentium. Excipe casum quo pars videtur sponte dilationem concedere. quod præsumitur quoties, cùm facilè posset, non vrget promissionis impletionem. Secùs esset si ob metum, desperationem profectus, aut obliuionem desineret promissa exigere.

Quando impleenda sint sponsalia.

Reg. Iuris.

3 CONCLVS. III. Obligant etiam saltem mediatè ad abstinendum ab omnibus iis (excipe ingressum Religionis, aut similia quæ Iure conceduntur) quæ à coniuge facta essent contra fidem matrimonij. Quia sicut in matrimonio traduntur mutua corpora; ita per sponsalia promittitur & traditur quoddam ius remotum in ea: contra quod peccant sponsi per fornicationem cum alio aliquo habitam. Sicut qui promittit mihi suum equum, dat mihi quoddam ius remotum in eum, & facit mihi iniuriam si sine iusta causa reddat eum deteriorem, præsertim quando promissio fuit onerosa, vt fit in sponsalibus.

Ad quæ obligent.

4 His positis dubium est, quale sit peccatum fornicatio sponsi, aut sponsæ cum alijs commissa? Palud. in 4. d. 27. q. 1. a. 3. initio, ait esse adulterium. Probatur ex l. *Si vxor.* 13. §. 3. π. ad l. Iuliam de adulter. vbi dicitur *etiam in sponsa hoc idem* (scilicet crimen) *vindicandum. quia nec matrimonium qualecumque, nec spem matrimonij violari permittitur.* Sed ex hac lege potiùs contrarium colligitur. quia in ea apertè distinguitur violatio matrimonij (quæ est adulterium) à violatione sponsalium: etsi vtraque dicatur punienda. Confirmatur. quia; vt docet Gratianus c. *Lex illa.* 36. quæst. 1. & D. Thom. 2. 2. quæst. 154. a. 8. in corpore, & cum iis communiter omnes Doctores, adulterium est alieni tori violatio: talis autem non potest esse fornicatio sponsæ, cùm sponsus eius toro nondum fruatur. hinc etiam l. *Inter.* 6. §. 1. π. ad l. Iuliam de adult. dicitur: *sed propriè adulterium in nuptam committitur.* Sponsa autem non est nupta. Quare auctores communiter docent talem fornicationem esse quidem iniuriosam parti, non tamen adulterium. Disputant tamen, vtrùm hæc iniuria contineat peccatum mortale distinctum à fornicatione.

Palud. *l. Si vxor.*

Fornicatio sponsæ non est adulterium.

Gratian. *D. Thom.*

l. Inter.

5 Prima sententia id absolutè negat. Primò, quia hæc iniuria videtur leuis. Secundò, quia vouens ingredi Religionem, ante ingressum fornicando non peccat peccato mortali distincto à simplici fornicatione: ergo idem dicendum de sponsis. Ita Candel. aureum de sponsal. num. 10. & Couar. 4. decretal. p. 1. c. 1. num. 14.

Cand. aur. *Couar.*

Secunda sententia docet, fornicationem sponsæ continere distinctum peccatum mortale in ratione iniuriæ. Primò, quia per eam sponsa se longè viliorem reddit, ita vt nullus honestus eam posteà habere vellet. in quo facit grauem iniuriam sponso: sicut is mihi faceret grauem iniuriam, qui equo mihi vendito ante traditionem oculum erueret. Secundò, quia exponit se periculo concipiendi, & consequenter sponsum periculo ne alienam prolem vt suam alat, ac hæredem habeat. Vnde etiam l. *Si vxor.* citata, hoc crimen instar adulterij punitur. Secùs tamen ait esse in fornicatione sponsi. quia in ea non est tale periculum, & ipse non redditur notabiliter vilior. Nam etsi honesti nollent communiter ducere corruptam, nulla tamen facilè desinet alicui nubere præcisè, quia scit aliquando fornicatum. ita quidam apud Sanchez l. 1. disp. 2. num. 6.

Fornicatio sponsæ continet singularem malitiam mortalem.

l. Si vxor.

6 Tertia sententia docet, fornicationem sponsi continere etiam malitiam mortalem in ratione iniuriæ, etsi minorem quàm sit in fornicatione sponsæ. Ita Lopez in instruct. 1. p. cap. 29. §. *Ad hæc libet.* Sarmiento, & Ledesma apud Sanchium l. 1. disputat. 2. nu. 5. quam etiam ipse valdè probabilem putat. Probatur. quia, vt omnes fatentur, per talem fornicationem fit sponsæ aliqua iniuria: hanc autem esse grauem probatur Primò, quia dat sufficientem causam soluendi sponsalia: quod in leuem iniuriam non videtur conuenire. Culpa enim quæ viro cordato non sufficere ad repudiandam alterius amicitiam, non potest sufficere ad soluenda sponsalia. Secundò, quia talis fornicatio meritò mouet sponsæ suspicionem se minùs præ altera amari, & facilè etiam post contractum matrimonium minùs amandam. quod ei sine dubio est durissimum. Tertiò, quia sæpè est periculum ne nascatur proles, quæ posteà communibus sumptibus debeat ali, & futura sit fudes in oculis vxoris: quam omnem aleam sponsa debet subire aut sponsalia deserere. Quare hinc etiam per fornicationem

Idem probabile de fornicatione sponsi.

Lopez. *Sarmiento.* *Ledesma.* *Sanchez.*

sponsi, spem matrimonij violari constat : præsertim cum quæuis magni animi femina mallet sponsalibus renuntiare, quàm eum virum accipere, quem in feruore primi amoris videt alienis amoribus implicitum, & fortè magis quàm suo. Quæ omnia faciunt hanc iniuriam videri non leuem. Quare etsi secunda sententia sit satis probabilis; credo tamen hanc esse probabiliorem.

7 Sanchez. Nota tamen cum P. Sanchio nu. 8. ex tali fornicatione natos non esse spurios, sed naturales, quales sunt etiam nati ab habente votum simplex castitatis. quia solum impedimentum dirimens existens inter parentes facit filios spurios.

Ad Primum argumentum propositum num. 5. pro prima sententia, negandum est assumptum, vt patet ex dictis. Ad Secundum, nego conseq. Quia qui post votum ingrediendi Religionem fornicatur, nec facit iniuriam Religioni, nec violat votum, nisi fortè per hoc redderet se minùs aptum ad ingressum Religionis. Secùs est in sponsis fornicantibus, vt patet ex dictis.

DVBIVM II.

Vtrùm iniustè à sponsalibus resiliens cogendus sit ea implere?

8 NOta, nos hîc non agere de eo qui iustè resistit, (quod, vt videbimus disputat. 23. multis de causis fieri potest) sed solùm de eo qui iniustè resilit. Quia in re certum est, in foro conscientiæ eatenus debere cogi, quatenus non potest à peccatis absolui, nec, præsertim quando res est publica, ad alia Sacramenta admitti, quamdiu sine iusta causa renuit promissum matrimonium contrahere : quia tam diu perseuerat in peccato mortali, vt patet ex dictis numero 1.

Renuens sine iusta causa implere sponsalia nequit absolui.

Sed tota difficultas est, Vtrùm per alias pœnas in foro externo debeat cogi ? Difficultas hæc nascitur in priore de tali dicitur : *Quia igitur de prædicto G. periculosum est contra suum iuramentum venire : mandamus vt eum moneas, & si monitus non acquieuerit, censuris compellas vt ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in vxorem recipiat.* In secundo verò de quadam quæ iurata promiserat matrimonium dicitur : *Cùm libera debeant esse matrimonia, monenda est potius quàm cogenda : cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.*

c. Ex literis. c. Requisiuit. c. Ex literis. 10. & c. *Requisiuit.* 17. de sponsalibus. Nam

Ob hæc Iura Doctores satis variè ac ambiguè hac de re loquuntur, vt videre est apud Sotum in 4. d. 27. quæst. 2. a. 3. post medium. Siluest. v. *Sponsalia.* num. 4. P. Henriquez l. 11. c. 13. n. 4. P. Sanchium l. 1. disput. 29. qui varias hac de re sententias citat. Quidam enim videntur absolutè dicere, tales debere cogi. Alij absolutè id videntur negare. Alij putant cogendos, quando sponsalia sunt iurata, aliàs non, & sic putant conciliare vtrumque caput : sed malè. quia vtrumque loquitur de sponsalibus iuratis. Addunt tamen DD. qui hac de re agunt ferè communiter aliquam limitationem suæ sententiæ, per quam tam ipsi, quàm ipsa Iura facilè possunt conciliari, vt magis ex sequentibus patebit.

Sotus. Silueſter. Henriquez. Sanchez.

9 Resp. igitur Primò per se loquendo iniustè à sponsalibus resiliens petente parte debet primò admoneri vt ster promissis, & si nolit parere, per censuras, aliáque Iuris remedia cogi, vt ea impleat. Et ita intellige DD. primæ sententiæ, & cap. *Ex literis.* Probatur Primò, quia iudex tenetur suis subditis petentibus ius hoc non negare, & iniuriam iis facientes cogere vt ab ea desistant, & petentibus ius suum tribuant : atqui iniustè nolens implere sponsalia, facit parti iniuriam negando ei suum Ius, ergo potest, &, nisi aliud obstet, debet à iudice ad hoc cogi. Secundò, quia, vt habetur cap. 1. de pactis partes per censuras etiam in rebus minoris momenti debent compelli, vt licita pacta seruent : quanto magis in re tam graui?

Iniustè resiliens cogendus implere sponsalia. c. Ex literis. c. 1. de pactis.

Dices, Hæc coactio repugnat naturæ matrimonij, quod debet esse liberum.

Resp. negando assumptum. quia, vt dicemus suo loco, solus metus iniustus irritat matrimonium, quod non omnibus, sed iis solis, qui se ad id non obligarunt debet liberum relinqui. Ex quibus patet hanc coactionem etiam adhibendam esse, quando sponsalia non sunt iurata : quia etiam ab his resiliens facit iniuriam. Quando tamen sunt iurata, aut puella sub spe matrimonij fuit defloratа, multò maior coactio potest adhiberi : quia in resiliente est maior obligatio eà implendi. Et sic intellige auctores primæ sententiæ, & cap. 10.

10 Resp. Secundò, per accidens tamen ob grauia incommoda quæ solent ex eiusmodi coactionibus euenire (vt quòd coactus sæpè fictè contrahat, aut perpetuas cum parte rixas habeat eámque aliquando deserat) sæpè nullo modo expedit eas adhibere. Et sic intellige auctores secundæ sententiæ, & c. *Requisiuit.* Ratio est, quia iudex sæpè potest nolle aliquem cogere vt alteri ius suum tribuat, quando ex coactione grauius malum, præsertim quod rempublicam aliquo modo turbaret, meritò timetur : vt fit in coactione ad contrahendum matrimonium. quare meritò iudex hanc parti petenti sæpè recusat, maximè cùm dicta coactio in graue ipsius petentis damnum cederet. Hinc P. Sanchius suprà num. 8. benè notat: quando iudex iniustè resilientem priùs debitè monitum, & recusantem parere excommunicauit; si videat omnino pertinaciter recusare matrimonium, debere eum absoluere, nec posse in pœnis vlteriùs progredi, ne grauiora mala sequantur. quia ex matrimonio tam vehementi coactione contracto, nihil nisi malum sperari potest.

Etsi grauiora incommoda timeantur. c. Requisiuit. Sanchez.

DVBIVM III.

Qua ratione possint arrhæ apponi sponsalibus, vt hæc confirmentur?

11 NOta, cum P. Sanchio l. 1. disp. 35. initio arrham tripliciter accipi. Primò, pro donatione quam vir facit vxori in dotis præmium. Secundò pro donatione propter nuptias. Tertiò, pro pignore, quod in quouis contractu sæpè vnus contrahentium alteri dare solet in signum complendi contractus, quodque dans perdit si à contractu resiliat. quod etiam in sponsalibus fieri solet : & hæc arrha vocatur sponsalitia, de qua solùm hîc agimus.

Sanchez. Arrha tripliciter accipitur.

12 Nota Secundò, l. *Mulier.* C. de sponsalibus & arrhis. constitui Primò, vt si is qui arrham accipit, iniustè à sponsalibus resiliat, duplum restituat, scilicet ipsam arrham, & præterea eius valorem, idque sine vllo alio contractu. Secundò, vt contrahentes possint inter se statuere, vt iniustè resiliens reddat arrham, & præterea duplum aut triplum eius valorem, non tamen ampliùs : is autem qui eam tradit iniustè resiliens, eam de iure amittit. Tertiò, vt quis teneatur his pactis, necessarium esse, vt expleuerit vigesimum quintum annum ætatis : minores verò nisi veniam ætatis impetrarint, vt scilicet possint se ampliùs obligare, si iniustè resiliant, tantùm teneri reddere arrham, non autem præterea soluere eius valorem, aut duplum. Quartò, ne iustè resiliens aut arrham perdat, aut si eam receperit quidquam præter eam soluat;

l. Mulier. Quænam circa arrhas iuste statuta sint.

vbi

vbi etiam recenſet multas cauſas, ob quas poſt contracta ſponſalia primùm emergentes, aut nouiter cognitas liceat reſilire. Quintò, vt non ſolùm ſponſi, ſed etiam eorum parentes, aui ac proaui validè pro ſuis filijs, aut neporibus eiuſmodi conditione arrhas dent, aut recipiant. Sextò, *Vt extra definitionem huius legis, ſi cautio pœnam ſtipulationis continens fuerit interpoſita, ex vtraque parte nullas vires habeat, cùm in contrahendis nuptijs libera poteſtas eſſe debeat.*

13 Arrha neceſſariò de facto traditur. *Bartol. Silueſter. l. Mulier. l. Arrhis.* Nota Tertiò, vt aliquid habeat rationem arrhæ non ſufficere illud promittere, ſed debere de facto tradi: vt ex Bartolo & communi ſententia tradit Silueſter v. *Sponſalia.* num. 9. v. *Tertium.* & colligitur ex d. l. *Mulier.* citata. & l. *Arrhis.* 3. eodem titul. in quibus ſemper ſupponitur arrhas de facto tradi. Et pater etiam ex communi vſu in aliis contractibus, in quibus nihil habet rationem arrhæ, niſi de facto tradatur ante completum contractum. P. Sanchius tamen l. 1. diſp. 38. num. 4. cum multis aliis ait ſufficere, ſi earum promiſſarum loco dentur pignora.

14 *Lopez. Sanchez.* His poſitis Prima difficultas eſt, Vtrùm datio arrharum ſub conditionibus numero 12. recenſitis valeat etiam ſecundùm Ius canonicum? Lopez apud Sanchez l. 1. diſp. 36. num. 10. id negat: quia viderur impedire matrimonij libertatem. Sed communis ſententia docet contrarium: quia, cùm illa Iure ciuili expreſsè approbetur, nullo modo ab hoc recedendum eſt, niſi aliquod apertum Ius canonicum illud corrigens adferatur; nullum autem tale adferri poteſt. vide Sanchez ſuprà.

15 *Silueſter. Sanchez.* Secunda difficultas eſt, Vtrùm arrhæ validè ſub dictis conditionibus tradantur in quacumque quantitate? &, Vtrùm aliquis fundus poſſit tradi loco arrhæ? Quidam vtrumque negant, quia hoc modo videtur impediri libertas matrimonij. Alij verò variè ſentiunt, vt patet apud Silueſtrum v. *Sponſalia.* nu. 9. & Sanchium l. 1. diſp. 35. num. 7. & 11. Sed ipſe numero 9. & 12. benè docet vtrumque validè fieri, quia leges præſcribentes arrhis conditiones, nullam certam quantitatem ijs præſcribunt: nec in fundo, aut quantauis magna quantitate eas conſtitui vetant. Hęc tamen intelligenda ſunt de rebus ac earum quantitate, quas contrahentes alienare poſſunt. Nam per ſe patet neminem poſſe ſe obligare ad aliquid alienandum, quod alienare non poteſt. Arrhæ poſſunt in fundis ac quauis quantitate conſtitui.

16 Ad quid obligentur dantes arrhas pro filiis. *l. Mulier.* Tertia difficultas eſt, quando parentes filiorum ſponſalia datis arrhis confirmant, an, ſi filij ab ijs reſiliant datas amittant; aut receptarum duplum, aut ſi promiſſum fuerit quadruplum reddere teneantur? Qua in re ex l. *Mulier.* citata num. 12. certum eſt Primò, eos ad nihil horum teneri, quando filij ob nouam cauſam emergentem iuſtè à ſponſalibus reſiliunt. Secundò, eos dictis pœnis obligari, quando per ipſos ſine vlla iuſta cauſa ſtat, cur minùs matrimonium perficiatur. quia in vtroque caſu eſt eadem ratio eorum, ac ſponſorum, qui poſt datas arrhas à ſponſalibus reſiliunt.

Lopez. Sanchez. Sed difficultas eſt, quando filij ſine iuſta cauſa à ſponſalibus reſiliunt, & per parentes non ſtat quo minùs perficiantur, an tunc datas arrhas amittant, aut receptas teneantur in duplum reſtituere? Lopez apud Sanchez lib. 1. diſp. 36. nu. 12. ait datas arrhas amitti. Sed cum Sanchio contrarium verius credo. Quia hæc perditio arrhæ, aut dupli ſolutio habet rationem pœnæ conuentionalis, quæ non debet ſolui, quando nulla interuenit culpa contra pacta: vt cum alijs benè docet P. Leſſius c. 20. n. 131.

Leſſius.

17 Excipe tamen caſum quo dantes, ac recipientes arrhas, explicitè aut implicitè promiſerunt eas perdere, aut in duplum reſtituere, quacunque ratione contigerit filios ſine iuſta cauſa à ſponſalibus reſilire. Quod cenſerentur facere, qui data arrha promittendo filij ſui nuptias, alterum retraheret, ne filiam ſuam optimo matrimonio iam oblato coniungeret. quia cùm tunc filiæ damno ſit cum altero ſponſalia contraxiſſe; videtur arrha tunc data in ipſius damni compenſationem, ſi ſine iuſta cauſa filius à nuptiis reſiliat: ſi tamen filius reſiliret à ſponſalibus ex iuſta cauſa; tunc pater nihil deberet perdere. quia l. *Mulier.* citata nu. 12. irritatur omnis obligatio, qua cauetur hè quis ob iuſtas cauſas à ſponſalibus reſiliat. *l. Mulier.*

DVBIVM IV.

Vtrùm iniuſtè reſiliens à ſponſalibus teneatur illud duplum aut quadruplum acceptæ arrhæ ſoluere ante ſententiam iudicis?

18 HAc in re conuenit inter omnes, eum qui arrham accepit, ſi iniuſtè reſiliat, teneri ante omnem exactionem ſoluere: quia nullum habet ius hanc retinendi. Item quidam apud Silueſtrum v. *Arrha.* q. 4. docent talem non teneri ſoluere illud duplum à l. *Mulier.* præſcriptum ante ſententiam iudicis, niſi hoc expreſsè pactus ſit. quia pœna legis non debetur ante ſententiam. *Silueſter. l. Mulier.*

Sed hæc res habet aliquam difficultatem. Quia illa lex non ſtatuit illam pœnam in puram legalem punitionem alicuius culpæ, ſed æquitatem ſecuta, quid iuſtum ſit quidque contrahentes videantur intendere explicat, ſcilicet vt par ſit vtriuſque partis contrahentium conditio: vt ſicut vnus, ſi deficiat perdit datam arrham, ita alter, ſi deficiat, tantumdem perdat. quæ in omni ſimili contractu, niſi aliud exprimatur videtur eſſe contrahentium intentio: præſertim quando illam legem ſciunt. tunc enim ſecundùm conditiones in ea præſcriptas intendunt contrahere. Quare niſi contrarium aut partes expreſsè intendant, aut conſuetudo induxerit; credo ex tacito pacto hanc pœnam eſſe etiam conuentionalem, de qua quæſtio procedit, vtrùm ſiue in hoc contractu, ſiue in alio, debeatur ante ſententiam iudicis?

Paludan. Pet. Nauarr. Prima ſententia docet iniuſtè reſilientem eam debere, etiamſi nemo exigat. Ita Paludan. in 4. d. 27. q. 1. art. 2. & Petrus Nauarra l. 3. de reſtitut. c. 2. dub. 10. numero 274. Sed hæc ſententia eſt nimis rigida, nec ea videtur mens contrahentium, vt magis patebit ex dicendis.

Secunda ſententia omninò contraria docet, eam non deberi ante ſententiam iudicis. Primò, quia ea videtur intentio contrahentium, qui ideo eas pœnas apponunt, vt meru condemnationis per iudicem faciendæ poſſint partem cogere, vt ſtet contractui. Secundò, cùm pœnæ ſæpè ſint validè rigidæ, videtur æquitas poſtulare, vt non debeantur antequam arbitrio iudicis decernatur, quid debeatur, vt ipſe earum rigorem moderari poſſit. Ita Adrian. quodlib. 6. art. 1. colla. 3. Nauarr. c. 23. n. 68. *Adrian. Nauarr.*

19 Iniuſtè reſiliens tenetur ſoluere ſtatim ac pars eam exigit. *Couarr. Silueſter. Iuſſius.* Tertia ſententia inter dictas media docet, talem teneri ſoluere hanc pœnam ſtatim ac pars eam exigit, non tamen antè. Ita Couarr. in 4. decret. p. 2. c. 6. §. 8. num. 11. Silueſter v. *Pœna.* num. 14. & P. Leſſius de Inſtit. cap. 20. numero 135. Probatur, quia hæc pœna non debetur ex diſpoſitione legis, ſed partium conuentione. Quare non exigit infligi per ſententiam iudicis, ſed exigi à parte. Sicut igitur iudex habet ius exigendi à reo pœnas legi debitas: ſic pars habet ius exigendi pœnas ſibi debitas ratione pacti. quia habet ius exigendi quod ex iuſto pacto debetur. Et hanc eſſe contrahentium mentem probatur. quia ideo à partibus eæ pœnæ ex pacto apponuntur, vt ſine auctoritate iudicis pars poſſit cogi vt ſtet pactis. Nam vt cogatur auctoritate iudicis, nihil opus erat appoſi-

tione pœnæ, cùm iudex eam per se nolenti stare pactis possit infligere. Confirmatur, quia amisso arrhæ datæ non minùs habet rationem pœnæ conuentionalis, quàm redditio dupli: atqui eam recipiens, si dans iniustè resiliat, ante omnem sententiam iudicis habet ius eam retinendi: ergo similiter si recipiens iniustè resiliat pars habet ius illud duplum exigendi. Nam dans arrham non minùs intendit partem obligare ad pœnam soluendam, quàm seipsum. Nam aliàs nimis iniquam suam causam redderet.

Ob hæc argumenta puto hanc sententiam esse veriorem, quando clarè constat partem iniustè resilire: quando tamen de hoc est aliquod dubium, nihil debetur ante sententiam iudicis.

DVBIVM V.

Vtrùm contractui Sponsalium validè apponatur pœnæ persoluendæ ab iniustè resiliente?

20 NOta, DD. distinguere duplicem pœnam. Prima consistit in lucro perdendo nisi matrimonium contrahatur. Vt si quis Titiæ donet vel leget centum, si Caio nubat: & tunc Titia non acquirit illa centum. si per ipsam steterit quo minùs Caio nubat, nisi fortè Caius *sit indignus eius nuptijs.* tunc enim acquiret legatum, etsi ei non nubat l. *Cùm ita legatum* 63. §. 1. & l. *Titio.* 71. ff. de condit. & demonstr. Si verò per Titiam non steterit, quo minùs Caio nubat, acquirit illa centum, si per testamentum illi legata sint nisi Caius ante apertum testamentum mortuus sit, l. *In testamento.* 31. eod. tit. Si verò talis donatio per contractum inter viuos fiat, nulla est, quacumque causa conditio deficiat: vt docet Sanchius disput. 33. num. 21.

Legatum sub conditione nuptiarum quando acquiratur. l. Cùm ita. l. Titio.

l. In testam.

Sanchez.

21 Vbi Nota, etsi quis validè aliquid alteri donet, sub conditione si alteri nubat; inualidè tamen id facit sub conditione, si sibi nubat, nisi rationabilis causa esset dandi: vt si promittatur in dotem (quod præsumitur quando fœmina promittit. & sic intellige cap. *De illis.* de condit. appositis.) aut quia alter nobilior est: aut si senex promittat iuueni, quia in compensationem censetur promittere. l. *Si ita stipulatus.* 97. §. *Si tibi.* ff. de verborum obligat. Et hæc quidem est communis DD. sententia. Variant tamen in reddenda ratione huius legis. Quidam aiunt ideo legem illud statuisse, quia deficiente alia causa, putatur donatio libidinis causa fieri. Sed hoc videtur difficile. quia hac ratione quando senex promitteret iuueni, maximè deberet præsumi libidinis causa promisisse, cùm tamen talis promissio admittatur. Quare verius est illud ideo statui: quia talis donatio cùm non habeat effectum ante nuptias, censetur facta inter virum & vxorem, ideóque inualida. quare similiter atque hæc secutis nuptijs morte donantis confirmatur. Ita expressè habetur l. *Cùm hic status.* 32. ff. de donationibus inter virum & vxorem. Si quis hac de re plura videre desiderat, legat P. Sanchium lib. 1. disp. 33. & 34. & P. Lessium de Iustit. c. 18. num. 123.

Quando valeat datum sub conditione nuptiarum. c. De illis.

l. Si ita.

l. Cùm hic.

Sanchez. Lessius.

22 Secunda pœna propriè dicta, & de qua hîc agimus est, quando duo contrahunt inter se sponsalia, statuta certa pœna pecuniaria persoluenda per eum, qui à sponsalibus resilit. Communiter verò auctores docent resilientem etiam iniustè, non teneri eam pœnam soluere. Probant id communiter ex c. *Gemma.* 29. de sponsalibus. & l. *Titia.* 134. ff. de verborum obligat. & l. *Mulier.* 5. C. de sponsalibus. vbi eiusmodi stipulationes dicuntur, non obligare, quia matrimonia debent esse libera. Vnde Cynus, Ioannes Andreas, & Henricus apud P. Sanchium disp. 30. n. 11. dicunt validè adiici modicam pœnam. quia libertatem matrimonij non impedit. Alij tamen hoc negant. Imò Gomesius l. 5. Instit. Maior tit. 12. n. 192. Couar. rubrica de testam. p. 2. nu. 17. & alij putant esse peccatum veniale talem pœnam sponsalibus apponere. quia c. *Gemma.* citato, dicitur talis stipulatio improbanda. Vnde vlteriùs inferunt, iuramentum appositum nec confirmare talem contractum, nec obligare ad solutionem pœnæ. quia putant esse peccatum veniale soluere talem pecuniam tanquam debitam. Primò, quia hoc esset approbare contractum, qui erat illicitus. Secundò, quia, cùm appositio pœnæ prohibita sit ob bonum publicum, eò quòd huic expediat matrimonia liberè contrahi, aiunt legem non tantùm vetare ipsum contractum, sed etiam eius executionem. Sicut clericus qui iurauit se sistere iudici sæculari, nec ad hoc obligatur; hic potest facere, eò quòd hoc in præiudicium Ordinis clericalis cederet, vt patet c. *Si diligenti.* 12. de foro competenti.

23 *Gomez. Maior. Couar.*

c. Si diligenti.

Sed quidquid sit de primo, certum videtur tale iuramentum obligare, ad solutionem pœnæ: vt benè probat Lessius de Iustit. c. 17. dub. 7. num. 56. Primò, quia nullo iure satis probatur, talem stipulationem esse peccatum, cùm ad nihil quod prohibitū sit obligeret: vt magis patebit ex dicendis. Secundò, quia, etsi ita stipulari esse peccatum: inde tamen non sequeretur, pœnæ solutionem esse peccatum. Nam quod aliqui dicunt, soluentem pœnam necessariò approbare contractum antea factum, non est verum: vt patet in eo qui soluit homicidæ pecuniam, qua eius operam ad cædem perpetrandam conduxerat. Alia autem est ratio clerici promittentis se sistere iudici sæculari. quia non modò hoc promittere, sed maximè tali se sistere est iniuriosum Ordini clericali; ac ideo per se primò prohibitum: promissio verò se sistendi, tantùm consequenter, quatenus excitat ad rem illicitam faciendam. Contrà verò, etsi demus officere libertati matrimonij talem pœnam validè promitti, ideóque hoc prohibitum esse; nullo tamen modo eius libertati officit, si resiliens eam soluat. quare hoc non erit prohibitum. Confirmatur, quia, vt cum multis aliis docet P. Sanchius lib. 1. disputat. 32. numero 8. quando aliquis contractus primariò irritatur ob solum bonum priuatum, & solùm secundariò ob publicum, confirmatur iuramento: atqui hæc appositio pœnæ talis est; quia per eam immediatè solùm officitur ei qui cupit resilire: ergo firmatur iuramento.

24 *Lessius. Iurans soluere pœnā sponsalib? appositam obligatur.*

Soluēs promissa non necessariò approbat cōtractum prius initū.

25 *Sanchez. Quando contractus prohibitus firmetur iuramēto.*

Dices, esse ex bono publico vt matrimonia liberè contrahantur. quia ex aliter contractis sunt nata sequi iurgia inter coniuges, quæ Rempub. turbant. Sed hoc non satisfacit. quia simili modo omnia priuata ciuium damna cedunt etiam in damnum Reip. Item similiter est è bono publico ne quis ciuis sua bona lusu vetito dilapidet. nam inde sæpè maximæ familiæ affliguntur, ac graues rixæ tam domi quàm foris nascuntur, quæ Rempub. turbant; & tamen sic perdita tenetur soluere qui hoc iurauit. quia promissio soluendi ita perdita tantùm, censetur immediatè prohibita ob priuatum incommodum. Et idem est de incommodis quæ Resp. accipit ex eo quòd priuata matrimonia malè cedant.

CONCLVS. I. Quando pœna apponitur sponsalibus, non tenetur eam soluere qui iustè resilit. Est certa, & hanc saltem probant Iura suprà citata.

26 *Solutam pœnam etiam à iuste resiliente non tenetur reddere dolo nec exigi.*

Nota tamen Primò, si quis iustè resiliens soluerit ipsam pœnam, alterum posse pecuniam retinere, vt docet Sanchius disp. 31. n. 2. & P. Lessius de Iustit. c. 17. dub. 7. n. 56. quia leges non faciunt alium incapacem talis receptionis, sed tantùm liberant alterum ab obligatione soluendi. Confirm. quia qui lusu verito aliquid amisit, etsi non teneatur soluere, si tamen soluat, alter

Sanchez. Lessius.

c. Gemma. l. Titia. l. Mulier. Cynus. Ioan. Andr. Henricus. Sanchez.

alter potest retinere: vt docet P. Lessius de Iustit. ca. 26. dub. 3. & 4. Sicut tamen hic potest solutum repetere per iudicem, ita etiam ille: vt P. Lessius dicto c. 17. dub. 7. docet.

Lessius.

27 Dices, Talis non intendebat in alterum transferre dominium illius pecuniæ nisi quatenus erat ei debita; atqui nullo modo erat ei debita, quia l. *Mulier.* C. de sponsalibus, talia pacta dicuntur nullas vires habere: ergo illius dominium non fuit in alium translatum. Resp. negando maiorem. Quia talis non soluit pecuniam sub conditione, Si debeam: sed absolutè vt pactis staret. quòd autem in eo aliquo errore ducatur, putando se ad hoc teneri, sibi imputet. Nec enim alter tenetur eum docere suum ius, nec Iura omnia irritant ex errore facta: sed sufficit ijs, quòd detur restitutionem in integrum, siue repetitionem soluti. Hæc tamen intelligenda videntur, modò pars per iniustitiam alterum non cogat ad solutionem, aut impediat repetitionem. tunc enim per iniuriam esset alteri causa damni, & sic teneretur ad restitutionem. quæ omnia clariùs patebunt infrà disput. 23. num. 97. & 100.

l. Mulier.

28 Nota Secundò, si quis talis pœnæ solutionem iuraret iuramentum interpretandum esse quòd soluet eam, si sine iusta causa resiliat. quia stipulatio pœnæ tanquam accessoria sequitur conditiones promissionis, quæ est principalis: promissio autem matrimonij etiam iurata intelligitur, nisi sit iusta causa resiliendi. de quo agemus disput. 23. Excipe casum quo quis expressè iurasset soluere pœnam, etsi iusta causa resiliendi intercederet: quia tunc iuramentum obligaret iuxta dicta suprà.

29 Probabile est pœnas sponsalibus validè apponi.

Corollvs. III. Propter Iura suprà citata & maximè propter communem ferè DD. sententiam satis probabile est, etiam iniustè resilientem non teneri soluere pœnam ex pacto resilienti impositam; contrarium tamen videtur firmioribus niti fundamentis: illúdque tenet Glossa Gothofredi l. *Titia.* citata n. 22. v. *Quia inhonestum.* Et ratio est, quia spectato solo iure naturæ, videtur omnino certum tales pœnas validè imponi iniustè resilienti, quia solùm inuitant ad id quod honestum & ex iustitia debitum est: atqui earum impositio nullo iure in eo casu potest conuinci irrita, ergo est valida. Minor probatur, quia omnia Iura quæ contra adferuntur, apertè loquuntur de pœna quæ liget etiam iustè resilientem, & hanc solam annullant: vt patet discurrenti per singula, quia c. *Gemma.* loquitur in casu particulari de pœna apposita sponsalibus impuberum, qui post pubertatem licitè possunt resilire. Deinde quia absolutè omnia Iura irritantia hanc pœnam reddunt eius rationem, *quia matrimonia debent esse libera*; & consequenter etsi videantur generatim loqui, nullo tamen modo illam pœnam irritant, nisi quatenus matrimonij libertatem minuit: vt communiter omnes DD. fatentur: atqui si solùm apponatur iniustè resilienti, non minuit libertatem matrimonij: ergo tunc non irritatur. Minor patet, quia vbi non est libertas, ibi minui non potest: atqui nemo habet libertatem iniustè resiliendi à sponsalibus: ergo hæc per appositionem pœnæ in nullo minui potest. Minor probatur, quia non potest dici mihi esse liberum facere, aut non facere id quod sine peccato mortali non possum facere. Item quia talis strictissimo vinculo est astrictus & necessariò tenetur non resilire: ergo non est illi liberum resilire. Nam cùm in Iure dicatur impossibile quod licitè fieri nequit; cui deest iusta causa, debet absolutè dici non posse resilire, cùm hoc sine peccato facere nequeat. Nec refert quòd talis physicam libertatem resiliendi retineat. quia etiam eam retinet quanis adiuncta pœna.

Non est mihi liberum id ad quod sub peccato obligor.

30 Confirmatur Primò, quia Iura censent metum grauissimæ pœnæ, scilicet æternæ damnationis, cuius reatum iniustè resiliens semper incurrit: item metum priuationis Sacramentorum, quæ illi in tali statu conferri non possunt: atque etiam excommunicationis (qua contumax feriendus est, vt ex communiore sententia ostendi num. 9.) non impedire libertatem matrimonij: quomodo ergo censebunt eam impediri metu pœnæ alicuius pecuniariæ, quæ à viro cordato præ illis nihili fieri deberet? Nec refert quòd aliqui imprudenter fortè hac pœna magis moueantur, quàm illis. quia Iura non respiciunt quid imprudenter, sed quid prudenter timeri possit. Hinc nunquam præsumunt aliquem ob leuem metum voluisse grauissimam obligationem subire, cùm tamen imprudentes id quandoque faciant. Item qui graui metu coactus iurauit, præsumitur potiùs grauem verè iurando obligationem subire voluisse, quàm fictè iurando peccare: vt docet cum aliis Couarr. 4. decretal. 2. p. c. 3. §. 5. num. 4. dicens oppositum esse errorem. Cuius ratio est. quia quisque magis præsumitur metuere culpam, quàm temporariam pœnam.

Iura non respiciunt quid imprudens timere possit.

Couar.

Confirmatur Secundò, quia Iura concedunt appositionem arrhæ etiam centum millium aureorum, quæ in quadruplum reddenda sit ab iniustè resiliente, vt ostendi dub. 3. atqui redditio illa tripla vltra valorem arrhæ, habet veram rationem pœnæ, vt per se patet: ergo licet apponere pœnam. Nec minùs metuunt homines illud triplum persoluere, quàm eiusdem valoris mulctam quauis alia ratione impositam. Et omnino ridiculum esset dicere, metum tantæ pecuniæ persoluendæ quando ratione arrhæ debetur, non minuere libertatem matrimonij: & tamen eam minuere metum soluendi centum aureos, quando ex sola stipulatione pœnæ debentur.

Et hæc possent sufficere pro legibus quas DD. pro contraria sententia citant: vnica tamen est cui hæc non ita satisfaciunt, scilicet l. *Si stipulatio.* π. de verbor. obligat. vbi dicitur, *Si stipulatio facta fuerit, si tua culpa diuortium factum fuerit, dari, stipulatio nulla est, quia contenti esse debemus pœnis legum*, scilicet Iuliæ & Papiæ, quæ diuortia puniunt amissione dotis, & donationis propter nuptias. Respondeo, hanc legem non loqui de dissolutione sponsalium, sed matrimonij, quæ iam nullo modo potest dici esse libera ei, qui nullam habet iustam causam diuertendi. Loquitur igitur lex secundùm ius antiquum Romanorum, quo cuiuis licitum erat renuntiare non modò sponsalibus, verùm etiam matrimonio iam contracto, siue facere diuortium, modò pœnam dictam vellet subire: vt apertè colligitur ex l. 1. C. de sponsalibus. & ex toto tit. π. de diuortiis. & expressè habetur l. *Neque ab initio.* 14. C. de nuptiis. vbi dicitur, liberam facultatem contrahendi atque distrahendi matrimonij transferri ad necessitatem non oportere. atque ob hanc causam nolebant leges ea vinculo pœnæ abstringi, ne ad necessitatem transferrentur: vt expressè habetur l. *Libera.* C. de inutilibus stipulationibus. Vnde omnia ferè Iura ciuilia quæ prohibent sponsalibus apponere pœnam, idem dicunt de matrimoniis.

32

Olim per leges ciuiles cuiuis erat licitum renuntiare sponsalibus aut matrimonio.

l. 1. C. de sponsal. l. Neque.

Quare vt benè notat cum Alciato P. Sanchius l. 1. disp. 30. num. 9. cùm iam lege Euangelica sine iusta causa illicita sint diuortia pœna iniustè diuertenti validè apponitur, vtpote Iuri conformis. quod idem omnino de sponsalibus dici potest, cùm enim vtraque iam ad necessitatem translata sint, cessat generaliter ratio legis, atque etiam lex quæ vetat ea per pœnam ad necessitatem transferri, retinétque solùm locum in casibus quibus etiam modò quis licitè sponsalibus, aut matrimonio quoad cohabitationem renuntiat.

33 *Alciatus, Sanchez.*

Hinc inter Christianos tam consuetudine, quàm Cæsareo Iure meritò iam olim introductum est, vt

pœna validè sponsalibus adijciatur: vt expresè habetur in Nouella 18. Leonis Imp. vbi dicitur; *Idcirco quod consuetudini placuit, vt in sponsaliorum reprobationibus pœnæ imminerent iis, qui reprobare instituerent; id in legis auctoritatem collocamus.* Ex qua & clarè & certò quæ diximus probantur: cui cùm etiam ratio suffragetur, videtur pluris debere fieri, quàm multorum Iuristarum sine sufficienti probatione auctoritas. Vt habetur l. 1. §. *Sed neque.* C. de vetere iure enucleando. Et fusè docet Sanchius lib. 3. de matrimon. disputat. 44. numero 2. Hæc fusiùs disputauj non tam vt contra multorum doctissimorum virorum sententiam aliquid definirem, quàm vt ostenderem hanc rem habere maiorem difficultatem, quàm multi putent. Quid autem sequendum sit alij definiant.

Sanchez.

DVBIVM VI.

Quantum obliget simplex promissio matrimonij.

33 DVplex hîc est difficultas. Prima est, quænam requirantur vt aliqua promissio ob[illegible]t. Sed hæc facilè poterit expediri ex dictis disp. 21. dub. 2.

Secunda est, Vtrùm omnis vera promissio in re grauj seriò facta obliget sub peccato? Caietan. 2.2.q. 113. a.1. sub finem, & Fumus v. *Perfidia.* & quidam alij putant solùm obligare sub peccato veniali, quia solùm obligat ex virtute veracitatis, aut constantiæ, ac quadam honestate. Sed hoc dici nequit, quia sic qui cum proposito faciendi sine vlla promissione diceret se Petro, aut etiam Deo aliquid daturum, æquè grauiter iis obligaretur, atque is qui hoc iis promitteret: quia obligaretur ex virtute constantiæ & veracitatis: illud autem est apertè falsum.

Caietan.

Alij verò docent id pendere ex intentione promittentis: atque ita esse in potestate eius, qui rem grauem siue Deo, siue homini verè promittit, efficere vt obligetur vel sub peccato mortali, vel solùm sub veniali. Probant, quia legislator potest alicui præcipere rem grauem sub peccato veniali: atqui promissio siue Deo, siue homini facta est lex priuata: ergo poterit in re grauj solùm obligare sub peccato veniali.

34 Promissio interna nõ obligat.

CONCLVS. I. Promissio merè interna homini facta non obligat. quia nullo modo est promissio. Debet enim promissio ita fieri, vt ad alterum dirigatur; hæc autem omnino inepta est ad alterum dirigi, cùm humano modo ad eum peruenire non possit. Vnde patet, quòd talis promissio non obliget, non prouenire ex iure positiuo (vt quidam putant) sed ex natura rei; vt benè docet P. Lessius de Iustit. c. 17. dub. 5. Idémque videtur dicendum de promissione etiam externa, loco secreto nullo præsente prolata. Secùs est de promissione facta Deo, *cui omne cor patet; & omnis voluntas loquitur*; aut etiam Beatis qui nobis vbique præsentes sunt, & secreta nostra perspiciunt.

Lessius.

35 Promissio nõ obligat ante acceptionem.

CONCLVSIO III. Promissio matrimonij non obligat antequam accepretur; quia non possum alteri obligari, nisi ipse acquirat ius in me, nec potes[illegible]lud acquirere nisi volens; quod fit per acceptationem per ipsum vel alium eius nomine factam. Deinde, quia frustra esset talis obligatio. Nam cùm esset orta ex sola voluntate promittentis per eandem posset, quandocunque veller, tolli: quia omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur: vt habetur c. 1. de reg. Iuris. Quinam autem alieno nomine possint stipulari, vel promissionem acceptare, vide P. Lessium de Iustitia c. 18. dub. 7.

Reg. Iuris. Lessius. Excipe promissionem factam ciuitati.

Excipiunt DD. communiter promissionem factam ciuitati, vel Vniuersitati, vel Ecclesiæ, vel hospitali. Qui enim his promisit, non potest promissionem suam renocare, prohibente id Iure. Non tamen tenetur eam indicare promissariis; nec ante horum acceptationem implere. Vide P. Lessium, suprà dub. 6.

Lessius.

Probant autem communiter Doctores pollicitationem ciuitati aut Vniuersitati factam antè acceptationem aut obligare, aut saltem non posse renocari. ex l. 1. & l. *Pactum* 3. 1. de pollicitationibus. Sed quidquid sit de veritate huius sententiæ, quam hic nolo discutere non possum tamè mihi persuadere hanc ex illis legibus benè colligi; nam dum dicũt pollicitationes quasdam obligare, apertè loquuntur de pollicitationibus acceptatis. Etsi enim dicant pollicitationem secundùm se sumptam significare solam promissionem offerentis, prout abstrahit ab alterius acceptatione; tamen nullo modo insinuant, eam ante acceptationem obligare, aut non posse renocari. Exempla enim in quibus asseruht eam obligare, apertè agunt de promissione acceptata. Nam adferunt casum quo aliquis ædificium aut simile opus ciuitati promissum incepit ædificare, aut quo ciuitas ei aream ad ædificandum dedit; aut quo rem promissam tradidit, quæ vltima fieri nequeunt, & priùs fieri nunquam solet sine ciuitatis acceptatione.

36 Nec refert quod dictæ leges dicant pollicitationem. non semper obligare sed solùm in casibus ibi expressis; quia solùm agunt de obligatione ciuili, quæ actionem in foro externo tribuit, quam dictis pollicitationibus tribuunt: alij negant: nisi alia ratione vestiantur. Lubenius.

Quidam excipiunt etiam promissionem matrimonij factam infanti, probántque ex l. *Iubemus.* 5. C. de emancipation. liberorum, vbi vt liberi validè emancipentur, requiritur eorum consensus, excipiuntur tamen infantes. Sed hæc lex hoc non probat. Nam cùm à iure communi exorbiter, non est trahenda ad simile: præsertim cùm hîc longè diuersa sit ratio. Quia, cùm filium emancipari nihil sit aliud, quàm eum desinere esse sub potestate parentum, secluso iure positiuo, hoc in quouis filio fieri posset sola patris voluntate: quia statim ac nolumus habere ius in alterum, desinimus habere, quantumcumque alter velit sub nostra potestate esse, nisi aliunde aliqua lege prohibeamur illam potestatem deponere. Hinc iure naturæ meus seruus fit liber hoc ipso quo nolo eum habere seruum, quantumcumque ipse esse velit. quæ secùs se habent in promissione matrimonij, vbi alter voluntariè debet acquirere ius.

Potest quis nolẽs mihi desinere esse seruus.

37 Promissio non obligat sine voluntate se obligandi, nisi ratione damni secuti.

CONCLVSIO III. Promissio matrimonij vt obliget, debet fieri cum voluntate se obligandi. quia aliàs non est promissio, vt dixi disputat. 21. numero 7. Per accidens tamen ratione damni secuti fictè promittens matrimonium, poterit obligari ad illud contrahendum: vt si ea ratione obtinuerit copulam aut eam cum fœmina honesta familiaritatem, ex qua nata est oriri grauis infamia nisi eam ducat. Excipe casum quo mulier facilè poterat deprehendere eum fictè promittere ob magnam disparitatem conditionis: vel si ipsa se pro virgine gerens, deprehendatur corrupta. de quibus vide P. Lessium de Iustit. c. 10. dub. 3.

Lessius.

38 CONCLVS. IV. Debet etiam esse deliberata. Quia aliàs nec est actus verè humanus, nec humanam obligationem potest inducere, iuxta disput. 21. numero 13. Vbi Nota etsi vt, faciendo contra obligationem ex promissione ortam, peccem venialiter, sufficiat imperfecta aduertentia; non tamen sufficit, vt etiam sub veniali me obligem. Quia cùm teneamur vitare peccatum, vt peccemus sufficit nos imperfectè atque etiam interpretatiuè illud velle committendo aliquam negligentiam in eo vitando. Secùs est de obligatione contrahenda per promissionem: vt dixi

Imperfecta deliberata nõ obligat sub veniali.

disp.

Lessius. disp. 21. n. 13. Vide etiam P. Lessium de Iustit. c. 40. dub. 1. n. 4.

39 Promissio rei grauis obligat sub mortali. *Soto. Richard. Nauarrus. D. Antonin. Lessius.*

CONCL. V. Omnis promissio rei grauis seriò facta siue Deo siue homini, obligat sub peccato mortali. Ita Soto l. 7. de Iustitia, q. 2. art. 1. ad 1. Richardi in 4. d. 38. circa 3. principale, q. 3. Nauar. c. 18. n. 6. D. Antonin. 2. p. t. 10. c. 1. §. 4. P. Lessius de Iustit. c. 18. n. 55. & alij. Probatur Primò, quia per talem promissionem, promissarius acquirit ius ad rem promissam, quo sine iusta causa resiliens eum iniuriosè priuat. quod sine graui culpa non fit, quando res est grauis: quia alter grauiter læditur in eo, quod iam verè ipsius erat. Secundò, quia qui non seruat votum, est verè infidelis, atque adeò perfidus in Deum, quod sine dubio grauem culpam significat. Tertiò, quia, si vt verè promittens rem grauem se obliget ad peccatum mortale, requireretur ipsius intentio sic se obligandi, numquam ita obligaretur, nisi id expressè intenderet. Nam si voluntas seriò vouendi secundùm se sit indifferens ad grauem vel leuem obligationem inducendam, non poterit determinatè inducere grauem obligationem, nisi per aliam expressam intentionem ad hoc determinetur: nam ex causa ad vtramque partem indeterminata semper inducitur minima obligatio ex ijs ad quas est indeterminata; vt ostendi disput. 21. n. 25. atqui secundùm omnes certum est seriò vouentem Deo, v. c. castitatem, etsi non cogitet de graui, vel leui obligatione, teneri sub peccato mortali eam seruare: ergo votum eam obligationem ex natura sua *1. Timoth. 5.* inducit. Quartò, quia, vt docet Apostolus 1. ad Timoth. 5. quæ post votum castitatis vult nubere, habet damnationem, quia fidem Deo datam irritam facit: atqui omnis qui violat votum, necessariò hoc facit: ergo omne votum in re graui, necessariò obligat sub peccato mortali. Et idem proportionaliter dicendum de fide data homini.

Ad argumentum contrà allatum numer. 33. nego consequ. Quia promissio impropriè dicitur lex; nec obligat per modum præcepti, sed per modum iustitiæ, ratione iuris, quod per ipsam alteri datur, quod enim ipsius iniuria violatur. Quare hîc est contraria ratio, quàm in præcepto, per quod soli præcipienti acquiritur ius vt impleatur: quare vt in re graui grauiter obliget, requiritur vt ille valdè inuitè ferat illud violari; & consequenter vt velit illud strictè obligare. Promissionis autem semel factæ obligatio pendet à sola voluntate eius, qui per eam ius acquisiuit; an scilicet parum vel multùm inuitus sit illud violari: sicut obligatio non auferendi rem donatam pendet à voluntate donatarij. Hinc sequitur, promissionem matrimonij seriò factam, & legitimè acceptatam obligare sub mortali, quia est promissio rei grauis. Multa tamen ab implctione huius promissionis excusant, de quibus agemus disp. 23.

40 Nota tamen, si quis inter promittendum tantùm haberet animum obligandi se ex honestate, tantùm obligandum sub peccato veniali. Sed tunc non esset vera promissio, sed tantùm propositum illud faciendi, quod ita probo, nam per talem promissionem nullum confertur ius promissario, atque ita non est vera promissio, de cuius essentia est vt conferatur promissario aliquod ius; quod si per illam conferretur, tunc promittens non solùm ex honestate, sed etiam ex fidelitate obligaretur, & faceret alteri iniuriam non implendo promissionem: quia auferret ei suum ius, & si hoc magni momenti esset grauiter peccaret. Quamtùs autem promittentem se solùm velle obligare ex honestate in aliis promissionibus sæpè contingat; quas homines facilè faciunt, non tam animo seriò fidem suam obligandi, quàm ostendendi promptam voluntatem, vnde si rogarentur vt scripto, vel iuramento promissionem firmarent, aut an velint obligari sub mortali, id statim abnuerent: promittentes tamen matrimonium communiter censentur id seriò omnino facere, nisi ex circumstantiis aliud appareat, quia res est grauis, quæque maturam tractationem requirit, & in qua communiter grauis iniuria æstimatur alterum decipere.

Per veram promissionem necessariò alteri confertur ius.

Nota Secundò cum P. Lessio de Iust. c. 18. nu. 56. *Lessius.* cùm obligatio nascens ex promissione liberali, non sit tam stricta, quàm obligatio perfectæ iustitiæ, maiorem longè in ea requiri materiam vt obliget sub peccato mortali, quàm in hac.

CONCLVSIO VI. Quando promittens postea dubitat, an habuerit animum se obligandi; si promissio externa spectatis circumstantiis clarè appareat fuisse seria; ipse in vtroque foro iudicandus est seriò promisisse. Primò, quia, quoties ex certis signis de contrario non constat, nemo præsumitur fidè agere, alindq; exteriùs ostendere quàm mente gerat. Secundò, quia promissarius iam bona fide possidet ius ad rem promissam ratione promissionis externæ acceptatæ: & consequenter in dubio est melioris conditionis. Secùs est quando externa etiam promissio dubia est: tunc enim promittens manet in possessione suæ libertatis, eiúsque in dubio melior est conditio. Vide P. Sanchium l. 1. d. 9. n. 11. & seq. & Lessium de Iustitia c. 18. n. 7. 41 Ad quid obligetur dubitans an seriò promiserit. *Sanchez. Lessius.*

CONCL. VII. Promissio matrimonij sub conditione non obligat ad matrimonium contrahendum, antequam conditio certò sciatur impleta; obligat tamen ad non ponendum impedimentum futuri matrimonij antequam cognoscatur statò tempore non impleta: hoc enim ita promittentes censentur implicitè promittere. Posita autem conditione statim obligat ad contrahendum, quia iam transit in absolutam. 42 Promissio cõditionata quando obliget.

CONCLVS. VIII. Promittens matrimonium cùm hoc ei erat absolutè illicitum, etsi postea fiat licitum, ad id non obligatur. Ita Sanchius l. 1. disp. 50. n. 9. quia promissio initio erat inualida, vtpote rei illicitæ: nec tractu temporis potest conualescere, vt habetur reg. *Non firmatur.* 18. de reg. Iuris, in 6. Confirm. quia inuita vxore professus in Religione, ea mortua non tenetur eam ingredi, etsi tunc ei sit licitum, vt habetur c. *Quidam.* de conuersione coniugatorum. Nec refert quòd talis teneatur seruare castitatem, quantum in ipso est, quia hoc ab initio poterat validè vouere. Posset tamen aliquando ad hoc obligari ratione damni illari aliter irreparabilis: vt dixi concl. 3. Hinc pater ita promittentem matrimonium non teneri petere dispensationem impedimenti quo impeditur contrahere, nisi hoc promiserit, cùm ne quidem eo sublato teneatur contrahere. 43 Promittens rem illicitam quæ postea fit licita, non obligatur. *Sanchez. Reg. Iuris. c. Quidam.*

DVBIVM VII.

Qua ratione obligetur ille qui iuratus matrimonium promisit sine animo se obligandi?

SVppono hîc talem habuisse verè animum iurandi (nam aliàs etsi peccasset fictè iurando ad nihil tamen obligaretur: quia nec vlla hîc esset promissio, nec vllum iuramentum) sed noluisse se obligare. Duplex est sententia. Prima negat illum ad aliquid obligari. Primò, quia promissio ita facta non obligat; ergo nec iuramentum. Secundò, quia sicut votum, ita & iuramentum Deus non acceptat vltra intentionem iurantis. Tertiò, quia accessorium sequitur principale: ergo vbi promissio non obligat, nec iuramentum ei accessorium obligabit. Ita Siluest. v. *Iuramentum.* 4. quæst. 7. Angelus *Iuramentum.* 5. n. 32. Scotus in 3. q. vnica, a. 3. D. Bonauent. d. 39. ar. 3. q. 1. Gabr. d. 39. q. 1. art. 2. concl. 5. 44 *Siluester. Angelus. Scotus. D. Bonau. Gabriel.*

Secunda sententia docet, talem obligari, quia obligatio iuramenti non pendet ab intentione iurantis, sed ex natura rei ei annexa est. Nam sicut iurans aliquid esse factum, necessariò tenetur iurare verum, ne Deum faciat testem falsi: ita etiam iurans se aliquid facturum, tenetur hoc facere, quia aliàs faceret Deum testem falsi, quod semper illicitum est. Ita Sotus l. 8. de Iustitia quæst. 1. art. 7. post medium. Caietan. 2.2. q. 89. art. 7. Lessius de Iustitia c. 42. n. 38.

Sotus, Caietan, Lessius.

45 Hæc quæstio connexa est cum illa, Vtrùm iuramentum promissorium in re parua obliget sub peccato mortali? Gabriel suprà q. 2. concl. 4. & 7. Tabiena v. *Iuramentum.* n. 11. Caiet. in Summa, v. *Periurium.* Fumus ibid. n. 3. id affirmat. Quia non implès talé promissionè facit Deũ testem falsi, quod est peccatum mortale.

Gabriel. Tabiena. Caietan. Fumus.

Sotus verò l. 8. de Iustit. q. 2. a. 3. initio. Siluest. v. *Iuramentũ* 4. n. 1. in fine. Nauar. c. 12. n. 10. D. Antonin. p. 2. tit. 10. c. 4. §. 1. P. Suarez de relig. l. 3. c. 16. n. 9. aiunt tãtũ obligare sub veniali. Et videtur apertè sententia D. Tho. 2. 2. q. 89. ar. 8. vbi docet iuramentũ promissoriũ minùs obligare quam votum: nam qui votum in re parua tantum obligat sub veniali: ergo idem dicendum de iuramento.

Sotus, Siluester, Nauar. D. Antonin. Suarez, D. Thom.

46 Solutio huius difficultatis præcipuè pendet ab hac quæstione, quid significet hæc oratio, *Iuro Deum me hoc tibi daturum.* Vbi Nota, me tali oratione posse tria significare. Primò, me iam habere seriam voluntatem hoc tibi dandi. Secundò, quòd intendam me ad hoc quantum possum obligare. Tertiò, me de facto daturum. Conuenit autem inter DD. me primùm & secundùm absolutè asserere, & Deum vocare in testem me hoc verè asserere, & consequenter, si aut non habeam voluntatem, dandi, aut non intendam me ad hoc obligare: fatentur omnes me & mentiri, & quantum in me est, adhibere Deum testem falsi. Tota autem difficultas est de tertio, vtrùm hoc assertiuè dicam, ita vt si postea id non faciam verè fuerim mentitus, & adhibuerim Deum testem falsi? Hoc enim posito necessariò dicendum est me peccare mortaliter, quantumcumque res parua sit: sicut peccaret mortaliter, qui scienter rem leuissimam iuratus falsò assereret. Et hoc omnes asserunt, qui dicunt promissionem rei paruæ iuratam obligare sub peccato mortali. Qui verò hoc negant, illud etiam negare debent.

Iuramentum promissorium quid propriè significet.

47 Conclvsio I. Qui siue iuratus, siue non iuratus simpliciter promittit se aliquid facturum, non asserit se id verè facturum, sed tantum ad hoc se obligat. Probatur Primò, quia aliàs peccaret mortaliter, qui iuraret se facturum aliquod peccatum veniale, & postea hoc non faceret, quia faceret Deum testem falsi. illud autem non est verum, vt cum communi sententia Lessius de Iustitia c. 42. n. 38.

Promittit non asserit se facturũ.

Lessius.

Dices, talem non inducere Deum testem falsi: quia subintelligitur hæc conditio, Si liceat, aut expediat me illud facere. Sed contrà, inde sequetur quòd talis non magis peccabit, quàm si iuraret se facturum rem indifferentem. Item sequeretur, eum non peccaturum saltem mortaliter, si sine animo faciendi iuraret se facturum aliquod peccatum veniale, aut etiam mortale: sicut non peccaret nisi summùm venialiter, qui expresè iuraret se commissurum homicidium, quando hoc licitum ac expediens erit. Idem enim valet conditio ex communi vsu tacitè subintellecta atque expressa.

Probatur Secundò, quia aliàs peccaret mortaliter, qui cùm seriò iurasset se facturum rem aliquam omnino indifferentem, v. c. mansurum domi, si postea id non seruaret; cùm tamen communiter omnes dicant talem non obligari ad tale iuramentum seruandum. Dices, subintelligi, Nisi animum mutauero. Sed hoc dici nequit, quia tales communiter ita iurant, vt iuramento obstricti cogantur non mutare propositum: ergo illa conditio non potest subintelligi.

Tertiò, quia aliàs nequit intelligi quomodo Ius quibusdam iuramentis promissoriis possit apponere quasdam tacitas conditiones, quibus deficientibus illa desinant obligare, etiamsi iurans illas prorsus ignorarit. v. c. Petrus iurat Catharinæ se eam ducturum, nihil planè cogitans de Religione, nec sciens illo iuramento hanc conditionem subintelligi, *Nisi voluerim ingredi Religionem*: ideoque intendens absolutè Catharinæ suum matrimonium promittere. Quomodo poterit Ius secundùm aliam sententiam efficere vt iuramentum sit conditionatum: & vt ille sine periurio Religionem inuita Catharina ingrediatur; cùm nulla talis conditio possit tacitè subintelligi iuramento assertorio, de qua iurans omnino non cogitat? Quod patet Primò, quia, si talis actu cogitans ingredi Religionem absolutè iuraret se ducturum Catharinam in vxorem, siue animo id faciendi, absolutè esset periurus: non obstante illa Iuris dispositione, præsertim quando illam ignoraret. Item etsi Ius millies apponat aliquam conditionem, quæ tacitè subintelligatur in aliquo iuramento, quo quis iurat rem aliquam præteritam aut præsentem; nunquam per illam potest restringere intentionem siue assertionem iurantis, si hic illam ignoret. v. c. Petrus solus noscens occultum Pauli homicidium, à iudice interrogatus an sciat quis illud commiserit; iuratus absolutè negat se illud scire, ignorans se posse subintelligere, *vt tibi possim aut tenear dicere.* Quantumuis Ius velit talem conditionem tam iudicis interrogationi, quàm alterius responsioni subintelligi: tamen Petrus est periurus, quia absolutè, & non cum illa restrictione intendit iurare. Quomodo ergo in casu suprà posito Petrus promittens Catharinæ matrimonium, non erit periurus si ea relicta Religionem ingrediatur?

48

49 Conclvs. II. Iuramentum promissioni præcisè adhibetur, vt Deus vocetur in testem præsentis voluntatis, qua promittens proponit hic & nunc promissionem implere, & ad hoc se obligare intendit: & in vltrorem perfidiæ, si hic fidem datam fallat: vt hoc modo tum reuerentia numinis, in cuius iniuriam cedit, si ipso teste promissa non seruentur: tum etiam timore vltionis moueatur, vt promissa impleat. Sicut si quis coram Rege ad hoc aduocato aliquid alteri promitteret, & postea fidem falleret, censeretur Regem contemnere, & hic meritò contemptum suum vlciscereturi: sic etiam accidit in eo qui iuratam fidem fallit.

Quòd finem ac vim habeat iuramentum Promissorium.

Hinc sequitur Primò, eum qui non implet quod bona fide iuratus promisit, non esse propriè mendacem, sed perfidum: nec adducere propriè Deum in testem falsi; sed alia ratione peccare contra reuerentiam Deo ac iuramento debitam: dicitur tamen vulgò fuisse mentitus, & adduxisse Deum in testem falsi, quatenus suo facto quodammodo innuit se antè perfidè iurasse. De quo patet distinctam omnino esse obligationem in iurante, qua dum iurat tenetur habere animum implendi promissa, ab ea qua postea tenetur promissa implere: quia prima expleta, alia adhuc durat.

50

Sequitur Secundò, solutio difficultatis in titulo dubij propositæ scilicet eum qui animo verè iurandi aliquid alicui iuratus promittit, sine intentione se obligandi, aut illud implendi, esse verè periurum, & adducere Deum in testem falsi, etsi promissa postea impleat. Item etsi talis præcisè ex sua promissione (vtpote quæ hîc nulla est) non obligetur vt promissa faciat; obligari tamen ex virtute religionis ratione iuramenti, sicut is qui ex graui metu iniurioso alicui aliquid iuratus promittit, quia reuerentia diuini numinis exigit, vt id quod ipso in testem vocato, alteri saltem quoad externam speciem promisimus, ipso opere implcamus. Nam si quis hoc modo aliquid promitteret coram Rege, non solùm eum offenderet ficte agen-

51

Iurans sine intentione se obligandi, est periurus, etsi postea promissa impleat, ad quod etiã obligatur.

do; sed etiam illud postea non implendo.

52 Iuramentum non sequitur in omnib. conditiones promissionis.

Ad Primum & Tertium argumentum propositum n.44.nego consequ.Pater enim esse falsam in eo, qui metu iniurioso compulsus iurat alteri se aliquid facturum. Et ratio est, quia iuramentum in hoc tantùm sequitur conditiones promissionis quòd in vtroque eædem conditiones subintelligantur.

Ad Secundum Resp. esse in vtroque paritatem, si loquamur de intentione vtrique essentiali & intrinseca:quæ in voto est intentio se obligandi:in iuramento verò est intentio iurandi: & sine his neutrum aut consistere,aut obligare potest,nisi propter scandalum. Intentio autem se obligandi,nullo modo est iuramento essentialis aut intrinseca: sed obligatio necessariò sequitur iuramentum ex vera intentione iurandi factum.

53 In re parua obligat sub veniali,

Sequitur Tertiò, iuramentum promissorium in re parua solùm obligare sub veniali. Quia sicut exigua est iniuria,quam alter facit promissario, non implendo promissa: ita etiam parua est irreuerentia erga Deum. Sicut etiam esset parua irreuerentia erga Regem, si rem parui momenti coram eo promissam non implerem;& sicut Deo fit parua irreuerentia,dum votum rei paruæ non impletur.

Ad argumentum contrà allatum n.45.patet ex dictis negandum esse assumptum. His tandem addendum,minorem materiam requiri,vt promissio liberalis iurata obliget sub peccato mortali;quàm vt obliget non iurata. Quia illius obligatio est longè strictior, quàm huius, nisi fortè Deo fieret. Tunc enim adhuc strictiùs obligaret,quàm promissio iurata facta homini: vt docet D. Thom. suprà n. 45.

D. Thom.

DVBIVM VIII.

Quæ oriatur vtrimque obligatio,quando Petrus promisit Paulo dare vnam ex filiabus in vxorem, atque hic acceptauit?

54 CONCLVSIO I. Pater tenetur tunc bona fide dare diligentem operam, vt vna ex ijs Paulo nubat: quòd si vnica tantùm tradi possit, aut velit,hanc tenebitur dare, quia aliàs promissum suum non impleret, quod verum est,etsi dum promitteret, cogitasset hanc non dare,si modò absolutè voluerit ad vnum dandam se obligare; Aliud enim est, promittentem cogitare non hanc sed aliam dare: aliud, expressè nolle se ad hanc dandam obligare, quo casu in foro conscientiæ, si promissio esset omnino liberalis, non teneretur illam dare: quia promissio non obligat vltra intentionem promittentis,nisi fortè ratione damni secuti:vt si alter omisisset commodum matrimonium spe huius assequendi,nec posset iam tam commodum consequi. In foro tamen externo, & abstrahendo ab omni tali incommodo, cogeretur illam, si contenta esset, dare: quia promissio externa fuit absolutè sine exceptione facta. Patet ex l. *Si in emptione* 34. ff. de contrahenda emptione. Imò etiam in foro interno ita est iudicandum, quando non constat de contraria intentione. Idem dicendum si promissio esset onerosa: vt si fieret his verbis, *Promitto tibi vnam ex filiabus, si hoc feceris, aut si tu te obligaueris ad illam ducendam*: etsi pater habuisset omnino contrariam intentionem, quia tunc promissio debet ab vtroque intelligi, vt exterius sonat,atque ita obligat,præsertim quando vna pars iam contractum ex sua parte impleuit: vt in præsenti si Paulus feciisset opus illud sub cuius conditione pater vnam ex filiabus promisisset, quia illud matrimonium tunc ei esset debitum quasi merces illius operis, quia sine iniustitia non potest fraudari: sicut suprà dixi de ea, à qua aliquis ficta promissione obtinuisset copulam. Quòd si tamen Paulus nullum adhuc

l. Si in empt.

grauamen subiisset;pater faceret quidem ei iniuriam, talem exceptionem mente retinendo,& teneretur aut Paulo hanc suam mentem aperire, aut eam mutare. Quòd si tamen eam tempestiuè aperiret, valdè probabile est, quòd in conscientia non obligaretur eam dare,quam intenderat excipere: sicut is qui fictè promittit matrimonium, nullo alio damno secuto, non tenetur in conscientia id contrahere,sed tantùm parti satisfacere pro iniuria illata.

CONCLVS. II. Si filiæ omnes consenserint, & dari possint, satisfacit pater dando quamuis ex illis, si nullam in particulari promisit. Quia in alternatiuis, sine quando sub disiunctione diuersæ res debentur, debitoris est eligere, quam velit tradere: vt habetur reg. *In alternatiuis.* 70.de reg. Iuris,in 6. Designata autem à patre teneretur alteri nubere: quia consenticndo patris promissioni hoc implicitè promisit. Quòd si promisit vnam in particulari, non satisfacit dando sororem, sed tenetur illam dare, si ipsa velit: si autem nolit, aut tradi non possit, non tenetur dare sororem. Quòd si, cùm pater aliquam indefinitè promisit Paulus cum vna fornicetur, nec hanc tenetur dare: quia, cùm antea ad hoc non obligaretur, non potuit Pauli scelere ad hoc obligari: nec etiam aliàs tenetur dare, quia non possunt iam Paulo nubere. Quòd si tamen hæc fierent in loco vbi Tridentinum non est receptum, & promissio facta fuisset consentientibus filiabus,vel eam ratam habentibus; tunc per talem copulam,promissio antea conditionata purificaretur,& haberet rationem sponsalium,ac ex præsumptione iuris transierit in matrimonium, vt apertè colligitur ex c. *De illis.* 3. de conditionibus appositis, iuncto c. *Is qui fidem.* 36. de sponsalibus. Et sic pater cogeretur ab Ecclesia eam Paulo dare, nec alteruter vnquam permitteretur aliud matrimonium inire. Ratio est,quia,cùm tales habuerint voluntatem saltem sub conditione inter se contrahendi; hoc ipso quo copulam habent, censet Ecclesia eos id animo coniugali facere, quæ ratio præsumendi cessat, vbi Tridentinum est receptum:atque ita nec matrimonium, nec sponsalia præsumuntur. Similiter promittens vnam ex filiabus Petri ducere, ad hoc tenetur; potest tamen quam vult eligere, & hæc tenetur ei nubere si omnes simul repromiserint: quia ille censetur absolutè debitor, qui absolutè promisit; hæ verò singulæ sub conditione,si illas elegerit. Ita Sanchius disput. 26. numer.2. & 6.

55 In alternatiuis debitoris est electio. *Reg. Iuris.*

Promissio matrimonij conditionata per copulam purificatur. *c. De illis. c. Is qui.*

Sanchez.

56 Sed maior difficultas est, quando Petrus promisit indistinctè dare Paulo vnam ex filiabus, & hic repromisit vnam ex ijs ducere; vtrius sit eligere quando omnes paratæ sunt Paulo nubere? Videtur enim esse patris,quia l. *Si in emptione.* 34. ff. de contrahenda emptione,§. 6. dicitur: *Si emptio ita facta fuerit, est mihi emptus Stichus aut Pamphilus, in potestate est venditoris quem velis dare.* Videtur enim eadem esse ratio parentis promittentis filias. Et videtur hæc vera sententia quando promissio fuit omnino reciproca, per modum contractus, *promitto me daturum, si promittas te ducturum.* Secùs esset, quando promissio esset vtrimque liberalis: vt si priùs vnus promisisset se vnam ducturum, non exigendo repromissionem: & simili modo alter promitteret se vnam daturum, vel contrà. Tunc enim vterque satisfaceret vpam eligendo,nec teneretur aliam ducere,aut dare, quia vterque distincta promissione constituitur debitor: non autem per mutuum contractum, vt in emptione.

l. Si in empt.

Quòd si vnus promittat se vnam daturum, & alter se eandem ducturum, vel contrà; tunc electio spectat ad priùs promittentem: quia alter videtur consentire in eam quam hic elegerit, vide hæc fusiùs apud Sanchium suprà.

Sanchez.

DVBIVM IX.

Quid sint alij effectus sponsalium?

57 Quia ratione sponsalia per copulam trãsĕãt in matrimoniũ. c. Is qui.

CONCLVS. I. Vbi Tridentinum non est receptum, sponsalia per copulam inter sponsos habitam transeunt in matrimonium ex præsumptione Ecclesiæ, vt patet ex c. *Is qui fidem*, 30. de sponsalib. Quod ita intelligendum, non quòd semper verum sit matrimonium (si enim non habuerint animum verè contrahendi matrimonium, siue, quod idem est, si non cognouerint se affectu coniugali, nullum omnino erit matrimonium: quia hoc sine mutuo consensu de præsenti nullo modo contrahi potest, vt dicitur c. vlt. de sponsa duorum) sed quòd Ecclesia omnino præsumat eos se mutuo affectu maritali cognouisse, atque ita matrimonium contraxisse; ita vt nullam contrariam admittat probationem, & omnia secuta ab vtraque parte alia matrimonia iudicet irrita: vt patet ex c. *Is qui*. citato. Ratio est, quia, cùm tales habuerint animum inter se contrahendi, & data fide se ad id obligarint; Ecclesia fortissimè præsumit eos voluisse habere copulam maritalem & honestam, potius quàm fornicariam, quia nemo præsumitur velle peccare sine aliqua causa; hìc autem nulla fuit causa fornicandi, cùm potuerint licitè se cognoscere affectu coniugali, atque ita statim contrahere matrimonium, quod paulò pòst contrahere intendebant.

c. vlt. de sponsa.

c. Is qui.

Tridint. Vbi tamen receptum est Trident. quod sess. 24. c. 1. de reform. matrimonij irritat matrimonia clandestina, hæc conclusio locum habere non potest, nisi tam sponsalia, quàm subsecuta copula fierent coram Parocho & testibus, quod fingi potiùs quàm contingere potest.

CONCLVSIO II. Gignunt etiam impedimentum publicæ honestatis, de quo agemus disp. 32.

DVBIVM X.

Vtrùm quis possit validè se obligare Deo ad contrahendum cum aliqua matrimonium? siue, Vtrùm matrimonium possit esse materia voti?

58 Matrimonium non potest per se esse materia voti.

NOta, inter omnes constare Primò, matrimonium secundùm se non posse esse materiam voti: quia, etsi id inire possit esse actus virtutis; tamen nisi aliunde aliqua vrgeat necessitas, eius contradictorium, scilicet obseruatio castitatis, semper est Deo gratius.

Dices, Possum id vouere solùm vt suscipiam hoc Sacramentum eiúsque gratiam, & statim Religionem ingrediar, sed hoc dici nequit, quia illud Sacramentum non est in illum finem institutum, vt solùm propter se, siue propter gratiam quam confert suscipiatur, sine vlla alia causa aut intentione; sed ad procreationem prolis, & in remedium concupiscentiæ: ideoque hac intentione cessante, per se loquendo, non conuenit ipsum ob alios fines suscipere, nec potest esse materia voti. Adde, tale matrimonium communiter fore parti iniuriosum, atque ita illicitum: vt dicam d. 23. num. 13.

Potest esse materia voti ei qui

Secundò, constat tunc posse esse materiam, quando quis ad id alia ratione obligatur: vt si quis sub spe matrimonij virginem defloraſſet, nec illa alia compensatione vellet esse contenta: aut si alicuius matrimonium esset necessarium ne integrum regnum veniret in potestatem infidelium, quia tunc Deo gratius est quàm eius contradictorium. aliàs ad hoc obligatur.

Sed dubitant DD. in aliis duobus casibus. Primò, quando aliquis vouet ducere aliquam pauperculam, vel eam cuius pudicitia periclitatur, vt ipsam à peccato reuocet: Sed dicendum est etiam tunc gratius esse Deo talem seruare castitatem, & ingredi Religionem, quia per hæc quis aptior est vt se perficiat, Deoque coniungat, ad quæ charitas Dei primò inclinat: à quibus tamen per illud matrimonium omnino impediretur. Validè tamen ille voueret sub conditione se talem ducturum in vxorem, si vxorem ducat; nisi tamen id expresse ita vouerit, ad neutrum tenetur: vt benè docet Sanchius lib. 1. d. 4. n. 13. 59 Inualidè vouet reducturum pauperculam. Sanchez.

Secundus casus est, quando quis est valdè procliuis ad libidinem, ita vt sæpiùs peccet. In tali enim videtur matrimonium posse esse materia voti, quia illi in particulari videtur melius illa contrahere, quàm non cõtrahere. Vnde omnes prudentes communiter tali suaderent matrimonium. Quod autem aliqui dicunt cõtrahere matrimonium solùm in remedium concupiscentiæ ad euitanda peccata, esse peccatum veniale, sine fundamento dicunt: vt videbimus disp. 25. dub. 2. quare tale votum obligare docent Nauarr. c. 12. n. 43. & quidam alij. 60 Nauarr.

Alij tamen docent tale votum absolutè non obligare: quia etiam tali non est absolutè melius contrahere, quàm eius contradictorium, quia per illud præcludit sibi viam ad perfectiorem statum: sed tantùm est ei melius sub conditione, si (quod potest facere) nolit alia ratione peccandi pericula euitare: atque ita sub illa conditione obligatur ad matrimonium, & validè illud vouet: vt benè docuit P. Lessius de Iustitia c. 40. dub. 7. n. 44. & Soto l. 7. de Iustit. q. 1. art. 3. §. *Contra hanc autem.* 61 Lessius. Soto.

Nec refert, quòd prudens confessarius ei omnino suaderet vxorem ducere, quia hic hoc ei necessariò suadet, quia non potest eum alia ratione corrigere: alter autem se potest corrigere, quare ei nec necessariũ, nec absolutè melius est vxorem ducere: sed solùm posito quòd nolit alia ratione pericula vitare.

Vtraque autem sententia est probabilis, & aliqui putant eas non tam differre in re, quàm modo loquendi. Quia vtraque concedit primò, talem etiam absque voto teneri ducere vxorem, posito quòd nolit alia ratione pericula peccandi vitare.

Secundò, cum etiam emisso voto ducendi vxorem ad hoc non teneri, si alia ratione efficaciter pericula euitet. Quare cùm hoc semper sit in eius potestate, numquam absolutè tenebitur ducere vxorem, sed solùm sub conditione, si aliter se non emendet.

Tota autem difficultas est, Vtrùm, si post tale votum neque se emendet, neque vxorem ducat; peccet verè contra votum? Prior sententia affirmat. Secunda negat, nisi id vouerit sub conditione si se non emendarit. Ratio est, quia tali numquam est absolutè melius ducere vxorem, quàm viuere cœlibem: sed solùm sub conditione, si se nolit aliter emendare: ergo illud votum absolutè factum non est de meliore bono: & consequenter non obligat. Et hoc credo probabilius.

DISPVTATIO XXIII.

QVIBVS MODIS

SPONSALIA DISSOLVANTVR.

DVBIVM I.

Vtrùm sponsalia puberum mutuo contrahentium consensu dissoluantur?

1 Reg. Iuris.

CONCLVSIO I. affirmatiua. Patet ex c. 1. de regul. Iuris, vbi dicitur: *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur.* Intellige si natura sua solubilis sit, vt sunt sponsalia.

c. 2. de sponsal.

CONCLVSIO II. Potest id etiam fieri sine peccato. Ita communiter DD. Quia nullo iure prohibitum est, & c. 2. de sponsalibus, hæc dicuntur eodem modo posse dissolui, sicut alij contractus, quos patet sine vlla culpa contrahentium mutuo consensu dissolui. Vnde quod ibidem dicitur, tales omnibus modis inducendos, vt fidem præstitam seruent, non ideo dicitur, quia ad hoc per se tenentur: sed Primò, quia sæpè contingit alteram partem non omnino liberè consentire in dissolutionem sponsalium, sed ad id metu, vel nimia alterius importunitate induci. Quare tales admonitiones adhibentur, vt vtriusque partis animus exploretur. Secundò, quia communiter necesse est, vt nota inconstantiæ, aliaque hominum obloquia vitentur, sponsos ab ijs non resilire: ideoque hoc omnino expedit, nisi grauius malum timeatur. Atque ita etiam dicitur dissolutio in patientia tolerari, quia potiùs est permittendum, vt dissolutio fiat, non obstantibus illis obloquiis, & quamuis altera fortè pars, quæ minùs liberè consentit, aliquid iniuriæ patiatur: quàm vt sponsi inuiti cum mali exitus periculo coniungantur.

2 Sponsalia etiã iurata licitè mutuo cõsensu soluuntur. *D. Thom.*

CONCLVSIO III. Hæc vera sunt etsi iurata sint sponsalia. Quia hoc iuramentum non obligat nisi in commodum partis, qua remittente obligationem tollitur materia iuramenti. Ita D. Tho. in 4. d. 27. q. 2. art. 3. ad 5. & 2. 2. q. 89. art. 9. ad 2. & cum eo communiter alij DD. Quod verum est, etsi quis eiusmodi sponsalia intuitu pietatis cum paupere, aut ea cuius pudicitia periclitaretur, iniisset. Quia obligatio etiam eiusmodi promissionis directè tendit in illius personæ commodum, & hæc sola directè & per se ius acquirit, vt impleatur, ideoque ea remittente ius suum, tollitur materia obligationis: præcipuè cùm, vt dixi disp. 22. dub. vlt. talis promissio, vt habet merè rationem voti, non obliget. Ita Candelab. aureum de sponsal. cap. 5. P. Henriquez lib. 11. c. 14. numer. 6. Nauarr. c. 22. num. 25. & cum multis aliis P. Sanchius l. 1. disp. 52. num. 8.

Etiam in nitu pietatis inita. Candel. aureum. Henriquez. Nauarr. Sanchez.

Necesse tamen est vt libera vtrimque sit remissio. Lessius.

Nota hæc intelligenda esse, modò libera vtrimque sit remissio. Si enim vna pars alteram metu, vel dolo ad remittendum induceret, maneret nihilominus in conscientia obligata. Secùs si rationibus vel precibus non nimiùm importunis alteram ad remittendum induceret. Vide P. Lessium de Iustitia cap. 17. dub. 5. & 6. & c. 10. numer. 14. quibus locis fusè disputat, quis metus, dolus, aut precum importunitas reddat aliquem contractum, promissionem, aut iuris remissionem inualida.

3 Renuens implere sponsalia tribuit alteri ius resiliendi. Violanti fidem non tenemur eam seruare. *l. Si conuenerit.*

CONCLVSIO IV. Vnius consensus non dissoluit sponsalia. Quia vnus alteri inuito non potest tollere ius suum; hoc ipso tamen, quo vnus sponsalia renuit perficere, tribuit alteri ius resiliendi si velit: quia violanti fidem, non tenemur fidem seruare, l. *Si conuenerit.* 14. ff. pro socio. Vide Sanchium disput. 52. num. 4.

DVBIVM II.

Quomodo dissoluantur sponsalia impuberum?

4 Facti puberes soluunt licitè sponsalia antè contracta. c. *De illis.*

CONCLVSIO I. Non possunt dissolui etiam per mutuum eorum consensum, quamdiu impuberes sunt; statim tamen atque peruenerunt ad pubertatem, vterque potest ijs renuntiare: & ita dissoluentur. Patet ex c. *De illis.* 7. de desponsatione impuberum. Vbi dicitur debere iudicio Ecclesiæ sponsos ab inuicem separari (scilicet iudicando sponsalia esse dissoluta) si is qui impubes ea contraxit peruenies ad annos pubertatis reclamet. Videtur autem sufficere hanc reclamationem fieri coram quibuslibet idoneis testibus. Debet tamen data commoditate alteri parti renuntiari.

Ratio prioris partis concl. est, vt occurratur lenitati puerorum, qui aliàs sæpiùs diuersa sponsalia contraherent, atque iterum dissoluerent. Secundæ partis ratio est, vt subueniatur immaturitati iudicij eorum, ideoque si fortè minùs prudenter se obligarint, detur locus pœnitentiæ, vt cùm ad maturiorem ætatem peruenerint, possint obligationem executere.

5 Vnde patet non solùm in foro externo hanc renuntiationem non puniri, sed absolutè concedi vt licitè fiat, quia aliàs lex non occurreret periculis peccandi, sed occasionem peccandi præberet, permittens perfidiæ absolutam impunitatem.

Quam vim habeant sponsalia impuberum.

Dices, Ergo frustra impuberes contrahunt sponsalia, cùm eo tempore quo implenda essent, possint ab ijs resilire. Respondeo, negando sequelam, quia valent Primò, vt durante impubertate non possint se alteri obligare. Secundò, vt adueniente pubertate non sit opus nouo contractu, vt illa robur suum obtineant.

6 Priùs ad pubertatem peruenies statim reclamare potest. *Sanchez. Idem.*

Vbi Nota Primò, aliquos putare neutrum posse reclamare, antequam vterque ad pubertatem peruenerit; sed sine fundamento. Cur enim prior peruenies non poterit statim reclamare, cùm paulò pòst poterit, cùm iam non ampliùs maturitas iudicij in eo expectetur? Sanchez disput. 51. num. 9.

Nota Secundò, DD. quos latè citat Sanchius suprà numer. 14. communiter docere, factum puberem

Statim sit quod intra triduum fit. c. fin. C. de error. l. fin. C. de iud.

debeat statim reclamare: aliàs si in mora fuerit, censebitur tacitè sponsalia confirmare. Statim autem dicitur fieri, quod intra triduum fit, l. fin. C. de errore advocatorum, & l. fin. C. de iudiciis.

7 Sanchez

Nota Tertiò, Sanchium suprà numer. 17. docere, in foro conscientiæ, satis eum reclamare ad tollendam obligationem, qui interiùs statu tempore dissentit, etsi exteriùs id non exprimat: quia talis non potest dici tacitè consentire, nec aliter tollitur potestas reclamandi, nisi per expressum aut tacitum consensum, quamquam in foro externo hic consensus præsumatur, vbi de contrario non constat. Et num. 16. docet, si adhuc impubes contractis sponsalibus absolutè renuntiet, & postea numquam ampliùs ijs consentiat, aut etiam dissentiat, vel quia de ijs non cogitat, vel quia putat se ampliùs illis non obligari, statim atque ad pubertatem peruenerit, sponsalia dissolui. Quia prior dissensus ac reclamatio censetur habitualiter adhuc durare in pubere, ac iam sponsalia dissoluere. Quod saltem vt minimum sufficit, vt postea quouis tempore possit reclamare, quia numquam potest censeri sponsalia confirmasse. Idemque videtur dicendum de eo qui perueniens ad pubertatem omnino fuit oblitus sponsalium, aut ignorat se iam peruenisse ad ætatem, qua potest reclamare. Videtur enim in foro conscientiæ semper posse reclamare, quandocumque eorum erit memor, quia talis non potest dici ea confirmasse: in foro tamen externo probanda esset obliuio vel ignorantia.

8 Conclvsio II. Pubes contrahens sponsalia cum impubere manet statim irreuocabiliter obligatus. Quia in eo non præsumitur immaturitas iudicij, quare lex ei non subuenit: impubes tamen factus puber eodem modo poterit reclamare, ac si cum impubere contraxisset, quia eadem est ratio. habetur expressè c. *De illis.* 7. in fine, de despons. impuberum. c. De illis.

9 Conclvsio III. Impuberes contrahentes sponsalia, si ea iuramento confirment, non possunt postea parte inuita ijs renuntiare. Ita apertè habetur c. *Ex literis.* 10. de sponsalib. Aiunt tamen aliqui apud Sanchez suprà num. 25. Episcopum in eo iuramento posse dispensare, vt licitè reclament; si iurans non habuerit sufficiens iudicium vt intelligere posset vim obligationis quam subit, & ira prudenter se firmiter obligare. Quando autem censendum sit eum non habere sufficiens iudicium, aiunt prudentis iudicis arbitrio discernendum: præsumi autem illud habere post ætatem proximam pubertati, antè verò non habere: nisi de contrario in vtroque ex coniecturis constet. Quæ satis æqua sunt, & ob Doctorum auctoritatem probabilia. In ætate tamen qua iurans præsumitur habere sufficiens iudicium, non puto distinguendum inter puerum & puellam. Nam etsi hæc citiùs sit apta matrimonio quàm puer; non tamen citiùs vtitur ratione. Si tamen ex rigore hæc examinemus, non video quomodo Episcopus possit in tali iuramento dispensare, si iurans fuerit doli capax sufficienter, vt posset peccare mortaliter. Nam per illud parti fuit ius acquisitum. Et contrarium videtur colligi ex d. c. *Ex literis.* 10. de sponsalibus. Nam si Episcopus in tali iuramento potuisset dispensare, non fuisset causa, cur volens resilire debuisset tam seuerè cogi, vt iuramentum seruaret. Impubes iuramento firmans sponsalia non potest reclamare. c. Ex literis. Sanchez. c. Ex literis.

DVBIVM III.

Quomodo sponsalia dissoluantur, aut irriteantur per votum Religionis, vel castitatis, aut per susceptionem Ordinis sacri?

VAriæ hîc sunt quæstiones, in quibus quædam faciles sunt, & de quibus non est dubium, quas breuiter primò soluemus; deinde dubias explicabimus. 10

Concl. I. Certum est sponsalia dissolui, Primò, per professionem in Religione approbata, quia matrimonium ratum per eandem dissoluitur, vt patet ex cap. 2. de conuers. coniugatorum. Vbi etiam expressè dicitur licere vni coniugi ante matrimonij consummationem altero inuito ad Religionem transire. c. 2. de conuers. coniug.

Secundò, etsi per vota simplicia facta in Religione approbata non dissoluatur matrimonium ratum; certum tamen est per ea dissolui sponsalia, quia per ea homo verè constituitur Religiosus, & inhabilis ad matrimonium.

Tertiò, certum est sponsos inuita parte posse Religionem ingredi, vt patet ex dicto cap. 2. Vnde vlteriùs sequitur, eos hoc & validè & licitè vouere. Vnde

11 Vouenti Religionem etiam contractus matrimonij communiter est illicitus.

Quartò, certum est sponsalia dissolui hoc ipso quo alter ex sponsis vouet Religionem ingredi, quia per hoc status matrimonialis inter eos redditur illicitus, quare non possunt ad eum obligari.

Dices, Etsi status matrimonialis inter eos reddatur illicitus, non tamen contractus: ergo etiam poterunt ad hunc obligari. Respondeo, negando consequentiam. Primò, quia, sicut ille contractus non solet propter se peti aut promitti, sed solùm propter statum eum consequentem; ita hoc ipso quo hic redditur omnino illicitus, cessat tota ratio & promissionis & obligationis; præsertim cùm communiter vtrique parti illo casu contractus nec commodus, nec vlla ratione expetibilis sit. Secundò, quia ipse contractus talibus per se loquendo & parum conueniens est (indecens enim est ei, qui se Deo totum deuouit, date mulieri potestatem in corpus suum ad vsum matrimonij etiam remotam) & communiter est periculosus: nam ferè ijs imminet periculum ne consummet. Quòd si tamen rationabiliter sibi omnino persuaderent, nullum esse periculum ne matrimonium consummet, aut alia ratione voti impletio impediatur; non video cur sit graue peccatum, si vterque eo animo contrahat, vt vel vterque, vel alteruter statim ante consummationem, Religionem ingrediatur. Quare possunt dari causæ ob quas hoc etiam laudabiliter fieri posset, v.c. vt proles inter eos priùs concepta legitimetur: aut si hoc esset necessarium, vt alteruter liberetur ex custodio, qua parentes cum, metuentes ne Religionem ingrediatur, includissent. Vide Henriq. lib. 12. c. 2. n. 8. Sanchium l. 1. d. 43. n. 8. P. Lessium de Iustitia c. 41. n. 51. An verò talis possit consummare matrimonium dicam infrà d. 34. dub. 4. Potest tamen quandoque esse licitus. Henriquez. Sanchez. Lessius.

12 Conclvs. II. Supradicta vera sunt etsi sponsalia iuramento confirmata sint. Quia, sicut in sponsalibus semper ex constitutione Iuris subintelligitur illa conditio, *Nisi velnero Religionem ingredi*: ita etiam iuramento ijs appositio, quia accessorium sequitur suum principale: vt in simili habetur c. *Quemadmodum.* 25. de iureiurando, & l. vlt. C. de non numerata pecunia. Ita cum communi Doctorum sententia Henriquez & Sanchius suprà. c. Quemad. l. vlt. C. de non num. Henriquez. Sanchez.

Vega tamen l. 1. Summæ casu 389. & quidam alij 13

Vide c. Commissum.

putant talem teneri contrahere, & deinde Religionem ingredi. Quia cap. *Commissum.* 16. de sponsalibus, de tali dicitur, *Quòd tutius est ei (religione iuramenti seruata) prius contrahere, & postea si elegerit, ad Religionem migrare.* Sed hoc est omnino improbabile: tum ob dicta n. 11. tum quia, quando pars sciret illius propositum, nullo modo vellet cum eo contrahere: & quamuis vellet, alter ad hoc non teneretur, ob ibidem dicta. Quòd si contraheret parti hoc propositum occultando, grauem ei faceret iniuriam. Multa enim ex tali contractu sunt nata sequi incommoda. Primò, quòd fortè multi suspicabuntur cum ingredi Religionem; quia aliquod vitium in parte deprehendit, ob quod eius nuptias auersetur. Secundò, quia coget partem magnos sumptus facere pro nuptiis, & deinde integro anno ab aliis nuptiis abstinere: & erit fortè causa cur non ita commodas reperiat.

Volens Religionem ingredi post sponsalia iurata, non tenetur priùs contrahere.

Ita contrahens cum parte inscia facit ei iniuriam.

Dices, Quiuis habet ius ante matrimonij consummationem, Religionem inuita parte ingrediendi: ergo poterit cum tali animo contrahere.

Respondeo, negando conseq. Quia in casu antecedentis vterque bona fide contrahit, & vtriusque ius ac conditio paria sunt: & Religionem ingrediens habet grauissimas causas id faciendi, vt scilicet consulat saluti animæ suæ, quæ præponderat incommodis, quæ pars patitur. Quare huic nullam facit iniuriam nec contrahendo, nec ingrediendo. In casu verò consequentis dispar est in ipso contractu vtriusque intentio, & habens illum animum, nullam habet necessitatem ita contrahendi, ac talibus periculis partem exponendi. Quare facit ei iniuriam præcisè ita contrahendo, non autem postea ingrediendo: quia Ius hoc ei ob dictas causas concedit, non autem illud.

14 *c. Commissum.*

Ad c. *Commissum.* varij variè respondent, & multi quædam dicunt, quæ difficulter possunt textui aptari. Respondeo igitur Primò, ibi solùm dici, *tali tutius esse prius contrahere*, atque ita innuitur non esse necessarium. Respondeo Secundò cum P. Suarez l. 2. de iuramento promissorio c. 13. n. 10. Pontificem ibi solùm velle tali tutius esse monere mulierem de suo proposito; tum ne ipsa putet eum sibi voluisse illudere, & fictè iurasse; tum etiam ne fortè ipsa habeat aliquas rationes, ob quas omnino iudicetur expedire, vt priùs contrahant, quo casu omnino deberet priùs contrahere, & postea ingredi Religionem: & hoc modo tota reuerentia iuramenti seruatur. Nam aut mulier renuit cum eo habente tale propositum contrahere, & sic hic omni iuramenti religione apertè liberatur: aut ob iustas causas cupit contrahere, & sic iuramentum impletur.

Suarez.

15 Post obtentam sub spe matrimonij copulæ, illicitè Religionem ingrederis.

Excipe ex dictis casum quo aliquis sub promissione matrimonij à virgine, vel honesta vidua obtinuisset copulam, aut talem familiaritatem, ex qua omnino esset nata sequi suspicio copulæ, ita vt illis grauis immineret infamia, quæ non nisi per matrimonium posset auerti. Cùm enim tunc sine graui illarum damno ac iniuria non possit ijs inuitis Religionem ingredi, illicitè ac etiam inualidè id vouet: sicut inualidè vouerem pauperibus dare pecuniam, quam tenerer dare Ioanni ratione illati damni, quod aliter reparare non possem. Vide P. Lessium de Iustitia c. 10. num. 35.

Lessius.

16 *D. Thom.*

Dices, D. Thom. 2. 2. q. vlt. a. 6. ad 3. docet eum qui multa debet, nec potest breui tempore debita soluere, posse his non obstantibus Religionem ingredi: ergo similiter id poterit, qui puellæ ob defloration em est obligatus.

Respondeo, negando conseq. Quia in priore casu, solùm est debitum pecuniarium, quod non debet alicui tollere libertatem: in secundo verò ipsa persona ac libertas immediatè debentur, quare non est mirum si hic non possit sua libertate in posterum vti, contra obligationem & ius parti acquisitum.

Conclvs. III. Certum etiam est votum simplex castitatis dirimere subsequentia sponsalia, quia obstrictis illo voto status matrimonialis est illicitus: & quibus hic est illicitus, ipse contractus communiter per se incommodus & periculosus est, ideoque etiam illicitus, vt dixi n. 11. 17

Conclvsio IV. Susceptio Ordinum minorum nullo modo dissoluit aut impedit sponsalia siue præcedentia, siue sequentia. Susceptio verò Ordinis sacri vtraque dirimit: quia reddit suscipientem incapacem matrimonij contrahendo.

Hactenus dicta satis clara, & communiter ferè inter auctores recepta sunt. Difficultas autem est Primò, Vtrùm ipse ingressus in Religionem, etiam sine vllo alio voto sponsalia dirimat? Tres autem sunt sententiæ. Prima negat vllo modo dirimi, quia per eum ideo pars renuntiat iuri per sponsalia acquisito. Ita Pa- *Palud.* lud. in 4. d. 37. q. 1. a. 3. casu 5. & insinuat Durand. ibid. *Durand.* q. 3. Nam videtur ad illum effectum requirere professionem. 18

Secunda docet, ea absolutè dirimi, ita vt vterque statim sit liber. Quia, sicut se habent sponsalia ad matrimonium: ita se habet nouitiatus ad professionem: atqui hæc dirimit matrimonium ratum: ergo ille dirimit sponsalia. Ita Candel. aureum c. 5. de sponsal. n. 40. *Candel. aureum.* Silueſter v. *Sponsalia.* q. 10. casu 2. Nauarr. c. 22. n. 62. *Silueſter. Nauar.* quamuis non ita distinctè loquantur.

Tertia sententia docet, tunc ea solùm solui ex parte manentis in sæculo. Ita cum aliis docet Henriquez *Henriquez.* l. 11. c. 14. n. 3.

Secunda difficultas est, quando is qui vouit ingredi Religionem, postea sub promissione matrimonij, à virgine, aut honesta vidua inscia illius voti, obtinuit copulam, aut eam familiaritatem, ex qua grauis illis imminet infamia, quæ aliter quàm per matrimonium impediri nequeat: an ipse possit ac teneatur Religionem ingredi? Quia in re certum est, eum teneri ingredi, quando aut illæ fuerunt voti illius conscię; quia mala fide processerunt: aut copulam nulla præcessit promissio matrimonij; quia tunc non tenetur eas ducere. Sed difficultas est, quando omnino ignaris voti ante copulam fuit promissum matrimonium. Nauar. l. 4. consil. ti. de sponsal. consil. 21. ait talem debere ingredi Religionem: cui fauet Candel. aureum 3. p. c. 14. n. 65. iuncto n. 64. in fine. Quia talis neque tenetur illam ducere ratione promissionis, cum hæc sit irrita; neque ratione damni illati per copulam; nam aliàs teneretur eam ducere, etsi non præcessisset promissio. 19

Post votum Religionis violans cõsciam sui voti aut sine promissione matrimonij tenetur votum implere. *Nauarr. Cand. aureum.*

Alij tenent talem teneri illam ducere. Primò, quia votum non obligat, quando eius materia notabiliter mutatur, vt hic fit. Secundò, quia fortiùs obligat iustitia, qua talis obligatur illi fœminæ, quàm votum. Tertiò, quia tenemur differre votum Religionis, vt possimus succurrere parentibus grauiter indigentibus: atqui obligatio iustitiæ est fortior, quàm charitatis in parentes: ergo illa similiter poterit nos obligare, vt ante Religionis ingressum matrimonium contrahamus. Sed hæ rationes mihi non videntur conuincere. Nam in Prima sumitur apertè quod probandum est, scilicet talem plus obligari illi fœminæ, quàm Deo per votum. Nisi enim hoc supponatur, nulla hìc inducitur mutatio materiæ, quæ excuset à voti impletione. Ad Secundam cum P. Suarez l. 4. de voto c. 3. nego, iustitiam fortiùs obligare, quàm votum, nam qui violat votum grauiùs peccat, quàm qui in eadem materia violat iustitiam. Ad Tertiam, nego minorem, nam qui non posset aliter soluere debita, quàm deferendo parentes in tali necessitate; teneretur potiùs his succurrere, quàm debita soluere, imò quàm cum ea, quam 20

Suarez. Religio fortiùs obligat quam iustitia; similiter pietas in parentes.

ita corrupi per, contrahere, si vtrumque nullo modo posset simul facere? Adde, per tale matrimonium per se loquendo, non solùm differri aliquamdiu implectionem voti (vt communiter fit, dum quis differt ingressum Religionis, vt parenti indigenti succurrat) sed in perpetuum suspendi, quia vinculum matrimonij ex se perpetuum est, & omnino per accidens est, quòd vxor forsè moriatur, dum vir adhuc est in ætate, vt possit Religionem ingredi.

21 Tertia difficultas est, Vtrùm votum simplex castitatis, aut suscipiendi Ordinem sacrum dirimat sponsalia præcedentia?

Prima sententia docet, vtrumque dissoluere sponsalia. Quia contrahens sponsalia censetur semper subintelligere, Nisi voluero ad meliorem statum transire. Status autem continentiæ est absolutè melior matrimoniali. Ita D. Tho. in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ad 1. Richard. d. 27. a. 3. q. 2. Soto in 4. d. 16. q. 2. a. 5. §. *Verùm*. & plurimi alij, qui suam sententiam multis alijs rationibus confirmant; & est valdè probabilis, & in praxi secura propter plurimorum auctoritatem.

D. Thom. Richard. Soto.

Secunda sententia tenet, hoc saltem verum esse in voto assumendi Ordinem sacrum. Ita Siluest. v. *Sponsalia*, q. 7.

Silvester.

Tertia negat per dicta vota dissolui sponsalia. Primò, quia in Iure tamquam aliquid speciale statuitur, vt contrahens sponsalia censeatur excipere casum quo vellet ingredi Religionem: nec aliquid simile vllibi reperitur, vnde possit colligi in sponsalibus subintelligi, Nisi voluero ducere viram cœlibem, aut suscipere sacros Ordines. Secundò, quia c. *Veniens*. 5. qui clerici, vel vouentes, mulieri, quæ vt dissolueret contracta sponsalia se voto castitatis obligarat, dicitur iniungenda pœnitentia bb mentitam fidem. Ita Candel. aureum 3. p. cap. 14. nu. 64. Vega in Summa l. 6. c. 41. puncto 4. Et cum multis alijs P. Sanchius l. 1. disp. 46. nu. 9. & P. Lessius de Iustitia c. 41. num. 54.

c. Veniens.

Candel. aureum. Vega. Sanchez. Lessius.

22 Conclvs. V. Hoc ipso quo sponsus aut sponsa ingreditur Religionem, altera pars manet libera à promissione matrimonij: secùs est de ingrediente quamdiu non vouet Religionem, ita auctores tertiæ sententiæ.

Nouitiatus sponsi non tollit, sed sponsam obligatione liberat.

Prior pars probatur. Primò, quia ingrediens Religionem ipso facto ostendit se omnino alienum à nuptiis, atque ita renuntiat sponsalibus. Secundò, quia aliàs faceret partis conditionem durissimam, quæ deberet per annum expectare ipsius nuptias, & postea, si fortè egrederetur, contrahere cum eo qui religiosum habitum exuisset, quod multi grauissimo sibi probro ducerent.

23 Secunda pars probatur, quia ingressus in Religionem, nec ex natura sua habet quòd liberet talem ab obligatione sponsalium (quia non inducit aliquem statum incompossibilem matrimonio: nec hîc potest esse alia causa illa soluendi;) neque etiam ex vllo iure positiuo (quia nullum tale reperitur;) alter autem sponsus nullo modo potest suo iure priuari sine sufficiente ratione aut textu.

Ad rationem num. 18. pro secunda sententia allatam, nego maiorem. Nam sponsalia obligant ad matrimonium; nouitiatus autem non obligat ad professionem, quare illa se habent sicut votum Religionis. Consequentia etiam nulla est, quia priuilegia quæ alterius ius minuunt, tamquam odiosa restringenda sunt, nec ad similes casus extendenda, præsertim cùm talis extensio non sit fauorabilis Religioni, sed solùm ad hoc valeat, vt inducat eos quos pœnitet contraxisse sponsalia, vt religiosum habitum ad tempus assumant, vt ijs liberentur. Nam qui bona fide volunt ingredi Religionem, ideò id numquam omittent, quia manent sponsis vsque ad professionem obligati, sed potiùs ea ratione ad profitendum prouocarentur. Hoc tamen fatendum est, si altera pars etiam habitum religiosum assumat, aut alia sponsalia ineat, censeri prioribus renuntiare: atque ita vtrimque absolutè dissoluuntur.

Conclvs. VI. Probabilius est eum qui post votum Religionis sub spe matrimonij à virgine, aut honesta vidua, illius voti ignara copulam, aut eam familiaritatem obtinuit, ex qua grauis imminet infamia, quæ aliter auerti nequit, teneri eam ducere. Ita P. Sanchius disput. 45. num. 3. & P. Lessius de Iustitia cap. 10. dub. 4. Probatur, quia æquitas naturalis non patitur, vt cum tanto damno alteri iniuriosè illato in alium sim liberalis. Sicut autem emissio voti, ita eiusdem complerio est actus liberalitatis. Confirm. Primò, quia si decem aureos Petro liberaliter etiam iuratus promisissem, & postea tanto pretiò emissem aliquid à Paulo, & hoc consumpsissem, nec possem ei satisfacere, nisi fraudando Petrum pecunia promissa, certum est, quòd tenerer huic soluere: nec vlla æquitas pateretur, vt pecuniam huic tantopere obligatam, Petro gratis donarem. Confirm. Secundò, quia, etsi eadem res vni priùs vendita, & alteri postea vendita & simul tradita fiat absolutè secundi: vt patet ex l. *Quoties*. 15. C. de rei vendicatione, si tamen secundo data sit gratuitò, prior (si alter ius suum recuperare non possit) in eam habet actionem: vt colligitur ex l. *Ignoti*. 5. C. de renocandis his, quæ in fraudem creditorum, &c. quod naturali æquitati est maximè conforme, ne cum vnius damno in alium simus liberales.

24 Obtinens copulam abhonesta sub spe matrimonij post votum Religionis, tenetur hanc ignaram voti ducere.

Sanchez. Lessius.

l. Quoties.

l. Ignoti.

Conclvs. VII. Hoc ipso quo aliquis sponsus vouet castitatem, aut susceptionem Ordinis sacri, renuntiat sponsalibus. Quia ex parte sua obligat se ad id quod cum statu matrimonij non consistit: atque ita eius pars siue sponsa manet libera ab omni obligatione. Et in hoc omnes consentiunt. Probabilius tamen est, ipsum, nisi Religionem vouerat, manere obligatum, vt cum altera contrahat, si ipsa hoc exigat, quia hæc per sponsalia ad illud strictum ius acquisiuit, cui non renuntiauit, nec sine legitima causa priuari debet. Nulla autem hîc est legitima causa eam priuandi, vt patet ex dictis nu. 21. pro tertia sententia.

25 Vouens castitatem renuntiat sponsalibus.

Manet tamen sponsæ obligatus.

Ad argumentum autem propositum num. 21. pro prima sententia, nego maiorem vniuersaliter sumptam. Nam talis conditio in contractu sponsalium, neque subintelligitur ex natura sua, vt per se patet (sicut quando Petro promitto centum, non subintelligitur, Nisi voluero eos dare pauperibus) neque etiam ex communi contrahentium sensu, quia contrahentes sponsalia communiter nihil minùs cogitant, quàm velle sibi reseruare ius seruandi castitatem: neque etiam ex constitutione alicuius Iuris, quia nullum tale reperitur, sed potiùs contrarium, vt ostendi num. 21. in 2. sententia. Ius autem, quod concedit sponsis facultatem transeundi ad Religionem, non debet ad alios casus extendi: tum quia non reperitur in ijs similis ratio: tum etiam quia, cùm minuat aliquo modo ius partis, videtur debere strictè intelligi.

Dices, S. Alexius, ex cuius imitatione Ius concedit sponsis transitum ad Religionem, non fuit factus Religiosus, sed solùm complexus est statum continentiæ: ergo hîc sufficit ad dissoluenda sponsalia. Respondeo; Si hoc quidquam probaret, probaret susceptionem status continentiæ in sæculo sufficere ad dissoluendum matrimonium ratum, quod tamen falsum est, & apertè repugnat Extrauag. *Antiquæ*. Ioannis XXII. de voto. Quare dicendum est,

26

Extrauag. Antiquæ.

id

Factum S. Alexij solo Spiritus S. instinctu fieri potuit.

id quod Alexius & similes fecerunt; ex particulari Spiritus sancti instinctu feciſſe.

Ex his patet (quod etiam omnes fatentur) ad diſſoluenda ſponſalia, nullo modo ſufficere ſolum propoſitum continentiæ ſine vllo voto: quia non inducit ſtatum.

27 Poſt ſponſalia vouēs caſtitatem non tenetur Religionem ingredi. *Syluester. Palud.*

Occaſione huius ſententiæ, quidam hîc diſputant; Ad quid teneatur, qui poſt contracta ſponſalia vouit caſtitatem, ſi ſponſa nolit ei remittere ſponſalia? Multi enim putant eum teneri ingredi Religionem, quia aliter votum ſuum ſeruare nequit. Ita Silueſt. v. *Sponſalia*. q. 7. citans Palud. & alij. Sed verius eſt eum ad hoc non teneri, quia hoc non vouit. Quare ſi pars nullo modo velit remittere obligationem, poteſt matrimonium contrahere, & reddendo debitum conſummare.

Extr. Antiq. Patet ex Extrauag. *Antiquæ.* citata, vbi apertè id inſinuatur. Nam ibi definitur; eum qui matrimonium contraxerat, & ante conſummationem ſacros Ordines ſuſceperat, ſi nolit Religionem ingredi, cogendum vt matrimonium conſummet. Quod fuiſſet falſum, ſi, vt poſſet votum continentiæ (quod in ſua ordinatione emiſerat) ſeruare, fuiſſet obligatus Religionem ingredi. Talis tamen numquam poteſt petere debitum, quia voto manet obligatus, vt ſeruet continentiam, quantum poteſt. Patet ex *c. Placet.* 12. de conuerſ. coniugat. Omnino tamen expedit cum tali diſpenſare, vt poſſit petere debitum, ob grauiſſimum periculum, quod aliàs ei imminet. Patet ex *c. Veniens.* 5. qui clerici vel vouentes. Quòd ſi contingat vxorem mori, aut ob fornicationem vel ſimilem cauſam dare iuſtam cauſam diuortij, tenetur omnimodam continentiam ſeruare. Vide P. Leſſium de Iuſtitia cap. 41. num. 52. & Sanchez diſput. 46. num. 12. & 14.

Non poteſt tamen petere debitū. *c. Placet.*

c. Veniens.

Leſſius. Sanchez.

DVBIVM IV.

Qua ratione matrimonium, vel ſponſalia ſubſequentia dirimant priora cum alia contracta?

28 HAc in re quædam certa ſunt, quæ priùs ponemus, vt deinde dubia faciliùs enodemus.

CONCLVSIO I. Matrimonium ſubſequens dirimit ſponſalia præcedentis, ita vt & altera pars perpetuò liberetur omni obligatione (quia ita contrahens abſolutè ſponſalibus prioribus renuntiat, & dat alteri iuſtiſſimam cauſam reſiliendi) & contrahens etiam, quamdiu hoc matrimonium durat, non tenetur cum altera contrahere, quia hoc ei impoſſibile eſt. Patet ex cap. 1. de ſponſa duorum.

c. 1. de ſponſ.

29 Contrahēs ſponſalia cū ſecundā, priori non autem huic manet obligatus.

CONCLVSIO II. Sponſus contrahens ſecunda ſponſalia dat ſufficientem cauſam priori ſponſæ, vt licitè à ſponſalibus reſiliat: tum quia ipſe prior fidem fregit: tum quia prioribus ſponſalibus ſuo facto renuntiauit; ipſe tamen tenetur priorem, ſi voluerit, ducere, etiamſi ſecunda ſponſalia iuramento firmarit, quia res vni obligata inualidè alteri promittitur: & cùm matrimonium cum ſecunda ſit ei illicitum, eius promiſſio illo iuramento firmari poteſt. Quare cùm hæc ſecunda promiſſio ſit omnino inualida, vtpote rei illicitæ, etiamſi contingat hanc fieri licitam, vt ſi prior ſponſa prioribus ſponſalibus abſolutè renuntiet; ſecunda tamen ſponſalia manent ſemper inualida, nec ea contrahens tenetur ſecundam ducere: vt oſtendi d. 22. n. 43. niſi fortè hanc ſecundam omnino ignaram priorum ſponſalium ſpe matrimonij defloraſſet, aut à vidua honeſta cum periculo infamiæ copulam impetraſſet. Tunc enim ratione damni, quod aliter non poteſt reſarcire, hanc tenetur ducere.

niſi ſecundam defloraſſet.

His poſitis, difficultas eſt Primò, Vtrum ſponſus, qui cum ſecunda contraxit matrimonium, vxore mortua, teneatur priorem id exigentem ducere? 30

Palud. in 4. d. 28. q. 1. a. 1. concl. 4. Supplementum Gabrielis in 4. d. 28. q. 2. a. 2. concl. 2. & alij negant. Primò, quia c. 1. de ſponſa duorum, dicitur per tale matrimonium priora ſponſalia omnino extingui. Secundò, quia quando ſecundum vinculum eſt fortius, & eiuſdem rationis cum priore cui ſuperuenit, extinguit omnino prius ſi ei repugnet: vnde qui vouit ingredi Religionem ſtrictam, & poſtea profitetur in laxiore, omnino liberatur priore voto. *c. Qui poſt.* 5. de regularibus, in 6. Contrà verò alij aſſeruūt eum teneri ducere priorem.

Palud. Suppl. Gabrielis. c. 1. de ſponſ.

c. Qui poſt.

Secunda difficultas eſt, quando aliquis poſt prima ſponſalia, alia contrahit cum ſecunda priorum omnino ignara (nam ſi fuerit illorum conſcia, certum eſt nullum ius acquirere,) & ſub ſpe matrimonij ab ea obtinet copulam, cum periculo grauis infamiæ, niſi eam ducat: vtrùm hanc, an verò priorem teneatur ducere, poſito quòd vtraque ei cupiat nubere? Sorus in 4. d. 27. q. 2. a. 4. dub. 3. & quidam alij tenent debere ducere priorem, quia ſecunda ſponſalia non poſſunt prioribus derogare. Addunt tamen talem teneri ducere ſecundam ſi priori id permittat. Quia etſi hæc nullum habeat ius ratione ſponſalium, quæ fuerunt omnino irrita; habet tamen ius ratione damni illati, quod tenetur alter reparare. Et hoc omnino certum eſt. 31

Sotus.

CONCLVS. III. Probabilius eſt ſponſum, qui cum alia contraxit matrimonium, hac mortua teneri priorem volentem ducere. Ita Vega l. 6. Summæ caſu 125. Adrianus in 4. q. 2. de matrimonio ad 2. in fine, & alij. Probatur Primò, quia omnino iniquum eſt, vt aliquis per iniuriam alteri ius ſuum tollat, ſeque ab eius obligatione eximat, quando poteſt ei ſatisfacere: atqui ſi talis non teneretur priorem ducere, per iniuriam ei ius ſuum ita tolleret: ergo hoc non eſt dicendum. Secundò, quia obligatio validè contracta per impedimentum ſuperueniens non tollitur, ſed tantùm ſopitur: vt patet in eo qui poſt votū Religionis contraxit matrimonium & conſummauit, qui mortua vxore tenetur Religionē ingredi: atqui illud matrimoniū perfidè contractum, non aliter liberat contrahentem ab impletione priorum ſpōſalium, quàm reddendo hanc impoſſibilem: ergo mox vt erit ei poſſibilis, tenebitur ea implere. 32

Sponſus eſt alia cōtrahens nō liberatur omnino priore obligatione. *Vega. Adrian.*

Reſpondent aliqui, illa tantùm eſſe vera, quando ſecundum vinculum eſt diuerſæ rationis à primo: ſecùs verò eſſe, quando eſt eiuſdem rationis, vt quando vtraque obligatio eſt iuſtitiæ aut religionis. Sed nulla omnino apparet ratio, qua hæc diſtinctio nitatur. Et ex ea ſequeretur, ſi Ioannes vendidiſſet mihi equum, & poſtea eundem venderet & ſimul traderet Paulo, & Paulus eundem ſtatim ei redderet, quòd ipſe non teneretur priorem venditionem implere mihi equum tradendo, quod credo nulla vmquam tribunalia admiſſura: eſſet enim contra omnem æquitatem.

Ad Primam rationem allatam in contrarium n. 30. nego aſſumptum. Nihil enim ſimile illo capite dicitur; ſed ſolùm talem debere manere cum ſecunda, & apertè ſatis innuitur, ideò præciſè eum non debere contrahere cum prima, quia iam hoc ei eſt impoſſibile. 33

Ad Secundam, nego etiam aſſumptum. Gratis enim id dicitur, vt oſtendi. Quod autem pro probatione adfertur, de eo qui poſt votum ſtrictioris Religionis in laxiore profitetur, qui in ea poteſt manere, nihil facit ad rem. Primò, quia hoc non prouenit ex lege naturæ, ſed ex particulari Iuris conſtitutione, quæ non

debet trahi ad simile, præsertim quando agitur de præiudicio alieni iuris. Secundò, quia est valdè diuersa ratio in illo casu, & in nostro. Nam ibi res per professionem traditur Deo, cui fuerat promissa, licèt modo imperfectiore. Contrà omnino fit in nostro casu, in quo prior sponsa suo iure planè priuatur. Item votum est promissio omnino liberalis, quam conuenit cum minore rigore exigi. Tertiò, quia ad pacem tum monasteriorum, tum etiam professientium spectat, vt professio ita facta habeatur rata, vt inter monasteria pax seruetur, ideóque hoc particulari lege statutum est. Secùs autem omnia se habent in nostro casu. Adde demum, si quid hoc Ius probaret, solùm probaret ita contrahentem non teneri ducere priorem sponsam, quamdiu matrimonium cum secunda durat: sicut alter tantùm liberatur ab implendo priore voto, quia alia professio perpetuò durat. Illud autem nos libenter concedimus.

34 Duarum sponsiis ducet secundam si ab hac copulam obtinuit spe matrimonij. *Maior.*

Conclvs. IV. Etsi sententia allata n. 31. sit satis probabilis, probabilius tamen credo, talem teneri ducere secundam cum qua habuit copulam. Ita Maior in 4. d. 27. q. 5. Probatur Primò, quia, sicut se habent sponsalia ad matrimonium, ita se habet votum Religionis ad professionem: atqui qui potit tale votum ab aliqua honesta sub spe matrimonij obtinuit copulam, tenetur eam ducere, vt ostendi n. 20. & 24. ergo idem dicendum est in nostro casu. Respondent aliqui, esse diuersam rationem, quia vinculum iustitiæ quo sponsalia obligant, est fortius vinculo voti. Sed hoc non esse verum ostendi suprà n. 20.

Probatur Secundò, quia æquitas naturalis non patitur, vt cum tanto alieno damno impleam contractum, ex cuius dissolutione pars nullum aliud damnũ patitur, quàm quòd non acquirat rem in contractu promissam. Et confirm. quia Sanchez l. 1. d. 49. n. 6. & Henriquez lib. 11. c. 13. docent in hoc casu iudicem interpellatum ob dictam causam, debere decernere vt secunda ducatur, quod sine dubio fieri non posset, si sponsus teneretur priorem ducere: quia iudex non potest hanc suo iure priuare. Tertiò, quia, etsi secunda sponsa per ipsa sponsalia præcisè nullum ius ad matrimonium acquisierit; id tamen acquisiuit ratione damni iniuriosè illati, quod aliter restaurari non potest (vt alij etiam fatentur:) atqui hoc ius est fortius illo, quod prior sponsa per sola sponsalia acquisiuit: ergo prioris ius potiùs impeditur per ius secundæ quàm contrà, quia ius fortius superueniens impedit minùs forte præcedens: vt cum communi sententia docet Siluest. v. *Sponsalia.* n. 7. Et per se satis patet, id quod fortius est, vincere id quod est minùs forte.

Sanchez. Henriquez.

Siluester.

Quidam tamen aliquas instantias obijciunt. Primò, si sponsus vnius cum secunda contrahat sponsalia iuramento firmata. Secundò, si quis cum vna contrahat, & ante consummationem contrahat cum secunda & consummet: in vtroque casu prius vinculũ vincet secundum, cùm tamen hoc sit fortius. Respondeo, illa nihil facere ad rem: quia dictum axioma non loquitur de vinculo apparente, sed de vero. In vtroque autem casu secundum vinculum solùm est apparens. Cùm enim dicti contractus cadant in materiam incapacem, absolutè nulli sunt. Vnde etsi priores contractus morte sponsæ desinerent omnino obligare, secundi tamen ea viuente initi, etiam post eius mortem nullo modo obligarent. Secùs est in nostro casu, in quo, vt omnes fatentur, talis verè obligatur ducere ita deceptam, si qua ratione id licitè facere possit, & consequenter oritur verum vinculum: quod alij dicunt per prius vinculum impediri: nos verò contrà asserimus prius per hoc impediri.

Confirm. Primò, quia si Ioanni vendidissem vnum equum, & nondum accepto pretio eumdem vendere Petro, & acceptum ab hoc pretium ante traditionem consumerem, nec aliud haberem, aut habere possem quod ei possem restituere; quis non dicat me potiùs debere eum tradere Petro quàm Ioanni? aut quæ æquitas pateretur contrarium fieri? Simile autem est in nostro casu. Confirm. Secundò, quia, vt patet ex l. *Quoties.* 15. C. de rei vendicat. res vni vendita, & deinde alteri vendita & tradita, huic debetur: atqui in secundis sponsalibus secuta est saltem ex parte traditio, nam etsi sponsi non tradiderint sibi mutuò dominium corporum, tradiderunt tamen vsum: ergo hæc etsi per se præcisè sint inualida; ratione tamen huius traditionis debent præualere.

l. Quoties.

Disputant hîc præterea DD. Vtrùm in loco vbi Concilium Trident. non est receptum, secunda sponsalia ratione copulæ transeant in matrimonium præsumptum iuxta c. *Is qui.* 30. de sponsalibus. Quia in re certum est esse matrimonium, quando sponsi verè intendunt hoc modo contrahere. Sed difficultas est, quando hoc non intendunt. Nauarr. c. 22. n. 26. casu 3. P. Henriq. l. 11. c. 13. n. 3. P. Sanchius l. 1. d. 49. n. 1. affirmant transire. Quia Ecclesia magis præsumit eos voluisse cum iniuria alterius sponsæ, quam ipsi videntur parum curare, coniugali affectu se cognoscere, quàm fornicari, quod est valdè probabile, quia Ecclesia hac in re non tam videtur considerare an præcedentia sponsalia fuerint valida, quàm an sponsi omnino decreuerint inter se contrahere, idque sibi promiserint: quia tunc omnino eos præsumit animo coniugali eam copulam habere.

35 Secunda sponsalia olim per copulam transibant in matrimonium. *c. Is qui. Nauarr. Henriquez, Sanchez.*

DVBIVM V.

Vtrùm sponsalia dirimantur per subsequens impedimentum?

Nota, nos hîc non agere de impedimento, quod oritur ex sponsalibus, aut matrimonio cum alia contracto; quia de hoc iam satis egimus: sed agimus de aliis.

Conclvs. I. Si impedimentum sit tantùm impediens, nisi sit votum Religionis, vel fortè castitatis, de quo egi dub. 3. non dirimit sponsalia, tum quia eiusmodi impedimenta non impediunt matrimonia nisi re integra: tum etiam quia non videntur iam amplius obligare. Ita Sanchius l. 1. d. 56. n. 3. vnde iam ne quidem dissoluunt sponsalia subsequentia.

36 Impedimenta (ſũ sum impedientia, non dirimunt communiter sponsalia. *Sanchez.*

Conclvs. II. Impedimentum dirimens omnino irritat sponsalia subsequentia iuxta dicta d. 22. dub. 6. conc. 8. præcedentia verò omnino soluit ex parte eius sine cuius culpa interuenit. quia reddit matrimonium omnino impossibile sine dispensatione, quam ipse nõ tenetur admittere, etiamsi offeratur. Secùs est de eo cuius culpa impedimentum est ortum: quia ex suo scelere non debet commodum reportare, quare si auferatur impedimentum, tenetur cum parte id petente contrahere iuxta dicta nu. 32. Vtrùm autem teneatur procurare dispensationem parte id exigente, non ita constat. probabilius est teneri, si sine notabili incommodo eam obtinere possit: aliàs non, quia non videtur se obligasse ad procurandum matrimonium per media multùm extraordinaria & difficilia: vt in simili dixi n. 27. de eo qui post votum castitatis contrahit sponsalia, quem ostendi non teneri ingredi Religionem, vt possit votum seruare, quia hoc est medium nimis difficile, ad quod non censetur se voluisse obligare. Quare idem dicendum in nostro casu de eo qui cum sua sponsa contraxit impedimentum dirimens etiam sua culpa. Nec enim hic magis obligatur eam ducere, quam prior obligatur seruare castitatem: nisi fortè ab illa spe matrimonij obtinuisset copulam, & timeretur grauis infamia, nisi nuptiæ sequerentur. Ita Sanchius suprà num. 4.

37 Cuius culpa impedimentum accidit tenetur procurare dispensationem si cõmodè possit.

Sanchez.

DVBIVM

DVBIVM VI.

Vtrùm, quando vnus ex sponsis est in mora in complendis sponsalibus, alter possit licitè ab iis resilire?

38 HAc in re certum est cum qui est in mora, siue per quem stat ne sponsalia suo tempore compleantur, non liberari sua obligatione: quia aliàs sua culpa acquireret commodum. Sed difficultas est, an pars liberetur?

Nota Primò, hanc moram dupliciter posse contingere. Primò, ratione absentiæ vnius, qui ad remotum locum se contulit. Secundò, ob alias causas inter præsentes. Item potest hæc mora contingere sine vllius culpa (vt si vnus ex necessitate, aut rationabili causa diutiùs contractum differat) aut etiam ex culpa vnius vel vtriusque.

39 Nota Secundò, sponsalia dupliciter posse contrahi. Primò, non adiecto certo die quo implenda sint. Secundò, adiecto certo die, quod rursum dupliciter fieri potest. Primò, ea intentione, vt nisi matrimonium dicto die contrahatur, is per quem non stetit, maneat liber ab omni obligatione. Secundò, non vt tunc finiatur obligatio, sed vt is per quem stat quo minùs tunc matrimonium contrahatur, censeatur esse in mora, & possit cogi ad contrahendum.

40 Nota Tertiò, sæpè fieri vt sponsalia contrahantur certo die implenda, & tamen non exprimatur vtro ex dictis modis dies sit adiecta: & tunc difficultas est quomodo id possit colligi?

Couarr. Qua de re Couarr. 4 decretal. p. 1. c. 5. initio nu. 8.
Abbas. Abbas in c. *Sicut.* de sponsal. n. 11. tradentes regulas, ex quibus id possit cognosci. docent Primò, quando vna pars solùm obligatur ad contractum aliquem intra certum tempus ineundum, tunc diem censeri adiectum secundo modo. v. c. Petrus obligarit se vt mihi domum vendat intra mensem; si non perficiatur illo mense contractus, etsi per Petrum non stet, non liberatur obligatione mihi eam vendendi, & sic intelligunt l. *Celsus.* 23. §. *Idem ait.* ff. de receptis arbitris. Vbi dicitur eum, qui iussus est dare pecuniam intra calendas, non liberari obligatione, etsi per creditorem steterit, quo minùs intra calendas dare potuerit. Sed hoc nec generatim est verum, nec illa lege probatur, quia ipsa non agit de obligatione celebrandi aliquem contractum, sed dandi aliquam pecuniam. Qua in re certum est debitorem non solui obligatione, etsi per creditorem impeditum steterit, quo minùs statuto die solverit. Et in hoc solo casu dicta regula vera est: non autem in contractibus celebrandis. Nam dilatio solutionis vix vnquam incommoda est debitori: dilatio autem celebrandi contractus communiter alterutri incommoda est, v. c. promisi tibi vendere equum intra mensem; per te stat quo minùs fiat; iniquè à me exigis, vt, dum tibi placuerit eum emere, ipsum venalem seruem, & mihi inutilem diu alam, cum periculo perdendi occasionem eum vendendi. Ex quo patet d. l.
l. Celsus. *Celsus.* planè esse impertinentem, vt ex ea possimus quidquam circa præsentem quæstionem in materia contractuum probare.

41 Docent Secundò, quando vtrimque contrahitur obligatio certo tempore incundi contractum, si eodem tempore & mutuo consensu contractum ineundum promittant, & diem adijciant, v. c. dicendo; *Promitto quòd intra mensem tecum contrahum*; diem adijci priore modo ex dictis n. 39. quando verò prius promittitur contractus, & deinde dies adijcitur, tunc secundo modo adijci. Ratio est, quia in priore casu per modum vnius promittitur contractus ineundus certo die: atque ita vnica consurgit obligatio, quæ simul desinit in eo per quem non stetit quo minùs statu die contrahatur. In secundo verò sicut est duplex promissio, ita etiam est duplex obligatio, vna contrahendi, altera tali die contrahendi: quarum vna potest sine altera desinere.

Quæ doctrina optima est, quando aliunde non 42
potest certiùs constare de intentione contrahentium. Qua ratione dies adijciatur contractui præcipuè colligitur ex fine contrahentiũ.
Hanc tamen, quando non est clarè expressa in contractu, maximè puto coniiciendam ex causa ob quam illi diem contractui implendo adiiciunt: quæ ferè duplex esse solet. Primò enim adiicitur, quia vel vtraque, vel saltem illa pars, quæ cupit diem adiici, apprehendit sibi omnino expedire, breui siue cum hac persona, siue cum alia contrahere: aut quia difficile est ei diutiùs à nuptiis abstinere: aut quia iam multa cõmoda offeruntur matrimonia, quæ postea frustra desiderabuntur. Et tunc censetur dies adiectus, vt finiatur obligatio ex parte illius, per quem non steterit, quo minùs tunc contractus fuerit impletus: siue dies ab initio, siue postea adiiciatur. Quia aliàs frustra dies adiiceretur, cùm ea ratione non possent vitari dicta incommoda: quod tamen vnicè per illius adiectionem intenditur. Et sicut contrahentes ab initio possunt ex mutuo consensu apponere contractui certam conditionem, ita etiam postea.

Secundò, adiicitur, non quia partibus per se incommodum est diutiùs nuptiis abstinere, sed quia has nuptias apprehendunt sibi commodas, ideoque cupiunt eas citò perfici, ne quacumque ratione postea impediantur, & tunc adiiciunt diem siue ab initio, siue postea; non vt eo decurso liberentur obligatione (quia cupiunt hanc omnino vtrimque perseuerare donec promissa impleantur) sed vt pars possit cogi, vt citò contractum impleat.

CONCLVS. I. Quando sponsalia absolutè con- 43
tracta sunt, etsi pars sit in mora, altera non solvitur Mora notabilis ex vna parte solvit sponsalia.
obligatione, nisi mora sit tanta, vt illa prudenti iudicio censeatur renuntiasse sponsalibus: aut mortaliter contra datam fidem peccasse. Tunc enim frangenti fidem, alter non tenetur eam seruare: vt dixi dub. 1. concl. 4. Ad hoc tamen communiter necessarium est, vt is qui est in mora moneatur, idque sub interminatione resiliendi, nisi intra certum tempus stet promissis. quia aliter non satis patet eum culpabiliter esse in mora, quia potest habere iustum impedimentum: aut fortè cogitare partem in moram consentire, cui non contradicit. Imò quando res non est omnino clara, Qui est in mora priùs monendus.
opus est auctoritate iudicis; præsertim quando sponsalia publicè contracta sunt, aut iuramento firmata. Tunc enim non decet ea sine publica auctoritate parte inuita dissolui. Quandoq; auctoritate iudicis opus est.

CONCLVS. II. Per moram partis inculpabilem non 44
soluũtur eiusmodi sponsalia, quia rationes dictæ cessant: vt cum aliis docet Sanchez l. 1. d. 53. nu. 7. Nisi Nõ solumtur per moram inculpabilem, nisi sit valdè magna, *Sanchez, Lessius.*
forte esset tanta, vt alter nullo modo posset censeri se voluisse ad eam obligare. Nam, vt cum communi sententia benè docet P. Lessius de iustitia c. 8. n. 71. nulla promissio obligat in iis casibus, in quibus promissor non potest censeri se voluisse obligare. Qua in re cõmuniter imploranda erit auctoritas iudicis, qui spectatis omnibus circumstantiis & difficultatibus, quas pars in expectãdo patitur, debebit præscribere tẽpus, quo hæc liberetur obligatione, nisi illa promissionem impleat. Nec enim sponsalia, quæ nuptiarum causa ineuntur, debent aliquẽ obligare, vt magnã vitæ partem nuptiis sine sua culpa cogatur abstinere. Nec etiam facilè priuato alicuius iudicio relinquendum est, quando talis obligatio desinat, ne seipsum nimiùm amando, alteri iniquus sit iudex, quod maximè verum est, quando sponsalia publica auctoritate sunt contracta, aut iuramento confirmata. Tunc enim decet ea nonnisi publica auctoritate parte inuita dissolui.

45 Conclvs. III. Quando sponsalibus certus dies secundo modo ex dictis nu. 39. præscribitur, etsi vna pars sit in mora, non statim liberat alteram obligatione: quia terminus non fuit in hunc finem præfixus, ita cum alijs Siluest. v. *obligatio.* q. 11. Nisi mora sit tanta, vt illa censeatur renuntiasse sponsalibus, aut clarè mortaliter contra datam fidem peccarit. Tunc enim alteram partem posse resilire à contractu, expresse in simili casu habetur, l. *Si conuenerit.* 14. π. pro socio. vbi dicitur, *Nec tenebitur pro socio qui ideo renuntiauit, quia conditio quædam qua societas erat coita, ei non præstatur.* Et hæc etiam confirmant primam cõclusionem. Quia etiam in eo casu sponsalia contrahuntur tacitè sub hac conditione, Si pars debito tempore parata sit ea implere. In statu tamen huius conclusionis, cùm strictior sit obligatio stato tempore implendi sponsalia, supradicta longè facilius ex mora sequuntur, quàm in prima conclusione, nisi mora sit inculpabilis. Tunc enim hîc eadem est ratio, quæ in casu secundæ conclusionis.

Silueſter.

l. Si conuenerit.

46 Conclvs. IV. Quando terminus primo modo ex dictis nu. 30. præfigitur, eo elapso, is per quem non stetit quo minùs iniretur matrimonium, obligatione liberatur, ita cum alijs Siluest. & Sanchez d. 53. n. 5. Quia in eo casu *in hunc finem est terminus* adiectus, & contractus cum tali conditione est initus. Omnis autem consensus conditionalis deficiente cõditione est nullus, ac omnino desinit obligare. Is tamen per quem sterit quo minùs sunt impleta, non liberabitur obligatione, etiamsi mora illi fuerit inculpabilis, quia eius defectus non debet alterum suo iure spoliare, nisi fortè hoc expressè fuisset contractui appositum. Conclusio patet ex *l. Si conuenerit.* citata, & c. *Sicut.* 22. de sponsalib. Vbi sponsus post iurata vni sponsalia ducens aliam liberatur à culpa, si suo iuramento certum terminum, intra quem primam sponsam duceret, præfixerit: nec per eum stetterit, quin ad statum terminum matrimonium cum ea contraxerit. Vnde colligitur culpabilem futurum fuisse, si per eum stetisset.

Sanchez,

l. Si conuen. c. Sicut.

47 Hanc conclusionem Paludan. in 4. d. 27. q. 1. art. 3. casu 4. limitat, nisi mora in parte sit inculpabilis. Primò, quia tunc non potest dici per eam stare, quo minùs contractus impleatur: atque ita conditio debet reputari impleta, vt patet ex regula Iuris 41. in 6. Secundò, quia legitimè impedito tempus non currit, vt dicitur c. *Quia diuersitatem.* 5. de concess. præbend.

Palud.

Regula Iuris. c. Quia.

Sed cum Nauar. c. 22. nu. 27. casu 11. probabilius credo etiam hoc casu alterum liberari. Primò, quia c. *Sicut.* citatum, id absolutè dicit, tantúmque petit, vt per eum qui liberatur obligatione non steterit, quo minùs implerit sponsalia. Cui etiam omnino consentit lex, *Si conuenerit.* citata. Et etiam in hoc valet ratio pro conclusione allata, præsertim spectato fine ob quem dies tali modo solet contractui adijci, iuxta dicta numer. 42. Adde, verè posse dici per me stare, quo minùs sponsalia impleantur, etsi sine mea culpa id fiat, vt patet si ingrediar Religionem. Confirmatur, quia, si requireretur vt pars esset culpabiliter in mora, hic casus non differret à casu tertiæ conclusionis. Quia etiam in eo innocens liberatur obligatione si pars culpabiliter sit in mora: nisi fortè dicamus ibi requiri longam moram, quæ sit iniuria moralis, hîc verò sufficere brevem, quæ sit tantùm venialis. Sed hoc gratis dicitur; nec enim, si talis vi contractus præcisè lapso termino non cadat suo iure, non debet eo priuari ob culpam venialem, vt ostendi d. 22. dub. 1. concl. 3. Fateor tamen hoc casu æquitatem & humanitatem requirere, vt pars mitiùs agat: quia durum est summo hîc rigore agere.

Nauarr.

Mora partis inculpabilis dat sæpè iusto resiliendi.

l. Si conuen.

48 Ad Primum argumentum contrarium negandum est assumptum, vt patet ex dictis, quod maximè verum est in contractibus, in quibus, vt ostendi nu. 42. eiusmodi conditiones adiiciuntur ad euitanda aliqua incommoda, quæ æqualiter incurruntur, siue culpa partis, siue sine ea conditio defecerit. Secùs fortè est in testamentis & legatis, in quibus Ius benignè interpretans voluntatem defuncti, censet hunc nolle priuare hereditate aut legato eum, sine cuius culpa conditio requisita non ponitur. Et de eo videtur loqui regula 41. Iuris, in 6. Sed hæc non debet trahi ad pacta, quæ inter viuos irreuocabiliter fiunt: vt bene notat P. Sanchius l. 1. d. 33. n. 21.

Regula Iuris.

Sanchez.

Ad Secundum Respondeo, hoc c. nihil facere ad rem præsentem: quia agit de vno qui sua culpa fuit impeditus, & statuit peculiare ius circa collationem præbendarum, quod aliò trahi non debet.

49 *Hinc* patet, quòd si in hoc casu sine iusto impedimento vterque sit in mora, quo minùs stato tempore compleantur sponsalia, vtrumque liberari obligatione, quia videntur sponsalibus renuntiasse, nisi de contrario ex circumstantiis constaret. Tunc enim vterque videtur parti remisisse terminum, non autem obligationem. Ita Sanchez suprà nu. 6. Quòd si vterque haberet iustum impedimentum, saltem æquitas requireret, vt neuter sine alterius consensu resiliret.

Sanchez.

50 Conclvs. V. Quando vna pars se transfert in remotas regiones, liberũ est alteri parti inire aliud matrimonium. Habetur expressè c. *De illis.* 5. de sponsalibus. Ratio est Primò, quia talis censetur renuntiare sponsalibus. Secundò, quia, cùm sit probabile eum diu abfuturum, nõ potest partem obligare, vt tam diu nuptiis abstineat. Hoc enim videtur nimis graue: nec contrahentes sponsalia censentur se ad hoc voluisse obligare, nisi id expresserint.

c. De illis.

51 Meritò tamen Sanchez d. 54. nu. 10. & 12. requirit hîc Primò, vt profectio fiat in terras remotas. Secundò, vt non sit spes celeris reditus, quia aliàs nec proficiscens propriè posset dici se transtulisse in alias partes, vt requirit cap. *De illis.* Nam ille propriè dicitur se in alias terras transferre, qui se eò confert animo diutiùs ibi commorandi. Nec etiam videretur renuntiare sponsalibus, vt per se patet: nec pars haberet causas recedendi. Quòd si moraretur in terris propinquis, monendus primùm esse vt staret promissis, & tunc seruanda essent dicta concl. 1. & 2. Quòd si sponsus ex consensu sponsæ absit, seruandum statutum tẽpus iuxta dicta concl. 3. & 4. Nota, hanc conclusionem habere locum, etsi sponsalia sint iurata, & quamuis pars dederit culpabiliter causam discessus alterius, vt habet expressè cap. *De illis.* citatum, & probant rationes allatæ.

Sanchez.

c. De illis.

Quis dicatur se in alias partes transferre.

c. De illis.

52 Conclvs. VI. Etsi vir contractis sponsalibus possit ad remotas partes domicilium transferre, quia posset id etiam facere contracto matrimonio; tamen sponsa de futuro non tenetur eum sequi. Idemque est si intelligat eum velle esse vagabundum, quia hæc est grauis rerum mutatio, ad quam sponsa se non censetur obligasse. Quare hoc ipso quo ille se transfert ad illas partes, & hæc renuit sequi, videntur renuntiare sponsalibus.

Sponsus potest se aliò transferre, non tamen sponsa.

53 Secùs tamen esset si sponsus obligasset ad figendum certo loco domicilium, tunc enim sine consensu sponsæ non posset se aliò transferre, aut si sponsa se saltem tacitè obligasset ad sequendum sponsum: vt si dum contraheret sciuerit illum omnino statuisse ad illas partes se transferre: aut esse, & velle permanere vagabundũ. Tũc enim teneretur eũ sequi, quia validè vterque ad huiusmodi cõditiones se potuit obligare. Quare ad eas tenebitur, nisi cõtrà faciendi causa iusta de nouo accesserit. Vide P. Sanchiũ d. 40. & 54. n. 14.

Sanchez.

Nota tamen aliam videri rationem sponsæ. Nam cùm mulier debeat subesse viro, non est eius constituere sibi domiciliũ, sed viri. Vnde post matrimonium con-

contractum, vir potest liberè domicilium mutare, & hæc tenetur eum sequi, nisi de contrario inter eos conuenerit: mulier tamen inuito viro non potest domicilium mutare, nisi necessitas cogat.

DVBIVM VII.

Vtrùm fornicatio sponsi, vel sponsæ det alteri ius solvendi sponsalia?

54 CONCLVSIO I. Fornicatio tam sponsi, quàm sponsæ superueniens sponsalibus, dat innocenti parti ius ea dissoluendi. patet ex c. *Quemadmodum.* 25. de iureiurando. Et quamuis hoc cap. solùm loquatur de fornicatione sponsæ, idem tamen est de fornicatione sponsi. quia ratio quam adfert, in vtroque valet: quòd scilicet ob fornicationem etiam coniuges possint toro separari. Adde, quòd fidem frangenti fides non sit seruanda. Maritus enim fornicando verè facit contra fidem datam, vt ostendi disp. 22. num. 6.

c. Quemad.

55 CONCLVS. II. Idem dicendum est si sponsa vi comprimatur. Ita Siluest. v. *Sponsalia.* n. 10. casu 7. Angelus n. 29. Nauar. c. 22. n. 27. Sotus in 4. d. 27. q. 2. art. 5. casu 7. P. Henriquez l. 11. c. 14. n. 6. & alij plurimi. Paret ex cap. *Raptor.* 27. q. 2. vbi permittitur arbitrio sponsi, vt sine sua culpa tantam ducat, aut dimittat. Quia & hoc casu sponsa fit notabiliter vilior, & tam ducenti aliqua infamia oboritur, & exponitur periculo ne alienam prolem alat pro sua.

Siluester. Angelus. Nauarr. Sotus. Henriquez. c. Raptor.

56 Idem etiam dicendum, si sponsa permittat se turpiter tangi. quia notabiliter per hoc fit vilior, & habetur omnino impudica, nec sine nota vir eam potest ducere. Ait tamen Sanchius l. 1. disp. 55. n. 5. eiusmodi tactus sponsi cum alia, non esse sufficientem causam, vt sponsa soluat sponsalia. quia per hos vir non redditur ita infamis, vt nota inuratur sponsæ ei nubenti. quod probabile est nisi forte essent frequentes, ita vt indicarent propensum valdè sponsi in alteram animum, vt meritò possit timeri ne ipse minùs sit sponsam amaturus, aut fidem ei non seruaturus.

Sanchez. An tactus turpes sponsi cum alia soluant sponsalia?

57 CONCLVS. III. Idem dicendum est quando sponsa fuit corrupta ante sponsalia, si sponsus eam omnino credidit virginem. Ita Siluest. v. *Sponsalia.* n. 10. casu 7. Sotus in 4. d. 27. q. 2. art. 5. casu 7. Henriquez li. 11. c. 14. n. 6. & cum aliis P. Sanchius lib. 1. disp. 63. n. 2. Prob. quia sponsa multò vilior est, & censetur viro infame talem duxisse. Vnde vix vllus honestus sciens vellet talem ducere, nisi aliunde illa vilitas compensaretur. quare sponsus grauiter decipitur, & tantùm per errorem consentit: contractus autem cui error causam dedit, potest à decepto irritari. Vide P. Lessium de Iustitia c. 17. dub. 5.

Siluester. Sotus. Henriquez. Sanchez. Lessius.

58 Addunt aliqui, idem esse dicendum, quando sponsus credebat sponsam esse virginem, si ipsa erat vidua. quia hæc vilior est virgine, & vir talem ducendo fit bigamus. quod videtur graue incommodum. Sed hoc mihi videtur difficile. Primò, quia hæc incommoda non videntur tanti æstimanda. Nam in contrahente vix potest esse serius animus aliquando suscipiendi statum Ecclesiasticum: imò in plurimis ne quidem est aptitudo ad talem statum ob defectum doctrinæ, aut quia iam antè irregulares erant. Deinde quia sponsus sibi debet imputare quod viduam pro virgine duxerit, nec de statu sponsæ priùs inquisierit, cùm id facilè potuisset facere. Aliud est de fornicatione quæ occulta est, nec tam facilè potest sciri. quare sponso non est imputanda eius ignorantia. Probabilis tamen esset illa sententia, si aut sponsus actu gestaret habitum clericalem, aut clericus alicui Ecclesiæ deseruiret, atque ita cum notabili suo emolumento clericali priuilegio gauderet, quo per tale matrimonium esset priuandus: aut si illa se tanquam virginem sponso venditasset; quia tunc dolo videretur eum induxisse.

Illicitè solutis sponsalia cum vidua quam credebas virginem.

Docet præterea Sanchius l. 1. disp. 63. sponsum posse resilire, quando sciebat quidem sponsam esse viduam, ignorabat tamen eius fornicationem. quia ratione illius reddita est ipsa vilis & impudica, qualem duxisse alteri est dedecori. quod probabile est, præsertim quando sæpiùs esset fornicata. Sanchez.

Nec dictis obstat, quòd c. *Quemadmodum.* de iureiurando, dicitur sponsum non posse obiicere sponsæ fornicationem præcedentem. quia hoc intelligendum est de fornicatione quam sponsus nouerat: vt cum glossa docent ferè communiter DD. quo casu non potest eam reiicere etsi fuisset sæpiùs fornicata, cùm crederet tantùm semel atque iterum cum altero fornicatam. quia hoc parum variat dignitatem sponsæ, nisi fortè fuisset ferè publica meretrix, credente sponso eam tantùm aliquoties occultè fornicatam fuisse. Illud enim multò viliorem illam reddit. 59 c. Quemad. Quando præcedens fornicatio possit obijci.

Nota cum Sanchio disp. 65. n. 2. hæc intelligenda esse, quando sponsus cognito eo vitio noluisset contrahere sponsalia. Secùs, si erat actu ita affectus, vt nihilominus contraxisset. quia tunc error non dedit causam contractui, & consequenter non potuit eum reddere irritabilem: neque in contractu potuit subintelligi conditio, *Si sis honesta*; cùm neque verbis, neque in tacita voluntate contrahentis fuerit contenta, nisi fortè sponsa, vt alterum allicerer, dixisset se esse virginem; tunc enim sub ea conditione possit videri contractus initus. quia, cùm illa virginem promiserit, hic non potest videri nisi virginem acceptasse. 60 Sanchez.

CONCLVS. IV. Hæc sunt vera, etsi sponsalia iurata sint. quia in iuramento subintelliguntur eædem conditiones, quæ in tractatu cui apponuntur: vt patet ex c. *Quemadmodum.* citato concluf. 1. & l. finali, C. de non numerata pecunia. 61 c. Quemad. l. fin. C. de non num. pecun.

CONCLVS. V. Fornicatio sponsi præcedens sponsalia, & postea sponsæ cognita, non dat ei ius resiliendi. Quia, vt benè docet P. Molina tom. 2. de Iustitia tract. 2. disp. 272. §. *Deinde si mulieri.* sola illa fornicatio dat potestatem resiliendi, quæ fornicantem in ordine ad contractum matrimonij reddit notabiliter viliorem, ita vt alteri sit quasi dedecori cum tali contrahere: arqui fornicatio sponsi non reddit eum notabiliter viliorem: nec est nota sponsæ, tali nupsisse. Excipe tamen, nisi valdè frequenter fuisset lapsus, præsertim cum diuersis & infamibus mulieribus. quia hoc redderet eum infamem, & possent similia post coniugium etiam timeri. Item nisi ex fornicatione haberet aliquot proles. quia hæ reddunt notabiliter statum matrimonij difficiliorem, partim ratione onerum, quia incumbit patri eas alere; partim quia sunt sæpè causa discordiarum. Vnde crediderim idem dicendum etsi proles essent legitimæ, modò pars ignorarit eas esse, quia eædem difficultates ex his sequuntur: & plurimæ, nisi essent inferioris conditionis nollent tali nubere. 62 Præcedens sponsi fornicatio non dat sponsæ ius resiliendi. Molina. Excipe aliquot casus.

CONCLVS. VI. Si vterque fuerit fornicatus post sponsalia, potest sponsus resilire, sponsa autem non potest. Ita cum communiore sententia Henriquez l. 11. c. 14. num. 6. Ratio est, quia ex parte sponsi in hoc casu datur compensatio delicti, non autem respectu sponsæ. quia delicta sunt valdè impatia: longèque ignominiosius est sponso talem ducere, quàm sponsi tali nubere: & ex fornicatione sponsæ longè grauius damnum sponso imminet propter incertitudinem securitatem prolis. Nec refert quòd vir aduker non possit vxorem adulteram repudiare. quia longè difficilior est separatio tori quàm sponsalium. 63 Vtroque fornicante solus sponsus licitè resilit.

DVBIVM VIII:

Quænam alia causæ dent parti ius soluendi sponsalia?

64 *Siluest. Armilla, Angelus, Petr. Soto, Maior, D. Antonin. Henriquez, Sanchez.*

HAnc rem fusè tractant Siluest. v. *Sponsalia*. n. 7. & 10. Armilla n. 13. Angelus n. 22. Petrus Soto lect. 18. de matrim. Maior in 4. d. 27. q. 3. D. Antoninus 3. p. t. 11. c. 18. §. 1. P. Henriquez l. 11. c. 14. P. Sanchius l. 1. disp. 57. & nouem seqq. qui communiter admittunt hanc regulam. Tunc vnam partem posse resilire à sponsalibus; quoties aliquid accidit, quod ei contractum matrimonij reddit notabiliter difficiliorem: aiúntque omnem illam mutationem esse talem, quam si præuidissent futuram, nullo modo voluissent contrahere sponsalia, quæ verissima sunt si benè intelligantur. Secunda pars tamen prout iacet accepta patitur aliquam difficultatem. quia plurimi contrahunt sponsalia, qui ob leuissimas causas desiissent ea contrahere, si eas præcognouissent: vt si aduertant sponsam esse minùs gratiosam, aut parentes minùs liberales, quàm priùs conceperant. quæ nullo modo sufficiunt ad soluenda sponsalia, nec credo ... esse mentem istorum auctorum.

65 Quæ mutatio status det sponsus ius resiliendi.

Quare hæc regula secundùm eorum mentem meliùs hoc modo assignabitur, scilicet talem censeri omnem eam mutationem, quæ talem difficultatem inducit, qua præcognita meritò communiter talis conditionis homines etiam verè cordatos à contrahendo omnino auerteret. Cùm enim quisque contrahens sponsalia censeatur secundùm communem aliorum intentionem contrahere, nisi de contrario constet; censetur tacitè excipere illum casum, quem communiter omnes, qui eius sunt conditionis, præuisum omnino exciperent: Et sic par vtrimque est conditio, nec vlla pars potest conqueri eiusmodi casum excipi. Et hæc regula satis apertè colligitur ex cap. *Quemadmodum*. 25. de iureiurando.

c. Quemad.

66 Deformitas sponsæ superueniés, dat parti ius resiliendi, secùs si viro superueniat, nisi sit valdè excessiua.

Ex communi autem dictorum auctorum sententia, talis mutatio est Primò, si sponsa perdat vtrumque vel saltem alterum oculum, vel aliàs notabiliter fiat turpis. Colligitur ex c. *Quemadmodum*. de iureiurando. Loquuntur autem communiter DD. in hoc casu, de sola deformitate accidente sponsæ. quia in viris non ita requiritur pulchritudo. Quare valdè magna deber esse deformitas sponsi, quæ de nouo accidens det sponsæ ius resiliendi: qualis posset fortè esse, si totum omnino nasum perderet; aut si tota facies fœdè exureretur; aut alia ratione ita fieret deformis, vt spectantibus horrorem aliquem incuteret. quæuis enim meritò cum tali horreret contrahere. aut si vnà cum deformitate accedat aliud malum, vt si perdat vnum oculum, & sit periculum ne perdat secundum, aut ne ineptus reddatur ad sunm opificium exercendum, aut officium acquirendum ad sustentationem familiæ necessarium. Aliàs deformitas quando non est excessiua, non dat sponsæ iustam causam resiliendi.

67 Item morbus contagiosus.

Secundò, talis mutatio est quando alteruter incurrit lepram, morbum Gallicum, epilepsiam, aut similem morbum incurabilem. quia nemo libenter cum t... bus contraheret.

Grauis infamia, & morum peruersitas. *Sanchez, c. Veniens.*

Tertiò, si alteruter incurrat grauem infamiam, vel noscatur de nouo grauiter esse deditus ebrietati, scortationibus, similibúsque grauibus vitiis, & præsertim si esset proclivis ad hæresim. Item si esset truculentis moribus, &c. vt Sanchius docet disput. 58 Nec obest quòd c. *Veniens*. 5. qui clerici vel vouentes, dicatur mulier recusans sponsum, quem audierat esse truculentum, fidem fregisse: quia satis patet ex textu fuisse leuem mulierem, quæ nimis leuiter similia credidit. Aliàs sæuitia morum sufficit etiam in coniugibus ad procurandam separationem tori: vt apertè insinuatur cap. *Litteras*. 5. de restitut. spoliatorum, in fine.

c. Litteras.

Quartò, si alterius partis parentes obstinatè contradicant matrimonio, ita vt ex eo contracto esset periculum ne letales inimicitiæ orirentur inter partium affines, aut inter parentes sponsorum, & ipsos sponsos; aut alius malus exitus omnino timeretur: Secùs si tantùm timerentur leues aliquæ, aut non ita diuturnæ offensiones. Ita Panorm. in c. *Requisiuit*. 17. de sponsalibus: Ex quo etiam satis clarè colligitur: quia dicitur, tunc sponsos non esse cogendos ad complenda sponsalia, quando mali exitus inde timentur. Et tamen loquitur de sponsalibus iuratis. Item Nauar. cap. 16. nu. 18. in fine.

68 Grauis pariterum contradictio.

Panorm.

Nauarr.

Quintò, quando alterutra pars amissis ferè omnibus fortunis, ex honesto statu ad paupertatem decideret. Quia hæc res solet communiter in matrimonio contrahendo respici; & aliàs inopinatum & quidem valdè graue onus incumberet alteri parti ex propriis bonis onera matrimonij sustinendi. quod vix pro dignitate sui status posset facere; vel etsi quandoque posset, id rarum, & per accidens est. Vndè communiter talis euentus præuisus omnes deterreret: nisi fortè patiens infortunium fuisset antè tanto ditior, quantum iam perdidit; nec alia esset inter illos conditionum disparitas. Tunc enim non videtur tale infortunium alteri vllo modo dare causam resiliendi, cùm hoc non faciat inæquales nuptias. Similiter si sponso subitò accedat noua hæreditas, qua eius status plurimùm melioratur, ita vt sponsa sit iam illi inæqualis, non ideo potest sponsalibus renuntiare. quia per hoc non potest dici deceptus in sponsæ conditione, aut per errorem in eam consensisse, quia non errauit circa obiectum consensus, sed circa propriam conditionem, circa quam consensus non fertur. Eadémque est ratio sponsæ, si ipsi noua hæreditas accedat.

69 Iactura fortunarum.

Sextò, si sponsa, eiúsve parentes recusent dare promissam dotem. quia sub eius conditione sponsalia censentur contracta. Habetur expressè c. *De illis*. 3. de conditionibus appositis.

70 Negatos. *c. Desiliit.*

Nota Primò, eodem modo posse resiliri posita eiusmodi causa à sponsalibus, siue sint iurata, siue non. Quia eædem conditiones sub vtrisque subintelliguntur, iuxta dicta dub. 7. concl. 4. Quare non est opus petere dispensationem iuramenti. quia per se desinit obligare. Item siue post sponsalia inita incipiant poni eiusmodi causæ, siue antè fuerint positæ & ignoratæ, iuxta dicta dub. 7. conclus. 3.

Dicta locũ habet etiã in sponsalibus iuratis, nec est opus dispensatione pro iuramento.

Nota Secundò, quando causa dissoluendi sponsalia est moraliter certa, ad ea dissoluenda non opus est auctoritate iudicis, sicut nec ad alia promissa dissoluenda; nisi fortè ratione scandali: vt si sponsalia essent publica, & causa occulta. tunc enim coram iudice Ecclesiastico deducenda esset. sicut etiam quando non esset satis clarum causam esse sufficientem & satis certam: & ob reuerentiam iuramenti idem satis conuenit fieri, quando iuramento firmata sunt. Vide Sanchez l. 1. disp. 69.

An opus sit auctoritate iudicis.

Sanchez

DVBIVM IX.

Vtrùm sponsalia, quibus contrahendis dolus causam dedit, sint omnino irrita, ita vt nullam ex vtraque parte pariant obligationem, neque etiam impedimentum publicæ honestatis?

71 HÆc quæstio præcipuè locum habet, quando alter contrahens doli aut causa, aut saltem conscius est. v. c. aliqua corrupta simulat se virginem: aut laborans occulto morbo, aut omnino pauperula, simulat se sanam, aut valdè diuitem, & hoc modo alium inducit, vt secum contrahat, qui aliàs nullo modo

Dolus qui non versatur circa substantiã contractus non irritat eum iure naturæ.

contraxisset. Qua in re secundùm omnes certum est Primò, tales cõtractus spectato solo iure, naturæ non esse omnino irritos, quando error non versatur circa substantiam contractus (qualis in præsenti materia est solus error personæ) sed tantùm circa alias circumstantias: quia aliàs matrimonium tali dolo initum esset omnino irritum: quod apertè falsum est.

Dixi, *secundùm omnes*, &c. quia etsi quidam videantur dicere tales contractus excepto matrimonio esse iure naturæ irritos; tamen si benè considerentur, tantum volunt esse pro voluntate decepti irritabiles. nam dicunt solùm esse irritos in fauorem decepti, & ideo excipiendum matrimonium, quia natura sua inirritabile est. Vide Molin. de Iustitia disp. 259. & 352.

Molina.

Secundò, certum est, quando contractus est irritabilis, deceptum, secundùm omne ius posse eum cognito errore irritare. Tota autem difficultas est Vtrùm attento Iure ciuili contractus bonæ fidei (qualis est sponsalitius) dolo initi sint ab initio omnino irriti?

72

Multi id affirmant: Mouentur Primò & præcipuè propter l. *Et eleganter.* 7. ff. de dolo malo. Vbi de minore, qui vendiderat seruum ignorans eum habere peculium, dicitur, *nullam esse venditionem, si in hoc ipso, vt venderet, circumscriptus est.* Secundò, quia, quando dolus dat causam contractui, videtur hic tacitè fieri sub ea conditione, *Si sint vera, quæ mouent ad contrahendum*, v. c. in exemplo suprà posito, *Si sis virgo ac diues.* quare deficiente conditione consensus nullus est.

l. Et eleganter.

73

Sed eiusmodi contractus etiam spectato iure positiuo non esse ab initio omnino irritos, optimè cum aliis docet P. Lessius de Iustit. c. 17. dub. 5. n. 31. quod fusè probat. Addam vnam atque alteram probationem, quæ me omnino conuincit. Primò, quia l. *Iulianus*, 13. ff. de actionibus empti. apertè datur actio ex empto ei, qui dolo venditoris inductus ligna cariosa aut pecus scabiosum emit: atqui certum est axioma Iuris apud omnes receptissimum, nunquam dari actionem ex empto, quando emptio nulla est: ergo emptio (quæ tamen est contractus bonæ fidei) cui dolus causam dedit, est valida. Secundò, quia l. *Qui vas.* 48. §. vltim. ff. de furtis, expresè dicitur, vendentem rem furtiuam fieri dominum pretij. quod esset falsum si venditio esset nulla: cùm tamen emptor noluisset emere si sciuisset rem esse furtiuam. atque ita inducatur ad emendum dolo venditoris simulantis se rem suam vendere. Item l. *Rem alienam.* 28. ff. de contrahenda emptione dicitur, *Rem alienam distrahere quem posse nulla dubitatio est: nam emptio est & venditio: sed res emptori auferri potest.* quibus Iuribus nihil potest clarius pro hac sententia adferri.

Contractũ dolo initũ nullum ius irritat.

Lessius.

l. Iulianus.

l. Qui vas.

l. Rem alienam.

Dices, hæc solùm esse vera quando emptor sciuit rem esse furtiuam. Sed expresè contrarium dicitur l. *Si in emptione.* 34. §. 3. eodem tit. Verba sunt, *Item si & emptor & venditor scit furtiuum esse quod venit, à neutra parte obligatio contrahitur.* & infrà, *Quòd si venditor scit, & emptor ignorauit, vtrimque obligatio contrahitur.* quia scilicet emptor tenetur soluere, & alter tenetur actione ex empto. Ego sanè non video quomodo potuisset nostra sententia clariùs definiri. Respondent aliqui, tunc solùm venditionem esse nullam, quando emens machinatione venditoris deceptus rem vitiosam emit: in dictis autem exemplis emptorem non fuisse inductum ad emendum consilio venditoris. Sed contrà Primò, l. 1. §. 2. de dolo malo, dicitur; *Labeo autem* (scilicet ait) *posse & sine simulatione id agi vt quis circumueniatur.* Vnde infrà definit, omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad fallendum adhibitam, esse dolum malum. Quis autem neget in istis venditoribus esse calliditatem, qua alter circumuenitur? Secundò, fit hoc ipso quo alteri rem furtiuam venalem offert, simulat esse suam, aut se habere potestatem vendendi? in quo expressa est simulatio siue machinatio ad decipiendum. Demum confirm. quia si quis omnino impotens soluere, persuadẽs alicui se oprimè illi intra paucos dies soluturum. eum induceret vt sibi equum venderet, secundùm omnes esset validus contractus; cùm tamen clarum sit venditorem dolo induci, vt equum vendat.

l. Si in empt.

l. 1. de dolo.

Ad Primum argumentum, propositum n. 72. Resp. hanc legem posse ab aliis difficiliùs explicari, quàm à nobis. Primò, quia in dicto contractu minor propriè non fuit deceptus quòd vendiderit seruum, nec in eo passus est damnum; sed quia vendidit tanti minoris, quanti valebat eius peculium: quo casu constat venditionem non esse omnino nullam. Secundò, quia ibi dicitur: *hoc enim sic accipimus carere dolo emptorem, vt ex exempto teneri non possit.* Ergo si hic non caruisset dolo, fuisset obligatus ex empto. quod fieri nequit nisi valida sit emptio. quare hæc lex apertè nobis fauet. Dicitur itaque emptio nulla, vel quia poterat propter dolum à minore annullari, ac si non fuisset: aut quia nulla erat emptio, ex qua ei actio competeret. quia neque poterat agere contra emptorem, posito quòd dolo careret, cùm non esset factus ditior: neque contra seruum, cùm hic nihil emisset. quare restabat ei sola actio ex dolo malo. Simili ratione sæpè in Iure aliqui actus dicuntur nulli, aut nullius momenti: quia ex iis alterutri nullum firmum ius nascitur: siue quia irritandi sunt: vt cum communiore sententia docet glossa l. 1. C. de rescindenda venditione, v. *Irrita.* Et habetur l. *Si dolo.* 5. C. de rescind. venditione. vbi dicitur, *Si dolo aduersarij decepturn venditionem prædij te feciſſe Præses prouinciæ aditus animaduerterit, sciens contrarium esse dolum bonæ fidei (quæ in huiusmodi contractibus maximè exigitur) rescindi venditionem iubebit.*

74

l. 1. C. de rescind.

l. Si dolo.

Ad secundum Respondeo, illas conditiones dici tacitè subintelligi, non quidem ita vt efficiant contractum conditionatum (nam sic iure naturæ esset irritus, & matrimonium ita contractum esset etiam irritum. illud tamen apertè falsum est.) sed vt deceptus statim ac sciuerit talem conditionem deficere, eodem modo possit à contractu etiam iurato resilire. ac si sub hac conditione expresè contraxisset, nisi contractus sit omnino inirritabilis, vt in matrimonio accidit.

DVBIVM X.

Vtrùm quando pars decepta, postquam cognouit se habere iustam causam resiliendi à sponsalibus, habuit copulam cum altera parte, possit nihilominus hac inuita resilire à sponsalibus?

CONCLVSIO. Si habeat eam copulam antequam sponsalia sint omnino dissoluta, censetur decepti onem, siue causam dissoluendi sponsalia condonare, & consensum primò habitum confirmare: nec postea ob eam causam potest resilire. Ita Lopez 1. p. instructorij c. 77. §. *Hinc emergit.* & cum aliis Sanchez l. 1. disp. 66. n. 2. Probatur, quia quamdiu deceptus iam conscius sui iuris non resilit à sponsalibus censetur permanere sciens & volens in priore consensu, & consequenter fouet in parte spem propinqui coniugij. quare dum eam sub illa spe ad copulam allicit, aut etiam admitit, censetur mutuo corporum vsu tradito, tanquam arrha quadam priorem consensum confirmare: & consequenter omnem causam in posterum resiliendi sibi tollit, sicut omnem tolleret, si expresè priorem consensum confirmaret.

75

Copula impedit ius resiliendi.

Lopez. Sanchez.

Nec refert, quòd fortè intendat nullo modo priorem consensum confirmare. quia, cùm hic sit contractus onerosus, & pars bona fide procedat, ipso-

que externo actu ostendat se priorem consensum confirmare, tenetur omnino id seriò facere: & consequenter similiter obligatur ac si id eo animo faceret: Sicut qui fictè promittens alicui matrimonium ab ea copulam obtinet, obligatur eam ducere, ac si seriò id promisisset.

76 Hinc infertur Primò, eum qui ignorans se habere ius resiliendi habet copulam, non censeri confirmare priorem consensum, quia ad hoc necesse est vt sciat se posse resilire; vel saltem vt exteriùs ostendat se eo animo eam copulam habere, vt vellet priorem consensum confirmare, etsi infirmus esset.

Infertur Secundò, idem dicendum esse de eo, qui expressè dicit, se nolle confirmare priorem consensum, vt per se patet. Item de eo qui postquam sponsalibus omninò renuntiauit, habet copulam cum ea, quæ priùs fuerat eius sponsa. quia, cùm inter has personas iam nulla omnino sit promissio matrimonij, non potest per eum actum censeri confirmari. Ex quo etiam patet esse diuersam rationem inter coniuges, qui facto diuortio copulantur, quia inter hos coniugij vinculum perseuerat.

DVBIVM XI.

Qualis probatio requiritur ad dissoluenda sponsalia?

77 CONCLVS. I. In foro externo, quando obiicitur aliquod impedimentum sufficit vtriusque partis confessio: quia tunc præsumitur omninò aut illos verum fateri, aut si fingant, velle sponsalibus renuntiare, quod quando vterque consentit, facere possunt. Idem dicendum est, quando sola pars quæ cupit matrimonium perfici, illud fatetur: quia nulla huic est causa mentiendi. Secùs est si sola pars, quæ cupit illud dissolui, fateatur impedimentum, quia huic in sua causa non creditur, nisi res aliunde probari possit.

78 CONCLVS. II. Ad probandum impedimentum matrimonij contrahendi, requiritur saltem vnus testis, qui iuratus asserat se id certò scire, quia simpliciter asserenti non creditur in iudicio cum alterius præiudicio, cùm hoc ipso quo renuit iurare, ostendat se rem non ita certò scire. Ita cum aliis Paludan. in 4. d. 27. q. 1. art. 3. casu 9. Talis autem testis iuratus sufficit, si omni exceptione maior sit: qualis in hac causa etiam est *is qui propriam turpitudinem fatetur*: & quamuis ob iustam causam nolit publicato nomine suum testimonium deponere, sed tantùm secretò coram iudice. Quia cùm hîc agatur de peccato, quod sponsi contrahendo committerent, impediendo, res est valdè fauorabilis, ideóque minùs sufficienti testimonio probari potest.

Excipe casum quo sponsalia iurata sunt. Tunc enim nomen testis deberet coram partibus publicari. Quia, sicut tunc fortior est obligatio; ita exactius requiritur testimonium sufficientis causæ ad illam soluendam: præsertim cùm in solutione periculum sit ne peccetur contra iuramentum. Habentur hæc expressè in cap. *Præterea.* de sponsalibus.

Ex quibus infertur, non sufficere testem, qui impedimentum ex solo auditu cognouit. quia talis testis 79 non potest iuratus asserere, verè subesse impedimentum, sed tantùm se hoc audiuisse: nec etiam huius testimonium potest esse firmius eius à quo id audiuit, qui tamen non fuit iuratus huius rei testis.

Excipe tamen casum quando agitur de probanda consanguinitate, & testis iurat se saltem à duobus suis maioribus, qui fide digni sunt, id audiuisse, & clarè distinguit gradus consanguinitatis ab vtraque parte. Colligitur apertè ex cap. *Licet ex quadam* 47. de testibus. vbi agitur de matrimonio dissoluendò, quod difficiliùs dissoluitur, quàm sponsalia. Et tamen dicitur ad illud dissoluendum sufficere vt duo omni exceptione maiores iurati testentur, se saltem à duobus suis maioribus hominibus fide dignis ante litem motam audiuisse coniuges sibi in tali gradu esse consanguineos, modò gradus distinctè computent: ergo vnus talis testis sufficiet pro sponsalibus dissoluendis. quia pro his vnus tantum probat atque duo pro matrimonio: vt patet ex cap. *Præterea.* citato. Ita Couar. 4. decretal. 2p. c. 6. §. 10. num. 21. & Nauarr. l. 4. consil. tit. de consang. consil. 2. n. 1.

Inirata non creditur in alterius præiudicium. Paludan.

Quando agitur de impediendo peccato sufficit testimonium aliàs minùs exactum.

Ad solnẽda sponsalia iurata requiritur exactius testimonium. c. Præterea.

Testimonij ex auditu non sufficit,

nisi in probanda consanguinitate.

c. Licet.

CONCLVSIO III. Ad impedimentum sponsalium probandum sufficit certa illius fama. Patet ex c. *Super eo.* de consanguinitate. Excipe casum quo vel clarior fama, vel iurati propinqui sponsorum, vel alij quos Episcopus putaret esse audiendos, contrarium probarent. Patet ex c. *Cùm in tua.* 27. de sponsalibus. Ita Sanchez l. 1. disp. 71. nu. 16. vbi n. 18. etiam docet solum rumorem non sufficere. quia minùs probat quàm fama, quæ est acclamatio, siue opinio maioris partis viciniæ: rumor verò minoris partis. 80

c. Super eo.

c. Cùm in tua. Sanchez.

Fama & rumor qui differant.

CONCLVS. IV. Ad probandam causam quæ non impedit matrimonium, sed solùm dat parti ius renuntiandi sponsalibus, requiruntur minimùm duo testes omni exceptione maiores. Quia tunc non agitur de euitando peccato, sed de tertij præiudicio: sufficeret tamen sola partis quæ solutioni repugnat confessio. Patet ex communi ordine iudiciorum in aliis rebus. 81

CONCLVS. V. In foro conscientiæ sufficit quæuis moralis certitudo, quam sponsus per experientiam, aut similem modum habet: aut talis per famam aut testes probatio, qualis iuxta dicta in foro externo sufficeret. quia hæc ad prudenter in quauis re agendum sufficiunt. Ita Sanchez l. 1. disp. 73. 82

Sanchez.

Hinc sequitur Primò, sponsum vel alios posse occultum partis crimen reuelare, quando id necessarium est, vt ius suum obtineant: quia non tenentur nostro iuri cedere, ne alius infametur, præsertim quando aliter si vellet posset integra fama rem priuatim transigere, v.c. remittendo parti sponsalia. Quare quando vitium est secretum, opus est vt volens resilire alterum priùs occultè moneat, se ob talem causam velle resilire, eúmque quantum commodè fieri possit, inducat, vt sponte consentiat, ac sic deinceps seruetur ordo correptionis fraternæ, quantum fieri potest. 83

Potes alterius crimen reuelare vt ius tuum obtineas: præmittenda tamen fraterna monitio.

Sequitur Secundò, scientem occultum impedimentum inter sponsos teneri id denuntiare. Patet c. *Si homo.* 35. q. 3. & ratio est, quia tenetur proximi peccatum impedire, si sine notabili incommodo possit. Quando tamen impedimentum oritur ex occulto crimine, seruandus est ordo correptionis fraternæ.

c. Si homo.

DVBIVM XII.

Vtrùm laborans occulto defectu, qui cognitus partem omninò à sponsalibus contrahendis auerteret, & daret ei instam causam à contractu resiliendi, possit nihilominus cum illius ignaro sponsalia contrahere, eúmque cogere vt contracta impleat?

DVplex hîc est quæstio. Prima, Vtrùm liceat tali defectu laboranti contrahere sponsalia, cum illius ignaro, quando certò scit nullo modo contracturum, si illud vitium sciret. Nam si conscius illius vitij nihilominus esset contracturus, tunc non est dubium, quin pars nullam ei faciat iniuriam, si cum ignaro contrahat? 84

Secunda quæstio est, Vtrùm, quando post contracta sponsalia (siue defectus præcesserit, siue supernenerit) illius ignarus siue ob aliam causam, siue quia aliquam tenuem illius defectus suspicionem habet, detrectat inire matrimonium, pars non solùm possit ab eo precibus petere, sed etiam per viam iustitiæ exigere, vt promissa impleat?

85 Quando venditor teneatur aperire occulta vitia rei vendendæ, *Lessius.*

Prior quæstio ex parte pendet ex resolutione illius quæstionis, An venditor teneatur emptori aperire occulta vitia rei vendendæ? Quam pulchrè tractat Pater Lessius de Iustit. c. 21. dub. 11. Vbi docet Primò, quando emptor interrogat venditorem, an res vendenda tali aut tali vitio laboret, teneri venditorem ex iustitia aperire illius vitia, præsertim quæ sunt vsui ad quem expetitur, contraria.

Secundò, idem dicendum esse, quoties emptor significat se talem rem ad certum vsum petere, quia simpliciter petit sibi vendi rem illi vsui commodam. Addítque venditorem teneri emptori ad omnia damna secura, si rem illi vsui incommodam vendat. Vtraque assertio expressè habetur l. *Iulianus.* 13. π. de actionibus empti. & l. 1. π. de ædilitio edicto.

l. Iulianus, l. 1. de ædilit.

Docet Tertiò, quando venditor celat vitia quæ non reddunt rem notabiliter minùs vtilem vsui ad quem expetitur, non peccare contra iustitiam. Quia nimis durum esset tam strictè tales homines obligare, vt tam minuta vitia aperirent.

Docet Quartò, quando emptor fidens suo iudicio deligit sibi rem aliquam venditorem solùm teneri ex caritate aperire vitia rei, quæ reddunt eam solùm notabiliter minùs vtilem vsui ad quem expetitur, modò non vendat eam cariùs, quàm reuera valeat; secùs esse si redderent eam noxiam. tunc enim ait eum teneri ex iustitia cauere, ne emptor vitio rei venditæ aliquod damnum incurrat. Quæ sine dubio & naturali æquitati, & l. *Iulianus.* citatæ, & l. 1. π. de ædilitio edicto, sunt valdè consona.

86 *Navarr. Covarr. Armilla. Angelus.*

Secundæ difficultati valdè affinis quæstio est, an adulter possit ex iustitia exigere debitum à coniuge illius adulterij ignara? In qua partem negatiuam tenent Nauarr. in Summa c. 22. n. 23. Couarr. in 4. decret. p. 2. c. 7. §. 2. n. 4. Armilla v. *Adulter.* n. 8. in fine. Angelus ibid. n. 3. in fine, Probant Primò, quia coniux innocens non tenetur adultero reddere debitum nisi ratione conscientiæ erroneæ; ergo hic non potest illud exigere. Consequentia patet. quia, si Petrus debuisset mihi decem aureos, & aliquo casu desineret eos debere, & hoc ignoraret, iniustè eos ab eo exigerem. Maior probatur. quia, si ille sciret huius adulterium, non teneretur reddere: atqui cognitio criminis non dat illi ius negandi debitum, sed ipsum crimen commissum: ergo habet hoc ius ante omnem criminis cognitionem, statim ac crimen est commissum. Secundò, quia coniux non potest exigere diuortium à parte quam scit esse adulteram, si ipse etiam occultè adulter sit: ergo non poterit exigere debitum, si solus adulter sit.

87 Adulter licitè exigit debitum à coniuge ignara. *Cajetan. Rom. Tolet. Soto. Henriquez. Sanchez.*

Affirmatiuam verò partem tenent Caietan. tom. 1. opusc. tract. 31. art. 3. respons. 4. Sotus in 4. d. 36. q. 1. art. 4. v. *Vtrùm verò vxor.* Petrus Soto lect. 16. de matrimonio, §. penult. P. Henriq. l. 11. c. 15. n. 6. P. Sánchez l. 1. disp. 68. n. 4. & alij. quam etiam puto verissimam. Pro eius autem probatione Nota Primò, aliud esse, me ab aliqua obligatione esse liberum, aliud verò me habere ius contra eam excipiendi, atque ita eam elidendi. v. c. Petrus excommunicatus toleratus agat contra me in iudicio, & curet me legitimè citari, nullam mihi facit iniuriam; & quamuis habeam ius excipiendi contra eum tamquam excommunicatum, atque ita elidendi omnem ipsius actionem: tamen quamdiu hoc non facio, quia vel illius excommunicationem vel ius meum ignoro, teneor comparere; nec ille vllam mihi facit iniuriam, me ad hoc cogendo, vt ostendi in materia de excommunicatione.

Nota Secundò, si excipias censuras & similes aliquas pœnas, quæ non tam infliguntur in meram peccati punitionem, quàm vel in medicinam, vel ob quamdam, quam reus per crimen contraxit, indecentiam exercendi eas actiones, quæ ei in pœnam prohibentur; communiter alias omnes pœnas tam legales quàm conuentionales non deberi, antequam vel à iudice, vel à parte exigantur. Item exactionem partis respectu pœnæ conuentionalis eodem modo se habere, sicut se habet sententia iudicis respectu pœnæ legalis: vt ostendi disput. 22. numero 19. Vnde sequitur, sicut nec iudex potest exigere à reo pœnam lege statutam, nec hic tenetur eam soluere antequam eius crimen iudici sit legitimè probatum: ita peccantem contra pacta non teneri soluere statutam pœnam, nec partem posse eam exigere, antequam ipsa crimen esse commissum sufficienter cognoscat. 88 Communiter pœna non debetur antequam exigatur. Nemo potest exigere pœnam sibi debitam antequam ei legitimè constet eam debere.

His positis clarè probatur conclusio. Quia quòd adulter non possit exigere debitum à coniuge, est pœna conuentionalis, quasi iure naturæ introducta, & consequens rationem contractus matrimonij, quia frangenti fidem meritò promissa fides negatur: ergo nec reus eam tenetur soluere, antequam coniux eam exigat: nec coniux potest eam exigere, antequam sufficienter crimen cognoscat. Nam sicut lex positiua statuens alicui crimini aliquam pœnam non statim priuat reum dominio ac possessione rei in pœnam debitæ; sed solùm dat iudici ius vt causa cognita eum possit priuare: ita lex matrimonialis non statim priuat adulterum iure petendi debitum; sed solùm dat coniugi ius, eum post criminis cognitionem priuandi. Quamdiu autem hoc legitimè non facit, non est libera ab obligatione reddendi debitum; sed solùm habet ius saltem remotum, postquam crimen cognouerit, eam obligationem elidendi; & verè peccat contra iustitiam negando debitum, vt in simili ostendi numero 87. 89 Adulter non priuatur statim de facto iure petendi debiti, & coniux hoc ei tenetur reddere quamdiu crimen ignorat.

Ad Primum argumentum propositum numero 86. nego antecedens. quia coniux tenetur reddere debitum donec cognito crimine cum suo iure priuet. Ad probationem, nego minorem. Nam crimen per se non dat coniugi plenum ius negandi debitum: sed crimen sufficienter cognitum: vt patet ex dictis. 90

Ad Secundum, nego consequentiam. Quia quòd adulter non possit ab adultera diuertere non habet rationem pœnæ, sed ideo fit quia illud nulli conceditur nisi innocenti.

Vt autem ex dictis eliciamus solutionem difficultatum propositarum, Nota Tertiò, causam iustam resiliendi à sponsalibus esse triplicis generis. Prima consistit in sola fractione fidei, ita vt non reddat rem notabiliter viliorem in ordine ad matrimonium, aut eius nuptias deteriores. Vt si sponsus sit semel casu fornicatus sine periculo prolis: aut si alteruter à sponsalibus iniustè conatus sit resilire, volendo cum alio contrahere: aut sua graui culpa non implerit sponsalia condicto tempore, iuxta dicta dub. 6. conclusione 1. & 3. 91 Causa resiliendi à sponsalibus est triplex.

Secunda causa est, quando parti ineft aliquis defectus siue culpabilis, siue inculpabilis, qui reddat eius nuptias notabiliter minùs expetibiles, non tamen perniciosas alteri parti. Vt si mulier sit corrupta, siue sponte, siue vi, aut valdè turpis effecta (quod potest habere locum quando absentes contrahunt) aut siue vir, siue mulier sit pauper & ignobilis, cùm tamen putetur dives ac nobilis. Item si sit non ita bonæ famæ; aut moribus improbis, aut feroci ingenio: quando statueret in posterum ità viuere, vt hæc parti parum aut nihil nocerent. Nam si statuerit in

improbitate & fœuitia progredi, tunc nuptias parti redderet pernicioſas.

Tertia cauſa eſt, quando vna pars laborat aliquo vitio, quod reddit eius nuptias parti pernicioſas, v. c. morbo Gallico, graui lepra, ſimilibuſq; morbis contagioſis, quibus non ſperat ante nuptias omnino curari. Item ſi alterutra pars eſſet omnino peruerſis moribus & ſtatueret talis perſeuerare: aut laboraret graui valdè infamia, quæ poſſet honeſtam familiam omnino dedecorare.

Agemus hîc Primò, qua ratione hi defectus poſſint impedire ſponſalia contrahenda: in qua quæſtione non habent locum defectus primi generis: quia aut neceſſariò ſuperueniunt ſponſalibus contractis, aut contrahenda nullo modo impediunt.

92 Qui defectus non ſint aperiendi in contractu ſponſalium.

Conclvs. I. Non tenetur pars volenti ſecum contrahere ſponſalia, aperire defectus ſecundi generis. Quia nemo tenetur ſeipſum infamare, aut defectus ſuos proclamare, quamdiu hi aliis non nocent: ſed partis eſt de iis inquirere, ac maturè proſpicere quo cum contrahat. quòd ſi contraria ſibi perſuadens decipiatur, ſibi imputet; quòd ſuo iudicio fidens non meliùs de rota re inquiſierit. Patet ex dicto 3. & 4. relato nu. 85. Quia talia vitia non impediunt ſocialem vitam, aut generationem, vel honeſtam educationem prolis, in quem vſum matrimonium contrahitur. nec in pretio eſt vlla inæqualitas cùm mutua corpora tradantur, quæ pretio non æſtimantur. Hoc tamen admittendum eſt, ſæpè præſertim ſponſæ periculoſum eſſe, cum aliquo ita ſua opinione decepta contrahere: quia poſtea re cognita facilè amor vertitur in odium, & vxor peſſimè habetur. Vnde fieri poſſet vt teneretur aut tales defectus ſponſo aperire, aut ab ipſius nuptiis abſtinere, quando crederet aliàs futurum, vt graues diſſenſiones aliáve mala orirentur. Ita P. Sanchius l. 6. diſp. 27. num. 8. & 10.

Sanchez.

93 Conclvs. II. Patienti tamen huiuſmodi defectus nullo modo licet vel dicto vel facto poſitiuè ſimulando contrarium, alterum vana ſpe ad nuptias ſuas allicere. Quia eſſet aperta fraus ac nociuum mendacium, præſertim quando quis fingeret ſe valdè diuitem, nobilem, optima fama, cùm tamen omnia eſſent contraria. quia hoc modo alterum à commodis nuptiis ad incommodas induceret, idque per verum dolum.

94 Licitè ſponſi ſuos defectus non pernicioſos diſſimulant.

Dixi, *poſitiuè ſimulando*, &c. Quia eiuſmodi defectus, præſertim quando cum aliqua infamia coniuncti ſunt, licet earenus tegere, quatenus ad conſeruandam bonam famam, ac honeſtum ſtatum præſertim iuſtè acquiſitum, neceſſariũ eſt. Quia nemo tenetur aut famam ſuam, aut eiuſmodi ſtatum prodigere. quare etiam interrogatus poteſt eiuſmodi defectus diſſimulare, alia omnia reſpondendo. Imò recèns nupta non modò licitè, verùm etiam conſultò vtitur aliquo artificio, quo impediat, ne vir deprehendat corruptam: cùm hoc ſine vllo alicuius commodo, cùm iam ſeparari nequeant, & magno ipſius incommodo deprehenderetur. Imò etſi fœmina malè faciat promittenti ſibi nuptias concedendo vſuram corporis; tamen aut nullo modo, aut leuiter peccat, tali artificio tegendo ſe eſſe corruptam, ne alter hoc deprehendens eius nuptias auerſetur. quia in hoc propriè non nocet viro. Neque propriè ſe fingit virginem, ſed vitium occultat. Vide Sanchium ſuprà. Imò etſi apertè diceret ſe virginem, non credo per hoc præcisè peccaturam mortaliter, quando vitium eſſet omnino occultum, nec aliud malum inde timeretur, quàm quòd alter deceptus duceret corruptam pro virgine. qui hoc propriè ei non nocet, & ſibi imputare debet quod affirmanti credat, cùm facilè poſſet intelligere illam numquam patefacturam ſe eſſe corruptam, quamdiu hoc poſſet celare. Quando tamen eſſet periculum ne vir hoc poſtea deprehenderet, vt communiter fit quando vir aſtutus eſt, illa exponeret ſe grauibus periculis, ne grauiſſimæ ſequantur poſtea diſſenſiones, ideóque talia cauenda ſunt.

Sanchez. 95

Conclvsio III. Patienti defectum tertij generis non licet cum huius ignaro contrahere, niſi hic ſimiles defectus pateretur. Quia ita contrahens alteri innocenti adfert perniciem. quod ſimpliciter malum eſt. Quare credo talem teneri parti ignaræ ideóque paratæ contrahere, aut nuptias recuſare, aut defectum aperire. ſicut volenti à me emere ligna occultè cariosa, vt iis domum ædificet, tenerer eorum vitium aperire: præſertim cùm tale matrimonium ſit parti pernicioſum in ſocietate coniugali, ac prolium ſuſceptione, ac educatione, in quem vſum expreſsè petitur. Sequitur apertè ex primo & ſecundo dicto numero 85. 96

Conclvs. IV. Patiens defectum primi generis poteſt partem eius ignaram cogere vt ſponſalia iam antè contracta compleat contrahendo matrimonium. Quia quandiu hæc defectum illum ignorat, nullum habet ius illud negandi. Patet ex dictis numero 88. & 89. quia hæc non poteſt illum promiſſo matrimonio ſpoliare, niſi in pœnam violatæ fidei. 97

Conclvsio V. Idem probabiliter dicendum de patiente defectus ſecundi generis, quando non induxit partem dolo vt ſecum contraheret, ſiue illi defectus præceſſerint ſponſalia, ſiue non. Probatur, quia cùm hîc ſint vera ſponſalia, patiens illos defectus habet verum ius vt promiſſa compleantur (nam, vt oſtendi diſp. 21. numero 9. & 12. ſponſalia neceſſariò continent mutuam promiſſionem obligatoriam ad matrimonium) quo propter talem defectum ſiue præcedentem, ſiue ſuperuenientem non eſt priuatus, ſed pars ſolùm per eum acquiſiuit ius elidendi priorem obligationem, iuxta dicta numero 87. & 88. Quare quamdiu hæc ignorat illum defectum, & per exceptionem non elidit eam obligationem, iuſtè cogitur ſtare promiſſis: ſicut is qui ab excommunicato actore vocatur in ius, iuſtè cogitur ſe ſiſtere, quamdiu contra eum non excipit. Confirmatur, quia, vt oſtendi concluſio. 1. talis ſine vlla iniuſtitia poteſt cum altero illius defectus ignaro contrahere ſponſalia, atque ita acquirere ius ad matrimonium: ergo poterit poſtea licitè eo iure vti ab alio exigendo vt promiſſa compleat. 98

Ex quibus etiam confirmatur quod dixi diſputatio. 22. numero 27. ſponſum poſſe retinere ſtatutam pœnam, quam etiam iuſtè reſiliens ſoluit. quia, cùm talis abſolutè & intendat contrahere ſponſalia, & apponere pœnam reſilienti, per alterius peccatum aut defectum non eſt ſtatim liber ab illo contractu, ſed ſolùm habet ius eum elidendi, ideóque quod dat in compenſationem reſilitionis, & ne compellatur contractum implere, validè dat. quia alter habet verum ius eum compellendi, quamdiu ipſe hoc per obiectionem defectus non elidit.

Dices, Contrahentes ſponſalia tacitè ſubintelligunt hanc conditionem, vt ſi alter ſimili aliquo defectu laboret, alter habeat ius reſiliendi à ſponſalibus: ergo ſtatim atque ille defectus in vno eſt, alter etiam eius ignarus habet ius reſiliendi. Reſp. antecedens non eſſe propriè loquendo abſolutè verum. Nec enim ſponſalibus ſubintelligitur illa conditio, vt in tali caſu pars habeat abſolutum & omnino expeditum ius quacumque ratione reſiliendi, ſed vt habeat ius reſiliendi propter talem defectum, ſiue per huius obiectionem elidendi priorem obligationem. Quare quamdiu hunc defectum ignorat, ſicut eum non poteſt obiicere, ita nec alterius ius elidere: & conſequenter alter validè eo vtitur: ſi- 99

cut excommunicatus validè contra alium agit, quamdiu non obiicitur ei excommunicatio.

Contradictorium tamen huius conclusionis est satis probabile, quando dicti defectus reddunt nuptias parti notabiliter incommodas; quia in hoc casu parti propriè non datur ius resiliendi in pœnam violatæ fidei, ad quam infligendam requiritur cognitio causæ: sed ad euitandum proprium incommodum. quia nimirum tales nuptiæ ei valdè incommodæ sunt propter alterius paupertatem, ignobilitatem, magnam deformitatem, aut similia: quisque autem videtur semper habere ius, vt viter proprium incommodum, etiam si ignoret qua ratione sibi incommodum sit.

dum induxit,

aut defectus perniciosos patitur.

100 Ad quid obligetur qui dolo alterum ad contrahen-

CONCLVS. VI. Qui patiens defectus secundi generis, dolo simulando contrarium, partem induxit ad sponsalia contrahenda, non potest ab hac vt debitum exigere contractum matrimonij; quia hoc faciendo continuat priorem iniuriam, qua alterum ad sponsalia contrahenda induxit, quam tamen tenetur tollere.

Idémque dicendum de eo, qui habens defectus tertij generis cum eorum ignaro sponsalia contraxit: quia sic contrahendo huic grauem iniuriam intulit, quam multùm auget exigendo matrimonium. Imò vterque vel tenetur alterum ab omni obligatione sponsalium liberare, aut defectum aperire. quia aliter iniuriam semel illatam non tollit. Idem etiam dicendum de eo qui in defectum tertij generis incidit post contracta sponsalia; qui tenetur aut non contrahere matrimonium, aut parti eum defectum aperire: aliàs iniuriosè ei grauem perniciem adfert: sicut is, qui volenti ædificare vendidisset ligna occultè cariosa. quæ essent certam ruinam ædificio allatura; teneretur ante traditionem & pecuniæ solutionem aut contractum rescindere, aut emptori vitium aperire, si alter imminens damnum non posset auertere.

DISPVTATIO XXIV.

DE IIS QVÆ SPECTANT AD ESSENTIAM MATRIMONII IN GENERE.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit matrimonium?

1 Matrimonij duplici ter accipitur.

NOTA Primò, matrimonium dupliciter accipi. Primò, pro ipso contractu, quo sponsi sibi mutuo tradunt corporum dominium. Secundò, pro ipso vinculo, quod ex tali contractu inter coniuges nascitur.

2 Septem in eo repetuntur.

Nota Secundò, in matrimonio prout vtrumque complectitur, septem reperiri. Primò enim reperitur internus contrahentium consensus. Secundò, externus contractus, siue signa quibus internus consensus exprimitur. Tertiò, mutua traditio corporum. Quartò, vinculum ortum ex contractu. Quintò, ius cuiusque in alterum. Sextò, obligatio mutua reddendi debitum. Septimò, ipsa consummatio, siue vsus matrimonij. Hæc tamen non omnia verè à parte rei inter se distinguuntur. Nam tertium non distinguitur à duobus prioribus. Internus enim consensus in matrimonium exterius expressus est vera traditio corporum. Similiter quartum aliquo modo includit quintum & sextum, vt infrà dicemus.

3 Eius definitio.

CONCLVS. Matrimonium primo modo acceptum est contractus, quo legitimæ personæ in sua corpora sibi mutuum dominium tradunt ad vsum matrimonij. Ex quo patet hoc complecti tria priora ex dictis n. 2. Matrimonium verò secundo modo acceptum essentialiter est ipsum dominium ita traditum; eique ex vtraque parte correspondens subiecto. quare complectitur quartum, quintum & sextum ex dictis num. 2. Vnde c. *Illud quoque.* de præsumptionibus, & §. 1. Institut. de patria potestate. definitur *maris & fœminæ coniunctio individuam vitæ consuetudinem retinens.* Quæ coniunctio optimè explicatur per illum mutuum dominium, & correspondentem ei subiectionem. Nec enim potest intelligi, quomodo illa coniunctio consistat, nisi in dicto dominio.

c. *Illud quoque. Institut. de patria potestate.*

Patet etiam ex Apostolo 1. ad Corinth. 7. vbi docet coniuges habere mutuam alterum alterius corporis potestatem: ita vt mulier non habeat potestatem sui corporis, sed vir, cui hoc obligatum est: & similiter corpus viri est obligatum mulieri. in quibus intrinsecè consistit ratio huius vinculi, siue status. Et hoc modo matrimonium accipit Florentinum in literis Eugenij, dum ait: *Causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Matrimonium enim secundo modo acceptum est effectus matrimonij primo modo accepti, siue ipsius contractus.

1. Cor. 7.

Florent.

4

Dices, Potest multis modis fieri vt coniuges perseuerante matrimonio nec teneantur, nec possint sibi mutuo reddere debitum: vt si consummato matrimonio mutuo consensu profiteantur in Religione: ergo matrimonium non consistit intrinsecè in illo dominio, & correspondente ei subiectione. Respondeo, negando consequent. Quia inde tantùm sequitur, illud dominium impediri posse, vt non valeat exire in actum. Simili modo ac si quis sui mancipij omnem operam alteri elocasset: tunc enim nec dominus posset inuito conductore aliquod opus seruo imperare, nec hic posset imperanti obedire: maneret tamen ille dominus, & hic seruus. Eodem modo illi coniuges retinent dominium in mutua corpora, impeditum tamen. quare copula inter eos habita non esset propriè fornicatio; quia non esset accessus ad non suam: sed esset sacrilegium contra ius Deo per votum acquisitum. Vnde & per nudam dispensationem illius voti, sine vlla alia traditione, redderetur illud ius omnino expeditum.

DVBIVM II.

Vtrùm matrimonium sit verum Sacramentum?

5 NOta, hæc posse disputari de matrimonio prout erat in statu legis naturæ & Moysis, vel prout est in lege noua. Item de matrimonio sumpto pro ipso contractu, vel pro vinculo eum consequente; quare hîc sunt variæ difficultates.

Hæretici nostri. *Durand.* Prima est cum hæreticis, qui absolutè negant matrimonium esse propriè dictum Sacramentum, quibus fauet Durandus in 4. d. 26. q. 3. art. 2. contra quos alij omnes Catholici docent matrimonium, quod baptizati per se immediatè contrahunt, esse verum Sacramentum.

6 Quidam tamen etsi concedant per procuratores verum matrimonium contrahi; negant tamen hoc esse verum Sacramentum, ideóque volunt id debere secundò inter præsentes contrahi. Probant id Primò, quia nulla alia Sacramenta possunt aut per procuratorem, aut inter absentes celebrari; ergo nec hoc. Secundò, quia ideò pœnitentia requirit præsentiam absoluendi, quia in forma dicitur, *Ego te absoluo:* atqui similiter in matrimonio dicitur: *Ego te accipio in meam*: ergo erit eadem ratio. Tertiò, quia aliàs dormiens posset peccare, si in peccato susciperet matrimonium. Ita Canus lib. 8. de locis Theolog. cap. 5. ad 3. Victoria in Summa num. 244. Et non improbabile putat Sotus in 4. dist. 27. quæst. 1. artic. 3. v. *At verò quamuis.*

Canus. Victoria. Sotus.

7 Secunda difficultas est, Vtrùm matrimonium in lege naturæ fuerit verum Sacramentum? A Castro l. 11. v. *Nuptiæ.* hæresi 3. & Petrus Soto lect. 2. de matrim. §. *De institutione quoque*, id affirmant: atque Soto ideò hoc Sacramentum dici à Christo institutum, quia fuit ab eo renouatum ad primæuam institutionem, & in ea confirmatum. Probant Primò, quia Deus Genesis 1. benedixit coniugio Adami. Secundò, quia ad Ephes. 5. Adami coniugium dicitur Sacramentum. Tertiò, quia D. Leo epist. 92. ad Rusticum, *dicit nuptias ab initio ita institutas vt haberent in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum.* Hanc sententiam aliqui impugnant vt erroneam: quia tam Apostolus ad Hebr. 9. quàm Florentinum in literis Eugenij, docent esse proprium legis gratiæ habere Sacramenta conferentia gratiam ex opere operato. Sed nescio an hoc argumentum multùm vrgeat Soto: quia non credo eum voluisse matrimonium in lege naturæ contulisse ita gratiam; cùm ibidem §. *Prima, etsi.* videatur dubitare, an in lege noua ita conferat gratiam, §. tamen sequenti, vbi probat ipsum iam conferre gratiam, adfert eas rationes, quæ idem probarent de lege vetere. quare ipsius sententia est satis dubia. Sed quidquid hac in re senserit, si voluit ipsum initio fuisse eodem modo Sacramentum, quo iam est, ipsius sententia nullo modo defendi potest. quia repugnat Florentino & Trident. sess. 7. can. 1. quæ absolutè docet matrimonium esse Sacramentum legis nouæ à Christo institutum. Secundùm Sotum autem non fuisset propriè à Christo institutum, sed solùm acceptatum & confirmatum.

A Castro. Petr. Soto. *Genes. 1.* *Ephes. 5.* *D. Leo.* *Hieb. 9. Florent.* *Soto.* *Florentin. Trident.*

8 Tertia difficultas est, an matrimonium infidelium, quando postea baptizantur fiat verum Sacramentum? Quidam id affirmant Primò, quia inter tales matrimonium quod ante erat pro eorum voluntate dissolubile, fit ratum ac indissolubile, atque ita fit nouus contractus: ergo etiam Sacramentum. Secundò, quia hoc matrimonium iam per baptismum factum indissolubile significat coniunctionem Christi cum Ecclesia: atqui hoc est proprium Sacramento; ergo, &c. Aliqui tamen ex his requirunt ad hoc nouum consensum exteriùs expressum. Ita Capreolus in 4. d. 26. q. vnica. Alij volunt sufficere ipsam susceptionem baptismi: quia coniuges hoc ipso quo hunc suscipiunt, in insolubilitatem matrimonij consentiunt: atque ita virtute de nouo contrahunt. Ita Palud. in 4. dist. 26. quæst. 4. articulo 3. ad 5. & Vega lib. 4. Summæ cap. 113.

Capreolus. *Palud.* *Vega.*

9 Quarta difficultas est, quando ex dispensatione Pontificis baptizatus contrahit cum non baptizata, vtrùm ex parte baptizati sit verum Sacramentum? Sotus in 4. d. 26. q. 2. art. 3. in fine id affirmat. Communis tamen sententia id negat.

Sotus.

Quinta difficultas est, Vtrùm non solùm contractus matrimonij, sed etiam ipsum vinculum sit verum Sacramentum? Quidam enim id affirmant, Primò, quia Patres videntur communiter ipsum vinculum vocare Sacramentum. Secundò, quia hoc vinculum significat coniunctionem Christi cum Ecclesia: ergo est Sacramentum. Tertiò, quia etiam in Ven. Sacramento est vnum Sacramentum consistens in actione, scilicet ipsa consecratio: & aliud in re permanente: ergo idem hîc dicendum est.

10 Pro resolutione Nota Secundò, Sacramentum dupliciter sumi. Primò, propriè pro re vel cæremonia diuinitus instituta ad significandam sanctitatem veram, vel legalem, quam suo vsu conferat; qua ratione dicuntur in noua lege esse septem Sacramenta. Secundò, lato modo pro quouis signo rei sacræ diuinitus instituto, vt fusiùs dixi initio de Sacramentis in genere. quod aliqui non considerantes multis difficultatibus se implicarunt.

Sacramentum dupliciter accipitur.

11 CONCLVS. I. Matrimonium sumptum pro ipso vinculo, nec iam est, nec vmquam fuit propriè dictum Sacramentum. Puto hanc conclusionem omnino esse certam. Quia vt ostendi tom. 1. quæstio 60. articulo 1. de omnibus Sacramentis, & de Sacramentis nouæ legis definit Florentinum in literis Eugenij; *omne Sacramentum est institutum vt suo vsu ex opere operato suo modo sanctificet*: atqui vinculum matrimonij nullo modo suo vsu ita sanctificat (nam aliàs quoties coniuges in statu gratiæ vterentur matrimonio, ex opere operato nouam gratiam acciperent. quod apertè falsum est) ergo non est propriè dictum Sacramentum.

Florent.

Ad primam rationem allatam numero 9. Respondeo, Patres accipere Sacramentum lato modo pro quouis signo rei sacræ à Deo instituto: quia dicunt matrimonium esse Sacramentum, non quia significat aliquam sanctitatem, quam suo vsu conferat, sed quia significat coniunctionem Christi cum Ecclesia. Hinc etiam dicunt matrimonium in lege naturæ simili modo fuisse Sacramentum. Nam D. Leo epistola 92. ad Rusticum capite 4. dicit matrimonium ab initio suæ institutionis (non factæ à Christo, vt aliqui volunt, sed factæ à Deo in paradiso. nam agit de institutione facta ante omne initium Romani iuris, vt patet ex antecedentibus) fuisse hoc modo Sacramentum. Idémque docet D. August. libro 1. de nuptiis & concupiscent. cap. 21. & alij communiter Patres.

Matrimonium ab initio mundi fuit lato modo Sacramentum. *D. Leo.* *D. August.*

12 Imò hoc modo iam etiam matrimonium Gentilium dicitur Sacramentum: vt apertè habetur cap. *Gaudemus.* 8. de diuortiis. Quia, cùm eorum legitima matrimonia sint ex primæua institutione Dei in paradiso, etiam suo modo significant vnionem Christi cum Ecclesia. Perfectiùs tamen hoc conuenit matrimonio Christianorum: quia hoc est magis insolubile: vnde D. Augustinus aliquando dicit illud huic soli conuenire. quamuis nec hoc quidem omnino indissolubile sit ante consummationem: ideóque prius tantum significat vnionem Christi cum Ecclesia se

Sicut etiam modò sunt matrimonia Gentilium. c. Gaudemus. *D. August.* *Aliter matrimonium rati, aliter cõsumma-*

tum significat vnionem Christi cum Ecclesia.

fia secundùm gratiam & caritatem, quæ cum singulis membris in particulari, dum sunt in via, potest dissolui. Post consummationem autem, per quam duo fiunt vna caro, significat vnionem Christi cum Ecclesia indissolubiliter factam per incarnationem: vt docet Innocentius III. capite *Debitum.* 5. de digamis.

c. *Debitum,*

Ad Secundam Respondeo, tantùm probare hoc vinculum esse Sacramentum latè sumptum.

Ad Tertiam, nego assumptum. nam consecratio Vener. Sacramenti nullo modo est Sacramentum, sed sacrificium: vt ostendi tom. 1. q. 73. a. 1.

13

Florent. Trident.

Matrimonium ante Christum non fuit propriè dictum Sacramentū. Bellarm.

Conclvs. II. Ante legem gratiæ matrimonium nullo modo potuit dici eodem modo esse Sacramentum, quo iam est: nec contrarium potest à Catholico defendi. Quia Florent. & Trident. sess. 7. de Sacramentis in genere, apertè docent esse Sacramentum proprium legis nouæ à Christo in ratione Sacramenti de nouo institutum. Imò ante Christum non fuit vllo modo propriè dictum Sacramentum. nam non fuit institutum ad conferendam aliquam sanctificationem, sed in officium naturæ ad legitimam generis humani propagationem. ita Bellarm. lib. 1. de matrim. c. 5.

Ad Primam rationem allatam n. 7. Respondeo, si ea quidquā probaret, probaret etiam coniunctionem bestiarum esse Sacramentum. Quia ibidem n. 22. eodem modo Deus benedicit bestiis. Ad Secundam Respondeo, Apostolum ibi loqui de matrimonio fidelium, vt infrà ostendam. Ad tertiam patet ex dictis numero 11.

14

Vt ind. Ephes. 5.

Apostolus ad Ephes. 5. non loquitur de coniugio Adæ mi.

Conclvs. III. Matrimonium primo modo sumptum inter baptizatos est propriè dictum legis nouæ Sacramentum. Est de fide ex Trident. sess. 24. c. 1. Probatur ex c. 5. ad Ephes. vbi Apostolus loquens de matrimonio ait: *Sacramentum hoc magnum est. ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Græcè; *in Christum & in Ecclesiam*: scilicet tendens, ad horum nimirum coniunctionem significandam. Vbi Nota Primò, hîc non agi de matrimonio Adami: quia in ipsum non conueniunt illa verba, *Propter quod relinquet homo patrem & matrem.* quia Adam hos non poterat relinquere. Secundò, quia Apostolus ex ratione coniugij volebat docere, quo amore debeant se coniuges complecti: quod debebat ostendere ex coniugio eorum, quos hortabatur; qui Christiani iam erant. quare accommodatiriè hæc referunt quandoque Patres ad coniugium Adæ.

Nota Secundò, matrimonium ibi dici Sacramentum & quidem magnum, vt intelligamus non esse tantùm contractum quendam ciuilem, aut inane elementum, vt erant Sacramenta Iudæorum. Hæretici tamen obijciunt, Græcè non esse Sacramentum, sed Mysterium. sed hoc omnino ineptè obijciunt: quia hæc verba non differunt, nisi quòd vnum sit Latinum, alterum Græcum: quod vel imperitè nesciunt, vel maleuolè dissimulant.

Nota Tertiò, Apostolum hîc præcipuè docere, hoc matrimonium significare coniunctionem Christi & Ecclesiæ per gratiam & caritatem, quatenus scilicet ipse contractus significat immediatè mutuam caritatem inter coniuges, & hac mediante caritatem inter Christum & Ecclesiam. Quod inde patet, quia Apostolus ex dilectione Christi, qua dilexit & sanctificauit Ecclesiam, ibi conatur ostendere, quæ officia sibi mutuo coniuges exhibere debeant, vt scilicet inter eos verè ea sit caritas, quam contractus esse significat. Cùm igitur quæ apud veteres tantùm erant signa inania, apud nos sint efficacia, habentia vim efficiendi id quod significant: vt patet ad Hebr. 9. & ex dictis de Sacramentis in genere; sequitur matrimonium iam operari illam dilectionem, quæ inter coniuges requiritur, atque ita esse propriè dictum Sacramentum. Confirm. quia 1. ad Timot. 2. dicitur, *Saluabitur autem*, scilicèt coniugata, *per filiorum generationem, si permanserit in fide*, scilicet erga maritum, *& dilectione & sanctificatione cum sobrietate*, siue continentia coniugali. Vbi apertè supponit, hæc bona matrimonio propria coniugatis inesse, quasi per matrimonium accepta: ideóque non dicit, *si hæc acquisierit*, sed *si in illis permanserit*: & consequenter supponit matrimonium has gratias conferre. quod non nisi per Sacramentum fieri potest.

1. Timot. 2.

Probatur Secundò, ex Patribus D. Ambros. l. 1. de Abraham c. 7. agens de adultero: *Et ideo*, inquit, *quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium.* quia nimirum gratiam Sacramenti amittit. Item D. Augustin. de bono coniug. c. 18. *In nostrarum*, ait, *nuptijs plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas vteri.* &c. 24. *Bonum*, ait, *nuptiarum per omnes gentes in causa generandi est, & in fide castitatis. quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti.* Et l. 1. de nuptijs c. 10. ait: *Cuius Sacramenti tanta obseruatio est in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius, hoc est, in Ecclesia Christi.* Et paulò pòst: *Manet autem*, scilicet Sacramentum coniugale, *in perperam se separantibus ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis: sicut apostata anima velut de coniugio Christi recedens etiam fide perdita Sacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit.* Vbi apertè comparat Sacramentum matrimonij cum baptismo, illiúsque vinculum cum huius charactere: & dicit vtrumque manere, scilicet ratione sui effectus insolubilis, nimirum vinculi & characteris, vt sciamus illum loqui de Sacramento propriè dicto. quare pluribus locis docet hoc Sacramentum in sola Ecclesia reperiri: cùm tamen etiam Ethnicorum coniugia possint aliquo modo latè dici Sacramenta. Ex quo patet, eum velle in Christianorum matrimonio reperiri Sacramentum propriè dictum. Plura testimonia vide apud Valentiam hîc d. 10. q. 1. p. 5. & Bellarm. de matrim. c. 3. Ex quibus patet quàm impudenter nobis obiiciant hæretici, neminem ante D. Gregorium matrimonium vocasse Sacramentum.

15

D. Ambros.

D. August.

Valentia. Bellarm.

D. Greg.

Probatur Tertiò, ex consensu vniuersalis Ecclesiæ tam Græcæ quàm Latinæ, quæ in Florentino sine contradictione definiuit matrimonium esse verum legis nouæ Sacramentum, contra quam disputare est insolentissimæ insaniæ, vt ait D. August. epist. 118. ad Ianuarium. Confirm. quia multi antiquissimi Patres, vt patet ex dictis, vocant matrimonium Sacramentum: nullus autem insinuat non esse, aut impropriè Sacramentum dici. Item tam Concilia quàm Patres asserentes esse Sacramentum, loquuntur tamquam de re antiqua & certa in Ecclesia; nec vllus insinuat quando post Apostolos hæc opinio inceperit. quare certò probatur ab Apostolis acceptam, donec hæretici clarè doceant contrarium.

16

D. August.

Obiiciunt hæretici Primò, Multi coniuges Christiani ethnicis peiùs viuunt: ergo per matrimonium non sanctificantur.

17

Respondeo, eos hac ratione posse etiam probare baptismum non sanctificare. quia quidam baptizati aliis peiùs viuunt. quare nego consequc. quia Sacramenta non sanctificant indispositos, & quamuis dent gratiam vt possis bene viuere, non tamen ad id cogunt.

Obiiciunt Secundò, matrimonium ab initio fuisse, & modò inter ethnicos etiam esse sine Sacramento.

Respondeo inter Christianos solos à Christo eleuatum ad esse sacramenti: ibi alios esse contractum ciuilem.

Hebr. 9.

Tertiò, Vnum Sacramentum non pugnat cum altero: atqui secundùm Pontificios matrimonium pugnat cum sacerdotio: ergo non est Sacramentum.

Respondeo, Sacramenta hæc non pugnare ratione sui (quia coniugatus consentiente vxore potest ordinari) sed ratione status, quem inducunt, idque ex Apostolorum institutione, quia sacerdotes debent toti Deo vacare: *qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est:* 1. Cor. 7. vt dicitur 1. ad Corint. 7. Qui autem militat Deo non debet se implicare negotiis sæcularibus: vt dicitur 2. ad Timoth. 2. 2. Timot. 2.

18 *Siricius Papa.* Quartò, Pontificij vocant matrimonium immunditias, quia Pontifex Siricius ad Hemerium Tarraconensem dicit sacerdotes debere abstinere nuptiis, quia debent esse sancti, & quia in carne viuentes Deo placere non possunt: atqui sordes nō possunt esse Sacramentum: ergo matrimonium non est Sacramentum.

Respondeo, maiorem continere meram calumniam. Ad probationem Respondeo, Siricium ibi reprehendere sacrilegas sacerdotum nuptias, non autem vera coniugia. Fateor quidem copulam etiam coniugum continere quandam immunditiam indecentem in sacerdote, qui filium Virginis omnis puritatis fontem quotidie debet manibus tractare. Vnde etiam iam olim Abimelech, daturus Dauidi panes propositionis, petiit an socij mundi essent à mulieribus; & 1. ad Corinth. 7. singulariter dicitur virgo sancta, siue para corpore & spiritu: quasi alij non sint ita puri. Vnde etiam Apocalyps. 14. dicitur: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt.* Falsum est autem quod sumit Caluinus, copulam esse partem Sacramenti. Nam, vt rectè D. Ambros. de institut. virg. c. 6. defloratio virginitatis non facit coniugium, sed pactio coniugalis.

Matrimonium nullam eius vsus aliquā immunditiam continet.

1. Cor. 7.

Apoc. 14.

Caluinus. D. Ambros.

19 Nec iuuant Caluinum can. *Non est dubium.* & can. *Cùm societas.* 27. q. 2. qui desumpti sunt ex epist. D. Leonis 92. ad Rusticum c. 4. in quibus innitur matrimonium non posse perfici sine copula: sed corruptè transcripti sunt. D. Leo enim ibi omnino contrarium dicit, vt patet legenti. Fateor quidem copulam perficere vinculum matrimonij reddendo illud omnino insolubile, & ideo dici consummare matrimonium, & efficere vt perfectiùs significer coniunctionem Christi cum Ecclesia, vt dixi suprà n. 12. ideóque aliqui Catholici dixerunt eam esse partem integralem Sacramenti: sed decepti fuerunt non distinguentes vinculum matrimonij, quod latè dicitur Sacramentum à contractu, qui propriè est Sacramentum.

Can. Non est. Can. Cùm societas. D. Leo. Copula nullo modo est pars Sacramenti.

Qua ratione dicitur immunda.

His adde Primò, copulam coniugalem non dici impuram, quia est peccatum, sed quia aliquid pudendum, & quod animum valdè à diuinis ad terrena auocat, continet. Vnde etiam quosuis vel mediocriter honestos omnino puderet eam etiam cum coniuge coram aliis exercere.

Potest actio mala esse pars Sacramenti.

Adde Secundò, nihil obstare quin aliqua actio peccaminosa, & consequenter sordida, sit pars Sacramenti: vt patet in peccatore sacrilegè aliquem absoluente, vel baptizante. nec hoc inquinat Sacramentum: quia alia actio est immunda vt proficiscitur à peruersa alterius voluntate; munda tamen prout est instituta à Christo; & sic ab eo proficiscens; & sic est pars Sacramenti. Secus vbi valent matrimonia clandestina, possunt hæc contrahi per ipsam copulam, quatenus est signum interni consensus in præsens matrimonium; qua ratione nihil habet immundum: licèt alia ratione habeat aliquid immundum & pudendum. quare sub hac ratione aliqui negarunt ei assistere Spiritum sanctum, non autem sub alia.

20 *Durand.* Obiicit Durandus Quintò, hoc Sacramentum in pluribus discrepare ab omnibus aliis. Nam Primò, reliqua Sacramenta consistūt in re sacra quæ à ministro suscipienti applicatur. Secundò, adhibentur ad aliquid supernaturale. Tertiò, debent ab alio conferri suscipienti. Quartò, non possunt conferri absentibus, vel per substitutum. Quartò, Ecclesia non potest mutare essentialia aliorum Sacramentorum, quæ omnia contraria sunt in matrimonio, quod solum videtur institutum ad generationem: & in eo contrahentes simul sunt eius ministri & suscipientes, & per procuratorem contrahitur, & Ecclesia efficit aliquas personas illius incapaces: ergo non est vniuocè Sacramentum.

Singula Sacramenta habent aliquid singulare.

Respondeo, negando consequ. quia Sacramenta singula habent aliquid omnino distinctum ab aliis. Ita Vener. Eucharistia sola consistit in re permanente, & eiusdem confectio, non est Sacramentum, sed sacrificium. Item in confessione actu pœnitentis sunt illius materia: & in Extrema vnctione forma est deprecatoria. Adde, in antecedente multa falsa sumi. Nam Vener. Sacramentum non consistit in re, quæ alicui necessariò à conficiente applicetur. nam potest esse, etsi nemini distribuatur, & potest distribui ab alio quàm à conficiente; item consecrans eam sibi confert. Item Confirmatio potest ex commissione Pontificis conferri à simplici sacerdote, aliàs non: & absolutio requirit iurisdictionem, quæ iure humano confertur. Falsum etiam est matrimonium in lege noua tantùm esse institutum ad generationem; quia etiam institutum est ad significandam & conferendam gratiam huic statui conuenientem.

Durand. Obiicit Durand. Sextò, Matrimoniū validū est etiā inter non baptizatos: ergo non est Sacramentum.

Respondeo, concedendo totum respectu eorundem; sed inde non sequitur non esse Sacramentum inter baptizatos.

Obiicit Septimò, Matrimonium potest contrahi cum pacto de certa pecunia numeranda: ergo non confert gratiam. quia aliàs hæc pretio emeretur.

Resp. negando conseque. Quia illa pecunia non datur pro Sacramento, sed pro oneribus, quæ matrimonium consequuntur, sustinendi, & quatenus est contractus quidam ciuilis. Sic si vt alicui Sacramentum conferam debeam multa miliaria conficere, potero id nolle facere, nisi data certa pecunia pro labore & sumptu itineris.

21 Obiiciunt hæretici Octauò, Perniciosum esset Ecclesiæ si in ea non constaret, quæ esset alicuius Sacramenti materia & forma: atqui inter Catholicos non satis constat quæ sit materia & forma matrimonij: ergo non est Sacramentum.

Non est necessariū distinctè cognoscere quæ sit præcisè materia & forma alicuius Sacramenti.

Resp. negando maiorem, loquendo de cognitione omnino præcisa & distincta, sufficit enim nos cognoscere in genere quænam sint essentialia Sacramento, necessariaque vt legitimè administretur: de quo satis inter Catholicos constat, etsi non ita constet in quo præcisè eius essentia consistit. quæ quæstio metaphysica est non practica, quam sine periculo ignoramus. Sic sufficit scire quæ debeamus credere, etsi non sciamus omnino certò quod sit præcisè obiectum formale fidei, quod communiter simpliciores ignorant, nec ita inter doctos conuenit.

Baptizatorum matrimonium necessariò est Sacramentum. Florent. Trident.

Conclvsio IV. Nunquam inter baptizatos potest iniri matrimonium sine Sacramento, quia Christus illum contractum immediatè inter baptizatos ad esse Sacramenti eleuauit, atque ita hæc inseparabiliter coniunxit, vt separari nullo modo possint Probatur Primò, quia Florent. & Trident. absolutè definiunt, matrimonium fidelium esse Sacramentum; à qua definitione sine vllo fundamento aliqua matrimonia excipias, quia tales definitiones absolutè positæ debent omnino, vniuersaliter intelligi. Prob. Secundò, quia aliàs sequeretur Primò, omnia matrimonia clandestina, quæ olim validè contrahebantur, communiter non fuisse Sacramenta: hoc autem & per se videtur absurdum, & repugnat Trid. sess. 24. c. 1. de reformat. Trid. matrim. vbi talia matrimonia vocat rata: qua ratione sola

sola illa solemus appellare, quæ habent rationem Sacramenti. Sequela probatur, quia ita contrahentes communiter non intendebant suscipere Sacramentum, sed solùm inire ciuilè contractum, nec quidquam de Sacramento cogitabant: imò quòd si hoc iis occurriſſet, ipsum nullo modo tam irreuerenter voluiſſent suscipere. Quare non possunt censeri intendisse hoc suscipere, nisi quatenus hæc intentio in illa necessariò includitur: & consequenter si non necessariò includebatur, nullo modo intendebant suscipere Sacramentum, atque ita nec suscipiebant.

Ad essentiã Sacramenti requiritur vt intendas facere quod Ecclesia facit per modum ritus sacri.

Dices, illos implicitè intendisse Sacramentum, quatenus intendebant facere quod communiter Christiani faciunt, qui Sacramentum suscipiunt. Sed contrà. Ad rationem Sacramenti non sufficit quacumque ratione velle facere quod Christiani vel Ecclesia facit (quam aliàs qui iocádi causa vellet Christianorum baptismum repræsentare, verè baptizaret, quia intẽderet facere quod ipsi faciunt,) sed est necesse vt id velit facere eo modo, quo in Ecclesia fit, siue per modum ritus alicuius sacri à Deo instituti, aut ab Ecclesia vsurpati. Secundùm illam autem sententiam clàm contrahentes nullo modo intendebant facere ritum sacrum, sed solùm contractum ciuilem inire. Sequeretur Secundò, quosuis contrahentes matrimonium sine peccato posse intendere solum contractum ciuilem inire. quia si matrimonium in iis possit separari à Sacramento, nulla est lex diuina vel humana, qua illi obligentur velle suscipere Sacramentum; imò quoties putarent se esse in statu peccati mortalis, nec haberent commoditatem se reconciliandi, id laudabiliter facerent. quod tamen credo neminem facilè admissurum. Quare volentes ita contrahere matrimonium, vt nullo modo velint suscipere Sacramentum, nihil efficiunt. Secùs si absolutè omninò intendant matrimonium contrahere, & simul nolint suscipere Sacramentum eò quòd putant hæc posse distingui, quia tunc hæc nolitio est tantùm conditionata & inefficax: voluntas autem contrahendi est absoluta & efficax. atque ita vtrumque suscipiunt, quia hoc virtualiter intendunt. Vide dicta tom. 1. quæst. 64. a. 8. dub. 3.

Volentes inire matrimonium sine suscẽptione Sacramenti nihil efficiunt.

23 *Sotus. Bellarm. Henriquez. Sanchez.*

Concl. V. Matrimonium fidelium per procuratores contractum est verum Sacramentum. Ita Sotus in 4. d. 27. q. 1. a. 3. v. *At verò quamuis.* Card. Bellarm. l. 1. de matr. c. 5. ad 1. Henriq. l. 11. c. 2. n. 2. Sanch. l. 1. disp. 11. n. 27. Probatur, quia, vt ostendi, omne matrimonium fidelium est verum Sacramentum: atqui, vt ostendam dub. 9. hoc matrimonium est verum matrimonium: ergo est verum Sacramentum. Hinc sequitur, contrahentes sub peccato mortali teneri curare vt sint in gratia illo tempore quo procuratores eorum nomine contrahent, ne Sacramentum viuorum in peccato mortali suscipiant. Secùs est de procuratoribus qui alieno nomine agunt, nec vllum Sacramentum suscipiunt.

Contrahentes per procuratores tenentur esse in statu gratiæ, secùs est de procuratoribus.

Nec refert quòd contrahentes fortè dormiant, dum contractus initur. quia etiam dormientes validè suscipiunt Sacramenta quæ antè petierunt, vt patet ex dictis tom. 1. q. 64. a. 7. dub. 5.

Nec etiam refert, quòd alia Sacramenta non possint ita cõferri. quia singula habent diuersas rationes, & est dispar ratio, quia alia habent magis determinatam formam quàm matrimonium, quod etiam per signa contrahi potest. Ex quo patet solutio primi argumenti positi num. 6.

Ad Secundum, nego minorem, quia in pœnitentia illa verba determinata, aut saltem iis omnino æquiualentia, sunt omnino essentialia: in matrimonio verò etsi illa verba sint conuenientissima, ideóque communiter vsurpentur, non tamen dicuntur tanquam determinatè essentialia. nam ad huius essentiam sufficiunt quæuis signa sufficienter expressiua præsentis consensus. Sicut autem contrahentes possunt consentire in absentes: ita possunt hunc suum consensum sufficienter per se vel alios tamquam per sua instrumenta exprimere.

Ad Tertium Respondeo, talem propriè peccasse, dum aduertens esse periculum ne in peccato mortali susciperet Sacramentum, neglexit se Deo reconciliare; eius tamen peccatum in dormiente aliquo modo exteriùs completur. quia tunc fit externa susceptio Sacramenti. Simili planè modo sicut quando quis sciens se ebrium aliquem occisurum, spontè se omnino inebriat.

Concl. VI. Hoc Sacramentum non est nisi vnum numero in duobus. quia est essentialiter contractus, qui tantùm est vnus inter duos. Nec absurdum est vnum accidens mortale esse in diuersis subiectis; nam vna numero potestas eligendi Episcopum est in toto Capitulo. hinc sequitur Christianum ex dispensatione Pontificis contrahentem cum non baptizata, non suscipere Sacramentum; quia altera pars est incapax Sacramenti. hoc autem Sacramentum, vt ostendi, debet esse vnum in duobus. Item quia solus contractus baptizatorum est elevatus ad esse Sacramenti; hic autem non est magis contractus baptizatorum, quàm non baptizatorum. ita Henriq. l. 12. c. 13. 24

Vnum accidens morale potest esse in diuersis subiectis. Matrimonium baptizati cum non baptizata nõ est Sacramentum.

Henriquez.

Concl. VII. Matrimonium contractum inter infideles nunquam potest fieri verum Sacramentum, etiamsi postea baptizentur. Ita Petr. Ledes. de matri. q. 59. a. 2. ad 3. asserens esse plurimorum discipulorum D. Thomæ. Prob. quia matrimonium est essentialiter contractus inter baptizatos initus, qui hic nullo modo poni potest: nam neque contractus præteritus fuit initus inter baptizatos, & iam nullo modo in se existit: neque tales possunt de nouo matrimonium contrahere: quia non possunt sibi mutuo corpora tradere. nemo enim potest alteri tradere quod non est suum; atqui neuter iam habet potestatem proprij corporis, vt docet Apostolus 1. ad Corinth. 7. ergo non possunt ea sibi mutuo tradere. 25

Ledesma.

1. Cor. 7.

Respondent aliqui fieri nouum contractum, quia is qui antè erat naturalis, profanus & solubilis, fit sacer, insolubilis, & repræsentans vnionem Christi cum Ecclesia. Sed contrà Primò, si hoc sufficeret, sequeretur fideles consummantes matrimonium conficere nouum matrimonium & Sacramentum. quia quod priùs poterat per disputationem Pontificis, & ingressum Religionis solui, & tantùm repræsentabat vnionem Christi cum Ecclesia per gratiam, efficiunt insolubile & repræsentans vnionem Christi per incarnationem: vt habetur c. *Debitum.* 5. de digamis. Illud tamen est absurdissimum. Secundò, peritur apertè principium, quia sumitur fieri contractum sacrũ, &c. cùm tamen quæratur, an fiat contractus? quod nos negamus. Nec est verum, eum contractum immediatè repræsentare vnionem Christi cum Ecclesia. quia hoc per se non competit contractui, qui statim transit, sed vinculo matrimonij permanenti: quæ aliqui confundentes in absurda incidunt. Conantur tamen aliqui probare coniuges posse dici inire nouum contractum hoc ipso quo reddunt priorem magis insolubilẽ: quia Trident. sess. 24. c. 1. dicit Christum in lege noua instituisse matrimonium, quod tamen antè fuit. Sed hoc nec verum est (quia tantùm ibi dicitur Christum instituisse hoc Sacramentum, siue elevasse contractum matrimonij ad esse Sacramenti) nec etiam facit ad rem, quia Christus ibi innouauit aliquid circa ipsum contractum: coniuges autem per baptismum non innouant contractum, sed statum matrimonij. 26

c. Debitum.

Trident.

Ex his facilè erit soluere argumenta posita n. 8. Ad Primum, nego anteced. quia neuter eorum potest pro libitu solnere matrimonium aut contractum: sed 27

solus baptizatus id possit soluere, idque solùm in casu quo alter non vult conuerti, quod nullo modo est in baptizati voluntate. Secundò, nego etiam consequent. Quia coniuges matrimonium ratum multò magis antè consummationem possunt pro libitu soluere ingrediendo Religionem, quod in vtriusque potestate est: & tamen non dicuntur inire nouum contractum consummando. Ad Secundum Resp. id solùm probare ipsum vinculum matrimonij esse Sacramentum largè sumptum, vt patet ex dictis.

28 Dices Primò, Patres & DD. communiter dicunt matrimonium fidelium ideo habere maiorem insolubilitatem, quia est Sacramentum: ergo si matrimonium infidelium per baptismum acquirat hanc indissolubilitatem, etiam acquirit esse Sacramenti.

Resp. Patres loqui de Sacramento largè sumpto: quia agunt de vinculo matrimonij, quod non est nisi largo modo Sacramentum. Et sic concedo totum.

Dices Secundò, Tales coniuges baptizati habent idem vinculum & gratiamen, quod alij fideles coniugati: ergo debent habere eandem gratiam sacramentalem, quia qui sentit onus, debet sentire commodum.

Resp. negando conseq. quia idem gratiamen & vinculum erat in statu naturæ, imò maius; cùm tunc matrimonium ratum solui non posset per ingressum Religionis, & tamen tunc non habebant gratiam sacramentalem. Fateor tamen credibile esse Deum talibus maiores dare gratias præuenientes ad ferenda incommoda matrimonij, quàm det infidelibus, non ob Sacramentum matrimonij, sed quia fideles sunt, quibus ratione fidei ac baptismi diuina gratia magis debita & vbique parata est.

DVBIVM III.

Quæ sit materia, forma & minister Sacramenti matrimonij.

29 VAriæ hîc sunt sententiæ. Prima putat ministrum huius Sacramenti esse sacerdotem, & eius verba esse formam: verba autem contrahentium esse materiam, & hæc sine verbis sacerdoris tantùm efficere contractum ciuilem. Quia putant Sacramenti ministrum debere esse personam sacram. Ita Canus l. 8. de locis theolog. c. 5. Eftius in 4. dub. 26. §. 10. & 11. & ex illo Siluius in supplementum D. Thom. q. 42. a. 2. q. 1.

Canus.

Primò Probant, quia omnium aliorum sacramentorum minister saltem extrà casum necessitatis necessariò est Ecclesiasticus. Ergo etiam matrimonij.

Secundò quia, sicut aliud est pœnitentia, aliud sacramentum pœnitentiæ: ita aliud est matrimonium, aliud sacramentum matrimonij, cuius minister sit solus Ecclesiasticus.

Tertiò, quia Florent. docet omnia sacramenta perfici rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Vnde sequitur ad sacramentum necessariò requiri Primò vt Ecclesia per ministrum conferat sacramentum, & consequenter vt ipse id faciat tanquam minister Ecclesiæ. Secundò minister in huius sacramenti non posse esse laicum, quia hic non est minister Ecclesiæ. Tertiò, vt vtatur verbis propriè dictis pro forma, & consequenter contrahentes matrimonium non esse huius ministros, quia non necessariò vtuntur verbis propriè dictis.

Quartò Probatur quia sacramenta propriè dicta sunt sacræ cæremoniæ. Ergo eorum minister debet esse Ecclesiasticus.

Quintò, Soli ministri Ecclesiæ ad hoc ordinantur vt Sacramentum ministrent; ergo ad eos solos hoc spectat.

Sextò, Quia in aliis sacramentis nequit esse idem conferens & suscipiens, ergo nec in hoc.

Septimò, Alia sacramenta pro forma necessariò habent verba propriè dicta: Ergo & hoc.

Octauò, In aliis sacramentis est vnicus minister, Ergo etiam in hoc.

Nonò, Contrahentes præsertim clam vt fiebat antè Tridentinum, nesciunt se esse ministros Ecclesiæ aut debere habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, aut suscipiendi sacramentum. Ergo hæc non intendunt, & consequenter nec conficiunt sacramentum.

Decimò, Absurdum est à collatione alicuius sacramenti generatim excludi Sacerdotes & Episcopos. Ergo absurdum est matrimonij ministros esse contrahentes.

Vndecimò, 1. ad Corinth. 14. non permittitur mulieri in Ecclesiâ loqui. Ergo minus & permittitur conferre sacramentum.

Duodecimò, Christus summus sacerdos in Canâ Galilææ hoc sacramentum instituens nuptiis benedixit. Ergo hoc non pertinet ad laicos sed ad sacerdotes, vt per eos benedictionis gratia conferatur.

Decimotertiò, Absurdum est laicum esse ministrum sacramenti, & sacerdotem solùm benedictionis accessoriæ.

Decimoquartò, Olim clam contrahentes non putabant se esse sacrilegos si in peccato mortali contraherent. Ergo non suscipiebant sacramentum.

Decimoquintò, Concilium Meclinense, & quædam alia iuxta decretum Trident. sess. 24. c. 1. de reform. matrimonij iubent Parochum postquam sponsi mutuum consensum coram eo expressérunt, dicere, *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, &c.* Ergo parochus coniungit eos in matrimonio quatenus est sacramentum, alias ea verba essent falsa.

Decimosextò, Quia synodi Camerensis, & Colonensis c. 40. & in suo Enchiridio vocant sacerdotes benedicentes nuptias ministros huius sacramenti.

Decimoseptimò, Rituale Romanum iussu Pauli V. editum in Præfatione ait; *Cæterum illorum tantùm sacramentorum quorum administratio ad parochos pertinet ritus in hoc opere præscribuntur. Cuiusmodi sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema Vnctio, Matrimonium.* Ergo censet parochum esse ministrum sacramenti matrimonij.

Decimooctauò, Quia antè Tridentinum sponsi quandoque consensum suum exprimebant per copulam, & per eam contrahebant, & consequenter hæc tunc fuisset pars sacramenti; atqui hoc est absurdum, cùm illa tunc sicut alia clandestina matrimonia fuerint prohibita, & graue peccatum. Ergo, &c.

Decimononò, Quia in fine Concilij Constantiensis Martinus V. iuber suspectos de hæresi interrogari an credant quod Christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis vel extremæ vnctionis, vel solemnizationis matrimonij peccet mortaliter. Item Alexander 3. c. Cùm Ecclesia de simonia ait horribile esse quod pro sepulturis, & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid requiratur. Ergo censent benedictionem nupriarum esse sacramentum.

Vigesimò, Quia ea videtur sententia antiquorum Patrum: nam Euaristus Papa Epistola 1. docet coniugia inita sine benedictione sacerdotis non esse coniugia: sed adulteria. Ergo sentit illam esse de essentia matrimonij. Item Tertul. lib. 2. ad vxorem in fine, docet illud matrimonium esse Ecclesiæ sacramentum quod Ecclesia conciliat scilicet per suum ministrum.

S. Ambrosius Epist. 70. docet coniugium debere sanctificari benedictione sacerdotis.

Innocentius

Innocentius epist. 9. ad Probum dicit matrimonium fundari in diuina gratia quando celebratur. Celebrari autem non dicitur nisi quando solemniter more Ecclesiæ contrahitur. *Innoc. I.*

Item Concilium Carthag. 4. docet, sponsos à sacerdote benedicendos; & pro benedictionis reuerentia debere primâ nocte in virginitate permanere. Quod nequit intelligi de benedictione accidentali, quia illa benedictio iubetur omnibus nuptiis conferri, hæc solùm primis confertur, & cùm sit tantùm sacramentale non exigit tantam reuerentiam. *Carthag. 4.*

Vigesimo primò Probatur auctoritate antiquorum scholasticorum; nam D. Thom. l. 4. contra gentes c. 78. & in 4. d. 1. q. 1. ar. 3. ad 5. & 2. 2. q. 100. art. 3. in fine docet matrimonium per ministros Ecclesiæ dispensari, & ea quæ populo per ministros Ecclesiæ dispensantur dici sacramenta. Item pro matrimonio non posse dari pecuniam quatenus est sacramentum, ideóque pro benedictione nuptiarum prohiberi dari pecuniam. Item Guilielmus Parisiensis l. de Sacramentis tractatu de matrimonio c. 9. q. 1. negat matrimonium veri nominis sacramentum esse nisi sacerdotis ministerio fuerit consecratum. Vnde Bañez in 1. p. q. 1. a. 8. in fine docet Magistrum, D. Thom. Scotum & alios hanc difficultatem sub dubio reliquisse. Vnde saltem patet contrariam sententiam non fuisse constanter ab antiquis Theologis assertam. *D. Thom.* *Guil. Paris.* *Bañez.*

Sed hæc sententia nullo modo videtur probabiliter posse defendi.

Primò, quia exceptis paucis neotericis repugnat communi sententiæ omnium Theologorum docentium formam huius sacramenti esse verba contrahentium, vt docent Bellarminus lib. 1. de matrimonio c. 7. & Sanchius l. 2. de matrimonio disp. 5. & 6. Hinc Sotus in 4. disp. 26. quæst. 2. art. 3. circa medium testatur ante sua tempora neminem ex ijs qui sua typis mandarant contrarium docuisse, quod etiam ex refutatione obiectorum patebit. *Bellarm.* *Sanchez.* *Soto.*

Secundò, quia Concilium Florentinum in litteris vnionis generatim definit matrimonium nouæ legis esse verum sacramentum, nec vel leuiter insinuat ad hoc requiri vt contrahatur coram sacerdote, aut ab eo benedicatur, aut à sua decisione excipienda esse matrimonia aliter contracta. Confirmatur, quia cùm in explicatione cæterorum sacramentorum distinctè exposuisset eorum ministrum, materiam & formam; tandem de hoc Sacramento agens; *Septimum*, inquit, *Sacramentum est matrimonij, quod est signum coniunctionis Christi & Ecclesiæ secundum Apostolum. Causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Vbi cùm, vt patet ex ijs quæ de aliis sacramentis dixit, intendat explicare essentialiter ad hoc sacramentum requisita, hoc ipso quo solum recenset consensum contrahentium per verba de præsenti expressum nullâ factâ mentione benedictionis sacerdotalis, censet hanc ad huius sacramenti essentiam non requiri, sed eam consistere in solo dicto consensu ita expresso, alias manca omnino & imperfecta fuisset Concilij doctrina, imò multis fuisset iusta occasio errandi, meritò credentibus Concilium sicut in præcedentibus, ita in hoc sacramento intendere ea proponere quæ ei essentialia sunt. *Concilium Florent.*

Nec refert, quòd dicat, dictum consensum esse causam efficientem matrimonij; hoc enim dicit quia est causa efficiens vinculi ipsius matrimonij, quod etiam dicitur matrimonium. Vbi nota Concilium hæc verba, vno atque altero ad maiorem explicationem addito desumpsisse ex D. Thoma in 4. d. 28. art. 3. §. *Sed contra.* vbi ex eo quod in matrimonio clandestino repetiatur mutuus contrahentium consensus per verba de præsenti expressus: infert ipsum esse verum sacramentum. Deinde ibidem in corpore docet in ijs solis totam Sacramenti matrimonij essentiam consistere. Cùm igitur Florentinum eius verba in suum decretum voluerit transferre, nemini potest videri dubium quin eius sententiam approbarit. *D. Thom.* *Florent.*

Prob. Tertiò, quia Trident. sess. 24. initio differens de natura & effectibus matrimonij veterum patrum antè Christum, & Christianorum, hanc solam inter hæc differentiam agnoscit, quod hoc gratiam conferat, ac verum sit sacramentum, ideóque necessariò vnius cum vna, & omnino insolubile. Et deinde can. 1. generatim & sine vllâ exceptione definit matrimonium, scilicet Christianorum esse verum sacramentum, & deinde c. 1. de reform. docet matrimonia clandestina olim fuisse rata aut vera matrimonia, apertè ostendens ea contineri sub ratione matrimonij, quod docuit esse sacramentum. Nec aliter potest Concilium intelligi nisi velimus ipsum non solùm imperfectam sed omnino distortam, dubiam ac æquiuocam de matrimonio ibi tradere doctrinam, vtendo æquiuocè nomine matrimonij, modò pro contractu merè ciuili constante solo consensu contrahentium exterius expresso, modò pro sacramento constante benedictione sacerdotali. Item explicans quæ Christus addiderit matrimonio veterum, omisisset partem præcipuam, & omnino essentialem, scilicet sacerdotis benedictionem. *Trident.*

Prob. Quartò, quia cap. *Quanto.* De diuortiis. cùm pontifex docuisset coniugem ad fidem conuersum, si alter permanens infidelis nolit cum eo sine iniuria creatoris habitare, posse cum alia persona contrahere, secus tamen esse de fideli cuius coniux à fide ad infidelitatem deficit, subdit; *Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat; non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum existit: quia sacramentum fidei quod semel est admissum nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugij sacramentum.* Vbi docet characterem baptismi indelebilem, sine quo alia sacramenta inualidè suscipiuntur efficere vt baptizatorum matrimonium sit ratum sacramentum, quia nimirum efficit vt sit sacramentum, & consequenter ratum, sine quo tale non esset, apertè significans sola illa esse rata, quæ sunt sacramenta: vnde etiam communiter illa sola matrimonia vocamus rata, quæ sunt sacramenta: atqui Trident. suprà docet matrimonia fidelium clandestina vbi non sunt irritata esse matrimonia rata. Ergo sentit esse vera sacramenta. *Trident.*

Plura adferunt argumenta Bellarm. & Sanchez sup. sed hæc videntur mihi sufficere, vt communem sententiam clarè probent, præsertim cùm rationes in contrarium allatæ nullius omnino sint momenti, & plura sumant apertè falsa, & plurima ex illis si quid probarent, non tam probarent matrimonium, sine sacerdote contractum non esse sacramentum, quàm esse omnino nullum, vt patebit ex eorum solutione. *Bellarm.* *Sanchez.*

Ad Primum nego conseq. quia singula sacramenta aliquid habent speciale quo ab aliis differunt. & simili modo probaretur Sacramentum Ven. Eucharistiæ non consistere in re permanente, quia reliqua consistunt in actione transeunte. Item laicum & multò magis non baptizatum extra casum necessitatis inualidè baptizare, quod apertè falsum est.

Ad Secundum nego assumptum, scilicet contractum matrimonij inter fideles à sacramento distingui ac separari posse. hoc enim probandum est, & sine ratione assumitur.

Ad Tertium nego secundam & tertiam consequentiam. Nam etiam laicus potest conferre sacramentum vt minister Ecclesiæ, quia aliàs non posset baptizare. Item verbà ex mente Concilij non aliter debent censeri ad essentiam sacramenti requiri, quàm concilium docet ea requiri, quod cùm distinctè singula explicans

ad reliqua requisiuisse determinata verba, & consequenter propriè dicta; agens de matrimonio apertè docet solùm regulariter sine communiter requiri verba propriè dicta, & consequenter his posse substitui alia signa iis æquivalentia.

Ad quartum & quintum, nego conseq. quia aliàs laicus saltem extrà casum necessitatis invalidè baptizaret.

Ad sextum, septimum & octauum, nego consequentiam, nam vt patet ex responsione ad 1. est apertè nulla. Item sequeretur, nullum matrimonium esse verum Sacramentum; quia nullum aliud Sacramentum potest esse vnum in duobus, quod tamen necessariò competit matrimonio. Cùm enim hoc contrahitur, non duo, sed vnicum confertur Sacramentum.

Ad nonum, Respondeo antecedens in fidelibus bene instructis fallere; plurimi enim ista scium. Sed quidquid de eo sit, nego consequentiam, quia aliàs sequeretur, nescientes matrimonium esse Sacramentum hoc non suscipere, etsi in facie Ecclesiæ contrahant. Sicut igitur vt hvalidè hoc Sacramentum suscipiant, sufficit quòd id implicitè intendant, volendo facere quod alij fideles faciunt: ita talis sentio sufficit vt sibi Sacramentum ministrent: hoc ipso enim intendunt facere quod facit Ecclesia, & consequenter conferre & suscipere Sacramentum.

Ad decimum, nego antecedens: quod eodem iure negatur, quo sine alia probatione sumitur. Adde, spectata præcisè huius Sacramenti institutione, & sacerdotes & Episcopos posse esse ministros huius Sacramenti, si ipsi contrahant matrimonium quod iis iure diuino non est prohibitum. Quòd autem ipsi nequeant esse ministri matrimonij per alios contracti, non est magis mirum, quàm quod nequeant seipsos sicut alios à peccatis absoluere; nam sicut hic ex institutione Christi necessariò minister distinguitur à suscipiente, ita in matrimonio necessariò est idem.

Ad vndecimum, Respondeo solam eam locutionem mulieri in Ecclesia prohiberi, qua alios doceat aut de rebus fidei disputet. Nam cum Deo ibi licitè loquitur, sibi & aliis bona precando; & simili modo permittitur ei ibidem contractum matrimonij inire, & consequenter hoc Sacramentum conficere.

Ad duodecimum, Respondeo Primò, etsi totum concedatur, solum probare sacerdotis esse nuptiis benedicere, & sponsis gratiam Dei apprecari, ac bene dispositis impertare (quod libenter concedo) non autem ipsius esse his Sacramentum matrimonij conferre. Quod solum nego; & nemo non videt ex illo antecedente nulla probabilitate sequi, nisi fortè quis sit tam peregrinus in rebus fidei aut Scripturæ, vt aut nesciat solos baptizatos baptismo Christi esse capaces sacramenti matrimonij; aut non legerit Ioannis 3. v. 22. Christum diu post illas nuptias primùm cœpisse baptizare. Quare Respondeo Secundò, multò esse probabilius Christum non tunc, sed diu post sacramentum matrimonij instituisse, dum, vt dicitur Matth. 19. v. 4. & 5. matrimonium ad primæ naturæ statum reuocauit, abolitis polygamia, & libello repudij, vt cum plurimis docet Sanchez l. 2. de Matrim. disp. 4. Sanchez

Ad decimumtertium, nego assumptum: nam in eo apertè sine vlla ratione sumitur quod probandum est.

Ad decimumquartum, nego & antecedens generatim sumptum, & ipsam consequentiam. Vnde enim bonis illis viris constat omnes olim fuisse tam rudes vt nescirent matrimonium sacrilegè suscipi in peccato mortali? Aut qua probabilitate ex eo quòd hoc à talibus vulgò fuerit ignoratum, inferas matrimonium non esse Sacramentum? Certè eadem planè, qua ex eo quòd multi olim clàm contrahebant inferres eos existimasse id esse licitum; ac inde vlteriùs nullà tunc Ecclesiastica lege eos fuisse prohibitos hoc facere.

Ad decimumquintum, nego conseq. nec enim illa verba in dicto sensu possunt esse vera, nisi velimus ipsos coniuges non per mutuum consensum exteriùs coram Parocho priùs expressum, sed per dicta verba contrahere matrimonium; aut saltem nouum vinculum priori superaddi, quo hoc firmius & magis insolubile reddatur; vt alij videntur supponere. Quorum vtrumque apertè falsum est: prius falsum esse etiam ipsi concedunt. De secundo autem patet. Nam baptizati, qui in loco vbi Tridentinum non est receptum sine Parocho contrahunt, & qui vbi id est receptum, contrahunt coram testibus & Parocho nullum verbum pronuntiante (quod eos validè facere Cardinales ad id deputati sæpiùs responderunt) ac demum qui contrahunt coram testibus & Parocho ea verba pronuntiante, æquale omnino vinculum & matrimonium æqualiter indissolubile contrahunt. Nullus enim datur casus, quo vnum ex his matrimoniis possit solui, & alia non, si modò æqualiter sint consummata per carnalem copulam, aut non consummata. Quare dicta verba Parochi ne sint falsa, non in sensu quem iis affingunt aduersarij, sed metaphoricè intelligenda sunt, prout alij Doctores ea intelligunt, vt scilicet significent, *Declaro vos legitimè coniunctos, ac nomine Ecclesiæ coniunctionem vestram approbo; ac publicâ auctoritate eam confirmo: ita vt publicè & in facie Ecclesiæ ab omnibus firma ac rata inuiolabiliter haberi debeat.* Sicut contractus qui aliàs priuatim validè fieret, si coram magistratu ac Notario fiat, horum auctoritate confirmatur. Quod maximè locum habet post Tridentinum, cùm sacerdos sua præsentia dat firmitatem contractui matrimonij, qui aliàs esset innalidus. Et hac ratione sacerdos ei assistens potest dici minister matrimonij, tum etiam ratione sacrarum cæremoniarum, quæ ei ob reuerentiam Sacramenti adiunguntur, quarum minister est sacerdos. Tertiò, quia quatenus matrimonium est Sacramentum, ad sacerdotes pertinet fideles in eo suscipiendo dirigere, & dignos ad id admittere, & indignos ac inceptos arcere; & hac ratione dicuntur id administrare ac dispensare: sicut dicitur aquam putei dispensare, qui volentes haurire suo arbitrio admittit aut arcet.

Ad decimumsextum, Respondeo Synodum Colonien- Conc. Colon.
sem eiusve Enchiridium apertè pro nobis facere. Synodi verba dicto c. 40. sunt hæc: *Quòd Sacramentum* (scilicet matrimonij) *si quis sicut decet acceperit, accedente sacerdotali precatione confertur donum Spiritus*, &c. vbi apertè docet, per sacerdotalem precationem non conferri susceptionem Sacramenti, sed eam huic accedere, quod falsum esset, si esset eius forma. Ideòque consultò non dicunt sacerdote pronuntiante Sacramenti formam aut hoc iis conferente, sed accedente eius precatione, siue illo iis bene apprecante, conferri iis donum Spiritus sancti. quod addunt vt ostendant hanc precationem illicitè omitti, & consequenter eam omittentes esse indispositos vt effectum Sacramenti suscipiant.

Similiter Enchiridium Concilij nomine vulga- Enchirid.
tum in tractatu de matrimonio, §. *Verbum itaque.* docens quæ sit forma huius Sacramenti, ait: *Verbum* (id est, forma) *itaque huius Sacramenti, quo accedente ad elementum* (id est, ad materiam) *fit Sacramentum, id nimirum est, quo ambo mas & fœmina (quum pietatis respectu, quæ in Deum est, sibi mutuo fidem coniugalem dant accipiuntque) non quouis modo* (id est, non solùm contractu

ciuili sicut Gentiles) *sed in Dei nomine* (siue Sacramento à Deo instituto) *coniunguntur & copulantur.* Deinde addit nihil referre qua lingua coniuges ea verba proferant. Vbi clarè & expresè dicitur, verba, quibus coniuges sibi mutuò dant & accipiunt fidem coniugalem, esse verbum quo accedente ad elementum fit Sacramentum; siue esse formam ex qua simul cum materia componitur Sacramentum. Quare non satis video qua fide hæc illi contra nos citent, ex quibus tam apertè oppugnantur. Nec pro iis facit, quòd auctor illius Enchiridij ibidem, §. penult. dicat sacerdotem matrimonio assistentem esse huius Sacramenti ministrum. Hoc enim non ita intelligendum quasi hic verè & propriè conferat hoc Sacramentum (nam sic vt minimum deberet eius formam pronuntiare: quam tamen ille auctor suprà apertè docet pronuntiari à contrahentibus) sed quia ipse nomine Dei & Ecclesiæ sponsos coniungit, scilicet eorum coniunctionem approbando, eique publicam auctoritatem dando: iuxta dicta in responsione ad decimumquintum. Item quia sacerdos iis benedicit bona iis apprecãdo. Quod vel inde etiam patet, quia ille auctor Enchiridij ibidem dicit sacerdotem eodem modo iam esse ministrum Sacramenti matrimonij, sicut Raguel olim erat minister matrimonij Tobiæ & Saræ, eosque coniungebat; quod non potest propriè, sed solùm dicto modo intelligi: cùm enim inter hos non fuerit nisi contractus ciuilis, huius nulli alij potuerunt esse propriè ministri siue causæ efficientes, nisi contrahentes. Et simili ratione quidam alij dicunt sacerdotes esse ministros huius Sacramenti, quatenus nimirum ei dant publicam auctoritatem eique benedicunt, iuxta responsa ad 15.

Ad decimumseptimum, nego conseq. loquendo de ministro Sacramenti, prout hîc loquimur, qui scilicet ipsum Sacramentum conficit. Nec enim auctores illius Ritualis, aut illo loco, aut vlla illius libri parte intendebant docere, quinam essent ministri Sacramenti matrimonij: hoc enim ad finem ab iis aut à Pontifice intentum erat omnino impertinens: sed iis solùm erat propositum instruere Pastores circa ritus in administratione, siue dispensatione Sacramentorum obseruandos: qui planè iidem sunt, & eodem modo adhibendi siue minister Sacramenti sit Parochus, siue contrahentes. Numeratur igitur ibi matrimonium inter Sacramenta, quorum administratio ad Parochum pertinet, non quòd ipse hoc Sacramentum conficiat: sed quia contrahentes in eo conficiendo & suscipiendo debet dirigere, iisque benedicere, aliasque cæremonias adhibere, ac iisdem ita assistere, vt aliàs inualidè contrahant, nullumque Sacramentum suscipiant, vbi Tridentinum est promulgatum; atque ita sua assistentia efficere vt illud validè ac legitimè suscipiant. Quòd autem ibi administratio Sacramenti nequeat generatim accipi pro confectione Sacramenti, patet; quia Parochi in eo Rituali non instruuntur quomodo debeant conficere siue consecrare Ven. Sacramentum, sed quo ritu illud ægris debeant administrare, quo tempore hoc nullo modo conficiunt. Simili igitur ratione ibidem dicitur administratio Sacramenti matrimonij ad Parochos pertinere, non quòd debeant id conficere: sed quòd modo iam dicto debeant contrahentes, concedendo aut negando iis suam assistentiam, ad id suscipiendum admittere, aut ab eo repellere, atque ea ratione hoc iis dispensare, & in eius susceptione eos dirigere. Ex quibus patet ex dicto Rituali nullum omnino argumentum contra communem sententiam posse sumi.

Ad decimumoctauum, nego minorem: nec enim est vllum absurdum si per accidens ob hominum malitiam contingat actionem malam esse partem Sacramenti, vt ostendi suprà numer. 19. Adde, vix posse contingere, & vt credo numquam fortè contigisse, vt aliqui præcisè & strictè loquendo per ipsam copulam contraxerint. Cùm enim hanc liberè habitam necessariò præcedant vtrimque aliqua signa, aut etiam verba, quibus sibi mutuò significent se in eam consentire. Vix potest contingere casus, in quo ipsa copula sit sufficiens signum consensus in matrimonium; & illa signa eam præcedentia non sint tale signum; his autem positis matrimonium contractum est ante copulam.

Ad decimumnonum, Respondeo, si quid probaret, probaret solennem sponsorum benedictionem esse Sacramentum: de hac enim illis locis apertè agitur. Nam hæc vbique in iure & apud auctores dicitur solennizatio matrimonij, aut eiusdem benedictio, vt patet ex Tridentino sess. 24. cap. 1. de reform. matrimonij. Vbi cùm dixisset Parochum post datum ac acceptatum à sponsis vtrimque consensum in matrimonium, debere dicere: *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris*, &c. subiungit sponsos hortandos ne ante benedictionem sacerdotis in templo acceptam simul cohabitent. Et infrà suspendit sacerdotem qui alterius Parochiæ sponsos, siue illorum Parochi licentia coniungere, aut benedicere ausus fuerit, apertè ostendens hæc distingui. Nec credo vllum in Iure locum reperiri posse, vbi illa verba sacerdotis, *Ego vos coniungo*; aut similia vocentur nuptiarum benedictio aut solennizatio. Imò Ius sæpè apertè insinuat contrarium, dum non solùm, vt iam ostendi, illa distinguit, sed expresè vetat ne secundæ nuptiæ benedicantur, aut contractæ tempore Aduentus aut Quadragesimæ solennizentur. Cùm tamen etiam his iubeat à Parocho assistente adiungi ista verba, *Ego vos coniungo*, &c. Quod malè sine exceptione faceret, si crederet illorum verborum pronuntiationem posse dici nuptiarum benedictionem aut solennizationem. Dictis igitur locis nuptiarum benedictio & solennizatio recensentur cum Sacramentis, non quòd ipsa secundùm se sint Sacramenta, sed quia matrimonium Sacramentum est. Adde, iisdem ibidem annumerari sepulturam mortuorum, & celebrationem exequiarum, quæ constat nullo modo esse vera Sacramenta. *Tridentini*

Ad vigesimum, Respondeo omnes illas auctoritates non magis probare intentum, quàm probent plura quàm septem esse Sacramenta: adeò vt non credam hominem vel mediocriter doctum posse sibi bona fide persuadere ex iis pro ista sententia vel probabile posse sumi argumentum, vt ex dicendis patebit. Si enim locus ex Eucharisto citatus (vt omittam eum apertè loqui de benedictione solenni, quæ fiat cum precibus & oblationibus) faceret ad rem, sequeretur, benedictionem sacerdotis esse de essentia non tam ipsius Sacramenti (cuius ibidem nulla specialis fit mentio) quàm ipsius contractus matrimonij, adeò vt aliter contractum omnino esset inualidum. Imò sequeretur, hoc esse inualidum si contraheretur non petita venia parentum aut tutorum, aut fine dote, &c. quæ salua fide dici nequeunt: dicitur ergo ibidem aliter contractum, non esse matrimonium, sed adulterium, quo ad forum externum, in quo aliàs non probatur legitimum. Et hoc sensu, vt suprà monui, sacerdos assistens dicitur sponsos coniungere matrimonio, quatenus huic publicam auctoritatem præbet.

Verba Tertulliani sunt hæc: *Vnde sufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio*, &c. Quæ quid faciant ad rem præsentem, aut vbi in iis habeatur nomen Sacramenti, videant qui hoc illis addiderunt. *Tertull.*

Ambros. 5. Ambrosius in epistola illa septuagesima agit contra fideles, qui cum infidelibus matrimonia contrahunt, sicut etiam Tertullianus suprà. Verba autem eius sunt hæc: *Nam cum ipsum coniugium velamine sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat; quomodo potest coniugium dici, ubi non est fidei concordia?* Inferunt illi, ergo hæc verba sacerdotis: *Ego vos coniungo*, &c. sunt forma huius Sacramenti, relinquunt autem tanquam per se notam hanc minorem subsumendam: atqui benedictio nuptiarum iuncta cum velamine sacerdotali, siue cum impositione veli, quo sponsæ capitolim obnubebatur, aut, vt iam quibusdam locis fit, impositis super sponsos extremitatibus stolæ, est pronuntiatio istorum verborum, *Ego vos coniungo*, &c. Item nulla alia benedictione quàm hac potest coniugium dici sanctificari; ergo, &c. Sanè si hæc minor contra modum loquendi & auctoritatem communem Iuris & auctorum, & contra apertam veritatem alicui persuadeatur, facilè eidem persuadebitur consequentia.

Innocent. 1. a Ad Innocentium, Respondeo Primò, eum malè citari, verba eius sunt: *Statuimus fide Catholica suffragante, coniugium illud esse, quod erat primitus* (id est, priùs quàm secundæ nuptiæ inualidè contraherentur) *fundatum diuina gratia comentumque.* Quæ si quid probent probant conuentionem siue mutuum consensum viri & mulieris esse causam cur matrimonium fundetur in diuina gratia, & consequenter à nobis faciunt. Respondeo Secundò, etsi totum esset verum quod illi sumunt, nulla probabilitatis specie inde inferri; ergo illa verba sacerdotis, *Ego vos coniungo*, &c. sunt forma Sacramenti, quia hæc nihil habent commune cum solenni celebratione nuptiarum, vt suprà ostendi.

Concilium Carthag. Ad Concilium Carthaginense, Respondeo id apertè loqui de benedictione solenni & matrimonio accessoria. Primò, quia loquitur de benedictione ad quam sponsi à paranymphis deducuntur, quòd propriè solemni conuenit. Secundò, quia, vt ostendi suprà, hæc sola à Iure & canonibus dicitur benedictio nuptialis. Tertiò, quia apertè indicat se loqui de benedictione quæ non omnibus nuptiis adhibetur. Ait enim: *sponsi enim benedicendi sunt*, &c. Frustra autem adderet *cùm*, si omnes omnino essent benedicendi. Viderint ergo alij vnde probent, quod vt certum sumunt, concilium loqui de benedictione necessariò omnibus nuptiis adhibenda. Quòd autem sponsi iubeantur pro reuerentia benedictionis coniugij vsu ea nocte abstinere, non est mirum, cùm eo tempore vulgò pro scelere habitum fuerit vti coniugio eo die quo cryptas Martyrum visitassent: vt ex multis historiis patet.

Ad vigesimum primum, Respondeo ex dictis in responsione ad 15. & 16. facilè patere quo sensu D. Thomas & quidam alij dicant sacerdotes esse ministros huius Sacramenti, & id dispensare; nec plura addenda puto in re clara. Et si ij qui contrarium tuentur, veritatem quærerèt, facilè perspicerent quid D. Thomas hac de re sentiat; cùm ipse mentem suam clarissimè exprimat in 4. d. 26. art. 1. ad 1. vbi ita ait, *Ad primum dicendum quòd verba quibus consensus matrimonij exprimitur, sunt forma huius Sacramenti: ... autem benedictio sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale.* Idem expressè repetit disput. 28. art. 3. in corpore, ac inde concludit matrimonium clandestinum esse verum Sacramentum. Cumque secundo loco obiecisset sibi in Sacramento pœnitentiæ, actus confitentis esse de essentia Sacramenti, & tamen h non perfici sine ministris Ecclesiæ, idemque videri dicendum de matrimonio; Respondet esse diuersam vtriusque rationem, atque adeò sacerdotis benedictionem non esse de essentia Sacramenti matrimonij. Cùm igitur in his locis in quibus hanc difficultatem ex professo disputat, ita clarè suam sententiam exponat; nescio an alicui viro prudenti possit videri veritatis amans, qui his neglectis eam ex aliis quibusdam locis, in quibus obiter & obscurè quædam huc spectantia tangit, conantur colligere, & contendunt clara potiùs esse interpretanda per obscura quàm contrà; ac si veritatem quam oculis clarè inspicis, conaris coniecturis ex variis auditis remusculis elidere. Adde, ex iam dictis facilè esse alia D. Thomæ loca ita explicare, vt cum his nullo modo pugnent.

Gull. Paris. Ad Gulielmum Parisiensem, Respondeo eum omnino impertinenter citari. Primò, quia ipse ibi loquitur de benedictione solenni & orationibus quas sacerdos tempore sacrificij super sponsos recitat, vt patet ex cap. 6. circa medium, vers. *Habet etiam matrimonium.* vbi docet hanc sine necessitate omittens non esse habendos coniuges, sed fornicarios. Solemnem autem benedictionem ij contra quos disputamus, fatentur esse accidentalem huic Sacramento. Secundò, quia dicto cap. 9. non dicit matrimonium sine ea benedictione non esse verum Sacramentum; sed apertè contrarium docet, & solùm insinuat non esse veri nominis Sacramentum, quando ea benedictio contemnitur. Verba eius sunt: *Verùm autem Sacramentum veri nominis & sacramentalis virtutis sit, si præter nuptialem benedictionem & orationem quam habere potest contrahatur? Verum certum est quia & sacrum signum est & sacrans siue sanctificans virtute essentiali seu contrarietatis, vt diximus; & forsitan meritò, dummodò nuptialis benedictio non contemnatur* (vt fit quando ex necessitate omittitur, quia sacerdos haberi nequit, vt docet c. 6. suprà citato) *sed virtutem sacramentalem omnino non habet, nec veri nominis est Sacramentum, nisi sicut diximus*, id est, quando non contemnitur benedictio. Vbi expressè docet, matrimonium ex virtute siue ratione sua essentiali, qua contrariatur fornicationi & similibus vetitis voluptatibus, vt initio capitis explicauit, esse signum sacrum & sacrans siue sanctificans: in quibus apertè consistit essentia Sacramenti. Addit verò, *dummodò nuptialis benedictio*, &c. quia cùm hanc contemnentes ponant obicem gratiæ, matrimonium non est in iis signum actu sanctificans, & consequenter non exercet in iis sacramentalem virtutem, & ob hanc causam negat in iis esse veri nominis Sacramentum, quia ratione obicis non exercet in iis virtutem Sacramenti, atque ita videtur ea carere.

Bañez. Magister. D. Thom. Scotus. Ad Bañez, qui 1. p. q. 1. art. 8. dub. vlt. in responsione ad 3. docet Magistrum, D. Thomam & Scotum in hac difficultate hæsisse dubios, respondeo eum apertè falli. Nam omnes hi apertè docent, consensum coniugum per verba de præsenti expressum esse formam huius Sacramenti, nec vllibi insinuant se de hoc dubitare. De D. Thoma patet ex dictis. De Magistro D. Thom. Magister. patet ex 4. d. 28. §. *Præmisse autem.* vbi ait: *In huius autem Sacramenti celebratione, sicut in aliis, quædam sunt pertinentia ad substantiam Sacramenti, vt consensus de præsenti* (scilicet exteriùs expressus) *qui solus sufficit ad contrahendum matrimonium: quædam verò pertinent ad decorem & solennitatem Sacramenti, vt parentum traditio, sacerdotum benedictio*, &c. Quæ verba clarè & sine dubitatione exprimunt quid senserit. Et donec clarè probetur dubitasse, malè ei imponitur. Similiter Scotus in 4. d. 26. quæst. vnica, §. *Sed hic est dubium*, expressè docet formam huius Sacramenti esse verba quibus contrahentes consensum de præsenti exprimunt: ipsosque eum ita exprimentes esse ministros Sacramenti: nec vllibi insinuat se de hoc dubitare. Sed solùm videtur dubitare, verùm quæuis verba aut sign sufficientia ad contractum sufficiant ad Sacra- Scotus.

DVBIVM VII.

Vtrum, vt valeat matrimonium, consensus vtriusque contrahentis debeat simul existere?

54 AGimus hic præcipuè de consensu actuali, de quo quatuor sunt sententiæ. Prima absolutè docet vtriusque consensum debere esse simul. Primò, quia consensus contrahentium sunt sibi mutuò materia & forma: atqui materia & forma Sacramentorum debent esse simul: ergo & illi consensus. Secundò, quia *l. Continuus.* l. *Continuus.* 137. ff. de verb. oblig. dicitur, *continuus actus stipulantis & promittentis esse debet.* Tertiò, quia aliàs non posset esse consensus mutuus. Sic cum alijs *Panorm.* Panorm. c. *Dilectus.* de sponsalibus, in fine.

Secunda sententia docet, nihil referre quantocumque tempore consensus inter se distent. Ita *Maior. Navar.* Maior in 4. d. 27. q. 1. Navar. c. 22. n. 80.

Tertia est media, & docet requiri, vt non ita distent quin moraliter possint dici simul existere. Ita *Sotus. Lopez. Vega.* Sotus in 4. d. 27. q. 1. 2. 3. §. *Sed alia hinc.* Lopez 2. p. instructorij de matr. c. 39. Vega l. 3. Sum. c. 75. Quanto autem interuallo vterque consensus distare possit, vt censeatur esse simul, auctores illi discrepant.

Quarta sententia docet, primam sententiam esse veram vbi Tridentinum est promulgatum, quia aliàs non potest Parocho & testibus constare, coniuges in se mutuò de præsenti consentire, quod tamen necessarium est.

55 CONCLVS. I. Non est necesse vt actualis vtriusque consensus sit simul. Prob. Primò, quia hic contractus sequitur alios contractus: atqui in his non est necesse vt vtriusque consensus sit actu simul, quia aliàs inter absentes celebrari non possent: ergo nec est necessarium in matrimonio. Secundò, quia, vt ostendam dub. 9. matrimonium validè potest contrahi per procuratores: sed tunc sæpè vnius consensus præcedit consensum alterius, & dum contractus fit, neutrius consensus actus est: ergo non est necessarium, vt dum contrahitur, vtriusque consensus simul existat. Tertiò, quia etiam in Pœnitentia ipsa confessio, quæ est materia huius Sacramenti, potest diu præcedere absolutionem, quæ est ipsius forma: ergo matrimonio, etiam quà Sacramentum est, non repugnat vnam eius partem diu poni ante aliam. Ex quo patet solutio ad Primum argumentum positum numero 54. Ad Secundum Respondeo, illa lege solùm agi de stipulatione, cui hoc est singulare contra naturam aliorum contractuum. Ad Tertium, nego assumptum, ad hoc enim sufficit vt vterque sit simul habitualiter, & secundùm moralem æstimationem.

56 CONCL. II. Ad valorem matrimonij requiritur, vt dum contrahitur, vtriusque partis consensus semel saltem habitualiter existat. quia aliàs non possent simul in vnum contractum coalescere, qui ad hoc requiritur vt adhuc aliquo modo sint. hæc videtur mens auctorum tertiæ sent.

Quid sit consensum alicuius habitualiter perseuerare. Vbi Nota, quando quis in aliquam rem consensit, eius consensum habitualiter & secundùm moralem æstimationem censeri tam diu perseuerare, donec explicitè vel implicitè reuocetur. Hinc consensus habitus sub conditione futura, hac posita, etsi consentiens dormiat, censetur perfici & fieri absolutus, eodem modo ac si tunc actu eliceretur.

57 Qua in re aliqui putant eum consensum nullo modo verè secundùm se aut actu aut habitu permanere, sed solùm dici permanere, quia manet obligatio habendi eum ratum. Sed hoc dici nequit. Primò, quia matrimonium non ex illa obligatione, sed ex mutuo consensu tanquam ex partibus essentialibus componitur: ergo dum hoc actu contrahitur, illi consensus debent aliquo modo saltem habitualiter, & secundum æstimationem moralem verè existere, quia nihil potest actu componi ex rebus, quæ nullo modo existunt, quia tamen matrimonium est magna ex parte ens morale, ad eius esse non requiritur physica omnium partium actualis coëxistentia. Secundò, quia aliàs quamdiu maneret illa obligatio, tam diu censeretur ipse consensus permanere, saltem sufficienter ad valorem contractus, quod tamen falsum est, quia aliàs qui animo verè contrahendi mandauit suo procuratori, vt cum aliqua de præsenti contrahat, postea per eum validè contraheret, etsi priùs eo inscio consensum sine iusta causa reuocasset: quia manet obligatio eum habendi ratum, siue in eo perseuerandi. Illud autem apertè falsum est. Tertiò, quia etiam in casibus in quibus apertè perseuerat obligatio habendi ratum primum consensum, sæpè solet peti, an is qui consensit in eo consensu perseueret; & in casibus in quibus quis tenetur suum consensum reuocare, secundum communem tamen modum loquendi, ipse dicitur in eo habitualiter perseuerare, donec eum aliquo modo saltem virtualiter reuocarit. Vnde patet, secundùm communem sensum aliud esse aliquem obligare vt permaneat in priore consensu, aliud verò ipsum de facto in eo permanere.

permanere. & manere obligationem ea habendi.

CONCLVS. III. Hic consensus tam diu habitualiter perseuerat, donec saltem implicitè reuocetur, & tunc statim omnino esse desinit, hoc autem fit, quando is qui antè in vnam consensit, vult cum alia contrahere: aut quando aliquis vel explicitè vel implicitè pro certo tantùm tempore consensit; ita vt nisi intra illud fuerit perfectus contractus, noluerit vlteriùs in eum consentire, tunc enim lapso eo tempore, consensus omnino desinit, quoties autem nullum tempus definitè præscribitur, omnes censentur implicitè saltem indeterminatè aliquod tempus contractui perficiendo ita præscribere; quia nemo est qui velit perpetuò alterius consensum expectare, & de statu suo continuò permanere suspensus. Quantum autem tempus hoc casu debeat effluxisse, vt quis censeatur suum consensum ita reuocasse, non potest generatim præscribi; sed prudenti iudicio ex varijs circumstantijs spectandum est. Nam potest fieri vt quandoque sit breue, vt quando quis volens citò inire matrimonium, in aliquam præsentem consentit, quæ nullam obijcit causam, cur diu debeat consensum differre. Contrà potest fieri vt sit longum: vt quando quis per litteras consentit de præsenti in aliquam quæ procul abest, & quam scit habere multas difficultates ob quas non possit facilè se resoluere an velit eius matrimonium acceptare: tunc enim censetur consensum suum velle diu durare. Item quando vnus bona fide contraxit cum ea, quæ solùm fictè consensit; ille tam diu manet in priore consensu, quàm diu perseuerat in isto matrimonio.

58 *Quando censeatur aliquis implicitè suum consensum reuocare.*

CONCLVS. IV. Etsi rariùs, tamen absolutè loquendo, quæ dixi possunt habere locum etiam vbi Tridentinum est receptum. Patet Primò, quando aliquis per procuratores coram Parocho & testibus contrahit; quod etiam modò fieri posse ostendam dub. 9. Secundò, si aliquis coram Parocho & testibus in vnam de præsenti consentiret, daretque ei tempus vt posset deliberare, & committeret vni curam, vt postea suo nomine alterius consensum coram ijsdem acceptaret. Sed hæc sine necessitate, quæ vix potest occurrere, nisi fortè inter Principes, non sunt in praxi admittenda, quia securius est, & omnino decet, vt vterque simul coram Parocho & testibus consentiat.

59

Non sunt idem aliquem consensum habitualiter

DVBIVM VIII.

Qua ratione consensus internus debeat necessariò externis exprimi?

60 VAriæ hac in re sunt sententiæ. Prima docet, totam essentiam matrimonij consistere in interno consensu: externa autem signa solùm requiri tamquam conditionem necessariam, vt vtrique parti consensus interni possint innotescere, vt videtur colligi ex c. *Cùm locum.* 14. de sponsalibus, vbi dicitur: *Matrimonium autem solo consensu contrahatur.* Item ex c. *Tua.* 25. eodem tit. vbi dicitur: *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum: sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia de præsenti.* Sed hæc Iura non faciunt ad rem, quia non intendunt condistinguere internum consensum ab externis signis, quibus exprimitur; aut docere eum per se præcisè sufficere ad contractum: sed in priore cap. distinguitur consensus liber ab eo qui ex metu præstatur, & dicitur illum solum, non autem hunc ad matrimonium sufficere. In secundo distinguitur consensus verbis expressus ab eo qui solo nutu exprimitur, vt patet ex contextu: & dicitur non solùm per illum, sed etiam per hunc matrimonium contrahi. Citatur pro hac sententia Maior in 4. d.26.q.1.ad 3. sed hoc ibi non dicit.

c. Cùm locum. c. Tua. Maior.

61 Secunda sententia docet, in iis qui loqui possunt expressa verba esse necessaria ad valorem matrimonij, non quidem ex institutione Christi; sed quia Ecclesia tales reddit inhabiles ad aliter contrahendum, sicut omnes reddit inhabiles ad clandestinè contrahendum. Prob. ex c. *Tua.* citato, vbi dicuntur verba esse necessaria quantum ad Ecclesiam, & similiter multa alia Iura dicunt, verba ad hunc contractum requiri. Ita multi apud P. Sanchez l.2. disp.31. nu.2. sed illa Iura nihil probant. quia c. *Tua.* solùm dicitur verba esse necessaria quoad Ecclesiam: quia nimirum Ecclesiæ vsus obtinuit vt valentes loqui verbis contrahant: quia aptiora sunt ad consensum exprimendum, quare necessaria sunt saltem ad benè esse, vt tam Ecclesiæ, quàm contrahentibus melius constet de mutuo vtriusque consensu. Reliqua Iura non dicunt verba præcisè esse necessaria, sed aliqua externa signa. Faciunt autem mentionem verborum: quia internus consensus soleat per ea exprimi. Confirm. quia ex eo quòd correctio Iuris sit odiosa, nunquam Ius nouum censetur antiquum corrigere, nisi id omnino clarè exprimatur, vt patet l. *Præcipimus.* 32. §. vlt. C. de appellantibus. atqui non minùs odiosum est aliquos contractus spectato solo iure naturæ & diuino validos reddi inutiles: præsertim quando iam eleuati sunt ad esse Sacramenti: ergo sine claro textu non est credendum hoc fieri, nullus autem talis textus adferri potest.

c. Tua. Sanchez. Correctio Iuris non est admittenda sine necessitate. l. Præcipimus.

Tertia sententia docet, verba esse necessaria vt matrimonium habeat rationem veri Sacramenti. Quia Florentin. in litteris Eugenij, docet omnia Sacramenta perfici re aliqua tamquam materia, & verbis tamquam forma. Ita Canus l.8.de locis Theolog.c.5.ad Florent. Canus. Sed dicta ratio nihil probat; quia idem Concilium ibid. §. *Septimum est*, satis expressè ab hac regula ex parte Sacramentum matrimonij excipit: vbi docet hoc regulariter, siue ordinariè perfici mutuo consensu verbis expresso: clarè ostendens ipsum extraordinariè signis perfici.

62 Quarta sententia docet, in iis qui loqui valent verba esse saltem de necessitate præcepti. ita Petr. Ledes. & Manuel apud Sanch. l. 2. d. 31. n. 9. Quibus videtur fauere c. *Tua.* citatum. Alij tamen id negant, volunt que secluso scandalo solum esse peccatum veniale, facere contrarium. Ratio est, quia nullibi extat tale præceptum: nam c. *Tua.* citatum, non videtur continere præceptum, sed solùm docere quid conueniat. Ita Sotus in 4.d.27. q. 1.a. 3. concl. 2. §. *Ex huiusmodi.* vbi insinuat tales ex æquitate ad hoc teneri, & apertè docet Sanchez l. 2. d.31. n. 10. Petri Ledes. Manuel. Sanchez. c. Tua. Sotus. Sanchez.

63 CONCL. I. Exterior expressio interni consensus est pars essentialis ipsius contractus matrimonij, atq; adeò Sacramenti. Ita Sotus in 4.d. 27.q. 1.a.3. concl. 1.v. *Verumtamen.* Victoria in Summa nu. 250. & cum aliis P. Sanchez l. 2. d. 30. n. 3. Prob. quia matrimonium est essentialiter contractus humanus: atqui omnis contractus, aut pactum humanum essentialiter requirit internum consensum externo signo expressum, ex quibus tanquam ex partibus vnum integrum actum humanum, siue promissionem, siue traditionem constituentibus componitur: ergo hæc externa signa sunt de essentia matrimonij. Confirm. quia vt aliquis internus consensus habeat rationem veræ promissionis aut traditionis, debet necessariò ad alterum dirigi, ita vt hic eum acceptare possit: atqui hoc fieri nequit sine aliquo signo externo: ergo hoc est de intrinseca ratione promissionis aut traditionis. Tertiò, quia matrimonium baptizatorum iam est necessariò Sacramentum: at qui de essentia Sacramenti est vt sit signum sensibile: ergo est de essentia matrimonij. Sotus. Victoria. Sanchez. Omnis contractus essentialiter requirit internum consensum externo signo expressum.

Hinc sequitur, si duo merè internè quantum possent in se mutuo consentirent, & Deus vtrique alterius consensum reuelaret, non fore matrimonium, quia illi consensus cùm non possint efficaciter ab vno ad alterum dirigi, non possent habere rationem mutuæ traditionis: & cùm non essent sensibiles, non possent habere rationem Sacramenti. Imò hoc corollarium verum esset, etsi vterque sciret Deum ita reuelaturum mutuos consensus, & vterque intenderet per eam reuelationem suum consensum ad alterum dirigere: aut quamuis Deus miraculosè efficeret, vt more angelico possent sibi mutuò loqui per internas cogitationes, nisi aut contrahentes non essent baptizati: aut Deus dispensaret vt baptizati possent contrahere matrimonium sine Sacramento. Nam etsi tunc illi actus sufficerent ad rationem ciuilis contractus, non tamen ad rationem Sacramenti, quod essentialiter est signum sensibile. 64 Sine externo signo nunquam contrahitur matrimonium.

CONCLVSIO II. Non solùm muti, sed etiam valentes loqui validè contrahunt matrimonium per nuda signa, sine vllis verbis, modò illa sufficienter exprimant internum consensum de præsenti. Hæc conclusio est communis DD. & tàquam indubitata supponitur c. *Is qui.* 30. de sponsalibus, quia ibi supponitur sponsos per solam copulam posse contrahere matrimonium, si eam maritali affectu habeant. Confirm. quia certum est spectata sola Christi institutione eos posse per nutus aut similia signa contrahere, quia aliàs muti non possent contrahere: atqui Ecclesia nullibi eos reddit inhabiles ad sic contrahendum, quia, vt ostendi n. 60. nullibi tale Ius extat: ergo nihil obstat quo minùs validè sic contrahant. 65 c. Is qui.

CONCL. III. Matrimonium nutibus contractum, est verum Sacramentum. Est etiam communis & certa. Primò, quia, vt sæpiùs suprà dixi, omne matrimonium baptizatorum est necessariò Sacramentum. Secundò, quia nihil ei deest, quod pertineat ad rationem Sacramenti. Tertiò, quia hoc etiam clarè innuit Florentin. vt ostendi n. 61. 66 Florent.

CONCLVS. IV. Omnino decet eos qui loqui possunt, verbis suum consensum exprimere, quia hoc est ferè necessarium, vt omnino clarè tam partibus quàm Ecclesiæ de eo constet. quod in re tanti momenti omnino fieri conuenit. quare Parochi nullo modo deberent permittere vt aliter fiat. Quòd si tamen ex aliqua causa sine scandalo, alióve periculo aliter fiat, Quale peccatum sit

contrahere sine nullo fiat, satis probabile est non esse peccatum mortale; quia nullibi est expressè prohibitum.

DVBIVM IX.

Vtrùm matrimonium possit contrahi per procuratores?

67 Ad contrahendum per procuratorem tria requiruntur. *Trident.*

HAc in re certum est matrimonium validè ita contrahi in locis vbi Trident. non est receptum, hoc enim apertè habetur c. fin. de procuratorib. in 6. vbi tamen ad hoc requiruntur tres conditiones. Prima, vt procurator habeat speciale mandatum ita pro altero contrahendi, quia nemo quantumcumque alicui omnia sua negotia gerenda committat, censetur ei committere vt suo nomine matrimonium contrahat, nisi hoc specialiter expresserit, quia hoc negotium valdè diuersum est ab omnibus alijs: & cùm contractus matrimonij maximi momenti sit, & à quo totius vitæ status pendeat, nemo censetur velle cum aliqua cõtrahere, nisi aliquo modo eam priùs nouerit, & expressè in eam consenserit. Vnde etiam non sufficit dominum generatim suo procuratori dedisse mandatum vt sibi commodam vxorem quærat, nisi quæsita in particulari describatur, & hic in eam consentiat: vt habetur l. *Generali.* 34. π. de ritu nuptiarum. Excipe casum quo aliquis expressè consensisset in eam quam procurator eligeret: & mandasset vt suo nomine cum ea sine alio responso contraheret.

Non sufficit generale mandatum quærendi vxorem. *l. Generali.*

68 Secunda conditio ibidem requisita est, vt procurator per se hoc negotium peragat. Nec enim potest alium substituere, nisi hoc in mandato sit expressum, nam censetur electa industria personæ.

Tertia conditio est, vt constituens procuratorem, consensum non reuocarit antequam cõtractus sit initus. Etsi enim cæteri contractus validè fiant per procuratores, etiam post reuocatum mandatum, quamdiu reuocatio nec procuratori, nec parti innotuit: vt habetur l. *si mandassem.* 15. π. mandati. & l. 1. π. quod iussu. §. 2. & facit clement. vnica de renuntiatione. & cap. *Ex parte.* de rescriptis. Secùs tamen est in matrimonio. Cuius ratio est, quia in alijs contractibus Ius potest supplere consensum partis: secùs est in matrimonio, quod nullo modo constare potest, si deficiat partis vnius consensus: vt dicto c. vlt. de procuratorib. dicitur.

l. Si mandassem. *c. Ex parte.* Cur matrimonio magis sit essentiale vt consensus non sit reuocatus.

69 Qualis reuocatio irritet matrimonium.

Hinc si mandans contrahi matrimonium iurauerit se non reuocaturum consensum, peccabit quidem sine iusta causa eum reuocando, validè tamen reuocabit. Hinc etiam in foro conscientiæ sufficit sola mentalis reuocatio mandati, quia hæc omnino tollit consensum. Pro foro tamen externo necessarium est, vt reuocatio probetur facta ante contractum initum. Sufficit tamen implicita reuocatio (vt si mandans cum altera contrahat sponsalia) idque etiam in foro externo, modò probari possit. His adde Quartam conditionem, vt procurator non excedat fines mandati. Si enim hos excesserit, nihil agit. v. c. mandarum sit ei vt contrahat cum Catharina certa dote constituta; inualidè contrahit aut nulla, aut minore constitura. Idemque est in cæteris conditionibus. Ita habetur l. *Diligenter*, π. mandati.

l. Diligenter.

70 Qui dato mandato fit amens, validè per procuratorem contrahit.

Nota, eum, qui semel validè alicui dedit mandatum suo nomine cum aliqua contrahendi, validè per ipsum cum ea contrahere, etsi postea omnino sui mãdati obliuiscatur; imò etsi paulò post amens fiat, modò mandatum numquam reuocarit. Quia, vt quis validè per procuratorem matrimonium contrahat, non requiritur vt vtatur ratione dum contractus celebratur (nam aliàs si tunc dormiret, aut omnino ebrius esset, inualidè contraheret. quod absurdissimum est:) sed sufficit quòd omnino liberè illud mandatum dederit, nec id postea reuocarit. Ita Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 4. numer. 4. & Sanchez l. 2. disp. 11. num. 12.

Henriquez. *Sanchez.*

Dices, Si quis per se contraheret dum omnino ebrius est, aut amens, nihil efficeret, etsi antè intendisset ebrius contrahere, vt ostendi d. 21. n. 18. ergo idem dicendum est quando per procuratorem contrahit. Resp. negando consequ. Quia in priore casu externus contractus non est actus liber & humanus, quod tamen ad essentiam contractus requiritur. In secundo verò modò procurator dum contrahit, vtatur ratione, externus contractus est verè liber & humanus, etiam prout tamquam actus imperatus, secundùm moralem æstimationem procedit à mandãte: ad quod sufficit, vt hic liberè eum mandauerit, quia hæc mandatio sola ex parte mandantis est causa illius contractus, & hic ab illa sola habet quòd respectu mandantis sit actus liber; & omnes actus sequentes ab ipso mandante exerciti, modò non intercedat reuocatio mandati, sunt omnino impertinentes.

71 Cur ebrius possit potiùs cõtrahere per procuratorem quàm per se.

His positis difficultas est Primò, Vtrùm si quis fictè dederit suo procuratori mandatum cum aliqua contrahendi, vt contractus valeat, sufficiat ipsum antequam hic ineatur, verè in eum consentire, eumque ratum habere. Quidam id affirmant; sed credo contrarium omnino dicendum esse. Quia vt contractus valeat actus procuratoris debet tamquam ab imperante procedere à libero consensu mandantis, tamquam eius signum, nam procurator habet se tamquam index & interpres consensus ipsius mandantis: atqui in illo casu hoc non fieret. (Nam verus consensus, qui in mandante sequitur ipsum mandatum, nullo modo potest huius esse causa, aut mouere procuratorem ad contrahendum;) ergo eo casu contractus esset nullus. Confirm. quia, sicut inter præsentes se habet externa locutio respectu interni consensus: ita inter absentes se habent verba procuratoris respectu consensus ipsius mandantis. Sicut enim internum meum consensum per externam locutionem dirigo ad præsentem, illumque huic significo: ita eumdem per procuratorem dirigo ad absentem, eumque ei significo, atqui si primò fictè dicerem alicui præsenti me in eam consentire, contractus esset nullus, etsi antequam ipsa suum consensum exprimeret, verè in eam consentirem, modò hoc nullo externo signo exprimerem, quia externa traditio nullo modo esset signum veri interni consensus: non prioris, quia hic esset fictus: non etiam secundi, quia, cùm ab hoc non procederet, non posset eius esse signum, vt ostendi d. 4. num. 144. ergo idem dicendum est de eo, qui fictè mandasset per procuratorem contrahi matrimonium: quia hic sine nouo mandato nullo modo posset suum consensum parti per procuratorem significare. Nam dum mandauit, nullus erat consensus, & verba procuratoris nullo modo possunt esse signum consensus posteriùs habiti. Quare vt contractus sit validus, talis debet secundò cùm iam verè consentit, procuratori mandari vt contrahat. quod sufficienter facit dicendo, vt causam suam diligenter agat. Quòd si non fiat, matrimonium irritè quidem contrahetur, confirmabitur tamen statim atque mandans externo aliquo signo sponsæ ostendet se eam habere vt suam, eam tamquam vxorem in domum traducendo, aut alia ratione maritali modo & affectu eam tractando: vt dicam dubio sequenti numero 89. & 90.

72 Qui fictè dedit mandatum, debet hoc de nouo dare.

Quòd si verò is qui seriò mandasset contrahi, mutata voluntate secretò mandatum reuocasset, sufficeret id iterum secretò approbare ante contractum initum, quia prior consensus per reuocationem extinctus, per approbationem iterum reuiuiscit, ac si non fuisset reuocatus.

73 Qui seriùm mandatum etiam reuocauit, sufficit eum id etiam tacitè facere.

74 Hinc sequitur, ipsum actum procuratoris constituere in genere moris vnum numero actum cum cõsensu mandantis: sicut externa donatio eleemosynæ iussu domini facta per famulum, constituit in genere moris vnum actum cum interna voluntate domini. Vnde vlteriùs sequitur, illum esse veram partem essentialem ipsius contractus, atque adeò ipsius Sacramenti. Prob. quia ideo externa signa inter præsentes sunt pars essentialis contractus, quia contrahentes per ea suum consensum necessariò ad partem dirigunt: atqui absentes eodem modo dirigunt suum consensum ad partem per actus procuratoris, ita vt sine his illorum actus nullo modo possint habere veram rationem traditionis, aut contractus: ergo hi etiam sunt de intrinseca ratione contractus: non quidem quatenus procedunt à procuratore, sed quatenus mediatè procedunt à contrahentibus: ideoque hi soli dicuntur contrahere, & esse ministri Sacramenti, non autem procuratores. Vnde etiam nihil refert an hi sint duo viri, an duæ fœminæ, an verò vir & fœmina. Ex quo sequitur Tertiò, procuratores debere exteriùs exprimere se nomine talis cum tali contrahere, idque ita vt ij quorum interest, id intelligant. ita Sanchez l. 2. d. 11. n. 16. & 28.

Actus procuratoris constituit vnum actũ in genere moris cum consensu mandantis.

Procurator debet exprimere quorum nomine contrahat. Sanchez.

75 Secunda difficultas est, Vtrùm talis contractus iam valeat etiam in locis vbi Tridentinum est receptum? Quidam id negant. Primò, quia Concilium sess. 24. c. 1. de reform. matrimonij, tamquam essentialem conditionem requirit, vt contrahentes suum consensum coram Parocho & testibus exprimant: atqui hoc hîc non fit: ergo, &c. Secundò, quia ex tali matrimonio possent eadem incommoda sequi, quæ ex clandestino, si antequam procuratores contrahunt, mandans suum consensum aut revocaret, aut fingeret se revocasse: ergo Concilium eodem modo vtrumque contractum intendit irritare.

Trident.

76 Sed omnino dicendum est, matrimonium etiam in iis locis validè per procuratores contrahi. Est communis, & patet ex praxi Ecclesiæ, quia videmus hoc quotidie fieri. Et prob. Primò, quia Tridentinum non requirit vt contrahentes per se suum consensum coram Parocho & testibus exprimant (hoc enim ex nullo eius verbo probari potest) sed solùm vt eum coram iis exprimant; quod per procuratores tamquam per suos interpretes verè & propriè faciunt. Ex quo patet solutio ad Primum argumentum contrarium. Ad Secundum, nego assumptum. Quia ex instrumentis, quibus procuratoribus datum est mandatum contrahendi, potest Ecclesiæ constare de mutuo contrahentium consensu. Secùs est de matrimonio clandestino. Nec vnquam credetur dicenti se revocasse mandatum, nisi id probet: sicut non creditur dicenti se fictè contraxisse.

Trident.

Probatur conclusio Secundò, quia Trident. vt patet ex procœmio, dicto loco solùm irritauit matrimonia, quæ iure antiquo erant prohibita, & ex quibus, eò quòd in facie Ecclesiæ probari non possent, incommoda quæ ibi enumerat, nata erant sequi atqui nec iure antiquo prohibitum fuit contrahere per procuratorem, & ita contractum potest probari in facie Ecclesiæ, ideoque ea incommoda non sunt nata ex eo sequi, vt iam ostendi: ergo Concilium hoc ibi non irritat.

77 Tertia difficultas est, Vtrùm iam vt matrimonium validè per procuratorem contrahatur, necessarium sit, vt coram Parocho & testibus procuratori detur mandatum ita pro altero contrahendi; aut vt tam Pastor quàm testes, coram quibus contractus celebratur, videant instrumenta, quibus procuratori tale mandatum datur. Videtur enim vtrumque necessarium, quia aliter Pastori & testibus non potest constare sufficienter de consensu contrahentium.

Sed Resp. Primò, cum P. Sanchio l. 2. disp. 11. nu. 23. & l. 5. dispur. 8. numer. 24. neutrum absolutè esse necessarium ad valorem matrimonij. Prob. quia Trident. solùm requirit vt Parochus & alij assistant præsentes testes externi contractus: ad quod sufficit vt adsint præsentes dum hic à procuratoribus celebratur, & sufficienter intelligant quid & quorum nomine celebratur. Resp. Secundò, necessarium tamen esse Primò, vt mandans suo procuratori ea ratione det commissionem suo nomine cum tali persona contrahendi, vt hoc possit in foro externo clarè probari, siue per publicum instrumentum, siue alia legitima ratione. Prob. quia aliàs ex tali matrimonio sequerentur omnia incommoda quæ sequuntur ex matrimonio clandestino imò secundùm mentem Tridentini esset verè clandestinum, quia de eo in facie Ecclesiæ constare non posset. Nam si mandans negaret se tali dedisse eam commissionem, nullo modo coram Ecclesia probari posset ipsum eum tali contraxisse. Resp. Tertiò, necessarium esse Secundò, vt Pastori aliisque testibus siue per inspectionem instrumenti, siue per sufficientia testimonia, aliáve legitima ratione moraliter constet, Petrum v. c. dedisse commissionem tali, vt cum Catharina suo nomine contraheret de præsenti. Prob. quia illi non solùm debent testari talem procuratorem dixisse Catharinæ Petrum eam accipere in vxorem, sed eum hoc ex mandato Petri dixisse; siue potiùs Petrum per talem procuratorem matrimonium cum Catharina contraxisse: ad quod necessarium est vt sufficienter sciant Petrum hoc mandatum dedisse.

78 *Sanchez. Trident.*

79

Dices, Etsi illicitè, validè tamen Pastor assistit eorum matrimonio, quos scit habuisse impedimentum dirimens, & non nisi incerto valdè modo scit eos iam obtinuisse dispensationem: ergo similiter validè assistet tali matrimonio, etsi dubius sit an procurator verè habeat à Petro tale mandatum. Resp. negando cõsequ. Quia de essentia matrimonij non est vt Pastor possit testari tales validè contraxisse: sed vt possit testari eos verè secundùm omnem externam apparentiã in se mutuo de præsenti consensisse, quod in priore casu verè vidit eos facere, etsi nesciat an validè id fecerint: quod alia ratione probandum est. Secùs autem est in secundo casu. Nam nisi morali certitudine sciat procuratorem habuisse tale mandatum à Petro, etsi possit testari procuratorem cum Catharina alieno nomine contraxisse; numquam tamen poterit testari eum hoc fecisse nomine Petri, siue Petrum per procuratorem cum Catharina contraxisse, quod tamen Tridentinum tamquam essentiale matrimonio requirit.

Pastor & testes non debent testari matrimonium validè contractum esse, sed externum actum legitimè celebratum.

Trident.

80 Hinc sequitur, etiam post Tridentinum matrimonium validè posse contrahi per litteras. Ita P. Henriq. lib. 11. c. 2. num. 6. P. Molina tom. 2. de Iustit. tract. 2. disp. 254. initio Vegal. 4. Summæ casu 264. & cum aliis P. Sanchez l. 2. disp. 12. n. 3. Prob. quia hoc etiam modo possunt seruari omnia à Tridẽtino præscripta. Primò, si Petrus v. c. scribat Catharinæ se in eam de præsenti consentire, & ipsius consensum ex hoc nunc acceptare pro eo tempore quo eum legitimè præstabit: & Catharina acceptas literas coram Parocho & testibus legens, coram ijsdem in Petrum de præsenti consentiat. In eo tamen casu necessariũ erit vt Petrus aliquem designet coram quo Catharina debeat suum consensum exprimere, vt hic eum nomine Petri acceptet. Quia ex parte Catharinæ nullum esset interioris consensus externũ signũ, quod Petrus ad se directum, per se vel alium acceptare possit. Vt autem ostendi d. 22. n. 34. ad omnem promissionem ac consensum in contractum essentialiter requiritur, vt exteriùs dirigantur ad eum qui ea acceptare debet. Hoc ipso tamẽ quo Petrus scriberet Catharinæ vt eas litteras coram

Validè per literas contrahis. Henriquez. Molina. Vega. Sanchez.

Parocho

Parocho & testibus legeret, ac consensum exprimeret, censeretur his committere, vt eum suo nomine acceprarent; & hanc vim nec aliam videntur habere illa verba quibus scribit se Catharinæ consensum acceptare. Secundò, si Catharina prior scripsit Petro se in eum de præsenti consentire, & inde Petrus remissis iisdem litteris scribat se eius consensum acceptare; & similiter in eam de præsenti consentire, & vtræque litteræ à Catharina coram Parocho & testibus legantur, & Petri consensus acceptetur. Sed hæc extra necessitatem non sunt practicanda. quia aliæ viæ commodiores possunt facilè reperiri: & in tali casu necesse esset vt Parocho & testibus morali aliquo modo constaret illas litteras verè esse Petri, iuxta dicta num. 79.

DVBIVM X.

Qua ratione matrimonium inualidè contractum possit postea validari?

81 NOta, Matrimonium ob varias causas posse inualidè contrahi. Primò, ob defectum consensus, idque dupliciter: quia nimirum vnus aut etiam vterque, vel fictè, vel metu iniusto compulsus consensit. Secundò, ob aliquod impedimentum dirimens. Tertiò, ob defectum præsentiæ Parochi aut testium.

Qua in re certum est Primò, quando fuit inualidum ob impedimentum dirimens, non posse confirmari, quamdiu hoc durat. Secundò, certum est, quando fuit inualidum ob defectum præsentiæ Parochi aut testium, necessarium esse vt coram iis secundò contrahatur. Quia nulla est ratio cur postea potiùs possit validè contrahi sine eorum præsentia, quàm antea, nisi fortè obtineatur dispensatio, vt possit clàm contrahi: aut contrahatur in loco vbi Tridentinum non est receptum.

82 Circa priores igitur casus duplex restat difficultas. Prima est, quando matrimonium in facie Ecclesiæ fuit contractum, inualidè tamen ob aliquod occultum impedimentum: verùm postea hoc sublato necessarium sit coram Parocho & testibus contrahere?

Trident. Prima sententia id affirmat. Primò, quia Trident. absolutè docet matrimonia non posse validè contrahi nisi coram Parocho & testibus: atqui nisi hoc matrimonium sublato impedimento contrahatur coram Parocho & testibus, numquam fuerit coram iis contractum: ergo nunquam fuerit validè contractum. Secundò, quia in Bullis cruciatis soler commissariis concedi facultas, vt in tali casu possint dispensare, vt ea matrimonia possint secundò occultè contrahi: ergo sine dispensatione ita contrahi nequeunt. *Sanchez.* Ita quidam apud Sanchium lib. 2. disput. 37. num. 1.

83 Sed communis ferè sententia docet tunc sufficere, vt clàm inter se contrahant. Ita Nauar. c. 22. num. 70. *Nauarr. Pius V. Henriquez. Vega. Sanchez.* vbi dicit Pium V. ita declarasse. Henriquez l. 11. c. 3. n. 6. Vega l. 6. Summæ casu 93. in fine. & cum pluribus aliis Sanchez sup. num. 3. Prob. quia, vt ostendi suprà disp. 9. nu. 40. & 41. nulla lex comprehendit illum casum, ad quem ratio ac finis legis se nullo modo extendunt: atqui ratio ac finis dictæ legis Concilij Trident. se nullo modo extendunt ad matrimonia ita contracta: ergo lex ea non comprehendit, & consequenter nec irritat. Minor patet, quia Concilium dicto loco in proœmio apertè ostendit se irritare illa matrimonia clandestina, quæ priùs erant prohibita, & ex quibus nata erant sequi incommoda ibi recensita: atqui talibus coniugibus numquam antè fuit prohibitum, cognita occulta inualiditate contractus in facie Ecclesiæ celebrari, secundò clàm contrahere: nec ex tali contractu sunt nata sequi dicta incommoda. quia ita contrahentes numquàm permittentur à matrimonio discedere, aut secundum contrahere, donec probarint prius matrimonium fuisse nullum: quod iam suppono non posse probari; eò quòd impedimentum sit omnino occultum. Ex quo confirmatur conclusio, quia secundùm mentem Tridentini illo loco, illud solum matrimonium dicitur clandestinum quod non potest probari in facie Ecclesiæ esse contractum: atqui id, de quo agimus, non est tale: quia eodem modo potest probari in facie Ecclesiæ contractum, quo alia omnia: ergo ex mente Concilij nec clandestinum est, nec irritum.

Vbi Nota ex dictis nu. 79. Pastorem ac alios non adhiberi vt testentur coniuges non fictè, siue seriò ac omnino validè contraxisse; hoc enim scire non possunt: sed vt testentur eos exteriùs quantum deprehendi poterat, in se mutuo de præsenti consensisse. quo posito donec contrarium clarè ostendatur, Ecclesiæ sufficienter probatum est, eos validè contraxisse: & semper hoc matrimonium ab ea habebitur ratum donec contrarium legitimè probetur. Quare cùm in nostro casu non possit probari, hoc matrimonium coram Pastore inualidè fuisse contractum; semper in Ecclesia censebitur validum ac legitimum, nec vllo modo clandestinum.

Hinc infertur Primò, quando impedimentum non est ita occultum, quin possit sufficienter probari in foro externo, necessarium esse secundò coram Parocho & testibus contrahere. Ita P. Henriquez l. 11. c. 3. n. 6. & P. Sanchez l. 2. disp. 37. n. 11. Ratio est, quia, cùm tunc in foro externo possit constare de inualiditate prioris contractus, & nullo modo de valore secundi; hoc matrimonium non est sufficienter probabile in facie Ecclesiæ, & consequenter clandestinum ac irritum. quia aliàs ex eo possent sequi omnia incommoda, quæ ex aliis matrimoniis clandestinis, quæ Tridentinum intendit vitare. 84 *Henriquez. Sanchez.*

Addunt aliqui, idem dicendum esse quando aliquis ex testibus siue Pastor, siue alius dum astitit matrimonio, fuit conscius illius impedimenti. quia non potest esse testis valoris illius matrimonij, quod scit esse nullum. Sed credo contrarium esse verius, quamdiu vnicus est conscius illius impedimenti, ita vt non sit probabile in foro externo. Quia, vt ostendi suprà nu. 77. & 79. illi testes non debent testari matrimonium esse omnino validè & sine impedimento contractum: sed externum contractum fuisse ritè celebratum quoad omnem externam apparentiam ad ipsius essentiam requisitam. quod in dicto casu factum est. 85

Infertur Secundò, quando impedimentum fuit absolutè occultum iuxta dicta, qualecumque demum fuerit; sufficere vt eo sublato sponsi conscij prioris nullitatis, iterum in se mutuò occultè consentiant, eúmque consensum siue verbis, siue affectu coniugali habendo copulam, siue quouis alio signo sibi mutuo exprimant. 86

Ex his facile est soluere argumenta posita nu. 82. Ad Primum Resp. maiorem solùm esse veram in matrimoniis, quæ numquam ne quidem secundùm externam apparentiam fuerunt validè coram Parocho & testibus contracta. Ad Secundum, nego consequ. quia illa potestas datur vel pro casu, quo impedimentum est aliquo modo probabile in foro externo: vel ad maiorem securitatem: sicut sæpè in multis casibus fit.

Lex non cõprehendit casum, ad quem eius ratio se non extendit.

His positis Secunda difficultas est, Vtrùm, vt matrimonium in facie Ecclesiæ contractum, sed occultè inualidum, fiat validum, requiratur vt vterque conscius inualiditatis de nouo iterum in illud consentiat. 87

Prima sententia id absolutè affirmat, quia matri-

monium essentialiter requirit vtriusque partis liberum consensum exteriùs expressum: at qui cùm prior contractus sit absolutè nullus, debet poni omnino nouus contractus: ergo requiritur nouus vtriusque consensus. Ita cum aliis Felinus in c. *Ex parte Decani.* de rescriptis num. 11. ampliat. 4. Sed ratio nihil concludit, quando vnius consensus fuit initio omnino validus ac legitimus. Tunc enim contractus ex parte ipsius, vt dicam n. 92. & 93. non fuit inualidus: quare non debet de nouo poni.

Felinus.

88 Secunda sententia generatim docet ob quodcumque impedimentum matrimonium fuerit irritum, hoc sublato sufficere vt coniuges se mutuo affectu coniugali cognoscendo, aut alia ratione de nouo in matrimonium consentiant, etsi alteruter non sit conscius prioris inualiditatis. Quare illi auctores consulunt vt in tali casu conscius prioris inualiditatis excitet alterum vt maioris amoris causa priorem contractum secum renouet, ac in eius signum mutuo se coniugali affectu amplexentur, aut aliud signum det. Prob. quia ad essentiam matrimonij solùm requiritur, vt personæ habiles in illud legitimè interiùs & exteriùs consentiant: atqui hoc hic fit: ergo matrimonium est validum.

Nec refert, quòd alteruter ex error[illegible] consentiat, quia cùm hic error non sit personæ aut conditionis (si enim esset talis, tunc non esset impedimentum sublatum, sed adhuc perduraret) non vitiat valorem matrimonij. Ita Caietan. tom. 1. opusc. tract. 12. de matrimonio, q. 2. Sotus in 4. d. 28. q. 1. art. 2. concl. 3. & plurimi alij quos citat P. Sanchez l. 2. disp. 36. n. 2. Vbi etiam n. 8. ait, hanc sententiam non esse ita improbabilem, quin coniux possit eam sequi, quando aliàs imminet grauissimorum malorum periculum, quod aliter euitari non potest.

Caietan. Sotus. Sanchez.

89 Tertia sententia docet Primò, quando matrimonium irritum fuit, quia alter metu coactus, aut fictè consensit, tunc sufficere vt hic postea consensum renouet. Secundò, quando matrimonium irritum fuit ob aliquod impedimentum dirimens; necessarium esse, vt vterque conscius nullitatis matrimonij, in illud de nouo consentiat, aut saltem tali actuali affectu ac animo in matrimonium de *nouo consentiat*, ac si non fuisset contractum. Pro quo non sufficeret dicere; Vellem recum de nouo contrahere, si contractus prior non valeret, quia tunc non poneretur voluntas secundò contrahendi, sed esset ponenda si cognosceretur prior contractus irritus. voluntas autem sub conditione ponenda nihil operatur: sed opus est vt actu intendat de nouo contrahere, ac si prior contractus esset nullus, siue si fortè aliquo casu sit irritus. Sed in hac re exigenda magna opus est prudentia, præsertim quando sola vxor est conscia nullitatis matrimonij. quia tunc sæpè est periculum ne maritus suspicetur aliquid latere, & graues tragœdias excitet. Quis autem modus illud proponendi sit aptissimus, ex mariti conditionibus, & variis circumstantiis spectandum est. Hoc solùm hîc monuero, etsi confessarij sit pœnitentem hac in re instruere quid agendum sit; vix vnquam tamen consultum esse, vt ipse cum marito hac de re agat: quia statim mouebit ei suspicionem, vxorem ei aliquod occultum crimen c[illegible] confessam, ob quod matrimonium sit irritum. Ita P. Henriquez l. 11. c. 3. nu. 6. litt. E. & H. Nauarr. cap. 22. n. 47. & 80. Siluester v. *Matrimonium.* 8. q. 2. dicto 2. & quæst. 11. dicto 4. Couar. 4. decret. p. 2. c. 4. n. 5. vbi etiam dicit esse communem, & cum pluribus aliis P. Sanchez disput. 32. nu. 9. & disp. 36. nu. 3. & 4.

Quæ ratione reuali-detur matrimonij inualidè contracti.

Voluntas sub conditione ponenda nihil operatur.

Confessarius periculosè agit cum parte inualiditatis insciâ.

Henriquez. Nauarr. Siluester. Couarr.

Sanchez.

90 Hanc ego sententiam puto omnino veram esse. Prior pars probatur, quia, vt ostendi suprà n. 55. non est necesse vt vtriusque consensus actualis sit simul, sed sufficit vt secundus ponatur, dum primus adhuc habitualiter durat: atqui in proposito casu vnus omnino validè consenserat, & in eodem consensu non solùm habitualiter, sed etiam actu saltem virtuali perseuerat. nam ex eo mouetur vt partem tamquam coniugem tractet: ergo accedente legitimo consensu partis exteriùs expresso, fit verum matrimonium.

Nec refert, quòd talis fortè ex sola ignorantia perseueret in priore consensu, & vellet à matrimonio discedere, si sciret hoc iam fieri posse. quia hæc voluntas sub conditione ponenda nihil operatur, quamdiu non ponitur; & cùm ipsius consensus initio præstitus fuerit omnino legitimus ac absolutus, quòd ignorantia sit causa cur continuetur, hoc eius naturam non mutat: præsertim cùm hæc non sit causa cur de nouo eliciatur, sed solùm quòd non reuocetur, & cur moueat ad aliquos effectus ponendos. 91 *Validè in aliquo consensu perseuerat qui resiliret, si sciret hoc fieri posse.*

Dices, Consensus ille ab initio fuit ex errore præstitus: quia si deceptus sciuisset partem fictè consentire, numquam in eam consensisset: ergo fuit nullus. Confirm. quia talis non intendit consentire in matrimonium nisi posito quòd pars etiam consentiat: ergo si hæc non consentiat, illius consensus erit nullus. 92

Ad argumentum nego consequ. Quia, cùm ille error non sit error personæ aut conditionis, non irritat matrimonium, sed tantùm efficit vt prior consensus quouis tempore antequam secundus ponatur, possit reuocari. Ad confirm. Resp. tantùm inde sequi, prioris consensum fore nullum, si alter numquam postea consentiat: secùs est si non statim, sed diu etiam postea consentiat, modò alter in priore consensu adhuc perseueret. Quia etsi hic dum primò consentit, intendat vt alter statim etiam consentiat, & non esset consensurus, si putaret alterum non nisi post aliquot dies, aut etiam annos consensurum; tamen de facto absolutè consentit, non autem sub hac conditione, Si alter statim consentiat: etsi fortè hoc omnino intenderet, si putaret alterum tunc non consentire. Sicut qui vendit alicui rem aliquam promittenti se paulò post soluturum, etsi nullo modo vendere[illegible] si sciret alterum non esse soluendo, nec intendere vnquam soluere; tamen de facto intendit ei vendere, & verè vendit.

Quòd si contingat vtrumque aut fictè, aut ob grauem metum inualidè consensisse debet vterque postea simili modo consensum renouare; & hoc sufficit vt matrimonium validum sit: nec opus est vt alter de alterius defectu quidquam sciat. Est enim tunc eadem ratio vtriusque, atque illius qui solus inualidè consensit. Hinc patet solutio ad argumentum positum nu. 87. neganda enim est minor. nam prior consensus fuit ex vna parte validus. Quare solùm requiritur vt alterius partis consensus accedat, atque à parte acceperit: sed alter hunc initio, dum legitimè in matrimonium consensit, validè acceptauit, & iam iterum acceptat, hoc ipso quo acceptat eius signum ab altero coniugali affectu exhibitum. 93 *Eadem est ratio siue vnus, siue vterque inualidè consenserit.*

Addit Siluester v. *Matrimonium.* 8. q. 11. dicto 4. cum quibusdam aliis, sufficere vt is qui fictè consensit, postea merè internè consentiat. quia hoc solùm desiderabatur, cùm iam antè externum consensum præbuerit. Sed hoc dici non potest, quia prior externus consensus nullo modo potest esse signum interni consensus secuturi, aut cum eo vnum actum moralem, aut contractum componere. quod tamen est necessarium ad valorem contractus, vt ostendi nu. 72. & disp. 4. num. 44. 94 *Siluester.* *Non sufficit interior consensus eius qui priùs fictè consensit.*

Secunda pars probatur. quia ad valorem matrimonij omnino necessarium est vt vterque in ipsum consentiat, non quacumque ratione, sed intendendo illud contrahere. Quia, vt ostendi suprà num. 39.

consensus vtriusque partis in ipsum contractum est de huius essentia: atqui in illo casu insciis ipsius impedimenti ac nullitatis matrimonij, numquam validè ita consensit in ipsum contractum: ergo matrimonium semper manet nullum defectu partis essentialis. Minor probatur, quia consensus quem initio præstitit, cùm ceciderit super materiam incapacem, & præstitus fuerit à persona ad eum præstandum inhabilis, fuit omnino inualidus ac nullus: quare nec hic potuit postea sublato impedimento conualescere: nam, vt dicitur regula 18. Iuris, in *6. Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.* Nec etiam consensus quem talis postea præstat, facit quidquam ad rem: quia per hunc non cõsentit in futurum contractum matrimonij, nec hunc intendit inire, sed consentit solùm in vsum matrimonij intendendo eo vti. Quare à tali nunquam ponitur verus consensus in ipsum contractum. Nec refert quòd dicat se talem habere pro legitima vxore, & in huius affectus signum eam amplexetur. quia per hoc nullo modo intendit nouum contractum inire, sed in antiquo perseuerare, eóque vti.

Regula Iuris.

96 Dices, Non minùs est de essentia matrimonij, vt vterque alterius consensum acceptet, quàm vt ipse consentiat: atqui in priore casu huius sententiæ, is qui primò legitimè consensit, postea validè acceptat consensum eius qui antè fictè consenserat, etsi nesciat eum intendere iam inire ipsum contractum: ergo similiter in secundo casu ignarus inualiditatis matrimonij, validè præstabit suum consensum intendendo vti matrimonio. Resp. negando consequ. Quia in priore casu talis non solùm ab initio validè consenserat in alterum, sed etiam validè eius consensum acceptarat: & quamuis crederet acceptare consensum præsentem, tamen suam acceptationem ad hunc non limitauit; sed sicut in alterum absolutè consensit, ita eius consensum absolutè acceptauit: & postea non solùm habitualiter, sed etiam actu saltem virtuali in ea voluntate persistit, dum alter iam verè in eum consentit. quia amplectendo signum illius consensus ostendit se in priore suo consensu ac voluntate persistere: quæ cùm valida fuerint, ipsa actualis in iis persistentia etiam valida est, & per eam alterius consensus validè acceptatur. Secùs est in secundo casu. quia cùm prior consensus fuerit omnino nullus, omnis in eo persistentia tam interna, quàm externa etiam nullius momenti est.

Addunt aliqui, ideo in secundo casu omnem consensum quem ignarus nullitatis postea præstat, esse nullum; quia procedit ex errore personæ, quia talis putat se consentire in suam vxorem, cùm tamen non sit eius vxor. Sed ego non video quomodo hic sit error personæ. Nam aliquam esse talis viri vxorem, aut non esse, non mutat personam sed qualitatem. 97

Hinc sequitur, quando aliquis inualidè professus est solùm ob defectum consensus, postea validare suam professionem hoc ipso quo sciens eam esse inualidam, velit eam esse validam, idque exteriùs ostendit gerendo se pro professo. Nunquam tamen eam reddit validam quamdiu ignorat esse inualidam; nisi haberet talem voluntatem, Cupio meam professionem ex hoc nunc esse validam, etsi fortè aliquo casu inualida sit. Vide dicta numero 89. Quando tamen illa fuit inualida ob defectum ætatis, aut aliam similem causam; tunc per se loquendo esset etiam opus noua acceptatione Prælati, quia prior eius acceptatio fuit inualida: sed ius hac in parte supplet defectum acceptationis Prælati, per se acceptando talis Religiosi tacitam professionem postea factam. ius autem hac in re potest consensum Prælati supplere. Vide Lessium de Iustit. cap. 41. numero 161. 98 *Qua ratione professio inualidè facta reualidetur.* *Lessius.*

DISPVTATIO XXV.

DE

INSTITVTIONE, OBLIGATIONE ET FINE MATRIMONII.

DVBIVM I.

Vtrùm tam potestas, quàm obligatio contrahendi matrimonium sit iuris naturæ.

1 HAc in re inter omnes certissimò constat, vt quis licitè det operam generationi, de facto iam necessarium esse, vt matrimonij vinculum indissolubile cõtrahat. Sed difficultas est Primò, vtrum hoc proueniat ex sola lege naturæ, suppositâ sola conditione humani generis, an verò ex diuina aliqua institutione? Secundò, quando matrimonium sit primò institutum? Tertiò, vtrum sit aliqua obligatio illud contrahendi?

2 Hac in re Sotus in 4. d. 26. q. 1. art. 1. & 2. docet Primò, matrimonium esse omnino iuris naturæ. Secundò, homines non quidem singulos, sed in genere iure naturæ obligari vt illud contrahant. Quia, sicut singuli obligantur vt seipsos conseruent, & consequenter vt comedant; quia hoc ad illud est necessarium: ita homines in genere, siue ipsa communitas, eiúsque principes obligantur vt speciem conseruent; ad quod necessarium est contrahere matrimonium. Ex quo infert Primò, posito quòd nulli per se vellent contrahere matrimonium, fore vt capita rerum publicarum obligarentur aliquos cogere ad contrahendum matrimonium. Secundò, in casu quo esset periculum ne aliàs genus humanum periret, etiam sacerdotes ac monachos obligandos vt matrimonium contraherent. Sed hæc mihi semper visa sunt valdè difficilia ob quædam quæ adferam num. 7. Docet Tertiò, matrimonium primum à Deo fuisse institutum, quando Deus Geneseos 1. benedixit Adamo & Euæ dicens: *Crescite & multiplicamini.* qui tunc iis explicuit finem ob quem matrimonium institutum est, & dedit præceptum hoc contrahendi: quamuis hoc positiuum præceptum non fuerit necessarium vt homo ad matrimonium obligaretur, cùm iure naturæ ad hoc esset obligatus: vt docet suprà, a. 2. §. *Probatur conclusio.* & infrà paulò ante §. *Vnde ad prim.* *Sotus.* *Gen. 1.*

Quæ sint iuris naturæ immediatè sequuntur naturas rerum.

Sed hæc videntur repugnare prioribus. Nam ea quæ sunt propriè iuris naturæ sequuntur immediatè ipsam naturam rei, & cum ea oriuntur & pereunt: quare si institutio matrimonij habeat ortum ex natura hominis; debuit simul cum illa oriri, & consequenter esse antequam Deus illa verba dixit. Et confirmatur, quia, vt fatetur etiam Sotus, Adam obligabatur ad matrimonium independenter ab illo Dei præcepto: ergo antequam Deus hæc verba diceret. Vnde sequitur apertè, illud priùs fuisse institutum; atque ita non potuit per illa verba institui.

3 Matrimonium homini connaturale.

Conclvsio I. Homo quà animal rationale, naturaliter inclinatur ad matrimonium, tamquam ad modum conuenientissimum ad speciei propagationem. Est communis. Probatur, quia quæuis res naturaliter inclinatur ad sui conseruationem. quare cùm corruptibiles non possint se perpetuò conseruare in individuo, omnes inclinantur ad conseruationem suæ speciei per generationem, & ad rem genitam ad statum suæ naturæ conuenientem perducendam. ad quod in homine necessaria est honesta, & naturæ rationali conueniens educatio. quia in re cùm & patris & matris opera sit aliquo modo necessaria, ad eam requiritur vt vterque perpetua societate inter se coniungantur. quod per matrimonium fit. Vnde hoc ipso quo natura humana inclinat ad speciei decentem conseruationem, inclinat etiam ad matrimonium, tamquam ad medium conuenientissimum, & posita diuina institutione necessarium.

4 Quòd matrimonium sit necessariò vnius cum vna, habet ex Dei institutione. *Scotus.*

Conclvs. II. Quamuis naturæ humanæ fuerit conuenientissimum, matrimonium ita institui, vt esset vnius cum vna indissolubile vinculum, vt patet ex dictis; tamen quòd necessariò actu sit tale, hoc habuit propriè ex institutione diuina, cùm aliàs ipsius naturæ non repugnet id aliter institui. Ita Scotus in 4. d. 26. lit. D. & lit. E. Prob. quia antiqui patres licitè vnus cum pluribus dissolubile vinculum contraxerunt, vt probabo pluribus disp. 26. dub. 6.

5 Quando fit institutum. *Magister. Richard. D. August.*

Conclvsio III. Videtur Deus instituisse matrimonium, dum immisso in Adamum sopore Euam ex eius latere formauit. Ita Magister in 4. d. 26. initio, & Richardus in 1. q. 3. idémque apertè docet D. Augustinus l. 14. de Ciuitate c. 22. vbi loquens de nuptiis ait; *quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit creando masculum & fœminam.* vbi apertè dicit Deum nuptias instituisse hos creando, siue in vtriusque creatione.

Probatur, quia tunc Adamo matrimonij naturam & finem reuelauit. vnde expergefactus videns Euam statim dixit: *Propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna;* scilicet per copulam coniugalem: vt explicatur cap. *Debitum.* 5. de digamis.

c. Debitum. *Ephes. 5. Matth. 19.*

Probatur Secundò, quia ad Ephes. 5. & Matth. 19. videtur dictis verbis institutio matrimonij tribui. Quod autem Deus postea dixit: *Crescite & multiplicamini* (quibus verbis putant aliqui Deum instituisse matrimonium) tantùm significatur quædam benedictio in ordine ad fœcunditatem iis data: nam eodem loco Deus priùs eisdem verbis benedixerat bestiis.

6 *Michaël Medina. Pesantius.* Ius naturæ erga omnes immutabile.

Conclvs. IV. Nullus vnquam præcisè iure naturæ fuit obligatus ad matrimonium. Ita Michaël Medina apud Pesantium in Supplem. ad D. Thom. q. 42. disp. 1. Quia cùm ius naturæ sit immutabile ac idem erga omnes, si aliquando aliquos obligasset, obligaret omnes. quod falsum est, cùm laudabilius sit seruare virginitatem: idque non solùm propter legem Euangelicam & consilium Christi; sed per se loquendo ex natura rei, maximè spectato fine ad quem homo creatus est; vt nimirum se totum diuino seruitio tradat, ad quod vita cœlebs ex natura sua multò est aptior: vt docet Apostolus 1. ad Corinth. 7. 1. Cor. 7.

Dices, initio fuisse generationem Adami necessariam ad propagationem generis humani: nunc autem multiplicatis hominibus, nullius in particulari esse necessariam, sed tantùm aliquorum in confuso, qui numquam defuturi sunt. Vnde iam nemo in particulari obligatur ad matrimonium, sed tantùm communitas hominum, quæ particulares deberet compellere ad matrimonium, si nulli id sponte inirent.

Sed contrà Primò, quomodo probes Adamum fuisse obligatum ad propagandum genus humanum, aut iam communitatem obligari? Nulla potest adferri ratio, quàm quòd natura ad hoc inclinet, & ideo Deus dederit ei potentiam generandi: atqui non tenentur omnia facere, ad quæ natura inclinat: aliàs iam omnes deberent inire matrimonium, quia natura singulos ad hoc inclinat, & Deus dedit ad hoc singulis potentiam generandi, non vt per alios sed per se generent, & ad suam naturam, non autem ad aliorum in specie conseruandam. Secundò, si nemo iam vellet generare, quos tandem communitas ad hoc cogeret? Non omnes, quia nulla est ratio cur id dicatur. neque etiam aliquos, quia nulla est ratio cur hos magis cogat, quàm illos. Tertiò, quia est contra perfectionem Euangelicam, quæ omnibus absolutè suadet castitatem. Et Paulus 1. Corint. 7. vult omnes homines esse sibi similes, siue cœlibes. 1. Cor. 7.

Conclvsio V. Videntur primi homines præcepto diuino obligari ad matrimonium. Probatur, quia Deus volebat absolutè per eos genus humanum propagari, idque per matrimonium: ergo videtur id illis præcepisse; quia hic erat modus conuenientissimus suam voluntatem exequendi. Deinde quia aliàs fuisset Adamo planè liberum diuinam institutionem circa propagationem hominum frustrari. quod videtur absurdum. Iam verò nullum omnino videtur præceptum matrimonij ineundi, quia non est necessarium, cùm per nullos certos iam Deus velit homines propagare: & morale non est, vt omnes sponte matrimonio abstineant. Et quamuis contingeret omnes omnino velle castitatem seruare; nemo tamen ad matrimonium obligaretur, nisi Deus hoc alicui in particulari præciperet. Quia, vt patet ex dictis, nullum est Dei aut naturæ præceptum ad matrimonium obligans: quare omnes iam ad castitatem inuitantur. 7 Iam nullus est præceptum contrahendi matrimonium.

Conclvs. VI. In lege noua Christus matrimonium non quidem instituit, quia iam antè erat institutum, sed ad statum Sacramenti euexit, siue instituit in esse Sacramenti, vt Trident. sess. 24. canon. 1. Quando autem id fecerit, incertum est. Probabile est fecisse Matth. 19. cùm id ad primæuam institutionem reuocauit. 8 *Trident.* *Matth. 19.*

DVBIVM II.

Quem finem contrahentes matrimonium debeant intendere, vt hoc licitè faciant?

NOta Primò cum August. l. 9. super Genesim c. 7. matrimonium primò & per se fuisse institutum ad honestam multiplicationem generis humani, vt patet Genes. 1. v. 28. Secundariò verò post lapsum hominum, in remedium concupiscentiæ: vt patet 1. ad Corinth. 7. v. 2. & 5. vbi dicitur, *Propter fornicationem tamen vnusquisque suam vxorem habeat.* Et, *Iterum reuertimini in idipsum ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Tertiò, demum in nouo Testamento à Christo eleuatum est ad esse Sacramenti; & sic pro fine habet collationem gratiæ. 9 *Augustin.* Ad quid matrimonium sit institutum. *Gen. 1.* *1. Cor. 7.*

Caietan. Finis alius primarius, alius secundarius.

Nota Secundò, Caiet. tom. 1. opusc. tract. 12. qu. 3. quem multi sequuntur, docere nos dupliciter posse aliquid intendere. Primò, tanquam finem principalem quem in hoc actu vltimò intendimus. Secundò, tanquam minùs principalem, qui solùm est ratio motiua cur nos hic & nunc applicemus ad operandum, interim tamen vlteriorem finem spectando. Sed ad explicationem similium difficultatum, alia diuisione finis opus est: vt ostendam n. 12.

10 Variæ autem circa propositam quæstionem sunt sententiæ. Prima docet, semper esse peccatum mortale contrahere matrimonium propter diuitias, pulchritudinem vxoris, aliósve fines ad quos matrimonium non est institutum. quia grauis fit iniuria Sacramento, dum quis eo vtitur ob alienos fines. Ita

Angelus. Conarr. Angelus v. *Matrimonium.* 2. n. 25. & Couar. 4. decretal. p. 2. c. 1. n. 7. Sed hæc sententia reputatur communiter nimis dura.

Secunda docet, ita contrahere matrimonium esse peccatum veniale. quia hæc inordinatio leuis est. Quòd si verò hi fines solùm secundariò intendantur & proprij fines magis principaliter, aiunt nullum esse peccatum. Ita Petrus Soto lect. 16. de matrimon. §.

Petr. Soto. D. Antonin. Paludan. Siluester. Nauarr. *Secundùm præpositerum.* D. Antonin. 3. p. t. 1. c. 19. §. 9. Paludan. in 4. d. 30. q. 2. art. 3. Siluester v. *Matrimonium.* 4. q. 4. Nauar. c. 22. nu. 79. Vnde Siluester, Paludan. & Nauarr. inferunt esse peccatum veniale contrahere principaliter matrimonium, quia hoc necesse est ad pacem componendam.

Tertia docet, esse peccatum veniale contrahere principaliter matrimonium ad vitandam fornicationem. quia generatio debet principaliter intendi. Ita

Petr. Soto. Petr. Soto lect. 16. de matrim. §. *Secundùm præpositerum.* Alij tamen dicunt hoc solùm esse verum, quando contrahentes sunt apti ad generandum. quia aliàs senes non possent sine peccato contrahere, quia non

Siluester. Paludan. Angelus. D. Anton. possunt intendere generationem. Ita Siluester & Paludan. suprà. Angelus v. *Matrimonium.* 2. num. 26. D. Antonin. suprà §. 8.

Quarta docet, semper esse peccatum mortale, quando contrahentes excludunt finem principalem.

Tabiena. Ledesma. Sanchez. quia grauis fit iniuria Sacramento. Ita Tabiena & Ledesma apud Sanchez l. 1. disput. 29. num. 29. Sed hæ sententiæ magna ex parte quædam continent, quæ mihi semper visa sunt difficilia, ob rationes quas infrà adferam.

11 Contrahentes cõmuniter per se primò intendunt cõtractum, & Sacramentum solùm consequenter, nec hoc sed illum ordinãt ad diuitias, &c. Pro resolutione Nota Tertiò, sicut matrimonium per se primò habet rationem contractus, qui consequenter eleuatus est ad esse Sacramenti: ita contrahentes communiter intendere per se primò contractum, & tantùm consequenter Sacramentum. Quando igitur contrahunt propter diuitias, aut similes causas, propriè solùm dirigunt matrimonium in hos fines prout habet rationem contractus: per Sacramentum autem intendunt percipere gratiam, ideóque ad hanc se per confessionem disponunt, saltem ij qui benè instituti sunt. quare ea ratione non possunt dici vti Sacramento in finem indebitum, aut ei inferre iniuriam.

12 Dupliciter alicui actioni finem principalem statuimus. Nota Quartò, nos dupliciter posse statuere alicui particulari actioni finem principalem. Primò, ita vt credamus eum esse præcipuum bonum, quod ex tali actione possit expectari, siue ob quod à Deo vel natura sit instituta, & sic præstituere matrimonio finem principalem ei extrinsecum, est peccatum, & communiter graue: quia est accusare quodammodo Deum, qui illud in alium finem principaliter instituit. Sed hic animus rarus est, nisi in omnino peruersis ac hæreticis. Secundò, vt hac solùm ratione illud bonum statuatur principalis finis illius actionis, quatenus operans illud hic & nunc præcipuè vel etiam solùm intendit consequi tali actione, de alio fine nihil cogitans, aut non curans an sequatur nec ne. & de hoc solo modò hìc agimus.

13 Nota Quintò, nos dupliciter posse matrimonium ad copulam ordinare. Primò directè, siue ideo directè contrahere, vt illam habeamus. Secundò indirectè, contrahendo quidem cum animo consummandi, non tamen hoc per se directè intendendo.

Generatio tripliciter à contrahentibus excludi potest. Nota Sextò, contrahentes posse tripliciter excludere finem primarium matrimonij, siue generationem. Primò, merè negatiuè eam non intendendo. Secundò, optando eam non sequi, & ideo volendo etiam quædam, ad quæ non obligantur, omittere, aut quædam facere aliàs licita. Tertiò, eam impediendo positiua actione, vel rei debitæ omissione.

Quæuis res saltem secundariò instituta ad omne honestum ad quod apta est. Nota Septimò, etsi quæuis res à Deo, vt auctore naturæ, sit principaliter in certum aliquem finem instituta, tamen saltem secundariò esse etiam institutam ad quoslibet fines honestos, ad quos obtinendos habet aptitudinem, v. c. oculi præcipuè nobis dati sunt ad videndum: sed secundariò etiam vt alteri aliquid innuamus, dum hoc honesta vtilitas postulat. Quare penitus omisso eorum fine primario, possumus iis vti ad omnes huiusmodi fines honestos, quia ex nullo capite potest ostendi vlla ratio quæ nos obliget, vt quauis re semper vtamur ad obtinendum eius præcipuum finem, aut hunc præcipuè intendamus: præsertim quando positiuè non impedimus, quin hic sequatur. Patet, quia aliàs cùm vox articulata nobis præcipuè data sit vt nostros conceptus aliis explicemus, peccarent, qui vterentur ea ad cantandum, quia nemini suos conceptus explicant; aliáque plura absurda sequerentur.

14 CONCLVSIO I. Est peccatum, & quidam ex genere suo mortale, contrahentes excludere tertio modo generationem, quia hoc fit vel negando debitum, vel procurando abortum, aut sterilitatem, quæ sunt peccata mortalia. & hæc apud omnes est certa.

Soto. Placa. Sanchez. CONCLVSIO II. Etsi in ordinante matrimonium ad copulam sit sæpè aliquod peccatum secundo modo excludere generationem; tamen absolutè potest sine peccato fieri. Videntur id tenere Soto & Placa apud Sanchez lib. 2. disput. 29. num. 17. Exemplum sit in paupere, qui sentit magnos stimulos carnis, & timens ne labatur ducit vxorem; &, quia non habet media vnde possit alere proles, optat sibi eas non nasci; vel etiam ducit aliquam quam credit iam sterilem, ne prolium multitudine grauetur. Quod licitè fieri probatur; quia coniugati ob iustam causam, v. c. si ob paupertatem non possint benè alere proles, licitè, dum vtuntur matrimonio, optant vt iis plures liberi non nascantur: vt docent Paludan. in 4. d. 31. quæst. 3. art. 2. concluf. 5. D. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 6. Rosella v. *Debitum.* numero 11. Angelus ibidem num. 27. Nauarr. cap. 16. numer. 33. & cum aliis P. Sanchez lib. 9. disp. 8. num. 10. Imò licitè in hunc finem ex mutuo consensu abstinent ab actu coniugali, vt cum pluribus docet Sanchez l. 9. disp. 25. num. 1.

Paludan. D. Antonin. Rosella. Angelus. Nauarr. Sanchez.

15 Dices, esse diuersam rationem. Nam matrimonium est Sacramentum, quo vti ad finem non proprium videtur grauis inordinatio. Respondeo, nos non agere hic de matrimonio vt Sacramentum est (cuius finis vt sic non est generatio; sed sanctificatio suscipientium, quam nolle, fateor esse graue peccatum) sed prout est contractus quidam causans tale vinculum: qua ratione non est magis sacrum quàm copula: atque ita excludere huius finem non est maior inordinatio, quàm excludere finem copulæ. Imò illa est minor, cùm

copula magis immediatè ad generationem ordinetur: vnde hac nunquam licet vti eo modo qui repugnet generationi; illud autem licet tali modo (v. c. cum sterili, vel cum mutua obligatione ad castitatem) inire: vt patet ex dictis disput. 24. numero 43. Confirmatur, quia, vt docet P. Sanchez disput. 29. num. 20. & ex communi sententia ostendi suprà disput. 23. num. 11. & disput. 24. numer. 43. licitè quandoque aliqui contrahunt cum expressa intentione, atque etiam obligatione nunquam consummandi, & consequenter excludendo intrinsecos fines matrimonij. Item, vt patet ex dictis, possunt coniuges ob iustas causas vti copula cum desiderio ne nascatur iis proles: ergo possunt velle matrimonium eiusque vsum, non intendendo generationem, atque optando ne sequatur. Quod enim licitè intenditur diuersis actibus, licitè etiam intenditur vno eodémque.

Sanchez

16 CONCLVSIO III. Ordinans matrimonium primo modo ex recensitis num. 13. ad copulam eam directè & per se intendendo, videtur peccare venialiter, nisi primariò intendat generationem, vel concupiscentiæ remedium. Quia inire matrimonium præcipuè propter eiusmodi delectationem, videtur aliqua inordinatio, cùm illud sit res grauissima, hæc valdè vilis: nec talis videtur alium ferè fi... n hîc posse intendere.

Etiá aptus ad generationem cõtrahendo honestè primariè intendit remedium concupiscentiæ.

Potest tamen talis honestè nihil aliud intendere quàm concupiscentiæ remedium, quia honestum est fugere periculum peccati: nec alium quis finem absolutè tenetur intendere, siue sit aptus ad generationem siue non; vt patet ex dictis.

17 Licitè contrahis ob finem matrimonio extrinsecum.

CONCLVSIO IV. Ordinans matrimonium solùm secundo modo ex recensitis num. 13. ad copulam licitè id contrahit, etsi solùm intendat finem aliquem extrinsecum, v. c. diuitias, aut coniugis opem, vt honestè possit sustentare vitam, &c. Quia hi fines non sunt mali, & possunt esse honesti, nec tenetur alios intendere. Quia aliàs qui sunt prouecta ætate, ita vt nec apti sint generationi, nec amplius sentiant graues carnis stimulos, non possent licitè inire matrimonium cùm duos illos fines non possint intendere. quod tamen falsum est. Nec vlla est ratio cur illi qui apti sunt ad generationem, teneantur hanc magis intendere quàm alij.

18 Contrahes honestiùs intendit publicam pacem, quàm generationem.

Hinc sequitur, eum, qui contrahit matrimonium, quod necessarium est ad pacem aliquam magni momenti conficiendam, non solùm licitè primò & principaliter illam pacem intendere, sed hoc esse opus honestius & maioris virtutis, quàm si principaliter intenderet generationem, vel concupiscentiæ remedium. quia ille finis honestior est & magis obligat, quàm hi. Nam ille publicum bonum magni momenti spectat: hi verò exiguum bonum priuatum spectant.

DVBIVM III.

Quanta requiratur certitudo mortis coniugis, vt quis licitè secundò contrahat?

NOta, varias circa hanc rem esse dispositiones Iuris ciuilis, sed hæ non obligant, quia tota hæc res spectat ad Ius canonicum:

19 CONCLVSIO I. Requiritur certum nuntium de morte coniugis, idque sufficit. Patet cap. *In præsentia*, 19. de sponsalibus. Idémque dicendum de quauis alia certitudine huic æquiualente. Et ita intellige cap. *Cùm per bellicam*, 34. qu. 2. & cap. *Quoniam*, 5. de lite non contestata. quæ dicunt sufficere, vt verisimiliter existimetur vel præsumatur mortuus coniux. Loquuntur enim de verisimilitudine moraliter certa, quia cùm in secundo matrimonio contrahendo sit periculum grauis peccati & iniuriæ erga priorem coniugem, si fortè viuat, sine morali certitudine ineundum non est, maximè cùm in dubio sit melior conditio prioris mariti, pro quo stat possessio.

c. In præsentia. *c. Cùm per.* *c. Quoniam.*

20 CONCLVS. II. Quando coniux dicitur mortuus in aliquo loco, ex quo sine graui incommodo plenior probatio haberi potest; non sufficit vnum solùm nuntiare eum esse mortuum: quia hoc non efficit plenam probationem, quæ tamen quando haberi potest, in re tam graui omnino requiritur. Secùs est quando alia probatio haberi non potest: præsertim si aliæ circumstantiæ & coniecturæ rem reddant probabilem. quia aliàs nimium esset onus coniugis relictæ, perpetuò debere nuptiis abstinere. Ita cum aliis P. Sanchez l. 2. disp. 46. num. 12.

Requiritur plena probatio, quãdo haberi potest. *Sanchez.*

21 CONCLVSIO III. Fama per se non sufficit, quia est incerta, nisi aliis adminiculis adiuuetur, v. c. quòd ex circumstantiis sint probabiles coniecturæ mortis ipsius, quòd multi testentur tali vel tali loco esse publicam de morte eius famam, & huius auctores graues nominent; vel vt minimum septem vel octo testentur talem famam ibi esse publicam. Item vt fama sit constans, nec alia sit in contrarium. Vide Sanchez suprà num. 15. *Sanchez.*

22 CONCL. IV. Eadem requiritur certitudo, vt quis in foro conscientiæ possit secundò contrahere, & vt iudex id permittat. Patet ex cap. *Cùm in præsentia*, 19. de sponsalibus. Vbi pro vtroque eadem requiritur certitudo. Ratio est, quia idem est vtriusque fori iudicium, quando cessat ratio præsumptionis. *c. Cùm in.*

DISPVTATIO XXVI.

DE VNITATE ET INSOLVBILITATE MATRIMONII.

NOTA, dupliciter matrimonium posse solui. Primò, quoad solum torum, seu cohabitationem, & de hac solutione agemus disput. vltima. Secundò, quoad vinculum, & de hac solutione hic agimus. Disputationem autem de polygamia (quam alij solent tractare dum agunt de impedimentis matrimonij) hic simul coniungimus: quia vtriusque difficultatis solutio ex iisdem principiis petenda est.

DVBIVM I.

An matrimonium sit necessariò vnius cum vna & insolubile?

VArios circa hæc errores refert Cardin. Bellarm. l. de matrim. c. 9. & seqq. Multi enim hæretici 1 *Bellarm.*

olim damnarunt secundas nuptias tanquam malas & illiciras: & nostro tempore quidam hæretici Catholicos accusant quasi eas etiam damnarent: sed quo id probent nihil adferunt præter calumnias & nugas: & res est tam apertè falsa, vt refutatione non indigeat. Contrà verò Lutherus multis locis, vt ex eius scriptis probat Bellarm. suprà c. 10. docuit etiam modò licere vni viro habere plures vxores. Sed hoc apertè esse falsum omnes Catholici, atque etiam communiter hæretici fatentur. Socrates autem lib. 4. cap. 27. narrat Valentinianum Imperatorem olim, quo liberiùs ipse secundam vxorem priori superinduceret, tulisse legem, vt cuique liceret habere duas vxores. Sed hoc esse meram fabulam clarè demonstrat Bar[illegible]rd. Baronius anno 370. in fine.

Error Lutheri. *Bellarm.*

Calumnia Socratis in Valentinianum.

Baron.

1 CONCLVS. I. Semper licuit secundò nuptias initas primo coniuge mortuo, vt docet Apostolus 1. ad Cor. 7. Et probatur ex omnium gentium consuetudine. Nec iam vllus vel Catholicus, vel hæreticus hâc conclusionem negat. Quare non est opus eam pluribus probare.

1. Cor. 7.

CONCLVS. II. Matrimonium ex sua primæua institutione requirit, vt sit vnius cum vnica: ita vt inualidè quis contrahat cum secunda priore viuente. Expressè habetur cap. *Gaudemus.* 8. de diuortiis. Et probatur ex illo Genes. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Si autem quis posset plures simul habere vxores, non essent duo, sed tres vel quatuor in carne vna. Vnde ex hoc Christus Matth. 19. probat esse adulterum, qui dimissa prima, secundam ducit. quod non esset verum, si qui simul posset plures ducere. quia, etsi peccare posset eo casu priorem dimittendo, non tamen esset adulter secundam ducendo, quia hæc esset vera eius vxor.

1. Gaudemus. Gen. 2.

Matth. 19.

3 CONCLVS. III. Eodem modo hoc vinculum, & ex prima sua institutione, & iam post legem Euangelicam est insolubile. Ita communiter Theologi. & docet apertè Trident. sess. 24. initio. Et patet ex Matt. 19. vbi Christus docens illicitum iam esse dare libellum repudij lege Mosaica concessum, ait, *Ab initio autem non fuit sic*; additque: *Quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* quod non esset verum, si per dimissionem posset solui vinculum matrimonij.

Trident. Matth. 19.

Ob adulterium non licet dimittere vxorem nisi quoad torum. *Matth. 5. Augusti.*

Nec refert quòd ibi addat, *Nisi ob fornicationem.* Quia non significat propter fornicationem posse solui vinculum matrimonij. hoc enim nullo modo dicit: sed solùm innuit hanc esse iustam causam dimittendi eam quoad torum: ita vt talis non possit dici facere eam mœchari, vt habetur Matth. 5. Vnde Augustinus contra Adimantum cap. 3. hunc locum cum Marci 10. coniugens, ita eum citat, eius sensum explicans: *Quicumque dimiserit vxorem suam nisi ob causam fornicationis, facit eam mœchari, & si alteram duxerit, adulterium committit.* quæ explicatio clarè colligitur ex ipso textu. Quia, vt Christus ostenderet per illa verba, *Nisi ob fornicationem*, concedit quidem innocenti, vt suam fornicantem dimittat; non autem vt aliam ducat: non posuit illa verba post hæc, *Et alteram duxerit*: sed post hæc. *Quicumque dimiserit vxorem suam*: vt ostenderet ea solùm ad antecedentia, non autem ad sequentia pertinere.

Marc. 10.

4 Dices, Christus hîc ostendit esse singularem aliquam rationem in adulterio, ob quam liceat dimittere coniugem: arqui si solùm liceret ab adultera separari quoad torum, hoc non esset ei singulare: quia ob alias etiam causas id licet: ergo Christus plus voluit innuere.

Quæ ratione in adulterio sit singularis causa dimittendi.

Respondeo negando minorem. Quia solùm adulterium est legitima causa, ob quam semel commissam licet coniugi partem omnino inuitam perpetuò à suo toro separare. Ob alias autem causas dimissam tenetur emendatam recipere: nisi fortè ob hæresim vel apostasiam condemnata sit de quo infrà. Sed hæc est spiritualis etiam fornicatio.

Confirmantur dicta Primò, quia in Matthæo absolutè dicitur eum mœchari qui dimissam duxerit. quod falsum esset, si vinculum solueretur per talem dimissionem, tunc enim dimissam ducens duceret omnino solutam, ac consequenter haberet eam legitimam vxorem, nec cum ea fornicaretur. Nec illi assertioni potest subintelligi, *Nisi ob fornicationem dimissa sit*, quia incredibile est adulteræ concedi maius priuilegium (vt scilicet possit secundum inire matrimonium) quàm ob aliam causam etiam innocenter dimissæ: quæ id non potest.

Secundò, quia Marci 10. & Lucæ 16. dicitur absolutè, *Omnis qui dimittit vxorem, & aliam ducit mœchatur.* Similiter ad Rom. 7. & 1. ad Corinth. 7. absolutè dicitur adultera, quæ viuente viro cum altero fuit. Nec hæc loca debent explicari per locum Matthæi, sed potiùs contrà; cùm hæc, vt patet, clariora sint, nec possint vt sonant esse vera, si illa exceptio admittenda sit. quod esset absurdissimum. Locus verò Matthæi potest vt sonat verè intelligi, etsi illa exceptio non admittatur, vt pater ex dictis. Deinde, quia, vt benè docet D. August. l. 1. de adulterinis coniugijs, c. 9. quantumuis verba Matth. 19. vrgeas, nunquam ex ijs probabis, eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, non mœchari: sed vt summum aliquo modo colliges Christum eo loco non definire talem mœchari. Sicut ex eo quod Matthæi c. 1. dicitur de Ioseph, *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*, nullo modo sequitur quòd eam postea cognouit: sed, vt benè D. Hieron. in hunc locum: quod factum est dicitur, quod factum non est tacetur. Idémque (si alia solutio non occurreret) posset dici ad locum Matthæi: quod licitum est (scilicet fornicantem vxorem dimittere) dixit, quod licitum non est (scilicet aliam ea viuente ducere) tacuit. Ex alijs autem Euangelistis & Paulò suprà citatis clarè colligitur talem mœchari. Nam, vt benè ait D. Augustin. suprà: *Qui ergo nos sumus vt dicamus: Est qui mœchatur vxore sua dimissa alteram ducens, & est qui hoc faciens non mœchatur, cùm Euangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit?*

Marci 10. Luc. 16. Rom. 7. 1. Cor. 7.

D. August.

Matth. 5.

D. Hieron.

D. August.

Tertiò, quia aliàs esset in potestate cuiusque coniugis adulterando soluere coniugium, saltem si id ita faceret, vt alterum quodammodo cogeret discedere. quod est absurdissimum, & contra illud Domini Matthæi 19. & Marci 10. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

Matth. 19. Marci 10.

Demum probatur ex consensu totius Ecclesiæ, quem latè probat Bellarm. de matrim. c. 16.

Bellarm.

5 CONCL. IV. Omnimoda insolubilitas etiam in lege noua non conuenit matrimonio, nisi sit consummatum inter baptizatos. Ita communiter DD. & patebit ex dicendis dub. 3. & 5.

6 CONCL. V. Ex diuina concessione licitum fuit in antiqua lege ex rationabili causa soluere matrimonium quoad vinculum. Patet expressè Deut. 24. vbi dicitur: *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij & dabit in manu eius, & dimittet eam de domo sua: cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam dederitque ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit; non poterit eam prior maritus recipere in vxorem.* Vbi apertè ostenditur validè eam secundo nubere, imò non posse ampliùs recipi à primo. quæ dici non possent, nisi vinculum esset solutum.

Deut. 24.

Nec refert quòd Matthæi 19. dicitur, hoc Iudæis *Matth. 19.*

permissum propter duritiem cordis: quia inde non sequitur Deum hoc iis verè non concessisse, sed tantùm reliquisse impunitum, vt aliqui putant. quia hoc apertè dictis verbis repugnat, & sic maxima fuisset Iudæis data peccandi occasio. quia omnes intelligebant sibi hoc licere: sed tantùm sequitur, pronitatem Iudæorum ad peccandum fuisse causam, cur Deus hæc concederet, vt eorum imbecillitati subueniret.

Iudæi licè dabant libellum repudij.

7 CONCLVS. VI. Ex simili diuina concessione fuit illis licita polygamia plurium vxorum, quas simul validè vnus vir ducebat. Habetur expressè c. *Gaudemus.* de diuort. Et patet, quia sanctissimi quique id fecerunt, vt Abraham, Iacob, Elcana patet Samuelis, Dauid & alij: quos dicere in perpetuo vixisse adulterio, idque omnino palàm, videtur intolerabilis error, cùm omnes à Scriptura vtriusque Testamenti laudentur, nec vllibi vel minimùm ex illa parte reprehendantur.

c. Gaudemus.

8 Nec refert quòd Scriptura secundas vxores vocet aliquando concubinas: quia vocat etiam vxores, vt patet Genes. 16. v. 3. & Iudic. 19. vnica Leuitæ vxor dicitur concubina. quia hæc in Scriptura sæpè accipiuntur pro eodem. Quandoque tamen etiam distinguuntur, vt patet Genes. 25. v. 6. &. sola dicitur vxor, quæ assumitur simul & in coniugium, & in administrationem totius familiæ, vt aliquo modo vito par: qua ratione ab Abrahamo sola Sara, dum viueret assumpta fuit. Vnde vbique vocatur domina ipsius Agar. Et quidem quandoque plures eadem conditione ducebantur, vt patet in duabus vxoribus Iacob Lia & Rachel, quæ erant dominæ familiæ. Quandoque verò vna sola: reliquæ verò assumebantur solùm ad societatem tori ob filiorum generationem; vt patet in Agar; & ancillis Liæ & Rachel, quæ dicebantur concubinæ: non quòd non essent verè vxores (nam Genes. 25. v. 1. eædem dicuntur vxores, quæ v. 6. dicuntur concubinæ:) sed quia non assumebantur ad administrationem familiæ, sed in solum finem generationis: vnde etiam manebant veræ ancillæ, vt patet ex locis citatis.

Genes. 16. Iudic. 19.

Genes. 25. Vxor & concubina in Scriptura quandoque omnino idem, quandoque aliquo modo diuersa significant.

Genes. 25.

CONCLVSIO VII. Cessauit hæc concessio post Christi aduentum, qui Matth. 5. & 19. reuocauit matrimonium ad primam suam institutionem. Est communis omnium Catholicorum.

Matth. 5. & 19.

DVBIVM II.

Quo iure matrimonium sit omnino indissolubile, ac polygamia illicita?

9 SVperiore dubio satis ostendimus & matrimonium præsertim consummatum, quoad vinculum esse omnino insolubile, ac polygamiam esse illicitam, iam verò quærimus, quo iure vtrumque fiat? Quare, vt patet, duplex nobis difficultas tractanda est: in vtraque autem valdè variæ sunt Doctorum sententiæ, quas statim citabo, omissis tamen breuitatis causa eorum rationibus: quia earum solutio facilè patebit ex iis quæ pro fundamento meæ sententiæ adferam; quatenus huic repugnant.

Circa Primam quinque sunt sententiæ. Prima docet, matrimonium etiam ante consummationem esse indissolubile iure diuino naturali. Ita Soto in 4. d. 27. q. 1. a. 4. in solut. 2. ad argumentum Caietan. Lyran. Marth. 19. super ea verba: *Qui respondens ait:* Couar. 4. decret. 2. p. c. 7. §. 3. n. 5.

Soto. Caietan. Lyran. Couarr.

10 Secunda docet, id solùm prouenire ex præcepto Dei positiuo. Ita Abulens. 1. Reg. cap. 8. quæst. 97. initio.

Abulens.

Tertia docet, matrimonij rati indissolubilitatem initio prouenisse ex Dei voluntate: in lege verò gratiæ, ex iure Ecclesiastico. Ita Medina l. 5. de sacrorum hominum continent. c. 89.

Medina.

Quarta docet, matrimonio quidem ex natura sua conuenire aliqualem insolubilitatem, sed omnimodam ei conuenire ex eo quòd Christus hoc euexit ad significandam indissolubilem vnionem Verbi cum natura humana. ita Richard. in 4. d. 27. a. 2. q. 2. D. Antonin. p. 3. t. 14. c. 10. §. 1. & alij.

Richard. D. Anton.

Quinta sententia docet, quòd matrimonium dissolui nequeat, hoc non habere præcisè ex nuda sua natura (hanc enim si solùm spectes, videtur instar aliorum contractuum posse mutuo consensu dissolui saltem in quibusdam casibus) sed ex natura sua prout est coniuncta cum diuina institutione. Ita P. Sanchez lib. 2. disput. 13. numero 10. Et hanc sententiam credo veram, sed latiùs explicanda est, vt infrà videbitur. 11

Sanchez.

Circa Secundam difficultatem Prima sententia docet, polygamiam etiam qua vnus vir habeat plures vxores, ita ex natura sua repugnare veritati matrimonij, vt cum hac nequeat vllo modo consistere. Ita varij quos refert Sanchez l. 7. disp. 80. n. 6. Videntur autem hi auctores velle ne quidem per diuinam dispensationem fieri posse, vt vnus ducat verè plures vxores simul. Sed hæc sententia ita intellecta defendi nequit, vt patet ex dictis nu. 6. 12

Sanchez.

Secunda sententia docet, illud esse verum in polygamia plurium virorum vnam vxorem simul ducentium. quia hoc omnino impediret ipsam generationem, & rectam domus gubernationem. Et hanc sententiam satis multi sequuntur.

Tertia sententia docet, polygamiam pluriumi vxorum respectu vnius viri solùm esse prohibitam lege Euangelica. Ita Abulensis 1. Reg. c. 8. q. 25. Durandus in 4. d. 32. q. 1. Imò Caietan. in 1. ad Timoth. c. 3. explicans illa verba, *Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum.* & in Marci c. 10. explicans illa verba, *Quicumque dimiserit vxorem*; satis apertè docet nulla lege diuina etiam modò esse prohibitam pluralitatem vxorum. Sed in hoc apertè errat: vt patet ex c. *Gaudemus.* 8. de diuortijs, & Tridentino sess. 24. can. 2. vbi hoc apertè damnatur; & apertè repugnat Scripturis, vt ostendi num. 2. 13

Abulens. Durand. Caietan.

c. Gaudemus. Trident.

Quarta docet, iure naturæ inualidè vnum virum simul plures vxores ducere, Deum tamen posse dispensare, vt hoc validè ac licitè faciat.

Vt autem auctores tam huius sententiæ quàm primæ & quartæ relati num. 9. & 10. meliùs suam sententiam explicent, notant duplex esse ius naturæ. Vnum omnino primarium, quod primis naturæ principijs continetur, qualia sunt contenta in decalogo, in quo Deus dispensare nequit. Alterum secundarium, quod ex illo tanquam conclusio ex principijs ducitur in quo Deus dispensare potest. Aiuntque dissolutionem matrimonij solùm repugnare huic secundario iuri: eandémque esse rationem polygamiæ, vt quæ tantùm secundario fini matrimonij, scilicet pacificæ domus gubernationi, repugnet. 14

Multi minùs aptè distinguunt duplex ius naturæ: quorum vnum sit dispensabile, alterum non.

Sed difficile est hæc intelligere. Primò, quia ab iis auctoribus extra rem controuersam nulla exempla assignantur, quibus secundarium illud naturæ ius, in quo Deus dispensare potest, explicetur. Secundò, si illæ conclusiones necessariò deducuntur ex illis primis principijs, tunc in iis dispensari non potest, ita vt desinant obligare, nisi dispensetur in principijs: sicut in necessaria consequentia etsi antecedens possit esse falsum, vera existente conclusione; impossibile tamen est hanc euerti, nisi illud euertatur. Quòd si non necessariò sequantur, sed tantùm per quandam conuenientiam; tunc non obligabunt, nisi ex quadam decentia: atque ita vel sub nullo, vel sub leui peccato, nisi Superioris præceptum accedat. Nam ea ratione ferè 15

ferè omnes actus iure positiuo prohibiti sunt contra ius naturæ, quod docet ob periculum mali, quod ex iis prouenire posset prohibendos esse. Tertiò, quia non licere in se excitare pollutionem, quando id sanitati expedit, non est contra prima & omnibus obnia naturæ principia; sed solùm ex ijs ducitur, idque non ita clarè quin magna etiam ingenia valdè laborent, vt id clarè probent: vt benè docet Sanchez l. 9. disp. 17. num. 16. Et tamen omnino credo Deum non posse permittere vt licitè fiat, præsertim per tactum, & excitationem libidinis. Contrà verò, primum ac notissimum principium est, non licere occidere innocentem, præsertim nulla existente necessitate: & tamen Deo concedente hoc licitè fit, vt ostendam num. 17. & 18.

Sanchez.

16 *Potest aliquid tripliciter esse contra ius naturæ.*

Pro resolutione Nota aliquid posse tripliciter dici contra ius naturæ. Primò, quod secundùm se intrinsecè prout est actus quodammodo physicus talis speciei, includit aliquam malitiam saltem obiectiuam iuri naturæ repugnantem: quale est odium Dei, libido contra naturam & similia. Tale quid autem Deus non aliter potest efficere licitum, quàm immutando rerum essentias. quod fieri nequit. Secundò, quod secundùm naturalem speciem non ita repugnat absolutè iuri naturæ, quin sæpè licitè fieri possit; tamen quandoque repugnat ratione alicuius adiuncti, quod iuri naturæ repugnat. Sic furtum est contra ius naturæ, quia continet iniuriam erga dominum rei: qui si alteri det veniam eam sibi vsurpandi, hic ponet actionem secundùm esse physicum eiusdem rationis cum ea, quam fur facit, & tamen licitam. Sic copula Petri cum Ioanna ante nuptias est contra ius naturæ, quia est accessus ad non suam: post nuptias licita est; cùm tamen sit eiusdem speciei physicæ cum præcedente. Tertiò, quod solùm illicitum est ratione alicuius periculi peccandi contra ius naturæ, quod illi communiter coniunctum est, quod quandocumque abest alteram nullam habet malitiam. Sic communiter contra ius naturæ est, sacerdotem cum iuuenculis habitare, & cum ijs multùm familiariter conuersari: quòd si tamen omne periculum scandali vel peccati absit, vel etiam grauis necessitas vrgeat, spectato solo iure naturæ vtrumque licitum est, modò speretur scandalum & peccatum euitari posse.

17 *Deus habet dominium nostrorum corporum, nos solùm vsum.*

Nota Secundò, nos non habere proprium dominium nostrorum corporum, sed Deum: nos autem propriè tantùm esse vsurarios, atque ita non posse aliter vti, vel aliis iis vtendi potestatem concedere, quàm prout Deus concesserit, qui potest omnem vsum concedere intrinsecè iuri naturæ repugnantem. Hinc suo iure potest concedere vt nosipsos, vel innocentem quemuis sine vlla noxa occidamus: sicut Abraham filium occidisset, nisi impedissent angelus. Et de facto quædam martyres leguntur ex instinctu Spiritus sancti se ita occidisse, vt S. Apollonia, & aliæ.

18 *Ius naturæ indispensabile. Quomodo Deus possit nobis quædam concedere, quæ aliàs iuri naturæ repugnant.*

Ex his patet, quomodo, etsi generaliter verum sit illud Theologorum axioma, Deum nunquam posse in iure naturæ dispensare; ipse tamen potuerit præcipere Abrahæ, vt filium occideret: aut Israëlitis, vt Ægyptios spoliarent: aut iisdem permittere vt Chananæis fœnerarentur. quia scilicet vitæ bonorumque nostrorum supremus Dominus potest nobis inuitis per se vel alios prout libuerit, & vitam & bona auferre, & cuinis, quam voluerit, in ea concedere potestatem. Non secùs quàm Ioannes posset mihi concedere veniam vt pro mea voluntate possem ipsius oues mihi sumere, easque in meum vsum occidere: & tunc hoc faciendo, nec ego contra ius naturæ peccarem, nec ille in eo vllo modo dispensaret.

19 CONCLVSIO I. Dissolutio vinculi matrimonij etiam consummati, vel polygamia plurium vxorum non sunt contra ius naturæ primo modo ex dictis.

Probatur Primò, quia Deus nullo modo potuisset vtramque concedere, cùm ius naturæ immutare non possit. illud autem falsum est, vt pater ex dub. 1. Respondent aliqui, Deum illa concedendo non dispensasse in iure naturæ, sed apposuisse illis aliquam circumstantiam ob quam hoc desierit obligare. Sed reuera nullam aliam adferunt, nisi quòd dicant Deum fecisse licitum, quod antea erat illicitum. quod non est apponere circumstantiam quæ mutet actum eiusve obiectum, ab iisve tollat id ratione cuius repugnabant iuri naturæ: sed est tollere prohibitionem. Vel ostendant quid aliud circa rem mutetur.

Probatur Secundò, quia nulla potest ostendi ratio cur dissolutio matrimonij sit ex se ita mala, vt sine Dei dispensatione ex nulla circumstantia possit fieri licita. Quod enim dicunt repugnare primario fini matrimonij, scilicet educationi prolis; tantùm probat eam esse malam ratione alicuius adiuncti, quod sæpissimè abest: vt quando proles iam sufficienter educata est, vel quando nondum vlla concepta est; & præsertim quando vxor est sterilis. Tunc enim non modò dissolutio matrimonij ipsius fini non repugnat, sed videtur esse contra ipsius primarium finem, vinculum esse omnino insolubile: quia impedit legitimam generationem: atque ita his casibus erit licita solutio matrimonij, atque etiam quoties prudenti iudicio iudicabitur prolis educationi non obfutura. 20

Respondent aliqui, his casibus cessare rationem legis in particulari, non tamen in generali, quod non sufficit vt lex etiam in particulari desinat obligare. Sed hoc quidem verum est in lege positiua, in qua ratione obligandi immediata est voluntas legislatoris, quæ non definit esse ac legis suæ obseruationem exigere, etsi in particulari casu desinat prima ratio, ob quam ille legem tulit. Cuius ratio est, quia, etsi primum motiuum, cur legislator aliquam actionem prohibeat, sit periculum mali, quod inde natum est sequi; proxima tamen ratio prohibitionis est dirigere communitatem in euitatione illius mali. Quare necessariò eam actionem prohibet non tantùm in casu in quo hic & nunc est periculum illius mali, sed generatim etiam vbi in particulari nullum tale periculum est. quia aliàs maxima hominum pars, vel ex imprudentia, vel ex temeritate sibi persuaderet, sibi hîc & nunc nullum tale periculum imminere, etiam vbi maximè immineret. quam imprudentiam dirigere, & temeritatem refrænare immediatè intendit lex positiua, cuius est defectum legis naturalis, quæ multos ob eorum vitium non satis cohibet, supplere. Quare quamdiu illud periculum in generali manet, nunquam tota ratio legis positiuæ omnino cessat; & consequenter nec obligatio legis. Secùs est in lege naturæ, in qua tota ratio obligandi est necessaria conuenientia vel disconuenientia obiecti cum natura rationali quæ si hîc & nunc omnino cesset, cessat tota ratio legis, & omnis obligatio. Hinc etsi in lectione librorum hæreticorum, in cohabitatione clericorum cum iuuenculis, matrimonio clandestino, & aliis ferè omnibus, quæ lege positiua prohibita sunt, ratio prohibendi sit periculum alicuius mali; tamen meritò genetarim prohibita sunt, etiam iis quibus fortè tale periculum non imminet. Tamen spectato solo iure naturæ, quoties periculum abest, ea omnia licita sunt. Si enim nullum esset ius positiuum illa prohibens, qui moraliter certi essent, nullum hîc & nunc inde imminere mali periculum, licitè clandestinè contraherent, ac libros hæreticos legerent, sicut licitè id faciunt, quibuscum dispensatum est. 21 *Quare cessante ratione legis in particulari cessat ius naturæ, nō tamen positiuum.*

22 Quare etsi polygamia inducat communiter periculum discordiæ domesticæ, atque aliquo modo aduersetur pacificæ gubernationi domus, quam alij dicunt esse finem secundarium matrimonij; tamen sæpè potest fieri vt huius non sit periculum, vt si vir valdè prudens sit, & mulieres pacificæ, & inter se amantes, & ipsæ cupiant eundem habere maritum. Adde, etsi hæc pax sit aliquod bonum quod optandum & procurandum sit in matrimonio, non tamen esse eiusdem finem, quia maior pax est in vita cœlibe, quàm in matrimonio. quare malè quis ineat matrimonium, vt habeat maiorem pacem. Et quamuis demus esse finem secundarium matrimonij, & semper per polygamiam aliqua ratione impediendum; tamen si aliàs, quia vxor est sterilis, non possit obtineri generatio, vel non tanta atque esset hîc & nunc optanda, quod sæpè fit, semper eo casu erit licita polygamia: quia secundarius finis debet cedere primario, maximè quando vir est potens multos filios honestè educare.

Pax domestica non est finis etiam secundarius matrimonij.

23 Obiiciunt alij, polygamiam esse etiam contra alium matrimonij finem, scilicet contra remedium concupiscentiæ. Quia fieri posset vt vtraque vxor simul peteret debitum, & cùm vir non posset vtrique simul reddere, alterius periclitaretur continentia. Sed si quid hoc probaret, probaret etiam nunquam licere vni coniugi ab altero vel ad momentum abesse, multóque minùs ad remota loca negotiorum causa se transferre, nisi alter alterius lateri continuò inhæreret: nec eos mutuo consensu posse vouere continentiam. quia posset interim periclitari alteruttius continentia, & sic euerti matrimonij finis. quæ tamen sunt absurdissima.

Polygamia non obest remedio concupiscentiæ.

Quare dicendum est, etsi matrimonium sit institutum post lapsum, vt coniuges data commoditate possent eo vti in remedium concupiscentiæ; non tamen vt quocumque loco aut tempore possent eo vti, multóque minùs vt teneantur eo vti; nec possint in hac re vel in rorum, vel ex parte iure suo cedere, vt faceret vxor, qua volente vir secundam duceret, sicut etiã altera, quæ habenti vnam nuberet. Confirm. quia saltem in statu innocentiæ generaliter omnia hæc pericula cessassent. quia non fuisset periculum ne plures vxores inter se litigarent, aut ne altera de incontinentia periclitaretur, aut ne proles soluto matrimonio malè educaretur: ergo tunc saltem solutio matrimonij & polygamia fuisset licita. quod illi negant, & sine dubio negandum est, vt ostendi n. 2.

24 Demum respondent aliqui, esse de essentia, vt vir det totam potestatem sui corporis vxori, sicut hæc dat totam potestatem sui corporis viro, & consequenter non potest eam ex parte dare alteri. Nam, vt dicitur 1. ad Cor. 7. *Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.* Sed hac in re petitur principium. quia hoc est quod petitur, quare vir non possit maximè consentienti vxori dare tantùm dimidiatam partem sui corporis, & alteram medietatem alteri. Apostolus enim indicat quidem quid fiat de facto, non autem dicit id iure naturæ necessariò fieri.

1. Cor. 7.

25 Conclvsio II. Spectata præcisè natura matrimonij præscindendo ab institutione diuina ex . . Scriptura cognita, nullo modo probari potest inualidè vtriusque consensu matrimonium solui, aut plures vxores ab eodem duci. Patet ex dictis, & confir. quia, etsi rationes contrariæ quæ ex fine matrimonij sumuntur, essent firmissimæ; tamen solùm probarent illa illicitè fieri: nullo autem modo probarent inualidè fieri. Nam eadem omnia dicta mala sunt magis nata sequi ex matrimonio Catholici cum peruersa hæretica, aut apostata à fide, & longè magis hæc coniunctio repugnat bonæ prolis institutioni & paci domesticæ, quàm polygamia, vel matrimonij dissolubilitas; & tamen illud matrimonium validè, licet illicitè contrahitur.

Ex eo, quòd aliquid pugnet fini matrimonij, non sequitur quod ipsum irriret.

Conclvs. III. Solutio vinculi matrimonij & polygamia sunt communiter post lapsum tertio modo contra ius naturæ. Et hoc solùm argumenta contra primam conclusionem allata probant, & ideo meritò à Deo non sunt permissa. 26

Conclvs. IV. Sunt etiam secundo modo contra ius naturæ. quia sunt quidam vsus rei alienæ inuito domino, & consequenter sunt inualida sicut inualidè rem Petri venderem Paulo illo inuito. Probatur quia, vt dixi, solus Deus propriè habet absolutum dominium nostri corporis, nólque solùm eius vsum, quem ipse nobis concessit, non omnino absolutè, sed cum certis limitationibus. Quare inualidè potestatem nostri corporis aliis aliter concedimus, quàm quatenus & qua ratione ipse nobis id concessit: atqui ipse instituens matrimonium ab initio, non concessit in hac re vt aliter eam potestatem alteri concederemus, quàm per insolubile vnius cum vna vinculum: vt patet ex dictis dub. 1. ergo inualidè & contra ius naturæ id aliter conamur facere. 27

Inualidè quis alteri sui corporis potestatem aliter concedit quàm Deus ei permiserit.

Hinc Patet Primò, vt hæc inualidè fiant, non esse opus positiua Dei prohibitione, sed tantùm non concessione. Sicut vt inualidè vendam Petri chlamydem, non est opus, vt hic id prohibeat, sed tantùm vt non concedat. 28

Patet Secundò, sine vlla dispensatione in lege naturæ potuisse Deum concedere antiquis libellum repudij, & polygamiam. Sicut potuit dare veniam Abrahamo, vt occideret innocentem filium. Et, vt dixi disp. 25. dub. 4. posset duos efficere veros coniuges etiam inuitos.

Deus concedendo libellum repudij non dispensauit in lege naturæ.

Patet Tertiò, qua ratione verum sit quod dicit Sanchez l. 2. disput. 13. omnimodam insolubilitatem matrimonij inde oriri, quia Christus eleuauit illud ad significandam vnionem Verbi cum nostra natura. Fuit enim hæc causa finalis cur Christus voluerit ei inesse tantam hanc insolubilitatem; quia nimirum per ipsum voluit hanc vnionem significari.

Sanchez.

Significatio incarnationis est causa finalis insolubilitatis matrimonij.

Conclvs. V. Etsi vnam mulierem pluribus simul nubere, sit natum inferre longè maiora incommoda, quàm si vnus ducat plures vxores: tamen non est ita malum, quin Deus id absolutè posset concedere, præsertim cùm facilè posset omnia incommoda inde nata sequi impedire. Ita P. Sanch. l. 7. disp. 80. n. 15. 29

Sanchez.

DVBIVM III.

Vtrùm matrimonium ratum soluatur per professionem in Religione approbata, aut per Pontificis dispensationem?

HAc in re certum est Primò, matrimonium baptizatorum iam consummatum nec per ingressum Religionis, nec per Pontificis dispensationem solui posse. Hoc enim apertè docet illud Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Est enim sermo de matrimonio consummato, quo duo fiunt vna caro, vt patet ex textu: & de eodem loquitur Apostolus ad Rom. 7. v. 2. & 1. ad Corint. 7. v. 10. & 11. vbi docet hoc solo alterius morte solui quoad vinculum. Vide dicta dub. 1. 30

Matth. 19.

Rom. 7. 1. Cor. 7.

Secundò, certum est, matrimonium ratum ante consummationem solui etiam quoad vinculum per professionem in Religione approbata, ita vt alter licitè aliud matrimonium ineat. Hoc enim expressè definiunt Trident. sess. 24. can. 6. & Alexander III. c. 2. & 7. & Innoc. III. c. 14. de conuersione coniug. vbi etiam docet vnum altero etiam inuito Religionem posse ingredi.

Trident. Alex. III. Innoc. III.

Difficultas autem est Primò, Vtrùm Pontifex possit dispensare 31

dispensare in matrimonio rato, ita vt vterque possit aliud inire?

Prima sententia negat: quia matrimonium est indissolubile iure naturæ, in quo Pontifex nequit dispensare. Ita Scotus in 4.d. 31.q.1. vers. *Tertio modo dicipotest.* Victoria in Summa nu. 304. Palud. in 4. d. 27.q.1.a. 2.§. *Tertius effectus est.* Sotus ibidem q. 1. a.4. v. *His tamen nihil.*

Scotus. Victoria. Palud. Sotus.

Secunda sententia affirmat Pontificem id posse. Ita Rosella v. *Papa.* num. 2. Silvester v. *Divortium.* q. 4. Angelus v. *Matrimonium.* impedimento 13. n. 3. Nauar. c. 22. num. 21. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 2. §. 3. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 28. q. vnica. P. Henriquez l. 11. c. 8. nu. 11. P. Sanchez l. 2. disp. 14. n. 2. Est tamen inter auctores huius sententiæ aliqua diuersitas. Quidam enim putant Pontificem sine vlla causa validè in tali matrimonio dispensare: alij id negant. Item quidam affirmant eum posse generali lege aliquem casum statuere in quo tale matrimonium ita soluatur: alij id negant.

Rosella. Sylvester. Angelus. Navarr. D. Antonin. Caietan. Henriquez. Sanchez.

32 Secunda difficultas est, quo iure soluatur matrimonium ratum per professionem?

Prima sententia docet, hoc fieri iure naturæ. Primò, quia talis professio est mors ciuilis: ergo iure naturæ soluit matrimonium ratum. Secundò, quia qui deserta vxore Religionem ingreditur, transit ad statum perfectiorem: quod cuiuis iure naturæ licet. Ita Richard. in 4.d. 27.a. 2. qu. 2. Palud. ibidem q. 3. a. 3. Durand. q. 2. & alij.

Richard. Paludan. Durand.

Secunda docet, id fieri iure diuino; quia non potest ei conuenire iure naturæ, vt ostendam n. 37. Nec etiam iure Ecclesiastico; quia nullum tale ius reperitur, quod hoc primum statuerit. Ita Sotus in 4.d. 27. q. 1. a. 4. concl. 1. & Petrus Soto lect. 12. de matrimonio. §. *Post hoc.*

Sotus. Petr. Soto.

Tertia docet, hoc fieri iure Ecclesiastico. Ita Medina l. 5. de sacror. homin. continentia, c. 86. & Henricus à Gandauo quodl. 5. q. 35.

Medina. Henric. à Gandauo.

33 Conclvs. I. Pontifex potest soluere vinculum matrimonij rati concedendo vtrique parti potestatem aliud contrahendi. Probatur Primò, quia est ferè communis sententia Doctorum. Secundò, quia, cùm Christus non voluerit hoc matrimonium esse omnino insolubile, verosimile est concessisse suo Vicario, vt ex iusta causa posset illud soluere, quia hoc exigit aliquo modo conueniens Ecclesiæ gubernario, cùm sæpè multùm ad eius bonum possit pertinere eiusmodi solutio. Omnino autem credibile est Christum suo Vicario concessisse omnem potestatem necessariam ad decentem Ecclesiæ gubernationem.

Confirm. Primò, quia concessit ei potestatem remittendi vota etiam solemnia Religionis; vt multis docet P. Leonardus de Iustit. c. 40. dub. 19. ergo verosimile est ei etiam fecisse potestatem soluendi vinculum minus, quódque per hoc soluitur, vt patet ex dictis num. 30.

Lessius.

Confirm. Secundò, quia sæpissimè Pontifices eiusmodi matrimonia soluerunt, vt testantur Nauar. Caiet. & P. Henriquez citati suprà numero 31. atqui non est credibile Christum permisisse suum Vicarium in re tanta falli: ergo dicendum est id eum posse.

Navarr. Caietan. Henriquez.

Pontifex dissoluens matrimonium ratũ propriè in nullo iure dispensat.

Nota tamen hîc propriè non esse dispensationem quæ dicitur, quando manente aliquo modo lege tollitur eius obligatio: hîc autem non tollitur immediatè obligatio vinculi matrimonij, sed ipsum vinculum sine dominium quod coniuges sibi mutuo dederant in sua corpora. quod Pontifex auctoritate Dei tanquam supremi Domini vtrique restituit, remittendo ijs mutuas obligationes, sicut nomine Dei remittit obligationem voti.: quod facit eodem omnino modo, quo Prorex potestate accepta nomine Regis alteri remittit obligationem promissionis Regi factæ. quo casu in nullo iure propriè dispensat: quamuis largo modo illæ remissiones communi vsu dicantur dispensationes. Ex quo patet solutio argumenti allati num. 31.

Dices Primò, Pontifex non potest mutare essentiam Sacramenti: ergo nec hoc vinculum. 34

Resp. negando conseq. Quia hoc vinculum non est propriè Sacramentum, sed tantùm effectus rei quæ est Sacramentum. Effectus autem Sacramenti perdi potest, vt patet in amittente gratiam.

Dices Secundò, Efficaciùs hoc Sacramentum sanctificat coniuges, quàm consecratio calicem: atque hæc per Pontificem tolli non potest: ergo nec illud vinculum.

Respondeo Primò, negando consequentiam. quia ideo Sacramentum efficaciùs operatur suũ effectum, quia veram sanctitatem producit: consecratio autem tantùm extrinsecè sanctificat, non autem quia producit effectum magis indelebilem: nam aliàs coniuges non possent perdere sanctitatem.

Respondeo Secundò, negando minorem. quia nulla videtur ratio, cur Pontifex non possit tollere consecrationem calicis, concedendo vt vsibus profanis applicetur, cùm tota consecratio, eiúsque omnis vis iure humano introducta sit. Potest Pontifex tollere consecrationem calicis.

Dices, Matrimonium ratum & consummatum non differunt essentialiter: atqui consummatum est natura sua insolubile: ergo & ratum.

Respondeo, distinguendo minorem. Si enim natura matrimonij secundùm se præcisè sumatur, non est omnino insolubile, vt patet ex dub. 2. sed tantùm ex diuina institutione, quæ pro diuina voluntate potuit esse diuersa in diuersis casibus: ex Dei autem concessione, Pontifex accepit potestatem soluendi vnum, & non aliud.

Conclvs. II. Nisi iusta subsit causa, Pontifex inualidè in eiusmodi matrimoniis dispensat: sicut etiam in voto, aut quouis iure diuino. quia in his non est dominus, sed dispensator: dispensatio autem rei alienæ sine iustæ causa, & contra voluntatem domini, & invalidè fit. 35 Quinis inualidè in Superioris lege sine iusta causa dispensat.

Conclvs. III. Si subesset iusta causa, posset Pontifex generalem casum statuere in quo soluerentur eiusmodi matrimonia. 36

Probatur Primò, quia non videtur vlla ratio cur non possit facere per vnam generale sententiam, quod potest per plures particulares, quando subesset eadem causa. Secundò, quia in Pontifice eiusdem omnino rationis est potestas soluendi hoc vinculum, & remittendi vota: atqui potest hæc remittere per generalem sententiam, vt patet ex priuilegiis dari multis Religionibus, vt in ipsis vota emittentibus omnia alia vota etiam ingrediendi alias Religiones remittantur: ergo simili modo videtur posse soluere vinculum matrimonij.

Conclvs. IV. Videtur hoc modo auctoritate Ecclesiæ, temporibus Apostolorum introductum, vt vota Religionis soluant matrimonium ratum, vt optimè probat P. Leonardus de Iustit. c. 41. dub. 8. numero 69. Quia scilicet hoc neque fit iure naturæ, secundùm quod res vni per contractum præsertim onerosum tradita, eo inuito inualidè omnino traditur alteri: atqui per matrimonium ratum coniuges sibi tradunt mutuam corporum potestatem: ergo spectato solo iure naturæ inualidè se traderent Religioni, cùm hæc traditio, spectata sola lege naturæ omnino repugnet iuri, quod vterque priùs habebat in alterum. Et confirm. quia reliqui contractus quibus alteri aliquod dominium in alienam personam traditur, non soluuntur per hanc professionem, sed hanc potiùs irritant: nam seruus inuito domino inualidè profitetur, cùm tamen illi contractus sint 37 *Lessius.* Ingressus Religionis non soluit Iure naturæ matrimonium ratum?

magis solubiles quàm matrimonium: ergo hoc non potest iure naturæ ita solui.

38 Nec etiam iure diuino.

Neque etiam iure diuino ita soluitur: quia aliàs per omnia vota Religionis deberent eiusmodi matrimonia solui, cùm omnia illa vota iure diuino sint eiusdem rationis. nam solemnitas professionis est introducta ab Ecclesia, vt patet ex c. vnico de voto, in 6. atqui illud est falsum (vt patet in votis simplicibus eorum qui ingrediuntur nostram Societatem, quæ sunt vera vota Religionis, nec tamen soluunt matrimonium:) ergo etiam erit falsum id ex quo illud sequitur.

Confirm. Secundò, quia ius naturæ atque etiam diuinum à tempore Christi mansit omnino immutatum: atqui hoc non mansit immutatum: quia olim soluebantur matrimonia rata per vota simplicia, vt multi colligunt ex facto D. Theclæ, & S. Alexij, & aliorum qui non fuerunt Religiosi; & iam tamen per eiusmodi vota non soluuntur: ergo quòd per vota Religionis soluantur non prouenit ex iure naturæ vel diuino.

39 Ad Primum argumentum allatum n. 32. pro prima sententia, nego consequentiam. Primò, quia, quòd professio sit mors ciuilis, reddátque Religiosum incapacem dominij ac matrimonij, habet iure Ecclesiastico. Secundò, quia, si aliquid probaret, sequeretur etiam matrimonium consummatum per eam solui.

Ad Secundum, nego assumptum. Nam aliàs etiam mancipia inuitis dominis, & coniuges etiam consummato matrimonio possent parte inuita Religionem ingredi, ac matrimonium dissoluere, præsertim quando nulla esset proles educanda.

Ad argumentum pro secunda sententia Respondeo, hoc introductum non scripto, sed tradito iure.

Dices, c. 7. & 14. de conuers. coniugat. dicitur talis solutio matrimonij deduci ex interpretatione sacri eloquij, & reuelatione diuina: ergo prouenit ex lege diuina. Respondeo, negando antecedens: quia c. 7. solùm dicitur ex Scriptura apertè colligi, illud quod Christus Matth. 19. dicit, *Quod Deus coniunxit homo non separet*; solùm intelligi de matrimonio consummato. In 14. autem solùm dicitur quosdam Sanctos deseruisse sponsas ex reuelatione diuina: & ex iis quæ mox subiunguntur, satis insinuatur nostra conclusio. Nam Pontifex dicit se decernere tale matrimonium ita solui, inhærendo vestigijs suorum maiorum, quasi ab his sit statutum. Hoc tamen hîc fatendum, ipsam potestatem constituendi talem legem diuinitus à Christo Pontifici esse concessam, quod etiam apertè in dicto capite innuitur.

Matt. 19.

DVBIVM IV.

Quantum temporis concedatur coniugibus, vt possint deliberando de Religionis ingressu, differre consummationem, qualisque consummatio requiratur, vt desinant posse ingredi?

40 c. Ex publico.

PRæcipua hîc est difficultas in intellectu cap. *publico.* 7. de conuers. coniug. vbi cuidam mulieri præscribuntur duo menses intra quos teneatur vel ad Religionem transire, vel matrimonium consummare. Ex quo Doctores communiter colligunt Primò, coniuges posse per duos menses à contractu inito differre consummationem, vt interim deliberent an velint Religionem ingredi. Secundò, illis elapsis teneri statim aut consummare, aut ingredi.

Sed difficultas est, Vtrùm intra illos duos menses volens ingredi Religionem teneatur profiteri: an verò sufficiat eum fieri nouitium, & post annum probationis profiteri.

41 Nauarr.

Prima sententia docet; eum intra illos menses teneri profiteri. Ita Nauar. c. 16. num. 27. & alij. Primò, quia in dicto c. iubetur mulier intra duos menses, aut consummare, aut ad Religionem transire: quod accipitur pro profiteri. quia infrà dicitur per eius ingressum matrimonium solui: quod fit per solam professionem. Sed hoc argumentum non conuincit. Nam ibi non dicitur solui matrimonium ea ad Religionem transeunte, sed *habitum* (scilicet professarum) *Religionis assumente.* Quare cùm textus vratur diuersis verbis, videtur etiam velle diuersa significare per transitum ad Religionem, & habitus assumptionem.

Probant Secundò, quia aliàs esset nimis graue parti tam diu debere differre nuptias. Quare aliqui dicunt illam sententiam saltem esse veram, quando vnus altero inuito Religionem ingreditur: secùs esse quando hic consentit, quia tunc etiam in illam dilationem consentit. Sic Glossa c. *Desponsatam.* 27. q. 2. *Glossa.* Sed hæc distinctio nequit ex Iure colligi, & talis dilatio non debet videri dura, cùm vtrique parti æquale ius concedatur.

42 Paludan. Soto. D. Antonin. Armilla. a Ad Apostolicam.

Secunda sententia docet, tali supra illos duos menses concedi integrum annum probationis. Ita Palud. in 4. d. 27. quæst. 3. a. 2. concl. 2. & Sotus quæst. 1. a. 4. v. *At verò si infra.* D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 21. §. 1. Armilla v. *Diuortium.* nu. 5. Probatur, quia c. *Ad Apostolicam.* 16. de regularibus, conceditur nouitio annus probationis, idque tam vt ipse Religionem, quàm vt Religio ipsum probare possit. Quare cùm Ius cõcedat coniugibus ante consummationem ingredi Religionem debet hæc concessio intelligi cum Iuris priuilegio. Et confir. quia à Iure antiquo non recedit, nisi nouum clarè ad hoc cogat, quod hîc non fit.

Sed facilè his responderi posset: quia d. c. *Ad Apostolicam*, expressè dicitur posse tam Religiosum, quàm Religionem huic priuilegio renuntiare: & prohibendum esse Abbatibus, ne passim ante tempus probationis quoslibet ad professionem admittant. Quibus apertè significatur eos posse ex certis causis aliquos ita admittere. Hæc autem causa videtur sufficiens.

43 Trident.

Tertiò, alij docent secundam sententiam saltem esse veram vbi Tridentin. est receptum, quod sess. 25. c. 15. de regularib. generatim irritat omnem professionem factam ante annum probationis expletum. quod etiam in dicto casu valere debet. Nam eius ratio, ne scilicet aliqui nimis leuiter, antequam & ipsi benè probati sint, & Religionem probarint ad hanc admissi, postea turbas & scandala generent, etiam in hoc casu, & quidem maximè valet: quia qui hoc modo Religionem ingrediuntur, facilè possunt præsumi ingredi magis odio coniugis, quàm amore Religionis, vt expressè accidit casibus c. *Ex parte.* 14. c. Ex parti de conuers. coniugat. & cap. *Veniens.* 5. qui clerici c. Veniens. vel vouentes. Idémque planè videtur casus d. c. *Ex* c. Ex publico. *publico.* 7. de conuers. coniugat. quare hi maximè illo decreto Concilij debent comprehendi. Nec refert quòd Concilium ibidem cap. 21. velit eos, qui cùm non sint Religiosi, aliquod monasterium in commendam habent, vel huic renuntiare, vel intra sextum mensem in illo profiteri, atque ita ab illa generali regula aliquem casum excipiat: tum, quia excepto firmat regulam, vt communiter Iuristæ docent: tum etiam quia in his particularis est ratio. Nam omnino præsumitur, eos satis cognitam habere Religionem eam, quam regunt, & huic etiam esse perspectos: quare non est iis opus tam longa probatione. Secùs est in iis coniugibus, qui communiter priùs nihil de Religione cogitarunt. Hanc sententiam tenet

P. Hen-

Henriquez, Sanchez. P. Henriquez l. 12. cap. 5. nu. 8. & cum aliis P. Sanchez l. 2. disp. 14. n. 2.

44 §. *Ex publico.* Pro resolutione Nota, communiter omnes Doctores supponere in d. c. *Ex publico.* præscribi coniugibus duos menses à die contracti matrimonij computandos, intra quos aut teneantur ad Religionem transire, aut illud consummare. Sed difficile est videre quomodo hoc possit ex dicto capite colligi. Nam ibi agitur de muliere, quæ primò diu litigauerat de valore matrimonij; deinde condemnata diu omnino recusauerat illud consummare, dicens se velle Religionem ingredi (vt ex textu colligitur:) ac tandem super ea re Pontificis literas impetrarat. quibus præcipiebatur vt Episcopus præscriberet ei duos menses pro ingressu Religionis, non computandos à die contracti matrimonij (à quo iam multi menses elapsi erant) sed à die quo Episcopus post receptas literas Apostolicas, hoc ei præciperet. Quare ex hoc capite solùm videtur colligi, iudicem lite mora, & causa cognita debere præscribere duos menses, intra quos coniuges teneantur aut Religionem ingredi, aut matrimonium consummare. Sed communiter DD. dicto sensu Ius illud accipiunt. Et quidquid fuerit de mente eius qui primò eas literas scripsit, potuerunt eo sensu esse in Ius commune relatæ; & in eo sensu communiter hoc caput recipitur. Quare supponemus hunc etiam esse sensum genuinum.

45 Conclvs. I. Quando noui coniuges cogitant Religionem ingredi, possunt duobus primis mensibus nolle matrimonium consummare, etiamsi pars id maximè exigat. Sunt autem hi menses computandi à die ac hora contracti matrimonij omnino integri, v. c. si contrahatur matrimonium primo Octobris hora decima, menses illi finientur primo Decembris hora decima audita. Quoties enim Ius alicui rei certum tempus præscribit, quod à certo initio incipiat, id illo modo computandum est, & quidem omnino complerè quando agitur de re fauorabili, vt hîc fit, vt ex communi sententia docet P. Sanchez l. 2. disp. 24. n. 25. Vnde n. 32. & 33. infert, vt quis validè profiteatur iuxta præscriptum Trid. sess. 25. c. 15. de regularibus, debere annum 16. ætatis, annúmque vnum probationis omnino expresse; vt ne momentum desit: quia hoc in fauorem tam Religiosi, quàm Religionis concessum est. Ité vt quis teneatur ieiunare, debere omnino expresse annum ætatis 21.

Tempus à Iure in fauorem alicuius concessum omnino integrè computandum. Sanchez. Trident. Vt quis validè profiteatur debet annum nouitiatus, & ætatis 16. omnino integrè explesse.

46 D. Thom. Paludan. Soto. Conclvs. II. Ob multorum Doctorum sententiam probabile est, coniugem posse duobus primis mensibus negare matrimonij consummationem, etiam quando non desiderat intrare Religionem. eam enim videtur tenere D. Thomas in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ad 2. quem sequuntur Palud. dist. 32. quæst. 1. art. 1. & Sotus ibidem art. 3. v. *Hanc quæstionem.* & alij multi. Ratio eorum est, quia illud bimestre non solùm conceditur, vt cogitans de ingressu Religionis possit interim de eo deliberare: sed etiam vt interim præparet necessaria ad solennitatem nuptiarum, ac vt sponsus eo cariorem habeat sponsam quo diutiùs eam desideranit. Nisi ramen illud alicubi consuetudine introductum sit; contrarium credo probabilius. Ita Nauar. c. 16. num. 27. & Rich. in 4. d. 27. art. 2. q. 2. ad 1. & alij. Probatur, quia quantum est ex natura contractus matrimonij, per ipsum vterque coniux tradit statim alteri dominium sui corporis, vt docet Apostolus 1. ad Corinth. 7. nisi fortè ex Iuris constitutione, aut expressa contrahentium voluntate aliquid fuerit exceptum: atqui Ius illum solum casum excipit quo alteruter cogitat de Religionis ingressu: vt patet ex cap. *Ex publico.* 7. de sponsalibus: ergo nisi aliter inter sponsos conuenerit, vterque habet ius statim vtendi alterius corpore tanquam re sua.

Duo illi menses illis solis conceduntur, qui de Religione cogitant. Nauarr. Richard. 1. Cor. 7.

c. *Ex publico.*

Ex quibus patet solutio ad argumenta contraria. Negandum enim est eos menses ob alias causas concedi: nam cùm Ius expresse det rationem cur eos concedat, sine fundamento alias rationes excogitamus: & cùm sponsalia præcedant matrimonium, facilè interim necessaria ad solennitatem præparari possunt, vt etiam communiter fit, & diuturnior negatio sponsæ potest facilè fieri ante contractas nuptias. 47

Dices, Ius concedere illos duos menses etiam non cogitanti de Religione: quia fieri potest vt interim tale desiderium ei à Deo inspiretur. Sed hoc nec ex Iure probari potest, nec ab eo, cùm rarissimum sit, considerabile est: quia Ius solùm quæ sæpiùs accidunt considerat: vt habetur l. *Nam ad ea.* 5. π. de legibus. Si quid tamen hac in re legitima consuetudine introductum sit, aut inter partes constitutum, hoc seruandum est. l. *Nam ad ea.*

Conc. III. Etsi in locis vbi Tridentinum non est receptum, non sit improbabilis sententia allata n. 41. vbi tamen illud receptum est, videtur omnino dicendum requiri integrum annum probationis, antequam coniux Religionem ingrediens possit confiteri. Hoc enim ratis probant dicta n. 43. Vnde etiam sequitur, si puella duodecim annorum nuberet, & ante consummationem Religionem ingrederetur, differendam esse Professionem vsque ad annum ipsius 16. expletum. Quia Tridentinum hoc absolutè & generatim ad valorem professionis requirit, nec vllum casum excipit. Nec obstat quòd sponso graue sit tam diu nuptias differre: quia talem puellam ducendo, se sponte huic periculo subiecit. 48

Nupta anno 12. & statim Religionem ingrediens, ante annũ 16. nequit profiteri. Trident.

Conclvsio IV. Quantumcumque temporis elapsum sit à matrimonio contracto, modò non sit consummatum, siue iure, siue iniuria id contigerit, vtraque pars habet ius ingrediendi Religionem, modò id statim faciat. quia Iura absolutè concedunt facultatem ingrediendi Religionem ante matrimonium consummatum, vt patet c. 7. & 14. de conuers. coniug. & tantùm statuunt illos duos menses, vt possit coniux cogi ad consummandum, vel ingrediendum: non autem vt postea non possit ingredi. hoc enim nullibi dicitur. Imò dicto c. 7. expresse conceditur ius ingrediendi Religionem ei, quæ iam valdè longo tempore contraxerat. 49

c. 7. & 14. de conu.

Conclvs. V. Per nullam copulam matrimonium verè consummatur, ita vt coniuges non possint Religionem ingrediendo illud dissoluere, nisi ipsam ita habeant, vt possit ex ea sequi generatio: omnis autem talis sufficit. quia per hanc solam coniuges fiunt vna caro, ac affinitatem contrahunt: vt colligitur ex cap. *Debitum.* 5. de digamis, & c. *Lex.* 27. q. 2. Vide P. Sanchez l. 2. disp. 21. vbi hæc fusiùs explicat. 50

c. *Debitum.* c. *Lex.* Sanchez.

Hinc aliqui inferunt, supradicta vera esse etsi sponsus eam familiaritatem & tactus cum sponsa habuisset, ex quibus huic nota aliqua inureretur, quæ multùm difficiles redderet ei alias nuptias: imò etsi bona fide putando consummare matrimonium virginem defloraſſet sine matrimonij consummatione ob impotentiam, aut aliam causam iustam. 51

Illicitè, etsi validè, Religionem ingrederis cum periculo diffamationis ipsius sponsæ. Henriquez.

Sed quamuis verum sit talem validè professurum, & ita soluendum matrimonij vinculum; tamen Henriquez l. 11. cap. 8. n. 8. credit illicitè id facturum inuita sponsa: quia sponsus non habet ius ingrediendi Religionem cum tanto sponsæ damno, vt ostendi disp. 23. num. 15. 52

Nec refert quòd sponsus supradicta fecerit iure suo vtendo, & sic non fecerit sponsæ iniuriam. quia etiam sponsus de futuro obtinens ab honesta copulam sub spe matrimonij, vel eam familiaritatem, quæ redderet eam postea non securis nuptiis suspectã; nullam fecit ei iniuriam, cùm ipsa consenserit & tamen hac inuita non potest Religionem ingredi, ob dam-

num quod parti inde sequeretur: vt ostendi disp. 23. Sanchez nu. 15. & docet P. Sanchez l. 1. disp. 44. num. 3. & 4. nec video quæ possit assignari differentia.

Dices, moraliter loquendo intra illos menses necessariò communiter intercedere inter sponsos de præsenti eiusmodi tactus & familiaritatem, & nihilominùs Ius eos concedere, vt sponsi de ingressu Religionis deliberent. Resp. negando priorem partem assumpti. Primò, quia vt ostendi, Ius illos menses non concedit nisi cogitanti de ingressu Religionis, cui sponsa si aliquid prudentiæ habet, non facilè concedet talem familiaritatem; nec solet ea intercedere inter eos qui statim non consummant. Imò si intercessisset, difficulter Ecclesia permitteret vni parti etiam altera consentiente, transitum ad Religionem, nisi clarè probaret matrimonium non esse consummatum. Confirmatur, quia etiam alij fatentur non posse talem ingredi Religionem, si eiusmodi actus fecisset cum animo postea ingrediendi Religionem: cuius ratio non est, quòd hoc modo inferat sponsæ iniuriam, quia etiam ei infert iniuriam, qui cum proposito statim ingrediendi Religionem contrahit cum ignara illius propositi, & tamen potest adhuc ingredi Religionem: sed quia illa iam bo fide incepit implere contractum ex sua parte, idque cum graui & irreparabili suo damno, nisi alter in contractu persueret: quod æqualiter verum est, siue bona, siue mala fide sponsus agat. Confirmatur, quia quando sponsus potest statim commodè consummare matrimonium, vix vnquam solet hoc tam diu differre, nisi cogitet fortè aliquo modo de Religione; imò nec inuita sponsa hoc facere potest: & consequenter mala fide eiusmodi actus facit, nisi indicet sponsæ summ propositum: quæ si tunc eos nihilominùs permittat, aut per eam stet quo minùs matrimonium omnino consummetur, sibi debet imputare si quid damni sibi inde sequatur, quia sibi causa est, & videtur iure suo cedere.

53 Conc. VI. Debet hæc copula haberi post matrimonium contractum; quia matrimonium non potest consummari antequam sit.

Vim passa in consummatione potest viro inuito Religionem ingredi.

Conclvs. VII. Etsi matrimonium consummatum per copulam vi vel metu obtentam nullo modo possit solui per ingressum Religionis, quia coniuges absolutè facti sunt vna caro, nec hac de re est dubium inter DD. est tamen satis probabile vim passam posse nihilominùs altero inuito Religionem ingredi. Quia cùm antea haberet ius ingredi, sponsus non potuit ei hoc per vim eripere: hic tamen teneretur manere cœlebs dum sponsa viueret. Excipe casum quo sequeretur proles, ob huius enim bonum, quæ aliter vix commodè educari posset, sponsa quandoque teneretur in matrimonio perseuerare. Item quando copula fuisset ita obtenta post bimestre elapsum. Tunc enim sponsus iam habet ius eam extorquendi, nisi sponsa esset in procinctu omnino ad ingrediendum. Tunc enim ei fieret iniuria, cùm possit adhuc ingredi Religionem, præsertim si sine sua culpa non fuisset hactenus ingressa. Sitestr. vide Siluestrum v. *Diuortium*. q. 5.

54 Conclvs. VIII. Si sponsa fuit traducta in c mum sponsi, non creditur iis affirmantibus non fuisse matrimonium consummatum, nec hoc per ingressum in Religionem permittitur solui. quia confessioni coniugum non statur in præiudicium matrimonij, c. *Super eo.* 5. de eo qui cognouit, nisi aliunde, v. c. per inspectionem aliáve indicia possi probari non esse consummatum. Secùs esset si sponsa nondum esset traducta. Vide Sanchez disp. 23. & 45. numero 33.

c. Super eo. Sanchez

DVBIVM V.

Qua ratione soluatur matrimonium infidelium per conuersionem alterius ad fidem?

NOta Primò, inter infideles; si aliud impedimentum non subsit, esse verum matrimonium, vt pater 1. Corinth. 7. Vbi Apostolus coniugem ad fidem conuersum hortatur manere cum coniuge infideli, si hic consentit ei cohabitare: quod non liceret, si non esset verum matrimonium. Estque omnino indissolubile quamdiu manent infideles: vt definitur c. *Gaudemus.* 8. de diuortiis. 55 Inter infideles est verum matrimonium. 1. Cor. 7. Omnino insolubile dum infideles sunt. c. Gaudemus.

Nota Secundò, auctores variè disputare, Vtrùm coniux conuersus ad fidem liberè possit manere in matrimonio cum altero nolente se conuertere, consentiente tamen pacificè ei cohabitare, aut etiam ab eo discedere prout libuerit, vt patet ex D. Thoma in 4. d. 39. q. vnica art. 3. Durando ibidem q. 2. Soto q. vnica, ar. 3. & 4. Candelabr. aureo 1. p. de matrimonio, n. 221. Henriq. l. 11. c. 15. n. 12. Sanchez l. 7. disp. 73. n. 10. & 11. Plurimi autem distinguunt tria tempora, aiúntque 600. primis annis nascentis Ecclesiæ, quo tempore multi ex infidelibus & facilè conuertebantur, ita vt communiter spes esset infidelem per fidelem conuertendum, & gratia etiam dabatur amplior, & feruor fidelium erat maior, ita vt his non esset periculum ne ab infidelibus peruerterentur; fuisse consilium fidelem coniugem cum infideli permanere, quamdiu erat aliqua spes conuersionis: quamuis etiam liberum erat discedere, nisi fortè ex discessu potuisset inter Gentiles oriri graue scandalum. Et hanc sententiam absolutè docet D. August. l. 1. de adulter. coniug. c. 13. & 18. & apertè colligitur ex Apostolo suprà. 56 D. Thom. Durand. Soto. Candelab. aureum. Henriquez. Sanchez. Potest olim conuersus coniux cohabitare pacifico infideli. D. August.

Secundum tempus fuit vnius atque alterius sæculi sequentis, quibus conuersis licuit similiter manere cum aliis infidelibus, qui tunc adhuc sæpè conuertebantur, non tamen cum Iudæis, qui erant omnino obstinati. Vnde Toletanum 4. c. 61. iubet Iudæos habentes Christianas mulieres, nisi ab Episcopo admoniti conuertantur, ab his separandos esse. Toletan. 4.

Tertio verò tempore postea sequente volunt omnino illicitum fuisse & iam esse fideli conuerso manere cum infideli, nisi statim conuertatur. Quia iam ferè maius est periculum ne fidelis peruertatur, quàm sit spes fore vt alter conuertatur. Quod videtur etiam praxis multis locis & DD. auctoritas probare. quamuis certa lege statutum non sit. Negant Doctores hoc iam sicut fieri.

Crediderim tamen cum D. Thom. in 4. d. 39. q. vnica art. 3. in corpore, id limitandum esse, nisi esset probabilis spes conuersionis alte coniugis, nec crederetur fideli imminere periculum. quia suadet illud hoc casu Apostolus: nec vlla absoluta prohibitio in contrarium potest adferri. quia Concilium Toletan. est Concilium particulare: nec præcipit coniugem conuersum statim ab alio discedere; sed iubet eum separari, si infidelis ab Episcopo monitus nolit conuerti. quod officium & arbitrium iudicis requirit. Et hanc limitationem verissimam credo in locis vbi infideles incipiunt conuerti, & infidelibus Principibus subiecti sunt. Tunc enim facilè ex discessu posset oriri turbatio, si infideles conquererentur prætextu religionis sibi vxores eripi. Et videmus hoc etiam in Iaponia & India seruari. 57 D. Thom. Toletan. In regionibus tamen infidelibus subiectis id licitè fit.

Conclvs. I. Si infidelis nolit cum coniuge conuerso habitare, aut non nisi cum contumelia creatoris, aut pertrahendo eum ad peccatum; potest hic iam baptizatus cum desertore, & nouum matrimonium inire. Ita definitum est cap. *Quanto.* 7. & cap. *Gaudemus.* 8. de diuortiis. & patet apertè ex 1. ad Corinth. 7. vbi dicitur: *Iis autem, qui matrimonio coniuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem a viro non discedere.* 58 c. Quanto. c. Gaudemus. 1. Cor. 7.

(nisi scilicet iusta causa intercesserit;) *quòd si discesserit* (iusta aliqua causa intercedente. nam hanc discessionem ibi Apostolus permittit, cùm tamen priorem veD. Augus. ruerit, vt benè notat D. August. l. 1. de adulterinis coniugiis, c. 3.) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam cæteris* (scilicet quando ambo non sunt fideles,) *ego dico, non dominus: si quis frater uxorem habeat infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Et infrà: *Quòd si infidelis discedat, discedat. non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.* Vbi

59 Nota primò, quòd de fidelibus dicit Dominum præcipere ne alter ab altero discedat, aut discedentem (ex iusta scilicet causa) manere cœlibem. Contrà absolutè dicit, Dominum non præcipere ne fidelis ab infideli discedat, nulla facta mentione, quòd discedens debeat manere cœlebs: clarè insinuans hoc non esse necessarium.

Secundò, quòd dicit fratrem vel sororem non esse seruituti subiectos in huiusmodi. Essent autem subiecti seruituti, si manerent obligati vinculo matrimonij. De hac enim seruitute Apostolus loquitur, cùm alia non sit.

Dices, ideo dici non esse subiectos seruituti, quia non tenetur alteri ampliùs cohabitare. Sed hoc non sufficit. quia, etsi ipse discedens etiam esset fidelis, alter tamen non teneretur ei cohabitare: quia nemo tenetur inuito aut fugienti cohabitare. Et sic nullum esset discrimen inter eiusmodi coniuges, & duos fideles: quod apertè repugnat verbis & intentioni Apostoli.

60 Ex in hanc sententiam omnes DD. consentiunt, dubitant tamen de casu quo infidelis noller se conuertere, vellet tamen pacificè habitare cum fideli. Multi enim dicunt tunc posse quidem fidelem diuertere ab altero quoad torum; non tamen cum alio contra- v. Gaudemus. here. Ratio eorum est, quia c. *Gaudemus.* 8. de diuortiis. dicitur conuersus ad fidem nunquam coniuge viuente posse aliam ducere, *nisi illa renuat cohabitare cum ipso: aut si consentiat, non tamen sine contumelia creatoris; vel vt eum pertrahat ad peccatum mortale.* Vt autem infidelis dicatur nolle cohabitare fideli sine contumelia creatoris, illi DD. requirunt, vt contumelias in Christum, aut fidem nostram coram fideli iactet. Ita Durand. Durandus in 4. d. 39. q. 2. Paludan. quæst. 1. art. 2. Paludan. Richard. Richard. art. 2. q. 2. & alij.

Alij tamen docent, hoc quidem verum fuisse in primitiua Ecclesia, quando fideli licebat infideli pacificè agenti cohabitare. Nunc autem quando id non licet, posse fidelem cum alio contrahere, hoc ipso quo alter monitus non vult se conuertere. Quia hoc ipso quo eligit cohabitationem fideli illicitam, censetur ab hoc discedere. Ita Soto in 3. d. 39. art. 4. v. *Est tamen* Soto. *hic.* Lopez 2. p. instruct. c. 53. de matrimonio, v. *Circa* Lopez. *illum articulum.* & alij.

61 Quæ ob DD. auctoritatem probabilia sunt, sed non ita congruunt textui Apostoli, qui docet absolutè ex concessione Christi posse fidelem discedere, hoc ipso quo alter non vult conuerti. Et quidem etiam in eo casu, quo ipse tunc suadebat ei cohabitationem, qui non erat alius, quàm quando infidelis volebat pacificè cohabitare alteri, eamque discessionem intelligit absolutè etiam quoad vinculum, vt ostendi suprà. Secundò, quia Apostolus non dicit fidelem habere aliam potestatem discedendi quando alter discedit, aliam verò quando ille tantùm renuit conuerti: sed tantùm dicit in secundo casu consultum esse non discedere, in primo verò necessarium esse discedere: ergo si in primo casu loquatur de separatione etiam quoad vinculum; etiam in secundo casu ita intelligendus erit. quia Apostolus non aliter distinguit inter vtrãque discessionem nisi quòd in vno casu sit necessaria: in alio dissuadenda. Et ita intelligit Apostolum D. August. l. 1. de adulter. coniug. c. 13. & 18. D. Augus. qui inter hos duos casus non aliter quàm, vt dixi, distinguit. Ita Bellarmin. l. de matrim. c. 11. ad 2. in fine. Bellarm.

Nec obstat c. *Gaudemus.* citatum, quia Pontifex ibi pro eodem sumit, coniugem velle cohabitare manendo in sua infidelitate, & id velle cùm contumelia creatoris: quia velle in infidelitate permanere Dei contumelia est; præsertim quòd talis vel exemplo filios ad infidelitatem facilè pertrahet, vel saltem erit indignum infidelem & hostem Dei fidelibus liberis dominari. Vnde hos duos casus, scilicet infidelem velle se conuertere, & nolle cohabitare fideli sine iniuria, aut ab ea discedere, ponit tanquam duo membra adæquatè genus diuidentia. c. Gaudemus. Nolens se ad fidem cõuertere, cum aliqua creatoris iniuria coniugi fideli cohabitat.

Confirmatur, quia nisi Christus concessisset coniugi conuerso facultatem ab altero nolente conuerti discedendi etiam eo casu, quo vellet ei pacificè, & sine alia creatoris contumelia cohabitare; nec Ecclesiæ lege, nec consuetudine posset conuersus obligari à tali coniuge discedere, aliúdque matrimoniũ inire: quia hoc apertè repugnaret legi diuinæ, quæ iubet vinculum matrimonij esse perpetuũ, vt patet Matth. 19. cui nec lex Ecclesiastica, nec consuetudo derogare potest. Cùm tamen Theologi communiter doceant conuersum etiam eo casu non posse iam saltem regulariter, cum nolente conuerti permanere, & posse post discessum aliud matrimonium inire.

Contra hic dicta quidam obiiciunt illa verba Apostoli, *Nam cæteris ego dico non Dominus*, non esse connectenda cum sequentibus, sed cum præcedentibus; ita vt *cæteris* referat virgines & viduas, quibus v. 8. suasit castitatem: Vt sensus sit, iam dicta non ego, sed Dominus præcipit coniugatis; nam cæteris, id est, non coniugatis, ego dico, scilicet vt permaneant, non Dominus. Probant Primò, quia post dicta verba in correctioribus exemplaribus habetur punctum, quo significatur ea non connecti cum sequentibus: Secundò, quia si Apostolus intendisset sensum suprà allatum, mirum est quod eum non clarius explicuerit, cùm facilè id facere potuisset.

Sed hæc patiuntur difficultatem Primò; quia non apparet quid significet ibi verbum *Dico.* vel enim significat præcipio, & tunc erit falsum, quia Apostolus non præcipit innuptis vt sic permaneant: Vel significat suadeo, & tunc falsum est dominum hoc iis non dicere, quia Matth. 19. apertissimè omnibus suadet continentiam.

Sed dices hunc esse sensum, *Cæteris ego dico* (id est, suadeo continentiam) *non Dominus*, scilicet præcipit. Sed hic modus loquendi esset durissimus, & vsitato alienissimus; nec credo aut in scriptura, aut in aliis probatis auctoribus similem reperiri. Confirmatur, quia post verba quæ habet hic v. 10. *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt præcipio non ego sed Dominus*; omnes subintelligunt, *præcipit*, & si quis vellet intelligi, *suadet*, ac si Apostolus vellet dicere: Ego hoc iis non præcipio, sed Dominus iis suadet, omnes eum vt insulsum exploderent; & tamen secundum alios v. 12. esset omnino similis phrasis: ergo sicut in priore loco non debet subintelligi, suadet, sed præcipit, ita etiam in secundo.

Secundò, quia sic illa verba; *Nam cæteris dico ego non Dominus*, deberent coniungi cum v. 11. nam cum superioribus sensum constituerent, & v. 12. deberet incipere ab iis verbis, *Si quis frater*, &c. nam hic inciperet omnino noua oratio, & cum superioribus nullo modo connexa, cùm tamen omnia exemplaria contrarium habeant.

Ad primam probationem alterius sententiæ respondeo plurima exemplaria tam Græca quàm Latina, & inter cætera Biblia Plantiniana regia in Græco,

Latino, & Syriaco textu, non ponere ibi punctũ: & illa quæ ibi ponunt, non videri satis sibi constare, dum illa corrumpunt versu 12. & non 11. vt suprà ostendi.

Ad secundum Respondeo Primò non esse mirum si Apostolus ibi loquatur minùs clarè quàm potuisset, cùm id pluribus locis accidat. Secundò, secundum explicationem aliorum eum multo obscurius, & contrà communem modum loqui. Tertiò, si consulamus textum Græcum, nostram explicationem videri omnino planam & facilem. Vbi enim notabimus, *Nam cæteris ego dico*, &c. Græca habent τοῖς δὲ λοιποῖς ἐγὼ λέγω, &c. Reliquis verò ego dico, &c.

Vbi nota tria fuisse hominum genera, quibus circa matrimonium eiusque vsum poterat aliquid suadere aut præcipere. Primi erant soluti matrimonio, scilicet virgines & viduæ. Secundò, fideles coniugati. Tertiò, fideles coniugati cum infidelibus. De primis egerat v. 8. & 9. de secundis v. 3. 4. 5. 6. 10. & 11. restabant tertij de quibus v. 12. agens dicit, *Reliquis verò* (scilicet de quibus hactenus non egi) *ego dico non Dominus*. Quia scilicet iis aliquid (scilicet ne coniux fidelis ab infideli volente secum pacificè habitare, non discederet) aut suadebat, aut vt alij volunt pro illo tempore præcipiebat; quod Dominus per se nec præceperat, nec suaserat, eo quod pro diuerso fidelium statu diuerso tempore aut etiam loco, aliud atque aliud in hac re suaderi aut præcipi conueniebat, ideóque Christus (cuius præcepta & consilia conueniebat esse perpetua, & vniuersalia) id suis Apostolis, eorúmque successoribus statuendum reliquit. Et hac ratione videtur mihi ille locus clarè & sine contorsione explicari.

62 Conclvs. II. Coniux conuersus ad fidem, non potest transire ad secundas nuprias, nisi priùs ei moraliter constiterit alterum esse obstinatum in sua perfidia. Patet, quia hoc priuilegium tantùm ei conceditur, ne cogatur aut manere cœlebs, aut infideli cum magna indecentia, & fortè suo & prolium periculo cohabitare. vt patet ex dictis: atqui nihil horum sequitur, quando alter paratus est conuerti: ergo tunc alias nuprias non potest contrahere.

Conuersus ante diuortij tenetur coniugem inuitare ad fidem.

Vnde sequitur, teneri eum priùs alterum monere & inuitare ad fidem; quia aliàs communiter non potest ipsi constare de alterius pertinacia. Excipe tamen casum, quo aut aliunde de hac satis constaret, aut quo hæc monitio esset valdè difficilis; tunc enim excusatur morali quadam impossibilitate. Paret ex motu proprio Pij V. quem citat P. Sanchez lib. 7. disp. 74. numero 13. in quo definit Indos Occidentales ad fidem conuersos, qui scire non poterant, quid actum esset de coniuge quem infidelem reliquerant, posse manere in coniugio, quod interim contraxerant.

Pius V. Sanchez.

Hinc sequitur, infideli perenti certum tempus ad deliberandum de conuersione, id debere ei concedi, quia hoc rationabile est, nec antè potest constare eum esse pertinacem. Non tamen requiritur, vt per Ecclesiæ sententiam declaretur esse pertinax: sed sufficit alia via id constare. quia hoc priuilegium à Deo, non autem per Ecclesiam est constitutum. ita Abbas c. *Gaudemus*. n. 15.

Abbas.

Quod autem dixi de matrimonio coniugis conuersi, idem dicendum est de ingressu Religionis, & de susceptione Ordinis sacri: quia per hæc alter spoliatur suo iure. quia coniux legitimè professus aut sacris initiatus non est postea alteri conuerso restituendus.

63 Conclvs. III. Prius matrimonium omnino soluitur hoc ipso quo fidelis legitimè secundum init. Per se patet, quia iam fieri nequit vt vnus habeat simul duas vxores, aut vna duos maritos. Antequam tamen fidelis inierit secundum matrimonium, prius non soluitur. Quia c. *Gaudemus*. de diuortiis. expressè dicitur coniugem fidelem teneri alterum postea conuersum, antequam ipse legitimum inierit matrimonium, recipere. Cuius nulla alia est ratio, quàm quia prius matrimonium antè non soluitur.

c. *Gaudemus.*

Dices, Nemo potest secundum matrimonium inire, nisi prius antè sit solutum.

Respondeo, sufficere vt per se secundum contractum prior soluatur; sicut soluitur matrimonium ratum per professionem.

Sotus in 4. d. 39. a. 4. dub. 3. cum pluribus aliis asserit eodem modo hoc matrimonium solui per professionem conuersi in Religione approbata. Quia matrimonium ratum est fortius vinculum, quàm matrimonium infidelium (quia hoc per illud soluitur, vt patet ex dictis) ergo cùm professio soluat illud matrimonium, multo magis hoc soluet. Quod enim vincit vincentem, vincit victum: vt patet l. *De accessionibus*. 14. ff. de diuersis tempora. præscriptioni. Estque hæc sententia probabilis ob DD. auctoritatem.

64 *Sotus.* Matrimonium fidelis, cum infideli solui per huius professionem multi affirmant.

l. De accessionib.

Sed fundamenta eius debilia sunt. Primò, quia nullo Iure nituntur. Secundò, quia in singularibus priuilegiis, quæ à iure communi exorbitant, non est argumentandum à simili, vel fortiore, vt docet cum aliis P. Leonardus de Iustit. c. 15. dub. 4. n. 28. Et patet in hac etiam materia: quia, vt cum aliis docet P. Sanchez l. 7. disp. 76. n. 3. & 7. fidelis non potest ingredi Religionem non monito infideli; imò etsi legitimè ingressus sit, tenetur egredi, si ante professionem alter conuertatur: ad quæ tamen non obligat matrimonium ratum. Vnde sequitur non omnem obligationem, quam ingressus in Religionem soluit in matrimonio rato, soluere etiam in matrimonio infidelium: & consequenter hoc in aliquibus fortiùs illo ligat. Lex autem *De accessionibus* citata, loquitur in casibus Iuris ordinarij; imò ipsius naturæ: quando scilicet in vtroque eadem ratio militat, ideóque ab vno ad alium est bona consequentia.

65 Sed non probant. In particularibus priuilegiis nõ valet argumentum à simili aut maiore.

Quòd autem professio in Religione soluat matrimonium ratum; non habet ex natura sua, vt ostendi n. 37. sed ex singulari Dei concessione, ac Ecclesiæ lege. Adde, totam rationem illius priuilegij, quo matrimonium conuersi soluit id, quod priùs inierat cum infideli, esse, vt conuersio non sit onerosa conuerso; si cogatur cœlibem vitam ducere, aut alteri molestè cohabitare. Quæ ratio tota cessat quando hic profitetur in Religione: ita vt hoc casu tale priuilegium cederet in fauorem solius obstinati, ad quem tamen concessio non spectat. Quare hanc sententiam tuetur cum aliis Abulensis 1. Reg. 8. q. 68. & 74. eámque veriorem credo.

Abulens.

Hinc sequitur non satis probari, quod docet Nauar. l. 3. consil. tit. de conuersione infidelium, consil. 3. aliàs consil. 1. ad 2. dub. 6. scilicet Pontificem posse dispensare in matrimonio consummato infidelium post vtrinsque baptismum, ante copulam post baptismum habitam. quod nullo modo credo: quia nulla ratione probatur. Hoc enim matrimonium, tunc est verè matrimonium fidelium consummatum: quod omnino indissolubile est. Nec ad hoc requiritur, vt à formaliter fidelibus consummetur. hoc enim nullo iure aut ratione probatur: maximè cùm, vt patet ex dictis, & omnes fatentur, hoc casu illud matrimonium non soluatur per Religionis ingressum.

66 *Nauarr.* Non recte quidam asserunt Papam posse dispensare in matrimonio cõuersorum ad fidem.

Sequitur Secundò, minùs probabile esse quod aliqui docent, quos citat & refutat Sanchez l. 7. disp. 76. n. 11. scilicet matrimonium infidelium solui, si conuersus suscipiat sacros Ordines. quia hoc nullo fundamento probatur.

Sanchez. Infidelis post conjugis conuersi matrimonium validè secundò cõtrahit non tamen antè.

Sequitur Tertiò, antequam fidelis secundò contrahat, infidelem innalidè secundò contrahere. quia ipse non potest soluere prius matrimonium. licitè

licitè tamen id facit, postquam fidelis secundò contraxit; quia tunc matrimonium omnino solutum est. Idémque secundùm sententiam citatam n. 64. dicendum est, si hic ingrediatur Religionem. Quod autem aliqui dicunt, infideli nihilominus in pœnam prohiberi secundas nuptias, sine fundamento dicunt.

67 Proles doli incapaces sequuntur parentem cõuersum. *Toletan. 4. c. fin. de conu. infid.*

Nota demum, siue paret, siue mater conuertatur, altero in infidelitate permanente, in fauorem fidei proles nondum doli capaces, sequi debere fidelem, ne ab infideli peruertantur: si verò iam ratione vtantur, suo arbitrio esse relinquendas, quia nemo ad fidem cogendus est. Ita communiter DD. ex Toletan. 4. c. 55. & 61. & c. finali, de conuersione infidelium.

DVBIVM VI.

Quænam probationes requirantur vt matrimonium probetur inualidè contractum, ita vt dissoluatur?

68 NOta Primò, quando agitur solùm in foro conscientiæ, vt coniux suæ solius conscientiæ satisfaciat, sufficere, vt certò sciat matrimonium esse inualidum, vt possit aliud inire cessante alio incommodo. Et potest confessarius id affirmanti credere. quia cùm in hoc foro non sit quod cogat eum mentiri, cùm solus sui sit accusator, nihil est cur fides ei negetur, nisi fortè confessarius ex aliquibus circumstantiis certò cognoscat eum falli, aut etiam mentiri. Secùs est quando agitur in foro externo, aut quando quæritur, an alter coniux possit ei, affirmanti matrimonium esse nullum, credere. Et de his casibus hîc agimus.

Nota Secundò, dupliciter posse matrimonium esse irritum. Primò, ob defectum interni consensus. Secundò, ob impedimentum dirimens, aut defectum externæ solemnitatis.

69 CONCLVS. I. Ad probandum fictum consensum, requiruntur & sufficiunt eæ rationes, quæ rem vt moraliter certam prudenter credi faciunt: quia maior hîc certitudo haberi non potest, & rei grauitas etiam tantam requirit. Quæ rationes cùm iure præscriptæ non sint, iudicis prudentisque iudicio relinquuntur. Quæ autem sint eiusmodi rationes, quæ meritò prudentem mouèant, vt certò credat matrimonium fuisse inualidè contractum; variè disputant Nauarr. c. 22. n. 76. & 81. Couar. 4. decret. p. 2. c. 2. Siluester v. *Matrimonium.* 4. n. 2. 9. 10. 11. P. Henriquez l. 11. c. 11. n. 4. P. Sanchez l. 2. disp. 45. easque ex eorum sententia hîc breuiter explicabimus.

Nauarrus, Couarr. Siluester, Henriquez, Sanchez.

70 Spõso affirmanti se fictè consensisse non creditur. *c. Per tuas,* nisi id statim faciat.

Ex dicta igitur conclus. sequitur Primò, non sufficere solam coniugis affirmationem, vt alter coniux, vel iudex possit ei credere ad soluendum matrimonium: quia nimis est indignum, vt id quod quis publicè testatus est, valeat proprio testimonio infirmare, vt habetur c. *Per tuas.* de probationibus.

Excipe casum, quo immediatè post verba contractus reclamat. Tunc enim posset præsumi indeliberatè, aut per incogitantiam ea protulisse: vt colligitur ex c. *Præterea.* de testibus cogendis. Secùs esset si post interuallum reclamaret. Ita Sanchez l. 2. disp. 45. nu. 6. Sed in locis vbi Tridentinum receptum est, vix potest hic casus habere locum. quia, cùm Pastor vtriusque consensum priùs diligenter exploret, vix potest habere locum inconsideratio, nisi fortè, quando non seruatis solitis cæremoniis subitò coram Pastore & testibus contrahunt.

c. Præterea, Sanchez, Tridens.

71 *Nauarr.* addit Nauarrus, aut aliam de facto ducat, &c.

Addit Nauarr. c. 22. n. 76. idem dicendum esse quando vir aliquanto pòst reclamat, & de facto aliam ducit, aut Religionem vel sacerdotium assumit. Quia non est credibile eum ira suæ salutis esse immemorem, vt hæc contra conscientiam faciat. Sed si distinguat hunc casum à præcedenti (vt omnino videtur distinguere) videtur difficilis. quia qui non timet peccare fictè contra Sacramenti reuerentiam & iustitiam contrahendo, ac eam quàm ob iniuriam illatam tenetur habere vxorem deferendo: quare credendus est nolle illa alia peccata committere, præsertim si hæc faciat matrimonio consummato? Credibilis tamen esset casus, quando esset magna valdè disparitas conditionis vtriusque: ita vt per se omnino credibile esset, virum solius copulæ obtinendæ causa finxisse contractum. Quo casu in foro præsertim conscientiæ posset fœmina sibi sufficienter persuadere, alterum verè fictè contraxisse. In foro tamen externo non credo vnquam tali viro permittendum, vt aliud matrimonium ineat, aut Ordines inuita parte suscipiat, nisi aliæ vehementissimæ coniecturæ ficti consensus accedant.

sed minùs benè. nisi magna vtriusque disparitas sit.

Faciliùs credo defuisse verum consensum, quando præsertim ex parte puellæ probaretur notabilis metus interuenisse, etsi non tantus vt per se matrimonium dirimat: vt Sanchez suprà num. 8. & 12.

Sanchez. 72 Quid si vterque fateatur fictum consensum?

Addit Baldus l. finali, n. 21. C. de hæreditum instit. ad hoc etiam sufficere si vterque coniux fatearur se fictè consensisse (nisi aliunde sit suspicio collusionis, siue eos hæc fingere vt matrimonium soluatur.) Quia hîc non potest maior probatio haberi. quæ faciliùs possent admitti in matrimoniis clandestinis, vbi valent: quia facilè contrahuntur, & quandoque quasi per iocum. quia multi hoc parum apprehendunt, nec tam graue credunt fictè agere, quando vlteriùs non proceditur. Secùs tamen dicendum est, quando aut ea consummant, aut publicè cum tanta solemnitate contrahunt, aut cum tam diligenti examine circa consensum. Quo casu, nisi circumstantiæ aliud suaderent, minùs credibile est eos inter se fictè contraxisse, nullo proposito commodo (vt hîc in fœmina præsertim accidit) quàm ipsos postea mentiri, quando eos iam tædet matrimonij, nec alia est via illud solnendi; quod tamen solui cupiunt: nisi enim id cuperent, non faterentur cum sua infamia fictum consensum.

73 *Sanchez.* Quid si alterius antè protestatus sit se fictè contracturum.

Demum multi quos citat Sanchez suprà num. 17. aiunt sufficienter probari dissensum, quando constat contrahentem priùs seriò protestatum esse, se fictè contracturum. Alij tamen volunt hoc solùm esse verum, quando hæc protestatio fit præsente & consentiente parte. Quia l. vltim. ff. Nautæ, caupones, &c. dicitur: *Item si prædixerit, vt vnusquisque vectorum res suas seruet, neque damnum se præstaturum, & consenserint vectores prædictioni, non conuenitur.* scilicet nauclerus, vt furtum à suis factum restituat.

Sed hoc solùm probat, scientiam ac consensum partis esse necessaria, vt ipsi non fiat iniuria: non autem vt alter possit probari fictè consensisse.

Quare crediderim illud verum esse quoties ita protestatus postea iterum iuratus asserit se fictè contraxisse, & sui facti probabilem aliquã causam adfert; quæ spectato ipsius ingenio videatur eum ad fingendum potuisse permouisse, quia vix videtur certius ficti consensus argumentum posse adferri. In omnibus autem casibus videtur maximè ponderanda causa, ob quam aliquis dicitur fictè contraxisse; ex hac enim maximè eius animus potest colligi. Qui tamen post talem protestationem matrimonium liberè consummasset, censeretur illud ratificasse, vbi Tridentinum non est receptum: vt habetur cap. *Insuper.* 4. qui matrimonium accusare possunt. Vbi tamen Tridentinum est receptum, hoc non præsumeretur. quia tale matrimonium per occultam copulam confirmari nequit.

Semper spectanda causa ob quam quis asserit fictè consensum. *c. Insuper.*

CONCLVSIO II. Quando agitur de soluendo vinculo matrimonij ob impedimentum; communiter necessarij sunt duo iurati testes omni exceptione 74

c. Super eo. c. Cùm à nobis. c. 10. de testi. An consanguinei possint matrimonium accusare.

maiores. Patet c. *Super eo.* 22. c. *Cùm à nobis.* 28. de testibus & attestat. & c. 10. de attest. Quando autem agitur de consanguinitate probanda, legitimi testes possunt esse parentes & consanguinei, quia hi optimè hanc norunt. Vnde de ea matrimonium accusare possunt; aliàs non, quia censentur colludere cum coniugibus, & de matrimonij valore testari, pro vel contrà, prout ipsum cupiunt valere, vel non valere.

75 Quàdoque sufficit vtriusque confessio. c. Si duo.

CONCLVS. III. Quando nulla est apparentia collusionis, vt si constet vtrumque coniugem cupere matrimonium, sufficit vtriusque confessio ad ipsum dissoluendum, maximè quando fama adstipularetur, cap. *Si duo* 25. q. 6. Secùs esset quando esset suspicio collusionis, etiam accedente rumore viciniæ. Ita habetur c. *Super eo.* de eo qui cognouit. c. Super eo. 76

Sanchez.

Imò Sanchez l. 2. d. 45. n. 34. cum aliis putat sufficere confessionem vnius coniugis stantis pro matrimonio, quando fama adstipulatur. Quia talis cùm non præsumatur contra seipsum velle mentiri, videtur esse legitimus testis, & facere semiplenam probationem. Similiter secundùm multos fama facit semiplenam probationem; quare ex vtroque consurgit plena probatio. Quæ sunt probabilia, ob DD. auctoritatem.

Quando coniuges iudicentur stare pro matrimonio.

Iudicandi sunt autem coniuges stare pro matrimonio, quando aliunde detectum est impedimentum, ipsis conantibus negare, & matrimonium defendere. Secùs quando dissolutionem petunt, aut per se impedimentum deferunt ad iudicem.

DISPVTATIO XXVII.

DE MATRIMONIO CLANDESTINO.

1 Soto. Sanchez. Matrimonium dupliciter dicitur clandestinum.

NOTANT Soto in 4. d. 28. q. 1. art. 1. & Sanch. lib. 3. disp. 1. initio, à Canonistis sex species matrimonij clandestini numerati, sed ibidem num. 3. melius docet propriè loquendo solùm esse duas. Prima est quando matrimonium contrahitur sine Parocho & testibus. Secunda, quando contrahitur quidem coram Parocho & testibus, omissis tamen aliis requisitis solemnitatibus. Hìc autem præcipuè agemus de priore: quia celebritas huic contraria, est iam matrimonio essentialis, de qua agemus quatuor primis dubiis. Deinde quatuor sequentibus agemus de solemnitate ex præcepto Ecclesiæ requisita; & tandem de pœnis quas incurrunt clandestinè contrahentes.

DVBIVM I.

Quo iure matrimonia clandestina sint illicita, aut irrita?

QVidam docent ea esse iure naturæ illicita: quia dant coniugibus occasionem facilè transeundi ad alias nuptias, contra bonum prolis, ipsorumque contrahentium, ac contra pacem Reipub. Ita Petrus Soto lect. 14. de matrimonio. §. *Primum ius ipsum.* & quidam alij. Petr. Soto.

Alij verò olim docuerunt ea fuisse etiam irrita, à tempore Euaristi Papæ circa annum 110. propter canonem 1. 30. qu. 5. vbi ipse dicit talia matrimonia esse potiùs stupra, & contubernia quàm legitima matrimonia. Item quia c. *Videtur.* 35. q. 6. dicitur matrimonia contra Ecclesiæ prohibitionem contracta, non haberi rata. Canonem 1. 30. q. 5. c. Videtur.

2 Soto.

Soto verò in 4. d. 28. q. 1. art. 1. §. *Verùm verò.* dubitat, vtrùm Ecclesia possit talia matrimonia reddere irrita. Primò, quia Ecclesia non potest mutare ius naturæ: atqui tale matrimonium est iure naturæ validum: ergo Ecclesia non potest illud reddere irritum. Secundò, quia Ecclesia non potest aut mutare materiam aut formam Sacramentorum: aut efficere vt aliquid sit de eorum essentia, quod antea non erat: ergo non potest efficere, vt talis solemnitas de nouo sit de essentia Sacramenti. Confirm. quia ideo Ecclesia non potest efficere, vt vel aliqui homines nequeant validè baptizare, aut vt certa aqua ad baptismi essentiam sit necessaria: quia Christus instituit, vt quæuis aqua sit legitima materia baptismi, & quinis hominibus possit validè baptizare: atqui eodem modo liber consensus contrahentium exteriùs expressus est legitima materia & forma matrimonij: ergo Ecclesia non potest efficere ne capaces matrimonij eum adhibentes inualidè contrahant.

Sed si hæc argumenta aliquid probarent, eodem modo probarent, Ecclesiam non potuisse inducere vlla impedimenta dirimentia matrimonium: quod ex antiquissimo iure & Ecclesiæ consuetudine patet esse falsissimum. Quare miror hominem doctum potuisse hac de re dubitare. Ipsa autem argumenta infrà num. 9. soluemus. 3

CONCLVS. I. Probabilius est matrimonia etiam omnino clandestina iure naturæ non esse absolutè illicita. Ita Caietanus tom. 1. opuscul. tract. 12. de matrimonio, q. 2. Soto in 4. d. 28. q. 1. art. 2. concl. 1. & apertè insinuat D. Thomas in 4. d. 28. art. 2. ad 3. dum dicit sponsam de futuro non peccare admittendo sponsi copulam credens eum id animo maritali facere. Et art. 3. in corpore, & ad 3. apertè insinuat, tantùm esse illicita, quia ab Ecclesia sunt prohibita. Vnde tantùm dicit ea in se mali speciem habere, & ob iustas causas licitè fieri. quod non esset verum, si verè in se mala essent. 4 Caietan. Soto. D. Thom.

Probatur, quia nulla potest adferri ratio cur sint illicita, nisi quia sæpè est periculum aut scandali, dum alij nesciunt esse coniugatos, ideóque putant viuere in fornicatione: aut ne postea alter alterum deferat, ac aliam ducat, & sic deseratur proles, & perpetua adulteria committantur. Sed hæc mala non sunt intrinseca matrimonio, sed tantùm ex malitia hominum accidunt; & possunt facilè euitari, si coniuges paulò pòst publicent matrimonium: atque adeò frequenter euitantur: ergo quoties aberunt hæc pericula, illa erunt licita. Quod autem aliqui dicunt non cessare legis obligationem, etiamsi eius ratio in particulari cesset: falsum est de lege naturæ, vt ostendi disp. 26. n. 21. vbi plura quæ hanc sententiam probare possint, attuli.

Fateor tamen tale matrimonium non habere in se præcisè, cur possit honestè appeti, qua clandestinum est: imò verè habere communiter aliquam indecentiam, & speciem mali, vt D. Thomas suprà notat. Quia decet nos vitare ea omnia ex quibus posset ali- 5 Scposita Ecclesiæ prohibi-

tione clandestinum matrimonium ex iusta causa potest honestè appeti, alias non.

quid mali oriri, etsi credamus non oriturum. Et omnino conuenit ita nos agere, vt etiam hominibus pateat nos non malè agere. Posita tamen legitima causa, seclusa Ecclesiæ prohibitione, etiam honestè potest appeti, sicut lectio libri hæretici, & alia similia.

6 *Trident.*

CONCLVS. II. Ob mala tamen, quæ sæpè ex iis oriebantur, meritò Ecclesia ea matrimonia prohibuit, & semper detestata est: ante Tridentinum tamen habuit valida & rata. vt definit Trident. sess. 24. c. 1. de reform. matrimonij.

Nec obstant Iura in contrarium citata n. 1. quia prius caput loquitur quo ad præsumptionem externam Ecclesiæ quæ non reputat esse id quod ei occultatur: vt insinuatur cap. 2. de clandestina desponsatione, quod tempore Euaristi maximè verum erat; quando communiter reputabantur concubinæ, quæ non erant solemniter desponsatæ.

Ad Secundum Respondeo, ibi agi de casu particulari, in quo vnus priorem sponsam, ex qua prolem genuerat, deseruerat, & volebat aliam ducere contra

c. *Is qui.* aperta Iura c. *Is qui.* 30. de sponsalibus.

7

CONCLVS. III. Tridentinum meritò ad euitanda grauia, quæ ex iis sequebantur, incommoda, irritauit matrimonia clandestina sine Parocho & duobus testibus inita: non quidem efficiendo vt alia materia & forma ad Sacramentum requiratur modò quàm antea (quod facere non potuit) sed efficiendo contrahentes inhabiles ad sic contrahendum, & reddendo consensum eorum sine tali solemnitate insufficientem ad contractum illum ciuilem perficiendum. Sicut si efficerer aliquem impotentem ad alium aqua perfundendum, redderet ipsum impotentem eum baptizare: aut si faceret, vt verba hæc: *Ego te baptizo*, omnino aliud (quod consuetudo facere posset) significarent, efficeret vt prædicta proferens inualidè conaretur baptizare.

Quæ ratione potuerit Tridentinū clandestina matrimonia irritare.

8

Potuisse autem Ecclesiam supradicta circa contrahentes matrimonium facere, patet. quia, etsi spectato solo iure naturæ, tales sint potentes contrahere, & hic contractus essentialiter non requirat nisi consensum internum per signa exteriùs clarè expressum; quia tamen illi subiecti sunt Ecclesiæ, potest illis ex legitima causa hanc potestatem tollere, & efficere vt supradicta non sufficiant ad traditionem corporum. quia hæc omnia non tantùm à voluntate contrahentium, sed etiam à voluntate eorum, quibus illa subiecta est, pendent. Sic Ecclesia reddit consanguineos intra quartum gradum inhabiles ad contrahendum; & collationem Beneficiorum per simoniam confidentiæ factam, nullam, sicut etiam professionem factam ante decimum sextum annum ætatis, aut ante annum probationis expletum, irritat. Item Ius ciuile reddit prodigum inhabilem ad contrahendum, & contractus pupillorum factos sine certa solemnitate nullos, qui tamen iure naturæ validi sunt.

9

Ex quibus patet solutio ad argumenta contraria allata n. 2. Ad Primum, nego conseq. quia, vt ex dictis patet, sine vlla mutatione aut irritatione iuris naturæ tale matrimonium potest reddi irritum. Ad Secundum, distinguo antecedens. Verum enim est Ecclesiam non posse mutare materiam Sacramentorum, efficiendo vt id quod priùs erat legitima materia, sine sui mutatione incipiat non esse legitima: potest tamen hoc efficere illud immutando, v. c. vinum vel aquam omnino corrumpendo. Quod etsi circa has res quæ consistunt in sola entitate physica nequeat facere solo suo decreto; potest tamen hoc facere in contractibus, qui magna ex parte pendẽt à rationibus moralibus, quas Ecclesia in suis subditis impedire potest; ita vt ipsæ, & consequenter etiam ipsi contractus poni nequeant sine certa solemnitate, quod hìc facit. Posito autem quòd non possit poni contractus, nec potest poni hoc Sacramentum, quod est essentialiter contractus.

Ad confirmat. nego minorem. Nec enim illi consensus sunt materia matrimonij præcisè secundùm suam rationem physicam, sed prout inuoluunt quoddam esse morale, scilicet vim obligandi, quam Ecclesia potest impedire.

CONCLVS. IV. Ad hunc effectum sola matrimonia dicuntur clandestina, quæ non contrahuntur coram Parocho proprio, aut altero sacerdote cum eius licentia, & duobus testibus. quidquid autem horum defuerit, matrimonium erit irritum. Patet ex Trident. *Trident.* suprà. quod hæc sola tanquam essentialia requirit. 10

Omissio proclamationum non irritat matrimonium.

Vnde sequitur Primò, quàtumuis illicitè omittantur proclamationes, non irritari matrimonium. Nec refert quòd Tridentinum ibi dicat Parochum debere procedere ad celebrationem matrimonij præmissis denuntiationibus. quia tantùm ibi præscribit formam requisitam, vt licitè contrahatur, & ad hanc limitat Parochi potestatem vt legitimè assistat, non autem vt validè: quia infrà vbi irritat clandestina matrimonia, nullam facit illarum mentionem, sed ad valorem matrimonij solùm requirit assistentiam Parochi, vel alterius sacerdotis de eius licentia, & duorum testium.

Sequitur Secundò, quantumuis aliàs publicè matrimonium contrahatur, sine, illorum tamen præsentia inualidè contrahi. quia Concilium aliter contractum absolutè irritat.

11

Excipiuntur ex dictis aliquod casus. Primò, quando infideles contrahunt etiam in locis vbi Concilium est publicatum. Quia hæc lex est merè Ecclesiastica, & vt talis recepta, ideoque cõprehendit solos subiectos Ecclesiæ in spiritualibus, quales non sunt infideles etiam habitantes in locis temporaliter Ecclesiæ subiectis. Secundò, quando fideles priùs contraxerunt in facie Ecclesiæ, sed inualidè ob occultum impedimentum; postea enim clàm validè contrahunt: vt dixi disp. 24. dub. 10. Tertiò, quando contrahunt in locis vbi non est receptum Trident. quia hæc irritatio non est efficax, nisi in loci vbi Trident. à tri- *Trident.* ginta diebus est publicatum: vt patet ex fine c. 1. de reform. matrimonij sess. 24. Quartò, in oppidis aut pagis vbi nullus Pastor, aut vicem eius obtinens haberi, aut in proximis locis adiri potest, validè sine eo matrimonium contrahitur; vt declarauit Clemens VIII. *Clem. VIII.* Quintò, quando Papa dispensat, qui legibus Concilij non tenetur. Et hi casus ab omnibus admittuntur.

12

Addunt verò aliqui Sextum casum, quando contrahentes clandestinè ignorant illud Concilij decretum. quia lex non ligat ignorantes. Et Septimum, quando aliqui nec sine graui incommodo possunt differre contractum, nec breui habere præsentem Parochum, aut eum adire, tunc enim putant eos ex epiikia validè sine Parocho contrahere, aut alterum sacerdotem ex præsumpta eius venia validè assistere: aut saltem Episcopum posse dispensare, vt in graui necessitate sine solẽnitate à Concilio requisita aliqui validè cõtrahant. Probant Primò, quia lex positiua nõ obligat cum tanto subditorum incommodo. Secundò, quia, etsi prohibitum sit omnibus sacerdotibus, ne alicui non subdito sine Parochi venia Extremam vnctionẽ, aut Venerabile Sacramentũ conferant; tamen quando aliquis aliàs deberet sine his mori, ex præsumpta Parochi venia licitè quinis sacerdos ea confert.

13 Ignorantia aut necessitas non tollunt vim legis irritantis, nec efficiunt habilem eum qui aliàs inhabilis est.

Sed hæc rationes solùm habent locum in præceptis aliquid præcipientibus aut vetantibus, non autem in irritantibus. Nam etsi ignorantia, aut necessitas, aut præsumpta prudenter venia, possint excusare à peccato; numquam tamen efficiunt, vt omnino inhabilis ad aliquem effectum fiat habilis: vt patet in lege irritante matrimonium inter consanguineos intra quar-

tum gradum, qui nullo casu sine legitima dispensatione validè contrahunt. Nec vllus Episcopus in statuto generalis Concilij dispensare quacumque ratione potest, nisi quatenus ius, priuilegium, aut legitima consuetudo hoc ei concedit. Nihil autem horum concedit Episcopis potestatem dispensandi in hac lege Tridentini. Itè sicut præsumptus consensus Parochi non confert iurisdictionem ad audiendas confessiones ei qui eam non habet: vt ostendi disp. 8. n. 34. & 35. ita nec efficit, vt is qui caret qualitate necessaria vt validè assistat matrimonio, eam verè habeat. Vide hæc fusiùs apud Sanchez l. 3. disp. 17.

Sanchez.

14 CONCLVS. V. Incola loci in quo Tridentinum est receptum, validè clandestinè contrahit in loco vbi non est receptum, etsi per transitum tantùm ibi sit; vel etiam eo fine, vt ita contraheret, eò se contulerit. Contrà incola loci in quo receptum non est, existens in loco vbi receptum est, inualidè ita contrahit.

Quisque contrahit secundùm leges loci in quo est. c. vlt. de foro. l. Si fundus.

Quia contrahentes ratione sui contractus fortiuntur forum loci, in quo contrahunt, & secundùm huius leges tenentur contrahere: vt habetur c. vltimo de foro competenti, & l. *Si fundus. 6. ff.* de euictionibus. Nec fraudem legi facit qui ad talem locum se confert, quia ius habet eò eundi, & fraudem non facit, qui iure suo vtitur. peccat tamen talis ita contrahendo, sicut ante Tridentinum peccasset. Vide dicta to. 1. q. 74. a. 4. dub. 3.

DVBIVM II.

Quis possit ordinaria potestate matrimonio assistere, aut alteri assistendi licentiam concedere?

15 SVpponenda hîc est constitutio Trident. sess. 24. *Tridant.* cap. 1. de reform. matrim. vbi irritat matrimonium aliter celebratum quàm præsente Parocho vel alio sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia. Ex qua constitutione variæ oriuntur difficultates, quas alij varijs disputationibus explicant: nos, quia connexæ, & magna ex parte alijs locis à nobis explicatæ sunt, eas vnico dubio complectemur.

Prima itaque difficultas est, quinam intelligantur Ordinarij? Qua in re sola difficultas est circa potestatem Archiepiscopi, & Vicarij ipsius Episcopi.

Secunda est, quinam in hac re dicantur siue Ordinario, siue Parocho subiecti esse?

Tertia, Vtrùm Pastor validè assistat matrimonio suorum subditorum extra suam parochiam?

Quarta, Vtrùm Pastor excommunicatus, aut solùm habens titulum coloratum, validè suorum matrimonio assistat?

16 CONCLVS. I. Ordinaria potestate suorum matrimonio assistere, aliisque assistendi potestatem concedere possunt Primò, Parochus in tota sua parochia. Secundò, Episcopus per totam suam diœcesim. Et hæc per se clara sunt. Tertiò, Vicarius generalis Episcopi in spiritualibus, per totam etiam diœcesim. quia, *c. Romana.* cùm, vt habetur c. *Romana. 3.* de appellationibus. in *6.* hic vices Episcopi suppleat, & vnum tribunal, & quasi vnam personam cum eo constituat; eandem etiam suo modo cum eo habet potestatem, & nomine Ordinarij, tam à Concilio hîc, quàm alibi à Iur. comprehenditur: vt cum communi sententia docent Abbas in c. *Relatum.* 19. de officio delegati. & Nauar. l. 4. consil. tit. de sponsalibus, consil. 47. n. 1.

Abbas. Nauar.

17 Quartò, omnes habentes iurisdictionem episcopalem respectu eorum in quos eam habent, hîc maximè nomine Ordinarij comprehenduntur. quia, cùm tam ipsi, quàm eorum subditi à potestate Episcopi sint exempti, ipsi soli sunt horum ordinarij iudices. Ita cum communi sententia Nauar. suprà, & P. Henriquez l. 11. c. 3. n. 4.

Nauar. Henriquez.

Quintò, Capitulum sede vacante. quia succedit in iurisdictionem Episcopi. Colligunt id communiter DD. ex c. *Cùm olim.* 14. de maioritate & obedientia. & apertè insinuatur à Tridentino sess. 23. c. 10. in fine. de reformat. vbi dicit, Vicarium Capituli sede vacante in iurisdictionem Episcopi succedere.

c. Cùm olim. Trident.

Sextò, legatus Pontificis per totam suam prouinciam. Quia in ea potest quidquid Episcopus potest per suam diœcesim.

Septimò demum, summus Pontifex per totum orbem terrarum.

Vbi Nota, Archiepiscopum in diœcesibus suorum Suffraganeorum nihil horum posse, nisi cùm actu visitat; aut causa sit ad eum per appellationem deuolura. Colligitur ex c. vlt. de censibus, in *6.* & c. *Venerabilibus. 7.* de senr. excommunic. in *6.* Vide P. Henriquez l. 10. c. 30. num. 3. & P. Sanchez l. 3. disp. 28. n. 3. & 4. & P. Suarez to. 4. disp. 25. sect. 1. n. 14. & quæ dixi in disput. de censuris in genere, n. 29.

Quid Archiepiscopus possit in subditos suorum Suffraganeorum. c. vlt. de cens. c. Venerab. Henriquez. Sanchez. Suarez.

CONCLVS. II. Quoad hanc rem dicuntur esse in alicuius parochia, vel diœcesi, qui in ea domicilium, vel quasi domicilium habent. Domicilium autem habere dicor in eo loco in quo animo perpetuò ibi permanendi habito, etiamsi per horam tantùm ibi habitauerim. Quasi domicilium ibi habeo, vbi per maiorem anni partem habito, vt scholastici in Vniuersitatibus, & milites in præsidiis. Vide dicta d. 8. n. 21.

18 *Domicilium habere quid dicatur.*

Hinc infertur, eum qui duobus locis habet domicilium, ita vt modò in vno, modò in altero habiret, posse coram vtrouis Parocho contrahere. quia verè vterque eius Parochus est. Idemque dicendum, quando duo eiusdem loci sunt absoluti Parochi.

Duobus Parochis subditus coram vtroque contrahit.

CONCLVS. III. Quando sponsus & sponsa sunt diuersæ parochiæ, possunt contrahere coram Parocho sponsi, vel sponsæ, prout libuerit. quia non est maior ratio de vno quàm de altero: & Parochus vnius, censetur Parochus vtriusque. quia sunt quasi vna persona, cùm vnum Sacramentum vnúsque contractus sit vtriusque. Nauarr. tamen lib. 4. consiliorum tit. de sponsalibus, cons. 52. docet in dicto casu, eum Parochum necessariò debere matrimonio assistere. in cuius parochia illud contrahitur. Sed illa responsio solùm docet id esse valdè conueniens. quod verissimum est, & ex præcepto necessarium. quando contractus solemniter celebratur. Ad valorem tamen matrimonij impertinens est, vter Pastor assistat, vt Cardinales teste eodem loco Nauarro declararunt. Et colligitur apertè ex responsione quam hîc habemus.

19 *Nauarr.*

CONCLVS. IV. Vagi debent contrahere coram Pastore loci, in quo pro tempore hospitantur. Vide dicta disp. 8. n. 62.

20

Nota Primò, vagos dici qui nullibi habent domicilium, quales sunt ij omnes, qui proprium domicilium deserunt, vt aliò illud transferant. Hoc ipso enim quo parochiam suam egressi sunt animo ibi ampliùs non habitandi, donec peruenerint ad locum in quo habitare constituunt, in eóque sedem fixerint, omni parochia ac domicilio carent.

Vagi qui dicantur.

Probatur conclusio, quia his necessariò assignandus est aliquis proprius Pastor à quo Sacramenta suscipiant, nec alius quàm dictus, congruè assignari potest. Quod autem aliqui dicunt, eos nullum habere Pastorem, ideóque à quouis posse Sacramenta suscipere, non videtur verum. Quia inde sequeretur, eos à nullo nisi à Pontifice posse Sacramenta suscipere. quia nemo potest alicui Sacramenta conferre, nisi proprius ipsius Pastor, vel alius cum eius licentia. vt benè docet P. Suarez tom. 4. disp. 26. sect. 2. num. 7. Et praxis hoc omnino confirmat. Nec enim sine scandalo Pastor D. Quintini conferret Extremam vnctionem vago ægrotanti in parochia S. Petri.

Suarez. Trident. In matrimonio vagorum quid obseruandum sit.

Nota Secundò, Tridentinum sess. 24. c. 7. præcipere ne Parochi vagos coniungant matrimonio, nisi priùs

priùs diligenter inquisiuerint de eorum statu & habilitate ad contrahendum, & rem ad Ordinarium detulerint, eiusque licentiam obtinuerint. quia periculum est ne alibi vxore relicta, hîc aliam ducant. Quæ ratio etiam militat iuxta eos, qui alibi habentes domicilium, habitant ac contrahunt in loco vbi ignoti sunt. Vnde Sanchius cum aliis l. 3. disp. 25. n. 8. docet eadem cum his obseruanda esse: quòd saltem certum est de diligenti illa inquisitione. quia ex officio Pastor ad hanc tenetur: & his consonant quæ habet Concilium Mechliniense citandum n. 46.

Sanchius.

Concil. Mechlin.

Vbi Nota Tertiò, Concilium esse intelligendum de iis qui communiter dicuntur vagi; non autem de iis quid domicilium transferunt, notique sunt in iis locis. quia in iis omnino cessat dicta ratio. Nec Concilium videtur vllo modo de his suam legem intelligere.

21 CONCLVS. V. Pastor validè assistit matrimonio etsi non sit sacerdos. quia Tridentin. tantùm requirit vt sit Pastor. Quod autem dicit: *Quia aliter quàm coram Parocho, vel alio sacerdote*, &c. inde non sequitur Parochum debere esse sacerdotem. quia dictio *Alius* sæpè refert aliquid diuersæ qualitatis ab antecedente, vt patet ex illo Lucæ 23. v. 22. *Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo.*

Luc. 23.

22 CONCLVS. VI. Parochus validè assistit suorum parochianorum matrimonio extra suam parochiam sine licentia Parochi ipsius loci. Quia hoc nullum tribunal, aut strepitum iudicialem requirit: nec etiam solemnitatem, quæ cum exteriore pompa & strepitu fiat; quæ sola Prælati ac Superiores prohibentur in alieno territorio facere. Quare Parochi in aliena parochia, nec proclamationes facere, nec solemnem benedictionem dare possunt. quia hæc externum strepitum exigunt.

Quænam possint Prælati facere in alieno territorio.

23 Ex his sequitur Primò, ex rationabili causa & cessante scandalo etiam licitè illud facere. quia nullibi est prohibitum, vt benè Sanchez l. 3. disp. 19. n. 17. Et confirm. quia licitè ita suorum audit confessiones, quod tamen continet actum iurisdictionis. In quibusdam tamen locis, statuto prouinciali id videtur prohibitum.

Sanchez.

Sequitur Secundò, multò magis existentem extra parochiam suam vel diœcesim posse alteri facere potestatem, vt in sua diœcesi matrimonio assistat. quia minorem strepitum exigit. Nec vlla est ratio cur hoc possit prohiberi.

24 CONCLVS. VII. Parochus excommunicatus etiam non toleratus validè assistit matrimonio. Probatur, quia hic non est actus iurisdictionis, sed testis: cùm inuitus omnino & repugnans validè assistat: nullus autem actus iurisdictionis exercetur ab inuito. ita Sanchez lib. 3. disp. 21. n. 4.

Excommunicatus validè suorum matrimonio assistit.

Sanchez.

Dices, excommunicatum non posse esse testem. Respondeo, excommunicatos posse admitti ad ferendum testimonium in causis, in quibus admittuntur infames, vt hîc fit: vt ostendam dub. 4.

Adde Primò, excommunicatos debere quidem repelli à dicendo testimonio, validè tamen adhiberi, si nemo repellat, vt patet expressè c. *Pia* 1. de exceptionibus, in 6. & docet Suarez tom. 5. disp. 16. de excommunicatione sect. 6. n. 7. Adde Secundò, nihil referre vtrùm aliquis sit excommunicatus dum spectator adhibetur rei, de qua postea debeat in iudicio testari, modò quando testatur sit absolutus, vt ostendi disp. 14. n. 80. Videtur tamen talis peccare. quia in re graui & sacra contra Ecclesiæ prohibitionem cum aliis communicat: nisi fortè ob grauem necessitatem excusaretur. Vt si coniuges nulla ratione possent contractum differre: nec esset alius qui posset assistere: nec ipse priùs posset absolutionem obtinere.

c. Pia. Suarez.

Illicitè tamen.

25 CONCLVS. VIII. Parochus excommunicatus tolleratus validè dat alteri licentiam assistendi. quia post Concilium Constantiense actus iurisdictionis per tales facti valent, etsi peccent eos sine necessitate exercendo, vt dixi in tract. de excommunicatione d. 10. & 16. hoc autem casu est sufficiens necessitas, præsertim quando vtriusque est Pastor, & vix potest effugere quin assistat, aut alteri det facultatem assistendi.

Tolleratus validè dat alteri licentiam assistendi. Conflant.

Dubitant tamen auctores, vtrùm non toleratus id validè faciat. Aliqui id affirmant; quia putant hanc concessionem non esse actum iurisdictionis. Et hanc sententiam à potiore iure tenet Nauar. cap. *Hactenus.* de pœnitentia, dist. 6. num. 73. Et probatur, quia Parochum dare hanc licentiam nihil est aliud, quàm eum ex potestate à Concilio sibi facta, substituere sibi aliquem alium idoneum testem. quod non videtur esse actus iurisdictionis.

Nauar.

Contrarium tamen videtur verius. quia Concilium dicit eum debere dare alteri licentiam assistendi. quod videtur esse actus superioritatis & iurisdictionis. Nemo enim potest alteri dare licentiam aliquid faciendi, nisi habeat aliquam iurisdictionem, aut dominium, vel in eum cui dat licentiam, vel in rem circa quam dat licentiam aliquid faciendi, vt patet in omnibus similibus locutionibus. Ita Suarez tom. 5. d. 14. s. ln. 7. Confirmatur, quia hæc licentia non tantùm requiritur ne iuri ipsius Pastoris præiudicetur, sicut requiritur licentia, vt possit quis non subdito dare Extremam vnctionem: sed vt assistens qualificetur atque idoneus fiat vt assistat. Qualificare autem aliquem videtur omnino esse actus iurisdictionis.

Secùs est de non tolerato.

Dare licentiam est actus dominij vel iurisdictionis. Suarez.

26 CONCLVS. IX. Habens tantùm titulum coloratum, modò communiter credatur habere verum titulum, validè matrimonio assistit, supplente Iure ipsius defectum ob bonum commune: iuxta ea quæ dixi disp. 8. dub. 3. concl. 6. Secùs esset si esset intrusus sine legitima auctoritate. quia talis non habet titulum coloratum. Vide P. Lessium de Iustitia c. 26. dub. 6. & P. Sanchez l. 3. disp. 22.

Intrusus non habet titulum coloratum. Lessius. Sanchez.

27 CONCLVS. X. Qui habet potestatem ordinariam assistendi matrimonio, validè facit alteri potestatem assistendi, vt patet ex c. *Episcopus.* 7. de officio Ordinarij. Et in hoc omnes conueniunt. Variè tamen actores dissentiunt, an & quando delegatus possit subdelegare. Sed hæc satis explicui disp. 8. n. 23. & 24.

c. Episcopus.

28 CONCLVS. XI. Parochus cui prohibitum est assistere certo matrimonio, aut alteri facultatem assistendi dare validè vtrumque facit, nisi prohibitioni clausula irritans sit apposita. Quia cùm de iure hanc potestatem habeat, per simplicem prohibitionem ei non auferetur: vt fusè docet Sanchez disp. 32. Imò etsi Episcopus possit efficere vt Parochus inualidè det alteri licentiam assistendi, hanc ab initio reuocando; non videtur tamen posse efficere, vt Parochus manens Parochus validè non assistat: quia quamdiu hic assistit, seruatur constitutio Tridentini: nec Episcopus potest apponere conditionem essentialem matrimonio, sine qua non valeat. Et confirm. Primò, quia cùm assistere matrimonio (vt ostendi n. 24.) non sit actus iurisdictionis, non pendet ita à Superiore, vt eius valorem impedire possit. Secundò, quia contrahentes possunt contrahere coram Parocho omnino repugnante: cur non etiam inuito Episcopo? cùm hic non magis possit eos reddere inhabiles ad contrahendum, quàm Parochus. Tertiò, præsente suo Episcopo quadrumcumque Parocho repugnante validè contrahunt: cur non etiam præsente Parocho Episcopo repugnante? Quæ vera sunt etiam respectu Parochi ad nutum amouibilis quamdiu non amouetur.

Sanchez. Episcopus potest efficere ne Pastor det validè licentiam assistendi, non tamen ne validè assistat.

DVBIVM III.

Quæ requirantur vt licentia assistendi matrimonio, alteri validè fiat?

29 HAc in re variæ difficultates sunt; sed multæ sunt, quæ aut in superioribus satis sunt explicatæ, aut apud plurimos auctores sunt ita clarè tractatæ, vt quid in iis dicendum sit, vix vllum sit dubium. Quare harum solutionem breuiter ponemus, vt possimus paulò fusiùs explicare ea in quibus adhuc restat difficultas.

CONCLVS. I. Requiritur Primò potestas in concedente, de qua egi dub. 2. concl. 10.

Secundò, vt is cui conceditur sit sacerdos: hoc enim expressè requirit Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. *Trident.*

Tertiò, debet hæc concessio exteriùs aliquibus signis sufficienter exprimi, quia voluntas purè interna nihil exteriùs in aliis operatur, nec potest iis aliquid conferre. Quæuis tamen signa eam clarè exprimentia sufficiunt. Vide dicta disp. 8. n. 33. & disp. 21. d. 6.

30 Vbi Nota Primò, sufficere generalem concessionem qua Pastor alteri dat facultatem omnia pastoralia officia in sua parochia exercendi. sub hac enim clarè comprehenditur *dicta potestas, talisque* concessio æquiualet speciali, vt cum communi sententia docent Nauar. l. 4. consil. tit. de sponsalibus, consilio 27. & P. Sanchez lib. 3. disp. 35. n. 2. & 7. *Quando potestas assistendi matrimoniis sub generali cõcessione comprehendatur Nauarr. Sanchez.*

Nota Secundò, non sufficere si Pastor det alicui facultatem administrandi omnia Sacramenta. quia assistere matrimonio non est administratio Sacramenti: nec in vtroque est eadem ratio, cùm illud tutiùs contingat, & requirat singularem prudentiam, ne aliqui malè admittantur ad matrimonium, ideóque Pastores non tam frequenter id solent aliis committere. Ita cum aliis P. Henriquez l. 11. c. 3. n. 5. Excipe casum quo Pastor notabili tempore futurus absens alicui commendaret, vt suis Sacramenta administraret. Censeretur enim his verbis omne officium pastorale comprehendere, cùm teneatur id alicui committere, nisi fortè alteri reliquam partem commisisset. Ita P. Sanchez l. 3. disp. 35. n. 8. *Henriquez. Sanchez.*

31 Quartò, requiritur, vt concessio facultatis præcedat assistentiam: quia requiritur ad actus substantiam, & per eam debet assistens qualificari, vt idoneus testis sit. Vnde nullo modo sufficit præsumpta ratihabitio Pastoris, etsi ea postea sequatur. quia nihil potuit operari antequam esset, nec essentia Sacramenti potest pendere à conditione futura. Nec etiam sufficit me credere eum contentum esse, vt assistam; & ipsum de facto contentum esse, nisi id exteriùs exprimat: quia voluntas merè interna nihil operatur. *Præsumpta ratihabitio non sufficit.*

Sufficit autem ipsum scientem me non habere facultatem assistendi, & videntem me iam incipere assistere, non contradicere, cùm facilè posset, modò sciam esse talem qui *contradiceret nisi consentiret.* Tunc enim eius taciturnitas est expressum signum consensus, aliàs non. Vide dicta disp. 8. n. 34. & 35. Est enim eadem ratio hîc & in facultate audiendi confessiones.

32 Quintò, requiritur, vt facultas hæc legitimè acceptetur vel à sacerdote astituro, vel à contracturis: quia illa his conceditur, & debet acceptari ab iis quibus conceditur. Quando tamen eam petunt per aliquem tertium, sufficit eam ab hoc acceptari, quia hic nomine eorum agit. Quare hoc casu statim ac facultas concessa est, validè sacerdos assistit, etsi nondum sciat concessam, sed tantùm ex coniectura temporis id coniiciat. quia iam verè acquisiuit facultatem assistendi. Secùs est quando Parochus sponte, vel solùm per litteras rogatus, eam concedit. Tunc enim ille inualidè assistit, antequam per litteras Parochi mandato scriptas, aut nuntium ab eo directum id intelligat. Quia non acquirit facultatem, nisi eam acceptarit: nec potest eam acceptare nisi oblatam: nec potest censeri oblata, nisi offerens suam voluntatem aliquo signo externo aut ipsi, aut contracturis expresserit. Quare non sufficit eum concessionem cognoscere per aliquem qui casu eam audiuit. quia offerens non potest dici suam voluntatem ei per hunc significare, nisi eum ad ipsum direxerit. Vide hac de re plura apud P. Lessium de iustitia c. 18. n. 42. & P. Sanchez l. 3. d. 36. *An is cui concessa est facultas assistendi, validè assistat antequam illud sciat. Lessius. Sanchez.*

Sextò, requiritur, vt facultas concessa non sit reuocata. Non censetur autem sufficienter reuocata, nisi iis quibus concessa fuit, per certum nuntium, aut literas significata sit. Ita Sanchez suprà n. 9. *Idem.*

Septimò, requiritur, vt quando sub certa conditione conceditur, ea seruetur. Qua in re certum est delegarum obligari, vt eam seruet, modò rationabilis sit.

Dubitant autem DD. quando Pastor dicit alteri, 33
Do tibi facultatem assistendi talium matrimonio, præmissis denuntiationibus, aut dummodo diligenter inquiras an subsit impedimentum, aut præcipias eis ne consumment antequam denuntiationes fiant, &c. vtrùm tum facultas censeatur concedi sub tali conditione, ita vt ea non seruata concessio sit nulla: an verò solùm cum tali conditione, *ita vt validè assistatur ea non seruata.* quæ quæstio locum etiam habet in delegatione cuiusuis alterius potestatis.

Couar. in c. *Alma mater.* p. 1. §. 9. n. 8. & Nauar. c. 27. n. 37. dicentes esse communem sententiam dant circa eiusmodi concessiones duas generales regulas. Prima, quando conditio cum tali concessione expressa continet formam Iuris communis, eo modo quo de Iure inest; eius omissio non efficit actum irritum, qui ea non expressa fuisset validus. quia conditio tacitè subintellecta, & expressè apposita idem operatur: atqui illa conditio ex Iuris interpretatione subintellecta non irritat actum: ergo nec eum irritat expressè apposita. Secunda est quando conditio vel alia vel aliter apponitur, quàm de Iure inest, tunc ea non seruata actus est irritus. Vnde quidam inferunt, quando Parochus dicit alteri sacerdoti, *Do tibi facultatem, vt tali matrimonio assistas præmissis denuntiationibus;* validè eum assistere iis non præmissis: quia ea conditio Iure communi inest, vt patet ex Trident. sess. 24. c. 1. de reform. Secùs autem esse, si dicat, Do facultatem assistendi, si diligenti facto examine, nullum repereris subesse impedimentum. quia apponitur aliquid quod Iure communi non inest. Hoc tamen exemplum non est commodum, quia c. vlt. de clandest. desponsat. hæc etiam inquisitio præscribitur. *Conarr. Nauarrus. Quando obseruatio cõditionis cum qua facultas conceditur sit essentialis, siue necessaria ad valorem actus duæ regulæ ab aliis traditæ. Trident.*

Sed hæc habent aliquam difficultatem. Nam Iure 34
communi cautum est, vt nemo ob damnum alteri illatum excommunicatus absoluatur, nisi parti satisfecerit. Si tamè Ordinarius daret alteri potestatem talem absoluendi, modò hic quantum posset, priùs parti satisfaceret; multò probabilius est eum velle inualidam aliàs esse absolutionem, vt pote parti perniciosam, cùm licitè non possit eam velle esse validam, vt ostendi in disp. de excommunicatione n. 153. *Dictas regulas non esse vniuersales.*

Rursum, si quis det alteri facultatẽ audiendi confessiones monitis pœnitentibus, vt diligenter lucrentur concessas tunc fortè Indulgentias, quis credat virum bonum velle aliter datam absolutionem esse irritam? Et tamen illa conditio Iure cõmuni non præscribitur. Secundò, quia vt regulæ illæ verissimæ sint, vix tamen prima præsenti, aliisque similibus quæstionibus potest applicari: nam in dicta forma concedendi facultatẽ, ea conditio lõgè aliter exprimitur, quàm iure insit. Nam aliud longè est dicere, *Nemo assistat matrimonio, nisi præmissis denuntiationibus:* aut, *nemo absoluat ab excommunicatione, nisi priùs satisfactum sit parti.* *Conditio ferè aliter à concedẽte exprimitur quàm Iure insit.*

Aliud

Aliud verò, *Do tibi facultatem assistendi matrimonio præmissis denuntiationibus*, aut *modò præmittas denuntiationes.* Item, *Do tibi facultatem absolvendi ab excommunicatione satisfacta prius parte*, siue, *modò prius satisfactum sit parti.* Prius enim iure præcipitur, & apertè significat solam prohibitionem aliter illos actus exercendi. In secundo autem si verba omnino in rigore accipiantur, significant conditionem sub qua illa potestas traditur. Ex quo patet solutio argumenti allati pro priore regula. Maior enim solùm vera est, quando conditio eodem modo exprimitur, quo subintelligitur. quod in dictis casibus non fit, vt patet ex dictis.

Dixi, *si verba in rigore accipiantur*, &c. Quia sæpè concedentes eiusmodi facultatem non accipiunt ea in isto rigore: sed solùm per ea significant ad quid delegatus obligetur, quod quidem sæpè accidit, quando id quod requirunt, etiam à Iure requiritur. Sed hoc non est vniuersale, vt iam ostendi. Ideóque meritò P. Sanchez l. 3. disp. 33. n. 6. ad 2. has regulas ait esse veras, nisi ex circumstantijs contrarium colligatur. Quare nobis hic videndum est, quando hæc vel illa acceptio ex circumstantijs colligi possit.

Sanchez.

35 Vt igitur quod mihi occurrit explicem, Resp. totam rem pendere ab intentione concedentis, de qua si constet, non est multùm laborandum de reliquis, vt omnes fatentur: quando de ea non constat, spectandus est finis ob quem conditio est addita. Si enim is euertatur, posito quòd actus forma præscripta non seruata validè fiat, ille censendus est velle eo casu esse irritum; modò tamen finis tanti momenti sit, vt ad eum obtinendum possit rationabiliter censeri illud velle. Secùs est quando actum esse irritum non iuuat ad finem obtinendum: vel hic non sit tanti momenti, vt propter eum aliquis prudenter velit actum esse irritum.

Vnde colligatur qua intentione conditio sit apposita.

36 Hinc in matrimonio cùm ideò præcipiantur supradictæ conditiones, ne sponsi, si fortè subsit impedimentum dirimens, irritè & consequenter sacrilegè contrahant: aut pro copula matrimoniali fornicariam postea habeant si inualidè contraxerint; nullo modo censendum est, illas præscribentem velle aliàs actum esse irritum: cùm hoc modo finem suum euerterunt, & efficeret, vt coniuges, si contingeret eam formam non seruari, infallibiliter sacrilegè contraherent, & copulam fornicariam haberent quantumcumque aliàs nullum impedimentum subesset: quod tamen euitare cupit, & facilè potest, si velit actum illum non seruata conditione, illicitè quidem fieri, validè tamen. Idem est, quando Pastor concedit veniam assistendi, modò alter præcipiat coniugibus ne ante benedictionem consumment. quia hoc non est tanti momenti, vt meritò velit eos aliàs irritè contrahere.

Secùs esset, quando aliqua se opponens matrimonio diceret se sub promissione matrimonij defloratam à sponso, aut saltem contraxisse cum eo sponsalia, præsertim iuramento firmata. Tunc enim committens alteri, *vt assistat si reperiat sponsum non esse obligatum alteri*, censetur velle irritum esse contractum sine sufficiente inquisitione factum. Quia cederet in graue partis præiudicium, si validus esset. Quare delegans sine iniuria partis non potest velle matrimonium eo casu esse ratum.

37 Octauò, requirunt aliqui, vt concessio hæc omnino liberè fiat. Quare dicunt inualidam esse quæ metu vel dolo obtinetur. Sed Sanchez l. 3. disp. 39. n. 13. & 14. in vtroque casu contrarium docet, quod est probabilius. quia tam contractus quàm etiam donationes, quibus dolus vel metus causam dedit, validæ sunt, licet irritabiles, quando tales sunt quæ irritari possunt. Ita P. Leonardus de Iustitia c. 17. dub. 5. & 6. Adde, rescripta iustitiæ per dolum obtenta non vitiari, nisi apertè elidantur per exceptionem, vt colligitur ex c. *Super literis.* de rescriptis. & docet Sanchez l. 7. disp. 21. Hæc autem concessio est illis similis: quia ex officio tenetur Pastor per se vel alium assistere.

Concessio metu vel dolo obtenta valet. Sanchez.

Leffius.

c. Super.

Excipe Primò casum, quo dolus esset circa substantiam; vt si putaretur Petrus petere sibi hanc facultatem & esset Paulus. Et sic intellige legem, *Si per errorem.* π. de iurisdictione omnium iudicum. Vbi dicitur, nihil tam esse contrarium consensui, quàm errorem. apertè enim de eiusmodi errore loquitur. Secundò quando concedens limitat suam concessionem, *si vera sunt quæ proponuntur.* Tunc enim clarum est deficiente veritate concessionem esse nullam. Et ex hac parte rescripta Pontificum dolo obtenta nulla sunt, quia Pontifex hoc in Iure declarauit.

Nisi dolus fit circa substantiã. l. Si per errorem.

Nonò, requirunt aliqui, vt matrimonium celebretur in parochia concedentis alteri veniam assistendi. Sed hoc non est necessarium. Sicut enim Pastor potest assistere extra suam parochiam: ita potest alteri dare veniam assistendi. Quare si Parochus daret alicui veniam assistendi omnibus matrimoniis in sua parochia celebrandis, hoc ita accipiendum esset ac si diceret, Ab omnibus meis parochianis celebrandis. nec censendus esset velle restringere datam facultatem ad certum locum, nisi ex circumstantiis alia eius mens posset colligi. Vide Sanchez l. 3. disp. 34.

38

Concessa facultate assistendi validè extra parochiam concedentis.

Sanchez.

Petes, Vtrùm sacerdos debeat credere dicentibus se habere veniam à Parocho, vt possint coram ipso contrahere? Respondeo cum P. Sanchez l. 3. disp. 37. n. 2. regulariter non debere credere, nisi certa signa adferant: quia in iis quæ spectant ad externam Ecclesiæ gubernationem, non debet in propria causa testantibus credi, præsertim quando hoc credere posset in aliquod tertij præiudicium, vt hîc fit. Quòd si essent personæ valdè graues & probæ, posset sacerdos iis credere: quia durum est talibus sine euidenti causa fidem negare.

39

Sacerdos non potest semper credere dicentibus se habere veniã coram eo contrahendi.

DVBIVM IV.

Quales testes, qualisve tam eorum, quàm Parochi præsentia requiratur?

40 PRæcipua hîc difficultas est, Vtrùm testes adhibendi matrimonio debeant necessariò esse omni exceptione maiores? Quidam id affirmant, quia c. 1. de consanguinitate, & aliis quibusdam Iuribus, in causis matrimonialibus requiruntur testes omni exceptione maiores: ergo alij inualidè adhibentur.

Nota ex dictis disp. 14. nu. 79. & 80. quando aliqui alicui contractui spectatores adhibentur, vt hic per eos postea possit in iudicio probari, nihil referre quales sint, dũ contractui præsentes assistunt, (modò sint tales qui possint perfectè intelligere quid agatur, & non desit illis aliqua qualitas ad valorem actus in iis, dum huic assistunt, à Iure specialiter requisita. qualis in re præsenti est, vt vnus testium sit Pastor contrahentium.) sed solùm spectari quales sint, dum postea testimonium de re à se visa dicunt. Hinc excommunicatus non toleratus validè adhibetur alicui contractui, vt postea absolutus de eo in iudicio testetur, nec contra eum ratione excommunicationis præteritæ potest excipi. Contrà verò si dum producitur testis in iudicium sit excommunicatus, potest contra eum excipi, quantumcumque fuerit omni exceptione maior, dum contractui adhibebatur: vt benè docet P. Suarez tom. 5. disp. 6. n. 7.

Qualitas in testibus præcipuè requirimedum testimonium perhibent.

Suarez.

CONCLVS. I. Ad valorem matrimonij requiruntur necessariò vt minimum duo testes præter Parochum. Patet ex Trident. sess. 24. c. 1. de reform. matrim. vbi tot expressè requiruntur. 41

Trident.

CONCLVS. II. Non est necesse vt testes sint omni exceptione maiores, sed sufficit eos habere suffi-

tiens iudicium, possint intelligere quid agatur, & illud postea testari, etsi mulieres, parentes, vel infames sint. Ita Sanchez l. 3. disp. 41. n. 5. & P. Henriquez l. 11. c. 3. num. 9. cum aliis quos citant.

Sanchez. Henriquez.

Probatur, quia, etsi testes eiusmodi possint repelli à partibus, vel iudice, validè tamen ex consensu partium admittuntur: vt cum multis docet Sanchius. Imò etiam in aliis casibus eorum testimonium validum est, quoties non repelluntur, vt apertè habetur c. *Pia:* de exceptionibus, in 6. vt ostendi suprà dub. 2. concl. 7. nisi aliud lege expressè cautum sit: quod hîc non fit. quia Trident. nullas qualitates in testibus requirit, nisi vt tertius sit Parochus. Secundò, quia defectum testium supplet auctoritas Parochi. Tertiò, quia aliàs sæpissimè potuisset contingere multa matrimonia in dubium vocari, præsertim in pagis vbi tam Parochi, quàm contrahentes communiter ignorant, qui testes sint omni exceptione maiores: & tam ibi quàm etiam in vrbibus matrimonia sæpè paterent multis litibus; cùm facilè esset apparentem aliquam causam reperire, quæ testibus obiici posset: atque ita Trid. incideret in incommoda eadem vel æqualia, iis quæ cupit euitare. Quartò, quia, si ad valorem matrimonij requirerentur testes omni exceptione maiores, hi maximè deberent esse tales quando postea deberent de eo in iudicio testari: vt ostendi nu. 40. atque ita matrimonij valor penderet à futura testium conditione, qui si essent paulò pòst futuri omnino infames matrimonium per eos probari non posset, & consequenter fuisset ab initio inualidum. quod absurdissimum est.

c. Pia.

42 Dices Primò, Ad probandum, matrimonium fuisse inualidè contractum, requiruntur duo testes omni exceptione maiores: ergo etiam ad probandum fuisse validè contractum. Resp. negando consequ. Quia causa matrimonij est fauorabilis, & præsumitur semper pro eius valore. Quare multò difficiliùs probatur irritum, quàm ratum. Adde, auctoritatem Parochi & libri in quo contractum matrimonij & nomina testium descripsit, supplere defectum qualitatis, quæ aliàs in testibus requireretur. Ex quo patet solutio argumenti initio allati. Nam Iura illa requirunt tales testes ad matrimonium dissoluendum.

Matrimonium facilius probatur validū, quam irritum.

Dices Secundò fieri posset vt Pastor etiam infamis vel excommunicatus sit, & non scripserit contractum, aut nomina testium, & tunc tale matrimonium non poterit iuridicè probari. Respondeo, etiam talis Parochi ac testium testimonium sufficienter probare matrimonium, quia causa fauorabilis est. Adde, hunc ratum esse, ideóque à lege non considerari, quæ solùm spectat ea quæ communiter accidere solent, vt dicitur l. *Nam ad ea.* 5. ff. de legibus. vt mox etiam magis in hac materia probabo.

Lex ratos casus non considerat.

l. Nam ad ea.

43 Dices Tertiò, Tales poterunt facilè corrumpi, vt testentur matrimonium non fuisse contractum, & sic tale matrimonium non poterit magis probari, quàm clandestinum.

Resp. hunc casum rarum esse, nec omnia incommoda posse euitari. quare aliqua necessariò toleranda sunt, ne in maiora, quæ suprà numeraui, incidamus: præsertim cùm fieri etiam possit, vt testes, i habentur omni exceptione maiores, etiam corrúpantur, vel etiam statim à contracto matrimonio infames fiant, aut moriantur, & Pastor nihil in libro scripserit, aut hic pereat, & sic matrimonium nullo modo probari possit. Quare si Concilium voluisset omnibus omnino casibus, qui possent euenire, occurrere, debuisset irritare omnia matrimonia, quæ non fuissent ita publicè contracta, vt nullo modo celari possent. quod ferè fuisset impossibile. Ideóque Concilium iudicauit sufficere, si occurreret illis periculis quæ communiter hac in re solent occurrere: quod sufficienter fit eo modo, quem in conclusione explicui, vt etiam ipsa experientia docet. Vix enim iam videmus vlla matrimonia ita contracta iudicari irrita ob defectum probationis.

CONCLVS. III. Parochus & testes debent ita assistere, vt intelligant quid agatur, idque sufficit, etsi omnino inuiti ac pugnantes adhibeantur. Est communis DD. Prior pars patet. quia non possunt esse testes eius quod nesciunt geri. Confir. quia aliàs dormientes possent adhiberi testes. quod est ridiculum. Nec sufficit eos audire verba, aut videre externa signa, nisi dererminatè intelligant quid iis significetur. Quia non debent testari talia verba prolata esse, sed matrimonium esse contractum, saltem quoad apparentiam externam. 44

Secunda pars probatur. quia siue sponte siue inuiti adhibeantur, æqualiter quæ geruntur possunt intelligere ac testari. Vtraque pars confirm. ex l. *Coram Titio.* 209. de verb. significat. vbi dicitur: *Coram Titio aliquid facere iussas, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat.* Et infrà, *Scire, non autem velle is debet. nam inuito eo rectè fit quod iussum est.* *l. Coram.*

Ex quibus patet (vt etiam dicta lex infert) furiosum infantem, dormientem, & similes incongruè adhiberi testes. Item ignorantes loquentium linguam, nisi alius eis interpretetur quid agatur. 45

Patet Secundò, ad essentiam matrimonij non requiri, vt Parochus vlla verba proferat. Quia Trident. tantùm requirit eius præsentiam: nec ipse est minister huius Sacramenti. Vnde quod eodem cap. Concilium iubet eum dicere, *Ego vos coniungo*, non significat eum causare coniunctionem, sed approbare. Vnde Concilium requirit vel hæc verba, vel alia pro more patriæ. Peccaret tamen Parochus ea omittendo, sed venialiter. quia res leuis est: vt docet Sanchez l. 3. disp. 38. *Trident.*

Parochus omittens dicere, Ego vos coniungo, peccat venialiter. Sanchez.

Nota, esse graue peccatum contrahere coram Parocho inuito. quia est contra honorem Ecclesiæ, cuius personam ipse sustinet: nisi fortè esset grauis necessitas: vt si sine vlla iusta causa Parochus nollet assistere matrimonio, nec esset recursus ad Superiorē. Tunc enim liceret dolo eum ad hoc inducere, sicut etiam alios testes. Non tamen posset priuatus iis adhibere vim.

Contrahens coram Parocho inuito qui peccet.

DVBIVM V.

Qua ratione requirantur proclamationes?

46 NOta Tridentinum sess. 24. c. 1. præcipere vt antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter Missarum solennia publicè denuntientur ij, inter quos matrimonium est contrahendum. quibus denuntiationibus factis, si nullū appareat impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur. *Trident.*

Nota Secundò, quando contrahentes sunt ex diuersis parochiis, proclamationes debere fieri in vtriusque parochia. quia aliàs non satis possent impedimenta nosci. Patet ex praxi. Ita Concilium Mechliniense Romæ approbatum an. 1570. tit. de sponsalibus. c. 3. vbi & tribus sequentibus præscribit, vt, quando contrahentes sunt ex distinctis decanatibus, Pastores non assistant matrimonio, nisi vtroque Decano conscio, & proclamationibus ab iis examinatis. Idémque vult fieri per Episcopos, quando sunt ex diuersa diœcesi, aut regno.

Vbi proclamationes faciendæ sint. Conc. Mechlin.

Nota Tertiò, Parochum posse has proclamationes per alium facere, vt patet ex praxi. quia per æditiuum fieri solent, idque tempore Sacri vel concionis matutinæ, vt habet Pastorale Mechlinienſe, quia 47

vtroque

vtroque modo æqualiter Concilij finis obtinetur, quod vult illas fieri coram magna frequentia, quæ sepè maior est, magisque attenta in concione.

Nota Quartò, quando festa continua sunt, præstare intermittere aliquot dies inter proclamationes, ne nimis citò absoluantur, & non possint ita diuulgari, & vt alij habeant tempus deferendi impedimenta. Patet ex praxi. Quare Concilium dum iubet eas fieri tribus festis continuis, intelligendum est de festis, quæ sibi non succedunt immediatè. Tantùm enim vult, ne illæ nimis diu differantur, vt auditoribus excidant & matrimonium diu cogatur differri. Vide Sanchez l. 3. d. 6. n. 8.

Sanchez.

48 His positis, difficultas est Primò, Vtrùm matrimonium sine his proclamationibus inualidè contrahatur? Quidam enim id asserunt. Quia Trident. suprà iubet vt Parochus assistat matrimonio præmissis proclamationibus, quibus verbis videtur ei negare facultatem aliter assistendi, saltem sine dispensatione.

Secundò, quando sponsi diuerso vitæ tempore habitarunt in diuersis locis, vbi debeant fieri proclamationes? Paludan. in 4. d. 28. q. 2. a. 2. concl. 2. Rosella v. *Impedimentum.* 1. n. 15. volunt fieri in singulis locis. Excipiunt tamen casum, quo loca coniuncta sunt, ita vt proclamationes in vno factæ, facilè ad alium deferendæ sint.

Paludan. Rosella.

Tertiò, quale sit peccatum eas proclamationes sine venia Episcopi omittere? Soto in 4. d. 28. q. 1. art. 2. ad 1. censet tantùm esse veniale, nisi fortè hoc alicubi sub pœna excommunicationis prohibitum sit.

Soto.

49 Concl. I. Hæ proclamationes non sunt de essentia matrimonij. est communis DD. & certa. Probatur, quia Trident. loco citato vbi eas præcipit, non irritat matrimonium aliter factum, atque ex toto contextu apertè colligitur ibi solùm præcipi Parochis ordinem quem in celebratione matrimonij teneantur seruare. Ex quo patet solutio ad argumentum contrarium.

Trident.

Et infrà vbi ponit conditiones essentialiter requisitas, has non ponit. Confirmatur Primò, quia, cùm has requirat vt impediat ne cum impedimento dirimente matrimonium inualidè contrahatur, finem suum potiùs euerteret, si aliter contractum irritaret; quia efficeret vt sæpiùs inualidè contraheretur, quod tamen vult vitare. Confirmatur Secundò, quia, vt ostendi dub. 3. is cui delegatum est vt assistat præmissis illis denuntiationibus, validè iis non præmissis assistit: ergo multò magis proprius Pastor ita validè assistit.

56 Conclvsio II. Quando sponsi in diuersis locis habitarunt, debent fieri proclamationes in loco in quo diutiùs habitarunt, ac optimè noti sunt. Ita cum multis aliis P. Sanchez l. 3. d. 6. n. 6. Quia hoc necessarium est vt impedimenta possint deregi. Credo tamen consuetudinem habere vt simul etiam fiant in loco vbi de facto habitant, ac contrahunt. Et hac in re laudabiles consuetudines particularium locorum seruandæ sunt.

Sanchez.

51 Omittens proclamationes grauiter peccat. *Lateran. Trident.* Conclvs. III. Graniter peccat, qui omissis proclamationibus sine legitima dispensatione contrahit. Quia res grauis est, & grauiter à Lateranensi c. 15. relato c. vlt. de clandest. desponsat. & Trident. suprà prohibita, ob grauia incommoda quæ possunt inde sequi, quòd scilicet ita facilè aliqui cum occulto impedimento contraherent. Nec refert quòd hîc & nunc non sit periculum, quia lex non desinit obligare, etsi eius ratio in particulari cesset, vt ostendi d. 26. n. 21. Vide dicenda n. 58.

Sanchez. Aliqui tamen apud Sanchez lib. 3. disput. 5. nu. 7. putant in hoc casu non esse mortale, si vna proclamatio omittatur, quia viderur res leuis: modò aliàs certò constet non subesse impedimentum, hoc tamen sine graui aliqua causa non facilè admiserim. Et credo talem Pastorem ab Episcopo grauiter puniendum. Et meritò: quia hæc res non debet Parochorum arbitrio relinqui.

Similiter quando legitimè sine iis contractum fuit matrimonium, est peccatum mortale sine dispensatione, aut vrgente necessitate illud consummare ante factas proclamationes, quia grauiter prohibetur ob periculum, ne, si fortè matrimonium sit irritum, coniuges fornicentur.

Item coniungens ante eas factas.

Conclvs. IV. Quando esset aperta & grauis necessitas contrahendi sine proclamationibus: vt quia aliàs timetur matrimonium malitiosè impediendum, vel oriretur scandalum ex proclamationibus: vt si aliqui viuant in concubinatu, qui publicè putantur coniuges; vel quando vir est in articulo mortis, & vult ducere suam concubinam ad legitimandam prolem: vel quia id saluti animæ eius valdè expedit: vel quando parentes vel tutores per potentiam, aliquorum nuptias volunt impedire, vt eorum bona absumant, aut vt indignis eos coniungant; ita vt non possint nisi clàm nubere iis, quibus omnino expedit eos nubere. In talibus casibus si non posset Episcopus adiri, aut rogatus ex malitia nollet dispensare, posset tunc iis non præmissis contrahi. Quia, cùm illæ tantùm sint necessariæ ex Ecclesiæ præcepto, non obligant cum tanto aliorum damno. Confirmatur, quia aliàs si ob certas causas non possent fieri proclamationes, & Episcopus nollet dispensare, aut adiri non posset, tenerentur tales perpetuò manere cœlibes, quod nimis durum esset. Ita Lopez 1. p. Instructorij de matrim. c. 39. §. *Ex prædictis.* Sotus in 4. d. 28. q. art. 2. concl. 3. §. *Ex his primùm colligitur.* & cum aliis P. Sanchez l. 3. d. 10. n. 27.

52 *Quibusdam casib. licitè omittitur.* *Lopez.* *Sotus.* *Sanchez.*

Dubitant autem aliqui Doctores, an, quoties timetur matrimonium malitiosè impediendum, si præmittantur proclamationes, possit sola auctoritate Pastoris ante eas contrahi, ita tamen vt fiant antequam consummetur? Candelabr. aureum 1. p. de matrim. n. 243. cum quibusdam aliis id affirmat, quibus videtur fauere Trident. sess. 24. c. 1. v. *Quòd si aliquando.* Contrarium tamen credo probabilius. Quia non videtur Concilium rem tantam arbitrio Parochorum commisisse, qui sæpè sunt homines indocti, & qui facilè quouis casu permitterent sibi persuaderi tale periculum subesse. Et cùm facilè possit Episcopus adiri, nulla est necessitas talem potestatem Parocho concedendi. Ita P. Henriquez l. 11. c. 5. n. 5. dicens sic declarasse Cardinales, & P. Sanchez l. 3. d. 7. n. 15. Secùs esset si dispensatio non nisi difficillimè obtineri posset, iuxta dicta suprà.

53 *Candelabr. aureum.* *Trident.* *Henriquez.* *Sanchez.*

DVBIVM VI.

Quis possit dispensare, vt omittantur proclamationes, vel postponantur matrimonio, & qualis ad hoc causa requiratur?

Conclvs. I. Potest id Episcopus, omnesque ij qui habent iurisdictionem episcopalem. Patet, quia Trident. relinquit iudicio & prudentiæ Ordinarij, an, & qua ratione proclamationes fieri debeant. Omnes autem supradicti censentur nomine Ordinarij. Vide dicta n. 16. & 17.

54 *Trident.*

Nota, quando contrahentes sunt ex diuersis diœcesibus, vtriusque Prælatum posse cum vtroque dispensare, & vnius dispensationem sufficere, quia in hac re coniuges censentur quasi vna persona: & ratione connexionis causæ vterque alterius Prælato

Dispensat cum vtroque Episcopus cui alteruter subiectus est.

Sanchez tenetur subiectus. Ita Sanchez lib. 3. disput. 7. n. 7.

55 Conclvs. II. Idem dicendum est de generali eius Vicario. Quia est verè ordinarius iudex, cùm idem tribunal habeat cum Episcopo; eademque censeatur persona. Ita habetur c. *Romana.* de appellationibus, in 6. Vide dicta n. 16. Excipe tamen casum, quo Episcopus hoc sibi vni particulariter reseruasset; hoc enim facere potest.

Romana.

Conclvs. III. Potest Episcopus hanc dispensationem aliis delegare, quia nullibi prohibetur. Nec est verum hîc censeri electam personæ industriam, cùm id absolutè etiam ignotis à Iure committatur. Vide Siluest. v. *Delegatus.* n. 11. Hostiensem c. *Literas.* de restit. spoliat. post initium. Rebuffum in prax. benefic. in forma vicariatus n. 155.

Silvester. Hostiensis. Rebuffus.

Conclvs. IV. Requiritur causa iusta, vt licita sit dispensatio. quia Concilium requirit vt Ordinarius iudicet expedire dispensationem. quod fieri non potest, nisi iudicet subesse iustam causam.

56 His positis dubitant Doctores Primò, quænam sint iustæ causæ dispensandi, quas varij varias recensent: vt videre est apud Sotum in 4. d. 28. q. 1. a. 2. concl. 3. §. *De bannis.* Paludan. ibid. q. 2. a. 3. conc. 1. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 16. Lopez 1. p. instruct. c. 87. Siluest. v. *Matrimonium.* 6. q. 7. Rosellam v. *Impedimentum.* n. 1. Nauarr. c. 22. n. 70. P. Henriq. l. 11. c. 16. & copiosissimè P. Sanchez l. 3. d. 9. Ex quibus hîc eas adferemus, in quas plures consentiunt.

Sotus. Paludan. D. Antonin. Lopez. Silvester. Rosella. Nauarr. Henriquez. Sanchez.

Secunda difficultas est, Vtrùm, quoties subest iusta causa dispensandi, Episcopus petentibus id sponsis, non solùm possit, sed etiam teneatur dispensare?

Quidam id affirmant non solùm in hac materia, sed generatim in omni dispensatione. Quia si cum vno dispensaret, & cum altero non, esset acceptor personarum. Ita Siluest. v. *Dispensatio.* q. 1. in fine, & Rosella n. 4. Armilla v. *Dispensare.* n. 14.

Silvester. Rosella. Armilla.

57 Causæ iustæ dispensandi.

Conclvs. V. Causa iusta dispensandi est Primò, quoties aliàs matrimonium omnino creditur per maleficium, aut per parentum aut aliorum factiones iniustè impediendum.

Secundò, quando sine infamia contrahentium non possunt fieri proclamationes, vt si viuentes in concubinatu habeantur publicè coniuges.

Tertiò, quando sine notabili animæ, aut etiam rerum temporalium periculo non possunt nuptiæ tam diu differri, donec fiant proclamationes: vt si vir sit in periculo mortis, aut debeat statim longiùs proficisci, & expediat eum ante contrahere matrimonium, vt proles legitimetur; vel quia aliàs creditur non depositurus seriò affectum erga concubinam, & ita permansurus in malo statu.

Quartò, quando duobus ad vitandum peccatum valdè expedit contrahere, & iam parati sunt, & timor est si differatur, eorum animos aut sua leuitate, aut aliorum suasionibus mutandos.

Quintò, quando instat tempus quo nuptiæ solemnes prohibentur, nec possunt priùs omnes proclamationes fieri, nec sine notabili incommodo aut periculo animæ ob incontinentiam nuptiæ diu differri: præsertim quando essent primæ nuptiæ, quas non exp[ectet] consummari ante solemnem benedictionem.

Sextò, quando inæqualis conditionis personæ, vel senes contrahunt, & valdè pudet illos tam diu nuptias suas ita publicari.

Cum magnatibus facilius dispensatur.

Septimò, quando magnates contrahunt. quia his semper aliquid largiendum est: & communiter cessat omne periculum, ne cum occulto impedimento contrahant, cùm eorum genus & facta ferè omnibus sint nota.

Octauò, quæuis notabilis sponsorum commoditas, quando nullum est periculum occulti impedimenti. Quos casus ferè omnes auctores citati admittunt excepto septimo, quem Nauarr. non admittit; nisi vbi consuetudo id obtinuit. P. Sanchez tamen cum aliis eum generatim docet.

Nauarr. Sanchez.

Nota Primò, in omnibus his debere Episcopum pro rerum commoditare, quantam poterit diligentiam adhibere, vt sciat Primò, vtrùm subsit aliquod impedimentum; Secundò, vtrùm ea causa verè subsit.

58 Ante dispensationem diligens inquisitio adhibenda.

Nota Secundò, quando causa solùm requirit, vt matrimonium celebretur ante proclamationes, debere eas postea fieri ante consummationem, nisi omnino apertè constet nullum esse impedimenti periculum. Quia quantum fieri potest, cauendū est ne sponsi cum periculo impedimenti dirimentis matrimoniū consumment. Quare peccat mortaliter Pastor, qui contracto iam matrimonio non præmissis proclamationibus, non procurat eas fieri ante consummationem, hanc cōiugibus prohibendo. Similiter & hi peccant mortaliter, quoties iis non præmissis habent cōpulam. Quia vtrique, nisi dispensatum sit, agunt in re graui contra præceptum Tridentini, quod absolutè iubet eas præmitti ante consummationem, idque ne fortè contingat subesse impedimentum, atque ita copulam esse fornicariam. Quæ ratio militat non tantùm in prima copula, sed & in reliquis, quare eodem modo prohibentur.

Proclamationes quando contractui postponuntur. Pastor id negligens procurare peccat mortaliter.

Nec sufficit quòd hîc & nunc coniugibus constet nullum subesse impedimentum, quia inde tantùm sequitur, cessare rationem legis in particulari, quo non obstante pergit lex obligare, vt ostendi d. 26. n. 21. Secundò, quia non sufficit quòd hoc constet coniugibus, quia debet etiam constare Ecclesiæ, quæ non iudicat id sibi sufficienter constare, donec proclamationes fiant, aut iudicio Episcopi remittantur. Tertiò, quia expedit omnino matrimonia statim publicari, ob scandalum & alia incommoda vitanda. Quare sponsi tenentur illud cessante iusto impedimento proxima commoditate propalare, etiamsi nolint id consummare: vt Sanchius d. 11. n. 6. facilè autem id negligerent, si liceret ante proclamationes eo vti.

Sanchez.

Conclvs. VI. Probabilius est in quinque primis casibus Ordinarium non solùm posse, sed etiam teneri dispensare partibus petentibus, nisi rationabilis causa in contrarium vrgeat, v. c. timor impedimenti, vel similis. Quia ex officio quantum commodè potest tenetur suarum ouium periculis obuiare.

59

In aliis verò probabilius est, eum absolutè non teneri dispensare, quare existente in duobus æquali causa dispensandi sine personarum acceptione propriè dicta, quæ sit contra iustitiam distributiuam, potest cum vno tantùm dispensare. Ratio est, quia Pastor siue Episcopus non tenetur ex officio omnibus commodis præsertim temporalibus suorum subditorum prospicere, sed solùm notabili commodo spirituali. In tribus autem vltimis casibus solùm agitur de commodo temporali procurando. Quare non peccat contra obligationem officij sui in iis dispensationem denegando, & consequenter nec contra iustitiam distributiuam: nec committit propriè dictam, sine iniustam personarum acceptationem. Ex quo patet solutio ad argumentum contrarium. Valdè tamen expedit vt se æqualem omnibus exhibeat; aliàs enim facilè oriretur scandalum: & est aliqualis personarum acceptio, quæ saltem est præter iustitiam distributiuam, & impedit eius decorem.

Posita in duobus æquali causa licitè quidque cum vnico dispensatur.

DVBIVM VII.

Vtrùm scientes impedimentum matrimonij teneantur id revelare: quâque ratione teneatur Pastor, aut Ordinarius eo ad se delato procedere?

60 TRes hîc præcipuè sunt difficultates. Prima est, vtrùm is qui solus omnino novit aliquod impedimentum, teneatur id denuntiare, præsertim quando hoc ei sub secreto commissum est? Videtur enim non teneri, quia nemo tenetur denuntiare quod non potest probare. Sed hoc argumentum non vrget. Nam, vt ostendi d. 23. ad probandum hoc impedimentum vnus testis sufficit.

Secunda difficultas est, quando iudex novit subesse impedimentum, scit tamen sponsos in foro conscientiæ obtinuisse dispensationem; vtrùm possit ijs permittere nuptias? Videtur enim posse, quia cùm tales verè coram Deo nullum habeant impedimentum, nulla videtur ratio cur debeant à matrimonio impediri.

Tertia difficultas est, quando solus Pastor novit hoc impedimentum, an teneatur publicè petentibus contrahere assistere? Veracruz & Vega apud Sanchez l. 3. disp. 15. n. 8. affirmant ad hoc teneri. Quia, vt cum D. Thom. 3. p. q. 80. a. 6. docent communiter Theologi, Pastor tenetur occulto peccatori publicè petenti Sacramenta, ea administrare. Alij putant hoc saltem verum esse respecta Episcopi, qui solus novit impedimentum, quia c. *Ex tenore*. 4. de tempor. ordinand. dicitur Episcopum teneri ordinare eum, quem scit occultè irregularem, si publicè Ordines petat. Et ratio est, quia Episcopus in his causis debet esse iudex; & simul deberet esse testis, si contrahentium aut ordinandorum defectus deberet propalare, quod videtur absurdum.

Veracruz. Vega. Sanchez. D. Thom.

61 CONCLVS. I. Qui scit aliquod impedimentum inter contrahentes, tenetur illud Pastori revelare. Patet Primò, quia quisque quantum commodè potest, tenetur peccatum proximi impedire: nisi autem revelet, alij cum peccato contrahent, & in continua fornicatione viuent. Secundò, quia quisque Superiori instè præcipienti tenetur obedire: præcipit autem Ecclesia vt tales impedimenta aperiant. Hæc autem vera sunt, quantumcumque esset occultum, & quamuis quis secretò id audiuisset, & iuratus secretum promisisset, quia, vt ostendi d. 23. n. 78. talis denuntiatio sufficit ad impediendum matrimonium, quod alij cum peccato volunt contrahere: & maior habenda est ratio salutis proximi, quàm famæ: nec iuramento potest se quisquam obligare, vt Superioris ac naturali de correptione fraterna præcepto non obediat. Hoc tamen casu proximus secundùm leges correptionis fraternæ priùs secretò monendus est. Nauarrus c. 22. n. 83.

Nauarr.

62 Excipe casum Primò, quo conscij impedimenti id sine magno suo incommodo, aut aliorum scandalo aperire non possent. Quia his casibus nec fraterna correptio, nec præcepta Ecclesiæ obligant. ita cum Adriano Nauarr. supra.

Quãdoque denuntiatio impedimẽti omittenda est. *Adrianus. Navarr.*

Secundò, quando impedimentum esset coniunctum cum infamia contrahentium, & illud tantùm audissent à personis indignis fide aut incertis, quarum non meminerunt. Quia tunc denuntiatio posset inferre damnum contrahentibus, & esset inefficax ad vitandum peccatum, cùm ex tali scientia nihil possit probari. Consultum tamen esset, si commodè fieri posset, & sperarentur fructus, secretò monere contrahentes. Secùs esset, si id à certis ac fide dignis audiuissent: quia tunc ij examinari possunt, atque ita peccatum impediri. Idemque dicendum quoties impedimentum denuntiari potest sine vlla infamia contrahentium, modò aliqua ratione probabile sit, quia tunc prodesse potest, & non obesse.

CONCLVSIO II. Pastor tenetur etiam per se de impedimentis inquirere, vt habetur c. 3. de clandest. desponsat. & contrahentes interrogati tenentur aut id confiteri, quantumcumque secretum sit, & cum infamia sua coniunctum; aut quæsito alio colore nuptiis abstinere. Quia non possunt sine peccato contrahere, nec vlla infamia dat veniam peccandi: præsertim cùm possint vitare infamiam, si alio prætextu à nuptiis abstineant. 63

Contrahẽtes tenẽtur aut impedimentum fateri, aut nuptiis abstinere.

Excipe casum, quo obtinuissent occultè dispensationem pro foro conscientiæ. Tunc enim impedimentum pro foro conscientiæ ablatum est, & solùm manet pro foro externo. Quare cùm licitè possint contrahere, possunt illud cum restrictione mentali negare, quamdiu non est sufficienter probatum, ita vt iudex possit eos cogere à matrimonio abstinere, quando autem illud est plenè probatum, tunc iudex tenetur secundum allegata & probata procedere, nec potest habere rationem occultæ illius dispensationis, quia hæc in foro externo nihil iuuat aut probat, cùm intentio ita dispensantis sit, vt solùm valeat pro foro interno: ideoque in literis quibus ea dispensatio conceditur, solet præcipi, vt statim ac dispensatio erit facta, illæ lacerentur, ne quid ex illis in foro externo possit probari. Quare illud impedimentum in facie Ecclesiæ adhuc manet, donec per dispensationem etiam in hoc foro sublatum sit. Vnde cùm negatio impedimenti non possit tunc prodesse, sponsi tenentur id fateri. Docet tamen Sanchez disput. 15. num. 16. quando nullo se matrimonio opponente, sponsi coram iudice aut notario fatentur occultum impedimentum, dicentes secum esse dispensatum, posse iudicem aut notarium eos monere, vt id taceant aut reuocent, & in acta non referre: quia nondum ita est probatum, vt iudex teneatur contra eos rigidè procedere. 64

nisi obtinuissent occultam dispensationem.

Probato impedimento iudex non curet occultam dispensationem. *Sanchez.*

CONCLVS. III. Statim ac Pastor nouit aliquod impedimentum, etsi secretum sit, nec potest de eo cognoscere (quia ipse non est iudex in foro externo) nec potest in matrimonio procedere, sed tenetur id statim Episcopo denuntiare, cuius est de impedimentis cognoscere. Ita habetur cap. vlt. de clandestin. desponsat. Quando tamen esset occultum & coniunctum cum infamia contrahentium, hi priùs iuxta legem correptionis fraternæ essent monendi vt desisterent à matrimonio. 65

Quid circa impedimenta possit Pastor.

CONCLVS. IV. Etiamsi solus Pastor nouerit impedimentum, modò id sciat extra confessionem sacramentalem, nullo modo potest eorum matrimonio assistere, quantumcumque id publicè petant. Sed si priuatim moniti, nolint à matrimonio desistere, tenetur impedimentum ad Episcopum deferre. Quia, cùm possit hoc modo eorum peccata impedire, ad hoc tenetur, nec sponsi vllum habent ius vt Pastor eos permittat in perpetuo concubinatu viuere. Ad argumentum contrarium positum num. 60. respondebo n. 69. 66

CONCL. V. Si delatum impedimentum vel per vnum testem aut famam legitimè probetur, iuxta dicta d. 23. dub. 11. tenetur Episcopus impedire matrimonium. Quia ad eum spectat impedire peccata subditorum, habetur c. fin. de clandest. desponsat. 67

Episcopus qui solus nouit impedimentum tenetur matrimonium impedire.

Idemque dicendum, quando ipse solus hoc impedimentum extra confessionem nouit; quia etiam in eo militat ratio allata concl. 4. Nec obstat ratio contrà allata n. 60. in fine. Quia sicut idem non potest esse iudex & testis, ita nec potest idem esse accusator & testis.

Quando forum agitur de peccato impediendo, potest idem esse simul iudex & testis,

Vnde sequeretur, matrimonium numquam posse impediri, quando vnus solus nouit eius impedimentum. Quare dicendum est illa non esse vera, quando solùm agitur de peccato impediendo: quia, cùm tunc iudicium in nullius cedat præiudicium, sed sit totum fauorabile, etiam ijs contra quos fertur, quibus omnino expedit à tam grauibus peccatis impediri, nulli omnino fit iniuria, si idem sit iudex & testis. Adde, ex illa ratione tantùm sequi, Episcopum eo casu non posse tales solâ sua auctoritate impedire à matrimonio, sed teneri illud impedimentum ad Nuntium Apostolicum, aut alium legitimum iudicem deferre. Caput autem *Ex tenore.* ibi citatum, nihil facit

Episcopus non ordinet eum quem occultè nouit irregularem.

ad rem. Quia ibi non dicitur Episcopum teneri ordinare eum quem nouit occultè irregularem, sed quem nouit commisisse peccatum, ob quod esset deponendus si publicum esset: cum quo consistit cum non esse irregularem, quamdiu illud occultum est. Et illum de quo ibi agitur, non fuisse verè irregularem, patet: quia ibi dicitur, ei suadendum, vt contentus Ordine suscepto in eo ministret, quod irregulari non suadendum, sed prohibendum esset, cùm hoc sine peccato facere non posset. Et hoc solùm dicit

Siluest. Siluest. v. *Ordo.* 3. q. 9. qui malè pro contraria sententia citatur.

68 Conclvs. VI. Quando contrahentes non habent aliud impedimentum matrimonij, quàm quòd sint in peccato mortali, ideoque indignè suscepturi Sacramentum, quando id occultum est, etsi per duos testes probabile sit; debet Pastor, aut alius habens licentiam assistendi eos priuatim monere; non potest tamen publicè petentes repellere, sicut nec posset eos repellere à susceptione Eucharistiæ. Quia Christus noluit suos à susceptione Sacramenti ob talem causam publicè excludi: vnde etiam proditori suum corpus dedit, idque ob plurima incommoda quæ aliàs sequerentur, vt probauit to. 1. q. 80. art. 6.

69 Alia autem est ratio, quando agitur de aliquibus promouendis ad Ordines, vel iungendis matrimonio, qui habent occultum impedimentum. Primò, quia ibi agitur tantùm de vnico peccato externo vitando, quod iam peccator quantum potuit, interiùs compleuit, & à quo speratur postea facilè emendandus. Hic autem agitur de plurimis peccatis vitandis, quæ talis tota vita committet illegitimè vtendo Ordine susceptо, aut fornicando cum putatitia vxore, aut saltem violando votum castitatis: aut etiam de virando irreparabili damno tertij, quo cum alteruter tenetur contrahere. Quæ cùm grauissima sint, longè magis nos obligant, vt ea impediamus, etiam cum aliqua aliorum infamia, quàm illud periculum ne quis exteriùs indignè Sacramentum suscipiat, quod iam interiùs quantum potuit indignè suscepit. Secundò, quia ex hac denuntiatione non sunt ordinariè nata sequi eadem incommoda, atque ex repulsa occulti peccatoris à susceptione Sacramentorum. Quia rarius est eiusmodi incommoda subesse, & debent coram Ordinario probari, quare non tam facilè possunt fingi: nec ex iis ita potest nasci scandalum, alionúmque turbatio, sicut fieret si occultus peccator deberet repelli à susceptione Sacramenti: vt ostendi loco sup citato.

Quare potiùs liceat dare Sacramentum occulto peccatori, qui ordinare irregularem, aut impeditos cõiungere matrimonio.

70 Conclvs. VII. Qui nouit impedimentum ex sola confessione, si commodè potest, petita priùs à pœnitente venia loquendi cum eo de auditis in confessione, debet eum monere ne contrahat: quòd si persistat in sua voluntate, debet se eodem modo gerere ac si nihil sciret. quia cognitis in confessione nullo modo possumus vti ad externam gubernationem, vt fusè ostendi d. 9. n. 64. Imò quando contrahens crederetur nullo modo emendandus per secretam monitionem, aut ægrè laturus eam veniam à se peti, nec eam concessurus; deberet confessarius penitus dissimulare, quia monitio esset futura sine fructu.

DVBIVM VIII.

Qua ratione requiratur benedictio aliáque solemnitas?

71 Conclvsio I. Constat ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine primas nuptias esse benedicendas: vt patet ex c. 3. & 5. 30. q. 5. Dubitant tamen DD. an sit mortale eas omittere. Sanchez l. 7. d. 82. n. 6. docet tantùm esse veniale, quia non est res tam grauis. Et posset probari Primò ex c. *Nostrates.* 30. q. 5. vbi Nicolaus Papa insinuat sine peccato posse omitti. Secundò, ex Trident. sess. 24. c. 1. vbi tantùm hortatur coniuges, vt non consumment matrimonium ante benedictionem, nihil addens de necessitate eam postea suscipiendi: quod videtur facturum fuisse, si fuisset grauis obligatio. Ex quibus saltem sequitur, non esse peccatum, consummare matrimonium ante benedictionem, quando hæc non statim confertur. quia Concilium contrarium tantùm suadet. Spectata tamen consuetudine, præsertim in his locis, ratione scandali videtur sæpè futurum peccatum mortale eas sine vlla causa omnino omittere; quia vulgò præsumeretur ex aliquo contemptu fieri, aut animo propenso in hæresim.

Sanchez. Quale sit peccatum omittere benedictionem; *Trident.*

72 Conclvs. II. Spectato iure communi, siue sponsus, siue sponsa secundas nuptias contrahit, si in prioribus benedictionem acceperit, hæ nuptiæ benedici non debent. Quia solemnes Ecclesiæ benedictiones nunquam conferuntur secundò iisdem rebus, vt habetur c. *Vir.* 3. de secundis nuptiis. Legitima tamen consuetudo multis locis obtinuit, vt quando sponsa primò nubit, nuptiæ benedicantur, etsi sponsus viduus sit. Ita Rosella v. *Nuptiæ.* n. 4. Couar. 4. decret. p. 2. c. 8. §. 11. n. 2. Imò quidam dicunt Ioannem XXII. constituisse, vt quoties vnus sponsorum non accepisset aliàs benedictionem, eum debere benedici. Vide Henriq. l. 11. c. 2. n. 3. lit. G. in comment. Nauarr. c. 22. n. 83. Sanchez l. 7. disp. 82. n. 11. & seqq. vbi hæc fusissimè disputat.

Rosella. Couarr. Ioan. XXII. Henriquez. Nauarrus. Sanchez.

73 Conclvs. III. Qui sine venia proprij Parochi aut Ordinarij benedicit nuptiis sibi non subditorum, tam diu de iure suspenditur, quamdiu Ordinario Parochi, qui benedicere debebat, videbitur, nullis priuilegiis aut consuetudinibus obstantibus. Ita Trident. sess. 24. c. 1. de reform. matrim. hoc tamen non vetat, quin Pontifex aliquibus id per noua priuilegia possit concedere.

Trident.

74 Conclvsio IV. Debet Parochus vtrumque sponsum interrogare ante contractum, an liberè consentiat, vt Trident. suprà. Eius tamen omissio, quando aliàs Parocho constat eos liberè consentire, est leuis. Sanchez l. 3. d. 38.

Trident. Sanchez.

Conclvs. V. Parochus debet scribere nomina contrahentium, & testium, diem locúmque contractus in suo libro, vt postea possit de eo constare. Ita Trident. suprà. Cuius omissio videtur grauis, cùm possint inde grauia incommoda postea oriri, si difficultas in matrimonio probando oboriatur.

Trident.

DVBIVM IX.

Quas pœnas incurrant clandestinè contrahentes.

75 Conclvs. I. Præcipua pœna matrimonij clandestini est priuatio duplicis priuilegij, quod habet matrimonium publicè cõtractum. quorum primũ est,

Duplex priuilegium matrimonij

publicè contracti.

quòd quando hoc ob occultum impedimentum est irritum, proles bona fide saltem alterius parentis ex eo suscepta, est legitima, vt patet ex c. *Cùm inter.* & c. *Ex tenore.* 14. qui filij sint legitimi. c. verò, *Cùm inhibitio,* de clandest. desponsat. dicitur, quando parentes contrahunt clandestinè in gradu prohibito etiam ignoranter, prolem fore illegitimam, quia aliter contrahentes, *non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videntur.* quia nimirum sponte omittunt ea media, quæ Ecclesia præscribit vt impedimenta sciri possint.

76 Sanchez.

Aliqui apud Sanchez l. 3. disp. 42. n. 2. restringunt hanc pœnam ad contrahentes in gradu prohibito; quia textus citatus de his loquitur, & pœnæ restringendæ sunt. Sed verius est eam etiam pertinere ad eos qui ob alia impedimenta clàm irritè contrahunt.

Silvester. Rosella. Armill.

Est ferè communis. DD. vt patet apud Silvestrum, Rosell. Armill. v. *Legitimus.* initio, id autem multi probant. quia quando lex exprimit rationem ob quam factum aliquod punit, ipsius pœna extenditur ad omnia facta, quibus ea ratio conuenit: ratio autem dicto cap. expressa, scilicet tales affectare ignorantiam impedimenti, conuenit omnibus clandestinè contrahentibus. Sed hanc rationem non omnes admittunt.

Probatur igitur aliter. Quia cap. 2. & 14. qui filij sint legitimi, concedentia hoc priuilegium, loquuntur apertè de matrimonio publicè contracto & id ponderant; quare non videntur id aliis matrimoniis concedere, ne ea quæ puniunt, priuilegio afficiant. Et c. *Cùm inhibitio.* de clandest. desponsat. videtur illos textus sic explicare, & tantùm adferre exempli gratia contrahentes in gradu prohibito. Et confirmatur, quia, cùm tales filios legitimari sit priuilegium, præiudicans iuri quod aliàs legitimi hæredes haberent, videtur strictè intelligendum: vel saltem nullo modo extendendum ad eos, qui pœna magis quàm priuilegio digni sunt.

77

Quidam tamen hinc aliquot casus excipiunt. Primò, quando impedimentum esset tale, quod per denuntiationes non potuisset cognosci, qualis est defectus consensus in alterutro; aut si is qui haberur omnium sententia Parochus, esset intrusus, & ita matrimonio inualidè assisteret. quia hi non possunt dici affectasse ignorantiam: ideoque lex negans hoc priuilegium clandestino matrimonio, videtur ad hos non extèdi. quod non est improbabile. Contrarium tamen credo probabilius, quia, vt iam ostendi, Iura concedentia illud priuilegium, expressè concedunt solis illis, qui in facie Ecclesiæ contrahunt, quare eo non gaudent quicumque clandestinè contrahunt.

Omnes clandestinè contrahentes dicto priuilegio priuantur.

Secundò, quando matrimonium ita irritè ac clandestinè contractum postea publicatur, & quia factis denuntiationibus impedimentum perseuerat esse omnino occultum, illud ab Ecclesia approbatur.

78

Probant id ex c. *Quod nobis.* 9. qui filij sint legitimi, vbi dicitur: *Si qui de matrimonio clandestino postmodum ab Ecclesia comprobato generati fuerint, eos legitimos iudices filios & hæredes.* Et c. 2. de clandestina desponsat. vbi de clandestinè contrahentibus dicitur: *Verùm si personæ contrahentium hæc voluerint publicare, nisi rationabili causa præpediat, ab Ecclesia recipienda sunt & comprobanda, tamquam à principio in Ecclesiæ conspectu contracta:* arqui si matrimonium fuisset ab initio in conspectu Ecclesiæ contractum, filij fuissent legitimi: ergo etiam in eo casu sunt. Et potest confirmari, quia tales non videntur posse dici affectasse ignorantiam impedimenti: quia etsi fuissent adhibitæ proclamationes, impedimentum non fuisset detectum. Confirmatur Secundò, quia illi filij medio tempore post approbationem matrimonij ab Ecclesia factam, verè fuerunt legitimati per eam Ecclesiæ approbationem, quo iure per diuortium subsequens non debuerunt priuari. Ita Silvest. v. *Filij.* q. 8. §. *Decimò.* & alij. Et hæc sententia est satis probabilis. *Silvester.*

Sed cum Glossa c. *Quod nobis.* citato, v. *Fuerunt.* Abbate ibidem n. 5. Angelo v. *Filius.* n. 12. Rosella v. *Illegitimus.* n. 4. credo contrarium probabilius. Primò, quia c. *Cùm inhibitio.* citatum, dicit generatim tales filios illegitimos esse, nec excipit casum illorum textuum, cùm tamen postea conditum sit. Secundò, duo illa capita pro altera sententia citata, nullo modo loquuntur de matrimoniis inualidè, siue cum impedimento contractis: nec his ratione publicationis postea factæ vllum priuilegium concedunt: sed tantùm dicunt matrimonia clandestina esse valida, ac talia habenda quando de iis Ecclesiæ constiterit, nisi aliqua causa rationabilis præpediat, id est, nisi subsit impedimentum. Neque vllo modo intendunt ita contrahentes & postea publicantes vllo priuilegio afficere, aut eximere à pœnis, præsertim postea imponendis, alioquin tales non possent iam per iudicem puniri, quoties dum postea publicant matrimonium, nullum apparet impedimentum. Neque verum est tales non præsumi affectasse ignorantiam, cùm possint etiam clàm contrahere, timentes ne aliàs impedimentum deregatur; quod tamen casu dum contrahunt, vel etiam postea dum matrimonium publicant, contingit ignorari, mortuis fortè personis, quæ id potuissent detegere, si tempestiuè fuisset publicatum. 79 Glossa. Abbas. Rosella.

Ex quibus patet solutio argumenti in contrarium allati, & prioris confirmationis. Ad Secundam, nego assumptum. Quia Ecclesia approbando hoc matrimonium non intendit eos filios legitimare; sed tantùm declarat illud matrimonium, quantum ex allegatis & probatis potest cognosci, esse legitimum: per quod nihil ei concedit, sed suæ id naturæ relinquit.

Secundum priuilegium est, quòd publicè ignoranter contrahentes in gradu prohibito, facilè obtineant dispensationem: quo Trident. sess. 24. c. 5. priuat clàm contrahentes, iubetque vt spe dispensationis obtinendæ careant. quia indignus est qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, qui eius salubria monita temerè contempsit. Hanc autem pœnam aliqui restringunt ad contrahentes in gradu prohibito: alij ad quosuis extendunt, sed quorum impedimentū tale est, quod potuisset per proclamationes cognosci. de quibus vide Sanchez d. 42. n. 7. Quidquid autem de rei veritate sit vix potest hæc extensio habere locum nisi in contrahentibus cum impedimento publicæ honestatis: quia alia impedimenta dirimentia indigentia dispensatione, aut non possunt ignorari à contrahentibus, aut vix vnquam per proclamationes possint cognosci. 80 Trident. Sanchez.

Dubitant autem DD. quem effectum habeat hæc pœna. Sanchez disp. 45. adfert duos scilicet Primum, quòd Pontifex, sine graui causa illicitè cum talibus dispenset. Secundum, quòd dispensatio sit irrita, nisi illa circumstantia in petitione exprimatur, quia reddit dispensationem longè difficiliorem, eamque ignorans potest videri inuitus dispensasse. Tum etiam quia Pontifex non censetur velle dispensare in decretis generalis Concilij, nisi id exprimat. Ex quo sequitur Tertius effectus, quòd habens priuilegium dispensandi in impedimentis matrimonij, in hoc casu nihil possit, nisi particularim in priuilegio exprimatur. 81 Sanchez.

Secunda pœna matrimonij clandestini est, quòd Ecclesia semper præsumat pro matrimonio in facie Ecclesiæ contracto, contra clandestinum, nisi hoc fortissimè probetur: 82

Tertiam addunt alij, quod proles naturales per matrimonium clandestinum postea inter parentes contractum, non legitimentur; sed nullum textum proferunt. Quare alij communiter contrarium docent. vide Sanchez l.3.d.44. *Sanchez.*

Conclvs. II. Clandestinè contrahentes debent ab Ordinario grauiter pœna arbitraria puniri. Ita habetur c.vlt.de clandest.desponsiin fin.& in Trident. suprà. *Trident.*

83 Nota, dubium esse inter DD. vtrùm ad has pœnas incurrendas dicatur iam matrimonium clandestinum id, quod coram Parocho & duobus testibus sine requisitis denuntiationibus contrahitur. Et certum est, tale non esse quando id legitimè fit iuxta dicta dub.6. quia pœna supponit culpam.

Sed difficultas est quando proclamationes illegitimè omittuntur, an tunc illæ pœnæ incurrantur? Candelab. autem. Henriquez l.11.c.6.n.2.lit.M. in commentario, & Sanchez l.3.disp.1.n.7. cum aliis id negat. Sed P. Sanchez. Quia c.fin.de cland.desponsat.sumptum ex Concilio Lateranensi apertè iubet tales puniri, & vocat eorum matrimonium clandestinum, quod caput Tridentinum non reuocat, sed approbat, vt patet ex initio capitis. Matrimonium coră Parocho sine proclamationibus illicitè contracti subiacet dictis pœnis. *Trident.*

Deinde, quia ex talibus matrimoniis possunt sequi multa incommoda, & ipsa facilè cum impedimentis contraherentur. Vnde etsi Triden.c. 1. tantùm iubeat puniri contrahentes sine Parocho, aut sufficientibus testibus; tamen cap.5. apertè punit omittentes denuntiationes.

Aliqui verò extendunt hæc etiam ad eos qui ex dispensatione contraxerunt omissis denuntiationibus, si postea ante eas matrimonium consumment. sed sine textu, quia omnia Iura loquuntur de contrahente clandestinè, non autem de consummante contra prohibitionem Ecclesiæ.

DVBIVM X.

Quas pœnas incurrant Parochus, qui testes assistentes matrimonio clandestino?

Conclvsio I. Parochus vel alius sacerdos cum eius licentia clandestino matrimonio validè assistens: vel etiam Parochus eiusmodi matrimonia, aliaque ab Ecclesia prohibita non prohibens cùm facilè posset, triennio ab officio suspendendus est. Patet c. final. de clandest. desponsat. Addunt aliqui etiam suspendendum esse à Beneficio. Sed contrarium verius, quia hæ Suspensiones sunt distinctæ, vt patet ex dictis in materia de Suspensione. Requiritur autem sententia iudicis; quia dicitur, *suspendatur.* 84

Conclvs. II. Tenetur Ordinarius causa cognita talem suspendere ad triennium, nec potest antè absoluere; quia non potest in decretis Concilij generalis dispensare.

Conclvsio III. Parochus aliúsve sacerdos de eius licentia assistens matrimonio inualido ob defectum testium; aut testes assistentes sine Parocho, alióve legitimo sacerdote, grauiter iudicio Ordinarij puniendi sunt. Trident. sess.24. cap.1. nulla tamen certa pœna his statuitur. *Trident.*

Conclvs. IV. Parochus, aliúsve sacerdos assistens sine legitima facultate matrimonio sibi non subditorum, de Iure absolutè suspensus est (scilicet ab officio & Beneficiis, vt explicui in materia de Suspensione) quamdiu videbitur Ordinario illius Parochi, qui debebat assistere. Ita Trident. suprà. *Trident.*

DISPVTATIO XXVIII.

DE MATRIMONIO METV CONTRACTO.

DVBIVM I.

Quando & quo iure matrimonium metu contractum sit irritum?

1 Nota Primò duplicem esse metum. Primò, leuem; Secundò, grauem, & qui possit cadere in constantem virum, quæ magis explicabo dub. 2.

Nota Secundò, dupliciter posse aliquem ex metu matrimonium contrahere. Primò, quando metus directè incutitur ad extorquendum matrimonium. Secundò, quando ob aliam causam incutitur, sed qui possit à patiente depelli si velit certam personam ducere. Potest autem vtroque modo metus incuti iustè, vel iniustè; item ab eo qui petit matrimonium, vel ab alio.

Metus non tollit voluntarium. Nota Tertiò, metum non posse cogere voluntatem, quare quod metu compulsi volumus, verè liberè volumus, & hoc est nobis absolutè voluntarium, vt docet D.Thom. 1.2.q.6.a.6. quia ipsum prout subest his circumstantiis absolutè volumus. v.c. Vult aliquis sibi inuri cauterium, quia hoc est necessarium vt grauius malum effugiat: ipsa inustio prout est hîc & nunc medium necessarium ad sanitatem conseruandam, est ipsi absolutè voluntaria, etsi ipsa per se considerata ei omnino displiceat, ideoque dicitur ei inuoluntaria secundùm quid hinc c. *Maiores*, de baptismo. §. *Item quæritur.* dicitur nos ea quæ metu compulsi volumus, conditionaliter velle, & absolutè nolle, quia scilicet ea solùm volumus prout subsunt præsentibus conditionibus: absolutè tamen & per se considerata conditione. *D. Thom.* Quomodo dicamur velle sub conditione quæ ex metu volumus.

Quidam autem DD. generatim hîc disputant, vtrùm metus grauis iniustè incussus irriter etiam alios contractus, quam quæstionem doctissimè tractarunt P. Lessius de Iustit.c. 17. dub. 6.& Sanchez l. 4. disp. 8. vbi resoluunt non esse ipso iure irritos sed irritandos, quod etiam verum credo; sed, quia ad præsentem quæstionem non est necessarium, fusiùs non tractabo. *Lessius. Sanchez.* Metus non irritat alios contractus ipso iure.

In præsenti autem quæstione duplex est difficultas. Prima, vtrùm matrimonium metu graui, siue 2

cadente in constantem virum contractum, sit ipso iure irritus. Qua in re quidam apud Sanchez l. 4. d. 12. n. 16. docent tale matrimonium non esse irritum, sed irritandum, etsi metus iniustè in eum finem incutiatur. Primò, quia alij contractus sunt solùm irritandi. Secundò, quia alia etiam Sacramenta validè ex metu suscipiuntur. Sed hæc nihil probant. tum quia Iura aliter statuerunt circa matrimonium, quàm circa alios contractus aut Sacramenta: tum quia est valdè diuersa ratio. Nam alij contractus semel validè initi, possunt postea irritari: secùs est de matrimonio, præsertim consummato, quod irritari ampliùs nequit, quare debuit ab initio esse irritum, ne metum passus postea sine remedio maneret. Item Ecclesia non potest alia Sacramenta pro sua voluntate reddere irrita sicut matrimonium, vt ostendi disput. 27. numer. 7. excepta pœnitentia, quam potèst reddere irritam subtrahendo confessario iurisdictionem. Sed nulla est causa cur eam in hoc casu irriret: quia hoc cederet in solum incommodum eius, qui metum patitur.

Sanchez.

Quare Ius irritet potiùs matrimonium metu contractum, quàm alios contractus.

3 Secunda sententia omnino contraria docet metum grauem etiam iustè incussum vt aliquis compellatur aliquam ducere, irritare matrimonium. Primò, quia c. *Veniens.* 15. de sponsalibus, significatur matrimonium esse irritum, quod pater reperiens iuuenem cum sua filia in eodem lecto coëgerat eos contrahere, cùm tamen hic metus fuerat iustè incussus. Secundò, quia ideo metus irritat matrimonium, cuius est causa, quia tollit requisitam libertatem, & inducit infelices exitus: sed hoc eodem modo fit siue iustè, siue iniustè incutiatur: ergo eodem modo irritabit matrimonium. Ita Couarr. 4. decret. p. 2. cap. 3. §. 4. num. 15.

Couarr.

Tertia sententia docet, secundam esse veram, quando hic metus à priuato incutitur: secùs autem esse, quando ex præscripto legis publica auctoritate incutitur. Quia lex non potest irritare quæ approbat.

Sanchez.

Pro hac varios citat Sanchez disputatione 13. numero 2.

Quarta sententia, quam infrà probabo, docet metum grauem iniustè incussum ad contrahendum matrimonium, illud irritare: secùs tamen esse de metu iustè incusso.

4 Secunda difficultas est, Vtrùm matrimonium ex metu graui contractum iure naturæ, an verò solo iure positiuo sit irritum.

Prima sententia docet, esse irritum iure naturæ. Primò, quia c. *Cùm locum.* 14. de sponsalibus, dicitur, consensum non habere locum, vbi intercedit metus: sine consensu autem matrimonium consistere nequit.

D. Anton. Couarr. Victoria. Soto.

Ita D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 7. Couar. 4. decretalium p. 2. c. 3. §. 5. n. 6. Victoria in Summa n. 268. Sotus suprà, §. *Septimò arguitur.* & alij.

Secunda sententia, quam infrà probabo, tenet solo iure Ecclesiastico esse irritum.

5 Conclvs. I. Metus cadens in constantem virum irritat matrimonium ex eo contractum, si ad hoc iniustè incutiatur. Est communis, & patet ex c. *Cùm locum.* 14. & c. *Veniens.* 15. de sponsalibus, & c. 2. de eo qui duxit, &c. quod verum est in vtroque foro. quia hæc iura absolutè dicunt eum, qui ita contraxit, validè cum secunda contrahere, liciteque cum ea permanere. quod falsum esset, nisi primum absolutè in vtroque foro esset irritum. Nec verum est iura id dicere, quia præsumunt metu coactum non consensisse, sed id finxisse. quia Ecclesia semper in dubio præsumit pro valore matrimonij. Secundò quia suscipientem aliquod aliud Sacramentum ex metu, præsumit verè consensisse, nisi certò constet de contrario: vt patet ex c. *Maiores.* de baptismo. §. *Item quæritur.* & Toletan. 4. c. 55. ergo idem dicendum esset in matrimonio. Ratio conclusionis est, quia omnino expediebat matrimonia esse libera, nec quemquam alienam iniuria ad ea posse cogi: cùm autem semel contracta sint insolubilia, debebant ab initio irritari.

Toletan. 4.

6 Dices, Nemo potest cogi vt interiùs consentiat: ergo si hoc faciat, liberè facit.

Per accidens aliqui ad actus internos cõpelluntur.

Respondeo, nos non posse per se & directè compelli ad internum consensum; multos tamen sæpè indirectè & per accidens ad eum compelli: vel quia non sciunt se posse sine mendacio externa verba proferre sine interno consensu; vel quia ob periculum consummationis, ad quam sciunt se etiam compellendos, vel ob aliam causam putant hic & nunc esse minus malum verè consentire, quàm fictè; atque ita consentiunt compulsi metu maioris mali.

Metus etiã à tertio incussus irritat matrimonium.

Vera autem est conclusio etsi à tertio metus incussus sit, ac is cum quo quis cogitur contrahere, sit innocens. Quia Iura præcipuè hæc statuunt, ne quis cogatur inuitus contrahere: patiens autem metum in vtroque casu est æquè inuitus, & hic casus expressè habetur c. *Veniens.* citato.

7 Hinc quidam inferunt, tale matrimonium per se nullam obligationem inducere, eumque qui metum intulit, non teneri postea altero etiam volente contrahere, sed alia ratione ei satisfacere pro iniuria illata. Sed contrarium est probabilius. Primò, quia est communior sententia Doctorum, vt patet apud Nauarr. c. 22. n. 51. Siluest. *Matrimonio.* 8. q. 11. Richard. in 4. d. 29. a. 2. q. 1. Henriquez l. 11. c. 10. n. 5. P. Sanchez l. 4. d. 15. num. 4. vbi plurimos pro ea citat. Prob. Secundò, quia tale matrimonium saltem habet vim sponsalium, iuxta dicta disp. 20. dub. 4. sponsalia autem metu contracta sunt valida, sicut alij communiter contractus, vt docet Lessius de Iustitia c. 17. num. 37. quia nulla est ratio cur excipienda sint, cùm hoc esset in præiudicium læsi, cui melius est vt possit aliũ cogere vt ster pactis, quàm id non posse, quod cederet in commodum lædentis, cùm tamen Iura illi, non huic velint subuenire. cap. autem *Ex litteris.* 11. de despons. impuberum, quod alij pro se citant, tantùm probat eum qui metum passus est, posse à sponsalibus pro libitu resilire: quod etiam fatentur, quia non sunt insolubilia sicut matrimonium, quare non fuit eadem ratio hæc ab initio irritandi. Imò in eodem capite, dum dicitur puella monenda, vt non contrahat alias nuptias, donec puer, quo cum inuita contraxerat, perueniret ad pubertatem; apertè significatur sponsalia non fuisse irrita, sed irritanda. Quæ multò certiora sunt si sponsus ratione talium sponsalium, aut matrimonij, etiam sponsam cognouisset: quia tunc ratione damni aliter irreparabilis teneretur volentem ducere.

Inferens metum tenetur cum altero volente postea cõtrahere.

Nauarr. Siluester. Richard. Henriquez. Sanchez. Lessius.

Sponsalia metu contracta valida sunt.

8 Conclvs. II. Quando metus est leuis, non irritat matrimonium. Quia duo vltima Iura n. 5. citata requirunt metum grauem; & c. *Cùm locum.* quod generatim loquitur, secundùm hæc intelligendum est, quia metum leuem Iura non considerant, vt patet ex l. *Nec timorem* 7. ff. de eo quod metus causa, & c. *Cùm dilectus.* 6. de his quæ vi metusque causa fiunt. Ratio est, quia omnia aliàs essent incertâ, plenaque controuersiis & litibus, cùm metus leuis facilè interuenire, aut etiam fingi ac probari possit.

Iura metũ leuem non considerant.

Conclvs. III. Quando metus non ad matrimonium, sed ad rem aliam extorquendam etiam iniustè incussus est, periclitans eum euadat, validè contrahit matrimonium, etsi aliàs nollet contrahere. Ita cum communi sententia Sanchez l. 4. d. 12. n. 3. Ratio est, quia Iura ideò irritant matrimonia metu contracta, vt auertant alios, ne quemquam metu matrimonium inire cogant, & vt subueniant patienti metum, ne per iniuriam ad rem sibi odiosam com-

Sanchez.

pellatur, quæ rationes in hoc casu deficiunt. nam irritando ciusmodi matrimonia, nullo modo alios à metu inferendo auerterent, & patienti eriperent modum, quo periculum posset effugere, quod aliter quam contrahendo matrimonium nequit vitare. Confirmatur, quia aliàs qui contraheret matrimonium eò quòd medici iudicarent id esse necessarium ad vitam seruandam, quæ aliàs ex abundantia humorum periclitaretur, id aliàs nullo modo contracturus; inualidè id contraheret, quod nemo dixerit.

10 Hinc infertur Primò, plectendum capite validè contrahere cum aliqua, si iudex ea conditione vitam promittat. Secundò, etiam iniustè ab aliquo detrusum in carcerem ob aliam omnino causam, validè cum detrudentis filia contrahere, vt hoc modo se eximat, siue ipse, siue pater primò hanc conditionem offerat, quia tunc metus non est per se directè causa matrimonij, sed potius est via euadendi illud periculum. Vnde si Iura eo casu illud irritarent, periclitanti omnem viam salutis præcluderent, cùm tamen intendant ei succurrere. Confirm. quia sæpè videmus Principes bello ab alijs pressos offerre prementibus filias, aut ducere ipsorum filias, quò se bello liberent: quæ tamen matrimonia numquam vidimus ab Ecclesia irritari, etsi sæpè contingat alterum iniustè premi. Nec expediebat id fieri, quia multæ paces tam inter Principes, quàm priuatos fuissent per hoc impeditæ, & dubiæ sæpè redditæ nuptiæ, quas sæpissimè vna familia cum altera, cum qua grauissimas inimicitias gerit, pacis componendæ causa init. Ita cum alijs *Sotus.* Sotus citatus suprà n. 3.

11 Infert ibidem Sotus Secundò, validè contrahere medicum cum aliqua quam periclitantem de vita, ciusve parentem, nullo modo aliàs vult curare, nisi illa ipsi nubat. Quod etsi verum sit, quando medicus ex longinquis regionibus esset petendus, & non nisi cum graui difficultate posset ad ægrum venire, aut quando alias habet causas siue iustas, siue iniustas, ob quas suam operam ægro negat; ita vt hoc non faciat vt matrimonium extorqueat, quamuis paratus sit eam exhibere ægro, si puella ei nubat, tunc enim apertè ponitur casus nostræ conclusionis, difficultatem tamen patitur, quando medicus in ijsdem aut propinquis locis habitat, nec ob aliam causam negat ægro suam operam, nisi vt matrimonium extorqueat. quia tunc verè infert metum subtrahendo ægroto media vitæ necessaria, quæ antea vnà cum reliqua ciuitate communiter possidebat, atque ita eum qui antea in exiguo vel fortè nullo vitæ periculo erat, *in* præsentissimo constituit, idque directè vt matrimonium extorqueat: sicut si vnus atque alter soli haberent omnia victualia in aliqua ciuitate, quæ aliunde quàm ab ipsis alij sibi comparare non possent, grauem illis metum inferrent, si ea nollent ciuibus vendere.

An medicus validè ducat eam quam aliàs non vult curare.

12 Dices, talis medicus non peccat contra iustitiam nolendo ægrum curare, nec infert metum iniustum: ergo matrimonium ita contractum non erit irritum. Resp. Primò, negando consequ. quia saltem graui-ter peccabit contra caritatem, inferendo talem metum, quod videtur sufficere vt matrimonium sit irritum: quia talis metus eodem modo illud reddit inuoluntarium ac si iniustè inferretur, quod Iura maximè considerant.

Metus incussus contra caritatem irritat matrimonium.

Medicus negans alicui suam operam quandoque peccat contra iustitiam: sicut etiam cæmentarius carè locatus.

Resp. Secundò, talem etiam peccare contra iustitiam. Primò, quia medici communiter aut ratione stipendij, quod à Repub. recipiunt, aut ex aliqua cum ea conuentione tenentur curare ægros qui in ea sunt, accepto moderato stipendio. Secundò, quia, etsi ipse (quia esset ex alia ciuitate) non teneretur ægro operam suam impendere, peccaret tamen contra iustitiam, pro ea tantum pretium exigendo, sicut vsurarius nō facit iniustitiam nolendo mutuare; iniustè tamen exigit tantum suæ mutuationis pretium. Et confirm. quia militat hîc directè ratio legis, quia aliàs facilè contingeret medicos hac ratione ab ægris extorquere matrimonia, vel viatores ab aliqua, quacum iter faciunt, volendo illam aliàs in horrida aliqua silua viæ ignaram deserere. Quare videtur probabile tale matrimonium esse irritum: præsertim quando medicus esset iam certo pretio ab ægroto, vel ciuitate conductus ad curandum, quia tunc negando suam operam subtrahit alteri suum ius ac ita iniustè metum ac periculum infert. Et confirmatur, quia, si nauta suscepisset nobilem virginem vehendam per mare, & vellet eam in tempestate solam deserere, nisi contraheret matrimonium, omnino videtur tale matrimonium futurum irritum. Quando verò æger, quò medicum diligentiorem redderet, matrimonium sponte promitteret, clarum est fore ratum.

Inualidè contrahis matrimonium cum eo, qui aliàs minatur te in loco periculoso deserere.

13

Conclvs. IV. Quando metus iustè incutitur etiam directè ad obtinendum matrimonium, non reddit hoc irritum. ita Lessius de Iustit. c. 17. numer. 37. Patet, quia Ecclesia per excommunicationem cogit nolentes implere sponsalia. Ratio est, quia tunc nulla est causa subueniendi metum patienti, quia iustè eum patitur: nec etiam tunc metus tam infertur ab extrinseco, quàm ab ipso patiente, qui sponte dedit causam, cur talis metus posset inferri, vt habetur l. *Si mulier.* 21. *ff.* de eo quod metus causa. Vnde tunc non tam inferens metum adfert alteri necessitatem contrahendi, quàm ipse sibi, dando causam cur alius iustè inferat ei metum: sicut sponsa exigens promissas nuptias, non tam infert sponso necessitatem metu peccati mortalis contrahendi, quàm ipse sibi. Iura autem ad contrahendum solùm requirunt illam libertatem, quæ excludit necessitatem ita ab intrinseco illatam, vt metuens non possit dici sibi esse causa illius, siue liberè eam sibi accersiuisse. Nam quando se sponte in eam necessitatem coniecit, quidquid inde iustè sequitur, ei absolutè voluntarium ac liberum est in causa.

14 *Lessius.* *Qui dat causam cur iustè ei metus inferatur, ipse est sibi accersit.*

Ex his infertur Primò, si parens reperiens aliquem dormientem cum filia, minetur ei mortem, vel graue aliquod malum per se inferre, nisi contrahat, inualidum esse matrimonium: quia hoc iniustè minatur. Et hic est casus c. *Veniens.* 15. de sponsalibus, vbi etsi non dicatur in particulari, quis metus fuerit incussus; tamen videtur omnino de simili metu intelligendum esse, quia aliàs non facilè conformiter cum alijs Iuribus posset intelligi, nec est vlla ratio cur id aliter intelligamus: & omnino procliue est, & moribus hominum consonum, talem ibi metum subintelligere. Secùs autem esset, si reperiens tantùm minaretur accusationem: sicut si mulier vim passa, minaretur inferentem accusare, nisi eam duceret, validè contraheret. Quare quod aliqui dicunt talem habere quidem ius vt alterum accuset, non autem vt priuata auctoritate cogat illum contrahere, falsum est. Possumus enim priuata auctoritate ad multa alios cogere; vt patet in eo qui nolendo reddere pignus, cogit alterum sibi soluere. Et ex his facilè patet responsio ad obiectiones contrarias allatas nu. 3. Ad Primam Respondeo, negando illum metum fuisse iustè incussum. Ad Secundam, nego minorem, quia tale matrimonium est contrahenti omnino voluntarium saltem in causa, & ex natura sua maximè natum conciliare amorem erga coniugem, cùm fuerit alteri ratio euadendi ingens periculum, in quod non coniugis, sed sua culpa fuerat coniectus.

15 *Inualidè ad matrimonium compellit qui metum malū per se minatur inferre.*

Secùs si minetur id inferre per iudicem.

Conclvs. V. Metus solo iure Ecclesiastico irritat matrimonium, ita cum alijs Sotus in 4. d. 29. q. 1. art. 3. §. *Qui ergo hanc.* Probatur, quia non irritat iure

16 *Sotus.*

diuino,

diuino, quia nullum tale reperitur: nec etiam naturali, quia aliàs irritaretur etiam metu leui contractum: quia ius naturæ non aliter inter hos metus distinguit, quàm quòd vnus grauiorem inferat iniuriam, quàm alius. Vnde in alijs contractibus iure naturæ tam tenetur ad restitutionem, qui extorsit aliquid metu leui, quàm qui graui, si verè metus fuerit causa dandi. Secundò, quia iure naturæ & diuino non minor requiritur libertas ad suscipiendum baptisma, quàm ad matrimonium: atqui metus grauis illud non irritat: ergo nec hoc. Tertiò, quia dolus non minùs reddit contractum inuoluntarium, quàm metus; præsertim quando est in re valdè graui: vt si aliquis fingeret se ditissimum, nobilissimum, pulchrum & sanum, itáque obtineret optimum matrimonium, cùm tamen esset plebeius, pauper & infamis, ac contagioso morbo laboraret: atqui hic dolus tamen iure naturæ non irritat matrimonium, quando non inducit errorem circa personam: quia supradictus omni iure valide contraheret: ergo nec metus id iure naturæ irritat.

Spectato solo iure naturæ metus leuis, vt grauis eodem modo contractus reddunt irritabiles.

17 Hinc infertur, inter non baptizaros metum non irritare matrimonium, nisi ipsorum legibus hoc sit statutum, quia Ecclesiasticis legibus non sunt subiecti.

Inter non baptizatos metus non irritat matrimonij.

Ad rationem contrariam allatam n. 4. Resp. illo capite non dici nos verè non consentire in id quod metu compulsi volumus (nam aliàs metu compulsi inualidè baptizarentur, cùm ad hoc necessariò requiratur eorum consensus:) sed solùm negatur posse talem esse consensum, qualem esse conuenit, & Ius necessariò requirit.

18 Dices Primò, Ius Ecclesiasticum nullibi irritat eiusmodi matrimonia, sed vbique supponit esse irrita: ergo alio iure sunt irrita. Respondeo, Etsi iam nullum ius reperiatur, quod apertè irritet tale matrimonium; tamen ex ipso Iure & ratione satis colligitur, aliquando vel scripto, vel traditione tale fuisse ab Ecclesia conditum.

Dices Secundò, matrimonium esse institutum vt sit perpetuum, & ad mutuum coniugum amorem ac fidem conciliandam, ac prolem honestè educandam: his autem repugnat metus, quia nullum violentum est perpetuum, & metus parit alienationem animorum, atque ita impedit conuenientem prolis educationem, ac mutuam fidem: ergo repugnat essentiæ matrimonij: & consequenter illud irritat, non secùs ac conditio matrimonio apposita eius fini repugnans.

19 Respondeo Primò, negando minorem esse vniuersaliter veram; etsi enim metus iniustus non conciliet amorem sed potiùs odium; potest tamen fieri vt quis faciat de necessitate virtutem, vt sponte eum amet, cui metu coactus fidem promisit. Violentum autem potest esse perpetuum secundùm quid, scilicet per viam hominis: vt patet in eo qui ad perpetuos carceres damnatus est, aut inuitus monasterio aut coniugio detinetur, aut metu baptizatur: præsertim cùm hæc non sint absolutè violenta, sed maxima ex parte voluntaria.

Quomodo violentum possit esse perpetuū.

Respondeo Secundò, negando consequ. Nec enim omnia quæ repugnant fini ob quem res aliqua est instituta, repugnant etiam essentiæ; aliàs Sacramenta inualidè susciperentur cum obice gratiæ, quia hic impedit finem ob quem instituta sunt. Item inualidè quis contraheret cum intentione paulò pòst deserendi vxorem: quæ tamen falsa sunt, quia non est de essentia matrimonij, vt fides & mutuus amor de facto seruentur, aut vt contrahentes habeant animum ea seruandi, sed vt se ad hoc obligent: cui obligationi repugnat apposita conditio fini matrimonij contraria, non autem intentio illa non seruandi: vt ostendi d. 24. n. 42. quare multò minùs essentiæ matrimonij repugnat metus.

Nō omnia quæ repugnant fini matrimonij repugnant eius essentiæ.

Dices Tertiò, Contrà ius naturæ est, vt aliquis per iniuriam in alterum ius acquirat, aut vt non teneatur restituere ei libertatem, quam abstulit: sed vtrumque fieri si matrimonium iniusto metu contractum sit validum: ergo hoc repugnat iuri naturæ. 20

Respondeo, primam partem maioris ita intelligendam vt non possit hoc licitè fieri: non autem, vt non possit validè fieri. Secunda autem intelligenda est nisi talis excusetur per impotentiam. Patet vtrumque, quando quis dolo induxit alterum ad contrahendum matrimonium: quo casu acquirit ius per iniuriam, nec teneatur restituere ablatam libertatem: quamuis alia ratione teneatur satisfacere pro iniuria, quantum potest.

Potest quis validè per iniuriam in alterum ius acquirere.

Dices Quartò, Si tale matrimonium esset solo iure Ecclesiastico irritum, firmaretur iuramento: sed hoc est falsum: ergo. Resp. neg. maiorem, vt patet in matrimonio clandestino, quod iuramento non confirmatur.

DVBIVM II.

Quis metus dicatur grauis, seu cadens in constantem virum?

PRima hîc difficultas est, quale malum timeri debeat, vt metus dicatur cadere in constantem virū? Quidam docent hoc malum debere comparatiuè sumi, & esse maius eo quod suscipitur, vt illud euitetur. Ita Siluester v. *Metus*, q. 1. Sotus in 4. d. 29. q. 1. a. 2. v. *Rursus admotandum*. Scotus ibidem q. vnica §. *Deprimo contradictio est*. Paludanus ibidem a. 2. concl. 2. Victoria in Summa numer. 268. & alij. Probant Primò, quia l. *Metum*. 5. π. de eo quod metus causa, dicitur: *Metum* (qui sufficiat ad rescindendum contractum) *accipiendum Labeo dicit non quemlibet timorem, sed maioris mali.* 21

Siluester. Sotus. Scotus. Paludan. Victoria. l. Metum.

Secundò, quia viri cōstantis est eligere minus malum, vt fugiat maius. Hinc inferunt, nullum metum impellentem ad peccandum posse dici cadere in virum constantem. Quia omnis qui eligit peccare, vt euitet aliud malum, inconstanter agit.

Sed ea ratione non definitur, quis sit metus cadens in constantem virum, sed quid deceat virum constantem, vel potiùs (præsertim quando non agitur de vitando peccato) prudentem & cautum agere. Nā qui ne perdat mille aureos eligit perdere centum, non constans sed cautus dicitur. Lex autem *Metum*. citata requirit metum maioris mali, comparando hoc non cum malo, quod illius vitandi causa suscipitur; sed cum malis quæ vulgò ferè omnibus accidunt, quæque inconstantes timent, constantes contemnunt. Simili phrasi solemus dicere casus graviores Superioribus reseruari. 22

Magis dicuntur cauti, quàm constātes, qui leuius malum suscipiunt, vt grauius vitent.

Alij igitur dicunt illud malum absolutè ex sua grauitate spectandum esse. Ita cum multis Sanchius l. 4. disput. 2. num. 3. & disput. 1. numer. 12. Vbi num. 11. 15. 19. 20. 23. requirit quinque conditiones, vt aliquod malum sit tale. Prima, vt sit graue. Secunda, vt timens probabiliter siue prudenter credat hoc sibi imminere. Tertia, vt is qui minatur malum, sit potens illud inferre. Quarta, vt non soleat vanè & sine effectu minas iactare. Quinta, vt metuens non possit facilè illud malum depellere, quia tunc nulla esset causa metuendi. Sed tres vltimæ conditiones solùm explicant secundam, nemo enim potest prudenter terreri aliquo malo, quando scit minantem, aut non posse illud inferre, aut non esse probabile eum hoc illaturum, aut quando ipse hoc potest sine incommodo vitare. 23

Sanchez.

Quod malum dicatur graue.

24 In aliquib. personis minus malum infert iustum metum. *Glossa. Abbas. Couarr. Nauarr. Sotus. Sanchez.*

Secunda difficultas est, Vtrùm respectu omnium requiratur æquale malum ad constituendum metum grauem? Quidam enim id affirmant. Communiter tamen Doctores sentiunt, in quibusdam personis, vt constituatur metus grauis qui rescindat contractus, requiri minus malum, quàm in alijs. Ita glossa c. *Cùm locum.* 14. de sponsalibus, & ibidem Abbas numer. 6. Couarr. 4. decret. p. 2. cap. 3. §. 4. numer. 9. Nauarr. cap. 22. numer. 51. Sotus lib. 7. de Iustitia q. 2. art. 1. ad 2. Et cum pluribus alijs P. Sanchius suprà num. 2.

25 Vt hac in re clariùs procedamus Nota Primò ex leg. 1. ff. de eo quod metus causa. metum ita definiri posse: *Metus est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio.* quæ scilicet horret & refugit malum quod instare apprehendit.

26 Aliud est aliquem aliquo malo terreri, aliud eo superari, aliud hoc cauere.

Nota Secundò, aliud esse aliquem terreri aliquo malo: aliud verò eum metu mali superatum ei cedere: ac Tertiò, aliud esse eum ad illud euitandum aliquid facere, aut omittere. Quia quando quis ne calceos luto nonnihil inficiat aliquantulum à via recta declinat, facit aliquid quo malù euitet, & potest quidem dici hoc cauere; non tamen propriè potest dici eo terreri, ita vt mens trepidet, si deb illud aggredi.

Multi superant mala quibus terrentur.

Item quando martyribus proponuntur horrenda tormenta, vt fidem negent, multi verè ijs torrentur, & cum horrore quodam ea considerant, etsi vim sibi inferendo, diuina gratia metum superent, & in fide constanter persistant. Hinc etiam ipse Saluator noster in horto apprehendens instantem mortem incepit pauere, & præ angustia animi sudare guttas sanguinis: nullo tamen modo terrori cessit, nec quidquam egit quo imminentia mala effugeret, quæ ipse vltro amplexatus est. Quòd enim Patrem orauit, vt calix à se transiret, non ideo fecit quòd hoc absolutè vellet, sed vt ostenderet, quantum natura tam acerbam mortem horreret.

27 Quis sit metus cadens in virum constantem.

Vnde sequitur Primò, optimè posse dici eum metum cadere in virum constantem, quo tale malum metuitur, quod etiam virum constantem terreat, ita vt debeat sibi vim inferre vt illam superet, siue vt ipsum malum, si opus sit, constanter sustineat, quantumcumque hoc faciat, vt grauius malum euitet.

Secundò sequitur, non sufficere, quòd malum impendens sit maius eo, quod ad illud euitandum est necessariò subeundum, vt illius metus dicatur cadere in virum constantem; vt patet in declinante aliquantulum à via ne calceos inficiat. quia vir non debet sibi aliquam vim inferre, vt illud malum subeat, eiúsve metum, si opus sit, superet. Vnde nec illud malum declinans, aut ex iusta causa subiens dicitur constanter, aut ex virtute (quæ ardua spectat) sed cautè agere.

28 Sequitur Tertiò, non sufficere quòd malum impendens sit leuius eo quod subeundum est, ad illud vitandum, vt illius metus non dicatur cadere in virum constantem. Quia vir constans meritò horret tormenta grauissima sibi proposita vt fidem neget, & opus est vim sibi inferat, maximáque constantia tur vt ea superet.

Potest quis inconstanter agere ex metu cadente in constantem virũ.

Sequitur Quartò, aliud esse, aliquem inconstanter in aliqua re agere, aliud verò id agere ex metu nõ cadente in virum constantem, quia qui ne viuus comburatur fidem negat, inconstanter agit: quis tamen neget timorem illius horrendæ pœnæ cadere in virum constantem, cùm videamus Christum similis supplicij metu concussum fuisse, licet eum constantissimè superarit?

Quis metus reddat contractus irritabiles.

Sequitur Quintò, eum metum quoad contractus irritandos posse dici cadere in virum constantem, qui sufficit, vt talem impellat, vt vel in re magni momenti aliquid inuitus faciat (hic enim metus debet censeri grauis, cùm ille non possit censeri ob leuem rem moueri:) aut quem ille cum difficultate superat, quando hoc opus est, vt maius malum euitet.

29 Metus dupliciter dicitur cadere in virum constantẽ.

Nota Tertiò, dupliciter dici metum grauem, siue cadentem in virum constantem. Primò, absolutè & secundùm se, quando malum verè *in se* valdè graue est, ac tale quod virum absolutè constantem ita possit mouere, vt vim sibi inferre debeat, vt illud, quando opus est, constanter subeat. Et hic metus propriè & absolutè dicitur cadere in virum constantem. Secundò, dicitur metus grauis respectiuè: quando scilicet malum instans non est terribile viro absolutè cõstanti, est tamen tale respectu huius personæ, quæ ob imbecillitatem naturæ tale malum tamquam admodum graue apprehendit. Et hic, quamuis minùs propriè, vsurpatione tamen quadam iuris in fœminis, aliísque qui natura timidiores sunt dicitur metus cadens in virum constantem, qui in aliis non diceretur talis. Cùm enim l. *Metum autem.* 6. ff. de eo quod metus causa, ad rescindendum contractum dicatur non sufficere metum, nisi qui cadat in virum constantem: tamen l. *Metus autem.* 3. ff. ex quibus causis maiores. dicitur, iustum metum intelligi ex affectu eius qui eum patitur: quasi pro diuerso affectu, & mentis affectione & firmitate diuersus metus dicatur iustus. Quod tamen non est ita intelligendum quasi quodcumque malum sufficiat, si illud hic & nunc tamquam valdè graue ipse metuens concipiat: sed quod siue in foro externo iudex, siue in foro conscientiæ vir prudens, tale iudicauerit, quod scilicet spectata talium hominum natura, ipse patiens meritò vt valdè graue apprehenderit. Pro quo.

Quis metus sit respectiuè grauis.

30 Constantia alia absoluta, alia respectiua.

Nota Quartò, aliquam personam dupliciter posse dici constantem. Primò propriè & absolutè. Secundò, quasi respectiuè, spectata scilicet eius conditione, v. c. quòd sit fœmina, puer, vilis conditionis, plebeius ac rudis. Hi enim omnes faciliùs aliquibus malis terrentur, quàm viri magnates, aut eruditi. Quare quod in his parui momenti reputabitur, in illis heroicum factum, quodque constantis animi indicium sit, reputabitur, atque ita minus animi robur in iis requiritur, vt constantes dicantur; & respectu illorum minus debet esse malum, vt eius metus cadat in constantem virum, & quod consequenter sufficiat, vt contractus ab iis initi rescindantur: vt docent auctores citati n. 24. Ratio est, quia vt dicitur l. 1. ff. de eo quod metus causa, *Prætor habet irritum quod metus causa factum est.* Requirunt tamen leges metum grauem, vt iudex clarè possit videre contrahentem solo metu impulsum contraxisse: & quidem tali, qui communiter id genus homines solet grauiter concutere; hic enim & perfectam iniuriam continet, & meritò potest dici causa contractus. Secùs si leuis sit. Tunc enim nec perfectam iniuriam continet, nec metuens præsumitur metu contraxisse, sed leuitate animi: ideoque Iura illi non succurrunt; ius tamen quod naturaliter habet, ei non auferunt. Quare incutiens metum, in foro conscientiæ tenetur ad restitutionem quatenus possibilis est, siue metus sit grauis, siue lenis.

Quare Iura non succurrant patienti leuem metũ.

31 Quis metus irriter matrimonium.

CONCLVS. I. Ad irritandum matrimonium talis metus requiritur & sufficit, qui eiusdem cum contrahente conditionis homines solet communiter grauiter concutere, & compellere vt omnino inuiti aliquid magni momenti faciant. Patet, quia c. *Cùm locum.* 14. de sponsalibus, decernitur ideo matrimonium debere plena libertate gaudere, quia solo consensu contrahitur, qui locum non habet vbi metus intercedit. Quod non ita intelligendum est, quasi ex timore consentiens, non verè consentiat. hoc enim falsum

Quomodo metus dicatur tollere cõsensum.

falsum est; sed quia talis consensus reputatur quodammodo alienus & falsus, vt qui non sponte à voluntate proficiscitur, sed metu extorquetur: & vt ibidem dicitur, metuês significat sibi placere quod odit, quia, etsi omnibus spectatis tale obiectum velit, tamen illud secundùm se absolutè odit: vt ostendi suprà n. 1.

32 Vbi Nota, quamuis in particulari quandoque fieri possit, vt quis rem omnino leuem tam grauiter timeat, quàm alij communiter magnam; & vt eam euadat contrahat nuptias, quas aliàs omnino odit; tamen ne quidem in foro conscientiæ tales nuptiæ sunt irritæ: quia Iura eas non irritant. quia hæc non respiciunt quid in particulari sit huic proprium, sed quod communiter soleat accidere. Aliàs omnia essent plenà litibus & incerta: ideóque requirunt metum cadentem in virum constantem, iuxta dicta n. 29.

Iura non respiciunt particularia.

33 Hinc infertur Primò, vt metus irriter matrimonium, requiri Primò, vt malum quod timetur sit graue. Secundò, vt moraliter certum sit, malum aliter auerti non posse quàm per contractum. quia leuis suspicio mali non terret virum constantem. Vide dicta n. 23. Tertiò, vt iniustè incutiatur, iuxta dicta nu. 14. Quartò, vt metuens ita propter illud moueatur ad contrahendum, vt aliàs contractus secundùm se pergat ei omnino displicere; vt requirit c. *Cùm locum.* de sponsalibus. Nam sæpè fit, vt, si non adfuisset aliquis metus, aliqui non contraherent; tamen contractus secundùm se non displicet, & in eum planè voluntariè consentiunt. Ac tunc metus potiùs est occasio, quàm causa contractus, quia voluntas etiam fertur in obiectum propter suum bonum: atque ita nec propriè inuita, nec compulsa metu illud vult.

Quatuor requiruntur vt metus irriter matrimonium.

Infertur Secundò qualis metus in particulari talis censendus sit, qui irritet matrimonium, in foro externo iudicis, vel prudentis viri in foro conscientiæ, arbitrio decernendum esse spectatis omnibus circumstantijs, ex quibus sæpè res multùm variantur: vt habetur l. *Metus autem.* π. ex quibus causis maiores.

34 Talem autem communiter vel leges vel Doctores iudicant Primò, metum mortis, aut grauis cruciatus, cap. *Cùm dilectus.* de his quæ vi. Secundò, metum seruitutis, aut alterius rei qua perdita posset timeri seruitus, l. *Ego puto* & l. *Isti quidem.* π. de eo quod metus causa. Tertiò, metum grauis carceris, l. *Qui carcerem.* eodem tit. Quartò, metum grauis captiuitatis, aut diuturni grauisque exilij, quia malo carceri ferè æquiparantur. Quintò, metum stupri, siue à viro, siue à fœmina timeatur, l. *Isti quidem.* citata. Sextò, metum infamiæ grauis, & quæ facilè dilui nõ possit, aut amittendi honorabilem statum: quia hæc valdè grauia æstimantur & pro quibus auertendis magno animo viri etiam vitam exponunt. Secùs esset si infamia posset facilè dilui. Et sic intellige l. *Nec timorem.* π. de eo quod metus causa. Septimò, metum amissionis omnium, vel notabilis valdè partis bonorum, quia sine his vita incommodè agitur, & status sæpè periclitatur. Et confirmatur, quia metus quo quis timet iniustè impediri aut à notabili lucro sibi aliquo modo necessario vt vitam fortunásque sustenter, aut à pingui beneficio consequendo, iudicatur sufficiens ad contractus rescindendos, l. fin. §. 2. π. de eo quod metus causa. & c. *Cùm venissent.* de institutionibus. Secùs omnino esset, quando quis non esset iniustè ab his impediendus, quia tunc non tam metu impelleretur, quàm præmio & spe inuitaretur. Octauò, metum iniustæ excommunicationis: quia communiter grauem infamiã adfert, nisi omnibus iniustitia nota sit: & priuat publica in sacris & profanis cum alijs communione: quæ grauia mala sunt. Secùs si esset iusta: quia metus iustè incussus non irritat contractus.

Enumerantur diuersi metus irritantes matrimoniũ.

Nec dictis obest c. *Cùm dilectus.* de his quæ vi. vbi Pontifex videtur insinuare solum metum mortis & cruciatuum cadere in constantem virum, quia sub his complectitur reliqua mala, quæ dum priuant aliquibus rebus vitæ commodè transigendæ necessarijs, censentur aliqua ratione vita priuare: aliàs omnibus citatis Iuribus contradicere. Et in his ferè communiter omnes consentiunt: vt fusè docet P. Sanchius lib. 4. disp. 5. *Sanchez.*

Disputant autem DD. vtrùm metus reuerentialis, aut ortus ex precibus importunis cadat in virum constantem? Sed verius est neutrum per se cadere in constantem, nisi aut ille coniunctas habeat graues minas, aut periculum diuturnæ offensionis cum asperitate vultus & verborum eius cui reuerentia debetur; hæc enim inferior meritò grauissimum malum indicat. Aut nisi vtraque coniuncta sint: tunc enim fortissimum animum possent concutere, cùm grauissimum sit diuturnas ac continuas preces Superioris semper reiicere, cùm hoc non fiat sine periculo grauissimæ offensionis. Aliàs etsi hæc solicitè sumpta aliquo modo dicantur cogere; non tamen virum constantem. Vide P. Lessium de Iustit. c. 17. n. 35. *Lessius.*

35 Metus reuerentialis, aut preces importunæ an irritent matrimoniũ.

Conclvs. II. Supradicta mala non tantùm continent metum grauem, quando timentur propriæ personæ; sed etiam quando parenti, liberis, vxori aut alteri tanta nobis necessitudine coniuncto, vt eius mala omnino tamquam nostra apprehendamus. Patet ex l. *Isti quidem.* 8. π. quod metus causa. vbi dicitur: *Hæc quæ diximus ad edictum pertinere, nihil interest in se quis veritus sit, an liberis suis, cùm pro affectu magis in liberis parentes terreantur.* Vbi etsi loquatur de solis liberis; tamen ex ratione, quæ in supradictos omnes æqualiter conuenit, patet ad eos omnes debere extendi, quia nimirum tam eorum malo, quàm nostro terremur. 36

DVBIVM III.

Quale peccatum sit, ex metu graui contrahere matrimonium, aut consummare?

37 Fictè ob metum cõtrahens nõ peccat saltem mortaliter.

Nota, duobus modis hoc fieri posse. Primò, vt fictè quis contrahat: & tunc est peccatum veniale, si mentiatur. Secùs si vtatur restrictione mentali, aut æquiuocatione. numquam tamen est mortale. quia est tantùm mendacium officiosum, nisi accedat iuramentum. Nec refert quòd alter decipiatur, quia vel ipse sibi, vel tertius aliquis qui metum infert, causa est illius deceptionis, alterum ad hoc cogendo: non autem is qui compellitur contrahere: præsertim quia, etsi hic vellet validè contrahere, non posset; & habet iustissimam causam faciendi aliquid ex quo alter decipitur, maximè cùm id sine graui eius damno fiat. Ita Sanchius l. 4. d. 16. n. 2. *Sanchez.*

38 Quare grauius peccet fictè alia Sacramenta conferens, quàm matrimonium contrahens.

Dices, Peccat mortaliter, qui etiam metu mortis aliquem indispositum fictè absoluit: ergo etiam qui fictè contrahit, quia illudit Sacramento. Respondeo, negando conseq. quia ille ex persona Dei falsum iudicium exterius profert, & consentit ei, qui directè aliquid impium & sacrilegum petit, vnde externum sacrilegium committit. matrimonium autem directè tantùm petitur, quatenus est contractus, non autem quà Sacramentum. Quare contrahentes, non sustinent immediatè personam Christi dispensantis sua merita, sed priuatam personam ineuntis contractum, cui per accidens adiuncta est à Christo participatio Sacramenti, atque ita metu contrahens non fingit se sacrilegè dispensare merita Christi, sed tantùm se inire contractum, qui si non ponatur, nulla materia aut forma Sacramenti ponitur. Quare cùm palàm sit, actus eius qui metu contrahit, non

posse constituere validum contractum : palàm etiam est eos non posse esse materiam Sacramenti, quare eos ita ponens non significat se ponere Sacramentum, sicut nouus sacerdos, qui vt cæremonias discat, instar consecrantis verba aliqua super hostiam chartaceam profert, nec fingit se consecrare, nec Sacramento iniuriam facit. Et eadem est ratio ita fidè contrahentis. Nec refert quòd publicè in Ecclesia contrahens vtatur quibusdam ritibus sacris contra eorum institutionem, quod videtur contra reuerentiam tam ipsis, quàm Sacramento, quod aliis videtur suscipere, debitam : quia hæc reuerentia in tanto periculo non obligat.

39 Secundò, potest talis intendere validè contrahere, præsertim si ignoret contractum esse irritum, & tunc patet non peccare, quia bona fide agit. Quòd si omnino certò sciat contractum esse irritum, fieri non potest vt verè intendat contrahere : posset tamen id intendere, quantum est ex parte sua, siue sub conditione, si fortè posset accidere, vt validus esset contractus, quando ei non omnino constare esset inualidum, & hîc nulla est ratio peccati. Quia, si inualidè contrahat, nulla hîc ponitur materia aut forma Sacramenti, vt suprà dixi: si validè, ponitur ra, nec ipse intendit ponere Sacramentum nisi sub conditione, si materia vera sit: & vt hoc faciat habet legitimam causam ob grauem metum. Sed vix videtur posse accidere vt talis solo metu coactus contrahat, & tamen has intentiones habeat cum ea reflexione, quia scit se ad has non posse cogi, cùm alter non possit has cernere : nisi fortè id faceret eò quòd intenderet postea consummare : non quidem sponte in matrimonium consentiens, sed ex metu, quia nimirum scit se ad hoc cogendum, quod esset peccatum mortale (nisi fortè ex ignorantia, aut sequendo aliorum quorundam sententiam, bona fide crederet contractum valere :) quia cognoscere non suam est absolutè malum, nec vlla ex causa fieri licitè potest. Sed de hoc agemus pluribus n. 42.

DVBIVM IV.

An matrimonium graui metu contractum confirmetur iuramento, vel copula subsecuta?

40 DVplex est difficultas. Prima, Vtrùm copula metu extorta confirmet matrimonium, quando habetur animo coniugali. Affirmant id Paludan. in 4. d. 29. q. 1. a. 4. concl. 3. Citatur pro eadem sententia etiam Sotus ibidem a. 3. sub finem. Sed hic ibi omnino dubius hæret quid dicendum sit. Probatur autem illa sententia Primò, quia c. 2. de eo qui duxit. & c. *Insuper.* 4. qui matrimonium accusare possunt, dicitur metu coactos contrahere, nec posse resilire, si in copulam consenserint. Secundò, quia, si talis copula esset peccatum, merus ad eam compellens, non caderet in virum constantem, atque ita nec matrimonium irritaret.

Paludan. *Sotus.*

Secunda difficultas est, quando quis cogitur talem contractum firmare iuramento, qua ratione obl[igetur].

Aliud est aliquem cõtractum metu extortum firmari iuramento, aliud ipsum iuramentum obligare. *Lessius.* Nullus cõtractus metu ini-

Vbi Nota, aliud esse contractum aliquem firmari iuramento ; aliud verò ipsum iuramentum obligare: vt pulchrè docet P. Lessius de Iustit. c. 17. dub. 7. vbi etiam fusè disputat, quinam contractus firmentur iuramento. Et quod ad præsentem rem [pert]inet, certum est nec matrimonium, (vt expressè definitur cap. 2. de eo qui duxit) nec vllum aliud contractum metu extortum firmari iuramento simili metu extorto: vt cum communi sententia docet P. Lessius suprà n. 56.

Sed difficultas est, Vtrùm illud iuramentum sit obseruandum ; præsertim quando quis iurat se illud matrimonium perpetuò habiturum ratum : siue, Vtrũ metu coactus, iurans se aliquam ducturum ; ad hoc obligetur? Couarr. 4. decret. p. 2. c. 3. §. 5. n. 3. & Sotus in 4. dispur. 29. q. 1. art. 3. v. *Alia vero.* cum quibusdam aliis id negant, quorum argumenta infrà adferam.

Sotus confirmatur iuramento. *Lessius.* *Couarr.* *Sotus.*

CONCLVS. I. Si copula postea habeatur animo merè fornicario, siue non coniugali, certum est matrimonium in foro conscientiæ non confirmari. Quia nullus est consensus in matrimonium, sine quo hoc constare nequit. 41

CONCLVS. II. Si copula habeatur omnino liberè & affectu maritali, contrahitur matrimonium, sicut contraherentur per quæuis alia signa sufficienter consensum internum exprimentia. Vbi tamen receptum est Tridentinum, si defectus primi contractus sit probabilis in foro externo, necesse esset hæc signa coram Parocho & testibus fieri. Vide dicta d. 24. n. 83. & 84. & hæc omnes fatentur.

CONCLVS. III. Si copula simili metu extorta sit, quo præcedens contractus, probabilius est non confirmari matrimonium. Quia matrimonium numquã potest esse validum, si contrahatur metu cadente in constantem virum, quacumque ratione hic contractus fiat, quia Iura absolutè eum irritant. Vnde patet, talem potiùs eo casu mori debere, quàm consummare, nisi possit mutare mentem : ita vt sine respectu ad metum omnino liberè velit contrahere, quia aliàs consummatio esset meræ fornicatio. Ita D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 7. sub finem, & cum aliis multis P. Henriq. l. 11. c. 6. num. 7. & P. Sanchez lib. 4. disp. 18. numer. 15. Vbi tamen addunt, contrariam sententiam ob Doctorum auctoritatem non esse improbabilem, quare in graui necessitate posset quis ea vti, vbi Trident. non est receptum. 42

Potiùs moriendum est quàm matrimonium metu contractũ consummandum. *D. Anton.* *Henriquez* *Sanchez.*

Ad Primum argumentum citatum n. 40. Respondeo, illa Iura solùm loqui de casu quo copula omnino liberè habita fuit, vt apertè patet ex textu. Nam in c. *Insuper.* apertè dicitur, eam puellam ideo debere habere ratum hoc matrimonium quia cùm potuit, non reclamauit: quare si non potuisset reclamare, non fuisset ratum. Ad Secundum, nego assumptum. Vide dicta n. 28.

Dices, Ecclesia sua lege vult *succurrere patienti* metum : atqui si irritaret in tali casu matrimonium, ei potiùs obesset : quia constitueret eum in necessitate aut moriendi, aut peccandi : ergo id non intendit. 43

Respondeo, Ecclesiam intendere prout commodè potest succurrere omnibus generatim, idque nõ quouis modo, sed talia matrimonia omnino irritando, vt alios auertat ne eiusmodi metum inferant, cùm sciant se id frustra facere, quod non satis efficaciter fecisset, si per copulam potuissent confirmari. Quia cogentes ad ipsum contractum, eadem facilitate coegissent ad ipsam consummationem. Quare aut Ecclesia debuit etiam in tali casu matrimonium irritare ; aut ipsius statutum rarissimè habuisset vllum effectum. Ex quo nostra conclusio magis probatur.

Nec refert, quòd aliquibus inde accidat incommodum : quia inter eos, qui sciunt talia matrimonia esse irrita, est rarissima talis coactio, cùm sciant se nihil agere, & raros casus lex non respicit. Inter eos autem qui id ignorant, copula non est peccatum cùm bona fide habeatur ; & tamen metum passo postea restat libertas resiliendi. Vnde Ecclesia ei hoc modo multò magis subuenit, quàm si haberet ea matrimonia rata.

CONCL. IV. Si quis metu graui contrahens iuret se verè ex animo cõtrahere, iuramentũ tantũ obligat, vt se ferio cõ- 44 Metu irrãs

quantum

trahere, ad nihil in posterum tenetur.

quantum est in se illum animum habeat circa præsentem contractum: nullo tamen modo illum confirmat, quia contrahentes sunt inhabiles vt validè contrahant, quamdiu metus durat. Nec obligat ad quidquã in futurum: quia id expressè non promittit. Et quamquam matrimonium inualidum etiam metu contractum contineat vim sponsalium, atque ita promissionem matrimonij contrahendi; vt dixi disp. 21. nu. 46. & 47. & hîc n. 7. hoc tamen in præsenti casu intelligendum est, quatenus hoc cedit in fauorem metum passi. cùm enim eius causa sit digna fauore, verba contractus latè interpretanda sunt, quatenus hoc ei expedit: contrà verò omnino strictè, quatenus ei obesse, & iniuriam patienti fauere possunt. quia hac ratione graue odium continent. cum igitur contractum continere sponsalia pro libitu metum passi irritabilia, huic prosit, ita interpretandus est. contrà verò cùm ipsi noceat si ratione iuramenti nequeat sponsalia reuocare, verba contractus, & iuramenti ex hac parte omnino strictè accipienda sunt.

45 Qui iurat habere ratum contractum obligatur iuramento.

CONCLVS. V. Si verba significent explicitè aliquam obligationem in futurum: vt si contrahentes promittant se perpetuò habituros ratum hunc contractum, quantum possunt efficiendo eum validum: tunc iuramentum non quidem eum confirmabit, nec vllum dabit metum inferenti ius; obligabit tamen iurantem vt secundò contrahat, sicut obligat eum, qui iurauit latroni dare centum. Ita Rosella v. *Impedimentum.* 10. Siluester v. *Matrimonium.* 8. q. 2. dicto 8. Richardus in 4. d. 29. a. 1. q. 2. Paludan. ibid. q. 1. a. 5. Sotus l. 8. de Iustit. q. 1. a. 7. ad 3. P. Henriquez l. 11. c. 9. nu. 6. Probatur Primò, quia ita expressè habetur c. *Inter cætera.* 22. q. 4. Probatur Secundò, quia omne iuramentum ex certa scientia factum obligat, quando eius explerio est licita, vt habetur c. *Debitores.* 6. & c. *Si verò.* 8. de iureiurando: atqui illius iuramenti implerio est licita: ergo seruanda.

Rosella. Siluester. Richard. Paludan. Soto. Henriquez.

46 Respondent aliqui, maiorem tantùm esse veram, quando iuramenti impletio non est contra publicam vtilitatem. Hic autem esset contra publicam vtilitatem.

Sed contrà Primò, Iura citata generatim maiorem affirmant. & c. *Inter cætera.* in particulari in hoc casu ait iuramentum seruandum. Secundò, quia vel tale iuramentum impleri directè noceret publicæ vtilitati, & tunc erit peccatum. quod tamen est falsum: vel tantùm est minùs expediens. ita vt si sæpiùs fieret, facilè Respub. aliquod damnum inde acciperet: & hoc nullo modo sufficit vt iuramentum sit irritum. quia sic esset irritum iuramentum eius, qui captus ab iniustis hostibus iurasset eis dare centum: quia si plures id facerent, fierent hostes porentiores, & Respub. imbecillior. & per consequens talis impletio est dicto modo contra bonum publicum: & secundùm illam sententiam tale iuramentum non obligaret. quod est contra communem sententiam. Vide dicta disp. 22. num. 25.

Quando iuramentum fiocens publicæ vtilitati sit irritum?

47 Dices Primò, c. 2. de eo qui duxit. is qui post iuratum vni ex graui metu matrimonium cum secunda contraxerat, iudicatur debere manere cum secunda, nec vlla ei iniungitur pœnitentia ob violatum iuramentum, sicuti in aliis Iuribus fit: ergo signum est non peccasse. Respondeo, negando consequ. Quia Pontifices non debent quæuis quouis loco dicere, quando nullo modo de iis interrogantur. Patet ex c. *Mulieri.* 34. de iureiurando, vbi dicitur Episcopum non debere prohibere, quin mulier quæ iurauerat se cum aliquo de præsenti contraxisse, & in probatione defecerat, alteri nubat nulla facta mentione pœnitentiæ: cùm tamen & ex textu, & per se pateat, talem alteri nubendo significare se priori non nupsisse, & consequenter se peieraſſe. Item c. vlt. de sponsalib. dicitur

Ex eo quòd in iure pro aliquo facto non iniungatur pœnitentia non sequitur non esse peccatum.

iuuenem qui deserta priore sponsa contra datam fidem cum secunda contraxerat, debere cum hac manere, nulla facta mentione pœnitentiæ. quem tamen certò constat peccasse.

Dices Secundò, c. *Ex literis.* 11. de desponsat. impub. dicitur puella quæ alteri inuita desponsata sub iuramento fuerat, posse liberè alteri nubere: ergo iuramentum non obligabat. Respondeo, negando consequentiam. quia ipsa puella non iurauerat, sed eius parentes, vt apertè colligitur ex textu.

Potest tamen Episcopus in tali iuramento dispensare, sicut in iuramento eius qui centum promisit latroni. & tunc metum passus liberè poterit cum alia contrahere.

DVBIVM V.

Vtrùm Superiores, vel parentes possint filiis certas nuptias præcipere, & hi teneantur obedire?

48 NOta Primò, certum omnino esse filios inuitis aut insciis parentibus validè matrimonia contrahere: vt definit Trident. sess. 24. ca. 1. de reformat. matrim. sub initium. *Trident.*

Magistratus cogentes aliquem ad matrimonium excommunicantur.

Nota Secundò, Tridentinum ibidem c. 9. excommunicare locorum dominos, ac magistratus cuiuscumque conditionis sint, qui alios cogunt, quo minùs liberè matrimonia contrahant. Quæ intelligenda sunt de graui aliqua ac iniusta coactione. Nam iustè aliquem quandoque posse ad aliquod matrimonium compelli infrà dicemus.

Benè autem cum communi sententia aduertit P. Henriq. l. 11. c. 6. n. 5. lit. G. in commentario, parentes, ac alios priuatos metu impedientes matrimonia suorum liberorum, aut aliorum, non incurrere hanc excommunicationem. Quia Concilium expressè ibi solùm agit de iis qui habent iurisdictionem in foro externo, eósque singulariter punit. quia eorum factum continet singularem iniustitiam, cùm ipsi in re tanta iniuriam inferant, quorum erat iustitiam tueri, ac iniuriam passis ius dicere: vt Concilium expressè docet. quæ ratio in priuatos non conuenit. Vide P. Sanchez l. 4. disp. 22. n. 9. & 10. *Henriquez. Sanchez.*

49 Variæ autem hîc sunt difficultates, vt infrà videbimus. Sed præcipua est, Vtrùm filius inuitis parentibus contrahens matrimonium, peccet mortaliter?

Quia in re constat quidem eum non peccare, quando parentes iniustè volunt eum à matrimonio omnino impedire, aut compellere vt indignas nuptias contrahat. Sed difficultas est, quando nulla similis causa subest. Sotus in 4. d. 28. q. 1. art. 1. in fine, & Perrus Soto lect. 3. de matrimon. §. *Tertiò etiam.* cum quibusdam aliis aiunt eum peccare mortaliter. Primò, quia parentum est procurare liberis nuptias: ergo hi tenentur iis hac in re obedire. Secundò, quia videmus communiter parentes omnes grauissimè offendi, si filij se inuitis matrimonia contrahant. *Sotus. Perr. Soto.*

50 Possunt Superiores subditis ea matrimonia præcipere ad quæ aliàs tenentur.

CONCLVSIO I. Quando occurrunt tales circumstantiæ, ob quas aliquis iure naturæ teneatur certas nuptias inire; vt quia v. c. sub earum promissione virginem defloratit; aut quia necessariæ omnino sunt ad pacem publicam conciliandam; aut ad rollendas capitales amicorum inimicitias, præsertim si filius statuerit aliquando vxorem ducere: aut si eum inire tale matrimonium esset absolutè necessarium ad sustentandum patrem, aliàs grauissima inedia laborantem, possent supradicti sibi subiectos præcepto & aliis viis compellere inire matrimonium. Quia possunt eos cogere ad id ad quod iure naturæ obligantur. Nec cuiquam debet videri durum si cogatur satisfacere suæ obligationi. Hæc tamen

toactio debet communiter esse moderata, iuxta dicta disp. 22. dub. 2. nisi necessitas ac rei magnitudo aliud exigeret.

51 Non adtem alia. *D. Thom. Trident.*

Conclvsio II. Deficientibus eiusmodi circumstantiis, supradicti nihil tale possunt præcipere. vtramque concl. docet D. Thomas in 4. d. 29. a. 4. & cum eo communiter Doctores. Et patet ex Trident: suprà, quia, si tales possent subditis aut liberis matrimonia præcipere, possent eos ad hæc compellere: quod repugnat Tridentino. Ratio conclusionis est. quia matrimonium est quasi quædam perpetua seruitus, à qua natura sumus liberi, nec nisi proprio consensu possumus ei subiici. Secundò, quia cùm coniugium requirat indiuiduam vitæ societatem mutuo amore conglutinatam; durissimum & periculosissimum esset, & contra naturam ipsius alieno imperio ad ipsum adigi. quia rarò amamus ea in quæ sponte nostro iudicio non propendemus. Hinc animus semper horret & refugit ea, ad quæ alieno imperio impellitur, iuxta illud, *Nitimur in vetitum*, &c. Quare cùm violenta esset talis societas, & contra animi propensionem, esset communiter plena rixis & discordiis.

Matrimonium perpetua seruitus.

52 Tenentur liberi parentes consulere circa nuptias.

Conclvsio III. Tenentur liberi sub peccato mortali non contrahere nuptias, nisi consultis priùs parentibus, aut iis qui eorum locum tenent. Quia, cùm hi teneantur in omnibus, & præcipuè *in* statu vitæ deligendo illorum commodis prospicere; grauis contemptus est ac signum diffidentiæ, tantam rem sine eorum consilio aggredi, ac parentibus nurum aut generum omnino inscios adducere, qui fortè turbas excitaturi sunt. Quare omnes parentes hæc ægerrimè videmus ferre: & hoc solùm probant argumenta numero 49.

Excipe tamen casum, quo contracturi haberent iustas causas id agendi clàm parentibus: vt si scirent eos id malitiosè impedituros; aut alias similes.

Filij ex so-

Conclvsio IV. Etsi cessantibus iustis causis in contrarium, honestissimum & consultissimum communiter sit liberos in hac re parentum consilium sequi; ideóque quædam Iura dicant eos debere sequi, tamen absolutè ad hoc non tenentur. Vtramque concluf. cum multis aliis docet P. Sanchez l. 4. disput. 23. num. 10. Et hæc conclusio patet ex conclusione secunda. Quia si parentes non possint filiis præcipere, vt certa matrimonia contrahant, aut à certis (quæ aliàs licitè possunt contrahere) abstineant; nec hi tenentur iis alterutrum præcipientibus obedire. Quare parentes, nisi grauissimæ rationes sint in contrarium, debent in hac re sequi filiorum inclinationem: quia horum res agitur, & amor mutuus, qui coniugibus maximè necessarius est, non fertur in id in quod natura non propendet. Vnde sequitur, communiter liberos petito parentum consilio non peccare, si iis inuitis nuptias sibi aliàs conuenientes contrahant. Quia hac in re, sicut in deligenda Religione sui iuris sunt, nec parentum est hac in re aliquid præcipere, sed quod conueniens est suadere. Quare etiamsi meritò ægrè ferant, si priùs non consulantur; immeritò tamen ægrè ferunt, si liberi eorum consilium non sequantur: nisi ipsi ad hoc ob alias causas obligentur. Quia hac in re non parentum, sed filiorum negotium agitur, quibus maximè expedit ea matrimonia contrahere, in quæ per se maximè propendent, nisi manifesta aliqua ratio in contrarium sit. Ex quo patet solutio ad argumenta allata num. 49.

la honestate communiter tenentur sequi in ea re parentum consilium. *Sanchez.*

Parentes communiter tenetur sequi liberorum inclinationem.

Excipe tamen casum, quo filij scirent ex eiusmodi nuptiis grauia odia, & scandala, aut similia secutura. Tunc enim saltem ex caritate tenerentur eas omittere. Vide Sanchez lib. 4. disput. 22. & 23. qui etiam disputatione 24. & sequentibus disputat, vtrùm parentes possint negare hæreditatem, aut dotem filiis se inuitis contrahentibus nuptias: & respondet negatiuè, quem si iuber, consulas.

Sanchez.

DISPVTATIO XXIX.

DE

CONSENSV

CONDITIONATO.

1 NOTA, tripliciter nos posse aliquid velle. Primò, absolutè & per se. Secundò, cum aliquibus circumstantiis & conditionibus, ita tamen vt etiam sine iis rem vellemus. v. c. Petrus vult ducere Catharinam credens eam esse diuitem ac nobilem: ita tamen vt vellet eam ducere propter alias animi dotes, etiamsi sciret esse pauperem ac plebeiam. Et patet hîc non esse consensum conditionatum, nec illum errorem vitiare vllo modo matrimonium. quia non reddit actum inuoluntarium. Tertiò, possumus aliquid propter certas conditiones ita velle, vt ipsum absolutè nollemus si sciremus eas abesse. Vt si Petrus nollet Catharinam ducere si sciret esse pauperem aut plebeiam. Quæ nolitio potest esse vel solùm habitualis, vt quando rem absolutè volumus, putáres eas conditiones ei inesse; nollemus tamen si sciremus abesse. Vel potest aliquo modo esse actualis, vt ii actu restringamus consensum, nolendo rem nisi adsint illæ conditiones. In priore autem casu tota volitio actualis est verè absoluta, & talis absolutè rem vult: nolitio autem solùm esset ponenda sub conditione, posito quòd veritas esset cognita. Quare sicut illa nolitio de facto non ponitur, ita nihil operatur, nec efficaciam consensus impedit. In secundo casu sicut illa nolitio est actualis, ita efficit consensum conditionatum, & omnem eius efficaciam impedit, si illæ conditiones absint.

Voluntas ponenda sub conditione si ve-

ritas cognoscetur, nihil operatur.

Quis sit consensus conditionatus.

Hinc contractus aliaque pacta variè fiunt. Primò, omninò absolutè. Secundò, cum adiectione certi temporis, vt *do tibi librum illum in crastinum*; ante quod tempus tuus non est. Tertiò, cum aliqua demonstratione, vt *do tibi librum, qui es cognatus meus.* Quartò, adiuncta causa, vt *do tibi librum, quia cognatus meus es.* Quintò, cum aliquo modo siue conditione, vt *do tibi librum vt diligenter studeas.* Sextò, sub conditione, vt *do tibi librum, si cognatus meus es.* Et de hoc modo hîc maximè tractabimus: de aliis tamen etiam aliquid dicemus dub. 4.

2 Contractus variè fiunt.

Nota Secundò conditiones contractui adiectas posse esse de re præterita, præsenti vel futura; eáque vel necessaria, vel contingenti, vel impossibili, honesta vel turpi, vel etiam contra substantiam matrimonij. de quibus omnibus dicendum est.

DVBIVM I.

Quid operetur conditio honesta & possibilis adiecta matrimonio?

3 TRes sunt hîc præcipuæ difficultates. Prima est; quando aliqui ita contrahunt, *Accipio te ex hoc nunc in coniugem, si pater consentiat*, Vtrùm statim ac pater consentit, sine nouo illorum consensu sit verum matrimonium? Prior sententia id negat. Ita D. Bonauen. Durand. Richard. Sotus. D. Bonauen. Durand. Richardus a. 2. q. 2. Sotus d. 29. q. 2. art. 1. concl. 3. & alij plurimi, estque sententia valdè probabilis. eius autem rationes infrà adferemus.

Secunda sententia dicit, priorem saltem esse veram, quando consanguinei ita contrahunt sub hac conditione, *Si Pontifex dispenset.* Quia matrimonium requirit consensum de præsenti inter personas habiles: hæ autem personæ quando consensum præstant sunt inhabiles. Pontifex autem non ratificat priorem consensum, nec hoc facere potest, sed solùm tollit ipsum impedimentum, redditque personas habiles vt possint consentire. Ita Rosella *Matrimonium* 5. nu. 14. Rosella. Silvester. Victoria. Silvester *Matrimonium.* 2. num. 13. Victoria in Summa, n. 258. Et hæc sententia est satis probabilis.

Tertia sententia, quam infrà explicabimus, docet matrimonium vtroque casu valere posita sufficienter conditione, sine vllo nouo consensu contrahentium.

4 Secunda difficultas est, Vtrùm in locis vbi Tridentinum est receptum, requiratur vt conditio impleatur coram Parocho & testibus? Nauarr. l. 4. consil. cit. de conditionib. appos. consilio 1. n. 6. videtur id negare. Et probatur; quia Parochus & testes non debent testari matrimonium validè fuisse cõtractum. Nam validè assistunt eorum matrimonio, quos nesciunt carere omni impedimento dirimenti: ergo etiam validè assistunt matrimonio conditionato, dum sponsi sub tali conditione consensum suum exprimunt, etsi ignorent an conditio sit impleta. videtur enim esse eadem ratio. Confirmatur, quia ea ratione satisfit Tridentino, & omnia incommoda vitantur. Nam cùm constet coniuges ita inter se contraxisse, neuter vnquam permitteretur cùm altera contrahere, nisi constet conditionem non esse impletam. Nauarr.

5 Sed explicatio huius difficultatis pendet ab alia, quam auctores communiter non ita clarè tractant; Vtrùm scilicet, quando aliqui contrahunt sub conditione, de cuius veritate incerti sunt, siue præterita, siue futura, matrimonium consistat statim ac conditio est in rerum natura posita: an verò necessarium sit contrahentes priùs nosse eam esse positam? Sotus in 4. d. 28. quæst. 2. art. 1. concl. 2. agens de conditione præsenti ait, valere statim posita conditione, etsi illi hoc ignorent. Et probari potest Primò, quia, quando aliqui contrahunt per procuratores, statim valet matrimonium antequam coniuges sciant quid actum sit. Secundò, quia si quis alium à peccatis absolueret sub hac conditione, *Si iam restituueris furto ablata*; valeret absolutio, etsi sacerdos ignoraret, vtrùm restitutio esset facta: ergo idem dicendum de matrimonio. Tertiò, §. *Conditiones.* 6. Institut. de verb. oblig. & l. *Cùm ad* 37. ff. de rebus creditis, dicitur, ex stipulatione facta sub conditione rei præteritæ, statim ea posita nasci obligationem, etsi contrahentes ignorent esse positam: ergo idem erit in matrimonio. Sotus.

6 Sed hæc sententia mihi videtur difficilis. Nam, vt ostendi disp. 21. n. 22. & 26. & pulchrè docet P. Sanchez l. 1. disp. 18. n. 2. ad valorem tam sponsalium quàm matrimonij essentialiter requiruntur aliqua signa externa, per quæ contrahentes sibi mutuò præsentem consensum siue in matrimonium, siue in sponsalia determinatè significent. Vnde per signa quæ omnibus circumstantiis spectatis parti æqualiter possunt significare dissensum ac consensum, vel tam consensum de futuro, quàm de præterito, non potest contrahi matrimonium: vt docet Sanchez suprà, num. 25, atqui qui dicit, *Contraho tecum, si pater tuus tale officium in aula obtinuit*; si vtrique omnino ignotum sit an pater hoc obtinuerit nec ne, non magis significat parti se in eam consentire, quàm dissentire, sed solùm sub disiunctione se consentire, si conditio sit posita; ac dissentire, si non sit posita. Vnde tam pars quàm omnes alij præsentes, quamdiu veritas conditionis ignota est, ex illis verbis magis colligunt eum consentire quàm dissentire: ergo hæc verba sunt tam diu inefficacia ad constituendum matrimonium. Confirmatur Primò; quia si quis ita contraheret, *Ego te accipio, vel non accipio in vxorem*; certum est nihil acturum: atqui verba conditionata iis quibus veritas conditionis omnino ignota est, eodem modo significant: ergo etiam sunt inefficacia ad constituendum contractum, quamdiu illa veritas manet ignota. Confirmatur Secundò, quia aliàs si qui contraherent his verbis, *Accipio te in meam, si Deus iam videt fratrem tuum ante te sine hærede moriturum*; sequeretur posita veritate conditionis matrimonium statim fore ratum, si contrahentes id intenderent: atque ita si alteruter antequam veritatem cognosceret, cum alia contraheret, inualidè hoc facturum. quia videntur absurda. Quare credo vetius esse tales contractus non esse perfectos, antequam partibus constet veritas conditionis requisitæ. Quia verba tunc primùm habent vim iis determinatè significandi absolutum consensum.

Per signa indeterminata non cõtrahitur matrimonium. Sanchez.

Per propositionem sub ignota conditione nihil absolutè significatur determinatè.

Ad Primum argumentum positum nu. 5. Respondeo, esse aliam rationem in contrahentibus per procuratores. Nam hi absolutè in matrimonium consentiunt, idque exteriùs absolutè ac determinatè sibi mutuò exprimunt. Et sicut ipsi per alios suum consensum exprimunt, ita per alios mutuos consensus acceptant. quare etiam sufficit, vt per alios illam expressionem intelligant. Secùs est in nostro casu, quia sicut per se immediatè contrahunt, ita debent sibi immediatè mutuos consensus determinatè significare: quod non fit antequam sciant conditionem esse impletam. 7

Ad Secundum, nego consequentiam. quia, vt quis validè absoluat, soli Deo debet determinatè significare suam intentionem, quod in eo casu sufficienter fit.

Ad Tertium Respondeo, illas leges non dicere antequam conditio sciatur posita contractum esse omnino perfectum secundùm se. hoc enim, vt ostendi, non est verum: sed eum iam esse perfectè positum in causis. quia eæ causæ iam positæ sunt, ex quibus necessariò sequatur. Vnde etiam inter contrahentes necessaria obligatio contracta est, cùm nullo modo possint consensum reuocare. Secùs est in matrimonio, in quo ante conditionem positam ac cognitam vterque validè consensum reuocat; vt dicam num. 10.

CONCLVSIO I. Matrimonium contractum per verba de præsenti sub conditione præterita, vel præsenti, statim si conditio non subsit, est irritum. quia deest consensus, cùm sponsi non intendant contrahere, nisi illa subsit. Quòd si subsit, statim ac veritas partibus nota est, valet, ac si absolutè contractum esset. Quia sponsi intendunt absolutè contrahere posita conditione, & verba iam hoc sufficienter significant. 8

Quantùm vim habeat adiectio conditionis certò futuræ.

Idem cõmuniter asserunt DD. de cõtractu sub conditione, quam contrahentes certò sciunt necessariò

futurarū. quia in eorum cognitione & apprehensione iam præsens est: nec ab illis aliter videtur adiici, quàm vt ostendant se iam tam certò contrahere quàm illa conditio certò futura est. Quod communiter verum est in iis qui seriò agunt, & vix videtur alium sensum commodè posse intendere. Quòd si tamen vellent contractum suspendi vsque ad aduentum conditionis; verè consique suspenderent. Ita P. Rebellius de Iustitia p. 2. lib. 2. q. 10. num. 13. Sed tunc haberet potiùs rationem adiectionis temporis, quàm conditionis. *Rebellius.*

In dubio verò, res ex circumstantiis spectanda est: Si enim adiicienti conditionem fuerit commodum contractum ante illud tempus non esse absolutum, credibile est voluisse apponere ei tempus. Secùs si eius omnino nihil interesset, an statim, an postea impleretur.

9 Conclvsio II. Contractus initus sub conditione de futuro contingenti, suspenditur donec sponsi sciant conditionem esse positam: & est omnino nullus si statu tempore conditio non impleatur. Est communis Doctorum, & patet ex cap. 3. & 5. de conditionibus appositis. Ratio est, quia priùs nec contractus est omnino nullus, cùm vterque teneatur euentum conditionis expectare: nec omnino completus, cùm à futura conditione pendeat, vt sit validus si ponatur aliàs inualidus.

10 Consensus sub conditione validè, licèt illicitè reuocatur quādiu cōditio ignoratur posità. *Soto.*

Nota tamen, matrimonium ita contractum, antequam conditio ponatur, nullo modo esse verum matrimonium. Hinc si interim alteruter priùs consensum suum reuocet, quantumcumque hoc faciendo peccet matrimonium impleta postea conditione nullo modo subsistet, vt omnes fatentur. quia deerit consensus essentialiter requisitus. Item si alteruter priùs cum alio de præsenti contrahat, validè id faciet, etsi illicitè. Sotus in 4. d. 29. q. 2. a. 1. §. *Rursus animadvertendum.* Ideóque quidam DD. dicunt matrimonium non posse esse conditionatum: quia ante conditionem positam nullo modo est matrimonium: posita autem conditione, & à partibus cognita, est omnino absolutum. Quare volunt solùm ipsum consensum esse conditionatum, qui ante conditionem est incompletus, & ea posita completur. Et sic intelligunt regul. 50. Iuris, in 6. vbi dicitur actus legitimos conditionem aut diem non recipere. quia non possunt incipere esse antequam conditio aut dies præfixa aduenerit. Sed hæc explicatio illius regulæ non videtur genuina, nam ipsa desumpta est ex l. *Actus legitimi.* 77. ff. de regulis Iuris. vbi dicitur, quædam pacta, siue actus vitiari, si iis conditio adiecta sit. Huic autem actui siue contractui sine vitio conditio adiicitur. Illa igitur regula solùm loquitur de certis quibusdam actibus dicta lege numeratis. *Reg. Iuris.*

Matrimonii eodem modo dicitur conditionatum sicut consensus. Habet etiam illa doctrina difficultatem. Nam sicut contrahentium consensus primò incompletè ponitur, & deinde posita sufficienter conditione completur: ita etiam contractus, siue matrimonium, prout habet rationem contractus, initio incompletè ponitur, & pendet à futura conditione vt compleatur, ac habeat rationem perfecti contractus.

11 Conclvs. III. Etsi propter multorum auctoritatem probabile sit, matrimonium contractum per verba de præsenti sub conditione honesta de futuro contingenti, posita conditione tantùm habere vim sponsalium, & indigere nouo consensu, vt sit matrimonium; probabilius tamen est, statim atque illa sufficienter posita ac à partibus cognita est, esse verum matrimonium, si aliud non subsit impedimentum. Ita Innocent. in c. *Super eo.* 5. in fine, de conditionibus appositis. Abbas c. *De illis.* 3. eod. tit. Nauarr. c. 22. nu. 63. & 64. Paludanus in 4. d. 29. q. 2. art. 5. sub finem. Petrus Soto lect. 3. de matrim. §. *Quartò demique.* & cum multis aliis P. Sanchez lib. 5. disput. 8. num. 5. Probatur Primò, quia cæteri omnes contractus, etiam sponsalia sub conditione tali inita, statim atque hæc sufficienter posita atque cognita est, sunt omnino valida sine nouo consensu, ac si tunc purè, siue sine conditione fuissent inita. vt patet ex l. *Potior.* 11. ff. qui potiores in pignore. & l. *Hæc venditio.* 7. ff. de contrah. emptione, ergo etiam matrimonium. *Sanchez.*

Matrimonium tamē liberè initur sub cōditione, quàm purè.

Respondent aliqui esse diuersam rationem; quia matrimonium requirit maiorem libertatem, quàm cæteri contractus. Sed spectato iure naturæ hoc non est verum: cùm ex errore, qui non sit contra eius substantiam, initum sit validum. Imò etiam metu contractum spectato solo iure naturæ, valet, vt ostendi suprà disp. 28. num. 16. ius autem positiuum nullam hîc ponit diuersitatem. Adde, tam liberè iniri matrimonium sub conditione futura, ita vt ea posita ac sufficienter cognita, statim valeat, ac si ab initio purè iniretur. Nec enim est vlla ratio cur dicamus libertatem vllo casu magis minui quàm alio.

12 Probatur Secundò, quia, etsi consensus sub conditione non sit perfectus, sed quasi inchoatus donec ponatur conditio; hic tamen posita est omnino absolutus. quia hæc est intentio contrahentium; vt patet ex l. *Potior.* citata, & communi vsu. Dicens enim, *Do tibi ex hoc nunc talem librum, si hoc feceris*; intendit vt eo facto liber sit absolutè tuus: essetque tuus etsi dans moreretur ante conditionem impletam. Et confirmatur Primò, ex sensu verborum. Longè enim aliud significant hæc verba; *Accipio te ex nunc in meam, si cras centum dederis*; aliud verò hæc; *Accipiam te si dederis.* atqui vtraque, prout est coniuncta interno consensui, est verè practica, & efficit quod significat: ergo vtraque habet diuersum effectum. Secundùm alteram verò sententiam, idem significarent ac efficerent: scilicet obligationem ducendi illam posita conditione. Secundò; quia consensus eius qui primò verba pronuntiat semper includit hanc conditionem; *si tu etiam consenseris* & tamen statim altero consensum exprimente fit absolutus contractus, vt omnes fatentur: ergo consensus in matrimonium sub conditione futura, hac posita ac cognita habet absolutum effectum. Nec refert quòd illa conditio à natura rei insit, ideóque talis consensus communiter dicatur absolutus: Nam hoc fit, quia vsus obtinuit, vt tantùm dicatur consensus conditionatus, qui inuoluit extrinsecam conditionem, quæ contractum suspendat: quod hîc non fit. Non autem inde sequitur, consensum priorem à parte rei non esse verè conditionatum. quia verè sub onere & conditione elicitur, & manet suspensus, donec altera pars repromittat, etsi per annum eius consensus differatur: & interim eodem modo potest inualidari, sicut consensus præstitus sub conditione extrinseca.

Prioris cōsensus in cōtractum semper est conditionatus.

13 Cur matrimoniū præ aliis Sacramentis possit conferri sub conditione.

Dices Primò. Nulla alia Sacramenta possunt conferri sub conditione de futuro contingenti: ergo nec matrimonium.

Respondeo, negando consequ. quia in aliis Sacramentis positio materiæ vel formæ non potest pendere à conditione futura. Impossibile enim est, vt infusio aquæ, vel pronuntiatio formæ, ita pendeat à re futura, vt hac posita, aut non posita, illæ etiam fuerint positæ, aut non positæ. Sacramenta autem statim atque eorum materia & forma integrè posita sunt, necessariò ponuntur, vel numquam. In matrimonio verò consensus internus est pars essentialis, qui factus sub conditione ita ab ea pendet, vt ea posita, verè à parte rei completè ponatur, aliàs non. Similiter consensus externus in ratione signi ab eadem conditione pendet: nam, vt ostendi suprà n. 6. verba quibus internus consensus ita exprimitur, nihil determinatè sponsis significant, donec sciant conditionem

Matrimonium sub conditione initum hac posita non indiget nouo consensu. *Innocent. Abbas. Nauarr. Paludan. Petr. Soto.*

Matrimonium conditionatū non pendet immediatè à conditione, sed à parte sua essentiali.

esse impletam. Pendet tunc itaque matrimonium non immediatè à conditione futura, sed à parte sui essentiali, quæ ante conditionem non ponitur in esse. Sic pendet Sacramentum confessionis ab absolutione quæ potest dari diu post confessionem etiam completè factam. Vide dicta tom. 1. q. 64. & 82.

14 Dices Secundò, c. *Super eo.* 5. de condition. appositis. dicit Pontifex consensum per verba de præsenti sub conditione futura expressum, non esse habendum de præsenti. Vnde etiam infert, sic contrahentem ante conditionem impletam non esse cogendum ad contrahendum: innuens ea completa cogendum esse ad contrahendum, & consequenter opus esse nouo consensu. Confirm. quia cap. sequenti talis contractus vocatur sponsalia.

Respondeo, consensum ante conditionem positam verè non posse dici de præsenti, quia ipse nondum de facto verè est consensus, sed est futurus conditione posita. Nec ex eo quòd dicitur, talem ante impletam conditionem non cogendum ad contrahendum, sequitur ipsum ea impleta cogendum vt contrahat: sed tantùm sequitur eum contractum ante impletam conditionem nec habere vim matrimonij, nec sponsalium: & consequenter alterum non teneri ad matrimonium consummandum, vel contrahendum. Sicut non sequitur, vendens equum sub conditione, ante eam positam non tenetur eum absolutè vendere: ergo ea posita tenetur eum absolutè vendere. Argumentum enim à contrario sensu sæpè fallit, nisi aliunde eius firmitas colligatur: præsertim quando id quod infertur, supponit quandam status mutationem; nec facit ad responsionem rei propositæ vt hîc fit. Nec enim petebatur, vtrùm posita conditione, talis deberet iterum contrahere; sed vtrùm deberet matrimonium, ea non posita, consummare. Respondet autem Pontifex, talem ante conditionem impletam non esse cogendum vt contrahat. quia supponit antè non esse perfectum matrimonium: & consequenter non posse consummari, nisi priùs contrahatur. Ad confirmationem, nego assumptum. Nam ibi tantùm dicitur mulierem dixisse virum de præsenti secum contraxisse: hunc autem fassum esse se contraxisse sponsalia sub conditione futura. Vnde sequitur tantùm, eos sibi contradixisse, non autem talem contractum dici sponsalia. Adde, nihil obesse nostræ conclusioni, si talis contractus ante impleram conditionem dicatur sponsalia, cùm omne matrimonium ratum ita quandoque vocetur, vt ostendi disp. 21. initio.

Argumentum à contrario sensu sæpè fallit.

15 Conclvsio IV. Dicta conclusio etiam vera est, vbi Tridentinum est receptum. Ita Nauarr. l. 4. tit. de condit. appositis. conf. 1. num. 6. & 7. & Sanchez lib. 5. disput. 8. n. 22. Quod clarum est quando Parochus & testes non modò contractui, sed etiam impletioni conditionis interfunt. quia tunc nihil requiritur ad perfectam obseruationem formæ à Concilio præscriptæ. Sed, vt ostendi num. 4. dubitant Doctores, vtrùm hoc secundum sit necessarium ad matrimonij valorem? Sed probabilius est vtrumque requiri. De priore nemo dubitat. De secundo, prob. Primò, quia illi debent esse testes non modò inchoati, sed perfecti & absoluti contractus saltem externi: atqui hoc fieri non potest nisi interfint impletioni conditionis; quia contractus antea planè incompletus per hanc perficitur: ergo debent etiam huic interesse. Secundò, quia facilè posset alteruter negare conditionem impleram, cùm non possit in foro externo probari: & ita sequerentur omnia incommoda, quæ Concilium cupit euitari. Tertiò, quia, vt ostendi disp. 27. num. 44. ad valorem matrimonij requiritur, vt illi ita assistant vt intelligant quid agatur, siue sponsos hîc & nunc in præsens matrimonium consentire: arqui, vt ostendi suprà nu. 6. ad hoc non sufficit vt audiant eos consentientes sub conditione, nisi sciant etiam conditionem esse impletam: ergo hoc etiam est necessarium.

Nauarr. *Sanchez.*

Parochus & testes debent etiam interesse impletioni conditionis.

Nec refert quòd dicti non debeant esse testes absoluti valoris matrimonij, ideòque hoc valeat, etsi illi non videant literas dispensationis inter consanguineos. quia aliud est, esse testem externi contractus in genere suo completi, aliud esse testem valoris ipsius: & illud dicimus requiri, hoc non. Posito enim quòd ille exteriùs legitimè factus sit, præsumitur factus ab habentibus potestatem, & personis legitimis, donec probetur contrarium. & volentis resilire est hoc probare, ostendendo dispensationem, aut commissionem procurationis esse nullam. Conditio autem non præsumitur completa, donec de ea constet, & consequenter id asserentis est probare. Confirmantur hæc omnia ex dictis disp. 24. n. 79. vbi ob eandem rationem ostendi, vt Parochus validè assistat procuratoribus, debere ei constare de mandato iis dato. Quare etsi Ecclesia conscia primi contractus fortè non permitteret iniri secundum, donec sciret conditionem defecisse; tamen si de facto contraheretur, pro hoc iudicaret, donec constaret conditionem suo tempore priùs impletam fuisse. Ex quibus patet responsio ad argumenta allata n. 4.

16

17 Hîc tamen Notandum Primò, videri omnino sufficere, siue conditio sit præterita, siue futura, vt contrahentes dum sciunt eam esse impleram, id coram Parocho & testibus fateantur. Quia hoc ipso apertè significant se velle suum consensum esse omnino absolutum & purificatum.

Secundò, talia matrimonia non esse facilè permittenda: tum quia parum decent dignitatem Sacramenti; tum etiam quia ex iis facilè lites ac difficultates oriri possent: præsertim ob varias Doctorum hac in re sententias.

18 Conclvsio V. Consanguinei validè contrahunt sub hac conditione, *Si Pontifex dispensauerit*: & conditionis impletione ab iis cognita, eodem modo matrimonium est ratum, ac si habiles sub alia conditione contraxissent, iuxta dicta concluf. 3. Ita Couar. l. 4. decret. p. 2. c. 3. initio num. 9. & P. Sanchius l. 5. disp. 8. num. 10. Ratio est, quia tales, dum eorum consensus est omnino completus, ac contractus purus, per dispensationem sunt absolutè facti habiles ad contrahendum. Cùm igitur tales tunc primùm absolutè contrahant, contractus verè celebratur inter personas habiles; ac consequenter validè. Ex quo patet solutio argumenti positi nu. 3. pro secunda sententia. neganda enim est minor.

Couarr. *Sanchez.*

19 Conclvs. VI. Quæ dicta sunt de matrimonio eodem modo locum habent in sponsalibus. quia eadem est ratio: hoc excepto, quòd nulli hîc testes necessarij sint.

Notandum tamen, si contrahentes eiusmodi sponsalia vel matrimonium, ante conditionem impleram se mutuò cognoscant, Ecclesiam præsumere eos recessisse à conditione, & voluisse esse contractum absolutum. Et consequenter vbi Trident. non est receptum, iudicat esse verum matrimonium: nec vllam probationem admittit in contrarium, iuxta c. *Per tuas* 6. & c. *De illis.* 3. de condit. appositis.

20 Conclvs. VII. Si quis contrahat cum duabus sponsalia sub conditione futura contingenti, priùs contracta conditione impleta erunt valida, etsi secundorum conditio priùs impleatur. quia talis invalidè secunda contraxit donec primorum conditionem sciebat defecisse. Quare hæc nunquam poterunt esse valida, etiamsi priora ob defectum conditionis defierint omnino obligare: nisi fortè ratione damni quod aliàs sponsæ inde sequeretur (vide dicta

disp. 22. n. 43. & disp. 23. num. 29.) aut nisi secunda fuissent contracta sub conditione, *Si priora desierint obligare.* Tunc his desinentibus obligare, illa essent valida.

Si verò ita cum duabus contraxit matrimonium, illud erit validum, cuius conditio priùs implebitur, siue id primò contractum sit, siue secundò, modò contrahens neutrum cõsensum reuocarit, sed velit quantum potest, vtrumque esse validum. Quia validè quis contrahit matrimonium, etsi alteri sit obligatus. Quòd si ante impletam conditionem alterius contractus consensum reuocasset; tunc alter esset validus impleta conditione, etsi posteriùs impleretur. Nam illud matrimonium, in quod contrahens ante impletam conditionem omnino desiit consentire, nullo modo potuerit esse validum, iuxta dicta suprà numero 10. Quare alterum, in quod pergit consentire, eodem modo se habet ac si solum esset contractum.

Quòd si vtraque conditio simul implerentur, tunc neutrum matrimonium esset validum, quia se mutuò impedirent, & in neutrum esset determinatus consensus. quia nulla esset ratio cur magis consentiret in vnum, quàm in alterum. Vide dicta in simili tomo 1. q. 67. num. 39.

21 Fatentur aliqui, ea quæ dixi, esse quidem vera in matrimonio, negant tamen quæ dixi de sponsalibus. quia hoc ipso quo aliquis ita contrahit secunda sponsalia, si conditio his adiecta priùs eueniat, cùm talis tunc absolutè in hæc consentiat, omnino reuocat consensum in priora sponsalia: atque ita hæc non possunt consistere deficiente consensu à quo essentialiter dependent, sicut dixi num. 10. de matrimonio. Sed contrarium puto probabilius. quia (vt dixi disp. 21. initio) sponsalia nihil aliud sunt, quàm mutua matrimonij promissio, siue mutua ad contrahendum matrimonium obligatio, ex tali promissione orta; hîc autem posita conditione vtrumque ponitur. Nam vtraque promissio conditionata transit in absolutam, & vtrimque oritur obligatio ad matrimonium, vt etiam alij fatentur: ergo ponuntur vera sponsalia. Ita Ledesma apud Sanchez l. 5. disp. 8. nu. 17.

Ledesma, Sanchez.

Nec obest quòd alter ante impletam conditionem consensum reuocet. quia sicut iniustè, ita etiam inualidè id fecit. nam si id fecisset validè, impediuisset effectum illius, scilicet obligationem ad matrimonium: sicut qui contraxit matrimonium sub conditione futura, si antequam hæc ponatur, consensum suum reuocet, impedit illius contractus effectum, scilicet translationem dominij corporum. Vnde patet sponsalia sub conditione contracta non ita pendere à continuatione consensus, sicut matrimonium ita contractum. Quòd si tamen alteruter ante impleta sponsalia iustè consensum reuocet, sicut tunc nulla nascitur obligatio, ita etiam nulla sunt sponsalia.

Sponsalia cõditionata non ita pendent à continuatione consensus sicut matrimonium.

DVBIVM II.

Quâ ratione valeant sponsalia vel matrimonium contractum sub his conditionibus, Si Deo, Ecclesiæ, vel parenti placuerit, si Pontifex in impedimento dispensauerit, si baptizatus fueris, &c.

22 NOta, quasdam esse conditiones iure positiuo, vel naturæ ita intrinsecas contractui matrimonij, vt eius valor non possit ab iis non dependere · quales sunt, *Accipiam te in meam si vixerimus, si Deus permiserit, si non fuerit impedimentum dirimens inter nos, &c.* Circa quæ Prima hîc est difficultas, Quid tales conditiones in contractu expressæ operentur? Quidam apud Sanchez l. 5. disp. 1. dicunt eas contractum nullo modo reddere conditionatum. Probant ex l. *Conditiones.* 99. & l. *Aliquando.* 107. ff. de condition. & demonstr. Sed in priore lege potiùs contrarium insinuatur. quia tantùm dicitur, conditiones quæ non expressè, sed solùm tacitè insunt testamento, non reddere hoc conditionatum: vnde colligitur reddituras conditionatum si exprimerentur. In secunda verò dicitur, legatum sub hac conditione, *si hæreditatem adierit*, scilicet hæres, esse purum. quia scilicet iure inest. *Sanchez.*

Contra hæc tamen faciunt l. *Seruo.* 47. eodem tit. vbi dicitur, *Sæpenumerò mutatur effectum, quamquam id expresserit testator; quod etsi non feciſſet, ineſſet tamen. &* l. *Si ita legatum.* 65. §. *Illi.* de legatis. Vbi dicitur, *Aliud est enim iuris, si quid tacitè continetur: aliud si quid verbis exprimatur.*

Respondent illi, tam l. *Aliquando.* citatam, quàm suam regulam intelligendam, quando conditio eo modo exprimitur, quo iure inest. Alias verò leges intelligendas, quando illa aliter exprimitur, quàm iure inest. Vnde inferunt, si quis dicat, *Contrabo tecum si fumus ad hoc habiles*; contractum esse purum, & statim valere si subsit conditio, quia ipsa exprimitur sicut iure inest. Secùs esse, si dicat, *Contrabo tecum si Ecclesiæ placuerit.* quia hoc ita intelligendum est, si Ecclesia repererit nullum inter nos esse impedimentum.

Sed hæc mihi satis difficilia videntur, Primò, quia difficulter possunt aptari verbis legum. Secundò, quia nihil assignatur ex quo possimus colligere quando aliqua conditio priore modo, quando verò secundo modo fuerit adiecta. Et inter exempla assignata, nullam video rationem, quare vna conditio potiùs hoc modo fuerit adiecta quàm alia.

Vt igitur hæc clariora sint, Nota Primò, quando certum est qua intentione contrahentes conditionem adiecerint, huic esse standum. Secundò, quando id non ita liquet, hoc spectandum esse ex fine ob quem eam adiecerint, iuxta dicta in simili disp. 27. num. 35. Tertiò, dictas conditiones esse duplices. Aliquæ enim ita necessariò insunt, vt ijs deficientibus partes ne quidem possint conari contractum perficere: ita vt clarè appareat contrahentes si seriò agere voluerint, vix potuisse intendere aliquid noui per illatum adiectionem operari. Tales sunt hæ, *Ducam te cras, si vixerimus, si Deus non impedierit, si alteruter non fiat omnino amens*, &c. Cùm enim in his nulla sit iusta causa cur contrahentes velint suum consensum suspendi, nisi de contrario constet, censendi sunt id non voluisse. Aliæ verò sunt, quibus deficientibus partes etsi inualidè, possunt tamen adhuc conari contractum perficere. quia nimirum aut ignorant eas deficere, aut vt exteriùs saltem videantur contraxisse. Talis est hæc, *Contrabo tecum si non sit inter nos impedimentum dirimens.* Et bona fide agentes optimo fine hanc conditionem adiiciunt, ne si fortè subsit impedimentum, aut consenserint, aut videantur consensisse in matrimonium sacrilegum, atque ita exteriùs puniantur.

23 *Vnde colligendum sit an conditio apponatur ad suspendendum consensum.*

Quare in eo casu, nisi aliunde constet de contrario, contrahentes iudicandi sunt velle suum consensum esse conditionatum, nec transire in absolutum, donec sciant an subsit impedimentum. Confirmatur Primò, quia ipsa verba per se expressè significant consensum tantùm ferri in obiectum sub illa conditione: & cùm, vt ostendi, hîc sint iustæ causæ cur contrahentes velint solùm sub conditione consentire, & nulla est ratio aut circumstantia, cur hîc & nunc significent consensum absolutum: ergo dicendum est ea in eo casu solùm significare consensum conditionatum. Secundò, quia, vt communiter DD. fatentur,

24

Sanchez. & benè docet P. Sanchius l. 5. disp. 1. numero 14. qui scienter cum sua consanguinea contraheret sub conditione, *Si non sit impedimentum dirimens inter nos;* non incurreret excommunicationem latam Clement. vn. de consanguinitate. Sicut qui semel baptizatum rebaptizaret sub conditione, *Si non es baptizatus*, non fieret irregularis: cùm tamen eas pœnas incurreret, si eam conditionem omitteret. Cuius non est alia causa, quàm quia verba illa apposita significant intentionem solùm sub conditione ferri in obiectum. Quòd si tamen scienter ita contrahentes postea consummarent matrimonium, excommunicationem incurrerent. quia ostenderent se a conditione recessisse, iuxta dicta num. 19.

25 Conditiones cõmuniter aliò sensu exprimuntur quàm iure insint.

Ex quibus patet Primò tales conditiones communiter aliter apponi, quàm de iure insunt. Quia de iure solùm insunt, vt impediant effectum ipsius contractus: exprimuntur autem, vt significetur consensum solùm sub conditione ferri in obiectum.

Sequitur Secundò, quando aliqui contrahunt sub expressa conditione, *Si non simus consanguinei*, contractum manere suspensum donec sciant se non esse consanguineos. Patet ex dictis suprà num. 6. Idémque dicendum est de his conditionibus, *Si Deo gratum fuerit*, *si Deo* vel *Ecclesiæ placuerit.* quia idem significant atque hæc, *Si nullum subsit impedimentum*, siue *si licitè possimus contrahere.* In his enim casibus suspenditur contractus, donec probabiliter sciant nullum subesse impedimentum.

26 Secunda difficultas est, quid operetur hæc conditio, *Si patri placuerit?*

Vbi Nota Primò, eam posse apponi, vt significet requiri consensum patris vel de præsenti, vel de futuro. Item fieri posse vt pater primò consentiat, & postea dissentiat: vel contrà.

Soto. In priore casu, Soto in 4. d. 29. q. 2. a. 1. concl. 2. air, si pater tunc dissentiat, matrimonium statim esse inualidum: contrà verò ipsum statim esse validum, si paret verè in illud consentiat, etiamsi sponsi hoc ignorent. Sed ex dictis num. 6. patet, verius esse contractum suspendi, donec sponsis constet de voluntate patris. quia priùs eorum verba non significant determinatè consensum vel dissensum: statim autem atque ipsi cognoscunt patris voluntatem, contractus est vel validus vel irritus, prout pater consentit, vel dissentit: nec curandum quid postea faciat.

27 *Henric. Silvester.* In secundo casu Nauarrus cap. 22. nu. 63. Siluester v. *Matrimonium.* 3. q. 4. dicto 3. cum quibusdam aliis air, si pater primò dissentiat, & postea consentiat, valere contractum. Argumenta autem, quibus id probant, non sunt multùm efficacia. Sotus verò suprà art. 3. v. *Rogas autem.* & Rosella v. *Matrimonium.* 5. numero 4. aiunt, si pater re cognita primò consenserit, matrimonium valere. quia conditio verè ponitur, & consequenter contractus purificatur, & fit absolutus: quare per sequentem dissensum nequit inualidari. Quod certum credo, si sponsi hoc faciant; nec alij negant. Quòd si verò primò dissenserit, aiunt contractum statim esse irritum: quia deficit conditio. Confirmatur Primò, quia tunc statim pars licitè posset resilire. Secundò, quia l. *Boues.* 89. π. de verborum significatione, dicitur: *hoc sermone, Dum nupta erit, primæ nuptiæ significantur*: ergo hîc similiter illa conditione significatur prima partis dissensio, vel assensio. Item l. *Hæc conditio.* 29. π. de condition. & demonstr. dicitur, *hæc conditio, Si Capitolium ascenderis, sic accipienda est, si, cùm primùm potueris, Capitolium ascenderis.*

Sotus. Rosella.

Sed hæc lex non facit ad rem, quia aliàs probaret conditionem deficere, nisi pater statim re intellecta consentiret. Prior etiam non conuincit. quia in eo casu est particularis ratio. Nam cùm nuptiæ non nisi alterius morte soluantur, nisi per illam conditionem primæ nuptiæ intelligerentur, impletio conditionis deberet tota vita differri: quod absurdum esset. Confirm. igitur Tertiò, quia aliàs partes deberent exspectare donec pater moreretur; quia tam diu posset semper exspectari ipsius consensus.

Et hanc sententiam, si verba in rigore spectentur, credo esse veram. quare statim ac partes sciunt patrem rogatum dissentire, vtraque potest sine vlla alterius iniuria resilire. Spectato tamen communi ita contrahentium sensu, qui communiter intendunt absolutè talem contractum inire, si quæ ratione patris bona venia id facere possint: ipsi videntur non ita strictè ea verba accipere: sed velle obligationem manere quamdiu intra breue saltem tempus, est spes patrem posse facilè ad cõsensum inflecti. Cuius signum est, quod pergant vrgere consensum, quamdiu sperant obtinere. Si igitur ipsi perseuerent in priore voluntate, & pater paulò pòst consentiat, credo contractum valere. Quia, vt patet, consensus est sufficiens, & satis etiam exteriùs exprimitur, tum per priora verba; quæ ex communi intentione satis apertè eum sensum admittunt: tum etiam per hoc ipsum, quòd patris consensum aut pergunt sollicitare, aut postea acceptant. Statim tamen atque desperant posse eum obtineri, aut non nisi cum eius offensione, ita vt nolint eum ampliùs rogari, deficit conditio. quia vlteriùs non intenderunt consensum extendere; alioqui deberent perpetuò manere suspensi. Confirmatur Primò, quia si duo contraherent sub hac conditione, *Si Pontifex in impedimento dispenset*, mitteréntque procuratorem, qui primò patereturrepulsam, & deinde meliùs causam proponens, obtineret, non videtur dubium contractum valere: atqui noster casus est talis: ergo, &c.

28 Quis sit sensus huius conditionis *si pater consenserit.*

Secundò, quia conditio illa eumdem videtur habere sensum, ac si diceret, *Contraho tecum, si possis patris mei consensum obtinere*: atqui in hoc casu etsi parens initio negasset, & tamen secundò vel tertiò intrà breue tempus rogatus, omnino lubens consentiret, valeret contractus. quia verè ille potuisset obtinere consensum, nec posset absolutè dici id non potuisse: ergo etiam in altero casu valet; atque ita videntur posse conciliari sententiæ suprà citatæ.

29 *Sanchez.* Vt autem hæc clariora fiant, Nota cum P. Sanchez lib. 5. disp. 7. num. 12. ita contrahentes talem conditionem communiter ideo solùm apponere, ne parentes, sine eorum consensu contrahendo, offendant. Quare non tam exigunt vt pater positiuè faueat, quàm ne ægrè ferat, siue offendatur: quare iis sufficit, eum nullo modo repugnare. Vnde ipse ibidem numero 19. benè infert, tale matrimonium valere, etsi pater sit mortuus. quia tunc repugnare non potest: quod contrahentes maximè quærunt. Vnde supradicta confirmantur. quia hoc ipso quo pater breui tempore aliquoties rogatus liberè consentit, sufficienter obtinetur conditio ab iis requisita, scilicet, ne pater nuptiis offendatur. His positis sit.

30 CONCLVS. I. Contractus hoc modo initus, *Ducam te si vixerimus, si Deus non impedierit*; est ab initio absolutus. quia conditio non aliter apponitur quàm per se insit. Secùs est de hoc, *Ducam te*, vel *accipio te in meam, si nullum subsit impedimentum dirimens, si Deo* vel *Ecclesiæ matrimonium placuerit.* Quia conditio apponitur ad suspendendum consensum, donec ipsa cognoscatur impleta: vt patet ex dictis.

31 CONCLVSIO II. Ita contrahentes, *Contraho tecum, si patri placuerit*; suspendunt consensum, donec sciant contractum patri non displicere. quo posito, ille statim fit absolutus. siue pater viuat, siue non: aut donec intelligant patrem non posse induci vt matrimonium permittat. tunc enim contractus est irritus.

Secus esset in hac conditione, *Si pater ostenderit sibi placere.* Quia tunc requiritur aliquis actus positivus quem mortuus præstare non potest, nisi ex adiunctis constaret alium esse contrahentium intentionem.

32 Conclvsio III. Contrahens cum non baptizata sub conditione, *si baptizetur*, statim ac scit hanc baptizatam esse, contractus valet. ita auctores citati num. 18. Secùs esset si absolutè contraheret, quia consensus ferretur in materiam incapacem, & esset omnino irritus: atque ita contractus non posset convalescere, etiamsi postea materia fieret capax, nisi novus accederet consensus. In primo autem casu consensus fertur in materiam capacem. quia non est absolutus donec materia capax est. Vide dicta suprà n.18. & disp.22.n.43.

33 Concl. IV. Idem dicendum de consanguineis contrahentibus sub conditione, *Si Pontifex dispenset.* Quia est eadem ratio, & vtrobique conditio est honesta. Intellige tamen, si modò subsit talis causa vt Pontifex possit sine vllo peccato dispensare, & contrahentes dispensatione licitè vti possint. Aliàs sponsalia saltem essent inualida. quia obligarent ad id quod legitimè fieri non potest: vt si sponsi non possent contrahere sine aliquo scandalo aut si in gradibus præsertim propinquis nulla esset ratio dispensandi. Tunc enim esset aliqua inordinatio eam dare, eáve vti contra generalem Ecclesiæ consuetudinem. Quòd si in hoc casu contractus conditionatus fuisset matrimonium, maius est dubium, pendétque à sequenti disputatione.

34 Dices, Hæc conditio, *Si Pontifex dispenset*, pendet à voluntate Principis, & consequenter in Iure censetur impossibilis, vt habetur l. *Apud Iulianum*, aliàs, *Idem Iulianus.* 4. §. final. ff. de legatis. atqui conditio impossibilis de Iure habetur pro non apposita, atque ita contractus fit absolutus. Absolutè autem contrahentes in hoc casu nihil agunt: ergo talis contractus est nullus. Respondeo, maiorem tantùm esse veram in casu quo Princeps non solet consentire, vt ibidem additur: secùs vbi solet consentire, vt in nostro casu. Et confirmatur, quia ineuntes pactum absolutè de resignatione Beneficij cum pensione, inualidè & simoniacè id faciunt. Sub conditione autem, *Si Pontifex approbauerit*, licitè hoc faciunt: ergo idem est in nostro casu.

Quando censeatur conditio pendens à Principis voluntate ĩ impossibilis.

35 Nota, Armillam v. *Sponsalia.* n.11. docere, promittentem consanguineæ matrimonium, *Si Pontifex dispenset*, teneri procurare dispensationem. quia hoc est accessorium, sine quo matrimonium fieri nequit. Obligatus autem ad aliquid, obligatur ad eius accessorium, sine quo hoc fieri non potest.

Armilla.

Nauarr. Promittens matrimonium si Papa in impedimento dispenset: nõ tenetur dispensationem procurare.

Vetiùs tamen Nauarrus lib. 4. consil. tit. de sponsalibus consil.25. in 1. editione, negat eum ad hoc teneri, idque etiam eo casu quo ipse sub ea spe alteram defloraverit, & habuerit animum impetrandi dispensationem, modò hunc nulla ratione exteriùs expresserit. Quia non potest obligari ad accessorium, nisi obligetur ad principale: atqui non obligatur ad principale ante dispensationem factam: ergo nec ad accessorium. Nec præcisè ex promissione matrimonij magis potest colligi eum promittere procurationem dispensationis, quàm eum promittere procurationem consensus paterni, qui contrahit cum aliqua, *Si pater eius consentiat.* Censeretur autem tacitè hoc casu promisisse eam procurationem, si antè dixisset se facilè posse eam impetrare, & ea spe alteram ad copulam attraxisset. Et hoc casu credibile est, eum teneri vt vel suis, vel saltem communibus expensis, quantum poterit, procuret dispensationem. quia per talia verba apertè dedit fœminæ spem procurandi dispensationem, eáque spe eam induxit ad consensum. Æquum tamen est, hanc partem sumptuum ferre, cùm ipsius res maximè agatur. Aliàs cessante omni alia promissione, præcisè ex tali contractu neuter tenetur procurare dispensationem, sed hoc ei incumbit facere, qui cupit contractum perfici. quia eius res propriè agitur.

Secluſa promiſſione illius

Procurare dispensationem qui cupit cõtractum perfici.

DVBIVM III.

An matrimonium aut sponsalia inita sub conditione contraria substantiæ matrimonij, turpi, vel impossibili sint valida?

36 Difficultas hîc præcipuè est propter c. fin. de condition. appositis. vbi dicitur Primò, conditiones substantiæ matrimonij contrarias, ei appositas ipsum irritare. Secundò, turpes vel impossibiles ei adiectas, in fauorem matrimonij haberi pro non appositis; atque ita contractum censeri omnino purum. Circa priorem partem difficultas est cur tales conditiones potiùs irritent matrimonium, quàm turpes vel impossibiles?

In secunda verò videtur valdè difficulter intelligi quomodo sub tali conditione contrahens possit censeri absolutè contrahere, cùm verba cõtractus expressè significent eum nolle consentire? Vnde l. *Non solum.* 31. ff. de act. & obligat. de ita contrahentibus dicitur: *Quorum procul dubio in huiusmodi actu talis cogitatio est, vt nihil agi existiment apposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem.* In huius igitur textus explicatione valdè variæ sunt Doctorum sententiæ, quas fusissimè refert & explicat P. Sanchius lib.5. disp.3.4.9. & 15. quem qui eas videre cupit consulat. Rem ipsam hîc breuiter explicabo.

Sanchez

37 Matrimonium essentialiter tria includit.

Nota Primò ex dictis disp.24. num. 40. matrimonium ex Dei institutione essentialiter includere, Primò, perpetuum vinculum, quod præsertim post consummationem nullo modo possit dissolui. Secundò, mutuam fidem, siue obligationem non adulterandi, & reddendi debitum quoties alter coniux hoc legitimè petet. Tertiò, obligationem non impediendi generationem, & Christianè educandi prolem, si nascatur. Quæ fusiùs explicui dicta disput. 24. vbi etiam ostendi omnem intentionem aut obligationem his ita repugnantem, vt non possit cum iis consistere, irritare ipsum contractum matrimonij.

Contrahe tecum si hoc feceris, duplicitet potest accipi.

Nota Secundò, hæc verba, *Contraho tecum, si sterilitatem procuraueris, aut corpore questum feceris*: dupliciter posse accipi. Primò, omnino propriè, ita vt suspendant consensum, donec conditio sit impleta, vt contrahens nolit matrimonium esse contractum, donec fœmina ista fecerit. Secundò, vt significent idem atque hæc, *Contraho tecum ea conditione vt sterilitatem procures, te adulterandam præbeas*, &c. siue vt te iam obliges, vt illa facias. Et hic videtur communior sensus ita contrahentium. Nam intendunt vt matrimonium statim valeat, eóque vt valido vtuntur. Et necessariò ita intelligenda est hæc conditio, *Si te adulterandam præbeas.* Nam adulterari nequit nisi iam nupta.

38 Conclvs. I. Iure naturæ supposita præsenti matrimonij institutione, inualidè ita contrahis: *Accipio te in meam, donec te pulchriorem aut ditiorem inuenero.* quia contrahentes necessariò aut nullum, aut perpetuum vinculum contrahunt, nisi alteruter velit Religionem ingredi. Hoc autem cum tali conditione nequit consistere. Idémque dicendum de his contractibus, *Accipio te in meam, si priùs ad exequias meas veneris; Vel si tota vita tua non mentiaris*, &c. quia supponunt matrimonium contrahendum post alterius mortem.

39 Conclvs. II. Idem dicendum est de his contractibus

tractibus, *Accipio te in meam, si sterilitatem procuraueris, si corpore quæstum feceris*, &c. si modò accipiantur secundo modo ex dictis num. 37. quia directè repugnant obligationi essentialiter in matrimonio inclusæ : vt patet ex dictis num. 37. eámque omnino elidunt, & consequenter etiam ipsum matrimonium.

Vnde patet Primò, hunc contractum, *Accipio te in meam, ita vt non tenear seruare matrimonij fidem*, vel, *si postea te adulterandam præbeas, si prolis generationem perpetuò impedias, aut natam eneces*; semper iure naturæ irritare matrimonium. quia absolutè significant obligationem illa faciendi post contractum matrimonium, quæ ipsius substantiæ directè repugnant.

Patet Secundò etiam ethnicos hoc modo inualidè contrahere. quia etiam ipsi obligantur iure naturæ.

40 Conclvsio III. Validè ita contrahis, *Accipio te in meam si iam antè sterilitatem procuraueris.* Ita Couar. 4. decret. p. 2. c. 3. §. 1. nu. 9. Paludan. in 4. d. 29. q. 2. a. 5. concl. 1. P. Sanchez libr. 5. disp. 9. n. 6. Quia non repugnat matrimonio procurasse sterilitatem, sed velle se obligare ad eam stante matrimonio procurandam.

Couar. *Palud.* *Sanchez.*

Idem spectato solo iure naturæ dicendum de hoc contractu, *Accipio te in meam, si in posterum sterilitatem procuraueris*, si contrahentes suspendant consensum, donec hæc procurata sit. Quia tunc non inducitur obligatio contraria matrimonio, quæ cum ipso debeat consistere, sed prærequiritur procuratio sterilitatis tamquam conditio ante cuius positionem matrimonium non sit ponendum. Credo tamen in odium tam peruersæ intentionis c. finale etiam tales contractus irritare. Et hoc modo posset conciliari Sanchius suprà num. 9. vbi dicit tales contractus esse irritos, cum aliis quos ibidem citat, qui dicunt eos esse validos.

Sanchez.

41 Concl. IV. Contrahentes matrimonium sub conditione turpi, vel impossibili, si verè intendant nullo modo contrahere nisi ea posita ; nullo modo contrahunt matrimonium antequam ipsa ponatur, & consequenter numquam si impossibilis sit siue ab initio nouint esse impossibilem, siue non. Quia matrimonium nullo modo potest subsistere sine consensu contrahentium, qui conditione non posita omnino deficit. Et in hoc DD. communiter consentiunt. Estque hæc conclusio vera non modò in foro interno, sed etiam in externo, quando de veritate intentionis contrahentium constat. Ex quo patet, quando contrahentes credebant conditionem fuisse honestam ac possibilem, præsumendum esse eos seriò voluisse eam adijcere. quia nulla est ratio præsumendi contrarium.

42 Conclvsio V. Quoties tam in foro interno, quàm externo omnibus consideratis dubium est, vtrùm contrahentes eam conditionem seriò, an verò solùm ioco adiecerint, præsumendum est solùm ioco adiecisse : idque tum in fauorem matrimonij, quia, vt patet ex c. finali de sent. & re iudicata, in dubio semper pro eius valore iudicandum est (& sic intellige c. fin. num. 36. citatum) tum etiam, quia nemo præsumitur aut velle peccare, aut in re adeò graui ac sancta velle nugari, ac suum actum reddere irritum. Quod maximè verum est, quando contrahentes norunt dictam legis dispositionem. quia tunc secundùm eam censentur velle contrahere : nisi de contrario constet.

Lessius. Vide Lessium de Iustit. cap. 18. disputat. 15. numero 122.

DVBIVM IV.

Quid operetur causa, demonstratio, dies vel modus adiecta contractui sponsalium vel matrimonij?

Conclvsio I. Promittentes sibi mutuo inire inter se matrimonium post vnum annum, statim contrahunt sponsalia. quia statim obligantur vt elapso anno matrimonium ineant. 43

Conclvsio II. Dies adiecta matrimonio per verba de præsenti, statim vt aduenit, efficit illud ratum non antè. v. g. dicens, *Accipio te in meam & in meum post tres dies* ; statim lapso tertio die sunt coniuges, nisi interim reuocent consensum. Quia dies ita adiectus similiter suspendit contractum atque conditio. Nam sicut contrahens sub conditione futura non vult contractum esse perfectum antequam ponatur conditio : ita contrahens dicto modo in diem, intendit vt contractus non sit perfectus ante illum diem. Et sicut conditio postea adueniens & cognita partibus, his significat vtriusque consensum iam esse absolutum, & ita contractum perficit : ita etiam dies aduenies, ita vt contractus pro hoc tempore sit omnino perfectus, & incipiant esse coniuges. Hæc tamen est differentia, quòd conditio cùm possit esse & non esse, efficit vt partium consensus sit adhuc ambiguus, nec habeat magis rationem absoluti consensus, quàm dissensus : dies verò cùm certò sciatur ventura, efficit consensum ab initio determinatum & absolutum, sed qui ante tale tempus non sit perfectus & sufficiens vt causet suum effectum. Vnde si alteruter ante diem constitutum moreretur, aut reuocaret consensum, nunquam inter eos esset matrimonium. Vnde hic contractus similis est donationi mortis causa factæ : nisi quòd hæc licitè ante mortem reuocetur ; ille verò, nisi iusta subsit causa, illicitè reuocetur. Quòd si tamen accideret causa sufficiens ad irritanda sponsalia, licitè reuocaretur. 44

Dies adiecta suspendit consensum.

Differentia inter adiectam conditionem, & diem.

In quo conueniant ac differant contractus in diem, & donatio mortis causa.

Conclvs. III. Demonstratio, vel causa adiecta matrimonio, non suspendit illud, nec vitiat, etsi falsa sit. v. c. *Contraho tecum quæ es nobilis, vel quia dives es*; valet contractus, etsi ignobilis & pauper sit : nisi supponat errorem personæ vel conditionis, vt si putet esse Catharinam, vel liberam, cùm sit Paula, vel seruta. ita ex Paludano Siluester *Matrimonium.* 3. in fine. Sotus in 4. d. 29. q. 2. a. 1. concl. 1. Probatur, quia illa non determinant obiectum contractus, nec designant consensum in illud ferri sub aliqua conditione (aliàs non different à conditione : quod est falsum) sed tantùm exprimunt opinionem contrahentis circa tale obiectum, & causam quæ eum mouet ad contrahendum. 45

Paludan. *Siluester.* *Sotus.*

Demõstratio adiecta quid valeat.

Nec refert, quod non contraheret si sciret sponsam non esse talem : quia voluntas sub conditione ponenda, nihil operatur in re, nec impedit quin modò absolutè velit, licet ex errore, qui non vitiat matrimonium, nisi sit circa personam, aut conditionem libertatis.

Conclvs. IV. Modus adiectus matrimonio vel sponsalibus si sit rei possibilis & honestæ, nec contrariæ substantiæ matrimonij, nec vitiat illud, nec suspendit. Est certa & communis. 46

Difficultas autem est, quando modus inuoluit aliquid impossibile vel turpe, vel contra substantiam matrimonij. v. c. *Contraho tecum vt das mihi montem aureum, vt mecum fureris, vt procures sterilitatem.* Sanchez l. 5. disput. 19. dicit duos primos modos haberi pro non adiectis, & contractum esse validum, tertium verò illum irritare.

Sanchez.

Pro quo Nota, modum variis modis apponi.

Modus variis modis apponitur, & quã vim habeat.

Primò, vt is cui aliquid datur, excitetur ad aliquid faciendum. *sic* parens dat filio libros vt diligenter studeat, non tamen intendens eum strictè obligare, aut aliàs irritare donationem. Secundò, limitando potestatem vtendi re donata. *sic* accipiens à patre pecunias vt persoluat didactra, contra iustitiam alia ex iis comparat. Tertiò, vt obligetur pars ad aliquid faciendum: vt do tibi decem vt res meas cures.

Primo modo solet apponi, quando apponitur in solam commoditatem eius, per quem implendus est. Secundo verò & tertio modo, quando in vtilitatem eius, qui eum apponit, adiscitur.

47 Conclvs. V. Spectato solo iure naturæ modus contrarius substantiæ matrimonij primo modo adiectus, illud non irritat. quia talis modus non aliter repugnat matrimonio, quàm intentio tale quid faciendi, quæ tamen non irritat matrimonium, vt ostendi disputat. 24. dub. 4. Non est tamen improbabile talem contractum iure positiuo esse irritum. quia c. finale citatum, videtur omnes tales contractus irritare.

Conclvs. VI. Probabilius est talem modum secundo & tertio modo adiectum iure naturæ irritare matrimonium. quia adijciens non intendit contrahere matrimonium, nisi cum obligatione ad illa facienda, quæ directè repugnat essentiæ ipsius matrimonij. Vtraque conclus. apertè colligitur ex Soto in 4. d. 29. q. 2. a. 1. concl. 1. *Soto.*

DISPVTATIO XXX.

DE

IMPEDIMENTIS MATRIMONII IN GENERE.

DVBIVM I.

Quinam possint impedimenta matrimonij inducere, præsertim dirimentia?

1 HAc in re certum est Primò, summum Pontificem posse sua lege eiusmodi impedimenta inducere. Patet ex praxi Ecclesiæ, quæ errare non potest. Quomodo autem cum hac doctrina consistat, quòd Ecclesia non possit aliquid immutare circa essentialia Sacramentorum, satis ostendi disputatio 27. num. 7.

Secundò certum est, Pontificem hoc illicitè facturum sine iusta causa. quia irrationabiliter subditos grauaret. disputant tamen aliqui, vtrùm hoc validè faceret. Sed cum P. Sanchio l. 7. disp. 1. num. 6. multò probabilius credo, eum hoc inualidè facturum. quia, vt ostendi disp. 7. num. 36. Superiores tam ciuiles quàm Ecclesiastici nullam habent potestatem ferendi leges, nisi in vtilitatem communitatis. Quare omnino inualidè ferunt leges communitati omnino inutiles, atque adeò noxias, qualis illa lex esset. *Sanchez.*

2 Dubitatur igitur Primò, vtrùm Principes sæculares habeant potestatem inducendi impedimenta matrimonij? Quidam id absolutè negant. Primò, quia matrimonium est Sacramentum, circa quod sæculares nihil possunt constituere. Secundò, quia c. *Tuam.* 3. de ordine cognitionum. dicitur, causas matrimoniales ad solum forum Ecclesiasticum pertinere. Ita Richardus in 4. d. 42. articul. 2. quæst. 2. in corpore, & fauent Paludanus ibidem quæst. 1. artic. 2. concl. 1. Sotus quæst. 2. artic. 2. ad 2. sed hic alibi contrarium tenet. *Richard. Paludan. Sotus.*

3 Secunda difficultas est, Vtrùm Episcopus possit talia impedimenta inducere? Quidam dicunt spectato solo iure diuino, eum hoc posse *in* sua diœcesi, quia Episcopus in ea potest, quidquid Pontifex per totum orbem, nisi hoc ei prohibeatur. Addunt tamen Pontificem hanc potestatem sibi soli reseruasse. ita Victoria & Ledesma apud Sanchez l. 7. disp. 1. nu. 9. Sed illud fundamentum à multis negatur, illúdque allatis variis instantiis refutat P. Suarez tom. 5. disp. 7. sect. 4. num. 5. Et potest clarè refutari ex iis, quæ dixi disput. 8. num. 19. & disp. 20. num. 27. vbi ostendi Episcopos iure diuino non habere actu determinatam potestatem iurisdictionis, sed eam iure Ecclesiastico à Pontifice accipere: nec habere maiorem quàm hic concedat. Quare vt hanc vel illam potestatem non habeant, non est opus Pontificem eam ipsis negare: sed sufficit quòd eam non concedat. *Victoria. Ledesma. Sanchez. Suarez.* Episcopus non habet iure diuino determinatam potestatem.

Tertia difficultas est, Qua ratione Pontifex prohibendo aliquibus matrimonium, possit illud irritare? Qua de re variè auctores sentiunt, vt infrà videbimus.

4 Quarta difficultas est, Vtrum consuetudo possit talia impedimenta aut inducere, aut tollere; Multi id negant. Primò, propter c. *Quod super.* 5. de consanguinit. vbi *consuetudo contrahendi in gradibus* prohibitis dicitur potiùs dicenda corruptela, quàm consuetudo. Secundò, quia c. 1. de sponsal. dicitur validum matrimonium, quod quidam Gallus contra morem patriæ suæ contraxerat. Contra hæc tamen faciunt c. 1. & 3. de cognat. spiritali: in quibus Alexander III. videtur omnino asserere consuetudinem posse eiusmodi impedimenta inducere. Quare variæ sunt Doctorum sententiæ, quas fusè explicat P. Sanchius l. 7. disp. 4. Et res satis obscura est, vt infrà videbitur. *Sanchez.*

5 Conclvsio I. Spectata natura rei omnes eiusmodi impedimenta inducere possunt, qui aliàs absolutam habent potestatem ferendi leges: vt sunt supremi Principes, ac liberæ Respublicæ. ita D. Thom. in 4. d. 34. articul. 1. ad 4. & ferè communiter Theologi. *D. Thom.*

Probatur, quia matrimonium est contractus verè ciuilis, non minùs quàm alij; & consequenter similiter potestati politicæ subiectus est. Sicut igitur supradicti ex iusta causa possunt aliquos, (v. c. prodigos, & pusillos) reddere inhabiles ad alios contractus, ita etiam ad hunc. quia eadem planè est ratio.

Nec refert quòd matrimonium sit Sacramentum: quia ideo non desinit esse verè contractus ciuilis, & hac ratione subditus potestati politicæ. Quare etsi potestas politica directè nihil possit statuere circa Sacramenta; Sacramentum matrimonij ratione contractus iure

naturæ subiectum politicæ potestati.

cramenta; potest tamen indirectè, impediendo valorem contractus, quem matrimonium essentialiter inuoluit. Sicut, etsi lex Ecclesiastica non possit directè impedire potestatem Ordinis, potest tamen id facere indirectè, subtrahendo nimirum sacerdoti iurisdictionem ad absolutionem necessariam. Imò nec potestas Ecclesiastica potest alia ratione irritare hoc Sacramentum, quàm irritando indirectè contractum. Et hinc patet solutio argumenti positi num. 2.

Ad Secundum Respondeo, illud solùm probare conclusionem sequentem.

6 CONCLVS. II. Ecclesia tamen hanc potestatem Christianis Principibus circa matrimonia fidelium ob dignitatem Sacramenti ademit. quia omnino decuit rerum sacrarum, & maximè Sacramentorum causas à sola potestate Ecclesiastica pendere: vt colligitur ex c. *Tuam.* 3. de ordine cognitionum, & cap. *Multorum.* 35. q. 6. & aliis, ac vniuersali Ecclesiæ consuetudine. Nec hac de re iam est vlla quæstio.

7 Princeps potest statuere impedimenta pro matrimoniis infidelium.

Hinc patet Primò, Principes sæculares siue fideles siue ethnicos posse statuere impedimenta circa matrimonia infidelium sibi subiectorum, quia non sunt Sacramentum; nec infideles sunt subiecti Ecclesiæ, sed solis suis Principibus. Quare Ecclesia nihil omnino circa eorum matrimonia statuit, sed reliquit ea iuri naturali, ac ciuili.

Princeps infidelis statuens impedimenta matrimonij obligat etiam fideles sibi subditos.

Patet Secundò, Principes Gentiles statuentes impedimenta matrimonij, obligare etiam fideles in suis partibus commorantes. quia ciuiliter ijs subiecti sunt. Nec Ecclesia his hanc potestatem, vpote sibi non subiectis, potuit adimere, cùm hoc ad bonum spirituale fidelium non sit absolutè necessarium.

Infideles non ligantur impedimentis ab Ecclesia statutis.

Tertiò, infideles etiam habitantes in terris fidelium, non ligari his impedimentis ab Ecclesia statutis. quia Ecclesiæ non sunt subiecti. Secùs est de fidelibus habitantibus in terris infidelium, quia Ecclesiæ subiecti sunt.

8 CONCLVS. III. Probabilius est hanc potestatem nullo modo competere Episcopis, etiam seclusa omni Pontificis prohibitione. quia nec iure diuino ijs competit, vt patet ex dictis num. 3. neque etiam Ecclesiastico, quia nullum tale adferri potest. ita Suarez citatus nu. 3. Confirm. quia per talia impedimenta matrimonium propriè & per se irritarur, quatenus est contractus merè ciuilis; & tantùm consequenter, quatenus est Sacramentum; ideóque, vt ostendi etiam nu. 5. illud irritare propriè & per se spectat ad Principes ciuiles, sicut irritare alios contractus ciuiles.

Suarez.

Pontifex statuēs impedimenta matrimonij vtitur potestate, quam habet indirectam in res temporales.

Quare dum Ecclesia sibi hanc potestatem assumit, vritur potestate illa indirecta, quam habet circa res temporales, vt de ijs disponat, quatenus hoc expedit bono spirituali fidelium, quæ immediatè concessa est toti Ecclesiæ, atque eius capiti Romano Pontifici: nullo autem modo singulis Episcopis. Quia circa res ciuiles inuitis Principibus nihil possunt statuere, quantumcumque hoc saluti fidelium expediat, modò non sit eorum saluti omnino necessarium; quo casu magistratus ciuiles iure naturali diuino tenentur hoc admittere.

9 CONCL. IV. Potest Pontifex legitima existente causa etiam particulari præcepto certas personas inhabiles reddere ad contrahendum inter se. Patet, quia, si Princeps potest particulari præcepto reddere aliquos inhabiles ad alios contractus (vt patet in prodigis) cur non etiam ad hunc, cùm vrgentissima ad hoc possit esse ratio?

10 Ex hac occasione disputant DD. Vtrùm, si Pontifex prohibeat aliquibus in particulari nuptias, censeatur hoc ipso eas, si contrahantur, irritare?

Sanchez.

Variè admodum ac satis confusè hac de re Doctores loquuntur, quorum sententias fusè explicat Sanchius lib. 7. disp. 1. n. 6. 7. 8. quas hîc omnes adferre nō iudicaui operæ pretium: sed in re satis dubia, & quæ rarò occurrit credidi mihi sufficere ipsius sententiam, quam inter alias probabiliorem existimo, hîc breuiter adferre.

Docet igitur Primò, Pontificem prohibentem aliquibus perpetuò nuptias, hoc ipso irrita reddere sponsalia. quia non possunt ad rem illicitam, scilicet prohibitas nuptias obligare. Secùs esset si tantùm ad certum tempus iis prohiberet nuptias, & illi contraherent sponsalia tempore illo lapso perficienda. Vide dicta disp. 22. nu. 43. & disp. 29. n. 31.

Prohibens perpetuò nuptias prohibet etiam sponsalia.

Docet Secundò, si simpliciter tantùm prohibeat sponsalia validè nihilominus ea contrahi. quia multa prohibentur fieri, quæ facta tenent: vt patet in contrahentibus nuptias cum solo impedimento impedienti. Et quamuis ita contrahentes sponsalia peccent, non tamen obligantur ad peccatum: quia nuptiæ non sunt iis prohibitæ. quod intelligendum est, quando sponsalia non nisi ad tempus prohibentur, v. c. per vnum mensem, aut donec lis finita sit. quia tunc nō prohibentur iis nuptiæ contrahēdæ post illū mensem, aut litē finitam, quare ad hoc possunt se obligare. Quòd si verò sponsalia illis prohiberētur in perpetuū, multo magis censerētur prohibitæ nuptiæ, & cōsequenter non possent se ad contrahendas obligare.

Sponsalia prohibita validè contrahuntur.

Docet Tertiò, matrimonium simpliciter tantùm prohibitum absque decreto irritante, validè contrahi, etsi causa, ob quam prohibetur, sit perpetua. Patet in contrahentibus cum impedimento tantùm impediente, quibus in perpetuum prohibitæ sunt nuptiæ. 11

Docet Quartò, si Pontifex prohibeat aliquibus matrimonium cum clausula particulatim irritante matrimonium contrahendum, tunc irritum esse matrimonium, si causa irritans sit perpetua. quia tunc textus non patitur mitiorem explicationem. Quòd si causa tantum sit temporalis donec iudex cognouerit vtrùm inter eos sit impedimentum; aut vtrùm sit futurum in præiudicium tertij cui fides data dicitur: tunc ait matrimonium censeri tantùm irritari, in quantum cedit in præiudicium iudicis aut tertij, ideóque donec causa cognoscatur coniuges esse separandos.

Vnde videtur sequi, absolutè irritum fore si verè fuit contractum in præiudicium tertij. quia hæc causa ex se est absoluta & perpetua. Quia tale matrimonium nec contrahi, nec continuari potest sine perpetua iniuria illius tertij, quæ tolli nequit, nisi aut matrimonium dissoluatur (quod fieri nequit postquam semel validè contractum fuit) aut nisi læsus cedat omni iure suo, & iniuriam remittat. quod est planè per accidens, nec valor matrimonij à conditione futura contingenti pendere potest.

Quòd si postea non reperiatur vllum impedimentum, aut præiudicium tertij, iudicabitur matrimonium ab initio fuisse validum. Ratio est, quia talis clausula admittit facilè hunc sensum, nec sine vrgente necessitate matrimonij absoluta irritatio admittenda est; cùm res grauissima sit. Vnde docet Quintò, si clausula irritans sit generalis, siue quæ solùm generatim irriter quidquid fuerit contra prohibitionem factum, similiter explicandam esse, solùm in tantum facta irritare, in quantum cedunt in præiudicium tertij. Quæ probabiliora sunt; sed magis niruntur quadam *tritæ* ac probabili Doctorum sententia, quàm certa ratione, quæ in re satis obscura nobis sufficere debet, quare pluribus hæc non disputo.

CONCLVSIO V. Circa quartam difficultatem certum est Primò, consuetudinem posse & inducere & tollere impedimenta, quando à Pontifice expressè aut tacitè approbatur; vt si videat eam passim ab omnibus vsurpari, & nihil contradicat cùm facilè possit. 12

Secundò, consuetudinem inscio Pontifice inductam non habere hanc vim antequam legitimè sit præscripta. Patet ex c. finali. de consuet. Et in his omnes consentiunt. Sed difficultas est, quando talis consuetudo fuit alicubi bona fide tanto tempore vsurpata, quantum aliàs sufficeret ad præscribendum contra aliam legem; vtrùm ipsa supradictam vim habeat, sine vlla alia tacita Pontificis approbatione?

13 Conclvs. VI. Valdè probabile est talem consuetudinem vsurpatam approbantibus Prælatis Ecclesiasticis habere vim tollendi impedimenta solo iure Ecclesiastico matrimonium dirimentia. Ita cum *Sanchez.* alijs P. Sanchius l. 7. disp. 4. n. 14.

Probatur à multis hæc concl. Primo, quia c. 1. & 3. de cognat. spirituali decernit Alexander III. consuetudine posse induci impedimentum dirimens. Non videtur autem maior ratio, cur hoc possit consuetudine induci, quàm tolli: vt benè probat P. San- *Sanchez.* chez suprà. Sed, vt verum fatear, Iura citata non conuincunt. quia, vt patet ex c. 1. citato, Pontifex non nititur sola consuetudine, sed hac iuncta ac munita duobus canonibus Pontificiis, scilicet c. *Super quibus.* quod est Vrbani. & c. *Post susceptum.* quod est Paschalis II. 30. q. 3. Nam in priore definit absolutè compatrum filios posse matrimonio iungi. In secundo verò id negatur de susceptis post compaternitatem contractam. Quorum in quibusdam Ecclesijs vnum erat receptum: in aliis aliud. ideóque Pontifex respondet locorum consuetudinem esse sequendam.

Probatur igitur Secundò, quia c. finali de consuet. generatim & absolutè dicitur consuetudinem rationabilem, ac legitimè præscriptam posse prænalere aduersus ius positiuum. Certum autem est, in præsenti materia posse consuetudinem legitimè tandem præscribi, si bona fide diu ea permaneat. Nec potest dici irrationabilis. cùm nihil contra ius naturæ, aut rationem contineat.

Et confirm. quia aliàs in talibus locis sequerentur grauissima incommoda, cùm plurimi ineuitabiliter sine vlla sua culpa matrimonia irrita contraherent. quod repugnat intentioni Pontificis tales leges condentis.

14 Nec obstat quod Innocent. III. c. *Quod super his.* de consanguinitate ait; *Ne autem intra gradus prohibitos matrimonium contrahatur, debes publicè inhibere, & præsumptores Ecclesiastica districtione punire, non obstante consuetudine, quæ dicenda est potiùs corruptela.* Quia satis insinuat initio epistolæ, quod habetur adiunctum in exemplaribus Plantinianis illam consuetudinem fuisse tantùm aliquorum, & satis obscuram atque incertam. Nec enim Episcopus, qui Pontifici eam quæstionem proponit, ibi asserit eam consuetudinem in iis locis vulgò esse receptam (sicut de præcedente asseruerat) sed tantùm asserit id à quibusdam dici, qui intra tertium, vel septimum gradum contraxerant. Vnde patet fuisse potiùs aliquorum abusum, quàm publicam consuetudinem. Quia incredibile est fuisse ibi publicè & generatim permissum in tertio gradu contrahere, cùm tunc etiam septimus prohiberetur. Quare meritò Pontifex dicit esse corruptelam. Adde, etsi Pontifex ibi veram ac generalem consuetudinem improbasset, potuisse tamen improbationem rursus contraria consuetudine infirmari, sicut & alias leges.

15 Non est etiam improbabile consuetudine tandem induci posse aliquod impedimentum dirimens matri- *Patr. Sto. Pighius. Bonthers.* monium. Ita Petrus Soto lect. 4. de matrimon. sub finem. Pighius in suis controuersijs, controu. 15. sub finem, & cum pluribus alijs Sanchez suprà num. 11. Probat. Primò ex cap. 1. de cognatione spirituali. Et quamuis, vt suprà ostendi, hoc non satis efficaciter probet solam consuetudinem habere eam vim; iuncta tamen DD. auctoritate probabiliter inde colligitur. Probatur Secundò, quia in aliis omnibus rationabilis consuetudo potest acquirere vim legis: quare non etiam in hoc casu?

Nec obstat c. 1. de sponsalibus. quia ibi tantùm dicitur matrimonium non fuisse irritum, etsi defuerint solemnitates in mariti patria adhiberi solitæ: vt patet ex textu quod nihil facit ad rem. Nam vt aliquid probaret, deberet ostendi matrimonium in mariti patria fuisse contractum, ibique iudicari irrita matrimonia ita contracta, quorum neutrum ostendi potest. Imò ex textu apertè patet fuisse contractum in Saxonia: & consequenter debuisse contrahi secundùm leges Saxoniæ, non autem Gallorum.

DVBIVM II.

Quot sint, & quantum obligent impedimenta dirimentia?

16 Impedimenta alia sunt solùm impedientia; alia dirimentia.

NOta Primò, impedimenta matrimonij esse duplicis generis. Quædam enim sunt impedientia tantùm quæ efficiunt vt matrimonium illicitè, non tamen inualidè contrahatur. De quibus *infrà*: Alia sunt dirimentia, non quòd matrimonium semel validè contractum dirimant, sed quia efficiunt, vt validè contrahi nequeat, & id attentantes dirimunt.

Eiusmodi impedimenta Iure antiquo sunt duodecim, his versibus comprehensa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis.

Quibus Tridentin. sess. 24. c. 6. adiecit raptum, & *Tridet.* cap. 1. defectum Parochi & testium: de quo egi disp. 27. sicut etiam disp. 28. de vi, siue matrimonio metu contracto. Item de impedimento Ordinis sufficienter egi disp. 20. dub. 11. Et similiter impedimentum ligaminis, siue qua ratione coniugatus prohibeatur secundam ducere, explicui disp. 26. dub. 2. De reliquis verò impedimentis agam sequentibus disputationibus.

17 Nota Secundò, constare inter DD. esse peccatum mortale sponte contrahere cum impedimento. quia est contra Ecclesiæ prohibitionem in re graui. Sed dubium est, vtrùm sit duplex peccatum; vnum inobedientiæ; & alterum contra religionem Sacramenti, quod inhabiles tentant suscipere? Secundò, vtrùm grauis metus excuset cum tali impedimento contrahentes? Tertiò, vtrùm fornicatio habita inter laborantes tali impedimento sit duplex peccatum?

18 Contrahens cum impedimento dirimenti duplicitet peccat.

Conclvs. I. Verisimilius est sponte ita contrahentes committere duplex peccatum. De inobedientia per se patet, & omnes admittunt. De iniuria Sacramenti probatur. quia profanant ritus ac nomen Sacramenti, iisque abutuntur ad nequitiam honesto nomine velandam: quod Sacramento omnino iniuriosum est. Quod maximè verum est, quando in facie Ecclesiæ contrahunt. Si enim priuatim contrahant, etiam vbi Tridentin. non est receptum, sæpè ab hoc peccato possunt excusari, eò quòd verè non intendant aut matrimonium inire, aut Sacramentum suscipere: cùm sciant vtrumque esse impossibile. Nec etiam intendunt huius susceptionem simulare, sicut cùm publicè contrahunt, cùm hoc illis inutile sit; sed solùm intendunt profanum inire contractum, se mutuò obligando ad fidem instar coniugum in mutuo corporum vsu seruandam: nisi fortè vnus alteri persuaderet se posse verum matrimonium ita contrahere. Tunc enim peccaret contra reuerentiam Sacramenti, quòd alter hîc & nunc se credit suscipere.

Adde,

Adde, si ordinent contractũ ad copulam, quod communiter faciunt, peccare præterea contra castitatem, vt per se patet.

19 Grauis metus excusat contrahentẽ cum impedimẽto, tamen non efficit contractũ validum, nec excusat cõsummantẽ.

CONCLVS. II. Qui metu graui ita contrahit, nullo modo peccat, modò non intendat consummare; nisi fortè mendacio officioso, si non vratur restrictione mentali. Patet ex dictis disput. 28. dub. 3. matrimonium tamen nullo modo efficitur validum, quantumcumque id contrahentes intendant, atque ita eius consummatio est mera fornicatio, quam nullus metus excusat. Est ferè communis, & ex dicendis patebit.

Dices præcepta Ecclesiæ in graui metu non obligant, ergo nec reddunt hoc matrimonium inualidum. Respondent aliqui antecedens fallere in iis præceptis, quorum obseruatio est valdè necessaria ad bonum commune: talia autem esse ea quæ irritant matrimonium. Sed hæc responsio est difficilis. Primò, quia difficile est videre cur tanti interfit boni communis neminem omnino in quarto gradu consanguinitatis contrahere, vt quiuis in particulari potiùs debeat mori, quàm id facere. Secundò, quia ante Trid. tam boni communis intererat nullos clandestinè cõtrahere, quàm modò sit: & tamen tunc prohibitio ita contrahendi ac consummandi matrimonium non obligabat cum tanto incommodo. Tertiò, ex ea responsione sequitur eos mortaliter peccare, qui mortis metu coacti cum tali impedimento sine animo consummandi contrahunt, quod tamen etiam ipsi negant.

20 Metus etsi excuset à peccato, tamen non efficit habiles.

Resp. igitur negando conseq. quia illud antecedens solùm probat priorem partem nostræ concl. scilicet, tales ita contrahendo non peccare; non autem eos validè cõtrahere. Quia, etsi metus grauis tales excuset ab obseruatione præcepti Ecclesiastici; tamen non efficit eos habiles ad contrahendum. Sicut, etsi excommunicatum non toleratum excuset metus mortis ne peccet exercendo aliquos actus iurisdictionis; non tamen efficit vt hi sint validi, quia non reddit ei vsum iurisdictionis, quo priuatus est. Similiter inuincibilis ignorantia excusat à peccato agentem contra quamuis legem irritantem; & tamen nullo modo efficit, vt actus sit validus, quia non reddit ignoranti capacitatẽ, quam lex ei abstulit. Quamuis igitur Ecclesia sua prohibitione non possit efficere, vt eam omnino ignorantes aut graui metu coacti contra eam agendo peccent; potest tamen etiam tales efficere inhabiles ad aliquid agendum: idque meritò facit. Nam etsi inde quibusdam in particulari grauia incommoda accidant; tamen per accidens est, nec ita frequens, & grauiora sequerentur incommoda si hoc non faceret: vt ostendi disput. 28. numero 43.

21 Quando fornicatio inter impeditos contrahere sit speciale peccatum. Sanchez.

CONCLVS. III. Quando Ecclesia irritat aliquorum matrimonium ob respectum alicuius virtutis vel honestaris, quam videtur minuere, etiam singulariter prohibet copulam, secùs est quando id prohibet in pœnam delicti. Ita Sanchez lib. 7. dispu. 5. numero 7.

Priori modo prohibet matrimonium iis, inter quos intercedit affinitas vel cognatio naturalis, spiritualis, vel legalis, vel impedimentum publicæ honestatis: idque ob quandam reuerentiam, quam tales sibi mutuò debent. Item iis inter quos est cultus disparitas, quia Christianum cum Gentili contrahere est contra decentiam religionis, & cõtra debitam prolis educationem, quæ à Gentili facilè posset peruersis ritibus imbui. Illis autem omnibus æquè vel magis repugnat copula, quàm ipsum matrimonium: cùm hoc non aliter ferè illi reuerentiæ aut religioni, quàm propter copulam repugnet. Quare talis copula est vel incestus, vel contra virtutem religionis in vltimo casu. Hæc autem clariora sunt in obligatis voto solemni, vel coniugatis secundò contrahentibus cum aliis, iis quibus copula vel sacrilegium, vel adulterium continet. Secùs est quando aliquibus ob crimen, aut raptum interdicitur matrimonium, quia hoc præcisè repugnat fini prohibitionis, non autem copula, vt patebit infrà.

CONCLVS. IV. Metus grauis impellens tales ad contrahendum ac consummandum, minuit culpam in eo qui metum patitur: quia reddit actum minùs voluntarium. Auget tamen eam in eo qui metum infert, ob iniuriam quam alteri facit. Copula autem attenta ab iis qui omnino impotentes sunt, non tam est fornicatio, quàm mollities cõtra naturam, hęc per se patent. 22

DVBIVM III.

Quot sint impedimenta impedientia tantùm, quantumque obligent?

CONCLVS. I. Numerantur communiter duodecim. Primum est, Ecclesiæ interdictum quando videlicet Prælati prohibent aliquibus in particulari inter se contrahere, quia dubium est an inter eos sit aliquod impedimentum, donec id liquidè cognoscatur. Quæ prohibitio cùm sit in re graui, obligat sub mortali, nisi fortè constet esse iniustam. 23 Impediunt matrimonium prohibitio Ecclesiæ.

Huc etiam referri posset excommunicatio tam maior, quàm minor, qua ligati prohibentur ab vsu omnium Sacramentorum. Sed de hac re satis dixi in materia de excommunicatione. Addunt aliqui, tempore Interdicti illicitum esse cõtrahere matrimoniũ. Sed contrarium est verum, vt docui in tract. de censuris d. 17. n. 48. modò omittatur benedictio, quæ tũc illicita est. Excommunicatio.

Secundum est, tempus feriarum, scilicet ab initio Aduentus vsque ad diem Epiphaniæ, & à die cinerum vsque ad Octauam Paschæ inclusiuè: ob quorum dierum venerationem Ecclesia prohibet solemnitatem nuptiarum, scilicet benedictionem, & solemnem spõsæ in domum sponsi traductionem. Vide Trident. sess. 24. c. 10. de reform. matrim. vbi antiquum Ius, quod pluribus temporibus hæc prohibebat, corrigit. Tempus feriarum. *Trident.*

Tertium, sponsalia. Post hæc enim cum vna inita, antequam legitimè dissoluantur, illicitè cum alia contrahitur, quia hoc fit contra fidem datam. Sponsalia.

Quartum, vorum simplex Religionis aut castitatis, aut non ineundi matrimonij, quia tunc contrahere est cõtra obligationem voti, hoc tamen non irritat matrimonium, sicut nec sponsalia id irritant, quia res vni promissa, validè alteri traditur. 24 Votum castitatis aut Religionis.

Quintum est, quando quis tenet aliquam in catechismo, qui solet præmitti baptismo, respondendo eius nomine sacerdoti interroganti an credat, an renuntiet diabolo, &c. Vbi Nota, etsi, quia hæ cæremoniæ solent baptismum comitari, communiter sit idem qui tenet in catechismo & in baptismo; tamen quandoque sunt diuersi, vt quando in necessitate puer subitò ab obstetrice baptizatur, & cæremoniæ postea supplentur. Tunc enim aliquis instar patrini pro eo respondet. Talis autem olim contrahebat simile ferè impedimentum, quale contrahit is qui suscipit aliquem ex sacro fonte, non tamen dirimens, sed impediens tantùm. Vt habetur c. 2. de cognat. spirituali, in 6. Sed P. Sanchius lib. 7. d. 10. num. 12. cum aliis putat hoc impedimentum iam omnino esse sublatum per Trident. sess. 24. c. 2. de reformat. matrim. Vbi in Baptismo vel Confirmatione vult tantùm contrahi cognationem spiritualem inter baptizatum, eiusque patrem & matrem ex vna parte, & baptizantem ac susceptores ex fonte ex alia parte, omni alia cognaCatechismus baptismo præmitti solitus. *c. 2. de cogn. Sanchez. Trident.*

tione spirituali sublata, quod valdè probabile est, quia verba Concilij hoc apertè insinuant.

25 Incestus cū consanguinea coniugis, Raptus,

Sextum, incestus cum consanguinea coniugis in primo & secundo gradu: aut fornicatio habita cum matre & filia.

Septimum, raptus alienæ sponsę, quando videlicet quis sponsam alterius de præsenti causa libidinis expiendæ sponso renitente de loco in locum abducit. Quòd si sponsa consentiat, idem impedimentum incurrit.

Vxoricidium, Suscepio propriæ prolis, Occisio presbyteri, Publica pœnitētia, Matrimonium contractum cū moniali. *Sanchez.* Septem vltima iam non obligant. *Nauarr. Sanchez.*

Octauum, si quis occidat propriam vxorem.

Nonum, suscipere ex malitia propriam ex legitima vxore prolem, quò ponatur impedimentum reddendi debitum.

Decimum, occisio iniusta presbyteri.

Vndecimum, publica pœnitentia dum durat.

Duodecimum, contrahere matrimonium cum moniali. Quæ fusè explicat Sanchez l. 7. disp. 6. & sequentibus.

Sed non est opus his septem vltimis diutiùs immorari, quia iam omnino sublata sunt. Nam ijs irretiti sine vlla dispensatione videntibus Prælatis contrahunt. Ita Nauar. c. 22. nu. 75. & 85. & cum alijs Sanchez l. 7. d. 17. n. 8.

26 1. *Cor. 7.*

His positis difficultas est Primò, Vtrùm votū simplex castitatis ita obliget ad abstinendum nuptijs, vt eo obstrictus has nullo casu sine dispensatione licitè contrahat, quantumuis grauissimas difficultates in seruanda castitate experiatur, ac sæpiùs labatur? Videtur enim tunc posse contrahere. Primò, quia nulla promissio obligat vltra intentionem promittentis: talis autem non videtur se voluisse obligare, vt tali casu castitatem seruaret, cùm si ei priùs occurrisset, eā nullo modo vouisset. Secūdò, quia votum est de meliore bono: sæpiùs autem peccanti contra castitatem melius est nubere quàm vri, vt docet Apostolus 1. ad Cor. 7.

Lessius.

Secunda difficultas est, Vtrùm qui scienter contrahunt cum obligatis voto castitatis aut Religionis, semper peccent? Videntur enim non peccare quando illos nullo modo ad matrimonium inducunt, sed sponte ab iis oblatum acceptant. Quia, vt docet P. Lessius de Iustitia c. 19. dub. 4. n. 48. sæpè accipimus licitè quædam ab iis qui illicitè dant.

27 *Palud. c. Non oportet. c. Nec vxorem.*

Tertia difficultas est, Vtrùm tempore Aduentus aut Quadragesimæ licitè ineantur nuptiæ omissa benedictione, aliisq; solemnitatibus? Palud. in 4. d. 32. q. 1. a. 4. concl. 5. cum quibusdam aliis id negat. quia c. *Non oportet*, &c. *Nec vxorem*. 33. q. 4. id videtur absolutè prohiberi.

28 Castitas etiam per summas difficultates expetenda ac conseruanda est.

Conclvs. II. Votum castitatis impedit matrimonium, non obstantibus maximis difficultatibus, quas sentit vouens in ea seruanda, etiam eo casu, quo si eas antè præuidisset futuras, noluisset vouere. Est communis DD.

Probatur, quia communiter in vouentium potestate est illas magna ex parte euitare, vitando occasiones & otium, ac exercendo se ieiunijs & orationibus. Quòd si hoc nolint facere, sibi non rei difficultati, imputent. Nec enim ob suam inordinatam voluntatem aliquis acquirit ius frangendi sua vota. Quod si illa faciens nihilominùs adhuc graues difficultates experiatur, superandæ tamen sunt; cùm id absolutè possit cum gratia Dei, quæ ei non deerit. Quia castitatis tanta excellentia est, vt etiam per summas difficultates expetenda sit. Ex quo confirmatur conclusio, quia vt ostendi disput. 23. numer. 64. vt quis liberetur promissione, etiam homini facta, non sufficit omnis talis difficultas de nouo occurrens, quæ si fuisset ab initio præuisa, deterruisset alterum à promittendo: sed necessariò requiritur talis, quam promissarius non potest tollere, & quæ præuisa communiter cordatum quemque à promittendo auerteret. Talis autem nullo modo in nostro casu potest censeri difficultas superandi tentationes contra castitatem. Quia, etsi omnibus satis constet sæpissimè tales difficultates in seruanda continentia occurrere; pauciſſimi tamen verè cordati, & quibus cordi sua salus est, ac castitatis excellentia perspecta, ideò à statu Ecclesiastico suscipiendo; atque ea vouenda abstinent: nec quemquam verè constantem sui voti ideo postea pœnitet; & si quis sit quem pœniteat, is ab omnibus iudicatur inconstans. Quod maximè verum est, cùm eiusmodi certamini ea præmia à Deo sint præposita, quæ infinities maiorem laborem mereantur. Ex quibus clarè sequitur, neminem vouentem castitatem, posse prudenter censeri hunc casum excepisse. Sicut qui vouisset in profesto B. Virginis ad locum ei sacrum peregrinari, non excusaretur quòd dies esset pluuius, etsi faciliùs id vouerit, quòd crederet futurum serenum: aliàs id non voturus. Fateor tamen illas causas esse sufficientes ad impetrandam dispensationem; sine qua nullo modo vnquam tanti momenti vota frangenda sunt. Hoc enim exigit diuinæ Maiestatis reuerentia.

Quæ rerū mutatio liberet à promissione.

Difficultas seruādi castitatē non tollit obligationem voti, sed est sufficiens causa dispensandi.

29 Hæreticorum absurditas.

Quare quod hæretici dicunt eiusmodi vota illicitè fieri quia vouentes communiter non habent donum continentiæ; ideoque tale votum tanquam impossibile eos non obligare; est apertè contra omnem experientiam, quia plurimos, atque adeò, omnes, qui cum Dei gratia ad hoc seriò laborant, videmus ea integerrimè seruare. Est etiam contra omnem rationem: quia similiter, si cuius coniux ob impotentiam, morbum, aut aliam causam fieret inutilis vsibus matrimonij; posset alter siue vir, siue mulier dicere impossibile sibi esse continere, atque ita se non amplius obligari data fide matrimonij, & velle aliud inire. quod absurdissimum est.

1. *Timot. 5.*

Est etiam apertè contra Apostolum 1. ad Timoth. 4. vbi agens de viduis, quæ emisso voto continentiæ solebant ministrare Ecclesiæ, ait: *Cùm luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt; habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Non potest autem hîc intelligi vlla fides irrita facta, siue violata, præter votum castitatis, quod illæ, dum ad illud officium assumebantur, emittebant, & nubendo frangebant: & tamen Apostolus generatim docet tales habere damnationem, quæcumque eam fidem irritam faciunt, apertè ostendens, omnes eam potuisse seruare.

30 Obstricta voto castitatis grauiùs peccat nubendo, quàm quādoque fornicando. Post votum castitatis cōtrahens nuptias reddendo debitum peccat.

Ex his facilè soluuntur argumenta allata numer. 26. Ad Primum, nego minorem, quia, vt ostendi, talis secundùm communem vouentium intentionem censetur se obligasse, vt castitatem etiam eo casu seruaret. Ad Secundum Resp. Primò, inde non sequi, talem licitè contrahere matrimonium, quia ipsi non est necesse nubere, vel vri, nec hoc vouit; sed seruare castitatem, quod & vouit, & optimum ei est, ac facere potest. Resp. Secundò, etsi solutæ melius sit nubere quàm vri; non tamen ei, quæ obstricta est voto castitatis. Quia melius est aliquando ex fragilitate peccare contra votum castitatis, quàm ad hoc tota vita faciendum se obligare: quod facit talis dum nubit, nam obligat se vt contra votum castitatis tota vita sua reddat debitum marito. Nec enim per matrimonium eximitur ab obligatione voti, sed eius impletionem sibi reddit impossibilem: nec ipsa impossibilitas efficit, vt redditio debiti in ipsa non sit contra votum castitatis; sed solùm facit vt per eam formaliter non peccet. Quare dum sponte reddit sibi redditionem debiti necessariam, tantùm peccat contra votum.

materialiter contra castitatem.

quantum fortè tota vita peccaret sæpiùs fornicando. Sicut sacerdos qui suscipiens vnius mensis nauigationem initio abijceret breuiarium in mare, vt liberiùs posset omittere Horas, tàtum peccaret, quantum is qui tanto tempore eas sponte non legeret.

Adde, talem exponere se certo periculo sæpiùs petendi debitum, atque ita peccandi formaliter contra votum.

31 *S. Epiphan.*

Dices, S. Epiphanius hæresi 61. dicit, melius esse talibus nubere, quàm sæpiùs occultè fornicari. Resp. Primò, cum hoc ibi non dicere absolutè: sed melius ijs esse publicè nubere, & postea pudore perfusas agere pœnitentiam, quam tota vita sine spe correctionis in occulta fornicatione manere. Sicut etiam solemnus dicere, sæpè aliquibus qui leuiora peccata contemnunt, & tota vita ea periculosè frequentant, expedire vt in grauius aliquod peccatum lapsi confundantur, & sic feruentiùs ad pœnitentiam ac nouam vitam redeant.

Resp. Secundò, Epiphanium ibi illud dicere de virgine, quæ sine vllo voto, cum solo virginitatis feruadæ proposito inter virgines agit. Eiusmodi enim virgines, ab ijs quæ se Deo per votum obligant, apertè distinguit. Et has nubendo ex Apostolo docet habere damnationem: illas verò solùm iudicium, quo priuantur sua corona, & iudicantur indignæ illa perfectione & ordine, ex quo nubendo ceciderunt: ideoque dicit ijs etiam opus esse pœnitentia, qua scilicet ignauiam suam corrigant; vel etiam qua, vt sæpè in ijs fit, ipsas nuptias lapsus præcessit.

32 Obstricto voto castitatis nunquam licitè suadentur nuptiæ sine dispensatione. Quomodo tali respondendum interrogāti an validè contraheret.

Hinc patet Primò, habenti votum castitatis, quantumcumque sæpiùs habenti nunquam licere suadere nuptias, quia maius est malum & aliter per dispensationem in voto ei potest succurri.

Patet Secundò, interroganti an valeat matrimoniū contra votum contractum, si credatur id facere vt contrahat, ambiguè esse respondendum, ne detur ei occasio peccandi. Quòd si aliter non possumus euadere, possumus veritatem dicere, adiungendo tamen id esse graue sacrilegium, & talem teneri abstinere à petitione debiti, atque ita necessariò petendam priùs dispensationem, nisi velit se grauissimis difficultatibus ac periculis exponere. Hoc enim sic dicendo, non damus ei occasionem lapsus, sed hanc permittimus, cùm non possimus eam commodè tollere. Et confir. quia aliàs non liceret DD. hos casus scriptis mādare; maximè lingua vernacula, ne eiusmodi hominibus essent offendiculo.

33 Ad quid obligetur contra votum contrahens.

Sed vlteriùs hîc dubium est quid si contingat aliquem cum eiusmodi voto de facto contrahere, ad quid teneatur?

Respondeo Primò, Si solùm habuerit votum non contrahendi matrimonium, peccauit quidem contrahendo; potest tamen petere & reddere debitum, quia hoc propriè non est contra votum, mortua tamen vxore tenetur nuptijs abstinere.

Secundò, si vouerit Religionem, tenetur ante matrimonium consummatum votum implere, quia in eius adhuc est potestate, peccatque consummando etiam reddendo debitum, quia efficit sibi votum impossibile; eo tamen consummato, potest etiam petere debitum, votumque eius tanquam impossibile suspensum est, donec vxor moriatur, aut fornicetur, aut consentiat vt legitimè Religionem ingrediatur. Tunc enim iterum voto tenetur, quia fit ei possibile.

34 *Extrauag. Antiquæ.*

Tertiò, si emiserit votum castitatis, nunquam potest debitum petere, potest tamen id reddere etiam prima vice consummando matrimonium, quia coniux habet ad hoc ius; nisi alter velit Religionem ingredi: ad quod non tenetur, quia hoc non vouit, nec ad seruandam castitatem tenetur eligere medium sibi tam durum. Patet ex Extrau. *Antiquæ.* Ioannis XXII. de voto. vbi vxoratus ante matrimonij consummationem sine consensu vxoris suscipientem sacros Ordines, dicit inducendum vt Religionem ingrediatur: quòd si nolit, cogendum matrimonium consummare petente vxore, quod fieri non posset, si non posset licitè ita consummare. Mortua tamen vel fornicante vxore, tenetur absolutè seruare castitatem.

35 Nubens ei cui solùm prohibitæ sunt nuptiæ, non peccat.

Conclvs. III. Peccat mortaliter scienter contrahens cum aliquo his votis impedito, etsi hic vltrò se offerat, quia vsurpat sibi rem alteri obligatam, & huic eam subtrahit. Nec obstat quòd alter eam offerat, quia validè eam offerre non poterat, nec alterius potestati subducere, nisi hic oblationem acceptando, eā sibi vsurparet. atque ita di ecclē etiam alteri iniuriam infert. Secùs esset si alteri tantùm essent illicitæ nuptiæ, ob aliquam prohibitionem, quia hæc non ligat non prohibitum. Et quamuis nō possit petere vt prohibitus contrahat (quia non possum ab aliquo petere, quod licitè facere non potest) non tamen tenetur impedire ne id faciat, nisi ex correptione fraterna, qua tenemur proximi peccatum impedire; quæ tamen nō obligat cum magno nostro incommodo. quale esset reculare validè commodas nuptias. Acceptando autem oblationem non incitat alterum ad peccatum, nec ei censetur cooperari, vt in simili docet P. Leonardus de Iustitia c. 19. dub. 4. n. 48. de accipientibus legata, quæ beneficiatus ex bonis superfluis ijs illicitè legauit: aut etiam munera, quæ ipsis illicitè dat. Ex quibus patet solutio argumenti allati n. 27.

Leffius.

36 Tempore Aduētus & Quadragesimæ solæ solemnes nuptiæ prohibentur. *Silueſter. Rosella. Nauarr. Bellarm. Henriquez. Sanchez.*

Conclvs. IV. Quamuis olim diuersa diuersis locis ac temporibus hac in re videatur fuisse consuetudo; iā tamen tēpore Aduentus & Quadragesimæ solæ solemnes nuptiæ prohibentur: in quibus scilicet detur benedictio, ac fiat solemnis sponsæ in domum sponsi traductio, tripudia, aliæque similes festiuitates adhiberi solitæ. Ita Siluest. v. *Matrimonium* 7. q. 2. dicto 5. Rosella v. *Impedimentum.* impedim. 17. Nauarr. c. 22. nu. 71. Bellarm. l. 1. de matrim. c. 31. §. *In altero.* Henriq. l. 11. c. 16. nu. 2. & cum plurimis alijs P. Sanchius l. 7. d. 7. n. 13. Probant autem id præcipuè ex cōsuetudine. Nam passim ajunt permitti nuptias sine eiusmodi solemnitatibus, cum moderata aliqua festiuitate. Et hanc sententiam apertè insinuat Trident. sess. 24. c. 10. de reform. matrim. *Vbi* dictis temporibus iubet *antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter obseruari*: & alijs temporibus *nuptias solemniter celebrari permittit*: apertè insinuans illo tempore solas solemnes nuptias prohiberi.

Trident.

37 Licitè tales nuptiæ ante benedictionem consummantur. *Trident. Bellarm. Nauarr. Sanchez.*

Putant tamen aliqui, non licere tunc temporis contractas nuptias consummare, quia non licet eas consummare ante benedictionem acceptam, quæ tunc dari nequit. Sed contrarium est verius. quia consummatio ante acceptam benedictionem nullo iure prohiberur. Imò Trident. dum sess. 24. cap. 1. solùm hortatur sponsos ne simul cohabitent ante acceptam benedictionem, apertè insinuat non esse peccatum matrimonium ante eam consummare. Ita Bellarm. Nauar. Sanchius suprà.

DISPVTATIO XXXI.

DE

IMPEDIMENTIS

TRIPLICIS ERRORIS,

DISPARIS CVLTVS, RAPTVS, CRIMINIS,

VOTI SOLEMNIS, AC IMPOTENTIÆ.

DVBIVM I.

Qua ratione error personæ aut qualitatis irritet matrimonium?

1 Quid sit error personæ? quid qualitatis?

NOTA Primò, errorem personæ dici, quando contrahens putat aliam esse personam quacum contrahit, quàm reuera sit. Errorem verò solius qualitatis, quando contrahenti constat quidem quæ sit hæc persona, putat tamen aliis qualitatibus affectam, quàm reuera sit, v.c. putat esse diuitem, nobilem, formosam, &c. cùm sit pauper, plebeia, turpis. His adiicitur tertius error conditionis, quando scilicet creditur libera quæ serua est. Quamuis enim hæc conditio sit vera qualitas personæ: tamen quia eius error habet distinctum effectum ab errore aliarum qualitatum; ideo etiam ab hoc distinguimur.

Quid conditionis?

2 Nota Secundò, errorem esse duplicem. Alius enim dat causam contractui, qui scilicet est ratio cur aliquid velimus quod aliàs nullo modo vellemus. Alius verò est *concomitans*, siue incidens in contractum, sine quo rem nihilominus vellemus. Prior facit actũ inuoluntarium saltem secundùm quid. Secundus verò *facit* eum simili modo non voluntarium. Aliqui priorem errorem confundunt cum eo quem Theologi vocant antecedentem: sed minùs benè. Primò, quia alia longè ratione error aliquis dicitur antecedens (qui scilicet antecedit omnem errantis liberam voluntatem, ita vt ei nullo modo sit voluntarius, idcoque dicitur etiam *inuincibilis ac inculpabilis*) alia verò ratione dare causam contractui, vt patet ex dictis. Secundò, quia error consequens (sic dictus quia consequitur aliquam errantis voluntatem, eique est aliquo modo voluntarius ac vincibilis) potest dare causam contractui, & tamen non potest dici antecedens.

Alia ratione error dicitur antecedens, alia dare causam contractui.

Error consequens potest dare causam cõtractui.

3 Quis error reddat cõtractum omnino nõ voluntarium, quis tantùm secundùm quid?

Nota Tertiò, quando error versatur circa obiectum, circa quod tam consensus agentis, quàm ipse actus immediatè etiam versatur, prout illud distinguitur à ratione motiua, seu à fine propter quem agens hîc & nunc agit, tunc errorem efficere actum absolutè inuoluntarium, aut saltem non voluntarium, si solùm concomitans sit. Quando verò non versatur circa tale obiectum, sed solùm circa rationem motiuam etiam totalem ipsius agentis; solùm facit actionem inuoluntariam secundùm quid. Prioris generis obiecta sunt in venditione ac emptione res empta, v.c. pannus, vinum, triticum, &c. Non quidem omnino secundùm se spectata, sed cum respectu ad obligationem soluendi, quam emptor necessariò contrahit. In Baptismo, Confirmatione, Ordinatione, baptizatio, confirmatio, ordinatio personæ præsentis: in Pœnitentia absolutio personæ præsentis, idque præcisè à peccatis quæ hîc & nunc confitetur, si directam absolutionem consideremus. Quæ autem qualisue sit persona ementis, vendentis, aut suscipientis Sacramentum, per accidens est obiecto & intentioni agentis essentiali: sicut enim qualitas rei emptæ quamdiu salua manet ipsius substantia. Patet, quia, etsi emptor communiter moueatur ad emendum, v.c. pannum, quia putat esse bonum, aut vitio carere; tamen eum non emit sub hac conditione, *si talis sit*, sed eum absolutè intendit emere. Quare si malus sit, emptio est ei absolutè voluntaria, & tantùm inuoluntaria secundùm quid.

Nota Quartò, priorem errorem eos actus qui à nostra voluntate, siue consensu pendent, reddere irritos. quia efficit vt consensus essentialis, siue qui fertur in substantiam ipsius actus, omnino desit: v.c. volenti emere triticum obtruditur hordeum; emptio omnino nulla est, quia ipse nullo modo consentit in emptionem hordei, sed solius tritici. 4

Secundus verò error non reddit actum irritum: quia non tollit consensum essentialem, qui fertur in substantiam ipsius actus. v. c. in emptionem ipsius panni, tritici, &c. reddit tamen eum sæpè irritabilem, iuxta dicta disputatio. 23. dub. 8. & 9.

Excipiendus hîc est casus Primò quando quis laborans priore errore actualiter intenderet emere rem præsentem, qualiscumque demum esset. Talis enim verè emeret qualecumque granum sibi propositum, quod falsò crederet esse triticum. quia verè in illius emptionem consentiret. 5

Dixi, *quando actualiter intenderet*, &c. quia non sufficeret eum habitualiter ita affectum esse, vt vellet hoc granum emere, etsi sciret non esse triticum, quia voluntas ea ratione habitualis, siue solùm sub conditione ponenda nihil de facto operatur.

Secundò, quando laborans secundo errore actu intendit actum suum esse irritum, si fallatur; solùm consentiens sub conditione, *si non fallar*; siue actu restringendo suum consensum ad talem personam, vel conditionem. v.c. si Episcopus expresè intendat Ioannem ordinare, & nullo modo alium: si Petrus expresè intendat emere hunc equum si habeat propositas qualitates, aliàs non. Tunc enim patet deficientibus illis conditionibus, consensum omnino deficere. 6

Hinc infertur Primò, si dem liberaliter aliquid Petro credens eum esse Ioannem, donationem esse irritam, quia nullo modo intendo illud cuiuis præsenti donare, sed solùm Ioanni, & ad hoc meã intentionem 7 Error personæ reddit liberalem

donationē irritam. Secùs est de errore cuiuscumque qualitatis.

secundùm communem donantium sensum restringo. Secùs esset si donatarius esset verè Ioannes, sed falsò crederem eum meum esse cognatum, quia solùm esset error circa causam motiuam. Quare hic poterit dominum retinere donec ego hoc reuocem, nisi fortè dolo me induxerit ad donandum: quia tunc tenetur me meæ libertati restituere.

8 Infertur Secundò, irritè me donare Petro 100. quia falsò puto me tantum ipsi debere, quia actu intendo soluere debitum; siue dare eam pecuniam quatenus debiram, & non aliter.

An eleëmosyna validè detur fingenti paupertatem?

Infertur Tertiò, probabiliter posse defendi, eleëmosynam inualidè dari ei, qui falsò creditur pauper, quia dans videtur expresè intendere eam dare pauperi, & non alteri, quia solùm intendit dare eleëmosynam, quæ videtur necessariò respicere pauperem: Contrarium tamen credo communiter esse probabilius, quia communiter homines intendunt sua dare huic homini, quem credunt esse pauperem, ita vt paupertas sit solùm ratio motiua. Et vt donatio habeat formaliter rationem eleëmosynæ, sufficit quòd detur ei, qui omnino creditur esse pauper, vt ita ipsius miseria subleuetur. Simulans tamen eam paupertatem tenetur ad restitutionem, qua alterum dolo malo induxit ad dandum.

9 Conclvs. I. Error personæ iure naturæ reddit contractum sponsalium ac matrimonij omnino irritum. Est communis Doctorum. Quia personæ contrahentium sunt ipsum primarium ac essentiale obiectum huius contractus: sicut res empta in emptione.

Quare error personæ reddat potiùs irritū matrimonium, quā reliqua Sacramenta. Error personæ etiam crassus & cōcomitās irritat matrimonii. Sanchez. Soius.

Quare error circa ipsas facit actum omnino inuoluntarium, ac consequenter irritum: vt patet ex dictis. Ex quo patet differentia inter hoc Sacramentum, & reliqua.

Conclusio autem vera est, etsi error sit crassus & facilè vincibilis, quia, etsi hic non sufficiat ad culpam tollendam, efficit tamen ne actus sit verè voluntarius. Sanchez lib. 7. disput. 18. numer. 7. Item etsi error sit solùm concomitans, qui efficit actum omnino non voluntarium: nisi forte errans actu intendat cum proposita persona contrahere, qualiscumque demum illa sit. Patet ex dictis n. 5. Sotus in 4. d. 35. a. 2. concl. 2. dub. 1.

10 Hinc patet Primò, errorem personæ irritare matrimonium apud omnes gentes, quia ius naturæ apud omnes idem est.

Secundò, Pontificem non posse efficere, vt non irritet matrimonium, quia non potest tollere ius naturæ, aut supplere consensum contrahentium. Vide dicta d. 24. n. 51.

Error solius nominis nihil vitiat.

Nota eum non in persona, sed in solo nomine errare, qui putat eam cum qua contrahit vocari Paulam, cum vocetur Ioanna; modò aliàs ipsa persona ei satis cognita sit.

11 Conclvs. II. Nullus error solius qualitatis irritat iure naturæ matrimonium. Est communis & certa, & sequitur apertè ex dictis, quia contractus matrimonij non versatur circa qualitates, sed circa personas contrahentium, & qualitas solùm se habet per modum rationis motiuæ, aut causæ finalis: & consequenter eius error facit solùm inuoluntarium secundùm quid, nec impedit essentialem consensum.

Excipe casum Primò, quo quis expresè intenderet non contrahere, si talis qualitas personæ non insit; iuxta dicta n. 6. Secundò, quando error qualitatis inuoluit simul errorem personæ. Tunc enim, vt per se patet, & omnes fatentur, matrimonium esset irritum, quia esset verus error personæ.

12 Sed difficultas est, quando error qualitatis inuoluit errorem personæ. Qua de re varij variè scribunt, vt videre est apud Siluest. v. *Matrimonium* 8. n. 1. dicto 4. Rosellam v. *Impedimentum*. imped. 2. Sotum in 4. d. 30. q. 1. a. 1. Richard. ibid. a. 1. q. 2. a. 2. Angelum v. *Matrimonium*. 3. imped. 4. n. 3. Nauar. c. 22. n. 32. Candelabrum aureum 1. p. de matrimonio n. 113. Henriq. l. 11. c. 10. n. 2. & Sanchium l. 7. d. 18. n. 25. & seq. vbi plurimorum diuersa placita refert: quæ qui vult apud eum videre potest. Iis enim breuitatis causa omissis, ex ipsis vnicam hanc regulam statuam.

Richard. Angelus. Nauarr. Cand. aur. Henriquez. Sanchez.

Conclvs. III. Solius illius qualitatis error inuoluit errorem personæ quæ determinat intellectum contrahentis, vt certam ac omnino determinatā personam concipiat, cum qua hîc & nunc intendit contrahere, eamque distinctam ab ea cum qua externum contractum celebrat. Probatur, quia errorem qualitatis inuoluere errorem personæ in præsenti casu nihil est aliud quàm illum esse causam, cur quis credat hanc personam cum qua exteriùs contrahit esse aliam quàm reuera sit, ita vt verum sit ipsum non intendere cum hac contrahere, sed cum ea quam hanc putat esse, hoc autem in solo illo casu fit.

13 Quādo error qualitatis inuoluat errorē personæ.

Vt autem conclusio sit clarior, & faciliùs ad particularia possit applicari, Nota Primò, consensum contrahētium, siue sponsalia, siue matrimonium necessariò debere ferri in personam omnino determinatam. Inualidè enim contraheres cum filia Petri, nullam in particulari determinando, si hic plures haberet. Vt autem intendas cum aliqua determinata contrahere, omnino necessarium est, vt tibi in particulari determinatè proponatur, quia, sicut voluntas nunquam fertur in incognitum: ita nunquam fertur in aliquid determinatum, nisi determinatè cognitum, siue ab intellectu apprehensum.

14 Contrahētis consensus necessariò fertur in personā determinatam.

Voluntas in nihil determinatè fertur nisi determinatè cogniti.

Nota Secundò, nos duobus modis solere aliquem personam cognoscere singularem de ea conceptum formando. Primò, cognoscendo eam in se per eiusdem visum, aut familiaritatem, quæ etiam per literas haberi posset. Secundò, cognoscendo eam solùm secundùm aliquam qualitatem, qua nobis ab alijs describta est.

Inter diuersas successiuè cognitiones prima præcipuè voluntatem determinat.

Nota Tertiò, quando, aliquis successiuè diuersas cognitiones eiusdem personæ siue veras siue falsas accepit, primam cæteris paribus semper præcipuè attendendam esse: quia per illam ipse certæ personæ conceptum sibi formauit, quem per reliquas cognitiones (nisi longè euidentiores sint) non mutat; sed has personæ primò conceptæ conuenire credit, nisi aduertat inter eas repugnantiam.

Hinc infertur Primò, nunquam errorem qualitatis, quæ non designat personam omnino determinatam, inuoluere errorem personæ, quia illa qualitas non potest intellectum inducere, vt determinatam personam concipiat, aut voluntati proponat. 15

Infertur Secundò, quando quis aliquam personam in se verè cognoscit, falsitatem qualitatum quantumuis particularium quæ putantur inesse non inducere errorem personæ: quia harum narratio non efficit vt alter concipiat hanc aliam esse personam, quàm reuera sit, sed vt concipiat ei inesse alias qualitates, quàm reuera insit. Ad eiusmodi autem personæ cognitionem non sufficit eam semel obiter vidisse; sed necessaria est talis cognitio, vt quis possit secundùm communem modum loquendi dici verè eam cognoscere. Ad quod videtur sufficere, quòd semel atque iterum antequam ei talis esse describeretur, familiariter cum ea egerit; etiam per literas. 16

Quando verò dubium est, vtrùm cognitio illa personæ sit tanta, vt falsa de ea narratio non possit inducere errorem personæ; videndum est, vtrùm personæ cognitio in se præcesserit illam narrationem: an verò contrà, & tunc prior cognitio præferenda iuxta dicta notab. 3. v. c. Petrus incidit in aliquam personam sibi incognitam, agit aliquantulum cum ea, deinde rogat, quænam sit, falsoque dicitur ei esse filiam vnicam 17

Siluest. Rosella. Soto.

talis ducis, deinde eam ducit vxorem; est solùm error qualitatis, matrimonium valet. Quia ipse determinatur ad concipiendam certam personam ex priore conuersatione; & per eam narrationem non determinatur, vt putet eam esse aliam ab ea quacum egit, sed vt putet ei talem qualitatem conuenire. Excipe casum, quo filia talis ducis perfamam ei priùs esse singulariter nota: tunc enim per eam narrationem determinaretur vt hanc in particulari sibi ducendam proponeret. Contrà Ioannes promittit Petro filiam suam primogenitam, ei aliàs incognitam, deinde mittit ad eum secundogenitam, & hic eam ducit credens esse primogenitam; est error personæ quia intentio ipsius absolutè fertur in primogenitam sibi promissam. Quod verum est etiamsi primogenita iam esset defuncta, quia inde non efficeretur, vt secundogenita esset illa cum qua sponsus intendit contrahere.

Excipe casum, quo ante contractum longa familiaritate hæc secunda sponso sufficienter in se esset nota, ita vt ei in se inciperet placere abstrahendo ab illa qualitate.

18 Infertur Tertiò decisio casus quem adfert Tabiena v. *Impedimentum*. imped. 1. q. 4. nu. 5. vbi refert quendam ab altero petijsse in vxorem ipsius filiam secundogenitam, valdè pulchram; Petrum verò negasse, sed promisisse ei primogenitam iuuenì ignotam, quam hic petit primò ostendi cuidam suo amico; cui pater pro primogenita, quæ turpis erat, ostendit secundogenitam. iuuenis verò audita huius pulchritudine, cum primogenita contraxit. Respondetque Tabiena fuisse errorem solius qualitatis, quia iuuenis non poterat intendere contrahere cum secundogenita, cùm hæc ei fuerit negata.

Tabiena.

Dubitat tamen quid dicendum esset, si hæc non fuisset ei negata. Sed similiter dicendum esset, fuisse validum matrimonium, quia intentio iuuenis semper ferebatur in primogenitam sibi promissam, quam falsò credebat amico ostensam, ac esse pulchram. Ita Sanchez l. 7. d. 18. num. 35. Et sequitur ex dictis num. 17.

Sanchez.

19 Huius autem occasione quærunt aliqui, quid dicendum fuisset, si ille pater nullam filiam in particulari promisisset, sed vnã ex pluribus, ac tunc aliã ostendisset, & aliã tradidisset. Respondentque Primò, si pater vnã ex suis filiabus ostendisset, & alterã tradidisset, inualidum futurum fuisse matrimonium, quia iuuenis intentio fuisset determinata per illam ostensionem ad illam solam ducendam quæ fuisset ostensa, cùm ad nullam aliam potuisset determinari, quod verissimum est. Secundò, si verò pater ostendisset aliquam filiam non suam, & suam tradidisset, validum futurum fuisse matrimonium. Sed dicendum est, inualidum futurum fuisse, quamcumque pater eo casu dedisset siue vnam ex suis, siue aliam ostensam, quia iuuenis intentio in nullam determinata potuisset ferri. Nam neque in illam ostensam, quia tunc non intenderet aliquam ducere quæ non esset filia illius patris, neque etiam in vnam ex illius filiabus, quia nulla esset ratio, qua ipsius intentio potiùs determinaretur ad hanc ducendam quàm ad illam, quod tamen est necessarium, vt ostendi n. 14.

20 Conclvs. IV. Spectato etiam iure positiuo, nunquam error solius qualitatis, quando non intuoluit errorem personæ, irritat matrimonium, nisi sit error conditionis seruilis: de quo agam dub. 2. quia de nullo alio hoc reperitur vllo iure statutum. Est communis Doctorum.

DVBIVM II.

Qua ratione error conditionis seruilis irritet matrimonium: quáue ratione seruis matrimonium liceat?

21 Nota, duplicis generis esse seruos. Quidam enim propriè serui sunt, qui mancipia dicuntur, in quos dominus plenum ius habet eos vendendi, ac quibusuis operibus occupandi. Secundò, qui dicuntur adscriptitij, eò quòd glebæ, siue agro adscripti sunt, quem in domini commodum tenentur colere, solùm ea quæ vitæ suæ sustentandæ necessaria sunt inde deducentes, quorum filij dicuntur originarij; qui præter hanc obligationem, quam perpetuam habent, aliàs liberi sunt, nec à domino vendi possunt: nec ipsum, sed agrum, ad quécumque veniat, sequuntur. Vide Panormit. in cap. 2. de Iudæis & Saracenis, notabili 1. & glossam ibidem v. *Liberi sint*. Cùm hi igitur, vt eodem capite dicitur, propriè non serui sed liberi sint, matrimonium cum ijs etiam per errorem contractum valet, quia nullibi irritatur.

Serui alij mancipia, alij adscriptitij, aut originarij.

Panorm. Glossa.

Matrimonium cum originario per errorem contractũ valet.

Conclvs. I. Error conditionis seruilis iure naturæ non irritat matrimonium. ita D. Thom. in 4. d. 36. a. 1. ad 3. Sotus in 4. a. 2. post 1. concl. & est ferè communis, quia non est contra eius substantiam, quæ consistit in sola traditione mutua corporum, non autem conditionis. Quare huius error est tantùm circa accidentia. Nec refert quòd seruus non possit omnino liberum vsum sui corporis tradere, eò quòd sæpè possit à domino impediri ab vsu matrimonij ob alias occupationes, vel etiam vendi in alijs regionibus, ad quas non posset eum coniux tam facilè sequi. Quia hæc essentiæ matrimonij non obsunt, quæ solùm exigit, vt quis tradat potestatem sui corporis ad vsum, qui spectato cuiusque statu, commodè haberi potest. Quia aliàs matrimonium esset irritum inter duos seruos, vel inter liberum & seruum; etsi nullus error intercederet. Quæ sunt apertè contra c. 1. 2. & vlt. de coniugio seruorum. Item esset etiam irritum, quando quis contraheret saltem ignorans cum leprosa, aut laborante alio morbo insanabili & contagioso, aut ea infirmitate, quæ rarissimè permittat vsum matrimonij: cùm in his non sit minor deceptio, & maior difficultas in vsu matrimonij. Illud tamen secundùm omnes falsum est.

22 *D. Thomas. Sotus.*

c. 1. 2. & vlt. de coniug.

Dices Primò, Irritè quis cum hac conditione contraheret; vt non teneretur reddere debitum, nisi quãdo tertio placeret: atqui seruus non potest reddere debitum, nisi quando domino placet: ergo ipse irritè contrahit.

23 *Validè contrahis cum hac conditione vt nõ tenearis reddere debitum, nisi quãdo tertio placet.*

Respondeo, negando maiorem, quia, vt dixi d. 24. dub. 4. n. 43. potest quis contrahere cum hac conditione, vt nunquam teneatur reddere debitum. Adde, minorem esse falsam. Quia dominus tenetur seruo coniugato dare commodum tempus, quantum ratio patitur, vt vtatur matrimonio.

Dices Secundò, Iura non irritant hæc matrimonia, sed supponunt esse irrita: ergo iure naturæ irrita sunt. Respondeo negando conseq. quia potuit hoc introductum esse iure non scripto, aut scriptum iam perijsse.

Conclvs. II. Tunc solùm Iure Ecclesiastico hic error irritat matrimonium, quando liber cum serua, vel libera cum seruo ignari conditionis contrahunt. Patet ex cap. 2. & finali de coniug. seruorum, vbi hæc sola irritantur, idque ob incommoda & grauem deceptionem, quæ ex tali matrimonio sequuntur. Hinc.

24

c. 1. & fin. de coniug.

Patet: Primò, seruum validè contrahere cum serua,

quàm credebat liberam: item seruum vel liberum eum libera, quam credebat seruam; quia Iura hæc matrimonia non irritant, nec est ratio ea irritandi.

Secundò, validè liberum ignoranter contrahere cum ea quæ fuit immediatè antè serua, imò quæ ipso instanti contractus fit libera. Vt si dominus dedisset ei libertatem pro eo tempore, quo contraheret. Quia dicta incommoda hîc cessant, & moraliter loquendo talis contrahit cum libera.

25 Vbi Nota, si dominus ancillam tanquam liberam tradat alicui vxorem credenti esse liberam, aut videns hunc eam ducere, studio taceat, ancillam hoc ipso quo ducitur fieri liberam. Idem que dicendum, quando dominus conscio seruitutis tradit ancillam cum instrumento dotis. Patet ex l. vnica §. *sed & si quis.* & authent. *Ad hoc.* C. de Latina libertate.

l. vnic. C. de Latina. authent. Ad hoc.

Pater Tertiò, valere matrimonium liberi cum serua, si liber cognita seruitute id confirmet actu aliquo externo in id consentiendo, quia purgatur ignorantia. Vbi autem Trident. non est receptum, Ecclesia præsumit eum hoc facere, si eam notam seruam cognoscat: vt pater ex Iuribus citatis num. 24. Vbi autè receptum est Tridentinum; quæ requirantur ad confirmationem matrimonij, vide dicta disput. 24. dub. 10.

26 Addit Sanchez disput. 19. num. 4. idem dicendum si serua esset iam statu libera, id est, si esset ei concessa libertas acquirenda post certum tempus, modò hoc esset breue, quia hoc pro nihilo computatur: nec ex eo possunt sequi grauia incommoda, quæ Ius cupit euitare.

Sanchez.

Breue autem tempus vult esse quod est minus sex mensibus, quia nec intra illud tempus posset à domino vendi, aut procul ablegari; nec etiam ex matrimonio parere, & consequenter soboles esset futura libera. Secùs, si tempus esset futurum longius, quia proles concepta fieret serua, & alia incommoda sequerentur, quæ non sunt improbabilia; sed certò probari nequeunt.

Addunt alij, idem dicendum, quando liber facilè poterat scire conditionem alterius, ita vt ignorantia fuerit crassa, quia hæc æquiparatur scientiæ. ita Sotus in 4. d. 35. a. 2. concl. 2. §. *De his.* Sed hoc tantùm verũ est, quando agitur de culpa vitanda, à qua talis ignorantia non excusat, & consequenter communiter nec à pœna. Ius autem absolutè irritat eiusmodi matrimonia ignoranter contracta, talis autem verè ignoranter contrahit. Ita Sanchez sup. n. 20.

Sotus.

Sanchez.

27 His positis difficultas hîc est Primò, Vtrùm serui possint contrahere matrimonium inuitis dominis? Magister sententiarum in 4. disp. 36. §. *Quæritur etiam.* videtur id negare. Quia in Concilio Cabilionensi relato c. vlt. 29. q. 2. dicitur coniugia seruorum esse valida, in quibus *legalis coniunctio fuit, & per voluntatem dominorum.* Vbi, vt ipse ait, *videtur innui præter voluntatem dominorum inter seruum & ancillam non posse contrahi coniugium.* Idem videtur olim sensisse D. Basilius ad Amphilochium canone suo 40. vbi ait, *Quæ præter domini sententiam se viro tradidit, fornicata est, quæ verò postea libero matrimonio vsa est nupsit, quare illud quidem fornicatio; hoc verò matrimonium. Eorum enim qui sunt in alterius potestate, pacta conuenta firmi nihil habent.* Quæ etiam ratio hoc videtur probare. Cùm enim serui non habeant dominium sui corporis, non possunt id alteri inuito domino tradere.

Magister.

Conc. Cabilonensis.

D. Basil.

28 Alij contrà putant, ius ad matrimonium ita homini iure diuino naturali competere, vt (nisi ipse se voto continentiæ obstrinxerit) nulla lege humana possit à coniugio omnino arceri, ita Sotus in 4. disp. 35. art. 1. Quia, sicut homo habet naturalem inclinationem ad cibum & potum, quia hæc necessaria sunt ad conseruationem individui: ita habet naturalem inclinationem ad matrimonium, quia hoc est necessarium ad conseruationem speciei. Sicut igitur non potest prohiberi ne comedat; ita non potest prohiberi ne ducat vxorem. Et in hoc constituunt differentiam inter libertatem & ius ad matrimonium. Quia, cùm libertas sit homini concessa in priuatum commodum, potest ea ex iusta causa priuari. Contrà, cùm ius ad matrimonium illi à Deo & natura concessum sit in commodum totius naturæ eo priuari nequit.

Sotus.

Sed hæc mihi videntur difficilia. Primò, quia, si illa argumenta aliquid probarent, probarent etiam neminem per votum continentiæ se posse priuare iure quod habet ad matrimonium; sicut non potest se priuare potestate edendi. Et sicut clericus non potest se priuare priuilegio clericali, & sistere tribunali læcular, quia hoc cederet in iniuriam totius Ordinis, cuius gratia hoc priuilegium singulis datum est: sic nemo posset se priuare iure contrahendi matrimonium. 29

Secundò, quia inde sequeretur, malè Ecclesiam olim statuisse lex impedimenta non dirimentia matrimonij, quæ recensui disput. 30. numer. 25. quibus certis hominibus prohibebat tota vita nuptias. Si enim nemo possit iure humano priuari iure ineundi matrimonij; Ecclesia hoc illis prohibere non potuit.

Quare credo existente iusta causa non minùs aliquos iure humano posse priuari iure contrahendi matrimonij, quàm sua libertate, cùm hæc non sit illis minùs naturalis, quàm illud: & multo durius est priuari libertate, quàm illo iure. Item cùm nulla sit in singulis saltem hominibus obligatio ineundi matrimonij, aut illud ius conseruandi; nulla est ratio, cur ex iusta causa aliqui eo priuari non possint. 30

Potest quis lege humana priuari iure cõtrahendi matrimoniũ.

An autem aliquando fuerit talis necessitas seruis imposita, vt non possent inire matrimonia inuitis dominis, non satis constat. Sanè D. Basilius citatus num. 27. videtur id omnino sensisse. Idemque cum quibusdam aliis docet P. Henriquez lib. 1. cap. 10. numer. 4. in fine. Sed non est opus hoc pluribus disputare: quia solùm de præsenti statu quærimus. Sit igitur.

D. Basil.

Henriquez.

Conclvs. II. Seruitus ex natura sua non repugnat cum statu matrimonij, quare spectata sola illius natura, posset hoc seruus inuito domino contrahere. Hæc est D. Thomæ in 4. dist. 36. artic. 2. & communis, & ratio est, quia dominus non habet omnimodam potestatem in corpus serui: neque vllo modo eam quæ datur coniugi per matrimonium. Quare cùm seruus ex hac parte habeat verè dominium sui corporis, potest illud inuito domino alteri tradere: præsertim cùm (vt ostendi numer. 23.) dominium in mutua corpora, quod est de essentia matrimonij, possit facillimè consistere cum ea conditione, vt vel vnus vel vterque coniux possit pro alterius voluntate ab vsu coniugij impediri. 31

D. Thom.

Conclvs. III. Certum est iam de facto seruos validè inuitis dominis contrahere matrimonium. Ita habetur expressè c. 1. de coniugio seruorum. Vbi dicitur eorum matrimonia non debere vllatenus impediri. Ex quo omnes communiter colligunt, dominum non posse sine iusta causa eorum matrimonia directè impedire, nolendo hoc illis vllo modo permittere. 32

c. 1. de coniug. serv.

Dominus non potest directè serui matrimonium impedire.

Nota tamen, seruos, nisi aliqua iusta causa aliud suadeat (qualis esset si timerent ne dominus malitiosè eorum matrimonium impediat) teneri priùs dominorum consensum petere, antequam cum aliqua contrahant. Colligitur aperè ex Concilio Cabilonensi citato numer. 27. quod requirit voluntatem dominorum, vt coniugia seruorum fint omnino legitima. Ratio est, quia hoc exigit reuerentia quam ijs

Seruus tenetur communiter consensum petere vt contrahat.

Conc. Cabilon.

debent: præsertim cùm sæpè multùm dominorum interfit, vtrùm serui cum hac vel illa contrahant: ideoque durum sit si serui iis inconsultis cum aliqua contrahant, quæ ipsis valdè ingrata, ac multas molestias paritura sit.

33 Ex his autem oritur alia difficultas, qua ratione dominus possit serui sui matrimonium indirectè impedire. v.c. vendendo eum in remotis regionibus? Item, qua ratione iam coniugum possit impedire ab vsu matrimonij, occupando eum in suo ministerio, aut mittendo eum negotiorum causa in alias regiones, aut etiam eum ibidem vendendo? Et Tertiò, quando seruus nō potest simul & domino aliquid præcipienti obsequi, & reddere vxori petenti debitum: cui potiùs debeat obsequi?

Circa has difficultates variæ admodum sunt Doctorum sententiæ. Et circa Primam aliqui putant, dominum posse quidem ita vendere seruum, quem suspicatur cogitare matrimoniū, antequam ipse sponsalia contraxerit. Secùs autem esse, quando iam sponsalia contraxit: quia sponsa iam acquisiuit ius, vt sponsus cum ea contrahat. quod dominus ei non potest sine notabili necessitate eripere.

Sanchez. Circa Secundam P. Sanchez lib. 7. disput. 22. adfert septem diuersas sententias; quas non est opus hic referre, quia apud ipsum facilè videri possunt.

Circa Tertiam plurimi aiunt, seruum spectatis circumstantiis, scilicet periculo incontinentiæ in vxore, si diutiùs differat reddere debitum, & necessitate domini ipsius opera indigentis, debere primum obsequi ei, qui est in maiori necessitate, cæteris autem paribus, si sine consensu domini contraxerit, debere huic magis obsequi, quàm vxori: secùs autem esse, si cum huius consensu contraxerit, quia tunc dominus videtur tacitè consensisse, vt in tali casu magis obsequatur vxori. Ita Palud. in 4. d. 36. q. 2. a. 2. concl. 4. Richard. ibidem a. 4. q. 2. Sotus d. 35. q. 1. a. 1. ad 2. Armilla v. *Matrimonium*, n. 6. & alij.

Paludan. Richard. Sotus. Armilla.

34 Nota, Primam & Secundam difficultatem ex dictis ferè solùm habere locū quando seruus siue sponsalia, siue matrimonium contraxit cum ea, quæ quia est serua, vel alia ratione omnino impedita, non potest eum ad longinquas regiones sequi. Si enim ipsa possit sponsum aut maritum sine graui incommodo sequi, sicut hic, si esset liber, non obstante contractu posset se ad alias regiones transferre (vt ostendi disp. 23. n. 52.) ita potest à domino in iis regionibus vendi; vt omnes fatentur. quia dominus hac in re non habet minorem libertatem ac potestatem in suum seruum, quàm ipse haberet in seipsum.

Dominus potest seruum vbi vult vendere quādo vxor potest eum sequi.

Similiter & seruam quam maritus potest sequi.

Et eadem hac in re est ratio seruæ quæ libero nupsisset. Nam quòd vxor inuito marito non possit mutare domicilium, non prouenit ex eo quòd in ratione matrimonij magis ei obligetur, quàm ille ipsi; sed quia mariti, non autem vxoris, est regere familiam, & domicilium eligere. Secùs autem est in serua, quæ excepto vsu matrimonij, in suæ vitæ directione domino, non autem marito subiecta est, nisi quantum domino placuerit.

35 Conclvs. IV. Seruus sine consensu domini contrahens matrimonium, per hoc nulla ratione potest minuere ius, quod dominus in eum priùs habebat. Ita apertè Scotus in 4. d. 36. q. 1. a. 2. concl. 3. Et apertè eum insinuant Nauarr. c. 22. nu. 34. Emmanuel Sà v. *Matrimonium*. §. *Impedimenta dirimentia*. n. 1. Henriq. l. 11. c. 10. n. 4. lit. F. & alij multi: qui dicunt dominum non teneri consentire matrimonio serui, ne sibi præiudicet, apertè insinuantes illius matrimonium huic in nullo præiudicare, si non consentiat.

Scotus. Nauarr. Sà. Henriquez.

Patet etiam apertè ex c. 1. de coniugio seruorum, vbi de seruis coniugatis dicitur, *Debita tamen & consueta seruitia non minùs* (scilicet quàm antea) *debent proprijs dominis exhibere*. Si enim seruus per tale coniugium minueret ius domini in se, non eodem modo sicut antè teneretur ei seruitia exhibere. Ratio est, quia nemo potest priuata auctoritate de re aliena inuito domino disponere, siue eam ipsi auferre: hoc autem hîc fieret, si seruus per tale coniugium ius domini minueret.

c. 1. de conuers. ſerv.

Dices, seruum hoc non facere priuata auctoritate, 36
sed auctoritate Dei, qui instituendo matrimonium ei concessit, vt posset illud contrahendo; domini in se ius minuere. Sed hæc concessio nec iure, nec ratione probari potest, & satis apertè repugnat naturæ ipsius seruitutis, qua seruus non sub conditione, sed absolutè est res ipsius domini. Et eodem argumento quis inferret, quòd dominus talem seruum ex nulla necessitate posset in locis remotioribus vēdere: & quòd eo casu quo hoc esset necessarium vt posset reddere debitum, teneretur eum latiùs habere ac omni opere liberare, quæ absurda sunt. Quare ex eo quòd possit contrahere matrimonium nihil aliud sequitur, quàm eum posse facere ea quæ matrimonio sunt essentialia, scilicet quoad eius vtum transferre in vxorē dominiū sui corporis, & obligare se ad reddendū debitū, quantum ipsius status hoc permittit, ac ratio exiget.

Quale sit in seruo ius contrahendi matrimonij.

Concl. V. Dominus non peccat contrà iustitiam, 37
si etiam sine necessitate vendat in remotis regionibus seruum, qui sine sua venia sponsalia, aut matrimoniū contraxit, etsi matrimonium, eiúsve vsus necessariò impedienda sint.

Sequitur apertè ex concl. 4. & principiis auctorum quos ibi citaui. quia aliàs per illud matrimonium ius domini minueretur. Et apertè tenet Nauar. ibi citatus. Et probatur, quia, vt patet ex P. Sanchio citato n. 33. communiter DD. concedunt dominum in necessitate (qualem aiunt esse quando eius opera domino esset inutilis. & sine notabili pretij diminutione non posset eum in locis propinquis vendere) posse talem seruum ita vendere: atqui si talis venditio esset contra ius ipsius serui, aut vxoris, extra talem necessitatem, esset etiam contra idem ius in tali necessitate. Quia secundùm omnes talis necessitas non sufficit, vt alteri inuito suum ius possim auferre, cùm nec extrema, nec valdè grauis sit.

Nauarr. Sanchez.

Dixi, *Dominum non peccare contra iustitiam*, quia 38
nulla existente rationabili causa, esset contra caritatē eum ita vendere, præsertim quando seruus esset coniugatus, quia tunc vterque coniux priuaretur quasi in perpetuum omni coniugio, cùm nec contracto vti, nec aliud contrahere possent: atque ita dominus eos in graue incommodum coniiceret: quod ex caritate, quantum commodè potest, renetur vitare. In notabili tamen necessitate dominus potest præferre suum commodum, & illud serui incommodum non curare, quia ipse est res domini, & hic habet ius sua re vtendi, etiamsi inde alteri aliquod incommodum accidat.

Quantum dominus peccet seruum coniugatum aut spōsum procui vēdendo.

Quando tamen seruus solùm contraxisset sponsalia, etsi dominus eum ita venderet sine necessitate; nō videtur graue peccatum, quia incommodum non est ita magnum, cùm vterque coniux possit tunc alias nuptias inire. Imò vt dominus tunc ab omni peccato excusaretur, sufficeret quòd seruus eo inscio sponsalia contraxisset, vt eum ita puniret. Colligitur apertè ex Nauar. c. 22. nu. 34. vbi docet dominum non peccare mortaliter, etiamsi seruum coniugatum ita vendat, dicitque esse communem.

Nauar.

Dices, Index Ecclesiasticus in dictis casibus à seruo compellatus, cogeret dominum vt sine necessitate eum non venderet: ergo hic peccat contra iustitiam ita vendendo. Resp. negando consequ. Quia ad illud sufficit, quòd dominus peccat contra caritatem: quia

quia possumus cogi vt huius leges seruemus. Adde, antecedens non videri generatim verum; sed solùm tunc cùm dominus sine vlla causa ita seruum venderet: quia aliàs suo iure legitimè vteretur, à quo non debet impediri.

39 CONCL. VI. Hoc ipso quo dominus seruo dat facultatem contrahendi sponsalia aut matrimonium, implicitè ei promittit, quòd quantum commodè poterit, permittet eum vti matrimonio: atq; ita ex iustitia tenetur eum sine notabili necessitate non ita vendere, vt matrimonium, eiúsve vsus omnino impediatur, præsertim cùm ista promissio respectu sponsæ siue vxoris sit aliquo modo onerosa, quæ cum tali promissione eum contractum iniit, quem fortè aliàs non iniisset. In notabili tamen necessitate posset eum ita vendere, quia non censetur cum tanto suo incommodo voluisse se ad eum ita non vendendum obligare.

40 CONCLVS. VII. Etsi dominus in serui coniugium consenserit, non tenetur ideò ei quidquam remittere de seruitiis, quæ aliàs serui communiter solent præstare, etiam eum pro sua commoditate notabili tempore foras remittendo: & seruus vix vnquam potest eiusmodi domini obsequia recusare, vt posset vxori petenti debitum reddere.

Qua ratione domin' possit vti opera serui cum impedimento vsus matrimonij.

Probatur, quia si quid huic rei obstaret, esset obligatio erga vxorem: atqui hæc non obstat: ergo nihil obstat. Minor probatur, quia libet nunquam tenetur vlla sua officia omittere, vt possit melius vxori debitum reddere, ne fortè dum abest eius castitas periclitetur. Hinc videmus mercatores sæpissimè lucri causa plurimis mensibus domo abesse: & vt mollis ac nimis vxorius ab omnibus rideretur, qui, vt vxori obsequeretur, vllam lucrosam profectionem omitteret. Quantò ergo minùs ob similem causam tenebitur minùs liberè serui opera vti, intra eum modum, quo aliàs eius opera rationabiliter vteretur. Quamuis etiam domino cauendum sit, ne extraordinario modo seruum ita distineat, vt vix vnquam vxori adesse possit. Sed hoc communiter non accidit.

DVBIVM III.

Qua ratione matrimonium fidelis cum infideli sit irritum?

41 CONCLVS. I. Matrimonium fidelis cum infideli non est irritum iure naturæ: quia diuersitas fidei ex natura sua nullam habet repugnantiam cum ipso matrimonio, eiúsque vsu. nec etiam diuino. quia nullum tale ius diuinum exstat, præsertim in legè gratiæ, in qua etsi matrimonium fidelium sit elevarum ad esse Sacramenti: quatenus tamen habet rationem meri contractus ciuilis, relictum est primæ suæ institutioni. Et hæc conclusio est ferè communis DD.

42 Nec refert quòd in lege veteri Iudæis fuerint prohibita matrimonia cum incolis terræ promissionis. Primò, quia inde non sequitur matrimonia cum ijs contracta fuisse irrita. Deinde ea prohibitio fuit illi populo particularis: quia non prohibebantur iis matrimonia cum quibusuis infidelibus: nam Salomon sine reprehensione duxit filiam Pharaonis. sed cum certis tantùm: quare illa etiam iam cessauit. Confirmo quia Iacob validè contraxit cum filiabus Laban; Ioseph cum filia Putipharis; Moyses cum filia Iethro; Esther cum Assuero, qui erant idololatræ.

Dices Primò, Tale matrimonium est contra rectam prolis educationem, & pacificam coniugum cohabitationem. quia proles exponitur periculo peruersionis: & vix potest esse pax, vbi est dissensio fidei. Secundò, matrimonium obligat ad mutuam cohabitationem, & natura sua est insolubile: atqui fidelis non potest obligari vt cohabiter infideli, & potest eo relicto alias inire nuptias, vt patet ex dictis disput. 26. dub. 5. Tertiò, matrimonium fidelium est necessariò Sacramentum: atqui matrimonium fidelis cum non baptizato, non potest esse Sacramentum: ergo nec validum.

Respondeo ad Primum, illa tantùm ostendere eiusmodi matrimonia esse illicita, ob pericula prolis, & fidelis coniugis; non tamen esse irrita: quia proles talium parentum absolutè loquendo potest legitimè educari. Nam S. Clotildis nupta Clodouæo infideli, optimè suas proles educauit. Quòd autem sæpissimè contingat talium liberos malè educari, solùm ostendit matrimonium esse illicitum ex parte fidelis: aliàs matrimonium Catholici cum hæretica esset irritum, cùm sit hîc idem periculum. Imò matrimonium inter duos infideles esset irritum; quia inter eos proles multò minùs potest Christianè educari.

Matrimonium infidelis cum infideli communiter est illicitum.

Ad Secundum Respondeo, non esse contra essentiam matrimonij, quòd alter coniux per accidens non teneatur alteri cohabitare, aut etiam possit illud, ex priuilegio aliud matrimonium ineundo, dissoluere. Quia aliàs matrimonium inter infideles contractum, statim atque alter conuerteretur, esset nullum. Imò matrimonium ratum esset nullum, cùm vterque possit illud dissoluere per professionem. Adde, non esse de essentia matrimonij, vt contrahentes se obligent vt de facto cohabitent aut debitum reddant; vt ostendi d. 24. n. 43.

Non est contra essentiam matrimonij, quòd alteruter possit illud ex priuilegio dissoluere.

Ad Tertium Respondeo, non esse necessariò Sacramentum, nisi quando suscipientes sunt huius capaces: quales hi non sunt ob consortium infidelis.

CONCLVS. II. Iure Ecclesiastico matrimonium baptizati cum non baptizata, est irritum, cuiuscumq; fidei vterque sit. Est communis inter omnes DD. Et quamuis certum Ius irritans adferri non possit, tamen hoc communi praxi, & Ecclesiæ sensu introductum est. 43

Dixi, *baptizati cum non baptizata*. quia si vterque sit baptizatus, etsi alter sit hæreticus, vel etiam apostata, matrimonium valet. quia inter hos potest consistere Sacramentum. Ecclesia autem præcipuè supradictorum matrimonium irritauit, quia omnino dedecet fidelem inire matrimonium, quod non sit Sacramentum. Patet ex praxi. Quotidie enim videmus haberi rata matrimonia inter eos, quorum alter est hæreticus, vel etiam atheus. Et aliàs summè fuissent perplexa Catholicorum connubia. quia plurimi sunt occultè hæretici, vel etiam athei, qui creduntur Catholici.

Matrimonium fidelis cum infideli valet quando vterque est baptizatus, aliàs non.

Nec his obstat canon 72. sextæ Synodi. quia hi canones sunt supposititi, & nullius auctoritatis, vt ostendi d. 20. n. 89. & 118. *Synod. 6.*

CONCLVS. III. Matrimonium fidelis cum infideli, siue hic hæreticus sit, siue gentilis, iure Ecclesiastico est prohibitum, vt patet ex Concilio Chalced. c. 13. Laodiceno c. 10. & 31. Carthag. 3. c. 12. & aliis. Atque etiam communiter est illicitum iure naturæ, vt patet ex obiectionibus cõtra primam conclusionem. Quòd si tamen esset grauis necessitas, & illa pericula hîc & nunc cessarent, cessaret etiam prohibitio iuris naturæ: quia cessante eius ratio. Vide dicta disput. 26. num. 21. 44 *Chalcedon. Laodicen. Carthag. 3.*

Hinc Sanchez l. 7. d. 72. num. 5. dicit, in locis vbi Catholici mixti cum hæreticis palàm habitant & agunt, cessante omni coniugis & prolium periculo, licitè Catholicos cum hæreticis contrahere, & hoc ibi sicut alia negotia permitti. Sed hoc generatim non ausim dicere, & in praxi rarò videtur tutum. tum quia vix eiusmodi pericula omnino cessant; tum quia videmus Catholicos ex eiusmodi matrimoniis 45 *Sanchez.* *An licitè Catholici cũ hæreticis contrahant in locis vbi permissi habitant.*

scandalizari, saltem quando hæreticus se gerit pro tali, & palàm talis noscitur. Quare credo Sanchium solùm id affirmare, quando etiam omne scandalum cessaret, & esset notabilis aliqua causa ita contrahendi: & præsertim quando hæreticus se gereret pro Catholico, aut crederetur conuertendus.

Papa potest dispensare, vt fidelis cum non baptizato contrahat.

Hinc patet, ex graui causa posse Papam dispensare, vt fidelis cum non baptizato contrahat: vt si hic esset potens, & speraretur eius conuersio, nec immineret periculum prolibus, quia infidelis paratus esset permittere, vt catholicè educarentur. Quo casu illud matrimonium desineret iuri naturæ repugnare. At sine iusta causa dispensaret illicitè, sed validè: atque ita matrimonium valeret, sed illicitè contraheretur, quatenus iure naturæ est illicitum.

DVBIVM IV.

An raptus dirimat matrimonium?

46 Raptus quid sit.

NOra, propriè tunc esse raptum, quando persona aliqua vi de loco in locum abducitur, vt raptor eam in sua potestate habeat. Pa[illegible] vel ex ipsa nominis significatione. Nam in aliis rebus rapina à furto ita distinguitur, quòd per illam vis inferatur rei dominis, vel iis, quorum curæ est commissa: per hoc non. Nec rapinam dicitur committere qui alteri aliquid eripit, nisi id faciat, vt illud in suam potestatem redigat.

l. Quod autem. Siluestr.

Patent hæc apertè ex l. *Quod autem.* 3. π. de incendio, rapina, &c. §. *Aliud autem.* vbi dicitur, *Rapere* requirere, vt inferatur vis. Vide Siluestrum v. *Rapina.* initio, & v. *Luxuria.* num. 1. vers. *Raptus.* & Sanchez

Sanchez.

lib. 7. d. 12. vbi plurima de pœnis Iure cituli raptoribus constitutis disputat. Sed hæc ad hunc locum non pertinent. quia hic solùm de raptu agimus, quatenus matrimonium impedit.

47 CONCLVS. I. Inter raptorem & raptum non potest consistere matrimonium, donec hæc extra illius potestatem abducta, ac loco tuto & libero constituta, planè liberè in illud consentiat. tunc enim validè contrahent. Ita Trid. sess. 24. c. 6. de reform. matrimonij: vbi & addit, raptorem teneri arbitrio iudicis raptam dotare, siue eam ducat, siue non: & tam ipsum quàm consilium aut fauorem præbentes esse excommunicatos ipso iure, & perpetuò infames, ac omnium dignitatum incapaces. Et si clerici sint, præcipit vt de proprio gradu decidant: estque raptor his pœnis obnoxius, etsi raptam postea legitimè ducat, vt patet ex textu.

Trident. Raptor tenetur dotare raptam: aliaque pœnas incurrit.

48 Requiritur tamen sententia iudicis, vt eam teneatur dotare, quia hoc iudicis arbitrio faciendum est. Idem docet Sanchez l. 7. d. 13. n. 1. de infamia, incapacitate dignitatum, & priuatione proprij gradus, quod maximè pro hac vltima pœna est probabile. Quia eiusmodi pœnas nemo tenetur in seipsum saltem communiter exequi. Excommunicatio autem ipso iure, & consequenter ante sententiam incurritur.

Sanchez.

Vt autem hæ pœnæ incurrantur, necesse est fe[illegible] nam repugnantem in alium locum deferri. Nam Trident. apertè supponit eam per raptum constitui in raptoris potestate. Nec sufficit parentibus vim inferri, si illa consentiat. Quia Concilium vult tantùm consulere libertati matrimonij, ad quam solius puellæ liber consensus requiritur. Addit Sanchez suprà numer. 4. ob eandem causam; necesse esse ad eas pœnas incurrendas, vt mulier abducatur matrimonij contrahendi causa, quod probabile est. Alij volunt sufficere vt rapiatur libidinis causa, quod Sanchius etiam fatetur probabile.

Trident.

Sanchez.

DVBIVM V.

Quæ crimina dirimant matrimonium?

CONCLVS. I. Duo sunt eiusmodi crimina scilicet machinario in mortem proprij vel alieni coniugis; & adulterium coniunctum cum illa machinatione, aut cum promissione futuri matrimonij, quæ dirimunt matrimonium contrahendum inter ipsos adulteros, cósve qui communi consilio mortem coniugis machinati sunt. Patet ex c. *Si quis viuente.* 31. q. 1. & c. 1. 3. 4. 5. 6. de eo qui duxit, &c. & c. 1. de conuersione infidelium. In hanc conclusionem omnes auctores conueniunt: ipsa tamen maiore explicatione indiget, ob varias conditiones quas requirit, in quibus non omnes consentiunt, quas consequenter explicabimus.

49

cap. Si quis. c. 1. 3. 4. 5. 6. de eo. c. 1. de conu. infidel.

CONCLVS. II. Vt machinatio in mortem coniugis dirimat matrimonium, requiritur Primò, vt habuerit effectum, siue vt ex ea mors coniugis sit secuta, vt patet ex c. *Si quis viuente.* 31. q. 1. & c. 1. de conuersione infidelium, vbi expressè notatur mors ex illa machinatione secuta. Et quámuis quædam Iura hoc non exprimant, tamen secundùm dicta Iura intelligenda sunt: quia leges crimini pœnam imponentes, de perfecto crimine intelliguntur nisi aliud constet. Ita D. Thom. in 4. d. 37. q. 2. a. 2. in corpore, & cum eo communiter Theologi. Sufficit tamen contracturos consilio, mandato, aut simili modo mortem coniugis per alios procurasse, modò hi ab iis permoti mortem inculerint. Secùs esset si omnino proprio motu sine respectu ad eorum consilia id fecissent. Quia tunc eorum machinatio fuisset inefficax, nec ipsi fuissent verè causa mortis. Quando autem mandatum aut consilium reddatur inefficax per reuocationem, vide dicta disp. 13. n. 125. Non tamen sufficit vt ratam habeant occisionem sua causa factam, quia ratihabitio solùm æquiparatur mandato in rebus quæ à nostra voluntate pendent, vt ratæ sint, aut vbi Iure est expressum, vt accidit in habente ratam percussionem clerici.

50 Varia requisita vt hæc pœna locum habeat.

c. Si quis. c. 1. de conu. Leges imponentes pœnam requirunt crimen perfectum.

D. Thom.

Requiritur Secundò, vt contracturi machinentur coniugi mortem eo consilio, vt inter se contrahant. Ita Richar. in 4. d. 37. a. 2. q. 2. D. Thom. ibid. q. 2. a. 2. Palud. ibidem. Sotus q. vnica a. 4. P. Henriq. l. 12. c. 14. nu. 2. Valentia hîc d. 10. q. 5. puncto 3. & alij. Quia leges intendunt hac pœna impedire ne aliqui cupiditate alieni matrimonij, propriam vel alienam cóiugem occidant; efficiendo nimirum occisores incapaces talis matrimonij, qui finis nullo modo habet locum in iis qui alia ex causa coniugem occidunt, quia hi per talem pœnam nullo modo possunt à suo scelere retardari; quare inutiliter lex in eos illam statueret. Ex quo satis colligitur legislatorem non intendere eos sua lege comprehendere.

51

Richard. D. Thom. Paludan. Sotus. Henriquez. Valentia.

Tertiò requiritur, vt ante mortem coniugis contracturi inter se commiserint adulterium; vel vt vterque in mortem coniugis conspirarit. quia Iura id impedimentum statuentia alterutrum & requirunt, & docent sufficere: vt patet ex c. 1. de conuersione infidelium, vbi dicitur validum quarumdam fuisse matrimonium cum occisoribus suorum virorum, quia illæ horum mortem non fuerant machinatæ: contrà verò inualidum earum quæ fuerant machinatæ, nullam faciendo mentionem adulterij. Et c. *Significasti.* 6. de eo qui duxit, &c. solùm requiritur vnius machinatio adulterio coniuncta.

52

c. 1. de conu.

c. Significasti.

Quartò, quando vnus solus machinatus est mortē coniugis, requiritur vt ignara huius machinationis cum eo ante coniugis mortem committat formale adulterium, siue quod sciat esse tale: alioqui ex parte ipsius

53

ipsius non committetur adulterium. Cùm autem pœna hæc sit communis vtrique contrahenti, exigit vt culpa communis sit. Et confirmatur, quia, quando sine occisione coniugis est adulterium commissum cum fide de contrahendo postmodum matrimonio, debet vterque scire se committere adulterium. Si enim alteruter bona fide procedat; putans vtrumque esse solutum, in eius fauorem matrimonium subsecutum est validum: vt habetur c. 1. de eo qui duxit: estque in nostro casu similis ratio. Ita Emmanuel Sà v. *Matrimonium.* §. *de impedimentis dirimentibus.* num. 7. & Sanchius l. 7. disput. 78. numer. 12. Vbi etiam addit: si Catharina, v. c. coniugata adulteretur cum Petro ignorans hunc coniugarum, & hic deinde mortuo marito Catharinæ occidat ea inscia suam vxorem, vt eam ducat, valere matrimonium. Quia vt adulterium præstet impedimentum, debet ex vtraque parte tendere in iniuriam coniugis occisæ, & huius esse occasio, quia hoc impedimentum inductum est ad eiusmodi occasiones tollendas. Adulterium autem Catharinæ, etsi ex eius parte iniuriosum sit proprio marito, non tamen vxori Petri: nec ipsa ex parte sua dedit sciens aliquam occasionem, vt Petrus occideret suam vxorem, cùm nesciret eum hanc habere. Quod saltem post factum vt probabile admitti potest, quamuis ante factum tale matrimonium omnino dissuaderem: & nescio an iudex facti conscius id admitteret.

c. 1. de eo. §2.

Sanchez.

54 Quinrò, quando vnicus est conscius machinationis mortis, requiritur vt adulterium committatur ante mortem coniugis. Hinc si Petrus occidat vxorem, vt ducat Catharinam, cuius virum languidum credit breui moriturum, & postea sine vlla promissione cum ea adulteretur, validè cum ea post mortem viri contrahet, quia adulterium hîc ex neutra parte fuit occasio coniugis occidendæ.

Sextò requiritur, vt matrimonium cum coniuge occisa fuerit verum: quia si fuerit inualidum, quantumcumque occultè, non erit locus huic impedimento. quia à parte rei nec adulterium, nec coniugis occisio fuit, sed tantùm putatur fuisse.

55 Conclvsio. III. Prima conclusio habet etiam locum siue occisus sit vir, siue fœmina, quia eadem est ratio: & quamuis occidens sit infidelis, quia potest Pontifex fidelem reddere incapacem, vt contrahat cum infideli. Patet ex c. 1. de conuersione infidelium; vbi vtrumque apertè decidituc.

c. 1. de conuers. inf.

Hinc patet Primò, Paulum occidentem vxorem vt aliquam incertam ducat, cum quauis aliàs non impedita postea validè contrahere, quia incerta non potuit esse particeps criminis: nisi fortè id fecisset, vt contraheret cum vna ex quinque vel sex, quæ omnes aliquo ex dictis modis crimini occasionem dedissent, cum eo vel adulterando, vel mortem coniugis machinando.

Secundò, Paulum suasu Iacobæ occidentem vxorem, vt ducat Catharinã scelcris insciam, validè cum vtrauis contrahere, si cum neutra priùs sit mœchatus: quia Catharina est innocens, & occisio non est facta ad ineundum matrimonium cum Iacoba. Sequitur ex dictis n. 5. 1. Sanchez sup. n. 16.

Sanchez.

56 Conclvs. IV. Vt adulterium, sine machinatione mortis dirimat matrimonium, requiritur Primò, vt sit coniunctum aut cum matrimonio inter adulteros de facto contracto, aut cum promissione de contrahendo post mortem coniugis: ita vt nec solum adulterium sufficiat, nec attentatum matrimonium, aut eiusdem promissio sine adulterio, vt patet ex c. 6. & vlt. de eo qui duxit. Debet etiam promissio esse acceptata: quia aliàs non habet veram rationem promissionis. Non tamẽ (vt aliqui putant) requiritur vt accedat iuramentum: quia hoc nullo iure probatur. Quod enim Iura videntur requirere, vt promissio fiat data fide, solum volunt eam debere esse seriam & acceptatam: quia aliàs non est vera promissio. In omni autem tali promissione fides datur.

c. 6. & vlt. de eo.

Nota cum P. Sanchio lib. 7. disput. 79. numer. 10. promissionem etiam fictam inducere hoc impedimentum, modò exteriùs omnino appareat seria; & tanquam talis acceptetur. Quia talis promissio dat promissario veram occasionem insidiandi vitæ alterius coniugis, vt matrimonium possit perfici: quod Ecclesia statuendo hoc impedimentum præcipuè intendit vitare. Et confirm. quia Ecclesia primò & per se solùm actum externum prohibet ac punit, nec curat ex qua intentione procedat, nisi quando hæc est necessaria, vt ille perfectè contrarietur ipsi prohibitioni, & fini ob quem eum prohibet: in præsenti autem casu externa illa promissio ficta eodem modo, vt iam ostendi, repugnat fini, quem Ecclesia intendit, ac si seriò fieret, & consequenter habet in se perfectam rationem delicti, in ratione actus repugnantis Ecclesiæ prohibitioni: ergo per eum incurritur statuta pœna. Excipe tamen casum; quo promittens, aut omnino credit alterum aduertere, se ioco promittere, aut intendit promissionem statim reuocare, antequam alter possit inde vllam occasionem interficiendi coniugem accipere: idque etiam de facto efficaciter facit, quia tunc illa promissio non repugnat legi, vt per se patet.

57 *Sanchez.* Ficta promissio quãdoque inducit hanc pœnam.

58 Addunt aliqui Primò, non sufficere vnius taciturnitatem, vt censeatur alterius promissionem de futuro matrimonio acceptare, quia talis acceptatio cùm reddat eum incapacem illius matrimonij, in eius damnum cedit: tacens autem non censetur consentire in id, quod in ipsius damnum cedit; vt Doctores communiter colligunt ex Regula, *Is qui tacet.* 44. de regulis Iuris, in 6.

Reg. Iuris.

Sed contrarium est fortè probabilius, quia, cùm adulteri se mutuò ament, censetur expetere mutuum matrimonium; ideoque vnus alteri hoc promittit tanquam fauorabile: in fauorabilibus autem *qui tacet censetur consentire.* regula. 43. de Regulis Iuris, in 6. Nec refert quòd acceptatio sit iis damnosa, eò quòd impediat matrimonium, quia tales hoc aut nesciunt, aut non apprehendunt, aliàs non promitterent matrimonium.

Tacens videtur eiusmodi promissionem acceptare. *Reg. Iuris.*

Dices, Iura in nullo præsumunt ignorantiam Iuris.

Respondeo, nihil referre quid Iura præsumant. quia illa taciturnitas non debet iudicibus esse signum consensus, sed ipsi promittenti, qui hîc & nunc suam promissionem iudicat fauorabilem. Quare si alter eam promissionem verè interiùs accepet, valdè probabile est eius taciturnitatem esse signum consensus: præsertim in fœminis, quæ sunt magis pudibundæ, nec ita audent suum in talia consensum facilè exteriùs prodere. Et hoc satis certum credo, quando illam promissionem paulò pòst subsequitur adulterium, quia pars tunc illa promissione videtur omnino moueri, vt in hoc consentiat.

59 An conditionata promissio sufficiat.

Addunt alij Secundò, sufficere promissionem conditionatam, modò adulterium præcesserit, vel saltem sequatur antè quàm conditio noscitur defecisse. Quia talis promissio inducit veram obligationem expectandi conditionem, eaque posita contrahendi, quantum est ex forma & natura sua, & iniicit spem futuri matrimonij, & dat occasionem quærendæ necis coniugis. Secùs tamen esse, si antequam cõmittatur adulterium, conditio noscitur defecisse, quia cùm tunc sit omnino nulla, non concurrunt simul adulterium & promissio. Ita Nauarr. l. 4. consiliorum, tit. de eo qui duxit, consilio 2. n. 1.

Nauarr.

Et hoc credo verum esse quando conditio noscitur

euenisse ante mortem coniugis: quia tunc promissio transit in absolutam. Cõtrarium tamen credo verius, quando mors coniugis accidit ante euentum conditionis. quia tunc illa promissio non habuit rationem veræ promissionis, ne quidem externæ, nec potuit alteri esse occasio machinandi mortem coniugis, cùm ante conditionis euentum nullam certam spem futuri coniugij ex ea poterit concipere, cùm ita promittens à parte rei non magis promiserit se cum ea contracturum, quàm non contracturum. Nam vtrumque promisit sub conditione; vt ostendi disp. 19. num. 6. atque ita promissarius ea promissione non tam incitatur vt ante conditionis euentum necem coniugi machinetur, quàm vt eam eousque differat, ne alias gratis se tanto scelere obliget.

Excipe tamen casum, quo aut in promissarij potestate esset conditionem suo tempore implere; aut ipse ferè certus esset eam impleturum. Tunc enim habita priùs facinoris patrandi occasione facilè in necem coniugis incitaretur.

60 Adulterium & promissio debent simul esse ante mortem coniugis. *c. 6. & vlt. de eo.*

Secundò requiritur, vt promissio & adulterium simul existant ante mortem coniugis, hoc enim aperte requirunt c. 6. & vlt. de eo qui duxit. Quare si alterutrum sequatur mortem coniug aut si promissio priùs facta omnino reuocetur antequam committatur adulterium; cùm verè non existant simul, nec illa iam possit incitare ad occisionem coniugis; non adferent impedimentum. Hinc si Petrus viuente vxore promittat Catharinę matrimonium, & vxore mortua aliam ducat, & cum Catharina sine promissione adulteretur, nullum orietur impedimentum, quia prior promissio fuit reuocata per secundum matrimonium. Ita Sanchez suprà n. 5. & 6. Sanchez. Sotus. Sotus in 4. d. 37. q. vnica a. 4.

61 Tertiò requiritur, vt dum committitur adulterium, vterque sciat alterum esse coniugatum. Patet ex c. 1. de eo qui duxit, vbi dicitur non incurrisse hoc impedimentum eã quæ vxorato nupserat, putans esse solutum. Quia ex ipsius parte non fuerat adulterium commissum. Incurritur tamen impedimentum, etsi promissio facta sit, vel matrimonium contractum ante scientiam vitæ coniugis alterius, si post scientiam adulterium committatur ante mortem coniugis, quia per hoc priora pacta ratificantur. Secus est, si copula contingat post mortem coniugis. quia tunc nec habet rationem adulterij, nec potest esse occasio mortis illius. *c. 1. de eo.*

Putant autem aliqui adulterium excusari ab hoc impedimento per ignorantiam etiam crassam vitæ alterius coniugis. quia in rebus facti non præsumitur scientia. Sed contrarium videtur probabilius. quia talis copula habet verè malitiam adulterij. Sicut percussio eius qui à percutiente crassè ignoratur esse clericus, habet veram rationem sacrilegij. Ita Siluester *Matrimonium* 8. q. 9. dicto 9. Nauarr. c. 22. num. 46. P. Valentia hic disput. 10. q. 5. puncto 3. Petrus Soto lect. 9. de matrim. & ferè communiter Doctores. Ignorantia crassa non excusat. *Siluester. Nauar. Valentia. Pet. Soto.*

Dices, l. penult. ff. da legem Iuliam, de adulr. dicitur, adulterium non committi sine dolo: atqui ad hoc excusat etiam ignorãtia crassa: ergo, &c. Respon. o, maiorem solùm esse veram, quando agitur de pœnis lege Iulia infligendis; quæ vt grauissimæ sunt, ita omnino perfectam culpam requirunt. Hoc autem impedimentum non tam est statutum in pœnam, quàm vt occisio coniugis euitetur. Quare non requirit culpam ita perfectam: præsertim cùm tale adulterium possit esse occasio occidendi coniugem. *l. penult. ff. ad l. Iul.*

62 Quartò requiritur, vt copula sit perfecta, sufficit conatus, aut impudici tactus. quia per hæc non committitur adulterium.

Quintò, vt præcedès matrimonium fuerit verum, aliàs non committitur verum adulterium.

Alij requirunt, vt promissio sit reciproca, sed hoc Iura non requirunt. Patet ex c. *Significasti.* 6. de eo qui duxit. Vbi solùm requiritur vt alteruter fidem dederit. *c. Significasti.*

CONCLVSIO V. Hoc impedimentum tantùm reddit adulteros inhabiles, vt inter se contrahent; non autem vt cum alijs contrahant. Patet ex Iuribus citatis, & est communis. Nec oritur vnquam ex nudo adulterio sine machinatione mortis, aut matrimonio contracto, vel promisso, patet ex c. *Significasti.* de eo qui duxit, & dictis. Nec etiam ex matrimonio de facto contracto altero coniuge viuente, vel promissio sine adulterio, vt patet ex c. fin. de eo qui duxit. 63 *c. Significasti.* *c. fin. de eo.*

Nec obstat quod ibidem c. 1. dicitur in sacris canonibus haberi: *Vt nullus copulet matrimonio, quam priùs polluerat adulterio, illam maximè cui fidem dederat vxore sua viuente, aut quæ machinata est in mortem vxoris.* Hoc enim non ita intelligendum est, quasi sine his adulterium sufficiat (quia sic apertè contradiceret aliis Iuribus citatis) sed particula *maximè*, sumitur pro *inquam*, vel simili, vt determinet priùs dicta, & ostendat canones, qui (vt patet c. 31. q. 1.) absolutè dicunt adulterium impedire matrimonium, cum hac restrictione esse intelligendos, vt patet ex *Cùm haberet* de eo qui duxit. Vbi cùm Pontifex dixisset: *Nosti enim quòd Leo Papa statuit, Vt nullus ducat in matrimonium, quam adulterio polluit*; subiungit: *Et quòd hîc plus processum sit* (quia nimirum adulteri inierant matrimonium) *quàm si fides præstita duntaxat fuisset adulteræ.* Vbi clarè innuit, hanc conditionem (scilicet fidem adulteræ esse datam) sub Leonis dicto subintelligi. Aliàs nullus esset sensus. 64 *c. 1. de eo.* *c. Cùm haberet.*

Demum Nota, sufficere vt adulter ineat cum adultera matrimonium clandestinum. Nec enim requiritur vt validum ineat, cùm id fieri non possit: præsertim cùm dixerimus d. 21. tale matrimonium habere vim sponsalium. 65

DVBIVM VI.

Quo iure votum solemne Religionis dirimat matrimonium?

NOta, constare inter omnes, hoc votum dirimere matrimonium contrahendum: vt patet ex c. vn. de voto, in 6. Tamen inter eos validè controuertitur, quo iure id fiat. 66 *c. unic. de voto.*

Prima sententia, quæ plurimorum est Doctorum, dicit id iure naturæ fieri. Prob. Primò, quia vota solemnia continent traditionem ipsius vouentis, iurisque quod ipse habet in suum corpus ad hoc alteri tradendum ad vsum matrimonij: quo iure semel validè tradito, iure naturæ inualidè id alteri traditur. Vota autem simplicia tantùm continent promissionem, quæ non irritat traditionem alteri postea factam. Atque ita hæc sententia essentialiter distinguit vota simplicia à solemnibus. Prob. Secundò, quia Siricius Papa epist. 1. c. 6. vt refertur c. *Si quis sacro.* §. *Velatæ.* 27. q. 1. dicit velatas virgines contrahentes matrimonia, verbo Domini & canonica auctoritate separandas esse. Tertiò, Trident. sess. 24. can. 9. ait: *Si quis dixerit clericos in sacris Ordinibus constitutos: Vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, cõtractumq; validum esse nõ obstante lege Ecclesiastica, vel voto, &c. anathema sit.* Vbi insinuat clericos lege Ecclesiastica, Religiosos verò voto reddi incapaces matrimonij. Ita Durand. in 4. d. 28. q. 1. in fine corporis. Soms l. 7. de Iustit. q. 2. a. 5. vers. *Sed interrogas.* Pet. Soto lect. 5. de matrim. sub finẽ, & plures alij. *Siricius Papa. c. Si quis. Trident. Durand. Soto. Pet. Soto.*

Secunda

67 Professio solo iure Ecclesiastico dirimit matrimonium. *Rosella. Angelus. Richard. Scotus. Bellarm. Lessius.* Votū etiam solēpe non continet traditionē.

Secunda sententia, quam probabiliorem puto, docet professionem in Religione solo iure Ecclesiastico dirimere matrimonium. Ita Rosel. v. *Impedimentum* impedimento 4. n. 2. Angelus *Matr.* 3. impedimento 5. Richar. in 4. d. 38. a. 7. q. 2. ad 3. Scotus ibid. q. 1. sub finem. Card. Bellar. l. 2. de monach. ca. 35. ad 2. P. Lessius de Iust. c. 41. n. 68. Probatur, quia omne votum siue solemne sit, siue simplex, est essentialiter promissio: atque ita non potest intrinsecè continere traditionem, quæ specie differt à promissione: res autem vni promissa validè alteri traditur. Respondent alij, votum solemne duo continere scilicet quod tradat Deo ius, quòd vouens habeba ad nuptias, & sic habere rationem traditionis; & quòd promittat in posterum seruare castitatem, & sic habere rationem voti. Sed contrà, vel promissio & traditio est vnicus absolutè actus: & hoc dici non potest: quia duo actus essentialiter & specie distincti, quales sunt promissio & traditio præsertim diuersarum rerum, non possunt in vnum actum specie coalescere. Vel sunt duo actus distincti, & sic non per votum, quod est essentialiter promissio sed per actum ei coniunctum reddetur Religiosus incapax matrimonij: imò votum adiunctum erit superfluum, cùm Religiosus per solam traditionem sufficienter obligetur seruare castitatem imò magis quàm per votum possit obligari. quia magis obligor non vti contra voluntatem alterius re ei tradita, quàm tantùm promissa. Et planè superfluè exigerem à viro probo, vt mihi promitteret, quòd nunquam contra meam voluntatem vteretur libro, quem mihi absolutè dedisset, ac tradidisset. Item cùm secundùm illos auctores status religiosus consistat propriè in illa traditione, nemo fiet Religiosus per ipsa vota, sed per traditionem ab iis distinctam: quæ tamen sunt contra communem sensum, & mentem etiam auctorum illius sententiæ.

68 *Bon. VIII. Greg. XIII.* Confir. Primò, quia Bonifacius VIII. c. vnico de voto, in 6. & Gregorius XIII. in Bulla *Ascendente Domino.* definiunt omnem votorum solemnitatem matrimonium ditimentem esse ex Ecclesiæ constitutione. Respondent aliqui, ipsam solemnitatem non esse rationem formalem, cur professio habeat rationē veræ traditionis, ac dirimat matrimonium: sed esse solùm conditionem sine qua non. Sicut præsentia Parochi & testium est conditio sine qua mutuus contrahentium consensus non potest habere rationem matrimonij. Cuius ratio est, quia vota non possunt habere rationem perfectæ traditionis nisi Deus ea sic accepter: ipse autem contentus generali in res omnes dominio, nullius rei sibi oblatæ particulare dominium vnquam per se acceptat; benè tamen per alios. Hinc quantumcumque Deo offeras, v. c. calicem, nisi aliquis homo nomine Dei eum acceptet, manet semper tuus: statim autem atque aliquis eum acceptat, tuus esse desinit. Ecclesia autem non vult vlla vota tanquam veram vouentis traditionem acceptare, nisi quæ fiunt in Religione approbata. Vnde hæc solemnitas eodem modo est causa, cur professio sit vera traditio, & dirimat matrimonium: sicut præsentia est causa cur consensus contrahentium exteriùs expressus sit verum matrimonium, & dirimat aliud matrimonium cum alia contractum.

69 Solemnitas voti nō est cōditio requisita vt habeat rationem traditionis.

Sed hæc videntur parum congruere menti illorum Pontificum. Primò, Bonifacius suprà ex eo quòd votorum solemnitas sit ex constitutione Ecclesiæ, infert solum votum in Ordine sacro, aut professione Religionis emissum dirimere matrimonium. Quia nimirum hoc Ecclesia de illis solis votis constituit. Vbi clarè insinuat ipsam solemnitatem siue Ecclesiæ constitutionem immediatè dare his votis hanc vim, præsertim cùm ibi eodem planè modo loquatur de voto Religiosi, & ordinati: cùm tamen communiter ferè omnes fateantur, hoc votum solo iure humano dirimere matrimonium.

Respondent, Pontificem hæc vota solùm comparare in vi dirimendi matrimonium, non autem in iure quo id dirimunt. Sed hoc non satisfacit. Quia Pontifex absolutè vtrumque votum comparat in ratione dirimendi matrimonium, & apertè insinuat hoc iis competere ratione solemnitatis, dum dicit, ea sola vota dici solemnia quantum ad dirimendum matrimonium. Secundùm illam autem sententiam voto Religiosi non conueniret hæc vis ratione solemnitatis, sed ratione naturæ suæ. Sicut matrimonio legitimè contracto vis dirimendi matrimonium subsequens non conuenit ratione solemnitatis, sed ratione naturæ: nec potest propriè dici esse præ aliis solemne quantum ad dirimendum subsequens; benè tamen dicitur solemne quantum ad hoc, vt valeat, quia nimirum solemnitas est suo modo directa causa valoris ipsius matrimonij, tanquam conditio ad hoc directè requisita. Quòd autem coniugatus inualidè secundò contrahat, est illi solemnitati planè per accidens. Et simili modo secundùm illam sententiam solemnitati votorum esset planè per accidens irritatio matrimonij sequentis.

Per se est causa irritationis matrimonij.

70 *Greg. XIII.* Vota simplicia possunt constituere propriè dictum Religiosum.

Secundò, quia Gregorius XIII. suprà ex eo quòd solemnitas sit ab Ecclesia inuenta, infert per vota simplicia, quantum est ex natura rei, tam posse aliquem constitui propriè dictum Religiosum, quàm per solemnia: ideóque Religiosos Societatis Iesu per vota simplicia propriè fieri Religiosos, non secùs quàm professos. Quæ argumentatio esset inepta, & consequens falsum, si solemnitas constitueret essentialem differentiam inter hæc vota. Quia, cùm vota ufficiant essentialiter Religiosum, ille necessariò essentialiter minùs perfectè, & alia longéque inferiore ratione debet esse Religiosus, cuius vota sunt essentialiter imperfectiora, & alterius ac inferioris rationis: atqui secundùm illos vota simplicia sunt essentialiter rationis imperfectioris & inferioris quàm solemnia: ergo Religiosi facti per sola vota simplicia sunt imperfectiùs & aliter Religiosi quàm professi. Sicut res mihi promissa est longè imperfectiùs & alia ratione mea, quàm mihi tradita. Quod tamen apertè est contra Bullam Gregorij.

Confirmatur Primò, quia, si per vlla vota posset fieri talis traditio, qua homo fieret incapax matrimonij & dominij, deberet fieri per omnia vota Religionis. Et hoc videtur iis ita fore essentiale, vt sine tali traditione nemo posset esse Religiosus. quia Religio institura est, vt per eam homo se tradat Deo modo perfectissimo possibili: atqui Religiosi Societatis Iesu per vota simplicia fiunt verè ac propriè Religiosi non secùs ac professi: vt definitur in Bulla Gregorij; & tamen manent modò capaces dominij: & ante illam Bullam videntur etiam fuisse capaces matrimonij. quia Pontifex dicit se eorum matrimonia illa Bulla irritare & annullare: ergo talis traditio nec ad verum perfectúmque statum Religionis requiritur; nec videtur possibilis. 71

Confirm. Secundò, quia Cælestinus III. c. *Rursus.* qui clerici vel vouentes. dicit votum simplex coram Deo tantum obligare, quantum solemne. quod esset apertè falsum, si vnum contineret traditionem, alterum simplicem promissionem. *Cælest. 3.*

Tertiò, quia nulla potest adferri ratio, cur Deus per alios quādoque tale dominiū acceptet, & nunquā per se: aut cur extra statum religiosum, ac Ordines sacros nunquam tale dominium fuerit acceptatum. Etsi enim Ecclesia statuerit, vt nemo possit fieri verus Religiosus, nisi emittat vota; nullibi tamē vetuit, ne quis talia vota extra Religionem in manu alicuius Prælati emitteret, isque ea nomine Dei acceptaret. Quo

casu secundùm illam sententiam talia vota matrimonium subsequens irritarent, quia essent vera traditio.

Deus non acquirit nomen dominium rerum, quas locis sacris damus.

Quartò, quia aliæ res externæ non possunt ita Deo dari, vt ipse particulare earum dominium acquirat, quantumcumque alius eas nomine Dei acceptet. Hinc earum rerum, quæ in locis sacris Deo offerimus non ipse Deus, sed loca sacra, siue homines iis locis dicati dominium acquirunt. Et simili planè modo profitens in Religione non tradit Deo singulare sui dominium, sed quadam ratione ipsi Religioni, cuius

Lessius. fit membrum. Vnde (vt benè docet P. Lessius de Iust. c. 8. n. 19.) Religiosus fugiens è Religione facit huic veram iniuriam, seipsum ei furando. Ex quo patet solutio ad argumentum positum n. 68. Sed illud dominium non repugnat essentiæ matrimonij, vt mox videbimus.

72 Probatur hæc sententia Secundò. Quia etsi, Religiosus per professionem aliquod sui dominium Deo traderet, hoc tamen non repugnaret essentiæ matrimonij: ergo ex natura sua non redderet illum matrimonij ineundi incapacem. quia hoc (vt alij etiam fatentur) non potest alia ratione fieri quàm quia illi duo inter se pugnant. Minor prob. quia coniugati manente coniugij vinculo validè in Religione profitentur, & fiunt tam perfectè Religiosi, quàm quiuis alij. quod fieri non posset, si illa duo vincula inter se pugnarent: quia repugnantia nequeunt simul consistere. Quod autem aliqui dicunt, dominium quod Religiosus dat Deo repugnare matrimonio contrahendo, non autem contracto, sine fundamento dicunt; vt ostendi disp. 24. n. 44. Ratio autem illius est, quia, sicut dominium domini in seruum est longè diuersum ab eo quod habet coniux in coniugem, ita etiam hoc est distinctum ab eo, quod per professionem tradi posset.

73 Nullus homo potest in alium habere dominium omnino plenum.

Pro quo Nota, nullum hominem posse in alium habere dominium omnino plenum, sicut habemus in res alias, quas pro voluntate possumus omnino destruere: in homines autem solùm possumus habere dominium omnino limitatum, quasi ad certos vsus. Quale autem quodque dominium sit, ex fine ad quem institutum est, spectandum est. Hinc quia seruitus est instituta in vtilitatem domini, hæc seruum subiicit domino, quatenus ipse est res quædam vtilis homini, tum ratione operæ suæ, tum etiam quatenus aliis vendi potest. Contrà verò quia matrimonium institutum est ad honestam generationem, per ipsum coniuges accipiunt in se mutuò dominium in ordine ad generationem, non autem ad alia seruitia. Item quia Religio instituta est, vt Religiosus possit Deo & suæ saluti perfectissimè vacare; ideo hic per professionem tradit Superiori, aut ipsi Religioni in scius, quo obligatur secundùm huius regulas, & illius directionem viuere: quia hoc ad illum finem est necessarium. Et similiter si quod Deo sui dominium traderet, hoc consisteret in iure, quo ipse obligaretur suam perfectionem & Dei gloriam quærere secundùm regulæ institutæ; & in hunc finem ab iis omnibus abstinere, quæ ab illis adipiscendis hominem maximè impediunt. Qualia sunt vsus diuitiarum, & ipsius matrimonij: non autem ipsum vinculum, aut Sacramentum, aut contractus matrimonij. quæ secundùm se seclusо vsu à perfectione non auocant, & possunt consistere, & de nouo suscipi sine vllo coniugij vsu, & cum absoluta obligatione eo nunquam vtendi: vt ostendi disput. 24. num. 23.

74 Ad Primum argumentum positum n. 66. nego per professionem fieri talem traditionem, vt si quod dominium tradatur, hoc solùm repugnare potestati tradendi alteri ius proximum petendi debitum non autem potestati tradendi ius remotum. quod solùm est de essentia matrimonij. Ad Secundum Resp. Gratianum malè citasse Siricium, qui solùm dicit talium complexus legibus, ac Iure Ecclesiastico prohiberi, ideoque separandos esse. Ad Tertium Resp. Concilium ibi solùm definire, Ecclesiæ constitutionem iustam voro tales reddere inhabiles ad nuptias: per quid autem hoc immediatè fiat, permittit Doctoribus disputandum. *Gratian.*

DVBIVM VII.

Qua ratione impotentia dirimat matrimonium?

HÆc materia habet multas & graues difficultates, sed eas fusiùs explicare omitto, quia multæ in iis nequeunt clarè exponi, nisi ea dicantur, quæ vix honestè dici possunt. Quia tamen illius cognitio est Theologo necessaria, eam omnino omittere non potui: leuiter tamen eam percurram, solùm dicendo ea quæ omnino necessaria sunt. Qui fusiorem explicationem desiderat, legat Sanchez l. 7. disp. 92. vsque ad finem libri, qui eam viginti tribus disputationibus fusissimè tractat, ex quibus ea quæ maximè credo necessaria, breuiter ponam. *Sanchez.*

Notandum autem est Primò, impotentes hîc dici 75
qui non possunt habere talem copulam, ex qua fiat vna caro, ad quam requiritur, vt vir intra vas muliebre semen immittat: quia talis copula ad consummationem matrimonij est necessaria. Patent hæc ex c. *Debitum.* 5. de digamis. Et fusè probat Sanchez supra disp. 92. num. 7. Ad irritandum autem matrimonium parum refert, an ea impotentia proueniat ex constitutione aut defectu membrorum: an ex arctitudine fœminæ, aut etiam ex maleficio. *c. Debitum. Sanchez.*

Nota Secundò, impotentiam aliam esse perpe- 76
tuam, quæ sine miraculo, periculo vitæ alterius, aut peccato tolli non potest: Aliam temporalem, quæ fine illis arte humana, aut ordinariis Ecclesiæ remediis, quibus contra maleficia vtitur, tolli potest. Patet ex c. *Fraternitatis.* de frigidis. Vbi dicitur: *Nos tamen perspicaciter attendentes quòd impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter diuinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit remoueri.* *c. Fraternit.*

Item aliam esse absolutam, quæ reddit aliquem impotentem respectu omnium: aliam respectiuam, quæ tantùm est respectu certæ personæ: qualis communiter est in maleficiatis.

Hinc patet, perfectè eunuchos esse absolutè impotentes, quia carent vero semine. Patet ex motu proprio Sixti V. apud Sanchez disp. 92. nu. 17. quo declarat talium matrimonium esse irritum. *Sixtus V. Sanchez.*

CONCL. I. Impotentia absoluta & perpetua dirimit matrimonium iure naturæ. Quia nemo potest in alterum transferre dominium eius rei, quam nullo modo habet: atqui in ita impotente, nulla est potentia ad vsum matrimonij: ergo eius dominium in alterum non potest transferre, & consequenter nec inire matrimonium: quod essentialiter consistit in traditione mutua corporum ad vsum matrimonij siue quatenus ad illum sunt potentia. 77

Etsi hanc conclusionem omnes concedant quando 78
vnus contrahens ignorat alterius impotentiam; tamen multi putant matrimonium esse validum, quando is qui potens est illam nouit, & nihilominus vult cum eo contrahere. Ita Candel. aurem 1. p. de matrimonio, n. 236. Palud. in 4. d. 30. q. 1. a. 2. & alij. Probant Primò, quia non est de essentia matrimonij, vt coniuges habeant copulam: ergo impotentia ad copulam id non impedit. Secundò, quia validè aliqui contrahunt cum voto continentiæ, & mutua obligatione nunquam petendi debitum; qui tamen moraliter impotentes sunt ad vsum matrimonij: ergo *Cand. est. Palud.*

similiter validè contrahent physicè impotentes. Tertiò, quia, si potentia ad copulam esset de essentia matrimonij; impotentia superueniens illud dirimeret: atqui hoc est falsum: ergo & illud. Et confirm. quia suprà disp. 24. nu. 43. ex eo quòd impotentia moralis possit consistere cum matrimonio contracto, probani etiam posse consistere cum contrahendo.

79 Sed omnino dicendum est, talium matrimonium esse omnino nullum, vt ferè communiter DD. fatentur. Et apertè colligitur ex c. *Consultationi.* 4. de frigidis, &c. Vbi Pontifex loquens de iis qui etiam scienter cum arctis, ideóque impotentibus ad copulam contraxerunt, dici, quòd non possint has habere vxores. Et ratio est, quia contractus matrimonij est essentialiter mutua traditio dominij corporũ, quatenus potentia sunt ad vsum matrimonij: vt ostendi num. 73. cùm autem tales non habeant talem potentiam, nullo modo possunt alteri eius dominium tradere.

c. Consultationi.

80 Ad Primum argumentum contrarium, nego conseq. quia, etsi per matrimonium non tradatur necessariò propinquum ius ad copulam, debet tamen tradi dominium corporis potentis ad copulam.

Ad Secundum, nego conseq. Quia moraliter sòlùm impotentes habent corpora verè physicè potentia ad vsum matrimonij: & consequenter illorum dominium, quod ab vsu distinguitur, verè possunt tradere. Secùs est de physicè impotentibus.

Ad Tertium, nego maiorem. Quia, etsi per matrimonium directè & per se tantùm tradatur dominium corporis quà potens est ad vsum; indirectè tamen & consequenter traditur aliquo modo dominium totius corporis, quatenus huic vsui vel mutuo amori conciliando subseruit. Hinc non solùm actus coniugalis inter coniuges licitus est: sed etiam actus & aspectus, quatenus dictis finibus subseruiunt, idque etiam postquam impotentes facti sunt ad copulam: modò absit periculum pollutionis: vt docet Sanchius l. 9. disp. 17. num. 21. Et eiusmodi tractus cum aliis habiti sunt contra fidem matrimonij. Quamuis igitur tale dominium non possit dari sine dominio potentiæ ad copulam, quia tantùm consequenter ad hoc datur: potest tamen semel datum sine eo permanere. Sicut filum sine acu non potest induci in pannum, sine ea tamen potest in eo permanere.

Sanchius.

Ad confirm. Resp. esse valdè diuersam rationem. Nam si obligatio ad non reddendum debitum repugnaret matrimonio contrahendo, deberet ei repugnare ideò præcisè, quia repugnat obligationi, quæ necessariò per illum contractum suscipitur, & in qua essentia matrimonij consistit: vt alij etiam fatentur. Ex quo apertè sequeretur, hanc cum ea non posse consistere etiam post factum: vt loco citato satis ostendi. Impotentia autem physica sòlùm repugnat matrimonio; quia deest materia circa quam contractus essentialiter versatur, quæ si postea desinat, ideò non irritat contractum antè factum, aut obligationem; quæ eum essentialiter sequitur, cùm hæc alios effectus habere possit, vt patet ex dictis.

81 CONCLVSIO II. Quando impotentia est tantùm respectiua, dirimit matrimonium inter eos, respectu quorum est: quia respectu aliorum, nulla est ratio dirimendi. est communis & certa.

Dices, Tales habent veram potentiam generandi, licèt respectu huius vel illius non possit exire in actum: ergo poterunt etiam in hos illius dominium transferre. Respondeo, negando conseq. Quia sicut matrimonium necessariò est contractus inter certas personas: ita respicit potentiam non in genere, sed respectu personæ in quam dominium corporis transferendum est. quare impotens respectu huius, est absolutè impotens vt cum hac contrahat.

Matrimonium respicit essentialiter potentiam respectu certæ personæ.

82 CONCLVSIO III. Quando impotentia non est perpetua, non dirimit matrimonium. Patet cap. *Fraternitatis.* de frigidis. vbi dicitur impotentiam, quæ potest humana arte tolli, non dirimere matrimonũ. Ratio est, quia talis absolutè est potens, licèt adhuc imperfectè, ita vt adminiculo indigeat, & tantùm est impotens secundùm hoc tempus, vel secluso tali adminiculo. Vnde patet impuberes iure naturæ, si modò vtantur sufficienter ratione, posse validè contrahere, nisi aliud impedimentum obstet: etsi pro eo tempore sint adhuc impotentes. Iure tamen Ecclesiastico puer vsque ad annum 14. & puella vsque ad annum 12. redduntur incapaces, nisi priùs potentes, & sufficientes doli capaces sint. Secùs postquam eam ætatem attigerunt, etsi adhuc ob ætatis imbecillitatem impotentes sint.

c. Fraternit.

Impuberes spectato solo iure naturæ validè cõtrahierunt.

Hinc sequitur Primò, quando ferè certò constat 83
aliquos esse impotentes, nullo modo posse permitti vt contrahant; & si contraxerint, statim separandos, saltem toro. Quia tales non possunt bona fide præsumere matrimonium esse validum, & consequenter omnino illis illiciti sunt omnes actus tendentes ad vsum matrimonij. Imò alterutro petente, omnino cohabitatione separandi sunt.

Quòd si tamen vellent cohabitare tanquam frater & soror, *id* permittendum est, & suadetur c. *Consultationi.* de frigidis: non tamen præcipitur. Quoties tamen creditur subesse periculum incontinentiæ, omnino separandi sunt.

c. Consule.

An impotentes permittantur simul cohabitare.

Quòd si post contractum matrimonium, dubium sit an impotentia sit perpetua, an temporalis, datur illis triennium, vt experiantur an possint matrimoniũ consummare, c. *Laudabilem.* de frigidis. quo tempore licita sunt iis, quæ aliis coniugibus; tenentúrque dare operam, etiam adhibendo medicamenta, quantum sine grauis mali periculo possunt, vt potentes fiant: quia, cùm mutuò obligentur ad vsum matrimonij, tenentur etiam ad ea, quæ ad hunc necessaria sunt. Absoluto verò triennio si consummare non potuerint, toro separandi sunt; aut etiam habitatione, si periculum sit incontinentiæ, aut alteruter id petat. Patet c. *Laudabilem.* de frigidis. Debet autem hoc triennium computari à tempore, quo primùm tentarunt consummare, itaque continuari vt maxima saltem anni parte eodem toro vtantur.

c. Laudab.

c. Laudab.

Sequitur Secundò, facta separatione potentem 84
posse aliud inire matrimonium: quia prius fuit omnino nullum. Secùs est de impotente, si impotentia sit absoluta: quia hic est incapax matrimonij. Quòd si postea aliqua ratione reperiatur factus potens, reddenda est ei coniux, etsi hæc cum secundo iam contraxerat. quia prius matrimonium fuit validum, cùm impotentia fuerit tantùm temporalis. Patet ex c. *Laudabilem.* & c. *Fraternitatis.* de frigidis. Secùs si constaret impotentiam fuisse tantùm respectiuam. quia tunc vterque posset inire aliud matrimonium. quia tantùm sunt incapaces matrimonij inter se, non autem respectu aliorum. Quòd si non constet impotentiam fuisse respectiuam & impotens reperiatur post separationem potens, præsumitur impotentiam fuisse temporalem: & restauratur prius matrimonium vt coniuges per triennium iterum probent: vt colligitur ex cap. *Fraternitatis.* de frigidis. Secundò autem separatus nunquam restituitur. Vide Sanchez lib. 7. disp. 99. & 93. num. 14.

Deprehensus impotens si post separationem deprehendatur potens redditus priori coniugi.

c. Laudab.

c. Fraterni.

c. Fraterni. Sanchez.

Nota, quando contrahentes sunt adhuc ætate imbecilla, & dubitatur, an inde proueniat impotentia, illud triennium experientiæ computandum à tempore, quo perfectam pubertatem adepti sunt. Quod in fœmina contingit anno decimoquarto, in viro decimo octauo. Sanchez l. 7. disp. 104. n. 18.

Sanchez.

Sequitur Tertiò, quando in contrahentibus fuit 85
talis impotentia, quæ sine miraculo, peccato, vel

Impotentia modo

nõ naturali vitæ periculo auferri non potuit, etsi aliquo ex his modis postea auferatur, matrimonium tamen esse nullum: adeò vt vterque possit aliud matrimonium inire; nisi secundò postea inter se contrahant. Quia iuxta definitionem suprà datam, illud impedimẽtum fuit verè perpetuum; nec eius ablatio potest facere ratum priorem contractum.

ablatâ, non restauratur prius matrimoniũ.

Nec obest quòd validum sit matrimonium inter maleficiatos, si possit maleficium exorcismis, orationibus, aut coniugum ad Deum conuersione per confessionem, ac alia pia exercitia auferri. Quia, cùm hic effectus soleat sæpè eiusmodi cautis à Deo concedi, vtpote ad hunc finem abeo & Ecclesia ordinatis, non dicitur miraculosus: sicut nec obtentio gratiæ per Sacramenta, aut orationes. Sanchez disp.93. num.8. 10. & 20.

Effectus qui exorcismis fit non censetur miraculosus.

Sanchez.

86 Sequitur Quartò, steriles, aut mulieres quæ nequeunt parere sine vitæ periculo, aut non nisi fœtum mortuum; si aliter potentes sint ad vsum matrimonij, validè contrahere. Quia nec generatio, nec potestas generandi est de essentia matrimonij. Credo tamen tali fœminæ scienti hunc suum defectum in pariendo, illicitum esse nubere. quia tenetur tantum suæ vitæ periculum euitare, si commodè possit. Quòd si graues tamen pateretur tentationes, præsertim cum periculo succumbendi, licitè nuberet. Quia non tenetur dicta incommoda cum tanto suo malo superare. Colligitur ex Sanchez l.7. disp. 108. nu.8. Vbi ob similem causam, dicit talem coniugatam licitè petere debitum; non tamen teneri reddere cum tanto suo incommodo. Quod verum est, quando bona fide cõtraxit, & toro vult separari à marito. quia si conscia sui defectus contraxit, tenetur reddere, quia non potuit contrahere nisi ad hoc se obligando. alioqui grauissimè maritum deciperet, volendo inuitum obligare ad reddendum debitum sine iure petendi. Idemque est quando vult eodem toro vti. quia aliàs grauissimis tentationibus maritum exponeret.

Impotens parere sine vitæ periculo validè sed illicitè nubit.

Sanchez.

87 Nec proli quæ creditur mortua edenda, fit hoc modo iniuria. quia hoc est præter intentionem coniugum iure suo vtentium. Adde, probabile esse secundùm D. Augustinum lib. 5. contra Iulianum c.8. tali proli melius esse, sic esse, quàm non esse, & consequenter ex tali actu nullum ei accedit malum, sine quo nullo modo esset, cùm in coniugum potestate non sit, vt ad esse omnino perfectum perueniat.

D. Augst.

Sequitur Quintò, validè contrahere paulò pòst moriturum. quia habet veram potentiam generandi, etsi nunquam ea vsurus sit. 88

Nec refert quòd tunc ratione morbi ita constitutus sit; vt ad matrimonij vsum sit ineptus. Quia inde tantùm sequitur, pro hoc tempore potentiam esse impeditam, non autem sublatam: nisi fortè ita esset affectus, vt nulla omnino ope humana posset vnquam reddi potens. Talis enim impotentia vndecumque proueniat, irritat matrimonium. Sed hæc non præsumitur, nisi clarè constet: & tale matrimonium legitimat prolem antè inter contrahentes susceptam, etsi contrahatur ad hunc solum effectum, & in fraudem aliàs necessariò succedentium. Sanchez disputat. 105.

Sanchez.

Sequitur Sextò, hermaphroditos validè contrahere in quibus eminet sexus virilis, cum fœminis; in quibus eminet sexus fœmineus, cum viris. Quia verè sunt potentes ad matrimonij vsum. Quòd si vterque sexus in iis sit æqualis, possunt eligere vt inter fœminas, aut inter viros computentur. Facta tamen semel electione, illicitus est iis vsus alterius sexus. Sanchez disput. 106. Quem loco suprà citato consulat, qui plura hac de re cupit discere. Ipse enim minutissimè & doctissimè singula prosequitur. Ego hæc pro nostro instituto, & communi confessariorum vsu sufficere credo. 89 *Sanchez.*

Occurrit hîc quidem disputandum Primò, An signa magica, quibus matrimonium malitiosè impeditur, tollere liceat? Sed iam non est opus, cùm hanc quæstionem doctissimè explicarit P. Lessius de Iustit. c.44.dub.6. qui in omnium manibus versatur: vbi affirmat id licere. *Lessius.*

Item hîc disputandum esset de impedimento ligaminis, & Ordinis, quæ moralem quandam impotentiam continent: sed de iis satis multa diximus disput.20. dub.11. & disp.26. dub.2.

DISPVTATIO XXXII.

DE

IMPEDIMENTO

TRIPLICIS COGNATIONIS,

AFFINITATIS, ET PVBLICÆ HONESTATIS.

NOTA, cognationem esse triplicem scilicet carnalem, siue consanguinitatem, spiritualem, & legalem, de quibus singu. gillatim agemus.

DVBIVM I.

Qua ratione consanguinitas impediat matrimonium?

1 NOta Primò, consanguinitatem sic dictam, quòd sit inter eos qui eundem sanguinem ratione natiuitatis participant, atque ita cognati, quasi simul ab eodem nati dicuntur.

Vnde nascitur naturalis quidam inter eos amor: ideoque cognatio communiter definitur, *Vinculum personarum ab eodem stipite descendentium propagatione carnali contractum.* Quod durat inter eos omnes, qui secundùm commune hominum iudicium eundem sanguinem participant. Hæc enim participatio paulatim ratione diuersæ commistionis, & distantiæ à primo stipite deficit. Quid sit cognatio.

Impugnant aliqui hanc definitionem Primò, quòd ea ratione omnes homines deberent dici cognati, quia omnes ab vno stipite scilicet Adamo descendũt. Secundò, quia secundùm eam non fuisset cognatio inter Adamum & filios: quia non descendebant ab vno stipite.

Ad Primum, nego assumptum. quia definitio non dicit esse cognationem inter omnes descendentes ab eodem stipite ; sed inter eos solos , inter quos hoc vinculum oritur, quòd non contingit omnibus. Ad Secundum Resp. hanc definitionem non esse inuentam pro Adamo, sed pro eius posteris, quibus accommodata est. Nec enim hic metaphysica aliqua definitio ; sed quæ moralem doctrinam dirigeret, commoda descriptio quærebatur.

Nota Secundò, gradus consanguinitatis alios esse in linea recta, quæ est inter parentes, filios , nepotes, pronepotes , &c. quorum hi dicuntur descendentes: pater verò, auus, proauus, &c. ascendentes.

Duplices gradus cõsanguinitatis.

Item alios esse in linea transuersa , eorum scilicet qui ab eodem quidem stipite descendunt , non tamen vnus ab alio, v.c. duo fratres, duo patrueles, &c. Spectando autem ius canonicum, secundùm quod gradus computandi sunt in ordine ad matrimonium dirimendum , hæ duæ regulæ in iis computandis sunt obseruandæ.

2 Qua ratione numerandi in linea recta.

Prima est. In linea recta tot gradibus vnus ab altero distat , quot generationibus inferior à superiore descendit, v. c. filius à patre , vnica generatione ; nepos ab auo , duabus ; pronepos à proauo , tribus ; abnepos ab abauo , quatuor generationibus descendit. ideoque primi distant vno gradu : secundi duobus: tertij tribus: quarti quatuor, & sic deinceps.

Quomodo in linea transuersa.

Secunda regula. In linea transuersa tot gradibus dicuntur aliqui inter se distare, quot distat à communi stipite is, qui ex iis maximè distat. v.c. Catharina sit neptis Petri, Paula verò eius abneptis ; Ioannes verò eiusdem abnepos ; hic ab vtraque æqualiter , scilicet quatuor gradibus, distabit, quia tot distat à Petro.

In priore regula conuenit Ius ciuile cum canonico : in secunda discrepat. Nam Ius ciuile computat simul gradus vtriusque distantis : atque ita secundùm hoc fratres inter se distant duobus gradibus , quia quisque vno à stipite, duo patrueles quatuor gradibus, &c. neptis & pronepos quinque gradibus.

3 *D. Thom.*

Nota Tertiò, D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 9. in corpore adferre tres rationes , cur minùs conueniat consanguineos inter se matrimonium contrahere , cóve vti. Prima, quia filij parentibus naturaliter debent quandam reuerentiam : & consequenter etiam iis qui his sanguine coniuncti sunt , cui repugnat matrimonij vsus. Secunda, quia inter consanguineos solet maxima intercedere familiaritas : quare frequenter inter eos periclitaretur pudicitia , si licitum esset iis matrimonium, cuius spes ad impudica excitat , & illius desperatio ab his auertit. Tertia, quia ratione illius prohibitionis plures contrahunt inter se necessitudinem, ratione matrimoniorum , quæ coguntur cum extraneis contrahere. atque ita communitas in Republ. hominúmque societas magis coalescit. Ex quibus secunda & tertia ratio ostendunt quidem expedire , vt talia matrimonia prohibeantur , non tamen probant ea per se vllam habere cum recta ratione repugnantiam. Nec enim ex eo quòd sæpè expediat matrimonium inter certas personas contrahi , sequitur id tunc semper illicitè cum aliis contrahi. Item ex eo quòd ob hominum malitiam contingat ex aliqua re sæpè aliqua mala nasci, non sequitur eam omnino esse illicitam. Aliàs oporteret omnem vsum vini esse illicitum , quia multi se inebriant. Item aliàs ex secunda ratione sequeretur nuptias debere esse illicitas inter eiusdem domini famulos & famulas ; ne fortè earum spe excitentur ad fornicationem. Prima autem directè probat matrimonij vsum inter consanguineos habere quandam indecentiam , præsertim in proximis gradibus. Ideoque Leuitici 18. vbi hæc coniugia prohibentur, hæc sola indecentia ponderatur.

Non omnis eo res est illicita , ex qua pet accidens natum est sequi malũ.

Leuit. 18.

4

Nota Quartò , quosdam DD. vt definiant inter quos consanguineos matrimonium sit contra ius naturæ, primum definire, id omne esse contra ius naturæ, quod statim obiectum intellectui, exiguo vel nullo discursu tale apparet , & ab omnibus rectè institutis tale iudicatur. Sed hæc ratio nec est à priore , nec sufficiens. Nam etsi ex eo quòd omnes benè instituti statim iudicent rem aliquam esse illicitam , benè colligamus eam iuri naturæ repugnare ; multa tamen sunt contra ius naturæ , quibus hoc non conuenit. Multæ enim gentes aliàs optimè institutæ admiserunt , vt licitas modicas vsuras; ac matrimonij dissolutionem. Imò plurimi olim celeberrimi Philosophi, vt patet ex Plutarcho libr. de liberis educandis post medium, crediderunt pæderastiam esse licitam. quod etiam omnes Iapones ante conuersionem crediderunt. Quæ tamen certissimè iuri naturæ repugnant. Illud igitur generatim est contra ius naturæ, quod ex se cum natura rationali habet talem repugnantiam, vt ab ea scienter licitè fieri aut appeti nequeat. Quæ autem in particulari talia sint, partim ex principiis fidei, partim ex communi gentium iudicio, partim ex diuersis rationibus, aliisque claris principiis colligitur.

Minùs rectè aliqui definiunt quid sit contra ius naturæ.

Ius naturæ multis sæpè obscurum est.

Plutarch.

Quid sit contra ius naturæ.

5

Nota Quintò , ex eo quòd aliquod matrimonium sit iure naturæ illicitum , non statim sequi esse etiam irritum. Nam obligatus voto castitatis, aut sponsalibus cum alia contractis , contra ius naturæ illud init, non tamẽ inualidè. Quare difficile est probare, matrimonium inter aliquas personas iure naturæ esse irritum: & argumenta, quæ communiter à multis auctoribus ad hoc adferuntur , in rigore non aliud ostendunt, quàm aliqua eiusmodi matrimonia esse iure naturæ illicita. Quia tantùm ostendunt, ea continere in se quandam indecentiam , ac impedire aliquo modo aliquos fines secundarios matrimonij , ne tam perfectè obtineántur. Vnde etiam multi inferunt, in extrema necessitate , vt si aliis omnibus mortuis , solus frater cum sorore , aut pater cum filia superessent , hos valide licitéque inter se contracturos : sicut licitè accipio rem alienã in extrema necessitate : itaque aiunt valide contraxisse filios Adæ. Extra talem tamen necessitatem, volunt talia matrimonia esse irrita sine dispensatione contracta. Ita Sotus in 4. d. 40. a. 4. ad 1. & d. 41. a. 3. concl. 2.

Sotus.

6 Necessitas non tollit vim legis irritantis.

Sed hæc inuoluunt contradictionem. Nam etsi necessitas quandoque excuset ab obligatione legis aliquid inhibentis; tamen nunquam tollit vim irritantis. Hinc inualidè quis iam contraheret sine dispensatione in gradu prohibito, aut clàm, vbi Trident. receptum est , etsi aliàs deberet mori , aut etiam tota Respublica interire. Quia, vt ostendi disp. 30. nu. 20. necessitas præcisè non potest homini dare capacitatem, quam non habet; inter nullos autem matrimonij contractus est irritus, nisi qui illius inter se incundi sunt incapaces.

Nec efficit vt iure naturæ matrimonij incapaces valide contrahant.

Ex quo sequitur Primò, nullam necessitatem posse efficere, vt ij, inter quos matrimonium iure naturæ est irritum, illud valide contrahant.

Sequitur Secundò , eum qui vult ostendere matrimonium inter aliquos iure naturæ esse irritum, debere probare non solùm hoc iis esse illicitum, sed eos iure naturæ ad hoc contrahendum esse incapaces.

7

Sequitur Tertiò , frustra aliquos contendere probare, matrimonia inter certos consanguineos esse irrita, eò quòd nonnihil repugnent quibusdam secundariis ipsius finibus , siue quòd per ea non adferretur sufficiens remedium concupiscentiæ : aut etiam ex eo quòd eorum vsus contineat notabilem indecentiam. Nam hinc vt summum videtur sequi , ea matrimonia esse illicita. Nam aliàs ex priore ratione sequeretur matrimonium esse illicitum , quòd pulchek &

sanus contraheret cum omnino deformi & infecta lepra, præsertim si esset sterilis. Quia hoc multò minùs valet ad sedandam concupiscentiam, & præterea esset inutile ad primarium finem matrimonij, scilicet generationem.

8 Difficulter probatur aliquam consanguinitatem iure naturæ dirimere matrimonium.

Sequitur Quartò, satis difficulter posse clarè probari aliquam consanguinitatem iure naturæ dirimere matrimonium: & multo difficiliùs inter quos ita dirimat, præsertim ex solis principiis, quibus hæc communiter solent probari: ideóque admodum variæ sunt hac de re sententiæ. Aliqui enim docent inter solos ascendentes & descendentes matrimonia iure naturæ esse irrita. Et huius sententiæ apertè est D. Thomas 2.2.q.154. a. 9. ad 3. Et eam tenent Halensis p.2.q.169. memb.2. Caiet.2.2.q.154.a.9. ad 3. Palud. in 4.d.38.qu. 4. a. 4. sub finem, & plurimi quos citat Sanchez l. 7. disp. 52. num. 10. Vbi etiam dicit eam esse valdè probabilem.

D. Thom. Halensis. Caietan. Palud. Sanchez.

Item alij volunt matrimonia inter omnes omnino ascendentes & descendentes semper irritè contrahi. Armilla v. *Matrimonium.* num. 25. Conarr. 4. decretal.p.2.c.6.§.10.num.4. Scotus in 4.d. 40. q. vnica a. 2. Richard.ibid. q. 4. Durandus q.vn. a. 2. Paludanus ibid.a.3.concl.1. D.Antonius p. 3. t. 1. 14. §. 2. Victoria in Summa num. 295. Abulensis l. 1. Reg. Petrus Soto lectione 10. de matrimonio, propos. 1. Tolet. l.7. Summæ c. 5. in fine, Bellarminus l.1.de matrimonio c.28.P.Vasquez 1.2.q.74.disp.112.n.7.

Armilla. Conar. Scotus. Richard. Durand. Palud. D. Antonin. Victoria. Abulensis. Pet. Soto. Toletus. Bellarm. Vasquez.

Alij tamen volunt matrimonia inter hos solùm esse irrita vsque ad certum gradum. Quia videtur nimis absonum, si cognatio dicatur semper in infinitum inter hos durare, præsertim cùm videamus paulatim huius cognationis sensum ac reuerentiam erga maiores minui.

Hi tamen valdè variant, quousque hæc cognatio extendatur. Aliqui enim volunt eam solùm extendi vsque ad primum gradum, alij vsque ad secundum, alij vsque ad quartum. Quia c. *Non debet.* 8. de consanguinitate. generatim dicitur, consanguinitatem non dirimere matrimonia vltra quartum gradum.

c. *Non debet.*

9 *Leuit.18. Hæretici nostri.*

Rursum in linea transuersa aliqui volunt, omnia illa matrimonia iure naturæ esse irrita, quæ prohibentur Leuitici 18. quorum rationes infrà refutabo. Et hanc sententiam ferè amplectuntur nostri hæretici, illa sola intentione, vt faciliùs propugnent matrimonium Henrici VIII. cum Anna Bolena.

Multi verò Catholici docent saltem inter fratrem & sororem matrimonium iure naturæ esse irritum. Mouentur hi maximè rationibus allatis nu. 7. Sed vt ostendi, eæ solùm probant, talia matrimonia esse illicita. Probant præterea ex c. *Gaudemus.* 8. de diuortiis: vbi definitur infideles conuersos ad fidem, qui antea contraxerant in secundo & vlterioribus gradibus, non esse separandos: ergo censet Pontifex esse separandos qui in primo gradu contraxerant. Quod argumentum Soto in 4. d. 40. vnica, art. 4. §. *Verumtamen.* tanti facit, vt credat contrariam sententiam erroneam.

c. *Gaudemus.* *Soto.*

Sed, vt benè aduertit P.Sanchez l. 7. disp. 52. num. 10. hoc non conuincit. Pontifex enim ibi solùm definit quod certum est quódque ei solùm erat, propositum, scilicet, Vtrùm pagani conuersi, qui in secundo aut tertio gradu contraxerant, deberent separari: & respondit non debere separari, cùm ipsi ita validè contraxerint. An autem si contraxissent in primo gradu, debuissent separari, nihil dicit, quia propositum non erat.

Sanchez.

Adde legibus ciuilibus Romanorum, quæ etiam paganos obligabant, & inter eos erant receptæ, matrimonia fratrum & sororum videri omnino fuisse irrita. quia omnino improbabantur. Vt etiam apertè colligitur ex c. 6. responsionum D. Gregorij ad interrogata Augustini, quod refertur c. *Quædam lex.* 35. quæst. 3. vbi apertè innuitur, apud Romanos in solo secundo ac vlterioribus gradibus matrimonia fuisse permissa.

c. *Quædam.*

Conclvs. I. Certum est non omnia matrimonia, quæ prohibentur Leuitici 18. esse iure naturæ irrita. Nam Trident. sess. 24. can. 4. definit Ecclesiam in aliquibus ex his posse dispensare. Et confirm. Primò, quia Iacob duxit duas sorores simul; quod tamen in Leuit. prohibetur. Imò Deuteron. 25. iubetur, vt frater ducat vxorem fratris defuncti sine liberis; cùm tamen in Leuit. prohibeatur ducere vxorem fratris, scilicet habentis liberos. Quòd autem frater habeat liberos vel non habeat, nō efficit, vt maior inter coniugem eius & fratrem sit propinquitas, aut matrimonium sit inter hos iure naturæ irritum. Conantur hanc Scripturam hæretici variè eludere, sed frustra. Est enim nimis clara. 10

Leuit. 18. Trident. *Deut. 25.*

Nec obest quòd in Leuitico loco citato post prohibita illa matrimonia dicitur gētes omnes illas abominationes fecisse, ideóque Deum eas perdere. Quia inde tantùm sequitur, aliqua ex illis matrimoniis, sicut & alia scelera ibi enumerata, continere grauem abominationem, non tamen omnia: quamuis etiam insinuetur omnia continere aliquam, licet non ita grauem, indecentiam, quando sine vllo delectu, aut iusta causa vulgò ineuntur: vt faciebant illæ gentes. Secùs est quando iusta aliqua causa subest. Tunc enim multa spectato solo iure naturæ erant licita: vt patet ex exemplis Sanctorum, qui talia sine vlla reprehensione contraxerunt. 11

Dices, Innocent. III c. *De infidelibus.* 4. de consangu. dicit infideles baptizatos posse permanere in matrimoniis, quæ priùs secundùm legem Moysis contraxerant: ergo innuit non posse manere in contractis contra legem Moysis. Vnde c. fin. de diuortiis, dicit recenter conuersos posse manere cum vidua fratris defuncti, quam duxerant, si frater sine liberis obierit. Et c. *Litteras.* de restitut. spoliator. dicitur Ecclesiam non posse dispensare in gradibus iure diuino prohibitis. 12

c. *de infidel.* c. *fin. de diuortiis.* c. *Litteras.*

Respondeo, Pontificem primis duobus capitibus, quod certum eique *propositum* erat, *definire*: alterum, de quo tunc aliqui dubitabant, quodque ei propositum non erat, intactum reliquisse: nec à contrario sensu valere argumentum. Adde, in 2. c. videri omnino loqui de matrimoniis inter fideles recens conuersos, quæ iure Ecclesiastico erant irrita; propter eorum tamen infirmitatem, dicit se ea concedere: ita scilicet vt secundò ea contrahant, inuenis se facere gratiam, quæ sanè non fuisset facta infidelibus, cùm necessarium esset eos in illis permanere.

Argumentum á contrario sensu inefficax est.

Ad Tertium Respondeo, Pontificem ibi non dicere quos gradus diuina lex prohibeat, & posse intelligi de matrimonio matris & filij, vel fratris & sororis. Aut si loquatur de lege Leuitici, dicit Ecclesiam in iis non posse dispensare: scilicet vulgò, & sine graui causa. quia non nisi rarissimè, & in grauissimis caulis id solet facere, ita vt vix sine scandalo aliter, præsertim illo tempore, in quo strictior erat canonum observatio, potuerit fieri.

Conci. II. Matrimonium inter patrem & filiam, matrem & filium iure naturæ est irritum. Prob. Primò, quia est communis omnium Doctorum sensus. Secundò, quia tale matrimonium continet talem indecentiam, vt omnes gentes aliquo modo benè institutæ illud sēper abominatæ sint: & si quæ illud permiserint, habitæ sunt omnino barbaræ & belluinæ. Et Doctores quidem communiter hoc argumento hanc conclusionem probant. Sed, vt ostendi n. 7. si nihil aliud addatur, hoc solùm probat ea matrimonia iure naturæ esse illicita. Quare, vt probemus esse 13

Irrita, notanda sunt quæ dixi disp. 26. n. 17. & 27. vbi ostendi nos, quia non habemus absolutum dominium corporis nostri, sed solùm tale quale Deus nobis concedit, inualidè id alteri per matrimonium tradere alia ratione, quàm Deus hoc concesserit. Vnde sic argumentor: Omnino incredibile est Deum dedisse homini potestatem transferendi in alium dominium corporis sui, ad eum vsum qui nullo vnquam casu futurus fuisset non summè inhonestus, & quem recta ratio summè detestatur: atqui talis est omnis vsus matrimonij inter prolem & parentem: ergo omnino incredibile est Deum ita concessisse potestatem hoc contrahendi. Minor patet tum ex dictis; tum etiam quia (vt testantur Aristoteles lib. 9. historiæ animalium c. 47. Plinius lib. 8. naturalis historiæ c. 42. vbi etiam miranda hac de re exempla refert) copulam parentis cum prole natura ita abhorret, vt etiam plurima bruta eam abhorreant, nec ad eam adigi possint.

Aristot. Plinius. Copulam parentis cũ prole natura grauissimè abhorret.

14 Hinc sequitur, tale matrimonium nullo vnquam casu, sine expressa Dei concessione (in qua, quo minùs de absoluta potentia fieri possit, nullam video implicantiam: quia Deo non desunt causæ, quibus illa concessio posset honestari) validè posse contrahi, etsi soli pater & filia ex omni hominum genere superessent. Sequitur ex dictis num. 6.

Non posse in vllo casu præsumi Dei dispensationem.

Quod autem aliqui dicunt eo casu præsumendum fore Deum dispensare vt tales inter se contraherent, nescio quo fundamento dicant: cùm tunc potiùs præsumendum esset Deum velle totum genus humanum interire, quod permisisset in eum statum incidere, in quo non posset vlteriùs licitè conseruari sine concessione rei, quæ ita à recta ratione abhorret: præsertim cùm infinitis aliis modis decentissimis potuissent eum casum impedire. Et confirmatur, quia si in tali casu liceret eam Dei dispensationem præsumere, multò potiore ratione possemus præsumere Deum dispensare vt quis cum secunda viuente priore vxore contraheret, quando hoc ad grauissima mala impedienda esset necessarium. Quia Deus hoc in veteri lege generatim concessit: illud verò numquam.

15 Dices, D. Chrysost. homil. 44. in Genesim, & D. Ambros. l. 1. de Abraham cap. 6. excusant filias Loth cum patre dormientes à peccato. quia hoc fecerunt existimantes omnes alios homines periisse, atque ita hoc necessarium esse vt genus humanum ab omnimodo interitu vindicari posset: ergo illi Patres censent in tali casu hoc fore licitum.

D. Chrysost. D. Ambros.

Respondeo, negando conseq. Tantùm enim volunt eas ex perturbatione errasse tam circa mundi interitum, quàm circa necessitatem huius remedij, ac actus licentiam. Nam etiamsi verè tunc illi soli fuissent in mundo, & tali casu licitè filia patri nuberet; tamen illæ excusari hac ratione non poterant, quæ & sine vllis nuptiis patri copulatæ sunt, cúmque æstu inebriarunt, vt ad tantum scelus ignarum pellicerent, quod sciebant sobrium nunquam admissurum. Incredibile autem est tantis Patribus vnquam venisse in mentem, ista, secluſa ignorantia, potuisse vnquam licitè fieri.

16 Descendẽtes semper inualidè cõtrahunt cum ascendentibus. *l. Nuptiæ.*

Conclvsio III. Videtur idem dicendum de matrimonio aui & neptis, auiæ & nepotis: & probabiliter absolutè de omnibus descendentibus respectu ascendentium per lineam rectam. expressè decidit l. *Nuptiæ.* & l. vlt. ff. de ritu nuptiarum. quæ sumptæ sunt ex Caio & Paulo antiquis Iurisconsultis; in quibus dicitur inter ascendentes & descendentes in infinitum iure gentium (qua ratione Iurisconsulti ius naturæ appellant) incestuosas nuptias contrahi, easque consistere non posse. Et meritò, quia hi omnes dicuntur verè parentes, & debetur iis naturaliter idem honor, qui patri & matri: imò secundùm receptissimam consuetudinem maior, tamquam veris & altioribus principiis. Et apud omnes gentes hæc matrimonia non fuerunt minùs abominabilia, quàm patris cum filia. imo huius exempla faciliùs reperias, quàm illorum: atqui, vt patet ex dictis numero 13. & 14. matrimonium patris & filiæ ideo præcipuè à Deo negatum & iure naturæ est irritum, quia est contra reuerentiam parenti debitam: ergo vbi similis iure naturæ debetur reuerentia, erit similiter irritum.

Nec obest, quod c. *Non debet.* de consanguinitate. dicitur hanc non dirimere matrimonium vltra quartum gradum. Quia loquitur de consanguinitate in linea transuersa, non autem in recta: quia Ius non considerat casus moraliter impossibiles, qualis est vt quis ducat filiam abnepotis sui, cùm post Euangelium nullum legatur exemplum alicuius, qui viderit filiam abnepotis sui: multò minùs qui potuerit eam ducere. 17 *c. Nondebet.*

Similiter quod c. *Gaudemus.* 8. de diuortiis dicitur matrimonia quæ Gentiles in secundo gradu contraxerunt, iis postea conuersis non esse dissoluenda, intelligendum est de linea transuersa: loquitur enim Pontifex de matrimoniis, quæ illæ gentes solebant communiter contrahere. Inauditum autem est quòd vnquam aut nepos cum auia, aut auus cum nepte contraxerit. *c. Gaudemus.*

Dices, Pater est per se principium filij, auus verò tantùm per accidens, cùm possit esse filius sine auo, vt patet in filiis Adami: ergo patri debetur per se reuerentia, auo tantùm per accidens, & consequenter nec tanta debetur, nec ita naturaliter, cùm natura non spectet quæ sunt per accidens. Confirmatur, quia minor est participatio sanguinis inter auum & nepotem, quàm inter patrem & filium, & minor inter proauum: ergo tandem in distantioribus omnino tolletur, & desinent esse consanguinei, & consequenter inhabiles ad nuptias. 18

Respondeo, negando antecedens quia Petrus v.c. sub ratione nepotis tam essentialiter respicit auum, quàm patrem sub ratione filij. Prout autem est quid absolutum, & hic homo, naturaliter loquendo, tam impossibile fuit eum esse sine generatione aui, quàm sine generatione patris. Loquendo autem de via supernaturali, vel saltem omnino extraordinario, & quæ superet vires causæ creatæ, qualis fuit in creatione Adami, vtrumque est æqualiter possibile. Tam enim potuit Adam existere sine patre, quàm Seth sine auo. Ad confirm. Respondeo, hic non tam spectari maiorem vel minorem participationem sanguinis (sicut fit in linea transuersa) quàm rationem principij, quæ per se reuerentiam exigit à principiato. Omnes autem ascendentes naturaliter per se sunt principium necessarium descendentium, vt patet ex dictis. *Auus per se est principium nepotis, nec ei debetur minor reuerentia quàm patri.*

19 Conclvs. IV. Matrimonium fratris & sororis ex se continet grauem indecentiam, ita vt omnes ferè gentes benè institutæ illud abhorruerint. Ideóque Abraham Genes. 12. sufficienter sibi esse visus Ægyptiis persuadere Saram non esse suam vxorem, dicendo eam esse suam sororem: quasi hæc duo essent incompatibilia. ideóque iure naturæ tale matrimonium est illicitum, saltem extra grauissimam necessitatem, quæ illam indecentiam excuset; qualem multi volunt fuisse inter filios Adæ, sine quorum matrimonio genus humanum propagari non poterat, ideóque aiunt matrimonium inter eos licuisse sine dispensatione. Ita Sanchez disp. 52. num. vlt. ad 4. *Genes. 12.* *Sanchez.*

An matrimonium inter fratrem & sororem sit iure naturæ irritũ. *Sanchez.*

An autem sit iure naturæ irritum, non ita constat. Multi quos citat Sanch. l. 7. disp. 52. n. 11. id affirmant, & certum est Deum potuisse illud ita instituere iuxta dicta, & grauitas indecentiæ id videtur suadere.

Plurimi tamen grauissimi auctores, quos citaui nu.8. id negant. Primò, quia hi non habent immediatam inter se coniunctionem & reuerentiam, sed tantùm ratione parentum, quæ non videtur ita aduersari matrimonio, vt hoc irriret. Secundò, quia non videtur credibile Deum voluisse inter eos irritum esse matrimonium, per quos volebat genus humanum initio propagari, itáque illud instituere vt necesse fuerit in filiis Adæ eius institutionem immutare, concedendo vt ij inter se contraherent, qui per matrimonij institutionem ad hoc essent inhabiles. Vtrimque ergo sunt congruentiæ, quæ non conuincunt. Quare vtraque sententia probabiliter defendi potest. Si tamen priorem sequaris, necessariò tibi dicendum erit, opus fuisse singulari Dei concessione, vt filij Adæ potuerint inter se contrahere matrimonium. Si secundam tuearis, poterit illius temporis necessitas sufficere, vt illud matrimonium, sine vlla alia dispensatione ab omni indecentia excuset. Quare ego magis in hanc sententiam inclinarem. Hoc tamen addiderim, apud omnes ferè gentes benè institutas hoc matrimonium fuisse iure positiuo irritum. vt de legibus Iudæorum patet ex Scriptura, & de legibus Romanorum ex dictis n.9. in fine.

20 CONCLVS. V. *Præter parentes ac filios, cæterosque descendentes, fratres ac sorores; inter nullos alios consanguineos matrimonium iure naturæ est irritum. Quia viri in Scriptura laudati in aliis gradibus illud inierunt. Abraham enim duxit Saram, quæ aliter dicta* Gen.11. *est Iescha, filiam fratris sui Aram, vt patet Gen.11. Et* Exod.6. *Exodi 6. v. 20. Amaram pater Moysis duxit sororem patris sui, quam ibi Latinus textus vocat patruelem. sed Hebræus textus habet, דֹּדָה, quasi dicas patruam, à דוד, quod significat patruum.*

21 CONCL. VI. *Etsi olim iure Ecclesiastico consanguinitas diremerit matrimonium vsque ad septimum gradum, iam tamen tantùm dirimit vsque ad* c. Nondebet. *quartum inclusiuè. Patet ex c. Non debet. de consanguinit. & docent communiter omnes Catholici.*

Ratio autem cur Ecclesia hoc impedimentum induxerit, sumitur ex congruentiis adductis n.3. noluit tamen illud iam ad tot gradus extendi atque olim, ob multas difficultates, quæ inde oriebantur, cùm sæpè difficulter posset sciri, quinam in quinto, sexto, septimo gradu se contingerent, eò quòd tam remotam cognationem homines non ita computent, ideóque facilè obscura maneant. Potuisse autem Ecclesiam hoc impedimentum inducere patet ex dictis disp. 30. dub. 1.

DVBIVM II.

Qua ratione cognatio spiritualis contrahatur ac matrimonium impediat?

22 VT hac in re clariùs procedamus, ponemus quædam quæ aut omnino, aut ferè certa sunt; & deinde dubia quædam explicabimus.

CONCLVS. I. *Excepto Baptismo & Confirmatione, ex nullius alterius Sacramenti collatione cognatio spiritualis matrimonium impediens, aut dirimens oritur. habetur expressè cap. vltim. de cogna-* c.vltim.de cogn. *tione spirituali, in 6.*

23 *Difficultas tamen hîc aliqua est, Vtrùm ex confessione inter confessarium & mulierem pœnitentem non nascatur similis aliqua cognatio, quæ fornicationem inter eos habitam singulari malitia afficiat in confessione explicanda? Quidam id absolutè negant. quia talis specialis malitia non potest hîc reperiri nisi ratione alicuius cognationis spiritualis: atqui, vt testatur Ius citatum, hæc nascitur ex solo Baptismo, & Confirmatione: ergo talis malitia hîc non reperitur.*

Copula cõ. *Sed omnino dicendum est, talem copulam continere specialem malitiam in confessione explicandam: quia singulariter repugnat reuerentiæ tam ipsi Sacramento, quàm confessario debitæ, qui est quasi spiritualis pater ipsius pœnitentis. Imò c. Omnes. 30. q. 1. (quod est Symmachi Papæ) dicitur; Omnes quos in* c. Omnes. *pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filij; vt & ipsi quos vel nobis suscipientibus, vel sub vtinæ mersionis vocabulo mergentibus vnda sacri baptismatis regenerat. Vbi expressè dicitur tam esse nostras spirituales filias, quas in confessione absoluimus, quàm quas baptizamus: atqui fornicatio cum his habita continet singularem malitiam: ergo etiam habita cum illis. Vnde etiam tam hoc c. quàm sequenti talis fornicatio grauissimè prohibetur, vocatúrque graue adulterium, & dicitur grauissima pœna, scilicet depositione, & perpetua pœnitentia, eáque valdè dura puniendum. Copula autem quæ singulari Ecclesiæ prohibitioni repugnat, singularem continet malitiam. Ita Armilla v. Circumstantia. n. 12. Candelabrum 1. p. de confess. n. 50. Lopez 1. p. instructorij cap. 35. §. Secundò respondeo. & cum multis aliis Sanchius l. 7. disp. 55. c. 3. & 4.* Confessarij ex pœnitente specialem malitiam continet. Armilla. Candelab. Lopez. Sanchez.

Ad Ius citatum num. 22. Resp. inde solùm probari, ex confessione non nasci spiritualem cognationem dirimentem matrimonium inter personas aliàs habiles. Nam hæc filiatio nec dirimit matrimonium inter confessarium & pœnitentem, cùm iam antè inter se contrahere nequeant: nec inter eorum liberos, cùm ad hos non deriuetur. Secùs est in alia cognatione spirituali, vt patet ex eodem capite.

CONCLVS. II. *Post Concilium Tridentinum* 24 *cognatio spiritualis matrimonium iure Ecclesiastico dirimens, solùm contrahitur inter baptizantem, vel confirmantem, & baptizati aut confirmati patrinos ex vna parte: & baptizatum aut confirmatum, eiúsque patrem & matrem ex altera parte. Ita Trident.* Trident. *sess. 24. c. 2. de reformat. matr. vbi restringit Ius antiquum, secundùm quod præterea contrahebatur cognatio inter vxorem patrini & baptizatum, eiúsque parentes. Item inter liberos patrinorum, & patentes ipsius baptizati, eorúmque liberos, præsertim eos per quos compaternitas erat contracta, vt patet ex cap. 1. 3. & 4. de cognatione spirituali. Inter fœminam tamen & virum qui eandem prolem susciuiunt, nulla vnquam nata fuit eiusmodi cognatio: vt apertè patet ex c. vlt. 30. q. 4. vbi dicitur, minùs quidem conuenire, nulla tamen auctoritate esse prohibitum, ne maritus & vxor eundem simul è fonte suscipiant. quod ramen esset grauiter prohibitum, si contraherent inter se cognationem spiritualem. Sicut ob eandem causam grauiter peccat, qui vxoris suæ prolem suscipit.*

Inter quos iam cõtrahatur cognatio spiritualis? Inter quos olim contrahatur? c. 1. 3. & 4. de cogn. c. vlt. 30. q. 4.

CONCLVSIO III. *Vt hæc cognatio contrahatur,* 25 *requiritur Primò, vt ij inter quos contrahenda est, sint baptizati. Nam cùm non baptizati, non sint subiecti Ecclesiæ, hæc in eos nullam cognationem spiritualem potest inducere. Ita D. Tho. in 4. d. 42. qu. 1.* D. Thom. *ad 3. & cum eo ferè communiter Theologi. Hinc si infidelis in necessitate, aut alia occasione baptizet filium Paulæ fidelis, neque cum ipsa, neque cum filio cognationem contrahet. quare postea conuersus, si nihil aliud obstet, validè cum Paula contrahet matrimonium. quia neque baptismus poterat eam cognationem inducere quando conferebatur, quia baptizans tunc non erat eius capax; neque etiam postea, quia tunc omnino esse desierat: neque vllum supererat fundamentum, ex quo illa cognatio exurgeret. Et per se etiam absurdum est, aliquem esse patrem spiritualem eius, qui ante ipsum spiritualiter natus est.*

Infidelis Paulæ filiũ baptizans conuersus vtramuis validè ducit.

Dices, Poterit Ecclesia eo casu reddere fidelem incapacem, vt contrahat cum infideli; sicut facit eum incapacem, quando simul mortem alteruirius coniu- 26

gis

c.1. de conv. infid. gis machinati sunt. vt patet ex cap.1.de conuersione infidelium.

Resp. Ecclesiam posse quidem hoc facere, tamen facto non facere. Nam non aliter statuit hoc impedimentum, quàm inducendo cognationem spiritualem, quæ non potest esse nisi inter duos, qui eius capaces sunt, nec enim possum alicui esse cognatus, qui mihi non sit cognatus. Cùm igitur infidelis sit incapax huius cognationis, inter ipsum & fidelem nec ipsa cognatio, & consequenter nec ipsum impedimentum, quod hanc supponit, potest contrahi.

27 Hinc aliqui inferunt, si Petrus suscipiat filium Paulæ adhuc infidelis, & hæc postea baptizetur, eos validè contrahere. quia non fuit inter eos contracta cognatio. Ita Durand. in 5.d.42.q.1.a.1.in fine. Sotus ibidem a. 3. §. *Postrema ex his.* Sed cum Siluestro v. *Matrimonium.* 8. q. 7. dicto 12. Angelo *Matrimonium.* 3. impedimento 7. num. 10. Rosella v. *Impedimentum.* impedim.6.nu.penult. credo tales irritè contrahere. Nam etsi inter eos non oriatur hæc cognatio quamdiu alter est infidelis, nascitur tamè statim atque ipse conuertitur: non quidem immediatè ratione baptismi, qui iam præteriit; sed ratione paternitatis, quæ orta est inter fidelem suscipientem & baptizatum, quæ postea inter suscipientem & baptizati parentes gignit compaternitatem, statim atque hi sunt eius capaces. Sicut olim proles, v. c. Petri, hoc ipso quo baptizabantur, contrahebant cognationem spiritualem cum eo quem Petrus iam antè susceperat, vt patet ex c.1.de cognat. spirit. in 6. quam tamen nullo modo contrahebant dum alter baptizabatur, etsi tunc fortè essent natæ, si nondum erant baptizatæ. Vbi Nota, tam baptizantem quàm suscipientem immediatè solum contrahere hanc cognationem cum baptizato, & hac mediante cum eius parentibus; idque vel in eodem instanti, si tunc eius capaces sint; vel postea statim ac capaces fiunt.

Durand. Sotus. Siluester. Angelus. Rosella. Petrus inualidè ducit Paulam cuius adhuc infidelis prolem suscepit.

c.1. de cogn. Hæc cognatio immediatè contrahitur cùm solo baptizato, & hac mediante cum eius parentibus.

28 Requiritur Secundò, vt susceptor teneat alterum dum baptizatur, vel confirmatur, vel immediatè ex baptizantis aut confirmantis manibus eum suscipiat. quia Iura statuentia hanc cognationem, vbique huius cæremoniæ mentionem faciunt. Et ita censuit congregatio Cardin. edita per Petrum de Marzilla. Debet autem hoc facere animo obeundi munus susceptoris. nam aliàs materialis illa tentio baptizandi, sicut non sufficit, vt aliquis fiat verè susceptor: ita nec sufficit, vt eam cognationem contrahat. Nam aliter cùm baptizans communiter infantem etiam teneat, ipse esset ipsius susceptor: quod falsum est. Et ratio est, quia sicut baptismus est necessariò ablutio cæremonialis, ita susceptio necessariò est tentio cæremonialis. Quare sicut ad illum necessariò requiritur intentio exercendi cæremoniam à Christo institutam: ita ad hanc necessariò requiritur intentio exercendi cæremoniam ab Ecclesia institutam, siue faciendi id quod Ecclesia instituit. Nullo tamen modo est necessarium, vt suscipiens immediatè intendat suscipere illam cognationem: nam hæc ab Ecclesia illi muneri inseparabiliter annexa est, vt nemo illud obire possit, quin hanc suscipiat, si modò eius capax sit. quod addo propter infidelem baptizantem.

Congreg. Cardin.

Susceptio est necessariò actio quædam cæremonialis.

Contrahit hanc cognationem qui id non intendit.

29 Requiritur Tertiò, vt susceptor à parentibus, vel Parocho ad hoc munus sit legitimè designatus. Nam Tridentin. suprà dicit neminem quantumcumque suscipientem hanc cognationem contrahere præter designatos à parentibus vel Parocho.

Trident.

Ad quos spectet munus designandi patrinos.

Nota Primò, munus designandi patrinos per se spectare ad parentes; ad Parochum autem solùm in eorum defectu. quare si illi ritè aliquos designarint, Parochus inualidè alios designat, nisi designati recusent id munus obire, aut ad hoc inepti sint, v. c. non baptizati, hæretici, notoriè excommunicati, & similes qui reiiciendi sunt. & Parochi tunc est defectum parentum supplere. alios legitimos designando: sicut etiam quando parentes aliquos illegitimè designarunt, v.c. duos viros, aut duas fœminas, aut plures duobus; tunc enim ad Parochum spectat, vnum vel duos ex iis seligere, qui soli munus illud obeant. Apertè hæc omnia aut dicuntur, aut colliguntur ex Tridentino suprà.

Trident.

Vnde vlteriùs infertur; si parentes nullum designarint, & aliquis se sponte ingerat, eum hoc ipso, quo à Parocho sciente ipsum non esse designatum (cuius eo casu est designare susceptorem) admittitur, censeri sufficienter ad hoc munus designatum. Secùs esset; si Parochus crederet eum à parentibus designatum: quia tunc non posset censeri velle eum ad hoc munus designare.

30 Sponte se ingerens quàdo hàc cognationem contrahat.

Nota Secundò, Tridentinum suprà præcipere, vt Parochus ante baptismum diligenter inquirat, quinam à parentibus susceptores designati sint, & vt hos solos admittat, nec plures duobus, virum scilicet & fœminam: Parochumque cuius culpa contrarium admissum est, arbitrio Episcopi iubet puniri. quæ quantum obligent, vide dicta tom. 1. quæst.67.a.7.in fine.

Trident.

Requiritur Quartò, vt Sacramentum validè conferatur. quia quando principale nullum est, accessorium etiam irritatur. Hoc autem munus, & cognatio id subsequens sunt omnino accessoria ipsi Sacramento, atque ita eius valorem supponunt. Confirm. quia Iura solùm statuunt, vt is eam cognationem contrahat, qui alium baptizat, aut confirmat, eúmve dum baptizatur aut confirmatur tenet, siue baptizatum aut confirmatum suscipit. quæ fieri nequeunt, vbi nullus est baptismus, nulláque Confirmatio. quod accidit, quoties illa inualidè conferuntur.

31 Ex inualidato Sacramento nulla oritur cognatio.

Requiritur Quintò, vt is qui tenet alterum in confirmatione sit ipse confirmatus. quia cap. *In baptismate.* 101. de consecrat. d. 4. dicitur: *In baptismate, vel in chrismate, non potest alium suscipere in filiolum, ipse qui non est baptizatus vel confirmatus.* Vbi dum dicitur, *id non posse facere*, significatur eum id inualidè attentare: præsertim cùm eodem modo dicatur non confirmatum non posse suscipere confirmatum, sicut non baptizatus nequit suscipere baptizatum: clarum autem est hunc inualidè hoc facere.

32 *In baptismate*

Requirunt alij Sextò, vt susceptor in baptismo respondeat pro baptizando. Sed alij communiter cum Siluestro *Matrimonium.* 8. q. 7. dicto. 13. Conar. 4. decretalium p. 2. c. 6. §. 4. nu. 7. id negant. quia, vt patet ex cap. *In Catechismo.* 99. de consecr. d. 4. & cap. *Contracto.* 5. de cognat. spirituali, & cap. 2. eod. tit. in 6. hæc munera sunt diuersa, & per diuersos obiri possunt, diuersaque cognatio per ea contrahitur. Vide dicta disp. 30. dub. 3.

33 *Siluester. Conar. c. In Catechismo. c. Contracto. c.2. de cogn.*

Requirunt alij Septimò, vt susceptor non erret in persona suscipienda. Putant enim, si quis suscipiat filium Petri credens esse filium Pauli, eum nullam contrahere cognationem. quia c.2. de cognat. spirituali dicitur, eum qui per ignorantiam suæ coniugis filium suscepit, non debere ab ea separari, sed alterum alteri debere reddere debitum. Sed miror vos doctos hoc caput pro ea sententia citare, cum in eo apertè idem planè dicatur de eo qui scienter filium suæ coniugis suscepit; quem tamen constat contrahere cognationem spiritualem. Et eodem cap. apertè innitur vtramque contrahere hanc cognationem: ob alias tamen causas ibi relatas deciditur neutrum ab vxore separandum. Et c. *Ad limina* 30. c. *Ad limina* quæst.1. similiter dicitur, non esse ab vxore separandum, qui susceptum ex ea filium in necessitate baptizauit. Et ibid. cap. 1. apertè deciditur, ignoranter

34 *c.1. de cogn.* Error personæ non impedit hàc cognationem.

c.1. 30 q.1. suscipientes propriæ vxoris filios contrahere hanc cognationem, & debere abea separari: quamuis hoc secundum postea sit correctum, quia durissimum erat. Quare multò verius est hunc errorem nullo modo officere, quin talis validè eam prolem suscipiat, ac cognationem contrahat, cùm non versetur circa substantiam ipsius actus.

35 His positis difficultas est Primò, Vtrùm is qui per procuratorem alium suscipit, hanc cognationem contrahat?

Quidam id negant Primò, quia, vt ostendi num. 28. Iura statuentia hanc cognationem, requirunt vt suscipiens baptizatum tangat: hoc autem talis non facit. Secundò, quia nemo potest per procuratorem aut generare, vt per se patet: aut etiam adoptare: vt

l. Post mortem. habetur l. *Post mortem* 25. ff. de adoptionib. ergo nec per alium potest aliquem suscipere. Tertiò, quia constituens aliquem qui suo nomine alium baptizet, non contrahit hanc cognationem: ergo nec hic qui alium ita suscipit. Quartò, quia impedimenta matrimonij

Silvester. Armilla. Sotus. Candelab. sunt odiosa & restringenda. Ita Silvest. v. *Matrimonium* 8. q. 7. dicto 14. Armilla v. *Matrimonium* n. 12. Sotus in 4. d. 42. q. 1. a. 2. §. *Consuevit autem.* Candel. 1. p. de matrimonio, num. 160. Addunt autem hi duo ipsum procuratorem contrahere hanc cognationem: sicut eam contraheret, qui ex alterius commissione aliquem baptizaret.

36 Secunda difficultas est, quando plures duobus susceptores designati sunt, & omnes simul tangunt infantem, quinam tunc contrahant hanc cognationem?

Sanchez. Quidam apud Sanchez l. 7. disp. 57. num. 14. putant tunc nullum eam contrahere, quia nemo obit illud munus secundùm formam à Concilio præscriptam

Trident. sess. 24. c. 2. de reform. matrimonij.

Tertia difficultas est, Vtrùm hanc cognationem contrahat, qui alium suscipit in baptismo non solemni? Aliqui id negant; quia susceptio prolis solùm inducta est ad solemnizationem baptismi: ergo in baptismo non solemni nec necessaria est, nec cognationem gignit. Et in hanc sententiam inclinat

Sotus. Sotus in 4. d. 42. q. 1. a. 1. sub fin. v. *Profectò rationes.*

37 Concl. IV. Quando plures duobus, vel duo viri, vel duæ fœminæ à parentibus designantur & à Parocho admittuntur; si interim dum puer baptizatur, simul eum omnes teneant, aut è manibus baptizantis suscipiant, omnes contrahunt hanc cognationem. Ita

Navar. Sà. Sanchez. Congreg. Cardinal. Navarr. cap. 22. num. 39. Sà v. *Matrimonium.* de impedim. dirim. nu. 5. Sanchius l. 7. disp. 57. num. 16. & declarauit congregatio Cardin. in explicatione dicti capitis edita à Petro de Marzilla. quia, etsi Trident. suprà prohibeat, ne plures suscipiant, sicut etiam Ius antiquum hoc prohibebat; factum tamen non irritat.

38 Quòd si isti non omnes à Parocho admitterentur, sed aliqui eo inuito se ingererent, hi nihil agerent, quia Concilium expresè insinuat, tunc Parochi esse designare, quinam ex designatis à parentibus debeant id munus obire: & adiungit; nullum præter designatos hanc cognationem contrahere.

Item, si casu quo Parochus omnes admitteret, aliqui tunc solùm puerum tangerent, postquam alij sufficienter essent functi officio susceptoris puerum supra fontem tenendo, aut è manibus baptizantis susci-

Semel susceptus nequit secundò suscipi. piendo; qui postea eum tangerent aut susciperent, nihil agerent. quia, semel validè susceptus secundò suscipi nequit. Vnde hoc etiam locum habet etsi solus vir cum fœmina designati essent, vt declarauit congregatio suprà citata.

39 Concl. V. Probabilius est hanc cognationem contrahi etiam ab eo, qui in necessitate in baptismo non solemni baptizatum tenet, si id facit vt munus susceptoris obeat. Secùs enim esset, si id solùm faceret, vt puer commodiùs posset baptizari, vt patet ex dictis n. 28. Ita Navar. c. 22. n. 40. Sà v. *Matrimonium.* de imped. dirim. n. 5. Candel. 1. p. de matrimonio, n. 154. & alij. Prob. quia verè obit munus susceptoris, vt etiam alij fatentur: ergo hanc cognationem contrahit. quia Iura generatim dicunt talem contrahere cognationem, nec vllibi requirunt vt hoc fiat in baptismo solemni.

Navarr. Sà. Candelab.

Ad argumentum propositum n. 36. nego antecedens. nam susceptio hæc primò omnium inducta est vt baptizatus haberet à quo instrueretur in fide, vt patet ex dictis to. 1. q. 67. a. 7. Nego etiam conseq. quia etsi hæc susceptio esset inducta ad solemnitatem baptismi, non tamen inde sequeretur, eam inualidè fieri in baptismo non solemni, cùm possit habere alios sufficientes fines. quòd si validè fiat, nulla est ratio cur negemus talem cognationem inducere.

Munus susceptoris non est inductum ad solemnitatem baptismi.

Concl. VI. Probabilius est eum qui aliquem per procuratorem suscipit, contrahere hanc cognationem. Ita cum aliis Sà citatus n. 39. & apertè definit congregatio Cardin. citata num. 37. Prob. quia, si spectemus naturam illius actus, nulla est ratio cur negemus nos eum per procuratorem obire posse: cùm igitur nullum sit Ius quod hoc prohibeat, sequitur validè fieri posse. Confirm. quia videmus magnates passim per procuratores hoc munus obire. quod Ecclesia numquam permitteret, si hoc validè facere non possent. quia tunc nullus esset susceptor, atque ita sine vlla necessitate grauissima & antiquissima cæremonia aut omnino omitteretur, aut ridiculè simularetur; cùm talis nullo modo verè susciperet prolem, sed id solùm simularet. quod absurdè planè ab Ecclesia permitteretur. Quòd si semel admittamus mandantem per suum procuratorem validè id munus obire, clarum est ipsum contrahere hanc cognationem, quia Iura id generatim asserunt. Ipse tamen procurator nullam cognationem contrahit; quia ipse non est verus susceptor, sed instrumentum susceptoris. Secùs est de eo qui ex alterius commissione baptizat. quia ipse hoc non facit alterius nomine, seu vt eius procurator, sed immediatè sustinens personam Christi, & vt verus Sacramenti minister.

40

Sà. Congreg. Cardin.

Alterius nomine aliquem suscipiens nullam cognationem contrahit.

Nemo potest alterius nomine baptizare.

Ad Primum argumentum n. 35. allatum Resp. Iura non præcipere vt susceptor per se eas actiones obeat; mandans autem eas per procuratorem verè obit: sicut per procuratorem quis verè matrimonium contrahit. Ad Secundum, nego conseq. est enim diuersa ratio. Nam per alium generare repugnat naturæ ipsius rei; & per alium adoptare prohibetur lege citata: suscipere autem aliquem per alium, nec legi, nec naturæ repugnat. Ad Tertium, nego consequ. quia nemo potest baptizare vt alterius hominis instrumentum, sed vt immediatè sustinens personam Christi: potest autem ita suscipere baptizatum, vt iam ostendi. Ad Quartum Resp. ea impedimenta non ita restringenda vt vel praxis Ecclesiæ damnetur, si talis inualidè suscipiat: aut contra aperta verba canonum aliquis verus susceptor hanc cognationem non contrahat.

41

DVBIVM III.

Quomodo cognatio legalis dirimat matrimonium?

42 Nota Primò, hanc cognationem prouenire ex adoptione, quæ est extraneæ personæ in filium, vel nepotem, & deinceps, legitima assumptio.

Adoptio quid sit? Est duplex. Quomodo differat arrogatio ab adoptione imperfecta?

Nota Secundò, adoptionem aliam esse perfectam, quæ arrogatio dicitur, qua adoptatus transit in adoptantis potestatem (ideóque arrogari non potest, qui sui iuris non est) fitque hæres necessarius adoptantis, saltem

saltem in quarta bonorum, & sola auctoritate Principis fieri potest. Aliam verò imperfectam, qua adoptatus non transit in adoptantis potestatem, nec fit eius necessarius hæres, cùm in testamento præteriri possit: potéstque hæc fieri per magistratus inferiores Principe. Vide Silvestrum v. *Adoptio.* nu. 2. & Sanchium l. 7. disp. 63. num. 2. vbi plures inter vtramque differentias referunt; sed hæ sufficiunt ad nostrum institutum.

Silvester. Sanchez.

43 CONCLVS. I. Cognatio legalis oritur ex arrogatione, dirimítque matrimonium in linea recta inter arrogatum ex vna parte, & adoptantem seu arrogantem eiúsque vxorem ex altera parte: idque in perpetuum. Quantumcunque enim semel arrogatus emancipetur, semper perseverat hoc impedimentum. l. *Quin etiã. l. Adoptivus. Quin etiam.* 55. & l. *Adoptivus.* 14. π. de ritu nuptiarum, c. 1. 30. q. 3. quæ sunt receptæ iure canonico, c. 1. 30. q. 3. vt communiter DD. docent.

Rursum in linea transuersa dirimitur matrimonium inter arrogatum & liberos legitimos adoptantis, quamdiu vtrique sunt sub potestate adoptantis. Secùs si alteruter emancipetur, vel adoptio alia ratione desinat, patet ex c. vnico de cognatione legali, iuncto c. 5. 30. q. 3. & l. *Per adoptionem.* π. de ritu nuptiarum. Ratio est, quia hoc impedimentum in linea recta est inductum ob reuerentiam quam debet adoptatus adoptanti, quæ est perpetua; in linea verò transuersa inducta est ob interpretatiuam inter hos fraternitatem, quæ desinit per emancipationem legibus ita statuentibus.

c. vnic. de cogn. leg. c. 1. 30. q. 3. l. Per adoptionem.

Cognatio legalis in linea transuersa non est perpetua.

Hinc deducitur, hanc cognationem non oriri inter arrogatum, & filiam illegitimam adoptantis. quia

44 hæc non est in patris potestate: nec etiam inter adoptantis proles legitimas, & adoptatum adoptione imperfecta. quia hic non transit in adoptantis potestatem. Hoc autem impedimentum, vt iam ostendi, solùm consistit inter eos qui sunt sub eiusdem adoptantis potestate. Imò Sanchius l. 7. disput. 63. cum quibusdam aliis docet, ex adoptione imperfecta nullum omnino oriri impedimentum matrimonij. quia, cùm impedimenta matrimonij debeant restringi, leges hoc impedimentum statuentes debent strictè intelligi, & consequenter de perfecta adoptione: quia alia est solùm imperfecta, & non omnino propriè dicta adoptio. quod probabile est. Et confirm. quia iura statuentia hoc impedimentum, loquuntur de adoptione, quæ impedit matrimonium etiam inter adoptatum, & proles adoptantis; quod solùm conuenit arrogationi. Vide plura apud Sanchium suprà.

Non oritur ex adoptione imperfecta, aut inter filios illegitimos. Sanchez.

DVBIVM IV.

Qua ratione affinitas contrahatur ac matrimonium dirimat?

45 NOta, affinitatem esse quoddam propinquitatis inter diuersas personas vinculum, ex duorum carnali copula ortum, quo omnes vnius consanguinei constituuntur alteri affines, in eadem linea & gradu quo alteri sunt consanguinei. Cuius ratio est, quia cùm habentes eam copulam efficiantur vna caro, necessariò mutuas affectiones siue propinquitates participant, ita vt vnus necessariò aliqua necessitate coniungatur iis omnibus, quibus alter est sanguine coniunctus. Hinc c. *Fraternitatis.* 35. qu. 10. dicitur: *Si vna caro fuerit, quo modo poterit aliquis eorum propinquus vni pertinere* (id est, propinquitate aliqua coniungi) *nisi pertineat alteri?*

Affinitas quid sit.

c. Fraternitatis.

46 Ex quibus patet Primò, ad contrahendam hanc affinitatem requiri talem copulam, quæ quantum est ex se, sufficeret ad generationem; nisi aliundè sterilitas personarum, aut quid simile obstaret. quia per nullam aliam duæ personæ fiunt vna caro.

Qualis copula ad affinitatem sit necessaria.

Patet Secundò, affinitatem non contrahi per quoslibet alios tactus impudicos, neque etiam per matrimonium ratum nondum consummatum. quia per hæc coniuges non efficiuntur vna caro, vt patet ex cap. *Lex diuina.* 27. q. 2. & c. *Debitum.* 5. de digamis.

c. Lex. c. Debitum.

Patet Tertiò, affinitatem esse iuris naturæ, præsertim quando oritur ex copula coniugali, quæ non ex aliena constitutione, sed natura sua coniuges efficit vnam carnem: quam vnitatem ipsa propinquitas naturaliter sequitur. Vnde etiam apud Gentiles, atque adeò apud omnes gentes hæc affinitas reperitur: vt patet ex l. *Non facilè.* 4. π. de gradibus & affinibus. Item spectato iure Ecclesiastico, certum est affinitatem oriri etiam ex copula fornicaria; vt patet ex Trident. sess. 24. c. 14. de reform. matrimonij.

Affinitas apud omnes gentes reperitur. l. Non facilè. Trident.

Difficultas autem est Primò, Vtrùm spectato præcisè iure naturæ aliqua affinitas oriatur ex copula fornicaria? Quidam id negant, Primò, quia apud gentes non reperiuntur nomina, quibus hæc affinitas significetur: ergo signum est eam non esse. Secundò, quia l. *Non facilè.* §. *Sciendum est*, dicitur: *Sciendum est neque cognationem, neque affinitatem esse posse, nisi nuptiæ non interdictæ sint, ex quibus affinitas coniungatur.* Tertiò, quia ex illa sola copula oritur affinitas, quæ est nata parere amicitiæ vinculum: atqui fornicaria non est talis: ergo, &c. Ita Victoria in Summa, num. 296.

47

l. Non facilè. Victoria.

Secunda difficultas est, quænam affinitas iure naturæ irriter matrimonium?

48

Quidam docent nullam omnino affinitatem iure naturæ dirimere matrimonium, atque adeò eo solo spectato, priuignum validè cum nouerca mortuo parente contrahere. Primò, quia quædam gentes tale matrimonium permittunt. hinc, vt refert Valerius Maximus l. 5. cap. 7. Seleucus Syriæ Rex cùm videret filium suum Antiochum periculosè ægrotare ex amore Stratonices nouercæ suæ, hanc ei vxorem dedit. quod factum Maximus laudat. Item Adonias petiit Abisac vxorem patris sui defuncti in coniugem, vt habetur 3. Reg. cap. 2. Secundò, quia tale matrimonium nec repugnat matrimonij finibus, cùm ex eo possit sequi generatio & concupiscentiæ remedium: nec inter tales personas est naturalis relatio superioritatis, cuius reuerentiæ repugnat matrimonium: quia talis relatio solùm nascitur inter eos, quorum vnus est principium alterius. Ita Caiet. 2. 2. q. 154. a. 9. ad 3. Armilla v. *Disparare.* num. 9. & 10. & *Armilla.* alij.

Valer. Maxim. 3. Reg. 2. Caietan. Armilla.

Alij verò in altero extremo docent, affinitatem iure naturæ irritare matrimonium, etiam in quibusdam gradibus lineæ transuersæ, in iis scilicet qui Leuitici 18. sunt prohibiti; cuius falsitatem ostendi, rationésque contrarias refutaui suprà n. 10. & 11.

Leuit. 18.

CONCL. I. Affinitas iure naturæ sequitur etiam ex copula fornicaria. Ita P. Rebellius lib. 3. de matrimonio, q. 15. concl. 2. & Ioan. Andreæ, Antonius Cucus, Cardinalis & Veracrux apud Sanchium lib. 7. disp. 65. nu. 8. Probatur Primò, quia, vt patet ex dictis nu. 45. tota ratio cur aliqua copula naturaliter aliquos reddat affines, est, quia efficit eos vnam carnem: atqui hoc verè & propriè etiam efficit copula fornicaria, vt apertè docet Apostolus 1. ad Corioth. 6. v. 15. & 16. vbi ait: *Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici* (scilicet per fornicationem, de qua ibi Apostolus loquitur) *vnum corpus efficitur? Erunt*, inquit, *duo in carne vna.* Ergo hæc copula etiam naturaliter inducit affinitatem. Probatur Secundò, quia Alexander Imperator iudicium naturale secutus, l. *Liberi.* 4. C. de nuptiis, statuit ne filij ducerent concu-

49

Rebellius. Ioan. Andreas. Antonius Cucus. Cardinalis. Veracrux. Sanchez. 1. Cor. 6.

l. Liberi.

biuas parentum : quia hoc minùs religiosum & probabile est. Vbi clarè ostendit ex tali copula aliquam affinitatem nasci. Tertiò, quia Amos v. c. 7. tanquam grauissimum scelus exaggeratur, quòd pater & filius introierint fornicandi causa ad eandem puellam: cuius nulla est alia ratio, quàm quia per talem copulam contrahitur affinitas. *Amos 2.*

50 Ad Primum argumentum num. 47. allatum, nego antecedens. quia eisdem planè nominibus vocantur facti affines ex copula fornicaria, atque facti ex copula legitima. Quod autem communiter non solemus tales iis nominibus compellare ; hoc fit, quia talis affinitas probrò ducitur, propter copulam quam supponit, ideóque communiter occultatur.

Ad Secundum Respondeo, eam legem nihil facere ad rem. Primò, nam aliàs probaret ex fornicatione natos non contrahere cognationem, quia eodem modo de cognatione & affinitate loquitur. Secundò, quia aliàs apertè contradiceret l. *Liberi.* suprà citatæ. *l. Liberi.* Tertiò, quia solùm dicit affinitatem non contrahi ex nuptiis interdictis, incestuosis scilicet, idque non absolutè, sed quantum ad aliquos effectus ciuiles, v. c. successionem, & similes; quia lex noluit concedere hæc priuilegia iis nuptiis, quas damnauit. Vnde ibidem etiam statuit, diminutos capite, siue qui ciuitatem ac libertatem perdiderant, aut quibus aqua & igni interdictum erat, perdere omnem cognationem ac affinitatem : quod de vinculo naturaliter antè contracto dici nequit. Neque enim per ea fratres poterant desinere esse fratres, aut prinigni esse prinigni.

Ad Tertium Respondeo Primò, negando maiorem. Nam Iura num. 45. citata dicunt copulam inducere affinitatem, non quia conciliat vni parti amicitiam consanguineorum alterius partis : sed quia facit, vt duo fiant vna caro : quod per copulam fornicariam verè & propriè fit ; vt ostendi. Respondeo Secundò, negando minorem, si loquamur de copula per se spectata, & prout abstrahit à dedecore coniuncto. Nam etiam talis copula conciliat amorem inter eos qui eam habent ; atque ita tam animis, quàm quadam etiam ratione corpore facit eos quid vnum: quæ vnitas est fundamentum omnis amicitiæ & reuerentiæ, quæ nascitur inter consanguineos vnius partis cum altera parte. Amor enim & reuerentia filiorum in patrem naturaliter hos inclinat vt ament & reuereantur eos, qui sunt quodammodo vnum cum patre. Hinc apud eos quibus concubinatus non est turpis, est aliqua reuerentia filiorum erga concubinam patris. Et quamuis inter homines benè institutos concubinatus reddat concubinam vilem ac detestabilem filiis ipsius concubinarij, vtpote quæ parenti sit causa turpitudinis & perditionis ; eidem tamen ratione duce etiam patre mortuo, eisdem copulam abhorrent tamquam rem quæ sit contra reuerentiam patri debitam : eò quòd is qui eius turpitudinem reuelat, patris turpitudinem censetur reuelare, cum quo illa vna caro facta est, in quo omnis ratio affinitatis in ordine ad præsentem effectum consistit.

Copula fornicaria ex natura sua nata est conciliare vtriusque partis consanguineos quamuis per accidés conciliet odium.

51 Conclvs. II. Matrimonium cum affini in primo gradu naturaliter continet aliquam indecentiam, ita vt cum aliquo peccato sine legitima causa contrahatur. Patet ex dictis num. 11. & 50. quæ tamen in linea transuersa non videtur ita grauis. quia aliàs multi viri sancti, & in Scriptura laudati, talia matrimonia numquam contraxissent, cùm ad hoc non haberent ita graues causas : vt patet in Iacob patriarcha ducente duas sorores. In linea tamen recta hæc indecentia est valdè grauis. Vnde omnes gentes benè institutæ talia matrimonia tanquam grauissima scelera semper sunt valdè detestatæ : vt patet ex

Naturaliter valdè dedecet contrahere cum affini in linea recta.

l. *Liberi.* citata num. 49. & ex 1. ad Corinth. 5. vbi dicitur: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui quis habeat.* Nec satisfacit quod aliqui dicunt, eum loqui de vxore patris adhuc viuentis. quia Apostolus hoc peccatum non tam exaggerat in ratione iniuriæ, quæ patri fiebat, quàm in ratione extraordinariæ fornicationis ac libidinis. Confirmatur Primò, quia Amos 2. de Israëliticis dicitur : *Filius ac pater, eius ierunt ad puellam, vt violarent nomen sanctum meum;* scilicet reddendo illud detestabile Gentibus, quæ talem libidinem detestabantur. Quod maximè notandum est, cùm ibi solùm agatur de copula fornicaria, vt apertè ex textu colligitur. Quod enim aliqui dicunt, illam puellam alterutrius fuisse vxorem, sine fundamento dicunt, & contra modum loquendi Scripturæ, quæ aliter loquitur, quando filius violat torum patris, vt patet Genes. 49. v. 4. & Leuit. 18. v. 8. *l. Liberi.* *Amos 2.* *Gen. 49.* *Leuit. 18.*

Confirmatur Secundò, quia Leuit. 20. v. 11. 12. 13. 14. 15. 16. fornicatio commissa cum affini in primo gradu mistim connumeratur cum præpostera libidine & bestialitate, idque eadem, vel etiam maiore exaggeratione, ac pœnæ impositione. vbi etiam dicitur : *Qui supra vxorem filiam duxerit matrem eius, scelus operatus est vterque ardebit cum ea, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.* qua ratione ibi nec bestialitas, nec præpostera libido exaggerantur, aut puniuntur. Vnde omnino colligitur, illud grauissimè iuri naturæ repugnare, idque non quia talis duas simul ducebat (quia hoc illo tempore erat licitum : nec in eo faciebat vxori iniuriam) sed quia socrum suam sibi matrimonio copulabat, & ita fiebat vxoris suæ socer, vnde etiam filia iubetur viua comburi, si qua ratione tanto scelerí conniueret. Nec credo hanc conclusionem ab vllo negari, quamuis aliqui negent tale matrimonium iure naturæ esse irritum. 52 *Leuit. 20.*

Concl. III. Probabilius est matrimonium inter affines in primo gradu in linea recta esse iure naturæ irritum. Ita D. Thomas in illud 1. ad Corinth. 5. *Omnino auditur inter vos* ; &c. Siluester. *Matrim.* 8. q. 5. dicto 6. sub fin. Couarr. 4. decret. p. 2. c. 6. §. 1. Paludanus in 4. d. 41. q. 1. a. 5. concl. 2. Sotus ibidem a. 3. paulò ante finem. Bellar. l. de matrimonio, cap. 28. sub initium. Valentia 4. p. disp. 10. q. 5. punct. 3. Candel. 1. p. matr. num. 204. Vasquez 3. p. q. 91. a. 1. dub. 4. n. 12. & alij. Et quamuis aliqui ex dictis non tam clarè dicant hæc matrimonia iure naturæ esse irrita tamen hoc clarè insinuant, dum dicunt, eodem modo esse prohibita, sicut matrimonium patris cum filia. Et huius etiam sententiæ apertè fuit Concilium Limense citatum à P. Acosta l. 6. de procuranda Indorũ salute, c. 21. Idem apertè docent leges ciuiles, quæ definiunt eos, qui tales nuptias contrahunt, incestum contra ius gentium cõmittere; vt apertè colligitur ex l. *Si adulterium.* 38. initio, & §. *Quare,* ff. ad leg. Iuliam de adulter. Et expressè dicitur l. vltima, §. *Nouerca.* ff. de condict. sine causa. Leges autem ciuiles ius naturæ vocant ius gentium, vt docet glossa in d. l. *Si adulterium.* v. *Inter gentium.* Probatur, quia, cùm, vt ostendi, talia matrimonia cõtineant grauissimam indecentiam cõtra ius naturæ, & ferè similem ei, quam cõtinet matrimonium patris cum filia (nam eadẽ ferè hac in re deberet reuerentia nouercæ & matri, cùm illa sit facta vna caro eum patre; vnde illius turpitudo Leuit. 18. dicitur turpitudo patris) omnino videtur incredibile, auctorẽ naturæ concessisse homini facultatem vt posset tale matrimonium inire, cùm hactenus nullus acciderit casus, nec vnquam futurus sit, in quo sit tanta necessitas talis matrimonij ineundi, vt hoc honestè fieri possit. Vnde sequitur, id nunquam validè factum esse, & sine speciali Dei concessione valide fieri non posse. Vide dicta suprà num. 13. 53 *D. Thom. Siluester. Couarr. Paludan. Sotus. Bellarm. Valentia. Candelab. Vasquez.* *l. Liberi.* *l. Cor. 5.* *Concil. Limense. Acosta.* *l. Si adulterium. ff. de adult.* *l. vlt. ff. de cond. Leges ciuiles ius naturæ vocãt ius gentium.* *Leuit. 18.*

Addunt

54 Addunt Silvester v. *Matrimonium.* 8. n. 15. dicto 6. Petrus Soto lect. 10. de matrim. §. *Secundum, cùm hæc affinitas.* cum quibusdam aliis, affinitatem in linea recta dirimere matrimonium in infinitum. quod non est improbabile, præsertim quando hæc contracta fuit ex matrimonio. quia negari non potest, quin tale matrimonium contineat notabilem indecentiam; nec vnquam auditum est, à viris laudatis tale matrimonium fuisse contractum. Vide dicta suprà num. 16. Quando tamen hæc affinitas esset contracta ex fornicatione, faciliùs contraria sententia sustineri posset, præsertim in matrimoniis vltra primum gradum contractis. Nullam autem affinitatem in linea transuersa iure naturæ irritare matrimonium, satis patet ex dictis suprà num. 10.

Silvester. Pet. Soto.

55 Ad Primum argumentum allatum num. 48. Respondeo, hoc nihil probare. quia aliàs probaret matrem validè nubere filio. quia hoc Persis vsitatum est. Et ex facto Seleuci sequeretur, spectato iure naturæ priuignum validè ducere nouercam viuente patre: quod, vt credo, nemo dixerit. Minùs probat factum Adoniæ tum quia insipienter illud matrimonium appetiit: tum etiam quia Abisac non erat ei vllo modo affinis. quia nunquam à Dauide fuerat cognita.

Ad Secundum Respondeo, priorem eius partem nihil probare. Nam aliàs probaret matrimonium inter matrem & filium iure naturæ esse validum. Secunda autem pars falsa est, vt patet ex dictis num. 51. & 53.

56 CONCLVS. IV. Affinitas olim iure Ecclesiastico dirimebat matrimonium vsque ad septimũ gradum. Item affinitas pariebat affinitatem, v. c. Petrus duxerat Mariam, eáque mortua Paulam, frater Mariæ huic erat affinis. Sed hoc secundum iam omnino est sublatum, & sola affinitas numero 45. definita iam dirimit matrimonium, idque solùm vsque ad quartum gradum inclusiuè: vt habetur c. *Non debet.* 8. de consanguinitate. Imò si orta sit ex fornicatione, solùm dirimit matrimonium vsque ad secundum gradum inclusiuè. Ita Trident. sess. 24. cap. 4. de reformati matrimonij. In vlterioribus autem gradibus ne quidem impedit matrimonium, vt declarauit Pius V. apud Sanchium lib. 7. disp. 67. num. 4.

Affinitas iam non parit affinitatem. *c. Nõ debet.*

Trident.

Pius V. Sanchez.

Nota, Concilium per fornicationem intelligere quamuis copulam non coniugalem, siue adulterium sit, siue incestus. quia est omnium eadem ratio.

57 Ex dictis demum infertur, Gentiles ante baptismum validè contrahere cum quauis sibi affini in linea transuersa, & postea baptizatos licitè in eo matrimonio permanere. quia ante baptismum non sunt subiecti Ecclesiæ legibus, & matrimonia semel validè contracta, per baptismum non soluuntur. Affinitas tamen ab iis ante baptismum etiam ex fornicatione contracta permanet post baptismum, & matrimonia contrahenda in iis. iam baptizatis eodem modo impedit, ac si post baptismum fuisset contracta. quia iam legibus Ecclesiæ subiecti sunt.

Gẽtiles validè cõtrahunt cum quauis affini in linea transuersa. Affinitas prius contracta etiã ex fornicatione post baptismum matrimonium dirimit.

DVBIVM V.

Quale sit impedimentum publicæ honestatis?

58 NOta, per sponsalia vel matrimonium inter sponsam, & consanguineos sponsi; & inter sponsum & consanguineos sponsæ iure Ecclesiastico nasci quandam propinquitatem, dirimentem matrimonium; eò quòd contra publicam honestatem siue decorem videatur, tales inter se coniungi: vt patet cap. *Si quis vxorem*, & cap. *Si quis desponsauerit.* 27. q. 2.

c. Si quis vxorem. *c. Si quis desponsauerit.*

quod loquitur tam de desponsante, scilicet per verba de præsenti, quàm de subarrhante contrahendo sponsalia, quæ duo Ius apertè in iis locis distinguit. & quòd loquatur de desponsatione per verba de præsenti, patet, quia in iis apertè significatur matrimonio, de quo ibi est sermo, nihil aliud defuisse quàm consummationem. Quare minùs rectè aliqui negant esse expressum ius quo probemus hoc impedimentum nasci ex matrimonio rato.

Hinc infertur, illud impedimentum non nasci inter Gentiles. quia Ecclesiæ non subsunt, vt omnes fatentur. Aliqui tamen putant ex matrimonio nõ consummato inter Gentiles nasci quandam propinquitatem, inter vtriusque consanguineos: quæ non quidem ante sed post baptismum eorum, dirimit matrimonium inter sponsam & consanguineos sponsi, ac contrà: vt suprà dictum est de affinitate. quod non est omnino improbabile. Eorum tamen rationes in rigore nihil aliud probant, quàm talia matrimonia conciliare quandam amicitiam inter tales. quod etiam verum est de sponsalibus, imò de quauis familiaritate. Quare cum Henriquez lib. 12. c. 3. n. 4. credo contrarium probabilius. Et confirmatur, quia, cùm tam auctores gentiles, quàm leges ciuiles (vt patet ex toto tit. π. de gradibus & affinibus, præsertim l. 4.) enumerent omnes propinquitates, quæ inter diuersas personas siue naturaliter, siue per legum constitutionem prouenire possunt, & solùm meminerint cognationis tam naturalis, quàm legalis & affinitatis; alicuius tamen alterius propinquitatis, quæ ex solo matrimonio nondum consummato nascatur, nullus vel leuem mentionem fecit: quod signum est, eos hanc non agnoscere.

59 Vtrùm inter Gẽtiles ex matrimonio non consummato nascatur aliqua propinquitas.

Henriquez.

l. 4. de grad.

CONCLVS. I. Iure antiquo hoc impedimentum dirimebat matrimonium vsque ad quartum gradum. Est communis. quia Ius absolutè dicit, sponsam non posse contrahere cum consanguineis sponsi. Consanguinei autem computantur vsque ad quartum gradum, cap. *Non debet.* de consanguinit. Oriebatur etiam ex omni matrimonio, vel sponsalibus puris, siue non conditionatis cum certa persona initis, etiam inualidis, si modò non essent inualida ob defectum consensus: ita tamen vt nullum adferrent præiudicium præcedentibus sponsalibus. Ita definitur c. vn. de sponsalibus in 6.

60 *c. Non debet.* Quando hoc impedimentum oriatur ex matrimonio irrito.

c. vnic. de sponsal.

Ex quibus infertur Primò, ex sponsalibus aut matrimoniis metu, aut ex errore personæ, aut indeliberatè, aut à destituto sufficienti ratione cõtractis, ideóque inualidis, nullum nasci impedimẽtum: quia deest consensus ad matrimonium iure requisitus. Et idem est in sponsalibus aut matrimonio cum incerta contractis. quia verè legitimus consensus deest, qui debet in certam personam ferri. Item in contractis sub conditione de futuro contingenti, antequam hæc ponatur: quia deest consensus. habentur hæc expressè cap. vnic. in fine, de sponsalib. in 6. Secùs est, si conditio sit de præsenti, aut necessaria. Vide dicta disp. 29. n. 8. vbi hæc fusiùs explicui.

61

c. vnic. de sponsal.

Infertur Secundò, contrahentem sponsalia cum Catharina, si antequam dissoluantur, contrahat sponsalia, vel matrimonium ratum tantùm cum eius sorore, teneri nihilominus ducere Catharinam: quia secundi contractus sunt omnino irriti, nec vllum præiudicium adferunt prioribus, vt habetur cap. vnic. de sponsalib. in 6.

62

c. vnic. de sponsal.

Quòd si tamen tale matrimonium, vel secunda sponsalia fuissent contracta postquam priora erant omnino dissoluta, induxissent impedimentum dirimens etiam respectu fororis cum qua priora fuerant contracta: quia tunc hoc impedimentum nullo modo cederet in præiudicium prioris sponsæ. Post Concilium tamen Trident. secunda sponsalia cùm essent omnino irrita, nullum impedimentum inducerent, vt statim dicam.

CONCLVS. II. Tridentin. sess. 24. cap. 3. de reform. 63

Trident. Iam non oritur ex sponsalibus irritis.

matrim. hoc impedimentum quatenus prouenit ex solis sponsalibus, quoties hæc quacunque ex causa sunt irrita, prorsus tollit: vbi autem valida sunt, vult primum gradum non excedere. quare sponsus de futuro iam potest contrahere cum omnibus consanguineis sponsæ, excepta matre, filiabus, ac sororibus eius.

Ortum ex sponsalibus non diuidit vltra secundum gradum.

Excipiunt aliqui casum, quo impedimentum est omnino occultum, & sponsalia sunt publica. quia illud impedimentum ab Ecclesia est inductum ad vitandum scandalum, vt dicitur cap. *Inuenis.* 3. de sponsalib. atqui ex nuptiis cum sorore sponsæ postea contractis oriretur scandalum eodem modo ac si priora sponsalia fuissent valida, cùm talia esse credantur: ergo Ecclesia voluit etiam hoc casu impedimentum hoc permanere. Huic sententiæ valdè fauet Durand. in 4. d.41.q.2. Palud. ibid.a.3. concl. 2. Siluest. *Matrimon.* 8.n.14.dicto 6. quatenus dicunt, id quod statuitur c. vnic. de sponsal. in 6. vt sponsalia irrita ob defectum consensus non inducant impedimentum, intelligendum esse in casu, quo hic defectus possit palàm probari, idque probant argumento iam allato.

64 c. *Inuenis.*

Durand. Palud. Siluester. c. vnic. de sponsi.

65 Vnde inferunt Primò, quando priora sponsalia irrita fuerunt omnino occulta, nullum præstare impedimentum. quia cessat dicta ratio. Secundò, ea sponsalia etiam publica tam diu solùm inducere impedimentum, quamdiu eorum nullitas est occulta. Vnde si hæc postea etiã per falsos testes fiat publica, aiunt cessare omne impedimentum. quia cessat ratio scandali.

66 Sed in hac sententia multa mihi apparent difficilia. Primò, quia repugnat apertis verbis ipsius Iuris. Nam c. vnic. citatum generatim dicit, sponsalia irrita ob defectum consensus, nullum inducere impedimentum. Idémque generatim definit Tridentin. de sponsalibus quauis ratione irritis. quorum verba illa sententia valdè restringit, idque sine vlla necessitate. Nam in ratione pro ea allata sumitur falsum. Nam ex dictis matrimoniis nullum fuisset ortum scandalum, si Ecclesia hoc impedimentum non statuisset. Sicut iam non oritur scandalum, ex eo quòd quis ducat sponsæ cognatam: nec c. *Inuenis.* citato, quidquam simile dicitur, sed solùm eum iuuenem non potuisse ducere consobrinam eius quacum priùs contraxerat sponsalia, idque ob honestatem Ecclesiæ, siue ob impedimentum honestatis ab Ecclesia inductum. Quare illud argumentum summùm probat, tales nuptias illicitè contrahi in locis vbi priora sponsalia sunt nota, & eorum nullitas incognita, propter scandalum, quod inde posset nasci.

c. *vnic. de sponsi.*

Trident.

c. *Inuenis.*

67 Secundò, quia ex illa sententia, cuiusque corollariis sequeretur Primò, etsi talia sponsalia possent probari per duos testes; quamdiu tamen hi haberent rem secretam nullum futurum impedimentum. quia sponsalia adhuc essent verè occulta, nec vllum scandalum oriretur ex matrimonio postea contracto cum sponsæ sorore. Secundò, si sponsalia essent publica, & nullitas occulta etsi probabiliter per duos testes, fore impedimentum, quamdiu hi illam nullitatem nollent testari. Item tam in his casibus, quando tam sponsalia quàm eorum nullitas essent, solùm duobus testibus nota, fore in testium potestate prout vellent inducere tale impedimentum publicando sponsalia, & postea hoc iterum tollere, publicando eorum nullitatem. Et eodem modo vtrumque esset in potestate sponsorum, qui per conductos falsos testes possent modò vnum, modò alterum probare; atque ita prout vellent, nuptiis postea contrahendis impedimentum inducere, idemque tollere. Item easdem personas in vno loco vbi priora cum alterius sorore sponsalia essent publica, esse inhabiles ad contrahendum inter se matrimonium. & in aliis locis vbi essent ignora, fore habiles. quia cessaret scandalum. Quæ omnia videntur mihi valdè difficilia.

68 Imò sequeretur vlteriùs, sponsalia etiam valida, modò essent omnino occulta, ita vt nulla ratione possent probari, præsertim sponsa iam defuncta, nullum inducere impedimentum inter sponsum ac illius sororem. quia, cùm ratio legis inducentis hoc impedimentum, secundùm illam sententiam sit, tollere scandalum quod ex tali matrimonio possit nasci, lex non comprehenderet dictum casum, cùm in eo nullum possit esse scandalum; atque ita ipsius ratio ad eum non extendatur: vt in simili cum P. Sanchio docui suprà disp.9.n.40. *Sanchez.*

69 Quare cum Nauar.cap.22. num.57. credo decisionem Concilij generatim intelligendam de omnibus sponsalibus quacumque ratione irritis. Quamdiu tamen ipsa publica sunt, & nullitas occulta, Ecclesia præsumet esse valida, ac inducere impedimentũ, nec matrimonium sponsi cum sorore sponsæ permittet. *Nauar.*

70 Conclvs. III. Matrimonium ratum siue validum, siue irritum eodem modo iam inducit impedimentum, quo ante Tridentinum. Quia Tridentinum solùm loquitur de sponsalibus. Ita declarauit Pius V. in Bulla *Ad Romanum.* edita anno 1568. *Trident.* *Pius V.*

Excipe matrimonium clandestinum, quod vt matrimonium, nullum parit impedimentum. quia deest ei legitima forma, & consequenter legitimus consensus, ita vt non habeat speciem quidem externam contractus matrimonij. Ita Sanchius disp.70.nn.13. cùm tamen secundùm nostram sententiam habeat rationem sponsalium, inducet eodem modo impedimentum, atque alia sponsalia. *Sanchez.*

DISPVTATIO XXXIII.

DE DISPENSATIONE IMPEDIMENTORVM MATRIMONII.

DVBIVM I.

Quid sit dispensatio, & à quibus fieri possit.

1 Sanchez. Conclvs. I. Dispensatio est iuris relaxatio facta ab habente potestatem relaxandi. Ita optimè Sanchius l. 8. de matrim. disp.1. n.2. Addunt aliqui, *cum cognitione causæ factæ.* sed hoc absolutè non requiritur, nisi vt dispensatio licitè fiat. nam quisque in sua lege sine vlla causa validè dispensat.

Vt autem hæc clariora sint, Nota Primò, hæc quinque inter se distingui, scilicet *Irritare legem.* quod propriè fit quando is cuius est legem confirmare, impedit quo minùs ea feratur, volendo eam omnino esse irritam. Secundò, *Abrogare legem,* quod facit is, qui eam iam latam omnino tollit. Tertiò, *Derogare legi,* quod

Quis dicatur irritare legem?

Quo abrogatur?

Quis ei derogare?

Quis eam interpretabi?

facit is, qui iam latam ex parte tollit. Quartò, *Interpretari legem.* quod proprium est hominis docti, decernentis legem hîc & nunc ob aliquam causam non obligare, siue talem casum lege non comprehendi.

Quis in ea dispensare?

Quintò, *In lege dispensare.* quod fit quando ea manente in suo vigore, aliquis ab eius obligatione liberatur; in quo semper aliquo modo lex derogatur. nam respectu illius hominis aut tollitur, aut suspenditur eius vis obligandi.

Vnde ratio hæc lex ab aliorũ voluntate pẽdet?

Nota Secundò, legem tam in fieri, quàm in conseruari semper pendere à voluntate eius qui eam cum absoluta potestate tulit, aut eius qui illi cum pari potestate succedit. Quare statim atque ipse statuit vt vel in totum, vel ex parte desinat obligare, ipsa de facto ita obligare desinit. Secùs est de omnibus aliis, à quorum voluntate ipsa non pendet, qui circa illam nihil possunt immutare.

3 Homines inualidè ferũt leges inutiles.

Nota Tertiò, ex dictis disp.7.n.36. legislatores humanos non habere potestatem ferendi leges, aut in iis dispensandi, nisi quatenus hoc vtile est communitati: hac tamen differentia quod vbi bonum commune id non exigit, inualidè quidem leges ferant, validè tamen in iis quas tulerunt dispensent. quia, vt effectus aliquis ponatur, requiritur integra ipsius causa: vt autem deficiat, sufficit partialem causam necessariò requisitam deficere. ita Suarez *l.6. de legibus, cap.19. n.6.* Quare, cùm vt lex obliget, non solùm exigentia boni communis, sed etiam voluntas legislatoris requiratur, lex nec grauiùs, nec plures potest obligare, quàm hic eam velit obligare, vt etiam loco citato dixi.

Suarez.

4 Quisque in sua lege validè, sine causa dispensat, peccat tamen cõtra iustitiam distributiuam.

Hinc sequitur Primò, quemque posse dispensare in lege quam ipse plena potestate tulit, & quidem validè sine vlla causa. quia lex non aliter obligat, quàm ipse velit eam obligare. Omnis tamen legislator humanus ita dispensando peccat contra iustitiam distributiuam, quæ exigit, vt, nisi iusta causa aliud postulet, onera toti communitati equaliter imponantur. Omnino enim inordinatum est, vt vna pars præ alia irrationabiliter grauetur. Similiter etiam peccat is, qui tali dispensatione vtitur, non propriè contra legem positiuam, qua iam non obligatur; sed contra legem naturæ, qua omnis pars tenetur se toti conformare, nisi iusta causa aliud suadeat. Vtrumque tamen tantùm est peccatum veniale, nisi scandalum, aut aliorum notabile grauamen, aut quid simile inde sequatur.

Qualem causam requirat dispensatio?

Nota tamen, etsi, vt licita sit dispensatio, requirat iustam causam, non tamen talem, quæ alterum ab obligatione legis eximat (quia non differret à legis interpretatione;) sed quæ sufficiat vt ille per Superioris auctoritatem possit rationabiliter eximi.

5

Sequitur Secundò, neminem posse dispensare in lege sui Superioris, nisi hoc ei concedatur. Item in lege lata ab aliqua communitate neminem particularem dispensare posse, sed solam communitatem, aut eius absolutè Superiorem, à cuius voluntate lex non minùs pendet, quàm à voluntate totius communitatis.

Concedens facultatem dispẽsandi rem suam dat.

Sequitur Tertiò, quando Superior dat alicui facultatem in aliqua sua lege dispensandi, cum huic communicare aliquam partem suæ facultatis, ac iuris. Etsi enim potestas dispensandi Superiori, siue legislatori concedatur in bonum communitatis; verè tamen ei datur, estque ei propria, non secùs quàm regnum sit verè ipsius Regis, qui ad hoc ob bonum commune assumptus est. Vnde vlteriùs infertur, ipsum, vt hanc potestatem licitè alteri communicet, nullam aliam causam requirere, quàm quia ipsi placet. quisque enim pro suo libitu potest sua bona alteri communicare. Peccaret tamen eam concedendo ei, quem crederet hac indebitè vsurum. quia hoc cederet in aliquod incommodum communitatis, in cuius bonum ipse illam potestatem accepit, eaque vti tenetur.

Idque licitè facit sine vlla causa.

Sequitur Quartò, quoties legislator concedit alicui inferiori potestatem dispẽsandi in sua lege (nisi aliud exprimat) solùm censeri ei concedere vt dispenset existente iusta causa. quia sicut ipse illicitè sine iusta causa dispensaret: ita illicitè alteri concedit facultatem ita dispensandi. quod, nisi expressa verba aliud cogant, numquam præsumitur facere. Quare is cui potestas dispensandi delegata est, inualidè sine iusta causa dispensat. 6

Delegatus inualidè dispensat sine causa.

Sequitur Quintò, ipsam dispensationem in quauis lege esse odiosam. quia per eam ipsi legi in commune bonum latæ aliquo modo derogatur, & ponitur quædam inæqualitas, & discordantia inter membra eiusdem corporis: quæ odiosa sunt. Secùs tamen est de communicatione facultatis dispensandi, qua Superior liberaliter sua bona communicat; ideóque est gratia Principis, ac fauorabilis. 7

Dispẽsatio est odiosa.

Concessio facultatis dispẽsandi est fauor.

Sequitur Sextò, Deum pro suo beneplacito sine vlla alia causa licitè in quauis lege positiua dispensare. quia ipse non accepit ab aliis eiusmodi potestatem in commodum communitatis: sed eam habet à se tanquam absolutus omnium rerum dominus: ideóque prout voluerit, quæuis onera nobis potest imponere, & quos voluerit ab iis eximere; nec hac in re vllis iustitiæ distributiuæ legibus subiacet. 8

Deus pro mero suo beneplacito potest leges ferre aut tollere.

Sequitur Septimò, neminẽ, imò nec ipsum Deum, posse propriè dispensare in vllo iure naturæ. quia huius obligatio nullo modo pendet à Dei voluntate, sed ex ipsis rerum naturis immediatè consurgit. v. c. mentiri est peccatum, præcisè quia est dissonum naturæ rationali, idque independenter ab omni, etiam ipsius Dei voluntate. Nam etsi nullus esset Deus, & omnes homines ac angeli vellent licitum esse mentiri, nihilominus esset malum. Idémque est in omnibus aliis præceptis iuris naturæ. 9

Deus non potest propriè dispẽsare in iure naturæ: nec hoc ab eius voluntate pendet.

Potest tamen Deus, imò etiam ipsi homines, mutando aliquam circumstantiam obiecti alicuius actus sæpè efficere, vt id liceat, quod aliàs esset illicitum. v.c. dando Petro veniam vt res meas accipiat, efficio vt licitè id faciat; qui tamen peccasset, si id me inuito fecisset. quæ fusiùs explicui disp.26.n.12.& seqq.

Sequitur Octauò, quando Pontifex relaxat alicui obligationem voti, propriè in eo non dispensare; sed nomine Dei, potestate ab eo accepta, illi remittere *debitum quo obligabatur*, sicut si meus quæstor accepta à me facultate, alicui meo debitori sua debita remitteret, qui in nullo omnino iure dispensaret. 10

Relaxans obligationẽ voti in nulla lege dispensat.

Quinam autem iure ordinario possint in votis dispensare siue horum obligationem remittere vide Suar. de Religione tom.2. tract.2. de voto *l.6. c.10. & 11.* Et Sanch. in Præcept. *l.4. c.38.* vbi docent hanc potestatem primò & per se conuenire summo Pontifici respectu omnium baptizatorum. Secundò, Cuiuis Episcopo aut habenti Episcopalem iurisdictionem respectu suorum subditorum ac votorum quæ ipsis reseruata non sunt. Eandemque esse rationem nuncij Apostolici respectu suæ prouinciæ. Tertiò, Eam non competere Archiepiscopo respectu subditorum suorum suffragancorum etiam dum hos visitat, quia hæc ei nullibi conceditur, nec in suos suffraganeos, eorúmve subditos vllam habet potestatem nisi quæ ei iure conceditur, vt dicitur *c. Dno. 9. & c. Pastoralis. 11. de officio iudicis ordinarij.* Vnde etiam inferunt eum non posse dispensare in votis suorum suffraganeorum. Quamuis Sanch. *sup.n.16.* putet ob Doctorum auctoritatem esse probabile eum cum his posse dispensare etiam dum eos non visitat.

Docet quartò, Generales Episcoporum vicarios non posse dispensare in votis nisi hoc eis specialiter concedatur: quo casu cùm habeant solùm partem de-

legatam, non possunt eam alteri delegare. Limitat hoc Sanch.n.18.nisi sit ei data potestas dispensandi in omnibus votis in quibus potest Episcopus dispensare, quia cùm tunc sit delegatus ad vniuersitatem causarum,poterit etiam subdelegare. Sed hoc non niti firmo fundamento ostendi disp.8.dub.4.

Docent quintò, Nullum non habentem iurisdictionem Episcopalem posse iure ordinario in votis dispensare,etiam in casu necessitatis,quæ tale ius non tribuit. Et consequenter nec Cardinales præcisè ratione suæ dignitatis, & nisi aliunde iurisdictionem Episcopalem habeant,hac potestate gaudere.

DVBIVM II.

An dispensatio, aut potestas dispensandi alicui delegata latè interpretanda sit?

11 Potestas dispensandi latè,ipsa dispensatio strictè interpretanda est.

CONCLVS. I. Potestas dispensandi alicui à Superiore concessa,latè interpretanda est, quia est fauor Principis: contrà ipsa dispensatio, quæ tanquam quædam discessio à communi Iure odiosa est, strictè interpretanda est. Patet vtraque pars ex dictis suprà num.7.& regula 15. de regulis Iuris, in 6. vbi dicitur: *Odia restringi, fauores conuenit ampliari.* Et secunda pars habetur expressa c.1. §. *Ille verò.* de filiis presbyt.in 6. *c.1.de filiis. Reg.Iuris.* Et ferè communiter Doctores in hanc conclusionem consentiunt. Sed varij variè vtramque partem limitant,ac diuersimodè eam variis casibus applicant: vt patet apud P. Sanchium lib.8.de matrim. disp. 1. & 2. vbi hæc fusissimè disputat, ex quibus maximè vtilia seligemus. *Sanchez.*

12 Prior itaque pars limitatur Primò, quando ipsa concessio latè accepta cederet in aliorum præiudicium. quia Princeps non censetur velle vni fauere cum aliorum præiudicio. Hinc concedens alicui facultatem absoluendi ab omni excommunicatione, non concedit potestatem absoluendi à lata per particularem sententiam,quia hoc cederet in præiudicium excommunicantis.

13 Limitatur Secundò,vt non extendatur latiùs quàm aut verborum significatio, aut etiam consuetudo patiatur, quæ sæpè in eiusmodi concessionibus etiam propriam verborum significationem restringit. hinc disp. 14. num. 182. ex communi Doctorum sententia ostendi, Pontificem generatim alicui concedentem facultatem absoluendi ab omnibus casibus sibi reseruatis, non comprehendere contentos in Bulla cœnæ. quia non solet horum absolutionem concedere, nisi id exprimat. Hinc infertur,talem facultatem non esse extendendam ad casus vicinos, qui per verba concessionis nullo modo comprehenduntur, etsi fortè facilior sit dispensatio in his quàm in concessis.v. c. cui est concessa facultas dispensandi in cognatione, non potest dispensare in affinitate, quia diuersa sunt. Ita Sanchius l.8.disp.24. n.19. Cui tamen concessum esset dispensare in tertio gradu consanguinitatis, vel affinitatis, posset etiam dispensare in quarto,quia hic sub illo continetur. *Sanchez.*

14 Limitatur Tertiò, quando hæc facultas conceditur alicui, vt cum certis personis dispenset,idque non in gratiam ipsius dispensaturi, sed eorum quibuscum dispensandum est. quia tunc non fit fauor ipsi dispensanti, sed est quasi instrumentum ipsius cõcedentis eam facultatem, qui moraliter loquendo censetur hîc dispensare. quare instar dispensationis factæ est strictè interpretanda.

Ex quo vlteriùs patet, priuilegia Bullæ cruciatæ strictè intelligenda esse, quia continent solùm gratiam factam ipsi,cum quo dispensandum est.Ita Henriquez l.7.c.30.n.1.& Sanchez l.8.disp.2.n.7. *Henriquez. Sanchez.*

15 Secundam verò partem communiter limitant Primò, quando Princeps proprio motu dispensat. tunc enim ex meró fauore vult gratiam facere, quæ latè interpretanda est:vt colligitur ex c. *Si motu proprio.* 23. de præbendis,in 6. vbi etiam additur,Pontificem tũc solum censeri proprio motu aliquid concedere,quando id exprimit. & tunc semper censetur id proprio motu facere, etsi id rogatus faciat. Ita Sanchez lib.8. disp.1.num.7. *c. Si motu. Sanchez.*

Secundò limitatur,quando dispensatio est Iuri cõmuni inserta.tunc enim cùm sit omnibus æqualis,non est odiosa, sed potiùs communem fauorem continet. Eadémque est ratio dispensationis, quæ per modum priuilegij conceditur integræ Religioni. Ita P.Henriquez l.7.c.22.n.3. Sanchez l.8.disp.1.n.13. 16 *Henriquez. Sanchez.*

Tertiò limitatur,quando dispensatio fit in priuato aliquorum statuto aut consuetudine à communi Iure exorbitante. Cùm enim per talem dispensationem perueniatur ad Ius commune, fauorabilis est ac latè interpretanda. Ita Siluester v. *Priuilegium.* q.3.dicto 2. Henriquez l.7.c.30.n.3. *Siluester. Henriq.*

Quartò limitatur, vt non ita strictè intelligatur,vt sit captiosa & inutilis, aut non extendatur ad necessarjo connexa. Hinc qui dispensat cum aliquo vt habeat duo Beneficia in diuersis locis,simul dispensat,vt non teneatur in vtroque residere. quia hoc fieri nequit. Item quocum dispensatur vt fiat sacerdos, dispensatur etiam vt omnes Ordines inferiores suscipiat.quia illud aliter licitè fieri nequit. 17

Hinc aliqui inferũt, Episcopũ concedentẽ suo subdito,vt ab alieno Episcopo ordinetur, simul etiã concedere vt hic cũ eo dispenset in impedimentis repentè ei occurrentibus, in quibus ipse poterat dispensare.

Sed alij melius contrarium asserunt. quia hæc per accidens connexa sunt,& separari possunt. Quare illa prior concessio intelligenda est, si modò talis nullum aliud habeat impedimentum, quo minùs ab eo Episcopo ordinari possit:aut si quod habeat,si priùs à legitimo Superiore ab eo liberetur.Ita cum aliis Sanchez l.8.disp.1.num.25. Concedens alteri facultatem vt suum subditum ordinet,nõ dat ipsi facultatem cum eo dispensandi. *Sanchez.*

Quintò limitatur, vt dispensatio non ita restringatur, quin actus, ad quem dispensatur, fiat secundùm eum modum, quo Ius velit eos actus fieri. Hinc dispensans cum Episcopo aut Religioso,vt possit condere testamentum, simul dat facultatem,vt possit semel conditum sæpiùs pro libitu mutare, aliúdque condere, quia Iura volunt eam esse rationem testamenti, vt in testatoris potestate sit, semper ante mortem posse illud reuocare, ac mutare. Vnde testamẽtum non est omnino perfectum ac firmum ante eius mortem: vt testatur etiam Apostolus ad Hebr.9. Quare si quis talis iam antè condidisset testamentum, & postea condendi facultatem obtineret, non esset opus vt de nouo testamentum conficeret, sed sufficeret vt haberet ratum iam antè factum. quia hoc non est perfectum ante mortem. Ita Molina to. 1. de Iustit. disp. 141. sub finem. Nauar.tract.de reditibus ecclesiasticis q. 3. n.23.& 24. Sanchez l.8.disp.1.n.8.& 18. 18 Habens facultatem testandi potest id sæpiùs facere. *Heb. 9. Molina. Nauar. Sanchez.*

Addunt alij varias alias limitationes, sed quas non satis probant,quas vide apud Sanchiũ.vbi etiam n.32. benè probat nõ licere dispensationem trahere ab vno casu ad alium in quo reperitur similis ratio, nisi fortè quãdo ipsa est fauorabilis,iuxta dicta n.16.aut vterque casus non solùm eandem habeat rationem, sed etiam sub eodem genere cõtineatur.v. c. cum Petro dispensatum est, vt possit aliquam ducere, quam putabat in tertio gradu sibi coniunctam; poterit eã ducere coniunctam in quarto gradu. Aut nisi vnũ sit pars illius in quo dispensatum est. sic habens veniam condendi testamentum,potest facere codicillos, quia sunt illius pars.idémque est de donatione mortis causa:vt habetur l. *Marcellus.* π. de donation. mortis causa.vbi dicitur: *Et mortis causa donare poterit, cui testari concessum est.* 19 *Sanchez. l.Marcellus*

Demum notandum est quando constat de mente dispensantis, aut eam facultatem concedentis, secundùm eam tam dispensationem, quàm concessam facultatem esse intelligendam, quibuscumque verbis exprimatur: vt per se patet.

30 Hinc infertur Primò, concessionem facultatis dispensandi extendi ad eos omnes casus, qui sub verborum etiam lata significatione comprehendi possunt. Hinc facultas legitimandi spurium, aut cum eo in aliqua re dispensandi, intelligitur de quouis spurio, modò legitimato non cedat in alterius præ-
Bellarm. iudicium. Ita Bartolus l. vlt. num. 2. π. de his quibus vt indignis. Item habens potestatem legitimandi aliquem ad Ordines suscipiendos, poterit eum legitimare ad quosuis Ordines etiam sacros. Crediderim tamen excipiendum episcopatum, quia hoc vix vmquam, & difficilimè conceditur. Quare non videtur meus Pontificis hanc facultatem concedere, nisi id exprimat. Vide dicta disp. 14. n. 182.

Infertur Secundò, quoties probabile est verba quibus potestas dispensandi conceditur, aliquem casum comprehendere, eam ad hunc debere extendi: quia latè interpretanda est. Secùs de dispensatione quæ restringenda est. Excipe casum, quo aut illa odio-
Sanchez. sa ob præiudicium tertij, aut hæc fauorabilis sit. Ita Sanch. disp. 2. numero 9.

21 Infertur Tertiò, si quis idem personæ esset consanguineus & affinis, & impetraret primò separatim dispensationem super affinitate, & deinde super consanguinitate; dispensationem fore nullam. quia in odiosis non veniunt mista, vt communiter omnes fatentur. Multi tamen contrarium dicunt in facultate dispensandi: quia hæc fauorabilis est. Hinc aiunt eum qui habet facultatem dispensandi in tertio gra-
5 du consanguinitatis, aut affinitatis, aut legitimandi eum qui natus esset ex incestu, aut adulterio; posse dispensare cum eo, qui eidem in tertia gradu esset simul consanguineus & affinis, & legitimare natum ex incestuoso adulterio: modò hæc legitimatio non cedat in legitimorum hæredum præiudicium. Pro-
l. Si ita. bant, quia leg. *Si ita.* 13. π. de liberis & posthumis, sub simplici comprehenditur mistum in re fauorabili. Ita
Bartolus. Bartolus leg. *Gallus.* 29. §. *Quid si tantum.* num. 3. π. de liberis & posthumis.

22 Quamuis autem hæc sententia sit probabilis ob
Sanchez. plurimos auctores, quos pro ea citat Sanchius l. 8. disp. 2. n. 28. tamen illa lex eam non probat. quia ibi
An qui potest dispensare in singulis, possit dispensare in coniunctis. non dicitur in concessione fauorabili, nomine simplicium venire etiam mista: sed tantùm deciditur qua ratione dividenda sit hæreditas eius, qui moriens vxori grauidæ testamento reliquerat tertiam partem bonorum, si masculum pareret, & duas tertias filio: si verò pareret filiam, huic reliquit vnam tertiam, vxori duas. peperit autem filium & filiam: dicitque lex hæreditatem dividendam in septem partes, in quibus filius habeat quatuor, duas mater, & filia vnam. quæ decisio fuit omnino necessaria, ne testamentum esset omnino irritum, cùm aliter in hoc casu explicari non posset: ita vt tam vxori, quàm vtriqué proli esset aliquo modo prospectum. quod testator apertè intendebat. Secùs autem est in casu proposito, in quo concessio habet suum plenum effectum secundum proprium verborum sensum, etsi ad talem casum non extendatur.

23 Quare plurimi apud Sanchium suprà n. 27. tenent
Sanchez. eam concessionem ad eum casum non extendi. Probant Primò, quia, vt per se patet, indecentius est matrimonium inter eos, qui simul sunt consanguinei & affines, quàm qui sunt solùm affines aut consanguinei. Item turpiores longè sunt eius natales, qui natus est ex adulterio simul & incestu, quàm nati ex simplici adulterio aut incestu. Vnde sequitur, longè indecentiorem esse, & consequenter difficiliùs concedi dispensationem in vno casu quàm in alio. Ex concessione autem rei minoris ac facilioris malè infertur concessio rei difficilioris ac maioris. Respondent alij hoc fallere in præsenti casu, sed non probant.

Hinc inferunt aliqui Primò, eum qui habet facultatem dispensandi in tertio gradu consanguinitatis, 24
non posse dispensare cum iis quorum alter distat à primo stipite in secundo gradu, & alter in tertio, quia hic gradus mistus est ex secundo & tertio. Sed hoc non est verum: sed tales simpliciter distant in tertio gradu, vt ostendi disp. 32. n. 2. quare dicendum talem posse cum his dispensare.

Inferunt alij Secundò, habentem potestatem dispensandi in voto, ac iuramento soli Deo facto; vt si quis Deo iuret se singulis feriis sextis ieiunaturum, non posse dispensare cum eo qui eandem rem, v. c. ieiunium, Deo simul vouit ac iuranit. Probant Primò, quia hic fortiùs obligatur: ergo difficilior est dispensatio. Secundò, quia Pontifex solet aliquando singulari priuilegio aliquibus, qui possunt dispensare in solo voto, concedere vt possint dispensare in votis iuramento confirmatis. Ita Nauar. c. 27. n. 175. §. *Nauar.*
Decimo sextò. quidam verò dicunt hanc sententiam veram esse, quando iuramentum emissum est sine vllo respectu ad votum. Secùs autem esse, quando hoc emissum est ad confirmandum votum. quia tunc est accessorium ad ipsum votum. quare qui potest tollere torum, potest etiam tollere iuramentum, quod est accessorium est. Sed hæc ratio sumit principium probandum enim est talem eo casu posse dispensare in hoc voto, cùm fortiùs liget coniunctum iuramento.

Pro resolutione Nota Primò ex dictis n. 10. relaxationem tam voti quàm iuramenti, non esse pro- 25
priè dispensationem, sed remissionem alicuius obligationis, siue debiti, qua facta omnis obligatio voti ac iuramenti cessat. v. c. iuraui Petro dare centum, hoc ipso quo mihi remittit hoc debitum, cessat omnis obligatio iuramenti.

Nota Secundò, difficultatem relaxationis voti aut 26
talis iuramenti non esse spectandam ex magnitudine In relaxatione voti aut iuramenti solùm spectatur magnitudo rei promissæ.
obligationis qua vouens tenetur, sed ex materiæ promissæ præstantia. Tota enim difficultas in hac remissione in eo consistit, quòd per eam aliquid Deo quasi auferatur, scilicet res ipsa promissa, quæ vna eademque est siue vno, siue pluribus titulis debita sit. Et consequenter eadem est difficultas in eius remissione. Videmus idem in rebus humanis. Nam si duo debeant mihi centum ex rei alicuius emptione, & vnus simul iurauerit se soluturum; tamen existente in vtroque æquali causa, quæ me moueat vt iis debitum remittam, tam facilè remittam vni quàm alteri. Et si alicui dedissem facultatem, vt iis qui mihi centum & emptione deberent, existente iusta causa debitum remittere: hic tam posset remittere iis, qui iurassent solutionem, quàm aliis. Nec vllus prudens credet me inter hos voluisse distinguere. Eadéque est ratio inter duos, quorum vnus simpliciter, alter verò iuratus eandem rem Deo vouit. Secùs est in legitimatione ad suscipiendos sacros Ordines eius qui ex incestu & adulterio natus est. nam sicut huius natales sunt turpiores quàm nati ex simplici adulterio, ita maior est indecentia in eius promotione, & consequenter difficilior dispensatio.

Hinc sequitur Primò, eum qui potest relaxare 27
votum, posse etiam relaxare iuramentum soli Deo *Henriq. Sanchez.*
factum. Ita cum aliis Henriq. l. 7. cap. 30. n. 5. Sanch. *Sà.*
l. 8. disp. 2. n. 18. Sà v. *Voti irritatio*, n. 16. & alij.

Sequitur Secundò, eum qui potest remittere vo- Qui potest remittere votum, potest id facere ret si iura-
tum, posse etiam illud remittere, quando accessit iuramentum. Ita Sà loco citato & Suarez tom. 2. de Relig. in tract. de voto lib. 6. cap. 14. num. 14. & valde-

mento fiat matum sit. probabile putat Sanchez in præcept.l.4.cap.53.n.20. Nec hîc vllo modo distinguendum est, an iuramentum cum respectu ad votum emissum sit, an non. quia & res remittenda & difficultas remittendi in his omnibus est eadem.

Ad Primum argumentum Nauarri positum n. 24. neganda est consequentia: vt patet ex dictis. Ad Secundum Resp. illud fieri non quòd sit necesse, sed ad tollendum omne dubium ac scrupulos: vt benè aduertit Sanchius suprà n.26.

Sanchez. 28 *Henriq. Sanchez. Trident.*

Præterea ex priore parte conclusionis initio positæ inferunt Henriq. l. 1. c. 16. n. 1. & Sanchez lib. 8. disp.2. n. 10. & 12. facultatem dispensandi in irregularitate proueniente ex crimine occulto, quam Trident. sess.24.cap.6.de reformat. concedit Episcopis, etiam extendi ad Capitulum sede vacante, aliósque episcopalem iurisdictionem habentes. quia hæc concessio est fauorabilis, ac Iuri communi inserta, idéoque extendenda ad eos omnes qui nomine Episcoporum sæpè solent comprehendi, quales sunt supradicti. quod est valdè probabile, etsi aliqui alij contrarium teneant.

29 An dispensatio ad suscipiendos Ordines intelligatur etiam de sacris. *Sudrez.*

Ex secunda verò parte conclusionis multi Doctores inferunt, quando Pontifex cum aliquo illegitimo dispensat, vt suscipiat Ordines (nisi aliud ex circumstantiis constet) hoc solùm intelligendum esse de Ordinibus minoribus. quia dispensatio vtpote odiosa, restringenda est. At P. Suarez to. 5. de censuris disp. 41.sect.1.a.3. putat hoc non esse generatim accipiendum; sed solùm vbi ex circunstantiis potest colligi eam esse mentem dispensantis. Quod potest probari Primò, quia dispensatio non ita est restringenda, vt non extendatur ad omnia, quæ sub rigorosa verborum significatione continentur, vt docent Panor. c. *ex parte.* 27.notab.2.de decimis. Nauarr.c. vlt. n. 5. & 6. de simonia. Rebuffus in sua praxi, tit. *de differentia inter priuilegium & rescriptum*, n. 8. Conarr. 4. decretal.p. 2.c.8.§.8.Henriquez l. 7.c. 30.n. 1. & alij: atqui talia verba in rigoroso sensu tam significant sacros Ordines, quàm minores: ergo etiam ad sacros sunt extendenda. Secundò, nam petens eam dispensationē à Pontifice apertè innuit se petere dispensationem pro sacris Ordinibus. Nam aliàs non esset causa adeundi Pontificem, cùm Episcopus possit ad minores Ordines cum eo dispensare. Quare Pontifex absolutè dispensando, videtur etiam pro sacris dispensare. Et hoc credo esse probabile speculatiuè: in praxi tamen; quia multi contrarium docent, tutior pars eligēda. Quando tamen Pontifex dispensat vt omnes Ordines suscipiat, intelligendum est etiam de sacris, quidquid aliqui contradicant: vt bene notat Sanchius numero 26. sub finem.

Panor. Nauar. Rebuffus. Conarr. Henriq.

Sanchez.

DVBIVM III.

Quinam possint dispensare in impedimentis matrimonij?

30 CONCLVS. I. Hac in re certum est, sine speciali Dei concessione, neminem posse dispensare in impedimentis iure naturæ matrimonium dirimentibus, de quibus egi disputatio. 32. numero 13. 17. 19. & 53. disp. 26. dub. 2. vbi egi de impedimento ligaminis, siue quo iure vnum marrimonium impediat secundum. vbi etiam dub. 3. ostendi Pontificem ex Christi concessione posse concedere dissolutionem matrimonij rati, atque ita aliquo modo dispensare in naturali matrimonij impedimento.

31 CONCLVS. II. Pontifex potest dispensare in omnibus impedimentis iure Ecclesiastico dirimentibus, vel impedientibus matrimoniū validè sine iusta causa: cum ea etiam licitè: qui toto hoc iure superior est. Similiter in votis iure naturæ impedientibus potest remittere nomine Dei obligationem abstinendi matrimonio: vt patet ex praxi, & cōmuni Doctorū consensu. Inualidè tamen id facit sine iusta causa, vt patet ex dictis suprà n. 6. quod verum est etiam in voto solemni, vt patet ex dictis disp.31.dub.5.

CONCLVS. III. Episcopus non potest ordinariè dispēsare in impedimentis dirimentibus. quia à Pontifice, vel Concilio generali statuta sunt, vt omnes Doctores fatentur. 32

Difficultas tamen est, an id in aliquibus casibus possit facere? Quidam negant eum ob vllam necessitatem id facere posse. Sed aliis hæc sententia videtur dura. quare aiunt eum ex tacita Pontificis concessione pro foro conscientiæ dispensare posse quando matrimonium bona fide publicè in facie Ecclesiæ præmissis denuntiationibus contractum est, & impedimentum est occultum: nec sine scandalo potest fieri separatio; nec Pontifex aut vllus habens priuilegium dispensandi adiri potest, ob coniugum paupertatem, locique distantiam: vel quia sine euidenti grauissimóque peccandi periculo non potest dispensatio differri: aut ob similes causas. Ita Siluester v. *Dispensatio.*q.9.§. *Decimo quinto.* Angelus ibid.nu.5. Armilla n. 20. Nauarr.c.22. n.85. Candelab.1.p. de matrimonio, n. 249. Lessius de Iustit. c. 40. nu. 127. & cum multis aliis Sanchius l.2. disp. 40. n. 3. Ratio est, quia incredibile est Pontificem hanc dispensationem velle tali casu sibi reseruari cum grauissimo animarum periculo. Et confirmatur, quia, cùm multi celebres DD. hoc teneant, ac publicè in lectionibus ac libris editis doceant, ita vt omnino incredibile sit Pontificem hoc latēre, meritò præsumitur tacitè id approbare.

Episcopus aliquando ob necessitatē in impedimentis dispensat.

Siluester. Angelus. Armilla. Nauar. Candelab. Lessius. Sanchez.

Hanc tamen potestatem non habet Vicarius generalis Episcopi. quia hæc dispensatio non competit Episcopo ex officio; potest tamen hanc ei Episcopus committere, sicut etiam aliis. quia tali casu dispensatio ei competit ratione dignitatis, & quasi potestate ordinaria. 33

Quòd si tamen coniuges scientes impedimentum, aut illegitimè omissis proclamationibus contraxissent; non videtur Episcopus posse dispensare ob prohibitionem Trident. sess.24.capite 5. quare tales etiam cum iactura famæ separandi essent; quia sponte se in ea incommoda coniecerunt. Vide Sanchez l. 2. disp. 40. vbi hæc fusè disputat.

Trident. *Sanchez.*

CONCLVS. IV. Potest Episcopus ex iusta causa dispensare in voto nō nubendi, suscipiendi sacrum Ordinem, ingrediendi Religionem nō approbatam, in voto castitatis temporali; non tamen in absoluto voto castitatis, aut Religionis approbatæ, nisi in certis casibus, & ad certos effectus. quia hæc ei reseruata sunt, non autem illa. Eandémque potestatem habent plurimi cōfessarij Religionum approbatarum. de quibus vide plura apud P. Leonardum de Iustitia c.40. d.16. 17. 18. vbi hæc fusè disputat. & cùm versetur in omnium manibus, non est opus ea hîc fusius disputare. 34

In quibus votis Episcopus dispēsare possit.

Lessius.

CONCLVSIO V. Idem dicendum de legato Apostolico. quia habet eandem potestatem in sua prouincia, quam Episcopus in sua diœcesi, non autem maiorem, nisi amplior ei speciatim concedatur: quod communiter fit: vt docent Glossa c. *Quòd dilectio.* v. *Indulgentia.* de consanguinitate. Abbas cap. *Quod translationem.* de officio legati. Henriquez l.12.c.3.n.1.& alij. 35

Quid possit nuncius Apostolicus.

Glossa. Abbas. Henriquez.

CONCLVS. VI. Commissarius Bullæ cruciatæ pro foro conscientiæ potest dispensare cum iis qui iuxta præscriptum Trident. sess. 24. c. 1. in facie Ecclesiæ bona fide saltem alterius contrahentis contraxerunt irritè ob occultum impedimentum affinitatis in primo vel secundo gradu ortæ ex fornicatione, vt iterum validè contrahant; monito tamen eo qui inscius est impedimenti, primum contractum fuisse irritum: potéstque prolem ab iis antea ex eo matrimonio 36

Trident.

susceptam legitimare in ordine ad munia Ecclesiastica. Pro quo Nota, etsi filij ex tali matrimonio geniti, quamdiu saltem alter parentum manet in bona fide, sint legitimi, vt ostendi disp. 27. n. 75. tamen ij qui gignuntur postquam vterque nouit impedimentum, sunt illegitimi, & de his illa dispensatio intelligenda est. Vide Sanchium l. 8. disp. 6. n. 23. quia hæc in his locis vix habent vsum.

Sanchez.

DVBIVM IV.

Vtrùm Pontifex possit dispensare in radice matrimonij?

37 SEnsus quæstionis est, Vtrùm posito casu, quòd aliqui scienter inualidè contraxerint ob aliquod impedimentum iure humano inductum, Pontifex possit ita cum iis dispensare, vt proles iam nata eodem modo sit legitima, ac si matrimonium initio fuisset validum. Qua in re certum est, eum posse talem prolem omnino legitimare in ordine ad effectus omnes Ecclesiasticos. Sed difficultas est de effectibus ciuilibus, v. c. successione in hæreditate paterna, &c. ad quos Pontifex sibi ciuiliter non subiectum, secundùm communiorem & veriorem sententiam directè non potest legitimare.

38 Multi affirmant eum id posse. quia tota radix illegitimitatis illius prolis est lex Ecclesiastica statuens illud impedimentum, sine qua matrimonium fuisset validum: atqui Pontifex potest eam annihilare quoad omnes effectus ex ea iure humano secutos, ac si nunquam fuisset: ergo potest efficere, vt illa proles sit omnino legitima. Minor probatur, quia Clemens V. clementina vnic. de immunitate Eccles. hoc modo reuocat constitutionem quãdam Bonifacij VIII. irritando quidquid ex ea fuerat secutum. Confirmatur, quia multa possunt fieri indirectè, quæ non possunt fieri directè. Sic possumus vendendo calicem, indirectè per venditionem alienare eius benedictionem, quam directè vendere non possumus: & secundum probabilem multorum sententiam Ecclesia præcipiendo vocalem orationem indirectè precipit internam deuotionem, quam tamen directè præcipere nequit. Et ideo hanc sentẽtiam tenent Panor. c. *Per venerabilem.* qui filij sint legitimi. n. 22. Rosella v. *Illegitimus.* n. 15. Angelus v. *Legitimatio.* n. 7. Armilla v. *Legitimus.* num. 3. Siluester ib. q. 7. §. *Quædam verò.* & alij. Quorum aliqui etiam addunt illud verum esse etiam eo casu quo alter cõiugum iam mortuus est, ita vt inter eos non possit vmquam consistere matrimonium.

Clemens V.

Bonifac. VIII.

Panorm. Rosella. Angelus. Armilla. Siluester.

39 Sed dicta argumenta meo iudicio aut nimium, aut nihil probant. Nam cùm Pontifex directè & per se nõ magis possit tollere effectus iure ciuili ex inualiditate illius matrimonij secutos, quã secutos iure naturali, aut diuino: (v. c. efficiendo vt tales non peccarint scienter tale matrimonium cõtrahendo, aut consummando, aut vt illud peccatum ipsi non imputetur) nulla est ratio cur ipse in radice possit magis irritare effectus secutos iure ciuili, quàm naturali, cùm vtrique eodem modo illo fundamẽto iure Pontificio inducto nitantur. Quod maximè probant exempla allata pro confirmatione. Nam quòd nec benedictio calicis possit per se vendi, nec actus interni immediatè ab homine præcipi, est iuris naturæ, & tantùm indirectè vtrumque cadit sub potestatem humanam, secundùm probabilem sententiam. Sic quia Ecclesia habet potestatem inhabilitandi aliquos, vt matrimonium, quatenus est contractus ciuilis, contrahant, reddit eosdem consequenter inhabiles vt Sacramentum suscipiant, cuius iure diuino aliàs capaces sunt: idémque est in omnibus similibus.

40 His adde, quòd talis proles sit illegitima non proueniens immediatè ex impedimento ab Ecclesia statuto, sed ex nullitate matrimonij. quare vt Ecclesia eum defectum ita in radice tolleret, deberet efficere vt fuerit concepta ex matrimonio valido: frustra enim vltimum fundamentum tollitur, quamdiu immediatum integrè subsistit. v. c. Petrus ob aliquod peccatum excommunicatus non potest audire Sacrum; manet hæc impotentia audiendi Sacrum, quamdiu manet excõmunicatio; quantumcumque culpa per contritionem tollatur. Confirmatur, quia nemo potest aliquid facere indirectè; nisi faciendo aliquid directè ex quo illud necessariò sequatur. v. c. impossibile est vt indirectè præcipiam actum internum, nisi directè præcipiam externum: aut vt indirectè quodammodo vendam benedictionem, nisi directè vendam rem benedictam: atqui impossibile est vt Pontifex directè aliquid tollat à quo illegitimatio illius prolis pendet: ergo nec hanc potest tollere. Minor probatur, quia illegitimatio non pendet ab illo impedimento prout exiſtit post eius natiuitatem (siue enim iam sit, siue non sit; eodem modo manet illegitimatio) sed prout exiſtebat pro eo tempore quo parentes tentabant contrahere matrimonium; & vt sic præcisè est radix illius illegitimationis: atqui impossibile est vt Pontifex efficiat vt tunc non fuerit illud impedimentum: ergo nec potest tollere radicem illius illegitimationis.

Quomodo possimus aliquid facere indirectè, quod non possumus directè.

Quare cum P. Molina to. 3. de Iustitia tract. 2. disp. 624. n. 3. & aliis, credo probabilius, Pontificem non aliter posse in radice matrimonij dispensare, quàm directè & immediatè auferendo omnes effectus ex ipsius inualiditate secutos: & consequenter solùm pro illis effectibus, quos per se immediatè auferre potest. Quare supposito quòd Pontifex non possit talem prolem directè legitimare, nisi quoad sola spiritualia, nec poterit illam indirectè per talem dispensationem ad plura legitimare.

41 *Molina. Nequit Pontifex dispensare in radice matrimonij.*

Ad argumentum numero 38. propositum, nego minorem. Ad probationem Respondeo, Pontificem ibi apertè solùm agere de effectibus Iure Ecclesiastico inductis, quos per se immediatè poterat tollere. Ad confirmationem Respond. ea exempla pro nobis facere, vt patet ex dictis.

DVBIVM V.

Quæ sint iustæ causæ dispensandi in impedimentis matrimonij?

NOta Primò, hæc impedimenta, quod ad hanc quæstionem attinet, esse duplicia. Quædam enim proueniunt ex solo iure humano. Alia verò proueniunt ex voto, & in his maximè necessaria cognitio iustæ causæ. quia si hæc desit, dispensatio est inualida, vt ostendi suprà nu. 6. Idémque dicendum in prioribus impedimentis, quando dispensatio petitur ab eo qui habet solùm potestatem delegatam. quia hic sine iusta causa inualidè dispensat, vt ibidem dixi, & communiter omnes fatentur. Quando verò dispensatio petitur à Pontifice, necessaria est hæc cognitio, Primò vt sciamus quas causas debeamus proponere, vt obtineamus dispensationem. Secundò, vt, si fortè in propositione causæ error irrepserit, possimus indicare an hic vitiet dispensationem, nec ne, iuxta dicenda dub. 6. 42

Vt autem incipiamus à dispensatione in prioribus impedimentis, Nota Secundò, cùm leges sint quoddam bonum commune, quod omnes æqualiter debet respicere, vt in iis licitè dispensetur, requiri aliquam causam, quæ bonum commune aliquo modo spectet; sed quia bonum commune nascitur ferè ex bono priuatorum eiusdem communitatis, ideo com- 43

Ad dispensationem requiritur causa spectãs ad bonum commune.

muniter sufficit vt notabile horum bonum dispensationem exigat, quando illud tale est, vt bonum commune ex eo aliquo modo iuuari possit: quod communiter ferè fit.

44 Nota Tertiò, citra omnem acceptionem personarum Ecclesiam faciliùs cæteris paribus dispensare cum magnatibus aut potentibus, quàm cum aliis. quia vtilitas publica magis ab iis pendet, expeditque Ecclesiæ eos habere fauentes. hinc Trident. sess. 24. c.5. de reform. matrim. docet, in secundo gradu non esse dispensandum nisi inter magnos principes. Sanchez autem l. 8. disp. 19. docet tales esse Barones, ac his superiores. Illud autem Tridentini decretum intellige de gradu consanguinitatis, vel affinitatis ortæ ex legitimo matrimonio. quia in affinitate orta ex fornicatione præsertim occulta longè faciliùs dispensatur.

Licitè Ecclesia faciliùs dispensat cum magnatibus. *Trident. Sanchez.*

In paternitate spirituali difficilis dispensatio. *Sanchez.*

Nota Quartò, quò gradus est propinquior, eò dispensationem esse difficiliorem, & maiorem causam requirere. Item in maternitate & paternitate spirituali difficilimè dispensari. Secùs est de compaternitate. Sanchez disp.19.n.7.

45 Conclvs. I. Ad dispensandum legitimè in impedimentis solo iure positiuo constitutis, tres præcipuas causas adferunt Doctores.

Prima est ad sopiendam grauem litem, vel graues aliquorum discordias, eâsve vel alia scandala vitanda, v. c. multorum graues offensas, quæ probabiliter timentur: vel ad impediendum graue dilectum & periculum animæ aliquorum: quod, nisi contrahant, certò incurrent.

46 Secunda est, quando aliquæ nobiles vel principales personæ, siue quæ ex honorabilioribus sunt sui oppidi, nisi ineant matrimonium cum affinibus vel consanguineis, non possunt nisi cum graui incommodo, magnisq; difficultatibus dignas suo statu nuptias inire. Talis autem difficultas iuxta Sanchium suprà n.13. est, si fœmina aliàs cogeretur nubere in alia ciuitate, atque ita perpetuò abstrahi à suis parentibus: quod ei durum esset. Æqualitas autem nuptiarum non solùm ex paritate generis, aut diuitiarum, sed magis etiam ex morum congruentia est spectanda, ne perpetuæ lites inter coniuges oriantur. Disparitas autem status debet aliquo modo esse notabilis, vt nuptiæ quæ cum non consanguineis iniri possunt, dicantur inæquales.

Sanchez.

Æqualitas nuptiarum vnde spectanda sit.

47 Tertia causa est defectus dotis, quo efficitur, vt fœmina non possit reperire sponsum se dignum nisi ex propinquis, quia durum esset talem coire aut perpetuò abstinere nuptiis, aut indigno se nubere. Dicitur autem subesse hic defectus dotis, etiam quando ob aliquam deformitatem, vel similem causam nó potest reperire maritum dignum suo genere, nisi habeat ampliorem dotem, quàm aliæ similis conditionis non laborantes eo defectu. Si enim talis hoc augmẽto careat verè patitur defectum dotis. Non tamen dicitur pati defectum dotis, quæ sufficientem habet vt reperiat maritum suæ conditionis, multò tamen inferioris quàm sit propinquus qui eam vult ducere. quia tunc non agitur de damno vitando, sed de lucro acquirendo: quæ causa est longè diuersa & insufficiẽtior. Quia pietas longè plurà suadet facere vt auertamus proximi damnum quàm vt procuremus eius lucrum.

Quæ dicatur pati defectum dotis.

Magis tenemur dãnum alterius vitare, quàm lucrum procurare.

Nota, Couar. 4. decret. p.2.c.6.§.9.& 10. Henriq. l.12.c.3.n.9. Sanchium l.8.d.19.n.19. & seq. variè disputare, vtrùm fœmina in ordine ad hũc effectum possit dici pauper & carere dote, quæ nihil quidem habet proprium, habet tamen parentes, alióue consanguineos diuites. Et quidam ex illis aiunt tunc talem fœminam nó censeri carere dote, quando suos parentes, aliósue consanguineos potest cogere vt statim dẽt dotem: quod clarum est, quia ius æquiualet præsenti doti. Secùs autem esse, quando non potest illos ad hoc cogere; etsi speretur eos non defuturos suo officio. Sed hoc puto limitandum, vt tunc solùm sit verum, quando de facto constaret, nullum non consanguineum, qui sit paris conditionis cum ea fœmina, velle eam habere vxorem, eò quòd communiter sibi persuadeant parentes non daturos sufficientem dotem. Cùm enim sola causa huius dispensationis sit, ne aliàs fœmina cogatur aut manere innupta, aut nuptias se indignas contrahere; quãdiu de hoc non constat saltem morali aliquo modo, non est causa petendi dispensationem: quando verò de eo constat, sufficiens est causa, vndecumque hoc proueniat.

Couar. Henriquez, Sanchez.

Præter dictas causas, à Couarr. Henriquez, & Sanchio suprà quatuor aliæ adferuntur. 49

Quarta igitur causa est, conseruatio illustris familiæ in eodem sanguine aliàs perituræ: vt si eius caput esset fœmina. quia hoc ad Reipub. bonum aliquo modo spectat.

Quinta, quando ampliſſimæ opes aliàs deberent ad alteram familiam deuolui. quia expedit Reip. magnas familias in suo statu & amplitudine conseruari.

Sexta, merita petentium dispensationem. Dignum enim est, vt Ecclesiæ benignitatem experiantur, qui de ea sunt benè meriti.

Septima, proles bona fide suscepta: vt quando aliqui priùs matrimonium contraxerũt, & altera saltem pars ignorabat impedimentũ. Imò crederem sufficere ipsum matrimonium sic contractum publicè in facie Ecclesiæ, saltem in gradu non ita propinquo. quia vix sine graui incommodo separantur, præsertim quando consummatum est. Secùs esset si mala fide id iniissent, aut omissis proclamationibus, vt patet ex Trident. sess.24.c.5. *Trident.*

Demum Nota Primò, Pontificem solere aliquando in gradu remotiore dispensare sine alia causa, quàm quòd exigat notabilem pecuniam ad opus aliquod pium. quæ causa etiam tunc sufficiens est, cùm bonum publicum spectet.

Nota Secundò, sæpè fieri vt plures causæ simul iunctæ sufficiant, quæ tamen singulæ sunt insufficientes.

50 Conclvs. II. Ad dispensandum in votis matrimonium impedientibus, & quibusuis aliis, DD. communiter requirunt causam quæ obstet eius executioni, siue quæ efficiat vt dispẽsatio cedat in Dei honorẽ: vt docet D. Thom. 2.2.q. 88.a.12. in corpore. Ratio est, quia Deus non censetur Prælato dedisse facultatem remittẽdi ius, quod ipse in homines habet, nisi hoc in eius honorem cedat. Vnde patet, longè difficiliùs in his dispensari, quàm in impedimentis iure humano inductis. quia strictius obligant, & in iis dispensans alienum ius dispensat, tanquam Dei œconomus, idcóque habet potestatem limitatam.

Dispensatio voti quam causam requirat. *D. Thom.*

Doctores autem duplices causas dispensandi in votis assignant. Alias scilicet ex parte materiæ: alias ex parte vouentis.

Ex parte materiæ prima est, quando prudentis iudicio ob mutationẽ circumstantiæ dubitatur an voti materia facta sit inutilis, mala, aut maius bonũ impediẽs. Tunc enim expedit, dispensari, cũ vouente, ne fortè voti impletio ei noceat, aut maiorẽ Dei gloriam impediat. Quòd si ista essent certa, non esset opus dispensatione. quia votum per se desineret obligare.

Secunda est, quando dubium est an votum ab initio obligarit: vt quando aliquis scit se vouisse, sed dubitat an satis deliberatè vouerit, aut cum intentione verè vouendi. Tunc enim præsumitur quidem pro vero, & opus est dispensatione. Licita tamen est vel absoluta dispensatio, præsertim si alia causa accedat: vel saltem voti in materiam leuiorem commutatio. quia ratio exigit, vt non tam strictè exigatur debitum dubium, atque certum.

Ex parte vouentis Prima causa est quando quis ex animi 51

animi leuitate sine matura deliberatione votum emi-
c. 2. de voto. sit: qualia sæpè sunt vota puerorum. colligitur ex c. 2. de voto. Item eorum qui ex subito timore, aliáve repentina animi commotione aliquid vouent. quia sæpè non satis deliberatè id faciunt.

Secunda est, quando causa quæ impulit ad emittendum votum, omnino desit: vt si vouisti castitatem, quia sperabas ingredi certam Religionem, aliàs non
An obliget ad voti defectè causa vouendi. voturus, & iam nullo modo possis in eam admitti. Loquor autem in casu quo absolutè ita vouisses. Nam si solùm vouisses castitatem posito quòd ingredereris Religionem, aut ita dependenter ab ingressu, vt nullo modo te aliàs intenderes obligare, posito quòd non posses ad Religionem admitti, esses omnino liber à voto: quia hoc non obligat vltra intentionem. Quòd si verò eò quòd omnino crederes te recipiendum in Religionem, absolutè vouisses castitatem, obligareris voto. Esset tamen causa facilius dispensandi, si notabilem in seruanda castitate difficultatem experireris, præsertim mixta aliqua commutatione. Patet ex cap.
c. Magnæ. Abbas. Glossa. *Magna.* 7. de voto. Ita ibid. Abbas n. 14. & Glossa. v. *Veniret.*

53 Tertia est, quando quis leui metu iniuriosè ad votum emittendum incusso, fuit ductus ad vouendum. quia, etsi secundùm multos tum votum valeat, tamen decet in eo dispensari.

Periculum peccandi quando sit causa dispensandi in votis. Quarta est, quando vouens, ob fragilitatem, vel prauum habitum, aut aliorum consortium quod vitare non potest, est in graui periculo frequenter peccandi contra votum. quia illius saluti, & consequenter gloriæ Dei magis expedit talem à voto liberari. Hinc quando quis contraxit matrimonium post votum castitatis, communiter sufficiens est causa cum eo dispensandi vt possit petere debitum, quamdiu tenetur eodem vti toto cum coniuge, ob periculum peccandi in quo aliàs versatur.

Nauarr. Nec refert, quòd vouens se sua culpa in eum statum eaque pericula coniecerit, modò iam vel nullo modo, vel non nisi cum summa difficultate possit se iis periculis eximere. Hinc Nauar. l. 3. consiliorum, tit. de voto, consilio 16. num. 5. ad 3. ait sufficientem esse causam in eo voto dispensandi, quando eo obligatus eodem modo fornicatur, ac si non vouisset. quod intelligo quando hoc ex infirmitate, siue grauibus tentationibus accidit.

54 Quinta est, magna valdè voti implendi difficultas autè non præuisa, vel saltem non ita perpensa. quia votum tunc non videtur ita maturè emissum, vel habuisse aliquid erroris admistum: & congruit diuinæ liberalitati, non ita rigidè exigere debita ex liberali
Sanchez. promissione orta. Hinc deducit Sanchius disp. 20. nu. 23. iustam esse causam dispensandi, quando vouens ob scrupulos continuò anxius est an voto satisfecerit, v. c. an satis attentè legerit orationes quas vouit.

Sexta est, quando ad publicam pacem necesse est eam, quæ vouit castitatem, nubere: quia hæc necessitas valdè grauis est.

55 Nota Primò, eandem ferè esse rationem voti & iuramenti quod in solius Dei honorem cedit. Vide dicta numero 26.

Secundò, quò res vota est præstantior, eò causam debere esse maiorem.

Tertiò, sæpè causam non sufficientem ad absolutè relaxandum votum sufficere ad id commutandum in aliquid lenius, ad quod alter similiter obligabitur, ac si vouisset. Debet autem hæc res eò esse præstantior, quò votum fuit rei excellentioris, & causa dispensandi leuior.

Quartò rarò contingere supradictas causas esse sufficientes vt vota omnino remittantur, ideoque communiter commutanda esse in aliquid aliud. quod etiam Pontifex solet communiter obseruare.

Quintò, minorem longè causam requiri, vt permittatur executio voti nonnihil differri, quàm vt tota remittatur.

DVBIVM VI.

Quando expressio falsi, aut reticentia veri à petente dispensationem commissa hanc irritet?

NOta Primò, rescripta Pontificis, aliorúmve Principum esse duplicia. Quædam dicuntur iustitiæ, quæ diriguntur ad lites & similes causas ex iustitia terminandas. Alia sunt rescripta gratiæ, quibus Beneficia Ecclesiastica, dispensationes, & similes gratiæ conceduntur. Inter quæ DD. communiter hoc discrimen ponunt, quòd illa per surreptionem obtenta, non sint statim irrita, nisi per exceptionem elidantur: hæc autè statim ipso iure sint irrita: vt colligitur ex c. *finali*, de filiis presbyteror. in 6. Vbi Pontifex loquens de quadam dispensatione, ait, *Velut per surreptionem obtenta, nullius penitus sit momenti.* apertè insinuans eas omnes nullius esse momenti, quæ per surreptionem obtentæ sunt. Quare secunda pars ex Iure satis clara est. Prior verò pars communiter à multis probatur ex c. *Si autem. 9.* & c. *Plerunque.* 23. de rescriptis. Sed satis difficulter ea ex his Iuribus potest colligi. Rationem autem huius discriminis multi reddunt: quòd rescripta iustitiæ comparentur contractibus stricti iuris, quos dolus iis causam dans non irritat ipso iure: rescripta verò gratiæ comparentur contractibus bonæ fidei, qui tali dolo de facto irritantur.

Referipta alia iustitiæ, alia gratiæ.
c. final. de filiis.
c. Si autem.
c. Plerunque.

Sed hæc ratio non satisfacit. Primò, quia non ideo rescripta iustitiæ valent donec elidantur, quia comparantur contractibus stricti iuris: sed ideo his comparantur, quia ita valent. Secundò, quia longè probabilius est contractus bonæ fidei, quibus dolus dedit causam, non esse ipso iure irritos, sed solùm irritabiles, vt ostendi disp. 23. d. 9. Ratio igitur est, quia per rescripta iustitiæ communiter non terminantur ipsæ causæ, sed solùm iis terminandis aut iudex, aut modus statuitur. quare etsi in iis aliqua fraus committatur non statim euertitur vltimus finis Pontificis rescribentis, qui est vt lis iustè inter partes terminetur. quod fieri potest etsi aliquid minùs ordinatè circa mediafiat. Hinc etsi in ordine procedendi in iudiciis aliquid contra Iura fiat, vt si iudex, testis, aut actor sint excommunicati; acta tamen valent, nisi exceptione elidantur: præsertim quando illi sunt tolerati, vt omnes fatentur, & patet ex c. 1. de exceptionibus, in 6. Rescripta verò gratiæ versantur circa finem scilicet gratiam obtinendam. quare si hæc ex absoluto errore concedantur, euertitur omnino concedentis intentio, vt mox dicemus; ideoque meritò volunt Pontifices ea esse statim irrita.

Diuersitas inter rescripta iustitiæ & gratiæ.
c. 1. de exceptionibus in 6.

His adde, in rescriptis iustitiæ semper esse aliquam partem, quæ cupit ea esse irrita, & quæ supponitur inuigilare, vt possit ea quacumque ratione reddere irrita. quare rescribens non debet esse sollicitus vt ob aliquos defectus reddat ea ipso iure irrita. Secùs est in rescriptis gratiæ, quæ nisi reddantur ipso iure irrita, nemo contra ea excipiet, cùm communiter nullus sit, qui cupiat esse irrita.

Nota Secundò, varios variè distinguere inter rescripta subreptitia, & obreptitia, sed sine vllo textu aut sufficiéti ratione. quare meliùs Sanch. l. 8. disp. 21. num. 2. hæc pro iisdem accipit. Ea autem rescripta dicuntur subreptitia, quæ rescribens ob falsitatem à petente expressam, aut veritatem tacitam ex mero errore concessit. Difficultas autem est, qualis, siue in qua re hic error debeat esse.

57 *Sanchez.* Quæ rescripta dicátur subreptitia.

Pro quo Nota Tertiò, DD. hîc distinguere duplicem causam, qua rescribens possit moueri, vt gratiam aliquâ concedat, scilicet finalē, ac impulsiuam. Com-

58

Quæ dicuntur causa finalis.

muniter autem causam finalem definiunt, quam rescribens præcipuè spectat, & qua rationabiliter motus, vt postulata concedat, & sine qua ea, aut nullo modo, aut non nisi cum quibusdam conditionibus ac limitationibus concederet.

Quæ impulsiua?

Impulsiuam verò vocant, ob quam rescribens faciliùs quidem petita concedit, ita tamen vt sine ea, illa esset secundùm rectam rationem, & causæ merita eodem modo concessurus. Quæ addo, quia communiter in hac re non ita curandum, quid per accidens ratione alicuius priuati affectus, aut conditionis ipsi causæ extrinsecæ rescribentem moueat ad aliquid concedendum, quàm quid recta ratio, & conditio causæ intrinseca postulet, quia, cùm similes cõcessiones fiant à persona publica, nisi constet de contrario, semper præsumitur concedentem in iis velle procedere prout iustitia distributiua, siue merita causæ exigunt.

Dispensans censetur semper spectare rationem iustã ac causæ intrinsecã.

59 Nota Quartò, quando vnica causa adfertur dispensationis, illam censeri finalem: quia non potest præsumi aut aliam subesse, aut Superiorem sine causa dispensasse. Quando verò plures adferuntur, tunc illæ censentur finales, quæ moraliter loquendo quodammodo intrinsecè rem, in qua dispensandam est, afficiunt, & dispensationem æquam ac rationabilem reddunt. vt sunt illæ quas dubio 5. enumerauimus, quarum si vna atque altera sufficit, vt quemuis æquum Prælatum communiter ad dispensandum moueant, reliquæ possunt credi solùm esse impulsiuæ: præsertim si tantùm extrinsecè afficiant statum dispensationis: vt quòd petens dispensationem commendetur multùm ab amicis dispensantis, quòd sit vir pius, & inter suos honoratus, &c. Hæc enim tunc solùm censentur spectare ad causam finalem concessionis, quando aliæ iustæ causæ desunt.

Quæ causæ censendæ sint finales.

Vnde etiam colligitur, eius rei taciturnitatem pertinere ad causam finalem, quæ intrinsecè dispensationem afficit, quæque cognita meritò auerteret probos ac prudentes ab ea conferenda, vel saltem tali modo conferenda. Secùs est si hos nõ omnino auerteret, etsi redderet difficiliores, aut si extrinsecè eã tantùm afficiat vt quòd petens ob vitæ improbitatem ea sit indignus: quòd graniter aliquãdo dispẽsanti nocuerit, &c.

60 His positis, difficultas hîc præcipua est. Vtrùm error irritans rescripta gratiæ debeat versari circa causam finalem. Quidam enim asserunt quamuis veri taciturnitatem, aut falsi expressionem reddere eam gratiam irritam, quam concedens cognita veritate difficiliùs concessisset, probant, quia c. *Si motu proprio.* de præbendis, in 6. &c. *Si proponente.* de rescriptis. dicitur concessionem præbendæ esse irritam, quoties eam impetrans tacuit aliud Beneficium quantumcumq; paruum, quod antè possidebat: cùm tamen veritas in eo casu expressa, non auerteret Pontificem à præbendæ concessione. Secundò, quia omnibus rescriptis tacitè vel expressè inest hæc conditio, Si preces veritate nitantur: vt patet ex c. de rescriptis: atqui quoties in petitione aliquid falsi narratur, deficit hæc conditio: ergo rescriptum nullum est. Præter hanc difficultatem sunt aliæ variæ ab ea dependentes, quas in decursu paulatim examinabimus.

c. *Si motu.* c. *Si proponente.*

c. 2. de rescript.

61 Concl. I. Quando in petitione gratiæ aliquid tacetur quod ius iubet exprimi, aut res falsò expressa, aut veritas tacita pertinet ad causam finalem, gratiæ concessio est subreptitia, & per errorem facta. Hæc conclusio ab omnibus conceditur. Et prior pars patet. quia quoties aliquid præcipitur in petitione gratiæ exprimi, hoc exigitur tamquam forma præscripta, qua deficiente totus actus deficit: & talis grati nõ potest non censeri obtenta per subreptionem quæ obtinetur contra Principis voluntatem in legibus expressam. Secunda pars probatur. quia nulla gratia potest magis per subreptionem dici impetrata, quàm ea ad quam concedendam Princeps ex mero errore fuit motus. quod in omnibus dictis casibus sit.

Quis error reddat rescripta subreptitia.

Quod etiam verum est quando Pontifex cognita veritate dispensasset in impedimento, sed iniuncta maiore compensatione, vel cum quibusdam restrictionibus. quia tunc fuisset alia dispensatio quoad modum; & consequenter illa fuit per errorem facta: vt patet in remissione voti, quæ irrita est si fiat absolutè, quando causa est tantùm sufficiens, vt in rem leuiorem commutetur. quia, etsi hæc commutatio sit etiam aliqua dispensatio; longè tamen diuersa est ab illa quæ de facto fit.

Concl. II. Quando nihil tacetur quod Ius iubet exprimi, & res falsò expressa, aut veritas tacita tantùm pertinent ad causam impulsiuam, etsi scienter ab impetrante hæc facta sint, non reddunt concessionem subreptitiam. Ita Couar. l.1. Variarum c.20.n.5. Sà v. *Gratia.*n.10. Hentiq. l.12.c.3.n.7. & cum multis aliis Sanch. disp. 21. n. 17. & 32. Ratio est, quia tunc error non fuit verè causa cur rationabiliter possit dici facta dispensatio, cùm verè subfuerint sufficientes rationes, ob quas rationabiliter fieri poterat: atque ita dispensatio non potest propriè dici facta per errorem, & consequenter nec subreptitia. quia subreptio significat errorem dantem causam concessioni. 62

Couar. Sà. Henriquez. Sanchez.

Dices. Si concedens sciuisset petentem esse sibi inimicum, aut hominem improbum, noluisset concedere gratiam: ergo huius ignorantia facit concessionem subreptitiam. Resp. neg. consequ. si aliàs subsit iusta causa dispensandi, quam distributor boni publici per se tantùm spectat; ideoq; vt talis hic non errat, & consequenter nec quatenus facit distributionem: quare aliæ causæ habent se quodammodo per accidens. Sic verè pauper improbus obtinens eleëmosynam ab eo qui cognita improbitate eam non dedisset, non dicitur eam per errorem obtinuisse. 63

Ad primum argumentum nu. 60. positum Resp. hoc fieri, quia illa conditio iubetur lege exprimi, quare nihil facit ad rem præsentem. Ad Secundum Resp. maiorem intelligendam esse de veritate causæ finalis: quia hæc sola ad rem facit: atque ita in casu huius conclusionis neganda est minor.

Nota, etsi, vt dixi, rescriptum sit irritum, quando in petitione reticetur aliquid quod Ius aut stylus curiæ iubet exprimi, quantumuis hoc tantùm pertineat ad causam impulsiuam: secùs tamen esse quando Prælatus motu proprio gratiam concedit. quia tunc creditur bene informatus de causa, vel ex sua liberalitate voluisse hanc gratiam facere. quare tunc nulla veri reticentia nocet. Patet ex c. *Si motu proprio.* de præbendis, in 6. vbi Pontifex dicit validè se conferre Beneficium ex motu proprio ei, qui aliud habet, etsi huius non fiat mẽtio: quia id ex liberalitate facit. Secùs esse si rogatus id faceret, quantumcumq; prius Beneficiũ esset paruum; cùm tamen tam paruum Beneficium si exprimeretur, nõ auerteret Pontificem, quin conferret secundum. vbi etiam additur numquã censeri rescripta proprio motu data, nisi in iis hoc exprimatur. 64

Veri reticentia non nocet rescriptis motu proprio datis.

c. *Si motu.*

Nota tamen, Pontificem per eiusmodi rescripta non intendere præiudicare iuri alicuius tertij, aut aliquem habilitare ad id ad quod inhabilis est, nisi hoc exprimat. Hinc si conferat Beneficium alicui irregulari, aut quod est iuris patronatus; nec intendit in illius irregularitate dispensare, nec patroni iuri præiudicare, nisi hoc exprimat: atque ita rescriptum in quo hoc non exprimitur, erit irritũ. Vide Siluest. v. *Rescriptum.* q.6. & Rebuffum in concordatis, ti. de forma mandati Apostol. in clausula *Motu proprio.* effectu 6. 7. 9. 10.

Quænam vitient rescripta motu proprio data.

Silvester. Rebuffus.

Expressio tamen falsi vitiat rescripta motu proprio facta sicut alia. quia, cùm Pontifex exprimat causam eum mouentem ad faciendam gratiam, non potest præsumi ob aliam causam eam voluisse facere. 65

Ita

Rosella. Silvester. Ita Rosella v. *Relaxatum.* in fine. Silvest. ib.q.7. Hoc tamen limitādum credo ad eas gratias quas Pontifex non potest sine causa conferre. Secùs autem esse in iis quas pro mero beneplacito cuiuis idoneo conferre potest. Tunc enim credo non nocere in motu proprio falsi expressionem, quando aliàs gratia cōfertur personæ idoneæ & habili. Quis enim credat Pontificem conferentem alicui familiari aliàs idoneo proprio motu Beneficium, eò quòd benè de Ecclesia sit meritus, velle collationem esse irritam, si ille revera nihil alicuius momēti pro Ecclesia fecerit; cùm Principes suis amicis aliqua beneficia conferentes communiter soleant similia aliqua prætexere?

Expressio falsi quandoque non nocet.

66 Conclvs. III. Quando gratia concessa est divisibilis, tunc expressio falsi, vel reticentia veri etiam pertinentis ad causam finalem ignoranter facta, vitiat tantùm eam partem, quæ re cognita non fuisset concessa: si verò id factum sit fraude petentium, in pœnam malitiæ tota concessio est irrita. Patet ex cap. *Super litteris.* 20. de rescriptis. quod necessariò hoc modo & in tali casu intelligendum esse, non autem quando falsi expressio versatur tantùm circa causam impulsiuam, multis probat Sanchez disp. 21.n.74. quia scilicet requiritur ibi fraus & malitia, & tamen comparantur reticentia veri & expressio falsi: atqui certum est reticentiam veritatis, quæ non afficit causam finalem, nec iubetur exprimi in Iure, non continere fraudem aut malitiam, cùm petens non teneatur eam exprimere: imò hoc etiam verum de eiusmodi falsi expressione. nec enim potest dici Prælatus fraude inductus ad dispensandum, qui veritate cognita dispensasset: ergo textus intelligendus est, quando illa versantur circa causam finalem. Et confir. quis enim dicat, fraude aut subreptitiè impetrasse dispensationē à Papa eū, qui hūc valdè odit, & tamen hoc in supplicationis libello tacuit, aut dixit se optimè erga eū affici?

c. Super.

Sanchez.

Reticentia veri nō necessariò exprimendi non cōtinet fraudem.

67 Ex his sequitur Primò, petentem dispensationem in voto castitatis; eò quòd grave ei periculum lapsus ex infirmitate immineat ob grauissimas tentationes, quas continuò patitur, & simul vt possit ducere suam cognatam, quia hæc aliter non reperiret dignum se maritum: si prima causa sit sola vera, obtenta dispensatione posse ducere vxorem, si bona fide processerit; non tamen cognatam. quia ex hac parte deficit causa finalis dispensationis: si verò mala fide egerit, neutrum posse. Ad hoc tamen Sanchius suprà num. 78. requirit sententiam iudicis. quia *c. Super litteris* citato, dicitur debere carere tota dispensatione in pœnā suæ perfidiæ; videturq; ibi requiri cognitio iudicis, vt hæc pœna incurratur. quæ sententia satis probabilis est.

Sanchez. c. Super.

68 Sequitur Secundò, petentem facultatem dispensandi in aliquo casu, cum non exprimendo, quia credit Prælatum eam non concessurum, si casum exprimeret; inualidè eam obtinere, si desit iusta causa dispensandi, vel hæc saltem sit dubia. quia Prælatus tunc verè per errorem concedit eam facultatem, quam cognita veritate teneretur denegare. Secùs esset, quando apertè subesset iusta causa concedendi, sed Prælatus propter scrupulos, vel quia putat non subesse iustā causam eam non concederet: quia verè nō est inuitus. quia nec actu, nec habitu vllo modo intendit negare iustam dispensationem: sed vt summum aliquo modo inuoluntariè concedit facultatem. quam putat minùs iustè peti, & cognita absolutè omni ex parte veritate eam lubens concederet.

Quando facultas dispensandi in casu innominato datur inualidè.

69 Sequitur Tertiò, errorem nominis non vitiare dispensationē, quando cōstat de persona cui conceditur: quia dispensans intendit eam concedere petenti, siue hic sit Petrus, siue Paulus, quod æquus dispēsator spectare non debet, sed solam causæ æquitatem, quæ non pēdet à persona; nisi in vna sint aliquæ qualitates mutantes intrinsecum statum causæ, quæ nō sint in alio.

Error personæ cōmunitervō nocet dispensationi.

Excipe casum, quo persona expressa in supplicatione esset cognita dispensanti, & cōcederet gratiam præcipuè in huius fauorem. quia tunc restringitur concessio ad hanc personam. Secùs si tantùm causæ æquitatem in concedendo spectet. quod præsertim in dispensatione semper præsumendum est, quando adsunt iustæ causæ dispensandi.

70 Sequitur Quartò, quando vinculum in quo dispensandum est, dicitur esse dubium, cùm tamen sit certum, inualidam esse dispēsationem. quia ipsa incertitudo vinculi, v. c. voti, est sufficiens causa, vt in eo saltem ex parte dispensetur, & consequenter error est circa causam finalem: vel potiùs circa rem ipsam, in qua dispensandum est. Nam obligatio dubia & certa multum inter se distinguuntur. Quare credo fore irritam dispensationem, etiamsi adessent ex causæ ob quas Prælatus meritò dispēsaret, etsi cognosceret votum esse certum: nisi saltem sub conditione dispensaret in voto, etsi fortè omnino certum sit. quia aliàs non intendit dispensare in vllo voto, quàm in dubio.

Vinculum certum dubiè expressum semper nocet dispensationi.

71 Sequitur Quintò, necessariò explicandum esse in quoto consanguinitatis vel affinitatis gradu se contracturi contingant: & vtrùm propinquitas sit in linea recta, an in obliqua. quia in gradu propinquiori est difficilior dispēsatio, ac grauior causa requiritur. Multóque magis apertè exprimendum est, si petatur dispensatio in affinitate, aut consanguinitate in linea recta: cùm valdè probabile sit, Pontificem in his non posse dispensare, vt ostendi disp. 32. n. 16. 53. & 54. Quare numquam credendum est Pontificem in his dispensare, nisi id apertissimè asserat: nec credo vllum huiusmodi dispensationis exemplum extare: præsertim quando affinitas contracta esset ex legitimo matrimonio.

72 Nota, Pium V. in Bulla quæ incipit, *Attendens per quamdam.* data anno 1566.10. Augusti, declarasse Primò, quando consanguinei distant in diuerso gradu à stipite, si propinquior distet in primo gradu à communi stipite: vt si sit filius aut filia aui, vel proaui alterius, siue quod idem est, quando aliqua persona cupit contrahere cum fratre aut sorore sui patris vel matris, aui aut auiæ, proaui aut proauiæ, hoc necessariò explicandum esse, ne dispensatio sit subreptitia. Additúrque Pontificem numquam intendere in eiusmodi gradibus dispensare. quia scilicet hæc matrimonia habent singularem indecentiam ob reuerentiam his personis ferè similem ac parentibus debitam.

Pius V.

Quando cōtracturi distant in diuerso gradu à stipite, an hoc exprimendum.

Secundò, quando propinquior gradus distat saltem in secundo gradu à primo stipite, & alter in tertio aut quarto; sufficere hunc exprimere. quia verè illi distant in tertio vel quarto gradu: necessariam tamen esse tunc impetrare literas declaratorias. quod Sanchius l.8.disp.24.num. 28. & Henriq. l. 12.c.3. n.6.lit.T.in comment. docent tantùm esse necessarium pro foro externo propter scandalum, quod fortè posset oriri. quia communiter vulgus putat tales magis esse propinquos, quàm si vterque distaret in quarto gradu.

Sanchez. Henriq.

Sequitur Sextò, quando sunt plura impedimenta, omnia explicanda esse. quia per vnius dispensationem, non tollitur alterum. 73

Dubitant tamen auctores, an necessarium sit omnia impedimenta explicare in eadē petitione dispensationis: an verò sufficiat, v.c. quando contracturi sunt simul consanguinei & affines, priùs separatim petere dispensationem consanguinitatis, & postea affinitatis. Prior sententia ait, sufficere separatim has dispensationes peti. Primò, quia ligatus pluribus excōmunicationibus, potest petere absolutionem ab vna tacendo alteram. Secundò, quia aliàs qui vellet ex iusta causa ducere suam cognatam, cuius sororem antea cognouisset, teneretur propalare suum incestum cum sua cognata. Ita Sà v. *Dispensatio. num.* 16. Sà.

An omnia impedimēta simul in petitione dispensationis explicanda sint.

Henriq. Nauar. Henriquez l. 12. c. 3. n. 8. Nauar. l. 4. consil. tit. de consanguin. consilio 4. aliàs 7. n. 2. & 3. docens esse praxin curiæ Romanæ.

Secunda asserit, necessarium esse vtrumque simul explicare. Ratio eius potissima est, quia duo impedimenta fortiùs ligant quàm vnum. quare qui vult dispensare in habente vnum solum, sæpè rationabiliter nollet dispensare in habente duo. Ita Siluester v. *Matrimonium.* 8. q. 14. dicto 3. Rosella v. *Impedimentum.* impedimento 13. num. 2. & cum aliis Sanchius lib. 8. disp. 23. n. 2.

Siluester. Rosella. Sanchez.

74 Pro resolutione Nota Primò, hæc impedimenta esse quandoque eiusdem quodammodo rationis, ita vt simul conficiant vnam quandam indecentiam ac repugnantiam cum matrimonio contrahendo, maiorem quàm singula cõficerent. Talia sunt duplex consanguinitas, aut consanguinitas simul ac affinitas respectu eiusdem personæ. Alia sunt omnino diuersæ rationis: qualia sunt cognatio & votum castitatis. Et in his quando sufficientes adsunt causæ, possunt dispensationes separatim peti, vt fatentur etiam auctores secundæ sententiæ, præsertim quãdo dispensatio voti priùs petitur: vt patet apud Sanchez disp. 23. n. 4. Et ratio est, quia cùm hęc impedimenta non constituant vllo modo vnam eandémque repugnantiam respectu matrimonij incundi, sed duas omnino diuersæ rationis, non augent mutuam difficultatem in sui ablatione. Secùs est de impedimentis prioris generis. Quod inde patet, quia si Petrus impetrasset dispensationem vt contraheret cum Catharina cognata sua, & ante contractum cognosceret eius sororem, eius matrimonium cum Catharina maiorem contineret indecentiam, quàm si hæc non esset eius cognata: & Pontifex cognita veritate longè difficiliùs in ea affinitate dispensaret propter coniunctam consanguinitatem. quia, etsi hæc per dispensationem desierit impedire matrimonium, non tamen desiit esse, ac iuncta affinitati augere propinquitatis vinculum inter eas personas, & consequenter indecentiam matrimonij contrahendi.

Quædam impedimenta habent inter se connexionem, alia non.

Sanchez.

75 Vnde si Petrus vellet postea obtinere dispensationem in illa affinitate, posita veritate secundæ sententiæ deberet simul facere mentionem consanguinitatis in qua priùs fuit dispensatum: vt apertè in simili colligitur ex c. 2. de filijs presbyterorum, in 6. Vbi dicitur illegitimum quocum dispensatum est, vt omnes Ordines susciperet, & Beneficium etiam curatum obtinere posset, inualidè postea obtinere aliam dispensationem, vt simul possit habere plura Beneficia, nisi fecerit mentionem defectus natalium. Et ratio redditur, quia non est verosimile Pontificem secundam dispensationem concessurum cognito illo defectu. quia nimirum quantumuis in eo defectu sit dispensatum; quia tamen non est sublatus, semper talis cæteris paribus est indignior qui plura Beneficia obtineat, quàm alius legitimus. Secùs est in voto castitatis: quia hoc semel legitimè relaxato, nõ est maior indecentia vouentem ducere suam cognatã, quàm si numquam vouisset; ideóque vt ad hoc legitimè obtineat dispensationem, non est opus eum prioris voti facere mentionem. Quare quando obligatus tali voto vt ducere suam cognatam, si sit legitima causa dispensandi in vtroque impedimento, poterit separatim dispensationem petere. nec refert vtrius impedimenti dispensationem priùs petat: quia inter hæc non est dependentia, quando vtrumque tolli potest. Secùs est quando non esset causa dispensandi in voto: quia tunc frustra dispensaretur in cognatione. quia hæc dispensatio non posset legitimum sortiri effectum, atque esset irrita, tamquam per errorem obtenta.

c. 2. de filijs.

Impedimenta non habentia connexionem possunt separatim tolli.

76 Maior autem difficultas est, quando inter aliquos sunt duo impedimenta prioris generis. Pro qua dico Primò, si tales habeant quidem causam sufficientem pro singulorum dispensatione, non tamen pro omnium, dispensatio erit subreptitia, si vnum tantùm impedimentum explicetur, siue bona, siue mala fide id fiat. quia sic ob eandem causam bis propositam acquirerent dispensationem duplicis impedimenti, cui causa omnino improportionata est, cùm maior causa requiratur pro duobus impedimentis, quàm pro vno. Nec credo auctores prioris sententiæ hanc conclusionem negare.

Habentia connexionem simul explicanda.

Dices, Saltem prior dispensatio erit valida: quia causa est sufficiens pro vno impedimento auferendo.

Respondeo, negando assumptum, eiúsque probationem, quando impedimenta coniuncta sunt. Tum quia, vt ostendi, tunc alterum alterius dispensationem reddit difficiliorem: tum etiam quia causa dispensationis vt sit sufficiens, requirit necessariò subiectum, cui possit esse licitus vsus dispensationis. v. c. defectus dotis ob quem virgo nobilis deberet carere nuptiis, est causa sufficiens, vt cum ea dispensetur vt nubat consanguineo, si hic ea habita possit & velit eam ducere: esset tamen omnino insufficiens, si ea dispensatione obtenta, alter nihilominus non posset eam ducere, vt quia coniugatus esset, aut sacerdos. quia dispensatio esset inutilis ad supplendum defectum dotis in illa virgine. Et idem est in laborante duobus impedimentis, quoties causa tantùm est sufficiens, vt vnum tollatur.

77

Dico Secundò, quando tales habent sufficientes causas, vt cum iis in vtroque impedimento dispenletur, validè separatim vtriusque dispensationem impetrant, modò simul etiam habeant iustam causam separatim dispensationem petendi. Hanc conclusionem apertè etiam colligo ex Sanchio suprà, num. 7. vbi docet cupientem ob iustas causas ducere suam cognatam, cuius sororem occultè cognouit, posse priùs petere à Pontifice dispensationem in cognatione, tacita affinitate ne se infamet: & deinde à sacra pœnitentiaria posse petere dispensationem in affinitate simul explicando Pontificem dispensasse in cognatione. quia non est causa hoc reticendi. Et fortè de hoc solo casu loquuntur auctores prioris sententiæ, & hanc solam praxin curiæ Romanæ Nauarrus ibi citat. Ratio est, quia, cùm in hoc casu is à quo petitur dispensatio vnica, cognita totius rei veritate rationabiliter eodem modo esset dispensaturus; non potest dici errore inductus ad dispensandum, & consequenter nec dispensatio est subreptitia. quia ea sola est talis, cui error causam dedit.

78 *Nisi sufficiens causa contrarij suadeat.*

Sanchez.

Nauar.

Dixi, *modò simul etiam*, &c. quia si non habeant iustam causam separatim eas dispensationes petendi, irrationabiliter id facerent, & dispensans cognita veritate, meritò dispensationem negaret, & consequenter per errorem eam concedit.

Sequitur Septimò, in cognatione spirituali explicandum esse an sit paternitas, an compaternitas. quia longè magis dedecet aliquem ducere eam quam ex fonte suscepit, quàm eius matrem. Quare in priori cognatione Pontifex non solet dispensare. Item quando affinitas orta est ex copula coniugali, id esse explicandum: quia secundùm Iura reputatur longè maior, quàm orta ex fornicatione, & inuoluit secum impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio ortum, dirimens vsque ad quartum gradum. Similiter est explicandum, quando impedimentum publicæ honestatis ortum est ex coniugio non consummato: quia hoc vinculum maius est eo, quod oritur ex solis sponsalibus. Quando autem hoc impedimentum ortum est ex solis sponsalibus, aut affinitas ex fornicatione; sufficit in genere dicere ea subesse. Imò valeret dispensatio, etsi dicerentur orta ex coniugio. Imò etsi affinitas dicatur esse in secundo, cùm sit in tertio gradu:

79 *In paternitate spirituali nõ solet dispensari.*

Narrans vnum vinculum prò alio an validè obtineat dispẽsationem?

Sanchez. gradu: vt Sanchez disput.24. num. 17. quia impedimentum explicatum vel formaliter, vel virtute continet aliud, & error non reddit dispensationem inualidam, cùm cognita veritate facilius dispensaretur. Secùs esset, si diceretur esse consanguinitas, cùm sit affinitas: quia hæc in illa non concluditur, sed est impedimentum omnino distinctum.

80 Nec his obest, quod c. *Cui de non facerdotali.* 27. de præbend. in 6. dicitur, quando Pontifex mandauit alicui prouideri de præbenda certi valoris, huius vi etiam volenti non posse conferri præbendam minoris valoris; cùm tamen hæc videatur faciliùs impetranda fuisse. quia hoc speciale est in huiusmodi mandatis, quorum fines strictissimè seruandi sunt, vt ibidem dicitur.

c. Cui de non.

81 Sequitur Octauò, quando Petrus vult ducere Catharinam, cuius & pater & mater ei sunt consanguinei, aut cuius duas sorores cognouit; hoc in impetranda dispensatione esse explicandum. quia ille huic duplici, vel cognatione, vel affinitate est cõiunctus: atque ita verè duplex inter eos intercedit impedimentum. Non tamen debet explicare quoties eius quam vult ducere sororem cognouerit. quia multiplicatio copulæ cum eadem sorore habita nec multiplicat, nec auget affinitatem. Ratio vtriusq; est, quia cognatio est participatio eiusdem sanguinis; & affinitas est coniunctio quæ mihi prouenit mediante mea consanguinea, quæ cum altera facta est vna caro. Catharina autem in priore casu verè aut ex duplici capite, atque ita bis participat eundem sanguinem cum Petro, aut mediante duplici consanguinea, duplex vinculum cum Petro contraxit; & consequenter duplicem aut cognationem, aut affinitatem contraxit. Secùs est in secundo casu, in quo per vnam solam consanguineam contrahitur affinitas, & consequenter vnica contrahitur.

Copula cũ diuersis eiusdem cõsanguineis habita auget affinitatem, secùs si cum eadem sæpiùs habeatur.

82 Dices, Sicut Petrus diuersas cognoscendo fit cum singulis vna caro, & ideo cum consanguinea diuersas affinitates contrahit: ita per diuersas copulas cum eadem habitas fit cùm ea sæpiùs vna caro: ergo eius consanguinea fit ei sæpiùs affinis.

Respondeo, negando secundam partem antecedentis, quia habentes copulam per eam immediatè sibi mutuo vniuntur, ita vt fiant vna caro, non autem mediante aliquo respectu ad copulam, ideóque hæc vnitas non multiplicatur per diuersas copulas. Secùs est de illa affinitate vel consanguinitate, quæ personas non coniungit immediatè inter se, sed per respectum ad tertium, v.c. ad sorores, vel parentes Catharinæ: ideóque secundùm multiplicitatem illius tertij, multiplicantur etiam respectus personarum inter se, & consequenter propinquitas exurgens.

83 Sequitur Nonò, quando inter consanguineos vel affines scientes inter se esse impedimentum matrimonij, habita est copula, aut contractum matrimonium, aut etiam consummatum. item si contraxerint, vel copulam habuerint ea intentione vt postea faciliùs obtinerent dispensationem. item si ignorantes contraxerint matrimonium, sed omissis denuntiationibus; necessariò omnia hæc explicanda esse. Patet ex Tridentino sess.24. c.5. & stylo curiæ. Quando tamen copula est occulta, potest primò à pœnitentiario peti dispensatio occulta, & hac tacita potest à Pontifice peti dispensatio consanguinitatis. Vide hæc fusè apud Sanchium l.8.disp.25.

Vident.

Sanchez.

84 Sequitur Decimò, etsi petens alicuius legitimationem debeat explicare an natus sit ex simplici fornicatione, an verò ex adulterio, aut incestu, aut sacrilegio, vt si parentem habuerit sacerdotem, aut Religiosum; in petenda tamen dispensatione super affinitate nihil horum esse explicandum. Ratio diuersitatis est, quia ex adulterio, incestu, &c. gignitur multò magis illegitimus, quàm ex simplici fornicatione: non tamen contrahitur maior affinitas. hinc si ea quam vis ducere, esset tibi simul affinis & cognata, vtrumque quidem vinculum esset exponendum; non tamen esset addendum hoc ex incestu prouenisse.

85 Vndecimò, Nauar. l.4.tit. de consang. consil.5. aliàs 8. & alij aiunt, quando in aliqua re fuit obtenta dispensatio cum aliqua limitatione, si postea petatur absoluta, faciendam esse mentionem prioris dispensationis. Probant Primò, ex c.2. de filiis presbyterorum, in 6. Vbi dicitur, illegitimum, quocum dispensatum est vt possit ad Ordines sacros promoueri, & Beneficium etiam curatum obtinere: si postea petat dispensationem vt possit plura Beneficia obtinere, debere facere mentionem defectus natalium: & aliàs futuram inualidam dispensationem. & ratio additur: quia non est verosimile Pontificem cognita veritate, dispensaturum cum illegitimo vt obtineat plura Beneficia. Sed hinc potiùs colligitur, non esse faciendam mentionem prioris dispensationis, cùm id ibi non dicatur. solùm enim dicitur secundam dispensationem esse irritam, nisi fiat mentio, non prioris dispensationis, sed defectus natalium: & cur illa sit irrita, ratio redditur, non quia cum altero fuit semel dispensatum, sed quia non est verosimile Pontificem *cum illo prædictum patiente defectum, voluisse, si hoc fuisset expressum eidem, in pluralitate Beneficiorum huiusmodi dispensare.* Vnde apertè colligitur, si talis tacita priore dispensatione expresso natalium defectu petiisset secum dispensari, vt posset plura Beneficia etiam curata obtinere, & Pontifex hoc concessisset, validam futuram fuisse dispensationem.

Nauarr.

c.2. de filijs.

Adde, hoc Ius nihil facere ad rem. Loquitur enim de dispensationibus omnino distinctis, & quarum vna nullam tollit restrictionem in altera factam. Nec enim prior vllo modo restringitur, eò quòd tali non concedatur vt possit habere plura Beneficia. Nam etsi cum tali Pontifex in defectu natalium dispensaret omni modo possibili, per hoc ei nullo modo concederet, vt posset habere plura Beneficia. quare hoc ei postea concedendo, priorem dispensationem non ampliat, sed nouam concedit. Sicut si Pontifex quantum potest dispensaret, vt habens votum castitatis, iniret matrimonium; nullo tamen modo concederet, vt duceret cognatam: & hoc postea concedendo non ampliaret priorem dispensationem, sed nouam concederet.

Probant Secundò cap. penultim. de præscriptionibus. quod obscurum est, & vt summum dicit, priuilegiis priorum Pontificum, quibus alicui tertio ius aliquod conceditur, non derogari per posteriora priuilegia, nisi hæc illorum faciant mentionem. Vnde nullo modo sequitur, posteriora esse irrita, nisi faciant mentionem priorum, quibus nullum ius tertio fuit acquisitum.

c. penult. de præscript.

86 Pro resolutione Nota Primò, quadruplicem hîc esse casum. Secundò, dupliciter posse contingere, vt quis secundò petat dispensationem super eadem re. Primò, super eadem re specie aut genere. v.c. occidit quis vnum hominem, petit dispensationem in irregularitate, eaque obtenta occidit secundum, aut contrahit bigamiam, & cupit secum dispensari: & hic est primus casus. Secundò, super eadem re numero, super qua cum eo priùs fuit dispensatum cum aliqua limitatione. quod tripliciter fieri potest. Primò, vt restrictio petenti dispensationem nullam omnino imponat obligationem. v. c. dispensatur cum aliquo vt possit legere libros hæreticos, non quidem omnes, sed eos solùm qui non sunt conscripti ad stabilienda peruersa dogmata fidei, sed solùm per accidens habent aliqua, quæ fidei repugnant,

vbi nulla omnino imponitur obligatio, sed solùm aliqua obligatio non tollitur: & hic est secundus casus. Secundò, vt simul imponatur noua obligatio, qua tamen nullum alicui homini, aut loco pio ius acquiratur. vt si Prælatus dispenset in voto non nubendi cum obligatione legendi quotidie rosarium: & hic est tertius casus. Tertiò, vt per restrictionem aliquod ius tertio concedatur, aut de nouo confirmetur. v. c. Pontifex dispensat cum aliquo in voto castitatis cum conditione vt promittat singulis mensibus alicui loco pio dare certam eleëmosynam, isque hoc promittit, & promissio à loci præside acceptatur: & hic est quartus casus.

87 His positis sit I. Conclvs. Si in primo casu impedimenta proueniant ex crimine, probabile est in secunda dispensatione necessariò mentionem faciendam esse non modò criminis bis admissi, sed etiam prioris dispensationis. Ita ferè communiter DD. qui id colligunt ex l. *Nemo.* 3. de episcopali audientia. vbi dicitur: *remissionem veniæ crimina, nisi semel commissa, non habeant.* quia nimirum, vt ibidem dicitur, omnino indignus est venia qui clementia Principis ad consuetudinem peccandi abutitur. Et simili modo difficiliùs, & nonnisi grauioribus existentibus causis dispensaret Pontifex cum eo qui semel obtenta dispensatione super irregularitate ex homicidio contracta, secundò eandem incurreret; quàm cum alio qui simpliciter secundò homicidium commisisset. Hic enim minùs indignus est dispensatione, quàm is qui post acceptam dispensationem idem crimen admisit, ac Principis clementia sibi peccandi occasionem fecit.

L. Nemo.

Indignus est secunda venia qui priore abutitur.

Limitant hanc conclusionem Nauar. l. 1. consil. tit. de constit. consilio 1. q. 19. n. 53. Conar. l. 1. Variarum c. 20. n. 3. Sanchius l. 8. disp. 22. n. 20. vt tunc solùm locum habeat, quando secundò committitur idem crimen in quo antè fuit dispensatum. quod probabile est. quia res per se satis dura, & quæ non habetur clarè Iure expressa prout fieri potest, molienda est.

Nauar. Conarr. Sanchez.

88 Conclvs. II. Quando in dicto casu alterutrum impedimentum non prouenit ex crimine, crediderim non esse necessarium in secunda dispensatione facere mentionem prioris. quia hoc ex nullo Iure aut ratione potest colligi. nec hæc conclusio repugnat propriè sententiæ relatæ num. 85. Nam secunda dispensatio non ampliat priorem.

Quando tamen impedimenta sunt talia, vt id in quo primò fuit dispensatum, reddat meritò secundam dispensationem difficiliorem; credo vtrumque impedimentum explicandum esse, iuxta dicta num. 74. & 75.

89 Hinc si Petrus obtenta dispensatione in voto castitatis cuperet ducere suam cognatam, in impetranda dispensatione non esset opus facere mentionem voti aut dispensationis in eo obtentæ, quia neutrum impedimentum reddit alterius dispensationem secundùm se difficiliorem. Quòd si verò impetrata dispensatione ducendi suam cognatam contraheret cum ea affinitatem, vt huius dispensationem validè obtineret, deberet facere mentionem cognationis, vt dixi numero 74. nullo modo tamen esset opus facere mentionem prioris dispensationis, si alter in vtroque impedimento vellet dispensare. quia illius reticentia nullo modo reddit dispensationem faciliorem, sed potiùs difficiliorem. quod maximè verum est, quando affinitas fuisset sine eorum en[illegible] contracta: vt si sponsa fuisset vi, aut dolo à Petri cognato cognita: ideóque in eo casu suadendum est, vt fiat mentio prioris dispensationis, vt faciliùs obtineatur dispensatio.

Similiter illegitimus, cum quo dispensatum est vt possit suscipere Ordines, & habere Beneficium, si velit obtinere dispensationem vt simul habeat plura Beneficia, debet facere mentionem defectus natalium; non autem prioris dispensationis, quamquam hoc vtile sit vt faciliùs dispensetur. Et hoc solùm habetur c. 2. de filiis presbyt. in 6. vt benè docet Molina tom. 3. disp. 650. num. 4. & Dominicus & Francus apud Sanchium l. 8. disp. 22. nu. 3. Multi quidem aliter illud c. intelligent, sed qui se mutuo magis sequantur, quàm vllam rationem in Iure fundatam.

c. 2. de filiis. Molina. Dominicus. Francus. Sanchez.

Conclvs. III. In secundo casu validè quis super eadem re ampliorem dispensationem impetrat nulla facta mentione prioris strictioris, quia nihil reticet quod alterum meritò à dispensatione auerteret. quia hic nullo modo per priorem dispensationem redditur indignior secunda. Ita Abbas c. penult. de præscript. num. 13. 90

Abbas.

Dices, ideo secundam expressa priore fore difficiliorem. quia per hanc Princeps corrigit id quod in priore statuerat, quod nunquam censetur facere nisi exprimat: vt habetur c. penult. de præscriptionibus.

c. penult. de præscript.

Resp. negando priorem partem assumpti. quia per secundam nihil tollitur quod in priore fuerat concessum, aut mandatum, cùm nihil mandatum fuerit, sed solùm aliquid amplius conceditur, per quod prius priuilegium nullo modo corrigitur.

Idem dicendum est in tertio casu. quia, etsi in eo aliqua noua obligatio imponatur; hæc tamen non imponitur absolutè, sed tantùm posito quòd vouens nolit suum votum implere; vnde potest huic dispensationi renuntiare, & prioris voti obligationem suscipere: vt docet P. Lessius de Iustitia c. 40. n. 111. Quare per secundam dispensationem nullo modo derogatur priori, sed aliquid noui conceditur. 91

Lessius.

Conclvs. IV. In quarto casu absoluta dispensatio inualidè impetratur non facta mentione prioris cum conditione concessæ. quia Pontifex non intendit alicui tertio tollere ius, nisi hoc exprimat. Et hic est expressè casus illius capitis penult. de præscriptionibus, vt ibidem docent Hostiensis n. 7. & Baldus n. 10. loquitur enim ibi Pontifex de priuilegio Paschalis II. & Alexandri III. quo inter cætera monachi S. Martini iubebantur à Vesprimensi Episcopo chrisma, sacrum oleum, consecrationes altarium, ac sacros Ordines petere: ita tamen vt casu quo hic fieret hæreticus, aut nollet ea gratis concedere, ipsi possent ea à quouis Catholico Episcopo petere. qui postea à Clemente III. videntur impetrasse priuilegium vt absolutè non tenerentur à Vesprimensi chrisma, Ordines, &c. petere: dicítque Pontifex hoc non obstare quo minùs ea teneantur à Vesprimensi petere: quia per hoc prioribus priuilegiis non fuit derogatū, cùm illorū non faceret mentionem. Vbi Pontifex clarè insinuat; tunc solùm in secundo priuilegio faciēdam esse mentionem prioris, quando huic per illud derogatur: vt in dicto casu fiebat. Nam secundum priuilegium Vesprimensi auferebat ius quod priora ei vel de nouo concesserant, vel saltem confirmarant, in dictis casibus eos monachos ei subiiciendo. 92

Hostiensis. Baldus. Paschalis II. Alexander III. Clemēs III.

In secunda dispēsatione facienda est mentio prioris, quādo hic per illam derogatur.

Vt autem hanc disputationem concludamus, Nota Primò, auctores controuertere quid præsumendum sit, quando valor dispensationis est dubius. Riminaldus & Bentio apud Sanchium l. 8. disp. 21. num. 25. & quidam alij docent tunc præsumi eam valere, licitéque matrimonium iniri. quia in dubio præsumitur pro valore actus, l. *Quoties.* ff. de rebus dubiis, &c. *Abbates.* de verb. significat. quod propter DD. auctoritatem est probabile. Sed Iura citata tantùm probant, quando verba constitutionis, vel priuilegij alicuius obscura sunt, potiùs ita interpretanda esse vt valeat actus, quàm vt non valeat; eò quòd aliàs esset negatoria constitutio. Inde autem nullo mo- 93

Riminald. Bentio. Sanchez. l. Quoties. c. Abbates.

Quādo dispēsatio est

dubia, quid præsumendum?

do probatur, quando dubium est an subreptitia sit dispensatio, præsumendum esse non esse subreptitiam. Quia, etsi præsumendum sit, concedentem priuilegium noluisse nugari; non tamen præsumendum est; eum voluisse dispensare, quando dubium est, an preces veritatem iustamque causam contineant. Quare in hoc casu valet hoc axioma, In dubio melior est conditio possidentis. possessio autem pro impedimento stat. Item illud, Debito certo non satisfit per solutionem, aut remissionem incertam. Et hanc sententiam tenent Abbas cap. *Quia circa.* num. 6. in fine, de consangu. & P. Molina tom. 1. de Iustit. tract. 2. disp. 173. dum dicunt, quando dubium est an veritas tacita sit causa finalis, præsumendum esse quòd sit finalis. Altera autem sententia nunc vera est, quando positivè probabile est ob rationes, aut DD. auctoritatem dispensationem omnibus spectatis esse legitimam, siue non subreptitiam. quia tunc satis certum est non esse subreptitiam. quia vt non subreptitia, sufficit petentes ea omnia expressisse, quæ secundùm probabilem sententiam tenetur exprimere: quia secundùm eam operari possunt.

Abbas. Molina.

Nota Secundò, posse aliquem impetrare alteri dispensationem sine eius mandato, ei tamen non valet antequam per certum nuntium aut literas cognitam acceptarit. vide dicta suprà disp. 26.

94 Nota Tertiò, Pontificem non solere communiter per se dispensare, sed hoc committere Vicario Episcopi, in cuius diœcesi habitat is quo cum dispensandum est, vt ipse inquirat, an preces Pontifici oblatæ sint veræ, & si reperiat veras, dispenset. Quare si causa finalis dispensationis deficiat antequam hic dispenset, dispensatio erit nulla, vt communiter Doctores fatentur.

An dispensatio iam obtenta deficiat, si causa finalis deficiat.

95 Sed est difficultas, quando causa finalis omnino deficit post factam dispensationem, sed ante matrimonium contractum. Sanchez lib. 8. disp. 30. varias hac de re adfert sententias; ipse verò num. 14. asserit desinere valere. quod probat Primò, ex variis Iuribus quorum aliqua id probabiliter insinuant; sed non cõuincunt, vt bene ostendit Suarez mox citandus. Probat Secundò, quia lex communis definit habere vim desinente totaliter ipsius ratione: ergo multò magis lex priuata, quia iure communi infirmior. Tertiò, quia, sicuti Princeps illicitè initiò daret priuilegium sine iusta causa, ita illicitè vellet illud dare pro tempore quo causa dandi omnino cessabit: ergo non est præsumendum eum hoc intendere.

Sanchez. *Suarez.*

96 Contrarium tamen videtur sentire Suarez l. 8. de legib. c. 30. vbi docet priuilegium in suo vigore perseuerare desinente omnino eius causa finali, nisi ex aliqua circumstantia eius vsus reddatur illicitus. Probat Primò, quia beneficium Principis decet esse permansurum vt dicitur regula Iuris 16. in 6. Secundò, quia licitè multa consequantur in eo statu à quo non possent licitè incipere, vt patet quando contracto matrimonio superuenit aliquod impedimentum dirimens. Sed puto hîc cum aliqua distinctione ioquendum, qua vtraque pars ex parte possit conciliari.

Suarez.

97 Pro resolutione igitur Nota Primò, priuilegia, similiaque beneficia esse duplicia. quædam enim directè & immediatè respiciunt aliquam operationẽ, aut actus omissionem, dando licentiam aliquid veritum faciendi, aut rem præcepram omittendi, v. c. non legendi Horas canonicas, comedendi carnes in Quadragesima, &c. Alia immediatè transferunt aut priuilegiatum, aut materiam circa quam priuilegia versantur, ad alium statum, ex quo fit, vt priuilegiato aliquid liceat, quod antè non licebat. vt cùm aliquis à Pontifice absolutè legitimatur, licitè ordinatur, &c. aut cùm confertur alicui Beneficium, aut ius decimas recipiendi ex suis aut alienis agris; immediatè confertur illi Beneficij, aut iuris decimarum dominium: ex quo sequitur quòd licitè tam has, quàm Beneficij fructus recipiat.

Nota Secundò, priuilegium quandoque conferri ob præterita merita priuilegiati, aut patrum eius, & de hoc hic non est quæstio: quia, cùm merita præterita non possint desinere fuisse, hæc causa nequit desinere esse. Alia verò conferuntur ob causam aliquam permanentem, v. c. necessitatem personæ, &c.

Conclvs. I. Quando priuilegium continet merum fauorem, ita vt neque communi, neque alicuius priuati iuri deroget, nõ cessat cessante causa, ob quam datum fuit. quia, cùm hoc exiguam causam requirat, vel ipsa honestas exigit, vt semel datum non reuocetur, nisi fortè eius continuatio alia incommoda adferret. & in hoc credo nullos dissentire. 98

Conclvsio II. Quando priuilegium immediatè dat licentiam aliquid operandi aut omittendi, contra ius commune, aut alterius priuatum; cessante absolutè causa, ob quam licitè initiò potuit dari, cessat etiam ipsum priuilegium. Probant id clarè secunda & tertia ratio Sanchez suprà allatæ. Et confirmatur, quia, sicut Princeps illicitè eximeret aliquem ab obseruatione totius legis, aut iuris alterius, quando tantùm esset causa eximendi ex parte; ita illicitè eum eximeret in perpetuum, quando tantùm esset causa eximendi ad certum tempus, atqui causa omnino temporanea, cùm ei omnino possit satisfieri per exemptionem temporaneam, non est sufficiens ad perpetuam exemptionem: ergo ob eam illicita erit exemptio perpetua, & consequenter Princeps non censetur eam concedere. Patet exemplis. Eximatur aliquis ob morbum à ieiunio quadragesimali; & circa medium Quadragesimæ omnino desinat morbus, desinit etiam exemptio. Similiter Canonicus ratione sui officij, aut ob alias graues occupationes habeat priuilegium non frequentandi chorum; desinat hæc habere, desinet priuilegium, & illicitè vlteriùs extenderetur, vt in dictis casibus etiam Suarez admittit. eadémque est ratio in omnibus similibus, ea nimirum quam suprà attuli: ergo in omnibus probat. 99 *Sanchez.* *Suarez.*

Dices, Multa monasteria initiò ob paupertatem obtinuerunt priuilegium non soluendi decimas, quæ postea facta ditia illud licitè obtinuerunt: ergo cessante causa non cessat priuilegium. 100

Respondeo Primò, eiusmodi casus non spectare ad hanc conclusionem, sed ad sequentem. quia in illis transfertur immediatè in Religionem dominium illius iuris recipiendi decimas ex suis agris. Respondeo Secundò, solam paupertatem non fuisse totalem causam dandi illa priuilegia, sed etiam fauorem Religionis: & hic quidem fuit præcipua causa, paupertas autem solùm causa impulsiua, & minùs principalis, vel saltem partialis. Et eadem est ratio multorum aliorum priuilegiorum, quæ quibusdam Religionibus piè viuentibus, & pro Ecclesia Dei multùm laborantibus data sunt: quæ postea permanent etsi obseruatio disciplinæ, & feruor laborandi in iis fortè magna ex parte defecerint. quia in his dandis præcipua causa fuit fauor Religionis, & fortè etiam aliqua remuneratio laboris iam peracti. Quando autem causa priuilegij solùm ex parte cessat, priuilegium non cessat, vt docet Sanchez suprà. Idémque dicendum quando dicta causa omnino cessante, alia ei æquiualens succedit: tunc enim est eadem ratio, ac si prior mansisset. *Sanchez.*

Conclvsio III. Quando priuilegium immediatè solùm mutat statum suæ materiæ, aut ipsius priuilegiati; tunc semel integrè datum continuò perseuerat independenter à permanentia causæ finalis. perseuerat, inquam, non tam in se (quia secundùm se in vnico actu totum consummatur) quàm in suo 101

effectu : qui semel absolutè collatus non amplius à causa extrinseca pendet, nisi quatenus priuilegiatus potest eo ob iustas causas priuari. v. c. est aliquis absolutè legitimatus à Pontifice, hic tunc simul & semel accepit totum suum priuilegium, & hoc planè desiit vltrà dari aut conseruari, aut in hoc à Pontificis voluntate pendere. quia propriè secundùm se non perseuerat, sed solus eius effectus. quare dum ille postea ad Ordines promouetur, Beneficia accipit, &c. non vtitur priuilegio, sed eius effectu. sicut cùm das Petro equum, simul & semel integrum beneficium præstas, & ipse postea vtendo equo sua re vtitur, ideóque à tua voluntate nec ipsum beneficium, nec Petrus in eius vsu amplius pendet. Secùs esset quando concederes ei solum vsum equi. Ideóque datio semel facta perpetuum habet effectum, quantumcumque finalis eius causa esse desinat: secùs est de concessione solius vsus, quæ desinente omino causa ob quam facta est, etiam esse desinit. & eadem est ratio in casu primæ conclusionis.

Ex his patet solutio ad argumenta secundæ sententiæ. nam prius solùm probat conclusionem primam, secundum verò tertiam.

102 Hinc sequitur Primò, probabilius videri eum qui accepit dispensationem vt possit ducere suam cognatam, si, antequam eam ducat, desinat omnino causa dispensationis, non posse eam ducere. quia nec ipse, nec materia dispensationis propriè sunt translata ad alium statum. secùs est si desinat post contractum matrimonium.

Dices, Dispensatio ista propriè consistit in ablatione inhabilitatis, qua personæ priùs inhabiles ad contrahendum redduntur habiles: ergo per eam mutatur status, sicuti quando ab aliquo aufertur irregularitas: ergo sicuti hæc semel ablata non redit cessante causa dispensationis, ita nec illa.

Respondeo Primò, hanc rationem contrariam sententiam reddere satis probabilem, eámque tenet Suarez l.6. de legib. c.20. num.15. *Suarez.*

Respondeo Secundò, negando consequentiam. quia status hic consistit in cognatione, quæ eadem perseuerat: nec enim personæ illæ desinunt esse cognatæ, sed solùm datur illis potestas, illa non obstante, inter se contrahendi, totáque hæc habilitatio in hac potestate consistit, & immediatè actionem respicit. quare non mutat statum. & idem credo dicendum quando dispensatur cum illegitimo, vt aliquos Ordines suscipiat; si causa finalis dispensationis, antequam hos suscipiat, omnino desinat. Secùs est de absoluta legitimatione, qua aliquis omnino desinit esse illegitimus secundùm æstimationem moralem, atque ita status mutatur.

Sequitur Secundò, eum qui obtinuit dispensationem in voto castitatis vt possit contrahere matrimonium, ob graues tentationes quas magno cum periculo salutis patitur, aut ne illustris valdè familia cum iactura reip. pereat sine hærede; cessante causa dispensationis ante matrimonium contractum, aut postquam morte coniugis dissolutum est, cessare etiam dispensationem: præsertim cùm sit donatio alieni iuris, quæ strictè interpretanda est, nec vlterius extendenda quàm causa exigit. Secùs est, si desinat esse durante matrimonio. quia tunc res est in diuerso omnino statu, in quo esset nimis durum concessionem finiri. Idémque dicendum quando causa finalis obtenta dispensatione ante matrimonium contractum, solùm ex parte desiit. quia facilius permittitur vsus dispensationis semel concessæ, quàm ipsa initio concedatur: ideóque ad illud requiritur minor causa, quàm ad hoc. vide Sanchez lib. 8. disputat. 30. numero 8. 103 *Sanchez.*

DISPVTATIO XXXIV.

DE

MVTVA CONIVGVM

OBLIGATIONE QVANTVM

AD VSVM MATRIMONII.

DVBIVM I.

Qua ratione actus matrimonij sit licitus?

1 PRÆTER Encratitas, Manichæos, Priscillianistas & similes hæreticos, qui, vt docet Bellarm. c.1. de matrimonio, olim docuerunt omnem vsum matrimonij esse malum & à diabolo; fuere olim quidam alij, quos citat D. Bonauent. in 4.d.31. art. 2. quæst. 1. qui docebant in omni copula coniugali, saltem esse peccatum veniale, ídque ob auctoritatem quorundam Patrum, qui dicunt in ea esse quandam immunditiem: vnde etiam Apocal. 14. de virginibus dicitur, *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* *Encratitæ. Manichæi. Priscillianistæ. Bellarm. D. Bonau. Apoc. 14.*

2 Sed ex Catholica doctrina certum est, copulam coniugalem, si debitè fiat, esse licitam. at quin matrimonium quod ad eam ordinatur, esset illicitum, vtpote natura sua ordinatum ad rem illicitam; quod est hæreticum. Patent hæc etiam apertè ex Genes. 1. v. 28. vbi Deus benedicit nuptijs primorum parentum, & earum vsum vel præcipit, vel commendat. Quare si illa habeatur purè ob amorem prolis in honorem Dei educandæ, aut ex amore iustitiæ, vt coniugi debitum reddatur, erit actus virtutis. *Genes. 1.* Copula coniugalis potest esse actus virtutis.

Nota tamen, eam post peccatum originale in se habere aliquam indecentiam ob pudendos corporis motus, & ardorem concupiscentiæ, qua ratio quodammodo absorbetur. ideóque à Patribus ac Scriptura vocatur immunda, & dicitur inquinare: non autem quò semper sit peccatum (vt malè ex iis colligunt auctores citati numero 1.) quamuis sæpè aliquod peccatum veniale coniunctum habeat: ideóque olim accessuri basilicas martyrum, solebant ab ea religiosè abstinere, sicut etiam faciunt communicaturi. Habet aliquid indecentiæ.

3 Præcipua autem hîc difficultas est, quem finem intendere debeat is, qui petit à coninge debitum, vt hoc licitè faciat?

Prima sententia docet, vt coniux licitè petat debitum, debere primariò intendere aut generationem prolis in honorem Dei educandæ, aut cuitare con-

sortis peccatum, cuius continentiam videt aliàs fore in periculo. Ita Magister in 4. d. 31. littera F. quem multi tam Theologi, quàm Summistæ sequuntur. *Magister.*

D. August. Mouentur præcipuè Primò, auctoritate D. August. qui libr. de bono coniugali cap. 6. ait: *Coniugalis concubitus generandi causa non habet culpam: concupiscentiæ verò seruandæ, sed tamen cum coniuge, propter tori fidem, venialem habet culpam.* Secundò, quia petens, qui neutrum ex his duobus intendit, nullum bonum matrimonij intendit. Nam nec bonum prolis, nec bonum fidei: quare eius actus non potest cohonestari.

4 Hinc inferunt Primò, coniugem peccare venialiter, qui petit debitum solùm vt vitet in se incontinentiæ periculum. quod confirmant Primò, quia vel talis ad petendum impellitur ex concupiscentia, & sic peccat; vel sine ea, & tunc frustra eo medio vtitur, vt concupiscentiæ ardorem mitiget, cùm hic nullus sit. Secundò, quia talis non resistit fortiter concupiscentiæ, sed ei cedit.

Inferunt Secundò, peccare venialiter eum qui petit debitum præcisè. quia ille actus ei laboranti abundantia seminis vtilis est ad sanitatem corporalem. nam vt aiunt, illud medium ad hunc finem natura sua non est ordinatum. Limitant autem aliqui vtrumque hoc corollarium, vt tunc solùm verum sit, quando quis aliis mediis potest periculo incontinentiæ, morbóve occurrere: quia quicumque alia ratione potest ea mala vitare, inordinatè ad hoc vtitur copula, quæ rationem absorbet.

5 Alij quos refert D. Bonauent. in 4. d. 31. a. 2. qu. 3. asserunt semper esse peccatum mortale, solius voluptatis causa debitum petere. Contrà verò Almainus in 4. d. 31. q. vnic. & Maior ibid. concluf. 7. docent id nullum esse peccatum. quia, cùm nec ille actus, nec voluptas inde sequens mala sint, nulla est culpa ea appetere. *Bonau.* *Almainus.* *Maior.*

6 CONCLVSIO I. Nullum omnino peccatum est, coniugem petere debitum, præcisè vt incontinentiæ periculum in seipso vitet. Ita Durandus in 4. d. 31. q. 4. Caietan. in Summa v. *Matrimonium.* c. vltim. v. *Primum igitur.* Sà v. *Debitum coniugale.* nu. 5. Nauar. c. 16. numero 32. Prob. Quia Apostolus 1. ad Corinth. 7. ait: *Propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat*, &c. Et infrà, cùm suasisset coniugibus, vt aliquando ad tempus orationis causa ex mutuo consensu abstinerent coniugio, subdit: *Iterum reuertimini in idipsum ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram: hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium.* Vbi Apostolus hortatur Corinthios, vt vtantur matrimonio, quò vitent periculum fornicationis. quod sanè malè fecissent, si hoc fuisset peccatum veniale. Nam nullo modo licet hortari aliquos, vt faciant minus malum ad euitandum maiora, quando vtraque euitari possunt: vt dicitur ad Rom. 3. v. 8. *Durand.* *Caietan.* *Sà.* *Nauar.* *1. Cor. 7.* *Rom. 3.*

7 Dices. Apostolus hoc dicit secundùm indulgentiam: ergo supponit esse aliquam culpam. quia vbi non est culpa, ibi nihil indigemus. Resp. negando consequ. eiúsque probationem. Nam indulgere non significat ibi remittere culpas, sed aliquid indulgenter permittere. Nam Apostolus non indulget illis aliquid præteritum, sed futurum. quod circa culpas non nisi peruersè fit. Dicit igitur se ipsis eum matrimonij vsum indulgere tanquam aliquid minùs bonum, cùm, si vellent perfecti esse, deberent conari ad Euangelica consilia. Simili modo ibi v. 28. ait. *Et si nupserit virgo, non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco.* Vbi dicit se iis parcere non auertendo eos omnino à nuptiis, cùm tamen dicat, eos has sine peccato posse contrahere. Parcere autem alicui, idem est, quod indulgere. *Indulgētia nō semper versatur circa culpam.*

Probatur conclusio Secundò, quia vti matrimonio in illum finem ad quem à Deo est institutum, non continet inordinationem: aliàs ipsa Dei constitutio esset inordinata: atqui Deus instituit matrimonium, etiam in remedium concupiscentiæ, vt omnes fatentur, & colligitur ex Apostolo suprà: ergo nulla est inordinatio eo in hunc finem vti: Nec refert quòd tantùm sit secundariò in hunc finem institutum; quia nulla est lex quæ nos obliget, vt in cuiusuis rei vsu semper eius finem primarium intendamus. vt ostendi disput. 25. num. 12. & 13. 8

Dices, matrimonium tunc tantùm ordinari ad vitandum periculum fornicationis, quando hoc aliter euitari non potest. Sed hoc dici nequit. Primò, quia sic vix vnquam liceret matrimonium in hunc finem contrahere, eóve vti: quia ferè semper potest illud periculum aliter euitari. Secundò, quia aliàs quoties non esset spes generationis, coniuges tenerentur sub peccato veniali disiungi toro: tum quia hoc eo casu esset primum & præcipuum medium vitandi periculum incontinentiæ, quam ipsi etiam inter se seruare tenerentur: tum quia, cùm tunc sub peccato veniali tenerentur non petere debitum, tenerentur etiam vitare præsentissimum periculum petendi, quale est in vsu eiusdem tori: vt benè ostendit P. Lessius de Iustitia capit. 4. dub. 15. in fine. quare cùm tunc temporis ad vitandam omnem concupiscentiam, esset moraliter necessaria separatio tori, ad hanc tenerentur. 9 *Lessius.*

CONCLVSIO II. Simili modo licitè coniux vtitur matrimonio quoties sanitati recuperandæ aut conseruandæ, aliíve honesto fini expedit. Ita Almainus in 4. d. 31. quæst. vn. Maior ibid. concluf. 4. Sà v. *Debitum coniugale.* num. 5. Henriquez lib. 11. c. 15. numero 5. Patet ex dictis disputat. 25. num. 11. & seqq. Vbi ostendi, ob finem honestum ei extrinsecum licere inire matrimonium, illúdque consummare. Et confirmatur, quia nulla hîc potest ostendi inordinatio, cùm talis vtatur re in se non mala ad effectum honestum, ad quem naturaliter est proportionata. Confirm. quia, vt docent D. Antonin. 3. p. t. 1. cap. 20. §. 6. Paludan. in 4. d. 31. quæst. 3. artic. 2. casu 5. Angelus v. *Debitum.* num. 27. Rosella ibidem num. 11. Nauar. c. 16. num. 33. & cum aliis Sanchez l. 9. disput. 8. num. 10. coniuges ob iustas causas (vt quia propter paupertatem non possunt plures proles alere) dum vtuntur matrimonio licitè optant eas non nasci, modò nihil faciant, quod earum generationi obstet. quod fieri nullo modo posset, si non possent velle copulam nisi propter generationem. quia non possunt per aliquem actum intendere generationem, & simul optare eam non sequi. 10 *Almain.* *Maior.* *Sà.* *Henriq.* *D. Anton.* *Paludan.* *Angelus.* *Rosella.* *Nauar.* *Sanchez.* *Vtitur matrimonio quandoque licitè optāt non nasci prolem.*

Ad Primum argumentum politum num. 3. Resp. Augustinum, aliosque Patres per similes locutiones tantùm velle esse peccatum veniale, si coniuges copulentur solùm voluptatis causa. Hoc enim significant ea verba, *Concupiscentiæ verò seruandæ*: & quia copula extra intentionem generandi ferè simili modo habetur, ideo quandoque magis generaliter loquuntur. 11 *D. August.*

Ad Secundum Resp. copulam coniugalem non solis illis bonis cohonestari, sed quouis alio fine honesto. Nam aliàs coniux quæ virum suum à se abhorrentem, vt eum ab incontinentia conseruet, ad copulam inuitaret, peccaret venialiter: quia nullum ex his bonis intendit.

Ad Primam confirmationem positam nu. 4. Resp. talem impelli ad copulam non ex concupiscentia voluntaria, sed rationabili desiderio vitandi periculum incontinentiæ, quod sibi ex rebellione partis inferioris nouit aliàs imminere.

Ad Secundam, nego assumptum. quia talis ritè concupiscentiam inordinatam superat, dum intra limites rationis illam continet. Nec talis magis inordinatè vritur copula ad sedandas tentationes carnis, aut conseruandam sanitatem, quàm ad hanc conseruandam vteretur somno, cùm eam alia ratione conseruare posset: quia somnus & magis & diutiùs absorbet rationem quàm copula.

12 CONCLVSIO III. Coniuges peccant venialiter, quando solius voluptatis causa, sine vlla alia rationabili causa vtuntur matrimonio: quia, cùm illa voluptas ita abiiciat mentem hominis, & sit valdè brutalis, omnino indigna est quæ per se appetatur. quare in hoc est aliqua inordinatio: hæc tamen est tantùm venialis: vt docet D. August. citatus num. 3. Quod etiam verum est etsi coniuges vtantur aliquibus cibis ad copulam excitantibus, vt fint potentiores, vt cum multis aliis docet Sanchez lib. 9. disp. 11. num. 5.

D. August.

Sanchez.

DVBIVM II.

Qua ratione coniuges obligentur ad vsum matrimonij sine petendo, sine reddendo debitum?

13 CONCLVS. I. Per se loquendo numquam tenetur coniux petere debitum: quia nemo tenetur vti iure suo, per accidens tamen ex caritate tenetur, si credat aliàs coniugi imminere periculum incontinentiæ, quod petendo possit auertere. Quia quinis tenetur peccatum proximi impedire, & præcipuè personæ ita sibi coniunctæ. Et in hanc conclusionem DD. communiter consentiunt: disputant tamen inter se, an hæc obligatio proueniat ex sola caritate? *Sanchez.* Quidam enim apud Sanchez l. 9. disp. 2. num. 7. putant coniugem tunc teneri petere ex iustitia. Probant Primò, quia ita periclitans moraliter petit debitum. Secundò, quia medicus tenetur adhibere medicinam ægroto, etsi hic non petat: ergo etiam coniux coniugi periclitanti tenetur succurrere, cùm matrimonium sit institutum in remedium concupiscentiæ. Tertiò, quia pertinet ad fidem matrimonij ne coniuges adulterentur: ergo contra eam fidem peccat qui non impedit coniugis adulterium. Quare alij fatentur saltem esse contra fidem coniugalem: atque ita largo modo contra iustitiam.

14 CONCLVSIO II. Nulla hîc videtur obligatio iustitiæ. Primò, quia per matrimonium tantùm traditur alteri dominium corporis, & consequenter ius eo vtendi. Vnde nullo modo sequitur obligatio cogendi illum vt vtatur re sua. Sicut vendẽdo alicui equum obligo me ne impediam quin eo, vbi libuerit, vtatur: nullo tamen modo obligor vt cogam ipsum eo vti, eúmve ad hoc inuitem, etiamsi hoc sit necessarium ad eius vitam seruandam. Secundò, quia nulla est ratio, ex qua eiusmodi obligationem possimus colligere; vt patebit ex solutione argumentorum.

15 Ad Primum, nego assumptum. quia tales communiter positiuè non cupiunt à coniuge ad similia inuitari vt maiorem cum aliis sentiant voluptatem. Nec aliàs teneretur alter tunc petere debitum, etsi crederet coniugi non profuturum: quod aduersarij etiam negant.

Cõtractus matrimonij non obligat directè ad impedicndam coniugis continentiam.

Ad Secundum, nego conseq. quia coniux non suscepit curandum coniugem, nec ad hoc per contractum se obligauit, sed solùm vt reddat petenti debitum. Matrimonium enim non ita institutum est in remedium concupiscentiæ, quasi ipsi coniuges per ipsum se obligent, vt vnus alterius incontinentiæ periculo prospiciat (nam sic vxor peccaret contra iustitiam, si non omnibus quibus potest modis virum auerteret, ne ad ea loca iret, in quibus eius continentia posset periclitari.) sed vt quisque petendo debitum possit concupiscentiæ ardorem in se sedare, & periculum incontinentiæ auertere. His adde, si ægrotus expressè malit mori, quàm certam medicinam sumere, quam scit sibi necessariam; aut sciens velit aliquos noxios cibos sumere: non teneri medicum ex iustitia ei hos cibos eripere, aut illam medicinam ingerere. quare nec coniux ex iustitia potest vllo modo teneri coniugem compellere ad copulam, qua incontinentiam euitet.

Ad Tertium Resp. adulterantem peccare contra fidem matrimonij: non autem omittentem eum retrahere. quia coniuges promiserunt sibi non adulterari: non autem mutua adulteria impedire. Quare innocens non aliter peccat cõtra iustitiam, quàm is cui socius in mercatura fidem violat. Fateor tamen eiusmodi medicum & coniugẽ peccare contra officium boni viri, quod singulariter & medicum & coniugem ad eiusmodi officia ex quadam æquitate obligat: sicut etiam ad alia pericula à coniuge auertenda. Et sic credo intelligendum Sanchium suprà, dum dicit, talem obligari ad petendum debitum ex iustitia latè sumpta: quia scilicet contra officium prudentis coniugis peccat. Nam ad boni coniugis officium pertinet, non modò proprium, sed etiam consortis bonum ac salutem quærere, ac mala auertere. Nullam tamen video maiorem obligationem in hoc peccato, quàm in quouis alio auertendo.

Coniux tenetur aliquo modo ex officio cõiugis incontinentiam impedire si cõmodè possit. Sanchez.

Non tamen aliter quàm ad alia eius peccata impedienda.

CONCLVSIO III. Alter alteri ex iustitia tenetur debitum reddere, quoties hic debitè petit, si ille commodè potest. Patet expressè ex 1. ad Cor. 7. vbi iubentur coniuges mutuò reddere debitum. quia neuter proprij corporis potestatem habet, sed mulier viri & contrà. Petitio tamen hęc debet esse moderata. aliàs nimia esset alterius seruitus: nec quisquam ad nimis importunam ac immoderatam redditionem censetur se obligasse. 16 *1. Cor. 7.*

Vnde patet, esse peccatum mortale absolutè negare debitum coniugi id rationabiliter & seriò exigenti: quia materia est grauis. Secùs est si solùm precibus, vel aliqua tergiuersatione alter eum auerteret, nec petens id multùm ægrè ferret: quia tunc vel nulla, vel leuis fit iniuria. Suadendum tamen omnino coniugibus, vt faciles se in hac re ostendant, ne sua morositate animum coniugis à se ad amores illicitos auertant. 17 *Negans debitum graviter peccat.* *Debent coniuges in eo esse faciles.*

Nota hæc vera esse, etsi coniux tantùm implicitè petat, præsertim fœmina, quam ob verecundiam communiter pudet explicitè petere. Quare vir tenetur ei reddere, quoties ex signis aduertit id eam petere: vt cum D. Thoma in 4. d. 32. q. vn. a. 2. q. 1. ad 1. communiter DD. fatentur. *D. Thom.*

Sequitur Secundò, virum peccare, si mediis etiam aliàs licitis, v. c. longis ieiuniis, ac pœnitentiis, inuita vxore reddat se notabiliter impotentem ad reddendum debitum. quia nemo potest se efficere impotentem ad id, ad quod tenetur. Vnde posset etiã præcepta ieiunia non obseruare, quoties id necessarium est, ne ita fiat impotẽs, vt coniugi moderatè petenti non possit satisfacere. quia lex iustitiæ qua vxori tenetur, eũ magis obligat, quàm præceptũ Ecclesiasticũ. Secùs esset si tantùm redderetur minùs potens, modò vxori moderatè petenti posset satisfacere quantum ratio spectata eius necessitate postulat; nec enim hæc ad aliud habet ius. Ita Nau. c. 21. n. 16. Armilla v. *Ieiunium.* n. 4. Sà ibid. n. 9. Caiet. ibid. c. 3. §. *Excusantur infirmi.* Valentia 2. 2. disp. 9. q. 2. puncto 50. §. *Necessitas excusans,* & cum aliis Sanchez l. 9. disp. 3. n. 10. additque nu. 11. vxorem etiam excusari à ieiunio, si per id efficiatur notabiliter deformior, ita vt sit periculum, ne vir minus quàm par est, eam amet aliásve ei præferat. 18 *Peccat qui reddit se impotentem reddere.* *Quando coniuges excusentur à ieiunio.* *Nauar. Armilla. Sà. Caietan. Valentia. Sanchez.*

19 Sequitur Tertiò, teneri coniuges ad mutuam cohabitationem, nec alterum ab altero inuito sine necessitate posse diu abesse: vt si vir relicta vxore velit longas peregrinationes suscipere. quia hoc impedit omnino vsum matrimonij. Secùs si coniux consentiat, aut necessitas id exigat. Nec enim vir debet aut permittere, vt res domesticæ pereant, aut officium suum omnino negligere, vt vxori satisfaciat: aut eam cum magnis molestiis & sumptibus quocumque tendit secum ducere. Paruas autem peregrinationes inuita vxore potest pro sua voluntate suscipere; non tamen hæc illo inuito. quia ille est caput, & ad eum spectat se ac vxorem regere. Pater ex communi omnium sensu ac vsu, qui optimus est huius obligationis interpres. Vide Sanchez suprà disp. 4. vbi hæc fusissimè & doctissimè disputat.

Qua ratione vnus sine alterius consensu possit peregrinari.

Sanchez.

DVBIVM III.

Quænam excusent à debito reddendo?

20 CONCLVS. I. Quando coniux non potest reddere debitum sine notabili periculo salutis corporalis, ad id non tenetur. quia nec communiter humani *contractus*, nec alia debita cum tanto incommodo obligant. Imò tunc communiter reddere vel petere esset graue peccatum, siue petenti, siue reddenti hoc periculum immineat. quia non sumus domini nostri corporis, nec possumus illud euidenti periculo sine graui necessitate exponere. Hæc conclusio communiter admittitur, quamuis ab aliquibus cum aliqua limitatione.

21 Excipiunt igitur aliqui Primò, quando petenti aliàs immineret graue periculum incontinentiæ, quia tenemur proximo constituto in periculo salutis spiritualis cum damno corporali succurrere. Sed etsi tale periculum sæpè efficiat, vt laudabile sit tunc reddere debitum; non tamen ad hoc obligat cum tanto incommodo. quia non tenemur vitam exponere pro salute proximi, nisi sit in extrema necessitate, in qua talis non est: cùm in eius sit potestate periculum alia ratione superare. Confirm. quia ne Pastor quidem (cui tamen singulariter incumbit suorum salutem procurare) tenetur cum vitæ periculo alicuius priuati peccatum impedire. Sanchez l.9.disp.24.n.12.

Coniux nõ tenetur alterius incõtinentiã impedire cum graui sũo periculo.

Sanchez.

22 Excipiunt alij Secundò, nisi periculum illud sit perpetuum, aut valdè diuturnum, ob c.2. de coniugio leprosorum. Vbi dicitur, coniugẽ sanam teneri leproso reddere debitum, quod tamen non videtur posse fieri sine periculo. Sed hoc caput intelligendum est, quando lepra non est contagiosa: secùs quando contagiosa est. Etsi enim coniuges tunc possint contempto periculo vti coniugio: quia non tenentur conseruare sanitatem cum tam molesta, longa, ac periculosa lucta contra stimulos carnis; non tamen ad vsum matrimonij obligantur. Vide Durand. in 4. d. 32. q. 1. Victoriam in Summa n.275. Per. Soto lect. 16. de matrimon. §. *Sunt etiam præter hæc.* Siluest. v. *Debitum.* q. 1. Henriq. l.11.c.5.n.7. Sanchez l.9. disp.24.n.17. vsque ad 23. & patent hæc apertè ex c.1.eod.titul. vbi dicitur, tali casu sanum exhortandum esse vt maritali affectu coniugi adhæreat: si autem noluerit, præcipiendum vt continentiam seruet dum alter vixerit. quia non potest ad alias nuptias conuolare. Vbi apertè insinuatur tali quidem licere vti matrimonio, ad hoc tamen non teneri.

c.2.de coniug.leprof.

Coniuges quandoque possunt vti matrimonio etsi periculo salutis corporalis, non tamen tenentur. *Durand. Victoria. Petrus Sot. Siluester. Henriq. Sanchez. c.2.de coniug.leprof.*

23 CONCLVSIO II. Excusat etiam legitima remissio huius obligationis: vt si coniuges mutuo consensu castitatem absolutam vouerint, renuntiantes iuri petendi. Item diuortium legitimè celebratum. de quo agemus disp.vlt.

CONCLVSIO III. Nullo modo excusat excommunicatio vnius vel vtriusque coniugis, quin vnus alteri omnia coniugalia obsequia debeat sicut priùs. Patet ex c. *Inter alia.* de sent. excommun. & ex dictis disp. 14.n.125. & seq.

c. Inter.

CONCLVSIO IV. Nec etiam licet negare debitum ne plures proles nascantur. Cùm enim matrimonium sit institutum ad generationem, absurdissimum est aliquem ab eius obligatione eximi ne generatio sequatur. Quidam tamen docent, quando non est incontinentiæ periculum, licitè negari debitum, ne plures nascantur proles, quàm parentes possint alere. quia solutio aliorum debitorum non obligat cum tanto incommodo: ergo nec huius. Ita Sotus in 4.d. 32.ar. 1. Sed credo in rigore contrarium verius: cùm ob causam suprà allatam, quę etiam in hoc casu vrget: tum etiam quia ius quod habeat coniux in alterius corpus, cùm sit maximi momenti, videtur prævalere illi incommodo. Adde, vix *contingere*, vt vtenti eodem toro coniugi, & petenti debitum non sit periculum incontinentiæ, si hoc ei diu negetur. Hoc tamen certum est, in vtroque casu posse coniuges ex mutuo consensu seruare continentiam. quia non tenentur ad vsum matrimonij, modò non sit iis periculum incontinentiæ. 24

Sotus.

DVBIVM IV.

Vtrùm quoties coniux peccat petendo debitum, alter peccet ex reddendo?

25 QVidam id generaliter affirmant. Primò, quia non licet alieno peccato aut cooperari, aut consentire: atqui ita reddens debitum hoc faceret: ergo peccaret. Secundò, quia non licet mihi alicui repetenti suum proprium gladium, eum reddere, quando seipsum vel alium eo vult occidere: ergo nec coniux potest tali reddere debitum, cùm petens per eum actum suam animam occidat.

Abulensis autem in c.5.Matt.q.224. vult eam sententiam tunc saltem esse veram, quando petens peccat contra ius diuinum, vel naturæ: secùs quando solùm peccat contra ius Ecclesiasticum.

Abulensis.

26 Nota, ex duplici capite posse *contingere* vt petens debitum peccet. Primò, ratione ipsius externi actus, qui ratione alicuius circumstantiæ in se hîc & nunc illicitus est. Vt si sine necessitate petat debitum in loco sacro: aut quando copula est grauiter noxia alterutri coniugi, aut proli iam conceptæ.

Secundò, solùm ratione alicuius circumstantiæ, quę non afficiat ipsum actum externum secundùm se, sed solam personam exigentis: vt quia hæc vouit continentiam, aut ex malo fine petit debitum, &c. quo casu actus externus secundùm omnes circũstantias quæ ipsũ secundùm se afficiunt, manet alteri parti licitus.

27 CONCLVS. I. Quando copula ex priore capite illicitè petitur, non licet coniugi eam reddere. Per se patet, quia, cùm externa copula tunc sit verum peccatum, à neutro potest licitè exerceri.

Excipe casum, quo copula solùm esset illicita ratione alicuius indecentiæ aut loci aut tẽporis, aut ratione alicuius periculi, præsertim non ita notabilis, quod inde coniugibus, aut proli immineret: & is à quo ea petitur, non posset eam sine grauioris incommodi periculo negare. Tunc enim hic licitè eam admitteret, quia non tenetur vitare minus malum cum periculo maioris: nec ipse censetur causa alicuius irreuerẽtiæ, quæ aut loco, aut tempori sacro ex alterius parte fit, nec etiam periculi, quod inde fortè alicui creatur. Quia nemo cẽsetur causa alicuius mali, quod per accidens ex eius actione sequitur, nisi ipse teneatur hoc vitare. Talis autẽ hoc casu non tenetur hæc mala cum tanto incommodo vitare. Sicut mulier grauida

Non censeris causa mali, quod non teneris vitare.

licitè sumit pharmacum saluti suæ necessarium, etsi per accidens proli aliquod periculum inde creetur modò non sit periculum;ne iam animata ante baptismum moriatur. Et coniuges longo tempore inclusi loco sacro, vt euitent incontinentiam licitè vtuntur matrimonio; vt cum pluribus docui tom.1.q.83. Secùs autem esset quando copula vtrique coniugi absolutè esset illicita: vt si incerti de matrimonij valore, id contraxissent,& adhuc essent dubij: aut si vterque cum mutuo consensu castitatem vouisset. Tunc enim iis potiùs esset moriendum, quàm matrimonio vtendum. sicut innupta habens votum castitatis potiùs deberet mori quàm nubere.

28 CONCLVS. II. Quando exigens debitum solùm peccat ex secundo capite, alter communiter licitè id reddit. Ita Petr. Soto lect.16.de matr.in fine, Conarr. 4.decret. p. 2. c. 3.§.1. n. 6. Angelus v. *Matrimonium.* 3.impedimento 5.n.5. Henriquez l.11. de matrim. c. 15.n.8.& cum multis aliis Sanch.l.9.disp.6. n.7. Probatur, quia hæc actio huic coniugi secundùm se est licita, nec vlla est ratio cur ex parte ipsius reddatur illicita:vt patebit ex solutione argumentorum.

Petrus Sot. Conarr. Angelus. Henriq. Sanchez.

Limitant aliqui hanc conclusionem, vt sit solùm vera quando coniux tenetur alteri pe ti debitum reddere. sed ratio nostra conclusionem generatim probat. quare generatim eam asserit Sanchez suprà num.12.

Sanchez.

29 Ad Primum argumentum positum n.25. nego minorem. quia reddens debitum non potest dici consentire in alterius peccatum, cùm placeat ipsum peccare,nec hoc impedire possit sine grauiore malo.Nam internam alterius volitionem, in qua præcipua ratio peccati cõsistit,impedire non potest, sed vt summum actum externum,idque cum periculo grauis odij, ac ne exigens cõtra naturam,aut cũ aliis peccet.Quamquam autem cooperetur externæ actioni in qua alter etiam peccat; non tamen ei cooperatur quà peccatum est. nam nullo modo est alteri causa, cur aut debitum exigat, aut tali animo exigat: sed solùm ei cooperatur quatenus est actio sibi licita. Sicut ex iusta causa accipiens mutuum ab vsurario illud dante ad vsuram,vel accipiens eleemosynam ab eo qui malo animo eam dat, nullo modo censetur illorum peccato cooperari.

Potes quã. doque sine peccato alterius peccato cooperari.

30 Ad Secundum Resp. antecedens non esse generaliter verum. Fallit enim quoties ex negatione talis gladij meritò timerentur grauiora mala, quàm ex redditione.sicut communiter fit in negatione redditionis debiti: ideóque communiter etiam hæc redditio in casu conclusionis licita est. Quòd si tamen contingeret coniugem sine graui incommodo posse negare debitum,& speraret fore vt hac ratione efficeret, vt alter in posterum ab eiusmodi petitione desisteret,ad hoc ex caritate teneretur.quia tenetur alterius peccatum, cùm commodè potest, impedire; sed hoc rarò fit. Quare tali coniugi potiùs suadendum, vt quoties credit esse periculum ne alter petat, ipsum petendo præueniat,vt hoc modo illius peccatum euiter. Hoc tamen honestis matronis, quæ innata verecundia à tali petitione valdè deterrentur, sæpè esset valdè graue. quare non credo ad hoc teneri, præsertim vt explicitè petant.

Quando possim alteri rem suam repetenti eam negare.

31 CONCLVSIO III.Coniux à quo alter dicto modo illicitè exigit debitum,nõ solùm potest,sed etiam tenetur ei reddere debitum. Ita tenent Doctores citati pro secunda cõclusione. Prob.quia per hoc quòd aliquis v.c. vouit castitatem,non amisit dominium in cõrpus suæ coniugis, nec hæc soluitur obligatione reddendi debiti: quare tenetur id exigenti reddere,sicut teneor Petro eam poscenti reddere suam pecuniam,etsi eam petat vt vsuram exerceat, aut in computationibus insumat,quia ipsius mala voluntas non dat mihi ius ei negandi,quod suum est:nisi fortè paulùm differendo solutionem, possem sine notabili incommodo ipsius peccatum omnino impedire. tunc enim ad hoc tenerer iuxta dicta in fine concl.2.vt benè docet P.Lessius de Iustitia c.16.dub.4.

Lessius.

DVBIVM V.

Quo ratione votum castitatis impediat vsum matrimonij, si ante eiusdem contractum aut consummationem emittatur?

NOta,hæc vota posse emitti vel ab altero coniuge tantùm, vel ab vtroque. item vel antequam matrimonium ineatur,vel postea. item potest fieri vt vnus coniugum voueat castitatem aut Religionem altero ignorante, aut inuito: vel contrà ipso consentiente,vel etiam iuri suo renuntiante.Et similiter potest vterque vouere per se separatim independenter ab altero, vel cum mutuo pacto ac consensu. Vnde patet varios hîc esse casus, ad quos varij variè respondent. Omnes autem sigillatim partim hîc, partim sequentibus dubiis exponemus:ita tamen vt eos in quibus & minor est difficultas, & Doctores ferè consentiunt breuiter perstringamus. 32

CONCLVSIO I. Contrahentes matrimonium post votum castitatis,communiter grauiter peccant: atq; adeò semper,si id faciant animo consummandi. quia hoc eorum voto apertè repugnat. Vide dicta disp.23. dub.3.& disp.30. n.38. Tales autem tenentur seruare castitatem, quantum possunt. quare numquam possunt petere debitum: nec etiam secundùm multos primo bimestri reddere. quia ad hoc non tenentur. Probabilius tamen puto eos tunc teneri reddere, nisi cogitent de Religione ingredienda. Vide dicta disp. 26. num. 46. Elapso autem illo bimestri certum est inter omnes tali voto obligatum teneri reddere debitum, nisi velit statim Religionem ingredi. 33

Sed difficultas est, Vtrùm talis teneatur ingredi Religionem,vt possit votum suum seruare? D. Thomas in 4. d. 38. qu.1. ar.3. quæstiunc. 2. ad 3. Scotus ibid.q.vn.sub finem. Pet. Soto l.5. de matrim. §. vlt. Rosella v. *Impedimentum*, impedimento 4. nu. 10. Armilla v. *Matrimonium.* num. 55. Siluester v. *Matrimonium.* 7.q.5. dicto 2.Nauar.c. 22. nu. 73. & multi alij affirmant eum teneri. Ratio præcipua est, quia talis ante matrimonium tenebatur absolutè seruare castitatem, nec per suum scelus, quo matrimonium contraxit, potuit se illa obligatione eximere:ergo etiam postea tenetur seruare castitatem quantum potest:atqui potest eam absolutè seruare ingrediendo Religionem:ergo ad hoc tenetur.Et tam hæc ratio,quàm Doctorum auctoritas facit hanc sententiam valdè probabilem, præsertim ante definitionem Ioannis XXII. infrà citandam. 34

D. Thom. Scotus. Petrus Sot. Rosella. Armilla. Siluester. Nauar.

Ioan. 22.

CONCLVS. II. Probabilius est eum, qui post votum castitatis cõtraxit matrimonium,non teneri ingredi Religionem, sed posse illud reddendo debitum consummare.Ita Henriq.l.12.c.2.nu.8.Sà v. *Matrimonium.* de impedimentis dirimentibus,nu.3. Lessius de Iustitia c.46.dub.5.a.52.Sotus in 4.d. 38. q. 2.art.1.§. *Quid autem:medij.*& cum aliis Sanchez.l.9.disp.34.n. 3.Hæc conclusio apertè colligitur ex Extrau. Ioannis XXII. *Antiquæ concertationi.* vbi Pontifex decernit eum, qui post contractum matrimonium ante consummationem inuita vxore fuerat ordinatus sacerdos, inducendum quidem vt Religionem ingrediatur, nolentem autem ingredi compellendum vt petẽte sponsa matrimonium consummet: cùm tamen talis suscipiendo Ordinem, obligarit se voto castitatis. Et ratio est, quia, cùm talis non vouerit ingredi Religionem, non est ad hoc cogendus, vt possit seruare castitatem. 35

Henriq. Sà. Lessius. Sotus. Sanchez. Ioan. 22.

castitatem. quia vt huius voto satisfaciat non tenetur suscipere medium tam arduum, ac difficilius re ipsa quam vouit. Sicut si quis habitans Romæ vouisset peregrinationem ad Virginem Lauretanam, etsi transferendo ante impletionem voti domicilium in Indias peccaret, tamen hoc facto non obligaretur voto. Ex quo patet responsio ad argumentum contrarium.

36 CONCLVSIO III. Qui contracto matrimonio ante eius consummationem vouit absolutè castitatem, si non recordabatur se non posse votum implere nisi ingrediendo Religionem, ad hoc non tenetur. Patet ex dictis. quia hic est expressè casus. Extrauag. citatæ, quòd si tunc recordabatur se non posse aliter implere votum, tenetur ante consummationem Religionē ingredi. quia hoc implicitè vouit. Sicut enim quicumque rem aliquam seriò vult, implicitè vult ea omnia quæ scit esse necessaria ad eius consecutionem; ita quicumque rem aliquam seriò vouet, implicitè vouet ea omnia, quæ scit esse necessaria ad voti impletionem. alioqui sciens vellet simul incompossibilia. quod fieri nequit: aut Deum rideret vouendo ei aliquid eo modo quo impossibile est fieri. sicut si vouerem ire ad limina Apostolorum, ea tamen conditione vt domo non discederē. Vnde patet talem peccare quacunque ratione consummando matrimonii, quia reddit se impotentem ad implēdum votum.

Voueas aliquid censetur vouere media, quæ nouit ad hoc necessaria.

37 CONCLVSIO IV. Qui siue ante matrimonium initum, siue ante eius consummationem vouit absolutè castitatem, & postea matrimonium consummat, siue in hoc peccarit, siue non; tenetur coniugi petenti debitum reddere. quia ipsa ad hoc habet ius, vt omnes fatentur. ea tamen mortua, aut consentiente, aut adulterante, tenetur absolutam seruare castitatem. quia, cùm nunc amplius non teneatur coniugi reddere debitum, possibile est ei absolutè seruare votum, atque adeò ad hoc tenetur. quare non poterit adulteram quantumcumque pœnitentem ad suum torum admittere. quia hoc voto ipsius repugnat. Quò si tamen ei fuerit reconciliatus ius deperditum ei reddendo, sacrilegè quidem, validè tamen id faciet: & consequenter tenebitur ei in posterum reddere debitum, vt omnes fatentur.

DVBIVM VI.

Ad quid obligentur coniuges, qui post matrimonium consummatum vouerunt castitatem?

38 DIfficultas præcipua est, quando vnus eam vouet sine alterius consensu. Quidam enim dicunt tale votum esse irritum, præsertim quando vir vouet. quia hoc cedit in graue vxoris præiudicium, cui ob innatam verecundiam graue est, si semper debeat petere, quoties matrimonij vsum appetit. Ita D. Thomas in 4. d. 32. qu. vnica a. 4. ad 3. Paludan. ibidem d. 38. q. 3. ar. 5. concl. 4. in fin. Petrus Soto lect. 16. de matrimonio, §. *Vltimò tandem.*

D. Thom. *Paludan.* *Petrus Soto.*

39 CONCLVSIO I. Validè & licitè coniuges matrimonio iam consummato ex mutuo consensu vouent castitatem: & tunc nec possunt reddere, nec petere debitum. quia vtrumque tunc ex mutuo consensu vouent. Hæc communiter à Doctoribus recepta est. & patet ex vsu Ecclesiæ, & epistola D. Augustini 199. ad Ecditiam. Vnde sequitur, tales coniuges omnino toto separandos esse ob periculum incontinentiæ, quòd aliàs incurrerent.

D. Augus.

40 CONCLVS. II. Vnus coniux sine consensu alterius validè vouet castitatem. in quantum hoc cedit in præiudicium suum; inualidè tamen, prout cedit in præiudicium alterius coniugis. quare talis eo voto obligatur non petere: quia ad petendum nullo modo obligatur, vt ostendi dub. 2. num. 14. tenetur tamen reddere quoties coniux hoc etiam tacitè per aliqua signa petit. Ita Sotus lib. 7. de Iustitia quæst. 3. a. 1. v. *Quod si contra.* Henriquez l. 11. cap. 15. nu. 8. Rosella v. *Votum.* 2. nu. 10. Angelus v. *Matrimonium.* 4. nu. 6. Siluester v. *Votum.* 4. q. 2. dicto 4. Nauar. c. 12. n. 60. in fine, quamuis ibi non satis constanter loquatur. Lessius de Iustitia c. 40. n. 99. & multi alij, quos citat & sequitur Sanchius l. 9. disp. 35. nu. 25. Et videtur expressè definitum c. *Quidam.* 3. &c. *Placet.* 12. de conuersione coniugatorum. Quod si tamē talis intendat vouere absolutam omnino castitatem, qua obligetur etiam ad non reddendum, idque per modum rei indiuisibilis, ita vt nolit se obligare ad vnam solam partem, inualidè id facit. quia hoc illi impossibile est.

Sotus. *Henriq.* *Rosella.* *Angelus.* *Siluester.* *Nauar.* *Lessius.* *Sanchez.* *c. Quidam.* *c. Placet.*

Ex his aliqui inferunt Primò, talem præcisè vouere non petere, nullo autem modo non reddere: ideoque aiunt ipsum adulteranti coniugi posse reconciliari, ac petenti debitum reddere: quia hoc ipsius voto non repugnat. Addunt tamen eum mortua coniuge non posse aliam ducere, vt habetur cap. *Quidam.* citato. quia scilicet talis obligauit se voto castitatis quantum potuit. potuit autem se obligare, vt coniuge mortua aliam non duceret. 41

c. Quidam.

Sed hæc non satis capio. Si enim talis se obligauit voto quantum potuit, cùm potuerit se obligare ad non reddendum debitum coniugi adulteranti, ad hoc verè obligabitur. Si verò nullo modo se obligauit ad non reddendum debitum, sicut tunc poterit adulteræ coniugi reconciliari cum animo reddendi debitum, & numquam petendi: ita ea mortua poterit eadem intentione aliam ducere. Nec enim vllam hîc video rationem diuersitatis.

Quare hac in re credo dicendum Primò, si talis dum vouit, intenderit saltem implicitè obligare se ad absolutam castitatem, posito quòd siue per adulterium coniugis, siue per eius mortem, aut quacumque alia ratione hæc ei esset licita: nec potest adulteræ coniugi reconciliari; nec ea mortua aliam ducere. per se patet, & omnes concedunt. 42

Coniux vouens castitatem non potest adulteranti coniugi reconciliari.

Secundò, videtur communiter ita vouisse quicumque ex sincero amore castitatis eam vouet, nisi expressè contrarium intendat. Nam cùm talis ita amet castitatem, vt velit se ad eam, quantum potest, seruandam obligare quando hoc ei difficillimum est ob communem vsum tori: quantò magis intendit se obligare, vt eam integrè seruet, accidente casu, quo hoc facilius longè poterit? contrarium tamen probabile ob rationes & auctoritatem eorum quos citat Sanchez l. 9. disp. 35. n. 26.

Sanchez.

Tertiò, si talis expressè solùm intenderet eam vouere quatenus pro eo statu eam potest seruare, nullo modo obligaret se ad seruandam castitatem, quatenus repugnat præcisè redditioni debiti, etiam eo casu quo ei esset licitum non reddere. vt benè docet Sanchez suprà. Quare credo talem per se loquendo non peccare contra votum si adulteræ reconcilietur, aut coniuge mortua aliam ducat, modò vtrumque ea intentione faciat, vt numquam debitum petat, sed solùm reddat: quia nullo modo vouit non reddere. Sanchez sup. n. 22. Per accidens tamen communiter peccaret. quia obligando se vt cum persona diuersi sexus semper eodem toro vtatur, exponeret se graui periculo sæpè petendi debitum, aut saltem appetendi concubitum: quod repugnat ipsius voto. 43

Sanchez. Vouēs non petere an peccet coniuge mortua aliam ducendo. *Sanchez.*

Inferunt alij Secundò, coniugem qui ita castitatem vouit, posse nihilominus petere debitum non in gratiam sui, sed coniugis, quoties credit hanc petituram, nisi pudore præpediretur. Confirm. quia cùm in solius coniugis gratiam petat, potiùs reddit quàm petat, aliàs eius votum cederet in præiudicium coniugis, cui esset onerosum semper petere. Ita Victoria in Summa num. 293. Sotus in 4. d. 37. ar. 2. concluſ. 2. 44

Victoria. *Sotus.*

Siluester. Angelus. Rosella.

v. *Debet autem pœnæ.* Siluester v. *Matrimonium.* 7. q. 5. dicto 4. Angelus. v. *Matrimonium.* 4. n. 6. Rosella v. *Impedimentum.* impedim. 4. num. 7. in fine, & multi alij.

Loquuntur autem hi auctores in casu quo vxor nullo signo suum desiderium indicat. nam si hoc aliqua ratione indicaret, tunc verè peteret debitum, nec esset dubium, quin alter teneretur reddere. Excipiunt tamen casum quo coniux in alterius votum consensisset. quia tunc censeretur cessisse suo iure, quod habet vt alter quandoque in sui gratiam debitum petat.

45 Vnde vlteriùs inferunt Tertiò, talem coniugem teneri ab altero petere debitú, quoties aduertit huius continentiam periclitari, & credit per eam petitionem periculum impediendum, etsi sciat periclitárem non appetere suum concubitum. Imò quidam aiunt verum hoc esse, etiam eo casu quo talis vouisset continentiam cum consensu coniugis; quia nec illius votum obligat cum periculo incontinentiæ cóiugis, nec hæc potuit consentire ne alter teneatur eam ab incontinentia reuocare. Et quamuis præcedente corollario loquantur ferè de casu quo vir continentiam vouit. quia quando mulier eam vouit vix potest habere locum, cùm vix vnquam accidat, vt vir præ pudore impediatur petere debitum; in hoc tamen casu parem vtriusque aiunt esse rationem. & meritò: quia tam potest viri continentia periclitari, quàm vxoris.

46 Inferunt Quartò, quando vterque sine mutuo consensu separatim vouit castitatem, posse nihilominus vnum petere debitum, quando in altero periculum incontinentiæ aduertit, aut coniicit eum perituru debitum, nisi propter votum impediretur. quia, cùm in gratiam solius coniugis petat, magis reddit quàm petat. Ita Angelus v. *Matrimonium.* 3. impedimento n. 5. & Rosella v. *Impedimentum.* 4. num. 7. & quidam alij viri docti.

Angelus. Rosella.

47 Quamuis autem ob grauium Doctorum auctoritatem, non ausim omnino negare hæc esse probabilia, tamen non video quo fundamento nitantur, præsertim corollarium 2. & 4. posita n. 44. & 46. quia coniux per illud votum obligauit se ad seruandam castitatem quantum posset sine præiudicio vxoris: atqui in nullum præiudicium vxoris cedit, si tunc temporis non petat debitum. quia, vt ex communi sententia ostendi n. 13. coniuges non obligant se ad petendum debitum, sed ad reddendum: ergo tenetur non petere, sed castitatem seruare.

Coniux valide aliqua vouet quæ alteri non nihil molesta sint,

Nec refert quòd virum tunc non petere debitum, sit aliquantum graue vxori: quia hoc sibi non autem viro imputare debet, qui non tenetur ab ea amouere, quidquid ei aliqua ratione onerosum est. nam aliàs nec posset petere debitum, quando hoc coniugi ob aliquam corporis dispositionem esset nonnihil onerosum, nec ad sua negocia proficisci, aut breues aliquas peregrinationes suscipere, quoties crederet suam absentiam fore coniugi molestam, quæ interim fortè expetet matrimonij vsum. quæ absurda sunt. Sicut igitur qui vouisset aliquot dierum peregrinationem, non posset eam omittere eò quòd esset aliquantulum futura molesta vxori: sic nec potest omittere seruationem voti castitatis non petendo debitum, etsi hoc molestum sit vxori. Confirm. quia vir contrahendo matrimonium obligauit se vt eodem toro vtatur cum vxore, non autem vt petat debitum: & consequenter illa habet ius ad illud, non autem ad hoc. Si igitur illo non obstante vir voti implendi causa teneatur se quandoque ad tempus ab eius toro peregrinando separare; quanto magis tenebitur non petere debitum, vt votum suum impleat?

48 Ad argumentum positum n. 44. pro contraria parte, eiúsque confirmationem, nego vtrumque assumptum. Nam vbi nullum est debitum, ibi non potest esse redditio debiti, sed opus supererogationis: coniux autem nullam habet ius, vt alter debitum petat. Item non possum tuo iuri præiudicare, quando nullum habes: vxor autem nullum habet ius, vt vir debitum petat. Sunt autem hæc multò clariora in casu posito num. 46. quando vterque continentiam vouit. quia, cùm tunc neuter possit petere debitum, & vnus apertè nolit petere debitum ne petendo peccet, alter nullo modo potest præsumere illum petere, aut tamquam petenti reddere.

Nota tamen, obligatum voto castitatis debere cauere ne det coniugi aliquam occasionem cur à petendo deterreatur. quia hac ratione contra ius iustius faceret. Item omnino consulendum esse vt vir coniugi aperiat se non posse petere debitum, eámque hortetur, vt quoties placuerit, liberè petat, & hac ratione in plena libertate eam constituat.

49 Obligatus voto castitatis malè petit debitum vt cõiugis incõtinentiam viter. Tenetur magis vitare periculum peccati in nobis quàm in aliis.

Facilius fortè posset admitti, obligatum voto castitatis posse petere debitum, quando hoc credit necessarium, vt coniugem periculo incontinentiæ eripiat. Contrarium tamen etiam in hoc casu, cum aliis viris doctis, quos consului, puto probabilius. quia talis teneatur integrè seruare suum votum, quatenus id facere potest, saluo omni iure coniugis. atqui hæc nullum habet ius, vt alter eo casu debitum petat vt ostendi n. 14. ergo tenetur non petere vt votum integrius seruet. Confirm. quia quisque magis tenetur vitare periculum propriæ incontinentiæ quàm alienæ: atqui talis ob nullum proprium periculum incontinentiæ liberatur obligatione voti: ergo nec ob alienum.

50 Respondent aliqui esse diuersam rationem. quia est in potestate vouentis vitare propriam incontinẽtiam, non tamen alienam. Sed contrà Primò, quisque non modò tenetur vitare propriam incontinentiam, sed etiam periculum incontinentiæ, in quo grauissimo talis versatur. Difficillimum enim est aliquem cogi, vt continuò cum coniuge dormiat, & tamen nunquam possit eius vsum appetere, præsertim quando hæc vix vnquam toto anno debitum petit. quod sæpè in fœminis contingit. Nec ipse magis habet in sua potestate vitare hoc proprium periculum quàm coniugis, cùm nequeat huius torum deserere: eiúsque causa est longè fauorabilior, vt qui non ex malitia, sed ex necessitate huic periculo subiacet. Cùm igitur talis teneatur seruare votum castitatis non obstante proprio periculo tenebitur etiam non obstante periculo coniugis. Secundò, quia inde sequeretur, eos, qui mutuo consensu vouissent castitatem, & iam solùm vt frater & soror simul viuerent, teneri petere à se mutuò debitum, quoties vnus crederet hoc esse necessarium, vt alterum ab incontinentia auerteret.

Item quòd is, qui quantum posset ex parte sua vouisset castitatem, posset nihilominùs à coniuge adultera petere debitum, quando videret hoc esse necessarium, vt ipsam ab vlteriore incontinentia auerteret, præsertim si cum ea solo toro separata adhuc cohabitaret. Quia etiam in his casibus valeret argumentum allatum n. 45. scilicet, Non obligat votum vnius coniugis, cum periculo incontinentiæ alterius. Ex quibus patet hoc esse negandum: cum quæ inde sequuntur clarè absurda sint.

51 Coniux cõmuniter imprudenter vouet non petere debitum.

Hinc sequitur Primò, imprudenter communiter facere coniuges vouendo castitatem, siue non petere debitum, nisi id faciant communi consensu, & à se mutuo toro separentur, & vlteriùs ex aliqua experientia sufficienter coniiciant, sibi non imminere notabile periculum incontinentiæ. quia aliàs ex continuata & frequenti occasione graue periculum frangendi voti iis perpetuò imminet. vt bene notat P. Lessius de Iustitia c. 40. dub. 15. in fine.

Lessius.

52 Sequitur Secundò, eum qui vouit castitatem, nec

potest

Cõiugi in tali casu cõmuniter petenda est dispẽsatio.

potest à coniuge toro separari, communiter teneri petere dispensationem, quia communiter ipsi,& aliquando etiam coniugi inde graue periculum immineat: nisi fortè & ipse per se esset auersus ab actu venereo, ita vt non immineret illi ex parte sua vllum periculum, & coniux esset eius conditionis, vt non esset ei notabiliter difficile debitum petere,quoties id appeteret. quæ faciliùs accidèrent, quando fœmina, quàm quando vir vouisset.

53 Conclvsio III. Quando vnus coniux vouit castitatem altero consentiente,si consentiens non renuntiarit iuri petendi,& hic potest licitè petere,& vouens tenetur reddere. Patet ex dictis. Secùs esset si alter renuntiasset iuri petendi , quod censetur facere, quando parti dat potestatem vouendi absoluram castitatem. quia hoc fieri nequit nisi vouens se obliget ad non reddendum debitum , & consequenter nisi alter cedat iure petendi : vt per se patet, tales tamen ob periculum incontinentiæ necessariò toro separandi sunt,iuxta dicta. Idémque dicendum quando vterque communi consensu continentiam vouet, vt omnes fatentur. Tunc enim neuter potest petere aut reddere. quia iuri suo renuntiant. Vide P. Lessium de Iustitia c.40. dub.15.& c.41.dub.6.

Dans coniugi facultatem vouendi absolutam castitatis censetur renũciare iuri petendi.

Lessius.

DVBIVM VII.

Ad quid obligentur coniuges qui vouerunt Religionem ingredi, sacros Ordines suscipere, aut nunquam contrahere matrimonium?

54 Conclvs. I. Qui post votum suscipiendi sacros Ordines contrahit matrimonium, extra casum quo ab honesta sub matrimonij promissione cũ periculo infamiæ obtinuit copulam (de quo vide dicta disp.23.num.24)communiter peccat mortaliter, maximè si id faciat animo consummandi. quia hoc apertè repugnat ipsius voto.nam consummando redit se impotentem illud implere. Vide dicta suprà n. 32.& disp.23.dub.3. & disp. 30. nu. 28. Non tenetur tamen Religionem ingredi, vt possit votum seruare: vt ostendi hac disp. n. 34. quare potest & petere, & reddere debitum. quia, cùm non vouerit castitatem, hoc ipsius voto non repugnat. Mortua tamen coniuge,vel adulterante,vel vouente Religionem ingredi, siue ante consummatum matrimonium, siue post, tenetur votum implere. quia hoc tunc in ipsius est potestate,iuxta dicta in simili n.36. Idémque est dicendum de eo, qui vouet numquam contrahere matrimonium. Hoc solo excepto , quòd hic vxori adulteranti licitè reconcilietur. quia hoc non repugnat voto: ea tamen mortua non potest aliam ducere.

Ad quid obliget votum non nubendi.

55 Conclvsio II. Eodem modo peccat, qui post votum ingrediendi Religionem,contrahit matrimonium:& tam ipse,quàm is qui tale votum emisit post contractum matrimonium tenentur Religionem ingredi ante eiusdem consummationem: vt omnes fatentur.quia,cùm possint votum suum implere,ad hoc tenentur. quare peccant mortaliter illud consummando , siue petendo, siue reddendo debitum. quia reddunt se inhabiles ad implendum votum. Consummato tamen semel matrimonio , possunt & reddere & petere debitum. quia non vouerunt ab his abstinere. Est clara,& communis. Mortua tamen aut fornicante vxore tenentur Religionem ingredi. quia hoc tunc iterum in eorum est potestate.

Vouens ingredi Religionem nõ vouet castitatem.

Dices, Qui vouet Ordinem sacrum suscipere, aut Religionem ingredi,consequenter etiam vouet castitatem his necessariò annexam.Resp. negando assumptum. quia, vt summum vouet se votorum castitatem,idque dependenter à susceptione Ordinum, aut ingressu Religionis;quo impossibili illi facto,non tenetur ad id quod dependenter ab eo vouit,scilicet ad vouendam castitatem.

Alia hîc grauis est difficultas, ad quid teneantur coniuges, qui ante matrimonij consummationem ex mutuo pacto vouent Religionem ingredi, vtrùm scilicet possint nihilominusillud consummare?Quidam id affirmant. quia tales nec vouent abstinere viu matrimonij: nec per illam consummationem reddunt se impotentes implere vorum.Nam etiam post consummationem matrimonij, vterque & potest & tenetur simul ingredi Religionem : nec vnus tenetur ingredi altero nolente. quia vouerunt ingredi dependenter à se mutuo. Aduerte tamen illum peccare contra votum,qui non vult ingredi. 56

Pro resolutione Nota sicut multùm differunt aliquem vouere ingredi Religionem , & eam de facto ingredi : ita hæc duo multùm inter se differre: *Voueo ingredi Religionem , si tu voueas eam ingredi.* & , *Voueo ingredi Religionem , si tu eam ingrediaris.* Si enim priore modo vouerim Religionem, teneor eam ingredi , si alter eam verè voueat , etiamsi eam nunquam ingrediatur: quia conditio sub qua vouì,verè impletur hoc ipso quo alter vouet. Quòd si alter vel nullo modo, vel fictè voueat, meum votum nullum est : quia deficit conditio. 57

Quòd si secundo modo vouerim , quantumcumque alter Religionem voueat, ad nihil obligor, donec ipse eam ingrediatur. quo facto statim obligor ingredi, quia tunc conditio requisita ponitur : non autem antè. quare si alter eam numquam ingrediatur,numquam tenebor eam ingredi: quia deficit conditio.

Conclvsio III. Si coniuges ante matrimonij consummationem mutuo consensu priore modo vouerint Religionem ingredi,posito quòd vterque verè vouerit,vtriusque votum statim transit in absolutum. quia statim impletur conditio sub qua vouerunt.quare vterque independenter ab altero tenetur Religionem ingredi,eodem modo ac si separatim & absolutè vouissent. 58

Ex quo sequitur, eos consummando peccare. quia exponunt se aperto periculo,ne fiant impotentes implere votum:tum quia post consummationem neuter poterit ingredi, si pars noluerit, aut non potuerit ingredi ; cùm tamen ex vi voti etiam eo casu teneatur ingredi:tum etiam quia exponunt se euidenti periculo,ne vxor concipiat, atque ita fiat impotens ingredi Religionem , & consequenter etiam maritus ingredi nequeat. Confirm.quia,vt omnes fatentur,si vterque separatim & absolutè vouisset ingressum in Religionem , peccarent consummando matrimonium ob causas iam dictas: atqui vterque eo casu eodem modo suo voto obligatur, ac si separatim & absolutè vouissent , vt iam ostendi : ergo eodem modo peccant consummando. 59

Concl.IV. Si coniuges ante matrimonij consummationem secundo modo voueant ingressum Religionis, non peccant contra votum , illud communi consensu consummando. Prob. quia, cùm neuter teneatur ingredi nisi altero legitimè ingrediẽte, neuter contra votum peccat faciendo aliquid ex quo sequatur, vt nequeat ingredi nisi altero ingrediente. Imò neuter peccat, si vterque nolit ingredi, aut si communi consensu aliquid faciant,ex quo sequatur neutrum ingredi posse:sed tantùm efficiunt vt deficiat conditio sub qua vouerant , quam non tenebantur ponere, cùm ad hoc se non obligarint. 60

Vouens aliquid sibi conditione nõ tenetur curare vt hæc ponatur.

Agunt tamen tales valdè inconstanter,resiliendo à bono ac saluberrimo suscipiendæ perfectionis proposito, quod vouendo conceperant: à quo, dum consummant matrimonium, virtute resiliunt, cùm pro- 61

babilissimum sit eos postea Religionem non ingressuros. Peccant etiam contra gratitudinem liberali Dei gratiæ ac vocationi non respondendo: sicut alij qui propositum Religionis deserunt. Et quamuis hoc peccatum ex se non sit nisi veniale, est tamen valdè periculosum. quia Deus tales sæpè deserit vt ex multis exemplis constat.

Periculosi est Dei vocationem deserere.

62 Quòd si vnus solus se voluntariè impotentem redderet ad ingrediendum, peccaret contra votum. quia si alter ingrederetur, ipse voto suo obligaretur, & tamen id adimplere non posset.

Quæ censeatur esse intrinseca vouentium ingredi Religionem.

Hìc autem notandum est, quando coniuges ante consummationem communi cõsensu vouent ingressum in Religionem, cùm id faciant ex vero desiderio propriæ perfectionis ac salutis, censeri id vouere priore modo, atque ita vtrumque independenter ab altero teneri ingredi. Nam vt vnus obtineat finem à se intentum scilicet proprium perfectionem ac salutem, nihil refert an alter ingrediatur nec ne. Quare non censetur hanc solum velle obtinere, posito quòd alter eam etiam prosequatur, sed absolutè: & alterius votum solùm censetur exigere, tum ne aliàs præter pacta matrimonialia etiam ex iusta causa eum videatur deserere: tum etiam vt eius saluti efficaciùs promoueat, nunquam tamen potest censeri hanc ita velle vt velit suam ab ea pendere; nisi id apertè exprimat.

63 Conclvs. V. Quòd si consummato iam matrimonio pari consensu vterque vouerit Religionem ingredi, vnus non tenetur eam ingredi, altero nolente ingredi, quia hoc ei per Ius non licet: nisi vxor sit senex, nec suspecta de incontinentia, voueátque castitatem. Et illo casu solus ille peccabit, per quem stat, quo minùs vorum impleant. quia alter excusabitur impotentia. Si tamen nolens ingredi moriatur, aut fornicetur, alter tenebitur ingredi, si adhuc ad hoc aptus sit. Quamdiu tamen non ingrediuntur non peccant vtendo matrimonio, nisi esset periculum ne vxor conciperet, atque ita redderet sibi ingressum impossibilem propter necessitatem prolis, cui non posset satis prospicere, nisi manendo in sæculo. vide Sanchez. Sanchez l.9. de matr. disp.37.n.5.in fine.

DVBIVM VIII.

Qua ratione cognatio spiritualis matrimonio contracto superueniens, eius vsum impediat?

64 POtest eiusmodi cognatio superuenire matrimonio, si vnus alterius coniugis siue ex alio patre natam, siue communem & ex se natam prolem baptizet, aut dum baptizatur aut confirmatur eam teneat. quod aliquando accidere potest sine vlla eius culpa: vt si aliàs puer sine baptismo esset moriturus, aut sine patrino deberet baptizari: aut si eum suscipiat inuincibiliter ignorans esse suum vxorisve suæ filium. Quòd si aliquod horum sciens sine necessitate fecerit fatentur omnes eum grauiter peccare, quia hoc illi prohibitum est, vt patet ex tota causa 30.q.1.

Cognatio spiritualis communiter cũ peccato, quandoque sine eo inter coniuges contrahitur.

65 Et quidem olim ob talem cognationem etiam sine culpa contractam coniuges separandi erant: vt patet c.1.30.qu.1. Sed hoc per sequentes Pontifices correctum est: vt patet ibidem c. *Ad limina.* 30.q.1. Quare inter omnes certum est. Primò, eiusmodi cognationem nullo modo impedire vsum coniugij, quando nullius culpa accidit. Secundò, quando vnius solius culpa accidit, hunc non debere à coniuge separari, & teneri innocenti reddere debitum.

Olim semper impediebat vsũ matrimonij. c.1.30.q.1. c. *Ad limina.*

Iam nullo modo obest innocenti. c. *Nosce.*

Sed difficultas est, Vtrùm talis possit etiam petere debitum? Multi id negant: Primò, quia c. *Nosce* 30.q.1. dicitur, coniuges ob eiusmodi factum non esse separandos, si non acciderit vtriusque consensu: ergo si acciderit vtriusque consensu separandi sunt, & consequenter is priuatur potestate petendi debitum, cuius solius culpa id accidit. Secundò, quia ibidem c. *Ad limina.* dicitur, eum qui filium suum in necessitate baptizarat, ideo non esse à coniuge separandum, quia hoc laudabiliter fecerat: ergo esset separandus, si id culpabiliter fecisset. Tertiò, quia c. *Si vir.* de cognat. spirituali dicitur, eum qui sponte vxoris filium in baptismo suscepit, non debere ab ea separari, ne ei fraus sua prosit: scilicet si ideo liberetur à debito reddendo: ergo debet priuari potestate petendi, quia fraus ei hoc modo non patrocinabitur. Ita D. Thomas in 4.d.42.q.1.a.1. D.Bonauent. ibid.a.1.q.2. Sotus q.1.a.1.concl.3.& alij.

c. *Ad limina.* c. *Si vir.* D. Thom. D. Bonau. Sotus.

Sed sæpè mecum miratus sum, quomodo viri doctissimi potuerint sibi persuadere eas consequentias esse bonas, ac tam grauem & exorbitantem pœnam, & quæ vix vlli potest iniungi sine graui salutis periculo, potuerint ex illis Iuribus inferre per consequentias adeò incertas; cùm eiusmodi pœnæ statuendæ non sint, nisi aut expressè habeantur in textu, aut per consequentiam omnino necessariam inde deducantur, cùm omnis lex etiam apertè statuens aliquam pœnam sit restringenda, quantum veritas verborum patitur: vt patet ex regula, *Odia restringi.* 15. de regul. Iuris, in 6. & ex regula 49. ibidem, vbi dicitur, *In pœnis est benigna interpretatio facienda.* & communiter omnes fatentur. Quod in hac materia cò magis mirandum est, quòd sint aperta Iura quæ contrarium statuunt. 66

Pœnæ non debent à contrario sensu induci.

Regula Iuris.

Vt autem hæc clariùs possint discuti, Nota, faciliùs longè posse statui vt aliqui in pœnam aut priuentur spe coniugij, aut iam facti cõiuges toro separati continentem vitam agant, quàm vt vnus cogatur continuò eodem cum coniuge toro vti, & tamen non possit petere debitum. quia in homine benè constituto; nec vllo modo frigido, hoc ferè idem est, atque si iubeas eum in mediis flammis versari, & non ardere. Quod vel inde patet, quòd multos reperies, qui separati à mulieribus castè viuent: qui autem possint continuò cum muliere dormire, & eam non concupiscere, millibus è multis an vnum reperies, nescio. Hinc, vt ex aliis ostendi nu.51. imprudenter coniuges vouent castitatem, nisi possint toro separari. 67

Facilius est aliquẽ cogere omnino continenter viuere, quàm eum solo iure petendi priuare.

Ad Iura itaque n.65. allata Respondeo Primò, malè ex iis à contrario sensu inferri pœnam, & quidem adeò grauem ac odiosum, quamque Iura ob periculum incontinentiæ & salutis non facilè statuunt, patet ex dictis num.66. præsertim cùm argumentum à contrario sensu in Iure sæpissimè fallat. vt ostendi disp.32. n.12. ac sæpè aliàs. Sæpè enim Pontifices sua responsa restringunt, aut certam aliquam eorum rationem adferunt, non vt insinuent, deficiente ea restrictione, aut ratione, contrarium esse dicendum: sed vt præcisè ad interrogata ea quæ planè certa sunt respondeant. 68

Argumentum à contrario sensu sæpè fallit præsertim cùm infert pœnam.

Respondeo Secundò, etsi ex 1. & 2. c. ex decretis citato benè inferremus, coniuges communi culpa talem cognationem contrahentes, esse separandos; malè tamen inferres coactum vti eodem cum vxore toro non posse petere debitum, quando solus esset in culpa: vt patet ex dictis n.67. Tertium autem caput, vt ostendam, omnino contrarium probat, per quod etiam priora Iura, si quid in hac re durum statuerint, correcta sunt: vt mox patebit.

Conclvsio. Probabilius est, cum qui etiam sua culpa hanc cognationem cum sua vxore contraxit (eadem est ratio vxoris erga virum) etsi grauiter peccarit, posse nihilominus petere debitum. Ita Glossa c. 2. de cognat. spirituali, v. *Debitum.* P. Suarez tom. 3. de Sacramentis q.67.a.8.§.penult. in fine. Durandus in 4.d.42.q.1.a.3. & Archidiaconus, Rainerus, Anchoranus, & Caieta. apud Sanchium l.9.disp. 26.n.6. vbi Sanchius eam dicit esse probabilem. 69

Glossa. Suarez. Durand. Rainerus. Anchoranus. Caietan. Sanchez.

Probatur

Probatur Primò, quia tam grauis pœna sine textu non est inducenda: ex nullo autem textu probari
c. De eo. potest, vt iam ostendi. Secundò, quia c. *De eo.* 30. q. 1. apertè contrarium dicitur his verbis: *Si autem coniuges legitimi, vnus aut ambo ex industria fecerint, vt filium suum de fonte susciperent: si innupti* (continentiam scilicet seruando) *permanere voluerint, bonum est: sin autem* (scilicet ita permanere noluerint) *grauis pœnitentia insidiatori iniungatur, & simul maneant.* Vbi expressè definitur eos si voluerint, posse simul in coniugio permanere, etsi ambo sponte & de industria talem cognationem contraxerint: quod falsum esset, si in pœnam peccati essent priuati potestate petendi debitum. Vt quid enim tunc manerent simul, nisi vt se mutuo excitarent ad peccatum? Cùm enim neuter posset petere debitum, neuter etiam posset reddere, vt etiam omnes contrariæ sententiæ auctores supponunt.

70 c. Si vir. Probatur Secundò, ex c. *Si vir.* de cognat. spirituali. vbi Pontifex interrogatus an tales deberent separari, ait: *Ideo nobis videtur, quòd siue ex ignorantia, siue ex malitia id fecerint* (scilicet filium suum susceperint) *non sunt ab inuicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam seruandam possint induci, quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus.* Quod addit, non vt insinuet (vt aliqui putant) eum cuius culpa hoc accidit, non posse debitum petere (hoc enim ex toto textu nullo modo potest colligi, imo apertè ei repugnat, vt mox ostendam:) sed, quia, cùm olim c. 1. & 2. 30. q. 1. fuisset statutum, vt qui eam cognationem etiam inculpabiliter
c. 1 & 2. 30. q. 1. contraxerant, toro separarentur; quidam vt possent à coniuge separari, malitiosè proprias proles ex fonte
c. Dictum est. suscipiebant: vt ram ex hoc cap. quàm ex cap. *Dictum est.* 30. q. 1. colligitur: quales Pontifex dicit non debere à coniuge separari, ne iis sua fraus patrocinetur. Vbi aduertendum est, hîc propriè non notari omnes eos, qui culpabiliter suos filios suscipiunt, sed eos solos, qui id dicta intentione faciunt; scilicet vt separentur.

71 In quo capite Nota Primò, Pontificem æqualiter omnino tam de iis qui ex ignorantia, quàm qui ex malitia suos filios susceperunt, generatim dicere, eos non debere à coniugibus separari, planè insinuans eandem vtrorumque esse rationem.

Nec refert quòd infrà pro vtriusque diuersas adfert rationes. Hoc enim non facit, vt ostendat hos magis quàm illos debere saltem ex parte separari (hoc enim ex nulla syllaba colligi potest) sed ob rationem iam antè dictam, vt scilicet ostendat cur neutri separandi sint.

72 Nota Secundò, eum generatim dicere, tales *non debere* (siue non posse) *alterum alteri debitum subtrahere*: apertè docens post tale factum, vtrúmque coniugem, & consequenter etiam nocentem posse debitum exigere, & alterum debere reddere. Hoc enim apertè significant illa verba. *Nec alter alteri debet debitum subtrahere.* Vbi Pontifex apertè æquales facit in potestate vtendi matrimonio, non solùm eos qui
Clarum ius debet multorum auctoritati præualere. inculpabiliter, & eos qui culpabiliter cognationem contraxerunt: sed etiam coniugem innocentem & nocentem. Quare cùm Ius tam clarum sit, non video cur ob multitudinem eorum, qui magis se mutuò sequendo, quàm ex iusto fundamento contrarium sentiunt, ab eo debeamus discedere; præsertim in re adeò fauorabili, quæque, vt ostendi, animarum periculis vitandis omnino expediat, atque adeò necessaria sit.

DVBIVM IX.

Quænam aliæ circumstantiæ reddant matrimonij vsum illicitum?

NOta, varias esse circunstantias, de quibus possit 73
dubitari, an reddant eius vsum illicitum. Dubitari enim potest, an sit illicitus Primò, diebus festis, aut ieiuniorum. Secundò, eo die quo coniuges volunt communicare: sed hac de re satis egi tom. 1. q. 80. a. 7. Tertiò, tempore menstrui. Quartò, quando vxor est grauida aut lactat. Quintò quando coniuges sunt amentes. Sextò, an in loco sacro. Septimò, quando modus eum vitiet. Octauò, an sit licitus coniugibus excommunicatis. De quo vide dicta in materia de excommunicatione n. 125.

Præcipuæ autem difficultates sunt circa primam, tertiam & quartam. Nam quidam olim putarunt esse peccatum mortale vti matrimonio tempore festo aut ieiuniorum: ad quod fuerunt præcipuè permoti dictis quorundam Sanctorum, quæ refert Gratia- *Gratianus.*
nus 33. q. 4. Alij verò volunt saltem esse peccatum veniale.

Similiter quidam putant esse graue peccatum vti 74
matrimonio, dum mulier patitur menstrua, aut dum grauida est, aut recenter peperit. Primò, quia Leuit. *Leuit. 18.*
18. primum & tertium grauiter prohibentur. Sed facilè respondetur, eam legem iam non obligare. Secundò, quia inde proli periculum imminet vel concipiendæ, quæ facilè nasceretur leprosa, vel iam conceptæ: nam mulier grauida per copulam subsequentem posset facilè pati abortum. aut etiam iam natæ: quia per eam copulam lac ex parte corrumpitur. Vnde aliqui volunt coniugatos tamdiu debere abstinere copula, quamdiu mulier lactat. Has difficultates fusissimè prosequitur Sanch. l. 9. d. 11. 13. 15. 21. 22. & *Sanchez.*
23. sed iam non videtur tanta necessitas: quia inter doctissimos quosque ferè iam conuenit quod dicendum sit, quare breuiter singulas quæstiones exponam.

Conc. 1. Conuenientissimum est diebus fe- 75
stis, aut ieiunij præsertim solemnioribus ab vsu matrimonij abstinere. Quia decet tunc Christianum orationibus & piis operibus vacare, à quibus multùm impedit vsus matrimonij, nam valdè mentem distrahit à diuinis, & voluptati immergit. Et hoc tantùm insinuant Sancti, dum dicunt nos tunc debere abstinere, vel illius vsum non licere: exaggerando enim loquuntur, dicuntque non licere id quod non decet. quod vel inde patet: quia dicunt nos tunc etiam licitis abstinere debere. Nullo tamen præcepto ad id obligamur. quia illa quæ absolutè illis diebus sub præceptum cadunt, coniuges implere possunt, etsi matrimonio vtantur: quamuis non cum tanta decentia ac fructu, atque Ecclesia vellet. Sed hæc non cadunt sub præceptum. *De vsu matrimonij in diebus festis.*

Ex quibus patet, coniugem absolutè teneri reddere debitum petenti illis diebus, quia illa indecentia non excusat à debito iustitiæ. Ita Glossa c. *Proposuisti.* d. 82. v. *Præceptis.* D. Bonauen. in 4. d. 32. art. 3. q. 2. in fine Richard. ibidem art. 3. q. 1. Scotus q. vnica ad 3. Caiet. v. *Matrimonium*, c. vlt. §. *Septimum peccatum est.* Angelus v. *Debitum.* n. 29. Rosella ibidem num. 6. & Armilla num. 10. & cum multis aliis Sanchez l. 9. d. 12. num. 5. *Glossa. D. Bonauent. Richard. Scotus. Caietan. Angelus. Rosella. Armilla. Sanchez.*

Conclvs. II. Vsus matrimonij eo tempore 76
quo fœmina patitur menstruum fluxum, continet aliquam indecentiam, ideóque sæpè est peccatum veniale, nisi aliqua iusta causa excusetur, v. c. ad sedandos graues motus carnis, &c. Vide Nauarr. c. 16. numer. 32. Candel. 1. p. de matrim. numer. 259. & *Tempore menstrui. Nauarr. Cand. alij.*

Sanchez. Sanch. disp. 21. n. 7. vbi numeris præcedentibus plurimos citat dicentes esse peccatum mortale, tunc petere debitum: quia inde proli imminet periculum ne leprosa nascatur. Sed contrarium est verum: quia illud rarissimè ac ferè nunquam accidit: vt patet experientia. Cùm enim sæpissimè coniuges tunc vrantur matrimonio, vix vnquam videmus ideo prolem infectam nasci. Imò vix contingit tunc prolem concipi; quia mulier ferè inepta est conceptioni, quare illud periculum parum aut nihil obligat, vt euitetur. Adde, etsi probabile esset prolem infectam nascituram, non ideò fore peccatum mortale vti matrimonio: vt cum

Nauarr. aliis docet Nauarr. suprà, quia ea ratione proli non fit tanta iniuria, quæ sine illo actu coniugali non esset, melius autem est, eam sic esse, quàm non esse. Ex quibus patet, decere quidem vxorem tunc virum petentem, si commodè posset, auertere ab ea petitione; nullo tamen modò posse ei absolutè negare debitum; quia plus obligat iustitia, quàm decentia.

77 aut quando vxor est grauida. Conclvs. III. Quando vxor est grauida, est peccatum mortale vti matrimonio cum periculo abortus si proles formata sit. Per se patet. sed hoc rarissimum est, vt constat experientia. Faciliùs fortè posset impediri fœtus, si aliqua paulò post conceptionem haberet copulam. Tunc enim quandoque posset contingere, vt materia, quæ iam incipit coagulari, dissipa-

Sanchez. retur. P. Sanchius tamen l. 9. d. 22. n. 1. putat non esse peccatum mortale si coniuges cum tali periculo vtantur matrimonio: quia eam materiam dissipari, non videtur tanti momenti, vt coniuges teneantur sub peccato mortali à re aliàs sibi licita abstinere, vt id periculum vitent. Sed quidquid hac de re sit, omnino credo vix vnquam posse contingere, vt coniugibus ita constet hîc & nunc tale periculum subesse, vt illud sub peccato mortali teneantur vitare.

78 Conclvs. IV. Si abst tale periculum, per se nulla est culpa vti matrimonio, quare mulier tunc tenetur reddere.

Conclvs. V. Etsi aliqua sit indecentia, vti matrimonio statim post partum dum mulier adhuc purgat; non tamen est propriè illicitum, si aliqua honesta causa accedat. ita Richard. in 4. d. 32. a. 4. q. 1. Rosella v. Richard. Rosella, Angelus, Henriquez. Debitum. n. 9. & Angel. n. 34. Henriquez l. 11. c. 15. n. 7. & alij, quare mulier tenetur reddere, nisi aliquod graue periculum ei inde immineat; aut nisi possit precibus maritum facilè à petendo auertere. Nullo autem modo coniuges tenentur abstinere matrimonio per mensem integrum: sicut nec mulier ab ingressu Ecclesiæ, si aliàs sana sit: vt habetur c. vnico, de purificat. post partum Multò minùs coniuges tenentur abc. vnic. de purific. stinere vsu matrimonij toto tempore quo mulier lactat: quia periculum, quod dicunt aliqui proli inde imminere, parui momenti est, vt patet experientia.

79 aut quando coniuges amentes sunt. Conclvs. VI. Si vterque coniux sit omnino amens, illicitus est inter eos vsus coniugij ob periculum quod proli imminet, quia eam non possunt benè educare: & quia tales vix vt decet matrimonio vti possunt, quare omnino separandi sunt. Idemque dicendum si vxor sit furiosa. quia inde graue periculum proli imminet, ne à matre ante vel post partum suffocetur. Secùs si esset instar infantis sine malitia, & vir esset sanæ mentis: aut si vxor esset sanæ mentis, & vir furiosus, quia tunc periculo prolis posset occurri: sicut etiam quando non omnino mente capti sunt, sed tantùm simplices instar puerorum incipientium vti ratione. Quòd si lucida habeant intervalla, prudenti iudicio videndum est an sine periculo prolis possint matrimonio vti, & secundùm hoc iudicandum an separandi sint nec ne.

80 Non vtens per se loquendo tenetur coniugi planè rationis vsu ob amentiam, ebrietatem, aut similem causam destitutus; debitum reddere, etiam in casibus quibus id facere posset. quia talis est incapax vsus omnis dominij, quia sicut dominium non potest esse in subiecto incapaci rationis: sic nec vsus dominij potest esse in subiecto, quod hîc & nunc est incapax vsus rationis, quare talis inualidè exigit debitum; quia hoc est vsus dominij; & consequenter alter non tenetur reddere. Per accidens tamen ad euitanda grauiora mala, quandoque sanus tenetur amenti petenti reddere. vide San- Sanchez. chium l. 9. d. 23. ratione necquit vti dominio.

Conclvsio VIII. Vsus matrimonij est illicitus in loco sacro, nisi esset grauis necessitas: vt si coniuges longo tempore tenerentur in eo inclusi sine potestate egrediendi. Vide dicta to. 1. q. 83. n. 231.

Conclvsio IX. Redditur etiam illicitus ratione modi, si hic sit indecens: non facilè tamen est mortalis, nisi talis sit vt ex se impediat generationem, aut causet effusionem seminis extra locum naturalem: vide Sanch. l. 9. d. 16. & seq. Sanchez.

DVBIVM X.

Quâ ratione liceat coniugi vti matrimonio, quod credit esse inualidum, aut saltem de quo dubitat?

81 VT hæc res possit benè definiri, præmittendum est Primò, tunc quod ad rem præsentem attinet, nos dici aliquid scire, cùm moralem de eo habemus certitudinem, etsi non talem, cui non possit subesse falsum, quia huiusmodi certitudinem circa res agendas in rebus humanis vix habere possumus. Opinari verò, quando determinatè nobis persuademus aliquid esse verum, licèt cum formidine de oppositò: quæ opinio magnam latitudinem patitur, & potest alia aliis esse certior aut incertior. Quis dicatur in moralibus scire? Quis opinari?

Suspicamur autem, cùm intellectus noster in vnam partem nonnihil inclinatur; non tamen ei verè assentitur, sed assensum adhuc suspendit. Dubitamus verò, cùm intellectus in neutram partem magis inclinat. ita enim si propriè loqui velimus, dubium distinguitur à suspicione: sed hæc sæpè confunduntur, & in praxi sæpè hæc distinctio inutilis est. Scrupulus autem Quis scrupulis agit? est anxietas quædam mentis sine vllo fundamento aliquid vt malum apprehendentis. Quis suspicari? Quis dubitare?

82 Dubium aliud negatiuum, aliud positiuum, Prætermittendum Secundò, dubium aliud esse negatiuum, vt quando pro neutra parte habeo sufficientes rationes, vt possim probabilem assensum elicere, v. c. an arenæ maris sint pares. Aliud positiuum, quando vtrimque sunt pares rationes, talesque quæ singulæ suam partem probabilem efficerent, nisi aliæ rationes contrarium suaderent. Quando enim intellectus pro vtraque parte habet æquales omnino rationes in neutram partem præ altera potest inclinare, sed suspensus hæret.

Tertiò, aliud dubium esse speculatiuum, quod versatur circa propositionem, quæ non dirigit immediatè operationem, v. c. vtrùm hoc matrimonium sit validum? Aliud practicum, quòd immediatè operationem dirigit, v. c. vtrùm coniugi dubitanti de valore matrimonij liceat petere debitum? aliud speculatiuum; aliud practicum.

Quartò, alicuius propositionis probabilitatem aut certitudinem posse nasci Primò, ex principiis intrinsecis, qualia sunt solæ rationes aut ex natura rei, aut ex Iure peritæ, in iis quorum bonitas aut malitia à Iure pendet. Secundò, ex principiis extrinsecis, v. c. Doctorum auctoritate, quæ sæpè facit rem aliquam probabilem, quæ spectata sola ratione non esset probabilis.

Quintò, præmittendum est, aliud esse aliquam sen- 83 tentiam esse probabiliorem; aliud verò eam esse tu-

Sententia probabilior quandoque minùs tuta.

tiorem. Nam illa semper in praxi est tutior in qua siue vera sit, siue falsa, nullum potest reperiri peccatum, quantumuis contraria longè probabilior sit, v. c. vt ostendi suprà nu. 69. probabilius est eum qui suscepit prolem suæ vxoris, posse petere debitum: tamen tutius est eum non petere, nisi quando scit vxorem hoc desiderare, aut petituram si auderet: quia hoc faciendo, certum est cum nullo modo peccare, etiamsi certissimum esset eum posse petere.

84 Sextò, præmittendum, quando de re aliqua sunt diuersæ Doctorum sententiæ, nos posse vtramuis sequi etiam minùs tutam ac probabilem, modò verè probabilis sit: vt fusè docet P. Vasquez t. 2. d. 62. præsertim c. 4. 5. & vlt. Vbi etiam c. 4. ostendit, etiam virum doctum posse sequi probabilem aliorum sententiam, etsi sibi persuadeat contrariam esse veriorem. Ratio est, quia, cùm multa nobis sint valdè obscura, si non possemus sequi probabilem sententiam, sed teneremur vbique sequi id quod tutius aut certius est, vbique hæreremus anxij. Item cùm non modò diuersis, verùm etiam eidem, eadem res modò minùs, modò magis certa appareat; si teneretur quisque sequi quod ipsi apparet certius; nullæ certæ regulæ à Doctoribus possent statui, quas in viuendo sequeremur, sed quisque deberet sequi suos instinctus. Imò cùm sæpè pro diuerso affectu diuersa nobis appareant veriora, vita hominum tandem magis regeretur affectibus, quàm certa scientia. Nec his obstat quòd in dubiis tutior pars sequenda sit; quia sententia probabilis non est propriè dubia, sed hoc magis infrà explicabitur.

Vasquez. Etiam vir doctus potest contra suum iudicium aliorum sententiam sequi.

85 Septimò, præmittendum in materia iustitiæ quando agitur cuius res aliqua sit, in dubio semper meliorem esse conditionem possidentis; vt cum communi verè sententia docent P. Lessius de Iustitia cap. 3. dub. vlt. & P. Sanch. l. 2. d. 41. n. 12. & patet ex regul. 65. de regulis Iuris, in 6. vbi dicitur: *In pari delicto, aut causa, melior est conditio possidentis.* in dubio autem par vtrimque est causa. Et confirmatur, quia in tali casu æquus iudex re cognita iudicaret possidentem posse rem retinere, nec alium habere ius eam reperendi. Nam *cùm sunt partium iura obscura, reo fauendum est potius quàm actori.* vt dicitur regula 11. n. 6. Possidens autem est reus, alter actor. Quod autem iustus iudex in foro externo seposita omni falsa præsumptione iudicat, licitè in foro conscientiæ sequimur. Hinc quãdo Petrus postquam bona fide incepit rem aliquam vt suam possidere, & postea ei suboritur dubium, an verè sit sua: si, postquam pro rei qualitate adhibuit sufficientem diligentiam vt cognoscat an sua sit, an aliena, res maneat adhuc dubia; potest eam tuta conscientia retinere, eaque vti ac si sua esset, quia, vt ostẽdi, iudex hanc ei ita adiudicaret, ipseque antequam inciperet dubitare, habuit ius ea re vt sua vtendi. quo non tenetur se spoliare antequam sciat esse alienam; semper tamen tenetur habere animum eam, eiusve pretium quantum ex ea erit factus ditior, vero domino restituendi, si cum antequam rem legitimè præscripserit, cognouerit. Sicut autem iudex quæstione ad se delata nulla adhibita diligentia vt possit cognoscere cuius ea res sit, iniustè eam adiudicaret possessori: ita possessor accedente dubio iniustè eam sibi adiudicat, eamve aliqua ratione corrumpit, aut peiorem vtendo reddit, donec adhibeat diligentiam vt veritatem cognoscat.

Melior est conditio possidentis. *Less. Sanchez. Reg. Iuris.*

Regul. Iuris.

In dubio malè adiudicatur res possessori ante inquisitionem.

86 Quidam autem volunt hæc solùm habere locum in materia iustitiæ, sed meliùs P. Sanchez libro 2. d. 41. n. 32. cum aliis, ea etiam extendit ad alias virtutes: quia etiam in his dictæ regulæ Iuris valent. v. c. Dubito an aliquid vouerim: sum adhuc in possessione meæ libertatis, & Deus est quasi actor exigens debitum, ego reus: in dubio mea melior est conditio, & absoluendus sum, nec teneor me mea libertate de facto spoliare, antequam constet me eam de iure amisisse per voti obligationem.

San. bez.

87 Ex his infertur Primò, ex propositione speculatiua dubia, aut minùs probabili, posse inferri propositionem practicam certam. Nam qui bona fide inchoata possessione dubitat an res sit sua, certò sibi persuadet se eam licitè retinere postquam sufficienti adhibita diligentia nequit deprehendere eam esse alienam. Quod etiam suo modo locum habet circa eandem omnino propositionem. v. c. Dubitat aliquis an certus contractus sibi sit licitus, & lectis variis pro vtraque parte auctoribus, eorumque rationibus manet adhuc dubius, aut etiam magis inclinat in partem negatiuam: quia tamen partem affirmatiuam tum ob aliquas rationes, tum etiam ob DD. auctoritatem iudicat esse verè probabilem, potest sibi certò persuadere eum in praxi sibi esse licitum, quia licitè quis sequitur probabilem sententiam etiam minùs tutam. sequitur ex præmisso sexto.

Res ex vno principio dubia, ex altero fit certa.

88 Infertur Secundò, illud axioma, *In dubiis tutior pars est sequenda*, non esse intelligendum de dubio speculatiuo, sed practico; siue de eo qui spectatis omnibus tam intrinsecis quàm extrinsecis rationibus dubitat an hæc actio hîc & nunc sibi sit licita. v. c. vt iam ostẽdi, vt quis licitè rem aliquam vt suam vsurpet, non est necessarium ne dubitet an sit sua: sed ne dubitet, an in his circumstantiis sibi eam ita vsurpare licear. si enim de hoc dubitaret, nullo modo posset eam retinere. Vt enim aliquis honestè operetur, debet sibi persuadere hanc actionem hîc & nunc sibi esse licitam.

Quomodo in dubio tutior pars sequenda?

89 Infertur Tertiò, quando aliquis dubitat an res quam alter bona fide possidet sit sua, ipsum non posse eam vel totam, vel ex parte huic auferre, quia possidens habet verum ius eam totam sibi retinendi, quo iniustè ab alio spoliaretur. Quòd si à neutro dubitantium an sua sit, possideatur, vel si alter eorum cum tali dubio eam possidere inceperit, tenentur eam inter se diuidere æqualiter, si pro vtraque parte sit æquale dubium: vel dando meliorem partem ei cuius ius est probabilius, quia cùm tunc neutri faueat possessio, neuter habet ius eam totam sibi vsurpandi.

In dubio cuius res sit, quid agendum.

90 Ex præmisso sexto inferunt aliqui Quartò, quando vtraque pars, inter quam de re aliqua est lis, habet probabile ius; posse iudicem eam adiudicare cui voluerit: quia quando duæ contrariæ sententiæ sunt probabiles, potest quam voluerit sequi. Hoc tamen aliqui limitant, vt solùm sit verum, quando est dubium Iuris, quia nimirum quædam Iura fauent vni parti, & alia alteri: aut lex aliqua dubia à quibusdam explicatur pro vna parte, ab aliis pro alia. Secùs autem esse quando difficultas oritur ex dubio facti. v. c. Duo contraxerunt ea conditione, vt diutiùs viuens habeat omnia bona, iisque sine liberis ac testamento mortuis, dubitatur vter alteri superuixerit, & consanguinei vxoris probabiliter probant hanc superuixisse; contrarium verò æqualiter probant consanguinei viri: iniúsque illi in hoc casu hæreditatem inter vtrosque diuidendam. Ratio eorum est, quia, cùm in priore casu multi viri docti Ius ita explicent vt totam rem adiudicent vni parti, & contrà alij ita, vt eam totam adiudicent alteri: sunt verè vtrimque probabiles sententiæ, & auctoritates: atque ita iudex tutò quam voluerit, poterit sequi. Secùs aiunt esse in secundo casu. Nam tunc quiuis prudens auditis vtrinque rationibus rem neutri inregtam adiudicaret. Sed hæc non satisfaciunt: nam si in secundo casu adessent varij iudices, sæpissimè contingeret, vt aliqui vnius, alij verò alterius partis rationes tamquam longè probabiliores apprehenderent: atque ita aliqui vni, alij alteri totam causam adiudicarent. nam ob diuersas ingeniorum

In dubio duorũ iure quid iudici liceat?

dispositiones videmus sæpè, rationes quæ vni videntur clarissimæ & certissimæ, ab aliis tanquam nullius momenti contemni.

91 Ego verò numquam mihi potui persuadere illam sententiam esse veram. Primò, quia, cùm sæpissimè contingat iura litigantium esse ambigua, aut saltem non ita liquida, quin pro vtraque parte & aliqui Doctores, & probabiles rationes reperiri possint, præsertim quando difficultas non ex facto, sed ex Iure non ita claro pendet; sequeretur iudices sæpissimè pro libitu posse causam adiudicare cui vellent, atque spectato saltem solo iure naturæ suam sententiam plus offerenti vendere. Cùm enim tibi sit pretio æstimabile, causam tibi adiudicari; item cùm iudex ad hoc non teneatur, sed possit pro mero beneplacito eam alteri adiudicare: nulla est ratio cur non possit accipere aliquod pretium, vt eam tibi adiudicet. Illud autem planè est absurdum, & tale principium, quo facilè omnia iudicia peruertas. Secundò, quia ex fundamentis suprà positis illa sententia nullo modo inferri potest.

92 Pro quo Nota, hæc longè diuersa esse, *Probabile est totam hanc rem esse meam*; &, *probabile est me eam posse totam mihi vendicare.* Sicut hæc longè diuersa sunt: *Hæc res est tota mea*; &, *possum eam mihi totam vendicare.* Item, *Dubium est an hæc res mea sit*; &, *dubium est an possim eam mihi vendicare*: inter quas vna propositio est speculatiua, altera practica: & sæpè contingit vnam esse falsam altera existente vera. Cuius ratio est, nam; vt res aliqua verè à parte rei sit mea, non pendet vllo modo ab alicuius cognitione: æqualiter enim res mea est, siue id sciam siue nesciam. Vt autem possim eam mihi tamquam meam vendicare, non tam pendet à veritate rei, quæ à parte rei est, quàm ab ea quæ prudenter putatur esse. v. c. pater meus iam defunctus occultè verè rem aliquam à patre tuo etiam defuncto in perpetuum emerit; cùm tamen nobis persuasum sit quòd eam solùm acceperit vtendam: tu licitè eam vt tuam repetis ac vendicas, & teneor eam tibi reddere, cùm verè mea sit non tua. Item incepisti rem aliquam bona fide possidere, & postea dubitamus an tua sit an mea: & adhibita omni diligentia manet idem dubium, & tamen non est dubium, sed vt minimum valdè probabile, quòd tu possis eam vt tuam possidere, ego verò non possim, quantumuis fortè à parte rei mea sit.

Differentia inter propositionem practicam & speculatiuam.

Opinio non potest facere vt res aliqua mea sit, dat mihi tamen ius eam vsurpandi.

93 Ex quo sequitur Primò, quando est dubium an res aliqua sit mea, an tua, siue illud dubium sit negatiuum, siue etiam positiuum; vt quando pro vtroque sunt æquè probabiles rationes, aut etiam diuersa Iura ac Doctorum sententiæ vtrique æqualiter fauent; si neuter rem possideat, neutrum posse eam sibi integram vendicare, nam cùm æqualiter sit probabile eam esse tuam, ac esse meam, æquale habemus ius eam nobis vendicandi: & consequenter res diuidenda est: aut si vnius ius sit aliquanto probabilius, hic potiorem partem accipiat. quòd si diuidi nequeat, forte lis dirimenda est: aut vni res integrè adiudicanda, qui alteri pro magnitudine probabilitatis iuris quod habet, partem prerij restituat. Confirm. quia, cùm vterque habeat æquale ius ad rem sibi vendicandam, nulla est ratio, cur vnus possit sibi eam præ altero vendicare, atque ita vterque æqualiter sibi eam vendicare potest. Cùm autem fieri nequeat, vt vterque eam sibi integrè vendicet, necessariò solùm possunt habere ius, vt vendicent sibi mediam partem rei. Quòd si quis eam ante ortum dubium bona fide possidebat, licitè eam integrè retinet, quia melior est conditio possidentis: qui quamdiu probabiliter ignorat rem non esse suam, non tenetur se eius possessione spoliare. Secùs esset, si alterius ius esset multò probabilius. Tunc enim possidens, aut totam, aut saltem eius partem teneretur restituere: quia tunc tanta probabilitas alieni iuris præualet huius possessioni.

Res dubia inter non possidentes diuidenda.

eam bona fide possidens integrè retinet.

Sequitur Secundò, quando iudices aduertunt vtramque partem habere aut omnino; aut ferè æquè probabile ius (siue sit quæstio facti, siue iuris) eos teneri totam rem adiudicare possidenti; aut inter partes diuidere, si neutra eam possideat. Ratio est, quia iudices non sunt domini rei, de qua litigatur, nec habent potestatem aut eam, aut ius ad eam alicui dandi: sed tantùm iudicandi vtra pars habeat ius eam sibi vindicandi. Cùm itaque, vt iam ostendi, eo casu vtraque pars habeat æquale ius ad rem, si neutra eam possideat, illi tenentur vtrique æquale ius adiudicare, & consequenter inter eos diuidere: aut, si quæ eam possideat, cùm hæc habeat ius eam integrè sibi retinendi, tenentur hanc ei totam addicere, quia vt iudicium verum sit, debet respondere veritati, quæ à parte rei est: & consequenter cuique addicere tale ius, quale verè à parte rei habet. 94

Iudex in dubio non potest pro libitu iudicare.

Ex quibus demum clarè patet, ex eo quòd probabile sit hanc rem totam esse Petri, non sequi, iudices eam posse ei totam adiudicare, & auctores qui illud asserunt, non necessariò hoc asserere. Nam si æquè probabile sit eam esse Iacobi, huic aut ex parte, si neuter eam possideat; aut etiam tota adiudicanda est, si hic eam possideat.

His positis, vt tandem ad difficultatem hîc nobis propositam veniamus, duplex hîc est difficultas. Prima est, quid debeat facere coniux, quæ certò scit matrimonium esse nullum, nec potest hoc probare, ideoque cogitur coniugi cohabitare. Magister in 4. d. 38. in fine, & Hugo de S. Victore de Sacramentis p. 11. c. 6. & quidam alij putant, talem quidem posse reddere debitum, non tamen petere. Primò, quia coniux qui est in bona fide habet ius petendi debitum: ergo alter tenetur reddere. Secundò, quia ex duobus malis minus est eligendum: minus autem malum est fornicari, quàm contra iustitiam, & Ecclesiæ præceptum cum scandalo negare petenti debitum. Tertiò, quia non est minus malum occidere innocentem quàm fornicari: atqui iudex licitè occidit publicè probatum nocentem, quem priuatim nouit innocentem: ergo coniux licitè reddit debitum ei, qui publicè probatur eius coniux, etsi priuatim sciat matrimonium esse nullum. 95

Magister. *Hugo.*

Sed omnino dicendum est, talem nullo modo posse reddere debitum quocumque periculo proposito. Ita expressè definitum est c. *Inquisitioni.* 44. de sentent. excommun. Vbi Pontifex dicit talem potiùs debere humiliter sustinere sententiam excommunicationis, quàm cum peccato mortali carnale commercium exercere scilicet reddendo debitum. Et est iam communis omnium DD. & ratio est, quia fornicari est absolutè malum, ideoque ob nullam omnino causam licet: quia numquam licet facere mala, vt eueniant bona, aut vt alia mala euitentur: vt patet ad Romanos 3. Quare tali coniugi aut occultè fugiendum est, si qua ratione possit; aut petenda dispensatio in impedimento, si obtineri potest, & tunc secundò contrahendum est: aut si nihil horum possit facere, tam excommunicario, quàm alia incommoda patienter sustinenda sunt, vt dicitur c. *Inquisitioni.* citato. 96

Conscius nullitatis matrimonij nunquam licitè reddit debitum.

Rom. 3.

Ad Primum argumentum contrarium, nego antecedens. Nam etsi bona ipsius fides videatur ei tribuere aliquod ius petendi; hoc tamen totum elidit certum ius quod alter habet non reddendi debitum, cùm vtrumque ius simul consistere nequeat. Sicut etsi millies publicè probares tibi debere mille; si tamen certò scirem, me ea non debere, non tenerer ea soluere, si sine scandalo id possem euitare, quia ius meum quod fundatur in veritate, elidet tuum quod fundatur in falsa præsumptione quantumcumque probabili. 97

Ad Secundum Respondeo, maiorem solùm esse veram, quando vtrumque euitari nequit. Talis autem coniux potest abstinendo omnino ab vsu matrimonij nec fornicari, nec peccare contra iustitiam, aut obedientiam. Nam cùm alteri nihil debeat, non potest ei aut negare aut reddere debitum, nec Ecclesia vult ei præcipere fornicationem: nec eo casu potest ei præcipere redditionem debiti, cùm impossibilis sit. Scandalum autem ipse non facit, sed permittit: potiùs autem quæuis mala sunt permittenda, quàm vllum faciendum.

Ad Tertium, aliqui negant consequ. quia aiunt iudicem licitè talem occidere: quia hoc est medium necessarium vt tranquillitas publica seruetur. Sed similiter dicam talem coniugem licitè reddere debitum: quia hoc est medium necessarium, vt ipse grauissima pericula ac scandala euitet. Quare in vtroque valet illud, Non licet facere mala vt eueniant bona. Respondent alij Secundò, etiam negando consequentiam, quia iudex ille excusatur inuincibili ignorantia: nam etsi vt priuatus certò sciat alterum esse innocentem, tamen vt iudex qui nihil spectare debet nisi publicas probationes, id inuincibiliter ignorat. Secùs autem esse in ea coniuge.

98 Nequeo eandem rem certò scire, & eâdem inuincibiliter ignorare.

Sed hæc etiam non satisfaciunt. Primò, quia implicat illum, qui certò scit Petrum, v.c. esse innocentem, id simul inuincibiliter ignorare. Secundò, quia inde sequeretur, iudicem qui falsos testes contra innocentem subornasset, posse publicè probatum nocentem occidere, quia secundùm illos vt iudex ignorat eum esse innocentem: nam quòd falsos testes subornarit, solùm nouit vt priuatus, illud autem est apertè absurdissimum. Tertiò, quia simili modo dicam, talem coniugem, vt coniugem, inuincibiliter ignorare nullitatem matrimonij: nam hanc solùm nouit vt non coniux; reddit autem debitum non vt Petrus aut Paulus, sed vt coniux. Item sicut secundùm illos non solùm iudex, sed etiam minister iustitiæ potest occidere publicè probatum reum, quem priuatim certò scit innocentem, quia hoc non nouit vt minister iustitiæ: ita talis coniux tanquam minister & executor sententiæ ab Ecclesia latæ, qua iubetur reddere debitum, poterit hoc facere: quia vt sic ignorat nullitatem matrimonij. Respondeo itaque negando minorem: multò enim probabilius est, iudicem non posse talem reum occidere, vt apertè colligitur ex iam dictis, & cum aliis optimè probat Lessius de Iustit. c. 29. dub. 10. Vide dicta suprà disp. 13. num. 106. & 110.

Iudex nunquam licitè occidit eum, quē priuatim nouit innocentem. *Lessius.*

99 Secunda difficultas est, Quomodo possit coniux vti matrimonio, qui de valore eius dubitat? Duplex hîc potest esse casus. Primus, quando ipse mala fide ab initio matrimonium contraxit. Secundus, quando bona fide contraxit, sed postea incipit dubitare. Et de hoc præcipuè est difficultas. Quidam apud Sanchez l. 2. d. 41. nu. 43. docent talem nec posse petere, nec reddere debitum. Præcipua eorum ratio est, quia nunquam licet mihi aliquid facere, de quo dubito an sit mihi licitum: atqui talis dubitat an liceat ei reddere debitum: ergo hoc ei non licet. Minor probatur, quia certus est se non posse accedere ad non suam: dubitat autem an hæc sit non sua: ergo dubitat an possit eam accedere.

Sanchez.

Alij docent, talem teneri reddere, numquam tamen posse petere. Probant præcipuè. quia in c. 2. de secund. nupt. & c. *Inquisitioni.* 44. de sent. excomm. id videtur expressè definitum. Ita Nauarr. c. 22. n. 54. Siluest. v. *Matrimonium.* 8. q. 13. dict. 2. & alij.

Nauarrus. Siluester.

100 Coniux laborās scrupulis hos abiiciat.

Conclvsio I. Coniux quæ nullam habet iustam rationem dubitandi de valore matrimonij, sed tantùm monetur quibusdam scrupulis, debet eos iudicio viri prudentis deponere, & sic liberè vti matrimonio. Patet ex c. *Inquisitioni.* 45. de sent. excommun. vbi id expressè dicitur.

Conclvsio II. Coniux meritò dubitans de valore sui matrimonij, siue bona siue mala fide contraxit, tenetur statim diligentem adhibere operam vt sciat veritatem. Per se patet: quia aliàs exponit se præsentissimis periculis peccandi saltem materialiter, siue petendo, siue reddendo, siue etiam negando debitum, cùm nesciat quid horum secluſa ignorantia sibi liceret aut non liceret. Illa autem pericula tenetur omnino vitare, nec ignorantia potest eum excusare quamdiu ignorat omnino esse inuincibilem. Excusaretur tamen ab hac inquisitione, si certò sciret veritatem cognosci non posse.

Dubius veritatem inquirat.

Conclvs. III. Qui mala fide matrimonium contraxit, quamdiu de eius valore dubitat, tenetur reddere debitum: numquam autem potest petere. Est ferè communis, & expressè definitur c. 2. de secundis nupt. hoc enim apertè de hoc casu loquitur. 101

Qui mala fide cõtraxit, debitũ non petat.

Prior pars probatur, quia, cùm alter coniux sit bona fide in possessione matrimonij, habet verum ius petendi debitum, & vt alter sibi reddat, siue à parte rei sit verum matrimonium, siue non, iuxta dicta nu. 85. 92. & 93. Nec alter habet vllum ius negandi ei debitum, quo alterius ius elidat, cùm non sciat matrimonium esse irritum: sicut quando bona fide possidet rem de qua dubito an sit mea, nullum ius habeo impediendi te ab eius vsu. Nec dubitans excusatur à redditione debiti ob periculum fornicationis cui se exponit. quia, cùm illud euitare nequeat, nisi negando alteri suum ius; etsi fortè matrimonium sit inualidum, fornicatio erit materialis: magis autem tenetur non facere alteri apertam iniustitiam, quàm vitare periculum materialis fornicationis. Nec refert quòd sit etiam periculum faciendi iniuriam priori coniugi, qui fortè adhuc viuit. quia hæc erit etiam solùm materialis, vel potiùs omnino nulla, quia hic non habet vllum ius, ne alter vtatur re quam bona fide legitimè possidet etiamsi per eum vsum fiat deterior, sicut in vsu aliarum rerum ostendi suprà n. 85. & 95.

Secunda pars probatur, quia, cùm talis coniux mala fide possessionem inchoauerit, nullum habet ius ad eius vsum cum periculo fornicationis, aut etiam iustitiæ contra priorem coniugem. patet ex dictis num. 89. 102

Hinc infertur, quando vterque coniux ab initio cum dubio de eius valore contraxit matrimonium, neutrum habere ius petendi debitum, & consequenter etiam neutrum posse reddere, quia redditio supponit ius petendi: atque ita donec de veritate constet, toro separandi sunt ob periculum innocentiæ. Ita Henriq. lib. 11. c. 11. n. 5. & Sanchez lib. 2. d. 42. n. 8. & alij.

Mala fide contrahentes separādi quamdiu dubitant. *Henriquez. Sanchez.*

Addit Sanchez sup. n. 9. quando dubium est positiuum, ita vt vtrimque sint probabiles rationes, tam quod valeat matrimonium, quàm quòd non valeat, etsi hoc sit paulò probabilius, eos posse matrimonio vti. quia licitè sequuntur probabilem sententiam. Sed contrarium meritò videri possit verius. Nam aliud est probabile esse tale matrimonium valere; aliud verò, probabile esse ipsos posse eo vti: nec hoc ex eo sequitur, vt ostendi numer. 92. Sed credo distinguendum esse. 103

Respondeo igitur tales non posse vti matrimonio, quando vertitur quæstio de morte prioris coniugis: quia, sicut cum aperta huius iniuria illi matrimonium contraxerunt, spoliando eum in dubio sua possessione, quæ pro eo stabat (tam diu enim semel habita possessio pro eo stat, quamdiu non constat ipsum ea iure spoliatum) ita etiam cum eiusdem iniuria eo vtuntur. Confirm. quia c. *In præsentia.* 19. de sponsalibus, apertè definitur, vt aliqua possit contrahere cum

Quid faciāt quorum matrimonium est positiuè dubium ob probabiles vtrimque rationes.

secundò, necessarium esse, vt certa sit de morte prioris, nec sufficere probabilem coniecturam; quantumcumque per multos annos cum graui difficultate cogatur cœlibem vitam agere. Quare tales omnino separandi sunt saltem toro donec de veritate rei constet. Nec hoc durum videri debet, quia ipsi sponte in hæc mala se coniecerunt.

104 Quòd si impedimentum de quo dubitatur, sit sólùm iure humano inductum; distinguendum est. Nam vel dubitatur an hoc impedimentum aliquando subfuerit nec ne: & tunc siue dubium sit negatiuum, siue positiuum; ita vt vtraque pars sit probabilis, credo post diligentem veritatis inquisitionem tales posse licitè contrahere, & contracto matrimonio vti, etiamsi initio mala fide contraxerint. Quia possessio libertatis ab eo impedimento stat pro iis, quia, cùm iure naturæ sint ab eo liberi, præsumuntur liberi donec constet de contrario: vt in simili benè docet Sanchez l. 2. d. 41. num. 36. & Henriquez l. 8. de Sacram. c. 45. num. 3. in comm. *Sanchez. Henriquez.*

Quando verò constat impedimentum fuisse contractum, sed dubitatur an sit sublatum, iterum distinguendum est. Nam vel dubitatur an vlla omnino obtenta sit dispensatio: & tunc siue dubium sit negatiuum, siue positiuum ob probabiles pro vtraque parte rationes, non potest matrimonium contrahi sine noua dispensatione; & qui cum tali dubio contraxerunt (*nisi ignorantia obgrauis viri auctoritatem excusentur*) non possunt eo vti, quamdiu hoc dubium manet: quia possessio stat pro impedimento. Quòd si constet fuisse obtentam dispensationem, sed dubitatur de eius valore, tunc quando vtrimque probabiles sunt rationes, præsumitur valere. Vide dicta disput. 33. n. 58.

105 Conclvsio IV. Quando vterque bona fide matrimonium contraxit, & postea supernenit dubium an sit validum; dubitans tenetur reddere debitum, non potest tamen petere antequam sufficientem diligentiam adhibuerit, vt veritatem cognoscat. Patet ex dictis n. 85. & 89. Adhibita tamen ea diligentia, si maneat adhuc dubium, potest etiam petere. Ita Sotus in 4. dist. 27. q. 1. a. 3. §. *Imò verò.* Henriquez lib. 12. c. 6. n. 5. & 7. & cum aliis Sanchez lib. 9. disp. 41. num. 4. multique recentiores. Probatur, quia talis bona fide possidet ius petendi debitum quo non debet se spoliare, quamdiu non constat non esse suam; vt in aliis rebus ostendi num. 85. Confirmatur, quia, si talis deberet abstinere à non petendo debito, esset quia aliàs exponeret se periculo fornicandi, si fortè matrimonium non valeat: aut etiam violandi ius, quod prior coniux habet in eius corpus, si fortè adhuc viuat: atqui hæc ad illam obligationem inducendam non sufficiunt: ergo ille non tenetur abstinere. Minor probatur, quia, cùm difficillimum, & ferè suprà humanas vires sit aliquem hominem præsertim benè constitutum continuò cogi cum persona diuersi sexus dormire, & nunquam posse petere debitum; ipse non tenetur cum tanta difficultate vitare dubium periculum alicuius iniuriæ aut incontinentiæ, quare si quæ fortè iniuria aut incontinentia committatur, hæc tantùm erit materialis. Adde, vt ostendi n. 101. eo casu priorem coniugem nullum ius habere ne hic matrimonio vtatur, arque ita nullam ei fieri iniuriam. *Sotus. Henriquez. Sanchez.*

106 Ad argumentum pro priore sententia positum n. 99. nego minorem. Ad probationem, nego consequentiam, quia, vt ostendi n. 92. potest fieri, vt dubitans an res aliqua sit sua, moraliter certò sciat licere sibi ea vti.

Ad argumentum pro secunda sententia ibidem positum, nego id ibi definiri. Nam illud c. 2. expressè loquitur de iis qui mala fide contraxerant. Et c. *Inquisitioni.* etsi indistinctè loquatur; tamen, vt patet ex rationibus, intelligendum est de iis qui nondum sufficienter inquisierunt veritatem, quibus ignorantia reputatur vincibilis.

DVBIVM XI.

Qua ratione inter coniuges liceant tactus, aut cogitationes morosæ.

HAnc difficultatem, partim quia vix honestè tractari potest, partim etiam quia magis ad 1. 2. pertinet, breuiter solùm hîc attingam: qui plura volet, videat Sanchez l. 9. d. 44. & seqq. 107 *Sanchez.*

Nota igitur Primò, delectationem morosam in genere dici, quando quis rem aliquam apprehendit vt præsentem, in eaq; delectatur. Est autè tùc mala, quãdo eam sibi sic repræsentat sub ratione aliqua illicita. Cuius ratio est, quia, sicut est peccatũ velle rem illicitam: ita in ea sibi sub tali ratione complacere: vt si quis delectetur in occisione hominis præcisè quà occisio est, quia sic est quædam crudelitas. Secùs si delectaretur in ea, quà cõmoda est Reipub. aut in actu quo talis occisus est, quatenus fuit multùm ingenioſus, nullo modo sibi interim complacendò in eo quà alteri malus, aut iniustus est: tunc enim non esset peccatum, nisi fortè actus otiosus. vide Lessium l. 4. c. 3. n. 108. Delectatio morosa quid sit? Quando sit mala? *Lessius.*

Nota Secundò, delectationem morosam continere malitiã eandem specie cum ipso actu, in quo quis delectatur, considerato præcisè sub illa ratione qua repræsentatur imaginationi, vel intellectui; non autem secũdùm omnes rationes quas habet, vt patet in exẽplis datis. Ita Vasquez 1. 2. d. 112. c. 2. n. 5. Hinc delectari ex apprehensione occisionis inimici quà talis est, cõtinet tantùm rationem odij, non autem iniustitiæ. Et delectatio circa alienam coniugem præcisè quà pulchra est in soluto continet tantùm rationem fornicationis, modò absit omnis voluntas actum perpetrandi. Ratio est, quia apprehensio obiecti potest abstrahere ab omnib. eius circumstantiis, & tantùm versari circa illud sub certa ratione, & similiter etiam delectatio: vt patet *in delectante se in* apprehensione alicuius furti, quà ingenioſum est, interim illud quà iniustum detestando. 108 *Vasquez.* Delectatio circa alienam coniugem non continet malitiam adulterij.

Secùs est de actu externo, qui necessariò versatur circa obiectum consideratum cum omnibus circumstantiis. Idemque dicendum de voluntate illum actum faciendi, modò illæ circumstantiæ cognitæ sint. Sicut enim scienter cognoscere alienam vxorem, habet necessariò rationem adulterij: ita etiam velle eam cognoscere, habere necessariò malitiam adulterij. 109

Similiter delectatio morosa necessariò contrahit diuersas malitias ratione diuersarum circumstantiarum ipsius subiecti, siue personæ quæ eam habet; quatenus illa his aliquo modo repugnat. v. c. habens votum castitatis similiter committit sacrilegium siue se oblectando in sola cogitatione fornicationis, siue eam volendo: quia per votum omnem delectationem veneream sibi interdixit. Cùm igitur non solus externus actus libidinosus, sed etiam interna de eo delectatio aduersetur castitatis voto, sacrilegè contrà hoc peccat, quicumque eam sponte admittit. Delectatio morosa nũquam à circumstãtijs sui subiecti diuersam sortitur malitiam.

Secùs tamen est in vouente non comedere carnes, cui licet circa earum affectum cogitatione delectari, non tamen eas velle: quia sola exterior comestio aduersatur mortificationi carnis, quam ipse vouendo intendit, ideoque hæc sola per se aduersatur ipsius voto, & consequenter etiam voluntas eas comedendi. Quamuis autem possit quis se oblectare circa aliquod obiectum, quatenus habet vnam solam malitiã reiiciendo aliam, & ita vnicam malitiam contrahere; 110 Vouẽs non comedere carnes licitè circa earum ẽsum cogitatione delectatur.

non potest tamen aliquem actum etiam internum, quem ex diuersis rationibus tenetur vitare, elicere præcisè quatenus repugnat vni obligationi, & non alteri. v.c. Religiosus nullo modo potest elicere delectationem veneream præcisè quatenus repugnat castitati, & non quatenus repugnat voto. Tum quia ipsa se tota vtrique repugnat: tum etiam quia, etsi in cogitando possimus aliqua in re diuersas rationes metaphysicas distinguere, & versari circa vnam, & non circa aliam; non tamen in agendo. v. c. potest Religiosus cogitare de furto, & in eo delectari. Primò, præcisè quà ingeniosum est, itaque sine vllo peccato. Secundò, quatenus inimico suo damnosum est, & sic erit peccatum odij, non tamen iniustitiæ, aut sacrilegij contra votum. Si tamen velit furari, necessariò peccabit, & contra iustitiam, & contra votum paupertatis.

111 Cogitatio, lectio, aspectus rei turpis qua ratione mala.

Nota Tertiò, cogitationem rerum turpium merè speculatiuam, similemque lectionem vel locutionem; item turpes aspectus, vel tactus secundùm se non esse mala; sed tantùm ratione periculi, ne per ea delectatio sensualis circa turpia excitetur: quæ secundùm se etiam prout habetur in sola parte sensitiua, prohibita est non coniugatis, qui non possunt eam vnquà sponte in se admittere, quantum eam commodè vitare possunt: præsertim si periculum sit ne ex ea aut consentius voluntatis, aut pollutio sequatur. Ob iustas tamen causas hæc permitti potest, quando abest omne periculum ne voluntas in eam consentiat, cáve delectetur, & consequenter illa supradicta exerceri possunt. v. g. potest medicus studij causa de illis obiectis cogitare, confessarius audire confessiones in quibus multa turpia narrantur, chirurgus tractare etiam partes inhonestas alicuius læsi, etiam cum periculo turpis commotionis aut pollutionis, modò absit omne periculum ne voluntas consentiat, saltem in ipsam delectationem, quæ in parte inferiore ex tali imaginatione, aut tactu solet exurgere: quod omnino illicitum est.

112 Eiusmodi autem actus eò maiorem causam requirunt, vt licitè fiant, quò ex natura sua magis excitant talem commotionem, & sine iusta causa voliti, faciliùs sunt peccatum mortale; quales sunt tactus inhonesti, qui magnam necessitatem requirunt.

Secùs est de tactibus honestis, vt sunt oscula quibus vrbanitatis causa amitti se salutant modò absit omnis sensualis delectatio. Minorem etiam causam requirunt actus ex quibus omnino per accidens sequitur quandoque motus inhonestus, aut pollutio: vt sunt esus rei calidæ, equitatio, &c. quare hæc propter tale periculum non tenemur vnquam sub peccato mortali omittere, quando non est periculum consensus.

Conclvs. I. Cohiux non peccat mortaliter, sine periculo pollutionis morosè delectando se circa actum coniugalem, etsi hunc habere non possit ob coniugis absentiam, aut aliud simile impedimentum, quia delectatio non potest esse peior obiecto circa quod versatur. communiter tamen venialiter peccat. quia talis delectatio continet quandam inordinationem, & nimiù circa res tales affectum; nec videtur posse habere legitimum finem. Secùs est de vidua, quæ non potest ita delectari circa actum habitum cum coniuge defuncto. quia hic actus iam in præsenti est ei illicitus. Potest tamen gaudere se cum habuisse. quia hic non est delectatio venerea, sine qua talis voluptas vt præsens apprehendatur ac mentem delectet. 113

Conclvs. II. Colloquia, aspectus, aut tactus impudici inter coniuges non sunt mortalia, nisi adsit periculum pollutionis, extra actum coniugalem. Quia hi actus inter solutos ideo sunt mortales, quia excitant delectationem veneream similem illi, quæ habetur in copula, & ad hanc natura sua ordinantur: ergo quibus licita est copula, & in ea dicta delectatio, etiam illi actus liciti erunt, si finem aliquem honestum habeant: veniales, si eo careant, sicut ipsa copula esset. Si tamen esset periculum pollutionis extra vsum matrimonij, essent mortales, si sine necessitate fierent; quia tunc pollutio esset interpretatiuè volita in illis, vt in causa proximè ad hanc ordinata. 114

Conclvs. III. Dictæ conclusiones veræ sunt, etsi copula coniugibus per accidens esset illicita: vt quia haberi non posset sine aliquo prolis, aut alterius coniugis periculo: aut si essent iam ad eam redditi impotentes ob frigiditatem, &c. Secùs si vouissent castitatem, aut matrimonij valor esset dubius. Patet ex notabili secundo. Ita Sanchez l. 9. disput. 44. numero 21. & seq. *Sanchez.* 115

DISPVTATIO XXXV.

DE DIVORTIO.

CVM hactenus naturam, obligationem, aliósque effectus matrimonij explicuerimus, restat vt breuiter aliquid dicamus de eiusdem solutione, non quoad vinculum, de quo egi disp. 26. sed quoad solum torum, siue etiam cohabitationem, quæ solutio Diuortium dicitur: quod coniuges manente vinculo à se mutuo diuertant. Quod dupliciter fieri potest. Primò, quando vterque ex mutuo consensu Religionem ingreditur: aut vnus Religionem ingreditur, & alter sacris initiatur. Secundò, quando vnus alterum suo toro ac cohabitatione ob aliquam culpam excludit, qui propriè dicitur diuortium facere, idcóque de hoc modo hîc primùm agam.

DVBIVM I.

Qua ratione licet coniugi diuertere ob alterius adulterium?

1 Conclvsio I. Certum est coniugem innocentem posse dimittere adulterum à suo toro & cohabitatione. Patet ex Matth. capit. 19. & omnium Doctorum sententia. *Matth. 19.*

Conclvsio II. Hæc lex desumpta est ex ipsa natura contractus matrimonij: & est iuris naturæ. quia frangenti fidem fides seruanda non est, idcóque coniuges non censentur se obligasse, vt parti diutiùs cohabitent, quàm hæc fidem rorúmque immaculatum seruet.

Concl. III. Hoc ipso quo vni coniugi constat de

alterius adulterio, potest sine sententia iudicis in foro conscientiæ ab eo diuertere. Ita Abbas c. vlt. de adulteriis, n. 6. Armilla v. *Diuortium.* n. 7. Siluester ibidem q. 8. D. Thom. in 4. d. 35. q. 1. a. 3. in corpore. Durandus ibidem q. 1. art. 3. & cum multis aliis Sanchez l. 10. d. 12. n. 5. Probatur, quia innocens non acquirit hoc ius per iudicis sententiam, sed ex ipsa natura contractus: sicut qui emit triticum certo tempore sibi tradendum, hoc ipso quo stato tempore non traditur, habet ius resiliendi à contractu, vt dixi disp. 23. numer. 45. & 46. Propter scandalum tamen, & ordinem fori externi est opus sententia iudicis, nisi adulterium esset ita publicum, vt nulla tergiuersatione posset negari. Tunc enim propria auctoritate liceret diuertere: nec coniux spoliatus petens alterum sibi restitui audiretur. Ita Sanchez lib. 10. disput. 10. num. 11.

Abbas. Armilla. Siluest. D. Thom. Durand. Sanchez.

Sanchez.

3 Nec his obstat c. *Porrò.* de diuortiis, vbi dicitur, neminem vxorem sine iudicio Ecclesiæ posse dimittere ob impedimentum dirimens etiam notorium, quia ibi agitur de dimissione quoad vinculum, quæ longè maioris momenti est; & sicut Ecclesiastica auctoritate vinculum matrimonij debet contrahi, ita etiam solui siue irritum iudicari. In nostro verò casu agitur tantùm de dimissione quoad torum & cohabitationem, quæ minoris momenti & minùs periculosa est. Vnde sequitur, coniugem cui omnino constat alterius adulterium, etsi in foro externo non possit id probare, non teneri obedire iudici sub excommunicatione præcipienti, vt reddat debitum, nec excommunicationem incurrere. Propter scandalum tamen tenetur alteri cohabitare, quòd si abesset, vt si iuisset ad remotas terras, nec ad hoc teneretur. Quare cùm non possit facilè esse publicum eum non reddere debitum, ad hoc non tam facilè tenetur.

4 Conclvs. IV. Quamdiu coniux non est moraliter certus de adulterio alterius, non potest eum dimittere, & adulter potest exigere debitum, & nolentem etiam ad hoc auctoritate iudicis compellere. Quia ipse non est per adulterium ipso facto priuatus iure petendi, sed priuandus per coniugem: qui habet quidem ad hoc ius quasi in actu primo, sed quod non potest exire in actum secundum, donec de adulterio ei constet; sicut communiter de eiusmodi rebus constare potest, quia hæc priuatio est quasi inflictio quædam pœnæ conuentionalis. Vide dicta d. 23. n. 87. Quòd si tamen adultero constaret coniugem certò scire suum adulterium, iniquè omnino tentaret eum id recusantem cogere ad redditionem debiti, quantumuis hoc probari nullo modo posset: vt patet ex dictis loco citato.

5 Conclvs. V. Idem dicendum quando coniux commisisset sodomiam, aut bestialitatem. Secùs si tantùm habuisset tactus impudicos. quia in illis est completa in suo genere iniuria contra fidem matrimonij; non tamen in his. Tam grauis autem pœna requirit iniuriam completam. Ita Sotus in 4. d. 36. a. 1. §. *Verùm* verò. Nauarr. l. 4. tit. de diuort. consil. 1. Henriq. l. 11. c. 8. n. 3. in comm.

Sotus. Nauarr. Henriquez.

6 Conclvsio VI. Eadem in hac parte est ratio, siue vir, siue fœmina adulterium commiserit. quia vterque perfectè frangit datam fidem, & consequenter dat alteri ius resiliendi à pactis. Secùs est quando agitur de accusatione criminali, in qua grauitas iniuriæ attenditur, quæ longè grauior est in fœmina, quàm in viro. Vide Sanchez l. 10. d. 8. vbi multa de doris amissione, & qua ratione innocens adulterum tam ciuiliter quàm criminaliter accusare possit, doctissimè disputat.

Sanchez.

7 Concl. VII. Potest coniux adulterum admittere, etsi eidedisset indirectè occasionem adulterandi: vt si vir vxorem domo expelleret, aut metu cogeret consentire, vt sacris ordinaretur, aut non daret ei sufficientem sustentationem: vt patet c. *Significasti.* de diuortiis. & c. *Veniens.* de couersione coniug. nisi vir hæc ea intentione faceret, vt vxor adulteraretur. tunc enim in eius adulterium tacitè consentiret. Vide Sotum in 4. d. 36. q. vn. a. 1. v. *Secundus casus.* Palud. d. 35. q. 1. a. 2. §. *Secundus casus est.* Siluester v. *Diuortium.* q. 9. dicto. 1. Henriq. l. 11. c. 17. n. 4. Sanchez l. 10. d. 5. n. 4. 5. 6.

Sotus. Paludan. Siluester. Henriquez. Sanchez.

DVBIVM II.

Quænam impediant ne coniux possit ab adultero diuertere, aut in diuortio perseuerare?

8 Conclvs. I. Quoties adulterium non fuit coniugi formaliter iniuriosum, non potest ob id diuertere. quia sola iniuriosa fidei fractio dat hanc facultatem: vt patet ex dub. 1. concl. 2.

Tale autem est Primò, quando coniux expressè vel tacitè consensit illud permittendo, cùm facilè posset prohibere, quia scienti & volenti non fit iniuria. Ita auctores citati n. 7. Habens autem coniugem adulterij suspectam, eamque cùm facilè posset ab eo non prohibens, vt deprehensam dimittat, *non censetur* in id consentire, quia habet iustã causam permittendi.

9 Secundò, quando coniux bona fide credens coniugem obiisse, cum alio contrahit, aut fornicatur. idéque dicendum si crederet matrimonium esse omnino dissolutum, quia Ecclesia id nullum fuisse ex errore iudicauit: aut inter Gentiles ob libellum repudij datum, quo putant ipsi vinculum solui.

Tertiò, quando accedentem ad se inuincibiliter putauit esse suum maritum.

10 Quartò, quando mulier fuit omnino vi cognita. itemque Siluest. v. *Adulterium.* q. vlt. & Rosella ac Armilla ibidem n. 5. asserunt, quando consensit metu graui coacta. Sed Paludan. in 4. d. 35. q. 1. a. 2. casu 5. Durandus ibid. q. 1. a. 1. Sotus in 4. d. 36. q. vn. a. 1. vers. *Et eadem ratione.* & cum multis aliis Sanchez l. 10. d. 5. n. 6. aiunt talem ob metum non excusari, quin vir possit ab ea diuertere, eamque dote priuare, sed solùm ne possit criminaliter accusari, & hoc solum probare quædam argumenta, quæ alij pro se adferunt. Probant, quia nullus metus à peccato excusat, teneturque illa potiùs mori, quàm fidem matrimonij violare, ideóque veram iniuriam marito facit. Quare de rigore credo hoc verius: tamen facere tunc diuortium esset contra caritatem, nisi graues aliquæ causæ ad hoc vrgerent: vt quòd coniux cuperet ingredi Religionem, aut sine magno incommodo non posset alteri cohabitare.

Siluester. Rosella. Armilla. An metus excuset adulterium. Paludan. Durand. Sotus. Sanchez.

11 Conclvs. II. Idem dicendum, quando expressè vel tacitè remissa esset iniuria: vt si coniux conscius alterius adulterij eam liberè cognoscat. censetur enim tunc iniuriam remittere. Secùs si ignarus sit adulterij; aut non voluntariè omnino, sed redimendæ vexationis causa id faciat: vt quando vxor metu mariti, aut præcepto iudicis, antequam possit adulterium probare, ad illud compellitur. vide Sanchez d. 14. vbi hæc fusissimè disputat.

Cognoscēs adulteram remittit iniuriam.

Sanchez.

12 Conclvsio III. *Si* vterque coniux *sit* reus adulterij, neuter potest ab altero diuertere: vt patet ex c. *Significasti.* de diuortiis. quia compensatur mutua iniuria. Nec refert vter priùs commiserit crimen, aut quòd vnus sæpiùs altero, aut quòd vnius crimen sit publicum, & alterius omnino occultum, & coniugem lateat. quia vterque verè fidem matrimonij fregit. Soli autem innocenti conceditur diuortium.

13 Conclvs. IV. Si innocens post factum diuortium commisit adulterium, tenetur alterum emendatum iterum ad torum admittere. Nec refert quòd per

sen-

sententiam Ecclesiæ fuit factum diuortium, quia per hoc non est datum ei aliquod maius ius, sed tantùm declaratum id quod habebat per adulterium coniugis, quod nullo modo dat ei ius fornicandi, sed tantùm separandi se à toro illius. est communis.

14 Quidam tamen excipiunt casum quo innocentis adulterium contingeret postquam diuortij sententia transijsset in rem iudicatam, eò quòd tempus appellationi concessum esset lapsum. Aut quia tres sententiæ concordes fuissent circa eam rem latæ. Putant enim tunc iudicem quidem ex officio ob animarum periculum posse ac teneri coniuges cogere ad cohabitandum: dimissum tamen coniugem nullo modo posse iure alterum repetere. Primò, quia per sententiam in hunc amisit omne ius: & ita huius adulterium nullo modo illi est iniuriosum, vnde non compensantur delicta. Secundò, quia sententia non fuit lata sub conditione si alter postea non fornicaretur, sed absolutè, atque ita absolutè liberauit innocentem ab omni seruitute, qua adultero obligabatur. Sententia autem semel ritè lata nunquam est reuocanda: & seruitus semel amissa nunquam redit. Ideóque hanc sententiam tenent Abbas c. vlt. de adulteriis, n. 5. Siluester v. *Diuortium*, q. vlt. Sotus in 4. d. 36. q. 1. a. 6. ad 3. Sed cum D. Antonin. 3. p. t. 1. c. 21. §. 6. vers. *Item nota.* Petro Soto lect. 12. de matrim. ante fin. & alijs credo contrarium esse multò probabilius. Quia quamdiu manet vinculum matrimonij, vterque habet dominium corporis alterius: quia, vt ostendi d. 24. numer. 3. vinculum matrimonij essentialiter in hoc dominio consistit. Quamuis autem vnus per alterius crimen acquirat ius non reddendi debitum, non tamen fornicandi; nec per sententiam diuortij (quæ ius sancit, non autem crimina fouet) ei vllum ius conceditur, sed ius quod habet declaratur, vt publicè eo liceat vti. Ex eo autem quòd sententia transierit in rem iudicatam, nullum nouum ius conceditur innocenti, nec hic liberatur ab aliis actionibus; sed tantùm efficitur ne reus possit ipsam sententiam ampliùs reuocare in dubium, nisi restituatur in integrum. Nec aliud argumenta contraria probant. quod etiam concedimus. Inde tamen non sequitur, quin ob aliam causam, scilicet iniuriam per recens adulterium sibi factam, possit ei intentare litem, eúmque repetere. Vnde sequitur, eodem modo dimittentem teneri alteri petenti reconciliari, ac si ante sententiam latam contigisset eius adulterium.

Abbas. Siluester. Sotus. D. Anton. Petr. Soto.

Innocens adulterans tenetur adultero coniugi reconciliari etiam postquam diuortium transiit in rem iudicatam. Sententia iudicis non dat ius, sed acquisitum declarat.

16 Excipiendus tamen est casus, quo coniux innocens legitimè esset promotus ad Ordines sacros, aut professus in Religione. quia, etsi talis adulterando posset suo iuri nocere, non tamen ipsi statui, cui fieret iniuria si coniugi restitueretur.

Ad Primum argumentum positum n. 14. nego assumptum, quia, vt ostendi modò, sententia nullum ius dat innocenti, sed tantùm id quod habet declarat. Vnde quando vnius adulterium est omnino notorium, potest alter sine vlla sententia ab eo diuertere.

Ad Secundum Respondeo, Si illud aliquid probaret, etiam probaret innocentem semel etiam sine vlla sententia iustè facto diuortio postea fornicantem non teneri priori coniugi reconciliari, quia absolutè liberatur seruitute reddendi debitum: nec (vt iam ostendi) sententia ei vllum ius concedit, sed quale habeat declarat. Quare quod dicitur seruitutem amissam non redire, intelligendum est, nisi ex noua causa contrahatur, vt fit in nostro casu: atque etiam fieri potest in seruitute mancipiorum. Nam si semel manumissus secundò in bello capiatur, fit iterum seruus. Nec per hoc prior diuortij sententia retractatur. Nam in ea non fuit definitum, innocentem non posse in posterum ampliùs contrahere obligationem reddendi debitum (nam aliàs quantumcumque adultero reconciliaretur, nō teneretur reddere debitum;) sed eum iam de facto ab ea obligatione esse absolutè liberum, cum quo optimè stat eum posse hanc iterum contrahere.

Seruitus deposita, ex noua causa iterum incurritur.

Conclvs. V. Si post alterius, aut vtriúsque adulterium coniuges reconcilientur, quicumque ex iis fornicatur, potest ab altero dimitti. quia per reconciliationem prior iniuria omnino abolita est. 17

Conclvs. VI. Quando vterque adulterium commisit, vnúsque emendatus alterum ad emendationem & reconciliationem inuitauit, reputatur in posterum innocens, & alterum in posterum fornicantem potest dimittere. Cùm enim hic teneatur acceptare reconciliationem, eius oblatio reputatur in alterius fauorem, ac si eam acceptasset, non tamen in fauorem eam recusantis. Quare hic alterum fornicantem non potest dimittere, nisi reconciliationem acceptarit. Vide Siluest. v. *Matrimonium.* 9. q. 6. Henriq. l. 2. c. 5. Sanchez l. 10. d. 7. *Siluester. Henriquez. Sanchez.*

Conclvs. VII. Extra dictos casus innocens numquam absolutè tenetur reconciliari adultero, quia absolutè liber est ab onere coniugali. Honestas tamen quandoque & etiam caritas requirunt, licèt non obligent, vt eum emendatum recipiat, quando id commodè potest, & alterius saluti expedit. & sic intellige c. *si vir.* de adulterijs. vbi dicitur eum debere id facere, scilicet ex æquitate quadam, vt explicat glossa. Adulter verò tenetur redire ad innocentem, quandocunque id petierit, quia hic nullum ius diuertendi habet, nisi alteruter legitimè statum incompossibilem suscepisset. 18

DVBIVM III.

An vir teneatur vxorem persistentem mœchari dimittere?

Conclvs. I. Communiter vir talem vxorem non tenetur dimittere. Insinuatur apertè c. *Quemadmodum.* 25. de iureiurando, §. vlt. Vbi dicitur, turius esse virum talem vxorem non accusare in ordine ad diuortium, si ei hoc iurarit. quia potest ei semper hoc crimen dimittere: quod esset falsum, si teneretur eam dimittere, nam iuramentum eam eo casu non accusandi esset illicitum, ac consequenter non obligaret. 19

Probatur Secundò, quia nec tenetur ratione correptionis fraternæ. quia ad hoc sufficit, vt eam moneat, ac moderatè prout potest puniat, ad quod solùm tenetur. quia illud medium est viro sæpè nimis incommodum: quia tenebitur cœlebs viuere, ac solus domum regere, & pernicioſsim vxori, quæ dimissa liberiùs mœchabitur. Nec etiam ratione scandali, quod nullum erit, si crimen sit occultum: aut si publicum sit, sufficiet virum publicè etiam conari vxorem emendare, eam pro sua potestate puniendo, ne videatur crimini consentire. Quòd si autem aliqui adhuc putent eum consentire, erit scandalum acceptum, non datum, quod non tenetur cum tanto incommodo euitare. Vide Sotum in 4. distinct. 36. qu. vnica artic. 2. concluſ. 2. Paludanum disputatio. 35. quæst. 1. art. 3. concluſ. 4. Rosellam v. *Debitum.* n. 16. Sanchez lib. 10. d. 13. n. 8. *Sotus. Paludan. Rosella. Sanchez.*

Quòd si commodè posset ad tempus diuertendo vxorem emendare, aut scandalum tollere, ad hoc teneretur. Et sic intellige cap. *Si vir.* de adulteriis, & alia iura dicentia virum debere talem dimittere, ne videatur patronus turpitudinis. Sed hic casus rarissimus est. 20

Conclvs. II. Vxor non tenetur à viro adultero diuertere, quia hic per hoc non emendaretur, & eius non est virum corrigere, nisi precibus & suauibus admonitionibus: nisi forte posset ad tempus diuertere, & omnino crederet virum ita emendandum; tunc enim ex caritate ad hoc teneretur. Sed vix vnquam est talis spes.

DVBIVM IV.

ob quas alias causa liceat diuortium?

21 Conclvs. Quando vnus non potest alteri cohabitare sine graui animæ aut corporis periculo, quod meritò virum constantem terreat, potest ab eo diuertere quamdiu periculum durat. Quia iure naturæ quisque potest sibi consulere, nec tenemur cum tanto nostro incommodo alteri obligationi satisfacere. Patet ex cap. *Ex transmissa.* & c. *Litteras.* de restitut. spoliat. Nec tunc diuertens contra mandatum Christi coniugem dimittit; quia non tam hanc deserit, quàm malum fugit, vel potiùs ab altero dimittitur cuius culpa periculum accidit.

22 Hinc sequitur, vnum coniugem posse ab alio diuertere, Primò, si hic fiat omnino furiosus, aut graui & contagioso morbo laboret. quia in his casibus alteri ex cohabitatione graue periculum imminet. Secùs esset si hic fieret quidem stultus, non tamen malus; aut contraheret grauem morbum, non tamen contagiosum. Quia, cùm sanus tunc sine periculo possit ei cohabitare, eiusque curam gerere, ad hoc tenebitur. Vide Nauarr. c. 22. n. 22. P. Henriq. l. 11. c. 4. in fine. Sà v. *Diuortium.* n. 8.

Nauarr. Henriquez. Sà.

23 Secundò, quando vnus ob sæuitiam alterius instè metuit mortem, vel etiam graues valdè plagas inferendas, etiamsi sua culpa causam dedisset. Secùs si vxor moderatam castigationem timeret; quia hanc potest vir inferre, illa non.

Tertiò, quando alter est veneficus: quia eiusmodi coniunctissimis sæpè maximè nocent, vt qui dæmonis consilio agantur.

Quartò, quando vnus nititur alterum pertrahere ad peccatum, hic potest diuertere: imò si probabiliter sibi timeat ne consentiat, tenetur diuertere, si commodè potest, quia quisque tenetur vitare periculum peccati. Quòd si probabiliter speret se omnino non consensurum, non tenetur diuertere; potest tamen ni obstet scandalum. quia alter non potest sua malitia hunc cogere, vt hoc potiùs quàm illo modo tentationi resistat; aut impedire quò minùs viam tutissimam sequatur.

24 Quintò, quando alter labitur in hæresin aut apostasiam. quia horum cohabitatio communiter periculosa est tam coniugi, quàm prolibus. Nec refert quòd hîc & nunc credat non subesse periculum, quia semper subest aliquod, nisi coniux magna diligentia à se & prolibus hoc auertat. quia vel solum exemplum parentis facilè proles ad malum inducit. Quare meritò cap. *De illa.* 6. de diuortijs. Ius generatim decidit, coniugem etiam sine iudicio Ecclesiæ ab hæretico coniuge diuertentem, ei tantùm restituendum, quando conuersus fuerit. Tunc enim, quia causa diuertendi cessauit (sicut etiam in omnibus huius dubij præcedentibus casibus) reuerti debet. In hæresi tamen hoc particulare ibidem additur, vt si hæreticus fuerit iudicio Ecclesiæ separatus, siue condemnatus, tunc coniux etiam emendatum non tenetur recipere. Quia in pœnam hæreseos, omnino suo iure quod habebat vt alter sibi cohabitaret, ac debitum redderet, priuatur remanente solo vinculo matrimonij, idque meritò, quia tunc ob perpetuam infamiam graue est, & aliquo modo infame alteri coniugi tali adhærere. Nec obstat illud Matth. 19. vbi dicitur, coniugem ob solam fornicationem posse dimitti, quia ibi agitur de dimissione, quam ex vi contractus, coniux per se facere possit: non autem de ea quâ in pœnam iudex possit infligere. Cùm enim hic hæreticum possit priuare omnibus bonis, atque etiam vita, quare non poterit priuare iure quod habet in coniugem? Matth. 19.

Hæreticum semel condemnatum quâmuis emẽdatum eõiux post. ea nõ tenetur recipere.

DVBIVM V.

An celebrato ob adulterium legitimè diuortio possint coniuges Religionem ingredi, aut vouere castitatem?

Conclvsio I. Certum est hoc casu innocentem posse ingredi Religionem; quia quaod omnia quæ possent hoc impedire est solutus coniugij legibus, ac si aliter esset mortuus. Nec alter eo casu tenetur simul ingredi; vt apertè colligitur ex c. 15. & 16. de conuers. coniugatorum. 25

Conclvsio II. Idem dicendum de promotione ad sacros Ordines, quia eadem est ratio. Quòd si tamen ante professionem, vel ad Ordinem sacrum promotionem minoribus initiatus, aut nouitius iam factus mœchetur; restituendus est coniugi, nec potest vlteriùs sine eius consensu progredi; aliàs professio erit inualida, quia non habet statum matrimonio incompossibilem, cui per restitutionem fieri possit injuria.

Conclvs. III. Quòd si diuortium fuit iniquè factum, vt quia vnus fuit falsò accusatus: aut si petens diuortium occultè etiam fuerit fornicatus, professio secuta inuito coniuge erit inualida: & ordinatus sacerdos cognita veritate erit coniugi restituendus. Ita D. Thomas in 4. d. 35. q. vnica a. 5. ad 3. Siluester v. *Diuortium.* n. 24. Rosella ibidem n. 6. Armilla n. 15. & alij. 26 D. Thom. Siluester. Rosella. Armilla.

Conclvs. IV. Facto legitimè diuortio adulter nunquam altero inuito potest Religionem ingredi, aut ad Ordines sacros promoueri, quamdiu est moralis aliqua spes, futurum vt alter velit aliquando ei reconciliari. Quia quandocumque hic voluerit, tenetur reconciliari. Quòd si tamen se omnino emendasset sæpiusque ac instanter petiisset reconciliationem, & innocens eam absolutè negarit, posset Religionem aut Ordines suscipere, quia innocens irrationabiliter est inuitus, quia non habet ius vt alter cogatur perpetuò de suo statu incertus manere, nec possit animæ suæ aliquem statum suscipiendo consulere. Quare huius professio aut ordinatio reputaretur, quasi facta ex alterius consensu, nisi esset paratus reconciliari antequam illa fierent. Vide Sanchez disputatio. 10. & 12. Sanchez

Conclvsio V. Idem dicendum quando coniuges iudicio Ecclesiæ separati sunt ob vnius hæresim. Tunc enim innocens nunquam tenetur alteri reconciliari, vt ostendi numero 24. Quare nihil obstat quo minùs possit Religionem ingredi. 27

DVBIVM VI.

Qua ratione coniuges mutuo consensu possint facere diuortium?

Nota, hoc variis modis fieri posse. Primò, vt solùm ex mutuo consensu sine vllo voto separentur toro. Secundò, vt præterea vterq; castitatẽ voueat. Tertiò, vt vir sacros Ordines suscipiat vxore ingrediente Reli- 28

Religionem, aut in sæculo manente. Quartò, vt vnus solus, aut etiam vterque Religionem ingrediatur.

29 CONCLVSIO I. Possunt coniuges, aut vt melius Deo seruiant, aut ob aliam honestam causam ex mutuo consensu separari toro aut ad tempus, aut in perpetuum, prout inter eos conuenerit. quia nullo iure obligantur vti matrimonio, nisi fortè iis periculum incontinentiæ crearetur. Tunc enim ad hoc euitandum tenerentur vti coniugio, nisi sperarent se id aliter facilè posse euitare, patet ex 1. ad Corinth. 7.

1. Cor. 7.

30 CONCLVS. II. Possunt coniuges ex mutuo consensu toro separati similiter continentiam vouere, etiamsi neuter Religionem ingrediatur. Patet ex D. Augustino epistola 199. ad Ecditiam, vbi id multis probat. Propter periculum tamen incontinentiæ, quod tales ex mutua cohabitatione facilè incurrerent, hoc non est facilè faciendum nisi cum matura deliberatione, & cùm ipsi ex longa aliqua experientia compererint se sine notabili aliquo periculo facilè ita viuere posse.

D. Augus.

31 CONCLVS. III. Vir etiam ex vxoris consensu non potest Religionē ingredi, nisi ipsa similiter aliam Religionem ingrediatur, aut sit senex, nec vllo modo suspecta de incontinentia, & in sæculo manens votum castitatis emittat. Est communis Doctorum, & habetur expressè cap. *si quis.* 4. de conuersione coniugat.

1. Si quis.

32 CONCLVS. IV. Probabilius est virum non posse etiam vxore consentiente sacris initiari, nisi ipsa aut Religionem ingrediatur, aut senex sit, & de incontinentia nullo modo suspecta castitatem in sæculo vouerat. Colligitur ex Concilio Agathensi c. 12. & dictis conclusione 3. Quia eadem hîc, aut etiam maior ratio est, scilicet periculum incontinentiæ, quod vxor manens in sæculo, aut etiam vterq; incurreret; cùm vir iam ordinatus ex antiqua cum ea consuetudine facilè posset inflecti, vt ea iterum vt coniuge vteretur, si in sæculo permanentes haberent liberum ad se mutuò accessum. Ita Abbas c. *Coniugatus.* 5. de conuersione coniugat. n. 4. Siluester v. *Diuortium.* q. 17. dicto 2. Armilla ibidem n. 11. Sotus in 4. d. 27. qu. 1. a. 4. v. *Præterea contra eandem,* P. Henriquez lib. 12. cap. 5. n. 10. & cum pluribus aliis P. Sanchez libro 7. disp. 39. n. 6.

Conc. Agathens.

Abbas. c. Coniugati. Siluester. Armilla. Sotus. Henriquez. Sanchez.

Dices, c. *Coniugatus.* citato, vt vir ordinetur solùm requiritur, vt vxor continentiam vouerat; ergo hoc sufficit. 33

Respondeo, ibi requiri vt vxor ita continentiam vouerat, vt vir ab ea sit absolutus, vt ibi dicitur. quod non fit nisi aut ipsa sit omnino vetula, aut Religionem ingrediatur: vt ex aliis Iuribus colligitur.

Et confirmatur. quia c. 1. de conuersione coniug. Alexander III. vt vir Religionem ingrediatur solùm requirit, vt vxor aut Religionem ingrediatur, aut perpetuam castitatem vouerat: cùm tamen idem ibidem c. 4. doceat non sufficere, vt vxor castitatem vouerat, nisi sit ea ætate, vt nullum in ea sit incontinentiæ periculum.

Peres, quare potiùs permittitur coniugibus, vt mutuo consensu manentes in sæculo castitatem vouerant, quàm vt vnus sine altero Religionem ingrediatur; cùm in priore casu appareat maius periculum quàm in secundo Respondeo hoc fieri, quia in priore quando est periculum incontinentiæ, est facilius remedium, obtinendo dispensationem in voto, quæ in simili casu facilè conceditur. Secùs est in secundo. nam in voto sacerdotis, aut Religiosi nunquam nisi fortè ex grauissimis causis dispensatur. 34

Hæc sunt quæ circa doctrinam de Sacramentis disputanda duxi: quam prout potui conatus sum breuiter dilucidéque exponere. quod ad Dei optimi maximi Virginisque Matris gloriam, ac Lectorum vtilitatem cedat.

FINIS.

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Prior numerus paginam, alter notas marginales significat: vbi numerus marginalis solus ponitur, ad proximè designatam paginam refertur.

EX GENESI.

CAP. 1. v. 28. *Crescite & multiplicamini.* pag. 627. num. 2

6. v. 6. *Pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra; & tactus dolore cordis intrinsecus.* 291.3

14. v. 18. *Melchisedec proferens panem & vinum: erat enim sacerdos Dei altissimi.* 245.19. & 246.34. & 35

17. v. 7. *Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum, &c.* 91.3

v. 14. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* 40.143

EX EXODO.

Cap. 12. v. 6. *Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam.* 138.65

21. v. 15. *Qui percusserit patrem & matrem, morte moriatur.* 234.114

24. v. 18. *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum.* 247.39

EX LEVITICO.

Cap. 20. v. 14. *Qui supra vxorem filiam duxerit matrem eius, flagitium operatus est: vinus ardebit cum iis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.* 696.52

23. v. 29. *Omnis anima quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis.* 332.21

v. 32. *Sabbathum requietionis est, & affligetis animas vestras die nono mensis, &c.* 137.61. & *seq.* & 332.21

EX LIB. I. REGVM.

Cap. 2. v. 25. *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* 299.10

21. v. 13. *Collabebatur Dauid inter manus eorum.* 160.34

EX LIB. II. REGVM.

Cap. 12. v. 14. *Verumtamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* 314.107

v. 23. *Nunc autem quia mortuus est, quare ieiunо, &c.* 436.11

EX LIB. III. REGVM.

Cap. 17. v. 18. *Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me vt rememorarentur iniquitates meæ; & interficeres filium meum?* 320.139

EX LIB. II. PARALIP.

Cap. 30. v. 16. *Immolauerunt autem phase decimaquarta die mensis secundi, sacerdotes quoque atque Leuitæ tandem sanctificati obtulerunt holocausta in domo Domini.* 245.20

EX PSALMIS.

Psal. 1. v. 5. *Non resurgent impij in iudicio, & peccatores in consilio iustorum.* 234.114

4. v. 6. *Sacrificate sacrificium iustitiæ.* 243.2

44. v. 17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram.* 552.25

49. v. 13. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? &c.* 15.8. & 252.64

50. v. 5. *Peccatum meum contra me est semper.* 309.79

v. 9. *Mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.* 320.141

78. v. 8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, &c.* 139

80. v. 13. *Dimisit eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* 297.3

96. v. 3. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* 435.7

102. v. 12. *Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit iniquitates nostras.* 320.141

123. v. 4. & 5. *Torrentem pertransiuit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* 436.10

EX ECCLESIASTE.

Cap. 7. v. 14. *Considera opera Dei, quòd nemo potest corrigere quem ille despexerit.* 297.3

11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* 436.16

EX SAPIENTIA.

Cap. 12. v. 10. *Nequam est natio eorum & naturalis malitia ipsorum: & quoniam non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum.* 298.9

v. 20. *Si inimicos seruorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciasti attentione, dans tempus & locum per quæ posset mutari a malitia.* 298.5

14. v. 9. *Similiter odio sunt Deo impius & impietas eius.* 303.101

EX ECCLESIASTICO.

Cap. 21. v. 2. *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* 332.20

EX ISAIA.

Cap. 1. v. 18. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* 320.141

38. v. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* 309.79. & 315.110

EX IEREMIA.

Cap. 8. v. 4. *Numquid qui cadit non resurget? & qui auersus est non reuertetur? quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa?* 328.2

v. 6. *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens: Quid feci?* ibid.

13. v. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; & vos poteritis bene agere, cùm didiceritis malè.* 299.9

17. v. 9. & 10. *Prauum est cor omnium & inscrutabile, quis cognoscet illud? ego Dominus.* 308.73

31. v. 21. *Pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam.* 314.110

EX EZECHIELE.

Cap. 18. v. 22. *Omnium iniquitatum eius quas operatus est non recordabor.* 314.105. & 325.167

v. 23. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis & viuat?* 297.5

33. v. 12. *Impietas impij non nocebit ei in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua.* 314.105. & 325.167

EX OSEA.

Cap. 13. v. 9. *Perditio tua Israël: tantummodo in me auxilium tuum.* 298.5

EX IOELE.

Cap. 2. v. 12. *Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio & in fletu, & in planctu; & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum.* 291.3. & 314.110

v. 25. *Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, & rubigo & eruca.* 325.167

EX AMOS.

Cap.2.v.7. *Filius, ac pater eius ierunt ad puellam vt violarent nomen sanctum meum.* 696.51

Ex Malachia.

Cap.1.v.10. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* 249.48

EX TESTAMENTO NOVO.

Ex Matthæo.

Cap.7.v.6. *Nolite dare sanctum canibus.* 339.19

10.v.37. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* 308.68

v.42. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* 324.160

11.v.21. *Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* 291.3

v.28. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* 297.5

16.v.19. *Tibi dabo claues regni cœlorum, &c.* 5.9.& 10.& 13.& 447.19.& 448.23.& 449.29

18.v.5. *Qui susceperit vnum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* 9.48

v.18. *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, &c.* vide c.16.v.19

23.v.37. *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* 299.5

24.v.13. *Qui autem perseueraverit vsque in finem, hic saluus erit.* 326.168

26.v.11. *Me autem non semper habebitis.* 160.41

v.25. *Accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit.* 207.16

v.26. *Hoc est corpus meum.* 156.4. & *seq. Hic est sanguis meus. ibid.* & 160.38.& 269.116

Ex Marco.

Cap.1.v.8. *Ego baptizaui vos aqua, ille baptizabit vos Spiritu sancto.* 20.17

8.v.35. *Qui perdiderit animam suam propter me & Euangelium saluam faciet eam.* 78.121

10.v.14. *Sinite paruulos venire ad me, &c. talium enim est regnum cœlorum.* 97.54

v.38. *Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor, baptizari?* 436.10

14.v.23. *Et biberunt ex eo omnes.* 236.122

Ex Luca.

Cap.5.v.23. *Quis potest peccata dimittere nisi solus Deus?* 337.14

6.v.37. *Dimittite & dimittemini: eadem enim mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* 321.142

12.v.50. *Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur?* 436.10

13.v.5. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* 305.50

22.v.7. *Venit autem dies azymorum in quo necesse erat occidi pascha.* 139.71.74.& 75

v.19. *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.* 237.3.& 24.16

v.20. *Hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur.* 237.2.& 247.38

24.v.39. *Palpate & videte, quia spiritui carnem & ossa non habet.* 161.46

Ex Ioanne.

Cap.1.v.9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* 298.5

v.17. *Lex per Mosen data est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* 4.19

3.v.5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* 19.9.& 64.20

4.v.2. *Quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.* 337.13

6.v.51. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. hic est panis qui de cœlo descendit, vt si quis ex ipso manducet, viuat in æternum.* 234.112

6.v.53. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* ibid.

v.54. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* 219.64

v.63. *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquam: verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt.* 157.16

9.v.4. *Venit nox quando nemo potest operari.* 320.137

12.v.39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.* 297.3

13.v.8. *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* 61.8

15.v.13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* 77.118.& 79.133

v.22. *Si non venissem & locutus fuissem, peccatum non haberent.* 234.114

20.v.21. *Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos.* 337.10. & 457.29

v.22. *Accipite Spiritum sanctum.* 337.13

v.23. *Quorum remiseritis peccata remittentur eis, &c.* 337.10. 384.2.457.29

21.v.18. *Pasce oues meas.* 445.9.457.29

Ex Actis.

Cap.2.v.42. *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* 234.115

8.v.14. *Cùm autem audissent Apostoli qui erant Hierosolymis, quòd recepissent Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem.* 121.98

13.v.2. *Ministrantibus illis Domino & ieiunantibus.* 249.52

19.v.5. *Baptizati sunt in nomine Domini Iesu.* 542.1

20.v.26.& 27. *Mundus sum à sanguine omnium: non enim subterfugi quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* 406.138

v.28. *Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* 387.19

Ex. Epist. ad Romanos.

Cap.2.v.4. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis: ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram.* 298.5.& 334.32

4.v.11. *Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio.* 5.24

5.v.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* 553.37

6.v.4. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum.* 62.2

9.v.18. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* 297.3

11.v.16. *Quòd si deliberatio sancta est, & massa; si radix sancta, & rami.* 91.5

v.29. *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* 320.141

Ex Epist. I. ad Corinthios.

Cap.3.v.10.& 11. *Vnusquisque autem videat quomodo superædificet: fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus, &c.* 435.6

v.15. *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* 438.23

4.v.1. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* 444.3

5.v.1. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita vt vxorem patris sui quis habeat.* 696.51

v.7. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* 247.37

v.10. *Scripsi vobis in epistola, ne cõmisceamini fornicariis.* 456.24

v.12. *Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare?* 339.21

6.v.15.& 16. *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur? Erunt duo in carne vna.* 695.49

7.v.2. *Propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat.* 715.6

v.5. *Iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram: hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium.* ibid.

v.14. *Sanctificatus est enim Vir infidelis per mulierẽ fidelem, &c. alioquin filij Vestri immundi essent, nunc autẽ sancti sunt.* 91.5
v. 28. *Et si nupserit Virgo, non peccauit; tribulationem autem carnis habebunt huiusmodi. Ego autem Vobis parco.* 7
9.v.13. *Qui altari deseruiunt, de altari participant.* 273.197
10.v.3. *Omnes eandem escam spiritualẽ manducauerunt.* 160.40
v. 17. *Vnum corpus sumus omnes qui de Vno pane participamus.* 219.63
11.v.18. *Audio scissuras esse inter Vos.* 155.1
v. 24. *Hoc est corpus quod pro Vobis frangitur. Hic est calix qui pro Vobis effunditur.* 257.100
v. 25. *Hoc facite quotiescunque biberitis, in meam commemorationem.* 238.4
v.28. *Probet autem seipsum homo.* 221.13
13. v. 3. *Si tradidero corpus meum ita Vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 77.116
5. v. 29. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis; si omnino mortui non resurgant? Vt quid & baptizantur pro illis?* 435.9

Ex Epist. II. ad Corinthios.

Cap.1.v.21. & 22. *Qui autem confirmat nos Vobiscum in Christo, & qui Vnxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* 41.3. & 118.69
2. v. 15. *Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt.* 112.25

Ex Epist. ad Galatas.

Cap. 3. v. 4. *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa.* 325.167

Ex Epist. ad Ephesios.

Cap.5.v. 26. *Mundans eam lauacro aquæ in Verbo Vitæ.* 10.55
v. 32. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* 609.14

Ex Epist. ad Colossenses.

Cap.2.v.12. *Circũcisione Christi consepulti ei in baptismo.* 62.2

Ex Epist. I. ad Timoth.

Cap.2. v. 4. *Qui omnes homines Vult saluos fieri, & ad agnitionem Veritatis Venire.* 297.5
v.15. *Saluabitur autem per filiorum generationem si permanserit in fide, &c.* 609.14
4.v.14. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij.* 547.27. & 553.36
5.v.11. *Cùm luxuriatæ fuerint in Christo, nubere Volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* 674.29

Ex Epist. II. ad Timoth.

Cap.1.v.6. *Admoneo te Vt resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* 553.37
v. 7. *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed Virtutis & dilectionis & sobrietatis.* ibid.

Ex Epist. ad Hebræos.

Cap. 5. v. 1. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, Vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* 245.27. & 274.206
6. v. 4. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* 72.2.336.5
9.v.12. *Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* 251.59
9.v.26. *Nunc autem semel in consummatione sæculorum ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit.* ibid.
10.v.2. *Alioqui cessassent offerri, ideo quòd nullam haberent vltrà conscientiam peccati cultores semel mundati.* ibid.
v. 4. *Impossibile enim est sanguine taurorum aut hircorum auferri peccata.* 252.64
v.26. *Voluntariè enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam Veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia.* 252.66
11.v.6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* 22.27
13. v. 26. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* 243.2

Ex Epist. S. Iacobi.

Cap.2.v.10. *Quicunque autem totam legem seruauerit, offendat autem in Vno, factus est omnium reus.* 321.145
5. v. 14. & 15. *Infirmatur quis in Vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* 541.1. & 144.14. & 545.16. & 546.18.24. & 547.27
v.16. *Confitemini ergo alterutrũ peccata Vestra.* 335.3. & 350.9

Ex Epist. S. Petri I.

2.v.2. *Sicut modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite.* 107.18
3. v. 21. *Quod & Vos nunc similis formæ saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi.* 20.11
4.v.8. *Caritas operit multitudinem peccatorum.* 299.14

Ex Epist. S. Ioannis I.

1. v. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus Vt remittat nobis peccata nostra.* 335.3.350.8

Ex Apocalypsi.

2.v.5. *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam: sin autem, Venio tibi.* 305.50
14.v.13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo iam dicit spiritus, Vt requiescant à laboribus suis.* 436.16

INDEX

DIFFICILIORVM IVRIVM

quæ hoc libro explicantur.

Ex Decreti parte I.

Cap. *Retulerunt*.d.4. 10.n.56
c.*Sextam Synodum*.d.16. 563.n.89
c.*Diaconos*.93.d. 86.n.27

Ex decreti parte II.

c.*Arianos*.1.q.1. 242.n.35
c.*Si quis iratus*.2.q.3. 577.n.14
c.*Quidam*.5.q.1. 464.n.78
c.*Nemo Episcoporum*.11.q.3. 471.n.2
c.*Si quis*.17.q.4. 492.n.155.&c.
c.*Ad limina*.30.q.1. 722.65.&68
c.1.30.q.5.&c.*Videtur*.35.q.6.
c.*Nosce*.30.q.1. 722.65.&68
c.*Latorem*.33.q.2. 523.n.58
c.*Diuortium*.de pœnitentia d.1. 577.n.14
c.*Placuit*.de pœnitentia.d.6. 386.n.14
c.*Comperimus*.de consecratione.d.2. 236.n.125
c.*A quodam Iudæo*. de consecratione.d.4. 68.n.53
c.*Si quis Episcopus*. & c. *Multi sunt*. de consecr. d.4. 73.n.85
c.*Sanctum est*.de consec.d.4. 503.n.237

Ex Decretalibvs.

c.*Pastoralis*.de offic.iud.deleg. 479.n.127
c.vnicum,de sacra vnctione. 117.n.64
c.*Pastoralis*.de Sacramentis non iterandis. 113.n.34
c.*Presbyter*.de Sacram.non iterand. 559.n.68
c.*Dilecta*.de maioritate. 458.n.33
c.*Ex tenore*.de temp.ordinand. 652.n.67
c.*Cùm Apostolica*.de his quæ fiunt à Prælatis. 536.n.81
c.*Dolentes*.de celebratione Missarum. 286.n.295
c.*Cùm Marthæ*. de celebratione Missarum. 149.n.151

c.*Maiores*.de baptismo. 58.n.99.& n.101
c.*Cum dilectus*.de his quæ vi. 659.n.34
c.*Sacris*.de his quæ vi,&c. 467.n.97.& 102
c.*Literæ*.de restitut.spoliatorum. 690.n.12
c.*Quemadmodum*.de iureiurando. 601.n.59
c.*Cùm non ab homine*.de iudiciis. 471.n.2.& 493.n.160
c.*Pastoralis*.de appellationibus. 482.n.82
c.*Tuæ fraternitatis*. de sponsalibus 578.24.& 622.n.62
c.*Iuuenis*.de sponsalibus. 698.n.64.& 66
c.2.de sponsalibus. 593.n.1
c.*Ex literis*.& c. *Requisiuit*.de sponsalib. 584.n.9.& 10
c.*Commissum*.de sponsal. 595.n.14
c.*Gemma*.de sponsalibus. 587.n.29
c.*Quod in te*.de pœnitentiis. 521.n.44
c.*Omnis vtriusque*.de pœnitentiis. 358.n.59
c.*Super eo*.de conditionibus appositis. 665.n.14
c.vltimum,de condit.appos. 668.n.36
c.1.de eo qui duxit. 684.n.64
c.2.de eo qui duxit. & c. *Insuper*.qui matr. accus. possunt. 660. n. 42
c.*Ex publico*.de conuers.coning. 637.n.44
c.2.de cognat.spirituali. 693.n.34.723.n.70
c.1.& 3.de cogn. spirit. & c.*Quod super*.de consang. 672. n. 13.& 14
c.*Non debet*.de consanguinitate. 691.n.17
c.*Gaudemus*.de diuortiis. 639.n.61.& 63.& 690.9.691.17
c.*Ex literarum*.de apostatis. 531.n.38
c.*Tua nos*.de homicidio. 537.n.86
c.*Si verò*.3.de sent.excommun. 498.n.195.&c.
c.*Si verò* 34.& c. *Inter alia*.31.de sent.excom. 488.n.129. & 130
c.*Per tuas*.de sent. excommun. 455.n.17
c.*Nobis*.21.de sent.excommun. 460.n.55
c.*Nobis*.28.de sent. excommun. 458.n.40
c.*significauit*.de sent. excommun. 475.n.33
c.*Inter alia*. le sent. excommun. 488.n.130
c.*Quanto*. de sent. excom. 494.n.172.& 174.& 497.n.189
c.*Cùm illorum*.de sent. excommun. 504.n.239
c.*Ea noscitur*.& c. *Quamuis*. de sentent. excommunic. 504. n. 240. &c.
c.2.de coniugio leprosorum. 717.n.22

Ex VI. Decretalivm.

c.2.de constitut. 460.n.55.466.n.92
c.vnicum,de desponsatione impub. 580.n.34.& 620.n.53
c.*Cui*.de non sacerdotali,de præbendis. 711.n.80
c.*Romana*.de sent.excommun. 455.n.15
c.*Solet*.de sent.excommun. ibid.17
c.*Si sententia*.de sententia excommun. 516.n.5.&c.
c.*Si ciuitas*.de sent.excommun. 517.n.17
c.*Alma*.de sent.excommun. 519.n.27.&c.
Regula. *Actus legitimi*. 500.n.213.& 664.n.10

Ex Clementinis.

c.vnicum,de consanguinitate. 620.n.53
c.*Cui*.de non sacerdotali,de præbendis. 711.n.80

Ex Extravagant. commvnibvs.

Extr.*Vices*.de treuga & pace. 358.n.59.& 395.n.67
Extr.*Antiquorum*.de pœnitentiis. 45.n.34

Ex Tridentino.

sess.6.c.7.de causa formali remissionis peccati. 302.n.32
sess.6.c.16.& can.26.de fructu meritorum. 326.168
sess.6.c.6.& sess. 14. c. 4. quæ pœnitentia necessaria.22.n. 28.& 23.32.& 33
sess.7.can.1.de numero Sacramentorum. 61.n.10
sess.13.c.8.quid operetur votum Sacramenti. 27.n.61
sess. 13. can. 2. & 3. de speciebus manentibus. 153. n. 182. & 155.n.191
sess.14.c.3.de materia pœnitentiæ. 341.n.32.& 342.n.35
sess.14. c. 5. de circumstantiis peccatorum. 367. n. 11.13. & 368.n.15
sess.14.c.7.de casuum reseruatione. 400.n.105
sess. 23. c. 5. de reform. de approbatione confessarij. 391 n. 48. &c.
sess.24.c.1.de reform. matr. de matrimonio clandest. 581, n.47.& 624.n.78

Ex Ivre Civili.

§.*Conditiones*.Institut.de verb.oblig. 663.n.7
l.*Legatus*.ff. de officio proconsulis.& l.*Cùm prætor*.ff.de iudiciis. 388.n.24.389.n.29
l.1.ff.de officio eius cui mandata est iurisd. 536.n.82
l.*Et elegantèr*.ff.de dolo malo. 603.n.74
l.*Cùm ad*.ff.de rebus creditis. 663.n.7
l.*Non facilè*.ff.de gradibus & affin. 695.n.47.& 696.n.50
l.penultim.ff.ad legem Iuliam de adult. 684.n.61
l.*Titiâ*.ff.de verbor.oblig. 586.n.22.& 587.n.29
l.*Si ita stipulatus*.ff.de verborum oblig. 586.n.21
l.*Si stipulatio*.ff.de verb.oblig. 587.n.31
Regula Iuris. 48. 577.n.14
l.*Mulier*.C.de sponsalibus. 584.n.12.& 586.n.22

ELENCHVS

Quæstionum, Articulorum, qui fusiùs explicantur, & Dubiorum quæ toto hoc opere continentur.

Qvæstio LX.

De Sacramentis in genere.

Art. I. *Vtrùm Sacramentum sit in genere signi?* 1
Art. II. Dub. I. *Vtrùm Sacramentum sit necessariò signum practicum?* 2
Dub. II. *Vtrùm Sacramenta significent naturaliter an ex instituto?* 3
Art. IV. Dub. I. *Quid sit Sacramentum in genere?* 4
Dub. II. *Vtrùm Sacramentum sit vniuocum respectu Sacramentorum veteris, & nouæ legis?* 5
Art. V. *Vtrùm requirantur determinatæ res ad Sacramenta?* 6
Art. VI. Dub. *Vtrùm Sacramenta nouæ legis componantur ex re & verbis tanquam ex materia & forma?* 7
Art. VII. Dub. *Qualia verba requirant Sacramenta?* 8
Art. VIII. Dub. I. *Quibus mutationibus corrumpatur forma?* 10
Dub. II. *Quale peccatum sit mutare materiam aut formam Sacramentorum?* 13

Qvæstio LXI.

De necessitate Sacramentorum.

Art. II. *Vtrùm etiam ante peccatum fuerint homini necessaria Sacramenta?* 14
Art. III. Dub. *Quænam Sacramenta ante Christi nativitatem instituta fuerint?* 16

Qvæstio LXII.

De principali effectu Sacramentorum.

Art. I. Dub. I. *An Sacramenta nouæ legis causent gratiam ex opere operato?* 18
Dub. II. *Quam dispositionem requirant Sacramenta in suscipiente, vt producant gratiam?* 22
Dub. III. *Vtrùm idem Sacramentum à diuersis susceptum conferat singulis æqualem gratiam?* 25
Dub. IV. *Quando Sacramenta conferant gratiam iustificantem?* 26

Dub. V. *Vtrùm Sacramenta cum fictione suscepta aliquando reuiuiscant?* 28
Dub. VI. *Qualis dispositio requiratur ad tollendum obicem: & quomodo tunc Sacramentum reuiuiscens suum effectum operetur?* 31
Art. II. *Vtrùm gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum & donorum?* 34
Art. IV. Dub. *Vtrùm Sacramenta sint causæ physicæ gratiæ?* 35
Art. VI. *Vtrùm Sacramenta Veteris legis gratiam causarint?* 40

QVÆSTIO LXIII.
De charactere.

Art. I. *Vtrùm Sacramentum imprimat aliquem characterem in anima?* 41
Art. II. Dub. *Quid sit character?* 42
Art. IV. *Vtrùm character insit animæ indelebiliter?* 43

QVÆSTIO LXIV.
De causa Sacramentorum.

Art. IV. Dub. I. *Vtrùm Christus immediatè per se omnia Sacramenta instituerit?* 45
Dub. II. *Vtrùm Deus possit alicui puræ creaturæ communicare potestatem instituendi Sacramenta conferentia gratiam, & remittentia peccata ex opere operato?* 46
Art. VI. Dub. I. *Vtrùm in peccato mortali conferens Sacramenta, aut conficiens aliqua sacramentalia peccet mortaliter?* 47
Dub. II. *Vtrùm liceat accipere Sacramenta ab eo quem scio in administratione peccaturum?* 50
Art. VII. *Vtrùm Angeli possint Sacramenta administrare?* 51
Art. VIII. Dub. I. *Quæ intentio requiratur in conferente ad valorem Sacramenti?* 52
Dub. II. *Qualis intentio requiratur ad valorem Sacramenti?* 54
Dub. III. *Vtrùm valeat Sacramentum quando minister habet intentiones contrarias?* 57
Dub. IV. *Vtrùm intentio ministri debeat versari circa determinatam materiam?* ibid.
Dub. V. *Qualis intentio requiratur in suscipiente Sacramenta?* ibid.
Art. IX. *An fides ministri sit de necessitate Sacramenti?* 59

QVÆSTIO LXV.
De numero Sacramentorum.

Art. I. *Vtrùm debeant esse septem Sacramenta?* 60

QVÆSTIO LXVI.
De pertinentibus ad Sacramentum baptismi.

Art. I. *Vtrùm baptismus sit ipsa ablutio?* 61
Art. II. Dub. *Quando baptismus à Christo fuerit institutus?* 62
Art. IV. Dub. I. *Quæ sit materia baptismi?* 64
Dub. II. *Vtrùm materia proxima baptismi essentialiter consistat in ablutione actiua, an in passiua?* 65
Art. VI. Dub. *Quæ verba sint de essentia formæ baptismi, ita vt sine iis inualidè conferatur?* 66
Art. VII. Dub. I. *Vtrùm aliquis possit baptizari ea ablutione qua occiditur?* 70
Dub. II. *Qualis ablutio requiratur ad baptismum quoad quantitatem?* 71
Art. VIII. *Vtrùm trina mersio sit de necessitate baptismi?* 72
Art. IX. *Vtrùm baptismus iterari possit, an non?* 73
Dub. I. *Qua ratione baptismus iterari potest circa eos de quibus dubitatur an sint rite baptizati?* 74
Art. XII. Dub. I. *Vtrùm martyrium conferat gratiam visa sine præter meritum patientis?* 76
Dub. II. *Quam dispositionem requirit martyrium in adultis?* 79
Dub. III. *Quando conferatur martyri gratia sine effectus martyrij?* 82

QVÆSTIO LXVII.
De Ministro baptismi.

Art. I. II. III. IV. V. Dub. I. *Quibus de iure competat alios baptizare?* 84
Dub. II. *Quale sit peccatum supradictum ordinem inuertere?* 85
Dub. III. *Vtrùm Diacono aliquando liceat baptizare solemniter?* ibid.
Art. VI. Dub. I. *Qua ratione possint duo eundem baptizare?* 87
Dub. II. *Qua ratione possit aliquis simul baptizare plures?* 89
Art. VII. *Vtrùm in baptismo requiratur aliquis, qui baptizatum de sacro fonte leuet?* 89

QVÆSTIO LXVIII.
De suscipientibus baptismum.

Art. II. Dub. I. *Qua ratione baptismus sit necessarius ad salutem?* 91
Dub. II. *Quando cœperit primùm hæc obligatio baptismi?* 93
Dub. III. *Vtrùm adultus absque reali susceptione baptismi possit adipisci salutem?* 94
Art. III. Dub. *Qua ratione catechumeni adulti, diuino vel Ecclesiastico præcepto ad baptismum teneantur?* 95
Art. IX. *Vtrùm pueri sint baptizandi?* 97
Art. X. Dub. *Vtrùm possint baptizari infantes infidelium inuitis parentibus?* 98
Art. XI. *An pueri in maternis Veteris sint baptizandi?* 101

QVÆSTIO LXIX.
De effectibus baptismi.

Art. I. *Vtrùm per baptismum tollantur omnia peccata?* 102

QVÆSTIO LXX.
De circumcisione quæ præcessit baptismum.

QVÆSTIO LXXI.
De cæremoniis baptismi.

Art. II. Dub. *Quinam ritus, & quas ob causas baptismo adhibendi sint?* 105
Art. III. Dub. *Quam vim habeant cæremoniæ baptismi, aliáque sacramentalia, & qua ratione suos effectus in nobis operentur?* 107

QVÆSTIO LXXII.
De confirmatione.

Art. I. Dub. I. *Vtrùm Confirmatio sit propriè dictum legis nouæ Sacramentum?* 109
Dub. II. *Quando hoc Sacramentum fuerit institutum?* 111
Art. III. Dub. I. *Quæ sit materia essentialis huius Sacramenti?* 112
Dub. II. *Vtrùm Apostoli conferendo hoc Sacramentum vsi fuerint chrismate?* 116
Art. IV. *Vtrùm hæc sit conueniens forma huius Sacramenti,* Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, *&c.* 117
Art. VIII. *Vtrùm hoc Sacramentum sit omnibus exhibendum?* 119
Dub. *Quanta sit obligatio suscipiendi hoc Sacramentum?* 120
Art. XI. Dub. *Vtrùm nemo vnquam nisi solus Episcopus, possit hoc Sacramentum validè conferre?* 121

QVÆSTIO LXXIII.
De Ven. Sacramento Eucharistiæ secundùm se.

Art. I. Dub. *In quibus essentia huius Sacramenti intrinsecè consistat?* 124
Art. III. Dub. *Vtrùm sumptio Ven. Sacramenti vel in re, vel in voto sit medium necessarium ad salutem?* 127

QVÆSTIO LXXIV.
De materia Eucharistiæ.

Art. I. *Vtrùm materia huius Sacramenti sit panis & vinum?* 131
Art. II. Dub. I. *Qualis præsentia materiæ requiratur, vt possit validè consecrari?* 133

Dub. II. *Vtrùm quælibet materia, quantumuis parua possit consecrari?* 134
Dub. III. *Vtrùm materia consecranda debeat determinari per intentionem consecrantis?* ibid.
Art. III. *Vtrùm requiratur ad materiam huius Sacramenti, quòd sit panis triticeus?* 136
Art. IV. Dub. I. *Vtrùm Christus consecrauerit panem ἄζυμον an fermentatum?* 137
Dub. II. *An panis ἄζυμος, vel fermentatus sit materia huius Sacramenti?* 141
Dub. III. *Vtrùm sacerdos Latinus existens inter Græcos debeat celebrare in pane fermentato an verò in ἀζύμο?* 142
Art. V. *Vtrùm vinum vitis sit propria materia huius Sacramenti?* 145
Art. VII. *Vtrùm permixtio aquæ sit de necessitate huius Sacramenti?* 146
Art. VIII. Dub. *Vtrùm aqua quæ ex Ecclesiæ præcepto calici infunditur, necessariò prius conuertatur in vinum, vt possit per formam consecrationis conuerti in sanguinem?* 148

QVÆSTIO LXXV.

De conuersione panis & vini in corpus & sanguinem.

Art. I. *Vtrùm in hoc Sacramento sit corpus Christi secundùm veritatem?* 155
Art. II. *Vtrùm in hoc Sacramento remaneat substantia panis & vini post consecrationem?* 161
Art. IV. Dub. I. *Per quid res sint formaliter in loco?* 164
Dub. II. *Per quid Christus sit formaliter præsens in hoc Sacramento?* 167
Dub. III. *Qua ratione possit idem numero corpus poni in diuersis locis?* 168
Dub. IV. *Quæ requirantur vt vna res in aliam verè conuertatur?* 173
Dub. V. *Qua actione corpus Christi ponatur in Venerabili Sacramento?* 175

QVÆSTIO LXXVI.

De modo quo Christus est in hoc Sacramento.

Art. II. *Vtrùm totus Christus contineatur sub vtraque specie huius Sacramenti?* 178
Dub. *Quid hìc præcisè vi verborum ponatur sub singulis speciebus?* 179
Art. III. Dub. *Qua ratione Christus sit in singulis partibus specierum?* 182
Art. IV. Dub. *Vtrùm quantitas ac reliqua accidentia quæ corpus Christi habet in cælo sint etiam in hoc Sacramento?* 185
Art. V. *Vtrùm corpus Christi sit in hoc Sacramento sicut in loco?* 188
Art. VI. Dub. I. *Quomodo Christi corpus in Sacramento moueri possit?* ibid.
Dub. II. *Vtrùm corpus Christi existens in Sacramento possit alterari ab agentibus naturalibus, aut eadem alterare?* 190
Dub. III. *Quomodo Christi corpus desinat esse sub speciebus?* ibid.
Art. VII. *Vtrùm corpus Christi, prout est in Sacramento, possit videri ab aliquo oculo saltem glorificato?* 191
Dub. *Quas actiones immanentes possit Christus vt existit in Sacramento exercere?* 193
Art. VIII. Dub. I. *Vtrùm in mutationibus miraculosis C... stus eiúsue caro & sanguis verè ibi aliquando appareant?* 194
Dub. II. *Vtrùm, quando per miraculum verè & realiter species in se mutantur in figuram carnis, sanguinis, aut similem, corpus Christi sub iis permaneat?* 195

QVÆSTIO LXXVII.

De accidentibus remanentibus in Sacramento.

Art. I. Dub. I. *Vtrùm, vt accidentia existant sine subiecto opus sit nouo influxu diuino, distincto ab eo quo prius conseruabantur in subiecto?* 196
Dub. II. *Vtrùm accidens existens sine subiecto acquirat nouum modum positiuum, qui terminet ipsius existentiam?* 200
Art. II. *Vtrùm in hoc Sacramento quantitas dimensiua panis & vini, sit aliorum accidentium subiectum?* 201
Art. IV. *Vtrùm species sacramentales possint corrumpi?* 202
Art. V. Dub. *Qua ratione possit aliquid ex speciebus sacramentalibus generari?* 203
Art. VIII. *Vtrùm aliquis liquor possit vino consecrato commisceri?* 204

QVÆSTIO LXXVIII.

De forma Venerabilis Sacramenti.

Art. I. Dub. I. *Vtrùm per verba, Hoc est corpus meum, & à Christo facta sit & à nobis fiat consecratio siue conuersio panis in corpus Christi?* 205
Dub. II. *Vtrùm Christus iisdem verbis egerit gratias Patri, benedixerit pani & vino, ráque consecrauerit?* 207
Art. III. Dub. I. *Vtrùm verba formæ dicantur à sacerdote tantum historicè siue recitatiuè, an verò formaliter, & significatiuè siue assertiuè?* 208
Dub. II. *Quæ verba in vtráque forma sint essentialia?* ibid.
Dub. III. *Quæ mutatio verborum sit essentialis in his formis?* 210
Art. V. Dub. *Vtrùm formæ Sacramentales operentur suum effectum vt veræ?* 211

QVÆSTIO LXXIX.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

Art. I. Dub. I. *Quam dispositionem requirat hoc Sacramentum in homine iusto vt augmentum gratiæ ei conferat?* 212
Dub. II. *Quando communicanti conferatur gratia sacramentalis?* 213
Art. VIII. Dub. *Vtrùm hoc Sacramentum operetur aliquos effectus in corpore nostro?* 218

QVÆSTIO LXXX.

De sumptione huius Sacramenti in communi.

Art. IV. Dub. I. *Quo præcepto conscius sibi peccati mortalis teneatur præmittere confessionem?* 220
Dub. II. *Quando conscio sibi peccati mortalis liceat communicare, non præmissa eius confessione?* 221
Art. VI. *Vtrùm sacerdos debeat negare corpus Christi peccatori petenti?* 223
Art. VII. *Vtrùm nocturna pollutio aliquem impediat à sumptione huius Sacramenti?* 225
Art. VIII. *Vtrùm cibus vel potus præsumptus impediat sumptionem huius Sacramenti?* ibid.
Art. IX. Dub. *Vtrùm, si infantibus detur communio, ipsi eius fructum possint percipere?* 229
Art. X. *Vtrùm liceat quotidie hoc Sacramentum sumere?* ibid.
Art. XI. Dub. I. *Vtrùm præcepto diuino teneamur ad huius Sacramenti susceptionem?* 230
Dub. II. *Quinam obligentur hoc præcepto?* 231
Dub. III. *Quando hoc præceptum obliget?* ibid.
Dub. IV. *Quando teneamur communicare iure Ecclesiastico?* 232
Art. XII. Dub. *Vtrùm laici iure diuino teneantur communicare sub vtraque specie?* 234

QVÆSTIO LXXXI.

De modo quo Christus vsus est hoc Sacramento.

QVÆSTIO LXXXII.

De Ministro huius Sacramenti.

Art. I. Dub. *Vtrùm solus sacerdos possit valide hoc Sacramentum conficere?* 238
Art. II. *Vtrùm plures sacerdotes possint simul vnam & eandem hostiam consecrare?* 239
Art. III. *Vtrùm dispensatio huius Sacramenti pertineat ad solum sacerdotem?* ibid.

QVÆSTIO LXXXIII.

De ritu huius Sacramenti.

Art. I. Dub. I. *Quid sit sacrificium?* 243

Dub. II. *Vtrùm Christus dum in vltima cœna hoc Sacramentum confecit, propriè dictum sacrificium obtulerit?* 246
Dub. III. *Vtrùm Missæ sit verum sacrificium?* 248
Dub. IV. *Quid sit quod propriè in Missæ sacrificio offertur?* 252
Dub. V. *In qua actione sacrificium Missæ essentialiter consistat?* 254
Dub. VI. *Qui in hoc sacrificio offerre possint?* 258
Dub. VII. *Vtrùm hoc sacrificium sit verè propitiatorium & impetratorium, & qua ratione?* 259
Dub. VIII. *Quem effectum hoc sacrificium conferat?* 262
Dub. IX. *Quinam ex fructu huius sacrificij participent?* 264
Dub. X. *Vtrùm effectus huius sacrificij sit infinitus?* 269
Dub. XI. *Quinam sacerdotes, & qua ratione possint accipere eleemosynas pro Sacris suis?* 272

Art. II. Dub. I. *Quoties teneantur sacerdotes celebrare?* 273
Dub. II. *An cuiuis sacerdoti liceat quotidie celebrare?* 274
Dub. III. *Vtrùm liceat eidem sacerdoti sæpius eodem die celebrare?* 275
Dub. IV. *Qua hora diei liceat celebrare?* 276
Art. III. Dub. I. *Qua ratione ad hoc sacrificium requiratur locus sacer?* 277
Dub. II. *Qua ratione ad hoc sacrificium requiratur altare eiusque ornatus?* 279
Dub. III. *Qua ratione requirantur ad hoc sacrificium vasa ac vestimenta sacra?* 280
Art. V. *Vtrùm ea quæ in huius Sacramenti celebratione aguntur, sint conuenientia?* 281
Art. VI. *Vtrùm sufficienter possit occurri defectibus circa celebrationem huius Sacramenti occurrentibus statuta Ecclesiæ obseruando?* 283
Dub. *Qua ratione Christiani obligentur ad audiendum Sacrum diebus Dominicis & festis?* 285

TOMO SECVNDO.

DISPVTATIO I.
De pœnitentia vt est virtus.

Dub. I. *Quid nomine pœnitentiæ significetur?* 291
Dub. II. *In quo actu est formalis ratio pœnitentiæ constituta?* 292
Dub. III. *Quod sit obiectum materiale virtutis pœnitentiæ?* 293
Dub. IV. *Quod sit obiectum formale pœnitentiæ, & an sit specialis virtus?* 294
Dub. V. *Vtrùm quem pœnitet huius peccati, necessariò eum pœniteat omnium?* 295
Dub. VI. *Vtrùm pœnitentia sit in voluntate?* 296

DISPVTATIO II.
De effectu pœnitentiæ quoad remissionem peccatorum.

Dub. I. *Vtrùm omnia peccata possint per pœnitentiam remitti?* 297
Dub. II. *Qualis requiratur pœnitentia ad remissionem peccati mortalis?* 299
Dub. III. *Qua ratione contritio concurrat ad remissionem peccati mortalis?* 300
Dub. IV. *Qua ratione ac ordine communiter in nobis excitetur perfecta pœnitentia?* 302
Dub. V. *Quid sit timor seruilis?* 303
Dub. VI. *Qua ratione ad remissionem peccati omnes actus dub. 4. recensiti requirantur?* 304
Dub. VII. *Qua ratione ad veram contritionem requiratur dolor summus, siue detestatio peccati?* 307
Dub. VIII. *Vtrùm teneamur de singulis peccatis particulatim conteri?* 309
Dub. IX. *Vtrùm debeamus vnum peccatum magis detestari quàm alterum?* 310
Dub. X. *Vtrùm Deus possit remittere peccatum mortale sine pœnitentia, aut infusione gratiæ?* ibid.
Dub. XI. *Vtrùm Deus possit remittere vnum peccatum mortale sine alio?* 313
Dub. XII. *Vtrùm simul cum culpa semper remittatur omnis pœna ei debita?* 314
Dub. XIII. *Vtrùm Deus per absolutam potentiam possit remittere culpam, non remittendo æternam pœnam?* 315
Dub. XIV. *Qua ratione requiratur pœnitentia ad remissionem peccati venialis?* ibid.
Dub. XV. *Vtrùm peccatum veniale possit remitti sine mortali aut originali?* 319
Dub. XVI. *Vtrùm in remissione peccati venialis semper infundatur noua gratia?* ibid.
Dub. XVII. *Qua ratione peccata venialia remittantur post hanc vitam?* ibid.
Dub. XVIII. *Vtrùm peccata semel remissa per subsequens redeant?* 320
Dub. XIX. *Vtrùm per ingratitudinem, quæ continetur in peccato subsequente, æquiualenter redeant omnia peccata remissa?* 322
Dub. XX. *Qua ratione bona opera per peccata præcedentia mortificata, per pœnitentiam reuiuiscant?* 323

DISPVTATIO III.
De præcepto pœnitentiæ.

Dub. I. *Vtrùm peccator teneatur aliquando pœnitere, ita vt peccet non pœnitendo?* 328
Dub. II. *Vtrùm peccator obligetur ad contritionem iure naturæ, an positiuo?* 329
Dub. III. *Pro quo tempore obliget præceptum contritionis?* 331
Dub. IV. *Vtrùm quis teneatur aliquando conteri de peccato sibi remisso?* 334

DISPVTATIO IV.
De Sacramenti pœnitentiæ institutione ac essentia.

Dub. I. *Vtrùm in lege noua sit aliquod propriè dictum Sacramentum pœnitentiæ, distinctum à baptismo?* 335
Dub. II. *Vtrùm sacerdos in Sacramento pœnitentiæ verè peccata remittat?* 337
Dub. III. *Quæ sit huius Sacramenti materia & forma?* 340
Dub. IV. *Vtrùm hoc Sacramentum ex dictis actibus & forma absolutionis tanquam ex partibus intrinsecè componatur?* 341
Dub. V. *Qualis debeat esse dolor peccati, vt possit esse pars Sacramenti?* 342
Dub. VI. *Vtrùm dolor de peccato requisitus ad hoc Sacramentum debeat necessariò saltem natura præcedere ipsam confessionem?* 343
Dub. VII. *Qua ratione satisfactio sit pars Sacramenti?* 344
Dub. VIII. *Quid propriè significent verba formæ: Ego te absoluo à peccatis tuis?* ibid.
Dub. IX. *Vtrùm verba propriè dicta sint de essentia huius formæ?* 347
Dub. X. *Vtrùm absolutio sacramentalis possit dari absenti?* ibid.
Dub. XI. *An hoc Sacramentum possit esse informe?* 348

DISPVTATIO V.
De confessionis sacramentalis necessitate.

Dub. I. *Vtrùm confessio omnium peccatorum mortalium sit iure diuino necessaria?* 349
Dub. II. *Quo tempore peccator iure diuino ad confessionem obligetur?* 254
Dub. III. *Vtrùm posito casu quòd Christus ita instituisset Sacramentum confessionis, & esset cuiuis liberum illud suscipere,*

aut non suscipere? Ecclesia potuisset eius vsum præcipere? 355
Dub. IV. Vtrùm Ecclesia potuerit præcipere annuam confessionem? 356
Dub. V. Quinam obligentur hoc præcepto? ibid.
Dub. VI. Qua ratione debeat computari annus, intra quem conscius sibi peccati mortalis teneatur ex præcepto Ecclesiæ confiteri? 357
Dub. VII. Vtrùm vt quis satisfaciat huic præcepto, sufficiat cum quauis parte anni confiteri? 358
Dub. VIII. Vtrùm is qui vno anno hoc præceptum non impleuit, teneatur statim initio sequentis anni confiteri? ibid.
Dub. IX. Qualis requiratur confessio vt satisfiat præcepto confitendi, tam diuino, quàm Ecclesiastico? 359
Dub. X. Quænam excusent ab impletione præcepti confessionis? 360

DISPVTATIO VI.

De qualitate confessionis, seu quomodo facienda sit.

Dub. I. Vtrùm confessio debeat necessariò voce fieri? 361
Dub. II. Vtrùm confessio debeat secretò fieri? 362
Dub. III. Vtrùm omne mendacium in confessione admissum sit peccatum mortale? ibid.
Dub. IV. Qua ratione peccet, qui vni confessario primo confitetur omnia peccata sua mortalia, & deinde alteri venialia? 363
Dub. V. Quando confessio sit inualida? 364

DISPVTATIO VII.

De confessionis integritate.

Dub. I. Vtrùm sit necessarium suscipientem hoc Sacramentum omnia peccata mortalia, quorum sibi conscius est, vni eidemque integrè confiteri? 365
Dub. II. Qua ratione singulæ species peccatorum distinctè explicandæ sint? 366
Dub. III. Qua ratione circumstantiæ peccatorum sint explicandæ? 367
Dub. IV. Quænam sint circumstantiæ, quæ in particulari explicandæ sunt? 368
Dub. V. Vtrùm is qui facit rem iure positiuo prohibitam, peccet contra obedientiam; an verò contra aliam aliquam virtutem? 370
Dub. VI. Vtrùm faciens opus duplici lege prohibitum, committat duplex peccatum? 373
Dub. VII. Qua ratione numerus peccatorum in confessione sit explicandus? 374
Dub. VIII. Qua ratione dubia peccata sint confitenda? 376
Dub. IX. Quænam excusent ab integritate confessionis, ita vt possint aliqua peccata omitti? 377
Dub. X. Vtrùm absoluendus sit moribundus, qui nullum peccatum in particulari potuit confiteri; sed solùm signa generalia doloris ostendere? 381
Dub. XI. Vtrùm ad integritatem confessionis necesse sit aliqua peccata secundò confiteri? 383

DISPVTATIO VIII.

De ministro huius Sacramenti.

Dub. I. Vtrùm solus sacerdos sit minister huius Sacramenti? 384
Dub. II. Qua ratione in ministro huius Sacramenti requiratur iurisdictio? 385
Dub. III. Qua ratione in hoc foro acquiratur iurisdictio? 387
Dub. IV. Quinam possint delegare iurisdictionem? 388
Dub. V. Qua ratione delegetur iurisdictio, aut per consuetudinem acquiratur? 389
Dub. VI. Vtrùm validè absoluat qui dubitat an habeat iurisdictionem? 391
Dub. VII. Qua ratione in confessario requiratur approbatio Episcopi? ibid.
Dub. VIII. Quinam de iure aut consuetudine possint sibi confessarium eligere? 393
Dub. IX. Vtrùm confitentes Religiosis priuilegiatis aut alicui alteri ratione particularis priuilegij, satisfaciant præcepto de annua confessione? 394
Dub. X. Vtrùm facultas alicui data vt audiat confessiones, aut vt confessarium eligat, expiret morte concedentis? 395
Dub. XI. Qua ratione sit in Ecclesia potestas reseruandi aliqua peccata, ita vt inferior non possit ab iis absoluere? 396
Dub. XII. Quis possit directè absoluere à casibus reseruatis? 397
Dub. XIII. Vtrùm is qui non habet potestatem absoluendi à reseruatis, possit extra periculum mortis ab aliis peccatis absoluere eum qui tales casus habet? 399
Dub. XIV. Vtrùm Superior inferiori petenti facultatem, vt possit alicui alteri confiteri casus reseruatos, & ab eo absolui, id teneatur concedere? 401
Dub. XV. Vtrùm Superior possit supradictam facultatem concedere cum onere vt pœnitens eadem peccata teneatur sibi postea confiteri? 402
Dub. XVI. Qualis bonitas aut scientia in confessario requiratur? 404
Dub. XVII. Quæ sint obligationes ministri huius Sacramenti? ibid.

DISPVTATIO IX.

De sigillo confessionis.

Dub. I. Qua ratione confessarius obligetur sigillo? 407
Dub. II. Quo iure inducta sit tam stricta sigilli obligatio? 410
Dub. III. Quinam teneantur obligatione sigilli? 412
Dub. IV. Vtrùm liceat sacerdoti extra confessionem vti scientia in ea comparata? 414

DISPVTATIO X.

De satisfactione.

Dub. I. Quid hìc nomine satisfactionis intelligamus? 418
Dub. II. Vtrùm possimus satisfacere pro culpa mortali, vel veniali, aut pœna æterna? ibid.
Dub. III. Vtrùm possimus satisfacere pro pœnis peccato remisso adhuc restantibus? 420
Dub. IV. Quænam requirantur ad condignam satisfactionem pro pœnis peccato debitis? 421
Dub. V. Vtrùm existens in peccato mortali præsertim damnatus, possit satisfacti pro pœna temporali peccato remisso restante? 423
Dub. VI. Vtrùm qui possit satisfacti pro pœna debita peccato veniali antequam peccatum sit remissum? 424
Dub. VII. Qua ratione aliquis possit pro alio satisfacere pro pœnis temporalibus peccato remisso restantibus? 425
Dub. VIII. Qualem pœnitentiam teneatur confessarius iniungere? 426
Dub. IX. Qua ratione pœnitens obligetur ad implendam pœnitentiam iniunctam? 427
Dub. X. Vtrùm impletio pœnitentiæ à confessario iniunctæ sit pars Sacramenti, & habeat effectum ex opere operato? 430
Dub. XI. Ad quid valeat pœnitentia expleta in statu peccati mortalis? 432
Dub. XII. Quinam possint pœnitentiam semel iniunctam mutare? ibid.

DISPVTATIO XI.

De Purgatorio.

Dub. I. Vtrùm animæ aliquæ post hanc vitam in Purgatorio pœnis temporalibus expientur? 434
Dub. II. Quo loco sit Purgatorium? 437
Dub. III. Quas pœnas animæ in Purgatorio patiantur? ibid.
Dub. IV. Quanto tempore animæ in Purgatorio detineantur? 440
Dub. V. Qua ratione animæ egressæ corporibus iudicentur, & ad loca destinata deferantur? ibid.
Dub. VI. Vtrùm animæ in Purgatorio sint omnino certæ de sua salute: aut mereri aut demereri in eo possint: aut ante plenam purgationem ex eo aliquando egredi? 441
Dub. VII. Qua ratione animæ quæ sunt in Purgatorio nostris suffragiis iuuari possint? ibid.
Dub. VIII. Quibus defunctis nostra suffragia prodesse possint? 443

DISPVTATIO XII.

De Indulgentiis.

Dub. I. Vtrùm in Ecclesia aliquis thesaurus constans ex satisfactionibus Christi & Sanctorum, quem Prælati per Indulgentias

gentias dispensare possint? ibid.
Dub. II. *Cuius potestatis actus sit concessio Indulgentiarum: & quomodo operentur effectum, an per modum absolutionis, an verò per modum simplicis solutionis?* 445
Dub. III. *Quem effectum habeant Indulgentiæ?* 446
Dub. IV. *Vtrùm Indulgentiæ requirant certam formulam, & vtrùm hæc latè, an strictè interpretanda?* 448
Dub. V. *Quomodo diuersæ formulæ Indulgentiarum intelligendæ sint?* ibid.
Dub. VI. *Qualis causa requiratur, vt Indulgentiæ sint validæ?* 449
Dub. VII. *Qualis requiratur dispositio in eo qui lucratur Indulgentias?* 450
Dub. VIII. *Vtrùm opus præceptum debeat esse honestum?* 451
Dub. IX. *Vtrùm quis eodem tempore possit lucrari diuersas Indulgentias?* ibid.
Dub. X. *Vtrùm defunctis possint conferri Indulgentiæ & quibus?* ibid.
Dub. XI. *Quæ requirantur vt Indulgentiæ defunctis prosint?* 452
Dub. XII. *Quomodo desinant valere Indulgentiæ?* ibid.

DISPVTATIO XIII.

De censuris in genere.

Dub. I. *Quid sit censura & quotuplex?* 453
Dub. II. *Quomodo diuidantur singulæ censuræ, & qua formæ ferri debeant?* 454
Dub. III. *Vtrùm in Ecclesia sit potestas ferendi censuras?* 456
Dub. IV. *Quinam possint ferre censuras?* 457
Dub. V. *Quæ conditiones requirantur in ferente censuras vt eas valide ferat?* 458
Dub. VI. *Quinam possint ligari censuris.* ibid.
Dub. VII. *Vtrùm iudex possit ferre censuras in suum subditum existentem in alieno territorio, aut in alienum existentem in suo territorio?* 459
Dub. VIII. *Ob quæ peccata possit ferri censura?* 462
Dub. IX. *Vtrùm in ferenda censura necessariò adhibenda sit monitio vel alia solemnitas?* 464
Dub. X. *Vtrùm ignorantia excuset à censura incurrenda?* 465
Dub. XI. *Quæ ignorantia excusat à censura incurrenda?* 466
Dub. XII. *Quis metus excusat à censura incurrenda?* ibid.
Dub. XIII. *Vtrùm censura possit ferri in innocentem, qui secundùm allegata iuridicè probata est nocens?* 468

DISPVTATIO XIV.

De excommunicatione.

Dub. I. *Quid & quotuplex sit excommunicatio?* 471
Dub. II. *Quinam excommunicati iam sint euitandi, & quo iure?* 472
Dub. III. *Vtrùm iam cum excommunicatis toleratis eodem modo nobis liceat communicare, ac si non essent excommunicati?* ibid.
Dub. IV. *In quibus teneamur vitare excommunicatos non toleratos?* 474
Dub. V. *De primo effectu excommunicationis.* ibid.
Dub. VI. *De secundo effectu excommunicationis.* 476
Dub. VII. *De tertio effectu excommunicationis.* 477
Dub. VIII. *De quarto effectu excommunicationis.* 479
Dub. IX. *De quinto effectu excommunicationis.* 480
Dub. X. *De sexto & septimo effectu excommunicationis.* 483
Dub. XI. *Qua ratione priuet communicatione forensi?* 485
Dub. XII. *De nono effectu excommunicationis.* 487
Dub. XIII. *De decimo & vndecimo effectu.* 489
Dub. XIV. *Quale peccatum sit communicare cum excommunicatis in casibus prohibitis?* 490
Dub. XV. *Qua ratione excommunicationem incurrat, qui clericum aut monachum percutit?* 492
Dub. XVI. *Qua ratione tollatur excommunicatio?* 500
Dub. XVII. *De excommunicatione minore.* 506

DISPVTATIO XV.

De Suspensione.

Dub. I. *De natura & diuisione Suspensionis.* 507
Dub. II. *Quos effectus habeat Suspensio?* 508
Dub. III. *Quinam & quas ob causas suspendi possint?* 509
Dub. IV. *Qua ratione Suspensio impediri vel tolli possit?* 510
Dub. V. *In quibus casibus sit Suspensio à iure lata?* 512

DISPVTATIO XVI.

De depositione & degradatione. 514

DISPVTATIO XVII.

De Interdicto & cessatione à diuinis.

Dub. I. *Quid sit Interdictum, & quotuplex?* 515
Dub. II. *Qui sint effectus Interdicti, siue quænam per ipsum prohibeantur?* 518
Dub. III. *Quale sit peccatum violare Interdictum?* 523
Dub. IV. *Quas pœnas incurrant violantes Interdictum?* 524
Dub. V. *Quæ interdicta iure lata sint?* ibid.
Dub. VI. *Quomodo possit Interdictum relaxari?* 625
Dub. VII. *Quid sit cessatio à diuinis, & quos effectus habeat?* ibid.

DISPVTATIO XVIII.

De irregularitate.

Dub. I. *Quid sit irregularitas & quotuplex?* 526
Dub. II. *Quale peccatum requiratur vt incurratur irregularitas.* 527
Dub. III. *Quibus verbis soleat in Iure ferri irregularitas?* 529
Dub. IV. *Quænam excusent ab irregularitate, quæ in pœnam ob aliquam culpam imponitur?* ibid.
Dub. V. *Qua ratione contrahatur irregularitas per illicitam susceptionem Sacramentorum?* 530
Dub. VI. *Quando incurratur irregularitas ob malum vsum Ordinum?* 531
Dub. VII. *De irregularitate ob hæresim, simoniam, alia ve crimina, vel ob infamiam contracta.* 532
Dub. VIII. *De irregularitate proueniente ex homicidio, aut mutilatione voluntaria.* 533
Dub. IX. *Vtrùm aliquis fiat irregularis, si alium casu præter intentionem, aut ob suam suorúmve defensionem occidat?* 535
Dub. X. *De irregularitate ob defectum lenitatis quæ à ministris iustitiæ aut militibus contrahitur?* 538
Dub. XI. *De irregularitate proueniente ex digamia.* 539
Dub. XII. *De irregularitate ex defectu natalium.* 540
Dub. XIII. *De irregularitate ob defectum corporis vel animi.* ibid.
Dub. XIV. *Quomodo tollatur irregularitas?* 541

DISPVTATIO XIX.

De Extrema vnctione.

Dub. I. *Vtrùm Extrema Vnctio sit Sacramentum?* 541
Dub. II. *Quæ sit materia huius Sacramenti?* 542
Dub. III. *Quot vnctiones in hoc Sacramento requirantur?* 543
Dub. IV. *Quæ sit forma huius Sacramenti?* 544
Dub. V. *Qui sint effectus huius Sacramenti?* 545
Dub. VI. *Quando hoc Sacramentum conferat suum effectum?* 546
Dub. VII. *Quibus hoc Sacramentum sit conferendum?* ibid.
Dub. VIII. *Vtrùm hoc Sacramentum possit secundò ab eodem suscipi?* 547
Dub. IX. *Quis sit minister huius Sacramenti?* ibid.
Dub. X. *Vtrùm sit aliqua obligatio suscipiendi vel administrandi hoc Sacramentum?* 548

DISPVTATIO XX.

De Ordine.

Dub. I. *Quis sit Ordo?* 548
Dub. II. *Quot sint Ordines Ecclesiastici, & quam antiqui fuerint?* 549
Dub. III. *Quinam Ordines sint maiores, & qui minores. Item, quinam sint sacri qui non: & quæ sint singulorum officia?* 550
Dub. IV. *Vtrùm iure diuino vnus Ordo sit altero superior?* 551
Dub. V. *Vtrùm Ordo, siue sacra ordinatio sit Sacramentum?* 553
Dub. VI. *Vtrùm singulorum Ordinum collatio sit verum Sacramentum?* 554
Dub. VII. *Quæ sit singularum ordinationum materia & forma?* 556
Dub. VIII. *Quis sit effectus huius Sacramenti?* 560
Dub. IX. *Quis sit minister huius Sacramenti?* 561

Dub. X. *Quæ requirantur in eo qui Ordines ſuſcepturus eſt?* 564
Dub. XI. *Qua lege ſacris Ordinibus initiati prohibeantur ducere vxorem?* 566
Dub. XII. *Qua ratione initiatis Ordinibus ſacris prohibitum ſit vti matrimonio priùs contracto?* 568
Dub. XIII. *Vtrùm ſacris Ordinibus initiati obligentur ad continentiam immediatè per præceptum Eccleſiæ, an verò ſolùm mediante voto continentiæ?* 570
Dub. XIV. *Vtrùm inualidè infantes, ignorantes, aut inuiti ordinati obligentur ad continentiam?* 571

DISPVTATIO XXI.
De natura & eſſentia ſponſalium.

Dub. I. *Quid ſint ſponſalia?* 575
Dub. II. *Qualis requiratur promiſſio ad conſtituenda ſponſalia?* 576
Dub. III. *Quæ verba vel ſigna requirantur ad contrahenda ſponſalia vel matrimonium?* 578
Dub. IV. *An matrimonium per verba de præſenti inualidè contractum habeat vim ſponſaliumè* 580
Dub. V. *Quinam poſſint contrahere ſponſalia?* 582

DISPVTATIO XXII.
De obligatione ac effectu ſponſalium.

Dub. I. *Qua ratione ſponſalia obligent?* 583
Dub. II. *Vtrùm iniuſtè à ſponſalibus reſiliens cogendus ſit ea implere?* 584
Dub. III. *Qua ratione poſſint arrha apponi Sponſalibus vt hæc confirmentur?* ibid.
Dub. IV. *Vtrùm iniuſtè reſiliens à ſponſalibus teneatur illud duplum aut quadruplum acceptæ arrhæ ſoluere ante ſententiam iudicis?* 585
Dub. V. *Vtrùm contractui ſponſalium validè apponantur pœnæ perſoluendæ ab iniuſtè reſiliente?* 586
Dub. VI. *Quantum obliget ſimplex promiſſio matrimonij?* 588
Dub. VII. *Qua ratione obligetur is qui iuratus matrimonium promiſit ſine animo ſe obligandi?* 589
Dub. VIII. *Quæ oriatur vtramque obligatio, quando Petrus promiſit Paulo dare vnam ex filiabus in vxorem, atque his acceptauit?* 591
Dub. IX. *Qui ſint alij effectus ſponſalium?* 592
Dub. X. *Vtrùm quis poſſit validè ſe obligare Deo ad contrahendum cum aliqua matrimonium, ſiue vtrùm matrimonium poſſit eſſe materia voti?* ibid.

DISPVTATIO XXIII.
Quibus modis ſponſalia diſſoluantur.

Dub. I. *Vtrùm ſponſalia puberum mutuo contrahentium conſenſu diſſoluantur?* 593
Dub. II. *Quomodo diſſoluantur ſponſalia impuberum?* ibid.
Dub. III. *Quomodo ſponſalia diſſoluantur, aut irritentur per votum Religionis, vel caſtitatis, aut per ſuſceptionem Ordinis ſacri?* 594
Dub. IV. *Qua ratione matrimonium, vel ſponſalia ſubſequentia dirimant priora cum alia contracta?* 597
Dub. V. *Vtrùm ſponſalia dirimantur per ſubſequens impedimentum?* 598
Dub. VI. *Vtrùm quando vnus ex ſponſis eſt in mora in complendis ſponſalibus, alter poſſit licitè ab ijs reſilire?* 599
Dub. VII. *Vtrùm fornicatio ſponſi, vel ſponſæ det alteri ius ſoluendi ſponſalia?* 601
Dub. VIII. *Quænam aliæ cauſæ dent parti ius diſſoluendi ſponſalia?* 502
Dub. IX. *Vtrùm ſponſalia, quibus contrahendis dolus cauſam dedit, ſint omnino irrita, ita vt nullam ex vtraque parte pariant obligationem, neque etiam impedimentum publicæ honeſtatis?* ibid.
Dub. X. *Vtrùm quando pars decepta, poſtquam cognouit ſe habere iuſtam cauſam reſiliendi à ſponſalibus, habuit copulam cum altera parte, poſſit nihilominus hac inuita reſilire à ſponſalibus?* 603
Dub. XI. *Qualis probatio requiratur ad diſſoluenda ſponſalia?* 604
Dub. XII. *Vtrùm laborans occulto defectu, qui cognitus partem omnino à ſponſalibus contrahendis auerteret, & daret ei iuſtam cauſam à contractu reſiliendi, poſſit nihilominus cum illius ignaro ſponſalia contrahere, eumque cogere vt contracta impleat?* ibid.

DISPVTATIO XXIV.
De ijs quæ ſpectant ad eſſentiam matrimonij in genere.

Dub. I. *Quid ſit matrimonium?* 607
Dub. II. *Vtrùm matrimonium ſit verum Sacramentum?* 608
Dub. III. *Quæ ſit materia, forma, & miniſter Sacramenti matrimonij?* 612
Dub. IV. *Quis conſenſus, quæve intentio ſit de eſſentia matrimonij?* 617
Dub. V. *Vtrùm Deus vel Eccleſia poſſit ſupplere conſenſum contrahentium, vt ſine eo poſſit eſſe matrimonium?* 620
Dub. VI. *Vtrùm quis poſſit validè contrahere cum ea quam falsè putat ſuam eſſe conſanguineam, ſi ſciat conſanguinitatem eſſe impedimentum dirimens?* ibid.
Dub. VII. *Vtrùm vt valeat matrimonium, conſenſus vtriuſque contrahentis debeat ſimul exiſtere?* 621
Dub. VIII. *Qua ratione conſenſus internus debeat neceſſariò exterius exprimi?* 622
Dub. IX. *Vtrùm matrimonium poſſit contrahi per procuratores?* 623
Dub. X. *Qua ratione matrimonium inualidè contractum poſſit poſtea validari?* 625

DISPVTATIO XXV.
De inſtitutione, obligatione & fine matrimonij.

Dub. I. *Vtrùm tam poteſtas, quàm obligatio contrahendi matrimonium ſit iuris naturæ?* 627
Dub. II. *Quem finem contrahentes matrimonium debeant intendere, vt hoc licitè faciant?* 628
Dub. III. *Quanta requiratur certitudo mortis coniugis, vt quis licitè ſecundò contrahat?* 630

DISPVTATIO XXVI.
De vnitate & inſolubilitate matrimonij.

Dub. I. *An matrimonium ſit neceſſariò vnius cum vna & inſolubile?* 630
Dub. II. *Quo iure matrimonium ſit omnino indiſſolubile, ac polygamia illicita?* 632
Dub. III. *Vtrùm matrimonium ratum ſoluatur per profeſſionem in Religione approbata, aut per Pontificis diſpenſationem?* 634
Dub. IV. *Quantum temporis concedatur coniugibus, vt poſſint deliberando de Religionis ingreſſu, differre conſummationem, qualiſque conſummatio requiratur, vt deſinant poſſe ingredi?* 636
Dub. V. *Qua ratione ſoluatur matrimonium infidelium per conuerſionem alterius ad fidem?* 638
Dub. VI. *Quænam probationes requirantur vt matrimonium probetur inualidè contractum, ita vt diſſoluatur?* 641

DISPVTATIO XXVII.
De matrimonio clandeſtino.

Dub. I. *Quo iure matrimonia clandeſtina ſint illicita aut irrita?* 642
Dub. II. *Quis poſſit ordinaria poteſtate matrimonio aſſiſtere, aut alteri aſſiſtendi licentiam concedere?* 644
Dub. III. *Quæ requirantur vt licentia aſſiſtendi matrimonio, alteri validè fiat?* 646
Dub. IV. *Quales teſtes, qualiſve tam eorum, quàm Parochi præſentia requiratur?* 647
Dub. V. *Qua ratione requirantur proclamationes?* 648
Dub. VI. *Quis poſſit diſpenſare, vt omittantur proclamationes, vel poſtponantur matrimonio, & qualis ad hoc cauſa requiratur?* 649
Dub. VII. *Vtrùm ſcientes impedimentum matrimonij teneantur id reuelare: quâque ratione teneatur Paſtor, aut Ordinarius eo ad ſe delato procedere?* 651
Dub. VIII. *Qua ratione requiratur benedictio aliaque ſolemnitas?* 652
Dub. IX. *Quas pœnas incurrant clandeſtinè contrahentes?* ibid.
Dub. X. *Quas pœnas incurrant Parochus, aut teſtes aſſiſtentes*

Ies matrimonio clandestino? 654

DISPVTATIO XXVIII.

De matrimonio metu contracto.

Dub. I. *Quando & quo iure matrimonium metu contractum sit irritum?* ibid.

Dub. II. *Quis metus dicatur grauis, seu cadens in constantem virum?* 657

Dub. III. *Quale peccatum sit, ex metu graui contrahere matrimonium, aut consummari?* 659

Dub. IV. *An matrimonium graui metu contractum confirmetur iuramento, vel copula subsecuta?* 660

Dub. V. *Vtrum Superiores, vel parentes possint filiis certas nuptias præcipere, & hi teneantur obedire?* 661

DISPVTATIO XXIX.

De consensu conditionato.

Dub. I. *Quid operetur conditio honesta & possibilis adiecta matrimonio?* 663

Dub. II. *Qua ratione valeant sponsalia vel matrimonium sub his conditionibus, Si Deo, Ecclesiæ, vel parenti placuerit, si Pontifex in impedimento dispensauerit, si baptizatus fuerit, &c.* 666

Dub. III. *An matrimonium aut sponsalia inita sub conditione contraria substantiæ matrimonij, turpi, vel impossibili, sint valida?* 668

Dub. IV. *Quid operetur causa, demonstratio, dies, vel modus adiecta contractui sponsalium vel matrimonij?* 669

DISPVTATIO XXX.

De impedimentis matrimonij in genere.

Dub. I. *Quinam possint impedimenta matrimonij inducere, præsertim dirimentia?* 670

Dub. II. *Quot sint, & quantum obligent impedimenta dirimentia?* 672

Dub. III. *Quot sint impedimenta impedientia tantùm, quantumq; obligent?* 673

DISPVTATIO XXXI.

De impedimentis triplicis erroris, disparis cultus, raptus, criminis, voti solemnis ac impotentiæ.

Dub. I. *Qua ratione error personæ aut qualitatis irritet matrimonium?* 676

Dub. II. *Qua ratione error conditionis seruilis irritet matrimonium? quâ vel ratione seruis matrimonium liceat?* 678

Dub. III. *Qua ratione matrimonium fidelis cum infideli sit irritum?* 681

Dub. IV. *An raptus dirimat matrimonium?* 682

Dub. V. *Quæ crimina dirimant matrimonium?* ibid.

Dub. VI. *Quo iure votum solemne Religionis dirimat matrimonium?* 684

Dub. VII. *Qua ratione impotentia dirimat matrimonium?* 686

DISPVTATIO XXXII.

De impedimento triplicis cognationis, affinitatis & publicæ honestatis.

Dub. I. *Qua ratione consanguinitas impediat matrimonium?* 688

Dub. II. *Qua ratione cognatio spiritualis contrahatur, ac matrimonium impediat?* 692

Dub. III. *Quomodo cognatio legalis dirimat matrimonium?* 694

Dub. IV. *Qua ratione affinitas contrahatur, ac matrimonium dirimat?* 695

Dub. V. *Quale sit impedimentum publicæ honestatis?* 697

DISPVTATIO XXXIII.

De dispensatione impedimentorum matrimonij.

Dub. I. *Quid sit dispensatio, & à quibus fieri possit?* 698

Dub. II. *An dispensatio, aut potestas dispensandi alicui delegata latè interpretanda sit?* 700

Dub. III. *Quinam possint dispensare in impedimentis matrimonij?* 702

Dub. IV. *Vtrùm Pontifex possit dispensare in radice matrimonij?* 703

Dub. V. *Quæ sint iustæ causæ dispensandi in impedimentis matrimonij?* ibid.

Dub. VI. *Quando expressio falsi aut reticentia veri à petente dispensationem commissa hanc irritet?* 705

DISPVTATIO XXXIV.

De mutua coniugum obligatione quantum ad vsum matrimonij.

Dub. I. *Qua ratione actus matrimonij sit licitus?* 714

Dub. II. *Qua ratione coniuges obligentur ad vsum matrimonij siue petendo, siue reddendo debitum?* 716

Dub. III. *Quænam excusent à debito reddendo?* 717

Dub. IV. *Vtrum, quoties coniux peccat petendo debitum, alter peccet ei reddendo?* ibid.

Dub. V. *Qua ratione votum castitatis impediat vsum matrimonij, si ante eiusdem contractum aut consummationem remittatur?* 718

Dub. VI. *Ad quid obligentur coniuges, qui post matrimonium consummatum vouerunt castitatem?* 719

Dub. VII. *Ad quid obligentur coniuges qui vouerunt Religionem ingredi, sacros Ordines suscipere, aut nunquam contrahere matrimonium?* 721

Dub. VIII. *Qua ratione cognatio spiritualis matrimonio contracto superueniens, eius vsum impediat?* 722

Dub. IX. *Quænam aliæ circumstantiæ reddant matrimonij vsum illicitum?* 723

Dub. X. *Qua ratione liceat coniugi vti matrimonio quod credit esse inualidum, aut saltem de quo dubitat?* 724

Dub. XI. *Qua ratione inter coniuges liceant tactus, aut cogitationes morosæ?* 728

DISPVTATIO XXXV.

De diuortio.

Dub. I. *Qua ratione liceat coniugi diuertere ob alterius adulterium?* 729

Dub. II. *Quænam impediant ne coniux possit ab adultero diuertere, aut in diuortio perseuerare?* 730

Dub. III. *An vir teneatur vxorem persistentem mœchari dimittere?* 731

Dub. IV. *Ob quas alias causas liceat diuortium?* 732

Dub. V. *An celebrato ob adulterium legitimè diuortio possint coniuges Religionem ingredi, aut vouere castitatem?* ibid.

Dub. VI. *Qua ratione coniuges mutuo consensu possint facere diuortium?* ibid.

INDEX

RERVM PRÆCIPVARVM

quæ in hoc vtroque volumine tractantur.

Absolutio, Absoluere.

Necessariò profertur verbis. pag. 347.66

Absolutio sacramentalis quomodo differat ab absolutione fori externi. 345.51

Absolutionis forma quid propriè significet. 344.49. & seq.

Absoluere non potest qui non est sacerdos. 385.4

Absolutio inualidè datur absenti. 347.68

Absolutio directa quid sit. 359.68

Non potest sacerdos à quibusdam directè absoluere, & ab aliis indirectè si in omnia habeat iurisdictionem. 379.79

Absolutionis forma potest esse vera nulla facta remissione. 346.59

Absolutio à solis reseruatis communiter illicita. 379.81

Prælati an subditos non integrè audire possint. 82

An absoluēdi nullius peccati in particulari memores. 366.6
Absolutio facilius danda crebrò relabentibus in venialia quàm in mortalia. 318.130
Absolutio sacramentalis an possit dari sub conditione futura contingenti. 56.86
Cur minùs quàm aliæ absolutiones. 87
An sub hac conditione: *Si Deus nouit te restituturum.* 57.88
Significat suum effectum ex sola Dei institutione. 3.15
Forma absolutionis non significat immediatè solam remissionem peccati. 88.45
Non valet hæc forma prolata à pluribus, *Nos te absoluimus.* 89.48
Absolutio quomodo possit diuidi. 400.102
Iisdem verbis potest quis absolui à censuris & peccatis. 475.31
Potest Pontifex reddere aliquem incapacem absolutionis respectu omnium inferiorum. 474.27
Qui sola reseruata confitetur, inualidè absoluitur: secùs de eo qui simul alia bona fide confiteretur. 475.29

Accidens.

Accidentia signa substantiæ, & cuius propriè. 162.51
Dicuntur aliquando natura. 163.58
Non existunt existentia substantiæ. 63
Quid sit accidens pendere à subiecto. 199.26. & 28
Accidenti essentiale non est inhærere. 196.2
Accidentia quæ maneant in Eucharistia. 177.168. & seq.
Singulari ac supernaturali Dei concursu conseruatur extra subiectum. 199.19
Extra subiectum nouum modum acquirit quo terminetur. 200.35
Accidentia substantiæ panis necessaria deesse quomodo cognoscatur. 282.50
Vide Christus, §. Accidentia Christi.

Actio.

Actio non est mera denominatio extrinseca respectu causæ. 197.10
Actio quomodo differat à passione & influxu causæ. 12
Eadem potest esse materia grauis in vno genere, & in alio leuis. 490.143
Vide Christus, §. Actiones Christi.

Actus externus.

Si sola denominatione extrinseca sit malus, non potest puniri ab Ecclesia. 463.71
Exprimendus in confessione. 366.7
Sufficienter indicat internum cui substat. ibid.
Actus externi religionis vnde habeant quòd sint tales. 372.38
Quomodo interrumpantur vt iidem esse desinant. 347.49
Externo durante censetur durare internus. 375.53

Actus internus.

Actus interni à quo specificentur. 293.17. per accidens aliqui ad eos compelluntur. 655.6
Diuersi possunt habere idem obiectum formale. 293.17
Ab Ecclesia puniri nequit. 463.71
Est sæpè conditio requisita vt exterior puniatur. ibid.72
Nihil operatur nisi exterior exprimatur. 74

Adam.

An si Adam non peccasset, futura fuissent Sacramenta, aut sacrificia. 15.5.8
An eodem non peccante posteri peccassent, ac peccantes à Deo relicti fuissent sine spe veniæ. 16.11

Adoptio.

Adoptio quid sit? 694.42. Est duplex. ibid.
Quomodo differat arrogatio ab adoptione imperfecta. ib.

Adulterium.

Licitè exigit debitum adulter à coniuge ignara. 605.87
Coniux tenetur reddere quamdiu crimen ignorat. 89
An metus excuset adulterium. 730.10
Cognoscens adulteram remittit iniuriam. 11
Innocens adulterans tenetur adultero coniugi reconciliari etiam postquam diuortium transiit in rem iudicatam. 731.15
Adulterium sine machinatione mortis, etiam cum ficta promissione de matrimonio contrahendo post mortem coniugis, dirimit quandoque matrimonium. 683.57
Tacens videtur eiusmodi promissionem acceptare. 58
An conditionata promissio sufficiat. 59. Adulterium & promissio debent simul esse ante mortē coniugis. 684.60

Aetas.

Quando Ius præscribit alicui actioni certam ætatem, requirit completam. 582.51
Ingenij maturitas eam supplet. 52

Affinitas.

Affinitas iam non parit affinitatem. 697.56
Gentiles validè contrahūt cum quauis affini in linea transuersa. 57
Affinitas priùs cōtracta etiam ex fornicatio post baptismum matrimonium dirimit. ibid.
Qualis copula ad affinitatem sit necessaria. 695.46
Affinitas quid sit? 45
Apud omnes gentes reperitur. 46
Naturaliter valdè dedecet contrahere cum affini in linea recta. 696.50

Agnus paschalis.

Agnus paschalis potissima figura Eucharistiæ. 130.55
Christus eum comedit decimaquarta die mensis primi 139.74
Eodem die quo eum comedebant ex lege Iudæi. 139.71

Albanenses.

Negant in Ecclesia esse potestatem ferēdi censuras. 456.24

Albigenses.

Negant Extremam vnctionem esse Sacramentum. 541.1

Altare.

Altare ad sacrificandum necessarium. 245.26.279.238
Non tamen essentialiter. 246.28
Quale esse debeat. 279.238
Altaria sunt duplicia. 239
Altaris sigillum. 240
An in eo necessariò ponantur reliquiæ. 241
Quomodo debeat insterni. 281.243

Amens.

Amens temporaliter potest ligari censuris, non verò amens perpetuò. 459.46. & 47
Factus amens inualidè ordinatur, nisi id ante petierit. 565.100

Amicitia.

Amicitia duplicem amorem includit. 301.24
Læsa quomodo reparetur. 418.2

Angeli.

Angeli per quid sint in loco. 165.72
Moueri possunt moto aliquo corpore & quomodo. 168.97
Quomodo se diffundant per spatium. 172.123. & 183.39
Angelus potest videre aliqua supernaturalia. 192.114
Potest sine speciebus infusis res præsentes videre. 193.115
Potest cognoscere rem existentem quam antè ignorabat esse possibilem. 117
Angeli non possunt esse ordinarij ministri Sacramentorum. 51.55

Apostoli.

Sæpè excommunicarunt. 456.24
Apostoli iam facti omnino continenter vixerunt. 567.112

Apparitio.

Apparitio Christi in Ven. Eucharistia. 194.121
vide Christus, §. Christi visio, &c.

Approbatio.

Approbatio non dat iurisdictionem, hæc tamen sine illa inualidè conferrur. 392.49
Ad quorum confessiones audiendas non requiratur. & quando. 48. 49
Approbare idoneum tenetur requisitus Episcopus. ibidem. non potest tamen nisi subditum. 50
An approbatus in vna diœcesi transferens se ad aliam indigeat noua approbatione. 52. & seq.
An ad nouam Episcopus possit cogere. 57

Approbario validè negatur etsi iniustè. 393.58
Semel data sine iusta causa reuocari nequit. 59

Aqua.

Quæ aqua dicatur naturalis. 64. 22
Aqua mista vino per verba consecrationis immediatè vertitur in sanguinem. 148. 144
Probabiliùs non posse conuerti in vinum. 151. 167. & sequ.
Etiam ex mente Aristotelis. 153. 178
Vide Baptismi materia, *&* Eucharistiæ materia.

Archiepiscopus.

Non habet iurisdictionem in subditos Episcoporum sibi subditorum, nisi dum visitat. 388. 21. aut dum ad eum prouocatum est. 21
In quos possit ferre censuras. 457. 31
Quid possit in subditos suorum Suffraganeorum. 644. 17

Argumentum.

Argumentum à contrario sensu inefficax est. 690. 12
Argumentum à contrario sensu sæpè fallit, præsertim cùm infert pœnam. 722. 68

Aristoteles.

Non sensit aquam conuerti posse in vinum. 153. 178

Arrha.

Tripliciter accipitur. 584. 11. quæ circa illas iure statuta sint. 12
Necessariò de facto traditur. 585. 13
Potest in fundo ac quauis quantitate constitui. 15
Ad quid obligentur dantes arrhas pro filiis. 16

Artificialia.

Quid potiùs significent, formam artificialem an materiam. 7. 33

D. Athanasius.

Validè olim baptizauit inter ludendum adhuc puer. 53. 65

Attritio.

Qualis esse debeat. 343. 52. quî differat à contritione. 22. 25
Debet includere propositum ea peccata non ampliùs committendi. 318. 129
Præcedit ordinariè naturaliter actum contritionis. 306. 56
non tamen semper. 57
Extendens se ad omnia peccata mortalia sufficit ad iustificationem cum Sacramento. 299. 13
Extra Sacramentum delet venialia in iustis. 317. 124
Etiam sola virtualis. 318. 129
Non tamen semper omnia ad quæ se extendit, & quare. 316. 125. & 318. 127
Cur vnum præ alio. 318. 127
In Sacramento delet omnia ad quæ se extendit. 128
Perfecta sufficit ad percipiendam gratiam in Sacramento baptismi & pœnitentiæ, etiam nota talis. 23. 31. & sequ.
An sufficiat attritio virtualis. 34
An hæc contineatur in actu spei. 24. 37

S. Augustinus.

Obscurè aliquando de Eucharistia locutus. 159. 27
Alibi tamen clarissimè se explicat. 160. 32
Primus docuit Sacramenta reuiuiscere. 28. 65. & sequ.
Eiusdem epistola 118. ad Ianuar. c. 1. explicatur, vbi hæretici obiiciunt eum docere tantùm duo Sacramenta esse instituta à Christo. 45. 8
Augustini locus difficilis de forma baptismi explicatur. 10. 53. & seq.

Authoritas.

Authoritas Superioris læsa quomodo reparetur. 418. 2
Reparatio læsæ authoritatis & amicitiæ possunt separari. 3

Auus.

Auus per se est principium nepotis, nec ei debetur minor reuerentia, quàm patri. 691. 18

Baptismus.

Eius essentia & institutio.

Baptismus non consistit in sola ablutione. 7. 38
Verbum concionatorium impertinens ad essentiam baptismi. 8. 45. & 10. 52
Eius definitio. 62. 3. Varia nomina. 2
Baptismus propriè dictus est vnicus. 76. 107
Institutus est ante Christi passionem. 62. 7. & seq.
Paulò post baptismum Christi. 63. 14
Susceptio in baptismo est necessariò actio quædam cæremonialis. 693. 28

Eius materia.

Lutherus vult esse materiam baptismi quidquid nuncupari potest nomine balnei. 64. 19
Materia eius remota est aqua vera ac naturalis. 20
Quæ aqua dicatur naturalis. 22
Aqua ex sale resoluta non est materia. ibid.
Nec liquores expressi è plantis. 23
Fortè tamen tenuis cereuisia. 23
Non item sputum, sudor & similes humores. 24
Neque nix, nec glacies, nisi soluantur. 65. 27
An quantumuis parua quantitas aquæ sit materia. 72. 81
Materia proxima est ipsa ablutio. 65. 25
Hæc requirit motum aliquem aquæ à ministro factum circa corpus baptizandi. 26
Vera est ablutio sine abstersione sordium. 30
Et in quibus consistat. 31
Fieri potest sine immersione, siue infusione. 70. 65
Potest quis baptizari ablutione qua occiditur. 68
Numquam tamen licet aliquem baptizando occidere. 71. & seq.
Nec secare etiam volentem matrem vt infans baptizetur. 75
Ablutio debet fieri necessariò circa aliquam partem corporis baptizandi. 72. 78
Puer iam natus secundinis adhuc inuolutus potest baptizari. ibid.
Sufficeret etiam capillos solos madefieri aqua, secùs est de vestibus. ibid.
Ablutio debet esse talis qua quis dici possit ablutus. 79
An sufficiat quamuis partem lauari, v.c. extremum digitum manus aut pedis. 80
Ablutio trina non est de necessitate baptismi. 84
Fuit tamen olim præcepta. 73. 86
An possit vsque ad tertiam ablutionem suspendi Sacramentum. 87

Eius forma.

An valeat hæc forma baptismi, *Ego te baptizo in nomine genitoris & geniti & procedentis ab vtroque.* 12. 68. & 54
Speculatiuè videtur valere. 55. esset tamen in praxi graue peccatum ea vti. 56
An hæc valeat: *Ego te baptizo in nomine sanctæ Trinitatis.* 12. 68
An hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & B. Virginis.* 12. 70. & 13. 73
An hæc: *Baptizo te in nomine Patris increati, & Filij creati à Patre, & Spiritus sancti creati ab vtroque.* 12. 71
An hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* 13. 77
Forma Lutheri inepta. 66. 34
Valida est hæc forma. *Baptizet te Deus* vel *Christus*, siue, *Baptizeris à Deo vel Christo*, &c. 36. & 39
In forma baptismi necessariò exprimenda est ipsa actio ministri. 36. & 67. 42
Non est necessarium directè exprimere personam ministri. 67. 47
Necessarium est exprimere personam baptizandam. 48
Quando censeatur sufficienter exprimi. 68. 50
Inualida est hæc forma, *Vtinam baptizet te Christus*, &c. 67. 47
In forma necessaria est explicita inuocatio trium personarum, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. 68. 52

Neque contrarium definiuit Nicolaus Papa. 53
Hæc forma, *Baptizo te in nomine ingeniti & geniti, siue imaginis & doni.* Item. *In nomine potentiæ, sapientiæ, & boni,* minimùm est dubia. 57
Non videtur legitima hæc forma: *Ego te baptizo in vnum Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum,* vel, *In vno Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto.* 69. 59
Minùs valida est hæc: *Ego te baptizo cum Patre, cum Filio, & Spiritu sancto.* 60
Peruersa omnino est hæc: *in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto.* ibid.
Baptismus nullo tempore validè collatus fuit in nomine solius Christi. 62. & seq.
Latinus vtens forma Græcorum validè baptizat, sed peccat mortaliter. 66. 35
Pronomen, *Ego,* non requiritur ad essentiam baptismi. 67. 45
Omittens peccat saltem venialiter. ibid.
Forma Latinorum melior est quàm forma Græcorum. 68. 51
Hæc particula formæ, *In nomine,* est essentialis; nec habet synonymum. 69. 58
Præpositio, *In,* non est de essentia formæ. 61
Similiter nec coniunctio, *Et.* ibid.
Quæ sit baptismi forma dum iteratur sub conditione. 75. 98
Forma immediatè significat externam ablutionem. 87. 34
Duo aut plures simul baptizantes, inualidè vtuntur hac forma: *Nos te baptizamus.* 88. 43. & seq.

Eius effectus.

Baptismus imprimit characterem. 41. 3
Quomodo per baptismum configuremur sepulturæ Christi. 70. 66. quomodo resurrectioni. 70
Baptismus remittit omnes pœnas debitas peccatis. 96. 47. & 102. 5
Non tegit, sed verè tollit peccata. 102. 2
Confert gratiam & virtutes. 103. 8. etiam infantibus. 10
Adultis inæqualiter dispositis confert gratias inæquales. 12
Vide Ad suscipiendum Sacramentum dispositio.
Baptismus reuiuiscit recedente fictione. 30. 72
Vide Sacramenti reuiuiscentia.
Baptismus est Sacramentum aliud à pœnitentia. 336. 6
In baptismo non remittuntur peccata per modum iudicij. 339. 21
Baptismus Christi quare dicatur baptismus pœnitentiæ. 336. 8

Eius necessitas & obligatio.

Hæretici negant ad salutem necessarium esse baptismum. 91. 4
De fide est esse necessarium. 6
Baptismus necessarius est infantibus necessitate medij strictissimè extra casum martyrij. 92. 14
Qua ratione adultis sit necessarium medium. 15
Iustificatis ex præcepto est necessarius etiam iis qui fuerunt iustificati ante eius institutionem. 17
Baptismus non cœpit esse necessarius necessitate medij ante mortem Christi. 93. 20
Nec statim post mortem. 23
Sed verisimilius duntaxat in pentecoste. 24. idque per totum orbe. ibid.
Catechumenus potest per contritionem iustificari sine baptismo. 94. 29. atque etiam saluari. 94. 31
Omnes adulti tenentur præcepto diuino statim ac commodè possunt baptizari. 95. 37
Ex iusta causa possunt differre. 40
Ecclesia nulli potest præcipere baptismum. 41
Adultus incertus de suo baptismo tenetur curare se iterum sub conditione baptizari. 75. 103
Etiam eo casu quo probabiles sunt vtrimque sententiæ Doctorum. 104

Eius iteratio.

Baptismus non potest iterari. 73. 89
Verè dubius sub conditione debet iterari. 74. 91
Quando censeri debeat verè dubius. 90
De quo nulla est probabilis causa dubitandi, non potest iterari. 92
Baptismus collatus ab obstetricibus non debet semper sub conditione iterari, sed illæ primò sunt examinandæ. 94
Collatus ab hæreticis quando sit cum conditione iterandus. 75. 96
An vnus testis sufficienter probet baptismum. 97
Quæ sit forma baptismi dum iteratur sub conditione. 98
An cæremoniæ semel adhibitæ sint repetendæ. 100
Pœna scienter rebaptizantis & rebaptizati. 76. 105
Rebaptizans aut rebaptizatus est irregularis. 530. 34
Illius crimen debet esse publicum, secùs huius. 36. & seq.

Eius subiectum.

Petens baptismum ab alieno Parocho extra necessitatem peccat. 93. 10
In adulto suscepturo baptismum requiritur intentio. 97. 50
Vide Sacramenti intentio.
Ad effectum Sacramenti requiritur dolor de admisso peccato mortali. 22. 28. Item fides. 51
Infantes sunt capaces baptismi. 53. & seq.
Responsio ad oppositiones hæreticorum. 56
Infantes infidelium validè baptizantur inuitis parentibus. 98. 66
Communiter tamen licitè. 69
Quibus casibus licitè. 100. 76. & 79
An tum debeant eripi parenti. 77
Quid dicendum de filiis hæreticorum. 81
Amentes sunt capaces baptismi. 101. 93
Adulti à natiuitate muti, surdi insuper & cæci capaces sunt baptismi. 94

In eo susceptor seu fideiussor.

Necessarius est susceptor, sponsor siue fideiussor in baptismo. 89. 54
Non potest is esse monachus aut infidelis. 90. 56
Aut ipse parens citra necessitatem. 57
Nec plures quàm duo. 59
Peccat Parochus admittens plures. ibid.
Susceptor ad quid teneatur. 60

Eius minister.

Baptismus ex duplici capite requirit certum ministrum. 84. 6
Episcopus suo quasi iure primò & per se est minister baptismi. 7
Sacerdos auctoritate acceptata ab Episcopo. 8
Non hoc ipso præcisè quo est sacerdos. 9
Diaconus ex officio non est minister baptismi. 12
Potest tamen munus baptizandi ex iusta causa ei committi. 13
Sed non potest concedi potestas ordinaria aut extraordinaria sine necessitate. ib. non requiritur extrema. 14
Quinis potest esse minister baptismi posita extrema necessitate. 15
Extra illam nemo inferior diacono etiam ex commissione Episcopi. ibid.
Laïcus non potest baptizare præsente clerico, nec clericus præsente subdiacono, &c. ibid. si faciat, qualiter peccet. 85. 16. & seq.
Sacerdos licitè baptizat sibi subditos præsente Episcopo. 17
Mortaliter peccat qui baptizat præsente sacerdote qui vult & potest. 18. Item qui præsente diacono. 19
Venialiter solùm peccat qui baptizatus, catholicus, nulla censura irretitus baptizat, præsente quouis alio digniore qui non sit sacerdos aut diaconus. ibid. 20
Mortaliter peccat excommunicatus baptizans præsente alio. 21

Quomodo peccet præferens hæreticum aut infidelem, aut non baptizatum fideli baptizato. 22
Nemo potest alterius nomine baptizare. 694. 40
Baptizans non solemniter quacumque inuersione debiti ordinis non fit irregularis. 85. 23
Inferior diacono baptizans solemniter circa commissionem Papæ fit irregularis. 86. 24
Diaconus ex commissione Episcopi aut sacerdotis solemniter licitè baptizat. 26
Sine alterutrius commissione baptizans solemniter fit etiam irregularis. 27
Duo nunquam validè baptizant vt causæ partiales. 87. 32
Possunt tamen id facere vt causæ totales. 36
Quanquam illicitè. 88. 41
Etiam inualidè si vtantur hac forma, *Nos te baptizamus*. 43 & seq.
Vnus minister validè baptizat plures simul, & in necessitate licitè. 89. 50
Eo casu essent tot Sacramenta quot baptizati. 53

Eius cæremoniæ.

Defenduntur contra hæreticos. 105. 1. & seqq.
Cur adhibeantur baptismo. 4
Cæremoniæ seu ritus olim & ex parte iam præuij baptismo. 7. & seq.
Comitantes baptismum. 106. 15. subsequentes. 17
Cæremoniæ semel adhibitæ non sunt repetendæ. 75. 100
Non necessariò simul cum baptismo adhibentur. ibid.
Cæremoniarum effectus. 107. 21
Vide Sacramentalia.

Baptismus Ioannis.

Baptismus Ioannis quomodo discrepet à baptismo Christi. 20. 17. & 62. 8
Baptismus quo Christum baptizauit, quasi exemplar fuit Sacramenti baptismi. 63. 14
D. Ioannes quomodo dicat se baptizare aqua, Christum autem baptizaturum in Spiritu sancto. 64. 21

Benedictio.

Benedictio quid propriè, quid in Scripturis significet. 207. 12
Benedictio Christi super panem à consecratione distincta. 14. Item à gratiarum actione. 15

Beneficium.

An validè conferatur excommunicato, & hic validè accepto: an hic possit retinere eius fructus, & an iis priuari, &c. *Vide* Excommunicationis effectus.
Inualidè alicui confertur à collatore inuito patrono. 484. 94
Collator illud præsentato validè confert, etsi præsentantis vitium ignoret. 95
Licitè præsentato confert si præsentans est excommunicatus toleratus, potest tamen eam præsentationem reiicere. 96

Bestiæ.

Impropriè excommunicantur. 459. 47

Blasphemia.

Blasphemia in Spiritum sanctum, quomodo irremissibilis. 298. 8

Bona.

Triplicia bona possidemus. 468. 108
Quibus bonis possit nos respublica sine nostra culpa priuare. ibid.

Cadauer.

Forma cadaueris omnino fictitia. 180. 14
Absurda ex forma cadaueris sequuntur. 179. 9. & 180. 17

Cæremoniæ Missæ, vide *Missa*.

Calix.

Calix pro contento ponitur. 160. 38
Calix magnus solebat olim populo porrigi, in quem aliquid sanguinis infundebatur. 205. 69
Controuersia circa vsum calicis quando primùm mota. 234. 111
Calix consecratus per diaconum idque in templo tantùm olim distribuebatur. 235. 115. & quomodo. 117
Debet esse consecratus ad sacrificandum. 280. 244
Quomodo benedictionem amittat. 245

Canones.

Canones sextæ Synodi dicti spurij. 563. 89. & 681. 43
Multa absurda continent. 568. 118

Captiui.

Die festo tenentur audire Sacrum, si possint. 519. 28

Caritas.

Caritas non infunditur priùs natura quàm remittantur peccata, sed simul. 300. 17
Eius formalis actus ad remissionem peccati mortalis necessarius extra Sacramentum aut martyrium. 304. 47
Eius actus continet eminenter contritionem. 305. 51
Formaliter tamen ab eo est diuersus. 306. 55

Castitas, castitatis votum.

Etiam per summas difficultates expetenda ac conseruanda est. 674. 28
Difficultas eam seruandi non tollit obligationem voti, sed est sufficiens causa dispensandi. 28
Circa idem hæreticorum absurditas. 29
De obstricto voto castitatis & nihilominus contrahente nuptias, *vide* Matrimonij impedimenta in genere.

Catechesis.

Catechesis alia doctrinalis, alia cæremonialis. 106. 14

Causa, causare.

Eadem causa potest diuersimodè in eundem effectum influere. 197. 4
Aliter causa libera se habet dum agit, & dum non agit. 6
Differentia inter causas liberas & necessarias in agendo. ibid. 7
Causam aliquam agere non est mera denominatio extrinseca. 10
Causare ex opere operato, vel ex opere operantis quid. 19. 4
Non censeris causa mali quod non teneris vitare. 717. 27

Censura.

Variè sumitur. 453. 1
Quid propriè sit censura Ecclesiastica. ibid. 2. & 454. 8
Quot sint propriè censuræ. 453. 5
Censura est vinculum ex sua institutione solubile, secùs quàm pœnæ quæ habilitatem tollunt. 454. 7
Duplex eius finis. 9
Meritò fertur etiam in eos qui emendandi non sunt. ibid.
Quotuplex sit. 11. & 455. 20
Differentia inter censuram latam per legem & latam per præceptum. 454. 12. & seq.
Censura licitè fertur ab Episcopo ob culpas futuras. 455. 15
Illicitè fertur sub conditione ad rem non pertinente. 17. tamen validè. ibid.
Censura incurritur conditione impleta sub qua fertur. 18
Quando lex contineat censuram latæ sententiæ aut quando ferendæ. 20
Est de fide esse in Ecclesia potestatem ferendi censuras. 456. 24
Hæretici huius temporis eam agnoscunt, variè tamen circa illam errant. 25
Fuit promissa Petro aliisque Apostolis & toti Ecclesiæ. 457. 29
Impuberes possunt absolutè ligari censuris. 459. 45
Item amens temporaliter, non verò amens perpetuò. 46. & 47. bestiæ autem impropriè. 47
Communitas potest aliquibus censuris ligari, non omnibus. 460. 48
Quando peregrini ab Episcopo possint. 460. 52. & 56. aut ab eodem subditi non possint. 461. 61
Ligatus censura manet qui aliò migrat donec legitimè absoluatur. 462. 65
Nullæ censuræ præter excommunicationem minorem pos-

sunt ferri ob peccatum veniale. 67
Excommunicarunt sæpè Apostoli, & frequens ab initio fuit vsus censurarum in Ecclesia. 456. 24
Qui possint ferre censuras & qui non, & cur. 457. 31. & seq.
Conditiones requisitæ in ferente censuras vt eas valide ferat. ibid. & 458. 35. & seq.
Cur potiùs valeat latio censuræ metu extorta quàm absolutio. 36
Omnes & soli præcepti capaces qui habent in Ecclesia militante Superiorem in rebus spiritualibus, possunt censuris ligari. 40
Non mortui. 41. quomodo tamen dicantur excommunicari vel absolui. ibid.
Impropriè fertur ob crimen in morte complendum. 459. 43
Non fertur nisi in peccantem contra præceptum Ecclesiasticum. 460. 53
Instituta est ad frangendam contumaciam. ibid.
Requirit peccatum consummatum, nisi aliud Iure exprimeretur. 463. 75
Prærequirit monitionem. 464. 79. quomodo hæc fieri debeat. ibid.
Et quæ requirantur ad valorem censuræ. 81
Nequit ferri ob peccatum omnino præteritum. 465. 83
Solemnitas requisita ad particularem censuram. 85
Ignorantia pœnæ excusat à censura. 465. 91. Etiam ab ea quæ lata est per Pontificem. 466. 92
Item ea ignorantia excusat à censura quæ excusat à peccato mortali. 94
Quando metus excuset à censura. 467. 100. & quando non. 102
De ferenda aut lata censura in innocentē, *vide* Innocens.

Cessatio à diuinis.

Quid sit. 525. 79
Cum Interdicto locali ferè conuenit, in aliquo tamen differt. 80
Nec est censura, nec propria pœna. ibid.
Numquam afficit personas. 81
Violata non inducit irregularitatem. ibid.
Quæ per eam prohibeantur. 82. An sepultura. 83
Moderatio c. *Alma.* non habet in ea locum. 526. 85
Malè ab Interdicto argumentamur ad cessationem. ibid.
Conditiones ad eam requisitæ. 87

Character.

Character Sacramentorum quando producatur. 27. 60
Negant eum hæretici. 41. 1
Satisfit eorum obiectiunculis. 42. 5
Fide credentum est, tria Sacramenta imprimere characterem. 2. Cur non omnia. 44. 19
Character non est relatio rationis, siue denominatio extrinseca. 42. 6
Nec relatio realis. 10
Sed quædam qualitas primæ speciei, & moralis quædam potentia. ibid. 12
Est indelebilis. 43. 15
Conueniens fuit vt ne quidem deleretur demeritorie. ibid. 17

Chrisma.

Christus post cœnam docuit Apostolos facere chrisma. 111. 20
Chrisma quantum requirat balsami. 114. 39
Potest fieri ex quolibet vero balsamo. 41
Confectio chrismatis non potest à Pontifice committi simplici sacerdoti. 115. 46
Certa forma consecrationis chrismatis non est instituta à Christo. 47
Debet eodem anno esse consecratum. 106. 17. & 115. 49
Olim non licebat simplici sacerdoti vti chrismate. 122. 100

Christus.

Christus humano & visibili modo nobis non adest, nec obsequiis nostris indiget. 160. 41
Christus ponitur in Eucharistia per veram & realem sui reproductionem. 175. 152
Non incipit absolutè, aut desinit esse, sed secundùm quid. 157
Christus in Sacramento quomodo dependeat à se vt est in cœlo. 177. 167
Eius merita ei soli prosunt, cui applicantur. 421. 81

Christi præsentia in Eucharistia.

Quomodo Christus dicatur esse in Sacramento Eucharistiæ. 126. 18
Quo die Christus comederit agnum Paschalem ex mente Græcorum, Latinorum, Burgensis, Ruperti. 138. 67. & seq.
Comedit eodem die, quo reliqui ad id lege tenebantur. 138. 67. 71. & seq.
Scilicet decimaquarta luna. 139. 74
Christus in institutione Vener. Sacramenti vsus est azymo. 141. 89
Qui primi circa Vener. Eucharistiæ mysterium errarint. 155. 1
Fidei dogma est, in hoc Sacramento contineri verè, realiter & substantialiter Christum. 3. & fusè sequentibus.
Soluuntur hæreticorum oppositiones. 160. 35

Modus existendi Christi sub speciebus.

Christus per se formaliter sine modo superaddito est præsens in Sacramento. 168. 90. & 169. 105
Christus non vnitur speciebus vnione aliqua formali. 168. 91. 92
Christus sub speciebus existens verè est in loco. 188. 79
Habet omnem suam quantitatem quam habet in cælo. 187. 69

Mutationes Christi sub speciebus.

Mouetur corpus Christi motis speciebus, & quomodo. 168. 93. & 188. 83
Quomodo Christus dicatur non mutari dum reproducitur. 177. 166
Christi corpus immediatè moueri à creatura corporali nequit. 189. 90
Posset tamen ab angelo, si Christus permitteret. 92
Christus à nullo agente naturali alterari potest. 190. 94
Christi corpus impropriè frangitur, verè tamen manducatur. 204. 60
Non madefit infusis calici liquoribus. 62
Non desinit Christus esse in Sacramento per conuersionem sui in aliud corpus. 174. 143
Sed per subtractionem concursus diuini. 190. 98
Non tamen annihilatur. 191. 102
Desinit desinentibus accidentibus vino & pani necessariis, quod non tam à quantitate, quàm sapore & odore iudicandum. 195. 132. & 202. 50

Christi visio & apparitiones in Sacramento.

Christus oculo naturaliter videri non potest in Sacramento, & quare. 191. 105
Potest tamen supernaturaliter videri. 192. 108
Probabiliter videtur oculo Beatorum. 111
Item naturaliter ab angelis. 193. 118
Variis modis fieri potest vt aliqua in Sacramento appareant. 194. 121
Variæ causæ cur illæ apparitiones fiant. 125
Probabile nunquam ibi Christum in se videri, est contrarium etiam verisimile. 127. & 128
Sacramento permanenter mutato in lapidem aut carnem, non permanet corpus Christi. 195. 133
Quomodo tunc adoretur. 196. 135
Sanguis emanens ex Eucharistia non est verus sanguis Christi, sed humor sanguini similis. 137

Accidentia Christi in Eucharistia.

Christus habet totam suam quantitatem in Eucharistia. 187. 66
Item omnia accidentia permanentia. 72
Habet etiam omnes actiones permanentes. 73

Accidentia sunt in Eucharistia sine subiecto. 199. 1. Deo peculiariter ad id influente. 199. 19
Eodem modo agunt ac si essent in subiecto. 202. 44
Eodemque modo corrumpuntur. 46
Generatur aliquid ex ijs reproducta materia prima. 203. 56

Actiones Christi in Eucharistia.

Christus in Eucharistia habet easdem actiones immanentes quas in cœlo. 187. 73
Posset se in Sacramento mouere motu simplici, non tamen progressiuo. 189. 91
Posset in Eucharistia vicina corpora alterare. 190. 95
Non potest naturaliter exercere actus dependentes à corpore. 193. 119
Supernaturaliter tamen audit & videt astantes. 120
Christus actu vitali applicat diuinam virtutem ad effectus supernaturales. 219. 65

Ciborium.

Non necessariò debet esse benedictum. 280. 245

Cibus.

Cibum necessariò vitali actu mouemus. 189. 86
Cibi communis & Eucharistici differentia. 217. 53
Quando cibus dicatur comedi, & esse comestus. 214. 20.
Quid sit cibum sumere ita vt impediat communionem. 225. 47

Circumcisio.

Statim post pentecosten desiit valere. 93. 27
Fuit figura baptismi. 104. 1
Conuenienter præscripta fuit Abrahæ. 2
Quibus præterea præscripta. 3
Circumcisio fuit verum Sacramentum. 18. 25
Adultis non conferebat gratiam ex opere operato. 40. 141
neque etiam infantibus. 41. 145
His tamen in circumcisione infundebatur gratia. 40. 144
sed tantùm ex Dei quadam liberalitate. 41. 146

Clerus.

Non comprehenditur nomine populi. 516. 8
Cleri nomine non comprehenduntur Religiosi in pœnis. 9. nisi habeant Beneficium seculare. 10. neque sacerdos non beneficiatus. ibid.

Clericus.

Quinam clerici gaudeant priuilegio canonis. 492. 157. aut qui eo priuentur. ibid. & an sacerdos ob bigamiam. 157
Non omnis qui perdit priuilegium canonis, perdit priuilegium fori. 493. 160. illud in hoc includitur. 163
Si lanionem aut cauponem agunt, quando perdant hoc priuilegium. 161
Ludiones aut parasiti facti amittunt hoc priuilegium. 162
Item amittitur per realem degradationem. ibid. non tamen per hoc quòd in minoribus sint constituti, & deseruerint habitum clericalem. 163
Metu clericum prohibens egredi, & dolores eius auferens non iniicit illi manus. 165
An furans eius vestes excommunicetur. 166
De excommunicatione lata ob percussum clericum, & qualis hæc percussio esse debeat *vide* ibid. 168. & seq.
Quando percussio clerici sit dicenda notoria. 472. 11
Tempore Interdicti tenentur audire Sacrum. 519. 28
Et an eo tempore clerici coniugati possint interesse diuinis. 30
Tempore Interdicti localis licitè communicant quoties Sacro intersunt. 520. 36. & qui hoc nomine clericorum comprehendantur. 30
An possint sepeliri loco specialiter interdicto. 522. 53
Violando Interdictum peccant mortaliter. 523. 65

Clericus coniugatus.

Est incapax iurisdictionis Ecclesiasticæ. 458. 32
An tempore Interdicti possit interesse diuinis. 519. 30

Cognatio legalis.

Cognatio legalis in linea transuersa non est perpetua. 695. 43
Non oritur ex adoptione imperfecta; aut inter filios illegitimos. 44

Cognatio Spiritualis.

Cognatio spiritualis communiter cum peccato; quandoque sine eo inter coniuges contrahitur. 722. 64
Olim semper impediebat vsum matrimonij. 65
Iam nullo modo obest innocenti. ibid.
Inter quos iam contrahatur cognatio spiritualis. 692. 24
Inter quos olim contraheretur. ibid.
Infidelis Paulæ filiam baptizans, conuersus vtramuis validè ducit. 25
Petrus inualidè ducit Paulam cuius adhuc infidelis prolem suscepit. 693. 27
In paternitate spirituali non solet dispensari. 710. 79
Cognatio spiritualis immediatè contrahitur cum solo baptizato, & hac mediante cum aliis. 693. 27
Contrahit hanc cognationem qui id non intendit. 28. Sponte se ingerens quando eam contrahat. 30. Error personæ non impedit hanc cognationem. 34

Communicatio idiomatum.

Panis non potest dici corpus Christi per communicationem idiomatum. 162. 54

Communio, vide *Eucharistiæ sumptio.*

Communitas.

Non potest excommunicari. 460. 48
Aliter suspenditur, aliter interdicitur. 516. 6

Concio.

Concio hæretica in infantibus non potest excitare fidem. 20. 15

Concionator.

Debet liberè veritatem necessariam annuntiare neglecta aliquorum turbatione. 406. 138

Concursus.

Concursus Dei generalis indeterminatus est, & quomodo. 197. 4. & 198. 16
Quis concursus Dei sit causis secundis naturalis. 199. 20
Nulla res postulat sibi subtrahi concursum diuinum. 23

Conditio, vide *Consensus*, & *matrimonium contractum sub conditione.*

Per propositionem sub ignota conditione nihil absolutè significatur determinatè. 663. 6
Quam vim habeat adiectio conditionis certò futuræ. 8
Communiter aliter exprimitur, quàm iure insit. 667. 25
Quis sit sensus huius conditionis, *Si pater consenserit.* 28
Quando censeatur conditio pendens à Principis voluntate impossibilis. 668. 34

Confessarius, vide *Sacerdos*, & *pœnitentiæ minister.*

Potest in Paschate ob iustam causam differre communionem pœnitentis. 233. 110
Absoluit directè ab aliquibus peccatis quando tantùm in aliqua habet iurisdictionem. 364. 17
Non omnino necessariò debet posse distinguere species peccatorum confessorum. 18
Tenetur tamen dare operam vt possit. 19
Debet ex ipsa confessione cognoscere pœnitentem esse dignum absolutione. 380. 86
Debet defectum pœnitentis examinando supplere. 377. 71
Debet impedire ne pœnitentes citra necessitatem aliena peccata narrent. 381. 92
Confessarium eligere possunt Episcopi & his superiores, Parochi omnes & sæculares sacerdotes. 393. 60. seq. Item quibus id per particulare priuilegium permittitur. ibid.
Confessarium vagi habent eum in cuius parochia pro tempore morantur. 394. 62
Quando subditus vni Parocho, possit alteri confiteri. 63
Duplex potestas confessario à Superiore datur. 395. 68
Facultas cófessario delegata alia continet gratiam factam, alia faciendam. 395. 69. & quando vtraque exspiret. ibid.

Confessario concessa facultas donec reuocetur aut ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, non exspirat morte concedentis. 70. etiam concessa per inferiores Prælatos. 72
Personæ confessarij concessa gratia cum ipsius vita exspirat. 74
Concessa eius officio transit in successores. ibid.
Confessarius debet pœnitentem priùs absoluere ab omni excommunicatione quàm à peccatis. 398. 96
Confessarius debet pœnitentem absolutè ab excommunicatione absoluere. 97
Quod confessarius in absoluendo peccet, non minuit valorem Sacramenti. 400. 103
Confessarius debet cautè petere à Superiore veniam absoluendi à reseruatis. 401. 111
Confessarius absoluit à peccatis immediatè nomine Dei. 402. 116
Et nomine Christi immediatè pœnitentiam iniungit, quæ non potest à Superiore restringi. 402. 117
Bonitas confessarij non requiritur ad valorem Sacramenti. 404. 125. Sed vt licitè id conferat. ibid.
Quæ scientia in confessario requiratur. 404. 125. & 126
Confessarius tenetur laborare vt pœnitens legitimè confiteatur. 405. 130
Qua ratione teneatur hunc examinare. ibid.
Examinare debet prudenter. 131
Debet scire absoluendum esse bene dispositum. 132
Quid ei faciendum quando pœnitens hæret in periculo peccandi. 133
Quid ei agendum cum concubinariis. ibid.
Et si pericula vitari nequeant. 134
Debet absoluere à se probabiliter dissentientem. 135
Quomodo debeat monere ignorantem. 406. 136
Debet pœnitentem semper de veritate instruere, quando hoc publicum bonum exigit. 138
Quid agere debeat, cùm pœnitens negat debitum ei quem putat suum esse maritum. 139
Potest absentem absoluere ab excommunicatione. 407. 141. non autem à peccatis. ibid.
Quid si oblitus esset absoluere pœnitentem, quid ei agendum. 142
Non monens à pœnitentem de restitutione, non tenetur per se restituere. 144. nisi dixisset eum ad hoc non teneri. ibid.
Volens cum pœnitente extra confessionem agere de auditis in confessione, debet ab eo priùs petere veniam. ibid.
Tenetur ex duplici capite pœnitentiam iniungere. 427. 62
Per generalem absolutionem quam solet præmittere sacramentali, pœnitentem absolui à censuris oblitis quantum potest. 502. 225

Confessio.

Confessio pœnitentis est essentialis Sacramento pœnitentiæ. 341. 33. & 354. 28
Qualis ea esse debeat. 343. 40
Quare integra. 41. & 350. 5
Debet esse explicita & distincta. 362. 2. Debet fieri voce, si commodè possit. 3. Hoc non est de eius essentia. 361. 1
An sufficiant generalia signa doloris in moribundo. 381. 96
Quid si ea absente sacerdote ostenderit. 382. 99
Non necessariò fit secretò. 355. 4
Confessionem publicam olim sustulit Nectarius. 353. 24
Confessio quando inualida ex parte pœnitentis. 364. 16
Quando ex defectu sacerdotis. 17
Confessio communioni præmittenda à conscio sibi peccati mortalis. 220. 8
Non tamen iure naturali. 10
Probabiliter iure diuino positiuo vel Apostolico. 221. 11
Quænam ab hoc præcepto excusent. 15
Nulli etiam priuatim neganda communio ob crimen ex confessione cognitum. 224. 38

Casus reseruati.

Communicaturus debet etiam reseruata confiteri saltem si habeat alia mortalia. 222. 21

Confessionis præceptum diuinum.

Præcepto diuino tenemur confiteri omnia mortalia. 349. 3
Et quando. 354. 30. & seq.
Hoc præceptum sequitur necessariò ex potestate retinendi peccata. 350. 7
Probatur idem ex Patribus. 353. 10. & seq.
Nullus tenetur confiteri non sacerdoti. 385. 6
Venialia vtiliter, non necessariò confitemur. 353. 26
Communicaturus conscius sibi peccati mortalis tenetur priùs confiteri 354. 30. & moribundus. 355. 36
Suscepturus alia Sacramenta non item. 353. 30
Non satisfacimus diuino præcepto nisi ab omnibus directè absoluamur. 359. 68

Confessionis annuæ Ecclesiasticum.

An Ecclesia seposita lege diuina potuisset præcipere confessionem, & quomodo. 355. 41. & seq.
An possit præcipere confessionem venialium vel quomodo. 357. 52
Ecclesia iam potest præcipere annuam, & de facto præcipit. 356. 46. 47
Qui hoc præcepto obligentur. 49
Non satisfit huic nisi verè suscipiatur Sacramentum. 360. 70
Annua confessio quo tempore definienda. 357. 54
Potest fieri quouis anni tempore vt præcepto satisfiat. 358. 58
Aliquando vna confessione satisfit pro duobus annis. 359. 65
Qui vltra annum confessionem differt an continenter peccet. 359. 64
Tenetur data occasione statim confiteri. ibid.
Quæ pœna non confitenti imponatur. 360. 72
Quæ à confessione excusent, quæ non. 73
An teneamur confiteri per interpretem, vel quando. 361. 77

Confessionis integritas.

Confessionis integritas duplex: formalis semper necessaria. 365. 1. & quare. 366. 3
Species peccati qualiter exprimenda in confessione. 8
Circunstantiæ quæ & quales. 10. vsque ad 27
Turpibus circunstantiis non diu inhærendum. 375. 56
Numerus quomodo explicandus. 48
Qui dixit minorem numerum quàm fecit quid agat. 376. 62
Consuetudo diuturna quomodo explicanda. 65
Dubia peccata vt dubia explicanda. 66
Quomodo dubitare quis debeat vtrùm teneatur vel non teneatur aliquid confiteri. 67
Tenemur aliquando dimidiatè confiteri, quando nequimus integrè. 360. 76
Confitens ei qui nequit à reseruatis absoluere, tenetur etiam hæc confiteri. 380. 86
Quænam ab integritate confessionis excusent. 377. 70. & seq. vsque ad 93
Non excusat ignorantia culpabilis. 70
Pœnitens tenetur explicare crimen complicis si aliàs integrè nequit confiteri. 380. 89
Tenetur tamen ignoto confiteri, si possit. 88
Inualidè confessus potest eidem secundò vno verbo confiteri. 383. 108
Sed quid si sacerdos prioris confessionis sit oblitus. 109
Confitens duobus confessariis, vni grauia, alteri leuia, an & quomodo peccet. 363. 12

Confirmatio.

Confirmatio est verum Sacramentum. 109. 3
Collatum est ab Apostolis per impositionem manuum. ibid. & seq.
Probatur contra hæreticos ex Scripturis. 5. Ex Patribus

& Concilijs. 110.12. Oblatrationes Caluini circa hoc. 7.& 111.15
Cuius Ordinis actus sit Confirmatio. 123.108
Eius institutio.
Sacramentum Confirmationis institutum est à Christo. 111.17.& 112.22.quando. 111.18
Nulli est collatum ante festum Pentecostes. 112.24
Eius materia.
Materia remota est chrisma. 112.29
Confectum ex oleo & balsamo. 30
Quanta debeat esse mistio balsami. 114.39
Vide Chrisma.
Materia proxima est vnctio fact. chrismate. 115.50
Essentiale est vt fiat in forma crucis. ibid.
& in fronte. 53
Et immediatè manu confirmantis. 54
Præcepti est vt fiat pollice dextro. 55
Materia hac remota & proxima vsi sunt Apostoli. 116.58. & 59
Eius forma.
Forma Confirmationis quæ. 117.65. quæ verba sint essentialia. 66.& seq.
Eadem qua iam vtimur vsi sunt Apostoli. 116.58
Eius cæremoniæ.
Confirmatio conferri potest etiam in locis generali Interdicto subiectis. 123.113
Decet eam conferri in loco sacro. 114
Caput confirmati cur obligetur. 115
Cur infligatur alapa. ibid.
Vide Cæremoniæ baptismi.
Eius minister.
Bis confirmans non fit irregularis. 118.71
Solus Episcopus ordinaria potestate est minister. 121.96
Simplex sacerdos potest esse eius minister ex commissione summi Pontificis. 122.104.& seq.
Non autem ex commissione Episcopi. 123.112
Eius subiectum.
Suscipit Confirmationem validè etiam nesciens, modò nunquam habuerit voluntatem eam non suscipiendi. 59.105
Qua ætate conueniat suscipere hoc Sacramentum. 119. 78
Confirmandi sunt etiam iamiam morituri. 119.82
Etiam perpetuò amentes. 83
Implicita eius voluntas priùs habita sufficit ad valorẽ. ibid.
Patrinus confirmandi.
Suscipiens confirmandum non tenetur hunc erudire. 121. 93
Debet esse vnicus. 94
An distinctus à susceptore in baptismo. ibid.
non confirmatus inualidè suscipit. ibid.
Alterius nomine aliquem suscipiens nullam cognationem contrahit. 694.40
Ad quos spectet munus designandi patrinos. 693.29
Semel susceptus nequit secundò suscipi. 694.38
Munus susceptoris non est inductum ad solemnitatem baptismi. 39
Effectus.
Confirmationis effectus collatus est discipulis sine Sacramento. 116.59
Confirmatio imprimit characterem. 118.70. suppositio tamen charactere baptismi. 72
Confert maiorem gratiam quàm baptismus. 73
Reuiuiscit. 119.75
Obligatio.
Omittere hoc Sacramentum ex contemptu est peccatum mortale. 120.87
Sine eo per se loquendo non est peccatum mortale. 84. & 88.nec veniale. 91
Ex accidenti potest esse peccatum mortale. 89
Ordinariè vix omittitur sine veniali. 91
Non est obligatio sub mortali ad hoc Sacramentum suscipiendum ante Ordines. 90
Coniux
Coniux communiter imprudenter vouet non petere debitum. 720.51. Et si vouit, petenda dispensatio. 52
Dans coniugi facultatem vouendi absolutam castitatem censetur renuntiare iuri petendi. 721. 53
Quando coniuges excusentur à ieiunio. 716.18
Coniux laborans scrupulis, hos abiiciat. 727. 100
Dubius veritatem inquirat. ibid.
Qui mala fide contraxit, debitum non petat. 101
Mala fide contrahentes separandi quamdiu dubitant. 102
Qua ratione vnus coniugum, sine alterius consensu possit peregrinari. 717.19
Hæreticum semel condemnatum quantumuis emendatum coniux postea non tenetur recipere. 732. 24
Consanguinitas.
Quid sit. 688.1
Duplices gradus consanguinitatis. 689.1
Qua ratione numerandi in linea recta, & transuersa. 2
Consecrans, vide *sacerdos.*
Ebrius inualidè consecrat. 54.74
Proferens formam super duas hostias purans tantùm esse vnam, vtramque consecrat. 57.94
Cur duo potiùs licitè idem consecrent quàm eundem baptizent. 88. 42
Consecratio, vide *sacerdos.*
Ex eo quòd non possit repeti vel amitti, non rectè probatur eam conferre charracterem sacramentalem. 555. 48
Consensus vide *conditio*, & *matrimonium contractum sub conditione.*
Conditionatus quis sit. 662. 1
Ponendus sub conditione si veritas cognosceretur, nihil operatur. ibid.
Constantia.
Alia absoluta, alia respectiua. 658. 30
Constitutio.
Quando censenda sit fauorabilis. 576.5
Consulens consilium.
De consilium dante ad iniiciendas manus in clericum, & de consilij illius reuocatione efficaci & inefficaci, *vide* 495.& seq.
Continentia.
Ecclesia neminem omnino ad eam cogit, qui eam sponte non vouit. 567.110
Apostoli iam facti omnino continenter vixerunt. 112
Contractus.
Variè fiunt. 662. 2
Prohibitus quando firmetur iuramento. 586. 25
Essentialiter constat alicuius rei oblatione & acceptatione, & onerosus quidem duplici. 617.32
Quinuis requirit essentialiter interim consensum exteriùs expressum. 622.63
Contractus regulantur legibus loci in quo fiunt. 145. 116
Contritio.
Quomodo differat ab attritione. 22. 25
Quando requiratur ad suscipiendum Sacramentum. 24.39
Contritio necessaria est ad iustificationem extra Sacramentum obtinendam. 299.14
Quæ contritio dicatur charitate perfecta. 15
Non necessariò procedit ab habitu charitatis. 300.16
Præcedit remissionem peccati. 304.54
Non expellit peccatum formaliter. 301. 21. sed dispositiuè eius remissionem causat. 302.33
Præsupponit formalem actum charitatis. 305. 40
In memore suorum peccatorum debet esse formalis. 50
In immemore sufficit actus amoris Dei super omnia. 51.& quare. 52
Nullam requirit certam intensionem aut durationem. 308. 70
Non necessariò versatur circa peccata figillatim sumpta.

96. Sed ad melius esse. 320.80
Satisfactoria est pœnæ temporalis. 315.116
Remittit omnia venialia ad quæ se extendit. 317.123
Contritionis actus, quo iusti decedentes è vita delent venialia, nihil ijs pœnæ remittit. 320.138
Contritio peccatoris quare potiùs includat votum confessionis quàm communionis. 128.40

Conversio.

Varij modi conuersionum. 173.134
Ad conuersionem quæ requirantur. 136. & seq.
Cibus quomodo dicatur conuerti in substantiam hominis. 134.141
Sufficit inter terminos conuersionis moralis connexio. 145
Iustus conuertitur in peccatorem, & contra. ibid.
Conuerti in Deum nihil potest, & quare. 175.149
Conuersio non requirit absolutè identitatem subiecti. 177. 164

Copula coniugalis.

Copula coniugalis potest esse actus virtutis. 714.2
Habet aliquid indecentiæ. ibid.
Qualis copula ad affinitatem sit necessaria. 695.46

Copula illicita.

Copulam parentis cum prole natura grauissimè abhorret. 691.13. Non posse in vllo casu præsumi circa eam Dei dispensationem. 14
Copula confessarij cum pœnitente specialem malitiam continet. 692.23
Copula fornicaria ex natura sua nata est conciliare vtriusque partis consanguineos, quamuis per accidens conciliet odium. 696.50

Corpus.

Corpus quid propriè significet in forma Eucharistiæ. 179. 6. & seq.
Corpus est pars hominis distincta ab anima. 180.13
Corpus spiritali modo potest existere. 184.49

Corpus Christi, vide *Eucharistia.*

Corpus Christi quale datum fuerit in cœna discipulis. 237.3
Tale ponitur sub speciebus, quale est in propria specie, ibi.
Nec passurum fuisset sub speciebus, nec ab anima separandum triduò mortis. 4. & 5
Corpus Christi in Eucharistia immolatur. 242.1
Corpus quid præcisè significet in Eucharistia. 181.20
Corpus condistinguitur à sanguine. 25
Quid sit esse in Sacramento vi verborum, quid per concomitantiam. 179.6
Sanctificant etiam quæ in hoc Sacramento sunt per concomitantiam. 216.38
Christus in singulis partibus specierum & qua ratione. 182.34
Christi replicationes non sunt sibi mutuo continuæ, sed tantùm contiguæ. 183.37
Christus spirituali modo est in Eucharistia. 184.49

Correctio fraterna.

Tantùm adhibenda est cùm creditur profutura. 406.137

Correptio proximi.

Corripere proximum non tenemur præcisè ob peccatum præteritum. 333.29

Creatio.

Creatio quomodo differat à reproductione. 176 8

Culpa, vide *Peccatum.*

In ratione malitiæ est superioris ordinis quàm sit pœna, tamen in ratione punitionis & meriti sunt eiusdem ordinis. 419.9
Culpa habitualis non meretur pœnam. 424.42
Manente culpa Deus potest remittere pœnam. 45

Damnum.

Magis tenemur damnum alterius vitare, quàm lucrum procurare. 704.47

Debitor.

In alternatiuis debitoris est electio. 591.55

Debitum coniugale.

Debitum coniugi reddens ante communionem non peccat. 225. 44
Peccat tamen petens solius voluptatis causa. 45
Conscius nullitatis matrimonij numquam licitè reddit debitum. 722. 69
Negans debitum grauiter peccat. 716.17
Debent coniuges in debito reddendo esse faciles. ibid.
Peccat qui reddit se impotentem reddere debitum coniugale. 18

Degradatio.

Duplex est. 514.1. verbalis etiam duplex. ibid.
Quinam in singulorum clericorum degradatione debeant esse præsentes. 515.7
In degradatione Episcopi solus Papa fert definitiuam sententiam. 10
Realis degradatio fit necessariò ab Episcopo consecrato; secus est de verbali. 11

Delectatio.

Delectatio morosa quid sit. 728.107. Quando sit mala. ibid. Numquam à circumstantiis sui subiecti diuersam largitur malitiam. 109
Delectatio circa alienam coniugem non continet malitiã adulterij. 108
Vouens non comedere carnes licitè circa earum esum cogitatione delectatur. 110

Delegare, Delegatus, vide *Confessarius.*

Qui delegati possint subdelegare. 388. 23. & 389. 26. 28. 30. & qui non. 27
Potestas delegata in casus iustitiæ exspirat morte delegantis. 395. 68
Quis possit delegare. 458. 34
Delegatus inualidè dispensat sine causa. 699.6

Delictum.

Eius grauitas metitò colligitur ex grauitate pœnæ. 523.64

Depositio.

Conuenit cum Suspensione. 514. 3. differt ab eadem. ibid.
In Iure fit mentio partialis depositionis. 5

Deus.

Deus pro mero suo beneplacito potest leges ferre, aut tollere. 699. 8

Diaconi, vide *Ordo.*

Solebant distribuere Eucharistiam. 239.14
In necessitate etiamnum id possent. 240. 21

Diaconissæ.

Quæ dictæ sint. 564. 96. olim vouebant castitatem. 566. 108

Dispensare, Dispensatio.

Quinis inualidè in Superioris lege sine iusta causa dispensat. 635.35
Posita in duobus æquali causa licitè quandoque cum vnico dispensatur. 650. 59
An dispensatio ad suscipiendos Ordines intelligatur etiam de sacris. 702.29
Episcopus aliquando ob necessitatem in impedimentis dispensat. 32
In quibus votis Episcopus dispensare possit. 34
Quid possit nuntius Apostolicus? 35
Quomodo possimus aliquid facere indirectè, quod non possumus directè. 40
Pontifex nequit dispensare in radice matrimonij. 703.41
Indignus est secunda venia qui priore abutitur. 712.87
In secunda dispensatione facienda est mentio prioris, quando huic per illam derogatur. 92
Quando dispensatio est dubia, quid præsumendum. 93
An dispensatio iam obtenta deficiat, si causa finalis deficiat. 713.94
Quando contracturi distant in diuerso gradu à stipite, an hoc exprimendum. 709. 72
An omnia impedimenta simul in petitione dispensationis explicanda sint. 73
Quædam impedimenta habent inter se connexionem, ali-

alia non. 710.74
Impedimenta non habentia connexionem possunt separatim tolli. 75. Habentia connexionem, simul explicanda. 76. nisi sufficiens causa contrarium suadeat. 78
In paternitate spirituali non soler dispensari. 79
Narrans vnum vinculum pro alio an validè obtineat dispensationem. ibid.
Copula cum diuersis eiusdem consanguineis habita auget affinitatem, secùs si cum eadem sæpiùs habeatur. 711.81
Deus non potest propriè dispensare in iure naturæ nec hoc ab eius voluntate pendet. 699.9
Relaxans obligationem voti in nulla lege dispensat. 10
Potestas dispensandi latè, ipsa dispensatio strictè interpretanda est. 700.11
Concedens alteri facultatem vt suum subditum ordinet, non dat ipsi facultatem cum eo dispensandi. 17
Ad dispensationem requiritur causa spectans ad bonum commune. 703.43
Licitè Ecclesia faciliùs dispensat cum magnatibus. 704.44
In paternitate spirituali difficilis dispensatio. ibid.
Quando facultas dispensandi in casu innominato detur inualidè. 709.68
Periculum peccandi quando sit causa dispensandi in votis. 707.53
Qualem causam requirat dispensatio. 699.4
Concedens facultatem dispensandi rem suam dat, idque licitè facit sine vlla causa. 5
Concessio facultatis dispensandi est fauor. 7
An qui potest dispensare singulis, possit in dispensare in coniunctis? 701.22
Error personæ communiter non nocet dispensationi. 709.69
Vinculum certum dubiè expressum semper nocet dispensationi. 70
Quisque in sua lege validè sine causa dispensat: peccat tamen contra iustitiam distributiuam. 699.4
Delegatus inualidè dispensat sine causa. 6
Vide Matrimonium contractum sub conditione.

Dolor.

Dolor in pœnitentia debet esse formaliter actus liber. 292.12
Imperfectior est detestatione peccati. ibid.
Ex hac debet proficisci. 11
Dolor alius est intensiuè, alius appretiatiuè summus. 307.64
Quid vtrinsque sit causa. 65
Dolor de peccato debet esse appretiatiuè summus, non intensiuè, & quare. 308.67.& seq.
Qualis esse debeat vt sit pars Sacramenti. 342.36
Debet natura præcedere confessionem sacramentalem. 343.44

Domicilium.

Quis domicilium habere dicatur. 644.18

Dominium.

Consistit cum obligatione non vtendi. 618.38
Non vtens ratione nequit vti dominio. 724.80
Deus non acquirit nouum dominium rerum quas locis sacris damus. 686.71
Nullus homo potest in alium habere dominium omnino plenum. 73

Dominus.

Habet absolutum ius in prolem sui mancipij ad omnem eius educationem per se licitam. 101.86
Tenetur suis mancipijs procurare baptismum. 87
Quando excusetur. 88

Dos.

Dotis defectum quæ dicatur pati. 704.47

Dubium, Dubitans.

Dubium aliud facti, aliud iuris. 528.19
Dubitãs tenetur veritatẽ inquirere priusquam agat. 259.20
In dubio iuris & facti quis iudicetur irregularis, quis non. 21.& seq.
Dubium aliud negatiuum, aliud positiuum, aliud speculatiuum, aliud practicum. 724.82
Dubitare quis dicatur in moralibus. 81
In dubio malè adiudicatur res possessori ante inquisitionem. 85
Res ex vno principio dubia, ex altero fit certa. 725.87
Quomodo in dubio tutior pars sequenda. 88
In dubio cuius res sit, quid agendum. 89
In dubio duorum iure quid iudici liceat? 90

Ebrius.

Non potest consecrare. 54.74

Ecclesia.

Nulli potest præcipere baptismum. 95.41
Quomodo determinare possit tempus alicuius præcepti diuini. 42
Acquirit ius etiam in eos, qui baptizantur iniuriosè, modò validè. 100.83
An possit morientes priuare viatico. 232.96
Obligat adultos omnes ad communionem in paschate. 102
Obligat peccatores adultos ad confessionem. 356.46
Vide Confessionis præceptum.
Obligare potest pueros. 357.51
Bonis spiritualibus duplicibus nos spoliare potest. 457.26
Et cur? 27
Externa etiam vi cõpellere subditos potest ad obseruationem censurarum. 28
Non potest aliquem reddere incapacem absolutionis, nisi subtrahendo confessario iurisdictionem. 26
Qua ratione reddar aliquos incapaces matrimonij? ibid.

Electio, vide *Excommunicationis effectus.*

Eleuatio causarum.

An per potentiam obedientialem quidlibet possit eleuari ad quodlibet. 36.112.& 115.& seq.
Quænam requirantur ad alicuius causæ eleuationem. 113.& 114

Episcopus, vide *Ordo.*

Quomodo & quando accipiat iurisdictionem in subditos. 388.21
Requisitus tenetur approbare idoneum ad audiendas confessiones. 392.49. Non potest tamen nisi subditum. 50
An possit approbatum ab alio Episcopo prohibere ne confessiones in sua diœcesi audiat, nisi ab eo approbatus. 393.57
Qua ratione possit absoluere à casibus occultis. 397.87
Potest varias personas absoluere à casibus Papæ reseruatis. 88
Qua ratione obligetur ne Pastores inidoneos admittat. 405.127
Licitè excommunicat ob culpam futuram. 455.15
Extra suam diœcesim sine licentia nequit ferre censuram. 458.39
Qua ratione possit externum in sua diœcesi delinquentem punire. 461.56
Qua ratione punire possit post delictum egressum è sua diœcesi, sed ante egressionem legitimè citatum. 57
Eius excommunicatio non ligat peregrinos, nisi magna parte anni ibi commorentur. 58
Non potest excommunicare non peccantem in sua diœcesi. 61
Quando peregrinum excommunicare possit, aut subditum non possit. 460.52.& 461.56.61
Non potest præcipere ne subditi existentes extra suam diœcesim celebrent. 61
Potest alibi existentem punire vbi peccat. 62
Episcopo immediatè subijcitur locus, & personæ ratione huius. 462.64
Potest absoluere ab excommunicatione non reseruata. 503.228
Ab illo absoluuntur mulieres & impuberes. 504.238
Item impotentes ire Romam, aut ad Nuncium Apostolicum. 240
Potestas eius in absoluendo à reseruatis in casibus occul-

tis. 243
Quis dicatur proprius Episcopus ad ordinandum. 511.35
Dispensat cum clerico ab hæresi conuerso vt in Ordine ministret. 532.52. Excipe sacerdotium. ibid.
A tempore Apostolorum fuerunt requisiti tres Episcopi ad vnius consecrationem. 562.82
Excommunicatus aut degradatus validè ordinat. 84
Non sacerdos nullum, non Episcopus sacerdotem ordinare non potest etiam Pontifice dispensante. 86
An vnus Episcopus possit alium consecrare. 564.92
Episcopus cuinis validè Ordines confert, soli subdito licitè. 93
In ordine ad ordinationem tripliciter quis alicui Episcopo subiicitur. ibid.
Potest efficere ne pastor det validè licentiam assistendi, non tamen ne validè assistat. 645.28
Dispensat cum vtroque Episcopus cui alteruter subiectus est. 649.52
Qui solus nouit impedimentum matrimonij, tenetur hoc impedire. 651.67
Non ordinet eum quem occultè nouit irregularem. ibid.
Non habet iure diuino determinatam potestatem. 670.3

Eremita.

Quis eremita gaudeat priuilegio canonis facti in fauorem clericorum. 493.164

Error.

Quis error irritet pacta. 484.95
Personæ & qualitatis error quid sit? 676.1
Conditionis quid. ibid.
Aliter dicitur antecedens, aliter dare causam contractui. 2
Quis error reddat contractum omnino non voluntarium, quis tantùm secundùm quid. 3
Vide Matrimonij impedimenta in specie.
Error personæ reddit liberalem donationem irritam. 7. secùs est de errore cuiuscumque qualitatis. ibid.
An eleëmosyna validè detur fingenti paupertatem. 677.8
Quando error qualitatis inuoluat errorem personæ. 13
Error personæ communiter non nocet dispensationi. 709.69

Essentia.

Non quidquid est de essentia alicuius, est eius pars. 126.22
Verbum, *est*, quid significet in his verbis Christi, *Hoc est corpus meum.* 156.4.& seq.

Euangelium.

Vide Ordo.
Omnia scripta sunt sine expresso Christi præcepto. 558.63. Et ex diuersis occasionibus. ibid.
Primum Euangelium, quod est Matthæi, scriptum fuit anno octauo post Christi ascensionem. ibid.

Eucharistia.

Varia eius nomina. 130.52. Variæ figuræ. 54

Eucharistiæ essentia & vnitas.

Variæ opiniones in quibus consistit intrinsecè essentia Venerab. Eucharistiæ. 124.3.& seq.
Consistit intrinsecè in re permanente. 7
Forma consecrationis non est pars illam constituens intrinsecè. ibid.8.& seq.
Sola species cum relatione significationis ad corpus Christi non constituunt integrè hoc Sacramentum. 125.15. nec item corpus & sanguis Christi sine speciebus. 126.19
Species panis & vini, vnà cum corpore & sanguine Christi constituunt integrè hoc Sacramentum. 20
Hoc Sacramentum in pluribus hostijs est absolutè vnum. 127.29
Probabiliter fuisset hoc Sacramentum in statu innocentiæ, si Deus Adamo non peccante fuisset incarnandus. 15.7

Eius materia.

Sacramentum Eucharistiæ dicit essentialem ordinem ad materiam. 126.21
Materia Eucharistiæ sunt panis & vinum in quantauis quãtitate. 131.1.& 4. Modò non sit tam magna, vt tota simul non possit esse præsens sacerdoti. 132.7. aut tam parua, vt non possit videri. 134.28
Vt validè consecretur, debet sacerdoti esse præsens, ita vt ab eo verè & propriè designari possit per pronomen *hic* vel *hoc.* 123.8.& 133.18
Validè cõsecrantur hostiæ etiam in clausa pyxide. 17.& 23
Non tamen positæ ab altera parte parietis. 19
Nec omnis panis positus in vasto aliquo loco. 20
Nec retro sacerdotem. ibid.
Aut latens sub mappa altari, vel corporali. 22
Aut panum cumulus, vel vini lacus per milliaria protensus. ibid.
Aut panis, vinive quantitas tam parua, vt non cadat sub humanum visum. 134.28
Materia debet determinari à sacerdote. 32
Sufficit tamen determinatio virtualis. 135.38
Materia necessaria huius Sacramenti est verus & propriè dictus panis. 136.46
Massa farinæ aqua subacta, aut nõdum cocta, aut elixa, aut frixa cum butyro, &c. nõ est materia. 47. nec panis confectus ex farina & aqua non naturali, ex butyro, melle, vel simili liquore. 48
Vt panis sit sufficiens materia huius Sacramẽti, debet confici ex tritico. 50
Quid sit triticum? 52
Panis confectus ex secali, aut spelta, &c. aut est absolutè insufficiens, aut saltem dubia materia. 53. Idem iudiciunt de amylo. 137.54
Panis ex farina triticea, & aqua naturali, cui alia farina, aut alius liquor modicè permistus est, non desinit esse materia. 55
Panis tam fermentatus, quàm azymus est materia. 142.94
Ex necessitate præcepti tenetur Latinus consecrare in azymo. 95
Idque conformiùs institutioni Christi. 96
Latinus in Græcia consecrare potest etiam in fermentato. 145.117
Laudabiliùs tamen consecrabit in azymo: vti & Græcus hîc in fermentato. 118
Vinum de vitę similiter est materia. 121
Non liquores expressi ex pomis. ibid.
Nec agresta siue omphacium. 122
Non acetum. ibid. aut integræ vuæ. 146.123
Mustum recens ex vuis expressum est materia. 124
Vinum congelatum videtur item validè consecrari. 125. quamquam illicitè, nisi soluatur. 127
Aqua cur misceatur vino consecrando. 129
Eius mistio non est de essentia Sacramenti. 133
Præcepta tamen est ab Ecclesia. 135
Non ab Alexandro Papa, sed ab ipsis Apostolis. 138
Quantum aquæ vino miscendum. 140
Aqua miscenda est tempore sacrificij. 148.141
Et ante oblationem. 142
Aqua quę miscetur, probabiliùs immediatè vertitur in sanguinem. 144
Probatur ex vnanimi consensu Patrum. ibid. & seqq. ex cap. *Cùm Marthæ.* 149.151.& seq.
Confirmatur ex Illust. Card. Baronio. 150.157
Probatur item ratione. 151.164.& seq.
Responsio ad obiectiones. 153.182.& seq.
Species aquæ separatæ an pergerent continere corpus Christi. 154.190

Forma consecrationis.

Non valet hæc forma consecrationis: *Hoc quod est supra mensam in tali cubiculo, est corpus meum.* 133.19
Forma est propositio practica. 211.44
Formæ Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorũ discrimen. 205.1
Formæ Sacramentorum dicuntur preces. 206.8
Christus in consecratione eadem forma vsus est, qua nos. ibid.10

Formæ

Formæ proferuntur non tantùm recitatiuè, sed etiam significatiuè. 208.21
Forma consecrationis non habet duplicem sensum, sed duplici intentione dicitur. 22
Quid sit formam proferri ex persona Christi. 24
Verba, *Qui pro vobis*, &c. in forma calicis non sunt essentialia. 209.26
Nec determinant significationem priorum. 27
Particula *est* probabiliter est essentialis. 210.34
Particula *enim* vix sine mortali potest omitti. 37
Inualidè diceretur *caro*, pro *corpus*. 38
Formæ operantur suum effectum vt practicè simul & speculatiuè veræ. 211.44

Intentio consecrantis.

Consecrans solam illam materiam consecrat, quam determinatè intendit consecrare. 134.32.& 135.37
Sacerdos si intendat tantùm octo hostias consecrare ex nouem, nullam certam designando, nullam omnino consecrat. 134.33.& seq.
Validè consecrat mediam, aut tertiam partem hostiæ, si illam designet, sed sacrilegè: inualidè, si non designet. 135.36
Intentio consecrandi in sacerdote non extendit se ad hostias sibi insciò appositas. 39
Extendit se tamen ad eas, quas scit ibi positas, tametsi postea tempore consecrationis earum non recordetur. 41
Qualis debeat esse intentio in consecratione calicis. 43
Non extendit se communiter ad guttas adhærentes circa extremum labium calicis. ibid.
Nec sine Sacramenti iniuria ad guttas exteriùs adhærentes calici. ibid.

Necessitas Venerab. Sacramenti Eucharistiæ.

Susceptio huius Sacramenti nec in re, nec in voto propriè dicto est paruulis necessaria ad salutem. 128.36
Realis eius susceptio non est adultis medium necessarium ad iustificationem 37. Nec eius votum etiam implicitum propriè dictam ijs per se est necessarium. 38.& seq.
Propositum communicandi suo tempore, saltem implicitum, est necessarium ad iustificationem adulti. 42
Realis Venerab. Eucharistiæ susceptio, non est necessaria necessitate medij ad vitam æternam. 129.44
Potest esse aliquibus medium necessarium ad vitanda peccata. 50

Eucharistiæ sumendæ præceptum, & obligatio.

Præcepto diuino quoties teneamur communicare. 232.101
Adulti omnes ratione vtentes tenentur in articulo mortis. 232. 95. Nisi paulò ante communicarint. 98. & 99
Quàm frequenter cuique communicare liceat. 229.79
Præcepto Ecclesiastico tenemur communicare singulis annis in paschate. 232.102
Nemo tenetur ob impedimentum occursurum præuenire pascha. 233.108
Qui id omisit in paschate, tenetúrne ante pascha sequens. 109
Quid si confessarius communionem differri imperet. 110
Pueri quoto anno ætatis ad communionem admittendi. 232.103
Eucharistiæ sumptio non est sacrificium. 255. 89. Pertinet tamen ad eius integritatem. 93
Obligatio communicandi suo tempore nobis inest ante tempus, quo tenemur illud implere. 128.43

Eius vsus & sumptio.

Eucharistiam sumpsit Christus. 237.1
Sumendam etiam dedit Iudæ. 2
Sumptio Eucharistiæ triplex. 159.29. Imò septuplex. 219.2
Quare debeat esse corporalis. 161.47
Quando Sacramentum dicatur sumptum, ita vt conferat gratiam. 214.23
Ita confert gratiam, ac si sumeretur in instanti. 315.30
Sumptio duplicis speciei per se non auget gratiam. 34
Censetur moraliter fieri simul. 216. 40
Soli homines spiritualiter possunt Sacramentum sumere. 219.3
Peccatores tamen, atque etiam bestiæ verè Christum sumunt. 220.4

Dispositio ad eandem.

Peccatum mortale est communicare cum conscientia peccati mortalis. 5
Sufficit communicanti, vt moraliter certus sit se esse in gratia. 7
Conscius peccati mortalis debet præmittere confessionem. 8
Præceptum hoc est diuinum positiuum, vel Apostolicum. 221.11
Excusat tamen necessitas, & quæ hæc sit. 15
Qui non præmissa confessione celebrauit, tenetur primâ opportunitate confiteri. 222.24
Non tamen laicus, qui ita communicauit. ibid.
Nec qui insciùs peccati sui, aut sine necessitate celebrauit. 25
Peccatori publico, & occulto, quando danda sit communio. 223.27
Suspectis de crimine dabatur olim communio in probationem. 224.39
Pollutio præcedens absolutè numquam impedit communionem, sæpè tamen decet eam ideo omitti, & quando. 225.40
Quomodo cibus impediat communionem, & quibus casibus non. 47.& seq.

Eucharistiæ sumptio sub vna specie.

Tenetur celebrans sub vtraque eam sumere. 235.120
Non celebrans non tenetur. 234.112
Initio Ecclesiæ vtriusque speciei sumptio, & etiam alterius tantum fuit vsitata. 115
Nazaræi initio Ecclesiæ communicabant sub vna specie. ibid.
Eucharistiam sub vna specie panis domum deferre licebat. ibid.
Manichæi semper à calice abstinebant. 116
Ecclesia laicis communionem sub vna specie iustè præcipit. 121
Non priuat eos per hoc necessaria gratia. 236. 127. & seqq.
Potest Ecclesia etiam morientes priuare communione. 232.96
Esset hoc tamen præter eius consuetudinem. 97
Pius V. reuocauit consuetudinem non dandi communionem damnatis ad mortem. ibid.

Eucharistiæ administratio.

Administratio Eucharistiæ duas actiones continet. 239.15
Administrare eam ex officio proprium est sacerdotum. 16
An, & quibus possint id muneris subdelegare spectato iure diuino. 240.17
Quibus & quando iure humano. 21
An clerici & laici id possint in necessitate. 22
Quibus, & quando liceat è manib. propriis communicare. 241.24
Non quiuis sacerdos potest cuiuis communionem dare. 28
Quinam malè hoc Sacramentum distribuentes, censuram incurrant. 29
Eucharistia non danda infantibus, nec eius reliquiæ. 228.72
Conferret tamen ijs gratiam si sumerent. 77
An danda sit ratione destitutis, & quibus. 73
Et quando. 74

Effectus eius & efficacia.

Soli boni quandoque dicuntur participes corporis Christi. 159.31.& 219.63
Proprius effectus Eucharistiæ est vnire nos Christo. 211.1

Ad effectum Eucharistiæ non est necessaria actualis deuotio. 212.4
Maximè tamen decet communicaturum hanc excitare. 9
Christus in hoc Sacramento, tunc primùm confert gratiam, cùm sumptus est. 214.23
Tota vis producendi gratiam est à corpore Christi. 29
Post primum instans communionis non augetur gratia nisi communicans melius se disponat. 28.& seq.
Effectus Sacramenti non disponit per se suscipientem. 216. 44
Potest tamen augeri gratia, quamdiu species durant. 42
Plures hostiæ aut maiores non causant maiorem gratiam. 217.46
Si durantibus speciebus tollatur obex, conferetur gratia. 48. non tamen post consumptas species. 49
Eucharistia per accidens remittit peccata mortalia. 52
Venialia dupliciter remittit. 54
Pœnas indirectè tollit. 218.56
Peccata venialia per accidens impediunt effectus Eucharistiæ. 59
Corpora sanctificat Eucharistia, & minuit concupiscentiam. 61
Suscitabit corpora nostra, & quomodo. 219.64

Examen conscientiæ.

Quale examen pœnitentes confessioni debeant præmittere. 378.71
Diuersum à diuersis requiritur. ibid.
Non est necessarium peccata scribere. 72

Excommunicatio.

Quid sit. 471.1
Quomodo differat ab alijs censuris. ibid.
Duplex est. 2
Excommunicatio maior & minor quid sint. ibid.

Excommunicatio maior.

An distinguatur ab anathemate? ibid.
Illi additur aliquando Maranatha. 8.4
Variè sumitur. 5
Quid significet quando in Iure absolutè ponitur. ibid.
Quomodo in Iure significetur esse varias species excommunicationis. 6

Excommunicatio minor.

Cur sit leuis pœna. 523.64
Potest ferri ob peccatum veniale. 462.67
Olim variæ fuerunt excommunicationes minores, iam verò est vnica. 506.260
Priuat perceptione Sacramentorum. 261. Idque sub peccato mortali. ibid. Ea ligatus illicitè eligitur ad Beneficium, validè tamen, donec electio irritetur. 507.262
Talis peccat venialiter contra decentiam, si conferat aliquod Sacramentum. 264

Absolutio ab hac excommunicatione.

Qui potest absoluere à peccatis mortalibus, potest absoluere ab hac excommunicatione. 265
Non tamen quiuis sacerdos. ibid.

Excommunicatus.

Excommunicatos Iure diuino vitandos esse quidam asserunt. 472.7
Est tamen communicatio cum illis solo iure humano prohibita. id.
Constitutio Constantiensis decernens qui excommunicati sint vitandi, communiter recepta est. 9
Nominatim excommunicati non sunt vitandi ante denuntiationem. 10
Constitutio Constantiensis non fauet excommunicatis. 11
In rebus ciuilibus communicatio cum excommunicatis toleratis est absolutè licita. 473.14
Per accidens quandoque tenemur vitare excommunicatos toleratos. 14
Communicare in sacris cum excommunicatis, qua ratione liceat. 15
Non licet communiter ab excommunicatis accipere Sacramenta. 16
Quando liceat eos inducere vt celebrent. 17
Excommunicati in aliorum gratiam quandoque licitè cum ijs etiam in sacris communicant. 18
Omnis communicatio cum excommunicatis non toleratis nobis est prohibita. 474.21

Excommunicationis effectus.

Secretò excommunicatus potest confiteri ante absolutionem ab excommunicatione. 22
Excommunicatio nunquam directè reddit absolutionem sacramentalem irritam. 26
Potest quis validè absolui à peccatis manens excommunicatus. 475.28
Communiter illicitè priùs quis absoluitur à peccatis, quàm ab excommunicatione. 30
Licitè quandoque quis priùs absoluitur à peccatis quàm ab excommunicatione. 31
Excommunicato suscipienti Sacramenta nulla imponitur pœna nisi exerceat actum Ordinis. 32
Quas pœnas incurrant communicantes in diuinis cum excommunicatis non toleratis. 33
Non toleratus in duplici casu licitè confert Sacramenta. 475.34. item toleratus. 476.35
Excommunicatus illicitè conferens Sacramenta fit irregularis: validè tamen offert sacrificium, & eius fructum cui voluerit applicat. ibid.
Excommunicati priuantur Ecclesiæ suffragiis. 36. & cur 477.44
Possunt tamen sacerdotes vt priuati inter celebrandum pro ijs orare, etiam in ipso Memento. 476.37
Quando pro ijs celebrantes mortaliter peccent. 38
Licet iam celebrare pro toleratis. 40. non tamen semper. 477.47. & pro ijs quibuscum possumus communicare, & eorum oblationes suscipere. 476.41
Excommunicati tantùm secundariò priuantur suffragiis Ecclesiæ. 477.43
Peccant offerendo oblationes. 45
Non tolerati nunquam sunt participes suffragiorum Ecclesiæ ante absolutionem. 49
Non est particeps suffragiorum Ecclesiæ, si non licet pro eo diuina offerre. ibid.
Excommunicati prohibentur interesse diuinis. 50. Si intersint, peccant mortaliter. Item is qui coram non toleratis celebrat. ibid.
Etiam vi à diuinis excludendi sunt non tolerati, aut hæc sunt omittenda. 478.51. Quid faciendum si ingrediantur dum celebratur. ibid.
Non possumus cum non toleratis simul orare. 52
Qualis præsentia excommunicati requiratur, vt teneamur ideo diuinum officium omittere. 53
Excommunicatus tenetur legere Horas. ibid.
An dicens, *Dominus vobiscum*, fiat irregularis. 54
Legens cum alio priuatim Horas peccat venialiter. 55
Non peccat non audiendo Sacrum. 56
Peccat tamen omittendo confessionem, aut communionem. 57
Licitè interest concioni. 58. non autem publicæ lectioni; licèt hæc ideo non sit omittenda. ibid.
Quando toleratus peccet publicè docendo. ibid.
Licitè priuatim in templo orat excommunicatus. ibid.
Priuatur Ecclesiastica sepultura. 479.59
Si pœnituerit, post mortem est absoluendus. 59
Quinam eum sepelientes loco sacro excommunicentur: & eorum pœnæ. 60. & 63. An peccent contra ius naturæ, vel non. 65. & 66
Probabile est non incurrere dictas pœnas, qui eos sepeliunt per alios. 480.67. Sed contrarium est probabilius. 68. quid si dubitetur an pœnitens obierit. 479.66
Inualidè confertur illi Beneficium. 480.69. licèt tolerato, aut suam excommunicationem ignoranti. 70

Et omnino inualidè acceptat collationem. 481. 78
Qua ratione possit retinere fructus Beneficij quod bona fide possederit. 480. 71. Potest illis priuari, non est tamen ipso iure priuatus. 482. 81
Aliqui putant collationem Beneficij, excommunicati absolutione conualescere. 480. 72. sed contrarium est verius. 481. 74
Quomodo peccent & puniantur qui Beneficia conferunt excommunicatis. 76. & 491. 147
Reddunt irrita rescripta Apostolica ab ipsis impetrata. 483. 87
Priuantur etiam iurisdictione Ecclesiastica. ibidem
Actus iurisdictionis non tolerati sunt inualidi. 88
Secùs tolerati, licèt sponte eos actus exercens peccet. 89.
Nullus tenetur eius iurisdictionem admittere. ibid.
Validè tamen excommunicatur à tolerato, qui contra eum non excipit. 91
Electio præterquam summi Pontificis facta à non toleratis, est irrita. 92
Qua ratione valeat electio, cui aliqui excommunicati interfunt. 484. 93
Electio à toleratis facta valet, sed irritari potest. ibid.
An excommunicati validè aliquos ad Beneficia præsentent. 94
Vide Beneficium.
Inualidè acquirunt iurisdictionem Ecclesiasticam. 97
Non toleratus inualidè dat veniam audiendi confessiones, concionandi, baptizandi, confirmandi, Eucharistiam administrandi, inungendi. 90. & 100
Excommunicatus nequit esse iudex, procurator, &c. 485. 101
Non toleratum ab agendo, testando, &c. iudex repellere tenetur. Toleratus verò licitè admittitur, donec pars contra eum excipiat; & qua ratione liceat contra eum excipere. ibid.
Potest priuatim petere debita. ibid.
Non tolerati acta sunt irrita. 102. & 103. Tamen actor, testis, aduocatus validè agunt, quamdiu non repelluntur. 486. 110
Tolerato illicitè confertur iurisdictio sæcularis. 485. 104
sed tamen validè. 106
Instrumentum excommunicati qua ratione sit inualidum. 486. 111
In foro conscientiæ non semper licitè excipitur contra testem excommunicatum. 112
Decet illum se defendere in iudicio per alium, ad hoc tamen non tenetur. 487. 117
Validè contractus init. 119
Communicatio cum excommunicatis tripliciter potest esse peccaminosa. 490. 138. Omnis directè prohibetur. 140. Triplici de causa. 491. 145. Non omnis tamen est mortalis. 490. 142. Et quare. 143
Communicatio in sacris maximè repugnat præcepto. 491. 146
Licitam faciunt communicationem cum excommunicato ignorantia & necessitas. 487. 120
Quibus excommunicatis liceat communicare. ibid.
Possumus ei vtilia suadere, & ab eo accipere. 121
Qua ratione communicatio coningis cum eo sit licita. 123
Subiecti cum Superioribus excommunicatis communicare possunt. 488. 124. & quæ ad hoc requirantur. 125. & an in omnibus rebus. 489. 132. etiam sacris, & quo modo. 134. Quos necessitas hîc excuset. ibid.
Excommunicatus validè hæres instituitur, & alium instituit. 135. etsi non semper licitè. ibid. percussores Cardinalium, & hæretici inualidè. ibid.
Excommunicatus validè suorum matrimonio assistit. 645. 24. illicitè tamen. ibid.
Toleratus validè dat alteri licentiam assistendi. 25. secus est de non toleratis. ibid.
Communicans cum non tolerato incurrit excommunicationem minorem, & quandoque maiorem. 489. 137
Præsentans non toleratum ad Beneficium, & id illi conferens, dupliciter peccant mortaliter. 491. 147
Item mortaliter peccat Beneficium procurans etiam tolerato: sicut & hic illud acceptans. ibid.
Peccat mortaliter etiam toleratus conferens Beneficia, aut ad ea eligens, aut iudicium exercens. 148
Actio testis, aduocati, &c. minùs grauiter prohibita. ibid.
Humana & ciuilis communicatio cum non toleratis est communiter peccatum veniale, aliquando mortale. 149
Excommunicatus licitè exercens iudicium non vsurpat alienam iurisdictionem. 492. 151. Illicitè exercens vsurpat alienam. 153. & tunc dupliciter peccat. 154
An omnis qui clericum aut monachum percutit, excommunicationem incurrat. 156
Iniectio manus in clericum, quæ punitur excommunicatione, debet esse mortaliter iniuriosa, saltem Ordini clericali. 194. 168
Causa pœnitentiæ flagellans clericum, nullam pœnam incurrit. ibid.
Mandantes iniectionem manus in clericum excommunicantur. Item eam ratam habentes. 171
Item consentientes. 172
Et non impediens illam, si ex officio tenetur. 173. Non verò inefficaciter suadens aut mandans percussionem. 495. 175. Præsumitur tamen communiter contra mandatum. ibid. Neque reuocatio mandati vnquam excusat, nisi tempestiuè innotescat. 176
Consilium datum dupliciter reuocari potest, estque tripliciter inefficax. 178
Efficaciter reuocans consilium aut mandatum, non incurrit pœnas: tenetur tamen ex charitate monere adhuc periclitantem. 180. & 181
Tenetur aliquando iurare se sciò reuocare mandatum, aut consilium. 182. Inefficaciter alterutrum reuocans incurrit pœnas. 496. 183
Facilè præsumitur fuisse efficacem reuocationem mandati. 184. Quomodo colligatur fuisse inefficacem. 185
Præsumitur sæpè contra consulentem. 186
Quando præsumatur consilij reuocatio efficax. ibid.
Excommunicatus ob participationem criminis, censetur nominatim excommunicatus. 503. 229
Mandans non incurrit pœnas alicui facto statutas, nisi hoc exprimatur. 497. 188. præterquam in vno casu. ibid.
Qui excusentur ab excommunicatione lata in percussorem clerici. 190. & seq.
Excommunicatio semel inflicta perseuerat mortuo infligente. 498. 198. & 201
Ad reincidentiam semper requiritur nouum peccatum. 501. 216

Absolutio ab Excommunicatione.

Est multiplex. 499. 200. Quomodo differat à sacramentali. 500. 213
Sola voluntas interior ad illam non sufficit. 499. 202
Nulla certa verba ad eam requiruntur. ibid.
Forma absolutionis in foro conscientiæ quæ sit vsitata. 203
Ab excommunicato ob enorme crimen ante absolutionem exigendum est iuramentum. 204
Excommunicatus non est absoluendus ante satisfactionem. 205
Malè absoluens satisfaciat parti. ibid.
Impotens satisfacere præstet cautionem ante absolutionem. 206
Et quis sit impotens satisfacere. 500. 208
Causa deducta ad forum contentiosum reus non est absoluendus pro solo foro conscientiæ. 499. 207
Inualidè absoluitur reus, qui non satisfecit parti, quando hoc in delegatione exigitur. 500. 211
Absolutio validè datur sub conditione. 212
Etiam sub futura contingenti. 213
Absolutio ad certum effectum, non est propriè absolutio. 501. 215
Potest quis à pluribus excommunicationibus vel simul,

vel diuerso tempore absolui. 502. 221
Ad absolutionem non requiritur necessariò cognitio censuræ. 222
Absolutio metu extorta est nulla, eámque extorquens de nouo excommunicatur. ibid.
Inuitus validè absoluitur. 224
Confessarius per generalem absolutionem, quam solet præmittere sacramentali, pœnitentem absoluit à censuris oblitis, quantum potest. 225
Iudex non tenetur curare absolutionem datam in foro conscientiæ; potest tamen eam acceptare. 227
Ab excommunicatione non reseruata potest absoluere Episcopus. 228. item Parochus. 503. 230
Et quando à reseruata. 504. 243
Quinis sacerdos à quauis censura absoluit in hora mortis. 503. 234
Sed qui extra eum articulum non potest absoluere, debet priùs exigere iuramentum. 235
Simplex clericus non potest tunc à censuris absoluere. 236
Religiosi qua ratione absoluendi sint. 504. 239
Sub generali concessione absoluendi à reseruatis non comprehenduntur casus Bullæ cœnæ. 245
Neque talis absolutio valet in foro externo antequam parti satisfactum sit. 505. 247. Nec quando pars negat sibi satisfactum esse. 248
Habens priuilegium absoluendi à censuris, potest id facere extra confessionem. 251
Quis ordinariè absoluat à censura lata per sententiam particularem. 506. 254
Quando archiepiscopus possit absoluere excommunicatos à suis Suffraganeis. ibid.
Quibusdam casibus nequit absoluere is qui excommunicauit. 256
Eadem est ratio in ordine ad absolutionem censuræ latæ per ius, & latæ per sententiam generalem. 257
Potest confessarius vnius diœcesis absoluere alibi excommunicatum. 258
Etiamsi excommunicatio in loco, in quo contracta fuit, sit reseruata Episcopo. ibid. Excipe latam per sententiam particularem. ibid.
Potest quis suum subditum absoluere in aliena diœcesi. 259
Excommunicarunt sæpè Apostoli. 456. 24
Impropriè fertur ob crimen in morte complendũ. 459. 41
Directè ligat reum, alios indirectè. 42
Excommunicari non potest communitas. 460. 48
Bestiæ tantùm impropriè. 459. 47
Amens tẽporaliter potest propriè: non verò amens perpetuò. 46. & 47. Impuberes absolutè loquendo possunt. 45
Excommunicatio Episcopi non ligat peregrinum. 461. 58
Nec subditum extra diœcesim, nec in diœcesi in loco exempto peccantem. 462. 63
Excommunicatio nunquam potest habere rationem pœnæ. 465. 84
Iudex non potest excommunicare eum quem scit non posse sibi obsequi. 470. 124

Existentia.

Existentia panis non manet in Eucharistia. 164. 63

Exorcismus.

Quomodo fugiet dæmones. 108. 31
Habet vim ex vi Ordinis. 32
Non habet infallibilem effectum. ibid.

Expositiuè.

Ordinati possunt. 540. 105

Extrema Vnctio.

Qui hæretici negarint illam esse Sacramentum. 641. 1
De fide est esse Sacramentum à Christo institutum. ibid.
Item materiam eius remotam esse oleum olinarum. 542. 5
Est de eius essentia, vt oleum fiat ab Episcopo benedictũ. 6
Materia proxima est ipsa vnctio facta à sacerdote, quæ conuenienter fit per modum crucis, etsi non necessariò. 543. 7
Sententia securior docet quinque vnctiones esse de eius essentia. 544. 12. Saltem sunt necessariæ necessitate præcepti. 543. 9
Probabile est essentiam eius perfici quauis prima vnctione. ibid. In necessitate quid probabiliter fieri possit. 544. 12
Forma eius est necessariò deprecatoria. 14
Quæ verba sint essentialia formæ eius. 545. 15
Quis sit eius primarius effectus. 18. quis secundarius. 19
Quomodo conferat suos effectus. 21
Quibus conferri possit. 17. 20. & 22
Non requiritur, vt suscipiens aliquando peccarit, aut vtatur ratione dum suscipit. 546. 23
Tantùm est conferendum ægrotantibus cum vitæ periculo. 24. Et præstat eos tunc esse integris sensibus. ibid.
Peste laborans, aut lethaliter vulneratus potest statim suscipere. ibid.
Ægrotans sine vero mortis periculo validè suscipit. 547. 25
Potest aliquando sæpiùs in eodem morbo conferri, non tamen durante eodem periculo. 26
Solus sacerdos potest esse eius minister. 27
Omnis sacerdos validè. 28. quinam licitè. ibid.
Omnes vnctiones cum suis formulis ab eodem administrandæ integrè. ibid. Contrarium tamen fit validè & quandoque licitè. ibidem
Eius neglectio est cómuniter peccatũ veniale. 548. 30. Ratione scandali aut contemptus aliquando mortale. ibid.
Quis teneatur ex iustitia administrare hoc Sacramentum. 31. quis ex charitate, & quando. ibid.
Sufficit eam peti implicitè. 58. 103
Quis censeatur petiisse implicitè. ibid.

Fama.

Differt à rumore. 604. 80

Fœmina.

Fœminæ ne quidem Pontifex committere potest potestatem ferendi censuras. 458. 33
Omnino incapax est omnis Ordinis. 564. 94
Quæ dictæ Diaconissæ, & quod earum munus, quæ Presbyteræ. 96

Festum.

Manè egrediens è loco vbi est festum, tenetur audire Sacrum. 144. 108

Fictio.

Fictio duplex. 28. 64
Sacramenta cum fictione suscepta an reuiuiscant. 65
vide Sacramenti reuiuiscentia.

Fidelis cum infideli matrimonium, vide *Matrimonium.*

Fides.

Fidei actus necessariò præcedit alios omnes actus supernaturales. 304. 45
Fides non excitatur in paruulis per concionem hæreticam. 20. 15

Figura.

Eucharistia etiam figura est Christi patientis, & nos beantis. 206. 9
Christus in Eucharistia habet figuram intrinsecam, non situalem. 187. 71
Quantitas non potest esse extensa nisi terminetur aliqua figura. 200. 34

Filius.

In quibus puniri possit ob crimen paternum. 533. 53

Filius Dei.

Esse filium Dei, non est quid purè physicum. 313. 98
Potest Deus adoptare peccatorem in filium sine physica eius immutatione. ibid.

Finis.

Alius primarius, alius secundarius. 629. 9
Dupliciter alicui actioni finem principalem statuimus. 12

Forma physica.

Forma cadaueris nulla datur. 180. 14. nec corporeitatis. 19
Dantur formæ partiales heterogeneæ. 181. 20
Forma embryonis non expellitur in animatione. 180. 15

Nulla forma expellitur nisi per contraria. 16

Forum externum.

Non procedens ex præsumptione non differt ab interno. 530. 28

Genesius.

Genesij baptismus non fuit verus. 53. 65

Gentilis.

Gentiles validè contrahunt matrimonium cum quauis in linea transuersa. 697. 57

Gratia.

Gratia habitualis sensibiliter nos non inclinat. 212. 8
Gratiæ præuenientes non augent caritatem, nisi iis cooperemur. ibidem
Gratia per Sacramenta producitur in instanti. 213. 12
Quomodo omnibus detur gratia sufficiens. 297. 5
Gratia simul naturâ infunditur cum remissione peccati. 300. 17
Qua ratione repugnet peccato. 302. 31
Obex gratiæ est duplex. 31. 80
Necessitas gratiæ præuenientis in iusto. 35. 106

Gratiarum actio.

Cur Christus ante consecrationem gratias egerit. 255. 85

Habitare.

Habitare, & habere domicilium vti differant. 142. 99

Habitus.

Idem habitus ad diuersos actus inclinat. 293. 14
Habitus supernaturales non facilitant operationem. 327. 175

Hæretici.

Validè conferunt Sacramenta. 59. 108
Pœnæ sepelientis hæreticos loco sacro. 479. 61. Et an semper incurrantur. 64
Illorum est habere Ecclesiasticos mutabiles. 549. 4
Sunt irregulares: item eorum fautores & filij. 532. 50. & seqq. non tamen nati ante parentis hæresim. 533. 53
An suspecti hæreseos & neophyti sint irregulares. 55
Hæreticum semel condemnatum, quantumuis emendatum, coniux postea non tenetur recipere. 732. 24
An licitè Catholici cum hæreticis contrahant in locis vbi permisti habitant. 681. 45

Hoc.

Quid & quomodo significet ac demonstret. 132. 10. 13. & 133. 22. & seq.
Demonstrat id quod continetur sub speciebus quando propositio erit prolata. 160. 36. & 162. 53
Determinatè demonstrat, non determinatè significat. 211. 42

Holocaustum.

Hebraïcè עולה id est, ascensio. 257. 99
In quo essentialiter consistat. ibid.

Homicidium.

Quis dicatur causa mortis. 534. 65
Homicidium casuale quid sit. 535. 73
Quando inducat irregularitatem. ibid.
Legitima rei interfectio non dicitur homicidium. 530. 32
Est quadruplex. 533. 58
Committens id ante baptismum non est irregularis, nec qui solùm conatur occidere. 60

Reliqua, vide Irregularitas.

Hostia, vide *Sacrificium.*

Hostia sacrificij Eucharistici non includit species. 254. 77
Non debet hæc per sua intrinseca esse sensibilis. 78
Eadem est hostia cruenti sacrificij & incruenti. ibid.
Hostiam sacram è terra eleuans an peccet, si sit in peccato mortali, nec antè conteratur. 49. 39. & 41
Hostiæ validè consecrantur in clausa pyxide. 133. 17. & 23

Vide Eucharistiæ materia.

Ieiunium, Ieiunium.

Violario ieiunij est propriè contra obedientiam. 373. 43
Cur modus quo quis fregit ieiunium in confessione explicandus. 373. 42
Licitè quis egreditur è loco vbi est ieiunium, vt possit alibi non ieiunare. 143. 101. Tenetur tamen quamdiu in eo est. 104
Tempore ieiunij laboraturus licitè prius comedit. 105
Præceptum ieiunij prohibet & sæpiùs in die comedere, & comedere ante tempus prandij. 106. Quare hoc frangit, qui summo manè sine iusta causa comedit, etsi postea tota die nihil comedat. ibid.
Quis dicatur ieiunus vt possit communicare. 225. 47
Quando non ieiuno liceat communicare. 226. 50

Ignorantia.

Est quadruplex. 466. 93
Ignorantia crassa non excusat ab integritate confessionis. 377. 70
Facilius excusat inter confitendū, quàm operandū. 378. 73
Quæ excuset ab irregularitate. 530. 27. & seqq.
Ignorantia pœnæ excusat à censura. 465. 91
Ignorantia excusans à peccato mortali, excusat etiam à censura. 466. 95
Nunquam reddit habiles aliàs inhabiles. 474. 24
Non tollit vim legis irritantis, nec efficit habilem eum qui aliàs inhabilis est. 643. 13

Illegitimus.

Quis dicendus sit. 540. 103. est irregularis. ibid.
Per subsequens matrimonium legitimatur. 105

Impedimenta matrimonij, vide *Matrimonium.*

Impedimentum dirimens, vide *Matrimonium.*

Varia requisita vt machinario in mortem coniugis dirimat matrimonium. 682. 50
Sine matrimonium fratris & sororis iure naturæ irritum. 691. 19
Difficulter probatur aliquam consanguinitatem iure naturæ dirimere matrimonium. 690. 8

Impedimentum publicæ honestatis, vide *Matrimonium.*

Quando impedimentum publicæ honestatis oriatur ex matrimonio irrito. 697. 60
Iam non oritur impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus irritis. 698. 63
Impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus non dirimit vltra secundum gradum. ibidem

Impositio manuum.

Per impositionem manuum contulerunt Apostoli Spiritum sanctum. 109. 4. non tamen semper donum linguarum. 110. 8
Nuda impositione manuum numquam confirmarunt Apostoli. 115. 59

Impossibile.

Impossibile in Scripturis idem quod difficile. 298. 9
Ad impossibile quomodo quis possit obligari. 330. 9

Impotens.

An impotentes permittantur simul cohabitare. 687. 85
Deprehensus impotens si post separationem deprehendatur potens, reddendus priori coniugi. 84
Impotentiâ modo non naturali ablatâ, non restauratur prius matrimonium. 85
Impotens parere sine vitæ periculo validè sed illicitè nubit. 688. 86

Impuberes.

Possunt absolutè ligari censuris. 459. 45

Indulgentia.

Indulgentia non semper versatur circa culpam. 715. 7

Indulgentiæ.

Qui de his contra hæreticos scripserint. 444. 1
Quid sint Indulgentiæ. ibid. & 446. 13
Per illas fieri potest distributio spiritualis thesauri extra sacrificium vel Sacramentum. 444. 4
Per easdem pœna Deo debita remitti potest. ibid.
Qui Pontifices eas concesserint. 5
Consuetudo dandi Indulgentias antiquissima. ibid.
Cur per eas etiam merita Sanctorum nobis applicentur. 6
Per illas non derogatur meritis Christi. 445. 7

Concedendi potestas primaria est in summo Pontifice. 8. qui eas etiam lucrari potest. 446. 11
Quantas Episcopi possint conferre. ibid.
Concessio Indulgentiarum non est actus Ordinis. 445. 9. sed potestas clauium. 446. 13. differt à priuata satisfactione. ibid.
Viuis dantur per modum absolutionis: mortuis per modum suffragij. 10. & quomodo hæc duo differant. 452. 45
Absolutio tamen non fit sine solutione sufficientis pretij ex thesauro Ecclesiæ. 446. 12
Non remittunt peccatum mortale. 14. nec per se veniale. ibid. nec pœnam in foro Ecclesiastico & ciuili. ibid. nec pœnitentias iniunctas, quæ necessariæ sunt ad peccata in posterum fugienda. ibid.
Habens potestatem eas concedendi immediatè nomine Dei, potest remittere pœnitentias iniunctas. 447. 17
Quas pœnas Purgatorij remittant. 18. & seq.
Forma earum non alia quàm verba externa, vel signa æquiualentia. 448. 22
Potestas eas concedendi strictè interpretanda. 23. largè verò concessio earum. ibid.
Quotuplices sint. 25
Portio pœnarum, quæ per partiales Indulgentias remittitur, aliquando est indeterminata, aliquando secùs. ibid.
Quid intelligatur per Indulgentiam 100. annorum. 449. 27. quid per plenariam. 450. 35
Plenior & plenissima non distinguuntur. 449. 28
Inter Iubileum & Indulgentiam plenariam quid interfit. ibid.
Ad quæsuis requiritur aliqua causa. 30. & quidem proportionata. 31. quæ spectatur ex fine ob quem conceduntur, & ex vtilitate operis requisiti ad finem consequendum. 32. quam proportionem debeat habere cum fine. 33
Pontifex potest concedere nullo opere requisito. 450. 34
Non omnes opus præscriptum facientes lucrantur Indulgentias plenarias. ibid.
Solis baptizatis prosunt. 37. & 452. 46. & existentibus in statu gratiæ, saltem eo instanti quo vltima conditio ponitur. 450. 37
Quæ præterea requirantur in lucraturis. 451. 38. & seqq.
Opus præscriptum ad lucrandas Indulgentias debet esse honestum. 41
Opus factum in peccato mortali potest esse vtile ad finem Indulgentiarum. 39
Quomodo quis possit eodem tempore diuersas lucrari Indulgentias. 42
Possunt deferri defunctis & quidem directè. 452. 43. & 44. quæ requirantur vt eis prosint. 47
Nec Beatis, nec damnatis prodesse possunt. 46
Quomodo desinant valere. 49

Infamia.

Iuris duplex. 533. 56
Quibus criminibus annexa. ibid.
Quæ infamia inducat irregularitatem. ibid. & seqq.

Infinitum.

Qua ratione vnum possit esse altero maius. 419. 11

Iniuria.

Iniuria illata quando statim reparanda, quando non. 332. 25
Grauius est eam inferre quàm non reparare. 333. 26
Quando iniuria non fuit damnosa, ex reparationis dilatione non crescit. 27

Innocens.

Puniri nequit. 510. 22
Desinens esse pars communitatis interdictæ definit interdici. 517. 12. Incipiens esse pars fit interdictus. ibid.
Nemo innocentem potest directè occidere, bene tamen indirectè. 468. 109
Innocens probatus nocens potest priuari fortunis, non vita. 110. retinet tamen dominium suorum bonorum; non tamen officiorum. 111
In innocentem lata censura ad quid obliget. 469. 116
Innocens faciens contra censuram non fit irregularis. 119
Quid teneatur iudex facere circa eum quem nouit innocentem. 121
Et quid delegatus ad sententiam pronuntiandam in innocentem facere possit. 470. 126

Innocentiæ status.

An in eo Adamo non peccante fuissent Sacramenta ac sacrificia. 16. 5. 6. &c.
Homo tunc etiam spiritualia modo corporeo concepisset. 18. 5

Intentio.

Alia requiritur ad Sacramenta, quàm ad officia diuina. 532. 48. alia est actualis, alia virtualis, alia habitualis, alia interpretatiua: & singularū definitio. 54. 71. &c. *Vide* Ven. Sacramentum. §. Intentio ministri. & Eucharistia. §. Intentio consecrantis.

Interdictum.

Quid sit. 515. 1
Numquam habere potest rationem puræ pœnæ. 465. 84
Quotuplex sit. 515. 2. ibid. Interdictum locale ferè cōuenit cum cessatione à diuinis, in aliquo tamen differt. 525. 80
Causam dantes Interdicto generali particulariter interdicuntur. 516. 5
Communitas aliter suspenditur, aliter interdicitur. 6
Quomodo in Interdicto generali innocentes non puniantur. 7
Sacerdos non beneficiatus in Interdicto non venit nomine cleri. 10
Veniunt tamen Religiosi habentes Beneficium sæculare. ibid.
Quando interdicitur collegium, est Interdictum generale. 517. 11
Interdicto populo soli ciues comprehenduntur. 12
Innocens desinens esse pars communitatis interdictæ, desinit interdici: incipiens esse pars, incipit interdici. ibid.
Interdictum locale. 13
Interdictum locale generale, & particulare, quomodo differant. ibid.
Ecclesia erecta in ciuitate interdicta est interdicta: secùs si solùm omnia loca sacra illius ciuitatis priùs essent interdicta. 16
Interdicta ciuitate interdicuntur loca vicina. 17. etiam non subiecta interdicenti. ibid.
Omne locale comprehendit aliquod personale, non tamen contrà. 518. 20
Locale generale non potest ferri nisi ob culpam communitatis aut capitis. 24
Laici priuilegiati tempore Interdicti non tenentur audire Sacrum. 519. 28
Clerici tempore Interdicti tenentur audire Sacrum. 28. sicut & laici tempore Paschatis, Pentecostes, &c. ibid.
An clerici coniugati possint interesse diuinis tempore Interdicti. 30
In c. *Alma.* interdicti dicuntur etiam innocentes. 32
Quid sit, interdictos prohibere accedere ad altare. 520. 35
Innocentes tempore Interdicti localis licitè in Paschate communicant, sicut & clerici quoties Sacro interfunt. 36
Confirmatio & baptismus tempore Interdicti solemniter conferuntur. 521. 40. & baptismus etiam in loco speciatim interdicto. ibidem
Pœnitentiæ Sacramentum cum duplici moderatione permittitur. ibid. permittitur etiam communio per modum viatici solemniter ad ægros ferenda. 43. & 44
Etiam in loco specialiter interdicto potest semel per hebdomadam celebrari renouandi Sacramenti causa. 43
An personaliter interdicti possint aliis dare viaticum. 45
Tempore Interdicti licitè contrahitur matrimonium. 48.

ac sacra sepultura interdicitur. 522. 51
An clericus possit sepeliri loco specialiter interdicto. 53. & an laicus priuilegiatus aut quiuis alius qui in festo Paschatis potest interesse diuinis. 54
An generatim solùm interdictus possit sepeliri loco sacro. 522. 56
Interdictus ingressu ecclesiæ tantùm prohibetur eam ingredi quasi formaliter sumptam. 523. 58
Licitè in ea orat extra tempus diuini officij, sed illicitè Sacramenta suscipit. 59
Quibus nulla in Ecclesia administratio incumbit, in nullo tenentur vitare interdictos. 60
Secùs est de iis quibus aliqua administrario incumbit. 61
Non tenemur seruare Interdictum locale ante denuntiationem. 62
Quæuis pars communitatis denuntiatæ censetur denuntiata. ibid.
Clerici violando Interdictum peccant mortaliter. 65. item laici in sex casibus. 524. 66
An laicus non interdictus sine vlla vi, fraude, aut scandalo audiens Sacrum in loco interdicto peccet. 67
Peccat mortaliter laicus suscipiens Sacramenta sibi prohibita in loco interdicto. 69
Pœnæ quas incurrunt violantes Interdictum. 70. & seqq.
Interdicta Iure lata quæ sint. 74. & seqq.
Seu locale, seu generale, nequit relaxari nisi ab habente Episcopalem iurisdictionem. 76. Secùs de personali particulari. 525. 77

Intrusus.

Non habet titulum coloratum. 645. 26

Ioannes Hus.

Negat in Ecclesia esse potestatem ferendi censuras. 456. 24

Irregularitas, Irregularis.

Quid sit. 526. 1. differt à Suspensione ac depositione. ibid.
Fœminæ, & necdum baptizati eam non contrahunt. 2
Illicitè facit irregularis requirentia vsum Ordinis, reliqua licitè. 527. 3
Non est priuatus Beneficio, sæpè tamen priuandus. 5
Inualidè ei conferri Beneficium communiter asserunt, ex Iure tamen probari nequit. 6. & seqq.
Validè sacramentaliter absoluit. 7
Irregularitas variè contrahitur. 8
Alia est totalis, alia partialis. ibid.
Nulla datur iuris diuini. 9
Nulla incurritur ob actum internum. 528. 11
Nec ob peccatum veniale. 13. ob quod nec incurri potest. ibidem
Requirit actum in suo genere consummatum. 11
Duplici crimini annectitur irregularitas, quæ aliquando requirit crimen publicum, aliquando non. 16
In dubio iuris post inquisitionem manens dubius iudicatur non irregularis. 529. 21
Idem dicendum in dubio facti. 22
Excipe casum homicidij. 23
Irregularitas numquam incurritur, nisi in casibus Iure expressis. 23
Quæ excusant à peccato mortali, etiam excusant ab irregularitate pœnali. 27
Ignoranter secundò aut ab hæreticis baptizati non sunt irregulares. ibid.
Excusat ignorantia legis prohibentis. 530. 29. & probabiliter etiam pœnæ. 31. pœnalis fertur ob contumaciam. 30
Rebaptizans & rebaptizatus est irregularis. 34. sed illius crimen debet esse publicum, secùs huius. 531. 36
Sola exterior formæ ac materiæ applicatio hanc irregularitatem non inducit. 37
Rebaptizans sub conditione eam non incurrit. 38. potest tamen quandoque puniri. ibid.
An metus excuset. 40
Baptizatus ab hæreticis est irregularis. 41
Item adulti baptizati ob periculum mortis. 42. & furtiuè ordinatus. 43. & coniugatus illegitimè ordinatus. 44
Exercens Ordinem quem non habet, fit irregularis. 45. non tamen semper. 532. 46
Violans censuram per actum Ordinis sacri est irregularis. 49
Hæretici irregulares. 50. & eorum fautores ac filij. 51. non tamen nati ante parentis hæresim. 533. 53. & an suspecti hæreseos & neophyti. 533. 55
Iure infames sunt irregulares. 56
Et sponte partem digiti sibi amputans. 534. 64
Occidens ante baptismum non est irregularis, nec qui solùm conatur occidere. 533. 59. & 60
Irregularis est procurans, mandans, consulens abortum & occisionem. 534. 64. & 65
Et quid de reuocante consilium. 65
Quid si aggressor pereat. 66
Aut quis alicui suadeat vt se periculo exponat. 67
Leuiorem mortem alicui impetrans non est irregularis. 69
Secùs multi vnum occidentes. 70. & qui causa est alteri, cur citiùs moriatur. ibid.
Non impediens occisionem quando sit irregularis. 535. 71
Homicidium casuale quando inducat irregularitatem. 73
Quando fiat irregularis occidens inuasorem cui priùs iniuriam intulit. 74
Omnino casu occidens dando operam rei illicitæ non est irregularis. 536. 80
Nec ob homicidium ipsi nullo modo voluntarium. 537. 84. nec occidens, vt proximum aut proprias fortunas defendat, non est irregularis. 88
Ex eo quòd in Iure dicatur cum aliquo misericorditer agi vt possit Ordinem exercere, non sequitur eum esse irregularem. 87
Alium ad mortem condamnans est irregularis. 538. 91. & qui efficaciter in rei mortem influunt. 92. secùs de iis, qui remotè ad eam concurrunt. ibid.
Secùs de Principe, qui alteri causæ cognitionem committit, aut leges capitales condit: aut de eo qui tradit reum brachio sæculari. 91. aut de accusante vt sua defendat. 93
An coactus dicere testimonium in causa sanguinis sit irregularis. 539. 96
Ad pugnam iniustam hortantes, in eáve pugnantes fiunt irregulares. 98
Non verò hortantes ad iustam. 97
Laicus contrahens bis inualidè, non est irregularis. 101. communiter hoc tamen docetur. ibid. nec secundò fictè contrahens. ibid.
Illegitimus est irregularis. 540. 103. item arreptitius & furiosus. 107. & seruus. 108
Et quinam illiterati & mutili. 106
Et an carens auribus sine sua culpa. 108
Quomodo tollatur, quando & à quibus irregularitas. 541. 109. & seq.

Iudæi.

Iudæi non sunt mancipia Christianorum. 98. 62
Iudæi à solis occasu inchoabant suas festiuitates. 137. 60. diem verò communem à solis ortu. ibid.
Iudæorum infantes inuitis parentibus validè baptizantur. 98. 66. *vide* Baptismus, §. Subiectum baptismi.
Non comedebant agnum paschalem, in vespera diei decimæ tertiæ. 138. 64. sed die decimaquarta mensis primi. 139. 70. die decimaquinta celebrabant festum azymorum. ibid.

Iudex.

Omnis sententia iudicis includit tacitam conditionem, si allegata vera sint. 470. 123
Non potest excommunicare eum quem scit non posse sibi obsequi. 124
Iudex numquam licitè occidit eum quem priuatim nouit innocentem. 727. 98
Iudex in dubio non potest pro libitu iudicare. 726. 94
Sententia iudicis non dat ius, sed acquisitum declarat. 731. 15

Quid teneatur facere circa eum quem nouit innocentem. 469. 121
Peccata contra solum ius naturæ leuiùs & per sententiam punit. 530. 32

Iudicium.

Particulare & vniuersale sæpè in Scriptura coniunguntur, & quasi confunduntur. 435. 7
Vtrumque significatur per diem Domini. 8
Statim à morte hominis animæ iudicantur. 446. 46. à Christo homine. 41. quem vident in humana forma sibi apparentem. 42. in ipso loco in quo è corporibus discedunt. 43

Iuramentum.

Promissorium quid propriè significet. 590. 46
Quam vim habeat. 49
Iurans sine intentione se obligandi est peritrus, etsi postea promissa impleat, ad quod etiam obligatur. 51
Iuramentum non sequitur in omnibus conditiones promissionis. 52. in re paruæ obligat sub veniali. 591. 53
Iuramentum possum exigere ab eo, quem scio per deos falsos iuraturum. 50. 43
Cur Deus potiùs ratum habeat id metu extortum quàm vorum. 574. 148
Quomodo à Deo aut Prælato irritetur. ibid.
Potest dupliciter alicui contractui apponi. 581. 44
Nullus contractus metu initus firmatur iuramento. 580. 40
Metu iurans se seriò contrahere ad nihil in posterum tenetur. 581. 44
Qui iurat habere ratum contractum obligatur iuramento. 45
Aliud est aliquem contractum metu extortum firmari iuramento, aliud ipsum iuramentum obligare. 660. 40
Quando nocens publicæ vtilitati sit irritum. 661. 46

Iurisdictio.

Iurisdictio quomodo confessario necessaria. 385. 7. dicit essentialem respectum ad subditos. 386. 11
Quinis sacerdos eam habet vt absoluat moribundum non præsente alio qui eam aliàs habeat. 387. 15
Omnes non impediti habent eam circa venialia. 17
Religiosi priuilegiati habent in omnes Christianos. 386. 13
Iurisdictionem an quis possit exercere in seipsum. 14
Iurisdictio ordinaria quid? 387. 18
Iurisdictionem suam habet Pontifex iure diuino: Episcopi Pontificio. 18. & 19
Iurisdictio voluntaria potest extra territorium exerceri. 388. 22
Iurisdictionem quando Episcopus accipiat in subditos. 20
Iurisdictionem Archiepiscopus non habet in subditos Episcoporum sibi subditorum nisi dum visitat. ibid. aut dum ad eum prouocatur. ibid.
Iurisdictionem delegare possunt qui eam habent ordinariam. 23. & legatus summi Principis. ibid. & quandoque etiam alij. 389. 26. &c.
Iurisdictionem nemo inscius confert nec sine signo externo. 390. 33
An consuetudine acquiratur. 37
Debitans an habeat iurisdictionem an validè absoluat. 391. 40. & seq.
Bona fides confitentis non dat illam confessario. 475.
Ecclesiastica iurisdictio minùs latè patet quàm potestas clauium. 446. 13
Eius actus est dare licentiam. 645. 25

Ius.

Eius correctio non est admittenda sine necessitate. 622. 61
Ius in alterum acquiri potest per iniuriam. 100. 84
Potest ab aliquo validè in alterum acquiri per iniuriam. 659. 20

Ius naturæ.

Quæ sunt iuris naturæ immediatè, sequuntur naturas rerum. 628. 2
Erga omnes est immutabile. 6
Multi minùs aptè distinguunt duplex ius naturæ, quorum vnum sit dispensabile, alterum non. 629. 14
Potest aliquid tripliciter esse contra ius naturæ. 630. 16
Est indispensabile. 18
Quomodo Deus possit nobis quædam concedere, quæ aliàs iuri naturæ repugnant. ibid.
Quare cessante ratione legis in particulari cesset ius naturæ, non tamen positiuum. 21
Deus non potest propriè dispensare in iure naturæ: nec hoc ab eius voluntate pendet. 699. 9
Ius naturæ multis sæpè obscurum est. 689. 4
Quid sit contra ius naturæ. ibid.

Ius positiuum.

Non respicit, quid imprudens timere possit. 587. 30
In illo iure non valet argumentum à simili. 572. 136
Quando alicui actioni præscribit certam ætatem, requirit completam. 582. 51
Non respicit particularia. 659. 32
Ex eo quòd non iniungat pœnitentiam pro aliquo peccato, non sequitur non esse peccatum. 661. 47
Clarum ius debet multorum auctoritati præualere. 723. 72

Laïcus.

Est incapax iurisdictionis Ecclesiasticæ. 458. 32
Laïcis an expediat quotidie communicare. 230. 81
Communionem manibus exceptam ori solebant imponere. 239. 15
Christiani laïci quomodo cum sacerdote offerant? 259. 108
Etiam solemniter licitè exercent actum minorum Ordinum. 532. 46

Legatus.

Legatus summi Principis potest subdelegare. 388. 23

Legatum.

Sub conditione nuptiarum quando acquiratur. 586. 20. quando valeat datum sub eadem conditione. 21

Legislator.

Non respicit conditiones particulares, sed generales. 491. 144

Lex.

Mortuo auctore manet. 454. 12. & cur. 13
Non comprehendit casum ad quem eius ratio se non extendit. 625. 83
Non obligat in casu ad quem se non extendit. 413. 40
Aliud est legem se ad aliquem casum non extendere, aliud ipsius rationem in eo cessare. 41
Materiæ grauitas & leuitas in legibus vnde spectanda. 370. 36
Raros casus lex non considerat. 648. 42
Deus pro mero suo beneplacito potest leges ferre aut tollere. 699. 8
Leges ciuiles ius naturæ vocant ius gentium. 696. 53
Leges imponentes pœnam requirunt crimen perfectum. 682. 50
Quis dicatur irritare legem? 698. 2. Quis abrogare. ibid. Quis ei derogare? ibid. Quis eam interpretari? ibid. Quis in ea dispensare? ibid.
Qua ratione lex ab aliorum voluntate pendeat? ibid.
Homines inualidè ferunt leges inutiles. 699. 3
Quisque in sua lege validè sine causa dispensat; peccat tamen contra iustitiam distributiuam. 4

Lex naturæ.

In lege naturæ probabilius est fuisse aliquod Sacramentum institutum ad sanctificationem paruulorum. 16. 17. & seq. & 17. 22
Fuerintne plura Sacramenta in lege naturæ. 17. 23
Qua ratione aliqui dicant in lege naturæ infantes sola parentum fide fuisse saluatos. 21

Lex positiua.

Legis positiuæ transgressio an peculiare peccatum contineat, an solius inobedientiæ. 370. 28

Lex positiua accedens ad naturalem quando nouam inducat obligationem. 372.37
Diuersæ leges positiuæ non semper nouam inducunt. 373. 44. aliquando inducunt. 45

Lex humana.

Multa aliàs permissa lege humana prohibentur. 567.110

Lex irritans.

Necessitas non tollit vim legis irritantis. 689.6

Lex pœnalis.

Non est inducenda sine certo iure. 475.27

Liber, Libertas.

Non est mihi liberum id ad quod sub peccato obligor. 588.29
Potest quis nolens mihi desinere seruus esse. 36

Locus.

Corpus in diuersis locis esse potest. 161.44
Non tamen per solam adductionem siue nudam productionem alicuius vbi. 169.105.& seq.
Potest idem corpus in diuersis locis esse quantitatiuè & extensum. 101
Et in diuersis locis diuersa habere accidentia. 172.129
Superficies corporis ambientis nó est propriè locus. 165.70
Impossibile est rem aliquam esse & non esse in loco. 72
Locatum non est in loco per modum aliquem superadditum. 166.79
Quid sit definitiuè esse in loco. 188.77
Christus sacramentaliter existens verè est in loco. 79

Locus sacer.

Locus sacer ad legitimè celebrandũ necessarius est. 277.22
Qui casus ab hoc excusent. 223.& seqq.
Quomodo polluatur. 227.& seq.
Reconciliatur per Episcopum. 236

Lotio pedum.

Cur non sit Sacramentum. 5.22

Ludimagister.

Puniens discipulos clericos non excõmunicatur. 497.192

Lutherus.

Variè errat circa Ecclesiæ potestatem in ferendis censuris, licet eam agnoscat. 456.25

Malum.

Quod dicatur graue. 657.23
In aliquibus personis minus malum infert iustum metum. 658.24
Aliud est aliquem aliquo malo terreri, aliud eo superari, aliud hoc cauere. 26
Multi superant mala quibus terrentur. ibid.

Mandans, Mandatum.

Mandans iniici manus in clericum an pœnas percussoris incurrat; & quomodo efficaciter aut inefficaciter mandatum reuocet, &c. 495.& seq.

Manichæi.

Sub vna specie panis tantùm communicabant, & quare? 235.216.& 236.125

Manna.

Mannæ esus cur non fuerit Sacramentum. 5.20

Marcionistæ.

Sacerdotalia munia laicis committebant. 239.7

Martyr.

Infans occisus in vtero potest esse martyr. 78.123
Miles qui pugnans contra infideles occiditur, non est martyr. 79.134
Iustus occisus ob virtutem moralem est martyr. 80.135
Peccator attritus si dormiens propter fidem occiditur, est martyr. 139
Aut si occiditur, dum excusatur ab obligatione præcepti caritatis erga Deum, & seipsum, aut contritionis, &c. 81.144.& seq.

Martyrium.

Martyrium cur non sit Sacramentum. 5. 23. confert gratiam infantibus præter omne eorum meritum. 78. 119. maiorem quàm baptismus. 121. confert similiter gratiam adultis supra meritum. 124.& seq.
Quo sensu nihil prosit sine charitate. 77.117
Ad martyrium volunt quidam sufficere voluntatem nudam patiendi pro Christo, sine vllo dolore de admissis peccatis. 79. 131. solutio rationum. 8.157
Voluntas subeundi martyrium non continet in se necessariò dilectionem Dei super omnia. 132
Martyrium requirit vt mors inferatur non resistenti, idque in odium Christi, aut veræ fidei, aut alterius veræ virtutis. 134
In iusto sufficit ad effectum martyrij libera mortis acceptatio, illatę ob defensionẽ alicuius veræ virtutis. 80.135. Non requiritur vt positiuo actu acceptet martyriũ. 136
In peccatore necessaria est vel formalis, vel virtualis pœnitentia. 140. sufficit tamen quibusdam casibus attritio. 81. 144. & seq. quia martyrium habet vim remittendi eciam ipsam culpam. 148
Ad effectum martyrij probabilius sufficit absoluta voluntas, qua quis statuit mori ne Deum offendat, ne cœlum amittat, aut damnetur, non tamen semper absoluta voluntas, qua quis mauult mori, quàm certum flagitium admittere. 82.158
Quando conferatur effectus martyrij. 83. 159

Materia.

Materia panis non remanet in Eucharistia. 163.62
Materia prima non est propriè corpus. 179. 6
Necessaria ad omnem generationem. 203.54
Eadem iterum creatur, dum Christus esse desinit in Eucharistia. 6. 57

Matrimonium.

Essentia in genere.

Dupliciter accipitur. 607.1
Septem in eo reperiuntur. 2
Quid sit. 3
Est vnum numero in duobus. 611.24
Ab initio mundi fuit lato modo Sacramentum. 628. 11
Sicut & modò sunt matrimonia Gentilium. 12
Aliter ratum, aliter consummatum significat vnionem Christi cum Ecclesia. 12
Ante Christũ non fuit propriè dictum Sacramentũ. 609.13
Apostolus ad Ephes. 5. nõ loquitur de coniugio Adami. 14
Matrimonium nullam, eius vsus aliquam immunditiam continet. 610.18
Copula non est pars Sacramenti. 19. qua ratione dicatur immunda. ibid.
Baptizatorum matrimonium est necessariò Sacramentum. 611.22
Volentes inire matrimonium sine susceptione Sacramenti nihil efficiunt. ibid.
Contrahentes per procuratores tenentur esse in statu gratiæ, secùs est de procuratoribus. 23
Matrimonium baptizati cum non baptizata non est Sacramentum. 24
Sacramentum matrimonij ratione contractus iure naturæ subiectum est politicæ potestati. 670. 5
Contrahens in peccato mortali vnicum peccatum mortale committit. 617.34
Tria matrimonij bona. 35
Matrimonium est perpetua seruitus. 662.51
Tria essentialiter includit. 668.37
Quæ sit materia, forma, & minister. 617. 33
Matrimonium respicit essentialiter potentiam respectu certæ personæ. 687.81
Potest hæc esse legitima forma matrimonij, *Nos te accipimus in vxorem*, si Deo dispensante vnus simul duceret plures vxores. 89.49
Matrimonium serui, *vide* Seruus.
Dupliciter potest intendi eius perpetuitas. 618.38
Contrahentes necessariò consentiunt in quinque. 40. sed non necessariò in vinculum absolutè perpetuum. ibid. sine quo validè contrahis, sicut & sine obligatione reddendi debitum. 41
Impedimenta dirimentia possunt perseueranti vinculo

matrimonij superuenire. 619. 44. secùs est de obligationibus eius essentiæ repugnantibus. ibid.
Primi parentes mutuo consensu contraxerunt, sicut alij. 620.49
Potest quis compelli ad matrimonium. 51
Quid sit consensum alicuius habitualiter perseuerare. 621.56
Non est idem cum manente obligatione eum habendi. 57
Quando censeatur aliquis implicitè suum consensum reuocare. 58
Sine externo signo nunquam contrahitur matrimonium. 622.64
Quale peccatum sit contrahere nutibus sine necessitate. 66
Ad contrahendum per procuratorem tria requiruntur. 623.67
Non sufficit generale mandatum quærendi vxorem. ibid.
Cur matrimonio magis sit essentiale vt consensus non sit reuocatus. 68
Qualis reuocatio irriter matrimonium. 69
Non est contra essentiam matrimonij, quòd alterutter possit illud ex priuilegio dissolnere. 681.42
Qui dato mandato fit amens, validè per procuratorem contrahit. 623.70
Cur ebrius possit potiùs contrahere per procuratorem quàm per se. 71
Qui fictè dedit mandatum, debet hoc de nouo dare. 72
Qui fictè in aliquam consentit, debet secundò exteriùs in eam consentire. ibid.
Qui serium mandatum clàm reuocauit, sufficit eum id clàm ratificare. 73
Actus procuratoris constituit vnum actum in genere moris cum consensu mandantis. 624.74
Procurator debet exprimere, quorum nomine contrahat. ibid.
Pastor & testes non debent testari matrimonium validè contractum esse, sed externum actum legitimè celebratum. 79
Validè per literas contrahis. 80
Qua ratione reualidetur matrimonium inualidè contractum. 626.89
Voluntas sub conditione ponenda nihil operatur. ibid.
Confessarius periculosè agit cum parte inualiditatis inscia. ibid.
Validè in aliquo consensu perseuerat, qui resiliret si sciret hoc fieri posse. 91
Eadem est ratio siue vnus siue vterque inualidè consenserit. 93
Non sufficit interior consensus eius, qui priùs fictè consensit. 94
Matrimonium impuberum & clandestinum habet vim sponsalium. 580.41.46.&47
Impuberes spectato solo iure naturæ, validè contraherent. 687.82
Tentans contrahere matrimonium ante legitimam ætatem peccat mortaliter. 582.54
Non potest matrimonium per se esse materia voti. 592.58. potest ei, qui aliàs ad hoc obligatur. ibid.
Inualidè voues re ducturum pauperculam. 59
Matrimonium fuit ab initio prohibitum sacerdotibus diaconis. 566.108
Solùm repugnat statui clericorum ratione sui vsus. 668. 115

obligatio & finis.

Matrimonium est homini connaturale. 628.3
Quòd matrimonium sit necessariò vnius cum vna, habet ex Dei institutione. 4
Quando sit institutum. 5
Et ad Sacramenti statum euectum, & à quo. 8
Iam nullum est præceptum contrahendi illud. 7
Ad quid sit institutum. 9. ex eo quòd repugnet aliquid fini matrimonij, non sequitur quòd ipsum irriter. 634.25
Contrahentes communiter per se primò intendunt contractum, & Sacramentum solùm consequenter, nec hoc sed illum ordinant ad diuitias, &c. 629. 11
Generatio tripliciter à contrahentibus excludi potest. 13
Etiam aptus ad generationem contrahendo honestè primariè intendit remedium concupiscentiæ. 630.16
Licitè contrahis ob finem matrimonio extrinsecum. 17. & honestiùs intendis publicam pacem quàm generationem. 18. pax domestica non est finis etiam secundarius matrimonij. 634.22
Requiritur plena probatio defuncti coniugis prioris quando haberi potest. 633. 20. non sufficit sola fama. 21

Vnitas, & insolubilitas.

Error Lutheri circa vnitatem matrimonij. 631.1
Calumnia Socratis in Valentinianum. ibid.
Ex primæua institutione requirit vt sit vnius cum vnica. 2
Ob adulterium tantùm licet separari toro. 3. & qua ratione sit hîc singularis causa diuertendi. 4
Iudæi licitè dabant libellum repudij. 632.6
Deus habet dominium nostrorum corporum, nos solum vsum. 633.17
Inualidè quis alteri sui corporis potestatem aliter concedit quàm Deus ei permiserit. 634.27
Deus concedendo libellum repudij non dispensauit in lege naturæ. 28
Significatio incarnationis est causa finalis insolubilitatis matrimonij. ibid.
Pontifex dissoluens matrimonium ratum propriè in nullo iure dispensat. 635.33
Ingressus Religionis non soluit iure naturæ matrimonium ratum, nec etiam diuino. 37. & 38
Tempus à Iure in fauorem alicuius concessum omninò integrè computandum est. 637.45
Duo menses illis solis conceduntur qui de Religione cogitant. 46
Nupta anno 12. & statim Religionem ingrediens ante annum 16. nequit profiteri. 48
Illicitè etsi validè Religionem ingrederis cùm periculo diffamationis ipsius sponsæ. 51
Vim passa in consummatione potest viro inuito Religionem ingredi. 638.53
Inter infideles est verum matrimonium, insolubile omnino, dum infideles sunt. 55
Poterat olim conuersus coniux cohabitare pacifico infideli. 56
Quod iam licitè fieri negant Doctores. ibid. nisi in regionibus infidelibus subiectis. 57
Quando baptizatus possit infidelem coniugem deserere. 58
Conuersus ante diuortium tenetur coniugem inuitare ad fidem. 640.62
Matrimonium fidelis cum infideli solui per huius professionem multi asserunt. 64. sed non probant. 65
Non rectè quidam asserunt, Papam posse dispensare in matrimonio conuersorum ad fidem. 66
Infidelis post coniugis conuersi matrimonium validè secundò contrahit, non tamen antè. ibid. proles autem doli incapaces sequuntur parentem conuersum. ibid.
Sponso affirmanti se fictè consensisse non creditur, nisi id statim faciat. 641. 70. aut magna sit vtriusque disparitas. 71. circa hoc quid senserit Nauarrus. ibid.
Quid si vterque fateatur fictum consensum. 72
Quid si alteruter antè protestatus sit se fictè contracturum. 73
Semper spectanda est causa ob quam quis asseritur finxisse consensum. ibid.
An consanguinei possint matrimonium accusare? 642.74
Quandoque sufficit vtriusque confessio. 75
Quando coniuges iudicentur stare pro matrimonio. 76

Matrimonium clandestinum.

Dicitur dupliciter. 642.1
Seposita Ecclesiæ prohibitione ex iusta causa potest honestè appeti, aliàs non. 5
Qua ratione à Tridentino potuerit irritari. 643.7
Omissio proclamationum non irritat matrimonium. 16
Quisque contrahit secundùm leges loci in quo est. 644.14
Duobus Parochis subditus coram vtroque contrahit. 18
An excommunicatus toleratus, aut non toleratus validè assistant. 645. 24. & seqq.
Episcopus potest efficere ne pastor det validè licentiam assistendi, non tamen ne validè assistat. 28
Quando potestas assistendi matrimoniis sub generali concessione comprehendatur? 646.30
An is cui concessa est facultas assistendi validè assistat antequam illud sciat. 32
Quando obseruatio conditionis, cum qua facultas conceditur assistendi sit essentialis, sine necessaria ad valorem actus, duæ regulæ ab aliis traditæ. 33. sed dictæ regulæ non sunt vniuersales. 34
Conditio ferè aliter à concedente exprimitur, quàm iure insit. ibid.
Vnde colligatur qua intentione conditio sit apposita. 647.35
Concessio assistendi metu vel dolo obtenta valet. 37
Nisi dolus sit circa substantiam. ibid.
Concessa facultate assistendi validè vteris extra parochiam concedentis. 38
Sacerdos non potest semper credere dicentibus se habere veniam coram eo contrahendi. 39
Matrimonium facilius probatur validum quàm irritum. 648.42
Parochus omittens dicere, *ego vos coniungo*, peccat venialiter. 45
Contrahens coram Parocho inuito quî peccet? ibid.
Vbi proclamationes faciendæ sint. 46. eas omittens grauiter peccat. 649. 51. item consummans ante eas factas. ibidem. quibusdam casibus licitè omittuntur. 52. vt omittantur, dispensat cum vtroque Episcopus cui alteruter subiectus est. 54. causæ iustæ dispensandi. 650. 57. facilius dispensatur cum magnatibus. ibid.
Ante dispensationem, diligens inquisitio adhibenda. 58
Proclamationes quando contractui postponantur, & quando id negligens procurare peccet mortaliter. ibidem.
Quandoque denuntiatio impedimenti omittenda est. 651.62
Contrahentes tenentur impedimentum fateri aut nuptiis abstinere. 63. nisi obtinuissent occultam dispensationem. 64
Quam tamen non curat iudex probato impedimento. 64
Quid circa impedimenta possit Pastor. 65
Episcopus qui solus nouit impedimentum, tenetur matrimonium impedire. 67
Quale sit peccatum omittere benedictionem. 652. 71
Duplex est priuilegium matrimonij publicè contracti. 75
Omnes clandestinè contrahentes dicto priuilegio priuantur. 653.77
Matrimonium coram Parocho sine proclamationibus illicitè contractum subiacet dictis pœnis. 654.83

Metu contractum.

Quare ius irritet potiùs matrimonium metu contractum, quàm alios contractus. 655. 2
Metus etiam à tertio incussus irritat matrimonium. 6
Inferens metum tenetur cum altero volente postea contrahere. 7
An medicus validè ducat eam quam aliàs non vult curare. 656.11
Metus incussus contra caritatem irritat matrimonium. 12
Inualidè contrahis cum eo qui aliàs minatur te in loco periculoso deserere. ibid.
Qui dat causam, cur iustè ei metus inferatur, ipse eum sibi accersit. 14
Inualidè ad matrimonium compellit, qui meritum malum per se minatur inferre. 15. secùs si minetur id inferre per iudicem. ibid.
Inter non baptizatos metus non irritat matrimonium. 657.17
Non omnia quæ repugnant fini matrimonij; repugnant eius essentiæ. 19
Qui metus irritet matrimonium. 31. & ad hoc quatuor requiruntur. 659.33
Quomodo metus dicatur tollere consensum. 658.31
Enumerantur diuersi metus irritandi matrimonium. 659.34
Metus reuerentialis aut preces importunæ an irritent matrimonium. 35
Fictè ob metum contrahens non peccat, saltem mortaliter. 37
Quare grauiùs peccet fictè alia Sacramenta conferens quàm matrimonium contrahens. 38
Nullus contractus metu initus firmatur iuramento. 660.40
Potiùs moriendum est quàm matrimonium metu contractum consummandum. 42
Magistratus cogentes aliquem ad matrimonium excommunicantur. 661.48
Possunt Superiores subditis ea matrimonia præcipere ad quæ aliàs tenentur. 50. non autem alia. 662.51
Tenentur liberi parentes suos consulere circa nuptias. 52. & sequi eorum consilium ex sola honestate. ibid. parentes verò communiter tenentur sequi liberorum inclinationem. ibid.

Contractum sub conditione.

Vide Consensus, & Conditio.
Per signa indeterminata non contrahitur matrimonium. 663. 6
Validè licet illicitè reuocatur consensus conditionatus quamdiu conditio ignoratur posita. 664.10
Matrimonium eodem modo dicitur conditionatum sicut consensus. ibid.
Posita conditione non indiget nouo consensu. 11
Tam liberè initur sub conditione, quàm purè. 11
Prioris consensus in contractum semper est conditionatus. 12
Cur matrimonium præ alijs Sacramentis possit conferri sub conditione. 13
Conditionatum non pendet immediatè à conditione, sed à parte sua essentiali. ibid.
Parochus & testes debent etiam interesse implerioni conditionis. 665. 15
Matrimonium conditionatum magis pendet à continuatione consensus, quàm sponsalia. 666. 21
Vnde colligendum sit an conditio apponatur ad suspendendum consensum. 667
Promittens matrimonium, si Pontifex in impedimento dispenset, non tenetur dispensationem procurare. 668. 35
Secluſa promissione, illius est procurare dispensationem, qui cupit contractum perfici. ibid.
Contraho tecum, si hoc feceris, dupliciter potest accipi. 37
Validè contrahis cum hac conditione, vt non tenearis reddere debitum, nisi quando tertio placet. 678. 23
Dies adiecta suspendit consensum. 669. 44. differentia inter adiectam conditionem & diem. ibid.
In quo conueniant & differant contractus in diem & donatio causa mortis. ibid.
Demonstratio adiecta quid valeat. 45
Modus variè apponitur, & quam vim habeat. 679

Impedimenta in genere.

Princeps potest statuere impedimenta pro matrimoniis

infidelium. 671.7
Princeps infidelis ſtatuens impedimenta obligat etiam fideles ſibi ſubditos. ibid.
Infideles non ligantur impedimentis ab Eccleſia ſtatutis. ibid.
Pontifex ſtatuens impedimenta matrimonij vtitur poteſtate, quam habet indirectam in res temporales. 8
Prohibens perpetuò nuptias, prohibet etiam ſponſalia. 10
Impedimenta alia ſolùm impedientia, alia dirimentia. 672.16
Contrahens cum impedimento dirimenti dupliciter peccat. 18
Grauis metus excuſat contrahentem cum impedimento, tamen non efficit contractum validum, nec excuſat conſummantem. 673.19
Metus etſi excuſet à peccato, tamen non efficit habiles. 20
Quando fornicatio inter impeditos contrahere ſit ſpeciale peccatum. 21
Impediunt matrimonium prohibitio Eccleſiæ. 23. Excommunicatio, tempus feriarum, ſponſalia. ibid. Votum caſtitatis aut Religionis, catechiſmus baptiſmo præmitti ſolitus. 24
Inceſtus cum conſanguinea coniugis, rap , vxoricidium, ſuſceptio propriæ prolis, occiſio presbyteri, publica pœnitentia, matrimonium contractum cum moniali: ſed ſeptem vltima iam non obligant. 674.25
Quæ rerum mutatio liberet à promiſſione. 28
Obſtricta voto caſtitatis grauiùs peccat nubendo, quàm quandoque fornicando. 30
Neque tali vmquam licitè ſuadentur nuptiæ ſine diſpenſatione. 675.32
Poſt votum caſtitatis contrahens nuptias reddendo debitum peccat materialiter contra caſtitatem. 674.30
Quomodo tali reſpondendum interroganti an validè contraheret. 675.32
Ad quid obligetur contra votum contrahens. 33
Nubens ei, cui ſolùm prohibitæ ſunt nuptiæ, non peccat. 35
Tempore Aduentus & Quadrageſimæ ſolæ ſolemnes nuptiæ prohibentur. 36
Licitè tales nuptiæ ante benedictionem conſummantur. 37

Impedimenta in ſpecie, vide *Error*.

Quare error perſonæ reddat potiùs irritum matrimonium, quàm reliqua Sacramenta. 677.9
Error perſonæ etiam craſſus & concomitans irritat matrimonium. ibid.
Error ſolius nominis nihil vitiat. 10
Quando error qualitatis inuoluat errorem perſonæ? 13
Matrimonium cum originario contractum per errorem valet. 678.21
Poteſt quis lege humana priuari iure contrahendi matrimonium. 679.30
Dominus non poteſt directè ſerui matrimonium impedire. 32. & hic tenetur communiter domini conſenſum petere vt contrahat. ibid.
Dominus poteſt ſeruum vbi vult vendere, quando vxor poteſt eum ſequi. 680.34
Et ſeruam quam maritus poteſt ſequi. ibid.
Deſcendentes ſemper inualidè contrahunt cum aſcendentibus. 691.16
Matrimonium fidelis cum infideli valet, quando vterque eſt baptizatus, aliàs non. 681.43
Matrimonium fidelis cum infideli communiter eſt illicitum. 42

Medicus.

Negans alicui ſuam operam quandoque peccat contra iuſtitiam: ſicut etiam eam nimis caro elocans. 656.12

Melchiſedec.

Melchiſedec verè ſacrificauit. 246.34
Sacrificium eius an in reali permutatione conſiſteret. 244.17

Membrum.

Quid ſit. 534.63

Mendacium.

Mendacium in confeſſione quotuplex, & quàm graue. 362.6
Quando ſit mortale. 463.9.& 11

Meritum, Mereri.

An quis alteri mereri poſſit gratiam iuſtificantem. 24.48
Merita Chriſti quomodo contineantur in Sacramentis. 38.131
Eodem actu poteſt quis mereri diuerſa præmia. 318.126
Poſt hanc vitam non eſt tempus merendi. 320.137
Merita mortificata reuiuiſcunt ſecùs ac peccata, & quare. 321.143. & quomodo. 323.158.& ſeqq.
An Adamus omnem gratiam deperditam recuperarit? 328.177
Opera mortuâ ad quid profint? 178
Per abſolutam Dei potentiam fieri poteſt vt vnus pro alio mereatur aut demereatur. 426.54

Metus.

Eſt duplex. 466.96
Excuſat communiter ab obſeruatione præcepti humani. 467.97
Excuſat aliquando ab obſeruatione præcepti Eccleſiæ etiam peccantem contra ius naturæ. 99. non tamen ſemper. 100
Non facit vt quis aliquid validè faciat. 104
Non tollit voluntarium. 654.1
Quomodo dicamur velle ſub conditione quæ ex metu volumus. ibidem
Non irritat omnes contractus ipſo iure. ibid.
Iura metum leuem non conſiderant. 655.8
Vide Matrimonium metu contractum, *&* Iuramentum.
Spectato ſolo iure naturæ metus leuis, vt grauis, eodem modo contractus reddunt irritabiles. 657.16
Quis ſit metus cadens in virum conſtantem. 658.27. eſtque duplex. 29. poteſt ex illo quis inconſtanter agere. 28
Quis metus reddat contractus irritabiles. ibid.
Quis metus ſit reſpectiuè grauis. ibid.
Cur Iura non ſuccurrant patienti leuem metum. 30
An metus excuſet adulterium. 730.10

Miſſa.

Miſſa vox Latina & antiqua idem quod miſſio. 248.47 continet verum ſacrificium. 48. prædictum id fuit à Malachia. ibid.
Eam celebrarunt Apoſtoli. 250.55
Miſſæ ſacrificium cur ſæpiùs reperatur. 252.64
Miſſam priuatam illiciram dicunt Lutherani. 274.208
Quibus diebus fieri non poſſit. 275.209
Qua hora diei dici poſſit. 276.217
An ante lectum Matutinum. 220. cur non fiat lingua vulgari? 281.255
Diuerſi in Miſſa defectus quomodo ſupplendi. 283.269

Miſſæ cæremoniæ.

Quæ cæremoniæ quoque loco ſeruandæ? 283.268. Notabiles ſeruandæ ſub mortali. 282.266
Cur in Miſſa quædam dicantur voce ſubmiſſa. 257
Quot in ea debeant eſſe miniſtri, & quales, & quàm neceſſariò? 264

Miſſæ audiendæ præceptum.

Tenentur adulti omnes Chriſtiani audire Miſſam feſtis & Dominicis ſub mortali. 284.285
Quomodo differat præcepti huius obligatio, ab ea quæ eſt voti. 288.310
An pueri hoc præcepto obligentur. 285.286
An ſufficiat audire partes diuerſas Miſſæ, & quomodo. 287

Qualis in auditione Missæ requiratur attentio. 289
Qualis intentio. 287.308
Quænam à præcepto Missæ audiendæ excusent. 288.313.
Satisfacit præcepto audiens Missam extra parochiam. 312
Missam non audiens contra quam peccet virtutē. 377.43
Missam non audiens festo incidente in Dominicam an peccet duplici peccato. 47

Miscere, Mistio.

Varij mistionum modi. 204.63
Calicum mixtione non definit sanguis Christi. 205.69
Rarò ex mixtione liquor aliquis corrumpitur. 71
Gutta sanguinis perseueraret in integro vase vini. 73

Modus.

Nihil potest existere nisi modo aliquo determinatum. 200.34
Accidens extra subiectum acquirit modum inhærentiæ repugnantem. 35

Mouere, motus.

Qui mouet species mouet etiam corpus Christi. 166.81
Quæ comedimus, necessariò mouemus. ibid.& 188.86
Motus localis quem habeat terminum. 166.84
Mouetur Christus motis speciebus & quomodo. 168.93
Quomodò angelus moueatur per aliud corpus. 97

Mulier.

Percutiens clericum tentantem suam pudicitiam non excommunicatur. 498.194

Mysterium.

Mysterium quid,& vnde dictum. 1.1

Nazarei.

Nazaræi initio Ecclesiæ communicabant sub vna specie. 234.115

Necessitas.

Necessitas duplex; alia medij, alia præcepti. 18. 27. & 21. 23.& 92.12
Necessitas singulorum Sacramentorum. 61.13. *Vide* Ignorantia. 643.13
Necessitas non tollit vim legis irritantis. 689.6
Nec efficit vt iure naturæ matrimonij incapaces validè contrahant. ibid.

Nuptiæ, vide *Matrimonium.*

Æqualitas nuptiarum vnde spectanda sit. 704.46

Obligatio.

Non omnis qui habet ius elidendi aliquam obligationem ab ea est liber. 605.87

Occidere.

Licitè es aliquando alteri per accidens causa mortis. 71. 71

Officium diuinum.

Quid eius nomine intelligatur. 519.26
Infantes ab eo non arcentur. 27

Opinio.

Opinio non potest facere vt res aliqua mea sit, dat mihi tamen ius eam vsurpandi. 726.92
Res dubia inter non possidentes diuidenda. 93
Eam bona fide possidens integrè retinet. ibid.
Quis dicatur in moralibus opinari? 724.81

Oratio.

Publica oratio facta pro aliquo habet rationem communicationis. 477.45

Ordo.

Varia significat. 548.1
Definitio Sacramenti Ordinis. 2.& 3
Cur prima tonsura non sit Ordo. 3
Qualis potestas ad Ordinem requiratur. 4
Semper fuerunt in Ecclesia septem veri Ordines Ecclesiastici. 549.7.& propriè sunt tantùm septem. 9
Necessitas viduarum non fuit causa, sed occasio creandi diaconos. 8
Episcopatus est verus Ordo, sed non distinctus à sacerdotio. 9
Tres sunt Ordines sacri & maiores, ex quibus subdiaconatus olim non fuit Ordo sacer. 550.10.11
Quæ sit potestas & officium sacerdotis. 12
Diaconus ad quod officium immediatè & directè consecretur. 13.& seqq.
Ad quod subdiaconi,& reliqui. 16.& seq.
Episcopus triplici ratione est maior presbytero. 551. 22
Episcopi succedunt Apostolis, sacerdotes LXXII. discipulis. 552.25
Qua ratione presbyteri quandoque dicantur succedere Apostolis. 26
Qua ratione Episcopis iure diuino competat iurisdictio. 27
Quare presbyteri initio dicti sint Episcopi. 29
Sacram ordinationem esse verum Sacramentum est de fide. 553.34
Apostoli semper ordinarunt per impositionem manuum. 35
Constat ordinationem sacerdotis esse verum Sacramentum. 554. 40. Item Episcopi esse propriè dictum. 555. 43. & videtur diaconi. 45. & probabilius subdiaconi. 46.& probabile ordinationes minores. 47
Sacerdotis & Episcopi vnicus est Ordo, vtriusque tamen ordinatio distinctum est Sacramentum. 556.52
Materia & forma ordinationis Episcopi. 557. 58. Sacerdotis. 60. quæ continet duas partiales, quarum vtraque confert gratiam sacramentalem. 558. 61
Sacerdotalis potestas absoluendi essentialiter pendet à potestate consecrandi, non tamen contrà. ibid.
Quæ sint de essentia Ordinis diaconi. 558. 62. & 63. requiritur iam traditio Missalis. 64
Quid significetur per traditionem Euangelij. 559.65
Materia & forma ordinationis subdiaconi. 560. 69
Qualis contractus materiæ ad omnem ordinationem requiratur. 70
Quæ sacerdos tenetur tangere saltem ex necessitate præcepti. 71.quæ ad valorem Sacramenti. ibid.
Effectus singularum ordinationum. 72
Probabile est sacerdotalem characterem physicè augeri in Episcopo. 74
Minister ordinarius huius Sacramenti est Episcopus. 561.75
Simplex sacerdos ex commissione Pontificis potest conferre minores Ordines. 77

Ordo, Ordinari, Ordinatus.

Ignoranter ordinatus ad hæretico, vel sine titulo non est suspensus. 511.34.& 512.38
Ordo superior sine inferiore validè confertur, sed ita ordinatus manet suspensus. 565.101
Quæ requirantur vt quis licitè ordinetur. 102
Qua ætate singuli Ordines suscipi possint. ibid.
Quæ scientia & intentio in ordinando requiratur. 103
Sacris initiati immediatè iure Ecclesiastico tenentur ad continentiam. 567. 114.etiam voto. 571. 130. vnde eorum fornicatio est duplex peccatum. ibidem. inualidè matrimonium contrahunt. 568. 116
Meritò Ecclesiæ à sacris reiicit vtentes coniugio. 569. 121
Infans ordinatus non tenetur ad continentiam. 572. 134 & potest iam vtens ratione eligere statum quem voluerit, nisi Ordinem sacrum exercuerit. 135
Impubes liberè ordinatus tenetur continere. 136
Ordinatus cum probabili ignorantia legis continentiæ ea non tenetur. 141. secùs si eam ignoret sine probabili ratione. ibid.
Ordinarus cum metu graui non tenetur. 574. 150
Suscipiens sacros Ordines ante Confirmationem non peccat mortaliter. 120. 90
Actus Ordinis sacri semper continet materiam grauem. 523.65
Essentialiter repugnat Ordini, fœminis & non baptizatis conferri. 527. 2
Quis dicatur furtiuè ordinari. 531.43
Qui ordinati vel Ordinem exercentes fiant irregulares. 15.& seqq.

Panis.

Panis benedictus dictus impropriè Sacramentum. 159.30. & 160.33
Panis in Eucharistia remanere nequit. 162.49. & seq.
Apud Hebræos dicitur omnis cibus. 163.57
Non est hypostaticè à Verbo assumptus. 59
Quomodo desinat in Eucharistia. 176.162
Quare non dicatur annihilari. 177.165

Paphnutius.

Historia eius est conficta. 567.113. refutatur. 569.122

Parentes.

Parentes tenentur filijs procurare baptismum. 92.19
Infidelibus parentibus infidelibus validè baptizantur filij. 98. 66. *Vide* Baptismi subiectum.
Parens Gentilis non peccat mortaliter, non permittendo prolis suæ adhuc infantis baptismum. 99.73
Parens non facit filio iniuriam instillando ei peruersam doctrinam. 74
Altero tantò parente existente fideli licitè potest baptizari filius, modò speretur Christianè educandus. 100. 82
Mater iustè condemnata ad mortem, posset aperiri, si infans aliter non posset baptizari. 101.92

Parochia, Parochus.

Quinam in alicuius parochia dicantur commorari. 288. 21
Studiosi possunt vel Pastori loci vel suo confiteri. ibid.
Vide Matrimonium clandestinum, & contractum sub conditione.

Pascha.

Quid nomine Paschatis significetur in præcepto communionis. 232.102
Nullus tenetur ob impedimentum futurum hoc tempus præuenire. 233.108
Pascha siue phase immolabant patresfamilias. 245.25
Paschalis agni immolatio cuius typus fuerit. 247.37

Pastor.

Tenetur subditi confessiones audire, quoties hic illud rationabiliter petit. 405.129

Pater.

Puniens filium clericum non excommunicatur. 498. 192

Patrinus, vide *Confirmatio.*

Peccator, Peccatum, vide *Culpa.*

Absolutè sumptum significat mortale. 545.16
Aliter peccatum mortale meretur pœnam æternam, aliter bonum opus vitam æternam. 419.12
Nemo licitè inducitur ad id, quod sine peccato nequit facere. 473.18
Cur Deus puniat peccatum. 423.37
In peccatis puniendis aliud respiciunt homines, aliud Deus. 425.48
Potes quandoque sine peccato alterius peccato cooperari. 718.29
Vt aliquid sit peccatum etiam materiale, debet posse vitari. 406.139
Peccatori publico neganda communio. 223. 27. occulto non, & quare. 30
Quis dicatur publicus peccator. 28
Quæ dicantur peccati reliquiæ. 545.17
Peccatum vsque ad mortem, quid? 298.10
Peccatum facit nos inimicos Deo obiectiuè. 301. 5
Peccatum habituale non est priuatio gratiæ, nec physicè huic repugnat. 302.30
Quid propriè sit, eiúsque definitio. 312.92
Malitia peccati vnde crescat aut decrescat. 301.21
Tenemur magis vitare periculum peccati in nobis quàm in aliis. 720.49
Periculum peccandi quando sit causa dispensandi in votis. 707.53

Peccatum originale.

Peccatum originale non inficit animam priùs natura quàm corpori vniatur. 322.156
Posset Deus efficere vt id non contraheremus ante nativitatem. ibid.

Mortale.

Variis modis peccatorum ligat. 345.52
Varias in se continet malitias, & inter se distinctas. 294.20
In quo peccati ratio præcipuè consistat. 311.88. & 91
Grauius præ leuiore est detestandum, saltem implicitè. 310.81. & proprium præ alieno. 310.83
Peccata damnatorum numquam remittuntur. 297.1
Mortale commissum eo instanti quo completur baptismus, confitendum est. 33. 96. secùs de priùs commisso. 97
Peccatum illud per Sacramentum non remittitur quod, adhuc actu durat, dum Sacramentum completur. 95
Mortale habituale duo includit. 31.80
Damnati ob peccata quæ in inferno committunt, non puniuntur. 419.7
Peccati morralis malitia est infinita. 5. & meretur pœnam absolutè infinitam. ibid.
Peccata mortalia per accidens remittit Eucharistia. 217.52

Veniale.

Deo displicet & quomodo. 316.120
In quo veniale habituale consistat. ibid.
Quomodo pro eo satisfiat. 121
Numquam deletur sine aliqua punitione aut remissione. ibid. & pœnitentia. 317.122
Numquâ remittitur sine mortali aut originali. 319.131
Deletur in defunctis per actum contritionis. 137
Venialia nulla necessariò, vtiliter tamen confitemur. 353.26
Aliquando tamen tenemur ex charitate nostri. 361.76
Venialia per se ex opere operato remittit Eucharistia. 218.55

Peccati remissio.

Peccati remissio est actus ipsius Dei. 302.29
Quandoque maius beneficium est conseruatione in innocentia, quandoque contra. 319.133
Potest Deus remittere peccata sine vlla physica commutatione peccatoris. 312.93
Aliter Deus remittit offensas quàm Princeps. 327.176
Non potest peccatum eodem instanti remitti quo committitur. 313.99
Cuiuis verè pœnitenti remittuntur omnia peccata. 298.7
An possit Deus remittere vnum peccatum mortale sine alio, & quomodo? 313.103
Remissio peccati quomodo annexam habeat infusionem gratiæ. 319.133
Peccata remissa numquam absolutè redeunt. 320.139
Nec de potentia Dei propriè redire possunt. 321.146. redeunt tamen secundùm quid. 145. Huius causa est ingratitudo, & quomodo? 322.151
Numquam in hac vita ita remittuntur, quin vlteriùs possint remitti. 346.61
In confessione semper verè remittuntur, & quomodo. 347.64
Nulla in hac vita sunt irremissibilia. 297.2
D. Thomæ de hoc sententia explicatur. 6

Peccati culpa & pœna.

Culpa peccati mortalis remitti potest remanente reatu pœnæ æternæ. 316.118
Pœna peccati æterna dupliciter considerari potest. 117
Pœna peccati æterna semper remittitur vnà cum culpa. 314.106
Temporalis non semper tota. 107. & quare. 315. 111
Christus cur non iniunxerit pœnitentiam quibus remisit peccata. 112
Pœna æterna quomodo mutetur in temporalem. 115

Peccati detestatio & fuga.

Detestatio peccati perfectior est dolore, & eius causa. 392. 12. Formaliter repugnat peccato. 13. A variis virtutibus potest procedere. 294.22. Detestatio peccati an maior

maior esse debeat quam pœnæ. 393. 42
Peccandi periculum remotum non tenetur vitare. 333. 29
Propositum vitandi peccata quomodo requiratur ad iustificationem. 306. 58. quale id esse debeat. 59. & 319. 336

Penetratio.

Penetrari possunt corpora beata & penetrationi resistere. 168. 95
Non penetrant se mutuò partes corporis Christi. 186. 64

Pensio.

Pensiones triplicis generis. 482. 84

Pentecoste.

An in pentecoste Iudæorum Spiritus sanctus descenderit. 304. 84
Lex in ea solemniter promulgata obligare cœpit. 93. 25

Peregrinus.

Potest se accommodare legibus loci in quo est. 143. 109. non tamen tenetur. 144. 111. nisi ratione scandali. &c. 114. aut si magna parte anni ibi commoratur. 145. 115

Pœna, vide *Culpa & Peccatum.*

Potest qui opere in quo peccat venialiter, ex opere operato raro gratiam aut remissionem pœnæ consequi. 431. 88
Communiter non debetur antequam exigatur. 695. 88
Nemo potest exigere sibi debitam, antequam ei constet illam deberi. ibidem

Pœna æterna, temporalis.

Pro pœna æterna solùm possumus de congruo satisfacere. 420. 13. Iusti possunt satisfacere pro pœna temporali. 15

Pœnitentiæ virtus.

Quid significet. 291. 1. Varios actus cõplectitur. 5. quomodo sit virtus particularis. 294. 22. est species religionis. 25
Quomodo in ea sit efficax voluntas absentiæ peccati. 292. 8
Requirit dolorem formalem & detestationem peccati. 10
Præcipuè consistit in dolore. 11
Necessariò detestatur omnia mortalia. 295. 30. non tamen venialia. 296. 32. vt sit vtilis debet esse supernaturalis. 27
Haberi hæc nequit sine gratia præueniente & actu fidei. 304. 45

Pœnitentiæ actus, & habitus.

Pœnitentiæ actus tendit immediatè in peccatum commissum. 293. 14. & 19. Non fuit in Christo. 19
Cuius iustitiæ sit, commutatiuæ an vindicatiuæ. 294. 24
Quomodo sit materia proxima Sacramenti pœnitentiæ. ibid. 342. 35. Cur dicatur quasi materia. ibid.
Quibus aliis præuiis actibus in nobis excitetur. 302. 34
Gignit in parte sensitiua dispositionem facilitantem. 296. 36
Subiectatur pro diuersis sui motiuis in diuersis animi partibus. 35
Non expellit peccatum effectiuè. 300. 19
Pœnitentiæ habitus primò inclinat in bonum, deinde in odium peccati. 294. 18
Per se expetendus, & in Christo est. 19

Pœnitentiæ præceptum.

Quo iure teneatur peccator conteri, naturali an positiuo. 329. 7
Pro quo tempore 331. 18. non tenetur statim à commisso peccato 332. 24. nisi quando ex dilatione crescit iniuria Deo illata. 25, & 333. 26
Non tenetur diebus festis & Dominicis occurrentib. 332. 31
Quomodo peccent qui deliberatè pœnitentiam differunt. 333. 32
Quamdiu citra peccatum eam differre possint. 334. 33
Contritio quandoque per se, quandoque per accidens necessaria est. 331. 18
Qui nequit in paschate confiteri, neque conteri tenetur 332. 22
Non tenemur sæpiùs formaliter conteri de eodem peccato, etsi nobis occurrat. 334. 34
An teneamur conteri de peccato remisso per actum charitatis, aut indirectè per Sacramentum delero. 35

Sacramenti Pœnitentiæ institutio & essentia.

Pœnitentia est Sacramentum. 335. 2. Distinguitur à baptismo. 336. 6. Christus id instituit Ioan. 20. 337. 13
Requirit aliquod externum signum ex parte absoluentis. 335. 2. & pœnitentis. 3
Cur ad eam necessaria sit confessio. 337. 13. est pars essentialis huius Sacramenti. 341. 33
Eius materia remota, sunt peccata. 340. 27. propinqua actus pœnitentis. 341. 28
Actus pœnitentis sunt intrinseci Sacramento. 31
Forma Sacramenti pœnitentiæ quæ, & quæ illi essentialia. 29
Numquam datur hoc Sacramentum informe: secùs ac alia, & quare. 348. 71
Institutum est vt pœnitens in eo simul ab omnibus mortalibus absoluatur. 365. 1
Non est de essentia huius Sacramenti, vt pœnitens priùs absoluatur ab excommunicatione. 460. 104

Sacramenti Pœnitentiæ minister.

Solus legitimus minister est sacerdos. 384. 2

Pœnitens.

Potest ex pacto obligari vt secundò confiteatur. 403. 118

Pœnitentia sacramentalis.

Non debet injungi per modum consilij. 427. 64
Grauis pœnitentia non potest injungi sub veniali. 65
Opus per alium factum non est pars pœnitentiæ sacramentalis. 66
Actio interna potest esse pœnitentia sacramentalis. 67
Item opera ex præcepto diuino vel humano debita. 68
Censentur communiter opera aliàs indebita injungii 428. 69
Qua ratione pœnitentiæ relinquantur iudicio confessarij. 70
In illa injungenda præcipuè spectandus est fructus spiritualis pœnitentis. 71. item duo extrema cauenda. 73
Pœnitentia publica quando injungenda. 74
Reluctanti dura pœnitentia non est injungenda. 429. 75
Tenetur pœnitens sub p. m. acceptare & implere pœnitentiam à confessario pro p. m. legitimè injunctam, si materia grauis sit & velit absolutionem consequi. 79
Imò etiam probabiliùs confessus sola venialia aut mortalia, à quibus fuerat antè directè absolutus. 430. 1
Pœnitens personaliter obligatur pœnitentiam injunctam per se implere. 82
Iussus pœnitentiam certo tempore implere, eo lapso non soluitur obligatione. 83
Oblitus suæ pœnitentiæ non tenetur secundò eadem confiteri. 86. nec eius loco alia opera facere. 433. 103
Pœnitentia injuncta non remittit semper omnem pœnam debitam. 431. 90
Impletio pœnitentiæ est pars integralis Sacramenti. 91
Confert gratias præuenientes & remissionem pœnæ. 92
Minister Sacramenti non potest eius vim minuere vel augere. 93
Probabiliùs non confert gratiam ex opere operato. 432. 94
Pœnitentia expleta in statu peccati mortalis valet vt satisfiat præcepto confessarij. 95. & probabiliùs incipit habere effectum, donec pœnitens resurgit à peccato. 96
Nihil refert vtrùm eam commutans cum alia sit superior eo, qui eam injunxit. 433. 99
Quis commutare cum alia possit. 100
Ad hoc necessariò præmittenda est confessio peccatorum ob quæ fuit injuncta. 101
Non satisfit pro pœnitentia per opus melius. 103

vide *Satisfactio.*

Pollutio.

Pollutio dupliciter accidit, & quando impediat communionem. 225. 41

Polygamia.

Non obest remedio concupiscentiæ. 634. 23

Pontifex.

Quando censeatur aliquid definire.
Potest tollere consecrationem calicis. 635. 34
Potest reseruare venialia peccata. 396. 80
Non reseruantur illi peccata, nisi habeant annexam excommunicationem, excepto vno casu. 397. 82
Reseruat non solùm censuras sed etiam peccata. 83
Potest dispensare vt fidelis cum non baptizato contrahat. 681. 45
Non rectè à quibusdam dicitur posse dispensare in matrimonio conuersorum ad fidem. 640. 66

Possessio.

Melior est conditio possidentis. 725. 85
In dubio malè adiudicatur res possessori, atque inquisitionem. ibid.

Potentia obedientialis.

An per potentiam obedientialem quidlibet possit eleuari ad quodlibet. 36. 112. & 115. & seq.
Quænam requirantur ad alicuius causæ eleuationem. 113. & 114.

Potestas ciuilis.

Inseruit spirituali vt corpus animæ. 457. 28

Præceptum. præcipere.

Præceptum domini morte abrogatur. 454. 12. & cur. 13
Nemo potest præcipere rem leuem sub peccato mortali. 462. 69. nisi ratione circumstantiarum fiat grauis. 463. 70
Ratione circumstantiarum fit aliquid de nouo materiæ præcepti. 469. 113
Vnde spectanda sit materiæ grauitas in aliquo præcepto. 491. 144

Prælatus.

Qua ratione possit clericos sibi subditos punire. 497. 190
Exigente causa licitè eum torquet per sæcularem. 191
Quid facere possit in alieno territorio. 645. 22

Preces.

Importunæ an irritent matrimonium. 659. 35

Priuilegia.

Sæpè conceduntur vt tantùm euitentur scrupuli. 393. 55
In particularibus priuilegiis non valet argumentum à simili aut maiore. 640. 65

Priuilegiati.

Non tollunt reseruationem nisi in confessione sacramentali, excepto casu excommunicationis. 397. 84
Qui illis confitetur, satisfacit præcepto de annua confessione. 394. 65

Procurator.

Actus procuratoris constituit vnum actum in genere moris cum consensu mandantis. 624. 74
Vide Matrimonij essentia.

Professio.

Inualidè facta quomodo reualidetur. 627. 98
Vt validè quis profiteatur, debet annum nouitiatus ætatis decimumsextum omnino integrè expleſſe. 637. 45
Nupta ante duodecimo, & statim Religionem ingrediens, ante annum decimumsextum nequit profiteri. 48
Solo iure Ecclesiastico dirimit matrimonium. 685. 67

Promissio.

Interna non obligat. 588. 34. nec externa ante acceptationem. 35. excipe promissionem factam ciuitati, &c. ibid.
Non obligat sine voluntate se obligandi, nisi ratione damni secuti. 37
Imperfectè deliberata non obligat sub veniali. 38
Promissio rei grauis obligat sub mortali. 589. 39
Per veram promissionem necessariò alteri conferetur ius. 40
Ad quid obligetur dubitans an seriò promiserit. 41
Promissio conditionata quando obliget. 42
Promittens rem illicitam quæ postea fit licita, non obligatur. 43
Promittens non asserit se facturum. 590. 47
Promissio matrimonij conditionata per copulam purificatur. 591. 55
vide *Sponsalia.*

Prophetia.

Quid in sacra Scriptura significet. 553. 36

Pueri.

Validè sed illicitè ordinantur. 664. 97

Punctum.

Infinita puncta non faciunt quantum. 183. 38
Minima naturalia quomodo dentur. 40

Purgatorium.

Probabilius dæmones non deducere animas ad Purgatorium. 440. 44
Cur animæ in Purgatorio nec mereri nec demereri possint. 441. 47
Cur ibi animæ non possint amittere charitatem. 48
Non egrediuntur ordinariè ex eo loco, donec omnino pœnas persoluerint. 49
De fide est posse nos iis prodesse. 51. *Vide* Suffragium.
Pœnis temporalibus animæ post hanc vitam in eo expiantur. 434. 1. & seqq.
Quo loco sit Purgatorium. 437. 17
Carent ibi animæ visione beatifica. 20. afficiuntur molestia propter illius carentiam. 21. non tamen graui. ibid. sicut nec Patres olim in limbo. 22
Patiuntur aliquas pœnas sensus grauissimas, quæ omnes pœnas huius vitæ superent. 438. 24
Aliquæ torquentur propriè dicto igne, & probabilius etiam frigore. 25
Non torquentur sola apprehensione ignis, &c. 27. sed propter sympathiam cum corpore cui alligantur à Deo. 439. 33
Num à dæmonibus torqueantur. 33
Non liberantur donec plenè sint purgatæ. 440. 36. liberatæ statim admittuntur ad visionem Dei. ibid. nulla ibi detinebitur vltra diem iudicij generalis. 37
Sententia Soti reiicitur, qua docet nullam animam vltra decennium purgari. 38

Quantitas.

Quantitas dupliciter accipitur. 186. 63
Non consistit essentialiter in extensione. 64
Eius formalis ratio in quo consistat. 201. 38
Eam distingui à substantia rationes Theologicæ suadent. 40
Naturaliter non est subiectum accidentium. 202. 48
Nequit subire vicem materiæ in generatione. 203. 54
Tota quantitas Christi est in Eucharistia. 187. 66

Raptus.

Raptus quid sit? 682. 46
Raptor tenetur dotare raptam: aliásque pœnas incurrit. 47
Quando possim alteri rem suam reperenti eam negare. 718. 30

Ratihabitio.

Non validat absolutionem præcedentem. 390. 34
Quando retrorrahatur. 535. 72
Præsumpta vbi non sufficiat. 646. 31

Religio virtus.

Fortiùs obligat quàm iustitia. 595. 20

Religiosus.

Vbicunque existit eodem modo suo Superiori subditur. 462. 64
Immediatè Prælatis suis subditur. ibid.
Gaudet priuilegiis canonis facti in fauorem clericorum. 493. 164

In odiosis non comprehenditur nomine cleri. 516.8. nisi habeat Beneficium sæculare. 10
Ingrediens Religionem cum animo eam postea deserendi grauiter peccat. 566. 105
Religiosus qua ratione absoluendus ab excommunicatione. 504.239

Replicatio & reproductio.

Replicationes virtuales & formales quomodo differant. 172. 123
Reproductio quid sit, & quomodo differat à creatione. 125. & 128. & 176. 158
Reproductio Christi quomodo colligatur ex verbis formæ. 174. 142
Reproductionem docuit D. Thomas. 275. 152
Conceptu facilior est quàm creatio. 156

Rescriptum.

Rescripta alia iustitiæ, alia gratiæ. 707.56
Diuersitas inter rescripta iustitiæ & gratiæ. 56
Quæ rescripta dicantur subreptitia. 57
Quæ dicatur causa finalis. 708. 58. Quæ impulsiua? ibid.
Dispensans censetur semper spectare rationem iustam ac causæ intrinsecam. ibid.
Quæ causæ censendæ sint finales. 59
Quis error reddat rescripta subreptitia. 61
Veri reticentia non nocet rescriptis motu proprio datis. 64
Quænam vitient rescripta motu proprio data. ibid. Expressio falsi quandoque non nocet. 709. 65
Reticentia veri non necessariò exprimendi non continet fraudem. 66

Reseruatio peccatorum.

Licitè aliqua reseruantur. 396. 77. In quem finem? 417.66
Etiam illicitè facta est valida. 396. 73
Reseruari possunt etiam peccata interna. 79
Reseruare solus Pontifex posset venialia. 80
Quæ peccata possint Superiores reseruare in Religione. 81
Non reseruantur peccata Papæ nisi habeant annexam excommunicationem, excepto vno casu. 397. 82
Reseruat Pontifex non solùm censuras sed etiam peccata. 83
Reseruationem non tollunt priuilegiati nisi in confessione sacramentali, excepto casu excommunicationis. 84
Reseruatos casus non includit potestas absoluendi à peccatis. 85
A reseruatis Papæ casibus potest Episcopus varias personas absoluere. 88
A reseruato Papæ casu si instante morte quis absoluitur, quid obseruandum. 398.90
A reseruatis in periculo mortis non debet absoluere nisi qui aliàs potest si hîc præsens sit. ibid.
A reseruatione casuum liberat confitentem quandoque is qui eum inualidè absoluit. 91
Etiamsi à reseruatis tantùm absolueret ex priuilegio. 92 & confitens inculpabiliter aliquos omisisset. 93
In peccata reseruata qui potestatem non habet, inualidè absoluit eum qui hæc sola confitetur. 399. 100. Validè si simul alia confitetur. 101. Illicitè extra necessitatem. 400. 103
Habenti reseruata præstat confiteri non habenti in illa potestatem, quàm sine confessione communicare. 106
Etiamsi pœnitens incurrerit excommunicationem reseruatam. 401. 107
An idem dicendum si sacerdos haberet solùm iurisdictionem in venialia. ibid.
Absoluendi à reseruatis potestatem debet confessarius cautè à Superiore petere. 111
Eam vt det facilis debet esse Superior, nisi habeat graues rationes in contrarium. 111
Potest tamen eam concedere cum onere secundò eadem confitendi. 402. 114
Quando facultas vt quis absoluatur à reseruatis, datur immediatè pœnitenti cum onere secundò confitendi hic vtendo facultate necessariò consentit in onus. 403. 120
Quando hæc facultas confessario conceditur, ad quid teneatur tunc confessarius & pœnitens. 121
Aliquando pœnitens nequit absolui à reseruatis nisi acceptet illud onus. 122
Aliquando debet absolui à reseruatis etiamsi illud onus non acceptet. 123
Conditionem secundò confitendi reseruata qui acceptauit obligatur cà sub peccato mortali. 494.124

Reus.

Reus quando possit obligari, vt pœnam in se latam exequatur. 457.30

Sabbathum.

Quæ opera interdicta erant sabbatho quæ non in alijs festis. 140.79
Solum habebat parasceuem. 82

Sacellanus.

Sacellani Pastorum non possunt subdelegare. 389.30

Sacerdos cuiusque potestas.

Solus sacerdos validè consecrat. 238. 3. & sacrificat. 259. 106
Sacerdos repræsentat personam Christi & quomodo. 270. 181
Sacerdotes Christi sunt vicarij, impares illi dignitate sacerdotali. 250.57
Sacerdos malus validè consecrat. 242.35.36.& 258. 106
Neomystæ plures an & quomodo eandem hostiam cum Episcopo simul consecrent. 239.8
An sacerdos teneatur aliquando celebrare Missam. 242. 38.& 273.201
Quando teneantur Parochi & Canonici. 274.202
Non tenetur Parochus ordinaria vlla Sacra celebrare pro parochianis. 199. nec Canonici. ibid.
Sacerdos potest accipere eleëmosynam pro Sacro. 273. 197
Dum sacrificat, triplicem personam sustinet. 476.36
Potest vt priuatus inter celebrandum pro excommunicato orare etiam in suo Memento. 37
Quando peccet mortaliter celebrans pro excommunicato. 38
Licet ei iam celebrare pro toleratis. 40. & iis quibuscum potest communicare, & quorum potest oblationes suscipere. 41
Recipiens oblationes implicitè promittit orationes. 477. 42
Ob bigamiam non priuatur priuilegio canonis facti in fauorem clericorum. 492.157
Sacerdos in Sacramento pœnitentiæ verè remittit peccata. 338.16. etiam secundùm culpam. 339.23
Potestas remittendi peccata distinguitur à potestate concionandi. 412.18.& baptizandi. 21
Est potestas iudiciaria. 338.19
Media inter potestatem supremi Principis & iudicis subordinati. 345.55
Non est solùm potestas denuntiandi aliis peccata esse dimissa. 339. 20. Quæ sit potestas retinendi peccata. 340. 26. Ex hac clarè probatur necessitas confitendi. 350.7
Qua ratione sit necessarius iudex pœnitentis. 429.78
Potestas imperandi in sacerdote necessariò requirit in pœnitente necessitatem obediendi. 79
Dispensante Pontifice confert subdiaconatum. 563.90
An in ordine Cistercienſi confetre possit diaconatum. 91
Ab initio prohibitum iis est matrimonium. 566.108
Græci tamen licitè vtuntur matrimonio priùs contracto. 568.115. *vide* Ordo.

Sacramentum.

Sacramenti significatio.

Quid apud profanos, quid apud Ecclesiasticos ferè significet. 11

Strictè sumptum quid significet. 2.2
Sacramentum generatim cur potiùs ponatur in genere signi, quàm causæ. 3
Est signum sanctificatis & signum rei sanctificantis. 4
Est necessariò signum practicũ respectu sanctificationis. 6
Non tamen necessariò per se primò institutum ad significandam sanctificationem. 3.8
Neque ad immediatè significandam sanctitatem veram. 10
Sacramentum non habet necessariò analogiam aliquam cum sanctitate quam significat. 11. omne tamen hactenus institutum habet remotam aliquam analogiam. 13
Sacramenta variarum rerum sunt signa. 4.16
Ineptè hæretici ea vocant inania signa aut sigilla. 5.24
Quomodo distent à nudis signis, aut signis magicis. 39. 133
Sæpè dicuntur officia diuina. 532.48
Qua ratione dicantur solùm esse septem Sacramenta. 556.51
Dupliciter accipitur Sacramentum. 608.10
Potestactio mala esse pars Sacramenti. 610.19
Singula Sacramenta habent aliquid singulare. 20
Ex Sacramento inualido nulla oritur cognatio. 693. 31

Essentia.

Sacramentum est res seu cæremonia sacra sensibilis. 4.18
Instituta ad conferendam aliquam sanctitatem suo vsu & ad veram sanctitatem significandam. 19. pro statu Ecclesiæ tunc existentis. ibid. instituta legitimè stabilitérque. 5.21
Sacramenti essentia non est alia in necessitate, & extra necessitatem. 72.82
Ad essentiam eius requiritur vt intendas facere quod Ecclesia facit per modum ritus sacri. 5.22

Institutio.

Sacramenti institutio propria est soli Deo. 21.& 44.3
Sacramenta instituendi potestas communicari nequit creaturæ vt causæ primariæ. 46. 13. neque ea potestas quam habuit Christus. 14. potest tamen communicari potestas instituendi signa conferentia ex opere operato gratiam. 15. probabilius nulli hæc hactenus est communicata. 19
Sacramenta noua omnia immediatè instituta à Christo. 45.7
Quorsum singula sint instituta. 24.39
Qua ratione aliqua instituta ad conferendam primam gratiam, alia non. 25.43

Materia.

Materia Sacramentorum omnium conuenienter determinata est à Deo. 6. 27. etiam probabilius legis veteris & legis naturæ. 30.& 46.19
Duplex est, remota & proxima. 6. 28. item vna quasi partialis & alia totalis. 7.34
Materia partialis sunt res & verba simul sumpta respectu integræ suæ significationis, & formæ totalis. 7.35
Omnia intrinsecè constant rebus & verbis. 37. præter Ven. Eucharistiam. 41
Materia semper fuit eadem in omnibus Sacramentis. 8.42
Quomodo Tridentinum inualidando matrimonia clandestina non mutarit materiam. ibid.
Non est necessarium distinctè cognoscere quæ sit præcisè materia & forma alicuius Sacramenti. 610.21
Vtraque pars Sacramenti debet esse sensibilis. 617.30
Materia dubia quando vti liceat. 13.80
Materia quorundam Sacramentorum cur benedicatur. 112.27

Mutatio materiæ.

Mutatio materiæ quænam sit essentialis, quæ accidentalis. 13.79
Mutare materiam Sacramentorum quale peccatum. 85

Forma.

Forma partialis Sacramentorum sunt verba. 7.35
Ex iis tamquam parte essentiali componuntur omnia Sacramenta; excepta Eucharistia. 37.& 8.41
Forma totalis est significatio rerum & verborum simul sumptorum. 7.35
Forma Sacramenti tantùm debet esse moraliter simul cum materia. 40
Semper fuit eadem in omnibus Sacramentis. 8.42
Dubia quo casu possit esse licita. 14.82
Aliàs valida an vitiari possit à mala intentione. 11.61. & 12.66

Mutatio formæ.

Quænam sit essentialis, quæ accidentalis. 11.58. & 13.78
Octo modis mutari potest. 12. 68. mutatione in aliud idioma non corrumpitur forma. ibid. nec mutatione in verba perfectè synonyma. ibidem
An corrumpatur transpositione, interpolatione, additione verborum. 69. quid si additio fiat tantùm in fine formæ. 70.& 71. quid si initio. 13.77
An alicuius verbi subtractione corrumpatur. 75
An corrupta pronuntiatione. 76. an mutatione verborum in signa & nutus. 78
Mutatio formæ essentialis quale sit peccatum. 80. quale accidentalis. 14.84

Necessitas.

Sacramenta cur sint necessaria. 14.1
In statu innocentiæ non fuissent adeò necessaria. 15.8
An futura fuissent si Adam non peccasset, & peccassent posteri. 10
Sacramentum quodlibet quomodo iam necessarium & quibus. 19.27

Numerus.

In lege noua conuenienter instituta sunt septem Sacramenta. 60.1
Probatur contra hæreticos. 3. & seq.

Efficientia Sacramentorum.

Sacramenta nostra tamquam causæ minùs principales propriè producunt gratiam. 20. 10. & 19. non mediatè siue excitando fidem; vt volunt hæretici. 14. sed ex opere operato. 21.20
Æqualiter dispositis conferunt æqualem gratiam. 26. 49
Meliùs dispositis maiorem. 30. Iusto quàm peccatori attrito communiter maiorem. 52
Sacramenta quando conferant gratiam iustificantem. 54
Non conferunt in tempore. 55. sed eodem instanti quo essentialiter sunt completa. 28.62
Sacramenta an sint causa physica gratiæ. 35. 109. quibus rationibus id opinentur Thomistæ. ibid. eorum solutio. 39.135. quomodo aliqui existiment Sacramenta ad hoc eleuari. 35.110. non fit per inditam qualitatem. ibidem. aut diuinam motionem. 36.111. aut per potentiam obedientialem. 112. & seq.
Longè verius Sacramenta solùm esse causas morales gratiæ. 37. 123. & seq. neque contrà sensit D. Thomas. 39. 136

Reuiuiscentia.

Reuiuiscentiam Sacramentorum primus docuit D. Augustinus. 28. 65
Reuiuiscit imprimis baptismus. 30. 72. confert distinctam gratiam habitualem ab ea quæ confertur ratione operis quo tollitur. 73. remittit pariter pœnam omnem temporalem debitam peccatis ante eius susceptionem commissis. 74
Reuiuiscunt probabiliter Confirmatio & Ordo. 75. Item matrimonium. 76. Item Extrema vnctio, modò obex tollatur durante eodem morbo. 77. Item Ven. Eucharistia, modò obex tollatur ante comsumptas species. 78
Sacramentum pœnitentiæ non reuiuiscit, quia non datur informe.

Vt Sacramentum reuiuiſcat quid requiratur, quando obex fuit poſitiuus. 31. 82. & 32. 89. & ſeqq. quid quando obex ſolùm eſt negatiuus. 33. 92

An reuiuiſcente baptiſmo remittantur etiam peccata commiſſa in ipſa ſuſceptione baptiſmi. 31. 84. & 33. 94. 95. an ea quæ committuntur eo inſtanti quo completur baptiſmus. 96

Sacramentum reuiuiſcens an priùs conferat gratiam quàm cauſa tollens obicem. 32. 85

Baptiſmus reuiuiſcens per Sacramentum pœnitentiæ quomodo conferat gratiam. 33. 98. confert maiorem quàm vnumquodque per ſe confert. ibid. Quomodo dum reuiuiſcit per contritionem. 34. 101

Sacramentum reuiuiſcens an meliùs diſpoſito conferat maiorem gratiam. 32. 86. & 34. 102. quantam præcisè conferat. 103

Votum Sacramenti.

An aliquando conferat gratiam ex opere operato. 26. 54. & 27. 61. quam vim Tridentinum ei tribuat. 27

Subiectum Sacramenti.

Poteſt quis iuſta de cauſa petere Sacramentum ab eo quem ſcit in adminiſtratione peccaturum. 50. 43. Secùs ſi id poſſit ab alio percipere. 44

Nemo poteſt à nominatim excommunicatis non toleratis aut notoriis clerici percuſſoribus accipere vlla Sacramenta præter baptiſmum & pœnitentiam in articulo mortis. 46. ab excommunicatis toleratis iuſta cauſa quis poteſt. 51. 49. iuſtior tamen debet eſſe cauſa vt licitè petat à non Parocho quàm Parocho, à non parato dare quàm à parato. 52

Numquam licet petere Sacramentum ab eo qui non poteſt illud licitè adminiſtrare. 54

Intentio ſuſcipientis.

Intentio ſuſcipiendi Sacramentum non requiritur in infantibus. 58. 97. requiritur in vtente ratione. 98

Secundum quid inuitus validè Sacramentum ſuſcipit. 99. inualidè ſuſcipit qui id numquam petiit. 100

Intentio habitualis ſufficit ad valorem Sacramenti. 102. non ſufficit voluntas merè interpretatiua ſine indirecta. 59. 106

Ad ſuſcipiendum Sacramentum pœnitentiæ neceſſe eſt illud petiiſſe explicitè. 58. 103

Sufficit petiiſſe implicitè Sacramentum Extremæ vnctionis. 59. 104. quis cenſeatur illud petiiſſe implicitè. ibid.

Sacramentum Confirmationis an validè conferri poſſit etiam neſcienti vel amenti. 105

Diſpoſitio.

Sacramenta requirunt diſpoſitionem aliquam in ſuſcipiente vt producant gratiam. 19. 5. Quam ? 21. 23. numquam ſufficit dolor vel alia pia motio voluntatis merè naturalis. 22. 26

Ad baptiſmum nullus propriè requiritur dolor in non habente peccatum actuale. 27. ſecùs in habente. 28. & ſeq.

Ad accipiendam gratiam per baptiſmum aut pœnitentiam ſufficit perfecta attritio etiam nota ralis. 23. 31. an ſufficiat attritio virtualis. 34. & ſeq. Pro aliis quinque Sacramentis conſcio ſibi peccati mortalis neceſſaria eſt contritio neceſſitate præcepti. 24. 39. & 42. Pro Ven. Sacramento Euchariſtiæ neceſſaria eſt ordinariè confeſſio. 41

Qualis diſpoſitio ad quoduis Sacramentum requiratur in iuſto. 25. 44

Peccatum veniale non impedit effectum Sacramenti. 45

Æqualiter diſpoſitis idem Sacramentum æqualem confert gratiam. 31. 49. meliùs diſpoſitis maiorem. 26. 50

Omiſſio alicuius rei requiſitæ ad legitimam ſuſceptionem Sacramenti quando impediat eius fructum. 25. 46

Diſpoſitio actualis melior eſt habituali. 26. 53

Miniſter Sacramenti.

Miniſter ſanctior non confert in Sacramento maiorem gratiam. 25

Conferens Sacramentum in peccato mortali quando peccet mortaliter. 47. 21. & ſeq.

Ex quo capite obligetur conferre Sacramentum in ſtatu gratiæ. 47. 24. non ex iure poſitiuo. ibid. nec ex ſola ratione conſecrationis. 25. & ſeq. nec ex ſola ſanctitate Sacramenti. 27. ſed quaſi ex his duobus, primariò ex ſanctitate ac dignitate ipſius Sacramenti, ſecundariò ex eo quòd ad tale munus ſingulariter ſit conſecratus. 48. 32. & ſeq.

Diſtribuens Ven. Euchariſtiam in peccato mortali peccat mortaliter. 35. toties quot hoſtias diſtribuit. ibid.

Sacerdos baptizans etiam non ſolemniter in peccato mortali, peccat mortaliter. 36. probabiliùs id negatur de laïco. 49. 37

Contrahens matrimonium in peccato mortali tantùm ſemel peccat mortaliter. 38

Sacerdos aut Epiſcopus conficiens ſacramẽtalia, diaconus legens ſolemniter Euangelium in peccato mortali, non peccant mortaliter. 39

Solus homo viator poteſt eſſe miniſter Sacramenti. 52. 56

Hæreticus validè confert Sacramenta. 59. 108

Intentio miniſtri.

Mala intentio non vitiat formam quæ aliàs eſſet valida. 11. 61. niſi quatenus certo caſu forma determinari poteſt ad ſenſum contrarium. 12. 66. Quando intentio inducendi in Eccleſiam contrarium proprio ſenſui verborum eſſentialium formæ, irritum faciat Sacramentum. 65. & 67

Quæ intentio requiratur in miniſtro ad valorem Sacramenti. 52. 60. poteſt eſſe triplex. ibid.

Non ſufficit intendere exteriorem illum actum. 61. ſolutio argumentorum in contrarium. 53. 66. & ſeq.

Requiritur vt miniſter intendat conferre Sacramentum ſaltem implicitè. 62. non requiritur vt intendat explicitè conferre eius effectum. 54. 70

Intentio alia conditionata, alia abſoluta: hæc eſt quadruplex, actualis, virtualis, habitualis, interpretatiua. 71

Interpretatiua aut habitualis non ſufficit ad valorem Sacramenti. 73

Sacramentum validè confertur ſub conditione præterita aut præſenti. 55. 77. inualidè ſub conditione de futuro contingenti. 78. & 56. 86. excepto matrimonio. 82. quid ſi ſub conditione quam ſcit neceſſariò futuram. 81. aut ſub hac, Si Deus ſciat te hoc vel illud facturum. 57. 88

Intentiones contrariæ in miniſtro non irritant Sacramentum ſi intentio ad valorem Sacramenti neceſſaria ſit præcipua. 57. 91. etiamſi habitualis eius voluntas ſit prorſus alia. 92

Intentio miniſtri debet verſari circa determinatam materiam. 93. potiſſimùm in matrimonio. ibid.

Intentio miniſtri non poteſt efficere vt Sacramentum ponatur citiùs aut ſeriùs. 73. 86

Sacramenta Vetera.

Immediatè ſignificabant ſolam legalem ſanctitatem, hac mediante veram. 3. 10. cõferebant ſolam legalem. 4. 19. veram ſolùm ex opere operantis. 40. 140. quotuplicia fuerint. 18. 25

Sacramenta vetera & noua vniuoca. 26

In lege naturæ probabilius fuit aliquod Sacramentum inſtitutum ad ſanctificationem paruulorum. 16. 17. & 17. 22. fuerintne plura. 23

Sacramentalia.

Sacramentalia cur non ſint Sacramenta. 2. 5. 7. & 6. 20. multa ex noſtris in lege veteri potuiſſent dici Sacramenta. 4. 20

Quinque habent effectus. 107. 21

Excitare poſſunt pietatem per modum obiecti. 23. ſolùm remittunt peccata mediante pio motu. 24. & cauſant gratias præuenientes per modum impetrationis. 26. non remittunt pœnas temporales niſi ex merito ſuſcipiẽtis.

Ioh. 30. quandoque directè operantur beneficia temporalia. 33
Conficiens sacramentalia in peccato mortali non peccat mortaliter. 49. 39

Sacrificium.

Quid propriè significet? 3. eius definitio & diuisio. 243. 30. & 31
Sacrificio supremum Dei in nos dominium restamur. 246. 5
Cur necesse sit nos Deum sacrificio colere. 243. 6
An fuisset in statu innocentiæ Adamo non peccante. 15. 7. & 8
Quinque requiruntur ad sacrificium. 245. 19
An cena aliqua actio sit sacrificio essentialis. 144. 15. & quæ præcipuè. 18. & 254. 81. & seq.
Cuius sit instituere sacrificia. 244. 11
Sacrificia cur non sint Sacramenta. 3. 7. & 5. 22
Quomodo in honorem Sanctorum offerantur. 443. 60

Sacrificia naturæ & legis veteris.

Vtraque per se considerata minùs conueniunt diuino cultui, ideoque indigna statu innocentiæ. 15. 8
Sacrificium Melchisedec an consisteret in reali mutatione. 244. 17
In lege naturæ paterfamilias erat princeps & sacerdos. 245. 22
Idem erat in immolatione agni Paschalis Iudæorum. 25
Sacrificia antiquæ legis tollebant immunditiam legalem ex opere operato. 260. 116. abrogata sunt per sacrificium crucis. 252. 64

Sacrificium crucis.

Meruit de condigno infinitum pretium, & quidem nouum nostræ redemptionis. 261. 125
Effectus eius immediatè fuit infinitus. 262. 127. pro omnib. sufficiens fuit Lytrum, non tamen omnibus applicatum. 251. 61
Eminenter continet omnia vetera. 259. 114. quomodo conueniat & differat ab incruento. 261. 124. & seq.

Sacrificium Eucharisticum.

Christus in cœna verè sacrificauit. 246. 32. & seq.
Hoc sacrificium quare non sufficerit ad nostram redemptionem. 248. 44. à solo sacerdote validè offertur. 254. 106
Fractio Eucharistiæ in cœna non fuit cæremonialis. 255. 86
Eucharisticum sacrificium essentialiter perficitur consecratione vtriusque speciei. 256. 96. & 258. 102
Consecratio repræsentat sacrificium cruentum. 257. 97
Quomodo sit holocaustum. 99
Quæ sit primaria eius hostia. 253. 71. & seq. non est panis & vinum nisi terminatiuè & secundariò. 254. 80. & 255. 87
Quomodo corpus Christi sit primaria hostia. 253. 75
Quomodo differat ab Eucharistiæ Sacramento. 69

Sacrificij Eucharistici effectus.

Sacrificium Eucharistiæ habet quadruplicem vim operandi suum effectum. 259. 110. est propitiatorium & impetratorium. 114. & satisfactorium. 260. 115
Habet effectum aliquem ex opere operato. 116
Et peculiarem vim varia impetrandi, eò quòd offeratur in persona Christi. 118. & hi duo modi differunt. 119
Crescit effectus ex dignitate operantis. 261. 121. ex indignitate eius non omnino destruitur. 122
Effectus eius numquam est actu infinitus, & quare? 271. 186. & seq.
Qui effectus huius sacrificij possint impediri, & quomodo? 264. 145
Sacrificium non confert immediatè gratiam iustificantem, eiusque augmentum, & quare. 262. 131
Non remittit immediatè peccata mortalia. 263. 135. nec venialia. 137
Facit hoc tamen mediante gratia præueniente. ibid.
Confert ex opere operato gratias præuenientes. ibid. quando & quales. 139. & 140
In iustis operatur remissionem pœnæ restantis. 263. 141
Inualidè applicatur sub conditione de futuro. 268. 168
Validè applicatur contra præceptum Superioris. 169
Impetratorium est quorumuis beneficiorum salutarium animæ. 264. 142
An infallibiliter? 143. & 144
Nihil de nouo meretur. 270. 180

Sacrificij fructus.

A quibus & pro quibus hoc sacrificium offeratur. 264. 146. non prodest damnatis. 147
Christus per se nemini fructum particulariter applicat. 265. 149
Quomodo prosit omnibus fidelibus. ibid. quomodo infidelibus. 267. 160. quomodo fidelibus defunctis. 267. 161
Peculiariter prodest sacrificio cooperantibus. 265. 153
Quid conferat Beatis. 266. 158
Validè offertur pro excommunicatis. 267. 159. licitè pro infidelibus. 160
Quomodo & quando crescat vel minuatur pro dispositione offerentis, quomodo non. 163. & 268. 171. qua ratione eius valor sit infinitus. 270. 179

Sanctitas.

Diuersa sanctitas propria legi veteri & nouæ. 4. 19
Quomodo vera acquirebatur in testamento veteri. ibid.

Satisfacere, Satisfactio.

Voluntas satisfaciendi Deo in hac vita non necessaria pœnitenti. 306. 60
Et quomodo. 307. 61. Impletio iniunctæ pœnitentiæ non est propriè pars Sacramenti essentialis, sed integralis. 344. 47
Sancti habent superfluas satisfactiones. 443. 1. quæ pertinent ad thesaurum Ecclesiæ. 444. 2
Quid sit satisfactio. 418. 5
Non possumus semper satisfacere Deo pro pœnis infligendis in hac vita & cur? 421. 20
Omni nostræ satisfactioni aliquid gratiæ miscetur. 21
Satisfactio multùm differt à satispassione. 22
Soli iusti possunt satisfacere. 23. Nemo post mortem. 24
Satisfactio debet esse voluntaria. 422. 25. requirit opus bonum. 27
Et procedens à gratia. ibid. an debeat esse pœnosa. 28
Satisfit etiam per opus externum. 26. & per opera aliàs debita. 31
Magnitudo afflictionis auget satisfactionem. 30
Omne meritorium est satisfactorium. ibid.
Quando difficultas operis augeat satisfactionem. ibid.
Opus bonum alia ratione est satisfactorium, alia meritorium. 423. 32
Quare ad satisfactionem requiratur promissio. 33
Quomodo hic leui opere pro magnis faciamus satis. 34
Nostra opera non habent ex natura sua eandem vim satisfaciendi pro aliis ac pro nobis. 426. 57
Vide Pœnitentia sacramentalis, Suffragium, Thesaurus.

Satispassio.

Multùm differt à satisfactione. 421. 22
Ad illam nec remissio, nec voluntaria sufferentia pœnæ requiritur. 423. 36
vide *Satisfactio.*

Scire.

Quis dicatur in moralibus scire? 724. 81
Neque eandem rem certò scire, & eandem inuincibiliter ignorare. 727. 98

Scrupulosus.

Quis dicatur scrupulis agi. 724. 81

Sensus.

Sensibus in Eucharistia non credendum. 161. 46

Sententia probabilis.

Sententia probabilior quandoque minùs tuta. 725.83
Vir doctus potest contra suum iudicium aliorum sententiam sequi. 84

Sepultura, vide *Interdictum.*
Seruitus, Seruus, vide *Matrimonij impedimenta in specie.*

Alius mancipium, alius ascriptitius, aut originarius. 678. 21
Seruitus deposita ex noua causa iterum incurritur. 731. 16
Quale sit in seruo ius contrahendi matrimonij. 680.36
Quantum dominus peccet seruum coniugatum aut sponsum procul vendendo. 38
Qua ratione dominus possit vti opera serui cum impedimento vsus matrimonij. 40

Sigillum.

Quid significet? 407.1
Obligatio sigilli oritur ex omni & sola sacramentali confessione. 408. 4
Inducta autem est iure positiuo. 412.34
Confessio facta scienter laico non obligat sub sigillo. ibid.
Fingens se sacerdotem tenetur sigillo. 408.8
Frangit sigillum qui reuelat peccatum mortale in genere, aut veniale in specie. 10
Periculosum est vnum pœnitentem præ alio laudare. 409. 11
Peccata publica cadunt sub sigillum. 12. Item circumstantiæ peccatorum, & peccata sociorum, & naturales defectus pœnitentis quatenus ab eo narrantur vt circumstantiæ peccati. 13
Frangit sigillum qui dicit se pœnitentem non absoluisse. 14
Non absolutis aliquando dandum est testimonium confessionis. ibid.
Quando frangat sigillum narrans peccata tacito auctore. 15
Non facilè de auditis in confessione loquendum. 16
Qua ratione sit contra sigillum dicere certo loco fieri grauia peccata. ibid.
An reuelari ex confessione debeat aut possit imminens proditio. 17
Ob nullum periculum licet frangere sigillum. 410. 19
Ex sola venia pœnitentis licitè reuelatur confessio. 22
Non sufficit tamē venia iniuriosè extorta, nec præsumpta. 23
Frangere sigillum semper est peccatum mortale. 24
Quomodo sit respondendum interrogantibus aliquid circa audita in confessione. 25. Potest fieri vt pœnitens teneatur aliquod peccatum confiteri, quod sit reuelandum. 411.33
Pœnitens non tenetur sigillo. 412.37
In praxi verius videtur eum teneri sub sigillo, cui confessarius ex venia pœnitentis audita in confessione legitimè reuelauit. 38. & seq.
Nunquam licet sic vti scientia in confessione habita, vt hæc aliquo modo reueletur. 414.51
Sæpè licèt confessario facere aut dicere ea, ex quibus alij colligant pœnitentem sibi esse confessum peccata, quæ ipsi norunt eum fecisse. 415.53. non licet ei tamen dicere pœnitentem sibi certa peccata & publica esse confessum. 54
Quid faciendum confessario qui nouit ex confessione mortem sibi parari? 55. præsertim si ex fuga sacerdotis pœnitenti immineat mors. 56
Qualis vsus scientiæ ex confessione habitæ sit licitus. 416. 58. illicitus tamen in gubernatione. 64. in negatione Sacramentorum periculosus. 417.67

Signum externum.

Sæpè à circumstantiis accipit vim significandi. 666.23
Vide Sponsalia.

Species sacramentales, vide *Christi accidentia in Eucharistia.*

Species sacramentales quomodo dicantur esse Sacramentum solum. 126.18. Concurrunt ad causandam gratiam. 24
Sub vna specie sumitur integrum Sacramentum. 127. 28
Species panis & vini vnà cum corpore & sanguine Christi constituunt integrè Sacramentum Ven. Eucharistiæ, & 125.15
Species aquæ separatæ an pergerent retinere corpus & sanguinem Christi. 155.190
Species à PP. impropriè dicuntur Sacramentum. 159.30
Qui mouet species, mouet etiam corpus Christi. 166. 81. & 168.93
Species sacramentales propriè franguntur, non corpus Christi. 204.59

Spes.

An actus spei virtualiter contineat attritionem. 24.37

Sponsalia.

Natura eorumdem.

Quid sint. 575. 1. Variè accipiuntur. 2
Requirunt directam promissionem matrimonij. 576.8. quę essentialiter requirit animum se obligandi. 7. & 577.18. vnde ebrius inualidè promittit. 18. & mutua esse debet. 576.9. & exterius exprimi. 577. 17
Fictè ea contrahens peccat mortaliter. 576.11. necessario obligant sub peccato mortali. 12. debent deliberatè fieri, secùs non obligant. 13. & seqq. & versari circa personas determinatas. 577. 16
Clandestina per se loquendo sunt licita. 578.20
Quæ signa requirantur post Tridentinum. 24
Volo dare, non significat promissionem nisi ratione circumstantiarum. 25
Signa ambigua nihil operantur. 579.26
Donatio annuli non facit sponsalia nisi ratione circumstantiarum. 28
Dicens, *nullam ducam præter te*, quid affirmet, & ad quid obligetur. 29
Accipio in vxorem in crastinum, significat matrimonium. 33
Contrahentibus parentibus pro filiis præsentibus hi tacendo consentiunt. 580. 34. Idem dic quando tutores ita contrahunt. 37. & quid dicendum quando pro absentibus contrahunt. 39
Matrimonium impuberum habet vim sponsalium. 41. ex natura sua. 46. & post tale matrimonium puellam violans tenetur eam ducere. 581.45
Matrimonium clandestinum habet vim sponsalium. 47
Contrahens sponsalia cum impedimento dirimenti peccat mortaliter. 582. 53. secùs si alias ob causas inualidè contraharut. 54
Sponsalia prohibita validè contrahuntur, & hæc prohibet qui perpetuò nuptias. 671.10

Obligatio & effectus.

Quando sponsalia sint implenda. 583. 2. ad quæ obligent. 3
Sponsæ fornicatio, & probabiliter etiam sponsi non est adulterium. 4. continet tamen singularem malitiam mortalem. 5
Renuens sine iusta causa implere sponsalia nequit absolui. 584. 8
Cogendus est implere. 9. etsi grauiora incommoda timeantur. 10
Tenetur soluere statutam pœnam statim ac pars eam exigit. 585. 19
De arrhis quæ apponuntur sponsalibus, item pœnis persolnendis ab iniustè resiliente, *vide* Arrha, Legatum.
Iurans soluere pœnam sponsalibus appositam obligatur. 586.24
Soluta etiam à iustè resiliente alter non tenetur reddere donec exigatur. 26

Probabile est pœnas sponsalibus validè apponi. 587.29
Olim per leges ciuiles cuilibet erat licitum renuntiare sponsalibus aut matrimonio. 31
De promissionibus, *vide* promissio.
Qua ratione sponsalia per copulam transeant in matrimonium. 592.57

Quibus modis dissoluantur.

A puberibus licitè mutuo consensu, etiam iurata, & intuitu pietatis inita, dummodo libera vtrimque sit remissio. 593.2
Renuens implere sponsalia tribuit alteri ius resiliendi. 3
Impuberes facti heres soluunt licitè sponsalia antè contracta. 4
Quam vim habeant eorum sponsalia. 5. priùs ad puberem peruenientes statim reclamare potest. 6. id est, intra triduum. ibid.
Impubes iuramento firmans sponsalia non potest reclamare. 594.9. vt nec pubes contrahens cum impubere. 8
Volens Religionem ingredi post sponsalia iurata non tenetur priùs contrahere. 595.13. ita contrahens cum parte inscia facit ei iniuriam. ibid.
Post obtentam sub spe matrimonij copulam illicitè Religionem ingredieris. 15
Post votum Religionis violans conscium sui voti, aut sine promissione matrimonij tenetur votum implere. 19
Nouitiatus sponsi solam sponsam obligationis liberat. 596. 22
Obtinens copulam ab honesta sub spe matrimonij post votum Religionis, tenetur hanc ignaram voti ducere. 24
Vouens castitatem renuntiat sponsalibus, manet tamen sponsæ obligatus. 25
Factum S. Alexij solo Spiritus sancti instinctu fieri potuit. 597.26
Post sponsalia vouens castitatem, non tenetur Religionem ingredi. 27. non potest tamen petere debitum. ibid.
Contrahens sponsalia cum secunda, manet soli priori obligatus. 29. nisi secundam defloraret. ibid.
Sponsus contrahens cum alia, non liberatur eius morte omnino à priore obligatione. 32
Quarum sponsus ducet secundam si ab hac copulam obtinuit sub spe matrimonij. 598.34
Secunda sponsalia olim per copulam transibant in matrimonium. 35
Impedimenta solùm impedientia non dirimunt communiter sponsalia. 36
Cuius culpa impedimentum accidit, tenetur procurare dispensationem si commodè possit. 37
Qua ratione dies adiiciantur contractu, præcipuè colligitur ex fine contrahentium. 599.42
Mora notabilis ex vna parte soluit sponsalia. 43
Sed necesse est eum priùs moneri qui in mora est. ibid.
Quandoque auctoritate iudicis opus est. 43
Non soluuntur per moram inculpabilem nisi sit valdè magna. 44. per hanc sæpè datur ius resiliendi. 600.47
Quis dicatur se in alias partes transferre. 51
Sponsus se potest aliò transferre, non sponsa. 52
An tactus turpes sponsi cum alia soluant sponsalia. 601.56
Illicitè soluis sponsalia cum vidua quam credebas virginem. 58
Quando præcedens fornicatio possit obiici. 59
Præcedens sponsi fornicatio, non dat sponsæ ius resiliendi. 62
Excipe aliquot casus. ibid.
Vtroque fornicante solus sponsus licitè resilit. 63
Quæ mutatio status dét sponsis ius resiliendi. 602.65
Deformitas sponsæ superueniens dat parti ius resiliendi, secùs si viro superueniat, nisi sit valdè excessiua. 66
Item morbus contagiosus, grauis infamia, & morum peruersitas. 67. & grauis parentum contradictio. 68. iactura fortunarum. 69. negata dos. 70. & hæc omnia locum habent in sponsalibus iuratis, nec est opus dispensatione pro iuramento. ibid. an cùm causa dissoluendi sponsalia est moraliter certa, sit opus auctoritate iudicis. ibid.
Dolus qui non versatur circa substantiam contractus, non irritat cum iure naturæ. 71. nec vllo alio iure. 603.73
Copula impedit ius resiliendi. 75
Ad probandum impedimentum matrimonij requiritur saltem vnus iuratus testis. 604.78
Ad soluenda sponsalia iurata requiritur exactius testimonium. ibid. testimonium ex auditu non sufficit nisi in probanda consanguinitate. 79
Potest sponsus vel alius alterius crimen reuelare vt ius obtineatur. 83. præmittenda tamen fraterna monitio. ibid.
Causa resiliendi à sponsalibus est triplex. 605.91
Qui defectus non sint aperiendi in contractu sponsalium. 92. non pernicioſi licitè à sponsis dissimulantur. 606. 94
Ad quid obligetur qui dolo alterum ad contrahendum sponsalia induxit, aut defectus pernicioſos patitur. 607. 100

Subdiaconatus.

Non fuit illi initio annexa continentia. 567.109

Subditus.

Priùs debet aliquis alteri esse subditus, quàm contra eius legem peccet. 460.52
Qua ratione quis alteri fiat subditus ratione delicti. ibid.
Potest subditus extra suam prouinciam existens, tamen in ea delinquere. 55
Sententia generali ligantur illi etiam, qui postea fiunt subditi. 461.59
Secùs dicendum de sententia particulari. 60
Subditus extra diœcesim vel in loco exempto intra diœcesim peccans non ligatur sententia sui Episcopi. 462. 63

Suffragium.

Quid sit. 441.50
Præstantissimum quo prodesse possumus animabus in Purgatorio, est sacrificium Missæ. 52
Item per opera satisfactoria prosumus pro ijs satisfaciendo. 53. & per modum impetrationis. 54. licèt ministri Ecclesiæ in publico officio pro defunctis orantes sint mali. 442.55
Cur Sancti non possint defunctis applicare satisfactiones præteritas. 58
Cur quæuis Sanctorum preces non valeant quibuis impetrare. 59
Suffragia nostra prodesse non possunt damnatis, sed possunt omnibus existentibus in Purgatorio. 443. 61. & 62

Superior.

Aliquando ex iustitia tenetur subdito dare facultatem alteri confitendi. 401.108. aliquando verò ex charitate. 109
Illam facultatem debet concedere quoties creditur futura vtilis. 110
Et hac in re facilis esse debet, ac stare iudicio confessarij ipsius pœnitentis, nisi habeat graues rationes in contrarium. 111
Potest petenti facultatem, vt à casibus reseruatis absoluatur, præscribere certum confessarium. 112
Potest eam facultatem concedere cum onere secundò eadem peccata confitendi. 411.114
Non potest dare facultatem absoluendi solùm indirectè à reseruatis. 115
Quænam Superior possit præcipere. 401.113
De Superiore excommunicato, *vide* 488. & seq.
Quæ secundariò præcipit, etiam grauiter obligant. 499. 140

Supernaturale.

Quare aliqui effectus dicantur supernaturales. 199. 19

Suspensio, suspensus.
Quid sit. 507.1. Sæpè in Iure impropriè sumitur. 510.21
Differt ab excommunicatione & Interdicto. 507.2
Fertur in solos clericos. ibid. Variè diuiditur. 3
Suspensis ab officio quid prohibeatur. 508.5
Suspensus ab officio non semper est suspensus à Beneficio. 6
Tali illicitè confertur Beneficium, sed tamen validè. 7.
An suspensus ab Ordine inferiore, possit uti superiore. 8
Suspensus à collatione Ordinis inferioris licitè confert superiorem. 10
Suspenso à Beneficio quæ prohibeantur. 11. Tenetur fungi suo officio. 12. An aliquid possit percipere ex suo Beneficio. ibid.
Non tenetur ullos suspensos in ulla re vitare. 509.17
Non fertur in innocentem. 510.22
Communitas tripliciter suspenditur. 25
Suspensa communitate innocentes solùm ligantur quatenus illius sunt pars. 26
Impeditur iusta appellatione præcedente sententiam. 28. & an etiam subsequente sententiam. 29
Suspensiones à Iure latæ in diuersis casibus. 30. & seq.
Ignoranter ordinatus ab hæretico non suspenditur. 511. 34
Ordinatus sine titulo non est suspensus. 512.38

Suspicio.
Quis suspicari dicatur in moralibus. 724.81

Tabellio.
Præsentia tabellionis tripliciter necessaria. 486.108
Vide ibid. de Tabellione excommunicato.

Testamentum.
In testamento tria distinguenda. 253.68
Cedit nonnumquam in utilitatem testatoris. 252.64
Propriè sumitur apud Euangelistas, & quid sit. 160.38
Testamentum æternum quid sit. 210.35
Habens facultatem testandi potest id sæpiùs facere. 700.18

Testis.
Probitas in eo non requiritur cùm res sit, sed cùm testatur. 486.109
De teste excommunicato. ibid.
Qualitas in teste præcipuè requiritur dum testimonium perhibet. 643.40
Vide Matrimonium clandestinum, & contractum sub conditione.

Thesaurus.
Est in Ecclesia infinitus, constans satisfactionibus Christi & Sanctorum. 444.2
Cur Maronius negarit in Ecclesia esse nunc thesaurum. 443.1
Dispensatur à Prælatis. 444.3. non sola prædicatione. ibid.
Thesaurus ille manet in acceptatione Dei. 445.7

D. Thomas.
Non sentit Sacramenta physicè producere gratiã. 39.136

Timor.
Timor seruilis quid. 303.36. Vnde nascatur. ib. qua ratione sit utilis. 37. quando sit virtus. 38. huic extrinseca est ipsa seruilitas. 39. timor pœnæ quotuplex. 40

Titulus coloratus.
Quid sit. 388. 22. habens titulum coloratum validè absoluit, sed non licitè. ibid.

Tonsura.
Suscipiens primam tonsuram sine animo progrediendi vlterius non peccat mortaliter, quandoque tamen venialiter. 566.105

Traditio.
Traditiones Ecclesiasticæ recipiendæ. 109.2

Transsubstantiatio.
Semper fuit in Ecclesia secundùm rem nota. 163.56
Est vera productio. 175.152. quid propriè sit. 176.163

Triticum.
Ex quo tritico debeat confici materia Ven. Eucharistiæ. 136.52

Trullani canones.
Trullani canones illegitimi. 142.96. & 563.89

Vagi.
Tenentur legibus loci in quo sunt. 145. 116. qui dicantur. 644. 20. In eorum matrimonio quid seruandum. ibid.

Valdenses.
Negant Extremam vnctionem esse Sacramentum. 541.1

S. Valdricus.
Eius epistola conficta fuit. 567.113

Venenum.
Hauriens venenum, cùm hoc nequit euitare, non censetur se occidere. 415.55.

Verbum.
Vide Sacramentum, §. Sacramentorum materia, & Sacramentorum forma.
De essentia Sacramentorum est aliquod verbum rituale. 9. 46. non tamen concionatorium. 45. & 10. 52. & seq.
D. Aug. super hoc locus difficilior explicatur. 12. 53. & seq.
Verborum significatio non pendet à priuata intentione proferentis. 11. 62
Eadem ob diuersas circumstantias subinde diuersa significant. 66. 38. & 125. 11. & 132. 14
In contractibus ita accipienda vt minimam obligationem inducant. 578.24

Vestes sacræ.
Quæ & quales, & quomodo ad sacrificium necessariæ. 281. 250. quando perdant benedictionem. 251

Vicarius.
Vicarij Pastorum possunt subdelegare. 389.30

Vicleff.
Negat in Ecclesia esse potestatem ferendi censuras. 456. 24
Item Extremam vnctionem esse Sacramentum. 541.1

Violentum.
Quomodo possit esse perpetuum. 657.19

Virtutes infusæ.
Non facilitant actiones. 34.105

Vnio.
Vnio rerum inter se triplex est. 167.89
Vnio hypostatica non ponitur in Eucharistia vi verborum. 181.27
Qualis sit vnio Christi cum speciebus. 189.88

Vocatio Dei.
Periculosum est Dei vocationem deserere. 722.61

Vouere, votum.
Vouenti Religionem etiam contractus matrimonij communiter est illicitus. 594. 11. aliquando licitus. ibid.
Vide Sponsalia quibus modis dissoluantur.
Metu extortum votum iure naturæ est irritum. 573.146
Cur Deus non tam ratum habeat votum metu extortum quàm iuramentum. 574. 148. an leni metu irritetur. 149
An matrimonium sit materia vori & quando. 592. 58. & seqq. Ad quid obliget votum non nubendi. 721.54
Vouens ingredi Religionem non vouet castitatem. 55
Vouens aliquid sub conditione non tenetur curare vt hæc ponatur. 60
Vouens non petere debitum coniugale an peccet coniuge mortua aliam ducendo. 719.43
Coniux validè aliqua vouet quæ alteri nonnihil molesta sunt. 720.47
Obligatus voto castitatis malè petit debitum vt coniugis incontinentiam viter. 49
In relaxatione vori aut iuramenti, solùm spectatur magnitudo rei promissæ. 701.26
Qui potest remittere votum, potest id facere etsi iuramento sit firmatum. 27
Votum etiam solemne non continet traditionem. 685. 67
Solemnitas voti non est conditio requisita vt hoc habeat rationem traditionis. 69

Solemnitas voti per se est causa irritationis matrimonij. ibid.
Vouens aliquid censetur vouere media quæ. nouit ad hoc necessaria. 719.36

Votum coniugis, vide *coniux*.

Coniux vouens castitatem non potest adulteranti coniugi reconciliari. 719.42
Quæ censeatur esse intentio vouentium ingredi Religionem. 722.62
Vota simplicia possunt constituere propriè dictum Religiosum. 685.70
An obliget votum deficiente causa vouendi. 707.52
Vouens non comedere carnes licitè circa earum esum cogitatione delectatur. 728.110

Vsurarius.

Vsurarius manifestus nequit absolui nisi actu satisfecerit, aut cautionem dederit. 397.82

Vsus matrimonij.

De vsu matrimonij in diebus festis. 723.75. Aut tempore menstrui. 76. Aut quando vxor est grauida. 77. Aut quando coniuges amentes sunt. 79
Coniuges quandoque possunt vti matrimonio cum periculo salutis corporalis, non tamen tenentur. 717.22
Vtentes matrimonio quandoque licitè optant non nasci prolem. 715.10
Contractus matrimonij non obligat directè ad impediendam coniugis incontinentiam. 15
Coniux tenetur aliquo modo ex officio coniugis incontinentiam impedire si commodè possit. ibid. Non tamen aliter quàm alia eius peccata. ibid. Nec cum graui suo periculo. 717.21
vide *Debitum coniugale*.

Vxor.

Tripliciter accipitur. 575.3.&4
Vxor & concubina in Scriptura aliquando sunt idem, aliquando diuersa. 632.8

FINIS.

ÆGIDIVS DE CONINCK DE SACRAMENTIS AC CENSVRIS.

COMMENTARIORVM, AC DISPVTATIONVM IN VNIVERSAM DOCTRINAM D. THOMÆ DE SACRAMENTIS ET CENSVRIS

Tomus [illegible]

AVCTORE [illegible] BELLANO,
è Societate [illegible] in Collegio eiusdem Societatis in Academia Louaniensi S. Theologiæ Professore.

POSTREMA EDITIO AUCTA ET RECOGNITA.

Carmen De [illegible]



ROTHOMAGI,
Sumptibus IOANNIS OSMONT, in Curia Palatij.

M. DC. XXX.

REVERENDISSIMO ACPERILLVSTRI D. D. IACOBO BOONEN ECCLESIÆ GANDENSIS EPISCOPO.

CONFECTVM tandem de Sacramentis opus, Reuerendiſſime Domine, editurus in lucem cœpi mecum cogitare, quem ei patronum eligerem, cuius fauore, ac approbatione tutiùs multorum ſubiret iudicium: cùm ecce in mentem mihi venit illud colloquium, quod ante aliquot annos, cùm hunc librum primò componere inciperem, cum REV^ma V. Dominatione habueram, ſtatímque vagantem in diuerſa animum ſtitit, totúmque in ſe rapuit. Recèns tunc Reuerendiſſima veſtra Dominatio in Metrapolitana Eccleſia Decani dignitatem adierat, eámque pro officio contractáque iam olim neceſſitudine fauſta omnia precaturus acceſſeram: cùm repentè (vt, ſi mentem eò reuocet, Reuerendiſſima veſtra Dominatio facilè meminerit) non tam nouum honorem, quod acturus veneram, quàm certiſſimum ad honorum omnium culmen iam factum gradum gratulatus ſum. Iam enim tum præſagus proſpectabam eam in veſtro capite mitram, quam iam gaudemus impoſitam. Et hæc mihi animo reuoluenti, quò vlteriùs pergendum fuit? Numquid dubitare potui, an quas infulas Reuerendiſſimæ veſtræ Dominationi iam olim offerendas non tam vanè diuinando, quàm claris argumentis rem certam conficiendo denuntiatam, iam delatas acceptáſque gratularer? Nimiùm veteris noſtræ (qualis qualis inter impares eſſe poſſit) amicitiæ, nimiùm mei officij, nimiùm mei ipſius fuiſſem oblitus. Gratulandum itaque fuit mihi, non vt olim nudis verbis, ſed ex receptiſſima apud omnes gentes in eiuſmodi rebus conſuetudine, adiuncto etiam aliquo munuſculo, quo interiorem animi mei ſenſum, quantum quantum poſſum, exteriùs teſter. Offero igitur munus quidem mei amoris ſtudiíque pignus, ſi offerentis animum ſpectes; tale tamen, non quo Reuerendiſſima veſtra Dominatio in aliquo

ditetur, ſed quod ſua auctoritate tueatur. Quod cùm ipſe mecũ conſidero, eſt ſanè cur numini agam gratias, quòd ita opportunè & olim ita vaticinandi mihi mentem iniecerit, & eiuſdem iam memoriam excitarit. Nam vt omnis iam dicta abfuiſſet occaſio, cui alteri hoc meum qualecumque opuſculum feliciùs dedicem? In eo Sacramentorum ſacratiſſimorum quæ cæleſtis ſponſus Eccleſiæ ſuæ contulit, munerum natura, ritus, efficientia explicantur. Et quis non videat eſſe conſequens, vt alicui Eccleſiæ Principi, eíque à cæleſti ſponſo dato Vicario ſponſo tutandum fouendúmque committatur? In eodem, non ſolùm Scripturæ, Traditiones, Concilia, ſed plurimi ſacri canones, ciuiléſque leges pro materiæ exigentia explicantur, atque adeò vtrumque ius non exiguam in partem pertractatur. Meritiſſimò igitur eius pro eo primum omnium imploro calculum, quem vtriuſque iuris ſcientiſſimum hoc noſtrum æuum deprædicat, ac clariſſimis quibuſque in ea ſcientia viris, aut comparat, aut etiam præfert: in quem, verbo dicam, ipſa iuriſprudentia ſe totam, ſecúmque omnem ſuam fortunam penitus videtur effudiſſe: cuius iudicio liber approbatus nullius Ariſtarchi ſupercilium extimeſcat. Laudaret hìc fortè alius Reuerendiſſime Domine, illius tuæ eminentioris doctrinæ, natæque inde famæ luculentiſſimos teſtes Excellentiſſimos Arembergicos, alióſque plurimos toto Belgio viros ſine comparatione Principes, qui tuum iam olim, cùm orbi primùm clarere inciperes, conſilium ac prudentiam tanti fecerunt, vt grauiſſimis difficultatibus impliciti, tum demum omnia ſibi crederent expeditiſſima, ſi quacunque ratione obtinere poſſent, vt iis explicandis manum admoueres. Ab his, inquam, alius fortè ea quæ dixi firmaret, ſed fruſtra omnino ſim, ſi meridiano ſoli facem adhibeam; ſi, inquam, illuſtriſſimo ſummi illius totius Belgij, oculatiſſimíque Tribunalis, ſi Sereniſſimorum noſtrorum Principum de tua eruditione teſtimonio, aliunde aliquam lucem robúrque quærendum credam: Illud enim te in Belgico ſuo Areopago iudicem expetiit; hi dedêre; vbi non modò de Belgarum omnium fortunis vnà cum collegis ſententiam diceres, ſed etiam cum iiſdem de aliorum omnium Tribunalium ſententiis iudicares, non modò priuatorum, ſed ipſorum iudicum iudex. Iam tum te oſtendebas dignum, qui eo parente natus eſſes, cuius conſiliis tota iam olim illuſtrata fuit Brabantia, quem ipſa Cancellaria pro defuncto ſuo capite Vicarium agentem magno ſuo bono experta, ſibi præſidem magnis votis expetiit, magno ſuo gaudio à Regia Maieſtate obtinuit: ſed tantam ei felicitatem mors immatura inuidit. Iam tum paternæ virtutis acer æmulator, illum concito curſu ſequebaris: iam tum viri ampliſſimi Petri Peckij ſororij tui, quem vt olim pro Principe ſuo Oratorem tota Gallia, ita nunc Cancellarium ſuſpicit Brabantia, præclarè inſiſtebas veſtigia, adeóque premebas, vt cùm ille eò iam peruenisſet quò adſpirant pauci, pertingunt vix vlli, eum tamen breui aſſecuturus credereris. Sed qui olim D. Ambroſium tribunalibus ſubtractum Mediolanenſibus dedit Pontificem, aliò curſum tuum flexit, felicitate ſanè maxima; difficulter tamen quis dixerit, tuáne, an Eccleſiæ Gandenſis maiore. Exſiccatæ iam ſunt huius lacrymæ, quas optimus Antiſtes, iam ſecundò deceſſor tuus, ei ex inſperato abreptus excuſſerat, mutauit pallorem, luctum depoſuit, cùm quantum in Franciſco perdit,

tantum sibi à Iacobo promittat. Quidni enim quæ iam ab illo accepit, eadem à Reuerendissima vestra Dominatione expectet, quam Illustrissimi Melchinien sis acerrimo iudicio viri, quam Sereniss imorum nostrorum Principum sententia vnam toto Belgio selectam videt, quæ tanto viro iam secundò in grauissima officia succederet? Et vt modum epistolæ ponam, multáque, ac maxima verbo complectar, cùm in Reuerendissima Dominatione Vestra, Deo auctore, penè par videat cursus initium; cur dissimilem progressum, dissimilémque timeat exitum? aut cur Deo Opt. Max. adiutore sibi à Reuerendissima Vestra Dominatione non promittat felicitatem & gloriam illius æmulam? Ita rogo, ita voueo. Louanio 13. Maij, anno 1616.

REV^MÆ Dom. V.

Seruus in CHRISTO

ÆGIDIVS DE CONINCK.

Amico Lectori.

MIRABERIS fortè quisquis in hunc librum incideris, quid tandem operæ pretium duxerim, post tot eruditissimos, omnique ex parte absolutissimos doctissimorum virorum in hanc materiam commentarios, hunc laborem mihi sumere, &, vt aiunt, actum quodammodo agere: huius igitur causam paucis accipe. Postquam doctissimum illum R. P. Leonardi Lessij de Iure & Iustitia librum ingenti applausu orbis susceptisset, & non minore fructu omnium pænè manibus tereretur, ac incredibilem in rebus difficillimis tanta breuitate explicandis facilitatem obstupescerent; multi quos tædebat ingentia volumina perlegere, cœperunt ab eo similes in alias Theologiæ partes lucubrationes exigere, iique ex omni hominum ordine, ex omni orbis parte: maximè tamen eum opportunè importunè præsentes verbis, absentes literis vrgebant, vt Ecclesiæ Sacramenta ita explicata Christiano orbi daret; horum quippe exactam cognitionem ita omnibus esse necessariam, vt nemo Ecclesiasticus, præsertim cui animarum aliqua cura commissa est, sine ea vel tolerabiliter suo officio fungi possit: quæ tamen plurimos multi laboris longæque lectionis impatientes maxima ex parte deficiat. Cùm ille horum precibus nec diutiùs posset resistere, nec iis per se obsequi sibi integrum crederet, cùm ob grauissimas, eásque quotidianas variis in rebus occupationes, tum maximè ob afflictam valetudinem, quam iam multos annos valdè infirmam, sed tunc ita patiebatur aduersam, vt nil magis quàm celerem vitæ exitum animo voluèret: has inquam, ille inter angustias pressus, seriò instantérque mecum egit, vt, quod ipse nitebatur excutere, meis humeris onus exciperem: cùm enim tunc me accingerem, vt iam secundò hanc materiam studiosis in scholis prælegerem, credebat me tolerabili labore adhibito simul quæ in lucem ederem parare posse. Reluctabar initio, cùm facilè viderem longè aliud ab eo meritò exigi, quàm à me dari promittive posset: sed vehementiùs instanti tandem manus dedi, credidi enim minùs me culpandum, siquid, quod supra vires meas esset, incautè susciperem; quàm si hoc tanta instantia roganti negarem, cui scirem me omnia debere: maluíque in me leuitatem aliquam aut ignorantiam carpi, quàm pertinaciam accusari. Habes scribendi causam: subdam methodum.

Cùm hîc illud ipsum, in quo P. Lessius enituit, præcipuè à me quæri cernerem, vt quæ pluribus voluminibus ab aliis disputata sunt, ita paucis constringerem, vt tamen nec parientem vrsam, nec festinantem canem imitarer; aut informem mutilúmque fœtum edendo, si scitu necessaria omitterem; aut cœcum, si obscura minúsque probata proponerem: facilè vidi omnes mihi ingenij neruos intendendos esse, vt res ferè inter se admodum dissidentes, strictam nimirum breuitatem cum solida claritate vero fœdere coniungerem: quod etsi non sperem vbique perfectè assequi, dabo tamen omnem operam vt proximè sequar, idque certis viis, quas hîc spectandas subiicio.

Primò,

Primò, cùm plurima hîc ita à Doctoribus disputentur, vt singuli ferè in alias atque alias sententias abeant, quibus sigillatim referendis ac confutandis multum sæpe chartæ impletur maiore legentium tædio quàm fructu; statui huic labori ita parcere, vt in eorum à quibus dissideo placitis recensendis, argumentisq; dissoluendis non plus operæ insumam, quàm necessitas exigat. Semper enim persuasum habui, & ipsa experientia didici, conantem, quis inter varios diuersorum eadem de re sensus verisimilior sit, palàm edocere, longè plus proficere si sua clarè proponat, ac solidè firmet, quàm si, quæ alij contrà, aut sentiant, aut obijciant, sigillatim fuséque discutiat. Ea enim veritatis est vis, vt sufficienter illustrata, penitúsque perspecta facilè omnes aduersantium sibi errorum nebulas discutiat, eorúmque impetus frangat: quam si semel probè cognitam habueris, quidquid ei repugnat falsum esse facilè & tu ipse perspexeris, & aliis apertè ostenderis: contrà etsi plurimas sententias falsas esse clarissimè videris, non statim tamen quæ sit vera assequeris. Et hæc regia rectáque via est, qua communiter incedas tutissimè: cursus tamen nonnunquam obliquandus est; nam inter illud quandoque quasi sentibus obstructum transitum negat, veritásque multis erroribus ipsam prima fronte mentientibus, quasi quibusdam ruderibus ita obsita iacet, vt nisi hæc priùs dimoueas, ad illam frustra aspires.

Secundò, cùm inter varia, quæ hîc explicanda occurrunt, multa à pluribus auctoribus ita pertràctata sint, vt in iis nulla alicuius momenti difficultas sit reliqua, quin ipsa cuiuis, vel mediocriter erudito clara, obuia, expeditáque sit; hæc quidem, vt potero omnia, ne quid meritò requiras, breuiter tamen exponam, vt iis, quibus aliquid lucis adferre me posse crediderim, explicandis spacium sufficiat.

Tertiò, multæ hîc passim occurrunt difficultates, quas quidam singulas suis disputationibus eruditè discutiunt, quæ tamen inter se cognatæ, non minùs quàm varij vnius arboris rami vna ex stirpe trahant originem, qua excisa necessariò arescant. Has quantum potero ad suum caput reuocabo, quo altiùs effosso, tanquam ex fonte veritatis puros riuulos omnes in partes diducam.

Quartò, quæ hîc nobis disputanda sunt, partim ex doctrina fidei, quam ex Scriptura, Traditionibus, Conciliis, communíque Patrum consensu hausimus; partim ex Pontificum decretis Principiúmque placitis; partim ex rerum naturis, naturalíque philosophia; partim ex historiis, aut communi DD. sententia depromenda firmandáque sunt. Quare, vt hac in re tutò procedas, sollicitè omnino tibi curandum est, vt vnumquódque ex suo penu depromas, deductísque ex propriis sedibus argumentis probes: multum enim à recto discesseris, si aut ea quæ nullam cum fide connexionem habent ex huius principiis coneris docere; aut ea, quæ omne suum robur ex Principum placitis exceperunt, solius rationis regula velis metiri, aut ex diuersarum rerum inter se similitudine eandem omnibus legem sancitam esse concludere, & (vt exemplo rem dilucidem) ex eo quòd multi inter Sanctos relati æquali fortè cum B. Laurentio sanctitate emineant, probare eos pari festiuitate honorandos, ac æqualem in eorum profestis ciborum delectum, ac parcimoniam obseruanda. Nec leuiùs hîc etiam peccant, qui suum cuique argumento non tribuunt robur, sed firmissimo cuique hoc sæpe detrahunt quod leuioribus adiungant: eáque quæ sensu cognita sua euidentia vim intellectui inferunt, ex obscuris quibusdam assertionibus, quas non aliter quàm quia aliquibus placuerunt possunt probare, volunt corrigi. Si igitur tam in hac quàm in quauis alia disputatione veritatem sincerè quæramus, ita nobis incedendum semper sum arbitratus, vt primò omnium quidquid fides nos docet, ita firmum sanctúmque habeamus, vt quæcunque ei vel minimum aduersantur, quantumuis aliàs firma certáque appareant, vt penitus falsa respuamus, nec vllibi naturalem rationem, aut experientiam consulamus, vbi ab illa dissentire

videantur; cùm hæc incautos fallere contingat aliquando, illam numquam. Quibus consequens est nos, etsi res Deo auctore acceptas quandoque infidelibus naturalibus necessariò rationibus suadeamus, non ex his tamen, sed ex Scriptura, Traditione, Conciliisque eas debere discere, & eos qui nobiscum in fide consentiunt ex iisdem locis docere.

Secundò verò ea quæ à iam dictis separata nullam cum fide necessariam connexionem habent, suæque omnino naturæ relicta sunt, ita naturale lumen sequendo ex propriis fontibus eruamus, vt in iis discernendis ac elucidandis, certis experientiis, apertisque ex iis deductis rationibus principem tribuamus locum, nec aliquorum præconcepta opinione ab iis quæ illa perspicuè suadent facilè nos patiamur abduci, credamúsque in rerum naturis cognoscendis maiorem fidem oculis, quàm moribus habendam esse, præsertim cùm videamus, multas opiniones diu aliquibus fuisse vt certas omnino persuasas, non tam firma aliqua ratione, quàm quòd certum aliquem, aut se mutuo sine vllo examine secuti, vt eas acceperant, ita posteris tradiderint, non discutiendas, sed indubitata fide credendas. qui cæcus in eandem sententiam impetus cùm multis sæpe annis suum cursum tenuerit, tandem alterius contra sentientis commodósque auditores nacti auctoritate tanquàm obiecto aggere sistitur, & aliò penitus deflectitur, eadémque postea tam habentur falsa, quàm prius vera certáque credebantur. atque ita non minùs quàm verbis, eiusmodi placitis illud Horatij vsu venit:

Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadéntque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet vsus.

Cùm enim non minùs quàm ipsi mortales recepta ab iis consuetudo mutabilis sit, quæcumque à sola humana auctoritate, aut communi vsu firmitatem suam acceperunt, necessariò sæpe variantur, vnáque cum iis aliquando intereunt. Hoc vni Deo Opt. Max. teste D. Augustin. epist. 19. ad D. Hieron. debemus, vt quæcumque ab eo quacunque ratione tradita acceperimus perpetuò sacrosancta habeamus. Hæc suo modo imitantur ea quæ à clara ratione suum robur acceperunt: nam vt rerum naturæ mutari nequeunt, ita quæ ex iis clarè deducta sunt perpetuò eadem perseuerant. Hæc tamen non ita differo quasi vilem habendum existimem concordem multorum in eandem rem consensum; ab hoc enim leuiter dissentire hominis est nimium sibi sumentis; sed vt ea quæ doctrinæ nobis diuinitus traditæ connexa non sunt, non à sola asserentium auctoritate, sed ex ipsa etiam ratione conemur discere, atque adeò malimus ea (vbi commodè fieri poterit) scire quàm credere: ita tamen vt à communiore sapientum placito numquam discedamus, nisi aperta rationum vi, quæque etiam aliorum doctorum hominum probetur iuditio, inuiti auellamur. Quod maximè obseruandum est in iis à quibus vitæ morúmque honestas pendet, in quibus ab opinione multorum calculo longóque vsu firmata communiter minùs tutò recedas. Si cui tamen ea rationum momenta occurrerint, quæ satis apertè contrarium suadeant, ea ita proponenda suaserim, vt priusquam placuerint pluribus, nullo modo vt omnino tuta acceptentur.

Tertiò, in iis quæ in se ἀδιάφορα sola Principis sacri vel ciuilis lege facienda, vel omittenda sancita sunt, vbi huius clara verba apertè tenueris (modò tamen eorum sensum magis ex totius legis contextu, eiúsque scribendæ occasione, quàm ex pauculis vocibus rimeris) ita iis adhæreas, vt aliorum ab his discessum ex aliis legibus à contrario sensu, aut rationum similitudine suadentium, aut auctorum multitudinem sine vllo iure sequentium auctoritate non facilè te ab iis abstrahi patiaris. Docuit me tam hæc, quàm mox dicta ipse Iustinianus in suo Cod. l. 1. de vetere iure enucleando,

cleando, §. 6. vbi ait: *Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius & æquius est, iudicatote, cùm possit forsitan & deterioris sententia, & multas & maiores in aliqua parte superare.* Ex qua etiam viri eruditissimi Thomas Sanchius l. 3. de matr. disp. 44. num. 2. Nauarr. cap. 27. num. 289. & apud eos alij conficiunt communem Doctorum esse dicendam sententiam, non quam plurimi alter ex altero describunt, sed quam suis vtrimque momentis libratam docti aliqui maturo amplectuntur iudicio, firmisque rationibus stabiliunt. Et meritò; videmus enim plurimos, quid quauis in re sequendum fugiendúmve, non ex naturæ Principúmque legibus, quas nullas pro se proferunt, sed ex sola aliorum fide decernere, quorum nuda verba sine examine aut probatione transcribunt, & quæcumque opinio vni fortuitò placuerit, eam mox plurimorum faciunt. Sunt & alij qui pro se iura sine fine congerunt, quæ cùm omnia inspexeris, vix syllabam in iis reperias, quâ credas eos potuisse moueri vt in eam sententiam irent. Cuius rei causas duas præcipuas coniicio. I. quòd iura sæpiùs ex aliorum scriptis, quàm ex Pontificum Decretalibus, aut Iustiniani Pandectis depromant. II. quòd multos sæpe contingat incidere in Decreta Gratiani vitiosè, ac perturbatè impressa, atque ita quandoque ipsius verba, aliasve glossas pro textu laudare; aut SS. Patribus aliqua tribuere, quæ vel his nunquam venerunt in mentem, vel etiam iis quæ ipsi scripta nobis reliquerunt penitus repugnant. Exemplo sint can. *non est dubium*, & can. *cùm societas* 27. q. 2. quorum prior ex D. Augustino, qui nihil simile vllibi habet; alter ex epistola D. Leonis ad Rusticum (vbi planè oppositum dicitur) vulgò desumpti creduntur. Hos scriptorum scopulos quos varia legendo præcipuos aduerti, breuiter hîc indicandos putaui, & vt potui vitare conatus sum: me tamen in nullum omnino impegisse ipse mihi polliceri non audeo, alij facilius iudicabunt.

Demum cui hoc opus non ita grande in duos tomos diuiserim paucis accipe. Cùm priora tria Sacramenta D. Thom. in suo vltim. opere nobis explicata dederit, putaui mihi sequendam plurimorum DD. consuetudinem, vt illum ipsum simul cum subiecta materia breuiter exponerem: quod in aliis facere non potui, quæ morte immatura nobis ereptus vix attigit. Nouum igitur procedendi modum hîc mihi necessariò assumendum etiam nouo tomo distinxi. Habes hîc amice Lector scribendi causam, & quid toto hoc opere sim secutus, si quid placeat, diuinæ gratiæ, à qua nobis bona omnia, tribue; si quid displiceat, humanæ infirmitati dona, nostrísque laboribus diu fœlix propitio numine fruere.

Mutius Vitelleſcus, Societ. IESV Præpoſitus Generalis.

CVM Commentarios P. Ægidij de Coninck, de Sacramentis in tertiam partem S. Thomæ, noſtræ Societatis Theologi, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has Litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 9. Ianuarij, anno 1616.

MVTIVS VITELLESCVS.

CENSVRA.

HIc liber Commentariorum ac Diſputationum in Doctrinam D. Thomæ de Sacramentis ac Cenſuris, Auctore R. P. Ægidio de Coninck, Societatis IESV Preſbytero, eſt doctiſſimè conſcriptus, & dignus, qui multorum manibus teratur, ad veram Sacramentorum vim & intellectum conſequendum. Quod teſtor 24. Iulij, anno 1615.

EGBERTVS SPILTHODIVS. S. T. L.
Canonicus & Plebanus Antuerp.